UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ethica Amoris, Sive Theologia Sanctorum, Magni Præsertim Augustini, Et Thomæ Aquinatis

Circa Universam Amoris & Morum Doctrinam, Adversus Novitias Opiniones Strenuè propugnata, Et In Materiis Principaliter Hodie Controversis Fundamentaliter discussa

De Generalibus Principiis Amoris Et Morum - Prolegomena septem, Librosque undecim complectens

Henricus, de Sancto Ignatio

Leodii, 1709

urn:nbn:de:hbz:466:1-73187

Visual Library

Th. 443a.

D. 7 V
3.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ETHICA AMORIS,

SIVE

THEOLOGIA SANCTORUM,

MAGNI PRÆSERTIM AUGUSTINI, ET THOMÆ AQUINATIS,

CIRCA

UNIVERSAM AMORIS & MORUM DOCTRINAM,

ADVERSUS NOVITIAS OPINIONES
Strenuè propugnata,

ET IN MATERIIS PRINCIPALITER HODIE CONTROVERSIS
Fundamentaliter discussa

Per Fr. HENRICUM A S. IGNATIO, Athensem, Ordinis Fratrum Beatæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo, Exprovincialem, nuper Commissarium Generalem, S. Theologiæ emeritum Professorem.

Opus nedum Theologis, Animarumque Directoribus, sed & verbi Dei Præconibus utilissimum, plenâ manu argumenta subministrans ad doctè & piè disserendum de omni materia, ad vitam Christianam pertinente.

TOMUS PRIMUS.

DE GENERALIBUS PRINCIPIIS AMORIS ET MORUM

Prolegomena septem, Librosque undecim complectens.

Collegii Soctis JESV. paderb. 1710.



LEODII,
Ex Officina Typographica J. FRANCISCI BRONCART. 1709.

Cum Approbationibus & Superiorum permissu.

PARS PRIMA PRÆLIMINARIS.

Prolegomenon I. De radicibus laxioris Ethices.

Prolegomenon II. De remediis Ethices laxioris.

Prolegomenon III. De ſublimitate, germaniſque fontibus Moralis Chriſtianæ.

Prolegomenon IV. De origine & proceſſu querelarum adverſus laxiorem morum doctrinam.

Prolegomenon V. De querelis adverſus Ethicen ſeveriorem.

Prolegomenon VI. De propoſitionibus vulgò Bajanis.

Prolegomenon VII. De nimia Caſuiſtarum Recentiorum libertate cenſurandi ſententias, in ſacris Litteris, & ſanctis Patribus fundatiſſimas.

PARS SECUNDA.

De generalibus principiis amoris & morum.

Liber I. Amor voluntarius.

Liber II. Amor liber.

Liber III. Amor moralis.

Liber IV. Amor circumſpectus.

Liber V. Amor ordinatus in genere.

Liber VI. Amor Dei ordinatus.

Liber VII. Amor ordinatus creaturarum.

Liber VIII. Amor in Deum ordinandus.

Liber IX. Amor gratioſus, ſive de gratia ad amorem ordinatum neceſſaria.

Liber X. Amor inordinatus, ſive de peccatis.

Liber XI. Amor conſcientioſus, ſive de conſcientia, interna amoris & morum regula.

REVERENDISSIMO DOMINO

D. CLEMENTI LE FEBVRE,

CELEBERRIMI JUXTA ET ANTIQUISSIMI MONASTERII

S. HUBERTI IN ARDENNA

ABBATI DIGNISSIMO,

OPPIDIQUE EJUSDEM NOMINIS, AC TOTIUS TERRITORII DOMINO;

VICECOMITI DE ANSEREME,

SUPREMI DUCATUS BULLIONENSIS

PRIMO PARI;

TOPARCHÆ

In Bure, Tellin, Marloye, Gemelle, Terwagne, Wibren, Chauvancy, Moullin, &c.

PRimus hic Ethices Amoris, seu Theologiæ Sanctorum partus Te Patronum ambit, REVERENDISSIME PRÆSUL, ut dum è tenebris prodit in lucem, in Te Tutorem habeat, & Mecænatem, cujus clementiâ foveatur, fortitudine protegatur, munificentiâ adjuvetur. Tua namque ornat clementia fortem, & ut ad clementiam tuam fortitudinemque recurrat, tua erga me, Carmelumque nostrum humanitas, tua erga omnes benignitas invitat. Et in Te invenisse confidit & Patrem clementissimum, & Patronum ideò fortissimum, quia sacræ Antiquitatis (quam propugnat) Defensorem eruditissimum, & novitatis omnis Adversarium zelosissimum, & Tutorem lemniscatis in stadio Theologico victoriarum palmis nobilissimum, ita ut non mirum sit, quòd in Te (Præsul Amplissime) domestici pariter & extranei universi suspiciant tam innata, quàm cælitùs data animi tui decora, præclarasque dotes. Tuam scilicet in docendo peritiam, in dubiis enodandis penetrationem, in dijudicandis sagacitatem, in consiliis maturitatem, in agendis prudentiam tantam, ut prosperum sibi negotiorum successum, instructiones tuas sequendo, sibi valeant polliceri, quibus ea committis. Stat nihilominùs immota tranquillitas tua, siquando aliter divina disponat Providentia: quia non quæris quæ tua sunt, sed quæ Jesu Christi, nec ut tua, sed Dei voluntas fiat. Et ideò apud Te, *sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus.*

Perennem tranquillitatem istam in solitudine invenis, cujus amore vix unquam stationem tuam deseris; imò in ea, velut in tranquillo portu conquiescens, soli Deo vacas, & commissi Tibi gregis saluti prospicis, imitatorque factus Angelorum per

eandem scalam ascendentium & descendentium, in illa tua solitudine simul cælestia meditaris, & terrestria moderaris. Et in cælis quidem præcipua est conversatio tua; de filiorum tamen salute sollicitus, in curarum partem descendis. Et quid dico, in partem? Totum penè curarum pondus in Te suscipis. Quâ verò mentis acie, quâ animi magnitudine, quâ sagacitate & dexteritate omnia complecteris, prospicis, ordinas? Siqua filiorum moribus adhæsit labes, siquis irrepsit languor, siquis venenosus sæculi afflatus, tam facilè tua reparat industria, ut in refloreſcente primitiva observantia nulli secundum foret celebre Magni S. Huberti Monasterium, nisi Cacodæmonis invidia piæ industriæ tuæ remoram injecisset ingloriarum oppositionum. Enimverò præsentium temporum moribus tanta cum discretione accommodatæ sunt Ordinationes tuæ, ut nec meliorum temporum dimissa sit severitas, nec deteriorum onerata infirmitas.

Addit Ordinationibus tuis pondus exemplaris vita tua; Abbatialis dignitas communi suffragio collata, non quæsita; muneris neglectus honor, susceptus labor; luxûs & fastûs horror; frugalitas, imò asperitas tanta, ut omnibus in admiratione sit, Prælatum infirmæ adeò valetudinis, delicatæque complexionis, tot & tam ingentes inter curas indefatigabilem esse.

Et unde Tibi vires tantæ (Antistes religiosissime?) à Pane illo fortium, quo tanta cum devotione, in Altaris Sacrificio, quotidie pasceris; quemadmodùm & ab ardenti tua in Deum & proximum charitate. Nescit enim parva molimina charitas tanta, imò indefatigabiliter magna operatur. Et quas dotes complectitur illa tua charitas? omnes enumeratas ab Apostolo 1. Cor. 13. hisce verbis: *Charitas patiens est, benigna est: Charitas.... non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum.... omnia suffert, omnia sustinet*, &c. Est namque charitas tua patiens in adversis; non inflata in prosperis. Est omnibus benefica, imò magnifica, & adeò benigna, ut ne sinistra quidem tua sciat, quid faciat dextera tua. Siquidem manus tuæ tornatiles, plenæ hyacinthis, Te esse probant (licèt in abscondito) Patrem pauperum, Consolatorem afflictorum, Mecænatem Litteratorum indigentium.

Nec adversus delinquentes irritatur charitas tua, sed, fortitudini clementiam sociando, sic quædam dissimulat, ut delicta crescere dissimulando non permittat. Et non solùm non cogitat malum; imò de omnibus benè judicat, nisi indicia plusquàm evidentia cogant in contrarium; & si tunc excusare non valeat actionem, nihil negligit ut excuset intentionem.

Et quomodò ambitiosa foret, cùm honores fugias, & encomiorum tuorum primum sit, laudari nolle; & latere velle, magis quàm in ore vulgi esse? Tanta utique est humilitas ac modestia tua, ut ab ea veniam deprecari compellar, quòd ei reluctanti vim quodammodò inferam, per hanc Dedicatoriam. Quippe magis amas virtutibus quàm laudibus clarescere, non immemor Claudianæ sententiæ:

Sat virtus splendore nitet, nec laudibus ullis
Erigitur, versuque petit clarescere Vatum.

Porrò tuas inter virtutes quænam præcellat, judicatu non est facile, dum omnes in eminenti gradu complecteris. Cæteris tamen antecellere videtur humilitas (quâ bona quæ facis, abscondis) cum admiranda morum suavitate, & regina cordium mansuetudine conjuncta, quâ amari mavis, quàm timeri, nihil verbis docens, quod non factis exhibeas, nihil jubens, quod moribus & vitâ priùs suave non reddas.

Sic per omnia boni sollicitique Præsulis partes exequeris, forma factus gregis tui. Didicisti namque à Mellifluo Abbate, serm. 77. in Cant. quòd *boni Pastoris est non cessare pecus suum impinguare bonis lætisque exemplis, & suis, magis quàm alienis.*

Vellem & possem multa hîc attexere, ad tuarum commendationem virtutum; sed, ut de Epiphanio suo Ennodius aiebat, *scripturientem de Te calamum præproperè detines.* Præterire tamen non possum ferventem zelum tuum, pro decore Domûs Dei, quam decet sanctitudo in sæcula sæculorum. Testatur hunc zelum erectum à Te, calamitosoque tempore, sumptibus magnis perfectum Ecclesiæ Magni S. Huberti magnificum Frontispicium. Nec magis præterire fas est, in Te conspirare rationes omnes, quas in Mecænatibus suis Scriptores exquirunt, insignem utique munificentiam, rei litterariæ promotionem, egregium virtutum omnium concentum.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Nec publico hoc elogio possum non commendare, cum Nysseno in orat. *de his qui premuntur*, nimirùm, quòd *ita morum gravitatem cum animi demissione commisces, ut non avertat oculos intuentium, sed jucundum sic faciat obtutum, ut neque gravitatis splendor obscuretur, neque latens in anima virtus propter humilitatem despiciatur; sed alterum æqualiter in utroque, tum in* Abbatialis dignitatis *sublimitate comitas & humanitas, tum in humanitate vice versa gravitas animadvertatur.*

Patere igitur (Abba humillime, clementissimeque) ut hic litterarius labor meus, ad efformandum hominem verè christianum & religiosum concinnatus, apud clementiam tuam inveniat locum, & acceptare non dedigneris hoc meæ, imò totius in Te Carmeli gratitudinis & observantiæ mnemosynon, quod devotissimo cordis affectu Tibi offero, memor quidem angustiæ meæ, sed nec immemor magnanimitatis tuæ. Magni quippe animi Ausonius esse dicit, *etiam minima gratitudinis obsequia non repellere.* Et quomodò repelleres hanc divini Amoris Ethicen, quæ vel solâ nominis tui præfixione contra malevolos omnes efficaciter erit defensa, & omnibus Theologiæ Sanctorum Amatoribus sufficienter commendata? Hoc est, Reverendissime Præsul, quod spero, Deum Opt. Max. enixè deprecans, ut Amplitudinem Suam Magni S. Huberti Monasterio diù servet incolumen. Ita voveo, qui sum ex animo, eroque quoad vixero,

REVERENDISSIME PRÆSUL,

AMPLISSIMÆ D. T.

Humillimus ac obedientissimus Servus
Fr. Henricus a S. Ignatio, Jubilarius.

INDEX

Prolegomena, Libroſque ſimul & Capita Tomi primi continens.

PROLEGOMENON PRIMUM.
De Radicibus laxioris Ethices.

CAput I. *Laxioris Ethices mala panduntur.* 1
Caput II. *Schema complurium opinionum, quæ viris ſapientibus videntur Chriſtianæ vitæ plus æquo relaxativæ, atque à Regulis Evangelicis, Eccleſiaſticiſque, & à Sanctorum Theologia alienæ.* 4
Caput III. *Salubrioris purioriſque Ethices neceſſitas ex dictis concluditur.* 12
Caput IV. *Prima cauſa, radixque primordialis Ethices laxioris, præſidentia rationis humanæ, antecedentis Oracula Scripturarum & Sanctorum, in qua laxiorum opinionum Authores Ethicam ſuam fundaverunt.* 15
Caput V. *Secunda radix laxioris Ethices, eſt quia à generalibus Scripturæ præceptis, privatâ ratione & authoritate, liberiùs excipitur, documentaque Scripturæ, pro viſa cuique ratione, licentioſiùs inflectantur, conſuetiſque hominum moribus accommodantur.* 18
Caput VI. *Tertia radix, eſt quia ſanctorum Patrum doctrina vel negligitur, vel contortè explicatur, non ut illi ſapiunt, ſed ut quiſque ſapit.* 19
Caput VII. *Quarta radix, eſt nimia de moribus opinandi, de ſuoque definiendi, ac novos & Majoribus incognitos peccatorum excuſandorum prætextus excogitandi licentia.* 20
Caput VIII. *Quinta radix, abuſus probabilitatis.* 23
Caput IX. *Sexta radix: abuſus harum maximarum:* In obſcuris benignior interpretatio, vel opinio ſequenda: Odia reſtringenda, favores ampliandi: In dubio melior eſt conditio poſſidentis, &c. 27

PROLEGOMENON SECUNDUM.
De Remediis Ethices laxioris.

CAput I. *Sapiens inveſtigator remediorum adverſus Ethicen laxiorem, ſcire ante omnia debet, principium veræ Sapientiæ eſſe, parum credere humanæ rationi ſuæ, ob ingentem defectum & pronitatem ipſius in errores. Cujus argumentum primum petitur ex diſcrimine humanæ rationis, in hoc ſtatu naturæ corruptæ, ab ea quæ fuiſſet in ſtatu innocentiæ.* 30
Caput II. *Secundum argumentum ingentis defectûs rationis humanæ, petitur ex inſufficientia ipſius ad aſſequendas ipſas, etiam minimas, naturales & philoſophicas veritates, ſine multiplicium errorum admixtione.* 32
Caput III. *Ingens humanæ rationis defectus, tertiò demonſtratur, palpabiliter oſtendendo, quàm inſufficiens & erratica ſit circa Deum & divina.* 35
Caput IV. *Quarta demonſtratio ejuſdem defectûs, ex eo quòd humana ratio, ſibi relicta, prorſus inſufficiens ſit ad aliquid certò ſtatuendum de fine hominis.* 37
Caput V. *Demonſtratur ingens defectus, inſufficientiaque rationis humanæ, ad determinandum de mediis, ſeu moribus, quibus ad finem illum pervenitur.* Ibid.
Caput VI. *Non tamen ob præmiſſa contemnendus humanæ rationis uſus; ſed liberior uſus, ne in præcipitia ducat, corrigendus.* 39
Caput VII. *Ratione liberiùs utuntur Philoſophi, qui ita ſibi in anteceſſum præfigunt philoſophicas ſuas opiniones, ut deinde Spiritum ſanctum, ubi repugnare videtur, ſeu ſacra documenta in balbutiem ſuam trahant.* 40
Caput VIII. *Ratione liberiùs utuntur, qui omnia ſibi propoſita, quamlibet incerta & ambigua, de ſuo, velut ex tripode definiunt, præſertim in moralibus.* Ibid.
Caput IX. *Ratione liberiùs utuntur, qui plus rationi ſuæ privatæ, quàm communi Majorum traditioni, vel primariorum Eccleſiæ Doctorum authoritati, in materia per Eccleſiam non definita, citra apertam neceſſitatem, deferunt.* 41
Caput X. *In materia Theologica, tametſi non definita, citra perſpicuam neceſſitatem, plus deferre privatæ rationi ſuæ, quàm communi traditioni Majorum, vel doctrinæ primariorum Eccleſiæ Doctorum, eſt contra oracula Scripturarum, exemplaque & documenta Sanctorum.* 43
Caput XI. *In eadem materia plus deferre privatæ rationi ſuæ, quàm traditioni Majorum, doctrinæve vel authoritati ſanctorum Doctorum, eſt contra regulas chriſtianæ humilitatis, ſimplicitatis, modeſtiæ & prudentiæ.* 45
Caput XII. *Ipſemet ordo locorum Theologicorum, illumque ſequendi neceſſitas, oſtendit, in Theologicis, etiam incertis ac inevidentibus, plus ſanctorum Doctorum authoritati deferendum, quàm viſæ cuique rationi.* 47
Caput XIII. *Duplex replica ſolvitur, & utriuſque ſolutione ampliùs oſtenditur, rationem rectam non permittere humili, modeſto, prudentique Chriſtiano, in materia (præſertim Theologica) incerta & inevidenti, plus deferre rationi ſibi viſæ, quàm communi Sapientiorum, & maximè ſanctorum Patrum doctrinæ.* Ibid.
Caput XIV. *Regulæ 14. ad veram rationem, ſapientiam & intelligentiam aſſequendam, remediaque ad corrigendam laxiorem Ethicam.* 49
Caput XV. *Tunc ſalutaria erunt laxioris Ethices remedia, ſi hinc inde caveantur extrema, tam ſcilicet Ethica ſeverior, quàm laxior.* 52
Caput XVI. *Tametſi extrema vitanda ſint, ut ſuprà, attentâ nihilominus multitudine longè maximâ fidelium pereuntium, Scriptores Caſuum, Confeſſariique & Directores animarum, Salvatoris exemplo, fidelibus potiùs inculcare debent viam arctam, quàm latam, diſcretoque uti rigore, quem Evangelica Apoſtolicaque traditio requirit, quemque Sanctorum cœlitûs aſſlatorum doctrina præſcribit: ne alioqui, indiſcretâ indulgentiâ ſuâ, peccatorum alienorum, perditioniſque fratrum ſuorum particeps effecti, cum pereuntibus & ipſi pereant.* 55

PROLEGOMENON TERTIUM.
De ſublimitate germaniſque fontibus Moralis Chriſtianæ.

CAput I. *Origo, finis, ſubjectum Moralis Chriſtianæ, indeque qualitas ac ſublimitas ipſius, uti & prærogativæ Chriſtiani hominis deſcribuntur.* 63
Caput II. *Regulæ Moralis Chriſtianæ, ſive Inſtitutionis hominis Chriſtiani.* 67
Caput III. *Reflexio ad ſuperiores regulas.* 68
Caput IV. *Ad ſuperiores regulas Chriſtiani omnes tenentur.* 69
Caput V. *Eamdem obligationem aſſerit, probatque divus Gregorius.* Ibid.
Caput VI. *Efficax atque elegans divi Chryſoſtomi pro eodem obligatione diſcurſus lib. 3 adverſ. vituperat. vitæ Monaſticæ c. 2. Nervoſa etiam ſententia Concilii Aquiſgranenſis, ſicut & divi Thomæ de Villa-nova pro eadem.* 70
Caput VII. *Eamdem obligationem ratio Chriſtiana dictat* 72
Caput VIII. *Superioribus regulis conformem oportet eſſe morum Theologiam, ut verè Chriſtiana ſit. Talis proinde non videtur illa, quæ eſt adinventionis novæ, non traditionis antiquæ: illa maximè de qua Caramuel Theolog. fundament. n. 1268.* Tota Theologia Moralis nova eſt. 73

Caput IX. *Germani fontes Christianæ Ethices, sunt Scriptura Traditioque. Deinde, Ecclesia, Canones, Patres. Denique ratio regulata per ipsorum documenta, quoad ea quæ divini juris sunt. Leges verò Ecclesiasticæ & Civiles, ratioque inde deducta, quoad ea quæ juris sunt humani.* 74
Caput X. *Tametsi humana ratio, ex dictis Prolegom. 2. c. 6. locum post authoritatem Scripturæ, Ecclesiæ & SS. Patrum, habeat in Christiana morum Theologia; locum habet ut ipsius authoritatis pedissequa, non ut domina: ut consequens, non ut antecedens: ideoque si casus per Scripturam, Traditionem, Ecclesiam, vel SS. Patrum doctrinam sit decisus, in contrarium non est audienda ratio purè humana, nec ob eam inflectenda Scripturæ, Ecclesiæ, vel SS. Patrum doctrina.* 75
Caput XI. *Legitima non est S. Scripturæ, vel sanctorum Patrum expositio, per humanam rationem antecedentem.* 76
Caput XII. *A generalibus Scripturæ sententiis ac præceptis, sola humanâ ratione, prudens non excipit.* 77
Caput XIII. *Sola illa à generalibus Dei præceptis legitima est exceptio, quæ divina cognoscitur fieri authoritate, sive per Scripturam, sive per Traditionem externam vel internam, vel divinam pro tempore revelationem.* 78
Caput XIV. *Regulæ sex ad legitimam sacræ Scripturæ, sanctorumque Patrum expositionem.* 79
Caput XV. *Regulæ ad dignoscendam Traditionem.* 81
Caput XVI. *Regulæ in hac nostra Theologia Morali sequendæ.* 82
Caput XVII. *Rationes cur Moralis nostra potissimùm depromatur ex S. Augustino & S. Thoma.* Ibid.
Caput XVIII. *Solvuntur objectiones eorum, qui magnifica Ecclesiæ de Augustino testimonia vellicare conantur, vel extenuare.* 86
Caput XIX. *Sanctorum Augustini & Aquinatis dogmata nullo in puncto contraria sunt Decretis SS. Pontificum.* 89
Caput XX. *De Augustini doctrina non bene sentiunt, nec reverenter loquuntur, qui dicunt, ei ad litteram non insistendum, utpote quæ haud minùs obscura sit, nec varios diversosque sensus minùs admittat, quàm ipsamet Scriptura sacra.* 92
Caput XXI. *Ratio cur nonnullis Recentioribus paradoxæ videantur propositiones quædam, in Augustino aliisque probatis Ecclesiæ Patribus certissimæ.* Ibid.
Caput XXII. *Ratio multiplex cur eædem propositiones ab indulgentioribus Recentioribus Bajanismi vel Jansenismi (licèt immeritò & calumniosè) insimulentur?* 93

PROLEGOMENON QUARTUM.
De origine ac progressu querelarum adversus laxiorem morum doctrinam.

Caput I. *Origo & progressus querelarum adversus laxiorem morum doctrinam.*
Caput II. *Querelarum adversus laxiorem morum doctrinam, progressus ulterior.* 98
Caput III. *Quadraginta quinque propositiones laxioris Ethices, per Alexandrum VII. condemnatæ, seu duplex Alexandri VII. adversus eas decretum.* 100
Caput IV. *Sexaginta quinque propositiones, christianam disciplinam relaxantes, per Innocentium XI. condemnatæ.* 102
Caput V. *Doctrina Facultatis Theologicæ Lovanienſis, propositionibus per Decretum S. D. N. Innocentii XI. condemnatis opposita, à Deputatis ejusdem Facultatis, eidem S. D. N. ad examen proposita, Apostolicoque ipsius judicio submissa, sed post longissimum examen, summaque in illam præpotentium adversariorum molimina, ab omni censura prohibitioneque libera.* 105
Caput VI. *Decretum Sanctissimi Domini Nostri Innocentii XI. quo Amadæi Guimenii Liber, cui titulus:* Adversus quorumdam expostulationes, contra nonnullas Jesuitarum opiniones morales, &c. *sub excommunicationis pœna interdicitur, & flammis abolери jubetur, velut continens doctrinam non sanam, perniciosam, animarum infectivam, & in æternæ salutis detrimentum adductivam.* 108
Caput VII. *Decretum Alexandri VIII. de 24. Augusti 1690. adversus propositiones duas nimis laxas.* 109

PROLEGOMENON QUINTUM.
De querelis adversus Ethicem severiorem.

Caput I. *Querelæ sub Pio V. Innocentio XI. & Alexandro VIII.* 109
Caput II. *Aliæ querelæ sub Innocentio XII.* 110

PROLEGOMENON SEXTUM.
De propositionibus vulgò Bajanis.

Caput I. *Bulla Pii V. adversus propositiones vulgò Bajanas, ex Regestro ipsius à Gregorio XIII. producta, atque authentica declarata, ab Urbano VIII. promulgata & confirmata.* 112
Caput II. *Observanda circa illam, aliasque SS. Pontificum Constitutiones.* 115
Caput III. *Necessaria est regula aliqua, recta, & solida, qua damnatarum à Pio V. propositionum sensus damnatus à non damnato discernatur.* 122
Caput IV. *Regula recta, plana & expedita, qua damnatarum à Pio V. propositionum sensus damnatus à non damnato optimè discernitur, est, quòd sensus damnatus non semper petendus sit ex libris Baii, seu aliorum Assertorum, sed ex propositionibus ipsis, prout in Bulla Pii V. exhibentur: ita ut propositiones illæ, quæ damnatæ sunt quoad doctrinam, censendæ sint damnatæ in sensu naturali & obvio quem propositiones illæ reddunt, vel secundùm se spectatæ (si sic reddant sensum pravum, vel in Ecclesia peregrinum) vel ad invicem collatæ, si saltem sic sensum pravum, vel peregrinum reddant.* 124
Caput V. *Per regulam illam ostenditur Baio, de nonnullarum propositionum censura conquerenti, silentium à Pio V. jure esse impositum.* 126
Caput VI. *Per eamdem regulam manifestè retunditur calumnia hæreticorum capite tertio memorata.* Ibid.
Caput VII. *Eamdem calumniam manifestè refellit subjicienda per regulam illam Pianæ Censuræ conciliatio cum Augustini, priscorumque aliorum Patrum doctrina.* 127
Caput VIII. *Censura propositionis decimæ sextæ:* Non est vera obedientia sine charitate, *cum Augustini, priscorumque aliorum Patrum doctrina per regulam suprà allatam conciliatur.* 128
Caput IX. *Per eamdem regulam veterum Patrum doctrina conciliatur cum censura propositionis* 38. Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas, quâ mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur; aut laudabilis illa charitas, quâ per Spiritum sanctum in corde diffusâ Deus amatur. 131
Caput X. *Per eamdem regulam ostenditur concordia doctrinæ veterum Patrum, probatorumque Theologorum (asserentium Dei propter se, etiam super omnia, dilectionem ante Sacramenti susceptionem, non semper esse conjunctam cum remissione peccatorum) cum censura propositionis trigesimæ secundæ,* Charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum. *Et trigesimæ tertiæ,* Catechumenus justè, rectè & sanctè vivit, & mandata Dei observat, ac legem implet per charitatem, ante obtentam remissionem peccatorum, quæ in Baptismi lavacro demum percipitur. 134
Caput XI. *Augustinianæ de Gratia & Charitate doctrinæ concordia cum censura propositionis* 34. Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur ut Author naturæ; & gratuiti, quo amatur ut Beatificator, vana est, & commentitia, & ad illudendum sacris Litteris excogitata. *Et* 36. Amor naturalis, qui ex viribus naturæ exoritur, ex

sola Philosophia per elationem præsumptionis humanæ, cum injuria Crucis Christi, defenditur à nonnullis Catholicis. 136
Caput XII. *Consonantia doctrinæ ejusdem Augustini cum censura propositionis vigesimæ septimæ*: Liberum arbitrium, sine gratiæ Dei adjutorio, nonnisi ad peccandum valet. 139
Caput XIII. *Augustinianæ doctrinæ concordia cum censura propositionis trigesimæ.* Non solùm fures sunt & latrones, qui Christum viam & ostium veritatis & vitæ negant, sed etiam quicumque aliunde quàm per ipsum in viam justitiæ, hoc est, ad aliquam justitiam conseendi posse docent; aut tentationi ulli, sine ipsius adjutorio, resistere hominem posse, sic ut in eam non inducatur, aut ab ea non superetur. 142
Caput XIV. *Concordia ejusdem cum censura propositionis trigesimæ secundæ.* Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad Rom. 2. *Gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt*, intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus. 144
Caput XV. *Augustinianæ doctrinæ concordia cum damnatione propositionis trigesimæ quintæ.* Omnia opera infidelium sunt peccata, & virtutes Philosophorum sunt vitia. 146

PROLEGOMENON SEPTIMUM.

De nimia Recentiorum Casuistarum libertate censurandi sententias in sacris Litteris & SS. Patribus, Doctoreque Doctorum Augustino fundatissimas.

Hoc Prolegomenon paragraphos quinque complectitur. 155. & seq.

LIBER PRIMUS.

Amor voluntarius.

Caput I. *Actus humanus non est, qui non est voluntarius.* 165
Caput II. *Definitio voluntarii.* 166
Caput III. *Divisio voluntarii.* 168
Caput IV. *Tria ad voluntarium indirectum requisita.* 169
Caput V. *Voluntarii indirecti varia proferuntur exempla.* 171
Caput VI. *Regulæ ad discernendum quandonam effectus indirectè voluntarius censeatur in causa.* 172
Caput VII. *Ex allatis exemplis maximi momenti derivantur consectaria.* 176
Caput VIII. *Tametsi ad peccatum satis sit voluntarium indirectum; ad actum tamen virtutis requiritur directum.* 179
Caput IX. *Definitio involuntarii, duplexque ipsius acceptio.* 180
Caput X. *Violentia causat involuntarium simpliciter & absolutè.* Ibid.
Caput XI. *Metus non causat involuntarium simpliciter, sed secundùm quid. Nec tamen hoc universim est verum.* 181
Caput XII. *Concupiscentia non causat involuntarium. Si tamen sit antecedens, per se loquendo, minuit voluntarium perfectum, auget imperfectum.* 183
Caput XIII. *Habitus & consuetudo non diminuit, sed auget voluntarium.* 185
Caput XIV. *Ignorantia prorsus antecedens, & involuntaria, causat involuntarium simpliciter.* 186
Caput XV. *Ignorantia antecedens respectu operis, si sit consequens respectu voluntatis, non causat involuntarium simpliciter, causat tamen secundùm quid.* 187
Caput XVI. *Ignorantia concomitans, nec voluntarium causat, nec involuntarium.* 188

LIBER SECUNDUS.

Amor liber.

Caput I. *Triplex libertas.* 189
Caput II. *Essentia veræ propriéque dictæ libertatis, in communi, sita est in jure, dominio & potestate voluntatis super actus suos.* Ibid.
Caput III. *Ad hoc ut voluntas actus suos in suo habeat dominio & potestate, nec sancti Doctores, nec primarii Scholastici universim postulant, ut sic illos velit, ut possit non velle, vel oppositum velle.* 192
Caput IV. *Amplius idipsum probatur exemplo libertatis Dei.* 193
Caput V. *Eadem veritas ostenditur exemplo libertatis Christi.* 194
Caput VI. *Ostenditur quoque exemplo libertatis Angelorum, hominumque beatorum.* 196
Caput VII. *Sanctis Patribus cap. 4. 5. & 6. productis subscribunt primarii Scholastici Doctores.* 200
Caput VIII. *Argumenta contraria dissolvuntur.* 201
Caput IX. *Tametsi non omnis vera libertas, sit libertas à necessitate; libertas tamen à necessitate, seu electionis, & indifferentiæ, necessaria est ad merendum & demerendum, in statu naturæ lapsæ, nec ad hoc satis est libertas à coactione.* 203
Caput X. *Ad libertatem indifferentiæ, necessariam ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ, requiritur potestas agendi vel non agendi, &c. non tamen componendi non actionem cum omnibus ad agendum requisitis.* Ibid.
Caput XI. *Non omne voluntarium perfectum, liberum est libertate electionis, seu indifferentiæ; tametsi liberum sit, libertate propriè dicta, vel scilicet libertate electionis, vel libertate simplicis volitionis, seu essentiali.* 207

LIBER TERTIUS.

Amor Moralis.

Caput I. *Moralitatis descriptio.* 208
Caput II. *Tametsi alii sint affectus in homine, omnes tamen ex amore velut fonte procedunt. Et ideò omnis moralitas cæterorum affectuum, actuumque, ex amoris moralitate petitur, sive ex ordinatione vel inordinatione ipsius ad legem æternam.* Ibid.
Caput III. *Primum Christiani hominis officium, est amorem suum rectè ordinare.* 210
Caput IV. *Prima proinde Theologi Moralis cura esse debet, sanam & christianam de Dei creaturarumque amore doctrinam tradere.* Ibid.
Caput V. *Ad christianam de amore doctrinam manuducit triplex divisio, qua sancti Patres amorem adæquatè dividunt 1. in manentium & transeuntium, sive in fruitionem & usum. 2. in amorem Creatoris & creaturæ. 3. in charitatem latè dictam, & cupiditatem, latè similiter acceptam.* 211
Caput VI. *Ad amorem ordinatum, actumque bonum, non sufficit velle & facere bonum, sed oportet illud velle & facere bene, sive intentione bona, cumque omnibus debitis circumstantiis.* 213
Caput VII. *Ad amorem ordinatum, actumque bonum, non sufficit intentio bona.* 214
Caput VIII. *Tota moralitas, seu bonitas vel malitia actus exterioris, ipsi formaliter provenit ab actu interiori. Nulla proinde exteriori actui formalis inest bonitas vel malitia, distincta à bonitate vel malitia formali actus interioris.* Ibid.
Caput IX. *Actus externus per se formaliter nihil bonitatis vel malitiæ superaddit actui interiori efficaci: bene tamen occasionaliter & per accidens, quatenus actus interior, occasione ipsius adaugetur.* 215
Caput X. *Objectiones dissolvuntur.* 216
Caput XI. *Bona quæ facimus, sæpe sunt bona mixta malis, & mala mixta bonis.* 217
Caput XII. *Satisfit objectionibus Salmanticensium, aliorumque superiori assertioni contradicentium.* 219
Caput XIII. *Omnis actus deliberatus, in individuo, bonus est, vel malus; id est bene, vel malè factus: & hoc sensu nullus indifferens in individuo.* 220
Caput XIV. *Contrariis occurritur argumentis.* 222
Caput XV. *Omnis actus in individuo bonus, ad debitumque finem ultimum relatus, meritorius est, saltem de congruo: nullus sterliter bonus.* 223

INDEX.

LIBER QUARTUS.
Amor circumspectus.

CAput I. *Circumstantiarum natura.* 225
Caput II. *Circumstantiæ septem.* 226
Caput III. *Quando actus ex objecto, adeoque ex specie sua & officio bonus, non fit ob specificam bonitatem suam, sed ob finem malus, v. g. ob vanam gloriam, non est moraliter bonus, sed totus malus: secus dum fit ob specificam bonitatem suam, licèt cum defectu relationis in Deum.* Ibid.
Caput IV. *Finis operantis non semper est circumstantia operis, sed ei aliquando tribuit primam speciem bonitatis vel malitiæ.* 228
Caput V. *Tametsi intentio boni finis non tollat, diminuit tamen malitiam mali medii.* 229
Caput VI. *Circumstantiæ mutantes & non mutantes speciem peccati.* Ibid.

LIBER QUINTUS.
Amor ordinatus.

CAput I. *Amoris natura, objectum, motivum & finis.* 230
Caput II. *Divisio amoris, verumque discrimen inter amorem concupiscentiæ, & amorem amicitiæ seu benevolentiæ.* 234
Caput III. *Amoris bonitas petitur ex ordine amoris. Cujus ordinis custodia compendium est totius vitæ christianæ.* 237
Caput IV. *Amabilitas istius ordinis.* 238
Caput V. *Alius ordo amandi, alius ordo subveniendi.* Ibid.
Caput VI. *In amore duplex attenditur ordo. Unus inter diligibilia; alter inter diligentem & dilectum. Prior est ordo amoris appretiativi. Posterior benefactivi, seu amoris quoad subventionis effectum.* 240
Caput VII. *Appretiatio non solùm fit per intellectum, sed & per voluntatem.* Ibid.
Caput VIII. *Varii modi tacitæ appretiationis.* 241
Caput IX. *Ex dignitate seu excellentia finis arguitur quo in pretio voluntas habeat ea quæ amat ut finem, seu finaliter propter se.* 242
Caput X. *Ad ordinatum amorem necesse est ut, cæteris paribus, talis sit ordo amoris, qualis est ordo rerum in bonitate.* 243
Caput XI. *In ordine rerum Deus est summus, optimus, maximus in bonitate. Summè proinde & maximè diligendus, creaturisque omnibus in amore præferendus.* Ibid.
Caput XII. *In ordine rerum Deus solus habet esse finaliter propter se. Solus proinde amari debet finaliter propter se.* 244
Caput XIII. *Majus bonum, salvo amoris ordine, referri non potest ad minus bonum, velut amoris finem, seu positivè, seu negativè ultimum.* 245
Caput XIV. *Ex allata regula de ordine amoris, momentosa derivantur corollaria, ut quòd, inter creaturas, illæ præ aliis sint amandæ, quæ Deo sunt propinquiores, &c.* 246

LIBER SEXTUS.
Amor Dei ordinatus.

CAput I. *Ordinatus amor non est, quo quis Deum, non propter Deum, sed propter seipsum, velut amoris finem, ultimatè diligit.* 248
Caput II. *Ordinatus est amor concupiscentiæ sanctæ, quo Christiani Deum amant, sibique concupiscunt, tamquam summum bonum suum, & quia est finis ultimus ipsorum, ad quem possidendum creati sunt, & per cujus solius possessionem satiari possunt.* 251
Caput III. *Ordinatus est amor spei christianæ, operans propter retributionem, quæ Deus est, tanquam ultimum finem. Quia amor iste mercenarius non est, sed gratuitus & castus secundùm doctrinam Sanctorum.* 252
Caput IV. *Contrariorum argumentorum imbecillitas ostenditur.* 254
Caput V. *Ex primo maximoque mandato ostenditur, solum Deum amandum finaliter propter se; cætera non nisi finaliter propter ipsum. Solum proinde Deum propter se dilectum, esse debere finem omnis deliberati amoris, atque adeo omnis deliberati actus nostri.* 256
Caput VI. *Ratio primi mandati, seu titulus in quo fundatur, titulus utique Creatoris & Domini nostri, allatum sensum ipsius ostendit esse legitimum.* 259
Caput VII. *Totam vitam nostram, omnemque illius partem; omnem proinde actum, omnem amorem deliberatum, non solùm debemus Deo, tamquam Creatori, Conservatorique, sed & tamquam Redemptori nostro.* 260
Caput VIII. *Tertiò, nos totos, totamque vitam nostram, & totum quod agimus, Deo debemus, seu ipsius amori & obsequio, ratione vocationis nostræ ad Christianismum.* 261
Caput IX. *Præter hactenus dicta, tenor ipse verborum primi mandati, ostendit Deum omni vita, opere & actione diligendum.* 263
Caput X. *Circumstantiæ adjunctæ primo mandato idipsum ostendunt.* Ibid.
Caput XI. *Allatum sensum primi maximique mandati legitimum esse constat, non solùm ex eo quod contextus, circumstantiæque illius, & communis Patrum consensus, ostendunt sensum illum esse intentum à Spiritu sancto; sed & ampliùs ex eo quod alii sacri textus, eandem rem tractantes, eundem confirment.* 264
Caput XII. *Non figuratis duntaxat & tropologicis, sed planis etiam perspicuisque Oraculis sacris, eundem sensum Spiritus sanctus expressit Eccli. 13. 1. Petr. 4. 1. Cor. 10. & 16. Coloss. 3.* 265
Caput XIII. *Christus Matth. 6. idipsum confirmat, cùm ait:* Quærite primùm regnum Dei. Ibid.
Caput XIV. *Alii sacri textus eundem in sensum proferuntur.* 266
Caput XV. *Divini amoris ignem in altari cordis nostri jugiter (actu vel virtute) ardere debere, Augustinus & Aquinas tradunt, ipsisque reliquorum Sanctorum communis traditio concinit.* Ibid.
Caput XVI. *Primo maximoque mandato duplex involvitur præceptum, affirmativum unum, negativum alterum; illud expresse, istud implicite.* 267
Caput XVII. *Eodem consequenter mandato duplex involvitur præceptum; unum sub mortali, alterum sub veniali* Ibid.
Caput XVIII. *Designatur tempus, quo amoris Dei prædominantis actus sub mortali eliciendus est.* 269
Caput XIX. *Signa divini amoris in corde prædominantis.* 272
Caput XX. *Momentosa observatio, in confirmationem assertæ obligationis primi maximique mandati.* 273
Caput XXI. *Non omnis Dei propter se amor est charitas perfecta; nec amor Dei prædominans est super omnia.* 274
Caput XXII. *Ex variis charitatis gradibus amplius ostenditur non omnem Dei propter se amorem esse charitatem perfectam.* 277

LIBER SEPTIMUS.
Amor ordinatus Creaturarum.

CAput I. *Nullus amor creaturæ finaliter propter se, est absque inordinatione.* 279
Caput II. *Nullam creaturam propter se finaliter ordinate diligi, certissima Augustini sententia est.* Ibid.
Caput III. *Altissimam, sanctissimam, divinissimam hanc Theologiam in primo maximoque mandato, aliisque oraculis sacris fundatissimam, communis reliquorum Sanctorum traditio corroborat.* 281
Caput IV. *Nullam creaturam propter se finaliter ordinate diligi, validissimis rationibus, Theologicis & Philosophicis, demonstratur.* 282

Caput

Caput V. *Ne ipsæ quidem virtutes propter se finaliter sive propter creatam earum honestatem, in ea sistendo, ordinate amantur secundùm Augustinum.* 285
Caput VI. *Satisfit argumentis in contrarium.* 287
Caput VII. *Si ne ipsæ quidem creatæ virtutes propter se finaliter ordinate amari possint, multo minus res temporales, prout ex utriusque Testamenti Scriptura, ratione & Augustino ostenditur.* 288
Caput VIII. *Temporalium propter se amorem Christianis esse vetitum amplius ostenditur ex baptismali ipsorum professione, Evangelicisque christianæ vitæ principiis.* 291
Caput IX. *Idipsum amplius ostenditur ex Decreto Innocentii XI. damnantis 65. propositiones.* 293
Caput X. *Satisfit objectionibus prætendentium, licitum esse operari propter voluptatem, etiam sensibilium.* 295

LIBER OCTAVUS.
Amor in Deum ordinandus.

Caput I. *Omnis amor, & actus deliberatus, secundùm divinam Scripturam, in Deum propter se dilectum, finaliter est ordinandus.* 297
Argumentum primum & secundum, quibus id demonstratur.
Caput II. *Argumentum tertium ex Prov.* 3. In omnibus viis tuis cogita illum. *Et c.* 16. *v.* 3. Revela Domino, *seu* (*ut Cajetanus legit*) verte ad Dominum opera tua, & dirigentur cogitationes tuæ. 298
Caput III. *Argumentum quartum ex Lucæ* 18. Oportet semper orare, & nunquam deficere. *Et* 1. *Thess.* 5. Sine intermissione orate: hæc est enim voluntas Dei, in Christo Jesu, in omnibus vobis. Ibid.
Caput IV. *Argumentum quintum ex* 1. *Cor.* 10. Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. 299
Caput V. *Argumentum sextum ex* 1. *Cor.* 16. Omnia vestra in charitate fiant. 300
Caput VI. *Argumentum septimum ex* 1. *Petri* 1. Secundùm eum qui vocavit vos sanctum, & ipsi in omni conversatione sancti sitis. Ibid.
Caput VII. *Argumentum octavum ex* 2. *Cor.* 5. Pro omnibus mortuus est Christus, ut & qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est. Ibid.
Caput VIII. *Omnem amorem actumque deliberatum referri debere in Deum propter se dilectum, communis est traditio Sanctorum.* Ibid.
Caput IX. *Argumentum decimum. Omnem actum deliberatum in Deum propter se dilectum referri debere, manifesta videtur sententia Angelici Doctoris.* 306
Caput X. *Juxta S. Thomam non sufficit habitualis relatio omnium actuum deliberatorum in Deum; sed requiritur saltem virtualis.* 309
Caput XI. *Diluuntur argumenta prætendentium, juxta sanctum Thomam sufficere habitualem relationem.* Ibid.
Caput XII. *Solvuntur argumenta prætendentium, relationem actuum in Deum non debere fieri semper, sive pro omni actu, sed pro aliquo actu, & aliquibus temporibus dumtaxat.* 311
Caput XIII. *Argumentum undecimum. Quia obligationem referendi omnes actus nostros deliberatos in Deum (cum sanctis Doctoribus hactenus relatis) tradunt præcipui Scholastici, & Doctores Christiani, Cardinales, Episcopi, &c.* 317
Caput XIV. *Argumentum XII. Quia eamdem obligationem tradunt plures Catechismi in Ecclesia probatissimi.* 319
Caput XV. *Argumentum XIII. Eamdem obligationem, S. Inquisitione Romana permittente, tradunt plerique alii insignes Theologi.* Ibid.
Caput XVI. *Argumentum XIV. specialiter desumptum è præclaris Theologis Regularibus omnium Ordinum, etiam Societatis Jesu.* 320
Caput XVII. *Reflexio & apostrophe ad Authores propositionum per Belgium disseminatarum, &c.* 322
Caput XVIII. *Argumentum XV. Quia ipsimet Judæi, Ethnicique Philosophi, eamdem obligationem tradunt.* Ibid.
Caput XIX. *Argumentum XVI. ex multiplici ratione Theologica, atque imprimis ex rationibus octo, spectantibus ad naturalem rerum ordinem, ab Authore naturæ institutum.* 323
Caput XX. *Argumentum XVII. ex rationibus quatuor, petitis ex titulo redemptionis.* 325
Caput XXI. *Argumentum XVIII. ex aliis octo rationibus, petitis ex titulo vocationis ad Christianismum.* 326
Caput XXII. *Argumentum XIX. ex absurdis consectariis, in quæ prolapsi sunt assertam negantes obligationem.* Ibid.
Caput XXIII. *Justa expostulatio veterum Patrum, Sanctorum novissimorum, Cardinalium, Archiepiscoporum, Episcoporum, Magistrorum spiritualium, meliorum Theologorum, adversus Neotericos illos, qui asserere non verentur, in Bajo damnatam esse doctrinam quæ tradit obligationem referendi omnes actus nostros deliberatos in Deum.* 327
Caput XXIV. *Justa expostulatio Christianæ Religionis adversus eosdem.* 328
Caput XXV. *Diluuntur argumenta, quæ contra sanctissimam de relatione operum doctrinam objiciuntur ex Bulla Pii V. Decretoque Alexandri VIII.* 329
Caput XXVI. *Argumenta reliqua dissolvuntur.* 332
Caput XXVII. *Actualis relatio actuum nostrorum haud requiritur; sed sufficit virtualis: cujus natura explicatur.* 335
Caput XXVIII. *Necessaria non est relatio omnium actuum nostrorum per amorem Dei super omnia; neque per charitatem perfectam; sufficit quòd fiat per imperfectam, quæ etiam in peccatoribus reperitur.* 338
Caput XXIX. *Charitas generaliter dicta, per quam omnia opera nostra in Deum referenda sunt, à Deo est per gratiam actualem, non ab homine per naturam.* Ibid.
Caput XXX. *Ex doctrina lib.* 5. 6. 7. & 8. *stabilita, perspicuisque utriusque Testamenti, & Sanctorum testimoniis comprobata, atque valido rationum Theologicarum præsidio roborata, quòd Deus solus esse queat finis, etiam negative ultimus, omnis amoris ordinati, cæteraque omnia ad ipsum propter se dilectum referenda sint per charitatem, saltem generaliter dictam, quæ à Deo sit per gratiam actualem: quatuor famosa Corollaria derivantur. Primum, quòd omnis actus moraliter bonus, debitisque omnibus circumstantiis, tam ex parte operis, quàm ex parte operantis vestitus, meritorius sit, saltem de congruo, nullus sterliter bonus.* Ibid.
Caput XXXI. *Corollarium secundum. Nulla est voluntas, omni ex parte bona, ad debitumque finem ultimum ordinata, sine charitate, saltem generaliter dicta, & imperfecta, ut Sanctorum habet Theologia.* 340
Caput XXXII. *Corollarium tertium. Nullum est opus undequaque bonum, debitisque omnibus circumstantiis vestitum, sine charitate ut suprà, uti communis est traditio Sanctorum.* 341
Caput XXXIII. *Corollarium quartum. Tametsi sine charitate dentur virtutes Philosophicæ, sive latius & secundùm quid sumptæ pro habitibus inclinantibus ad actus ex objecto, seu officio, & fine proximo bonos; sine charitate tamen generatim accepta, saltem imperfecta, nullam virtutem christianam, seu stricte sumptam, completæque virtutis, tam ex parte objecti, finisque proximi, quàm ex parte debiti finis ultimi, rationem habentem, Sanctorum agnoscit Theologia, præsertim Augustini & Aquinatis.* 342
Caput XXXIV. *Augustinianæ illi doctrinæ reliquorum Patrum chorus concinit. Concinit & Aquinas.*
Caput XXXV. *Manifestè ostenditur, charitatem, si-*

me qua nullam virtutem, debitis omnibus circumstantiis ornatam, Augustinus agnoscit, ex mente ipsius, esse veri nominis charitatem, id est, Dei propter se amorem; non verò solam charitatem latissime sumptam pro amore bono in communi, vel pro amore honestatis aut justitiæ, aut virtutis creatæ. 346

Caput XXXVI. *Solvuntur objectiones Recentiorum, illaque imprimis objectio valide retunditur, qua prætendunt, omne virtutis officium seipso referri in Deum.* 349

Caput XXXVII. *Solvuntur reliquæ objectiones.* 351

LIBER NONUS.

Amor gratiosus, sive de gratia ad amorem ordinatum necessaria.

CAput I. *Gratiæ notio, seu descriptio, notitiæque ipsius utilitas ac necessitas in moralibus.* 353

Caput II. *Gratiæ divisio.* 354

Caput III. *Gratiæ actualis subdivisio in operantem & cooperantem, sive in excitantem & adjuvantem, vel prævenientem.* Ibid.

Caput IV. *Altera gratiæ subdivisio, in sufficientem & efficacem.* 355

Caput V. *Gratiæ Thomistice sufficientis natura uberiùs explicatur.* 358

Caput VI. *In hoc statu naturæ corruptæ, nullum actum usquequaque bonum, sive bene, cumque debitis omnibus circumstantiis factum, homo efficere potest, absque auxilio gratiæ actualis.* 364

Caput VII. *Nullum in hoc statu esse actum usquequaque bonum, nisi ex gratia & charitate sit, saltem generaliter accepta, uberiùs ostenditur ex Augustino l. 4. contra Julianum c. 3.* 366

Caput VIII. *Dissipantur nebulæ trium glossarum, quibus Recentiores conantur obscurare claritatem Augustinianorum testimoniorum.* 372

Caput IX. *Ad efficacem solutionem contrariorum argumentorum, variarum phrasium S. Doctoris intelligentia præmittitur.* 379

Caput X. *Efficaciter occurritur argumentis, quæ ex Angelico Doctore objiciuntur.* 382

Caput XI. *Satisfit aliis objectionibus Recentiorum, prætendentium admittendos actus usquequaque bonos, seu bene factos, absque auxilio gratiæ* 386

Caput XII. *Refelluntur variæ Ludovici Molinæ hisce de materiis propositiones, liberum arbitrium plus justo efferentes, gratiamque deprimentes, quas S. Congregatio de Auxiliis, divinæ Scripturæ, Conciliis, & S. Augustini doctrinæ censuit adversantes.* 387

Caput XIII. *Ex Scriptura, Conciliis & Patribus demonstratur, solidum esse Conventûs Generalis Cleri Gallicani, anno 1700. in Palatio Regio San-Germano congregati, judicium de illa Molinæ propositione,* Facienti quod in se est, viribus naturæ, Deus non denegat gratiam, *deque pacto inter Christum & Patrem desuper inito.* 392

Caput XIV. *Ex Sanctis Patribus, Augustino, Prospero, Fulgentio, Bernardo, demonstratur, quòd si bona voluntas hominis gratiam præcedat, gratiam mereatur; gratia proinde ex merito detur, ut dicunt Pelagiani.* 398

Caput XV. *Si nullus actus usquequaque bonus, prout hactenus probatum est; consequenter nulla Dei propter se dilectio, etiam imperfecta, etiam Dei ut Authoris naturæ, ab homine lapso esse potest per naturam; sed necesse est ut Deus eam in ipso operetur per gratiam.* 401

Caput XVI. *Ad actum quemcumque dilectionis Dei propter se, sicut & ad alium quemcumque debitis cum circumstantiis factum, necessaria est gratia per se efficax; non sufficit gratia Molinistice sufficiens.* 408

Caput XVII. *Doctrina de gratia per se efficaci, quam cum Sanctis propugnamus, ducit ad virtutes; Molinistica verò de gratia purè sufficienti ab iis abducit.* 417

Caput XVIII. *Quemadmodum varii sunt gradus charitatis, seu divinæ dilectionis; ita & gratiæ: cùm gratia, utpote cælestis suavitas, vel sit ipsa divinæ dilectio, seu inspiratio illius (uti frequenter Augustinus dicit) vel certe non sit sine illa.* 424

Caput XIX. *In statu naturæ lapsæ non datur gratia Molinistice sufficiens, taliter complectens omnia necessaria ad bene velle, & bene operari, ut præter eam ex parte Dei nulla alia gratia ad bene velle, & bene operari necessaria sit.* Ibid.

Caput XX. *In statu naturæ lapsæ non datur omnibus, etiam adultis, gratia sufficiens, etiam urgente præcepto; sed eâ aliqui, justo Dei judicio, ad aliquod vitæ tempus privantur, nec istud est Dogma novum, nec Jansenianum; imo oppositum petiori jure videri posset Semipelagianum, nisi à censura abstinendum suaderet obedientia erga Pauli V. Decretum.* 429

Caput XXI. *Gratiam sufficientem, in statu naturæ lapsæ, omnibus non dari, ex Scriptura & Patribus ostenditur.* 430

Caput XXII. *Ex Scriptura, Patribus, & ratione Theologica specialiter ostenditur, infidelibus, excæcatis & obduratis omnibus, eo in statu, non dari supernaturale auxilium gratiæ sufficientis.* 435

Caput XXIII. *Ex dictis cap. 17. alia exponuntur consectaria pessima, quæ ex data omnibus gratia Molinistice sufficiente profluunt; consectariaque ex adverso optima, quæ ex ipsa peccatoribus nonnullis negata derivantur.* 438

Caput XXIV. *Gratia sufficiens, omnibus collata, necessaria non est ad hoc ut sua peccatoribus peccata in se ipsis sint imputabilia.* 441

Caput XXV. *Gratia sufficiens, omnibus actu collata in hoc statu naturæ lapsæ, necessaria non est ad salvandam absolutam præceptorum divinorum possibilitatem, nec ad salvandam libertatem, necessariam ad meritum & demeritum, in statu naturæ lapsæ.* 449

Caput XXVI. *Corollarium momentosum adversus inconsideratos Censores.* 459

Caput XXVII. *Gratia sufficiens, omnibus in hoc statu collata, necessaria non est ad salvandum quòd Deus vult omnes salvos fieri.* 464

Caput XXVIII. *Gratia sufficiens, omnibus de facto collata, necessaria non est ad salvandam Christi mortem pro salute æterna omnium.* 469

Caput XXIX. *Nulla præcepta Dei, justis volentibus & conantibus, secundùm præsentes quas habent vires, impossibilia sunt, nec deest gratia, quâ possibilia fiant. Imo nulla Dei præcepta impossibilia sunt justis, etiam non volentibus nec conantibus, &c. sed velle & conari negligentibus, vel de se præsumentibus, tametsi doctrina Sanctorum sit, quòd gratia actualis, ad vincendam de facto tentationem necessaria, salvâ præceptorum possibilitate, ipsis subinde ad tempus subtrahatur.* 475

Caput XXX. *Gratia per se efficax, in statu naturæ lapsæ, æquè necessaria est ad orandum, quàm ad agendum. Commentitium proinde est discrimen noviter adinventum inter gratiam orandi, gratiamque agendi.* 486

Caput XXXI. *Deo nunquam imputari debet, nec potest, quòd justus gratiâ ex se efficaci (licèt ad vincendas actu tentationes necessariâ) destitutus, in tentatione cadat: quia prima istius destitutionis causa, etiam in justis, semper est ex parte hominis, vel peccatum actuale ipsius, vel saltem originale.* 489

Caput XXXII. *Novitiæ quædam de gratia opiniones Cardinalis Sfondrati breviter confutantur.* 494

Caput XXXIII. *Doctrinam de gratia, toto hoc libro assertam, confirmat doctrina quinque articulorum, S. Sedi anno 1663. à Theologis Gallis, & anno 1689. à Theologis Belgis oblatorum, quam Alexander VII. approbavit, Scholaque universa tam S. Augustini, quam S. Thomæ, defendendam suscepit. Confirmat & Censura tam Lovaniensis, quàm Duacensis, adversus Lessium & Hamelium annis 1587. & 1588. edita, in qua post districtissimum examen, nihil reprehensibile S. Romana Inquisitio Generalis invenit.* 503

INDEX.

LIBER DECIMUS.
Amor inordinatus, sive de peccatis.

PARS PRIMA.
De peccatis in genere.

Caput I. *Peccati definitio.* 507
Caput II. *Multiplex peccati divisio.* 508
Caput III. *Specifica distinctio peccatorum originaliter & ultimatè non sumitur ex sola communi apprehensione prudentum.* 509
Caput IV. *Non omne illud quod inducit rationem difformitatis cum lege æterna notabiliter diversam, inducit speciem peccatorum diversam.* 510
Caput V. *Peccata non diversificantur specie secundùm differentiam præceptorum, si de una eademque re sint, sub eodem motivo formali.* 512
Caput VI. *Specifica peccatorum distinctio formaliter ut peccata sunt, petitur ex specifica distinctione privationum, in quibus formalis eorum malitia consistit. Hæc verò dignoscitur ex specifica diversitate debitarum perfectionum, quarum sunt privationes, pro quanto videlicet, vel spectant ad diversas specie virtutes, vel ad oppositos modos, aut alias circumstantias specie diversas ejusdem virtutis.* Ibid.
Caput VII. *Convenienter etiam dicitur (cum S. Thoma) peccata specie distingui, vel* 1. *penes objecta specie diversa in esse moris, vel* 2. *penes oppositos peccandi modos circa idem objectum, videlicet per excessum & defectum, vel* 3. *penes diversas specie circumstantias.* 513
Caput VIII. *Regulæ ad dignoscendam specificam peccatorum diversitatem penes circumstantias specie diversas.* 514
Caput IX. *Distinctio numerica peccatorum desumenda est vel ex morali interruptione volitionum, vel ex diversitate actionum, vel objectorum moraliter distinctorum.* 521
Caput X. *Peccatum physice unum plures numero malitias moraliter complecti potest, ac plerumque complectitur.* Ibid.
Caput XI. *Malitiæ illæ moraliter numero diversæ, si mortales sint, haud minùs confitendæ sunt, quàm malitiæ specie diversæ.* 523
Caput XII. *Ad multiplicandas numero malitias in peccatis, quæ vel externum objectum respiciunt, vel in exteriori actione consummantur, necessaria non est moralis interruptio, seu multiplicatio actus interioris.* 524
Caput XIII. *Peccata quæ vel externum respiciunt objectum, vel in exteriori actione consummantur, numero multiplicantur, pro numerica multiplicatione vel objectorum moraliter completorum, vel actionum consummatarum, id est, quarum singulæ sint ex se completæ, seu definitum ex se terminum & consummationem habent, non obstante unitate actus interioris.* Ibid.
Caput XIV. *Externæ actiones, licèt numero distinctæ, si non sint ex se totales, sed ordinentur ad ulteriorem actum principalem, in quo consummantur (ut oscula, tactus, &c. ad copulam) non sunt plura numero peccata, quamdiu ad eumdem illum actum, seu finem principalem ininterrupte sequentem ordinantur, dummodo specie distinctam malitiam non contineant.* 526
Caput XV. *Oscula, tactus, & similia, copulam jam consummatam subsequentia, licèt incontinenti, absque relatione operantis ad novam copulam, ita sunt peccata moraliter distincta à copula jam consummata, ut inter se videantur constituere unum moraliter peccatum, si fiant per actum voluntatis moraliter ininterruptum.* Ibid.
Caput XVI. *Peccata quæ consummantur in mente, & non in exteriori actione, queque externum non respiciunt objectum, numero multiplicantur pro sola morali interruptione actuum internorum.* 527
Caput XVII. *Declarantur tres modi moralis illius interruptionis.* Ibid.
Caput XVIII. *Nec omnia peccata mortalia sunt, nec omnia æqualia.* 529
Caput XIX. *Peccatorum gravitas ex objecto petitur, & circumstantiis.* Ibid.
Caput XX. *Peccatum veniale à mortali discernere plerumque est difficile, & periculosissimum definire, nisi ex Scriptura & Traditione discrimen utriusque repetatur.* 532
Caput XXI. *Tria à Theologis requisita ad peccatum mortale.* 533
Caput XXII. *Peccatum ex genere suo mortale, tribus modis fit veniale.* 535
Caput XXIII. *Peccatum ex genere suo veniale, sex modis contingit esse mortale.* Ibid.
Caput XXIV. *Peccata venialia sui multiplicatione, seu collectione, nunquam efficiunt unum mortale.* 547
Caput XXV. *Ad hoc ut peccata actualia in seipsis imputentur, esse debent voluntaria & libera voluntate & libertate actuali, seu personali, non necessariò tamen directe & in se; sed sufficit quod voluntaria & libera sint in causa.* Ibid.
Caput XXVI. *Solvuntur objectiones adversus doctrinam superiori capite traditam.* 549
Caput XXVII. *Tametsi peccata omnia invicem connexa non sint, plurima tamen cum quibusdam aliis connexa esse solent.* 551
Caput XXVIII. *Causæ peccatorum internæ & externæ.* 552
Caput XXIX. *Occasiones peccatorum proximæ & remotæ.* 559

PARS II.
De septem peccatis capitalibus.

Caput I. *Omnia peccata capitalia ex genere suo mortalia sunt.* 579
Caput II. *Definitio, species, malitia superbiæ.* 580
Caput III. *Tres filiæ superbiæ, præsumptio, ambitio, & inanis gloria.* 581
Caput IV. *Remedia vanæ gloriæ.* 583
Caput V. *Filiæ vanæ gloriæ.* Ibid.
Caput VI. *Definitio & malitia avaritiæ. Quàm probrosa sit Christianis; sed maximè Sacerdotibus & Ecclesiasticis.* 591
Caput VII. *Filiæ avaritiæ.* 594
Caput VIII. *Definitio & malitia luxuriæ.* 595
Caput IX. *Octo filiæ luxuriæ.* 596
Caput X. *Gradus, per quos luxuria homines paulatim perdit.* 597
Caput XI. *Septem species luxuriæ.* Ibid.
Caput XII. *Remedia luxuriæ.* Ibid.
Caput XIII. *Definitio & malitia invidiæ.* 598
Caput XIV. *Filiæ invidiæ.* 599
Caput XV. *Definitio & malitia gulæ.* Ibid.
Caput XVI. *Gulæ species, & modi quinque, quibus nos gulæ vitium tentat.* Ibid.
Caput XVII. *Filiæ gulæ, & mala inde proventia.* 601
Caput XVIII. *Definitio & malitia ebrietatis.* 602
Caput XIX. *Absolvendi non sunt ebriosi, nec popinis frequentandis assueti, nisi contra consuetudinem istam viriliter pugnando se emendent.* 607
Caput XX. *Definitio, malitia, & gradus iræ.* 609
Caput XXI. *Sex filiæ iræ.* 610
Caput XXII. *Definitio & malitia acediæ.* 612
Caput XXIII. *Acediæ filiæ sex.* Ibid.

PARS III.
De peccato originali, effectibusque ipsius.

Caput I. *Peccatum originale, peccatum est verè ac propriè dictum.* 615
Caput II. *Peccatum originale non est unicum Adæ peccatum, posteris extrinsecum, seu extrinsece imputatum, sed singulis proprium, & intrinsece inhærens.* 616

Caput III. *Natura peccati originalis.* 616
Caput IV. *Modus quo primum Adæ peccatum traducitur in posteros.* 619
Caput V. *Traductio peccati originalis naturaliter sit, non libere & voluntarie libertate & voluntate posterorum; tametsi non fiat nisi dependenter à libertate & voluntate Protoparentis.* 624
Caput VI. *Satisfit objectionibus Neotericorum existimantium peccatum originale absque pacto supradicto explicari non posse.* 625
Caput VII. *Solutio aliquot difficultatum præcedentibus affinium.* 628
Caput VIII. *Tametsi de fide non sit beatissimam Virginem primo suæ conceptionis instanti sanctificatam fuisse, à peccatoque originali per merita Filii sui præservatam; sententia tamen id asserens prorsus est tenenda.* 630
Caput IX. *Cardinalis Sfondrati, de statu puerorum cum solo originali, absque Baptismi Sacramento, ex hac vita migrantium, quatuordecim paradoxa refelluntur.* 637
Caput X. *Parvuli sine baptismo extincti puniuntur pœnâ sensus, hoc est ignis infernalis cruciatu, non pœnâ damni dumtaxat.* 646
Caput XI. *Solvuntur objectiones.* 649
Caput XII. *Homo per peccatum originale factus est debilior ad bonum, & ad malum proclivior, quàm si conditus esset in statu naturæ puræ.* 653
Caput XIII. *Refelluntur qui nimium extenuant pœnas, seu effectus peccati originalis.* 655
Caput XIV. *Utilitates practicæ ex notitia peccati originalis.* 656

PARS IV.

De peccato omissionis. Deque causis à peccato actuali excusantibus.

Caput I. *Peccatum omissionis externum tunc demum committitur, dum tempus est ponendi actum præceptum; internum verò, dum expresse quis, vel interpretative vult omittere.* 657
Caput II. *Non omnis actus conjunctus cum omissione culpabili, etiam incompossibilis cum eo qui omittitur, participat malitiam omissionis, sed ille dumtaxat, qui causa est omissionis.* 658
Caput III. *Plurimæ sunt omissiones culpabiles, ad quas major fidelium pars vix reflectit, licèt non solùm peccata sint, sed & proximæ plurium aliorum peccatorum occasiones.* Ibid.
Caput IV. *Non datur pura omissio voluntaria absque omni voluntatis actu; si tamen sine eo daretur omissio voluntaria actus præcepti, culpabilis esset.* 659
Caput V. *Exponuntur tres causæ, à peccato subinde excusantes.* Ibid.
Caput VI. *Nullus metus, quamlibet gravis, à tota culpa excusat in iis quæ sunt intrinsecè mala; bene aliquando in iis, quæ solùm prohibita sunt lege positiva.* 660
Caput VII. *Sacramentorum administrationem, indignis faciendam, excusare non potest metus mortis, nec damni, aut infamiæ gravissimæ.* Ibid.
Caput VIII. *Nec licitum est, ex metu mortis, absque intentione, absolvendi formam pronuntiare super pœnitente indispositio.* Ibid.
Caput IX. *Impotentia absoluta & omnimoda, sicut & omnino involuntaria, ab omni excusat peccato: secus impotentia secundùm quid, si voluntaria sit.* 661
Caput X. *Ignorantia juris, etiam naturalis, verè invincibilis & involuntaria excusat in totum à peccato.* Ibid.
Caput XI. *Si ignorantia juris naturæ hîc & nunc vincibilis sit per gratiæ lumen (licèt aliter non possit) istud verò gratiæ lumen alicui desit in pœnam præcedentis peccati ipsius, censenda non est invincibilis, sed vincibilis, ideoque non excusat in totum à peccato.* 662
Caput XII. *Ignorantia juris naturæ Molinistice invincibilis, cùm verè sit vincibilis, non excusat in totum à peccato.* Ibid.
Caput XIII. *Requisita ad vincendam juris naturalis ignorantiam, quorum aliquo deficiente, vincibilis censenda est, non invincibilis.* 664
Caput XIV. *Consectaria momentosa ex dictis capite præcedenti.* 668
Caput XV. *Invincibilis ignorantia Dei non datur in adultis ratione utentibus; uti nec juris naturalis quoad universalia principia illius; nec quoad Decalogi præcepta; nec malitia peccatorum carnis, v. g. fornicationis, mollitiei, &c. ab ullo ejusmodi adulto censenda est inculpate ignorari.* 670
Caput XVI. *Aliquid ad jus naturale pertinens inculpate ignorari potest ignorantiâ speculativâ, præsertim in abstrusioribus; sed vix aut ne vix quidem unquam aliquid ejusmodi censendum est ignorari ignorantiâ practicâ. Omne proinde quòd deliberate fit contra jus naturale, peccatum est.* 675

PARS V.

De peccatis ignorantiæ.

Caput I. *De fide est dari peccata ignorantiæ.* 696
Caput II. *Ex illo fidei dogmate conficitur, à veritate deviam esse opinionem, quæ tradit, ad peccandum formaliter, necessariam esse formalem & actualem notitiam, seu advertentiam & considerationem malitiæ.* 697
Caput III. *Ejusdem opinionis falsitas aliis argumentis multipliciter ostenditur.* 698
Caput IV. *Nonum, decimum, undecimum, duodecimum, decimum-tertium, & decimum-quartum argumentum contra eamdem opinionem.* 700
Caput V. *Argumentum decimum-quintum ex Concilio Diospolitano.* 702
Caput VI. *Argumentum decimum-sextum, ex viginti propositionibus, Christianam disciplinam nimium relaxantibus, quæ ex opinione illa pullularunt, præter alias sex cap. 10. proferendas.* 704
Caput VII. *Argumentum decimum-septimum, petitum ex hoc quod ex opinione illa prodierit dogma damnatum de peccato philosophico.* 706
Caput VIII. *Damnati dogmatis de peccato philosophico, origo, progressus, denuntiatio, damnatio.* Ibid.
Caput IX. *Artes, subterfugia, æquivocationes, cavillationes, quibus damnati dogmatis invidiam declinare conati sunt Molino-Philosophistæ.* 710
Caput X. *Intolerandæ propositiones ex damnato Philosophismo ab ipsismet Philosophistis derivatæ.* 712
Caput XI. *Argumentum decimum-octavum: ex opinione ad formale peccatum requirente advertentiam malitiæ actualem, Philosophismoque inde pullulante, horrenda consequuntur absurda.* 713
Caput XII. *Occurritur argumentis Philosophistarum, formalem & actualem malitiæ advertentiam requirentium ad formale peccatum.* 718
Caput XIII. *Occurritur Adversariorum objectionibus ex Scriptura & Patribus.* 720
Caput XIV. *Peccata, quæ peccator committit ex ignorantia vel inadvertentia culpabili, sunt per se & ratione sui imputabilia, & non solùm ratione causæ, seu dictæ ignorantiæ.* 722
Caput XV. *Satisfit contrariis argumentis.* 723
Caput XVI. *Ex doctrina capitibus præcedentibus stabilita magni momenti derivantur consectaria.* 724
Caput XVII. *Ignorantia omnino involuntaria, sive facti, sive juris, etiam naturalis (si detur) sive positivi, tam divini, quàm humani, excusat à peccato ea quæ ex ignorantia hujusmodi fiunt.* 727

LIBER UNDECIMUS.

Amor conscientiosus, sive de Conscientia, interna amoris & morum regula.

Caput I. *Conscientiæ definitio.* 728
Caput II. *Divisio conscientiæ.* 729
Caput III. *Explicatio conscientiæ rectæ.* Ibid.

Caput

INDEX.

Caput IV. *Regula prima declarans obligationem sequendi conscientiam, seu veram, seu erroneam.* 730

Caput V. *Regula secunda: agere contra conscientiam invincibiliter errantem, peccatum est ejus speciei, & gravitatis, cujus esset, si conscientia non erraret.* 731

Caput VI. *Regula tertia: laborans conscientiâ erroneâ, vincibiliter dictante esse faciendum, quod revera malum est, tenetur eam deponere. Quia, nisi deposuerit, peccat, sive sequatur eam, sive contra faciat.* 732

Caput VII. *Regulæ servandæ ab eo qui laborat conscientiâ perplexâ.* Ibid.

Caput VIII. *Regulæ pro laborantibus conscientiâ scrupulosâ.* Ibid.

Caput IX. *Observationes præambulæ ad dicenda de conscientia dubia, circa naturam, divisionemque dubii propriè dicti.* 736

Caput X. *Regula prima conscientiæ dubiæ. Conscientiam habens, seu negative, seu positive dubiam, an actio hic & nunc, spectatis omnibus, licita sit, vel illicita, peccat, peccato ejusdem speciei & gravitatis, de quo dubitat, si eam faciat, dubio manente.* 739

Caput XI. *Regula secunda. Conscientiam habens negative dubiam, an actio hic & nunc licita sit, vel illicita, si post debitam inquisitionem, nulla ipsi ratio, vel authoritas probabilis occurrat, quòd illicita sit, depositio dubio, tamquam irrationabili, non prohibetur illam ponere.* Ibid.

Caput XII. *Regula tertia: conscientiam habens positive dubiam de honestate, vel inhonestate actionis, vel de obligatione aut non obligatione ad aliquid, ob æqualem vel quasi æqualem hinc inde probabilitatem, tutiorem partem tenetur eligere, ab actione illa abstinendo, vel se obligatum reputando.* 740

Caput XIII. *Regula quarta: dum utraque pars contradictionis, omnibus diligenter examinatis, apparet æque probabilis, neutra in talibus circumstantiis est simpliciter, proprie & expedite probabilis, sed secundùm quid, improprie & impedite dumtaxat.* 743

Caput XIV. *Regula quinta: dum duæ opiniones contradictoriæ, una affirmans, altera negans honestatem actionis, sincero veritatis amatori, post debitum examen æque probabiles apparent, ac per consequens honestas verè dubia est per principia directa, judicium de honestate fieri nequit per principia reflexa. A tali proinde actione abstinendum est, juxta magistralem hanc regulam:* In dubio via tutior est eligenda. 746

Caput XV. *Regula sexta: in dubio positivo, de honestate actûs, ob æqualem, vel fere æqualem hinc inde probabilitatem, servandam esse sacratissimam illam regulam,* In dubiis semitam debemus eligere tutiorem, *ex sacris Litteris probatur.* 749

Caput XVI. *Eadem veritas probatur ex sacris Canonibus, & perpetuo Ecclesiæ usu.* Ibid.

Caput XVII. *Eumdem perpetuum Ecclesiæ sensum sancti Patres uberiùs demonstrarunt.* 752

Caput XVIII. *Eadem veritas probatur multiplici ratione.* 753

Caput XIX. *Quinta ratio ad idem: quia positive dubius, ut suprà, tenetur legibus proprie dubitantium.* 755

Caput XX. *Sexta ratio: quia dubitans speculative, sive in universali, necessario dubitat practice, sive in particulari, id est circa actum hic & nunc exercendum, quamdiu legitima non occurrit exceptio, seu specialis ratio, quæ suadeat, actum hic & nunc exercendum non comprehendi in generali prohibitione, de qua dubitat.* 755

Caput XXI. *Septima ratio: quia nemo licite facit actionem, de qua non potest formare prudens judicium quod licita sit. Istud verò judicium formare non potest homo, qui ideo dubitat an licita sit, quia ipsi æque probabile est quod illicita sit, quàm quod sit licita.* 756

Caput XXII. *Octava ratio: quia ad licite operandum, certum moraliter oportet esse ultimum conscientiæ dictamen, seu judicium practicum, quo humana operatio hic & nunc proxime dirigitur. Positive vero dubius, in æquali utrimque probabilitate, nequit habere certum ejusmodi judicium, sed ambiguum dumtaxat.* Ibid.

Caput XXIII. *Solvuntur objectiones.* 757

Caput XXIV. *Ostenditur imbecillitas objectionum, quibus canonicam regulam de sectanda in dubio via tutiore, eludere conantur Probabilistæ.* 759

Caput XXV. *Regula septima, de tutiori parte in dubiis eligenda: nonnullos casus, speciales ob causas, easque gravissimas, excipit Ecclesiæ declaratio, vel Reipublicæ ordinatio.* 762

Caput XXVI. *Regula octava: extra dictos casus, per Ecclesiæ declarationem, vel Reipublicæ ordinationem, exceptos, positive dubius, in æquali probabilitate de inhonestate, ac de honestate actionis, formare nequit conscientiam de honestate, per reflexa Probabilistarum principia.* 764

Caput XXVII. *Regula nona: positive dubius, in æquali hinc inde probabilitate actionem dubiæ honestatis ponere nequit, sub prætextu, quod lex eam prohibens, si detur, non sit sufficienter promulgata.* 766

Caput XXVIII. *Regula decima: positive dubius, in æquali utrimque probabilitate, ponere nequit actionem dubiæ honestatis sub prætextu quod, in ejusmodi dubio, homo sit in possessione suæ libertatis.* 771

Caput XXIX. *Amplius confutatur novitia doctrina (de possessione libertatis, in dubio de prohibitione legis) ex eo quod regula juris,* In pari causa melior est conditio possidentis, *non procedat in materia humanæ potestati non subjecta; sed in sola materia, subjecta potestati Reipublicæ, vel Ecclesiæ. Et ne in ea quidem universim (tametsi materia sit justitiæ) sed in ea solùm, in qua sic ipsa disposuit.* 775

Caput XXX. *Contraria argumenta dissolvuntur.* 778

Caput XXXI. *Regula undecima: positive dubius de honestate actionis, actionem, de qua dubitat, ponere nequit sub prætextu, invincibiliter tunc ignoratæ legis prohibentis.* 783

Caput XXXII. De conscientia probabili. *Regula prima: non est licitum agere secundùm opinionem probabilem de licito, dum ex adverso occurrit & concurrit opinio æque probabilis de illicito.* 785

Caput XXXIII. *Regula secunda: A fortiori non est licitum agere secundùm opinionem minùs probabilem de licito, in concursu & occursu probabilioris de illicito.* 786

Caput XXXIV. *Regula tertia: improbabile est, probabile quodcumque (prout communiter accipitur, & ab antiquis Probabilistis definitur) excusare à peccato.* Ibid.

Caput XXXV. *Regula quarta: Probabilismum, seu illius usum, non excusant variæ probabilis opinionis definitiones, ad declinandam nimiæ laxitatis invidiam à Novioribus Probabilistis excogitatæ.* 789

Caput XXXVI. *Ex conditionibus ab accuratioribus Probabilistis ad probabilem opinionem requisitis, concluditur à veritate alienam esse doctrinam ipsorum, de licito usu opinionis minùs probabilis de licito, in concursu & occursu probabilioris de illicito.* 793

Caput XXXVII. *Ex divinis Scripturis ostenditur nefas esse sequi opinionem probabilem de licito, quæ (post veritatis inquisitionem) probabiliùs apparet falsa, quàm vera.* 795

Caput XXXVIII. *Secundò idipsum probatur exemplis eorum, quos vel Scriptura reprehendit; vel ipsa, aut probatæ historiæ redarguunt, vel pœnas dedisse referunt, neglectæ probabilioris opinionis in rebus agendis.* 797

Caput XXXIX. *Ostenditur inania esse sacra testimonia, & exempla, seu ex iis argumenta, quæ pro se Adversarii proferunt.* 799

Caput XL. *Tertiò idem ostenditur ex sacris Canonibus, Decretis SS. Pontificum, & Conciliorum, Legibusque Civilibus.* 801

Caput XLI. *Per Decretum Innocentii XI. de die 2. Martii 1679. subversa sunt principalia fundamenta*

* * *

INDEX.

Probabiliſmi, ipſeque Probabiliſmus plurimùm enervatus. 802

Caput XLII. *Inania & ſophiſtica ſunt Probabiliſtarum argumenta in contrarium ex diſpenſationibus conceſſis à SS. Pontificibus; necnon ex reſponſo Urbani VIII. circa matrimonia Gentilium Paraquariæ, & Canonibus nonnullis.* 803

Caput XLIII. *Quarta probatio contra Probabiliſmum ex ſanctis Doctoribus.* 809

Caput XLIV. *Quinta probatio ex communi doctrina Majorum, ſeu Doctorum antiquorum, à ſæculo decimo-tertio ad decimi-ſexti ferè finem.* 817

Caput XLV. *Sexta probatio, ex communi doctrina Canoniſtarum & Legiſtarum.* 821

Caput XLVI. *Septima probatio, ex communi traditione Sapientum Gentilitatis, ſeu Philoſophorum Gentilium.* Ibid.

Caput XLVII. *Octava probatio, à communi ſenſu omnium Communitatum, Congregationum, Tribunalium, Civitatum, Rerumpublicarum, Nationum & Regnorum.* 823

Caput XLVIII. *Nona probatio: quia aſſertio noſtra longè prævalet, non ſolùm authoritate S. Scripturæ, Canonum, Conciliorum, SS. Pontificum, veterumque Doctorum, uſque ad finem, vel ferè finem ſæculi decimi-ſexti, ſed & authoritate eorum, quos, poſt exortum, aut jam graſſantem Probabiliſmum, divina Providentia ſuſcitavit ad illi ſeſe opponendum.* Ibid.

Caput XLIX. *Decima probatio: quia Eminentiſſimi Cardinales, Pallavicinus & Aguirrius, aliique viri graviſſimi, ſapientiſſimique, Probabiliſmum à ſe aliquando defenſum, omnibus hinc inde fundamentis maturiùs expenſis, retractarunt, repudiarunt, abjecerunt; noſtram autem doctrinam ſemel ſuſceptam nullus retractavit.* 828

Caput L. *Undecima probatio: quia doctrinam noſtram nullus Epiſcopus, nulla Eccleſia, ullâ unquam cenſurâ juridicè proſcripſit; Probabiliſticam verò doctrinam, plures Archiepiſcopi & Epiſcopi, totaque penè Eccleſia Gallicana ſolemni ſententiâ juridice damnaverunt.* 831

Caput LI. *Corollarium primum contra Caramuelem, Terillum, & Bartholomæum Fibum.* 834

Caput LII. *Corollarium ſecundum contra eumdem Bartholomæum Fibum, Guillelmum le Maire, & Alexium Minez.* 836

Caput LIII. *Corollarium tertium. Quo oſtenditur ſententiæ noſtræ Patronos Probabiliſmum non rejicere ex malevolo ac amaro in Societatem animo, neque ex affectu ad novitates, vel damnatam doctrinam.* 838

Caput LIV. *Aſſertio noſtra ultimò probatur multiplici ratione. Prima eſt, quia quiſquis agit, quod ſibi, ſpectatis omnibus, probabiliùs apparet illicitum, contra conſcientiam agit.* 842

Caput LV. *Secunda aſſertionis noſtræ ratio eſt quia, ad licitè operandum, neceſſarium eſt prudens & rationabile judicium de honeſtate operationis. Intellectus verò prudenter & rationabiliter judicare nequit honeſtam operationem, quæ ſibi probabiliùs apparet inhoneſta, quam honeſta.* 843

Caput LVI. *Tertia ratio: quia quiſquis agit, quod ſibi, ſpectatis hinc inde argumentis, probabiliùs apparet illicitum, ſive contra legem æternam, peccat formaliter contra eam, ſicut & contra obedientiam, juſtitiam, aliaſque reſpectivè virtutes morales, ac Theologicas.* 845

Caput LVII. *Quarta ratio aſſertionis noſtræ eſt, quia in electione opinionis minùs probabilis de licito, contra agnitam opinionem probabiliorem de illicito, non eſt niſi prudentia carnalis, quæ eſt inimica Dei.* 849

Caput LVIII. *Quinta ratio: quia, ad licitè operandum, non ſufficit judicium quodcumque de licito, ſed de eo certum moraliter eſſe oportet judicium ultimò practicum, quo humana proximè & immediatè dirigitur operatio. Quam moralem certitudinem habere nequit, qui facit quod ſibi probabiliùs videtur illicitum, quàm licitum.* 852

Caput LIX. *Sexta ratio: quia faciens quod ſibi videtur probabiliùs illicitum, non proſequitur veritatem quantùm ſcit & valet. Ad quod Deus, honeſtas, officium boni Chriſtiani, immo & officium boni viri obligant.* 853

Caput LX. *Septima ratio: quia facere quod probabiliùs videtur illicitum, eſt contra legem divinæ amicitiæ, humanæque ſervitutis, & ſubjectionis ad Deum, tamquam ſupremum Dominum ac Legiſlatorem.* 854

Caput LXI. *Octava ratio: quia id eſt etiam contra legem chriſtianæ prudentiæ.* Ibid.

Caput LXII. *Nona ratio: quia faciens quod ſibi probabiliùs videtur illicitum, coram Deo defendere nequit actionem ſuam, nec illam excuſare, ſive revera illicita ſit, ſive non ſit.* 856

Caput LXIII. *Decima ratio: quia vel rationabiliter non aſſeritur, eſſe agenti licitum, in agendo, ſequi opinionem minùs probabilem de licito, contra agnitam probabiliorem de illicito; vel rationabiliter aſſeritur, eſſe Judici licitum, in judicando, ſequi opinionem minùs probabilem de juſto, contra agnitam probabiliorem de injuſto (cùm eadem vel ſimilis ſit utriuſque ratio) ſed iſtud rationabiliter non aſſeritur. Ergo nec illud.* 857

Caput LXIV. *Undecima ratio: ab infidelitate non excuſatur infidelis, non credens ductus opinione minùs probabili. Ergo à divinæ legis tranſgreſſione non excuſatur fidelis, eam non ſervans ductus opinione minùs probabili.* 865

Caput LXV. *Duodecima ratio: quia doctrina quæ licitum facit uſum opinionis minùs probabilis de licito, contra agnitam probabiliorem de illicito, in Chriſtianam Ethicen, diſciplinamque horrendas inducit laxitates.* 866

Caput LXVI. *Decima-tertia ratio: quia doctrina de licito uſu opinionis minùs probabilis, &c. viam aperit ad dicendum, cum pleriſque Probabiliſtis, cuique eſſe licitum ſequi probabilem aliorum opinionem, dum falſitas ipſius non eſt ipſi vel fide, vel evidenti ratione certa. Ad dicendum etiam cum Caramuele, omnem actum mihi eſſe licitum, quem vel fide, vel ratione evidenti, mihi non conſtat eſſe illicitum. Utrumque autem ducit in monſtruſam laxitatem.* 870

Caput LXVII. *Decima-quarta ratio: quia doctrina illa inutile vel parum neceſſarium reddit, & langueſcere facit ſtudium Theologiæ Moralis.* 871

Caput LXVIII. *Decima-quinta ratio: quia doctrina illa tollit ſtudium orandi pro obtinenda cognitione veritatis, notitiaque divinæ legis.* 873

Caput LXIX. *Decima ſexta ratio: quia doctrina illa nata eſt infinitis bellis, diſſidiiſque, totum turbare mundum, per latiſſimum probabilitatis uſum.* Ibid.

Caput LXX. *Decima-ſeptima ratio: quia doctrina illa Regibus, Principibus, Superioribus omnibus, religioſæque obedientiæ exitioſa eſt.* 874

Caput LXXI. *Decima-octava ratio: quia doctrina illa pariter exitioſa eſt toti Eccleſiæ, Eccleſiaſticiſque legibus, atque libertatibus, & immunitatibus.* 875

Caput LXXII. *Decima-nona ratio: quia doctrina illa, intolerandam tribuit ſecuritatem 1. in horis recitandis. 2. intolerandam licentiam in opinionibus pro libitu practicè variandis, ſicut & 3. in defendendis contra Judices criminoſis. Et 4. in authorizandis opiniombus ſcandaloſis.* 876

Caput LXXIII. *Antonii Terilli, aliorumque Probabiliſtarum argumenta, poſt debitum examen leviſſima & in præcipitium ducentia inveniuntur.* 879

Caput LXXIV. *Prima ratio Terilli levis eſſe demonſtratur.* Ibid.

Caput LXXV. *Oſtenditur, ſecundam, tertiam, quartam, nonam, & decimam quartam rationem Terilli leviſſimæ eſſe armaturæ, atque in præcipitium ducere.* 881

Caput LXXVI. *Idem oſtenditur de quinta, ſexta, & octava ratione ejuſdem.* 882

INDEX.

Caput LXXVII. *Idem multipliciter ostenditur de ratione septima.* 883

Caput LXXVIII. *Idem judicium fertur de decima, undecima, duodecima, & decima-tertia ratione Terilli.* 887

Caput LXXIX. *Ostenditur postremas rationes Terilli, scilicet decimam-quintam, decimam-septimam, & decimam-octavam, nec magis solidas, nec magis securas esse.* 889

Caput LXXX. *Idem demonstratur de alia (si tamen alia) ratione, quam Terillus profert q. 47. n. 15. necnon de rationibus Medinæ, Sanchez, Bassæi, Spinulæ, Movæ, aliorumque Probabilistarum.* 892

Caput LXXXI. *Regula duodecima: ne probabiliorum quidem opinionum usus indistinctè licitus est.* 894

Caput LXXXII. *Regula decima-tertia: ne quidem licitum est, saltem in materia legis divinæ & naturalis, probabiliorem sequi opinionem de licito, quando probabilioritas ipsius non est tanta, ut abstergat probabile periculum violandæ legis. Quod non abstergit, quamdiu opinio de illicito retinere cognoscitur aliquid veræ probabilitatis, quamlibet tenuis, in cujus praxi nullum sit periculum.* 895

Caput LXXXIII. *Regula decima-quarta: nulla opinio falsa, legi naturali contraria, ipsius in praxi sequacem ex toto excusat à peccato contra legem, tametsi excuset à peccato contra conscientiam, dum post debitum examen apparet ipsi adeo vera, ut opposita non videatur probabilis.* 902

Caput LXXXIV. *Regula decima-quinta, exponens, quænam è diversis opinionibus circa quæstiones morales eligenda sit.* 910

Caput LXXXV. *Respondetur argumentis Probabilioristarum, & imprimis duobus prioribus petitis à consensu & usu omnium, etiam SS. Patrum, & Theologorum.* 915

Solvitur tertium & quartum argumentum, seu Achilles Adversariorum. 918

Caput LXXXVII. *Diluitur quintum, sextum, septimum, octavum, & nonum argumentum.* 920

Caput LXXXVIII. *Diluitur argumentum decimum, undecimum, duodecimum, & decimum-tertium.* 921

Caput LXXXIX. *Trium postremorum argumentorum imbecillitas ostenditur.* 924

Caput XC. *Reflexio salutaris ad proximè dicta.* 925

Caput XCI. *Varia ex præmissis Corollaria derivantur. Primum: Illicitum est in Sacramentis conficiendis, relictâ viâ certâ, dum suppetit, extra casum necessitatis sequi opinionem probabilem, vel etiam probabiliorem de eorum valore, etiam ubi non periclitatur salus proximi, sed solùm valor Sacramenti.* 926

Caput XCII. *Secundum Corollarium: Non est licitum scienter, extra casum necessitatis, absolvere pœnitentem, solùm formidolosè attritum.* 927

Caput XCIII. *Corollarium tertium: Extra casum necessitatis non est licitum Confessario pœnitentem absolvere secundùm opinionem incertam & probabilem dumtaxat de sua jurisdictione; nec pœnitenti licitum est tali Confessario peccata sua confiteri. Nisi ipsi faveat error communis, titulusque coloratus proveniens à legitimo Superiore.* Ibid.

Caput XCIV. *Corollarium quartum: Sacerdos, conscius peccati mortalis, debet potiùs celebrare contritus, quàm ei confiteri, qui nonnisi probabilem, & incertam habet jurisdictionem.* 930

Caput XCV. *Corollarium quintum: Non est licitum sequi quamlibet opinionem repertam in Authore juniore, licèt approbato, etiam dum non constat opinionem illam condemnatam esse à Sede Apostolica, ut improbabilem.* Ibid.

Caput XCVI. *Corollarium sextum: Theologo non licet ex opinione unius vel plurium, quam falsam putat minùsve probabilem, in favorem carnalis libertatis consilium dare.* 932

Caput XCVII. *Corollarium septimum: Eos Spiritus sanctus meritò reprehendit, pœnaque cæcitatis castigat, qui varios adeunt Doctores, usque dum inveniant loquentem placentia, suæque cupiditati indulgentem.* 933

Caput XCVIII. *Corollarium octavum: Varia dicta Veterum, de benignitate in consiliis sectanda, nec facilè condemnando aliquid de mortali, perperàm à variis Recentioribus intelliguntur.* Ibid.

FACULTAS REVERENDISSIMI PATRIS GENERALIS.

Fr. Angelus de Cambolas S. Theologiæ Magister, ac Humilis Prior Generalis totius Ordinis Fratrum B. Virginis Mariæ de Monte Carmelo Antiquæ Observantiæ Regularis.

AUthoritate nostrâ tenore præsentium Tibi Reverendo admodùm Patri Henrico à sancto Ignatio Ex-Vicario Provinciali Wallo-Belgii, quantùm ad Nos spectat, facultatem facimus Typis mandandi Opus, cui titulus: *Theologia Sanctorum circa universam morum doctrinam*, si luce dignum fuerit judicatum à duobus nostri sacri Ordinis Theologis, vel Doctoribus, servatis aliàs de jure servandis. Horum fide, &c. Datum Romæ in Conventu S. Mariæ Transpontinæ die 5. Julii 1704.

Fr. ANGELUS DE CAMBOLAS, Generalis Carmelitarum.

Locus (✠) sigilli.

Fr. FRANCISCUS PAULUS QUARANTA, Secr. Ordinis.

Facultas V. Provincialis Carmelitarum per Wallo-Belgium.

OPus inscriptum, *Theologia Sanctorum*, &c. studio ac indefesso labore admodùm Reverendi Patris Henrici à sancto Ignatio Ex-Vicarii Provincialis, ac sacræ Theologiæ Professoris emeriti, necnon in Ordine nostro Jubilarii, digestum & concinnatum, vel, ex ipso titulo, adeò luculenter commendatur, ut vix aliâ commendatione videatur indigere. Enimverò titulus iste non est inanis & vacua magni nominis umbra, sed veritas perspicuis in Opere Sanctorum testimoniis comprobata. Porrò si *Theologia Sanctorum est*, doctrina ibidem tradita & sana & sancta est. Unde ut aliis prosit, libentissimè facultatem nostram impertimur, ut ista *Theologia Sanctorum* prælo data publici juris fiat: dummodò per duos Theologos Ordinis nostri fuerit examinata & approbata, servatis aliàs de jure servandis. In quorum fidem præsentes Officii nostri sigillo munitas dedimus in Carmelo nostro Marchiensi die 21. Decembris 1706.

Fr. FLORENTIUS A SANCTO HENRICO, V. Provincialis Carmelitarum per Wallo-Belgium.

Locus (✠) sigilli.

Fr. PACIFICUS A S. PHILIPPO, Assistens.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Approbatio Theologorum Ordinis.

NOs infrascripti, ex Commissione Reverendissimi Patris Generalis, magna cum attentione, parique animi oblectatione perlegimus Opus inscriptum : *Theologia Sanctorum circa universam morum doctrinam*, &c. per Reverendum admodùm Patrem Henricum à sancto Ignatio Ordinis Fratrum B. V. M. de Monte Carmelo Exprovincialem, nuper Commissarium Generalem, S. Theologiæ Professorem emeritum, &c. in eoque nihil reperimus à fide & bonis moribus devium; sed doctrinam Catholicæ Religioni, tutissimorum Augustini & Aquinatis dogmatum veritati, Christianique hominis sanctitati & dignitati consentaneam, utpote depromptam ex sacræ Scripturæ oraculis, sanctorumque Patrum sententiis, quas Author omnigenâ eruditione, copioso solidarum rationum agmine, miràque terminorum claritate sic illustrat, ut omnis Amator veritatis hîc inventurus sit plurima ad excitandum pietatis studium, plurima ad bonos mores promovendos, plurima ad Concionatorum, Confessariorum & Pastorum institutionem maximè utilia. Quapropter Opus hoc laude luceque dignum (salvo meliori) censuimus in Carmelo nostro Xhaviensi die 8. Junii an. 1707.

Fr. MARCELLINUS A S. THERESIA,
Definitor, ac S. Th. Professor.

Fr. HENRICUS A S. THERESIA,
S. Theol. Professor.

Approbatio sapientissimi Domini Arnoldi Eyben, Cathedralis Ecclesiæ Antuerpiensis Canonici Theologalis, & Thesaurarii, Archipresbyteri Ruralis, ac Librorum Censoris.

CHristianis præcipit S. Joannes Epist. 1. c. 2. ut in eo, quod audierunt, firmi permaneant, quo & ipsi in Patre, & Pater in ipsis maneat. Communis hic Prophetarum & Apostolorum sensus est, qui in veteri & novo Testamento nihil severiùs vetant, quàm ne ab antiquis viis recedamus, transcensisque Patrum limitibus patiamur nos doctrinis variis & peregrinis obduci, ac profanis vocum novitatibus captari. Hinc Theologia ad illud lumen applicare se debet, quod à Christo Ecclesiæ collatum, perpetuâ Patrum traditione continetur, iisque doctrinæ & pietatis christianæ fundamentis insistere, quæ à sanctis Patribus quasi manu tradita per tot ætatum decursus Ecclesia accepit, sicut ea Patrum Antiquissimi ab Apostolis, Apostoli à Spiritu sancto, Spiritus sanctus à Filio, Filius à Patre acceperat. Hâc regulâ semper est usa Ecclesia ad corruptelas erroresque ac nova humani ingenii commenta extirpanda, quibus hominum improbitas vel insitia sanctissimam Christi doctrinam depravare conata est. Hâc S. Augustinus Pelagianos convincit, cùm productis contra eos aliquot Patribus, *quod*, inquit, *invenerunt in Ecclesia, tenuerunt : quod didicerunt, docuerunt : quod à Patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt.* Hujus regulæ præsidio utitur Gregorius VII. dum ait : *Ad sanctorum Patrum decreta doctrinamque recurrimus, nihil novi, nihil adinventione nostrâ statuentes : sed primam & unicam Ecclesiasticæ disciplinæ regulam & tritam Sanctorum viam relicto errore repetendam & sectandam esse censuimus. Nam*, teste Gregorio Magno, *tunc Sacerdos irreprehensibiliter graditur, cùm exempla Patrum præcedentium indesinenter intuetur, cùm Sanctorum vestigia sine cessatione considerat.* Proinde publicam lucem meretur, & plurimùm commendanda est hæc *Theologia Sanctorum*, quæ ex sanctis Doctoribus, ac præsertim ex tutissimis & inconcussis sanctorum Augustini & Thomæ dogmatibus præclarè ostendit, qualem esse oporteat vitam christianam, quàmque ab Evangelii regulis, & doctrina Sanctorum aberret novitia doctrina complurium Casuistarum. Dabam Antuerpiæ hâc 28. Januarii 1709.

ARNOLDUS EYBEN, Cathed. Antuerpiensis Canonicus Theologalis, Librorum Censor.

Approbatio Reverendi Domini Joannis Le Beau Examinatoris Synodalis.

HÆc *Theologia Sanctorum* secundùm nominis excellentiam procedit, dum exhibitas à Sanctis veritates, & velut stellas in Ecclesiæ Firmamento positas, educit è nebulis, quas variæ Quorumdam opiniones obtenderunt. Hinc in caliginoso deficientis hujus sæculi tempore, eidem tamquam lucernæ benè facient attendentes, studiosi quicumque veritatis Amantes, atque spes est quòd non tantùm inde lucebunt, sed & sic ardebunt, ut flammescat igne charitas, accendat ardor proximos, eosque per semitas justitiæ deducat ad æternæ Veritatis fruitionem. Proinde sub beneplacito Superiorum, jure prodibit in publicum. Dabam 16. Octobris 1699.

JOAN. LE BEAU, S. Adalberti Leodii Curio-Decanus, Exam. Synod.

Permissio Ordinarii.

PLacet imprimatur. Hâc decimâ-septimâ Octobris 1699.

GUIL. BERN. DE HINNISDAEL,
Coadministr. & Vic. Gen. Leod.

ADMO.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

PARS PRIMA PRÆLIMINARIS.

PROLEGOMENON PRIMUM.

De radicibus laxioris Ethices.

CAPUT PRIMUM.

Laxioris Ethices mala panduntur.

1 CORruptos sæculi mores, magisque ac magis refrigescentem in dies charitatem pii quique deplorant. Ad ea quippe tempora devenimus, quibus christianæ vitæ, ac disciplinæ puritas & sanctitas, ob quam cunctis olim nationibus Christianismus adeò venerabilis & admirabilis fuit, à Christianorum animis & moribus sensim exulat; sinceræ pietatis norma à Christo, ab Apostolis, & Apostolorum successoribus tradita, deseritur; vitia speciosis prætextibus obvolvuntur; Evangelica dogmata novis quotidie subtilitatibus eluduntur; concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, longè latèque dominatur, atque lachrymandum in modum grassante vitiorum omnium colluvie, in omnibus penè artibus & professionibus innumeræ corruptelæ, & gravissima delicta passim vigent.

2 Et quæ (amabo) tantorum malorum causa? intrinseca (fateor) est corruptæ naturæ pronitas in malum. Sed hæc validè comprimeretur, nisi extrinseca accederet concausa, pronitati isti habenas laxans, dum stringere opporteret: nimia utique complurium Recentiorum de moribus opinandi licentia, SS. Pontificum testimonio & lachrymis comprobata. Corruptionem quippe populorum novitia fovet Ethica plurium Theologorum, qui cedentes torrenti Christianorum relaxatorum, dum contra invalescentes consuetudines malas, christiana fortitudine murum sese pro domo Domini opponere debuissent, indulgentioribus opinamentis à se noviter adinventis, facti sunt magistri prurientes auribus, consueruntque pulvillos sub omni cubito manus, & fecerunt cervicalia sub capite universæ carnis, dum suæ regionis hominum moribus evangelica adaptarunt dogmata, ad quorum præscriptum (juxta SS. Patrum doctrinam) hominum mores exigere debuissent; ficque peccantes adulantibus blandimentis palpando, peccandi fomitem subministrarunt, juxta illud Cypriani lib. de lapsis: *Qui peccantem blandimentis adulantibus palpat, peccandi fomitem subministrat.*

3 Indulgentiorem ac nimiam ipsorum de moribus opinandi licentiam (proficientem ad excusandas excusationes in peccatis, potiùs quàm ad sectandam Evangelicam veritatem, & traditam nobis ab Apostolis & sanctis Patribus vitæ normam) Alexander VII. vehementer deplorat in Decreto de die 24. Septembris 1665. ubi sic: *Sanctissimus Dominus noster audivit, non sine magno animi sui mœrore, complures opiniones, christianæ disciplinæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes, partim antiquatas, iterùm suscitari, partim noviter prodire, & summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excrescere, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus, modus opinandi irrepsit, alienus omninò ab Evangelica simplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina, & quem si pro regula fideles in praxi sequerentur, ingens irreptura esset christianæ vitæ corruptela.*

4 Deplorat & Generalis Gallicanæ Ecclesiæ Conventus anni 1656. in Epistola præfixa Instructionibus Pastoralibus S. Caroli Borromei, ubi de supradictorum Theologorum opinionibus sic ait: "Novitiæ illæ opiniones ita christianam morum disciplinam, & evangelicam vivendi normam adulterarunt, ut ejusmodi scientiâ, profunda ignorantia longè sit potior. Enim-verò quid aliud quàm mores pestiferos generare possunt pestifera morum dogmata? A quorum Authoribus non minùs sævam nunc, in suorum morum disciplina, persecutionem patitur Ecclesia, quàm olim in materia Religionis ac Fidei: immò tantò sæviorem, quòd illam à minimè suspectis patitur. Non enim jam à Tyranno, non ab hæreticis, aut apostatis vexatur Ecclesia; intus & in sinu sunt hostes, & inimici ejus domestici, immò filii ejus." Similia habet Generalis Conventus anni 1701.

5 Denique Nicolaus Faber, Ludovici XIII. Galliarum Regis præceptor, eorundem Ethicen nihil esse dicit nisi artem cavillandi cum Deo, *l'art de chicanner avec Dieu*: quippe nihil aliud apud ipsos solemnius, quàm altercari pro possessione humanæ libertatis, contra divinas leges ac præcepta: dumque Scriptura divina (Augustino teste) nihil præcipit nisi charitatem, nihil culpat nisi cupiditatem, & eo modo informat mores hominum; ipsis econtrà non aliud esse videtur studium, nisi ut charitatis

obligationem extenuent, cupiditatibus indulgeant, & iis Dominica accommodent præcepta, quibus ipsas potiùs accommodari subjicique oporteret. Cunctis fidelibus nuntiat Apostolus, apparuisse gratiam Salvatoris nostri omnibus hominibus erudientem nos ut abnegantes impietatem, sæcularia que desideria, sobriè, justè & sanctè vivamus in hoc sæculo. Ipsi ex adverso Ethicen tradunt sæcularibus desideriis lenocinantem, quasi Evangelicæ doctrinæ cum sæculi moribus conventio major esse queat, quàm justitiæ cum iniquitate, vel Christi cum Belial.

6 Viam salutis suprema Veritas, Deus, cujus verba in æternum permanent, arctam esse definivit: ideòque præcepit intrare per angustam portam: quia lata porta, & spatiosa via ducit ad perditionem. Illi è converso, nihil aliud inculcant, nisi è duabus viis probabilibus (apud ipsos verò penè omnia probabilia sunt) eligendam benigniorem, id est (ut ipsi intelligunt) latiorem, seu humanæ libertati cupiditatique indulgentiorem: ita ut (Escobario Authore) *quamcumque duarum viarum extremè oppositarum* (seu utique latiorem, seu angustiorem) *inierint homines, rectà tendant ad superos.*

7 Hinc non mirum, si magna, si non tota, cura illorum esse videatur, novos & Majoribus incognitos peccatorum excusandorum prætextus, veluti totidem novos cæli tramites, suis adinventionibus, & philosophicis argutiis comminisci. Non mirum, si neglecto Evangelio, unum prædicante Agnum Dei, qui tollit peccata mundi, plures ipsi prædicent agnos, peccata mundi tollentes, quales antè non erant. Ergo (inquit Caramuel) si ejusmodi peccata ab Orbe Litterario Diana sustulit, meritò dicitur agnus Dei, qui abstulit peccata mundi.

8 Quid? quòd „ aliquam-multi morales controversias ita subinde definiunt, ut non tam „ veritati, quàm personarum gratiæ ancillari videantur, non secùs ac Jurisconsulti plerique „ auro conducti, jura legum, non justitiæ, vel „ æquitati, sed clientum cupiditati & lubentiæ „ attemperantes, inquit Albertus de Albertis, in paradoxis de ornatu mulier. in præludio de Veter. Patr. authorit.

9 Quid item, quòd (teste Antonio Terillo, celebri è Societate Theologo,) „ fuerunt ex „ Recentioribus non pauci, qui leviſſimis ratiunculis ducti, antiquorum Theologorum in opinando severitatem non modò clam carpere, „ sed palàm ausi sunt suis scriptis condemnare? „ Quod enim priores, doctiores, ac severiores „ Theologi unanimi sententiâ damnabant ut malum, Recentiores isti, ausu planè temerario, „ pro bono & honesto venditare non erubuerunt. Cùm enim plus æquo famæ, vanæque „ de sua doctrina existimationis essent cupidi, „ mirum est quo ardore atque animi contentione „ ad scripta sua typis mandanda incubuerint. „ Nullus annus elabi poterat, quin ingens librorum recenter editorum multitudo suorum natalium annum in fronte notatum non proferret. Universalis hic scribendi pruritus in nulla « materia quàm in re morali lamentabiliùs grassatus est. Innumerabiles sunt qui à triginta annis, summis Casuum, rerumque moralium « Tractatibus Bibliothecas impleverunt. Quid « autem facerent, ut ad famam, quam aucupabantur, pervenirent? Non satis illis visum est, « si ab alio dicta, novo ordine, novaque methodo, & ad legentium captum faciliori, digesta (quod tamen laude dignum fuisset) vulgarent. Ergo ad nova promenda animosiores « effecti, in opiniones laxiores, oculos animumque conjecerunt, gnari eas præ omnibus rudiori legentium vulgo mirùm placituras. Verùm ne propter apertam ab unanimi Antiquorum opinione defectionem temeritatis arguerentur, cœperunt rationes aliquas excogitare, « quibus & suum à Majorum doctrina recessum « honestarent, & apud imperitum vulgus, de « suæ sententiæ veritate plausum aliquem obtinerent. Hi ergo, dum animo, ut in istis fieri « solet, pro veritatis indagatione minùs benè « dispositio, ad confirmanda prurientis ingenii « commenta incumberent, quidquid vel minimam veritatis speciem præ se ferebat, avidiori « animo arripuisse, atque in illo sibi nimiè complacuisse noscuntur. Vidi ego ex hisce Recentioribus nonnullos viros (cæteroquin egregios) « qui cùm in rebus summi momenti ad Dei legem vel conscientiæ obligationem pertinentibus, ab unanimi omnium sententia, ad intolerabilem opinandi laxitatem declinassent; aliud « tamen quo moverentur, quàm argumentum à « simili ductum, non habebant. Vidi & exhorrui. Quis enim non horreret Dei præceptum, « ab omnibus priùs agnitum, solidissimisque argumentis comprobatum, tam frivolo argumento è legis divinæ & ecclesiasticæ tabulis non « minùs imprudenter quàm impudenter eradi? « Neque hîc stetit quorumdam audacia; plurimi « enim, etsi doctrinâ longè inferiores, similem « quoque arguendi modum sibi licitum existimantes, ex laxis resolutionibus, ad alias laxiores iter sibi, rectiùs dixerim, & sibi, & aliis « præcipitium aperuerunt; atque ita brevi effectum est, ut plures laxitates, verè non ferendæ, « in oculos legentium, non sine plurimorum « scandalo frequenter incurrerent. Nec defuere, « qui laudi sibi verterent, laxiores sententias in « unum colligere, easque tanquam legitimas conscientiæ regulas, sub specioso probabilitatis tegmine venditare.... Unde factum est, ut quascumque opiniones, expressè ab Ecclesia non « condemnatas, apud quemcumque reperissent, « eas pro verè probabilibus & ipsi haberent, & « aliis pro regula ad conscientiæ tranquillitatem « opportuna traderent. Immò incredibile non est, « eos subtili Satanæ insinuatione deceptos, sub « humanitatis cujusdam lenocinio, mutuique « honoris specie, quibusvis aliorum dictis probabilitatem ideò attribuisse, ut quam ipsi præ- « rogativam prioribus ultrò dedissent, eam ipsis « posteriores non inviderent. Hac arte dolosus «

„ inimicus, postquam doctiores, qui & sibi in-
„ vigilare & aliis prospicere debuerant, prægu-
„ stato plausu amplioris famæ, per laxarum opi-
„ nionum evulgationem sibi certò acquirendæ
„ fascinasset, per eos nimis incautos, in campo
„ Moralis Theologiæ optimo severarum opinio-
„ num tritico, abundè sato, detestanda laxitatis
„ zizania superseminavit, & abiit: conscius quip-
„ pe erat, ea absque boni tritici jactura nunquam
„ evellenda. Certam sibi proinde gratulatus est
„ victoriam, quia norat se humanâ industriâ vix
„ impediri posse, quominùs voti sui compos fie-
„ ret. Quid enim? tolerandæ erant scandalosæ
„ laxitatis opiniones nocivæ? At hoc ipsum erat,
„ quod omni curâ ut fieret conabatur. Quid
„ ergo? eradicandæ erant zizaniorum herbæ?
„ At id absque tritici jactura, id est, absque sin-
„ ceræ doctrinæ radicitùs non tam convellendæ,
„ quàm evellendæ periculo fieri haudquaquam
„ posse, non immeritò gloriabatur. Hæc sunt
„ quæ à multis annis dolens perspexi, quando
„ primùm viros magni, sed effrenis ingenii, fra-
„ ctis severæ justæque moderationis habenis, ad
„ laxè opinandum quasi calcaribus adactos præ-
„ cipitanter cucurrisse, & adhuc currere ani-
„ madvertebam. Hæc sunt, de quibus quamplu-
„ res doctrinæ probitatisque laude conspicui sæ-
„ pè mecum graviter conquesti sunt..... Qui
„ cùm laxitatem hanc diutiùs ferre non sustine-
„ rent, arrepto calamo, ad eam ex hominum
„ persuasione evellendam totis viribus exarserunt.
„ Nec incassum. Effecerunt enim ut plures à laxis
„ opinionibus edendis abstinuerint. „ Hactenus
Terillus in præfat. sui tractatus de conscientia probabili.

10 Aliam tantorum malorum causam refert de-
„ ploratque Eminentissimus Cardinalis Denhoff
„ Episcopus Cesenensis in epistola sua pastorali
„ anno 1696. edita: sicut & Illustrissimus Anto-
„ nius Godeau Venciensis Episcopus in Instru-
„ ctionibus synodalibus, nimiam scilicet Con-
„ fessariorum indulgentiam: si enim (inquit)
„ Confessores omnes unanimiter abstinerent à
„ tanta indulgentia, qua peccatores abutuntur,
„ eisque eandem viam ostenderent pravos habitus
„ dimittendi, atque ad cælum perveniendi, am-
„ bigendum non esset, quin in Christianis cerne-
„ retur notabilis mutatio: sed ubi extremitas ad-
„ venerit, negari non potest, quin & ferro &
„ igne utendum sit, & consultius ægrum impel-
„ lere ad gemitus & clamores, quàm sinere ut
„ moriatur. Quoties Judæi scandalisati sunt ex ser-
„ monibus Christi Salvatoris nostri? numquid
„ propterea immutati sunt? Lenivit præcepta sua,
„ de abnegatione suiipsius, crucis amore, mundi
„ abrenuntiatione, & odio rerum omnium, quæ
„ sæculum redolent? Numquid Christianus est
„ vir deliciarum? quippe illius vita, ut Triden-
„ tinum Concilium adstruit, *perpetua pœnitentia*
„ *esse debet*. Quod si verum est de Christiano; quid
„ de peccatore, qui Christiani nihil habet præter
„ nomen, & qui glorioſam hanc qualitatem sæ-
„ piùs fœdavit? Quomodò arcta erit via quæ du-
„ cit ad cælum, & à paucis inventa, si maximæ
quæ hodie vigent, sunt veræ, quibus medianti- „
bus hæc tantopere est prolata, per quam nemo „
est qui incedere non possit percommodè cum „
suis ambitionibus, usuris, luxibus, superfluitati- „
bus ac deliciis? Nonne verum est hodie, in mul- „
tis occasionibus satis esse ut quis ingenium ha- „
beat ad rectificandas cum dexteritate suas inten- „
tiones, ad multa peccata vitanda? Christus ait „
Cælum esse pro idiotis & parvulis, hoc est, pro „
humilibus & simplicibus. Verùm hoc nostro „
sæculo, juxta magis communes, magisque re- „
ceptas propositiones, Cælum est tantummo- „
dò pro ingeniis subtilibus, & pro Magnatibus, „
pro quibus assiduè conclamatur, *pax, pax*, & „
qui in vita canonizantur in statu longè dissito à „
sanctitate. Quam mensuram accipiunt, majori „
ex parte Directores conscientiarum, qui si non „
pro commoditate pœnitentium, certè pro sua „
existimatione, & mundi judicio, minimè respi- „
ciunt ad veram Dei gloriam, nec ad regulas „
Evangelii, nec ad Sanctorum exempla, nec ad „
proximi detrimentum, ut meritò dicere possi- „
mus cum Psalmista: *Salvum me fac Deus, quo- „*
niam defecit sanctus, & diminutæ sunt veritates „
à filiis hominum." Quæ aliaque hujusmodi dum
refero, privatorum corruptelas non studio dis-
sensionis incesso, sed charitate deploro, illudque
maximè, quòd plerique similium opinamento-
rum vel scriptores, vel sequaces, eorum tam pro-
fusi sint adoratores, ut contradicentibus insul-
tent, & eos qui (zelo divinæ gloriæ, salutarisque
doctrinæ) sese eis opponunt, velut austeros &
Rigoristas; immò velut *Novatores* (tametsi novi-
tia nulla, sed vetera dumtaxat priscorum Patrum
ac Doctorum placita tradant) & velut *Janse-
nistas* injuriosè traducant apud Vulgus imperi-
tum, cujus gratiam populari suâ indulgentiâ,
abblandientique doctrinâ conciliare sibi sata-
gunt. Quia verò hoc non solùm est impedire
animarum profectum, sed & dissolvere pacis
vinculum: ideò S. D. N. Innoc. XI. in decreto
suo de die 11. Martii 1679. *in virtute sanctæ
obedientiæ*, tam Doctoribus seu Scholasticis,
quàm aliis quibuscumque *præcipit, ut tam in
libris imprimendis, ac manuscriptis, quàm in the-
sibus, disputationibus ac prædicationibus, caveant
ab omni censura & nota, necnon à quibuscumque
convitiis contra eas propositiones quæ adhuc in-
ter Catholicos hinc inde controvertuntur, donec
à Sancta Sede recognitæ, super iisdem propositio-
nibus judicium proferatur.* Et Innocentius XII.
in Brevi dato Romæ 6. Febr. 1694. Episcopis
injungit *ne ullâ ratione quemquam vagâ istâ ac-
cusatione & invidioso nomine Jansenismi traduci
aut nuncupare sinat, nisi prius suspectum esse legi-
timè constiterit, aliquam ex quinque propositioni-
bus docuisse aut tenuisse.*

Sed quia nihil palpabiliùs ostendit laxioris 11
Ethices mala, quàm illius exhibitio, ideò pro-
feremus specimen aliquod illius, earum scilicet
propositionum, quæ in sequentibus confutan-
tur, quæque pluribus eximiæ virtutis ac sapien-
tiæ Viris videntur christianæ vitæ plus nimio
relaxativæ; ut vel hinc appareat, quibus præci-

pitiis & corruptelis obnoxius sit modus opinandi, alienus ab Evangelica simplicitate, sanctorumque Patrum traditione. Earundem verò opinionum Authores aliquos exprimo, non ut in invidiam traham, sed ne Platonicas ideas videar comminisci, fingereque dogmata, quæ nullus asseruerit. Aliàs protestor me omnes venerari, illos etiam quos sua opinio fefellit, sciens quòd sapiens non semper sapit, quòdque quandoque bonus dormitat Homerus, denique quòd & ego homo sum, & humani nihil à me alienum puto. Enimverò verè ubique, & per omnia scribere solius sacræ paginæ prærogativa est. Et, *si Paulus ex parte cognovit: quantùm ego possum*, inquit Ambrosius in illud 1. Cor. 13. *Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus?* Ideò Nicolaus du Bois, Franciscus Verde, & Filgueyra, in speciali sua explicatione propositionum ab Alexandro VII. proscriptarum, irreprehenso calamo, nomina protulerunt Authorum, qui propositiones illas docuerunt.

CAPUT II.

Schema complurium opinionum, quæ viris sapientibus videntur Christianæ vitæ plus æquo relaxativæ, atque à Regulis Evangelicis, Ecclesiasticisque, & à Sanctorum Theologia alienæ.

12 PAratum erat schema plusquam mille ducentarum ejusmodi opinionum: sed ne præsens Caput inde nimiùm excresceret, visum est earum præcipuas duntaxat hîc exhibere; reliquas verò in operis decursu. Authorum tamen nomina suppressissem, nisi rationes in fine Capitis præcedentis allegatæ contrarium suasissent; hoc præsertim sæculo, in quo illi ipsi, qui nominari non amant, sibi contradicentium nominibus non solùm non parcunt, sed & opiniones ipsorum, sub odiosa larva, non satis fideliter exhibent; suas verò, vel suorum, certissimè tales, vel tales esse pernegant, vel eas sincerè non repræsentant, quales reverà sunt.

Opiniones de Doctrina et Probabilitate.

1. Quæ circa fidem emergunt difficultates, eæ sunt à veteribus hauriendæ; quæ verò circa mores homine Christiano dignos, à novitiis Scriptoribus. Reginaldus præfat. ad Lectorem.

2. In materia morum pluris faciendæ sunt Juniorum opiniones, quàm Veterum; immò, si absit invidia & præjudicium, tota Moralis Theologia nova est. Caramuel Theol. fundam. n. 197. juncto n. 1268. Edit. Francof.

3. Doctoris junioris & moderni censenda est probabilis opinio, dum non constet esse rejectam ab Apostolica Sede. Rocafull. in praxi to. 2. p. 3. c. 2. n. 20.

4. Quod Doctores docent libris impressis, velle censetur Ecclesia, si non reclamet. Baunius Th. mor. tr. 6. n. 312.

5. Hoc ipso quòd Ecclesia scit suas leges sic vel sic à gravibus Doctoribus explicari, & eorum explicationes permittit publicè imprimi & doceri, censetur suum præceptum secundùm eas moderari. Mascar. tr. 5. n. 491.

6. Ex authoritate unius tantùm potest quis opinionem in praxi amplecti, licèt à principiis intrinsecis falsam & improbabilem æstimet. Verricelli qq. mor. to. 1. tr. 2. q. 4.

7. Impossibile est peccare eum, qui sequitur opinionem probabilem. Caramuel in Reg. S. Bened. l. 1. n. 66.

8. Clarum & certum est, Superiorem non posse punire aliquem, qui secutus est opinionem probabilem. Idem Th. fundam. n. 773.

9. Licitum est operari ex opinione probabili, quantumvis tenuis sit probabilitatis, sive extrinsecæ, sive intrinsecæ, etiam relictâ probabiliori, etiam tutiori, etiam communi, etiam in articulo mortis. Tamburinus in Decal. l. 1. c. 3. sect. 3. n. 3.

10. Satis est, in omnibus casibus constare probabiliter opinionem esse probabilem..... quia dum probabiliter puto, hoc est probabile, satis prudenter illud judicium sequor. Idem ibidem n. 8.

11. Infidelis, cui nostra fides proponitur ut probabilior, sive ut magis credibilis, dum sua secta adhuc apparet ei credibilis, potest in ea permanere, etiam in articulo mortis. Dancius in select. disp. 19. n. 9.

12. Probabile est Judicem posse judicare juxta opinionem minùs probabilem. Castro Palao tr. 1. disp. 2. p. 10. n. 7. Escobar Th. mor. to. 1. l. 2. sect. 2. c. 6. problem. 14.

13. Ubi æqualis est utrimque probabilitas, Judex potest rem cui maluerit adjudicare. Caramuel Th. mor. l. 3. n. 1467.

14. In æquali causa Judex ab una parte pecuniam accipere potest, ut sententiam in ejus favorem ferat, saltem ubi non est lex positivè in contrarium. Fagundez in Decal. to. 2. l. 8. c. 26.

15. Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relictâ tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententiâ probabili tantùm utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis. Maillot in Thesi Antuerpiæ in Colleg. Soc. defensa anno 1673. concluf. 15.

16. Existimo probabilius esse, licere in Sacramentorum administratione uti opinione minùs probabili, relictâ probabiliori, ac tutâ, non obstante irritandi Sacramenti periculo: Sanchez l. 1. c. 9. n. 33.

17. Confessarius potest, immò tenetur absolvere pœnitentem, secundùm opinionem aliorum probabilem, etiamsi eam speculativè improbabilem censeat. Layman. l. 1. tr. 1. c. 5. §. 2. n. 10.

De Peccatis.

18. Nullus actus humanus peccatum est, qui non impingit evidenter in aliquam legem 13

obligatoriam evidenter. Caramuel Th. fundam. Edit. Francof. n. 275. & 277. ubi asserentem quidpiam illicitum, ad tria omninò præstanda obligat. Primò debet (inquit) ostendere rationes, quæ malitiam probant, demonstrativas esse. Secundò, debet ostendere rationes in oppositum non esse probabiles. Tertiò, debet ostendere oppositam opinionem non habere sufficientes Authores ut sit probabilis.

19. Advertentia (malitiæ) actualis necessaria est, ut ignorantia malitiæ censeatur vincibilis, nec excuset. Sanchez op. mor. l. 1. c. 16. n. 21. aliique plures, aientes id verum esse, tametsi possim & debeam actu advertere, culpaque mea sit quòd actu non advertam.

20. Tametsi initio causam culpabilem dederim oblivioni, vel inadvertentiæ, oblivio equidem reducitur ad ignorantiam invincibilem, si periculum non advertit. Sanchez n. 30. & 31.

21. Si peccatores perfecti & consummati, nec lumen, nec remorsum habeant, quando blasphemant, vel suis se impudicitiis immergunt, si nullam habeant mali cognitionem, hisce actionibus non peccant, nec gratiam habent sufficientem, quâ peccata ista vitare queant. Apologia Casuistarum pag. 38.

22. Comedere & bibere usque ad satietatem, absque necessitate, ob solam voluptatem, seu delectationem cibi & potus, modò non obsit valetudini, nullum est peccatum. Quia licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui. Escobar tr. 2. exam. 2. n. 102.

23. Copula conjugalis, habita voluptatis fine, ad castitatem spectat; & cùm ut sic non sit veniale peccatum, nec actus indifferens: erit ergo actus virtutis. Dancius in select. disp. 6. n. 5.

24. Ornatus corporis, si fiat non malo fine, sed ob naturalem fastûs inclinationem, aliquando nullum est peccatum. Escobar tr. 1. exam. 8. n. 5.

25. Non apparet, cur non liceat operari præcisè propter honorem, cum debita moderatione. Burghaber Centur. 1. select. Casu 40. ad 4.

26. Licitum est Concionatoribus primarias ambire cathedras, ob finem perveniendi ad Episcopatum, per viam reputationis & meritorum. Anonymus in difficultatibus propositis Illustrissimo D. Archiepiscopo Rothomagensi.

27. Sæpè cibo & potu implere se ad vomitum, & hunc ideò subinde procurare, ut iteratò comedere & bibere possit, non peccat mortaliter, secluso scandalo & aliis. Burghaber Casu 64.

28. Etiamsi eventus mali soleant esse frequentes ei qui inebriatur; si tamen tempore quo inebriari voluit, non habuit ullum dubium, aut cogitationem de illis, nec in specie, nec in genere, minimè imputantur culpæ. Sanchez l. 1 in Decal. c. 16. n. 42.

29. Sodomia ex suo genere minus peccatum est furto triginta regalium. Vasquez in 1. 2. q. 72. a. 4. §. ult.

30. Licitum est cuilibet lupanar ingredi, ad odium peccati ingerendum meretricibus, etsi metus sit, & verò etiam verisimilitudo non parva, se peccaturum, eò quòd malo suo sæpè sit expertus, blandis se mulierculorum sermonibus flecti solitum ad libidinem. Baunius Th. mor. p. 1. tr. 4. de pœnit. q. 14. cum Castro Palao & Salas.

31. Etiamsi peccandi occasio sit quasi certa, non est necessariò deserenda, si pœnitens eam deserere non possit, quin sermonem populo det, & incommodi aliquid accipiat. Baunius in Sum. p. 1083. & 1084.

32. Docent pariter Theologi, non esse dimittendam professionem, in qua periculum est Deum sæpiùs offendendi, animamque suam perdendi, si professio ista facilè dimitti non possit. Apologia Casuist. p. 48.

33. Quando justæ & rationabiles causæ non tollendi prædictam occasionem subsistunt, etiamsi sæpè reincidat pœnitens, non cogendus est illam tollere occasionem. Dicastillo tr. 8. de pœnit. disp. 10. dub. 29.

34. Causa ad id justa est, quando occasio proxima deseri non potest absque gravi damno in fama, honore, pecuniis. Baunius Th. mor. tr. 4. de pœnit. q. 14. n. 93.

35. Si iveris ad talem domum decies, & quinquies peccaveris, quinquies non peccaveris, est probabile, si revertaris, te peccaturum esse, & æquè probabile, te non peccaturum esse. Ergo non est periculum proximum. Si octies iveris, & septies peccaveris, & semel non peccaveris, est probabilius te peccaturum esse; est tamen probabile te peccaturum non esse. Porrò occasio, seu periculum, ut censeatur proximum, debet esse evidens.... Si enim tantùm sit probabile, periculum morale non est. Nam probabiliter etiam censere poteris periculum nullum subesse. Bassæus to. 2. verbo *absolutio* n. 22. post Caramuelem.

36. Liquidò scio, crebrò fieri, præsertim inter plebeïos & rusticanos, ut eodem in lecto aliquot horas induti, & exuti, cubent (homines diversi sexûs) & tamen nihil omninò impudicum agant, vel nonnisi oscula, & turpes attrectationes exerceant. Unde judico, non posse à Confessario negari absolutionem omnibus illis puellis plebeiis.... quæ non videntur habere propositum, nunquam ampliùs admittendi in lectum procum suum. Gobat to. 3. tr. 5. c. 32. n. 19. & 20.

De Legibus & Præceptis Ecclesiæ.

37. Populus non peccat, etiamsi sine ulla causa non recipiat legem à Principe promulgatam. Escobar Th. mor. to. 1. l. 5. sect. 2. c. 14. problem. 13.

38. Ecclesia actus internos non potest præcipere. Escobar tr. 1. exam. 12. c. 1. n. 2.

39. Qui voluntariè est toto tempore Sacri distractus, modò sibi sufficienter præsens sit, ut Sacro cum externa devotione assistat, satisfacit Ecclesiæ præcepto. Coninck de Sacram. q. 83. a. 6. dub. un. n. 302.

40. Verè implet audiendi Sacri præceptum, qui illud ex contemptu audit. Sanchez l. 1. c. 3. n. 13. vel qui solùm interest feminæ videndæ & concupiscendæ gratiâ. Azor. Instit. mor. l. 7. c. 6.

41. Canonici, aliique Beneficiati, satisfaciunt, qui tempore divinorum assistentes choro, tempus transigunt in fabulationibus scandalosis, & occupationibus vitiosis, v. g. ridendo, cachinnando, &c. Baunius c. 18.

42. Licitum est ad feras in remoto nemore venandas egredi die Sabbathi, cum prævisione Sacri Dominicâ die omittendi. Tamburinus l. 4. c. 2. cum Gobat, &c.

43. Qui pridie festi opplet se vino, prævidens fore, ut, propter ægritudinem, ex sua intemperantia orituram, nequeat die festo audire Sacrum, solùm delinquit contra temperantiam, non contra præceptum de Sacro audiendo. Gobat de Sacram. tr. 5. n. 425. cum Henriquez.

44. Similiter dicendum de illo qui per intemperantiam facit se ineptum ad dicendum sequenti die Officium Canonicum. Becanus tr. 2. c. 3. q. 6.

45. Habens privilegium faciendi Missam legi in Oratorio domûs suæ, dum festo die, ob infirmitatem, nequit domo exire, non tenetur facere Missam dici in Oratorio suo, ut audiat eam. Gobat n. 350. cum Suarez.

46. Potest brevissimo temporis interstitio Missa audiri, si v. g. in quatuor altaribus variæ Missæ proportionatâ temporis anterioritate sic celebrentur, ut dum una inchoatur, secunda tunc ab Evangelio in Consecrationem procedat, tertia à Consecratione in Consumptionem, quarta à Consumptione usque ad terminum. Escobar tr. 1. exam. 11. Edit. Lugdun. anni 1646.

47. Ecclesiasticum præceptum Eucharistiæ omninò censeo impleri etiam per sacrilegam manducationem. Amicus to. 8. disp. 29. sect. 5. n. 15. Estque magis communis & probabilior sententia. Dicastillo tr. 4. de Euchar. disp. 10. dub. 8. n. 175.

48. Probabiliter asseritur, invalidâ Confessione præcepto satisfieri. Quia Ecclesia internos actus non potest præcipere, sed solùm externum Confessionis. Escobar tr. 1. exam. 12. c. 3. n. 27.

49. Cessante dispensationis causâ, dispensatio non cessat, si concessa fuerit sine ulla limitatione. Salas de leg. disp. 20. sect. 5. n. 63. & Granadus apud Busembaum l. 1. tr. 2. c. 4. inde inferens, quòd ille, cum quo dispensatum est in esu carnium, propter morbum, potest iis vesci, licèt omninò convaluerit. Cum quo, propter oculorum infirmitatem, dispensatum fuit in onere recitandi Horas, non tenetur eas legere, etsi convaluerit, &c.

De Præceptis Theologicarum Virtutum.

50. Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei, & charitatis, ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium. Tamburinus l. 2. c. 1. §. 1. n. 9. & 10. Et c. 3. §. 2. n. 2.

51. Satis est actum fidei semel elicuisse in vita. Idem c. 1. §. 1. n. 8.

52. Adultus ratione utens, si in infantia baptizatus fuerit, sine fide actuali salvari potest. Suarez disp. 12. de necess. fid. sect. 2. n. 10.

53. Fides actualis explicita de Trinitate, aut Christo, nec ante, nec post legem gratiæ, necessaria est necessitate medii. Darellus in Thesi Anglo-Leodiensi de die 10. Novembris 1692.

54. Quibusdam hominibus fides non est necessaria tam firma, ut dubitare non possint inculpatè, etiam de iis mysteriis, quæ credenda proponit Ecclesia. Estrix diatriba Theol. de fide pag. 88.

55. Deus præcipiendo sui amorem, satis habet, si sibi in aliis mandatis pareamus. Sirmondus in defens. virtut. pag. 16.

56. Præceptum amoris Dei per se tantùm obligat in articulo mortis. Vasquez apud Escobar tr. 1. exam. 2. n. 21.

57. Ante legem gratiæ .... longè frequentiùs sub lethali culpa tenebantur homines Deum ex charitate super omnia diligere, quàm Christiani in nova lege. Molina de just. & jur. tr. 5. disp. 59. n. 5.

58. Potest contingere, ut salvetur homo, qui omnia Dei mandata sæpissimè violavit, & nunquam implevit primum mandatum diligendi Deum; si nempè homo ille suscipiat Sacramentum Pœnitentiæ cum sola attritione, & statim moriatur. Slaughter Anglo-Leodiensis in Dictatis publicis de Pœnit. p. 2. disp. 4. sect. 6. in solut. 1. object.

59. Christus suo nos sanguine liberavit à necessitate serviendi Deo ex amore, ad meritum vitæ æternæ. Sirmondus loco cit. tr. 2.

De Præceptis Decalogi, atque imprimis de primo: Dominum Deum tuum adorabis, &c.

60. Ignorans vincibiliter Deum esse, à peccato nihilominus excusari potest quòd eum non colat, etiam dum suboritur ei dubium de Deo, omittitque inquirere. Arriaga disp. 2. de Deo sect. 3.

61. Prudentia humana, viribus naturæ derelicta, probabilissimè crederet dari plures Deos. Caramuel Th. mor. n. 1559. Ergo (infert Sinnichius) probabilissimè coleret: sicque hominibus, suæ naturali prudentiæ relictis, licitus esset polytheismus.

62. Atheus probabiliter existimans Deum non existere, ad Dei cultum sub peccato non tenetur. Ibidem n. 1035.

63. Idololatria potest, ad aliquod saltem tempus, per ignorantiam invincibilem excusari. Valentia to. 2. disp. 6. q. 6. p. 1.

64. Licitum est Christianis, rationabili causâ interveniente, coram idolo exhibere actus reverentiæ & cultus, iis in locis ubi ex recepta institutione, & lege idololatrica, ad idolum referuntur; dummodò manu gestent, vel in altari, inter flores, Crucem abscondant, ad quam ipsi suam intentionem, & cultum dirigant, non ad idolum. Missionarii quidam Sinenses

nenſes è Soc. apud Thomam Hurtadum in calce Reſolut. Orthod. Moral. Qua de re fidem quoque facit epiſtola ſanctæ memoriæ Joannis de Palafox Epiſcopi Angelopolitani ad Innocentium X.

65. Quandonam obligat naturale præceptum orandi vel adorandi Deum? .... ſentio.... non dari certum tempus & determinatum, quo directè obligat, ſed ſolùm quo obligat indirectè. Tamburinus l. 2. c. 4. §. 2. n. 4.

De ſecundo Præcepto : Non aſſumes nomen Domini, &c.

66. Vocare Deum in teſtem mendacii levis, non eſt tanta irreverentia, propter quam velit, aut poſſit damnare hominem. Baunius in Sum. pag. 65. Edit. 15.

67. Cum cauſa licitum eſt jurare ſine animo jurandi, ſive res ſit levis, ſive gravis. Tamburinus l. 1. c. 3. §. 2. n. 1.

68. Si quis vel ſolus, vel coram aliis, ſive interrogatus, ſive propria ſponte, ſive recreationis causâ, ſive quocumque alio fine, juret ſe non feciſſe, quòd reverà fecit, intelligendo intra ſe aliquid aliud quod non fecit, vel aliam viam ab ea in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, reverà non mentitur, nec eſt perjurus. Sanchez op. mor. p. 2. l. 3. c. 6. n. 13.

69. Cauſa utendi his amphibologiis eſt quoties id neceſſarium, aut utile eſt, ad ſalutem corporis, honorem, vel res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio cenſeatur tunc expediens & ſtudioſa. Sanchez ibidem.

70. Qui mediante commendatione, vel munere, ad Magiſtratum, vel Officium publicum promotus eſt, poterit cum reſtrictione mentali, præſtare juramentum, quod de mandato Regis à ſimilibus ſolet exigi, non habito reſpectu ad intentionem exigentis. Quia non tenetur fateri crimen occultum. Leſſius l. 2. de juſt. c. 42. dub. 9. n. 48.

71. Licitum eſt, tam in judicio, quàm extra, jurare falſum, cum reſtrictione mentali, in mente jurantis, efficiente ſenſum verum, non habito reſpectu ad intentionem ejus qui petit juramentum. Leſſius c. 31. dub. 3. n. 14. Filiutius tr. 25. c. 1. n. 236. Sanchez ſupra n. 31. & 32. ea inde inferens quæ horrorem piis mentibus incutiunt.

72. Negare verbis Deum, proferreque verba blaſphemiæ, ex cholera & indignatione contra proximum, abſque motu indignationis in Deum, formalique intentione Deum inhonorandi, non eſt mortale peccatum. Baunius in Sum. c. 6. p. 66. 67. 68. 69.

73. Si pœnitens dicat, ſe ex choleræ impetu, vel indignationis contra proximum, non contra Deum, dixiſſe *per caput, per ventrem, per mortem Dei, &c.* judicari poterit non peccaſſe niſi venialiter. Baunius ibidem. Sanchez, Arſdekinus, &c.

74. Soli illi rei ſunt mortalis blaſphemiæ, qui blaſphemiæ verba proferunt ex intentione formali faciendi contumeliam, opprobrium, & inhonorationem Deo, vel Chriſto, vel ſanctiſſimis membris ipſius. Idem ibidem.

De tertio Præcepto ſanctificandi Sabbathum, &c.

75. Non eſt mortale, laborare quinque vel ſex circiter horis die feſto. Paſqualigus deciſ. 300.

76. Si herus, habens duodecim famulos, in die feſto injungat eis laborem integri diei, ſingulis aſſignans duas horas, ſucceſſivè ac diviſivè, non peccat mortaliter. Tamburinus apud Sinnichium in Saüle l. 1. n. 401.

77. Licitum eſt die feſto laborare, ob notabile lucrum, aliàs non obventurum. Paſqualigus deciſ. 285. Hinc Tamburinus l. 4. c. 2. §. 1. n. 13. excuſat ſutores, die feſto laborantes, ne alioqui facilè à pleriſque ordinariis parochianis ſuis deſerantur.

78. Non eſt ſimonia, pacto expreſſo ſe obligare ad aliquid temporale pro ſpirituali conferendum ex gratitudine. Tannerus to. 3. diſp. 5. q. 8. dub. 3. n. 76.

79. Dare temporale pro ſpirituali non eſt ſimonia, quando temporale non datur tanquam pretium, ſed duntaxat tanquam motivum conferendi vel efficiendi ſpirituale, vel etiam quando temporale ſit ſolùm gratuita compenſatio pro ſpirituali, aut contrà. Valentia, Tannerus, Vidal, Pontius, &c. apud Guimenium tr. de ſimonia propoſ. 1.

80. Et id quoque locum habet, etiamſi temporale ſit principale motivum dandi ſpirituale; immò etiamſi ſit finis ipſius, ſic ut pluris æſtimetur quàm res ſpiritualis. Tannerus loco citato.

81. Poteſt quis conferre ſpirituale propter temporale principaliter tanquam propter finem, non ipſius rei ſpiritualis (quaſi temporale plus ab eo æſtimetur quàm ſpirituale) ſed tantummodò voluntatis, ſeu applicationis animi ad actum conferendi ſpirituale. Et tunc, licèt interveniat pactum, non eſt ſimonia. Valentia to. 3. diſp. 1. q. 16. p. 3.

82. Licitum eſt pecuniam, aut obſequium, conferre in Epiſcopum, causâ conciliandi ejus amicitiam, ut ita demùm inducatur ad conferendum beneficium digno. Valentia pag. 1986.

83. Simoniacus non eſt, neque ſimoniâ reali, neque conventionali, neque mentali, qui Epiſcopo pecuniæ ſummam promittit, etiam ſcripto, hac conditione, ut beneficium ipſi conferat, dummodò promittens non habeat intentionem perſolvendi, ſed Epiſcopum decipiendi per fictam illam promiſſionem. Valentia pag. 2005. Apologia Caſuiſtarum pag. 64. Leſſius, Suarez, Layman, Palao, &c.

84. Non eſt contra juſtitiam beneficia eccleſiaſtica non conferre gratis. Quia collator, conferens illa beneficia eccleſiaſtica, pecuniâ interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, ſed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur. Candidus to. 1. de benef. diſquiſ. 18. a. 39. dub. 3.

De quarto Præcepto : Honora patrem & matrem.

85. Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non ut malum patris, sed ut bonum cupientis ; quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas. Castro Palao to. 1. tr. 6. disp. 4. p. 1. n. 11. Censetque satis probabile Tamburinus l. 5. in Decal. c. 1. §. 3. n. 29. 31. 32. 33.

86. Similiter subditus licitè potest mortem cupere sui Prælati, ut prælaturæ ipse succedat, vel ut ab eo Prælato sibi infenso liberetur. Tamburinus c. 2. §. 2. n. 17.

87. Licitum est filio gaudere de parricidio parentis à se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas. Fagundez apud Gobat id speculativè probantem to. 3. tr. 5. c. 9. sect. 8. n. 54. & 55.

88. Non potest pater compellere filium ut sibi ministret, nec ut secum habitet. Simon de Lessau de 4. præcept. Decal. a. 3.

89. Si filius recognoscere nolit patrem, non ex contemptu, sed ad vitandum aliquod incommodum, aut erubescentiam, à mortali culpa esset excusandus. Tamburinus ibidem.

90. Probabile est, & tutum, quòd filii possint licitè matrimonium inire, etiam cum indignis, absque consensu parentum, immò ipsis dissentientibus. Tamburinus §. 3. n. 5.

91. Si statuit Evaristus Papa, ut pro nupta nequaquàm habeatur puella, quam pater ipse non desponsat : Si Leo Pontifex & Ambrosius aiunt, non esse virginalis pudoris maritum eligere, sed judicium parentum esse exigendum : Si in sacris Scripturis parentibus tribuitur hoc munus : Si S. Paulus expressè docet, à parentibus tradendas esse filias nuptui : Si multa sanctarum Scripturarum exempla id manifestè demonstrant. Respondeo cum Sanchez inde probari, quòd esset honestum ejusmodi consilium à parentibus exigere ; non quòd mortale peccatum esset secùs facere. Ibidem n. 6.

De quinto Præcepto: Non occides.

92. Fas est viro honorato occidere invasorem, qui alapam nititur impingere, ut ignominiam inferat, si aliter hæc ignominia vitari nequit. Lessius l. 2. c. 9. n. 77.

93. Qui colaphum accepit, potest percussorem fugientem insequi, & occidere. Henriquez l. 14. n. 10. Azorius, Filiutius, Escobar, & Apologia Casuistarum p. 91.

94. Alapâ percussus censetur tamdiù honore privatus, quamdiù adversarium non interimit. Escobar tr. 1. exam. 7. n. 45.

95. Licitum est viro honorato occidere contumeliosum, ipsi dicentem, *Mentiris*. Escobar ibidem cum Baldello.

96. Non solùm vitam, sed etiam bona temporalia, quorum jactura esset damnum gravissimum, licitum est defensione occisivâ defendere.... Fatemur rariùs id licitum esse Ecclesiasticis.... Si tamen aliquando futurum contingat tale malum (id est gravissimum damnum) etiam ipsis licitum erit, bona ista occisione furis defendere. Robertus Stephani, Jesuita, in Thesibus defensis in Seminario Leodiensi 3. Octobris 1699. & 28. Julii 1700. Nec damnatam istam propositionem corrigere voluit post illius prohibitionem factam à Generali Conventu Cleri Gallicani anno illo 1700.

97. Ubi est scripta expressa permissio à Deo, ut Reges & Respublicæ possint interficere reos? An est in Scriptura? An in Traditione? Estne fidei articulus? Si solo lumine naturali eò ducimur; patere ut eodem lumine naturali judicemus, quid cuique privato liceat in occidendo aggressore, non solùm vitæ, verùm & honoris, & rei familiaris. Apologia Casuistarum pag. 87. & 88.

98. Regulariter possum occidere furem pro conservatione unius aurei. Escobar tr. 1. exam. 7. cum Molina. Tamburinus l. 6. c. 10. §. 2. n. 2.

99. Licèt res sit parvi momenti, si tamen ex eo quòd dominus illius non eripiat eam de manibus latronis, illi vertatur dedecori, & ille sit homo dignus honore in populo, potest illum latronem occidere, cùm aliud non restat remedium. Escobar ibidem, & Lessius c. 9. n. 68. exemplificans in pomo.

100. Licita est occisio ejus, qui impedit iniquè meos creditores, ne mihi satisfaciant. Lessius ibidem dub. 11. n. 75.

101. Licita quoque occisio ejus, qui falsâ accusatione, vel falso testimonio me fortunis conatur evertere, si alia ratio impediendi non suppetat. Ibidem.

102. Licitum est Clericis & Religiosis, occidere ad defensionem, non modò vitæ, sed etiam bonorum, aut suorum, aut suæ Societatis. Tannerus tr. 2. d. 4. q. 8. dub. 2. n. 76.

103. An omnibus personis licitum sit in tutelam honoris invasorem occidere? Negant id concessum Clericis & Religiosis DD. communiter. Negari tamen non potest, quòd honorem famamque, quæ ex virtute ac sapientia nascitur, quique verus honor est, justè defendere Clerici aut Religiosi valeant, ac sæpè debeant... etiam cum morte invasoris. Amicus to. 5. disp. 36. sect. 8. n. 118.

104. Unde licebit Clerico, vel Religioso, calumniatorem, gravia crimina de se vel sua Religione spargere minantem, occidere, quando alius defendendi modus non suppetit, uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus ea vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni publicè, ac coram gravissimis viris impingere, nisi occidatur. Ibidem. Istam verò *Amici doctrinam solam esse veram, & oppositam improbabilem, censemus omnes docti*, ait Caramuel Th. fundam. fund. 55. §. 6. p. 544.

105. Probabilis est doctrina, quæ dicit Religiosum, qui fragilitati cedens feminam vilem cognovit, posse eam occidere, si hæc honori ducens se prostituisse tanto viro, rem enarret, & ipsum infamet. Doctrinâque istâ posset uti Religiosus, & pellicem occidere, ne se infamaret, &c. Caramuel ibidem §. 7. p. 551.

106. Licitum

106. Licitum est innocenti duellum acceptare & offerre, ad vitam, honorem, & res familiares in notabili quantitate tuenda, quando constat omninò injustè & per calumniam actorem procedere, & certum omninò est fore ut innocens hæc amittat, nec aliud sibi evadendi remedium suppetat... Imò benè Navarra... ait, teneri innocentem non acceptare duellum, nec indicere, si potest occultè illum occidendò, id vitæ, honoris, rerum familiarium periculum evadere. Quippe sic proprium periculum in duello imminens vitabit, & peccatum actoris offerentis, aut acceptantis duellum. Sanchez l. 2. in Decal. c. 39. n. 7.

107. Vir equestris ad duellum provocatus, potest illud acceptare, ne timiditatis notam incurrat. Hurtadus apud Dianam p. 5. tr. 19. resol. 59.

108. Licitum est procurare abortum ante animationem fœtûs, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur. Herellus in prælectionibus dictatis in Collegio Claromontano.

De sexto Præcepto: Non mœchaberis.

109. Copula soluti cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium; adeòque sufficit ipsi in Confessione dicere, se esse fornicatum. Novi quidam Casuistæ apud Gonet in dissert. de probabilit.

110. Si puella, ob evidens periculum gravissimi mali, v. g. mortis, aut ingentis infamiæ, non adhibeat omnia media quæ potest, ad vim propulsandam, fornicatio non imputatur illi ad peccatum, seclusò consensu in illam. Joan. Bapt. Taverne Theol. p. 1. tr. 10. c. 3. §. 1.

111. Potuisset Susanna (de qua Daniel. 12.) in tanto metu infamiæ, mortisque, negativè se habere, ac permittere in se eorum (senum) libidinem, modò interno actu in eam non consensisset, sed eam detestata & execrata fuisset. Quia majus bonum est vita & fama, quàm pudicitia. Unde hanc pro illa exponere licet... Itaque non tenebatur ipsa exclamare, sed poterat dicere: *Non consentio actui, sed patiar & tacebo, ne me infametis, & adigatis ad mortem.* Cornelius à Lapide in cap. 13. Daniel. v. 22. & 23.

112. Licitum est mutuo dare alteri nummos, aut cubiculum commodare, petenti ad fornicandum. Sanchez in Sum. l. 1. c. 7. n. 31. Escobar tr. 1. exam. 8. n. 98.

113. Mulieres non peccant mortaliter, quæ se præbent conspiciendas adolescentibus, à quibus se credunt turpiter concupiscendas, si hoc faciant... ne se privent libertate vel jure exeundi domo, vel standi ad ostium, vel fenestram. Simon de Lessau, citatus in Facto Curatorum Ambianensium de 27. Julii 1658.

114. Non peccant etiam mortaliter, dum superfluis se vestibus ornant, vel tam exili veste utuntur, ut earum ubera videantur; imò nec dum ea nuda exponunt secundùm patriæ morem, absque prava intentione. Idem ibidem.

De septimo Præcepto: Non furtum facies.

115. Probabile est.... in gravi necessitate morbi, famis, nuditatis, posse te clanculùm surripere ab opulentis, si aliter grave illud malum avertere nequeas. Lessius l. 2. c. 12. n. 12.

116. Qui militem precibus induxit ad inferendum tertio damnum, v. g. ad incendendam ipsius aream, milite non restituente, de suo damnum istud non tenetur restituere. Baunius in Sum. c. 13. pag. 307. & 308. Edit. 6.

117. Fur non tenetur restituere cum amissione sui statûs, etiamsi statum illum injustè acquisierit. Burghaber Centur. 1. Casu 10.

118. Quando quis ita eget, & alter ita abundat, ut qui abundat teneatur opitulari illi qui eget, potest ille qui eget occultè & bono modo rem alterius accipere sine peccato, & obligatione restituendi. Longuetius in dictatis traditis in Collegio Ambian. Soc. ad præcept. 7. q. 11.

119. Id quod Judex pro justa accepit sententia restituere tenetur; non verò id quod accepit pro sententia injusta. Honoratus Fabri in Apol. Soc. pag. 275.

120. Si Ariolus nullam operam apposuit, ut arte diaboli id sciret, quod nullo alio pacto sciri potuit, sive effectus evenerit, sive non, tenetur pretium restituere danti.... Si verò operam suam adhibuit, ut arte diaboli id sciret, non tenetur restituere, etiam dum res non ita evenit. Sanchez in Sum. l. 2. c. 38. n. 96.

121. Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur, tanquam ex benevolentia & gratitudine debitum, sed solùm si exigatur ut debitum ex justitia. Escobar tr. 3. exam. 5. n. 3. 4. 33. & 44.

122. Chyrographum seu debitum liquidum, 100. fl. v. g. cessante omni interesse periculoque & difficultate solutionis, potest minoris emi, si debitum sit immaturum, seu solvendum in futurum. Emmanuel Sa verbo *debitum* n. 20.

123. Qui fecit contractum usurarium, bonâ fide credens justum, potest tantum lucri retinere, quantum acquisisset alioquin per contractum justum. Idem verbo *usura* n. 8.

De octavo Præcepto: Non loqueris contra proximum, &c.

124. Ad tormenta, damnaque gravia vitanda, potest quilibet sibi falsum crimen imponere, etiamsi mors inde sit secutura. Tamburinus l. 9. c. 3. §. 6. n. 6.

125. Quidni nonnisi veniale sit, detrahentis authoritatem magnam, tibi noxiam, falso crimine elidere? Gaspar Hurtado, & Dicastillus apud Caram. Th. fundam. p. 550. Apologia Casuist. p. 127. 128. 129.

126. Si alio modo te ab injusto teste tueri nequeas, nisi falsa crimina ipsi objiciendo, probabile mihi est, si id facias, non peccare contra justitiam, unde nec obligari ad restitutionem.... Incertum mihi est, an id possit fieri

licitè sine ulla culpa. Tamburinus c. 2. §. 2. n. 4. alibi docens, agendi libertatem, in ejusmodi incertitudine, esse in possessione. Quia libertas certa non potest ligari lege incerta. l. 1. c. 3. §. 7.

De nono & decimo Præcepto.

127. Si rusticus à viro existimato docto & pio audisset, fornicationem & furtum externa esse peccata, at licere fornicandi & furandi desiderium; quibusdam neotericis doctis videtur hanc ignorantiam minimè excusare.... At quamvis hoc probabile sit, probabiliùs tamen credo, illum actum internum excusari omninò à malitia, ratione illius ignorantiæ invincibilis. Sanchez l. 1. in Decal. c. 16. n. 16. & 17.

128. Interna voluntas perpetrandi omnia peccata venialia, non est lethaliter culpabilis. Granadus 1. 2. controv. 6. tr. 2. disp. 2. sect. 7.

De Sacramentis.

129. Urgens metus est causâ justâ Sacramen-
14 torum administrationem simulandi, v. g. proferendi verba Consecrationis, vel Absolutionis, absque intentione consecrandi, vel absolvendi, hostiam non consecratam pro consecrata porrigendi. Id probabiliter licitum putat Escobar Th. mor. to. 1. l. 1. sect. 2. c. 7. probl. 26.

130. Sacramentum publicè exhiberi potest peccatori publico, mortem, vel infamiam, vel grave fortunarum damnum alioquin minitanti, dummodò non petat ex contemptu Sacramenti, vel Religionis. Idem ibidem probl. 92.

131. Sacerdos, sive parochus, sive non, potest in mortali peccato celebrare, ut alii die festo Missam audiant, quamvis non teneatur in tali casu celebrare. Tamburinus l. 3. method. c. 5. §. 3. n. 15.

132. Qui sibi conscius peccati mortalis, ex mera malitia celebrat, sine Confessione, non tenetur præcepto. Trid. sess. 13. c. 7. de confitendo *quamprimùm*. Gobat tr. 3. n. 440.

133. Mandatum illud Tridentini non obligat sub mortali. Tambur. meth. commun. c. 1. §. 6. n. 49.

134. Attritio sufficiens ad recipiendam gratiam Baptismi, debet & non debet esse supernaturalis. Escobar tr. 2. l. 11. probl. 80.

135. Nullum datur divinum, nec ecclesiasticum præceptum recipiendæ Confirmationis. Escobar l. 2. probl. 31.

136. Nullum est præceptum recipiendi Extremam Unctionem, quamvis adsit opportunitas aut commoditas illius suscipiendæ. Gobat tr. 8. n. 816. cum Hurtado & Palao.

137. Per se loquendo ne venialiter quidem peccat, qui Extremam Unctionem volens & prudens omittit. Gobat ibidem.

138. Defectum Sacramenti Baptismi (ob materiæ vel intentionis baptizandi defectum) respectu infantium sine Baptismo morientium, quoad effectum gratiæ & gloriæ, supplet aliquando misericordia Dei. Mascarenhas tr. 1. de Sacram. in gen. n. 112.

De Sacramento Eucharistiæ.

139. Qui in Paschate communicavit indignè, satisfecit præcepto Ecclesiæ, nec tenetur iterùm communicare. Gobat tr. 4. de Sacram. n. 44. cum Tannero, Card. de Lugo, &c.

140. Qui in statu peccati mortalis, & non jejunus sumit Eucharistiam, non peccat duplici peccato, in Confessione explicando. Gaspar Hurtadus de Sacram. disp. 9. diffic. 1.

141. Verbis Tridentini sess. 13. c. 7. *Si Sacerdos, necessitate urgente, absque Confessione celebraverit, quamprimum confiteatur*, probabile est tradi consilium, non præceptum. Escobar Th. mor. l. 2. probl. 58.

142. Si quis, post debitum examen, legitimè confessus omnia mortalia, quorum habuit memoriam, posteà ante Communionem recordetur alicujus mortalis in Confessione oblìti, non tenetur pro illo ante Communionem redire ad Confessarium, licèt commodè possit. Ferrantinus de scandalo disp. 1. q. 80. n. 2. Tamburinus opusc. 2. c. 1. §. 8. n. 63.

143. Sacerdos qui pro pluribus Missis plura accepit stipendia, sed incongrua. Si aliud expressè non promiserit absque ulla coactione, potest illas Missas ad rationem justi stipendii reducere, ut se indemnem servet. Suarez & Tamburinus apud Vidal de just. inquis. 2. Et probabile censet Palao tr. 22. p. 14. n. 6.

144. Probabile est ne venialiter quidem delinqui ab eo, qui conscius plurium peccatorum venialium, sine ullo de illis dolore communicat, dummodò in iis actu non complaceat. Gobat tr. 4. n. 217. cum Tannero, Valentia, Rhodez, Sa, Vasquez, Suarez.

145. Præmissâ Confessione Sacerdos celebrare, & Laïcus communicare licitè potest, post habitam eo die copulam carnalem, vel pollutionem voluntariam, sive secum, sive cum complice, sive per fornicationem, sive per adulterium, sive per peccatum contra naturam, sive quocumque modo. Mascar. tr. 4. disp. 5. n. 284. cum Coninck, Hurtadò, Suarez, Azorio, Layman, &c.

146. Qui multoties sacrilegè communicavit, cum conscientia peccati mortalis, posteà conversus subitò recipit totam gratiam, quam recepisset, si toties dignè & fructuosè communicasset. Idem tr. 1. disp. 4. c. 5. n. 211. cum Suarez.

De Sacramento Pœnitentiæ.

147. Probabile est dolorem necessarium ad obtinendam peccatorum veniam in Sacramento Pœnitentiæ, non debere esse verum & realem, sed existimatum sufficere. Filiucius tr. 7. de Confess. c. 6. n. 150.

148. Probabile est ad valorem Sacramenti sufficere dolorem naturalem, modò accedens ad Sacramentum bonâ fide putet sufficienter se dispositum. Paulus Rosner in conclus. Theolog. de act. hum. p. 329.

149. Probabile est nullum extare præceptum de contritione, seu pœnitentia per se loquendo elicienda ante articulum mortis. Go-

bat n. 139. cum Suarez & Dicastillo.

150. Qui generaliter confitetur, potest, sine alia explicatione, admiscere nova, ab ultima Confessione commissa, cum antiquis, etiamsi id de rubore, vel de industria faciat, ne Confessario innotescat tempus, quo nova illa commisit. Tamburinus exped. Confess. l. 2. c. 1. §. 1. n. 2.

151. Si Confessario evidenter constet, pœnitentem mentiri (negando peccatum mortale commissum) si id Confessarius sciat tantùm viâ secretâ, post prudentem interrogationem tenetur judicare secundùm allegata & probata in illo foro. Filiucius to. 1. tr. 7. c. 12. n. 160.

152. Licitum est sacramentaliter absolvere dimidiatè tantùm confessos, ratione magni concursûs pœnitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnæ Festivitatis, aut Indulgentiæ. Sic à pluribus Religiosis Soc. in examine ad Confess. anno 1652. fuisse responsum, & à pluribus Sociis practicatum testatus est Illustrissimus Boonerius Archiep. Mechlin. in epist. ad S. Congregationem Cardin. de die 17. Julii 1654.

153. Regulares possunt & non possunt, in foro conscientiæ, uti suis privilegiis, quæ sunt expressè per Trid. revocata. Escobar l. 6. probl. 16.

154. Sufficit & non sufficit petere approbationem, ut Regularis, si injustè ei denegetur, censeatur jure approbatus. Idem l. 7. probl. 16.

155. Sacerdos ad absolvendum utens jurisdictione minùs probabili, non peccat. Sanchez l. 1. in Decal. c. 9.

156. Peccandi occasionibus praviśque habitibus irretiti, atque exinde in eadem sæpè flagitia labentes & relabentes, si non obstantibus omnibus quæ Confessario dixerunt & promiserunt, in eadem sese delicta licentiosiùs & flagitiosiùs projecerint, admittendine sunt ad Sacramentum, & an possint absolvi? Sunt qui tenent absolutionem ipsis ad tempus differendam. At non ea est opinio mea. Baunius in Sum. c. 46. pag. 717. & 718.

157. Iisdem Consuetudinariis, se de præteritis dolere, & abstinendi imposterùm sibi propositum inesse affirmantibus, credere debet Sacerdos, dignosque proinde esse absolutione toties quoties, quantumcumque nulla notetur emendatio. Quamvis etiam conjicere seu supponere liceat, ejusmodi dicta & promissa labiorum potiùs esse quàm cordis. Baunius ibidem.

158. Adolescenti, qui gravia ad Confessionem peccata adfert, maximè verò pollutiones crebras, tactus, &c. impartienda est absolutio toties quoties, si eum sincerè præteritæ vitæ pœniteat, statuatque libidini frænos injicere ac amodò non peccare (id est si hoc ad Confessarii pedes affirmet, uti apparebit ex propositione sequenti.) Baunius Th. mor. p. 1. tr. de pœnit. q. 15. p. 96.

159. Et quidem si aliquid operæ studiique ad correctionem præteritæ vitæ attulit, absolvendum illicò, nec remittendum ad tempus futurum puto. Quid si sæpè admonitus, nihilominùs non sapit? Quid si de emendanda vita promissa non fecit? Quid si in expurgando animo, tollendaque peccandi consuetudine non laboravit? Indignum eum esse, cui ad gratiam aditus per absolutionem pateat, dixere Ledesma & Lopes. Vera sententia, eaque tenenda, habet ne tunc quidem absolutionem ei negandam, dummodò dolore necessario sit instructus, & ad Confessionem vitæ melioris consilium adferat, de quo Sacerdoti (quantùm fas est homini) ex signis aut ejus ore voceque constet. Baunius ibidem cum Sanchez to. 1. Mor. l. 2. c. 32. n. 45. debet enim (inquit) pœnitentibus id de se affirmantibus credere. In Sum. c. 40. p. 717.

160. Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis futuræ spes nulla appareat, nec neganda, nec differenda est absolutio, si verè eum admissorum pœniteat, & emendandi sese propositum habeat. Baunius ibidem tr. 4. q. 22. pag. 100.

161. Adhuc post nullius emendationis experimentum.... absque voluntate tollendi occasionem.... potest quis absolvi. Dicastillo tr. 8. de pœnit. disp. 6. dub. 19. n. 354.

162. Non est necesse quòd Confessarius probabiliter judicet futurum, ut pœnitens se à peccatis abstineat. Filiucius to. 1. tr. 7. c. 12.

163. Imò debet ipsum absolvere, non obstante peccandi consuetudine, tametsi certò sciret ipsum relapsurum. Dicastillo disp. 21. n. 362.

164. Peccata in Confessione inculpabiliter oblita, vel ob justum vitæ periculum omissa, non tenemur in sequenti Confessione exprimere. Paulus Rosmer, Jesuita, Doctor Græcensis, tr. de Sacram. pœnit. dis. 3. n. 10.

165. Actus satisfactionis sacramentalis, ex fine mortaliter pravo elicitus, valet ad implendum Confessarii præceptum de satisfactione, dummodò ponatur substantia actus præcepti. Amicus to. 8. disp. 16. dub. 14. n. 37.

166. Si pœnitens nollet acceptare pœnitentiam, paratus in Purgatorio satisfacere, non ex hoc præcisè censendus esset indispositus, nec sine absolutione dimittendus. Quia opinio, quæ dicit pœnitentem non teneri acceptare pœnitentiam, etiam post Tridentinum, videtur probabilis. Quia non videtur Tridentinum damnare voluisse opinionem, quam doctissimi Viri sequebantur, citati à P. Sanctarel. Tamburinus exped. Confess. l. 4. c. 2. §. 1. n. 7.

167. An possit per alium impleri pœnitentia? Posse asserit Suarius, modò adsit justa causa. Escobar tr. 7. exam. 4. n. 182.

166. Non peccat Confessarius, nullam imponendo pœnitentiam, dum pœnitens mox lucraturus est Indulgentiam plenariam. Gobat tr. 7. n. 744.

167. Quanta pœnitentia videtur proportionata pro uno mortali ordinario? Resp. justam satis pœnitentiam esse v. g. coronam quinque decadum. Arsdekin. Th. trip. p. 2. tr. 3. c. 8.

168. Alacriùs nunc purgantur peccata, quàm committuntur, plurimique vix citiùs ma-

culas contrahunt, quàm eluunt. Imago primi sæculi Societ. l. 3. c. 8.

De Ordine & Matrimonio.

169. Sacerdos (idem de Diacono) morosè delectatus, sufficienter confitebitur, dicendo, *toties habui delectationes morosas venereas*, esto non explicet se esse in sacris. Gobat tr. 9. n. 272. & 273.

170. Si conjux putet probabiliùs priorem virum adhuc vivere, probabiliter verò mortuum esse, potest petere & reddere debitum secundo viro. Dicastillo disp. 8. dub. 14. n. 174.

171. Immò probabile est tunc posse debitum & petere, & negare; petere, accommodando se opinioni de valore; negare, sequendo opinionem de nullitate. Ibidem n. 175.

Appendix.

172. Error est asserere, Christianis omnibus esse præceptum, omnes actus suos deliberatos referre in Deum propter se dilectum. Apologia Casuist. pag. 165.

Reflexio ad superiores opiniones.

De Morali Theologia ejusmodi verè Caramuel censuit, quòd tota sit nova. Sed & verè ipsi reponitur: Si tota nova: non ergo Evangelica; non Apostolica; non Christiana. Quid de ea dixisset Tertullianus, si suo tempore proposita fuisset? Vereor ne dixisset: *Hæ sunt doctrinæ Dæmoniorum, prurientes auribus, natæ de ingenio sapientiæ sæcularis, quam Dominus stultitiam vocat.* Meritò proinde opinionum illarum plurimas Ecclesia damnavit.

CAPUT III.

Salubrioris purioriſque Ethices necessitas ex dictis concluditur.

15 REflectens igitur ad Ethicen superiori capite descriptam, judicet æquus rerum arbiter, sitne Doctrina Christiana, quam Ethica illa exhibet? Sitne arcta illa cæli via, quam Christus evangelizavit? Sitne doctrina salutaris, secundùm quam regnum Cælorum vim patitur, homo odit animam suam, tollensque crucem suam, sequitur Christum? Uno verbo, sitne Theologia illa, directiva morum hominis Christiani, id est, hominis quidem terrestris, sed conformandi ad imaginem hominis cælestis; utpote qui *Christum per baptismum induendo, ejus in carne vitæ rationem agendæ professus est* (uti dicitur can. 96. Concilii Constantinop.) atque adeò se (mundo mortuum) victurum Deo, Christum in omnibus sequendo, juxta dicenda. Quem proinde necesse est instruere, ut hominem Deo conformandum, ut possessionem peculiumque Domini, emptum pretioso Sanguine Christi, ut civem Sanctorum, ut discipulum, ovem, palmitem, membrum, sponsamque Christi, atque ut domesticum, filium, templum, hostiam Dei, & ut lucem mundi.

16 Quantum à Cælo terra, tantum à Christiana hujusmodi Ethica plerisque Sapientibus distare videtur neoterica illa Ethica; quia nimirùm videtur ipsis accommodatior ad humanas passiones, cupiditatesque fovendas, quàm ad corrigendas, potiùsque evertendam quàm ad stabiliendam christianam disciplinam: cùm per eam immoderata licentia in mores nostros inducatur, divinaque & humana lex sic tractari videatur, quasi foret regula Lesbia, ad sui regulati normam, atque ad corruptæ naturæ mores, ad omne denique quod cuique sapit, accommodabilis. "Regula, quippe, Lesbia dicitur, quoties præposterè, non factum ad rationem, sed ratio ad factum accommodatur, & cùm lex moribus applicatur, non mores ad legem concordantur," ait Erasmus in adagiis. Hoc autem cùm sit ordinem æternâ Dei lege præfixum evertere, cunctisque hominis Christiani officiis inflectendis & corrumpendis januam aperire: liceat zelo Dei & Sanctorum exclamare cum Propheta, *Exurge Deus, judica causam tuam.* Liceat formidare, multùmque formidare ne verum sit quod Illustrissimus Fagnanus 113. c. *Ne innitaris* de Constitut. n. 331. ait, quòd "Doctrina illa non sit à Deo, quòdque ad sui reformationem magnoperè egeat dextrâ Dei, & Beatissimi Pontificis provisione, ne venenum jam plus nimio dilatatum ulteriùs serpat." Liceat invocare Cælum & terram, sive superiores inferioresque Ecclesiæ Prælatos, Pastores & Doctores, ut ascendant ex adverso, sesequeque opponant murum pro domo Israël. Liceat, inquam, ipsis dicere cum Nicolao Papa, ep. 70. ad Hincmarum: *Videte si hæc Ecclesiæ Christi non præjudicent. Videte si tolerabilia valeant æstimari. Considerate si debeant illi* (superiorum propositionum assertores) *Ecclesiæ sanctæ Dei istas derogationes ingerere*, quibus in præceps ruit mundus, latissimam viam ingrediendo, quæ ducit ad perditionem. Ut enim deplorat Philo Carphatiorum Episcopus in Cantica fol. 569. to. 1. Biblioth. SS. PP. *Miseri Christiani quotidiè per assentationem prædicantium infelicissimè pereunt. Hinc tanta peccatorum labes: hinc illa corruptela morum, qua singulæ fideles animæ in dies magis ac magis turpiter inficiuntur... Hi sunt qui peccata populorum devorant, cùm scelera reprehendere non audeant, vel ob munera peritura ac commoda, vel ob gratiam & amicitiam profanorum ac divitum, quos sibi venantur; vel ob humanam laudem & gloriam... vel dum* (ignari ac tepidi) *calumnias pro Christo Jesu, opprobria, &c. timent. At veri Christi servi, & bellatores omnibus obstare audent, pro veritate dicenda, & conservanda, nihil extimescunt, nihil loquuntur ad gratiam, nihil assentantur, &c.* memores Apostoli ad Thessal. 2. dicentis: *Ita loquimur non quasi hominibus placentes, sed Deo qui probat corda nostra.. Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis, neque in occasione avaritiæ (Deus testis est) nec quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab aliis.*

17 Charitas itaque Christi, zelusque, tum divinæ gloriæ, tum animarum salutis, urget nos ad puriorem salubrioremque Ethicen conquirendam, doctrinamque tutiorem, & cor-

rigendis moribus aptiorem, adversus laxiora illa opinamenta tuendam. Utinam Deus piissimus (verbis utor Emin. D. Cardin. de Aguirre in præfat. ad to. 1. Concil. Hisp. & novi Orbis, n. 17.) qui nobis, indignis licèt, ac peccatorum pondere pressis, desiderium hoc assiduum concedere dignatur, aliquem illius fructum donet ad gloriam nominis sui, & totius Ecclesiæ utilitatem. Non ignoramus provinciam nos assumere difficilem, invidiosam, multisque (ut experti sumus) obnoxiam contradictionibus, improperiis, calumniis, sive doctorum quorumdam hominum, molestè ferentium suæ novioris Ethices redargutionem, sive popularium, sanam doctrinam non sustinentium, qui malunt Magistros prurientes auribus, à veritateque auditum avertunt. Hinc enim, sive isti, sive illi (ob rationes infrà deducendas) sanctioris disciplinæ Prædicatores & Doctores insectari solent, tanquam Severos, Rigoristas, Jansenistas, Novatores, &c. In eo utique facti imitatores eorum, qui S. Bernardum, suum pro veteri disciplina zelum exercentem, traduxerunt ut maledicum & novatorem. Vel S. Ignatium de Loyola, rerum sacrarum neglectui, corruptisque moribus, magno animi ardore, etiam dum adhuc Laïcus esset, resistentem (teste Maffeio l. 1. vitæ ipsius c. 17. & 20. & l. 2. c. 12.) apud Inquisitionis Tribunal detulerunt, calumniisque appetiverunt, perinde ac si novitatibus studeret. Vel qui S. Carolum Borromeum simili de causa sigillarunt, ut perturbatorem, nimiùmque severum, decretaque ipsius tanquam dura, iniqua & nova.

18 Sed ista pertimescere non debemus, si Christi servi sumus, memores à Christo beatos prædicari, qui hominum persecutionem & maledictionem patiuntur propter veritatem & justitiam; *Secundùm hæc enim faciebant Prophètis Patres eorum.* Luc. 6. Econtrà verò, *Væ cùm benedixerint vobis omnes homines: secundùm hæc enim faciebant Pseudo-prophetis Patres eorum.* Ibidem. Memores etiam Christum ipsum, *positum in signum cui contradicetur*, pro justitia & veritate contumeliis affectum, opprobriisque & injuriis, in ipsa etiam cruce saturatum. Tunc enim adimpletum est illud Psalmi 21. *Quoniam circumdederunt me canes multi*, id est (ut Augustinus explicat ibidem) *pro consuetudine, non pro veritate latrantes multi*, latrantes utique contra Christum, ab ipsis ideò morti traditum, quia Scripturam ac divinæ legis veritatem sustinuit, adversus humanas traditiones eorum, ut de ipsis conqueritur, Matth. 15. Ista utique Judæis causa fuit scandali, ut dicitur ibidem: *Scis quia Pharisæi audito verbo hoc scandalisati sunt?* Sed quid ad hoc Christus? *Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum.* Non ideò ergo veritas relinquenda, quia de eâ quidam scandalisantur, tanquam præconceptis opinionibus, traditionibus, ac præjudiciis suis contrariâ. Similibus itaque Gregorianum istud respondet S. Bernardus ad Guillel. Abbat. *Melius est ut scandalum oriatur, quàm veritas relinquatur.*

Sed & si ministri Christi sumus, Christum 19
ipsum, & quæ Dei sunt, non quæ nostra sunt, nec nostram, sed Dei gloriam, quærere debemus. *Oportet igitur* (ait S. Carolus Borromeus orat. habitâ in 2. Concil Mediol.) *nos depositis cupiditatum nostrarum perturbationibus, oculisque in cælum conjectis, non utilitates nostras, non commoda, non hominum honores spectemus, non rebus nostris, non popularibus studiis, non laudi, non gloriæ nostræ, sed Christo serviamus, cui omnem gloriam, omnem laudem, omnem honorem debemus. Neque enim est, cur & nobis ipsis aut hominibus placeamus: Siquidem quis inde fructus, si nos ipsos amantes, animæ nostræ jacturam faciamus? ac quæ utilitas nobis existet, si iram Dei in nos concitantes, hominum benevolentiam populari quâdam indulgentiâ conciliemus? Audiamus Paulum clamantem:* " Si hominibus placerem, Christi servus non essem. " *Dissipat autem Deus ossa eorum qui hominibus placent, inquit Propheta.*

Nec verò est (prosequitur ibidem) *cur à* 20
muneris nostri ratione deterreamur, vel quia his Pastoralibus nostris studiis, actionibusque animos eorum exulcerari videamus, qui filii sunt perditionis; vel quia populares illæ, quibus quasi ficus foliis, deformes pravique mores contegi solent, voces audiantur: non ferunt hæc tempora veterum Canonum severitatem. Sic jam diù viximus, sic vixerunt, ita egerunt quì ætate anteceſſerunt, vitæ institutum nihil est quòd immutemus. At nos hæc atque alia hujusmodi contemnamus, proponamusque nobis ante oculos libertatem illam spiritûs, & virtutem, qua armati Patres nostri Apostoli, qua muniti Martyres, qua instructi ordinis sanctissimi homines, Athanasius, Chrysostomus, Ambrosius, hujus Ecclesiæ Antistites, qua affecti alii religiosi viri, apostolico quodam animorum ardore flagrantes, nullis, non minis, non hominum clamoribus, non furoribus, quasi tribunitiis fracti, nec debilitati, pro Dei gloria, pro gregis commissi salute, forti, constantique animo adhibuerunt illam quasi censoriam virtutem, acerrimam peccatorum vindicem.

Eorum ferè exemplo adducti nos quoque A- 21
postolicâ illâ constantiâ & Evangelicâ virtute, quâ unâ nihil est in Ecclesiasticis Pastoribus illustrius, nihil magis necessarium, sine metu, & constanter certè agamus... quod Evangelium docet, quod Christus jubet, quod ratio præcipit, quod gregis salus, quod Ecclesiæ authoritas, dignitasque postulat. Nam si contrà à nobis fiat, in formidoloso illo Dei judicio, cum animarum, quæ in fidem & curationem nobis traditæ sunt, rationem reddituri, tum aliorum nos accusantium vociferationes, & irati judicis, nos item acerbè objurgantis, eas voces audiemus: " Si " speculatores eratis, cur cæci? Si Pastores, cur " gregem vobis commissum errare permisistis? " Si sal terræ, quonam modo evanuistis? Si lux "

„ eratis, cur sedentibus in tenebris & in umbra „ mortis non illuxistis? Si Apostoli, cur apostolica virtute non usi, cuncta egistis ad hominum oculos? Si os Domini, cur muti? Si vos „ huic oneri impares esse sentiebatis, cur tam ambitiosi? Si pares, cur tam desides, tam negligentes? Nihil vos Prophetarum voces, nihil „ Evangelii leges, nihil Apostolorum exempla, „ nihil pietas, nihil religio, nihil labentis Ecclesiæ status, nihil formidolosus judicii dies, „ nihil præmia, nihil supplicia, æternique cruciatus moverunt? *Has terribilis irati judicis voces, nobiscum, Patres, animo menteque reputemus, ut iis... excitati... non remisè, non leviter, non timidè, non negligenter, non dissimulanter, sed sincerè, & constanti, sanctaque sollicitudine Deum solum spectantes, quod in nostro officio, nostroque munere positum est, agamus & perficiamus.*

22 Fecit quod docuit Cardinalis sanctissimus, pariterque zelosissimus, collapsam pietatem instaurare, Evangelicam morum disciplinam restituere, virtutes plantare, spirituales morbos curare, Ecclesiam sibi commissam tam in Clero quàm in populo reformare, totis viribus studuit: & si quas oves impura vitiorum labe tabescentes, in malisque inveteratas, lenitatis & indulgentiæ melle sanare non potuit, salis acrimoniam ipsis adhibuit. Ut vidit humani generis hostis seriò rem peragi, dudumque possessas per tyrannidem suam animas Christo restitui, tantos murmurantium vociferantiumque clamores adversùs ipsum excitavit, ut (teste Ripamontio l. 4. & 5. vitæ ipsius, & Grussano l. 2.) palàm traductus fuerit, etiam apud Suam Sanctitatem, & Catholicam Majestatem, tanquam Ecclesiæ perturbator, populi irritator, homo violentus, pertinax, nimiùmque severus; decreta verò ipsius, seu Conciliorum ab ipso celebratorum suggillata tanquam *pleraque dura, & iniqua, & nova, & tanquam immane jugum, &c.*

23 „ Cæterùm ea criminatione neque offensus Car„ dinalis, neque deterritus, pergebat alia insu„ per decernere consentanea, & similia istis, „ quæ nuper sibi vitio data essent „ Ripamontius l. 4. Sciebat utique quòd Christus Jesus, non obstante infinita sua sanctitate, miraculorum gloria & multitudine, à Scribis & Pharisæis (qui Judaïco in populo, æstimabantur tanquam homines docti & pii) diffamatus fuit tanquam homo peccator, Joan. 9. tanquam violator Sabbati, Joan. 5. tanquam destructor templi, Matth. 26. tanquam subvertens gentem suam, & prohibens dare tributa Cæsari, Luc. 23. tanquam Samaritanus & Hæreticus, Joan. 8. tanquam furiosus habens spiritum immundum, & in principe dæmoniorum ejiciens dæmonia, Marci 3. tanquam homo malefactor, Joan. 18. tanquam homo vorax & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus, Matth. 11. tanquam regni usurpator. Joan. 19. tanquam blasphemus, Marci 26. &c.

24 Sciebat item Apostolos, Apostolorumque successores ab hominibus pariter exceptos. Magnum Elymam, coram Proconsule Sergio, palàm restitisse Pauli de Fide prædicationi. Act. 13. Joannem Evangelistam verbis malignis impetitum à Dietrephe. Stephanum accusatum tanquam blasphemum in Moysen, & in Deum, qui non cessaret loqui verba contra locum sanctum & legem. Actorum 6. S. Athanasium, tanquam homicidam & adulterum. S. Basilium, tanquam cerebricosum & ambitiosum S. Martinum, tanquam fautorem hæreticorum. S. Chrysostomum, tanquam superbum, cæterorumque contemptorem. S. Hieronymum, tanquam violentum & hæreticum. S. Augustinum, tanquam Manichæum, docentem in materia Prædestinationis & Gratiæ, falsa, agentiaque homines in desperationem, quæ nullus ante ipsum in Ecclesia docuisset. S. Cyrillum Alexandrinum pariter à Nestorianis traductum ut Apollinaristam, & oppositos sibi Orthodoxos ab Eutychianis insimulatos ut Nestorianos, &c.

Eorum plenus spiritu S. Carolus tantâ animi 25
fortitudine, tamque immobili constantiâ (non obstantibus contradictionibus & murmurationibus doctorum indoctorumque) perrexit in reformatione Cleri, populique sui, sicut & in reformatione indulgentioris doctrinæ, ita ut ipsi non immeritò adaptari possit, quod Hieremiæ dictum est à Domino: *Ego dedi te in civitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æneum*; adversantibus verò reformationi morum, *Et bellabunt adversùm te, & non prævalebunt.* Hierem. 7.

Ne autem docti illi mollioribus traditionibus 26
& opinionibus suis prævalerent, oratione habitâ in VI. Concilio Mediolanensi, cunctos admonebat zelosus Antistes; *Longè sint à nobis voces illorum qui consuunt pulvillos sub omni cubitu manus, & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas. Nè isti suis adulationum vocibus, vocumque blanditiis, cùm nos fallere studeant, istis etiam illecebris populum nostrum decipiunt. Dicunt enim bonum malum, & malum bonum. O populo meus, quis poterit omnia mala, quæ in te premunt undique, enumerando percensere? Audent tamen isti, à salutis via, te adulationibus longiùs abducere. Populo meus! qui te in tanta malorum colluvie beatum dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant, dicentes* (ut paulò ante præmisit) *pax, pax, & non est pax, quàm imperitè hoc practicant.... attendite quæso, qui isti homines sunt, cùm talia dictitant, liniunt parietem luto absque paleis, absque temperatura.* Videat visionem pacis, & non est pax. *Isti sunt enim de quibus Isaias prædixit: Et erunt qui beatificant populum illum seducentes, & qui beatificantur præcipitati. Isaiæ. 9.*

Deinde iisdem mollioribus opinamentis in 27
sexto suo Mediolanensi Concilio opposuit has zelosissimas voces: *Aliud nos Spiritus Sancti doctrina docet, aliud Apostolorum instituta monent, aliud Patrum exempla declarant, aliud Canonum leges jubent, &c.* Opposuit denique saluberrima decreta in Conciliis suis Mediolanensibus

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

sibus edita, sanctissimas etiam Instructiones ad Concionatores, Parochos, & Confessarios, pro recta salutarique administratione, tum Verbi Dei, tum Sacramentorum, maximè Sacramenti Pœnitentiæ, in cujus recta administratione velut summam rerum posuit, eo quòd usu experimentoque comprobaverit, *Confessariorum incuriâ vel negligentiâ*, sæpè accidere, ut dum multis indignis absolutionis beneficium impenditur, *multi in iisdem semper peccatis inhærent cum animarum suarum lamentabili ruinâ*, ut ait, Instruct. Confess. c. 12. dum etiam Confessarii nimis facilè beneficium illud impertiuntur versantibus in occasionibus peccatorum, *maximam præbent causam, cur in omnibus ferè opificiis, & exercitationibus publicis, peccata gravissima inveniantur, & abusus intolerabiles, sine quibus multi hodie existimant, nec res etiam per se æquissimas rectè exerceri posse.* Ibid. c. 16. Edit. Duacenæ 1616. Ideò tum in iisdem Instructionibus, tum in Decretis antè dictis, præcipitatarum absolutionum mala aperuit, casusque quamplurimos declaravit, in quibus, usque ad secutum sinceræ emendationis effectum, absolutio, vel neganda sit vel differenda. Publicam etiam pœnitentiam, pro publicis delictis, ad Concilii Tridentini præscriptum restituit. Pro delictis verò occultis, *Confessarius* (ait ibidem c. 22.) *Canones pœnitentiales ad unguem sciat oportet; nam quamvis illi possint & debeant secundum prudentis & timorati Confessarii arbitrium mitigari, prout pœnitentis contritio, personarum qualitas, diversaque conditio, aliæque circumstantiæ ostendent; utilissimum tamen est semper ipsos Canones præ oculis habere, atque eos tanquam ad amussim respicere, quantum conveniens erit. Et quidem Confessarius, etsi pro modo antiquo Canonum pœnitentiam non habet sequi; tamen pœnitenti nonnumquam articulos in iis explicatos tractabit, ut ad majorem dolorem adducatur, pœnitentiamque in comparatione illius leviusculam, quam ipse dedit, alacrius exequatur.*

28 Nullus verò enarrare sufficit, quantum fructum in omnibus Christiani (etiam nostri) Orbis partibus peperit accurata lectio, praxisque Instructionum illarum. Ut enim verissimè Sylvius in Dedicatoria Editioni Duacensi præfixa, „ exemplar idæamque perfectissimam veri Pa„ storis exhibent, suntque velut speculum, in quo „ rugas, nævos, maculas, defectusque suos vide„ re, & clarè cognoscere queant, qui Ecclesias „ regere, qui populos pascere, qui Sacramenta „ ministrare debent; immò & remedia simul pa„ rata in promptu habere, quibus quod deforme, „ pravum, distortumque fuerit, emendetur, cu„ returque. „ Ideò in Actis Generalis Conventûs Cleri Gallicani, de die 1. Februarii 1657. habetur, quòd rogatus est à Conventu D. Ciron, ut hunc librum edi curaret, quo tanti viri doctrina, tanto lumine sapientiæ splendens, omnes Galliæ Diœceses pervaderet, & grassantes ad Evangelicæ morum sapientiæ perniciem, novarum opinionum labes, oppositò velut obice coërceret. Ideò etiam Instructiones illas nuper, Romanis typis, cum epistolâ Pastorali iis præfixâ (quâ earum praxis commendatur) imprimi fecit Eminentissimus D. Cardinalis Carpegna, jussu Sanctissimi D. N. Innocentii Papæ XII.

Est igitur animus sanctissimi hujus Cardina- 29
lis Instructiones hoc in opere sequi, uti decet filium Supremo Ecclesiæ Patri obedientem, ipsiusque exemplo improperia & contradictiones plurimorum nihili facere, quo plurium saluti prodesse possim. Si enim sub initium præsentis sæculi, quando laxiora opinamenta in tantum nondum processerant, doctissimus pariterque piissimus Cardinalis Bellarminus in epist. ad nepotem suum, Episcopum Theanensem, verè & sapienter dixit: " Si quis velit in tuto sa- "
lutem suam collocare, is omninò debet certam "
veritatem inquirere, & non respicere quod "
multi hoc tempore dicant aut faciant. Et si rei "
certitudo non possit ad liquidum apparere, "
debet omninò tutiorem partem sequi, & nul- "
lâ ratione, nullius imperio, nullâ utilitate "
temporali propositâ, ad minùs tutam partem "
declinare. Agitur enim de summa rei, cùm "
de salute æterna tractatur, & facillimum est "
conscientiam erroneam exemplo aliorum in- "
duere, *& eo modo, conscientiâ non remordente, ad eum locum descendere, ubi vermis non moritur, & ignis non extinguitur.* Quid non dicendum? Quid non faciendum hoc tempore, ubi (teste Emin. D. Card. de Aguirre ubi sup. n. 22.) *tot monstra opinionum adversùm Moralem Christianam, & disciplinam ecclesiasticam ac canonicam eruperunt?*

Laudandus est maximè, inter Regulares cla- 30
rissimus Ordo S. Dominici (pergit laudatissimus Aguirius) *qui hortatu Alexandri VII. vexillum extulit adversùs Moralem laxam per doctissimos Alumnos suos Joannem Martinez de Prado, Julium Mercorum, Vincentium Baronium, Vincentium Contensonum, Pichinardum, Gonetum, aliosque similes amplissimo fructu.... Idem ferè dixerim de multis Religionibus, præsertim militantibus sub regula S. Augustini, Francisci, & Carmelitarum, &c.* Cum iis itaque, cumque eodem Cardinale de Aguirre, sapientissimisque unà & sanctissimis Hispaniarum Episcopis, Bernardo Hontiveros, Calaguritano; Joanne de Palafox, Oxonienfi; & Ludovico Crespio, Placentino (apud eundem Aguirium n. 30.) propositum est laxioribus Casuistarum opinionibus c. 2. recensitis Sanctorum Theologiam opponere, totque & tantarum laxitatum radicem ante omnia investigare; quo securim ad radicem valeamus applicare.

CAPUT IV.

Prima causa, radixque primordialis Ethices laxioris, præsidentia rationis humanæ, antecedentis Oracula Scripturarum & Sanctorum, in qua laxiorum opinionum Authores Ethicam suam fundaverunt.

RAtionem, qua de rebus divinis ac mori- 31
bus disserere possumus, S. Thomas 2. 2.

q. 2. a. 10. dividit in antecedentem & consequentem. *Ratio antecedens* oracula Scripturarum & Sanctorum, est qua iis oraculis non regulatur, sive in illis non fundatur, nec formatur accommodaturque ad præscriptum, vel in obsequium firmamentumque eorum; sed illa potiùs ad præscriptum suum regulat, accommodat, torquet, explicat & inflectit, sicque illa sibi subjicit potiùs, quàm illis subjiciatur, serviat, & ancilletur. Ratio consequens, est quæ in oraculis, seu dogmatibus illis fundatur, vel formatur, accommodaturque ad præscriptum, & in obsequium ac firmamentum eorum; nec perinde illa sibi, sed se illis subjicit & accommodat, in illorumque se captivat obsequium.

32 Quòd itaque prima causa radixque primordialis laxioris Ethices, c. 2. descriptæ, sit illa quam assignavimus, probatur 1°. quia radix & fundamentum opinionum ibidem exhibitarum, non est Scriptura sacra, non Traditio, non doctrina Sanctorum (à quibus omninò alienæ declarantur ab Alexandro VII. nec verò opinionum istarum Authores eas fundant in Scriptura, Traditione, Canonibus, Patribus, utpotè in illis proferendis admodùm parci) est igitur humana ratio non consequens oracula illa (aliàs eo ipso fundatæ essent in illis) est igitur humana ratio antecedens. Quòd verò hæc sit prima seu primordialis radix earumdem, perspicuum est ex eo quòd ex ea, tanquam primordiali radice, pullulent cæteræ radices, ut posteà videbitur.

33 2°. Cæterarum aberrationum Theologicarum causa primordialis est, quia earum Auctores ex nimia præfidentia visæ sibi rationis humanæ, priùs ad eam recurrerunt, quàm ad Scripturam, vel Traditionem, ideòque eas potiùs fundarunt in ratione sua purè humana, quàm in Scriptura sacra, vel accepta à Majoribus & SS. PP. doctrina. Eadem est ergo causa primordialis Theologicarum aberrationum in materia morum. Probat antecedens Melchior Canus l. 7. de locis, c. 3. exemplo Origenis, Arii, Nestorii, Pauli Samosateni, Eutychetis, Dioscori, Wicleffi, Abaylardi & Lutheri, qui propter nimiam visæ sibi rationis præfidentiam, liberioremque usum, in tot errores hæresesque prolapsi sunt; quia videlicet priùs ad se ipsos, visamque sibi rationem, quàm ad Scripturam & Traditionem recurrentes, judicium suum, ratiocinationesque suas, acceptæ à Patribus doctrinæ prætulerunt. Probari etiam potest exemplo Pelagianorum, quos alloquens Augustinus l. 4. op. imperf. contra Julian. n. 136. *Authoritatem* (inquit) *nullam in exitium rationis vos jactatis admittere; ut rationibus vestris, quæ non rationes, sed deceptiones sunt, etiam divina deponatur potiùs, quam exponatur authoritas.*

34 3°. Dogmata morum, ad conscientiam hominis christiani, ad æternamque salutem ipsius spectantia, definire ratione purè humanâ, sacram Scripturam Sanctorumque doctrinam antecedente, est humanis rationibus spiritualia subjicere, eademque taliter definientes sequuntur phantasias seu phantasmata sua, eaque habent pro ratione ac veritate cognita; eo quòd utique pro ratione & rationabili habeant, non quod pro tali in sacris eloquiis, vel à SS. Patribus traditur (utpotè quibus inconsultis de ratione & rationabili definiunt) sed quod secundùm phantasiam suam ipsis ratio & rationabile videtur: atqui teste Augustino l. 6. de Musica c. 11. nulla est alia materies omnium falsarum opinionum, quàm habere phantasias, seu phantasmata sua pro cognitis. Teste item Chrysostomo homil. 24. in Joan. nihil pejus est, quàm humanis rationibus spiritualia subjicere.

4°. Eadem dogmata morum ratione ante- 35
cedenti (ut supra) definire, est ea definire inverso locorum Theologicorum, atque adeò inverso Theologicæ veritatis ordine. Sed ex inverso Theologicæ veritatis locorumque Theologicorum ordine, sequi nata est in intellectu multiplex confusio, & ex confusione intellectûs multiplex error, ergo. Majorem rursum probat Melchior Canus l. 1. de locis, c. 2. *Quia tametsi in reliquis disciplinis omnibus primum locum ratio teneat, postremum auctoritas; at Theologia tamen una est, in qua non tam rationis in disputando, quàm authoritatis momenta quærenda sunt. Etenim locum ab authoritate adeò sibi proprium vendicavit, ut rationes vel tanquam hospites & peregrinas excipiat, vel etiam in suum obsequium adsciscat, quasi longè repetitas. Quippe fide (id est articulis revelatis nobis per Scripturam vel Traditionem manifestatis) potissimùm innititur, quæ nisi ab authoritate proficiscatur, non modò fides esse, sed ne intelligi quidem potest... principem itaque locum sicut apud fideles, ita apud Theologos authoritas habet; ratio deinde velut pedissequa sequitur.*

Et hoc tradit etiam Angelicus Doctor 1. p. 36
q. 1. a. 8. dicens quòd *argumentari ex authoritate est maximè proprium hujus doctrinæ... eo quòd principia hujus doctrinæ per revelationem habeantur.* Utitur quidem sacra doctrina ratione humanâ & authoritatibus Philosophorum... sed quasi extraneis argumentis in suum & fidei obsequium adscitis. Ratione proinde humanâ utitur tanquam pedissequâ, & ministrâ, non ut præeunte & dominâ. Et hoc est quod idem S. Doctor expressiùs dicit ibidem a. 5. ubi allegans illud Prov. 9. *Sapientia... misit ancillas suas, &c.* Per Sapientiam intelligit Theologiam, per ancillas verò Philosophiam, cæterasque scientias naturales. Et ad 2. dicit quòd scientiis aliis Theologia *utitur tanquam inferioribus & ancillis, sicut Architectonica utitur subministrantibus.* Et rationem dat a. 8. ad 2. quia ratio naturalis, in qua Philosophia aliæ scientiæ fundantur, se habet ad Theologiam, sicut se habet ad fidem (cùm Theologia nitatur articulis fidei, tanquam principiis propriis) vel sicut natura ad gratiam, cui subservit: *Cùm enim gratia*

non

non tollat naturam, sed perficiat, oportet quòd naturalis ratio subserviat fidei... Unde & Apostolus dicit 2. Cor. 10. In captivitatem redigentes omnem intellectum, in obsequium Christi.

37 Idipsum *uno ore SS. PP. perorant* ad citatum locum Proverbiorum (inquit Elisaldus insignis è Societate Theologus, in libro cui titulus, *Forma veræ Religionis*, n. 222.) Eandem doctrinam, *sic in generali & sub his terminis, Christiani omnes admittunt, nec aliud possunt; quippe qui & mentes in obsequium fidei captivare jubentur: teneturque proinde humana ratio, non solùm legibus famularum, sed etiam servarum*, quarum est servire, obsequi, subsequi & regulari per dominam, non ei dominari, nec eam regulare, &c. Hoc licèt sub his terminis omnes admittant, *ast* (ut laudatus Author prosequitur) *in praxi multi non curant, & sua in philosophicis primùm fundamenta jaciunt, & ex illis post in Theologia decernunt, alterant, ampliant, & cuncta licere putant, modò Philosophia intacta illibataque servetur; cùm contrà potiùs esset Philosophia detorquenda excruciandaque, ne iota unum, vel unus apex præteriret à lege.*

38 Et quid inde sequi natum est? quod in familiis, civitatibus ac provinciis, ubi inverso ordine servi dominis imperant; in iis namque nihil aliud cernere est nisi confusionem, desolationem, insolentiam, divinarumque & humanarum legum subversionem. Ideò ergo Clemens Alexandrinus l. 1. Stromatum, *Sæcularem* (inquit) *amplector doctrinam, sed ut juniorem & conservam; scientiam autem tuam* (Deus) *ut perfectam dominam honoro & colo. Ecce ancilla in manibus tuis, utere ea ut lubet. Et afflixit eam Sara, quod perinde est ac correxit.* Et Melchior Canus, l. 9. de locis c. 9. *Quoniam ancillas ut vocarent ad arcem, Sapientia misit, admonuere Patres, disciplinas, quas vocant liberales, Theologiæ subservire debere, non dominari. Curaturum itaque illarum studiosum, ne ancillarum amatoriis incitatus, dominam, hoc est, veram Sapientiam negligat. Quin etiam curaturum, ut si Agar Ægyptia Abrahami amplexibus insolescit, ejiciatur foras atque exulet, nec sinatur aut Ismael Isaaci simplicitatem irridere, aut Agar Saræ bonitatem contemnere. Affligat ancillam domina & corrigat, habeat in manibus, utatur eâ ut libitum fuerit; sic enim modesta erit & utilis, quæ, cùm ei præter modum indulgetur, est etiam perniciosa.*

39 5°. Humana ratio antecedens dogmata Scripturarum & Patrum, est humana ratio sibi relicta. Ast humana ratio sibi relicta, in hoc corruptæ naturæ statu adeò erratica est ac malesuada, ut nequeant in multis non errare, qui ex ea sola præsumunt moralia dogmata definire. Tum quia, dum homo, de ratione sua nimiùm præsumens, rationi suæ relinquitur, pronus est ad judicandum secundùm maximas Philosophiæ terrestris & animalis, non cælestis & divinæ, seu evangelicæ; cùm homines, sibi relicti, taliter judicare soleant qualiter affecti sunt, juxta illud Philosophi 3. Ethic. omnium experientiâ notissimum: *Qualis est unusquisque, talis finis videtur ei.* Homo verò sibi relictus, homo est animalis, non spiritualis; homo de terra terrenus, non de cælo cælestis. Terrenis igitur & animalibus, seu concupiscibilibus afficitur tam secundùm voluntatem, quàm secundùm appetitum sensitivum. Fatui itaque ignes terrenorum & animalium affectuum rationem & intellectum sibi relictum facilè pertrahunt in scopulos terrenarum & animalium opinionum, quibus tenebras pro lumine accipit, non attendens ad illud Luc. 6. *Vide ne lumen quod in te est tenebræ sint.* Facilè etiam rectum putat, quod curvum est, juxta illud Prov. 16. *Est via quæ videtur homini recta, & novissima ejus ducunt ad mortem.* Facilè denique contingit quod Ambrosius ait in Ps. 118. *Multæ foveæ, multi scopuli in istius sæculi caligine non videntur, ubi putas solidum esse vel siccum, ibi lubricum est.* Tum quia dum homo, rationi suæ nimiùm innitens, non satis attendit ad evangelicas regulas cælestis Philosophiæ, quas Christus proposuit, velut lucernam pedibus nostris, ne in scopulos offendamus, & lumen semitis nostris, ne in tenebris ambulemus; derelinquit eum Deus, ac permittit ductui suo, divinoque eum destituit magisterio, quo destitutus, philosophatur ut Gentilis, non ut Christianus; ut carnalis, non ut spiritualis; ut amator sæculi, non ut amator Dei: sitque incidit in varios errores, putidasque laxitates, quibus Deus convincit superbiam hominis de defectu rationis suæ, ut sic tandem discat de ea non præsumere.

Sed hæc ex dicendis Prolegomeno 2. palpabiliùs eluescent: ibi namque liquidò ostensurus sum ingentem defectum rationis humanæ sibi relictæ, in hoc statu naturæ corruptæ, insufficientiamque ejusdem, vel ad ipsas minimas & philosophicas veritates: multo magis ad veritates summas & divinas, conscientiamque & æternam hominis salutem concernentes; ut proinde necesse sit in multis deficere, qui Christiani hominis institutionem audet illi committere; deplorandum etiam in modum falli eos qui in tantum tribuunt privatæ rationi suæ (quam non sine magna equivocatione rationem naturalem appellant; cùm tamen non sit ab Authore naturæ impressa, toti humano generi ingenita, sapientibusque omnibus probata, per modum signati super nos divini luminis, quæ sola tam est fallere nescia, quàm Author ipse naturæ) ut ad istud privatæ rationis suæ, solis ipsis, non sapientioribus probatæ, tribunal continuò appellent, omniaque inde jura, doctrinas omnes expendant, ipsa etiam oracula Scripturarum, Canonum, & SS. Patrum inflectant. Iste namque non tam est humanæ rationis usus, quàm abusus, seu liberior usus, qui ducit in præcipitium. Ab eo proinde solus non cavet insipiens. 40

CAPUT V.

Secunda radix laxioris Ethices, est quia à generalibus Scripturæ præceptis, privatâ ratione & authoritate, liberiùs excipitur, documentaque Scripturæ, pro visa cuique ratione, licentiosiùs inflectuntur, consuetisque hominum moribus accommodantur.

41 EX priori radice pullulat hæc secunda. Siquidem ex hoc ipso quòd resolutiones morales fundantur in ratione purè humana, non in ratione divina, & christiana; in ratione antecedente, non in consequente dogmata Scripturarum & Patrum; sequi natum est quòd hujusmodi resolutionum Authores, ita in antecessum præfigant sibi philosophicas suas opiniones, ut deinde Spiritum sanctum, ubi repugnare videtur, in balbutiem suam trahant, generaliaque proinde Scripturæ dogmata vel præcepta inflectant, emolliant, accommodent, limitent ad præscriptum corruptæ rationis suæ, utpotè sacra dogmata illa præeuntis, non subsequentis. Nec certè tot divinorum humanorumque præceptorum inflexiones, exceptiones ac limitationes continerentur in propositionibus c. 2. recensitis, si earum Authores eas primitùs non fundassent in privata sua ratione, purè humana, nec ad semetipsos pro earumdem fundamento primitùs recurrissent; sed ad propheticas voces, ad evangelica dogmata, ad SS. Patrum traditiones, &c. attendentes se pati rationis defectum, rationemque purè humanam, in hoc corruptæ naturæ statu, adeò erraticam esse, ut principium veræ sapientiæ sit, parum credere rationi suæ; nihilque rationi tam consonum, quàm rationis purè humanæ luxuriem per christianæ humilitatis, simplicitatis, modestiæ, ac prudentiæ regulas (Prolegomeno 2. deducendas) coërcere.

42 Ad quod profectò si attendisset Author Apologiæ Casuistarum, non dixisset v. g. fol. 87. & 88. generali præcepto, *non occides*, non alia prohiberi homicidia, quàm quæ fiunt sine legitima causa, cujus judex sit ratio nostra; sivè non dixisset: ad rationis naturalis (eo nomine intelligendo rationem privatis Doctoribus visam, non sapientibus omnibus probatam) *judicium esse referendum, quando liceat vel non liceat hominem occidere.* Quòdque generali præcepto, *non occides*, nihil aliud prohibetur, quàm ut ne quis alium sine causa legitima interficiat. Hinc enim portentosa illa consectaria deduxerunt Authores propositionum n. 20. recensitarum circa 5. Decalogi præceptum.

43 Nec illi, quos graphicè depingit Albertus de Albertis in paradox. Moral. de ornatu mulier. in prælud. de Veter. Patrum authoritate, tot tantarumque corruptelarum patronos sese reddidissent: *Non pauci* (ait laudatus Author) *qui moralium quæstionum arbitros sese constituunt.... quamvis divinarum Litterarum, priscorumque Patrum sententia perspicua, in controversia, ex adverso obluctetur, nihilominùs ut nescio quibus suis placitis.... serviliter ancillentur, suaque dogmata quæ semel imbiberunt, præfractè tueantur, vim apertam, tam sacris codicibus, quàm Patrum monumentis inferre, utrosque torquere, eludere, inflectere, luxare, ac traducere minimè dubitant. Si quam enim mundi corruptelam, valdè usitatam, Scriptura sancta, & Patres improbant damnantque, ii omnem operam studiumque, quo hominum gratiam aucupentur, ejusdem corruptelæ patrocinio suscipiendo impendunt, atque ut impendant, eandem Scripturam & Patres ludibrio, quàm Religioni habere malunt, ne dicam prodere.... in quos malè, ego metuo, ne effatum illud (quod Circumcellionibus, hominibus planè opinionissimis, olim solemne erat, ut memorat S. August. ep. 48.) Quod volumus sanctum est, quadret ad amussim, & quod sua sibi ratio suggesserit, illicò honestum ab eisdem decernatur.*

At divina Scriptura aliter dilucidè statuit. Nihil refert: figuratè loquitur.

At Patres agminatim secùs palàm docent. Nihil obest: exaggerationi libenter indulgent.

At locus tergiversationi non est: enucleatè Scriptura & Patres contrà censent. Quid tum postea? non propriè, sed per metaphoram concionantur.

At quorsùm hæc ludificatio? nimirùm ubi quid frequenti in more positum est, si Scriptura, si Patres id vituperant, si carpunt, si vetant, vituperari, carpi, vetari inficiantur, illamque ac istos per tropum & schema aliò spectare contendunt.

Ubi autem quidpiam à Scriptura & Patribus 44
reprehenditur, quod ab hominum consuetudine longè alienum est, tum facilè annuunt, tum nullo negotio dant manus, tum candidè ac severè utrosque interpretantur.

At si edita ab alterutris interdicta à populorum moribus atque usu paululùm abhorrent, illa in vulgatæ licentiæ servitutem trahunt, illa elumbant, illa mangonisant, illa enervant, illa pervertunt simul atque evertunt.

Quæ profectò lues hodie quoque tam magna in 45
dies capit incrementa, ut ad illud extremum, quod magnus Augustinus serò in ep. ad Galatas quondam deploravit, jam passim quàm concitatissimè decurratur. Væ peccatis hominum qui sola inusitata horrescimus. *Sed multo luculentiùs idem S. August. in l. 3. de doctrina christiana c. 10. hanc ipsam insaniam... nobis oculos hisce coloribus ponit:* " Quoniam proclive " est humanum genus, non ex momentis ipsius " libidinis, sed potiùs suæ consuetudinis æstima- " re peccata; fit plerumque ut quisque homi- " num ea tantùm culpanda arbitretur, quæ suæ " regionis & temporis homines vituperare atque " damnare consueverunt; & ea tantùm proban- " da atque laudanda, quæ consuetudo eorum, " cum quibus vivit, admittit; eoque contingit, " ut si quid Scriptura vel præceperit, quod ab- " horret à consuetudine audientium, vel quod " non abhorret, culpaverit, si animum eorum " jam verbi vinxit authoritas, figuratam locu-

„ tionem putent. Non autem præcipit Scriptura,
„ nisi charitatem, nec culpat nisi cupiditatem,
„ & eo modo informat mores hominum. *Item*,
„ si animum præoccupaverit alicujus erroris opi-
„ nio, quidquid aliter asseruerit Scriptura, figu-
„ ratum homines arbitrantur. *Hæc inclytus Eccle-*
„ *siæ Doctor. At hujusmodi quoque ludo, non Scrip-*
turam divinam tantùm, sed priscos etiam Patres esse obnoxios, crebro experimento planè compertum est. Quod ego, ut verum fatear, & indignissimè fero, & nullo modo tolerandum existimo. Hactenus Albertus de Albertis. Et verò hujusmodi ludificationibus Scripturam & Patres indignè tractari, nulloque modo tolerandum id esse, Prolegom. 2. multipliciter ostendemus. Quàmque periculosum sit ex rationibus philosophicis divinas Scripturas ad alium sensum trahere, quàm præ se fert sermonis simplicitas, Augustinus l. 3. de doctr. christiana c. 28. declarat, dicens: *Ratione reddita interpretari Scripturam, consuetudo periculosa est.* Declarat & Alexander VII. in Decreto suo de 24. Sept. 1665. dum radices laxioris Ethices insinuat esse ortas ex hoc quòd *modus opinandi irrepsit.*

CAPUT VI.

Tertia radix, est quia sanctorum Patrum doctrina vel negligitur, vel contortè explicatur, non ut illi sapiunt, sed ut quisque sapit.

46 EX prima similiter radice subnascitur hæc tertia. Ex eo namque, quòd Neoterici complures moralem suam doctrinam fundent in ratione antecedente dogmata Scripturarum & Patrum, non in consequente; natum est consequi, quòd privatæ suæ rationi plus deferant quàm Sanctorum authoritati, sive quòd apud ipsos majori in pretio sit visa sibi ratio, quàm priscorum Magistrorum, etiam SS. Patrum authoritas, saltem ubi non agitur de articulis perspicuè ab Ecclesia definitis; quòdque proinde plus temporis impendant in adinveniendis conquirendisque dialecticis rationibus, quàm in evolvendis SS. Patrum monumentis. Quisque enim lubentiùs tempus impendit in conquirendo eo quod majori habet in pretio.

47 Hinc solemnis illa vox Caramuelis: „ Non
„ multum temporis impendo, aut perdo in Ve-
„ terum libris legendis. „ Cur ita? Quia Theol. fundam. n. 1330. Edit. Lugdun. professus fuit, *se in omnibus plus rationi & dialecticæ quàm authoritati detulisse.*

48 Scio quòd posteaquam, ob priorem illam suam Confessionem, de Patrum neglectu, notatum se vidit à Sapientibus, illam excusare conatus sit, dicendo, per libros Veterum à se non intellectos libros SS. Patrum, sed Scholasticorum. At libri ipsius oppositum attestantur, sicut & cæterorum, plus humanæ rationi, quàm authoritati cum ipso deferentium; in ipsis quippe vix, nisi studiosè collecta ratiocinationum humanarum farrago, densaque recentiorum scriptorum turma, rarò mentio Patrum reperitur; utpotè, quos in pretio habent quoad dogmata fidei, non quoad decreta morum, in quibus potiorem habent rationem Neotericorum, philosophicarumque ratiocinationum.

Siquidem ingenerosum existimantes sapere 49
ex Commentario, solùm eatenus probant SS. Patrum authoritates (in materiis necdum evidenter ab Ecclesia definitis) quatenus eorum rationes, quarum sese arbitros judicesque constituunt. Utinam non iniquos! in eo quòd eas deturbant à possessione æstimationis ac reverentiæ, quam communi Sapientiorum judicio promeruerant, jamque olim in Orbe litterario acquisierant.

Rationem, inquiunt, sectamur & sequi- 50
mur. Rationem utique sibi visam, ipsisque solis, non Sapientioribus probatam. Rationem, communi plerumque Sapientum judicio, parum soliditatis habentem. Rationem, quæ frequenter nihil aliud est quàm rationis umbra fumusque, seu inane rationis simulacrum.

Prosequuntur interim, & aiunt: illam so- 51
lam (ubi de rebus apertè definitis non agitur) nobis proponimus in Magistram: illâ solâ nos tuemur. Neque enim Authores sequendi, sed Authorum rationes. Nec excipiunt S. Augustinum, D. Thomam, aliosque Patres, nisi in sententiis, in Ecclesia sine controversia receptis. Unde quibusdam ex ipsis ista excidit propositio, ab Hispanica Inquisitione reprobata, *Augustini authoritatem non plus valere, quàm rationes, quas allegat, evincant*, ipsorum utique judicio, quibus id solum rationabile videtur, quod ipsis probatur.

Id utcumque ferendum in philosophicis dis- 52
ciplinis, in quibus tolerabile utcumque est, quòd plus rationi deferatur quàm authoritati: quàmquam & in illis rationum momenta communi potiùs Sapientiorum judicio, quàm privato & singulari, regulariter pensanda sint. At quòd in Theologicis plus rationi suæ privatus Author, quàm SS. Doctorum, & maximè priscorum Patrum, incomparabiliter sapientiorum, authoritati (citra perspicuam necessitatem) deferat, tolerabile non videtur, utpote contra locorum Theologicorum ordinem, ut suprà vidimus, sicut & contra Oracula Scripturarum, contra documenta exemplaque Sanctorum, & contra rectæ rationis, christianæque humilitatis, modestiæ ac prudentiæ dictamen, uti Proleg. 2. videbitur.

Ipsoque experimento demonstratur, immo- 53
deratos illos visæ sibi rationis supra priscorum Patrum authoritatem, exaltatores, inde actos in præcipitum, sive opiniones illas *christianæ disciplinæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes*, quas suprà n. 3. deplorat Alexander VII. quarumque causam dum subindicat, *summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam... per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus, modus opinandi irrepsit alienus omninò ab Evangelica simplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina, quem si pro recta regula fide-*

les in praxi sequerentur, ingens irreptura esset vitæ christianæ corruptela: satis innuit deploratæ istius relaxationis causam esse neglectam vel minori in pretio habitam authoritatem, doctrinamque Sanctorum Patrum. Neque enim opinandi modum ab evangelica simplicitate, SS. quoque Patrum doctrina adeò alienum invexissent luxuriantia illa ingenia, si eorundem SS. Patrum doctrinam non neglexissent, majorive in pretio habuissent, quàm humanam rationem sibi visam.

54 Sed quid mirum, quòd à licentiosis illis opinionibus ipsos non revocaverit authoritas, doctrinaque SS. Patrum? cùm eò deduxerint locum ab eorum authoritate omnibus Majoribus nostris adeò venerabilem, ut nullum apud ipsos argumentum solutu facilius sit, quàm ab eorum authoritate petitum: quippe qui non verentur quamlibet perspicuam SS. Doctorum sententiam, pro visa sibi ratione, quam lubet in partem, velut cereum quemdam nasum, inflectere? Quippe nihil in doctrina Sanctorum (per Ecclesiam non definita) adeò manifestum est, nihil adeò cathegoricis propositionibus expressum, quod non audeant ad pondus visæ sibi rationis dijudicare, glossare, explicare, limitare, contorquere, & in visæ sibi rationis vulgatæque licentiæ servitutem redigere, prout superiori capite graviter conquerentem, indignissimè ferentem, & nullo modo tolerabile censentem vidimus Albertum de Albertis.

55 Atque utinam exiguus foret illorum numerus! At in dies pullulare videtur istud malum, multitudoque blandientium sibi de excogitata glossa, vel distinctiuncula, qua ab adversantibus opinioni suæ textibus innumeris, (v. g. Augustini, Gregorii Magni, vel Aquinatis) quamlibet manifestis, verbo sese expedire gloriantur, dicentes: Ad hanc authoritatem, & omnes similes, respondemus per unam distinctionem. Qua contra christianas legitimæ interpretationis regulas (Prolegomeno sequenti comprobandas) legitimumque distinctionis usum (qui cùm non sit ad subvertendam, sed ad stabiliendam illustrandamque doctrinam, cui adhibetur; consequenter non est ad glossandos SS. Doctores, ut glossator quisque sapit, sed ut ipsimet SS. Doctores sapiunt) vel textum clariorem glossant per obscuriorem; vel per unum alterumve, obiter scriptum, innumeros & manifestos subvertunt (cùm tamen, authore Tertulliano, adv. Praxeam c. 20. & 26. *oporteat secundùm plura intelligere pauciora. Ne tot manifestè pronuntiata & antè & posteà, unus sermo subvertat*) vel eâdem distinctiunculâ, absque ullius textûs adminiculo, summis in labris natâ, continuòque mortuâ, textus omnes eludunt. At hoc imprimis alienum videtur à christiana simplicitate, ac, licèt in juniore scholari utcumque dissimulandum, non videtur tamen gravi Theologo dignum, utpotè non tam sapiens Theologicam gravitatem, quàm vanam subtilitatem, scholasticumque pulverem, ne dicam puerilem levitatem. Deinde ista videtur inanis Philosophia, quam cavendam monet Apostolus, cujus utique professio, est professio eludendi omnia, distinguendo omnia; nec sollicitum esse quidquid demùm objiciatur, dum non desit acuta distinctio, qua eludatur. Consequenter videtur plus habere cavillationis quàm soliditatis, plus ludificationis quàm sapientiæ, nec tam spectare ad sincerum veritatis amorem, quàm ad sophisticam argutiem, de qua Eccl. 37. *Qui sophisticè loquitur, odibilis est, in omni re defraudabitur. Non est illi data à Domino gratia: omni enim sapientia defraudatus est.* Denique modus ille glossandi, magnum Theologiæ infert præjudicium, dum hæreticis similiter Oracula sacra Patresque glossandi præbet exemplum. Infert etiam præjudicium veritati. Siquidem (Tertulliano teste in lib. de præscript. c. 17.) *tantum veritati obstrepit adulter sensus, quantum corruptor stylus.* Vetusta itaque Priscorum Patrum doctrina, ob intellectum ipsorum cælitùs illustratum, dogmatumque antiquitatem (velut venerandam quamdam canitiem) majorem à nobis postulant reverentiam; tam liberaque inflexio venerandæ doctrinæ ipsorum, non tam est legitima ejusdem interpretatio, quàm ludificatio & adulteratio. Contra quam fortiter agemus sequenti Prolegomeno. Quod hîc de Sanctorum doctrina est dictum, de Ecclesiæ doctrina ac Decretis pariter est intelligendum; meritòque arguendi, qui eorum sensum adulterant, per confictas ex cerebro suo distinctiones, quæ pervicacibus ingeniis, in fraudem legis, veræque doctrinæ, numquam desunt. Etenim si, ex proprio ingenio, sine legis authoritate, vel approbata consuetudine, distinctiones fabricare liceat; cui legi, cui consuetudini non facilè illudetur? Ubi ergo lex non distinguit, nec nos distinguere debemus.

CAPUT VII.

Quarta radix, est nimia de moribus opinandi, de suoque definiendi, ac novos & Majoribus incognitos peccatorum excusandorum prætextus excogitandi licentia.

56 QUarta quoque hæc radix oritur ex prima, nimia scilicet rationis antecedentis præfidentia. Inde enim exorta est notata ab Alexandro VII. *luxurantium ingeniorum licentia*; cujus effectus ab eodem subjungitur, *in rebus ad conscientiam pertinentibus modus opinandi alienus omninò ab Evangelica simplicitate, sanctorumque Patrum doctrina.* Non igitur in Evangelica simplicitate, sanctorumque Patrum doctrina fundatus: adeòque nec in ratione eam consequente, sed in antecedente. Sed quis opinandi modus ad tantam licentiam subsecutus? *quem* utique *si pro recta regula fideles in praxi sequerentur, ingens irreptura esset vitæ christianæ corruptela.* Prout Ale-

xander VII. ibidem prosequitur.

57 Inde igitur tot illæ propositiones, partim ab Alexandro VII. partim ab Innocentio XI. condemnatæ. Inde tot aliæ, quæ passim leguntur in operibus eorum, qui moralia sua dogmata fundant in ratione & adinventione purè humana, non in sacris Litteris, vel SS. Patrum doctrina. Inde exquisiti cavilli, novæque & Majoribus incognitæ adinventiones, quibus Divinæ & Pontificiæ Constitutiones eluduntur, v. g. Gregoriana, assasinos immunitate privans, contra vulgarem sensum negando (cum Escobario) *assasinorum* nomine comprehendi eos, qui, nullo conducti pretio, imperturbato animo, per insidias ex industria hominem interficiunt. Vel dum Pontificiæ Constitutiones nullâ possunt eludi cavillatione, dicendo (cum Diana p. 5. tr. 13. resol. 39. & 65.) Pontifices ita respondisse in sphæra dumtaxat probabilitatis sententiæ suæ, non ob id infringendo probabilitatem securitatemque sententiæ oppositæ.

58 Contra memoratam verò licentiam faciunt imprimis exempla Christi, Apostolorum, Conciliorum, SS. Patrum, & Pontificum. Si enim Unigenitus Dei Filius, à Patre missus ad illuminandum omnem hominem venientem in hunc mundum, non suam, sed traditam à Patre doctrinam prædicavit, juxta illud Joan. 7. *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me Patris.* Si nec ipse Spiritus veritatis, à Filio missus, ex semetipso locutus est, sed ea quæ à Patre audivit & Filio, juxta illud Joan. 16. *Non enim loquetur à semetipso, sed quæcumque audiet loquetur.* Si pariter Apostoli missi à Spiritu Sancto, non aliud docuerunt, nisi quod ab eodem Spiritu didicerunt. Si Concilia & Pontifices, nihil adinventione suâ circa morum disciplinam statuere voluerunt, sed ea sola, quæ à Majoribus acceperunt, observanda tradiderunt, ut videbitur n. 59. & seqq. numquid fas erit nobis homuncionibus à nobis loqui, & confictam è proprio cerebro vitæ normam tradere? *Magister gentium accepit à Domino quod & tradidit nobis* (ait S. Bernardus epist. 189.) *Magister hominum fatetur doctrinam suam non esse suam; nec enim*, inquit, *à meipso loquor. Tu verò*, homuncio, *de tuo nobis tradis quod non accepisti? qui loquitur mendacium, de suo loquitur. Nobis* (inquit Tertullianus in lib. de præscript.) *nihil ex nostro arbitrio indulgere licet, sed ne eligere, quod aliquis de suo arbitrio induxerit. Apostolos Domini habemus Authores, qui nec ipsi quidquam ex suo arbitrio quod inducerent, elegerunt, sed acceptam à Christo disciplinam fideliter nationibus adsignarunt.*

59 Veniamus ad SS. Patres (securissimos, post Christum & Apostolos, moralis doctrinæ Fundatores) nec ipsi profectò sibi licentiam arrogarunt, morum regulas, de suo pro visa sibi ratione statuendi, sed ex authoritate Scripturarum, Patrumque præcedentium, ut in Oriente fecerunt Gregorius Neocesarienſis, S. Petrus Alexandrinus, S. Athanasius (videndus in Epist. ad Ruffianum) S. Basilius in regulis 85. ad Amphilochium, & S. Gregorius Nissenus in epist. ad Lætoyum. Nos, inquit Magnus Basilius ep. 60.) *mentis nostræ fœtus non audemus obtrudere, sed quæ à SS. Patribus edocti sumus, ea nos interrogantibus annuntiamus. Numquam meipsum Magistrum habui*, ait Hieronymus epist. ad Paulinum.

De Basilio & Nazianzeno Rufinus refert l. 60
2. c. 9. quòd licèt essent præstanti ingenio, sententias Scripturarum, non ex propria præsumptione, sed ex Majorum ratione & authoritate interpretati sunt. Idem de iisdem, necnon de Cypriano, Ambrosio, Hilario, &c. testatur Augustinus 2. contra Julianum 10. *Quod invenerunt in Ecclesia, tenuerunt; quod à Patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt.* Idem fuit sensus totius Antiquitatis apud Vincentium Lirinensem c. 9. *Intelligebat enim*, inquit, *nihil aliud rationem pietatis admittere, nisi ut omnia, quâ fide à Patribus suscepta forent, eâdem ferè filiis consignarentur. . . . idque proprium christianæ modestiæ, non sua posteris tradere, sed à Majoribus accepta servare. Quoniam* (ait Petrus Damianus epist. 18.) *ab Apostolis fidem, ab Apostolicis autem viris conversandi in Ecclesia percepimus ordinem, ita propemodum non mutamus disciplinæ modum à Majoribus traditum, sicut illibatum tenemus ipsum quoque fidei fundamentum.*

Christianam illam modestiam jam olim se- 61
ctandam tradiderat S. Clemens epist. 5. ad discipulos Hierosol. *Lex Dei* (inquit) *non secundùm propriam intelligentiam doceatur. . . . oportet ab eo intelligentiam intelligere Scripturarum, qui eam à Majoribus secundùm veritatem sibi traditam servat.*

Hanc regulam secuti sunt successores Ponti- 62
fices, ut Innocentius I. epist. ad Victricium: *Non nostra præcepta imperantur, sed ea quæ Apostolicâ & Patrum Traditione sunt constituta: scriptum est namque ad Thessalonicenses, Paulo monente, state & tenete traditiones nostras, quas tradidimus vobis, sive per verbum, sive per epistolam.* Gelasius epist. 3. ad Honorium Dalmatiæ Episcopum: *Ubi est, quod scriptum est; terminos Patrum tuorum ne transgrediaris? Et interroga Patres tuos, & annuntiabunt tibi; Seniores tuos, & dicent tibi. Quid ergo tendimus ultra definita Majorum? aut cur nobis non sufficit, si quid ignorantes discere cupiamus, qualiter ab orthodoxis Patribus, singula quæque vel vetita, vel præcepta sunt, vel aptata catholicæ veritati? nunquid aut sapientiores illis sumus, aut poterimus firmâ stabilitate constare, si ea quæ ab illis constituta sunt subruamus?* Leo Magnus epist. 6. *Frequenter quidem in diversarum quæstionum ambiguo, fratrum corda titubantia, Spiritu Dei instruente, solidavimus, responsionum formas, vel ex sacrarum Scripturarum disciplina, vel ex Patrum regulis colligentes.* Gregorius VII. lib. 3. epist. 10. *Videntes ordinem Christianæ Religionis, multis jam labefactatum temporibus, & principales ac proprias lucrandarum animarum causas diù prolapsas, & suadente diabolo, conculcatas,*

concussi periculo, & manifestâ perditione gregis Dominici, ad SS. Patrum Decreta, doctrinamque recurrimus, nihil novi, nihil adinventione nostra statuentes, sed primam & unicam ecclesiasticæ disciplinæ regulam, & tritam Sanctorum viam, relicto errore, repetendam & sectandam esse censuimus. Neque enim alium nostræ salutis & æternæ vitæ introitum Christi ovibus... ab ipso monstratum... & ab Apostolis prædicatum, & à SS. Patribus observatum in Evangelica, & in omni Scripturarum divinarum pagina didicimus.

63 Ne ipsa quidem Concilia aliam tradiderunt, vel secuta sunt regulam, ut ex ipsorum actis constat. Siquidem Concilium VIII. Constantinop. act. 10. c. 1. sic habet: *Ut rectam regiamque divinæ justitiæ viam sine erroris offensa teneamus, sanctorum Patrum correcta, velut inextinctæ quædam semperque lucentes faces sequenda sunt. Quapropter sanctiones Ecclesiæ Catholicæ & Apostolicæ per Traditionem, tum à sanctis, omnique laudis præconio celebrandis Apostolis, tum ab Orthodoxis Oecumenicisque & Provincialibus Conciliis, aut à quovis Deiloquo Patre, & Ecclesiæ Doctore acceptas, servandas, custodiendasque profitemur.* Sexta quoque Synodus generalis c. 19. *Si ad Scripturam pertinens controversia aliqua excitata fuerit, non eam aliter interpretentur, qui præsunt Ecclesiæ, quàm quomodò Ecclesiæ luminaria & Doctores suis scriptis exposuerunt; & majorem ex iis laudem assequentur, quàm si quæ à se dicuntur componant: ne dum quandoque ad id hæsitant, ab eo quod convenit excidant.* Et Concilium Lemovicense II. anni 1134. *Observandum nobis magnopere est ante omnia, & super omnia, uti mandatum Dei, & non nostras Traditiones populo observandas tradamus, & nihil, nisi Scripturarum divinarum authoritate fultum, statuamus agendum, nihilque de cordibus, nihil extra præceptum Domini, & SS. Patrum (quod absit) constituere, docere, vel jubere præsumamus.* Et Patres Concilii Constantiensis in Præfat. *Cùm plerumque in rebus dubiis ad utramque partem rationes plurimæ adducantur, ad tollendas lites & contentiones, opportuna cernitur Veterum authoritas, & quæ ab antiquo facta legitur sanctorum definitio Patrum. Sic enim scriptum est, Interroga generationem pristinam, & diligenter investiga Patrum memoriam,* Job. 8. Et iterùm. *Interroga Patres tuos, &c.* In Concilio denique Tridentino (teste Pallavicino l. 12. Histor. Trident. c. 1.) *Hæc in dicendis sententiis, ratio Theologis fuit præscripta: ut illa è sacris Litteris, ex Apostolicis Traditionibus, ex Conciliis approbatis, ex Constitutionibus & Authoritate SS. Pontificum, è SS. Patribus, ex communi Ecclesiæ Catholicæ consensu colligerentur.* Et iterùm c. 10. *de fundamentis, supra quæ stabiliendæ erant sententiæ, idem repetebatur, quod ante præcedentem Sessionem injunctum erat: nimirùm ut ea forent sacræ Litteræ, Apostolicæ Traditiones, Concilia comprobata, Constitutiones, Authoritatesque Romanorum Pontificum, ac SS. Patrum & Ecclesiæ consensio.* In eodem quoque Concilio Sessione 4. decretum est, *ad coërcenda petulantia ingenia, ut nemo suæ prudentiæ innixus, in rebus fidei & morum, ad ædificationem doctrinæ christianæ pertinentibus, S. Scripturam ad suos sensus exturqueat, &c.*

Ecce quam christianam modestiam, Concilia, Pontifices, Patres, & Apostoli post servaverunt ac præscripserunt! ecce quomodò proprium ejusdem christianæ modestiæ semper intellexerunt Majores nostri, in rebus divinis, seu fidem, seu mores, æternamque salutem concernentibus, non sua posteris tradere, sed à Majoribus accepta servare! ingentem itaque humanæ rationis defectum præ oculis habentes, simul alta mente repostum habuerunt Oraculum Spiritûs Sancti, *Ne innitaris prudentiæ tuæ*: ideòque periculosam arbitrati sunt licentiam, doctrinales Libros, in materia morum, de suo fabricare; nec proinde aliam morum doctrinam tradere ausi sunt, nisi quam à Patribus acceperunt, ut cernere est in libris pœnitentialibus, olim in Oriente compositis, utique Gregorii Neocesarienſis, S. Petri Alexandrini, S. Athanasii, S. Basilii, &c. 64

Sed & primus Liber doctrinalis, ad discernendum causas, voluntates, & necessitates lapsorum, in Occidente compositus fuit ex Canonibus Concilii, cui S. Cyprianus interfuit, prout ipse refert epist. 52. qui quidem liber ampliùs non invenitur. 65

Primus autem Liber Casuum in Occidente compositus, qui ad nos pervenit, confectus est ex 80. Canonibus Concilii Eliberitani, ex 25. Canonibus Concilii Ancyrani, ex 23. primi Arelatensis. 66

Tres autem Libri pœnitentiales ex authoritatibus Conciliorum & Patrum compilati sunt; omnes verò alii Libri pœnitentiales particularium Casuistarum anno 800. in Concilio Turonensi III. igni adjudicati sunt, statutumque est, ut Summa Casuum, seu Liber pœnitentialis compilaretur dumtaxat ex Decretis Conciliorum & sententiis Patrum. Concilium etiam Cabilonense eodem anno eosdem libros condemnavit tanquam refertos erroribus, doctrinaque laxiori. Eandem condemnationem renovavit Concilium Moguntinum anno 813. sub Rabano, & Concilium Parisiense VI. sub Ludovico Pio. 67

Porrò Liber ille Casuum à Concilio Turonensi præscriptus anno 830, compositus fuit per Halitgarium Episcopum Cameracensem, in eoque ipse protestatur, non assertas à se nisi decisiones Scripturarum, Patrum, & Conciliorum. " Legentibus persuasum esse cupimus (inquit) " nihil de meo in hoc opere esse additum, sed ex " divinis testimoniis Scripturarum singula esse de- " cerpta. " Quibus adjungit testimonia Conciliorum, Summorum Pontificum, & SS. Patrum, subjungitque hoc monitum ex Augustino: *Solerter admonemus doctum quemque Sacerdotem Christi, ut non ex suo sensu, sed secundùm Canonum statuta, & traditiones Patrum, universa disponat.* 68

Similiter

69 Similiter S. Burchardus anno 1120. viginti Libros decreti sui compilavit ex SS. Augustino, Ambrosio, Hieronymo, Gregorio, Basilio, Benedicto, Isidoro, & tribus Libris pœnitentialibus supradictis.

70 Decretum quoque Gratiani, Libri quatuor Magistri sententiarum, & Summa S. Raymundi, ex Documentis Sanctorum, Decretisque Conciliorum, & summorum Pontificum composita sunt.

71 Denique tota sic egit Antiquitas, adeòque periculosum ac lubricum censuit, ex suo morum quæstiones definire, ut si Casus per Canones vel SS. Patres foret decisus, staretur decisioni, præsumptuosumque videretur aliter decidere: si non foret decisus, sed novus, nullus particularis, etiam Episcopus, decidere audebat, sed ad Concilium vel ad judicium plurium Episcoporum, aut Sacerdotum ad id congregatorum, referebat.

72 Sic Paulus & Barnabas per se non determinaverunt, sed ad Concilium Apostolorum, id est, primum Hierosolymitanum, detulerunt Casum observationis legalium.

73 Cyprianus epist. 61. testatur congregatos à se quatuor Episcopos, plureſque Sacerdotes, ad respondendum Pomponio, quærenti, quid agendum cum virginibus quæ dormierant cum masculis adolescentibus, à quibus se intactas asserebant. Nec sine Concilio ausus fuit respondere ad quæstionem Caledonii Episcopi, num anticipari posset absolutio lapsorum, qui ad pugnam pro fide reversi, gratiam & communionem postulabant.

74 Clerus item Romanus (Sede vacante) ab eodem Cypriano consultus super alia difficili quæstione de lapsis, decisionem remisit ad Concilium. Videri potest in horum fidem Cyprianus in epist. 10. 11. 12. 14. 31.

75 Gregorius Taumaturgus, Canone 7, respondere noluit quibusdam Episcoporum consultationibus, *donec* (inquit) *de iis congregatis Sanctis, aliquid communiter visum fuerit.* Interroga Scripturas (ait Innocentius III. in cap. *per tuas*, de sentent. excom.) si non inveneris, Canones Apostolicos intuere; si nec in illis, ad Catholicæ Ecclesiæ historias; si nec in illis, ad Sacerdotum exempla; si nec, congrega Seniores Provinciæ.

76 In Concilio Lemovicensi anno 1038. Episcopus quidam exposuit, non fuisse se ausum, solo judicio suo decidere Casum novum adolescentis, qui temporalem dominum jussu supremi Principis interfecerat.

77 Sed & novos conscientiæ Casus in Conciliis resolvi solitos, patet ex Concilio Parisiensi, extrav. de adulter. c. 4. Turonensi, extrav. de simonia; Lateranensi sub Alexandro III. p. 6. c. 9. &c. Quòdque libri Casuistarum in Conciliis examinarentur, proscriberenturque, si quid novi, sine Conciliorum aut Patrum authoritate, continerent, liquet ex dictis suprà.

78 Ex quo verò rariora facta sunt Concilia, ad Papam Episcopi recurrerunt, quemadmodum & Reges & Principes, &c. Ut ad Vigilium an. 538. Theodobertus Galliæ Rex, petens, an ducere posset uxorem fratris sui defuncti, qui eam non cognoverat. Ad Innocentium III. Episcopus Tullensis, extrav. de adulter. c. 4. Ad Alexandrum III. Episcopus Beliovacensis, extrav. de matrimon. c. 3. Idem passim videre est in corpore Juris Canonici.

79 S. Augustinus l. 7. de Baptismo contra Donatistas c. 53. proponit quæstionem, an Baptismus mimicè & joculatoriè collatus, valeat? non audet eam per se resolvere, sed dicit: *Nobis tutum est in ea non progredi aliquâ temeritate sententiæ, quæ in nullo Catholico regionali Concilio cœpta, nullo plenario Concilio terminata sunt.... utrùm approbandus esset Baptismus, qui sic daretur, divinum judicium, per alicujus revelationis oraculum, concordi oratione, & impensis supplici devotione gemitibus implorandum esse censerem.* Quem imitatus est S. Leo IX. in sua Romana Synodo: cùm enim tractaretur de reprobandis simoniacorum ordinationibus, Venerabilis Papa (ut refert S. Petrus Damiani in epist. ad Henricum Ravennæ Archiepiscopum) omnes Episcopos ex divina obtestatione rogavit, quatenùs Dei misericordiam in commune deposcerent, ut quid super hoc scrupuloso negotio decernendum esset, nutantibus revelaret.

80 Tam procul Majores nostri abfuerunt à præsumptuosa illa licentia, qua plures moderni, Veteribus illis sanctitate & sapientiâ absque comparatione inferiores, in comparationeque istorum Ecclesiæ Gigantum vix nani, præsumunt ex suo sensu, privataque sua ratione, Scripturam & Patrum documenta antecedente, de moribus judicium ferre, novosque & Majoribus incognitos peccatorum excusandorum prætextus comminisci.

81 Quam profectò præsumptionem incastigatam noluit Deus, sed, ut eam nobis cavendam toti mundo faceret manifestum, præsumptuosos illos dimisit in adinventionibus suis, permisitque ut prolaberentur in tot proscriptas opiniones, modumque opinandi usque adeò alienum ab evangelica simplicitate, sanctorumque Patrum doctrinâ, de quo conqueritur Alexander VII. suprà.

82 Enimverò ex quo illam sibi licentiam Neoterici tribuerunt, Sanctorum doctrinam vel neglexerunt, vel adulterarunt. Ex quo verò sic negligi adulterarive cœpit Sanctorum doctrina, relaxari cœpit Moralis Christiana. Quæ tamdiu sancta fuit, quamdiu laudatorum Veterum modestia perstitit.

CAPUT VIII.

Quinta radix, abusus probabilitatis.

83 HÆc pariter radix ex prima profluit, ex nimia utique rationis antecedentis, seu purè humanæ præfidentia, estque mali corvi malum ovum; cùm non fundetur in Scrip-

tura divina, neque in Sanctorum doctrina, sed in sola præsumptione, Philosophiaque humana. Quæ ex una parte practicè probabile dicit, quodcumque viro alicui docto licitum videtur, sive ita ipse judicet ex suo sensu, privataque ratione, sive ex aliorum authoritate, quæ apertè repugnantem non habeat sacræ Scripturæ traditionem: ex alia verò parte, omne hujusmodi probabile, in praxi licitum securumque asserit, tametsi perpensis hinc inde fundamentis appareat probabiliùs illícitum, quàm licitum.

84 Quanta verò hinc corruptela, quanta disciplinæ christianæ relaxatio consequatur, liquet ex eo quòd humanæ rationes, quibus illa probabilitatis doctrina fulcitur, vel nihil probent, vel probent, ad licitam operationem, qualemcumque etiam minimam probabilitatem, dummodò probabilitatem, sufficere, ut videbitur in materia de conscientia probabili, & usque adeò fatentur Tamburinus lib. 1. in Decalogum c. 3. §. 3. n. 3. & 8. Pasqualigus decis. 18. aliique probabilistæ, ut ad licitam operationem, minimam de licito probabilitatem, dummodò probabilitatem, sufficere putent, etiam in casu quo de ea probabilitate nonnisi probabiliter constet.

85 Hinc autem ulteriùs consequitur, id omne esse licitum, cujus honestas vel uni viro docto, & in materia versato, apparet niti ratione vel authoritate gravi, tametsi talis ipsi non appareat, nisi apparentiâ probabiliter probabili. Quod Tamburinus n. 4. concedit, *tametsi* (inquit) *contra innumeros Doctores id doceat.* Addit quidem hanc limitationem: *dummodò in contrarium nihil appareat convincens.* Sed & hanc limitationem Escobarius t. 1. Theol. Mor. in præloq. c. 3. n. 14. intelligit de fundamento, non hunc vel illum, sed omnes absolutè convincente: *accidere enim assolet* (inquit) *ut tibi probabiliter opinanti ratio aliqua in contrarium convincens videatur, sed non inde opinio probabilitatem amittit. Quia licèt tu illam non valeas rationem solvere, alius solvere quibit. Idque tibi debes persuadere: cùm sæpè tibi multæ rationes insolubiles exponantur, quæ ab aliis facili negotio dissolvuntur. Quare imprudenter te gereres, si, ob hanc causam, aliorum opiniones, quæ ut probabiles circumferuntur, improbabiles adjudicares.* Sic ille referens Thomam Sanchez & Sayrum.

86 Ampliùs (si tamen ampliùs) progreditur Caramuel Theol. fundam. Edit. Lugdun. n. 275. ibi namque docet in terminis, nihil habendum illicitum, nisi quod impingit evidenter in aliquam legem obligatoriam evidenter, idque omne esse probabiliter licitum & practicè tutum, quod non impingit evidenter, &c. Ideòque n. 277. asserentem aliquid illicitum, ad tria omninò præstanda obligat. *Primò* (inquit) *debet ostendere rationes quæ malitiam probant, esse demonstrativas, nempè tales, quibus dari probabilis responsio non possit. Secundò, debet ostendere rationes, quæ bonitatem probant, nequidem probabiles esse.* Quandonam id ostendet? *Ostendet* (inquit) *si omnibus ad unam dederit solutionem quæ evidenter sit vera.* Nec his contentus: *Tertiò* (inquit) *etiam debet ostendere, partem illam, quæ bonitatem astruit, non habere sufficientes authoritates, ut dicatur probabilis.* Non sufficit ergo quòd priora duo ostenderit, *sed hæc omnia simul ostendere debet, casurus causâ, etsi duo ex illis ostendat, modò unum non ostendat.*

Atque utinam solius Caramuelis ea foret doctrina! verùm eandem reipsâ communissimam Probabilistarum doctrinam esse, conficitur ex duobus principiis apud ipsos solemnissimis. Primum (quod Authores innumeri docent apud Terillum ipsis consentientem in tract. de consc. probab. q. 23. n. 27.) *Si post omnem conatum adhibitum, jus* (aliquid prohibens) *maneat incertum, posse nos prudenter formare judicium, quòd nulla hujusmodi lex urgeat.* Secundum (quo fulcitur primum, quodque tradit Terillus ibidem n. 16.) est, *legem non obligare nisi sit sufficienter promulgata: talem autem non esse, nisi sit manifestè & evidenter cognita*; vel (ut bonæ spei habet in Apologem. retort. dub. 7. n. 326. & 327.) *legem non esse sufficienter promulgatam, quamdiù invincibiliter ignoratur, an sit certò lata.* Si enim hæc principia vera sint, vera est allata, cum Tamburini, tum Caramuelis doctrina; nihil utique habendum ut illicitum, nisi quod impingit evidenter in legem obligatoriam evidenter, licitamque esse actionem omnem, quæ fit secundùm opinionem probabiliter probabilem de licito, tametsi probabilitas illa minima sit, dummodò à probabilitatis finibus non exeat. Quia hoc ipso quòd habetur probabilitas ista de licito, deficit tam certitudo, quàm evidentia de illicito (cùm nulla opinio contra se certum & evidens fundamentum habens, probabiliter probabilis sit, ut fatetur Tamburinus suprà;) nulla igitur actio facta, secundùm opinionem probabiliter probabilem de licito (etiam minimâ probabilitate, &c.) impingit certò vel evidenter in aliquam legem obligatoriam evidenter. Omnis igitur actio ejusmodi habenda erit licita. 87

Si autem omnis actio ejusmodi habenda sit licita, pauca profectò habenda erunt illicita (tametsi talia passim ab omnibus habeantur) ferèque licebit quidquid lubebit. Tum quia tot jam sunt de humanis actibus opiniones, ut, exceptis generalibus quibusdam principiis ac Decalogi præceptis, omnia ferè sub opinione posita sint; ipsaque Decalogi (& à fortiori Ecclesiæ) præcepta tot hodie limitationibus, confictisque ex proprio cujusvis sensu interpretationibus convelluntur, ut vix remaneat præcepto locus, prout c. 2. vidimus, observatque Emin. Cardinalis Bona in aureo Libro de principiis vitæ christianæ p. 2. §. 46. Tum quia in tanta multitudine laxiorum Ethicorum, & Magistrorum prurientium auribus, qui (ut idem Eminentissimus ait) *ut noxiæ libertati faveant, mandata Dei & Ecclesiæ tot limitationibus & perniciosis interpretationibus convellunt,* 88

convellunt, admodùm difficile est certâ & evidenti demonstratione evincere, quòd illicita sint quamplurima, etiam quæ ab omnibus ferè illicita habentur. Materia quippe moralis paucas habet demonstrationes, vel cum Philosopho in principio Ethicorum fatentur omnes, & Lyranus advertit in c. 9. Sapientiæ, dicens, *quòd agibilia humana in pluribus talia sunt, ut quoad ea non habeatur demonstratio.*

89 Enimverò quid planius simpliciusque Decalogi præceptis? At tam varias de illis interpretationes hodie commenta est humana subtilitas, tot tricas & spinas superseminavit, tam densas difficultatum nebulas offudit, ut à pluribus hodie revocetur in dubium, sintne illa vetita, quæ ab omnibus passim Majoribus pro vetitis habita sunt. Et idem est, de præceptis ecclesiasticis. Mos enim apud nonnullos Casuum Scriptores invaluit, ut quemadmodùm in speculationibus quidam videntur sibi gloriosè agere, si receptissima quæque negantes, vel in dubium revocantes, novas atque à communi scholarum sensu alienas opiniones tueantur, vel etiam comminiscantur; sic illi in moralibus sibi videntur nomen suum immortalitati consecrare, si novas cæli semitas à communi Majorum sensu alienas excogitent, arctamque cæli viam dilatent, quo hominum gratiam aucupentur, dicanturque Agni Dei, qui tollunt peccata mundi: ideòque omnes humanæ subtilitatis nervos intendunt, ut tricis & altercationibus suis receptissima quæque negantes, vel in controversiam revocantes, jam licita faciant quæ olim ab omnibus illicita habebantur.

90 Quo fit, ut pauca sint in divinis humanisque legibus ac præceptis, usque adeò semota ab omni controversiâ, quæ nimiâ eorum subtilitate (quæ propterea in Jure reprobatur) non reddantur obscura & controversa; ita ut zelum Dei & veritatis habentes jam deplorent, per contrarias interpretum sententias, *totum penè Jus* divinum ecclesiasticumque *conturbatum*, prout olim de Jure civili deplorabat Justinianus Imperator l. 3. de vet. jur. enucl. Id verò Constitut. 44. in nimiam rejicit subtilitatem, qua fit, *ut nihil in rebus humanis adeò semotum sit ab omni controversia, tametsi maximam cum justitia*, seu rectæ rationis dictamine, *connexionem habeat, quod dubitationem ac controversiam non recipiat, si subtiliter animi curas intendas.* Cujus Imperialis testimonii veritatem in moralibus experientia comprobat, experientia utique infinitarum propemodùm glossarum, tricarum, inventionum, quibus divinas humanasque leges obscurarunt, inflexerunt, elumbarunt, mangonisarunt, enervarunt, luxarunt, & traduxerunt Authores propositionum c. 2. recensitarum.

91 Harum quidem laxitatum complures proscriptæ sunt per Constitutiones Alexandri VII. & Innocentii XI. verùm illi ipsi, qui nimiâ subtilitate, minùsque sobriis tricis & altercationibus suis, divinas humanasque leges priùs obscurarunt, in controversiam reduxerunt, indemonstrataque proinde concluserunt, atque hoc pacto earumdem vim (secundùm allatam Tamburini, Caramuelis & communissimam Probabilistarum doctrinam) evigorarunt; proscriptiones illas pariter obscurare, in controversiam revocare, & evigorare conantur. Dum enim diffiteri non possunt, certas evidentesque esse quoad substantiam, eas in incertum & controversiam revocant quoad sensum (sicut & antè revocabant tot alias summorum Pontificum Constitutiones, ipsaque Decreta, etiam Concilii Tridentini.) Non obstante namque damnatione propositionis v. g. 8. & 9. quòd liceat comedere, bibere, opus conjugale exercere ob solam voluptatem, id adhuc licitum asserunt ob moderatam voluptatem, solùmque damnatam contendunt, si fiat ob voluptatem immoderatam, tametsi nullus unquam Christianus ob immoderatam voluptatem id licitum asseruerit: damnatas verò propositiones illas, *partim ex diversis vel libris, vel thesibus, seu scriptis excerptas, partim noviter adinventas esse* Innocentius XI. contestetur. Nescio an majoris audaciæ non sit Caramuel, dum, loco infrà referendo, dicit: non dari in mundo visibili authoritatem condemnandi opiniones probabiles, id est (ut ipse explicat) authoritate alicujus viri docti, vel ratione visâ ipsi gravi semel subnixas. Quippe an non inde consequens sit, 45. opiniones ab Alexandro VII. & 65. ab Innocentio XI. illegitimè condemnatas esse, aliis judicandum relinquo.

92 Scio non omnes Probabilistas tam liberè sentire, liberumque probabilitatis usum certis limitibus non paucos coarctare. Sed dum equidem licitum universim faciunt usum opinionis minùs probabilis de licito, contra agnitam probabiliorem de illicito; dum licitam in substantia, vel certa circumstantia, faciunt contraventionem legis, sive naturalis, sive positivæ, sive divinæ, sive humanæ, quoties utique obligatio ipsius vel in substantia, vel in hac illave circumstantia, post diligens examen, certò & evidenter non innotescit; dum vel unius viri docti & pii (id est pro tali ab ipsis habiti) authoritatem satis momenti habere putant ad efficiendum practicè probabile, adeòque practicè licitum, ac tutum, quod tale ipse existimat (quia videlicet *viri magni authoritas, satis est magna ratio, ut judicem rationes ejus probabiles, etsi minus mihi probentur* (inquit P. de Rhodes disp. 2. de actib. hum. q. 2. sect. 3. §. 1. ad 2. object.) dum hæc (inquam) universim affirmant, suis istis principiis generalibus, practicè licitas faciunt quascumque Caramuelis, Dianæ, Tamburini, Escobarii, aliorumque indulgentiorum Authorum laxitates c. 2. recensitas, etiam illas quas per speciales rationes speculativè damnant. Quid enim juvat speculativum eorum, privatis in quæstionibus, ab invicem dissidium, si equidem in communi illa quæstione, generalibusque prin-

cipiis antedictis, practicè conveniant? nihil profectò juvat, quominùs in ipsos quadret quod Augustinus ait 2. de adulter. conjug. 4. *Hoc vos quidem non sentitis, sed hæc sequuntur illa quæ sentitis. Mutate ergo antecedentia, si vultis cavere sequentia.*

93 At (inquiunt) probabile non existimamus placitum cujusque viri docti & pii, quando convincens quidpiam adfertur contra illud, v. g. condemnatio illius per Ecclesiam.

At (inquam ego) si evidenter non constet de sensu damnationis, suumque placitum vir ille doctus & pius suo sensu damnatum neget, viroque alicui pio & docto probabilis videatur hæc exceptio, ecce iterùm per generalia principia vestra (damnatione non obstante) practicè probabilis ac tuta remanebit assertio ipsius, quia in sensu ipsius incerta inevidensque erit ipsius condemnatio.

94 Ecce igitur quàm vastus aditus ad omnes ferè laxiores indulgentiorum Probabilistarum opiniones in praxi permittendas aperitur, per generalem illam probabilitatis doctrinam, in hac præsertim temporum hominumque conditione, in qua *tot jam sunt de humanis actibus opiniones* (ait Cardinalis Bona loco citato) *ut ferè liceat quidquid lubet.* Tanta quippe est multitudo, tantaque diversitas probabilium (ut vocant) de qualibet propemodùm re proposita opinionum, ut tota penè Theologia Moralis problematica sit, ut videre est in Escobario, qui Theologiam Moralem, pluribus ingentibus voluminibus, totam ferè problematicam conscripsit (id est) secundùm duplicem viam, quarum una alteri extremè, seu contradictoriè opponitur: *Est, & non est; licet, & non licet; peccat, & non peccat; tenetur, & non tenetur; sufficit, & non sufficit, &c.* Quarum viarum utramlibet adeò securam pronuntiat, ubi suprà n. 13. ut (secundùm ipsum) *quamcumque duarum, primò diversarum, inierint homines, rectà tendant ad superos.* Quasi ipsius arbitrio, vel indulgentiorum (quos refert) Authorum, id juris datum sit, ut duas vias extremè oppositas, securas, tutasque efficere possint. Vel quasi humana ratio (in qua se fundant) quamlibet peccato excæcata, quamlibet etiam probabiliùs apparens falsa quàm vera, tanti ponderis sit, ut suum ei judicium accommodare Deus teneatur, & secundùm illam judicare, insontes pronuntiando, quos humana absolvit probabilitas, etiam minor; quæque magis apparet falsitas quàm veritas. Quasi denique quoddam infallibilitatis genus acquirat, quisquis eam sequitur, tametsi infallibilitatis istius nullum in Scripturis & Patribus appareat vestigium.

95 Id totum tamen consectarium est ex doctrina illa Escobarii, viri magnæ apud Probabilistas authoritatis: de quo non deerit qui dicturus est, quod de Caramuele Franciscus Verde in epist. 2. ad Caramuelem, præfixa operi, quod in ipsius defensionem contra Crispinum à Borgia Episcopum Placentinum edidit, in qua sic loquitur: *Quis namque persuadere, etiam per somnium, sibi potuisset, capacissimæ animæ Caramuelis oculatissimam doctrinam, exhauriendam nunquam, hauriendam semper, tam sæpè de hæreticis triumphantem, & difficultatum tempestates impavidè calcantem, posse improbabilitatis.... notâ inuri?* Et in proœmio ejusdem operis: *Hæc pauca sufficiant, ut videant omnes, quanti faciant Caramuelem Theologi, Borgiamque impossibilem spartam assumpsisse, cùm sumpsit calamum, ut Caramuelis opiniones improbabiles esse demonstraret. Siquidem*, ut ibidem q. 12. n. 535. arguit, *rationes leves aut graves, modò non sint demonstrativæ, doctrinam Caramuelis non expugnant, sed roborant. Hic enim syllogismus semper in acie invicta stat. Illa opinio est probabilis, quæ tam fortibus firmatur rationibus, ut contra, licèt leves, aut etiam fortes, nullam tamen demonstrativam & evidentem habeat. At tales sunt omnes opiniones Caramuelis; omnes igitur ad unam sunt probabiles.* Ideòque juxta allatam Escobarii (quæ etiam Caramuelis est) doctrinam, rectà ad superos infallibiliter tendit, quisquis eas in praxi sequitur.

Si ita est de omnibus ad unam Caramuelis 96
opinionibus, idem consequens erit de opinionibus Dianæ, utpote, de quo Caramuel in prælud. ad Theologiam fundam. *Certi sumus* (inquit) *tanto illius dogmata Theologorum firmari numero, ut quærenti an hoc aut illud liceat, sufficiat respondere: Diana dixit.* Cùmque opiniones Escobarii, Tamburini, & similium Authorum laxioris doctrinæ (sic de ea in multis censuit Ecclesia) non pauciori firmentur Theologorum numero; idem de illis quoque dicendum erit. Quemadmodum & de illis ipsis Caramuelis opinionibus, quas in Germanica Editione vulgatas, in Romana & Lugdunensi ipse Editione revocavit; cùm non sic revocaverit, ut circa eas tria illa n. 86. enumerata præstiterit, quæ (ipsomet Authore) necessaria sunt, ad ostendendam practicam earum improbabilitatem, atque adeò impracticabilitatem. Idem denique dicendum erit de hac Caramuelis propositione: *Non datur in mundo visibili authoritas condemnandi opiniones probabiles*, Theolog. fundam. p. 1. n. 182. 259. & 285. Ex quo consectarium est, non dari in mundo visibili, nec proinde in Summo Pontifice, nec in ullo Concilio, quamlibet Oecumenico, potestatem condemnandi ullam Caramuelis opinionem. Omnes enim ad unam sunt probabiles, & impossibilem spartam Placentinus Episcopus assumpsit, dum sumpsit calamum, ut aliquas ipsius opiniones improbabiles esse demonstraret, si Francisco Verde credimus. Qui propterea addit: *Quidquid approbatum est à magno* (quem vocant) *Caramuele, condemnari à nemine posse.*

Ecce quousque dilatata sunt philacteria pro- 97
babilium (quas vocant) opinionum! quantis insuper elogiis celebrantur Principes indulgentiorum Casuistarum! Ideò verendum, multùmque verendum, ne succrescente numero hujusmodi Authorum (humanæ sortis vitio) suâ spon-

te in laxiora proclivium, laxiorum opinionum in tantum per eos succrescat multitudo, ut hinc omnis licentiæ asylum quoddam fidelibus aperiatur, sicque multitudo fidelium, non Hierusalem civitas sancta, sed Babylon confusionis efficiatur. Id enim sequi pronum est ex eo quòd humanæ authoritatis, malesuadæque rationis arbitrio, omnia ferè velut probabilia permittantur, etiam jus excipiendi à generalibus Dei & Ecclesiæ legibus. Quod eo ipso fit, quo omnia permittuntur probabilitati, etiam minori, etiam in sola Caramuelis, Dianæ, Tamburini, Escobarii, vel similium Scriptorum authoritate, vel humanâ ratione ab ipsis excogitatâ, non in divinis Litteris, nec in SS. Patribus fundatæ. Neque enim satis enarrari potest, quantorum malorum colluvies ex infecta ista radice nata sit pullulare, in hoc præsertim luxuriantium ingeniorum sæculo, in quo non pauci surrexerunt Patroni complurium opinionum, communibus vulgaris honestatis notionibus adeò repugnantium, ut horrori sint, vel ipsis Ethnicis, in quibus mica supereſt probitatis, scandalosæque visæ sint ipsis etiam hæreticis. Quos inter famosus Ministellus *Drelincourt* librum sub hoc titulo edidit: *Licentia quam Casuistæ Communionis Romanæ dant suis devotis*: sed eam non dat Ecclesia Romana, utpote, quæ licentiosas illas opiniones per Alexandrum VII. & Innocentium XI. publico Decreto tanquam scandalosas, & animarum perniciem inferentes, condemnavit, practicarique, & ut probabiles doceri prohibuit. Ex dictis tamen videre quisque potest, quousque processerit doctrina illa probabilitatis, & an non meritò ipsi applicari possit famosa sententia Concilii novem Cardinalium, pro detegendis & curandis radicibus malorum in Gallia grassantium, à Paulo IV. deputatorum: cùm enim varias ipsi notassent opiniones Ecclesiæ noxias, & inter eas sequentem, *Voluntas Pontificis, qualiscumque ea fuerit, in materia simoniæ, est regula qua ejus operationes diriguntur: ex quo procul dubio effici, ut quidquid libeat etiam liceat.* Monuerunt Pontificem, quòd ex hoc fonte irrupere in Ecclesiam Dei tot abusus, & gravissimi morbi, quibus enarratis dixerunt: *Videat Sanctitas Tua, quò processit assentatoria illa doctrina.* Sed & Cardinalis de Laurea in Epitom. Canon. in prælimin. ad Lect. *Cogitanti mihi* (inquit) *seriòque indaganti, undenam..... tanta circa morales doctrinas.... in christianum orbem irrepserit laxitas, effræniſque in privato quolibet opinandi libido, faciliter occurrit, inde sumpsisse exordium, quod Spiritus Sancti Eccli. 8. contempto magisterio, narrationes Patrum nostrorum prætereuntes, propriæ innixi prudentiæ, nostris nimiùm indulgemus affectibus, nec amplius ad amussim lapidem, juxta Philosophi præceptum, sed ad lapidem amussim aptare contendimus. Non, inquam, legi voluntatem subjicimus, sed legem ipsam ad voluntatem trahere non formidamus.... nullique non insuper probabilitatis involucro co-honestentur singula, ut nullum jam supersit agibile, in cujus gratiam bivium protinus non sit paratum certissimum, &c.*

CAPUT IX.

Sexta radix: abusus harum maximarum: In obscuris benignior interpretatio, vel opinio sequenda: Odia restringenda, favores ampliandi: In dubio melior est conditio possidentis, &c.

98 HÆc quæ dixi superiori capite, quæque rursiùs (Deo dante) prosecuturus sum to. 2. l. 1. (ubi opinionem illam, quæ licitum asserit usum cujusve opinionis, etiam minùs probabilis de licito, in concursu probabilioris de illicito, conabor funditùs evertere) non dixi, nec dicturus sum, ad taxandum, seu notandum personas, vel intentionem Authorum illius opinionis, quasi scopus illorum sit christianæ disciplinæ corrumpere sanctitatem. Absit enim ut id suspicer de doctissimis, integerrimis, religiosissimisque Viris, quorum propositum existimo non aliud fuisse, nisi opiniones suas ad hominum imbecillitatem attemperare, ne immoderata severitas imbecilles homines in majora mala, vel etiam in desperationem adigeret; ad quod præcavendum, visum est ipsis melius viam mandatorum dilatare, quàm arctare; melius, leges interpretari benignè, quàm rigidè. Quia benignior interpretatio, multis (inquiunt) est causa salutis: rigida, multis est causa damnationis.

99 Hac etiam de causa, in dubio conflictuque opinionum, hinc pro lege, inde pro humana libertate, melius existimant favere libertati quàm legi, eum in sensum usurpantes illas Juris regulas: *Benignior interpretatio facienda, favores ampliandi, odia restringenda. In dubiis quod minimum sequimur. Opinio benignior est sequenda.*

100 Sed ut laudanda est benigna ipsorum intentio, non pariter laudanda est mediorum electio. Reverà namque abusi sunt nomine benignitatis & favoris, falsam benignitatem pro vera accipientes, nec tam attendentes quid reverà favorabile esset animarum saluti, quàm noxiæ corrupti hominis libertati. Nec abusus iste minùs radix est Theologiæ laxioris, quàm abusus probabilitatis, de quo præcedenti capite. Sub iis namque prætextibus, Moralis laxioris Authores invexerunt opinandi modum, alienum ab evangelica simplicitate, sanctorumque doctrinâ, quem si fideles in praxi sequerentur, ingens irreptura esset vitæ christianæ corruptela, prout Alexander VII. in Decreto suo conqueritur. Unde nec alios Authores habet dictarum maximarum abusus, nisi quos habent radices præcedentes; nec aliud est nisi mera adinventio Philosophiæ humanæ, in sola ratione antecedente fundamentum habens (si quod habet) non in sacris Litteris, nec in sacris Canonibus, nec in sanctis Patribus.

101 In eo verò abusus ille consistit, quòd opiniones molles, christianæque vitæ relaxativas, pro benignis & favorabilibus acceperint, nec præ oculis habuerint discrimen inter veram falsamque benignitatem, fundamentumque veræ benignitatis esse traditam à Christo, ab Apostolis, à Patribus, vitæ normam, non humanam rationem cuique visam; nec denique providerint, ne moderatæ libertatis prætextu, licentiam effrænatam in mores christianorum hominum inducerent. Quas si non induxissent, effrænatas laxitates ipsorum Summi Pontifices censoriis Decretis suis non confixissent.

102 Sciendum itaque triplicis generis esse opiniones, *severas*, *laxas*, *benignas*. In hoc apertè falluntur Authores laxioris Ethicès, quòd severas esse velint, quæcumque favent spiritui, seu præcepto & legi, contra libertatem quod lubet agendi; benignas verò, quæ favent hujusmodi libertati contra legem.

103 Apertè (inquam) falluntur 1°. quia opinio favens legi, saltem divinæ & naturali, reverà favet veræ hominis libertati, dum spirituali favet libertati. Siquidem finis legis divinæ & naturalis, est spiritualis libertas hominis; libertas utique à servitute concupiscentiæ & peccati, quâ libertate Christus nos liberavit. Igitur opinio favens legi divinæ & naturali, verè favorabilis est & benigna; contraria verò rigida; utpote, eo ipso contraria veræ hominis libertati, quo favet servituti concupiscentiæ, ac per consequens servituti peccati; quæ profectò servitus est durissima, jugumque grave, de quo Eccli. 4. *Occupatio magna creata est omnibus hominibus, & jugum grave super filios Adam.* Siquidem jugum hoc concupiscentia est, ait Urbanus IV. in Psal. 1. Nec certè quisquam ignorat, quàm gravi jugo constringantur, quàmque dura servitute premantur, qui desideriis suis ac concupiscentiis serviunt. Nisi enim magno onere laboreque premerentur, ipsis Dominus Jesus non diceret: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos*, id est, sublevabo vos. Quomodo? numquid à sua lege eximendo? quinimò suam ipsis legem imponendo: propterea namque subdit: *Tollite jugum meum super vos, &c.* Ipsa quoque experientia manifestum facit, quàm difficilis & laboriosa sit via iniquitatis ac concupiscentiæ, juxta illud Sap. 5. *Lassati sumus in via iniquitatis, & ambulavimus vias difficiles. Considera* (inquit à Lapide in illum locum) *an non avaro sit difficile maria & terras obire, ut opes congreget; glutoni, ventrem infarcire, ut capite doleat, stomacho nauseet, membris torpeat, febribus æstuet, crapulâ milleque morbis crucietur; luxurioso, Veneri vacare, ut luem veneream, sordes, vomicas, & cruciamenta patiatur; superbo, iracundo, invido, ut mille animi æstibus, timoribus & doloribus agitetur, &c.* Ex adverso *invenietur semita justitiæ levis*, ut Prov. 4. dicitur, juxta Versionem 70. Quamvis enim incipientibus arcta sit, quatenus libertatem arctat carnis concupiscentiæque; tamen *cùm eam ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui*, ut additur ibidem versu 12. quia scilicet dilatabitur cor tuum, à concupiscentiæ jugo liberum. Neque enim justitiæ semitam arctam nisi concupiscentia facit, quâ sublatâ, arcta non fuisset in statu innocentiæ. Proinde quidquid diminuit concupiscentiæ servitutem, dilatat justitiæ semitam; sicque favorabile est, ac benignum, non odiosum & rigidum.

2°. Non eo ipso quidpiam odiosum seve- 104
rumque censeri debet, quo carnali hominis libertati contrarium: non est igitur, cur opinio quæcumque eo ipso odiosa sit ac severa, quo libertati illi contraria. Antecedens perspicuum est in ipsismet mandatis Domini, quæ, tametsi contraria carnali illi libertati, suavia & favorabilia censentur, utpotè, *jugum suave*, Matth. 11. & *alligatura salutaris*, de qua Eccli. 5. *vincula illius alligatura salutaris.* Unde & maxima sunt Dei beneficia, juxta illud Psal. 147. *Non fecit taliter omni nationi, & judicia sua non manifestavit eis.*

3°. Non eo ipso quidpiam etiam favorabi- 105
le benignumque apud Christianos reputari debet, quo carnali illi libertati amicum, sed eo ipso potiùs quo amicum libertati spirituali. Cùm ad eam ordinari debeat tota vita Christiani, juxta illud Gal. 5. *Vos enim in libertatem vocati estis fratres: tantùm ne libertatem in occasionem detis carnis.* Igitur nec eo ipso opinio aliqua favorabilis ac benigna reputari debet, quo amica & favens carnali hominis libertati, sed eo ipso potiùs, quo amica & favens libertati ipsius spirituali, cui potiùs favet standō pro lege, saltem naturali & divina (etiam sub opinione posita) quàm stando contra illam, ut constat ex 45. propositionibus ab Alexandro VII. & 65. ab Innocentio XI. condemnatis, quæ licèt (ante condemnationem) starent contra legem sub opinione positam, non favebant spirituali hominis libertati, sed ei contrariabantur, ideòque malignæ potiùs erant, odiosæque, quàm benignæ & favorabiles, utpotè animarum perniciem, vitæ christianæ corruptelam, & perditionis viam inducentes, uti declarant laudati Pontifices.

Quòd si, ante Pontificiam etiam declarationem (neque enim per eam tales factæ sunt) malignæ erant & odiosæ: igitur oppositæ, stantes pro lege (tametsi sub opinione positæ) favorabiles erant & benignæ.

4°. Eo sensu opinio quæpiam dicenda est 106
benigna, quo jugum Christi suave. Sed hoc *suave* non dicitur, quia humanæ favens concupiscentiæ, libertatique quod lubet agendi (neque enim favet ipsi, sed contrariatur) verùm *suave* dicitur, quia liberans à servitute concupiscentiæ, sicque favens libertati spirituali, quæ sola facit *jugum suave & onus leve*, (ut Bernardus expressè dicit serm. 3. de Ascens. Dom.) de qua etiam in Christianis procuranda manutenendaque sollicitior esse debet Christianus Doctor, quàm de procuranda manutenendaque libertate ipsius carnali &

animali; utpote quæ verè, non tam libertas est, quàm *salutaris perditio libertatis*; prout eleganti Apologo ovis ac cervi demonstrat Cyrillus Apol. moral. l. 2. c. 9. *Ovis* (inquit) *avida propriæ libertatis, sociali grege relicto, dominium sui pastoris effugit. Cumque per solitudinem cervus vagam & profugam invenisset, cœpit pius quærere ejus solitudinis & erroris occasionem. Cui mox illa respondit: dudum certè servile jugum durissimum passa, nunc frui volo, sicut & vos, libertate cunctis gratissima, atque patronum duriorem effugere; qui non solùm me usque ad sanguinem emulgebat, verùm etiam singulis annis ab opportuno vellere spoliabat. Tunc cervus illi compatiens: satis, inquit, charissima doleo de errabundo itinere tuo; sed multò magis de erroneo consilio. Nimirùm libertas dulcis est, & thesaurus incomparabilis, sed non communiter universis. Plura enim sunt, quibus pax, vita, securitasque salutis tantùm ex debita subjectione contingit, & propter hoc non est aliud libertas eis, quàm salutaris perditio libertatis. Nam libertas populi, quem regna non coercent, libertate perit. Sic corpus etiam animæ subjectum vivit, & mox, cùm ab ea liberatur, extinguitur. Navis subjecta nautis, servatur à fluctibus, à quibus si libera fuerit, statim naufragio dissolvetur. Formica quoque alis liberata cùm de fovea surgens erigitur, finali miseriâ captivatur. His ergo libertas certè est perditionis captivitas. Hoc modo, mea charissima, credo rem etiam tecum habere. Nam attende, quomodò, & qualiter nunc incedas, sine duce, pascualis itineris nescia; sine tutore, nulla propria validitate armata, inter inimicos solvaga, atque in miseriis te circumvallantibus destituta. Nimirùm via tibi error est, præcipitium ductor, esuries pascua, pernicies socius, & cui tandem crudelis interitus sunt extrema. Ego certè, cornu, pede, magnitudine, & agilitate munitus, vix à feris hujus solitudinis sum securus.... audi igitur consilium meum, & quantocius ad dominum tuum revertaris, ne liberè pereas, & teipsam lupis devorandam impendas.... Quibus auditis, ovis gaudenter ad pastorem rediit.* Quàm bellè Apologus iste congruit ad intentum! quid profectò valuerit libertas à legibus sub opinione positis, à laxioribus Authoribus prætensa, experientia, sicut & Ecclesiæ declaratio manifestum fecit: quòd utique libertas illa, ad nihil aliud valuerit, nisi ad inferendam animabus perniciem, vitæ christianæ corruptelam, perditionisque viam: nec proinde aliud fuerit, quàm salutaris perditio libertatis.

107 5°. Cùm vera Christianorum libertas, ex præmissis, sit libertas spiritualis & christiana, non verò naturalis & animalis, Christiani Doctoris munus est, dum utrique consulere non potest, illi potiùs (cæteris paribus) consulere & favere, quàm isti; sicut munus etiam ipsius est, magis sequi maximas Philosophiæ spiritualis, (qualis est Moralis christiana) quàm animalis.

6°. Opinio favens juramento, testamento, 108
libertati servorum, Matrimonio, Sacramento & Religioni, benigna est, oppositâque benignior, ut Doctores communiter tradunt cum Sylvestro, verbo *opinio*, §. *Secundò quæritur*. Et idem est de opinione favente viduis, orphanis, pupillis, indigentibus, peregrinis, ut docet cum aliis Thomas Vilar de consc. p. 4. §. 1. Cur ita? nisi quia opinio magis benigna, illa est, quæ magis pia, sive quæ favet legi pietatis, charitatis, religionis, &c. At tales sunt opiniones omnes faventes legi divinæ & naturali, utpotè, qua nihil aliud præcipitur, nisi charitas, nec aliud culpatur nisi cupiditas, Augustino teste, qui ait, quòd Scriptura *nihil aliud præcipit nisi charitatem, nec culpat nisi cupiditatem, & eo modo informat mores hominum.*

7°. Dura & rigida, seu laxa & maligna 109
potiùs quàm benigna est opinio, v. g. quæ liberat ab obligatione denuntiandi hæreticum occultum, hæresim occultè disseminantem, dum probabilis est spes emendationis ipsius per fraternam correctionem: quia, eo non obstante, opinio illa noxia est Communitati, eique proinde maligna. Similiter illa quæ liberat ab obligatione denuntiandi Confessarium in Confessione sollicitantem, dum similis est spes: quia est contra bonum Sacramenti, illudque exosum reddit. Similiter quæ (extra necessitatem) permittit pauperibus opus servile per tres vel quatuor horas, in die festo: quia favet avaritiæ duritieique dominorum, à quibus pauperes famuli famulæque (secundùm illam opinionem) cogerentur sæpiùs in diebus festis laborare. Similiter illa quæ tollit vel diminuit obligationem eleëmosynæ, v. g. negando eam obligare in communi, vel etiam in gravi necessitate, dicendoque vix in sæcularibus superflua reperiri, ex quibus eroganda sit eleëmosyna, &c. Hujusmodi namque opiniones immisericordes sunt erga pauperes. Similiter illa quæ negat obligationem internæ attentionis, in lectione Horarum: quia contraria est pietati, devotioni & religioni in Deum. Similiter illa quæ, temporales ob causas, permittit se exponere occasioni mortalis peccati, in eâve manere: quia exponit animas durissimæ servituti, velutque necessitati peccandi. Et idem est de opinionibus permittentibus homicidia, duella, mentales restrictiones, calumnias, &c. utpote quibus convellitur securitas, suavitas, sinceritas, &c. humanæ societatis. Idem denique est de omnibus c. 2. recensitis, iis præsertim quas Alexander VII. & Innocentius XI. proscripserunt, utpote, quæ, laxando fræna concupiscentiæ, durissimam servitutem spiritualem, ac perniciem animabus inferunt.

Ecce quot, quàmque efficacibus argumen- 110
tis demonstratur, eos vehementer decipi, qui in casibus dubiis & obscuris, sub opinioneque positis, omnem opinionem vel interpretationem, quæ favet libertati quod lubet agendi

contra legem, vocant benignam; omnem verò quæ favet legi contra libertatem illam, vocant odiosam, severam, rigidam: cùm sæpè maligna, rigida, & odiosa sit opinio favens tali libertati contra legem; sæpè ex adverso benigna, quæ legi favet contra libertatem.

111 Et ideò favorabilis & benigna est interpretatio, quâ dubia, nos ipsos concernentia, dum agitur de adhibendo malis nostris remedio, pejorem in partem interpretamur, prout interpretari nos oportet, juxta S. Thomam 2. 2. q. 60. a. 4. dicens quòd circa seipsum homo debet dubia interpretari in pejorem partem, secundùm illud Job. 9. *Verebar omnia opera: eo quòd cùm debemus malis nostris adhibere remedium, expedit ad hoc, ut securius remedium apponatur, ut supponatur id quod est deterius.* Si expedit: id igitur favorabilius est. Et si ita est, cùm debemus malis nostris remedium adhibere; consequenter ita est, in dubiis obligationibus omnibus, quæ Deum, vel animæ nostræ salutem concernunt. Ut enim benè notat Petrus de Ancharano apud Fagnanum in cap. *ne innitaris* n. 200. *Licet in aliis* (legibus humanis) *facienda sit benigna interpretatio, ne quis sit obligatus in dubio, ut L. Arrianus de act. & obligat. & cap. ex litteris de probat. tamen in obligationibus quæ concernunt Deum, tutius est præsumere quem ligatum, quàm solutum.* Et ideò Innocentius in cap. *cùm tu* de testibus, amplectendam dicit in foro externo partem benigniorem, in interno tutiorem, seu (ut alii) deteriorem. Cujus rationem optimam dat Glossa in cap. *unicum*, de scrutinio, dicens, in aliis judicandis potiùs bonum quàm malum præsumendum; in nobis verò, in conscientiæ foro, ubi vertitur animæ periculum, præsumendum deteriorem in partem. Quia licèt deterior videatur, tamen melior & tutior est, atque adeò benignior & favorabilior (ait Illustrissimus Fagnanus n. 203.) cùm longè melius & favorabilius sit, tutâ quàm periculosâ incedere viâ, & qui amat animam suam, debet eam perdere. Quam rationem approbat Panormitanus in cap. *juvenis*, de sponsalibus, dicens: *In concernentibus periculum animæ, debemus in dubiis semper tenere quod certius est, & quod sine periculo animæ explicari potest. Unde in istis illa pars est mitior, quæ est tutior.*

Benigna itaque *opinio*, illa est, quæ rationem 112
habens humanæ fragilitatis, illi sic attemperat legem, ut immoderatam non tribuat licentiam, nec valeat ad evertendam christianam disciplinam, nec ad periculum animæ creandum, sed habeat rationem salutis, pietatis, ac fructûs legis, qui est, continere in officio fideles, concupiscentiamque coërcere, charitatem ædificare, Christique sectatores, Christo & Evangelio ipsius conformare.

Laxa opinio, illa est, quæ sic habet ratio- 114
nem humanæ fragilitatis, ut magis faveat concupiscentiæ, quàm legi ac pietati, valeatque ad evertendam christianam disciplinam, dum pro moderata libertate, effrænem in mores Christianorum inducit licentiam.

Severa denique *opinio*, est, quæ sic habet 115
rationem pietatis ac legis, ut non habeat rationem humanæ fragilitatis, sed, ob immoderatum rigorem, injicit (etiam timoratis pro humana fragilitate conantibus) transgressionis necessitatem.

Quoad maximam illam: *In dubio melior est conditio possidentis*, quantum eâ abutantur noviores Casuistæ, quantaque ex isto abusu ipsimet absurda derivent, manifestabimus to. 2. l. 1. p. 3. c. 28. 29. & 30.

PROLEGOMENON SECUNDUM.

De Remediis Ethices laxioris.

CAPUT PRIMUM.

Sapiens investigator remediorum adversus Ethicen laxiorem, scire ante omnia debet, principium veræ Sapientiæ esse, parùm credere humanæ rationi suæ, ob ingentem defectum & pronitatem ipsius in errores. Cujus argumentum primum petitur ex discrimine humanæ rationis, in hoc statu naturæ corruptæ, ab ea quæ fuisset in statu innocentiæ.

1 SI prima causa radixque primordialis laxioris Ethices, est nimia præfidentia, liberiorque usus rationis humanæ, antecedentis Oracula Dei, & Sanctorum, prout superiore Prolegomeno demonstravimus: igitur ante omnia, securis ad radicem istam apponenda est. Ad hoc verò præstandum, abjectâ illâ præfidentiâ, persuasum habere debet sapiens instructor hominis christiani, rationem illam humanam nimis erraticam esse, ut ejus ductui christianam animam committat, nihilque proinde tam consonum esse rationi, veræque sapientiæ, quàm parùm rationi illi credere, ob ingentem defectum, pronitatemque ipsius in errores. Cujus argumentum multiplex hîc & in sequentibus capitibus operæ pretium

tium est exhibere, ut sapiens quisque tanto fortiùs persuadeatur, parùm illi credere.

2 Primum argumentum ingentis defectûs & pronitatis humanæ rationis in errores, petitur ex discrimine rationis humanæ in hoc statu naturæ corruptæ, ab ea quæ fuisset in statu innocentiæ, in quo non fuisset obnoxia errori, & deceptioni, prout modò. Ad cujus evidentiam, sciendum, quòd fuit ista rationis felicitas, ante primi hominis peccatum, quòd nunquam homines in errorem vel deceptionem induxisset: ut enim angelicè tradit Angelicus Doctor 1. p. q. 94. a. 1. *Primus homo sic institutus est à Deo, ut haberet omnium scientiam, in quibus homo natus est instrui. Et hæc sunt omnia illa, quæ virtualiter existunt in primis principiis, per se notis, quæcumque scilicet homines naturaliter cognoscere possunt. Et quia ad gubernationem vitæ propriæ & aliorum, non solùm requiritur cognitio eorum, quæ naturaliter sciri possunt, sed etiam eorum quæ naturalem cognitionem excedunt; eo quòd vita hominis ordinatur ad quemdam finem supernaturalem ... & de his supernaturalibus tantam cognitionem primus homo accepit, quanta erat necessaria ad gubernationem vitæ humanæ, secundùm statum illum. Alia verò, quæ nec naturali hominis studio cognosci possunt, nec sunt necessaria ad gubernationem vitæ humanæ, primus homo non cognovit, sicut cogitationes hominum, futura contingentia, &c.*

3 Neque tamen circa ista, vel alia habere potuit existimationem falsam. Quia (prout idem S. Doctor a. 4. prosequitur) *manifestum est, quòd sicut verum est bonum intellectûs, ita falsum est malum ejus, ut dicitur in 6. Ethicorum. Unde non poterat esse, quòd innocentiâ manente, intellectus hominis alicui falso acquiesceret, quasi vero: sicut enim in membris corporis erat quidem carentia perfectionis alicujus, scilicet claritatis, non tamen malum aliquod inesse poterat: ita in intellectu poterat esse carentia notitiæ alicujus, nulla tamen poterat ibi inesse existimatio falsa. Quod etiam ex ipsa rectitudine primi status apparet.*

4 Unde quæstione 18. verit. a. 6. omnem opinionem falsam ab eo statu removet; *non solùm in statu innocentiæ non potuit error esse, sed nec qualiscumque falsa opinio.* Immò quamlibet opinionem, seu veram, seu falsam, ab eodem statu subsequenter excludit, dum inter rationes, ob quas opinionem falsam ab eo secludit, hanc ponit: *Quod item patet ex hoc quòd semper contingit inordinatio, quando aliquid movetur non à proprio motivo: sicut si voluntas moveatur à delectabili sensus; cùm debeat tantummodò moveri ab honesto. Proprium autem motivum intellectûs, est verum, id quod habet infallibilem veritatem. Unde quandocumque intellectus movetur ab aliquo fallibili signo, est aliqua inordinatio in ipso, sive perfectè, sive imperfectè moveatur. Unde cùm nulla inordinatio in statu innocentiæ, in intellectu hominis esse potuerit, numquam intellectus hominis magis inclinatus fuisset in unam partem, quàm in aliam, nisi ab infallibili aliquo motivo. Ex quo patet, quòd non solùm in eo nulla falsa opinio fuisset, sed penitus nulla opinio in eo fuisset.*

In eo proinde statu, *de unaquaque re semper aut verum mentis judicium futurum fuisset, ut de rebus cognitis; aut nullum, ut de rebus prorsus incognitis; aut suspensum, ut de rebus animo quidem oblatis, sed incertis, aut ambiguis*, ait sapienter Estius in 2. dist. 23. §. 7. 5

Sed ex quo protoparentis peccato humanæ naturæ secuta est corruptio, non jam contingit nobis esse tam felices. Quatuor namque vulnera homini inflicta sunt per peccatum. Nam & ignorantia obscurat intellectum, & malitia pervertit voluntatem, & infirmitas partem irascibilem enervat, & cupiditas partem concupiscibilem sensibili delectatione infatuat, ut nihil interim dicam de corporis miseriis. Luctuosis itaque tenebris obscurata mens hominis, ad veritatis intelligentiam stupida facta est, in tantaque facultatum confusione, tot inter passionum æstus, & intestinos tumultus, magis magisque addensantur tenebræ intellectûs, quibus humana ratio obscurata, primævâque scientiâ illâ destituta, sæpè approbat falsa pro veris, aut improbat vera pro falsis, aut habet incerta pro certis, aut certa pro incertis. In moralibus etiam sæpè dicit malum bonum, & bonum malum, tenebras lucem, & lucem tenebras, &c. 6

Hinc videmus tot & tantas Scholarum, doctorumque & indoctorum hominum dissensiones, opiniones & rixas, ex effusis humanæ menti tenebris ortas: quamcumque enim materiam elegeris, haud invenies hominem cum homine sentientem ex toto, imò invenire est complures dissentientes ferè in omnibus, dum aliis falsa videntur, quæ aliis vera, & quæ aliquibus vel certa videntur vel probabilia, ab aliis incerta vel improbabilia censentur. 7

Hinc denique tot errores, de quibus partim in superioribus, partim in sequentibus capitibus. Horum tamen errorum, dissensionum, opinionum, & rixarum Authoribus sua cuique opinio rationabilis videtur, sua cuique humana ratio bona videtur & recta, quamvis reverà falsa & erronea. 8

Atque utinam homines, tantis in tenebris, rotque errandi, atque in scopulos, per visam sibi rationem, impingendi periculis constituti, imitarentur homines in commemorato statu innocentiæ constitutos, in hoc quòd tam proni non essent ad judicandum definiendumque de quibuslibet animo oblatis, quamlibet incertis vel ambiguis! non utique quadraret in ipsos censura Augustini. in l. adversus Priscillianistas & Origenistas c. 11. dicentis, *magis culpandam temerariam præsumptionem incautè errantis, quàm cautam ignorantiam.* Verùm (ut idem Doctor sanctissimus prosequitur l. 6. Music. c. 11.) *hodie sequuntur nonnulli phantasmata sua, tam præcipites, ut nulla sit alia materies omnium falsarum opinionum, quàm habere phantasias vel phantasmata pro cognitis.* 9

Monita & exempla Sanctorum adversùs istas judicii præcipitationes, temerariasque de rebus incertis & ambiguis definitiones, vide infrà c. 8.

CAPUT II.

Secundum argumentum ingentis defectûs rationis humanæ, petitur ex insufficientia ejusdem ad assequendas ipsas, etiam minimas, naturales & philosophicas veritates, sine multiplicium errorum admixtione.

10 NImiam exaltatorum humanæ rationis in ea præfidentiam multiplex experientia palpabiliter confundit, experientia utique innumerabilium errorum, in quos fœdè prolapsi sunt Philosophi Gentiles, & ipsimet eorum Principes, quamvis acutissimi, quamvis subtilissimi, quamvis ingeniorum stupores; utpote qui, cum omni acumine ingeniorum suorum, cumque omni subtilitate humanarum rationum suarum, inciderunt in scopulos nedum putidissimorum errorum circa Deum & divina, circa finem hominis ultimum, mediaque ad illum (de quibus posteà) sed & circa obvias etiam & minimas, purèque naturales ac philosophicas veritates, cum omnique studio & labore suo, earumdem veritatum certitudinem parùm admodùm promoverunt.

11 Ad cujus evidentiam sciendum est, tres olim fuisse primarias scholas Philosophorum. Prima fuit Academicorum, nihil credentium, nihil opinantium, nihil definientium; utpote quibus turpe visum est viro sapienti, in hac rerum caligine, aliquid opinari, vel alicui rei assensum præbere. Aiebant enim impossibile esse veritatem à nobis inveniri, à falsitateque discerni, eaque de causa sapientiam collocabant in inquisitione, seu investigatione veritatis, non in illius perceptione, utpote impossibili: ex quo conficiebant, cohibendum à sapiente assensum omnem, utpote expositum periculo erroris, quem extremum vocabant malum sapientis.

12 Secunda schola fuit Pythagoricorum, omnia ex adverso credentium, seu omnia ut vera admittentium, quæ vera cuipiam apparerent, etiam utramque partem contradictionis, dum una uni, altera alteri vera appareret. Veritatem quippè in apparentia collocabant.

13 Duas hasce scholas innumerabilium errorum parentes fuisse, ex sola earum enarratione satis apparet. Nam qui omnia credit & approbat, innumerabiles errores approbat & credit; qui autem nihil approbat & credit, sed veritatem tamquam inventu impossibilem semper inquirit, valdè imprimis fatuus est, rem inventu impossibilem quærendo, oleumque & operam in perquisitione rei ininvenibilis amittendo. Deinde stultissimam sibi obligationem imponit nihil agendi, nihil omittendi, omniaque proinde simul agendi & omittendi, dum non magis scit quid sibi agendum, quàm quid omittendum, nec contrà: nec quæ sibi sit ratio agendi quàm omittendi, vel contrà: sine ratione verò nihil agere, nihil omittere debet rationalis homo.

Ad hoc quidem evadendum, dixerunt probabile, seu verisimile, absque assensu, sufficere ad agendum vel omittendum. At quomodò probabile aliquid judicabant, qui nihil judicabant? quomodò probabile quidpiam esse poterat iis, quibus nihil erat approbabile, seu qui nihil approbare poterant; cùm probabile & approbabile idem sint? Quomodò cognoscere poterant, quid esset verisimile, seu simile vero, prope verum, propius vero, &c. qui nihil unquam verum cognoverant, nec cognoscere poterant? non magis quàm cognoscere quispiam possit Petrum in facie esse similem Paulo, qui Pauli faciem nec actu nec potentiâ cognoscit. 14

Sed &, si nihil admittebant ut verum, nullum ergo admittebant primum nec ulteriùs probandum principium. Omnia igitur probare debebant & demonstrare; utique probationis probationem, & istius probationis probationem, & sic sine fine. Immò simul omnia probare, demonstrare debebant, & nihil probare. Omnia probare quidem, utpotè nihil admittentes ulteriùs non probandum. Nihil verò probare debebant, quia nihil probare poterant, qui probationem finire non poterant, nec invenire veritatem, ad quam inveniendam omnis probatio tendit. Quo argumento conficitur, quòd sicut in causis deveniendum ad aliquam primam causam incausandam, sic in probationibus, seu rebus probandis, deveniendum ad aliquam primam non probandam, sive ad aliquod primum, probandorum omnium principium ulteriùs non probandum. 15

Nec ibi finis stultitiæ ipsorum: dum enim nihil credere affectabant, plus omnibus credebant; utpotè, qui non credendo credenda, credebant non credenda. Ideò quippè ea non credebant, quia credebant non esse credenda. Fidem itaque credendis negando, ne deciperentur, plus omnibus decipiebantur, ipsorumque nolle decipi, erat reverà decipi. Quisquis enim fide digna, credit non esse digna fide, procul dubio decipitur, in eoque plus aliis decipitur, quòd nullo fundamento fide digno ad id credendum moveatur. Quod in Academicis tanto verius erat, quòd fundamenta omnia, magna, parva, minima, ipsis videbantur indigna, quibus ad fidem seu ad credendum moverentur. 16

Vanissimè proinde sibimetipsis prudentes videbantur, prorsusque indigni erant, qui tales haberentur. Tum quia admitti non debebant ut prudentes, qui nihil admittendum volebant. Tum quia admitti non debet ut prudens, qui in nullo fidem nec audientiam meretur: in nullo verò fidem merebantur, qui omnem aliis fidem negabant: nec in ullo audiendi erant, qui (ex supradictis) nihil erant probaturi. Tum quia sicut cæteri videbantur ipsis impru- 17

imprudentes, in eo quòd crederent non credenda; sic cæteris ipsi meritò videri debebant imprudentes, in eo quòd non crederent credenda. Tum quia imprudentes sunt, qui carent prudentiâ ad omnem humanæ vitæ rationem necessariâ: ad omnem verò humanæ vitæ rationem seu moralem, seu civilem, necessarium est nec omnia credere, nec nihil; sed aliqua credere, aliqua non credere. Tum denique, quia vanissimum imprudentissimumque erat fundamentum ipsorum. Siquidem ideò nolebant credere, quia multi credendo decipiuntur. Verùm hoc ipsum argumentum credere debebant: quia multi etiam non credendo decipiuntur. Denique simili fundamento conficeretur, neminem debere manducare, nubere, navigare: quia multi comedendo contrahunt morbum, nubendo conjiciunt se in multiplex periculum, navigando pereunt, &c.

18 Academicis ex parte consenserunt Heraclytus & Cratylus, scilicet in nihil credendo; sed diverso ex principio. Quia scilicet non solùm putabant verum non esse invenibile, sed quod amplius est, verum nihil esse. Verùm, eo ipso, suo se ore judicabant, fatendo verum non esse quod dicebant, sibique loquelam interdicendo: cùm non liceat scienter loqui, seu dicere esse quod non est, vel non esse quod est.

19 Tertia schola fuit Peripateticorum, seu Aristotelicorum: qui in eo quidem circumspectiores fuere, quòd nec omnia crederent, nec nihil; sed aliqua crederent, aliqua non crederent, de aliquibus dubitarent. Cæterùm aliunde impegerunt in errores tam crassos, ut de Aristotele eorum Principe Theodoretus de curand. Græcor. affect. serm. 5. pronuntiet: *haud sanè meliorum, sed multo pejorum dogmatum authorem extitisse.* Mundum quippe ab æterno statuit, ex futili planè fundamento; ex eo verò errore sequitur, vel animas hominum mortales esse, vel infinities de corporibus in corpora transmigrasse, vel infinitum jam numerum animarum existere. Et mortalem quidem hominis animam statuisse censet Theodoretus, solùmque ad lunam usque Dei gubernationem pertingere: cætera fato esse subjecta. Nec certè negari potest, ipsum, circa animarum immortalitatem varium fuisse, solùmque ad lunam usque Dei providentiam extendisse, cum Theodoreto communis est sententia Patrum, Ambrosii 1. offic. 13. Epiphanii in Compendiar. fid. doctr. Nazianzeni or. 33. Clementis Alexand. l. 5. Strom. Laërtii in vita Aristotelis, &c.

20 Pergamus, humanamque rationem, sibi relictam, etiam in rebus obviis ac minimis passim cæcutire, naturaliumque de iis veritatum certitudinem post omnem conatum summorum ingeniorum, per triginta jam sæcula, parùm admodùm promovisse, sensibiliter ostendamus. Nec verò alio ad id opus exemplo, quàm compositionis festucæ v. g. circa quam, à tribus annorum millibus, tot sunt, tam obscuræ, tamque difficiles sententiæ, ut post omnia, quæ prima mundi ingenia, à tanto tempore hac de re excogitarunt ac scripserunt, humana ratio nondum inveniat exitum. Uti nec circa innumeras alias philosophicas veritates, circa quas ejusdem rationis cæcitatem insufficientiamque perspicuam faciunt innumeræ & continuæ Scholarum Doctorumque de iis dissensiones, rixæ & contentiones, à tribus pariter annorum millibus perdurantes.

Enimverò tametsi Philosophia naturalis, intra capacitatem humanæ rationis, præ cæteris esse videatur, nihilominùs Clemens initio recognitionum deplorat, quòd de ea nihil aliud videre sit, *nisi dogmatum assertiones & impugnationes, ac sine fine certamina, nec tam qui veram sententiam defendit, quàm qui acriùs subtiliùsque disputat, vincere solet: neque sententiæ ac definitiones rerum pro natura suâ, ac veritate causarum, sed pro ingeniis defendentium, falsæ imaginantur aut veræ.* 21

De eadem Michaël de Elisalde in lib. cui titulus *Forma veræ Religionis*, &c. "vix quidpiam (inquit n. 120) prorsus firmum in ea invenio. Nam materia illa prima, quæ prima reliquorum est basis, nullo certo principio demonstratur, & meliora fortè sunt, quæ contra eam, & illius Authorem Aristotelem, Justinus Martyr quondam allegaverat. Quòd ex tribus principiis, & non pluribus, nec paucioribus, omnia fiant, defenditur magis quàm ostenditur. Privationem, quæ nihil est, esse principium, vix unquam satis: cùm manifestius sit illud, non entis nullas esse proprietates. Jam deinde, cùm Aristoteles entis continui, vel integralis, infinita inducat principia, quæ vocat infinita in potentia, & non actu; cur simile commentum non invehatur in compositum essentiale? mox, ex his tribus principiis, duo convertit in causas. Hinc multorum remorsus, vix intelligentium, ea, ex quibus res componitur, causas esse compositi. Inde difficultas causam in communi definiendi, dum in causarum numerum adscita sunt elementa, ex quibus res fit à causis suis. Reliqua octo librorum fundantur in quibusdam ex motu sumptis principiis. Quòd non sit motus omnium possibilium tardissimus, nec item velocissimus, haud assequor demonstratum ab Aristotele, quibus sublatis, omnia labascunt. Video ex his principiis itum esse ad falsissima, scilicet ad æternitatem mundi, ad tollendam Deo libertatem, atque similia. Ducimur etiam ad partem capilli, quæ divisa compleat cælos: quod ipse, nisi à Deo reveletur, credere nunquam hominibus potero. Quomodò etiam in rarefactione & condensatione eadem non aucta quantitas plus vel minùs loci occupet, liceat ignorare nec credere. Quid tempus sit & locus, nihil ex Aristotelis Philosophia intelligo: veriora & altiora visa sunt Augustini de tempore documenta. Potissima operationum omnium principia, calor & frigus cùm designentur, videmus carnes, cùm in ferventi olla, magnoque igne tam serò absumuntur, citiùs multo in alia converti in debili stomacho: & item ipsas sto- 22

„ machi teneras carnes haud absumi; fortissimas „ alias, immissas absumi quantociùs. Aurum nun- „ quam in fornace, de facili in quadam aqua col- „ liquefieri; in illa plumbum, tam resolutu fa- „ cile metallum, haud eliquari, perfacilè verò in „ alia aqua. Sexcenta invenias hujusmodi, sine „ solutione, sine exitu. Cogimur passim ad oc- „ cultas qualitates, ad latentes & ignotas causas „ in obvüs & quotidianis effectibus refugere. Alii „ mox, pro omnium supplemento, ad causam „ primam aufugiunt. Unde Philosophia hæc seip- „ sam fatetur ignorantissimam. Propter quæ & si- „ milia fateor ingenuè mihi suspectam videri hanc „ Aristotelis, quam terimus, viam, & vix quid- „ quam firmitùs animo impressum meo... Idem „ portò fuisset de Philosophia morali, atque de „ Metaphysica, si de bono & malo, de fine & „ mediis... de divinis & altissimis ac futuris re- „ bus, Deus noster haud dignatus esset nos lu- „ culenter instruere. „ Hactenus vir ille sapien- tissimus.

23 Alios veterum Philosophorum errores, alias cæcitates, alias ineptias memorat Augustinus 8. Civit. 2. ut Thaletis Milesii, qui aquam posuit rerum principium. Anaximandri, qui, non ex una re, sicut Thales ex aqua, sed ex suis principiis, res quasque nasci putavit, iisque infinitis, ex quibus mundi innumerabiles gignerentur, qui modò dissolverentur, modò iterùm gignerentur. Anaximenis, qui omnes rerum causas aëri infinito dedit. Anaxagoræ, qui dixit, ex infinita materia, dissimilibus inter se partibus constante, rerum omnium genera, pro modulis & speciebus propriis singula fieri. De quibus aliisque ejusmodi videri potest August. tum ibi, tum capitibus ac libris sequentibus.

24 Lubet aliam Philosophorum sectam nuper resuscitatam commemorare, Aristotelicæ diametraliter adversam, quæ ferè in totum exsibilat, quæ tum ipse, tum innumeri post ipsum Philosophi, à triginta sæculis, de materia, forma, tribus rerum naturalium principiis, accidentibus, animâ brutorum, &c. scripserunt. Nec tamen veriora vel solidiora ipsi tradunt, sed fidei principiis minùs consona, deque multiplici errore admodùm suspecta, inter quæ varia quoque sunt paradoxa, Democritique & Epicuri figmenta, quæ Ecclesiæ Patres semper aversati sunt, quæque Lactantius Firmianus jam dudum solidè confutavit, explositque. Et ideò Renati Cartesii (antiquatæ illius sectæ Novatoris) opera notavit & circumscripsit Ecclesia, dum ea in indicem librorum prohibitorum Alexandri VII. jussu retulit.

25 Ex memoratis itaque Philosophorum sectis, opinionibus & erroribus, jam videt, quisquis sapit, adeò cæcutire rationem humanam, divino magisterio destitutam, etiam in minimis, rebusque ob oculos nostros constitutis, ut tota ferè Philosophia incerta sit, vel erroribus obnoxia, dum sola humana ratione philosophicæ veritates investigantur. Ita ut mirandum sit, multùmque mirandum, tot homines videre, suæ prudentiæ, in ea sola fundatæ, adeò innitentes, homines sui cerebri, usque adeò adorantes quascumque suæ mentis cogitationes, quasi ratio (falli nescia) cum ipsis nata, morituraque sit, nec SS. Patrum, vel aliorum Sapientum indigeant magisterio, vel auxilio; sed ex ipsis omnia facilè assequi possint; cùm tamen istorum humanæ rationis exaltatorum maximus Aristoteles (quem multis pro Christo, & Averroem pro Petro esse, Melchior Canus olim deploravit) cum sua illa ratione toties lapsus fuerit, tam modicamque lucem philosophicis tenebris attulerit, ut præcipua laus ipsius obscuritas sit, tuncque modicam etiam difficultatibus lucem dederit, ubi majorem dare debuit.

Enimverò ubi clarior esse debuit Aristoteles, 26
nisi ubi primum, nec ulteriùs probandum, omnium proinde principiorum clarissimum principium explicandum suscepit? eo tamen ipso loco, ubi id suscepit, pro tota explicatione, tres attulit illius conditiones. Primam, ut contra illam mentiri sit impossibile. Secundam, negativam, cui sexcentas similes assignare potuisset. Tertiam, ut sit notum cunctis. Verùm in prima vel petit principium, vel idem explicat per idem. Quamvis enim omne, contra quod scitur impossibile esse mentiri, sciatur non indigere probatione; quisquis tamen ignorat quid sit ita firmum, ut probatione non egeat, pariter ignorat, quodnam illud sit, contra quod mentiri seu errare impossibile sit. Per secundam, utpote negativam, tenebræ non dissipantur. Quia per negationes nihil positivum ritè explicatur. Cùm enim homo v. g. tam sit non equus, non leo, & sexcenta hujusmodi, quàm non lapis: natura hominis non magis explicatur dicendo quòd sit non lapis, quàm dicendo quòd sit non equus, &c. Tertia conditio vel sola sufficit, vel non est idonea; cùm plurima non probanda à plurimis ignorentur.

Si dicas, prima principia ea esse, quæ con- 27
gruè explicata, sine probatione ab omnibus acceptantur. Optimè. Sed (præterquàm quòd hoc solum absque aliis conditionibus sufficiat) Aristoteles ignoravit rationem, ob quam necessariò verum est principium, quod, ritè explicatum, absque probatione, accipitur ab omnibus. Non solùm ignoravit, sed nec eam dare potuit, qui naturam sublunarem à Deo fieri gubernarique pernegavit. Quòd enim principium, ab omnibus absque probatione receptum, sit necessariò verum; vera unicaque ratio est, quia quod ab omnibus, absque probatione, ut verum recipitur, hoc natura docet. Quod autem natura docet, hoc Author naturæ docet, qui nec falli nec fallere potest, ut demonstravi to. 1. de Deo dist. 2. n. 57. 58. 72. & 73.

Si autem natura sublunaris à Deo non est, 28
nec à Deo dirigitur (prout ex communi Patrum narratione Philosophus sensit) non est consequens à Deo doceri, quod natura docet. Si verò quod natura docet, à Deo non est, natura profectò, sine Deo, tam errare potest

quàm ego, ut perspicuè ibidem demonstratum est. Igitur nullum est in homine principium necessariò verum, in opinione Aristotelis. Nihil igitur firmum in tota Philosophia illius, nisi corrigatur. Ecce quomodò (cum humana sua ratione tam præcellenti) cæcutiit Philosophorum maximus.

CAPUT III.

Ingens humanæ rationis defectus, tertiò demonstratur, palpabiliter ostendendo, quàm insufficiens & erratica sit circa Deum & divina.

29 QUòd si minimis & obviis in rebus adeò pateſcat cæcitas, defectuositas, & fallibilitas humanæ rationis, doctrinæque in ea sola fundatæ; inde à fortiori concluditur ingens cæcitas, defectuositas, erraticaque fallibilitas ipsius circa Deum, ac divina; vehementerque proinde decipi humanæ rationis exaltatores, qui Theologicas veritates ad ipsius penè solius stateram appendunt, sacrasque de iis authoritates ad præscriptum ejusdem inflectunt.

30 Ingens quippe defectus & insufficientia rationis humanæ Theologicis ac divinis in rebus palpabiliter ostenditur, 1°. Quia solemne est principium, ab omnibus, ipsis quoque Gentilibus receptum, quòd humana ratio se habeat ad Deum & divina, sicut noctua ad solem, ut tradunt Plato, Pythagoras, Aristoteles 2. Metaphys. Trismegistus, & alii humanæ sapientiæ Principes, apud Cyrillum nostrum Alexandr. l. 2. contra Julianum. Manifesta verò est debilitas & defectuositas noctuæ ad cognoscendum solem.

31 2°. Eandem defectuositatem evidenter demonstrat infinita Dei elevatio ac distantia à mente nostra, præsensque incapacitas nostra ad Deum aliter cognoscendum, quàm per species imaginesque creaturarum, quibus infinitè dissimilis est.

32 Eandem manifestat experientia innumerabilium errorum, in quos fœdè prolapsi sunt Philosophi Gentiles, quotquot Deum ac divina solâ humanâ ratione investigarunt. Humana quippe ratio, cui nimiùm credùli fuerunt, ipsis imprimis persuasit, se à seipsis, non à Deo, esse sapientes & bonos, etiam illis qui non negarunt se à Deo, non à seipsis factos homines: „ Virtutem „ (ait Romanus Orator ac Philosophus, communi Philosophorum Ethnicorum nomine) „ nemo unquam à Deo accepta retulit. Propter virtutem enim jure laudamur, & in virtute rectè gloriamur. Quod non contingeret, si id à Deo donum non à nobis haberemus. „ L. 3. de natura Deor. & infrà. „ Judicium hoc omnium mortalium est, „ fortunam à Deo petendam, à seipso sumendam esse sapientiam. „ Consonat præstantissimus Græcorum Orator ac Philosophus Isocrates: „ quod à Deo datur, esse bonam fortunam; quod à nobis ipsis, bonum consilium. „ Similiter Horatius moralis Poëta epist. ad Lollium.

Sed satis est orare Jovem, qui donat & aufert; "
Det vitam, det opes; æquum mi animum ipse parabo. "

Deinde Aristoteles, quo nullus ampliùs fidit ingenio suo, nullus ratione & ingenio plus valuit, nullus Majorum authoritatem minori in pretio habuit, nullus etiam, divinis in rebus, tam turpiter erravit, ut n. 19. vidimus. Quid de ipso, aliisque Philosophis dicam, qui plusquàm decem sæculis Christum præcessere? Ut omnes agnosceremus, quàm defectuosa & insufficiens sit ratio purè humana, ad Deum & divina cognoscenda, nisi accedat doctrina divina; Dei providentia factum est ut ingeniosissimi, acutissimi, subtilissimique Philosophi, assiduo improboque labore in divinis explorandis desudarent. Quàm parùm verò profecerint, testis est Tullius l. 1. de nat. Deor. dicens: "De natura Deorum tam variæ sunt doctissimorum hominum, tamque discrepantes sententiæ, ut magno argumento esse debeat, causam, id est, principium Philosophiæ esse nescientiam, prudenterque Academicos à rebus incertis assensionem cohibuisse. " Qui deinde, expositis pugnantibus Philosophorum placitis, Deos ac providentiam ponentium & negantium, aliisque pluribus, nec parvis discordiis, de figura, loco, sedibus, actione, & otio Deorum, subdit: " quorum opiniones, cùm tam variæ sint, tamque inter se dissidentes; alterum profectò fieri potest, ut earum nulla, alterum certè non potest, ut plus una vera sit. " Refutatisque omnibus, tandem acutissimus ipse prudentissimusque satius existimavit academizare, quàm in tanta incertitudine aliquid definire. 33

En palpabilis demonstratio deficientis rationis summorum ingeniorum post tam improbum tot sæculorum studium. Eant igitur profusi humanæ rationis adoratores, humanamque rationem extollant, ut lubet. Dimittendi quippe sunt, ut desipiant, si tam palpabili exemplo proficere nolint ut sapiant. 34

Nec dicant, à nobis ipsis to. 1°. dist. 2. ratione naturali demonstratam Dei existentiam, probatumque, quòd notitia Dei insita sit hominibus cum natura ipsa. Quamvis enim ita sit, ipsa tamen humana ratio, sibi relicta, contra illam ipsam Dei existentiam, sic demonstratam, sic per se quodammodo notam, mox ex adverso tot suscitat lites, totque & tam difficiles quæstiones, ut iis implicata secum ipsa pugnaret, nec exitum inveniret, nisi fides succurreret, ipsaque humana ratio, cælesti fulciretur corrigereturque magisterio. 35

Et ideò S. Thomas 2. 2. q. 2. a. 4. docet necessarium esse credere, *non solùm ea quæ sunt supra rationem, sed etiam ea quæ per rationem cognosci possunt.* Et ad 1. *quòd investigatio naturalis rationis non sufficit humano generi ad cognitionem divinorum, etiam quæ ratione naturali ostendi possunt.* Cujus rationem triplicem assi- 36

gnat in corpore, quarum tertia est, ut sequitur: *ratio enim humana, in rebus divinis, est multùm deficiens. Cujus signum est, quia Philosophi de rebus humanis naturali investigatione perscrutantes, in multis erraverunt, & sibi ipsis contraria scripserunt. Ut ergo esset indubitata, & certa cognitio apud homines de Deo, oportuit quòd divina in eis per modum fidei traderentur, &c.*

37 Enimverò si quis contra Dei existentiam objiciat: Si Deus est infinitè perfectus: est immutabilis & liber. Sed non est immutabilis & liber. Si enim liber: sua ei volitio adesse potest & abesse. Velle autem Dei, utpote Deus ipse, à Deo abesse non potest. Si autem immutabilis: non potuit non esse quod est. Non potuit ergo non esse volens v. g. creare mundum, nec proinde in hoc volendo esse liber.

Si hoc (inquam) quis objiciat: humana ratio implicatur, nec certum invenit exitum, nisi dicendo: ratione quidem naturali, Dei existentiam demonstrari; sed objecta, quæ per rationem ex adverso fiunt, non posse sola ratione naturali certò dissolvi, sed ad id opus esse adminiculo fidei.

38 Nihil enim rationi tam consonum, quàm hominem, sibi relictum, agnoscere suam ad divina exploranda, & inoffenso pede expedienda insufficientiam, uti n. 30. 31. & 32. demonstratum est. Par ergo est ut de divinis à Deo ipso instruamur, demonstratâque per humanam rationem existentiâ Dei, Deum de cætero audiamus, ne quassati difficultate quæstionum, ex adverso occurrentium, impellamur in scopulos eorum, vel in dubitationem de ipsamet re demonstrata inducamur.

39 Quia tametsi fides non probet res creditas, sed credat, est tamen rectrix & moderatrix humanæ rationis, ne impingat in scopulos erroris, certificando de principiis cavendis, deque veritatibus contrariis. De quibus humana mens certificata, cavet errores, nec difficultatibus in illos ducentibus cedit, sed solutiones & exitus quærit & invenit, aliàs non inventura.

40 Atque hinc innotescit non modicum fieri adminiculum ad scientiam, firmando intellectum, ne se, per objectas difficultates, à rebus scitis retrahi patiatur; quas utique difficultates fides certificat non esse nisi apparentes, illusorias & sophisticas. Quod non intelligeremus, nisi crederemus; propter quod Isai. 7. dicitur: *Nisi credideritis, non intelligeretis.*

41 Ista etiam causa est, ob quam Christiani Doctores de rebus divinis certissimè, subtilissimè, consequentissimè, profundissimè, sublimissimèque philosophantur, de illis etiam, in quibus acutissimi Gentilium, tametsi non impares ingenio, cum omni acumine rationis suæ humanæ, defecerunt. Et quid dico? ista eadem causa est, ob quam nullus Philosophorum Gentilium, ne divinus quidem Plato, nec Peripateticorum Princeps, dignus est, qui cum minimo Christianorum Doctore comparetur in philosophando de Deo, divinisque attributis, de unitate, simplicitate, cognoscibilitate, scientia, providentia, libertate, potentia, infinitudineque Dei, necnon de ultimo hominis fine, ac mediis ad illum conducentibus, ita ut Augustinus serm. 187. de tempore, meritò exclamet: *O Christiane! qui tibi videris nihil scire... considera, quantam super istos habeas scientiam.*

Nec tamen in Doctoribus Christianis scien- 42
tia provenit ex viribus & acumine solius rationis humanæ, sed ex concursu fidei, conjunctioneque doctrinæ divinæ cum illa, ut manifestum facit experientia. Quippe ubi ratio humana sola fuit (ut in Sapientibus Gentilitatis, quos Christiani nec ingenii acumine, nec rationis naturalis vigore præcellunt) defectum suum insufficientiamque prodidit.

Amplùsque manifestatur ex eo quòd, in so- 43
la humana ratione sistendo, absque ullo fidei præsidio, moraliter impossibile foret hominem non errare, circa divinam providentiam, justitiam, sanctitatem, &c. Quamvis enim ratione naturali divina illa attributa demonstrentur; tot nihilominùs, tantæque hominibus in sola ratione sistentibus occurrunt seseque ingerunt ex adverso difficultates, ut iis expediendis impar esset humana ratio, sine doctrinæ divinæ subsidio.

Etenim occurrunt imprimis continuæ pro- 44
biorum humiliationes, afflictiones, cruciatus, usque ad immanissimam mortem; pessimorum econtrà prosperitates, tyrannorum exaltationes, innocentium oppressiones, nocentium liberationes, &c. ex quibus humana ratio, sibi relicta, cum Atheis, Epicureis & Manicheis concluderet, vel Deo curam non esse de hominibus, vel Deum non esse justum.

Nec difficultatem evacuat demonstrata per 45
rationem naturalem immortalitas animæ, tum quia (teste S. Thoma) non de facili, sed difficulter sustinetur immortalitas animæ, si resurrectio mortuorum non est: hanc autem ratio naturalis non demonstrat. Tum quia, si Deo cura est de hominibus, justitiam servare debet hominibus, non solis animabus, cùm hominum alii pii sint, alii impii, quorum isti prosperantur in præsenti sæculo, illi affliguntur. Hoc autem in præsenti vita non apparet: futuram verò hominum vitam, ratio naturalis non assequitur. Immò principii loco Philosophi naturales dixerunt, " A privatione ad habitum non " datur recursus. "

Occurit deinde magna naturæ humanæ in- 46
ordinatio, quam omnes experimur, inclinatio utique major in vitia, quàm in virtutes, in contraria fini, quàm in finem, ad quem homo ordinatur; tanta quoque appetitus sensitivi rebellio adversus rationem, ut ratio quæ, secundùm naturæ ordinem, dominari debet, velut nobilior ignobiliori, penè ut captiva inserviat. Occurrit denique tanta peccandi necessitas, ut non magis in mundo sit, qui non peccet (quantùm humanitùs cognoscitur) quàm ignis qui non comburat. Hinc rursus contra

divinam providentiam, bonitatem & sanctitatem arguitur sic: Si Deus Author est hominum, naturæ Author est humanæ. Naturæ verò tam inordinatæ Author esse non potest Deus bonus, & sanctus, nec necessitatis peccandi Author esse potest, qui nequit Author esse peccatorum. Vel ergo Deus non est Author & Provisor hominum, vel non est bonus & sanctus.

47 Quid ad hæc humana ratio sibi relicta? tentare & suggerere aliquid poterit, non exitum certum invenire, ut patet, tum ex eo quòd nullus hominum, quibus doctrina revelata non illuxit, certum exitum invenire potuerit. Tum ex eo quòd nec nos certum inveniamus exitum, nisi ope duplicis doctrinæ relevatæ, quæ ex una parte certificat nos de mortuorum resurrectione, vitâque hominum sempiternâ; ex alia parte certificat nos de originali peccato, sine quo non fuissent miseriæ illæ, illæ inordinationes, illæ peccandi necessitates. Sic itaque divinam salvamus providentiam, justitiam, bonitatem, sanctitatem, ut eam solâ humanâ ratione non demonstremus perfectè, & sufficienter ad certam argumentorum omnium in contrarium solutionem, sed imperfectè dumtaxat, ac secundùm quid.

CAPUT IV.

Quarta demonstratio ejusdem defectûs, ex eò quòd humana ratio, sibi relicta, prorsus insufficiens sit ad aliquid certò statuendum de fine hominis.

48 POst Dei cognitionem, nihil est scitu dignius, nihil homini tam necessarium, quàm finis hominis, utpotè, qui primum est movens, quo cessante, omnes humanos motus cessare necesse est. Hunc finem quamvis omnes insito appetitu prosequamur; ad eum nihilominùs cognoscendum, imparem humanam rationem esse, demonstrat omnium experientia Gentilium Philosophorum, in quibus sola ipsa fuit, non fide adminiculata, prout in nobis. De humanæ quippe rationis viribus, meliùs judicare non possumus, quàm per experientiam Sapientum omnium, in quibus ipsa sola fuit. Omnes verò Sapientes illi, tametsi in nullo magis explicuerint omnes acutissimi ingenii sui, suæque rationis, dissertationis ac Philosophiæ nervos, quàm in investigando fine hominis; omnes nihilominùs, tam Academici quàm Stoïci, Aristotelici, Pythagorici, Epicurei, circa eundem finem in tantum delirarunt, ut hominis finem, ac beatitudinem in hac vita collocarint. Alii quidem in virtutibus, ut Stoïci, consequenter asserentes virum probum esse beatum, etiam in aculeo. Alii in voluptatibus, & bonis sensibilibus, ut Epicurei. Alii in cognitione animi præstantissima, cum corporeis bonis conjuncta, ut Aristoteles.

49 Nec eorum quispiam assequi potuit, quomodò post mortem homo posset esse beatus. Immò omnes usque adeò insipientes facti sunt, ut contra omnem rationem conjunctim asseruerint hæc duo: utique beatitudinem hominis in hac vita consistere; ac nihilominùs, etiam sapientissimos, posse, illata sibi morte, ab hujus vitæ malis sese liberare. Quòd si fuerint apud ipsos poëticæ narrationes de præmiis ac suppliciis alterius vitæ, fabularum fermè in loco ac pretio fuerunt. Usque adeò viri humanitùs sapientissimi, tanto tempore delirarunt, Deo per factum tam evidens demonstrante, quid natura, quid ratio humana sibi relicta valeret.

Præter experientiam illam palpabilem, eun- 50
dem rationis defectum demonstrat ratio duplex. Prima, quia S. Thomas 1. 2. q. 5. a. 8. ostendit, finem, seu beatitudinem hominis, alium non esse nisi Deum intuitivè visum: utpote quo solo satiari quietarique potest appetitus hominis. Intuitivam verò Dei visionem humana ratio non assequitur. Nec enim in cor hominis ascendit.

Secunda ratio, eaque patentior, est, quia 51
hîc, non animæ solius, sed totius hominis finis inquiritur. Homo verò in hac misera vita nequit esse beatus. Beatitudinem autem hominis, in altera vita, non assequitur ratio purè humana: cùm resurrectio mortuorum (sine qua homo post mortem non est homo) solâ fide sit nota. Impar est igitur ratio purè humana, ad finem hominis cognoscendum.

CAPUT V.

Demonstratur ingens defectus, insufficientiaque rationis humanæ, ad determinandum de mediis, seu moribus, quibus ad finem illum pervenitur.

DEmonstratur (inquam) experientiâ & ra- 52
tione. Nec solùm experientiâ Gentilium Philosophorum, sed & Christianorum, sicut & eorum qui legem scriptam præcesserunt. Ut enim rationis humanæ, divino magisterio destitutæ, defectum insufficientiamque patefaceret Deus, duobus annorum millibus, *dereliquit homines absque doctrina legis, tempore legis naturæ, in quo dum in errores inciderunt, convicta est eorum superbia de defectu scientiæ*, inquit S. Thomas lect. 7. in c. 3. ad Galatas.

De Gentilibus quid dicam? ipsimet eorum 53
Proceres, dum solo humanæ rationis ductu de moralibus philosophati sunt, tam crassè erraverunt, ut de Socrate Aristoteles 2. politic. 4. testetur, mulieres ac proles fecisse communes. Idipsum de Platone testatur Laërtius l. 3. c. 20. ubi ipsum hoc modo loquentem inducit, "Matrimonia communia esse debebunt. "Id est talia (ut glossat Lactantius l. 3. c. 19.) " ut " ad eandem mulierem multi viri tanquam canes " confluant, & is utique obtineat qui viribus " vicerit. Aut, si sapientes sunt, ut Philoso- " phi, expectent, & vicibus tanquam lupanar " obeant. " Democriti apud Epiphanium in

Compendiar. fid. expl. dogma fuit; „ non „ oportere ſapientem legibus obedire, ſed libe„ rè vivere. „ Ex poſitione Ariſtotelis, quòd in ſublunaria Dei providentia non deſcendat, Juſtinus Martyr in dial. cum Tryphone, velut conſectarium infert; *licentiam faciendi quidquid collibuerit, dum nec pœna timetur, nec ullum à Deo ſperatur commodum.*

54 Sed & Chriſtiani Doctores, qui laxitates ab Alexandro VII. & Innocentio XI. proſcriptas, aliaſque Prolegom. 1. c. 2. recenſitas docuerunt, defectum in ſe rationis humanæ, ad determinandum de moribus, palpabiliter oſtenderunt. Neque enim laxitates illas ex ſacris Litteris deprompſerunt, neque ex Canonibus, neque ex SS. Patribus; ſed ex ſola humana ratione ſuo ductui permiſſa, cui nimiùm indulſerunt, prout eodem Prolegom. 1. demonſtravimus.

55 Omitto experientiam innumerarum nationum infidelium, in quibus ſemper apparuit, & etiamnum apparet, in quàm cœdos de moribus errores deveniat ignorantia cæcitaſque humani intellectûs, dum ſola humana ratione dirigitur.

56 Experimentalem demonſtrationem illam ratio ipſa confirmat. Sicut enim humana ratio, ſolo ſuo ductui permiſſa, ſeu potiùs ignorantia & cæcitas intellectûs humani, de humana ratione ſua nimiùm præſumentis, radix eſt omnium aberrationum ſpeculativarum tam in fidelibus quàm in infidelibus; ita & omnium aberrationum moralium. Nec mirum, quia ſi ad veritates ſpeculativas, ſine errorum permixtione determinandas, humana ratio, ſibi relicta, inſufficiens eſt, ut in ſuperioribus demonſtratum eſt; multo magis ad determinandas veritates morales. Cùm in hoc ſtatu corruptionis, humana mens ſibi relicta, minùs expedita ſit, ad ferendum rectum de veritatibus moralibus judicium, quàm de ſpeculativis: eo quòd primi parentis vitio (utpote voluntate magis quàm intellectu commiſſo) voluntate, quàm intellectu corruptior evaſerit.

57 Et quamvis non ſola voluntas, inordinato ſui creaturarumque amore, vitiata fuerit, verùm & intellectus ad aſſequendam veritatem ſtupidus factus: ex illa tamen voluntatis corruptione, novæ intellectui acceſſerunt tenebræ, circa res à voluntate inordinatè dilectas. Quippe inde factum, ut nuſquam excæcatior obſcuriorque animus ſit, quàm in bonis maliſque rebus judicandis: eo quòd, ibi præter nativam hebetudinem, affuſis inſuper ex inordinata illa dilectione tenebris offuſcetur, voluntaſque, inordinatæ dilectionis præſtigiis, velut umbris & ſimulacris deluſa, magis applicet intellectum ad judicandum pro affectu ſuo, quàm pro veritate. Quo fit, ut intellectus ea facilè probet, quæ tenebroſa voluntas malè diligit, erranteque affectu facilè erret mentis oculus, juxta illud Ambroſii, l. de bono mort. c. 9. *Errat oculus, ubi errat affectus: affectûs ergo deceptio, eſt deceptio viſûs.*

Itaque intellectus, offuſis ex inordinata voluntatis affectione tenebris infuſcatus, à recto de moribus judicio impeditur. Quia ſcilicet rectum de moribus judicium requirit appetitum rectum. Teſte namque Authore libri de vera & falſa pœnit. *non poteſt ſentire quæ lucis ſunt tenebroſa voluntas.* Auguſtinus etiam in illud Pſal. 57. *Supercecidit ignis, & non viderunt ſolem*, dicit quòd ignis ille concupiſcentia ſit, quæ impedit ne ſol Juſtitiæ videri poſſit. 58

Et ratio petitur ex axiomate illo receptiſſimo, omniumque experientiâ notiſſimo, "Qua„ lis eſt unuſquiſque, talis finis videtur ei. " Ariſtot. 3. Ethic. Abſtinenti namque & temperato abſurdum & turpe videtur inebriari; non item potatoribus, & crapulæ deditis. Unde ebrietas longè turpior apparet Hiſpanis & Italis quàm Germanis & Belgis. Idem videre eſt in reliquis virtutum vitiorumque ſpeciebus: avaro quippe bonum apparet, augere conſervareque pecuniam, non conſiderato ordine finis; liberali autem videtur bonum eam rationabiliter diſpenſare. Magnifico videtur bonum eam erogare ſplendidè, juxta ſtatûs ſui magnitudinem; prodigo, eam parvis in occaſionibus prodigere. Affectionis itaque vis magna eſt in intellectum, quæ etiam facit ut fœdiſſima quæque appareant pulchra; mediocria, maxima; maxima, minima. Eadem facit ut vix fatuitas abſque patrono ſit, utque melior unicuique videatur lingua, veſtis, cibus, modus nationis ſuæ, matribus filii ſui omnium pulcherrimi videantur; idem nuntium, eodem tempore narratum Hiſpanis & Gallis, ſi prioribus faveat, facilè credatur ab illis, non pariter à Gallis. Et ſic de mille ſimilibus. Denique ob eandem rationem, affectio partium in ſcholis cauſat diſſenſionem opinionum, dum ſcilicet, alii Aquinati, alii Scoto affecti ſunt, alii aliis. 59

Quòd ſi in ſpeculativis tantam vim in intellectum habeat affectio, longè profectò majorem in moralibus, circa quæ detinetur affectio vel averſio voluntatis. Propterea namque faciliùs Indis perſuademus ſpeculativas Religionis Chriſtianæ veritates, quàm morales, quas averſatur voluntas ipſorum, v. g. ut una contenti ſint uxore, abſtineant à vindicta, paſſiones concupiſcentiaſque ſuas ad Evangelii normam compeſcant. Longè (inquam) difficiliùs perſuademus ipſis practicas haſce veritates, quàm ſpeculativas, quòd Deus Unus ſit & Trinus, quòd Verbum Incarnatum, &c. Quia licèt ſpeculativas iſtas veritates non capiant, eas tamen non averſatur voluntas ipſorum, prout averſatur mortificationem eorum, quibus inordinatè afficiuntur. 60

Propterea etiam Philoſophus 1. Ethic. à morali diſciplina tradenda, paſſionatos omnes excludit, tamquam ineptiſſimos ad rectum de moribus judicium. Ob eandem quoque rationem l. 1. Rhetor. c. 1. à tribunalibus arceri vult Cauſidicos inter perorandum facientes digreſſiones, quibus Judicis animum moveant 61

ad

ad commiserationem : „ In civitate (inquit) „ benè instituta, omnia legibus oportet consti- „ tui, & quàm minima Judicibus sunt relin- „ quenda ; quòd plerumque contingat, eos par- „ tibus litigantibus non æqualiter esse affectos. „ Quòdque in judicio nihil, præter rem de qua „ disceptatur, proponi permittatur, ne oratione „ rhetorica quis in iram, invidiam, misericor- „ diam impellendo, à recto judicio deflectat. Ne „ similes ei simus, qui eam, qua usurus est, re- „ gulam priùs inflectit, quàm utatur. Sic enim „ fit, ut cùm Judices amant aut odiunt.... non „ satis queant veritatem perspicere ; sed propria „ vel voluptas, vel dolor, judicia obumbret. „ Et hac etiam de causa, nemo, ob immodicum „ sui amorem, integer est Judex causæ propriæ. Idem diù ante Philosophum sacræ Litteræ mo- nuerunt, dum Exodi 23. & Deuteron. 16. statuerunt, ne Judices *munera accipiant, quia excæcant oculos prudentium, ac subvertunt verba justorum.*

CAPUT VI.

Non tamen ob præmissa contemnendus humanæ rationis usus ; sed liberior usus, ne in præcipitia ducat, corrigendus.

62 AGnoscat igitur suam homo pauperiem, ignorantiam, cæcitatem. Agnoscat suæ rationis insufficientiam, & in errores pronitatem. Agnoscat nihil rationi tam consonum, quàm humanæ rationis luxuriem, per chri- stianæ humilitatis, simplicitatis, modestiæ, & prudentiæ regulas coërcere : non quòd con- temnendus sit humanæ rationis usus, sed quòd in præcipitia ducat liberior usus, ut vidimus, & ex subjiciendis sacrarum Litterarum sancto- rumque Patrum documentis, videbitur am- plius.

De illorum itaque numero non sumus, qui humana ratione uti dedignantur, quique ra- tiones philosophicas Theologicis è scholis elimi- nandas autumant, ac si Theologiæ adversæ forent & inimicæ. Rationem quippe natura- lem solus ille contempserit, qui rationalis esse desierit ; cùm rationis munere Deo assimile- mur, paulo minùs ab Angelis minoremur, su- pra cæteras creaturas extollamur. Sed & im- pressio rationis naturalis signatura est super nos divini luminis, de quo Psal. 4. *Signatum est super nos lumen vultûs tui Domine.* Denique Christus in Evangelio, Apostoli in Epistolis suis, SS. Patres in scriptis, quæ nobis reli- querunt, multa è ratione naturali assumpse- runt, discursuque intulerunt. Igitur ratione- biliter abjici nequit modus iste disserendi, à Christo Domino profectus, ab Apostolis & sanctis Patribus usurpatus.

63 Utatur ergo Theologus ratione, sed ratione administra, non domina ; syllogismo non præ- sidente, sed subserviente (uti posteà declara- bitur ;) id enim ad scientiam & intellectum veritatis necessarium asserit S. Thomas quodlib. 4. a. 18. ubi proposita quæstione, *Utrùm determinationes Theologicæ debeant fieri authorita- te vel ratione*, propositaque ratione dubitan- di, ut sequitur : *Videtur quòd Magister, de- terminans quæstiones Theologicas, magis debeat uti authoritatibus, quàm rationibus. Quia in qualibet scientia quæstiones optimè determinan- tur per prima principia illius scientiæ. Sed pri- ma principia Theologiæ, sunt articuli fidei, qui nobis per authoritatem innotescunt.* Proposita etiam ratione in contrarium : *Sed contrà est quod dicitur ad Titum 1°. ut sit potens exhor- tari in doctrina sana, & contradicentes revin- cere. Sed contradicentes melius revincuntur rationibus quam authoritatibus.* Quæstionem sub distinctione resolvit sic : *Respondeo dicen- dum, quòd quilibet actus exequendus est secun- dùm quod convenit ad suum finem. Disputatio autem ad duplicem finem potest ordinari. Quæ- dam enim disputatio ordinatur ad removendam dubitationem, an ita sit : & in tali disputatio- ne Theologica maximè utendum est authoritati- bus, quas recipiunt illi, cum quibus disputa- tur.... Si autem nullam authoritatem recipiunt, oportet ad eos convincendos, ad rationes natu- rales confugere. Quædam verò est disputatio ma- gistralis in scholis, non ad removendum erro- rem, sed ad instruendum auditores, ut inducan- tur ad intellectum veritatis.... & tunc oportet rationibus inniti, investiganibus veritatis radi- cem, & facientibus scire quomodò sit verum quod dicitur. Alioquin si nudis authoritatibus Magi- ster quæstionem determinet, certificabitur qui- dem audutor, quòd ita est, sed nihil scientiæ vel intellectûs acquiret, sed vacuus abscedet.* Absit proinde ut subscribamus Arnoldo Villanovano, qui (apud Bzonium ad annum 1310) inter alios errores hunc adjunxit, quòd culparit Theologos omnes Philosophiam è Theologia non excludentes.

64 *Est quidem per se perfecta Servatoris doctrina, & nullius indiga* (ait Clemens Alexandrinus l. 1. Strom.) *cùm sit Dei virtus & sapientia : ac- cedens autem Philosophia, non veritatem facit potentiorem, sed debilem adversùs eam efficit so- phisticam argumentationem, & propulsans doloſas adversùs veritatem insidias, vineæ est seps & val- lum*, eique adjicit ornamentum, necnon veri- tatis scientiam & intellectum, ut suprà. *Ideò- que Augustinus* (inquit Angelicus Doctor 1. p. q. 84. a. 5.) *qui doctrinis Platonicorum imbu- tus fuerat, si qua invenit fidei accommoda in eo- rum dictis, assumpsit ; quæ verò invenit fidei no- stræ adversa, in melius commutavit.* Ipse quoque Doctor Angelicus (ob id à viro celebri non immeritò dictus *Philosophorum Apostolus*) Phi- losophiam, velut ancillam, vocavit ad arcem Sapientiæ, seu Theologiæ, ut ei subserviret ; quæ à Philosophis convenienter scripta sunt, colligendo, & velut ab *injustis possessoribus* (ut Augustinus loquitur 2. doctr. christianæ 40.) erepta, in obsequium fidei captivando, secun- dùm illud 2. ad Cor. 10. *In captivitatem redi- gentes omnem intellectum in obsequium Christi*,

quomodò David gladium Goliath eripuit, ipsumque proprio deinde gladio jugulavit.

CAPUT VII.

Ratione liberiùs utuntur Philosophi, qui ita sibi in antecessum præfigunt philosophicas suas opiniones, ut deinde Spiritum Sanctum, ubi repugnare videtur, seu sacra documenta in balbutiem suam trahant.

65 PRæsenti assertione grandis eorum abusus redarguitur, qui Philosophiam Theologiæ sic præmittunt, ut, inauditâ Theologiâ, jaciant philosophica sua principia, & secundùm ea deinde glossent, amplient, restringant, inflectant, torqueant principia propria Theologiæ, ipsa etiam oracula Scripturæ, vel testimonia Ecclesiæ, saltem non expressissima. Quos quidem ratione liberiùs uti, nec sapientes Theologos, immò nec sapientes quidem Philosophos esse posse,

66 Probatur 1°. quia ratione liberiùs utuntur, quicumque contra rectum rationis ordinem plus ipsi tribuunt, quàm par sit. At hoc ipsi faciunt. Cùm enim tot argumentis suprà demonstratum sit, tam erraticam esse rationem Philosophiamque purè humanam, ut in præcipitium ducat, nisi magisterio divino, seu doctrinâ divinâ corrigatur & dirigatur; contra rectum rationis ordinem est, quòd corrigat, velutque dirigat eam, à qua corrigi debet & dirigi. At verò corrigit, velutque dirigit doctrinam divinam, à qua corrigi dirigique debet, dum doctrina divina in balbutiem ipsius trahitur, sive ad præscriptum ipsius glossatur, ampliatur, restringitur, inflectitur, contorquetur. Tunc enim adversùs dominam ancilla, adversùs Isaac Ismaël insolescit, ancillæque domina, inverso rectæ rationis ordine, obsequitur; non dominatur nec præit, sed subsequitur.

67 2°. Ratione liberiùs utuntur, qui non secundùm regulas veræ sapientiæ. Hoc autem prædicti faciunt. Cùm enim (ex supradictis) principium veræ sapientiæ sit, parùm credere rationi suæ, humanæque rationis luxuriem per submissionem ad superiorem minùsque fallibilem regulam coërcere: Philosophus Christianus, secundùm dictamen veræ sapientiæ, non debet superiorem fitmioremque regulam inferiori infirmiorique, nec proinde Spiritum Sanctum (in sacris Litteris, Canonibus & sanctis Patribus loquentem) rationi Philosophiæque suæ purè humanæ accommodare; sed ante omnia scrutari, quid Spiritus Sanctus dicat in sacris Litteris, &c. deinde se suamque rationem ac Philosophiam ipsi submittere, accommodare, & in obsequium ipsius captivare.

68 3°. Ratione & Philosophiâ liberiùs utuntur, qui eam imperare faciunt Theologiæ, cùm Theologia ex dictis Prolegom. 1. n. 29. 30. 31. 32. imperare debeat Philosophiæ. Quisquis verò ad præscriptum Philosophicorum principiorum suorum exponit, inflectit, & torquet principia Theologiæ (prout antedicti faciunt) rationem & Philosophiam imperare facit Theologiæ: tunc enim Theologia Philosophiæ imperat, cùm principia illius inflectuntur & accommodantur ad præscriptum istius.

Ex his constat, eos multo magis arguendos 69
de liberiori rationis usu, qui ob humanam rationem, seu Philosophiam, recedunt ab authoritate Scripturæ, Canonum, vel sanctorum Patrum.

CAPUT VIII.

Ratione liberiùs utuntur, qui omnia sibi proposita, quàmlibet incerta & ambigua, de suo, velut ex tripode definiunt, præsertim in moralibus.

EOs impetit assertio, qui de casibus dubiis, 70
à securo aliquo duce nondum definitis, non satis cautè sententiam ferunt: quia videlicet rationi sibi occurrenti citò credunt, habentque phantasias vel phantasmata sua pro cognitis. Judicium profectò suspensuri, vel suam etiam, de re proposita, ignorantiam humiliter confessuri, si vel contraria fundamenta, vel alia pensanda ritè pensarent, haberentque animum expurgatum ab omni præjudicio, sicut & ab omni inordinato affectu hominibus placendi, vel gloriam captandi, vel vitandi notam hominis irresoluti, nec alio tenerentur quàm veritatis Deique amore. Qui proinde, si errant, vincibiliter errant, suusque error eis imputatur, cujus periculo temerè sese exponunt, dum de malesuada ratione sua nimiùm præsumentes, nec pensanda ritè pensantes, nec voluntariam erroris causam, dictam utique præsumptionem, vel affectûs inordinationem abjicientes, justo Dei judicio loquuntur falsa.

Et contra eos militat exemplum doctrinaque 71
Sanctorum, qui, licèt ad judicandum ipsis magis idonei, saltem in hoc imitati sunt protoparentes in innocentiæ statu, quòd non tam proni fuerint ad judicandum de quibuslibet animo oblatis, sed de rebus prorsus incertis ambiguisque judicium suspenderint, uti cap. 1. vidimus. Similiter & Sancti fecerunt in casibus ambiguis, præsertim ad conscientiam spectantibus, nec ante ipsos decisis, quos de suo decidere non sunt ausi, prout Proleg. 1. c. 7. ostendimus. Et hinc de seipso Doctor Doctorum Augustinus ep. 250. dicebat: *In multo pluribus quærimus potiùs quid sentiendum sit, quàm definitum aliquid fixumque tenemus: & ea cautio, cùm sollicitudine plena sit, multo melior est, quàm temeritas affirmandi.* Et Joannes Sarisberiensis l. 2. Polit. c. 2. *Malo cum Academicis, si tamen alia via non pateat, de singulis dubitare, quàm perniciosâ simulatione scientiæ, quod ignotum vel absconditum est, temerè definire.* Quod de Academicis ideò dicit, quia, ut ait l. 7. cap. 1. *Academici, vitantes præcipitium, in eo quidem modestiores sunt* (nostris liberioribus Judicibus) *quòd defectum*

suum

suum minimè diffidentur, & in rerum ignorantia positi, ferè de singulis dubitant; quod quidem longè tutius est, quàm incerta temerè definire.

72 Hanc Academicorum modestiam in casibus novis & ambiguis, imitati sunt Sancti, nec eos decidere sunt ausi, ne ipse quidem Hieronymus, utpote, qui de seipso in epistola ad Paulinum, istud perhibet testimonium: *Nunquam meipsum magistrum habui.* Et epist. 27. c. 12. profitetur se docuisse, quod didicerat, *non à meipso* (inquit) *id est à præsumptione, pessimo præceptore, sed ab illustribus Ecclesiæ viris.* Et epist. 108. *Fateor me nunquam in divinis voluminibus exponendis, propriis viribus credidisse, nec habuisse opinionem meam, sed ea etiam, de quibus scire me arbitrabar, interrogare me solitum, quanto magis de iis, de quibus anceps eram?*

73 Enimverò unam ex radicibus tot propositionum ab Ecclesia proscriptarum, totque aliarum quæ leguntur in operibus variorum Casuistarum, esse nimiam de moribus opinandi, de suoque definiendi licentiam, Prolegom. 1. cap. 7. per totum demonstravimus. Et ideò alta mente repositа esse debent solemnia hac de re documenta Sanctorum. *Imbecillem mentem* (ait Augustinus 1. Trin. 2.) *observata pietas sanet, ne in opinionem noxiæ falsitatis temeritas inordinata præcipitet.* Et l. 8. Gen. ad litt. c. 5. *Melius est dubitare de occultis, quam litigare de incertis. Nemo* (inquit Bernardus ser. 27. de diverſ.) *super his quæ certa sunt hæsitet, nemo dubia pro certis admittat, nemo sibi in dubiis judicium venditet, præcipitetve sententiam. Unde enim sunt scandala? unde turbatio? nisi quòd propriam sequamur voluntatem, temerè, quod volumus, in corde nostro definientes.*

74 Dixi *præsertim in moralibus*: ut enim sapienter Contenson Theol. ment. & cord. to. 3. in præloquio: „ in aliis scientiis, salva fide, unusquisque in suo sensu abundare potest, promptaque venia conceditur luxuriantibus Philosophorum ingeniis: quia sive aliquid novi dicant, nihil prosunt; sive delirent, nihil nocent. At verò in morali totius vitæ status disponitur. Unde eo majorem cautelam & prudentiam necesse est adhiberi, quò periculo majori exponimur „ .... *Nullus hic errori locus* (inquit Lactantius l. 13. c. 7.) *quia si quid fuerit erratum, vita omnis evertitur. Nullus hic temeritati locus* (addit. c. 13.) *in æternum stultitiæ pœna subeunda est, si aut persona inanis, aut opinio falsa deceperit.* Tanto proinde magis hîc vitanda licentia casus ambiguos de suo resolvendi, quanto periculosior & pernicioſior est facilitas temerè definiendi.

75 Et propterea Angelicus Doctor quodlib. 9. a. 15. monet periculosam esse resolutionem alterutram in partem, ubi de peccato mortali agitur: *omnis quæstio, in qua de peccato mortali quæritur, nisi expresse veritas habeatur, periculosè determinatur. Quia error, quo non creditur esse peccatum mortale, quod est peccatum mortale, non excusat à toto, licèt fortè à tanto. Error verò quo creditur mortale esse, quod non est mortale, ex conscientia ligat ad peccatum mortale. Præcipuè autem periculosum est, ubi veritas ambigua est.* Et tunc nihil tanquam certum asserendum est, neque esse, neque non esse mortale, sed res declaranda est ambigua sive incerta. Neque enim quidpiam asserendum est certò esse vel non esse mortale, sine certa authoritate, vel ratione.

Atque hoc sensu intelligendum est quod dicit Gabriel in 4. dist. 15. q. 13. a. 2. concl. 1. 76
" Incautum est & malum affirmare aliquid " esse peccatum mortale, quando non probatur " sufficienti authoritate, vel evidenti ratione. " Quodque Gerson ait, 3. p. l. de vit. spirit. lect. 4. litt. O. " Doctores Theologi non debent " esse faciles ad asserendum aliquas actiones, vel " omissiones, esse peccata mortalia, præsertim " sub verbo universali, maximè cùm observatio " communis obnititur obviatque, ubi non sunt " certissimi de re ipsa, nec talia sunt prædicanda " populo tanquam certa (nota.) " Nam per hujus- " modi assertiones publicas, voluntarias, rigidas, " duras, & nimiùm strictas, in rebus incertis, " nequaquam eruuntur homines à luto peccatò- " rum, sed in illud profundiùs, quia desperatiùs, demerguntur, &c. "

Hæc (inquam) vera sunt, sic intellecta, ut 77
sicut in re incerta, non est certò (ut habet Gerson) prædicandum mortale, quod certa authoritate vel ratione non convincitur esse mortale. Sic non est certò prædicandum non esse mortale, quod certa authoritate vel ratione non convincitur immune esse à mortali. Utrimque enim periculum est, vel addendi vel detrahendi divinæ legi, sive impingendi in illud Deuteron. 4. *Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ex eo.* Ostensumque est ex Aquinate, quòd *omnis quæstio, in qua de peccato mortali agitur, nisi veritas expresse habeatur, periculosè*, sive unam, sive alteram in partem, *determinatur.* In eo proinde casu, nihil sive hinc, sive inde, determinandum ut certum, sed relinquendum incertum, vel ad summum determinandum ut probabile, vel ut probabilius, pro ratione & pondere fundamenti.

CAPUT IX.

Ratione liberiùs utuntur, qui plus rationi suæ privatæ, quàm communi Majorum traditioni, vel primariorum Ecclesiæ Doctorum authoritati, in materia per Ecclesiam non definita, cùm apertam necessitatem, deferunt.

PRobatur 1°. quia ratione liberiùs utuntur, 78
quicumque contra regulas veræ sapientiæ c. 14. comprobandas utuntur. At hoc supradicti faciunt: cùm una ex regulis illis sit agnoscere necessitatem divini luminis, magisteriique, ad vitandum errorem, sequique ordinem à divina providentia præstitutum ad illu-

minationem hominum, vitandumque erroris præcipitium : qui est ut minùs sapientes ad hoc dirigantur illuminenturque per sapientiores, ac maximè per sanctos Doctores. Cujus oppositum ipsi faciunt. Dum enim privatam rationem sibi visam (& idem est de privata ratione à moderno aliquo heri excogitata) præferunt communi traditioni Majorum, vel authoritati sanctorum Doctorum, præsertim primariorum, ab Ecclesiaque approbatorum, nolunt ab ipsis dirigi, sive instrui, illuminarique, nec proinde à Deo per ipsos ; sed ipsos potiùs instruere, velut ipsis rationabiliores, in puncto vel punctis de quibus agitur, ut videbitur n. 106. Non ergo sequuntur ordinem à divina providentia præstitutum, &c. sed ab eo se subducunt, adeòque & à divino lumine, sibi necessario ad vitandum errorem.

79 2°. Adolescens, cui pater sapientissimum præfecit pædagogum, ad ipsum instruendum, vitandumque juvenilis ingenii ipsius præcipitium, ingenio suo & ratione liberiùs, nec proinde sapienter utitur, si ei se committere malit, quàm instructionibus sui sapientissimi pædagogi. Similiter ergo ratione ingenioque suo liberiùs, nec proinde sapienter utuntur, quicumque (citra apertam necessitatem) malunt committere se lubrico ingenio suo, erraticisque rationibus per illud excogitatis, quàm instructioni Majorum nostrorum, & maximè Sanctorum primariorumque Ecclesiæ Doctorum, utpote, quos Deus (Apostolo teste) nobis dedit velut pædagogos sapientissimos, *ut non circumferamur omni vento doctrinæ . . . ad circumventionem erroris*, utque proinde nos instruant, dirigant, illuminent, & corrigant ingentes defectus lubrici ingenii nostri, aberrationesque insufficientis rationis nostræ. Nec solùm ratione liberiùs minùsque sapienter utuntur, hoc faciendo summis in rebus, vel supernaturalibus, verùm & in philosophicis & naturalibus : cùm etiam in his lubricum ingenium, ratioque nostra divino indigeat magisterio ne erret, ut probabitur c. 14. suoque Deus magisterio etiam in istis nos instruat per dictos SS. Doctores, tamquam pædagogos sapientissimos, utpote, quos etiam in istis (tametsi principaliter Theologicis in rebus) spiritu sapientiæ & scientiæ præ cæteris implevit ad instructionem nostram, corrigendamque fallacem rationem nostram, etiam in illis indigam pædagogi sapientis. Absit proinde ut subscribamus aientibus, sanctorum Doctorum authoritatem in philosophicis exiguam esse, vel nullam, vel qui objecto sibi Augustini vel Aquinatis v. g. testimonio, respondent : *Si sanctus est, pro me oret ; si Theologus, aut Philosophus, probet.* Qui enim tam liberè sentiunt, vel loquuntur, veræ sapientiæ loca ignorant, id est, ubi & apud quos vera sit sapientia, etiam philosophica ; quæ cùm ipsa quoque (ex dicendis cap. 14. n. 120. 121. 122.) speciale Dei donum sit, non est dubium, donum istud à Deo postulantibus, & orantibus ut oportet, præ aliis à Deo concedi ; nec proinde dubium, sanctis potiùs Doctoribus, quàm aliis à Deo tribui, utpote, qui meliùs quàm alii postulant illud, orantque prout oportet, id est, cum humilitate cordisque puritate. Confert ergo sanctitas, confert humilitas, cordisque puritas ad veram sapientiam, etiam philosophicam, à Deo impetrandam ; sicut & confert sincerum desiderium veritatis, potiùs quàm plausus. Sancti verò Doctores, sicut veritatem, non plausum, sincerè desiderarunt, quæsieruntque in Theologicis & in philosophicis. Quæ etiam cùm aliunde in multis connexa sint cum Theologicis, si eorum authoritati deferendum sit in istis, est & in illis : cùm connexorum eadem ratio sit, & (in philosophicis etiam) multo majora altioraque intellexerint, posterisque tradiderint, quàm primarii Philosophi Gentiles, sive Metaphysicam spectes, sive Moralem Philosophiam, &c.

3°. Privatam rationem suam (citra necessi- 80
tatem dictam) vel communi Majorum traditioni, vel sanctorum Doctorum, maximè primariorum authoritati præponere, est inniti prudentiæ suæ, esseque in oculis suis sapientem (ut videbitur c. sequenti.) Hoc autem recta ratio, & sapientia vetat, juxta Oracula Scripturarum, documentaque Sanctorum, ibidem referenda.

4°. Ratione liberiùs utitur, qui contra 81
christianam humilitatem, simplicitatem, modestiam & prudentiam utitur. Hoc autem faciunt, qui faciunt quod christianæ illæ virtutes non permittunt. Nec christiana verò humilitas, nec simplicitas, nec modestia, nec prudentia, citra perspicuam necessitatem, cuique permittit, credere vel præsumere, quòd visa sibi ratio melior sit ratione sanctorum Ecclesiæ Doctorum, vel Communitatis Sapientum in contrarium, ut c. 14. probabitur.

5°. Id taliter præsumere, non tam est ra- 82
tione uti, quàm abuti ; nec tam sequi, quàm contemnere rationem, ut videbitur laudato cap. 14.

6°. Denique qui hoc præsumunt, pessimi 83
sunt æstimatores humanæ sortis, peccato originali attenuatæ, nec satis considerant ingentem rationis suæ deficientiam, fallibilitatem, atque in errores proclivitatem, in superioribus demonstratam. Utpote quam si appenderent ad pondus Sanctuarii, de se suaque ratione humiliùs sentirent, eandemque rationem suam suspectam haberent, stante ex adverso authoritate primariorum Sanctorum, vel Communitate Sapientum ; adeòque vererentur, ne inani rationis umbrâ deluderentur, neve lumen, quod in ipsis est, tenebræ essent ; finaliterque concluderent, rectam solidamque rationem se potiùs sectaturos, sectando doctrinam primariorum Ecclesiæ Doctorum, communemve traditionem Majorum, quàm sectando privatam cogitationem suam, vel moderni alicujus, ab illa doctrina vel traditione aberrantis, prout ampliùs constabit ex dicendis.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CAPUT X.

In materia Theologica, tametsi non definita, citra perspicuam necessitatem, plus deferre privatæ rationi suæ, quàm communi traditioni Majorum, vel doctrinæ primariorum Ecclesiæ Doctorum, est contra oracula Scripturarum, exemplaque & documenta Sanctorum.

84 PRimò, quia pro assequenda sapientia & intelligentia, ac per consequens vera solidaque ratione, Oracula Scripturarum nos remittunt ad Majores nostros, non ad nosmetipsos, visamque nobis, præ illis, rationem. Deuteron. 32. *Interroga Patres tuos, & annuntiabunt tibi.* Job. 8. *Interroga generationem priſtinam, & diligenter interroga Patrum memoriam. Quoniam* (ut subjungitur c. 12.) *in antiquis est scientia.* Eccli. 8. *Non te præterent narratio seniorum: ipsi enim didicerunt à Patribus suis; quoniam ab ipsis disces intellectum.* Hierem. 6. *State super vias, & videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea, & invenietis refrigerium animabus vestris.*

85 2°. Quia plus deferre privatæ rationi suæ, quàm communi Majorum traditioni, vel doctrinæ primariorum Ecclesiæ Doctorum, est contra Oraculum Spiritûs Sancti. Prov. 3. *Ne innitaris prudentiæ tuæ, & ne sis sapiens apud temetipsum.* Quod in nova lege reperit Apostolus Rom. 12. *Nolite prudentes esse apud vosmetipsos.* Et in Litteris sacris adeò inculcatur, ut Isaiæ 5. dicatur: *Væ prudentibus apud semetipsos, & in oculis suis sapientibus.* Et 1. Cor. 1. *Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo.* Siquidem, *prudentiæ suæ innititur* (ait V. Beda l. 1. exposit. in Prov. post Hieronymum & Augustinum) *qui ea quæ sibi agenda vel dicenda videntur, Patrum decretis anteponit; sapiens verò est apud semetipsum, qui in illis quæ ex Patrum magisterio potuit rectè cognoscere, sese præ cæteris quasi doctior extollit.* Hoc autem reipsâ faciunt, quicumque, citra evidentem necessitatem, privatum judicium suum, communi judicio Majorum anteponunt, plusque rationi sibi visæ quàm contrariis Patrum documentis deferunt.

86 3°. Plus deferre privatæ rationi suæ, &c. est usque adeò fidere rationi sibi particulariter visæ, ut, in comparatione illius, Patrum doctrina præsumatur ratione destituta, vel certè minùs solidâ ratione suffulta, atque eatenus visam sibi rationem, sanctorum Doctorum authoritati magisterioque præferre. At hoc non sobriè sapientis, sed superbi, arrogantis, de seque & ratione, seu prudentia sua, nimiùm præsumentis spiritûs esse, clamant documenta Sanctorum, nedum Hieronymi, Augustini, & V. Bedæ proximè relatorum, verùm & Chrysostomi hom. 22. in c. 12. ad Rom. ubi Apostolicum istud, *Nolite prudentes esse apud vosmetipsos*, sic vertit: *Ne sitis arrogantes apud vosmetipsos*; pro eodem accipiens, *esse prudentem apud semetipsum*, atque, *esse arrogantem.* Quia scilicet visam sibi rationem Sanctorum authoritati magisterioque præferens, ut suprà, atque eatenus prudens apud semetipsum, reipsà putat, suum sibi judicium, propriique intellectûs acumen ita sufficere, ut ad veritatem assequendam non indigeat Sanctorum magisterio nec lumine. Quod arrogantis est putare. Unde laudata Apostoli verba, sic interpretatur: *Ne putetis vos sufficientes vobis ipsis. Nam & alibi Scriptura dicit: Væ prudentibus apud semetipsos, &c. Nihil enim ita à reliquis avellit & abscindit*, id est, contra alios singulariter sentire facit, *quemadmodùm si quis se sufficere sibi ipsi putaverit. Unde & ita nos Deus constituit, ut alter alterius operâ indigeat. Ut ut enim prudens sis, altero tamen opus habes. Quod si te nullius operâ indigere putaveris, omnibus factus es stultior & imbecillior.* Tales igitur, nedum arrogantiæ, sed & stultitiæ & imbecillitatis arguit Chrysostomus. Meritò quidem: quia stultitia magna est, quòd homo, ob ingentem defectum rationis suæ, summoperè indigens Majorum instructione, Sanctorumque magisterio, non solùm putet eo se non indigere, seque sibi sufficientem esse, sed & (in materia de qua agitur) puret se Majoribus suis passim omnibus, primariisque Ecclesiæ Luminaribus sapientiorem esse; quod reipsà putat, qui (ea in materia) se suamque rationem & cogitationem, communi Majorum traditioni, primariorumque Ecclesiæ Luminarium doctrinæ & authoritati præponit.

Tales etiam, cum citatis Patribus, superbiæ & præsumptionis arguit Hugo Victorinus l. 1. Miscell. c. 2. quia scilicet visæ sibi rationi supra Majorum traditionem, veterumve Patrum doctrinam sic deferre, ut ista ob illam reprobetur & abjiciatur, est veluti docere Magistros suos, arguereque Seniores. At verò *docere Magistros, arguere Seniores, imperare Majoribus, superbi spiritûs est, & de ipso præsumentis.* 87

Eosdem vanitatis & stultitiæ arguit Richardus Victorinus, in Benjamin majore l. 2. c. 2. dicens: *Nostris temporibus surrexerunt quidam pseudo-philosophi* (proinde non rationalistæ, sed pseudo-rationalistæ) *qui volentes sibi nomen facere, putaverunt se posse facere sibi sapientiæ arcam*, nec indigere auxilio magisterioque Majorum, Patrumque suorum, *& euntes in adinventionibus suis, tradiderunt sententias novas*, à sententia Majorum & sanctorum Patrum alienas, *arbitrantes secum ortam moituramque sapientiam. Sed ecce computruerunt horum omnium arcæ; eo quòd non essent de lignis setim, lignis videlicet imputribilibus factæ. Et ecce stulti facti sunt omnes principes Thaneos; eo quòd stultam fecerit Deus sapientiam hujus mundi.* 88

Judicio itaque Richardi, & Sanctorum, meritò de talibus dicitur, quod de Philosophis Gentium Apostolus Rom. 1. ait: *Dicentes*, vel putantes, *se esse sapientes, stulti facti* 89

sunt. Minùs proinde sperandum de ipsis, quàm de indoctis & imperitis, juxta illud Proverb. 26. *Vidisti hominem sapientem sibi videri? magis illo spem habebit insipiens.* Eo quòd utique nimia ipsius de se præfidentia, causa sit, quòd sapientiores audire nolit, nec ab eis instrui, dirigi & illuminari; à qua præsidentia, & consequenter indocilitate, procul abesse solent imperiti.

90 4°. Nec solis illis Patrum documentis, tales redarguuntur, sed & verbis Gelasii Papæ epist. 3. ad Honorium: *Quid tendimus ultra definita Majorum? .... numquid sapientiores illis sumus?* Et Cœlestini epist. 1. c. 1. *Desinat incessere novitas vetustatem.* Et Hormisdæ epist. 22. ad Possessorem: *Cur recentia cupitis, & prisca deseritis?* Et rursum: *Errat à via, qui ab eo, quod Patrum electio monstravit, exorbitat.* Et B. Remigii, Lugdunensium Antistitis l. de tenenda verit. script. c. 8. *Dignum est, & æquum, ut qui anteriorum authoritatem vilipendunt, suam ipsi authoritatem apud posteros amittant*, quique seniores deserunt, à junioribus & ipsi deserantur, ut in ipsis impleatur quod scriptum est: *In qua mensura mensi fueritis, remetietur & vobis.* Ut enim D. Gregorius in simili ait l. 3. Registri epistol. 12. *Justitiæ ac rationis ordo suadet, ut qui sua à successoribus custodiri desiderat mandata, decessoris sui statuta custodiat.* Et ut Bernardus epist. 77. dicit: *Omnium meritò in se provocat manus, cujus manus contra omnes.* Hoc dicit Mellifluus Doctor contra præsumptuosum istud effatum Abaylardi: *Omnes sic, sed non ego sic. Quasverò* (præmiserat Bernardus ibidem) *novus iste novarum inventor assertionum, & assertor inventionum, invenire in hoc rationem potuerit, quæ Sanctos latuerit.*

91 5°. Non solùm documentis, verùm & exemplis sanctorum Patrum edocemur, plus priscorum Patrum authoritati, Majorumque traditioni, quàm privatæ rationi cogitationique nostræ deferre. Ideò namque SS. Patres ausi non sunt sibi ipsis esse Magistri, nec propriæ mentis fœtus aliis obtrudere, sive ex proprio cerebro, privataque ratione sua, sed ex Majorum dumtaxat sensu & traditione alios docere, ut Prol. 1. vidimus à n. 54. ad 73. Et hinc Hieronymus in epist. ad Ctesiphontem de seipso dicit: *Multi anni sunt, quod ab adolescentia usque ad hanc ætatem diversa scripsi opuscula, semperque habui studio audientibus loqui quod publicè in Ecclesia didiceram, nec Philosophorum argumenta*, seu philosophicas rationes, præ doctrina Sanctorum vel traditione Majorum, sectari, *sed Apostolorum simplicitati acquiescere*; *sciens illud scriptum: Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo.* Et epist. 27. c. 12. *Propter crebras postulationes ejus* (scilicet Paulæ) *præstiti ut docerem quod didiceram, non à me ipso, id est, à præsumptione, pessimo præceptore, sed ab illustribus Ecclesiæ viris.*

92 Hinc etiam sanctis Doctoribus Majoribusque nostris persuasum fuit vetus istud proverbium: *Auditus est sensus disciplinæ*, sicut & quod Augustinus l. de moribus Eccles. c. 12. ait: *Quamlibet rationis acumine polleamus, naturæ ordo ita se habet, ut cùm aliquid discimus, rationem præcedat authoritas.* Et c. 25. *Nihil in Ecclesia salubrius fit, quàm ut rationem præcedat authoritas, & intelligentiam auscultatio Seniorum.* Istum quippe esse modum assequendi rectam rationem, sapientiamque & intelligentiam, Ambrosius in Ps. 118. octonatio 15. probat ex hebraïca littera *samech*, quæ 1°. significat *audi*, 2°. significat *firmamentum*. Verba ipsius sunt: *Samech littera decima quinta, quæ interpretationem habet, audi. Est & alia ejus interpretatio, quâ dicitur firmamentum.... quod cum superiore interpretatione concurrit: nisi enim unusquisque audierit quid sequi debeat, non firmatur. In officio igitur audiendi omnium firmamentum est.* Quisquis ergo rectæ rationis, sapientiæ & intelligentiæ firmamentum assequi cupit, præsertim in concernentibus fidem, christianique hominis officium, priùs audiat Majores suos, & sanctos Doctores, eorumque authoritatem visæ sibi rationi præferat. Disciplinam quippe nostram Pythagoricam esse dicit Nazianzenus orat. 1. in Julian. Ideòque intelligentiam & veritatem ipsius assequi cupiens, rationi præferre debet authoritatem, utpote, quæ apud Pythagoricos rationi præhabita fuit.

Hinc denique priscî Patres nostri Theologi- 93
cas de fide & moribus veritates authoritate & traditione, magis quàm humanâ ratione, Philosophiâque investigandas tradiderunt: non quòd rationis seu Philosophiæ usum miscerî prohibuerint in doctrina sacra (prout hodie nonnulli prohibent, zelo fortassis bono, at non secundùm scientiam,) sed quòd toto cælo aberrare senserint eos, qui ab authoritate Sanctorum, traditioneque Majorum, ob visam sibi rationem, Philosophiamque suam recedunt. Isto namque sensu Tertullianus in lib. de præscript. c. 17. dicit: *Quid Athenis & Hierosolymis? quid Academiæ & Ecclesiæ? nostra institutio de porticu Salomonis est, qui & ipse tradiderat Dominum in simplicitate cordis esse quærendum. Viderint qui Stoicum, & Platonicum, & Dialecticum Christianismum protulerunt.* Eodem sensu Isidorus Pelus. l. 4. epist. 127. alludens ad illud Apostoli; *Animales, spiritum non habentes*, animales vocat, *eos qui ratiocinationibus, & syllogismis, & disputationibus potius innituntur, & se inventuros arbitrantur id quod justum est.* Et Ambrosius l. 1. de fide ad Gratian. c. 3. protestatur, quòd *non in Dialectica complacuit Deo salvum facere populum suum. Regnum enim Dei, in simplicitate fidei est, non in contentione sermonis.* Et Hieronymus in c. 10. Matthæi, dicit: *Evangelicos Doctores non debere humanis rationibus niti.* Et Theodoretus in Polymorpho dial. 1. *Velim ne humanis rationibus inquisitionem veritatis subjicias, sed Apostolorum & Prophetarum, &*

Sanctorum qui hos secuti sunt, vestigia inquiras. Audiant hæc qui gloriantur, *in omnibus se plus rationi, & Dialecticæ, quàm authoritati deferre.*

CAPUT XI.

In eadem materia plus deferre privatæ rationi suæ, quàm traditioni Majorum, doctrinæve vel authoritati sanctorum Doctorum, est contra regulas christianæ humilitatis, simplicitatis, modestiæ & prudentiæ.

94 QUòd sit contra regulas christianæ humilitatis, probant documenta Sanctorum, quibus num. 86. 87. 88. demonstratum est non esse animi humilis, sed superbi, arrogantis, deque sufficientia & ratione sua nimiùm præsumentis, sic inniti rationi seu Philosophiæ suæ, ut plus ei deferatur, quàm traditioni Majorum, authoritatique priscorum Patrum & Communitatis Sapientum. Hoc est enim inniti prudentiæ suæ, atque in oculis suis sapientem videri. Hoc est videri sibi priscis illis Patribus, magnisque Ecclesiæ Luminaribus sapientiorem, in eo in quo visa sibi ratio, conceptaque inde cogitatio, doctrinæ ipsorum antefertur. Hoc est non velle ipsos audire, nec ab ipsis instrui, docerique, sed ipsos quodammodo docere, ipsosque arguere, quasi doctrina ipsorum, in comparatione placentis tibi cogitationis tuæ, vel sit ratione destituta, vel minùs solidâ ratione suffulta. Ista verò præsumere superbi spiritus est, de seipso nimiùm præsumentis, ut clamant allata ibidem documenta. Est ergo contrarium humilitati, atque adeò contrarium Sapientiæ, quæ non est ubi superbia, sed ubi humilitas, Sapiente Proverb. 11. dicente: *Ubi fuerit superbia, ibi erit & contumelia; ubi autem humilitas, ibi & sapientia.* Quia videlicet *lumen intelligentiæ humilitas aperit, superbia abscondit.* Gregor. 25. Moral. 11. *Humilitas virtus est & sublimioris Philosophiæ mater & origo.* Chrysostomus homil. 39. in cap. 11. Matthæi. Propterea Christus: *Confiteor* (inquit) *tibi Pater, Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis.*

95 Quòd id etiam sit contra christianam simplicitatem & modestiam, probatur quoad simplicitatem (de qua Sap. 1. *In simplicitate cordis quærite illum*) quia proprium christianæ simplicitatis est, magis credere aliis sapientioribus, quàm sibi ipsi, nec in rebus fidei & morum tam inniti humanæ Philosophiæ, terrenæque sapientiæ (de qua scriptum est, *Perdam sapientiam sapientium, &c.*) quàm cælesti Philosophiæ Sanctorum, quos Deus cælesti lumine perfudit ad illuminationem cæterorum; nec se sibi magistrum habere, sed alios, præsertim Ecclesiæ Doctores. Patet hoc in simplicitate parvulorum, qui magis credunt matri, quàm sibi, plusque deferunt matris instructioni, quàm propriæ cogitationi. Unde Cyprianus l. 3. testim. cap. 53. simplicitatem opponit nimiæ ratiocinationi, ad id allegans testimonium Eccl. 7. juxta Versionem 70. *Noli argumentari plusquam oportet:* quod profectò faciunt, qui Sapientioribus deferre nolunt, maluntque sequi rationem sibi visam, quàm magistrorum sibi cælitùs datorum authoritatem & doctrinam.

Probatur etiam quoad modestiam, 1°. quia 96
quisquis sapit plusquàm oportet sapere, sicut non sapit ad sobrietatem, ita nec ad modestiam) Apostolo Rom. 12. duo ista contraponente, *Sapere plusquàm oportet sapere*, & *sapere ad sobrietatem*, cùm ait: *Non sapere plusquàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem:* ubi Syrus & Chrysostomus vertunt, *sed sapere ad modestiam.*) Quisquis verò, citra apertam necessitatem, præfert judicium suum, visamque sibi rationem, judicio, rationibusque SS. Doctorum, sapit plusquàm oportet sapere: quia sibi videtur sapere plusquàm sancti Doctores, in eo, in quo judicium suum, visamque sibi rationem præfert judicio & rationibus ipsorum; in eoque proinde sibi videtur sapientior sapientioribus se, vetustis præsertim Patribus, *quibus nec nostris, nec futuris temporibus ullum parem in veritatis contemplatione speramus*; ita ut in comparatione aquilarum istarum irreverberato visu solem intuentium, noctuæ & vespertiliones simus, inquit Anselmus in Præfat. l. de Incarnat.

2°. Quia *proprium christianæ modestiæ*, sem- 97
per judicaverunt Majores nostri, *non sua posteris tradere, sed à Majoribus accepta servare*, ut ostendit Lyrinensis monitorii c. 9. Igitur contra modestiam christianam est à Majoribus accepta rejicere, præ iisque, sua tamquam rationabiliora tradere. Quid enim? (ait Basilius l. 11. contra Eunom.) *non dabimus plus antiquitati? ... nullam rationem dignitatis eorum habebimus, qui omni spirituali gratiâ claruerunt?* Majorem habuit D. Bernardus, suoque nos exemplo docuit, eorum sententiis modestum sapientem magis acquiescere debere, quàm rationibus in contrarium sibi visis, dum epist. 77. dixit: *Patrum tantummodò opponimus sententias, ac verba proferimus*, absit ut visis nobis rationibus, præ illis, adhæreamus: *neque enim sapientiores sumus quàm Patres nostri.*

Denique quòd illud ipsum sit contra chri- 98
stianam prudentiam, demonstratur, quia tria sunt quoad hoc dictamina prudentiæ christianæ. Primum est: Sapientiorum (præsertim cælitùs afflatorum) magis stare judicio, quàm proprio, quamdiu non constat illos errare. Secundum: de rebus divinis, ad salutemque & conscientiam pertinentibus, potiùs philosophari more sanctorum Doctorum, ab Ecclesia & Orbe Litterario approbatorum, quàm more hæreticorum ab Ecclesia & Orbe Litterario damnatorum. Tertium: magnæ insaniæ esse, in periculum errandi non necessarium sponte se conjicere, præsertim errandi in rebus summis, vel utique divinis, vel salutem animæ concernen-

tibus, in quibus periculum illud vitandum est, quantum fieri potest. At contra tria hæc dictamina faciunt qui in ejusmodi rebus, citra cogentem necessitatem, plus deferunt visæ sibi rationi, quàm communi Majorum traditioni, sanctorumque Doctorum, maximè primariorum authoritati. Igitur faciunt contra christianam prudentiam.

99 Major propositio, quòd utique prudentia christiana dictet illa tria, à nullo sapiente revocatur in dubium, quoad secundum & tertium. Nec in dubium magis revocari potest quoad primum, ob Oracula Scripturarum, documentaque Sanctorum, cap. præcedenti relata. Quibus accedit & ratio, quia nimirùm prudentia christiana dictat in ordine, ad assequendam veram sapientiam, intelligentiamque, servandum ordinem à divina providentia institutum, quæ sicut inferiora vult per superiora dirigi, sic & minùs sapientes per sapientiores (& maximè per illustriores Ecclesiæ Doctores, qui ad modernos se habent velut cælestia corpora ad sublunaria.) Ad hoc quippe *dedit, quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas.... alios autem Pastores & Doctores.... ut non circumferamur omni vento doctrinæ, &c.* Ad hoc etiam voluit, vel in ipsis cælestibus ordinibus, inferiores Angelos per superiores illuminari. Ob id denique vel ipse Philosophorum Princeps (tametsi Gentilis) in lib. de divin. per somnia, dixit: „ non minùs eorum qui experti sunt, „ & seniorum prudentiumque sententiis, quàm „ ipsis demonstrationibus adhibere animum oportere.

100 Minor verò propositio, quòd utique contra illa tria faciant, &c. probatur per singulas partes. Et imprimis quòd faciant contra primum dictamen, res per se loquitur; per se namque manifestum est, illos non magis stare Sapientiorum, etiam cælitùs afflatorum, judicio, quàm proprio, sed econtrà magis proprio, quàm illorum, qui plus deferunt rationi cogitationique suæ, quàm sapientiorum etiam illustriorum SS. Patrum doctrinæ.

101 Deinde probatur quòd faciant contra secundum dictamen: quia ex una parte certissimum est ex dictis Proleg. 1. sicut & ex dictis cap. præcedenti, modum philosophandi ipsorum esse contrarium exemplis, modoque philosophandi sanctorum Doctorum, utpote quibus adeò suspectæ fuerunt rationes & cogitationes cordis sui, ut plus detulerint Majorum traditioni, priscorumque Patrum authoritati, nec suâ, sed à Majoribus, priscisque Patribus accepta posteris tradiderint. Ex altera verò parte, non minùs certum est, modum philosophandi, contra quem disputamus, esse secundùm modum philosophandi, & secundùm exemplum hæreticorum; utpote quos constat, propter effrænem minùsque sobriam ratiocinandi libertatem, quâ Dialecticam suam, visasque sibi rationes, Majorum traditioni, sanctorumque Patrum doctrinæ prætulerunt, in tot errores, putidasque hæreses prolapsos esse, prout de Origene, Ario, Nestorio, Paulo Samosateno, Eutyche, Dioscoro, Wicleffo, Abaylardo & Luthero ostendit Melchior Canus l. 7. de locis c. 3. & de nonnullis nos quoque ostendimus to. 1. de Deo distinct. 1. n. 41. Atque ex eodem lapsum Tatiani hæretici profluxisse narrat Eusebius l. 4. c. 27. quia scilicet *Doctoris arrogantiâ tumidus, tamquam qui cæteris se duceret meliorem, proprium maluit quàm à Veteribus traditum docendi instituere stylum.*

Denique manifestè probatur, quòd faciant 102
contra tertium prudentiæ dictamen: quia evidens est, quòd in periculum summis in rebus errandi sponte & citra necessitatem se conjiciat, quisquis neglectâ, abjectâque securâ ac tutâ de rebus illis philosophandi viâ, Sanctorum utique ab Ecclesia approbatorum (eorum præsertim quorum tutissima inconcussaque dogmata declaravit) mavult se committere lubrico ingenio suo, erraticæque rationi suæ: cùm innumeris, iisque perspicuis experimentis (c. 2. 3. 4. & 5. deductis) apertè constet, quòd sicut nihil fortuitorum tam capax quàm mare, sic nihil casibus tam obnoxium quàm humanum ingenium, suo ductui, solisque rationibus suis permissum. Et sicut nihil tam periculosum quàm mari se committere sine perito navarcho; sic errorum naufragio nihil tam propinquum, quàm summarum rerum, seu divinarum, salutemque concernentium, profundum intrare, sine securo magistro; longèque periculosius, illo abjecto, sine alioque proinde duce, quàm proprio cerebro. Cùm num. præcedenti, & Prol. 1. c. 4. viderimus, hinc hæreses, hinc errores omnes hactenus pullulasse, & quisquis, seu Catholicorum, seu Hæreticorum, hactenus erravit, ideò errasse, quia abjectâ neglectâve traditione Majorum, doctrinâque primariorum Ecclesiæ Doctorum, magis credidit ingenio suo, visæque sibi rationi, quàm venerandæ eorum canitiei: divinâ utique providentiâ nimiam eorum de se suaque ratione præfidentiam, sicut & violatas christianæ humilitatis, simplicitatis & modestiæ regulas, justissimè persequente; ut vel hinc discant homines, humiliter, simpliciter ac modestè sapere, nec adeò inniti prudentiæ rationique suæ. Fallit enim frequenter humana ratio, nisi cælesti fulciatur, dirigaturque magisterio, quo nos Deus instruit per Majores nostros, & maximè per sanctos Ecclesiæ Doctores. Et ipsa est, quæ non solùm erraticos Catholicos, & Hæreticos, sed & Gentiles Philosophos infinities fefellit, perduxitque in scopulos innumerabilium errorum, ut evidenter in superioribus est demonstratum. Nihil proinde magis experientiâ comprobatum, quàm solemne D. Bernardi proloquium epist. 87. *Qui se sibi magistrum constituit, stulto se discipulum committit.*

CAPUT

CAPUT XII.

Ipsemet ordo locorum Theologicorum, illumque sequendi necessitas, ostendit, in Theologicis, etiam incertis ac inevidentibus, plus sanctorum Doctorum authoritati deferendum, quàm visæ cuique rationi.

103 LOcorum Theologicorum ordinem id ostendere, probatur: ut enim Prol. 1. c. 4. n. 29. vidimus ex Melchiore Cano, „ tametsi in „ reliquis disciplinis omnibus primum locum ratio teneat, postremum authoritas; at Theologia tamen una est, in qua non tam rationis „ in disputando, quàm authoritatis momenta „ quærenda sunt, „ prout optima ratione laudatus Author ibidem comprobavit, confirmatque locorum Theologicorum ordo, communi omnium sensu receptus, quem idem Author l. 1. de locis c. 3. numero denario exhibet, quorum septem priores sunt authoritates, 1°. Verbi divini. 2°. Traditio Christi & Apostolorum. 3°. Ecclesiæ Catholicæ. 4°. Conciliorum, præsertim Generalium. 5°. Summorum Pontificum. 6°. Sanctorum Patrum. 7°. Theologorum & Jurisconsultorum. Octavus locus est ratio naturalis. Nonus est authoritas Philosophorum. Decimus, authoritas humanæ historiæ. His sic enumeratis, laudatus Author concludit sic: „ Sunt itaque hi „ decem loci, in quibus argumenta omnia Theo„ logica delitescunt; eo scilicet discrimine, ut „ quæ ex 7. prioribus locis eliciuntur, propria „ ferè ea sint hujus Facultatis. Quæ verò ex tri„ bus posterioribus, adscriptitia. „ Atqui propria priora sunt adscriptitiis. Prior ergo locus deferendus Sanctorum authoritati, posterior humanæ rationi, sicque hæc illi postponenda.

104 Nec minùs efficaciter idipsum ostendit necessitas sequendi ordinem locorum Theologicorum. Cùm enim ex una parte maximè arduum sit, verum à falso discernere in scholis, ubi omnia plena sunt dissensionibus, contentionibus, rixis & tricis, & ubi, teste D. Clemente initio recognitionum, *non tam qui veram partem defendit, quàm qui acriùs subtiliùsque disputat, vincere solet, sententiæque ac definitiones rerum, non pro natura sua & veritate causarum, sed pro ingeniis defendentium, falsa imaginantur aut vera*; ex altera verò parte, tot inter tricas, ac sine fine certamina, necessariæ sint regulæ, seu principia discernendæ veritatis inter tot & tantas dissensiones latentis, sine quibus haud minùs impossibile est veritatem scientialiter invenire, quàm scientiam & artem quamlibet sine regulis & principiis scientiæ & artis adipisci. Denique cùm inverso ordine regularum, regulæ jam non sint regulæ (ut enim regulæ sint, esse debent ordinatæ) necessariò servandus est inter regulas ordo; ille maximè, quem providentia divina præstituit (cùm ad veritatem à falsitate tutò discernendam divino opus sit magisterio; quo destituuntur qui negligunt vel invertunt ordinem præscriptum à Deo.) Igitur possibile non est Theologicam veritatem scientialiter invenire, sapientiamque adipisci, non servato locorum Theologicorum ordine. Utpote quorum alia ex aliis dependent, alia aliis subordinantur. Cætera namque principia subordinantur primo, quod est divini verbi authoritas. Authoritas quoque sanctorum Doctorum subordinatur authoritati Ecclesiæ. Et quia Theologia ex præmissis innititur unicè, vel potissimùm, doctrinæ revelatæ, cujus fideles depositarii sunt SS. Patres, ad hoc divinitùs impleti spiritu sapientiæ: hinc est quòd sicut Philosophia Theologiæ, in ordine ad veritates Theologicas subordinatur; sic & ratio naturalis (propria Philosophiæ) authoritati, tum Scripturæ, tum Ecclesiæ, tum SS. Patrum, quæ propria est Theologiæ. Maximè cùm ordo à divina providentia præscriptus ad sapientiam Theologicam acquirendam, exigat minùs sapientes in ea instrui per sapientiores, & maximè per SS. Doctores, sicut inferiores Angelos per superiores, ut suprà vidimus, eorumque proinde authoritatem præferri privatæ cujusque rationi. Unde & Theologi omnes, qui de locis Theologicis scripserunt, priorem locum tribuunt sanctorum Doctorum authoritati, quàm humanæ rationi.

CAPUT XIII.

Duplex replica solvitur, & utriusque solutione amplius ostenditur, rationem rectam non permittere humili, modesto, prudentique Christiano, in materia (præsertim Theologica) incerta & inevidenti, plus deferre rationi sibi visæ, quàm communi Sapientiorum, & maximè sanctorum Patrum doctrinæ.

AT (inquiunt humanæ rationis supra SS. 105
DD. authoritatem exaltatores) quamvis SS. Doctores Majoresque nostri, nobis absolutè fuerint sapientiores, equidem homines fuerunt; adeòque potuerunt in aliquo decipi, sive aliquid minùs sapienter tradere: cùm in sola Apostolica Sede, atque in Ecclesia universali authoritas infallibilis resideat. At (inquam ego) quicumque tu es, qui ista dicis, & ipse homo es, immò in comparatione ipsorum, homuncio; in comparatione Gigantum illorum, nanus; in comparatione Aquilarum illarum, noctua & vespertilio. Si ergo potuerunt illi decipi, quia homines; multo magis tu, longè minori lumine sapientiâque perfusus, majorique proinde deceptionis & erroris periculo obnoxius. In particulari ergo casu (ubi veritas in contrarium manifestè non affulget, sive per experientiam, Majoribus incognitam, sive per Ecclesiæ definitionem noviter factam, &c. quod rarissimum profectò est) si sobriè sapis, præsumere debes potiùs te decipi, quàm ipsos, prudenterque timere, ne vanæ rationis imagine deludaris, dum malesuadam rationem tuam, tantorum Virorum au-

thoritati, id est, tenebras tuas splendidissimo lumini ipsorum anteponis. Videri potest Augustinus l. 3. de Baptismo c. 4. ubi dicit, quòd licèt fieri possit, ut in rebus obscuris verius unus, vel pauci sentiant quàm plures; *non tamen facilè pro uno vel pro paucis adversus innumerabiles ejusdem religionis & unitatis viros, & magno ingenio, & uberi doctrinâ praditos, nisi pertractatis pro viribus atque perspectis rebus, ferenda sententia est.*

106 Enimverò si legitima foret exceptio, si (inquam) liceret visam sibi rationem, SS. Doctorum, quamlibet ab Ecclesia approbatorum & commendatorum, authoritati præferre, hoc titulo, quòd Doctores illi, licèt sancti, licèt ab Ecclesia commendati, &c. fallibiles homines fuerint. Frustrà ergo id vitio verteremus hæreticis. Frustrà essent Oracula Scripturarum c. 13. producta. Frustrà documenta Sanctorum. Frustraneus ordo divinæ providentiæ, ut minùs sapientes à sapientioribus, maximè à SS. Doctoribus cælesti ad hoc lumine perfusis, instruantur. Frustrà à Deo dati SS. Doctores, *ut non circumferamur omni vento doctrinæ, ad circumventionem erroris.* Quippe ad manum cuivis erit illa exceptio; qua proinde omnis ordo discrimenque rerum humanarum everteretur, omniaque ad peræquationem fœdissimamque confusionem deducerentur.

107 Damus ergo, falli potuisse SS. Doctores, tametsi divinitùs illustratos, tametsi ab Ecclesia approbatos. Sed si falli potuerunt, tot tantisque contra errorem præsidiis vallati; longè magis tu, homuncio, falli potes, in eo, in quo approbatis eorum dogmatibus contradicis, tametsi nulla re cum iis conferendus. Te igitur alloquor, quisquis es, qui humanam fallibilitatem infirmitatemque Patribus objicis, cùm & tu homo sis, longè ipsis fallibilior infirmiorque, nihilque omninò sit, quod me securum reddat, audiendo te contradicentem; gravia verò sint argumenta securitatis, si acquiescam dogmatibus ipsorum ab Ecclesia commendatis; ad ipsosque ipse etiam Spiritus Sanctus me remittat, pro assequenda sapientia & intelligentia veritatis: contra rectam profectò rationem, & contra omnem est æquitatem, non eorum potiùs dogmata sequi (quamdiù de eorum errore liquidò non constat) quàm contradictionem tuam, id est, hominis longè incertioris futilioriscque, & ad errandum proclivioris, dejectique tandem omni ex parte infra præstantiam authoritatemque ipsorum. Neque enim ratio recta, neque æquitas patitur, ipsos absque manifestis & ineluctabilibus argumentis, spoliari possessione communis approbationis Ecclesiæ atque Sapientum.

108 At contingit (inquiunt) fortissimam aliquam rationem Moderno cuipiam occurrere, quæ Majoribus non occurrit; minùsque sapienti aliquid revelari, quod anteà non fuit revelatum sapientioribus, nec Sapientum Communitati: quia videlicet *Spiritus ubi vult spirat*, nec luminis sui plenitudinem in Majores effudit, sed aliquid illius successoribus reservavit. Ecclesia namque est velut aurora consurgens, non simul in totum, sed paulatim & successu temporum, accipiens luminis incrementum. At (rursum ego) quisquis hoc dicis, superbus es, si (in re incerta) id de teipso præsumis: cùm ex Oraculis Scripturarum, ex documentis Sanctorum, ex regulis christianæ humilitatis & modestiæ suprà deductis, superbia tua comprobetur; digna quæ castigetur illâ Melliflui Doctoris in Abaylardum invectivâ: *Quasi verò novus iste novarum inventor assertionum, & assertor inventionum, invenire rationem potuerit, quæ Sanctos latuerit.* Fugienda proinde hujusmodi præsumptio, quâ tibi videaris in aliquo sapere præ SS. Doctoribus & Majoribus tuis, mysteriumque, ipsis absconditum, tibi specialiter manifestatum esse, vel revelatum. Neque enim præsumptionis istius exemplum legitur in humilibus Sanctis, sed in superbis Hæreticis, eorumque Patriarchis, qui propterea se præ aliis illuminatos dixerunt. Quos qui imitati sunt Catholici, varios in errores prolapsi sunt, prout de Cajetano Magistro suo dolens conqueritur Melchior Canus l. 7. de locis c. 23. cujus verba produximus tomo 1. de Deo dist. 1. num. 42.

Hinc etiam unicuique cavenda est præsum- 109
ptio, quâ sic evanescat in cogitationibus suis, ut occurrentes sibi rationes, vel à se adinventas, extra rarissimum casum necessitatis manifestè cogentis, meliores existimet rationibus quæ contrarium nostris persuaserunt Majoribus, & maximè probatis ab Ecclesia, SS. Doctoribus, aliisque communiter sapientibus. Primò, quia frequentissimis experimentis constat, horrendas deceptiones pullulasse ex hujusmodi præsumptione, & sapientissimi quique fatentur inani specie hujusmodi rationum frequenter sese deceptos fuisse. Quos inter Buridanus in procœmio Ethicorum suorum ideò protestatur: " novis se rationibus nequaquam "
adhæsurum, quantumcumque apparentibus; "
quoniam ab illis pluries deceptus fuerit, ex "
antiquis autem dictis numquam. "

Secundò, quia melior ratio pensanda est ju- 110
dicio Sapientiorum, quorum, in obscuris, haud dubiè præstat stare judicio, præsertim communi, quàm proprio. In obscuris namque commune judicium Sapientiorum privato est præferendum, animique de se nimiùm præsumentis notam apud omnes, etiam Gentiles, incurrit, qui in re utrimque obscura, privatum judicium suum communi judicio Sapientiorum anteponit.

Tertiò, quamvis possibile sit, plures sapien- 111
tes, vel etiam sapientiores, ipsos pariter sanctos Doctores, tamquam homines decipi; facilius tamen frequentiusque, atque adeò verisimilius est, unum decipi, quàm plures, ipso longè sapientiores, ob copiosioremque divini luminis affluentiam, deceptioni minùs obnoxios. In obscuris ergo potiùs illud præsumendum, quàm istud; cùm præsumendum sit juxta

ta regulam 44. juris in 6°. *Inſpicimus in obſcuris quod eſt veriſimilius, vel quod plerumque fieri conſuevit.*

112 Quartò, vera & ſolida ratio potiùs in iis præſumitur, qui ob majorem affluentiam luminis & ſapientiæ meliùs penetrant & perſpiciunt, magiſque proinde attingunt veritatem, quàm in eorum contradictoribus, ob tanti luminis & ſapientiæ defectum, minùs penetrantibus, minùſque proinde attingentibus veritatem. Quamvis enim oppoſitum accidere poſſit, rarò tamen accidit, ideòque non præſumitur, niſi apertè conſtet. *In obſcuris* namque non præſumitur quod rarò, ſed *quod frequenter & utplurimùm accidit.*

113 Quintò, quamdiu per evidentiá credibilitatis ſigna non conſtat de oppoſito, ille potiùs decipi præſumitur; qui ſequitur ducem ſuſpectum, fallacem, frequenterque decipientem, quàm qui ſequitur ducem non ſuſpectum, ſecurum ac tutum. At qui viſam ſibi rationem ſequitur, contra communem Majorum traditionem, Sanctorumque doctrinam, ſequitur ducem ſuſpectum, fallacem, frequenterque decipientem (ad quem ideò nos numquam remittit Spiritus veritatis;) qui verò inſiſtit Majorum traditioni, eorumque præſertim Sanctorum, quorum dogmata inconcuſſa tutiſſimaque declaravit Eccleſia, ſequitur ducem ſecurum, tutum, minimèque ſuſpectum, ad quem nos remittit, ſequendumque nobis proponit Spiritus veritatis, ex dictis num. 104. Ille igitur potiùs decipi præſumitur quàm iſte.

114 Et ideò ambulantes per viam non tritam ratiocinationum, adinventionumque ſuarum, Hierem. 18. arguuntur tamquam *impingentes in viis ſuis, ut ambularent per eas in itinere non trito.* Inſiſtentes verò receptæ Majorum doctrinæ, tritiſque Sanctorum veſtigiis, imitantur Iſraëliticum populum, ſub ductu Moïſis ad terram promiſſionis ſecurè tendentem, cujus ea vox erat Numer. 20. *Per tritam gradiemur viam.* Contingitque ipſis, quod Auguſtinus obſervat l. 2. de ordine c. 9. *Omnibus bona, magna & occulta diſcere cupientibus, non aperit niſi authoritas januam; quam quiſque ingreſſus, ſine ulla dubitatione vitæ optimæ exempla ſectatur; per quæ cùm doctis factus fuerit, tum demum diſcet, quantâ ratione prædita ſint ea ipſa quæ ſecutus eſt ante rationem.*

115 Deducta hactenus argumenta tanti ponderis eſſe videntur; ut qui (extra rariſſimum caſum veritatis ad id manifeſtè cogentis) ob privatas rationes ſibi viſas, communi Majorum traditioni, perſpicuæque Sanctorum (maximè primariorum Eccleſiæ Doctorum) ſententiæ contradicendo, viſæ ſibi rationis præcipitia non cavent, rectæ rationis contemptores eſſe demonſtrentur, à rationeque & ſapientia maximè alieni.

116 Tales verò demonſtrantur, tum quia rectam rationem contemnere cenſetur, quiſquis ſeriò apud ſe recogitans ingentem humanæ rationis defectum, atque in errores pronitatem, pro poſſe non cavet illius aberrationem præcipitiumque, ſed, abſque neceſſitate, ſciens ac volens, ſe conjicit in periculum illius, dedignando vel negligendo regulas ſibi divinitùs commendatas ad illud vitandum: quemadmodùm veritatem contemnere cenſetur, qui pro poſſe non cavet falſitatem, ſed, abſque neceſſitate, ſciens ac volens, ſe conjicit in periculum illius; ſimiliter vitam contemnere cenſetur, qui pro poſſe non cavet mortem, ſed, abſque neceſſitate, ſciens ac volens, illius periculo ſe exponit, &c. At illi, de quibus agimus, pro poſſe non cavent humanæ rationis aberrationem, ſed, abſque neceſſitate, ſcientes ac volentes, in illius ſe conjiciunt periculum.

Tum quia rectam rationem contemnere cen- 117
ſentur, qui ratione abutuntur. Illi verò, contra quos agimus, ratione abutuntur, dum ratione liberiùs utuntur. Ipſos verò ratione liberiùs uti, per plura capita ſuperiùs eſt demonſtratum. Non ſunt ergò verè rationabiles, niſi ad hoc maximè ratione utantur, ut (ob ingentem viſæ ſibi rationis defectum) ſibi perſuadeant nihil eſſe rationi tam conſonum, quàm de viſa ſibi ratione humiliter ſentire, illamque ſuſpectam habere, dum communi Majorum rationi, vel illuſtriorum Eccleſiæ Doctorum ſententiæ contradicit; cùm, ut toties dixi, Deus ſanctos illos Doctores adimpleverit ſpiritu ſapientiæ & intellectûs, ut eorum doctrinam ſequendo non circumferamur omni vento doctrinæ ad circumventionem erroris. Quos profectò Deus ad corrigendos defectus lubricæ rationis noſtræ fruſtrà cæleſti adimpleviſſet lumine, ſi liberum nobis reliquiſſet, ſalvo rectæ rationis ordine, ſalvis etiam regulis humilitatis, modeſtiæ & prudentiæ chriſtianæ, viſam nobis rationem, ipſorum documentis authoritatique præferre.

CAPUT XIV.

Regulæ 14. ad veram rationem, ſapientiam & intelligentiam aſſequendam, remediaque ad corrigendam laxiorem Ethicam.

HUc uſque deteximus, impugnavimuſque 118
liberiorem humanæ rationis uſum, nimiamque ejuſdem rationis præfidentiam, unde proficiſcitur omnis defectus in ſcientiis comparandis, profectaque eſt nimia relaxatio diſciplinæ Moralis. Supereſt ut ſecurim ad radicem tam exitioſam applicemus, detectique mali remedium ſuggeramus.

Porrò nullum efficacius remedium, quàm 119
uſus ſequentium regularum, utpote, quæ veriſſima ſunt media comparandi veram rationem, ſapientiam, intelligentiamque, tam in theoricis, quàm in practicis. Verè namque rationabilis, verèque ſapiens & intelligens eſt, qui per regulas chriſtianæ humilitatis, ſimplicitatis, modeſtiæ ac prudentiæ, ſecundùm Oracula Spiritûs ſancti, exemplaque & documenta ſa-

pientiæ Principum, seu sanctorum Doctorum, humanæ rationis oberrationes corrigens, ac præcipitia cavens, veram, rectam, solidamque rationem se potiùs assecuturum credit, insistendo communi potiùs traditioni Majorum, doctrinæque sanctorum Patrum ab Ecclesia approbatorum, quàm ab eâ aberrantium, adinventionibusque lubricarum cogitationum suarum.

120 Sed ante omnia divini luminis magisteriique necessitatem debet agnoscere, quisquis veram rationem, sapientiam, intelligentiamque vult comparare. 1°. Quia necessitatem illam tradit Petrus Apostolorum Princeps, apud D. Clementem l. 1. recognit. his verbis: *Hunc ergo qui ad auxilium domûs, caligine ignorantiæ & vitiorum fumo repletæ* (id est mundi) *perquiritur, illum dicimus, qui appellatur verus Propheta, qui solus illuminare animas hominum potest, ita ut oculis suis inspiciant viam salutis. Aliter enim impossibile est de rebus divinis æternisque cognoscere, nisi quis ab isto vero Propheta didicerit.* Eandem tradit Irenæus l. 9. c. 1. *Non enim nos aliter discere poteramus quæ sunt Dei, nisi Magister noster, Verbum existens, homo factus fuisset, vel aliter nos instruxisset.* Generaliùs eandem tradit Augustinus 3. cont. Academ. 5. & 6. eleganter ostendens divini magisterii, seu Numinis speciali curâ nos instruentis necessitatem, ut verum à falso discernere, constanterque, id est, absque erroris admixtione tenere valeamus. Cùm enim Alipius, Academicorum velut partes sustinens, de veritate disseruisset sub figura *Protheî* (veritatem tropicè significantis apud veteres Sapientes) qui (ut fabula erat) cùm in omnes se continuò figuras converteret, nunc in hominem, inde in arborem, posteà in lapidem, &c. dignosci capive non poterat, nisi aliquo indicante Numine. Subjunxit Augustinus: *Quis autem verum posset ostendere, abste, Alipi, dictum est, à quo ne dissentiam, magnoperè mihi laborandum: etenim Numen aliquod, aisti, solùm posse ostendere homini quid sit verum, cùm breviter, tum etiam piè. Nihil itaque in hoc sermone nostro libentiùs audivi, nihil probabiliùs, & si id Numen, ut confido, adsit, nihil verius.* Unde Academicos hac de causa (inter alias) cæteris Philosophis anteponit, quòd ad intelligentiam veritatis docuerint necessitatem divini luminis. Et l. 2. de Civit. c. 7. *Philosophi*, (inquit) *utcumque conati sunt, ingeniis acutissimis præditi, ratiocinando investigare, quid in rerum natura lateret, quid in moribus appetendum esset, atque fugiendum, quid in ipsis ratiocinandi regulis certa connexione traheretur, aut quid non esset consequens, aut etiam repugnans. Et quidam eorum quædam magna, quantùm divinitùs adjuti sunt, invenerunt; quantùm autem humanitùs impediti sunt, erraverunt. Maximè cùm eorum superbia justè divina providentia resisteret, ut viam pietatis ab humilitate ad superna surgentem, etiam istorum comparatione monstraret.*

121 2°. Eandem necessitatem demonstrant quæcumque prioribus hujus Prolegomeni capitibus allegavimus, ad demonstrandam humanæ rationis sibi relictæ deficientiam, erroresque, etiam in philosophicis & naturalibus, cavendos insufficientiam, ab ipso etiam Augustino assertam. Si enim sibi ipsa non sufficit: igitur supra seipsam adjuvanda est, ab eo qui supra ipsam est.

3°. Eandem comprobat experientia summorum Philosophorum Gentilitatis, qui licèt 122
omnes acutissimi ingenii sui nervos intenderint, nullique labori, nulli diligentiæ pepercerint ad veritates naturales assequendas, in multis caligaverunt, erraveruntque.

4°. Eandem suadent orationes Sanctorum 123
Augustini, Aquinatis, &c. divinum lumen assiduè invocantium, ne opinionum verisimilitudine decepti, in errorum scopulos inciderent. Quippe, nihil apud Augustinum solemnius, quàm quod stultum sit orare pro obtinendo eo quod in sua quis habet potestate. Meritò proinde concludit Elisaldus in libro sæpiùs laudato n. 130. " neminem humanâ so- "
lùm institutione & inquisitione, sine superiori "
auxilio, perfectum Metaphysicum, " multo "
minùs Theologum, " ac uno verbo sapien- "
tem posse evadere.... Et quid, precor, in sacris "
Litteris exploratius, quàm sapientiam esse do- "
num Dei? quid ab ipsis etiam Gentilibus agni- "
tum magis, & commendatum magis à Tul- "
lio? "

Quòd si tanta divini magisterii necessitas sit 124
ad vitandum, etiam in philosophicis, erroris præcipitium, infallibili consequentiâ concluditur necessitas orationis ad divinum lumen impetrandum, sicut & ad impetranda quælibet alia specialia Dei dona. Ideòque necessitatem istam suo nos exemplo Sapiens docuit Sap. 7. *Optavi, & datus est mihi sensus; & invocavi, & venit in me Spiritus sapientiæ.* Nec enim aliâ lege solet Deus eam dare, ut ex ipsa orationis necessitate agnoscat homo se sapientiâ cælitùs datâ indigere, eamque esse singulare Dei donum, nemini debitum, & donum quidem adeò magnum, ut Sapiens ibidem de sapientiâ dicat: *Præposui illam regnis, & sedibus, & divitias nihil esse duxi, in comparatione illius. Nec comparavi illi lapidem pretiosum: quoniam omne aurum in comparatione illius arena est exigua, & tamquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius.* Et Prov. 8. *Melior est sapientia cunctis pretiosissimis; & omne desiderabile ei non potest comparari.* Quanto verò majus est Dei donum, tanto ferventiùs ac frequentiùs à Deo est postulandum. Et ideò pro postulando sapientiæ dono assiduè est vigilandum. *Qui enim manè vigilant ad me, invenient me*, (dicit Sapientia Sap. 8.) *beatus homo qui.... vigilat ad fores meas quotidie.* Et hoc ipsum suo nos exemplo docuerunt sancti Doctores, qui propterea divinum lumen contra humanæ rationis suæ aberrationes jugiter invocabant, nec se studio, nisi post orationem, committebant, ut de S. Thoma legitur in Bre-

viario. Videantur & Orationes S. Auguſtini ad idem, Soliloq. l. 1. & 2. c. 6. & l. de ſalutar. docum. c. 65. Utique non ignorabant SS. Viri ſcriptum eſſe Jacobi 1°. *Si quis indiget ſapientiâ, poſtulet à Deo.*

125 De neceſſitate orationis, ad ſapientiam comparandam, plura ex Patribus & Doctoribus videri poſſunt apud ſapientiſſimum Patrem noſtrum Lezanam in l. de reform. Regular. c. 3. 4. & 11. Utque eandem neceſſitatem efficaciùs nobis inculcet Auguſtinus epiſt. 32. refert, quòd *quædam acutiſſima & excellentiſſima ingenia tanto in majores errores ſerint, quanto præſidentiùs ſuis viribus cucurrerunt, nec ſimpliciter ac veraciter Deum, ut viam ſibi oſtenderet, petiverunt.* Nec mirum, *nàm & ſi quis erit conſummatus inter filios hominum, ſi ab illo abfuerit ſapientia tua, in nihilum computabitur*, Sap. 9.

126 Sit itaque ad veram ſapientiam acquirendam prima regula. *Divini luminis ac magiſterii ad corrigendas humanæ rationis aberrationes, neceſſitas agnoſcatur.* Secunda. *Divinum lumen ad hoc jugiter invocetur*, uti proximè ex Scriptura & Patribus probavi; plura additurus libro 10. p. 5. dum expoſiturus ſum neceſſaria ad ignorantiam legis, præſertim naturalis, depellendam.

127 Tertia. *Evangelica humilitas, ſimplicitas & modeſtia ſervetur*, juxta dicta c. 14. maximè cùm oratio ſine humilitate nihil efficiat. Quia videlicet Deus ſuperbis, audacibus, de ſeque præſumentibus reſiſtit, *humilibus autem dat gratiam*, 1. Petri 5. *& intellectum dat parvulis. Sapientiam præſtat parvulis*, &c. Pſal. 118. Perdit etiam ſapientiam ſapientium, id eſt, de ſe præſumentium. Matthæique 11. Salvator, *Confiteor* (inquit) *tibi Pater, Domine cæli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus* (in oculis ſuis) *& revelaſti ea parvulis.* Alia Scripturæ Patrumque ad idem teſtimonia habes ſuprà c. 13. Solùm hic adjicio monitum Spiritûs ſancti Apoc. 3. *Collyrio inunge oculos tuos, ut videas.* Ubi Rupertus: *Collyrium, quo oculorum vitia purgantur, humilitatis ſuavitatem ſignificat, quæ parvulos adjuvat, ut ea quæ ſapientibus & prudentibus ſunt abſcondita, illis revelentur myſteria. Lumen intelligentiæ* (ait Gregorius Magnus 25. Moral. 11.) *humilitas aperit, & ſuperbia abſcondit. Neceſſe eſt* (inquit Bernardus ſerm. 3. de Circumcil.) *ut cor tuum illuminet radius humilitatis... & non altum ſapias: quoniam Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* Defectu humilitatis Gentiles Philoſophos Deus in innumerabiles errores abire permiſit, eo quòd utique *inani gloriæ, ambitionique ſervientes, novorum dogmatum inventores vocari concupierunt; ex quo factum eſt, ut in errores multos inciderint*, ait Theodoretus de cur. Græc. affect. ſerm. 5. Nec alia cauſa lapſus Hæreticorum, niſi ſuperbia eorum. Nimia etiam Catholicorum quorumdam de ſe, viſaque ſibi ratione præfidentia, ipſis cauſa fuit variorum errorum, ut in ſuperioribus ſatis eſt demonſtratum. Satiſque inſinuat Alexander VII. in Decreto ſuo de die 24. Septemb. 1665. dum laxatæ diſciplinæ cauſam aſſignat, *ſummam illam luxuriantium ingeniorum licentiam.... per quam.... modus opinandi irrepſit alienus ab Evangelica ſimplicitate, ſanctorumque Patrum doctrina.* Cùm igitur contraria contrariis curanda ſint, Evangelica ſimplicitas (ac per conſequens modeſtia & humilitas) eſt revocanda, ſicut & SS. Patrum doctrina. Unde ſit

Regula 4ª. *Cohibitâ luxuriantium illorum ingeniorum licentiâ, revocetur, teneaturque veterum Patrum doctrina, Sanctorumque Theologia.* 128
Si enim ob receſſum ab illa, modus irrepſit opinandi, *quem ſi pro recta regula fideles in praxi ſequerentur, ingens irreptura eſſet vitæ chriſtianæ corruptela*, ùt idem Pontifex declarat ibidem: igitur per regreſſum ad illam, chriſtiana vita revocabitur ad rectam morum regulam. Ex oppoſitis namque cauſis, oppoſiti effectus nati ſunt conſequi. Idque experientia ipſa comprobavit: tamdiu namque Moralis diſciplina ſancta fuit & incorrupta, quamdiu ex Sanctorum documentis deprompta; ex quo verò Sanctorum doctrina negligi, adulterarive cœpit, ſuoque ex ſenſu Caſuum Scriptores ſancire cœperunt dogmata, corrumpi cœpit Moralis Chriſtiana, ut vidimus Proleg. 1.

Regula 5ª. *Sanctorum Patrum teſtimonia, non* 129
ex propria præſumptione, pro viſa cuique ratione, gloſſentur; ſed ex uſitata ipſorum phraſi, uniformique modo loquendi, necnon ex conſonantia, connexione, ac velut concatenatione omnium principiorum ipſorum, eundem in ſcopum collimantium. Neque enim aliter interpretatur ſincerus amator veritatis, ut videbitur Prolegomeno ſequenti. Neque duo vel pauca teſtimonia ſubobſcura, innumeris, & manifeſtis in contrarium anteponit, nec genuinum ſenſum iſtorum, ex illis vult repetendum; *cùm oporteat ſecundùm plura intelligere pauciora. Contrarium quippe eſt omnium hæreticorum. Nam... pauca adverſus plura defendunt.* Tertullianus adv. Prax. c. 20.

Regula 6ª. *A generalibus Scripturæ ſententiis, ſolâ ratione purè humanâ nemo excipiat.* 130
Ob ea quæ dixi Prol. 1. c. 5. & quæ dicturus ſum Prol. 3. c. 12.

Regula 7ª. *Solus ille habeatur legitimus ſenſus documentorum, in ſacris Literis traditorum, quem contextus, ſermoniſque circumſtantiæ, vel alia Scripturæ documenta, Patrumve conſenſus, probant à Spiritu Sancto intentum. Non ille quem pro viſa ſibi ratione humana quiſque fingit.* Ob dicta ibidem, aliaque Prol. ſequenti deducenda. 131

Regula 8ª. *In decidendis quæſtionibus Theologicis, ſeu theoricis, ſeu practicis, 1°. loco non audiatur ratio purè humana, ſed auctoritas Dei, Eccleſiæ, & Sanctorum; audiatur deinde ratio ut pediſſequa, non ut domina.* Ob dicta in præſenti c. 12. 13. 14. 15. & 16. & Prol. præcedenti c. 4. 132

133 Regula 9ª. *Ubi proinde vel humana ratio inflectenda est, vel authoritas sive Dei, sive Ecclesiæ, sive SS. Doctorum, illa potius inflectenda est juxta dictamen istius, quam econtrà.* Ob dicta Prol. præcedenti c. 5. & 6. Et in Prol. præsenti c. 7. Ob dicenda etiam Prol. sequenti c. 11.

134 Regula 10ª. *Omnia suo pondere æstimentur, nec incerta ut certa definiantur, sed absque ulla censura, nota, vel convitio, cuilibet in suo sensu abundare permittatur, circa propositiones necdum ab Ecclesiâ determinatas, quæque adhuc inter Catholicos hinc inde controvertuntur.* Ob ea quæ producta sunt c. 9.

135 Regula 11ª. *Nihil exoticum vel singulare contra communem sapientum traditionem, citra perspicuam necessitatem, asseratur, tametsi assertio nequeat manifestâ demonstratione refelli.* Ob rationes allegatas c. 10.

136 Regula 12ª. *Cavenda licentia quæstiones morales de suo definiendi, Majoribusque incognitos peccatorum excusandorum prætextus comminiscendi.* Ob dicta Prol. 1. c. 7.

137 Regula 13ª. *Suspecta habeatur visa cuique humana ratio, dum SS. Doctorum (& à fortiori, Dei & Ecclesiæ) authoritas stat ex adverso.* Ob dicta cap. præcedenti.

138 Regula 14ª. *Divinum lumen sibi non speret affuturum, qui de visa sibi ratione præsumens, doctrinam negligit vel respuit sapientiorum, & maximè sanctorum Doctorum.* Neque enim divinum lumen affulget subducentibus se ab ordine, per divinam providentiam instituto, ad illuminationem hominum, qui est, ut minùs sapientes, de se humiliter sentientes, suæque rationis defectum insufficientiamque agnoscentes, illuminentur per sapientiores, & maximè per SS. Doctores. Ab isto verò divinæ providentiæ ordine se subducit, qui de visa sibi ratione præsumens, sapientiorum, & maximè SS. Patrum, doctrinam negligit vel respuit; neque enim de se, suæque rationis insufficientia humiliter sentit, neque agnoscit necessarium sibi divinum magisterium, quo Deus per sanctos Doctores nos instruit, neque ab ipsis verè & sincerè vult illuminari, quos Deus dedit nobis Doctores, ad corrigendas humanæ rationis aberrationes, eumque in finem adimplevit Spiritu sapientiæ & intellectûs, abundantiâque luminis sui.

CAPUT XV.

Tunc salutaria erunt laxioris Ethices remedia, si hinc inde caveantur extrema, tam scilicet Ethica severior, quam laxior.

139 Divus Damascenus in fine catalogi Hæreticorum duo observat genera Ethicoproscoptarum, id est, in morali disciplina tradenda errantium: scilicet eorum qui nimiâ indulgentiâ facilitateque licita dicunt, quæ illicita sunt: & aliorum qui nimiâ severitate illicita decernunt, quæ illicita non sunt. Utrosque Spiritus sanctus redarguit Isaïæ 5. *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum; ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras; ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.* Enimverò tam prohibet Dominus addere divinæ legi, quàm detrahere. Deuteron. 4. *Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ex eo.* Quisquis autem licitum asserit quod est illicitum, detrahit legi: ei verò addit, qui asserit illicitum quod non est illicitum. Cavenda proinde utraque extremitas, tum laxiorum, tum severiorum opinionum: *siquidem extrema castrorum comedit ignis,* Num. 11.

A quibusnam verò Doctoribus magis peri- 140
clitetur animarum salus? an scilicet à laxioribus, an à severioribus? difficile est affirmare. Per laxiores namque Doctores, lata & spatiosa panditur via, quæ, Veritate teste, ducit ad perditionem, modusque opinandi irrepit alienus ab Evangelica simplicitate, sanctorumque Patrum doctrina, quem dum pro regula fideles in praxi sequuntur, ingens corruptela morum irrepit, prout Alexander VII. testificatur. Proinde Medici illi spirituales, non minùs crudeles sunt quàm corporales, qui ne molesti sint ægris, parcunt à necessariis asperis unguentis. Hinc Ezech. 13. *Væ qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas,* seducendo scilicet homines mollioribus opinionibus suis, velut pulvillis & cervicalibus, sub quibus molliter conquiescunt in peccatis suis. In eo proinde sapientes non sunt. *Verba* quippe *sapientum sicut stimuli, & quasi clavi in altum defixi,* Eccli. 12. *Si igitur sermo non pungit, sed oblectationem facit audientibus,* quâ animales, non spirituales fiunt, *iste non est sermo sapientis,* ait Hieronymus ibidem.

Ob hanc etiam causam mel in Dei sacrifi- 141
ciis prohibebatur; sal verò acrimoniâ præditum, adhiberi jubebatur. Cujus rationem reddens idem S. Doctor epist. 19. ad Eustochium: *Mel,* inquit, *in Dei sacrificiis non offertur.... apud Deum nihil voluptuosum, nihil tantùm suave placet, nisi quod in se habet aliquid mordacis veritatis.*

Aliunde verò immoderata severitas, dum 142
hominum imbecillitatem non pensans, eos ad nimis ardua constringit, viam salutis (aliàs patentem) imbecillibus præcludit, miserosque, propriæ infirmitatis conscios, in desperationem adigit, dum difficultati succumbentes, animos & curam salutis prorsus abjiciunt. Ideòque Scribas & Pharisæos Matth. 23. Christus redarguit, in eo quòd *alligant onera gravia & importabilia, & imponunt ea in humeros hominum.* Sed & apud Ezech. c. 13. adversus hujusmodi conscientiarum perturbatores indignatur Dominus: *pro eo quòd fecistis mœrere mendaciter cor justi, quem ego non contristavi.* In priorem locum scribens Joannes noster Hierosolymitanus in opere imperfecto super Matthæum (quod sub Chrysostomi nomine prodiit) sic eum commentatur: *Tales sunt nunc*

etiam Sacerdotes qui grave pondus venientibus ad pœnitentiam ponunt; qui dicunt, & non faciunt; & sic dum pœna præsentis pœnitentiæ fugitur, contemnitur pœna peccati futura. Sicut enim si fascem super humeros adolescentis, quem non potest bajulare, posueris, necesse est, aut ut fascem abjiciat, aut sub pondere confringatur; sic & homini, cui grave pondus pœnitentiæ imponis, necesse est, aut ut pœnitentiam suam rejiciat, aut suscipiens, dum sufficere non potest, scandalisatus amplius peccet. Quæ verba allegantur in can. *alligant* 16. q. 7.

143 Ejusmodi quoque indiscretos perstringit Ambrosius serm. 5. in Psal. 118. dicens: *Sunt etiam in nobis qui timorem Dei habent, sed non secundùm scientiam, statuentes duriora præcepta, quæ non possit humana conditio sustinere. Timor in eo est, quia videntur consulere disciplinæ, opus virtutis exigere; sed insciitia in eo est, quia non compatiuntur naturæ, nec æstimant possibilitatem.*

144 Ex allegatis utramque in partem, apertè intelligitur, rem maximè arduam esse, regimen animarum; meritò proinde à Nazianzeno & Gregorio Magno, *artem artium*, nuncupatam, tantique à Cardinale Berullo æstimatam, ut unius animæ difficiliorem magisque arduam pronuntiaverit curam, quàm unius regni, quàmlibet amplissimi. Ut enim observat sapienter pius Contenson in Theologia mentis & cordis to. 9. dissert. unic. c. 2. specul. 3. „ Vel nimiâ „ remissione atque indulgentiâ, vel districtiori, „ quàm par est, severitate non prolabi, hoc opus „ hic labor est; nec sine affuso sibi divinæ sa„ pientiæ lumine, potest quis jura Dei ita tueri, „ ut hominum infirmitatem non opprimat, nec „ sic hominum imbecillitati obsequi, ut in jura „ Dei non peccet.... Quàm difficile, quàm lu„ bricum, quàm charitatis & prudentiæ plenâ „ copiâ indigens ministerium est Sacerdotum! „ ne, dum ignorantes docere volunt, cæcus cæ„ co ducatum præstet, vel dum lapsos conantur „ erigere, ipsi collabantur; ne denique perni„ cioso obsequio vulnus benignâ attrectantes ma„ nu, ægritudinem foveant, seque ipsos vulne„ rent. Hinc (beato Francisco Salesio, p. 1. „ Introduct. c. 6. teste) Avila ex mille unum ad „ Directoris munus eligendum censebat: ipse „ verò ex decem millibus discernendum imperat: „ quia pauciores sunt, quàm dici potest, qui „ tantæ provinciæ sint pares. Hinc beata The„ resia, quantum periculum sit à semidoctis, te„ nui & exigua eruditione præditis, in vita sua „ testatur.

145 Præcipua ergo Doctoribus, præcipua animarum Directoribus cura sit, non deflectere unquam vel in acerbam severitatem, vel in dissolutiorem remissionem. Præcipua Sacramenti Pœnitentiæ Administratorum sollicitudo sit, nec esse justo rigidiores, nec molliores, aut segniores in retinendo sacerdotali vigore. „ Peccatoti lapso, sauciato, & semivivo reli„ cto, oleum infundat Sacerdos & vinum „ (prosequitur Contenson c. 1. in appendice) „ oleum benignitatis, ne desperet; vinum severitatis, ne plaga putrescens periculosior fiat. "Neque enim dumtaxat in peccatoribus cavenda est desperatio, sed & præsumptio, seu spes præsumptuosa de Dei misericordia; *utroque enim homines periclitantur* (inquit Augustinus serm. 47. de verb. Dom.) *& sperando, & desperando.*

Quia verò ad necessariam illam temperatu- 146
ram cælesti opus est prudentiâ, quæret aliquis, Ecquis nobis Doctor & ductor erit cælestis istius prudentiæ? Non illi profectò, de quibus Alexander VII. conqueritur, quòd opinandi modum invexerint alienum ab evangelica simplicitate, sanctorumque Patrum doctrina, per quem via salutis, quam suprema Veritas Deus arctam esse definiyit, in animarum perniciem dilatatur. Supereſt ergo ut cælestis illius prudentiæ præ cæteris illi sint duces, qui præ cæteris eâ præditi fuerunt; sacri utique Doctores, sanctissimique Præsules, quos ad id Dominus adeò implevit lumine sapientiæ & intellectûs, misericordiæque viscеribus, ut vel minimæ ovis Christi sanandæ gratiâ, animam suam libenter posuissent. Qui tametsi tam insignis misericordiæ spiritu repleti, cælestisque luminis abundantiâ perfusi, sacerdotalem vigorem cum christiana misericordia sociarunt, nec proinde infirmorum fidelium cupiditatibus blandientem disciplinam tradiderunt, sed eos tamquam discipulos, oves, palmites, & membra Christi, Christo crucifixo confirmare, evangelicisque regulis adaptare conati sunt, nec tantâ (quantâ complures hodie) facilitate, citra necessitatem, iis statim impertiti sunt absolutionem, quorum opera probabant suspectam contritionem.

Sciebant utique falsam, immisericordem- 147
que esse misericordiam, quâ mores non emendantur, sed vitia, fallaci lenitatis specie, vel foventur, vel speciosis prætextibus contegunturi. Sciebant dictum à Spiritu sancto: *Corripiet me justus in misericordia, & increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Psal. 140. Et iterùm, *Meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis.* Proverb. 27. Sciebant dictum sibi à benignissimo misericordissimoque Domino: *Vos estis sal terræ*; idèoque Christi oves, impurâ vitiorum labe tabescentes, salis sui acrimoniâ sanabant. Sciebant dictum ab Ambrosio: *Verè miseretur, qui cum justitia & sapientia miseretur.... consideremus ne ipsum deteriorem faciamus, cujus miseremur injustè.* Et à Clero Romano, apud Cyprianum epist. 31. *Absit ab Ecclesia Romana vigorem suum tam profanâ facilitate dimittere, & nervos severitatis, eversâ fidei majestate, dissolvere, ut cùm adhuc non tantùm jaceant, sed & cadant eversorum fratrum ruinæ, properata nimis remedia communicationum, utique non profutura, præstentur, & nova, per misericordiam falsam, vulnera veteribus transgressionis vulneribus imprimantur.* Et à D. Basilio epist. 2. ad Amphiloc. c. 84. & 85. *Hæc scribimus, ut pœnitentia eorum fructus proben-*

tur. Neque enim hæc omninò ex temporis spatio judicamus, sed modum pœnitentiæ attendimus. Quòd si qui à propriis moribus non facilè avellantur, & carnis voluptatibus potiùs quàm Deo servire voluerint, vitamque ex Evangelio institutam non amplectantur, nulla nobis cum illis intercedit communis ratio. Nos enim adversùs populum non credentem & contradicentem, illud audiviſſe meminimus, Salvans, salva animam tuam. Non ergo cum eis perire consentiamus, sed grave judicium reformidantes, & tremendam illam retributionis Domini diem præ oculis habentes, caveamus aliorum peccatorum ruinâ involvi. Et hinc denique sciebant alienis se criminibus irretiendos, si ea degeneri clementiâ foverent; nec se pastores animarum futuros, sed lanios, si pravis ægrotantium cupiditatibus indulgentes, cælestisque medicinæ præcepta negligentes, sanitatem infirmis non restituerent, sed exitium causarent, cujus apud Deum culpam sustinerent. Nam ut præclarè D. Cyprianus lib. de lapsis: *Qui peccantem blandimentis adulantibus palpat, peccandi fomitem subministrat, nec comprimit delicta, sed nutrit. At qui consiliis fortioribus redarguit simul atque instruit fratrem, promovet ad salutem. Imperitus est medicus, qui tumentes vulnerum sinus manu parcente contrectat, & in altis recessibus vulnerum mortale virus inclusum, dum servat, exaggerat. Aperiendum vulnus est, & secandum, & putredinibus amputatis, medelâ fortiore curandum. Vociferetur & clamet licèt, & conqueratur æger, impatiens per dolorem, gratias aget postmodùm cùm senserit sanitatem.*

148 Iste fuit sensus, ista praxis, vera ista misericordia, cælestisque prudentia Sanctorum, quæ nobis imitanda proponitur, contra indiscretum ex una parte zelum, immoderatumque rigorem nonnullorum Modernorum, qui nesciunt severitatem misericordiâ temperare; contra falsam etiam plurimorum compassionem, indiscretam lenitatem, exitiosam indulgentiam, qui vel nesciunt vel nolunt misericordiæ sacerdotalem fortitudinem sociare. Quos S. Carolus Borromeus in variis Conciliis suis Mediolanensibus redarguit; quia (inquit) *populum nostrum decipiunt, dicentes, pax, pax, & non est pax.* Et quia iram Dei in se concitant, dum hominum benevolentiam populari quâdam indulgentiâ conciliant. Verùm *quæ utilitas nobis existet* (prosequitur S. Cardinalis) *si iram Dei in nos concitantes, hominum benevolentiam populari quâdam indulgentiâ conciliemus?*

149 Hæc S. Carolus, suo tempore sollicitior ad redarguendos Confessarios indulgentiores, quàm severiores: non quòd non redarguerit utrosque, sed quòd animadverterit multitudinem longè majorem perire, ob nimiam Confessariorum indulgentiam, falsamque misericordiam, quàm ob excessivam severitatem. Unde nec S. Thomas Villanovanus, ipsi synchronus, deploravit Ecclesiæ perditionem, ob excessivam Confessariorum Pastorumque severitatem, sed ob excessivam mollitiem, cùm dixit: *Quid Ecclesiam Domini hodie perdit? nisi Confessariorum & Pastorum blandiens adulatio.* Nec S. Salesius, qui proximè post ipsum floruit sanctitate, conquestus est, quòd ob excessum rigoris, sed quòd ob defectum vigoris, excessumque blandientis lenitatis, *perit multitudo infinita.*

Et ratio est, quia tametsi rigoris excessivi 150
filia sit desperatio, excessivæ verò lenitatis & indulgentiæ filia sit præsumptio, seu spes præsumptuosa de Dei misericordiâ, fortèque illa gravius sit malum, quàm ista: longè tamen rariores sunt, qui ob excessivum rigorem Pastorum Confessariorumque labuntur in desperationem, quàm qui ob excessivam eorumdem lenitatem, indulgentiamque, labuntur in spem illam præsumptuosam, atque exinde in perditionem (quorum infinitam esse multitudinem, Salesius proximè testatus est) eo quòd utique Pastores & Confessarii, hoc tempore, utplurimùm proniores sunt ad conciliandam sibi benevolentiam hominum per popularem indulgentiam, quàm ad incurrendam privationem illius per directionem severam: vel enim nullæ, vel non tot & tantæ illecebræ Pastorum, Confessariorumque animos tentare solent ad exercendam nimiam erga pœnitentes severitatem, sicut ad exercendam nimiam indulgentiam. Ad quam prima illecebra, est amor hominibus placendi, timorque displicendi, cuique homini adeò insitus, ut rara avis in terris sit, qui à debito vigore, ex illo amore non aliquando deficit.

Secunda illecebra, est naturalis amor, com- 151
passioque patris spiritualis in filium spiritualem, seu pœnitentem; cùm parentes ob naturalem illum amorem sæpiùs peccare soleant per defectum, quàm per excessum rigoris.

Tertia illecebra, est naturalis amor pacis, vitandæque dissensionis cum pœnitente, quo Confessarii plerumque sollicitantur ad illi consentiendum: ne cum illo malè sint.

Quarta illecebra, est facilitas operis, quia videlicet Confessariis facilius est condescendere, quàm resistere pœnitentibus, ob rationes antè dictas. Homines autem sunt propensiores in faciliora, quàm in difficiliora.

Quinta illecebra, est jucunditas operis: quia pœnitentibus satisfacere, jucundum est; morosum & triste, ipsos contristatos & insatisfactos dimittere.

Sexta illecebra (ne quid hîc dicam de amore proprii interesse, quo plures à debito rigore ad nimiam indulgentiam inflectuntur) est amor popularis æstimationis, timorque incurrendi notam excessivi rigoris, quæ hodie quampluribus inuritur, tametsi reverà non excedant. Quam notam ne incurrant, sacerdotalem vigorem animumque plurimi dimittunt, quærentesque hominibus placere, malunt ab incœpto vigore desistere, quàm propter zelum Dei & veritatis pungi frequentissimis stimulis contumeliæ.

Tot

152 Tot ergo, tam blandisque titulis Confessarii adeò tentantur, sollicitanturque ad remittendum sacerdotalem vigorem, ut debitus vigor nostris temporibus haud dubiè rarior sit, quàm excessivus rigor: utpote à quo, omnibus titulis enarratis Confessarii retrahuntur: cùmque vix ullo titulo ad eum tententur, quàm indiscreto zelo; neque hic tam illecebrosus sit, quàm sex illi tituli: consequens est homines, in præsenti statu naturæ corruptæ, saltem attentis circumstantiis sæculi præsentis, naturâ proniores esse in excessum indulgentiæ, quàm in excessum rigoris. Unde cùm rariores sint qui elevant sese supra naturalem suam inclinationem, quàm qui ei obsequuntur; consequens est homines frequentiùs incidere in Confessarios laxiores, quàm in strictiores, pluresque proinde ob nimiam Confessariorum laxitatem perire, quàm ob nimiam severitatem. Ideò ergo sancti Caroli zelus magis emicuit adversus Pastores Confessariosque laxiores, quàm adversus rigorosiores. Nec soli Confessarii præallatis illecebris tentantur, & utplurimùm vincuntur; sed & Scriptores ipsi, ut patet ex eo quòd Julius Mercorus in basi Theolog. Moral. p. 3. a. 3. observaverit, à 40. vel 50. annis plusquàm centum opiniones laxas, anteà singulares, factas esse communes; nullam verò rigidam, quæ priùs erat singularis, per recentiores Scriptores factam ex singulari communem.

CAPUT XVI.

Tametsi extrema vitanda sint, ut suprà, attentâ nihilominùs multitudine longè maximâ fidelium pereuntium, Scriptores Casuum, Confessariique, & Directores animarum, Salvatoris exemplo, fidelibus potiùs inculcare debent viam arctam, quàm latam, discretoque uti rigore, quem Evangelica Apostolicaque traditio requirit, quemque Sanctorum cælitùs afflatorum doctrina præscribit: ne alioqui, indiscretâ indulgentiâ suâ, peccatorum alienorum, perditionisque fratrum suorum participes effecti, cum pereuntibus & ipsi pereant.

§. I.

De multitudine fidelium pereuntium sententiâ Doctorum.

153 MUltitudinem longè maximam fidelium perire, deque adultis fidei orthodoxæ cultoribus loquendo, majorem reproborum, quàm electorum numerum esse, Abulensis in cap. 22. Matth. q. 69. ait esse *positionem communem.* Suarez l. 6. de Deo c. 3. n. 5. *Communior* (inquit) *sententia tenet ex Christianis plures esse reprobos, quàm prædestinatos.* Ita nominatim sentiunt Card. Cajetanus in parabol. de 10. virgin. Bellarminus de gemitu columb. l. 1. c. 6. Card. Bona in princip. vit. christ. p. 2. §. ult. post Lyranum, Carthusianum, Abulensem, Ludovicum Granatensem, Estium, Maldonatum, A Lapide, Drexelium, Ruiz, Tannerum, Recupitum, Alvarez, Gonet, Smising, Contensonum, aliosque quamplurimos, tum sacros Interpretes, tum Scholasticos. Quibus licèt contradicant Sylvester, Cartagena, Suarez, Vekenus, Martinonus, & è nostris Lezana, Bonæ spei, Sebastianus ab Alexandro: patrocinantur tamen veteres communiter Patres, Græci & Latini, Origenes, Basilius, Chrysostomus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Gregorius, Irenæus, Nilus Abbas, & apud ipsum S. Simeon Stylita, Theodorus Studita, Ephrem. Patrocinatur & Anselmus infrà referendus. Testeque Card. Bonâ, ubi suprà, eadem sententia infallibili Scripturarum testimonio, multisque indiciis & rationibus, atque ipsâ experientiâ evincitur.

§. II.

Terribilia verba, figuræ, similitudines S. Scripturæ, seu novi, seu veteris Testamenti, de paucitate fidelium electorum, sive in statu naturæ, sive in statu legis, sive in statu gratiæ.

154 ENimverò si consideremus homines in statu naturæ, Genesis 6. dicitur, quòd tanta erat malitia hominum in terra, tam intenta cuncta cogitatio in malum, tam corrupta coram Deo omnis caro, terraque adeò repleta iniquitate, quòd *pœnituerit Deum, quòd hominem fecisset in terra*, necesseque fuerit universali diluvio terram mundari, in quo nonnisi pauci, id est, octo animæ salvæ factæ sunt per arcam. Tametsi homines ante diluvium non legantur diversarum fuisse religionum, nec ullum in Scripturis idololatriæ vestigium reperiatur, nisi post diluvium. Post quod non diminuta, sed mirum in modum multiplicata sunt mala, ut testis est Scriptura.

155 Deinde si consideremus homines in statu legis, omnes imprimis veteris Testamenti libri pleni sunt excessibus Israëlitarum, nec aliud ferè memorant omnes veteris Testamenti paginæ, quàm incredibilem eorum (ferè omnium) duritiem, corruptionemque penè universalem; ita ut David de sua ætate Psal. 13. dicat: *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Deinde Genes. 23. electi inter ipsos comparantur stellis cæli; reprobi verò arenæ, quæ est in littore maris: Abrahæ enim dicit Dominus: *Multiplicabo semen tuum, sicut stellas cæli, & sicut arenam, quæ est in littore maris.* Stellæ verò cæli pauciſſimæ sunt, comparatione arenæ maris, *quæ*, ut ibidem subditur, *præ multitudine numerari non potest.* Et reverà pauciſſimos Israëlitas esse salvos, comparatione damnatorum, & Paulus 1. Cor. 10. & Joannes Apocal. 7. ostendit. Siquidem Paulus ait, quòd *non in pluribus eorum beneplacitum est Deo.* Joannes verò ex toto Israëlitico populo (qui ante Christi adventum, Dei erat populus) solùm signatos, id est (ut communis habet interpretatio) electos & prædestina-

tos numerat centum quadraginta quatuor millia, duodecim utique millia è singulis tribubus. Nec plures ex ipsis prædestinatos esse tenet Bellarminus in lib. de gemitu columbæ. Hic autem numerus longè minimus est, comparatione ad totum Israëliticum populum, in quo (Davide regnante) numerati sunt *mille millia, & centum millia virorum educentium gladium. De Juda autem quadringenta septuaginta millia bellatorum.* 1. Paralip. 21. Et quamvis Apocal. 7. acciperetur numerus certus pro incerto, per hoc equidem significaretur numerus longè minor signatorum, quàm reliquæ multitudinis.

156 Denique si considerationem nostram vertamus ad homines in statu legis gratiæ, & verba, & figuræ utriusque Testamenti, de ipsis terribile nescio quid insonant. Primò namque, ut à figuris incipiamus, pauci salvati in arca Noë, designant paucitatem eorum, qui salvantur in baptismate, juxta illud 1. Petri 3. *in qua* (arca) *pauci, id est, octo animæ salvæ factæ sunt per aquam; quod & vos similis formæ salvos facit baptisma.* Ubi Petrus dicit aream, in qua Noë cum paucis salvus factus est per aquam, figuram fuisse Ecclesiæ, in qua fideles salvi fiunt per baptismum. Nec sine causa dicit *in arca paucos, id est, octo animas salvas factas esse.* Ad quid igitur? nisi ad designandam paucitatem animarum, quæ salvæ fiunt in Ecclesia. Sic utique figuram hanc exponit Origenes homil. 21. in cap. 26. Num. ubi quoque expendit, *quòd in arca, quæ à Noë constructa est, superna pars arcæ erat arctissima; infima verò pars latissima: in inferioribus centum cubitorum ponitur longitudo, & quinquaginta latitudo, summitas in unius cubiti spatium consummatur: ad designandum quòd in arca Ecclesiæ pauci ad superna, plurimi ad inferna deducantur.* Similia habet Chrysostomus lib. 1. adversus vitup. vitæ monasticæ. Augustinus quoque in Psal. 54. istius paucitatis rationem hanc reddit, quia pauci sunt qui mundo reipsà renuntiant, quem in baptismo abjurarunt; at verò qui sæculo solis verbis, non factis renuntiant, non pertinent ad hujus arcæ mysterium, id est, ad salutem.

157 Secundò, idem significat numerus longè minor filiorum Abrahæ signatorum, seu electorum, ut suprà. Hâc enim figurâ Augustinus l. 3. contra Cresconium c. 37. probat paucitatem fidelium, qui salvantur. Nec sine fundamento. Abraham quippe *pater est omnium credentium*, Rom. 4. Igitur semen ipsi promissum suprà Genes. 23. sunt omnes credentes: quos inter electi, qui comparantur stellis, longè pauciores sunt reprobis, qui comparantur arenæ maris, prout suprà ampliùs ostensum est ex 1. Cor. 10. & Apocal. 7.

158 Tertiò, idem significat ingressus paucissimorum filiorum Israël, in terram promissionis, scilicet duorum tantùm, Caleb & Josue, ex bis mille hominum, sive sexcentis pugnatorum millibus, qui egressi fuerant de Ægypto. Ut enim Apostolus 1. Cor. 10. *hæc in figuræ contingebant illis*, ad ostendendum, quàm sit exiguus numerus credentium electorum, comparatione reproborum. Terra quippe promissionis, figura est patriæ cælestis. Filii Israël, egressi de Ægypto, qui (ut Apostolus ait ibidem) *omnes in Moïse baptisati sunt, in nube, & in mari, & omnes eandem escam spiritualem manducaverunt, & omnes eundem potum spiritualem biberunt*, per fidem scilicet in Christum venturum, (ad quod significandum sequitur: *bibebant autem de spirituali consequente eos petrâ, petra autem erat Christus*) figura sunt baptizatorum, qui sunt in Ecclesia post Christum. Israëlitæ ergo mortui in deserto, qui non introierunt in terram promissionis, & de quibus Apostolus ibidem ait, *quòd non in pluribus eorum beneplacitum est Deo*, figura sunt Christianorum reproborum. Josue & Caleb, figura electorum, ut expressè ait D. Gregorius in Psalmos Pœnit. Duo denique isti, in comparatione illorum sexcentorum millium, qui perierunt, figura sunt paucitatis fidelium salvatorum, in comparatione eorum, qui damnantur. Ita Origenes homil. 21. in c. 16. Num. Et Augustinus serm. 102. de tempore, ubi sic: *Non transitoriè nec negligenter, sed cum ingenti tremore considerandum est, quia de sexcentis millibus, duo tantùm terram promissionis ingressi sunt. Hoc ergo audiant, qui ita Deum misericordem esse volunt, ut justum esse non credant.*

Quartò, idem significat electio trecentorum dumtaxat (ex triginta duobus millibus, qui erant in exercitu Gedeonis) ad victoriam de Madianitis reportandam, Judic. 7. Gedeon quippe figura est Christi, juxta illud Isaïæ 9. *Sceptrum exactoris ejus superasti, sicut in die Madian.* Trecenti electi, inter triginta duo millia rejectorum, de eodem populo Israël, figura sunt paucorum de Ecclesia electorum, inter longè plures rejectos. Sicut ergo in exercitu Gedeonis, longè major fuit numerus rejectorum (qui postquam venerunt ad aquam fluminis, *curvaverunt genua ut biberent*;) sic, in exercitu Christi, sive in Ecclesia, longè major est numerus rejectorum, qui posteaquam venerunt ad aquam baptismatis, cor suum incurvant in terram, ut Origenes observat homil. 9. in lib. Judicum. Denique quòd illi cum Gedeone *probati sunt, per quos vinceret, qui similes in bibendo canibus dicerentur*, significat (inquit Augustinus in eundem librum) *quòd contemptibilia & ignobilia elegit Dominus, &c.* 159

Quintò, juxta eundem Augustinum l. de unit. Eccl. c. 14. *est in Canticis quod de sancta Ecclesia dictum omnis Christianus agnoscit: sicut lilium in medio spinarum, ita proxima mea* (Vulgata habet *amica mea*) *inter filias.* Ubi boni comparantur lilio inter spinas, quibus mali comparantur. Malos enim Spiritus Sanctus *appellat spinas* (inquit Augustinus ibidem) *propter malignitatem operum. Sed unde* malos, *filias vocat? propter* 160

propter communionem Sacramentorum. Animæ ergo malignæ, licèt reprobæ, filiæ vocantur propter communionem Sacramentorum. Comparatio ergo est inter bonos & malos, electos & reprobos fideles, seu orthodoxos iisdem Sacramentis communicantes. Electi nihilominùs dicuntur se habere inter reprobos, sicut lilium unum inter spinas multas.

161 Sextò, Spiritus Sanctus Isaiæ 17. & 24. loquens de salvandis in fine mundi (ut expressè Hieronymus ibi) comparat electos paucissimis spicis, remanentibus in agro, post collectam messem; paucissimis item racemis, in vite restantibus, finitâ vindemiâ. *Et erit in die illo* (ait c. 17.) *sicut congregans in messe quod restiterit .... & relinquetur in eo sicut racemus, & sicut excussio oleæ duarum, vel trium olivarum in summitate rami.* Et c. 24. *Quemadmodùm si paucæ olivæ, quæ remanserunt, excutiantur ex olea; & racemi, cùm finita fuerit vindemia. Hi levabunt vocem suam, atque laudabunt, cùm glorificatus fuerit Dominus.* Comparatio verò spicarum ad spicas ejusdem agri, olivarum ad olivas ejusdem oleæ, racemorum ad racemos ejusdem vitis, significat comparationem fidelium ad fideles ejusdem Ecclesiæ. Sicut igitur pautissimæ sunt spicæ, in agro restantes, post collectam messem, pauciſſimæ item olivæ restantes in olea post excussionem, & pauciſſimi racemi in vite, post vindemiam, compatatione spicarum à messoribus, olivarum ab oleæ excussoribus, & racemorum à vindemiantibus collectarum; sic pauciſſimi sunt in Ecclesia electi comparatione reproborum, quos Spiritus Sanctus in figura illa comparat spicis à messoribus collectis, &c.

162 Septimò, S. Joannes Baptista Matth. 3. dicens quòd Christi *ventilabrum permundabit aream suam, & congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili*, ac proinde loquens de tritico & paleis, quæ sunt in area Christi, id est in Catholica Ecclesia, quæque proinde eandem fidei radicem habent (palea quippe eandem habet radicem cum tritico) electos comparat tritico, reprobos paleis, quarum incomparabiliter major est numerus quàm tritici. Unde Augustinus in Psal. 4. *Non possumus* (inquit) *negare paleas esse malos, & tam plures, ut inter eos boni non appareant: quomodò non apparent grana in area. Nam quisquis aream videt, potest putare quòd sola sit palea.* Et l. 3. contra Crescon. c. 66. *Boni Christiani, qui per seipsos multi sunt, in comparatione malorum falsorumque, itidem pauci sunt. Sit multa grana, quibus horrea magna complentur; pauca dicimus in comparatione palearum.*

163 Octavò, Christus Matth. 13. memoratis quatuor terræ partibus, in quas cecidit semen Evangelii, trés dicit illud sine fructu recepisse, solamque quartam partem, velut terram bonam, fructum fecisse: *semen aliud cecidit secùs viam, aliud supra petram, aliud inter spinas, aliud in terram bonam.* Apostolus quoque 1. Cor. 9. ex omnibus in eodem stadio currentibus dicit, unum solum accipere bravium, seu *coronam incorruptam* (prout ipsemet explicat,) ad significandum quòd ex omnibus ad bravium æternæ remunerationis per fidem currentibus (neque enim infideles ad illud currunt) *è centum vix unus bravium* illud *accipit*, ut sancti Patres aiunt.

Nonò (ut à figuris & similitudinibus ad res 164
figuratas transeamus) Matth. 7. *Intrate* (ait Salvator) *per angustam portam, quia lata porta, & spatiosa via est quæ ducit ad perditionem; & multi sunt, qui intrant per eam.* Post quæ verba velut admirans subdit: *quàm angusta porta, & arcta via est quæ ducit ad vitam! & pauci sunt qui inveniunt eam.* Hæc autem fidelibus dixit, in persona discipulorum suorum, quos solos in monte alloquebatur. Nec verò de porta fidei loquitur, dum ait: *Intrate per angustam portam* (quia jam eam intraverant;) sed de porta mandatorum, per quam transire debent, qui jam intraverunt per portam fidei. De quo ne dubium supereſſet, Luc. 13. ad hanc interrogationem: *Domine si pauci sunt qui salvantur?* Respondit: *Contendite intrare per angustam portam: quia multi, dico vobis, quærent intrare* (quod solis fidelibus convenit) *& non poterunt.* Ut ostendat autem, se per multos illos qui *quærent intrare*, &c. intelligere fideles iniquos, protinus subjungit: *Cùm autem intraverit paterfamilias, & clauserit ostium, incipietis foris stare, & pulsare ostium, dicentes: Domine aperi nobis. Et respondens dicet vobis: Nescio vos, unde sitis. Tunc incipietis dicere: manducavimus coram te, & bibimus, & in plateis nostris docuisti* (loquitur ergo manifestè de fidelibus;) *& dicet: Nescio vos, unde sitis. Discedite à me omnes operarii iniquitatis.* Quamobrem locum illum Matth. 7. respectivè ad fideles exponunt Chrysostomus, Nazianzenus, Augustinus, Anselmus apud Recupitum in tract. de numero prædestin. & reprob. c. 3.

Decimò, Matth. 22. terribilem sententiam 165
Christus rursum intonat, dicens: *Multi sunt vocati, pauci verò electi.* De fidelibus quippe verba illa Patres communiter exponunt, videlicet Origenes, & Chrysostomus in eum Matthæi locum, sicut & (præter alios) Augustinus, Gregorius, Anselmus, proximè referendi. Idque Augustinus l. 18. civit. c. 48. probat, ex eo quòd ea Christus dixerit *de illis, qui vocati sic venerunt, ut de convivio projicerentur: qui nunc replent Ecclesias: quos tanquam in area ventilatio separabit.* Non ergo igitur dixit de infidelibus, qui vocati renuerunt venire ad nuptias; sed de fidelibus, qui vocati venerunt, Dominicoque adfuerunt convivio, *non cum veste nuptiali.* Sicque *Christus* (ut Augustinus prosequitur l. contra Donatist. post collat. c. 20.) *in illo uno* (de quo ibi Christus ait: *Vidit rex hominem non vestitum veste nuptiali*) *multorum societatem malorum esse intelligendam, inter quos pauciores boni in convivio Dominico vivunt, significare non distulit. Nam postquam dixit: ligatis manibus*

& pedibus projicite, &c. continuò subjecit: multi enim sunt vocati, pauci verò electi. Quomodò hoc verum est? nisi quia in illo uno grande corpus figurabatur omnium malorum, ante Domini judicium convivio Dominico permixtorum. Eodem modo D. Gregorius locum illum interpretatur homil. 19. in Evang. dicens: *Terribile valdè est quod sequitur: Multi sunt vocati, pauci verò electi: quia & ad fidem plures veniunt, & ad cæleste regnum pauci perducuntur.* Rationem dat Chrysostomus l. contra vituperat. vit. Monast. *Neque enim omnes, qui initio illam* (viam quæ ducit ad vitam) *apprehenderunt, ad finem etiam perducti sunt; sed alii in ipsis initiis, nonnulli in itineris medio, plurimi in ipsum ferè portum invecti, naufragium fecerunt.* Similiter Anselmus in eumdem Matthæi locum ait, quòd *intrant ad nuptias, non cum veste nuptiali, qui, in sancta Ecclesia commorantes, fidem habent, sed charitate carent.* Quòdque *expulso uno, in quo omne malorum corpus exprimitur, generalis protinus sententia subinfertur, cùm dicitur: Multi sunt vocati*, &c. *Quasi dicat quod de uno dixi, de multis intelligatis:* de quibus scilicet antè dixit, quòd *in sancta Ecclesia commorantes, fidem habent, sed veste nuptiali, seu charitate carent.* Genuina proinde, communique veterum Patrum sensui consona est sequens expositio Abulensis q. 69. in c. 22. Matthæi: *Multi sunt vocati ad fidem, id est, convertuntur ad eam, sed pauci electi: quia pauciores Christianorum sunt qui salvantur, quàm qui damnantur.* Nec non Dionysii Carthus. in c. 20. Matth. *Multi sunt vocati, hoc est ad fidem & gratiam, multi per prædicationem invitati, atque perducti.... pauci verò electi, hoc est prædestinati, seu gloriam adepturi.* Bedæ quoque in eumdem locum: *Ad fidem multi veniunt, ad cæleste regnum pauci perducuntur.*

§. III.

Terribiles sententiæ sanctorum Patrum de eadem paucitate.

166 VEteres Patres consonant adductis sacris testimoniis. Primò namque Origenes in cap. 22. Matth. tract. 20. *Si quis* (inquit) *consideret multitudinem hominum, qui in Ecclesia congregantur, & discusserit, quanti sunt qui versantur disciplinatè, & reformantur novitate sensus; quanti autem negligentissimè conversantes conformantur huic sæculo, videbit quòd verus est sermo Domini; Multi vocati, pauci verò electi.*

167 2°. Chrysostomus homil. 4. ad popul. Antioch. loquens de civitate Antiochiæ, inter Asiæ urbes populosissimâ, unâque ex tribus maximis urbibus Romani Imperii, in qua primùm cognominati sunt discipuli Christiani, cujus cives omnes (Chrysostomi tempore) Christiani erant, quique ab ipso Apostolorum Principe, ac deinde à sancto Ignatio Martyre religionis ac pietatis lac suxerant: de ea nihilominùs, in publica ad populum concione dicit: *Quot esse putatis in civitate nostra, qui salvi fiant? infestum quidem est, quod dicturus sum. Dicam tamen: non possunt in tot millibus centum inveniri, qui salventur; quin & de iis dubito.* Nec censeri potest, id ad deterrendos à peccatis homines, hyperbolicè dixisse, & aliter in corde sensisse. Præterquàm enim quòd non liceat doctrinales Patrum sententias (qualis est de paucitate electorum) ad hyperbolas reducere: si aliter Chrysostomus in corde sensisset, mentitus fuisset. Non est autem censendus Doctor talis ac tantus mendacio voluisse alios convertere. Neque id licet etiam pro totius mundi salute. Denique dato, non concesso, quòd id dixisset cum aliqua exaggeratione, prorsus incredibile est, quòd tantâ usus fuisset exaggeratione, quòd ex quingentis ut minimùm millibus fidelium vix centum salventur, nisi saltem sensisset, multo pauciores esse, qui salvi fiunt, quàm qui pereunt.

3°. Augustinus in Psal. 47. explicans illud: 168
Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio populi tui. Nunc (inquit) *populus Dei censentur omnes, qui portant Sacramenta ejus, sed non omnes pertinent ad misericordiam ejus...., sunt enim quidam, de quibus dicit Apostolus: habentes formam pietatis, virtutem ejus abnegantes. Tamen propter ipsam speciem pietatis in populo Dei nominantur: quomodò ad aream, quamdiu trituratur, non solùm grana, sed etiam palea pertinet. Numquid & ad horreum pertinebit? In hoc medio autem populi mali est populus bonus, qui suscepit misericordiam Dei.... Et quid illi obest, quia in medio populi inobedientis est, donec area ista ventiletur, donec boni à malis separentur.... sit lilium in medio spinarum. Nam & ipsæ spinæ, quoniam ad populum Dei pertinent, vis audire.... sicut lilium, inquit, in medio spinarum, ita proxima mea in medio filiarum. Numquid dixit in medio alienarum? non; sed in medio filiarum. Sunt ergo filiæ malæ, & inter illas est lilium in medio spinarum. Itaque illi qui Sacramenta habent, & mores bonos non habent, & Dei dicuntur, & non Dei; & ejus dicuntur, & alieni: filiæ propter formam pietatis; alienæ propter amissionem virtutis.... Jam hic occurrit unicuique cogitanti: Et quid? iste populus, qui in medio populi Dei suscipit misericordiam Dei, quantum numerum habet! quàm pauci sunt! vix invenitur aliquis. Illisne contentus Deus erit, & perdet tantam multitudinem? dicunt hoc, qui sibi promittunt, quod à Deo promittente non audierunt. Et verè, si malè vivamus.... perditurus est nos Deus. Quot enim sunt illi, qui videntur servare præcepta Dei? vix invenitur unus, vel duo, vel paucissimi. Ipsos solos Deus liberaturus est, & cæteros damnaturus. Absit* (inquiunt) *cùm venerit & viderit tantam multitudinem, miserebitur & dabit indulgentiam. Hoc planè etiam serpens ille promisit primo homini.... Absit* (inquit) *non morte moriemini.... Ita & nunc fratres.... non cessat serpens sugge-*

vere, quod tunc suggessit. Sed casus primi hominis ad experimentum cavendi debet nobis valere.... Ergo non audiamus tales voces, nec putemus paucos esse istos: multi sunt, sed inter plures latent. Non possumus enim negare, plures esse malos, & tam plures, ut inter eos prorsus boni non appareant; quomodò non apparent grana in area. Nam quisquis aream videt, potest putare quòd palea sola sit.... Sed ibi est & massa, ventilatione purganda. Tunc procedet copia frumenti, quæ latebat in copia palearum, tametsi numero longè minor copiâ palearum. Hoc testimonium placuit ad longum exscribere, quia adeò perspicuum, ut nullam patiatur solutionem.

169 4°. Perspicuum etiam Gregorii, sicut & Anselmi testimonium habes suprà n. 165. Eandem quoque Basilii, Ephrem, Theodori Studitæ sententiam esse testatur S. Nilus Abbas apud Baronium to. 10. Annal. ad annum Christi 976. Cùm enim à Theophylacto, Calabriæ Metropolita, argueretur, quòd probaret revelationem factam S. Simoni Stylitæ, quòd *ex decem millibus vix reperiretur una anima hoc tempore, quæ ad manum sanctorum Angelorum perveniat.* Respondit: *si demonstravero vobis magnum Basilium, & Chrysostomum, & Ephrem beatissimum, & Theodorum Studitam, sed & Apostolum ipsum, sed & sanctum Evangelium eadem sentientes, & dicentes: quid patiemini vos, qui inconsultè aperientes ora loquimini, & Spiritui sancto adversamini?* Inter ipsum verò, & dictum Theophylactum, controversia non erat de numero damnandorum, comprehendendo infideles: numquam enim dubium fuit, hoc sensu, majorem esse numerum damnandorum. Igitur S. Nilus, unà cum Basilio, Chrysostomo, Theodoro Studita, & S. Simone Stylita, loquitur de numero fidelium. Ambrosii, Hieronymi, Irenæi, &c. testimonia videri possunt apud Recupitum.

§. IV.

Ratione, experientiâque eadem paucitas evincitur.

170 PRima ratio est, quia duabus tantùm viis salutem consequi possunt adulti, innocentiæ nimirùm & pœnitentiæ: Adultorum verò pauci permanent in innocentia baptismatis. Post eam verò deperditam, adeò pauci veram agunt pœnitentiam, ut Ambrosius l. 2. de pœnit. c. 10. dicat: *Facilius inveni, qui innocentiam servaverit, quàm qui congruè egerit pœnitentiam.* Quia scilicet Christianorum multitudo longè maxima deficit ab aliquo ex requisitis ad veram pœnitentiam, ut ostendit Paulus Segneri in suo homine Christiano p. 1. discursu 5. Vide infrà n. 195. & seqq.

171 Secunda ratio: quia regnum cælorum vim pati, & violentos illud rapere Scriptura testatur Matth. 11. Violentum verò, cùm sit contra naturam, in paucis contingit, ut experimur. Pauci enim fideles sunt, qui corruptæ naturæ suæ vim inferre velint; longè plures, qui ejusdem naturæ inclinationem sequuntur.

Tertia ratio, confirmans priorem, est quia 172
omnis assecutio finis, habens magnam difficultatem in mediis, deficit in pluribus, contingit in paucioribus. Ut enim benè Recupitus: quò res difficilior, sicut eò magis accedit ad impotentiam, sic eò magis recedit ab actu secundo potentiæ. Sed assecutio salutis habet magnam difficultatem in mediis, etiam respectu fidelium (in quibus gratia evangelica non datur ad tollendam, sed ad vincendam difficultatem;) media quippe salutis sunt contra inclinationem naturæ corruptæ, quæ magis inclinatur ad bonum sensibile præsens, & clarè cognitum, quàm ad bonum salutis, à sensibus abstractum; nec præsens, sed futurum; nec clarè, sed obscurè cognitum. Ideòque Matth. 7. dicitur, quod *angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inveniunt eam.* Unde Hieronymus epist. ad Celant. *Duas conversationis vias Salvator ostendit: quàm, inquit, spatiosa est via quæ ducit ad mortem, & multi sunt, qui intrant per eam. Et rursum, quàm arcta via, & angusta est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inveniunt eam.... illa.... teritur à multis, hæc vix invenitur à paucis. Illa enim vitiis per consuetudinem, quasi declivior & mollior, & velut quibusdam amœna floribus voluptatum, facilè ad se rapit commeantium multitudinem. Hæc verò insueto calle virtutum tristior atque horridior, ab iis tantùm eligitur, quibus non tam delectatio itineris cordi est, quàm utilitas mansionis.*

Quarta ratio: cùm Rex David quæsisset à 173
Domino, *Quis habitabit in tabernaculo tuo*, Psal. 14. Spiritus Sanctus respondit: *Qui ingreditur sine macula, & operatur justitiam.* Et Psal. 23. *Quis ascendet in montem Domini? Innocens manibus, & mundo corde.* At quàm pauci, etiam fidelium, sunt ejusmodi! Sed & Matth. 10. Salvator ait: *Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me*, nec proinde cælo, *dignus.* At quàm pauci, etiam fideles, crucem amplexi, sequuntur Christum! Teste namque Apostolo Philipp. 2. *omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi.* Rursus Matth. 18. Christus ait: *Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Paucissimi verò sunt, qui per humilitatem & simplicitatem efficiuntur sicut parvuli. Rursus Matth. 16. *Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in regnum cælorum. Facilius est camelum per foramen acûs transire, quàm divitem intrare in regnum cælorum.* Igitur pauci, etiam fideles, salvantur. Siquidem *a minore usque ad majorem omnes avaritiæ student.* Hierem. 6. Rursus Rom. 8. Apostolus contestatur, quòd eos, qui secundùm propositum vocati sunt sancti, Deus *præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui:* At verò rari sunt, qui vitam suam vitæ Christi conformant. Major quippe pars adultorum, etiam fidelium, sæculo

potiùs conformantur, quàm Christo.

174 Denique experientia ipsa ostendit, inter ipsos etiam Catholicos, longè plurimos esse inimicos crucis Christi; paucos verò qui per arctam salutis viam incedant, ad Evangelii maximas vitam suam exigant, post concupiscentias non eant, innocentiam custodiant, post lapsum seriam pœnitentiam agant, mundum non ament, & sanctitatem sectentur, *sine qua nemo videbit Deum.* Ut enim Salvianus l. 3. de Provid. præter pauciſſimos *quosdam qui mala fugiunt, quid est aliud penè omnis cœtus Christianorum, quàm sentina vitiorum? .... in hanc* quippe *prorsitatem morum propè omnis Ecclesiæ plebs redacta est, ut in cuncto populo Christiano genus quoddam sanctitatis sit minùs esse vitiosum.* In majorique fidelium parte lex & Evangelium ita deperiit, ut teste B. Gregorio VII. epist. 9. *Saraceni & quilibet Pagani suos ritus firmiùs teneant, quàm illi qui christianum nomen acceperunt.* Quippe, ut ait Petrus Damianus l. 2. epist. 1. *totus mundus, pronus in malum, per lubrica vitiorum in præceps ruit. Et, ô nefas! ab eis in veritate Judaicè vivitur, qui superficie tenus christiano vocabulo palliantur. Partem eam* (ait Lud. Granatensis to. 3. l. 1. p. 3. c. 27.) *quæ Christianorum nomine celebris est, intuere & vide, quo loco res Christianorum hoc exulceratissimo sæculo nostro sint constitutæ, & fateberis in hoc corpore mystico à planta pedis ad verticem capitis vix aliquod membrorum sanum reperiri. Cape quamcumque vis ex civitatibus celebrioribus.... discurre posteà per minora oppida, pagos, vicos & castella, & invenies populos de quibus verè affirmari potest illud Hierem. 3. Circumite vias Hierusalem, & aspicite, & considerate, & quærite in plateis ejus, an inveniatis virum facientem judicium, & quærentem fidem, id est, verè justum: & propitius ero ei.* Certè (inquit) *exceptis paucis, quos nisi Deus relinqueret ut semen, quasi Sodoma essemus, vix differt Civitas Catholica à Mahometica, nisi penes sonitum campanarum*, quarum usum Turcæ non habent.

175 Quinta ratio est: quia unum è præcipuis argumentis, quibus nituntur contrarii Authores, est quia, licèt fateantur quòd ex adultis Catholicis major pars hominum sæpiùs mortaliter peccet, tamen sæpiùs resurgunt, & ita cadendo & resurgendo vitam transigunt. At ex hac ipsorum confessione Recupitus ubi suprà c. 6. contra ipsos benè sic arguit: Omnes qui ita mortaliter peccant, ut cadendo & resurgendo, (id est peccando, & confitendo) vitam transigant, id est, qui per totam vitam sunt recidivi, regulariter, & juxta leges communes pertinent ad reprobos: sed ex adultis Catholicis major pars sic facit. Ergo.

176 Minorem fatentur adversarii. Majorem laudatus Author multipliciter probat, tum ex eo quòd eorum pœnitentia regulariter sit ficta, vel saltem non omninò seria, ut probat ex PP. Tertulliano, Ambrosio, Augustino, Fulgentio, Gregorio, alibi proferendis. Tum ex eo quòd ut minùs sit infructuosa, sicque insufficiens ad salutem. Ubi *enim emendatio nulla, pœnitentia est sine fructu.* Tertullianus l. de pœnit. c. 2. Et ipsemet Seneca epist. 2. *Non prodest* (inquit) *cibus qui statim sumptus emittitur.* Saltemque de eo procedit illud Eccli. 34. *Qui baptizatur à mortuo, & iterùm tangit eum, quid prodest lavatio ejus? sic homo qui jejunat in peccatis suis: & iterùm eadem faciens, quid proficit humiliando se? orationem ejus quis exaudiet?* Et c. 26. *Qui transgreditur à justitia ad peccatum, Deus paravit eum ad romphæam*, id est, ad damnationem animæ & corporis.

Tum quia in taliter recidivis nulla sunt signa 177
prædestinationis, sed reprobationis dumtaxat. Prædestinatis enim *omnia cooperantur in bonum*, etiam peccata, ut constat ex Rom. 6. Taliter autem recidivis peccata non cooperantur in bonum: cùm non cooperentur in emendationem, vitæque meliorationem, sed in deteriorationem, quatenus per continuam recidivationem peccator magis ac magis deterioratur, ingravescuntque peccata ipsius ex circumstantia ingratitudinis, totiesque conculcati Dominici sanguinis, necnon contumeliæ toties illatæ Spiritui gratiæ, ut Apostolus loquitur Hebr. 10. Augeturque difficultas, ex eo quòd in taliter recidivis sit quædam peccandi necessitas, quâ fit ut regulariter nunquam præstent requisita in sacris Litteris ad salutem. Non enim Scriptura solùm requirit pœnitentiam, seu dolorem de peccatis, sed omnium etiam præceptorum custodiam, utque peccator faciat judicium & justitiam, & in mandatis vitæ ambulet. Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium & justitiam, & pignus restituerit, rapinamque reddiderit, & in mandatis vitæ ambulaverit, nec fecerit quidquam injustum, vitâ vivet, &c.* Hæc (inquam) nec effectu nec voto efficaci regulariter præstant taliter recidivi, sed illud econtrà quod Apostolus ait Hebr. 6. *Rursum crucifigentes sibimetipsis filium Dei, & ostentui habentes*; suntque, ut ibidem sequitur, *terra proferens spinas ac tribulos.* Sed de tali terra quid Apostolus? *Reproba est, & maledicto proxima, cujus consummatio in combustionem.* Sed de recidivis plura (Deo dante) tomo 3. dum de Sacramento Pœnitentiæ, ubi inefficacia demonstrabuntur, quæ doctissimus noster Sebastianus ab Alexandro respondet argumento à recidivis desumpto.

Confirmatur 1°. *Si justus vix salvabitur,* 178
impius & peccator, continuò recidivus, *ubi parebunt?* 1. Petri 4.

Confirmatur 2°. ex paucitate eorum, qui 179
ex hac vita verè contriti decedunt, post vitam in continuis ferè peccatis transactam. " Quamvis enim multi videantur hominibus " benè mori, dolor tamen de peccatis ex metu " mortis procedens, ad veram pœnitentiam dif- " ficilè pertingit " (inquit Emin. Card. Bona ubi suprà.) " Nam quomodò poterit bonam vitam "

„ inchoare peccator, cùm ad ejus finem perve-
„ nit? quomodò poterit super omnia mala dete-
„ stari peccata, suasque delicias abominari, quas
„ totius vitæ decursu intensissimè adamavit? quo-
„ modò ex animo pœnitentiam amplecti, à qua
„ semper abhorruit? quomodò statuet efficaci de-
„ creto, ea deserere, si vita supersit, quibus invete-
„ rato usu assuevit? quomodò intellectus, inter
„ morbi & mortis angores (quibus accedunt lan-
„ guor animæ, exire de corpore trepidantis, &
„ omnium facultatum deperditæ vires, quæ vix ho-
„ minem sui compotem esse sinunt, adeò ut adstan-
„ tium verba, actus virtutum suggerentium, aut
„ nullo modo audiat, aut sonum dumtaxat vocis
„ sine sensu percipiat;) quomodò (inquam) eo in
„ statu res supernaturales, à sensibus remotas
„ meditabitur, de quibus, integris viribus, aut
„ nunquam, aut nonnisi obiter, cogitavit? ....
„ Experientiâ didicimus vix aliquem reperiri,
„ qui cessante periculo in proposito permanserit.
„ Redeunt omnes ad assueta, & eorum quæ me-
„ tu mortis, vel amicorum exhortationibus, aut
„ humanâ prudentiâ „ (nec Dei amore, sed solo
gehennæ imminentis metu) „ decreverunt, sta-
„ tim obliviscuntur. Cùm præsertim nemo ferè sit,
„ qui etiam in extremis spem vitæ omninò abjiciat,
„ qua fraude multos decipit & perdit dæmon.

180 Fatendum quidem, his non obstantibus, veram conversionem (quamdiu ratione utuntur) possibilem esse per gratiam. Sed nonnisi per præpotentem, quâ se nimis indignos præstiterunt, qui toties eam abjecerunt, toties eam in vanum receperunt, toties ei contumeliam fecerunt, toties Filium Dei, pretiosumque sanguinem ipsius conculcaverunt, &c. Dignus profectò non est, ut à Deo audiatur in morte, qui Deum audire toties contempsit in vita. Ideò SS. Patres valdè suspectam habent in morte pœnitentiam eorum, qui tam malè vixerunt, tametsi se pœnitere dicant. Scriptum est enim Psal. 33. *Mors peccatorum pessima.* Eccl. 2. *Cor durum habebit malè in novissimo.* Matth. 12. *Fiunt novissima hominis istius pejora prioribus, &c.* Infinita quidem est misericordia Dei, sed non sequitur: Deus est infinitè misericors; infinita quoque sunt merita Christi. Ergo major fidelium pars salvabitur. Erat quippe Deus infinitè misericors ante Incarnationem, licèt dimiserit omnes gentes ingredi vias suas. Act. 14. Et licèt infinita sint merita Christi, *dilatavit infernus animam suam, & aperuit os suum absque ullo termino.* Isaiæ 5. Sic itaque prædicare nos oportet divitias divinæ misericordiæ, ut meminerimus scriptum: *Ne dicas, miseratio Dei magna est.... misericordia enim & ira ab illo citò proximant. Et misericordiam & judicium cantabo tibi Domine.* Neque ex sensu nostro definire, qualem Deus misericordiam erga magnos & habituatos peccatores exerceat; sed ex sacris Litteris, & Sanctorum documentis suprà allatis nos oportet addiscere.

181 Ex quibus habemus 1°. quòd sic misericordia superexaltet judicium, ut nihilominùs pereat multitudo longè maxima hominum per infidelitatem, & per flagitiosam vitam multitudo longè maxima fidelium. Observant enim vult Deus, *ne multitudine misericordiæ Dei malè utendo, tu tibi thesaurizes iram in die iræ*, ait post Apostolum S. Augustinus in Psal. 102. Qui & l. 22. de Civit. *Si omnes*, inquit, *remanerent in pœnis justæ damnationis, in nullo appareret misericors gratia redimentis. Rursùm, si omnes à tenebris transferrentur in lucem, in nullo appareret severitas ultionis: in qua propterea multo plures, quàm in illa sunt, ut sic ostendatur, quid omnibus deberetur. Quòd si omnibus redderetur justitia judicantis, nemo justè reprehenderet.* Epistolâ verò 157. ad Optatum dicit, longè plures esse rejectos, quàm electos, *ut etiam ipsa rejectorum multitudine ostenderetur, quàm nullius momenti sit apud Deum justum, quantalibet numerositas justè damnatorum. Atque ut hinc quoque intelligant, qui ex ipsa damnatione redimuntur, hoc fuisse debitum massæ illi universæ, quod tam magna parti ejus redditum cernerent*, nihilque deperiturum divinæ gloriæ & misericordiæ, si cum prioribus & ipsi damnati fuissent.

Habemus secundò, ex summa Dei miseri- 182
cordia non magis esse consequens, quòd per eam salvari debeat major multitudo fidelium, quàm quòd salvari debeat major multitudo hominum, vel etiam Christianorum. Habemus tertiò, quòd sicut Deus non desinit esse summè misericors, nec merita Christi desinunt esse infinita, ex hoc quòd gratiam efficacem fidei non tribuat majori parti hominum, sed majorem eorum partem in infidelitate perire permittat: sic non desinit esse summè misericors, nec merita Christi desinunt esse infinita, ex hoc quòd gratiam efficacem conversionis non tribuat majori parti fidelium peccatorum, sed majorem eorum partem in peccatis suis perire permittat. Habemus quartò, quòd benè quidem de salute illorum sperare liceat, qui sub exitu vitæ signa dant veræ pœnitentiæ; flagitiosorum tamen hominum sera pœnitentia rarò sit vera, quorum in continuis peccatis, vel recidivationibus ita transacta est vita, ut communis est Sanctorum doctrina.

Confirmatur 3. quia ex Scripturis & Patri- 183
bus habemus, quòd in ipso statu perfecto Virginum & Sacerdotum, valdè multi pereant. Quanto magis in statu imperfecto, qualis est status communis fidelium sæcularem vitam agentium? Antecedens ostenditur, quia in statu Virginum (quæ à Cypriano vocantur *flos Ecclesiastici germinis, & illustrior portio gregis Christi*) Matth. 25. totidem à Christo ponuntur Virgines reprobæ, quot electæ: *simile est regnum cælorum decem virginibus.... quinque ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes.* " Terribilis sententia " (ait Cajetanus in illum locum) " quia media tantùm pars fidelium, " quorum lucent tam bona opera, quàm studia " ad obviandum sponso, prudens, ac per hoc " salvanda describitur. " Per *fatuas* quippe Christum intelligere reprobas, patet ex ipsarum

rejectione (quam subjungit) à nuptiis; & *clausâ* ipsis *januâ* (beatitudinis, ut Gregorius explicat homil. 12. in Evang.) adjectis his verbis: *nescio vos.*

184 Ad Sacerdotes quod attinet, terribile valdè est, quod Hieronymus apud Eusebium in epist. ad Damasum ait: *Ecce mundus ubique fervet Sacerdotibus; & tamen tam sunt rarissimi Sacerdotes boni, quòd vix è centum, bonus reperiatur unus.* Sicut & quod Chrysostomus addit homil. 3. in Acta: *Non arbitror inter Sacerdotes, multos esse qui salvi fiant, sed multo plures qui pereant.* Videri potest Contensonus ubi suprà differt. 12. c. 12. ubi sic: „ Proh dolor! in ipso Ecclesiastico Ordine quot reperire licet Episcopos, & Sacerdotes, sanctorum „ æmulatores Apostolorum, sicut authoritatis „ successores, ita & morum imitatores, quique „ modum illum vivendi teneant, quem Patres „ Concilii Carthaginensis quarti præscripsere, „ quemve sacra Synodus Tridentina renovavit „ sess. 25. c. 1. de reformatione....

185 „ Sed quid de Religiosis dicam, ego statu Religiosus, charactere Sacerdos, licèt immeritus? „ cùm videamus tam multa Monasteria à primitivâ observantiâ collapsa, multiplicatis quidem „ Regularis vitæ professoribus, sed non magnificatâ lætitiâ: libenter & verè cum Bernardo „ in Apolog. ad Guillelmum Abbatem scripserim: „ *Quis in principio, cùm Ordo cœpit Monasticus, „ ad tantam crederet Monachos inertiam devenire? ô quantùm distamus ab iis, qui in diebus „ Antonii extiterunt Monachi! sic Macharius „ vixit? sic Basilius docuit? Antonius instituit? „ sic Patres in Ægypto conversati sunt?* Quid ergo diceret modò Bernardus de tot Cœnobiis.... „ in quibus obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersique sunt lapides Sanctuarii, & à quibus reformandis se despondere lugens dicebat Clemens VII., ut refert prosper „ Fagnanus? Veridicè scripsit Augustinus, se non „ vidisse meliores, iis qui in Monasteriis profecerint; nec deteriores, iis qui in Monasterio defecerint: similes ficubus Hieremiæ, inter quas „ bonæ, valdè bonæ; malæ verò, valdè malæ, „ &c. Hactenus pientissimus Contensonus.

§. V.

Ratio cur tot fideles pereunt, est quia flagitiosi ad interitum suum abutuntur misericordiâ Dei: illi verò, qui à flagitiis immanibus abstinent, arctam cæli viam detrectantes, tertiam, quam Evangelium non docuit, confingunt sibi.

186 UTramque partem experientia convincit. Et verò flagitiosi, qui non omnem prorsus Dei timorem abjecerunt, ideò tot & tamdiù continuatis flagitiis commaculare audent christianam suam professionem, *quia* (ut ait Bernardus serm. 6. in Cant.) *misericordiæ fallax assecuratio pessimam* in ipsis *generat securitatem*; sive quia (ut ait Augustinus in Psal. 31.) *audaciâ præsumptionis.... ita impelluntur....* ut vel de se præsumant, quòd in fine pœnitentiam agent, vel dicant, *liberabit me Deus misericordiâ suâ, quia credidi in eum. Sed Deus ille justus, cui cantatur misericordia & judicium, non sola misericordia, sed & judicium, invenit hominem de se malè præsumentem, & ad interitum suum misericordiâ Dei abutentem, & necesse est ut damnetur.*

Quoad illos verò fideles, qui à flagitiis immanibus abstinent, Magistri spirituales jamdudum observarunt, quod post ipsos observat pius Contensonus loco proximè relato: " ideò innumerabiles æternùm pereunt, quia tertiam viam, quam Evangelium non docuit, sibi confingunt. Testante veritate, alia via lata est, quæ ducit ad perditionem; alia arcta quæ ducit ad vitam: & nos mediam comminiscimur. Nolumus quidem flagitiis immanibus refertam vitam agere, sed interim nolumus etiam per arctos sanctitatis calles incedere, sed viam illam inimus, quæ nec nimiùm lata, nec nimiùm angusta sit. Sed certè ejusdem periculi est tertiam confingere viam, ac triplicem terminum distinguere, qui duplex tantummodò pro adultis ultimatè designatus est. Scriptum est Matth. 25. *quòd alii ibunt in supplicium æternum; justi autem in vitam æternam.* De hoc tantùm tertio tramite, à tepidis invento, dicitur Proverb. 14. *Est via quæ videtur homini justa, novissima autem ejus deducunt ad mortem.* " 187

Eò majori in periculo versantur hujus tertiæ viæ sectatores, quò se tutiores arbitrantur: quia tanto securiores se credunt, quanto atrocioribus sceleribus non serviunt; rarò enim sunt homines omninò prostitutæ & perditæ conscientiæ, &c. 188

" Sed planè, miserèque falluntur. Nam per latam viam incedit, qui arctam non ingreditur. Qui aliter sentit, seipsum decipit; tantoque est insanabilior, quanto insensibilior; dumque se de numero electorum esse præsumit, in vasto reproborum numero concluditur. Mihi non crede, sed Patribus, à quibus auscultata, quid sit arcta via. *Arcta via lex Dei est* (inquit Augustinus in Psal. 1.) *quæ cupiditates nostras arctat....* Et Gregorius Magnus l. 27. Mor. c. 22. *An non quadam quasi angusta via est in hoc quidem mundo vivere, sed de hujus mundi concupiscentiâ nihil habere? ....* S. Paulinus epist. 50... *Si cum paucis angustum iter, & subtilem quamdam semitam invenimus, ad vitam tendimus: si verò multorum comitamur viam, secundùm Domini sententiam, imus ad mortem. Si omni cupiditate calcatâ, solùm studeamus divites esse virtutibus, per angustam viam nitimur: conversatio enim ista paucorum est, estque perrarum atque difficile, idoneos hujus itineris comites reperire.* " 189

§. VI.

§. VI.

Arctam proinde viam inculcare debent animarum Directores, Scriptores, Prædicatores, &c. cavereque, ne, humano respectu, à discreto, seu Evangelico, Apostolicoque rigore, atque à secura Sanctorum via, ad indiscretam indulgentiam, laxioremque viam declinantes, vel mediam viam inter arctam & latam comminiscentes, cum pereuntibus & ipsi pereant.

190 ESt enim quòd vehementer timeant, duplici de causa. Prima, ob terribiles sanctorum Patrum sententias n. 184. productas, de magno numero Sacerdotum pereuntium. Secunda est, ne fortè per humanum respectum, immisericordemque misericordiam, laxiori directione suâ, depositio sacerdotali vigore, aliis effecti causa perditionis, & ipsi de perditorum Sacerdotum illorum numero sint, scientes, quòd rationem Deus ab ipsis exiget pro animabus, quæ per indiscretam indulgentiam ipsorum, vigoriſque & rigoris evangelici remissionem perierint: eo quòd animabus illis causa fuerint perditionis, quibus esse debuerunt causa salutis. Quibus & causa salutis de facto fuissent, si arctam cæli viam, quam prædicat Dominus, & ipsi prædicassent, & secundùm eam animas direxissent. Præter quam alia non est, quæ ducit ad vitam; & quisquis aliam viam prædicat, tametsi mediam prædicare se putet, prædicat latam, quæ ducit ad perditionem, ut §. præcedenti vidimus.

191 Propterea animarum Directoribus magnâ animi fortitudine, intrepidâque libertate opus est, ut salventur, præsertim nostrâ hâc ætate, in qua pars magna (utinam non maxima!) hominum, illecebris num. 151. & seqq. memoratis succumbentium, laxiora sectatur; improperiisque & contumeliis lacessuntur, qui vel scribunt, vel prædicant, vel conscientias dirigunt, secundùm arctam salutis viam, quam Christus, quam Apostoli, quam sancti Doctores prædicarunt; vitioque ipsis vertitur, quòd non sequantur turbam plurimorum noviorum Casuistarum, nec praxim communissimam Confessariorum. Quasi verò turba illa ad salutis viam, quàm suprema veritas Deus arctam prædicavit, adjicere possit cubitum unum. Quasi scriptum non sit in Exodo: *Non sequêris turbam ... nec ... plurimorum acquiesces sententiæ, ut à vero devies.* Quasi eorumdem noviorum Casuistarum authoritas postponenda non sit authoritati veterum Patrum, & Sanctorum, quos Deus nobis (Apostolo teste) Doctores dedit & Ductores, eumque in finem adimplevit spiritu sapientiæ suæ, & intelligentiæ, ut non circumferamur omni vento doctrinæ. Cui simile nihil est in plerisque novioribus Casuistis, qui magna ex parte prophetantes de corde suo, deque Christianorum moribus scribentes spiritu planè humano, derelictis germanis fontibus Moralis verè Christianæ, foderunt sibi cisternas novarum laxiorumque, quia privatarum, opinionum, quæ continere non valent aquas salutarium dogmatum, testeque Ecclesiâ, *modum opinandi invexerunt alienum ab evangelica simplicitate, sanctorumque Patrum doctrina*, dum humanis cupiditatibus, naturæque corruptæ inclinationibus tantùm indulserunt, quantùm iis frænandis sancti Patres studuerunt. Unde quia nullas præferunt notas divinæ missionis, vocationisque, ad hoc ut Magistri credantur Orbis, Scriptoresque doctrinæ salutaris, securi non videntur esse duces pro conscientiis dirigendis. Nec proinde ad eorum morem, vel sequacium ipsorum rumorem se componere debet animarum Director, sed ad salutarem Evangelii rigorem, Sanctorumque vigorem.

Meminisse enim debet 1°. sapienter à Ro- 192
mano Philosopho in principio libri de beata vita pronuntiatum: *Nulla res nos majoribus malis implicat, quàm quòd ad rumorem componimur, optima rati ea quæ magno assensu recepta sunt, quorum exempla multa sunt; nec ad rationem, sed ad similitudinem vivimus. Inde ista tanta coacervatio aliorum supra alios ruentium. Quod in strage hominum evenit, cùm ipse se populus premit, nemo ita cadit, ut non alium in se attrahat; primi exitio sequentibus sunt. Hoc in omni vita accidere videas licet: nemo sibi tantùm errat, sed aliis erroris causa & author est. Nocet enim applicari antecedentibus, & dum unusquisque mavult credere, quàm judicare, nunquam de vita judicatur, semper creditur, versatque nos & præcipitat traditus per manus error, alieniſque perimus exemplis. Sanabimur, si modò separemur à cœtu.* Et paulò post c. 2. *Cùm de beata vita agitur, non est quòd mihi illud discessionum more respondeas: Hæc pars major esse videtur. Ideò enim pejor. Non tam benè cum rebus humanis agitur, ut meliora pluribus placeant. Argumentum pessimi turba est. Quæramus quid optimè factum sit, non quid usitatissimum, & quid nos in possessione felicitatis æternæ constituat, non quid vulgo, veritatis pessimo interpreti, probatum sit.*

2°. Consequenter meminisse debet, pro 193
componendis, seu nostris, seu alienis moribus, non esse intuendam Noviorum, seu Scriptorum, seu Confessariorum, à semitis antiquis declinantium multitudinem, sed utriusque Testamenti litteris obsignatam, divinaque traditione reseratam veritatem: quæ sola nos per secura Sanctorum vestigia gradientes, ad æternam provehere poterit felicitatem. Et quia ex dictis capite præcedenti constat, temporibus nostris, multitudinem longè majorem animarum perire ob nimiam Confessariorum remissionem, quàm ob districtiorem eorum severitatem, suæ, alienæque salutis zelosus animarum Director, pro regula sibi proponere debet, non Noviorum praxim, quam ipsi vocant in Ecclesia communissimam, sed Christi, Apostolorum, Sanctorumque doctrinam. Neque enim legitimè consequitur: fit hoc communissimè

in Ecclesia : ergo benè fit. Tum quia non omne quod communissimè fit in Ecclesia, fit vel approbatur ab Ecclesia : cùm opiniones non paucæ, nuper in Ecclesia communissimæ, jam sint ab Ecclesia condemnatæ, multique, proh dolor ! communissimè in Ecclesia (gemente Ecclesiâ) gradiantur per latam & spatiosam viam, quæ (Evangelio teste) ducit ad perditionem ; paucique (eorum comparatione) gradiantur per angustam viam, quæ ducit ad vitam. Tum quia *non tam benè cum rebus humanis agitur, ut meliora pluribus placeant*, prout vel ipsum Ethnicum Philosophum proximè monentem audivimus. Et quemadmodùm in felici illo sæculo non vivimus, in quo major fidelium multitudo caveat nimiam laxitatem vitæ ; sic nec in felici illo sæculo vivimus, in quo major Sacerdotum multitudo caveat nimiam laxitatem doctrinæ ; sed in illo potiùs, in quo facilius est paucos, quàm plures sapientes & prudentes reperiri.

194 Hodie namque dominantur præjudicia, quæ capite præcedenti enarravimus, paucorumque est illa virtus, illa animi fortitudo, ille sacerdotalis vigor, illa charitas, quæ non quærit quæ sua sunt, illa denique prudentia Sanctorum, cæteræque dotes, quæ in Confessario numeris omnibus absoluto requiruntur. Quo fit, ut consilia & administrationes Sacramentorum quamplurimis obnoxia sint vitiis, quæ (ut Antonius Celladeus, insignis è Societate Theologus, observat in Regula Morum l. 4. q. 6.) *nobis etiam tacentibus ipsa facta loquuntur. Rarò quippe negatur absolutio ad pœnitentiæ tribunal accedentibus. Consilia pro consultantium affectu sæpè contraria dantur, & pauci repulsam patiuntur*, &c. Ideò S. Franciscus Salesius, tametsi suavissimus Director, sui muneris esse dixit, monere Philotheam suam, ut sibi Confessarium eligeret, non unum è mille dumtaxat (prout monuerat Avila ;) sed unum è decem millibus : pro ratione aiens, pauciores esse quàm putemus aptos tanto muneri. Quam etiam ob causam insignis Author Petrus de Soto, Dominicanæ familiæ decus, unus ex Theologis Tridentinis, in sua Institut. Sacerdot. lect. 5. de remediis peccatorum, monet hodiernæ consuetudini non obsequendum, ob summam (inquit) incuriam curandi salutem animarum, ob quam ad antiquam Ecclesiam dicit esse confugiendum, id est, ad doctrinam veterum Patrum & Doctorum, cui adversatur praxis illa Modernorum. Quorum licèt aliqui peccent indiscretâ suâ severitate, videmus nihilominùs multitudinem longè majorem in laxitate excedere, quàm in severitate, ob rationes capite præcedenti allatas. De quo ipsa experientia fidem facit, sicut & testimonium Sanctorum, immò ipsorum quoque summorum Pontificum. Non enim nostrâ hâc ætate S. Carolus Borromeus, S. Thomas Villanovanus, S. Salesius tam deplorant, quòd nimiâ Confessariorum severitate, quàm quòd *nimiâ assentatione*, seu adulatione, pereat *multitudo infinita*, prout eodem capite præcedenti vidimus. Nec Philo Carphatiorum Episcopus, Proleg. 1. n. 24. laudatus, conqueritur quòd *miseri Christiani quotidie* per severitatem, *sed per assentationem prædicantium infelicissimè pereunt. Hinc tanta* (inquit) *peccatorum lues : hinc illa corruptela morum, quâ singulæ fideles animæ in dies magis & magis turpiter inficiuntur.* Nec denique summi Pontifices Alexander VII. & Innocentius XI. ad obviandum Ecclesiæ malis, tam necessarium existimarunt remedium adversus severiores, quàm adversus laxiores opiniones : quas proinde solas Decretis suis inhibitoriis confixerunt, conquesti, *non sine magno animi sui mœrore* (verba sunt Alexandri VII.) *complures opiniones christianæ vitæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes, partim antiquatas suscituri, partim noviter prodire, & summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excrescere, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepsit alienus omninò ab evangelica simplicitate, sanctorumque Patrum doctrinâ, per quem*, non rigore opinionum arctetur, sed earum mollitie, *via salutis, quam suprema veritas Deus.... arctam esse definivit, in animarum perniciem dilatetur, seu verius pervertatur*, &c. Majus ergo hodie periculum est errandi & pereundi, animarumque perniciem causandi, per nimiam praxeos & doctrinæ mollitiem, quàm per nimiam severitatem.

Sint igitur scripta in cordibus nostris, & ve- 195
lut celte sculpta in silice verba S. Caroli Borromei, Prolegom. 1. n. 19. & sequentibus relata : *Ecquæ utilitas nobis existet, si iram Dei in nos concitantes, hominum benevolentiam, populari quâdam indulgentiâ conciliemus ? Audiamus Paulum clamantem, si hominibus placerem, Christi servus non essem. Dissipat autem Deus ossa eorum, qui hominibus placent, inquit Propheta ... Proponamus nobis ob oculos libertatem illam spiritûs, & virtutem, quâ armati Patres nostri Apostoli, quâ muniti Martyres, quâ instructi ... sanctissimi homines, Athanasius, Chrysostomus, Ambrosius ... quâ affecti alii religiosi viri, apostolico quodam animorum ardore flagrantes, nullis non minis, non hominum clamoribus, non furoribus quasi tribunitiis fracti, nec debilitati, pro Dei gloria, pro gregis commissi salute, adhibuerunt illam quasi censoriam virtutem, acerrimam peccatorum vindicem. Eorum ferè exemplo adducti, nos quoque apostolicâ illâ constantiâ, & evangelicâ virtute, quâ unâ nihil est in Ecclesiasticis Pastoribus illustrius, nihil magis necessarium, sine metu & constanter certè agamus ... quod Evangelium docet, quod Christus jubet, quod ratio præcipit, quod gregis salus, quod Ecclesiæ authoritas, dignitasque postulat. Nam si contrà à nobis fiat, in formidoloso illo Dei judicio, cùm animarum, quæ in fidem & curationem nobis traditæ sunt, rationem sumus reddituri, tum aliorum nos accusantium vociferationes, & iratè Judicis nos item acerbè objurgantis, eas voces audiemus : Si speculatores eratis, cur cæci ? si pastores,*

pastores, cur gregem vobis commissum errare permisistis? si sal terræ, quomodò evanuistis? si lux eratis, cur sedentibus in tenebris & umbrâ mortis non illuxistis? si Apostoli, cur apostolica virtute non usi, cuncta egistis ad hominum oculos? si os Domini, cur muti? si vos huic muneri impares esse sentiebatis, cur tam ambitiosi? si pares, cur tam desides, tam negligentes? nihil vos prophetarum voces, nihil Evangelii leges, nihil Apostolorum exempla, nihil pietas, nihil religio, nihil labentis Ecclesiæ status, nihil hic formidolosus judicii dies, nihil præmia, nihil supplicia, æternique cruciatus moverunt.

196 *Has terribiles irati Judicis voces nobiscum Patres, animo, menteque reputemus, ut iis.... excitati.... non remissè, non leviter, non timidè, non negligenter, non dissimulanter, sed sincerè, & constanti sanctaque sollicitudine Deum solum spectantes, quod in nostro officio, nostroque munere positum est, agamus & perficiamus.* Hæc quidem, ut dixi, fortitudo paucorum est; sed cum paucis fortiter agendum, ut de paucorum illorum numero simus, dè quibus scriptum est: *Multi vocati, pauci verò electi.*

Hinc 3°. meminisse debet animarum Director, se (ut Chrysostomus ait homil. 15. in Matth.) *tanquam sal terræ à Christo datum, cujus ea virtus est, ut laxa quæque ac mollia urendo, ac constringendo, diffluere non permittat. Forti igitur atque acri animo opus esse, qui probris atque maledictis lacerari non refugiat: cùm multò magis timendum sit, ne si adulari, ac dissimulare velit, ut hominibus placeat, ipse corrumpatur, salis instar infatuati, quod ad nihilum valet ultrà, nisi ut mittatur foras, & conculcetur.* 197

4°. Tandem meminisse debet, se ex munere suo speculatorem esse, pro salute animarum suæ directioni commissarum. At verò *si speculator viderit gladium venientem, & non insonuerit buccinâ, & populus se non custodierit, veneritque gladius, & tulerit de eis animam: ille quidem in iniquitate sua captus est; sanguinem autem ejus de manu tua requiram.* Ezech. 33. 198

PROLEGOMENON TERTIUM.

De sublimitate germanisque fontibus Moralis Christianæ.

CAPUT PRIMUM.

Origo, finis, subjectum Moralis Christianæ, indeque qualitas ac sublimitas ipsius, uti & prærogativæ Christiani hominis describuntur.

1 PErmagni momenti est scire, jugiterque præ oculis habere qualitatem, sublimitatemque Moralis Christianæ, seu institutionis hominis Christiani, ut quisquis est Director ipsius, meminerit digniùs, ac sublimiùs ipsum instruere, quàm varii Recentiores ipsum instruxerint; nec ipsum dirigere secundùm maximas Philosophiæ terrestris & animalis, naturæ corruptæ inclinationibus accommodatas; sed secundùm Evangelicas Philosophiæ cælestis regulas, naturæ corruptionem sanantes, dominatumque spiritûs in carnem vendicantes. Moralis quippe Christiana, reverà cælestis est Philosophia, utpote cujus origo cælestis est; cælestis finis; subjectum, homo quidem terrestris, sed conformandus ad imaginem hominis cælestis. Ex quo triplici capite, sublimitas ipsius elucescit.

2 Ad dignam igitur hominis Christiani institutionem, tria præ oculis semper habenda sunt, origo, finis, subjectumque istius institutionis. Et cælestem quidem esse istius institutionis, seu Moralis Christianæ originem, perspicuum est, ex eo quòd Author ipsius sit homo de cælo cælestis, CHRISTUS JESUS, qui nisi ad eam tradendam de cælo descendens, factus esset, non solùm Redemptor hominum, sed & Legislator morum, nunquam homo de terra terrenus, evasisset homo Christianus.

Talis ergo tradenda est Christiani hominis 3
institutio, quæ conformis sit illi, quam Christus tradidit; non quæ inclinationibus hominis terreni & animalis accommodata sit: cùm Christus Moralem non tradiderit animalis & terreni hominis inclinationibus obsequentem, sed bellum adversus illas indicentem. Propterea namque dixit: *Non veni pacem mittere, sed gladium.*

Cælestem quoque esse finem Moralis Chri- 4
stianæ, discimus ex Angelico Doctore 1. p. q. 1. a. 5. ubi dicit, quòd finis hujus doctrinæ (Theologiæ) in quantum est practica, beatitudo est æterna. Cùm igitur oporteat media esse proportionata fini, cælestes oportet esse mores hominis Christiani; utpote quibus, tamquam mediis, ad cælestem debet beatitudinem pervenire: ad eam quippe *non pedibus* (inquit Augustinus l. 1. doctrin. christ. c. 10.) *sed bono studio, bonisque moribus pervenitur.*

Subjectum denique Moralis Christianæ, esse 5
hominem de terra terrenum, sed Christo conformandum, atque adeò supra terrenum hominem, & supra ipsos cælos elevandum, lucidissimè concluditur ex qualitatibus hominis Christiani (per eam instituendi:) ex quibus pariter apparebit, sic ipsum instituendum, ut *qua*

ſurſum ſunt, ſapere & quærere debeat, *non quæ ſuper terram.* Coloſſ. 3. Omnium enim Chriſtianorum cordi infixus eſſe debet Canon Concilii Conſtantinopolitani quiniſexti: *Qui Chriſtum per baptiſmum induerunt, ejus in carne vitæ agendæ rationem imitari profeſſi ſunt.*

6 Proinde quiſquis Chriſtianum hominem ſuſcipit inſtruendum, attendat ad Chriſtiani hominis qualitates: cùm talis eſſe debeat inſtitutio, qualis eſt inſtituendus homo; taliſque eſſe debeat Chriſtianus in operando, qualis eſt in eſſendo: cùm eſſe ſit propter operari. Hinc quiſquis Chriſtianum hominem inſtruit, neceſſe eſt ut ipſum inſtruat, velut hominem conformandum ad imaginem Hominis cæleſtis JESU CHRISTI Domini noſtri, juxta illud 1. Cor. 15. *Sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cæleſtis*: cùm neceſſe ſit ipſum inſtruere velut poſſeſſionem peculiumque Domini, emptum pretioſo ſanguine Chriſti, ut diſcipulum, ovem, palmitem, membrum, ſponſamque Chriſti, velutque domeſticum, filium, templum, hoſtiam Dei, & ut lucem mundi. Tales enim Chriſtianos eſſe ratio vult, inquit Baſilius Magnus reg. 80. c. 1. ubi ſic: *Cujuſmodi eſſe Chriſtianos ratio vult? tanquam diſcipulos Chriſti... tanquam oves Chriſti... tanquam ſponſam Chriſti... tanquam templum Dei, tanquam filios Dei, tanquam lucem in mundo.*

7 1°. Itaque Chriſtianus inſtituendus eſt, ut ſpecialis poſſeſſio, peculiumque Domini, emptum pretioſo ſanguine Chriſti. Propter quod 1. Pet. 2. populus Chriſtianus vocatur *populus acquiſitionis.* Et Paulus 1. Cor. 6. *Empti eſtis* (inquit) *pretio magno, glorificate & portate Deum in corpore veſtro.*

8 2°. Ut civis Sanctorum, domeſticuſque Dei, ſuperædificatus *ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Jeſu.* Epheſ. 2. *Unuſquiſque autem videat, quomodo ſuperædificet.* 1. Cor. 3. *Et ipſi tanquam lapides vivi ſuperædificamini.* 1. Pet. 2. *Jeſus Chriſtus fundavit vos ſuper petram, ut lapides electos, aptos ad divinum ædificium Patris, ſublatos in altum per Chriſtum... perpendiculo ipſos Spiritu ſancto, fide verò ſubductos, & charitate elevatos à terra in cælum.* S. Ignatius Martyr Epiſt. ad Epheſ.

9 3°. Ut diſcipulus Chriſti, qui (ut D. Baſilius proſequitur loco citato) *ad ea tantummodo ſe conformet, quæ videat in ipſo, vel quæ audiat ab ipſo*, conformiter ad id quod Chriſtus ait Joan. 13. *Tollite jugum meum ſuper vos, & diſcite à me, &c. Exemplum dedi vobis, ut quemadmodùm ego feci, ita & vos faciatis.*

10 4°. Ut ovis Chriſti, *quæ ſolam audiat vocem Paſtoris ſui, & ipſum ſequatur, non alienum.* D. Baſilius ibidem. Conformiter ad illud Joan. 10. *Oves meæ vocem meam audiunt. Et alienum non ſequuntur, ſed fugiunt ab eo.*

11 5°. Ut palmes Chriſti, *in ipſo radicatus, & ipſi fructum ferens, & omnia quæ illo digna ſunt, & ipſius voluntati conſentaneè faciens. Ego ſum vitis, vos palmites.* Joan. 15.

12 6°. Ut membrum Chriſti, *in omni executione mandatorum Domini, aut donorum Spiritûs ſancti abſolutè perfectum ad dignitatem capitis ipſius, qui eſt Chriſtus.* Cui injurioſi ſunt Chriſtiani (inquit Auguſtinus in Pſal. 85.) ſi non ſint ſancti, quia ſancta eſſe debent tam ſancti capitis membra. Epheſ. 4. *Corpora veſtra membra ſunt Chriſti. Creſcamus ergo in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus: ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem junctûram ſubminiſtrationis, ſecundùm operationem in menſuram uniuſcujuſque membri, augmentum corporis facit in ædificationem ſui in charitate.*

13 7°. Ut ſponſa Chriſti, *ſervans caſtitatem, in eo quòd in ſolus ſponſi ſui voluntatibus ambulet.* Ozeæ 2. *Sponſabo te mihi in ſempiternum, & ſponſabo te in juſtitia.* Animam quippe Chriſtianam ſibi Chriſtus deſponſavit in baptiſmo, in quo ipſa fidelitatem Chriſto promiſit, abrenuntians diabolo & mundo, atque omnibus pompis ejus. Unde nemini dubium eſſe poteſt, Chriſtianam animam, hoc titulo teneri ad eam vitæ innocentiam & ſanctimoniam, qualis exigitur in ſponſa talis ſponſi.

14 8°. Ut templum Dei, *ſanctum & mundum, & iis repletum ſolùm, quæ ad Dei cultum pertineant.* 2. Cor. 6. *Vos enim eſtis templum Dei vivi, ſicut dixit Deus, quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos, & ero illorum Deus, & ipſi erunt mihi populus. Propter quod exite de medio illorum, & ſeparamini, dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis, & ego recipiam vos, & ero vobis in Patrem, & vos eritis mihi in filios.*

15 9°. Ut victima, ſeu hoſtia Dei immaculata, juxta illud Rom. 12. *Obſecro vos fratres per miſericordiam Dei, ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem*, atque, *omnibus ſuis membris & partibus abſolutam* (proſequitur ſemper Baſilius) *veræ in Deum pietatis integritatem conſervantem.*

16 10°. Ut Filius Dei; utpote quem Deus orare docuit, *Pater noſter, qui es in cælis.* In hac verò qualitate, oportet Chriſtianum Deo conformem eſſe in ſanctitate: *dignum eſt enim filios Patri conformari* (ait D. Thomas in 1. Pet. 1.) *& membra capiti.* Gloſſa. *Tales vos volo, qualis ego ſum.* Aliàs certò Chriſtianus de numero non erit prædeſtinatorum, de quibus Rom. 8. *Quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filii ſui, ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus.*

17 11°. Ut lux mundi, juxta illud Matth. 5. *Vos eſtis lux mundi.* Quid hoc titulo Deus ab ipſo exigat? ſequitur ibidem: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cælis eſt.* Propter quod Apoſtolus, Philipp. 2. (juxta verſionem Cypriani, Ambroſii, Syri & Vatabli, apud Cornel. à Lapide in locum illum) *Lucete* (inquit) *ſicut luminaria in mundo.* Quibus verbis Chriſtianos omnes

alloquens, *commonet Apostolus, ut memores suæ professionis, inter dissidentes* (id est infideles) *tam clari appareant vitâ, conversatione, moribus, quemadmodùm sol & luna inter stellas splendore sublimes sunt*, inquit Ambrosius ibidem. Et Anselmus vult, *ut Christiani sint quasi stellæ, quæ in cælo fixæ, non curant terrena, sed totæ intendunt, ut suos cursus & motus peragant, lucemque spargant mundo.*

18 Istæ sunt eximiæ Christiani hominis prærogativæ, ex quibus efficaciter concludit D. Basilius reg. brev. disp. interrogat. 2. in fine, quemcumque Christianum ad cælestem vitam sanctitatemque teneri, ex charactere, professioneque Christianismi, juxta illud Matth. 5. *Estote perfecti, sicut Pater vester cælestis perfectus est.* 2. Cor. 7. *Has ergo habentes promissiones, charissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis ac spiritûs, perficientes sanctificationem in timore Dei.* 1. Thessal. 4. *Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra.* 1. Pet. 1. *Secundùm eum qui vocavit vos sanctum, & ipsi in omni conversatione sancti sitis, quoniam scriptum est: Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum.* Ad hoc quippe Christus venit in mundum, ad hoc instituit Christianismum, *ut sine timore de manu inimicorum* (dæmonis, mundi, & carnis) *liberati serviamus illi, in sanctitate & justitia coram ipso, omnibus diebus vitæ nostræ.* Neque profectò tam nobiles sublimesque prærogativæ vitam permittunt ignobilem, terrestrem, animalem; sed postulant vitam nobilem, sublimem, sanctam: cùm oporteat vitam esse proportionatam statui & conditioni cujusque. Ideòque Apostolus in omni penè epistola sua Christianos indiscriminatim *sanctos* vocat, Ephes. 1. *Omnibus sanctis qui sunt Ephesi.* 2. Cor. 1. *Cùm omnibus sanctis qui sunt in universa Achaïa.* Hebr. 13. *Salutate omnes sanctos, &c.* Cur ita? quia videlicet Christianismus est *professio sanctitatis*, sive quia Christiani omnes sancti sunt vocatione, baptismo, debito & obligatione: quia in baptismo sanctificati sunt, vocati sunt ad sanctè vivendum, debentque in omni vita esse sancti, „ inquit Cornelius à Lapide in cap. 1. ad Ephes.

CAPUT II.

Regulæ Moralis Christianæ, sive Institutionis hominis Christiani.

19 EX dictis capite præcedenti liquidò conspicitur, veram Moralem Christianam, seu Christiani hominis institutionem, non posse non esse cælestem, spiritualemque: cùm Christianismus (ex dictis ibidem) professio sit vitæ cælestis & spiritualis, seu sanctæ. Necesse ergo est, ut tradat præcepta necessaria, ad hoc ut *de manu* dictorum *inimicorum liberati* (liberati utique à concupiscentia carnis, à concupiscentia oculorum, & superbia vitæ) *serviamus Domino in sanctitate & justitia.* Necesse proinde est ut tradat præcepta Evangelicis contenta regulis, quas Christus Apostolique prædicarunt. Ad istas ergo regulas necesse est ut recurrat Institutor hominis Christiani, ad easque, velut ad primariam formam suam & originem, sicut & ad expositiones earumdem nobis traditas à sanctis Patribus, sacrisque Canonibus, Moralem suam conformet, ut verè Christiana dici queat.

Evangelicæ porrò regulæ, illæ sunt, quas 20
Christus per se verbo & exemplo præscripsit in Evangeliis, & per Apostolos suos in Canonicis ipsorum Epistolis; uti etiam illæ, quas per traditionem à Christo & Apostolis accepimus: quarum plures in sacris Canonibus, scriptisque sanctorum Patrum continentur. Nominatim Matth. 5. de paupertate spiritûs, mansuetudine, aliisque virtutibus contentis in 8. beatitudinibus. De non irascendo fratri; de non concupiscenda muliere; de abjiciendo membro scandalisante; de uxore extra casum adulterii non dimittenda; de non jurando; de non reddendo malum pro malo; de inimicis diligendis; de benefaciendo iisdem.

Cap. 6. de non facienda justitia, ut videamur ab hominibus; de condonandis offensis; de non thesaurisando in terra; de oculo mundando; de non serviendo duobus dominis; de vitanda sollicitudine victûs, vestitûs, & crastini.

Cap. 7. de non judicando; de sancto non dando canibus; de faciendo aliis quod nobis fieri volumus; de intrando per angustam portam.

Cap. 10. de non præponendo quidquam amori Christi; deque confitendo ipsum coram hominibus.

Cap. 11. de regno Cælorum vim patiente.

Cap. 12. de vitando verbo otioso.

Cap. 16. de abnegando seipsum; de tollenda cruce post Christum; de perdenda anima sua propter ipsum.

Cap. 18. de cavendo scandalo pusillorum; de fraterna correctione.

Cap. 22. de Deo ex toto corde diligendo, & proximo, sicut nobis ipsis.

Lucæ 6. de mutuando sine usura, deque facienda eleëmosyna.

Cap. 10. de non gaudendo propter acceptam in dæmones potestatem.

Cap. 11. de quærendo primùm regno Dei; de lumbis præcingendis.

Cap. 14. de non eligendo primo loco; de renuntiando omnibus quæ possidemus; de odiendo patre, matre, & anima sua, &c.

Selectiores Evangelicarum regularum sen- 21
tentiæ, partim ex Evangeliis, partim ex Canonicis Apostolorum Epistolis, sunt sequentes.

Estote perfecti, sicut Pater vester cælestis perfectus est. Matth. 5.

Si oculus tuus dexter scandalisat te, erue eum, & projice abs te. Ibidem.

Quærite primùm regnum Dei & justitiam ejus, & cætera adjicientur vobis. Matth. 6.

Intrate per angustam portam: quia lata porta, & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam. Quàm an-

gusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inveniunt eam. Matth. 7.
Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Matth. 11.
Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Matth. 22.
Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me. Luc. 9.
Qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Ibidem.
Si quis venit ad me, & non odit patrem & matrem, &c. adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. Ibidem.
Oportet semper orare, & non deficere. Luc. 18.
Vigilate omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere omnia ista, & stare ante filium hominis. Luc. 21.
Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus: consepulti enim sumus cum illo, per baptismum in mortem, ut quomodò Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Rom. 6.
Qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur. 1. Cor. 7.
Qui vivunt, non sibi vivant, sed illi qui pro ipsis mortuus est. 2. Cor. 5.
Quæ sursum sunt quærite, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Coloss. 3.
Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt, cum vitiis & concupiscentiis. Galat. 5.
Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra, ut sciat unusquisque vas suum possidere in sanctificatione, non in passione desiderii, sicut & gentes quæ ignorant Deum. Thessalon. 4.
In omni conversatione sancti sitis. 1. Pet. 1.
Qui dicit se in ipso manere, debet, sicut ille ambulavit, & ipse ambulare. 1. Joan. 2.
Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo. Ibidem.

CAPUT III.

Reflexio ad superiores regulas.

22 ALlatas capite præcedenti regulas seriò meditetur, quicumque vult vivere christianè. Perpendat etiam quid Deo pollicitus fuerit in baptismo, quando factus est civis Sanctorum, discipulus, ovis, palmes, membrum, & sponsa Christi, quando factus est peculium, templum, & filius Dei. Perpendat (inquam) qualem ab ipso vitam tam sublimes postulent qualitates. Perpendat quid ratio postulet, non ratio antecedens, sed consequens documenta sacra, duobus capitibus præcedentibus exhibita. Hinc utique perspicuum erit, quàm pauci sint re, quàm multi solo nomine Christiani. Perspicuum, quàm paucorum animis impressa sit vera notio professionis Christianismi. Perspicuum, quàm immanè distet ab Evangelicis regulis, & à ratione verè christiana, Neotericorum quorumdam Ethica, seu Moralis Theologia, si dici debeat Theologia. Perspicuum denique, quàm præposterè eamdem ipsi fundaverint in ratione purè humana; cùm fundari nequeat, nisi in ratione christiana, de qua D. Basilius Moral. regula 8. c. 1. *Cujusmodi esse Christianos ratio vult? tamquam discipulos Christi, qui ad ea se tantummodò conforment, quæ videant in ipso, vel quæ audiant ab ipso. Tamquam oves Christi, quæ solam audiant vocem Pastoris sui, &c.* prout ex ipso deductum est à n. 9. ad 18.

Unde cap. 22. subjungit: *Quid proprium* 23
Christiani? fides quæ per charitatem operatur.... Quid proprium Christiani? ut per baptismum denuò ex aqua & spiritu generetur. Quid proprium ejus qui natus est ex aqua? ut quemadmodum Christus peccato semel mortuus est, ita ipse etiam mortuus sit, & ad omne peccatum immobilis, sicut scriptum est: Quicumque in Christum Jesum baptizati sumus, in mortem ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, hoc scientes, quòd vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, ut ultrà non serviamus peccato. Quid proprium ejus qui natus est ex spiritu? ut pro data sibi mensura, illud fiat, quod est id ex quo genitus est, sicut scriptum est: Quod ex carne natum est, caro est; & quod natum est ex spiritu, spiritus est. Quid proprium ejus qui denuò natus est? exuere veterem hominem, unà cum actibus ejus, & cupiditatibus, & induere novum, qui renovatur in agnitionem, secundùm imaginem ejus qui creavit illum, sicut scriptum est: Quicumque in Christum baptizati estis, Christum induistis. Quid proprium Christiani? mundari ab omni inquinamento carnis & spiritus, & perficere sanctitatem in timore Dei, & charitate Christi, & nullam habere neque maculam neque rugam.... sed esse sanctum & immaculatum, & edere corpus Christi, & bibere sanguinem. Quid est proprium illorum qui manducant panem & bibunt poculum Dei? servare perpetuam memoriam illius, qui pro nobis mortuus est & resurrexit. Quid est proprium eorum qui talem servant memoriam? ut jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est & resurrexit. Quid proprium Christiani? ut in omni re justitia ipsius sit major justitiâ Scribarum & Pharisæorum, pro mensura doctrinæ Dominicæ, quæ est secundum Evangelium. Quid proprium Christianorum? ejusmodi dilectio inter ipsos, cujusmodi ea fuit quâ dilexit nos Christus. Quid proprium Christiani? providere Dominum in conspectu suo semper. Quid proprium Christiani? quotidie & singulis horis vigilare, & assiduè paratum esse ad eam perfectionem, per quam placeat Deo, illud scientem, venturum esse Dominum horâ illâ, quâ non sperat.

En specimen Moralis Christianæ. Hoc vitæ 24
genus, quod christiana ratio ab homine exigit Christiano. Altissima ista Philosophia, quæ docetur in schola Christi, non mundi. Sed proh dolor! quàm procul inde distat vita innumerabilium Christianorum, qui sic vivunt,

quasi sibi solis vel mundo nati essent, ad fruendum utique honoribus, divitiis ac deliciis sæcularibus. Quasi solùm animales essent, non spirituales. Quasi solùm ex carne geniti, non ex spiritu regenerati. Quasi solùm essent filii Adam, non filii Dei. Quasi veterem hominem non exuissent, nec sepeliissent in aquis baptismatis. Quasi Christus non emisset ipsos pretio magno, nec acquisivisset sibi per mortem suam, ut qui vivunt, non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est. Quomodò enim Christo, sive Deo, non sibi vivunt, qui de Deo vix cogitant? vix affectus suos, & actus ad Deum dirigunt? quorum & vita tota vix aliud est, nisi temporalis sollicitudo, vix aliud nisi concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum & superbia vitæ; vix aliud nisi carnalis cupiditas, & rara, si ulla, Dei charitas? Non illi profectò, sed ii soli Christo, non sibi vivunt, qui laudem & gloriam ipsius in omnibus quærunt, nullamque dilectionem in alio expendunt, quod non ipse, aut propter ipsum sit; ita ut dicere queant: *Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus.* Soli proinde illi, quorum vita tota, continuus est cultus, continua laus Dei; adeòque continuum actu vel virtute divini amoris exercitium. Siquidem *non colitur ille, nisi amando*, inquit Augustinus epist. 120. ad Honoratum; *& quid est cultus ejus, nisi amor ejus?* 12. Trinit. 14.

CAPUT IV.

Ad superiores regulas Christiani omnes tenentur.

25 AT replicantem audio: doctrinam quidem & regulas Evangelicas, tribus prioribus capitibus allatas, optimas esse; continere tamen consilium, non præceptum, saltem adstrictivum omnium Christianorum.

At replicæ isti egregiè occurrit Eminent. Cardinalis Bona in aureo opusculo, quod inscripsit principia & documenta vitæ christianæ p. 1. §. 6. ubi sic: „ Quia plurimi sunt, qui tradita à „ Christo christianæ perfectionis documenta, „ nec discere nec servare volentes, ne illa temerè abjecisse videantur, ad illos dumtaxat spectare asserunt qui, claustris inclusi, à sæculi „ curis alieni sunt; ostendam evidenter „ (nota benè) „ quàm sit inanis & falsa eorum persuasio, ut, hoc errore sublato, veritas patefacta claresçat.

26 „ Verum quidem est duplici statu Christianorum vitam distingui, mundano & religioso. „ Uterque tamen, diverso licèt tramite, ad eumdem terminum tendit, & quod attinet ad „ praxim virtutum, ad mundi contemptum, ad „ paupertatem spiritûs, ad amorem crucis, par „ utriusque conditio est; hoc solo intercedente „ discrimine, quòd Religiosi solemnium votorum, regularumque vinculis devincti, strictiori jure, quàm mundani, ad perfectionem tenentur. In reliquis una & eadem vitæ ratio ab „ utrisque requiritur. Unum & idem Evangelium omnibus prædicatum est. Cùmque Deus nihil præcipiat nisi charitatem, nihil prohibeat nisi cupiditatem, nulla in his differentia, nulla exceptio personarum reperitur.

Præcepit Salvator noster, nequis verbum 27 otiosum loquatur; rationem de illo redditurus in die judicii, nequis irascatur, nequis concupiscat: nec ullam videmus positam esse distinctionem inter Monachos & Conjugatos. Simili modo, cùm dixit, beatos esse qui lugent, infelices qui rident: cùm docuit oportere nos semper orare; omnibus renuntiare; vitam odisse; nos ipsos abnegare; injurias patienter ferre; intrare per angustam portam: nullum certè hominum genus exclusit.

Paulus item Apostolus, cùm omnibus Chri- 28 stianis, etiam conjugatis, filiosque nutrientibus scriberet, nonne ab illis omnem exigit vitæ Monasticæ disciplinam? " *Habentes* (inquit) *alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus*, 1. Thimot. 6. Quid ampliùs ab Anachoretis requireret? Petrus quoque & Jacobus Apostoli, nonne ad omnes Christi fideles scribebant? cùm eos hortabantur, ut essent " *sancti, integri, perfecti, in nullo deficientes*, 1. Pet. 1. Jacobi 1. " Christus denique, cùm dixit: " *Estote perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est*, Matth. 5. sermonem habuit ad omnes in se credentes, quibus altissimum sanctitatis scopum præfixit, ut omnes qui per adoptionem filii Dei nominamur & sumus, Patris perfectionem æmulemur.

Magna utique cunctis Christianis sanctita- 29 tis necessitas indicta est, ne à paterna hæreditate tamquam degeneres excludamur. " Hactenus sapientissimus pientissimusque Cardinalis. Qui etiam p. 2. §. 3. loquens specialiter de cruce, suique abnegatione, Christianis omnibus necessariâ, sic pergit: " Tota vita Christiani crux esse debet & abnegatio.... nec quisquam potest redemptionis fructu potiri, nisi per crucem. Hinc necessitas indispensabilis orta est abnegandi semetipsum; quod qui præstare recusat, Christi discipulus esse non potest " .... *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, &c.* " Non dixit abnegandam dumtaxat superbiam, crapulam.... divitias, possessiones.... sed jubet etiam ut abnegemus nosmetipsos, proprios scilicet affectus, & quidquid suggerit & operatur in nobis spiritus Adæ. Hæc omnia prorsus à nobis revellere debemus, & carnem nostram crucifigere, cum vitiis & concupiscentiis suis, vitamque Christi crucifixi in nobis expri- mere. Durus est hic sermo carni & sanguini: sed in hoc Christi fides, in hoc salus nostra consistit.

CAPUT V.

Eamdem obligationem asserit, probatque D. Basilius.

NOn ex semetipso doctrinam illam obliga- 30 tionemque tradidit Cardinalis ille sapientissimus, sed eam ex SS. Patribus, Basilio,

Chrysostomo, &c. ferè ad verbum deprompsit. Magnus quippe Basilius in serm. de abdicat. rer. sic habet: *Benignissimus Deus, ut saluti nostræ provideret, hominum res duplici vitæ genere distinxit, conjugio videlicet, virginitateque; ut qui virginitatis ferendo certamini pares esse non possent, hi sibi uxores adjungerent. Eâ tamen conditione, ut scirent, eâ ductâ, nihilominùs temperantiæ sibi & castitatis, consimilisque modi, in conjugio ac liberorum educatione, ejus quem sancti viri, dum hìc viverent, tenuerunt, reddendam sibi rationem. Qualis in Veteri Testamento Abraham fuit, &c. Siquidem futurum est omninò ut fructus debitæ Deo ac proximo charitatis ab unoquoque repetantur; similiterque, ut siquis, cùm hoc, tum reliqua præcepta violaverit, pœnas luat, sicut in Evangelio Dominus docet, cum dicit: Qui non odit patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus. Et in alio loco: Qui non odit patrem suum & matrem suam, & uxorem & filios, insuper & animam suam, non potest meus esse discipulus.*

31 Quòd autem Evangelica ista præcepta ad solos non spectent Religiosos, sic probare pergit: *An non tibi videtur (quæso) matrimonio etiam conjunctis lata fuisse Evangelia? animadvertis itaque apertè jam tibi explanatum, fore, ut à nobis cunctis quicumque in hac vita sumus, ratio reposcatur, utrùm Evangelio paruerimus, necne; non à Monachis modò, ab his etiam qui uxores habuerimus. Etenim qui conjugio sese implicuerit, huic satis fuerit, si incontinentiæ ipsi culpa remittatur, & feminæ libido, & una cum ea congressio condonetur. Reliqua verò mandata cùm aquè descripta omnibus sint, non est extra periculum, quicumque adversùs ea fecerit. Siquidem Christus ipse, cùm Patris sui præcepta promulgaret, apud eos loquebatur, qui in mundo communem vitæ modum sequebantur. Quòd si contigit aliquando ut seorsim interrogatus ipse discipulis suis aliquid responderit, apertè ipsis testificatus est: quod vobis dico, omnibus dico. Non est igitur quamobrem tu, qui ad uxorem animum applicare maluisti, perinde quasi de ea re tibi mundum amplecti licitum sit, desidiæ te des, quando eò majore tibi labore contendendum est, attentioreque animi utendum vigilantiâ, ut salutem invenias; velut qui sedem tibi in mediis laqueis, mediâque rebellium potestatum ditione delegeris, ubi peccatorum assiduæ ante oculos posita irritamenta habeas, ad quæ concupiscenda omnes sensuum libidines tuorum assiduè, loco velut emotæ impellantur.*

32 *Quocirca intelligere debes, neutiquam effugere te posse, quin cum diabolo tibi sit dimicandum, ex eoque nullo modo victoriam te, sine multis laboribus, pro Evangelicorum præceptorum conservatione susceptis, reportaturum. Qui enim (quæso) pugnam cum adversario poteris subterfugere, cùm omninò sis jam cum eo intra caveam pugnæ destinatam conclusus? quæ sine dubio universa est tellus, quæ sub amplissimo cœli hujusce ambitu continetur; quam quidem ex historia Job accepimus assiduâ illum obambulatione perlustrare, circuireque, quasi rabiosum canem, quærentem quem devoret.*

Quòd si cum adversario inire pugnam non vis, in alium ex hoc ipso mundum commigres oportet, in quo ipse non sit. Tum licebit tibi tuo more cum illo non decertare, & citra periculum ferias indicere Evangelicis dogmatibus. Quòd si hoc impetrari non potest, artem eam aiscas convenit, per quam scienter cum eo scias deluctari. Hanc autem haud dubiè traditura tibi divina Scriptura est; ne ex imperitia ab eo superatus, sempiterno igni in perpetuum cruciandus dedare. Atque hæc quidem, licèt strictim, eorum tamen causâ memorata à nobis sint, qui propterea quòd matrimonii se vinculis obstrinxere, licere sibi arbitrantur, Christi præceptorum observationem impunè negligere. 33 Nihil profectò clarius, nihil urgentius dici potest: in sermone namque illo ex professo loquitur de præceptis, quæ continentur in regulis Evangelicis c. 2. enarratis.

CAPUT VI.

Efficax atque elegans D. Chrysostomi pro eadem obligatione discursus lib. 3. adversus vituperat. vitæ Monasticæ c. 2. Nervosa etiam sententia Concilii Aquisgranensis, sicut & D. Thomæ de Villa-nova pro eadem.

OBligationem regularum c. 2. enarratarum, 34 tam in Sæcularibus, quàm in Religiosis, aureis hisce verbis Chrysostomus l. 3. adversus vituperat. vit. Monast. c. 2. comprobat: *Fallis te ipsum prorsus ac decipis, si putas aliud à sæcularibus viris, aliud à Monachis requiri. Hæc enim ferè sola est in utroque vitæ genere differentia, quòd illi quidem se matrimonii vinculis constringunt; hi verò his liberè perdurant. In reliquis verò communis atque eadem ab utrisque vita totius ratio requiritur, eisdem pro culpis pœna una omnibus debetur: nam qui fratri suo irascitur sine causa, sive ille sæcularis, sive Monachus fuerit, Deum similiter offendit. Atque is qui mulierem respicit, & concupiscit eam, quolibet in vitæ statu fuerit, eâdem adulterii plectetur pœnâ.... Rursus qui jurat, sive hoc, sive illud fuerit, pari omnino pœnæ subjacebit. Neque enim Christus, cùm de his monita ederet, legesque statueret, ita distinxit, ut diceret: Siquidem is qui jurat Monachus sit, à malo jusjurandum est; sin verò Monachus non fuerit, non jam à malo est; sed absolutè omninò dixit: Ego autem dico vobis, ne juretis penitùs.*

Argumentum istud cæteris deinde Evange- 35
licis regulis supradictis applicans, sic pergit: *Rursumque cùm diceret: Væ ridentibus, non addidit Monachis, sed absolutissimam sententiam de omnibus tulit. Atque idem in cæteris mandatis suis maximis & admirandis fecit. Cùm enim dixit:* Beati pauperes spiritu; beati qui lugent; beati mites; beati qui esuriunt & sitiunt justitiam; beati misericordes; beati pacifici; beati qui persecutionem patiuntur propter justi-

justitiam; .... *nec Monachi nec Sæcularis nomen adjecit. Cæterùm ista distinctio ex hominum æstimatione introducta est. Sacræ verò Litteræ nihil horum penitùs noverunt; sed omnes Monachorum vitâ & instituto vivere volunt, etiamsi uxoribus fuerint adjuncti*, præterquàm in iis ubi adjungitur exceptio vel clausula denotans consilium, non præceptum, ut explicat infrà n. 42.

36 *Audi denique quid Paulus moneat, quem cùm nomino, rursum Christum prædico. Hic itaque cùm scriberet uxoratis hominibus, filiosque nutrientibus, omnem ab illis Monasticæ vitæ diligentiam* (exceptis prædictis) *requirit. Namque delicias omnes penitùs abscindens, sive quæ ad cultum vestium, sive quæ ad cibum pertinent, his verbis admonet:* mulieres in habitu ornato, cum pudore & castitate semetipsas ornare, non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, aut veste pretiosa. *Et rursus:* quæ autem in deliciis degit, vivens mortua est. *Et rursus:* habentes cibos & tegumenta, his contenti simus. *Quid amplius posset aliquis à Monachis exigere? Rursus verò, cùm alios linguam continere admoneret, severissimas leges instituit, & tales leges quales Monachis ipsis implere negotii non minimi est. Non enim turpitudinem tantùm ac stultiloquium damnat, verùm ipsam quoque scurrilitatem severissimè castigat ac jugulat. Neque iracundiam solùm, & furorem, & amaritudinem, sed etiam ipsum clamorem ab ore fidelium arcet & resecat.*

37 *Num ista tibi parva videntur? ergo paululùm expecta, dum his longè majora referamus, quæ de tolerantia malorum omnibus præcipit.* Sol (*inquit*) non occidat super iracundiam vestram. Videte ne quis malum pro malo cuiquam reddat; sed semper quod bonum est persequimini, & in invicem, & in omnes. *Rursumque:* Noli vinci à malo, sed vince in bono malum. *Vidistine Philosophiæ & longanimitatis magnitudinem ad ipsum supremum culmen ascendentem? audi quid de charitate etiam loquatur, quæ caput omnium bonorum, & summa est. Cùm enim illam vehementer extolleret, ejusque merita insignia prosequeretur, eamdem se à sæculi hominibus exigere ostendit, quam à discipulis Christus.*

38 *Usque adeò verò esse mortuos jubet, ac si & mortui & sepulti simus. Idcircò enim ait:* Qui autem mortuus est, jam justificatus est à peccato. *Nonnunquam verò ad ipsius Christi imitationem summâ vi exhortationis inducit. Cùm enim diligere admonet, inde potissimùm sumit exempla. Ita cùm ad malorum quoque tolerantiam, atque ad humilitatem hortatur.*

39 *Cùm itaque non Monachos tantùm, vel Apostolos, sed etiam ipsum Christum imitari nos jubeat* (singula notentur verba) *eisque qui non imitantur, supplicia maxima inferat* (de stricta ergo loquitur jussione, seu obligatione;) *quâ tu tandem ratione illam dicis majorem esse altitudinem? eamdem enim omnibus ascendere propositum atque imperatum est.* Audis? audi etiam sequentia.

Sed hoc planè est quod evertit orbem universum, quòd summâ vitæ benè agendæ diligentiâ Monachis opus esse arbitramur: cæteris negligenter vivere licere. Non ita sanè, non ita est, sed eadem ab omnibus Philosophiæ ratio requiritur. Atque id quidem vehementer affirmaverim: immò verò non ego, sed Judex omnium Christus. Sin verò tu adhuc hæres & titubas: age rursus, tibi ejusdem verbis aures repleamus: ut omnis abs te, & malitia & infidelitas fugetur.... etenim cùm dicit: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris: *non Monachos tantùm alloquitur, sed & omne prorsus hominum genus. Itemque cùm jubet, per angustam viam ingredi; non istos modò, sed omnes omninò homines hoc imperio convenit. Cùmque odisse animam suam in hoc mundo, atque cætera hujusmodi juberet, nullum hominum genus excepit.* 40

Chrysostomus ergo arguit hunc in modum: 41 generalia Scripturæ præcepta, generaliter nos oportet accipere, & ubi certum hominum genus Scriptura non excipit, nec nos debemus excipere; maximè cùm exceptionem indicare soleat, dum intendit, sicut & clausulam adjicere, consilium non præceptum adnotantem, dum solùm consulit, non præcipit. Unde prosequitur & dicit: *Cùm verò non omnes alloquitur, neque jura & leges omnibus constituit, hoc ipse nobis insinuat aptiùs. Denique cùm de virginitate loqueretur, adjunxit: Qui potest capere, capiat; neque omnis adjiciens, neque id præcepti ordine statuens. Ita Paulus quoque.... cùm in hanc incidisset materiam, aiebat: De virginibus autem præceptum Domini non habeo.* Vult Chrysostomus, quòd ubi non est exceptio, Evangelicæ regulæ censendæ sint præscriptæ tam Sæcularibus quàm Monachis; & ubi nulla est clausula denotans solùm esse consultivas, censeri debeant præceptivæ. Unde infert sequentem conclusionem tamquam apertissimè deductam ex præmissis.

Itaque quòd ad eamdem vitæ diligentiam, supremumque perfectionis fastigium, per divinas leges, pariter & Sæcularis & Monachus cogantur.... neminem jam, quantumlibet ille sit contentiosus & impudens, contradicturum existimo. Hoc autem apertissimè ostenso, age, illud quoque, &c. Quibus postremis verbis assertam obligationem censet à se tam apertè ostensam, ut neminem, quàmlibet contentiosum & impudentem, contradicturum existimet. Eamdem obligationem tradit Concilium Aquisgranense sub Ludovico Pio anno 816. celebratum cap. 114. *Propter quorumdam* (inquit) *simplicium verba, qui Religiosis & eruditis viris sese admonentibus ac redarguentibus, plerùmque objicere solent, solos Monachos Scripturarum sanctarum præcepta observare debere; operæ pretium duximus, quædam Evangelica atque Apostolica quàm brevissimè ad medium deducere præcepta: ut hæc hujuscemodi imperiti homines audientes, hisce aurem cordis accommodantes, in-* 42

telligant quæ sibi, quæ Monachis conveniat observare præcepta. Et commemoratis consiliis evangelicis, quæ *solis specialiter congruunt Monachis*, subjungit ea quæ c. 2. recensuimus, dicta *generaliter omnibus*; iisque recensitis, *propter eos* (inquit) *quos suprà memoravimus, hæc pauca breviter annumerare studuimus, qui insipienter asserunt, solos Monachos arctam sequi debere viam, cùm utique Dominus arctam & angustam viam dicat esse, quæ ducit ad vitam, & nemo, nisi per eam, in vitam ingredi valeat æternam.* Non solùm igitur Monachis & Clericis, verùm etiam omnibus *qui Christiani censentur vocabulo, per hanc arctam & angustam viam* (Evangelicis regulis illis expressam) *intrandum est.* Eandem denique obligationem brevibus, sed nervosis hisce verbis inculcat S. Thomas de Villa-nova Concione 3. in adventu Dom. dicens: *Quid, quæso, amplius Carthusia habet, quàm Christiana religio, quantùm attinet ad mores, & sanctitatem, & puritatem, exceptis cæremoniis & votis?*

CAPUT VII.

Eandem obligationem ratio Christiana dictat.

43 PRobatur ex prærogativis hominis Christiani c. 1. recensitis. Nemini quippe dubium esse potest, prærogativas tam sublimes, correspondentem vitam conversationemque (atque adeò dictis regulis conformem) postulare. Quod & apertè suadent testimonia sacra c. 1. & 2. producta. Nemini etiam dubium esse potest, tantò ampliorem à Christianis, præ aliis, sanctitatem exigi, quantò ampliora præ aliis gratiæ dona per Christum acceperunt. Cui enim plus datum est, plus ab eo exigitur, & pro ratione talentorum rationem exigit dator eorum. Denique nemini dubium esse potest tantò sublimiorem esse oportere vitam hominum, quantò sublimior est professio ipsorum. Sublimis verò sanctaque admodùm est professio Christianorum, ut visum est ibidem.

44 Istam ob causam Christianus, Decalogi præcepta transgrediens, graviùs peccat, quàm Gentilis vel Judæus. Dicit enim Augustinus tr. 3. in Joan. quòd *omnia illa præcepta nobis magis præcipiuntur*, id est, arctiùs nos obligant. Ibi verò gravior transgressio, ubi arctior obligatio. Sed & prolapsio tantò culpabilior, quantò professio sublimior. Quò sublimiùs enim quis attollitur, *eò lapsu graviore ruit*, & (ut canit Juvenalis) *omne animi vitium tantò conspectius in se crimen habet, quantò major qui peccat habetur.*

45 Ob eandem causam Isidorus Hispalensis l. 1. Sentent. c. 20. dicit, quòd *sub Veteri Testamento minoris culpæ erant peccata; quia in eo non ipsa veritas, sed umbra veritatis aderat.* Judæos quippe velut pueros lex, instar pædagogi, direxit (ut innuit Apostolus ad Galat. 3.) Evangelium verò dirigit Christianos, tamquam adultos, sub pædagogo jam ampliùs non existentes. Sicut ergo adultorum peccata communiter graviora sunt peccatis puerorum; sic & Christianorum peccata, peccatis Judæorum.

Ob eandem rursus causam idem Isidorus ibidem l. 2. c. 18. dicit, quòd *peccata quæ incipientibus levia sunt, perfectis viris gravia deputantur. Tantò enim gravius cognoscitur esse peccatum, quantò major qui peccat habetur. Crescit enim delicti cumulus, juxta ordinem meritorum. Et sæpè quod minoribus ignoscitur, majoribus imputatur.* Ex quo Isidori testimonio S. Thomas 1. 2. q. 73. a. 10. concludit, *quòd magnitudo personæ peccantis aggravat peccatum.* 46

His denique omnibus robur addunt verba Christi, Matth. 5. *Nisi abundaverit justitia vestra, plusquàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Ubi per Scribas & Pharisæos Isidorus Pelusiota l. 4. epist. 204. sicut & Chrysostomus & Euthymius apud Salmeronem to. 5. in Evang. tr. 33. non solùm Judæos intelligit, qui exteriùs justa faciebant coram hominibus, ut viderentur ab hominibus, verèque proinde justi non erant; sed omnes generaliter filios Veteris Testamenti, etiam verè justos. Quam interpretationem genuinam esse, Salmeron loco citato probat, hac ratione, quòd Christus ibi Christianos cum Judæis comparet in justitia. Externa verò simulataque illa justitia, non tam digna erat justitiæ nomine, quàm injustitiæ. In ea ergo non procedit comparatio, cùm recta comparatio fieri debeat inter extrema ejusdem generis, ut Philosophi tradunt. Comparantur quippe inter se duo verè currentes, duo docti, &c.; non autem verè currens cum verè non currente. Christus etiam confert ibi legem Evangelicam cum Mosaïca. Ait enim: *Audistis quia dictum est antiquis.... Ego autem dico vobis, &c.* Verba ergo illa Christi significant justitiam filiorum Novi Testamenti debere esse abundantiorem justitiâ filiorum Veteris Testamenti; sive debere eam excedere, non solùm æquare. Videatur Chrysostomus homil. 16. in Matth. ubi dicit quòd Christus illis verbis, *Nisi abundaverit justitia vestra, &c. suos discipulos Veteris Testamenti observatoribus velit esse meliores. Scribas hic enim, atque Pharisæos, non iniquos, ut putatur, appellat, sed eos qui legis præcepta custodiunt. Neque enim illos qui non custodirent, diceret habere justitiam: neque ei quæ non esset, eam quæ esset justitiam compararet... plus enim ac minus ejusdem generis manifestum est esse, &c.* 47

Cujus ratio est, quia sicut alios ab adolescentibus mores exigimus, quàm à pueris; alios verò à viris jam perfectis & maturis; nec eandem ab omnibus perfectionem requirimus: sic Deus Optimus Maximus, cujus opera cum summa sunt sapientia conjuncta, aliam legem mundo infanti præscripsit; aliam mundo Judæo tamquam puero, sub pædagogo degenti; aliam denique mundo Christiano, tamquam adulto jam & maturo, sublimioribusque prærogativis decorato. Sicut ergo perfectiorem sublimioremque legem Christianis dedit quàm Judæis; sic abundantiorem sublimioremque ab ipsis justitiam 48

stitiam exigit, cùm dicit: *Nisi abundaverit, &c.*

49 *Agnosce igitur ô Christiane dignitatem tuam, & divinæ consors naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire. Memento cujus capitis & cujus corporis sis membrum. Memento quali sis insignitus honore* (inquit Leo Magnus) adeòque quali præ aliis pollere debeas sanctitate. *Non enim accepistis spiritum servitutis iterùm in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba Pater.* Rom. 8. *O ingentem honorem*, exclamat istum in locum Isidorus Pelusiota, *quàm altè erexit humi prostratos! eâdem enim operâ, & Judæorum ignobilitatem Apostolus ob oculos ponit, nobilitatem econtrà Christianorum, quam omni ope servare justum fuerit, ne honore excidentes, gravius castigemur, utpote tanto indigni honore.*

50 Scio consuetam negligentium Christianorum vitam procul abesse à sanctimonia, quam allatæ Evangelicæ regulæ, quam SS. Patres, quam Christianæ rationes ab ipsis postulant. At scio quoque, contra Ecclesiasticas quidem leges, externam Ecclesiæ disciplinam concernentes, consuetudinem prævalere posse; sed non contra divinas, quarum prævaricatorem semper interpellare licet, his Petri Cantoris verbis: *Non minùs peccas, quia cum multis.* Neque enim consuetudo contra eas aliud est quàm corruptela; quæ, si vetusta sit, nihil aliud est quàm *vetustas erroris*, ut dicitur can. *Consuetudo*, distinct. 8. *Nulla*, igitur, *consuetudo, quantumcumque generalis & antiqua, potest præjudicare, seu tollere id quod est de lege naturali, seu etiam divina, quoad moralia præcepta*, ait D. Antoninus 1. p. tit. 17. §. 6. Siquidem *lex naturalis & divina procedit à divina voluntate.... unde non potest mutari per consuetudinem procedentem à voluntate hominis, sed solùm per authoritatem divinam mutari posset. Et inde est, quòd nulla consuetudo vim legis obtinere potest contra legem divinam, vel legem naturalem. Dicit enim Isidorus in sinonymis, usus authoritati cedat, pravum usum lex & ratio vincat.* S. Thomas 1. 2. q. 97. a. 3. ad 1.

51 Enimverò cùm Christus sit veritas, quæ omnia vincit; quod Christus præscripsit, vincere debet omne quod ab humana voluntate, cupiditate vel negligentiâ in contrarium fit. Ideò Gregorius VII. can. *si consuetudinem*, dist. 8. *Si consuetudinem fortassis opponas, advertendum est, quod Dominus dicit: Ego sum veritas... non dixit: Ego sum consuetudo, sed veritas. Et ecce* (*ut B. Cypriani utamur sententiâ*) *quælibet consuetudo, quantumvis vetusta, quantumvis vulgata, veritati est omninò postponenda, & usus, qui veritati est contrarius, abolendus.* Quia, ut ex eodem Cypriano dicitur can. *Consuetudo*, ibidem: *Consuetudo sine veritate, vetustas erroris est. Propter quod relicto errore, sequamur veritatem... quia veritas manet & invalescit in æternum, & vivit, & obtinet in sæcula sæculorum.*

52 Concinit Augustinus l. 4. de baptismo c. 4. *Frustrà, qui ratione vincuntur* (prout Christiani, non viventes ad præscriptum regularum Evangelicarum) *consuetudinem nobis objiciunt, quasi consuetudo major sit veritate, aut non sit in spiritualibus sequendum, quod melius à Spiritu sancto revelatum est.* Et l. 3. c. 9. *Cum Christus sit veritas, magis veritatem* (Evangelicis in regulis expressam), *quàm consuetudinem sequi debemus.* Denique Concilium Suession. 3. dicit, quòd *mala consuetudo non minùs quàm corruptela perniciosa vitanda est.* In concernentibus itaque jus divinum, Ethica Christiana moribus & usibus hominum, quotidie in pejus abeuntibus, conformanda non est; sed Ethicæ veteri novi mores sunt conformandi. Aliàs lex divina foret regula Lesbia.

CAPUT VIII.

Superioribus regulis conformem oportet esse morum Theologiam, ut verè Christiana sit. Talis proinde non videtur illa, quæ est adinventionis novæ, non traditionis antiquæ: illa maximè de qua Caramuel Theolog. fundament. n. 1268. Tota Theologia Moralis nova est.

PRobatur prima pars: si enim non sit conformis illis Evangelicis regulis, non est conformis ei quam Christus tradidit, quam Evangelia docent, quam Apostoli, tamquam necessariò sectandam, prædicarunt: ergo non est verè Christiana, non Evangelica, non Apostolica. 53

Probatur secunda pars: si enim nova, seu adinventionis novæ, non est traditionis antiquæ; non igitur illa quam Christus & Apostoli plusquàm à septemdecim sæculis tradiderunt; nec proinde esse videtur Evangelica, neque Christiana; neque Christum & Apostolos habet Authores, sed adinventionem Philosophiamque purè humanam nonnullorum Recentiorum, à quibus meritò requirere possumus cum Tertulliano l. 1. de præscript. *Qui estis? quando, & unde venistis?* Et cum Hieronymo in epist. apologet. contra Origenem, quæ est 33. l. 1. *Cur post 400.* (immò 1700. & ampliùs) *annos dicere niteris quod antè nescivimus? cur profers in medium quod Petrus & Paulus edere noluerunt? usque ad hanc diem, sine hac doctrina mundus Christianus fuit.* Et cum Augustino l. contra epist. fundam. c. 6. *Quid sibi vult ista novitas? nonne vobis videtur nescio quam redolere fallaciam?* Denique cum Gelasio epist. ad Honorium Dalmatiæ Episcopum: *Ubi est quod scriptum est, terminos Patrum tuorum ne transgrediaris. Et, interroga Patres tuos, & annuntiabunt tibi; Majores tuos, & dicent tibi? Aut cur nobis non sufficit, si quid ignorantes discere cupiamus, qualiter ab Orthodoxis Patribus, singula quæque, vel vitanda, vel præcepta, vel aptata catholicæ veritati? numquid sapientiores illis sumus, aut pa-* 54

terimus firmâ ſtabilitate conſtare, ſi ea, quæ ab illis conſtituta ſunt, ſubruamus?

55 Vide Proleg. 1. c. 7. ubi exemplo Chriſti, Spiritus ſancti, & Apoſtolorum; exemplis item & doctrinis ſummorum Pontificum, Conciliorum, & SS. Patrum; exemplo denique totius antiquitatis comprobatum eſt, tam in materia morum, quàm in materia fidei, *proprium chriſtianæ modeſtiæ & gravitatis ſemper fuiſſe, non ſua poſteris tradere, ſed à Majoribus accepta ſervare*, juxta illud 1. Thimoth. 5. *ô Thimothee, depoſitum cuſtodi, devitans profanas vocum novitates* (ait Vincentius Lyrin. commonit. 1. c. 9.) *Quid eſt depoſitum cuſtodi?* (proſequitur c. 27.) *quid eſt depoſitum? quod tibi creditum eſt, non quod à te inventum; quod accepiſti, non quod excogitaſti, rem non ingenii, ſed doctrinæ; non uſurpationis privatæ, ſed publicæ traditionis; rem non à te productam, ſed ad te perlatam: in qua non author eſſe debes, ſed cuſtos, &c.* Vide etiam Proleg. 2. ubi idem confirmatum eſt, & oſtenſum, id quoque eſſe proprium chriſtianæ humilitatis, ſimplicitatis, modeſtiæ & prudentiæ. Atque ex dictis ibi collige, quòd ſicut à chriſtiana humilitate, ſimplicitate, modeſtia & prudentia, ac conſequenter à chriſtiana ſapientia alieni ſunt Novatores fidei; ita & Novatores morum.

CAPUT IX.

Germani fontes Chriſtianæ Ethices, ſunt Scriptura Traditioque. Deinde, Eccleſia, Canones, Patres. Denique ratio regulata per ipſorum documenta, quoad ea quæ divini juris ſunt. Leges verò Eccleſiaſticæ & Civiles, ratioque inde deducta, quoad ea quæ juris ſunt humani.

56 LEges Eccleſiaſticas & Civiles, atque adeò rationem inde deductam (ex qua Morales deducere concluſiones, eſt primordialiter ex legibus ipſis deducere) legitimos eſſe fontes Ethices Chriſtianæ, quoad ea quæ juris ſunt humani, nemo it inficias: cùm ex una parte unum ex principiis Ethices Chriſtianæ ſit principium iſtud, *Obedite præpoſitis veſtris. Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, &c.*; ex alia verò parte leges Eccleſiaſticæ ac Civiles ſint regulæ legitimæ, determinantes materiam, in qua Præpoſitis & Poteſtatibus, Eccleſiaſticis ac Civilibus, obedire, ſubditique eſſe debemus. Sunt igitur germani fontes, ex quibus Chriſtiana Ethica deducit, quomodò Chriſtianum oporteat vivere in iis quæ humani juris ſunt.

57 Quoad ea verò, quæ divini ſunt juris, multò minùs Catholicus quiſquam it inficias, Scripturam, Traditionem, Eccleſiam, Canones, Patres, ac per conſequens rationem inde deductam, eſſe legitimos fontes, ex quibus Chriſtiana Ethica deducit, quomodò in punctis illis Chriſtianus vivere debeat. Cùm Scriptura, Traditio, Eccleſia, Canones, Patres, &c. legitimæ regulæ ſint, ex quibus dignoſcimus, quæ ſint vel non ſint juris divini. Quæ enim ſunt juris divini poſitivi, nobis non innoteſcunt, niſi per Scripturam vel Traditionem, Eccleſiamque & SS. Patres, velut Traditionis depoſitarios, divinæque voluntatis interpretes, quos ideò *Deiloquos Patres* appellat Concil. VIII. Conſtantinop. act. 10. c. 1. Quæ verò juris ſunt naturalis (cùm ſignaturæ ſint divini ſuper nos luminis, omnibus ratione utentibus ab Authore naturæ conſtanter inſitæ, non arte vel perſuaſione hominum acquiſitæ) nobis innoteſcunt per naturalem ſemperque conſtantem conſenſionem totius generis humani; atque adeò per internam traditionem, non humanam (tam conſtans quippe conſenſio non eſt fallibilis traditionis, qualis eſt humana) ſed divinam, juxta vulgatum iſtud: *Vox populi, vox Dei*, & ſolemne illud Ciceronis l. de diverſis: *Omnium conſenſus, naturæ vox eſt*; ac proinde, vox eſt Authoris naturæ, qui nec falli, nec fallere poteſt.

Ad iſtos proinde fontes, jure nos remittit 58
perpetuus uſus ac ſenſus totius antiquitatis, ſive omnium Patrum, veterumque Theologiæ Moralis Compilatorum, qui ex ſolis illis fontibus eam compilare auſi ſunt, nec de ſuo quidquam adjicere præſumpſerunt, ſed ſolam Patrum doctrinam tamquam ſufficientem protulerunt, uſque adeò ut libri eorum, qui ſecùs fecerunt, Conciliorum Decreto, auhoritateque prohibiti fuerint, ignique adjudicati, ut conſtat ex dictis Prol. 1. c. 7. Ad eoſdem fontes nos remittunt Oracula Scripturarum Prol. 2. c. 13. recenſita, quibus nos Spiritus ſanctus remittit ad ſanctos & priſcos Patres, Majoreſque noſtros, ut cognoſcamus quæ ſit via bona, & ambulemus in ea. Ad eoſdem nos remittit Sixtus V. in Bulla *Triumphantis Hieruſalem*, dum Theologiam vocat, *Patrum hæreditatem*, atque quòd *hujus tam ſalutaris ſcientiæ cognitio, & exercitatio ab uberrimis divinarum Litterarum, SS. Pontificum, SS. Patrum & Conciliorum fontibus dimanat.* Et ante ipſum Gregorius IX. dum in regulari epiſtola ſua ad Magiſtros Pariſienſes ſic ſtatuit: *Magiſtri & Scholares Theologiæ, in facultate quam profitentur, ſe ſtudeant laudabiliter exercere, nec Philoſophos ſe oſtentent, ſed ſatagant fieri Theodidacti, nec loquantur in lingua populi, linguam Hebræam cum Azotica confundentes; ſed de illis tantùm quæſtionibus in ſcholis diſputent, quæ per libros Theologicos & SS. Patrum tractatus valeant terminari.*

Iſtos denique germanos legitimoſque eſſe 59
fontes chriſtianæ de moribus diſciplinæ, manifeſtare voluit Deus, per hoc quòd diſciplina morum tamdiù pura, ſancta, illibata, verèque chriſtiana fuerit, quamdiù ex fontibus illis derivata (ſiquidem ex rivulis fontem, atque ex effectibus cauſam cognoſcimus;) ex quo verò parciùs ex fontibus illis, largiùs ex ratione purè humana derivari cœpit, atque hinc aliena eſſe ab evangelica ſimplicitate, ſanctorumque Patrum doctrina; à primæva illa puri-

tate sanctitateque usque adeò deficere cœpit, ut necesse fuerit SS. Pontifices in eam animadvertere, declarareque quòd si eam fideles in praxi sequerentur, irreptura esset ingens christianæ vitæ corruptela.

CAPUT X.

Tametsi humana ratio, ex dictis Prolegom. 2. c. 6. locum post authoritatem Scripturæ, Ecclesiæ & SS. Patrum, habeat in Christiana morum Theologia; locum habet ut ipsius authoritatis pedissequa, non ut domina; ut consequens, non ut antecedens: ideòque si casus per Scripturam, Traditionem, Ecclesiam, vel SS. Patrum doctrinam sit decisus, in contrarium non est audienda ratio purè humana, nec ob eam inflectenda Scripturæ, Ecclesiæ, vel SS. Patrum doctrina.

60 Assertionem hanc quoad omnem suam partem, multipliciter demonstravimus Prolegom. 1. c. 3. 4. 5. & 6. & Prolegom. 2. c. 6. 7. 12. 13. 14. 15. demonstrabimusque ampliùs capitibus sequentibus: ipsâque experientiâ quoad secundam & tertiam partem manifestam facit Deus; experientiâ utique tot pernicioſarum, scandaloſarumque opinionum, quæ in rebus ad conscientiam pertinentibus eo ipso irrepere cœperunt, quo tradi cœpit Theologia morum, ex sola ratione humana antecedente utplurimùm deprompta, inflexâ ad præscriptum ipsius sacrarum Litterarum, vel SS. Patrum doctrinâ. Ex hoc enim fonte, *modus opinandi irrepsit* (Ecclesiâ teste) *alienus ab evangelica simplicitate, sanctorumque Patrum doctrina, quem si fideles in praxi sequerentur, ingens irreptura esset vitæ christianæ corruptela.* Non est autem fons purus, unde profluit rivulus tam fœculentus; nec arbor bona, cujus fructus tam malus.

61 Nec mirum: tantæ namque sublimitatis est homo Christianus, tantæ proinde sublimitatis Theologia directiva morum hominis Christiani, ut tam sublimis scientiæ fons legitimus ac tutus esse nequeat ratio purè humana, maximè in hoc corruptæ naturæ statu, in quo nimis erratica est, quàm ut illius ductui committatur anima Christiana. Ipsius certè directionem illi committere prisci Patres & Majores nostri non sunt ausi; nec sine periculo hodie præsumitur, quod tot, tamque insignium Patrum, Majorumque nostrorum prudentia ausa non fuit præsumere.

62 Collige 1°. necessarium esse, ut Morales Doctores sacris Litteris & SS. Patribus impensiùs studeant, quàm scholasticis subtilitatibus; necessarium quoque, ut eorumdem Patrum doctrinam christiana humilitate, simplicitate, modestiâ & prudentiâ præferant humanis suis rationibus. Quod si facerent, non tanta foret inter ipsos opinionum diversitas, nec tanta discordia, sed major uniformitas & concordia; quemadmodùm olim fuit, quamdiù Majores nostri, absque tot scholasticis subtilitatibus, terminorumque intricationibus, resolutiones suas Morales, non ex visa sibi ratione, sed ex sacrarum Litterarum, & SS. Patrum doctrina traditioneque deprompserunt. Ex quo profectò fonte, Morales omnes resolutiones, jus divinum concernentes, depromi posse, suadetur ex Joan. 16. *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem*; ex quo nimirùm intelligimus Spiritum sanctum per Scripturas, Apostolos, & sanctos Doctores, seu Deiloquos Patres, docuisse nos omnem (saltem divini juris) veritatem; omnem (inquam) æquè in materia morum, quàm in materia fidei: quod non esset, nisi omnis hujusmodi veritas ex sacris Litteris, & sanctis Patribus erui posset.

Collige 2°. authoritatem illorum Doctorum (quàmlibet multorum) qui Morales suas resolutiones (præsertim jus divinum concernentes) magis ex humana ratione antecedente, quàm ex sacrarum Litterarum, & SS. Patrum authoritate derivant, non satis habere ponderis ad faciendam practicam securamque probabilitatem; eo quòd eorum suspecta non possit non esse authoritas & doctrina; quæ non est ex legitimo, securoque fonte deprompta, sed ex fonte suspecto erraticoque; cujusmodi esse (præsertim in Moralibus, jus divinum concernentibus) rationem purè humanam, documenta Scripturæ, & SS. Patrum antecedentem, nec se illis, sed illa sibi accommodantem, totis duobus præcedentibus Prolegomenis est demonstratum, ipsisque etiam sacris Oraculis, Patrum documentis, innumeris experimentis, & judicio totius antiquitatis comprobatum. 63

Et confirmatur 1°. quia illorum suspecta non potest non esse authoritas & doctrina, qui Theologicæ veritatis prorsus invertunt ordinem (prout constat ex dictis Prolegom. 2. c. 15.) cùm ex inverso veritatis ordine multiplex in scientiis tradendis falsitas & error non possit non sequi, prout ibidem ostensum est. 64

Confirmatur 2°. quia in judicio forensi, ubi de solis rebus temporalibus agitur, eorum meritò suspectum est testimonium, quorum vel una in testificando falsitas convincitur: multò ergo magis in judicio animarum, ubi de salute æterna agitur, eorum meritò suspecta est authoritas & doctrina, quæ in multis convincitur esse falsa; præsertim ex voluntario defectu, liberioris utique usus ac præfidentiæ rationis humanæ. Talis verò convincitur doctrina Moralis, quæ in rebus salutem æternam divinasque leges concernentibus, magis nititur humanâ ratione, documenta Scripturæ sanctorumque Patrum antecedente, quàm documentis illis; cùm moderatus humanæ rationis usus esse debeat consequens, non antecedens documenta illa, ut sæpiùs est demonstratum; ex liberiorique humanæ rationis usu, præsertim in rebus tanti momenti, multiplex falsitas & error nequeat non sequi, nec possit in multis non esse falsa doctrina, quæ dirigitur tam fallibili regulâ, tamque insufficiente ad mores 65

hominum (præsertim Christianorum) sine multiplici errore dirigendos, prout experientia sæpiùs exhibita manifestat.

66 3°. Quia Doctorum illorum authoritas non potest non esse suspecta, quorum Moralis magis est adinventionis novæ, quàm traditionis antiquæ (cùm ex dictis c. 8. hujusmodi doctrina non videatur verè christiana; experientiâque constet, eos passim Doctores, qui Moralem hujusmodi tradiderunt, alienam tradidisse à SS. Patrum doctrina, atque ab Evangelicis regulis c. 2. exhibitis, nec eam tradidisse, quæ præ se ferret pietatem, sanctitatem, sublimitatemque Moralis Christianæ;) sed doctrina illa magis est adinventionis novæ, quàm traditionis antiquæ, quæ magis nititur humanâ ratione antecedente, quàm sacrarum Litterarum, & SS. Patrum authoritate: doctrina namque Moralis antiquæ traditionis, deprompta non fuit ex humana ratione antecedente, sed ex sacrarum Litterarum & SS. Patrum authoritate, prout ostendimus Prolegom. 1. c. 7.

67 4°. Quia Doctorum illorum authoritas & doctrina non potest non esse suspecta, qui errant in principiis doctrinæ. Errant autem in principiis Moralis Christianæ, qui magis eam fundant in humana ratione antecedente, quàm in sacratum Litterarum, & SS. Patrum authoritate. Errant enim in principiis, non solùm assumentes ut principium quod non est principium, sed & assumentes ut antecedens, quod esse non potest nisi consequens; ut primarium, quod non potest esse nisi secundarium (prout humana ratio in Theologicis, ex dictis Proleg. 1. c. 4. 5. 6. & Proleg. 2. c. 7.) Hoc autem faciunt, qui Moralem Christianam magis fundant in humana ratione antecedente, quàm in sacris Litteris, vel SS. Patrum authoritate; cùm oppositum postulet ordo principiorum Theologicorum, ut vidimus locis citatis.

CAPUT XI.

Legitima non est S. Scripturæ, vel sanctorum Patrum expositio, per humanam rationem antecedentem.

68 PRimò quia sic exponentes, principiorum Theologicorum, ac per consequens Theologicæ veritatis ordinem invertunt, ancillamque & pedissequam faciunt antecedere dominam. Ex dictis enim Prolegom. 1. c. 4. humana ratio se habet ad authoritatem Scripturæ & SS. Patrum, ut ancilla ad dominam, atque adeò flecti adaptarique debet ad præscriptum istius authoritatis, non flectere adaptareque, sive exponere authoritatem ad præscriptum suum; quod proinde dum facit, ancilla dominam antecedit, ancillæque suæ domina fit pedissequa.

69 2°. Judicium de vero genuinoque sensu Scripturæ, vel Patrum, non est à ratione nostra purè humana petendum, sed ex contextu circumstantiisque sermonis, vel etiam (quod ad Scripturam attinet) ex aliis documentis divinæ revelationis (cujusmodi sunt Ecclesiæ sensus, sanctorumque Patrum consensus) ex quibus appareat sensum illum à Spiritu sancto esse intentum, sive interim sensum illum humana ratio capiat, sive non. Quod enim non capis, quod non vides, animosa firmat fides, in cujus obsequium captivare oportet intellectum.

70 3°. Quia alioqui omnis Scripturæ sacræ authoritas enervaretur (& idem est proportionaliter de authoritate SS. Patrum) dum enim rationi, Domino Expositori visæ, proprius non probaretur sensus Scripturæ, ipsi transire liceret ad improprium (dicendo proprium sensum esse absurdum, pro absurdo utique reputando quodcumque visæ sibi rationi contrarium) dumque sensus non probaretur universalis (quàmlibet universalibus Scripturæ verbis expressus) coarctare illum liceret ad sensum particularem, suggestum per visam sibi rationem. Sicque nihil esset in sacris Litteris ita manifestum, quod pro visa cuique ratione non esset facillimum glossare, tricisque & subtilitatibus scholasticis eludere; negando id esse contra Scripturam; utpote quam diceret pro visa sibi ratione intelligendam. At hoc meritò redarguit Albertus de Albertis suprà Prolegom. 1. c. 5. tum quia sic exponens Scripturam & Patres, non exponit ut sapiunt, sed ut ipse sapit. Tum quia hoc non est credere Scripturis & Patribus, sed phantasiis suis; iisque Scripturas & Patres subjicere, cum iis quos redarguit Augustinus 32. contra Faustum 19. dicens: *Videtis id vos agere, ut omnis de medio Scripturarum auferatur authoritas, & suis cuique animus author sit, quid in quacumque Scripturâ probet, quid improbet; id est, ut non authoritati Scripturarum subjiciatur ad fidem, sed sibi Scripturas ipse subjiciat.*

71 4°. Visæ cuique rationi, privatoque spiritui taliter subjiciendo accommodandoque Scripturam, via panditur fidei Novatoribus, ad omnem hæresim, morumque Novatoribus, ad omnem divinæ legis relaxationem, ac dulcia quæque pollicenda, cum iis quos Hieronymus contra Jovin. insimulat, dicens: *Pseudo-prophetæ semper dulcia pollicentur.* Enimverò hâc viâ omnis hactenus christianæ disciplinæ relaxatio est introducta, sicut & eâdem viâ Arriani, Sabelliani, Eutychiani, Nestoriani, Sacramentarii, aliique hæretici suas hæreses invexerunt. Siquidem Arriani nimiùm auscultantes humanam rationem suam, cùm expressam in Scriptura naturæ divinæ viderent unitatem, nec caperent quomodò, cum unitate ista, Personarum consisteret Trinitas, paribus Scripturæ testimoniis expressa, posteriora ista testimonia, pro visa sibi ratione, ad sensum improprium detorquentes, Trinitatis mysterium sustulerunt. Sabelliani econtrà Trinitatem secundùm posteriora testimonia recipientes, nec capientes quomodò naturæ unitas cum Personarum Trinitate consisteret, pro visa sibi ratione tres Deos, uti tres Personas, asseruerunt.

Eâdem viâ Nestoriani duas in Christo Personas, uti duas naturas; econtrà unicam in ipso naturam, uti unicam Personam, Eutychiani posuerunt. Eâdem denique viâ Sacramentarii (ut alios hæreticos prætermittam) humanâ suâ ratione, privatoque spiritu, non capientes SS. Eucharistiæ mysterium, illud sustulerunt, Scripturæque de ipso testimonia, quàmlibet perspicua, pro visa sibi ratione, à sensu proprio ad improprium detorserunt.

72 Nec aliâ viâ Novatores morum, Evangelicam disciplinam relaxarunt, nisi eâ quâ fidei Novatores fidei mysteria, ad privati spiritus sui captum, emollierunt. Sicut enim istos illi imitati sunt, in hoc, quòd sicut isti difficilia quæque fidei mysteria, pro visa sibi ratione, emollierunt; sic illi difficilia quæque morum præcepta, pro ratione sibi visa, relaxarunt: sicut & eosdem imitati sunt, in hoc, quòd contraria Scripturæ testimonia, vel à sensu proprio ad improprium, vel ab universali ad particularem; pro visa sibi ratione, privatoque spiritu, traxerunt; non rationem suam, privatumque spiritum Scripturæ, sed hanc illi subjicientes, accommodantesque.

73 Hâc igitur arte pessimus Dæmon non cessat Ecclesiam Christi sponsam persequi; hinc per hæreticos, privato spiritu suo Evangelica fidei dogmata dijudicantes, tentando credendorum elidere veritatem; inde per Catholicos, divinæ legis præcepta, pro visa sibi ratione, glossantes emollientesque, agendorum corrumpere sanctitatem.

74 Istam ob causam Apostolus Coloss. 2. *Videte* (inquit) *nequis vos decipiat per Philosophiam, & inanem fallaciam, secundùm traditionem hominum.* Et Tertullianus lib. advers. Hermogenem; post ipsumque Hieronymus epist. ad Ctesiphont. Philosophos, *hæreticorum Patriarchas* appellat; dum utique nimiùm auscultantes humanam rationem suam, Ecclesiæ puritatem perversâ maculavere doctrinâ, & *, si quid contrarium in sacris ostenderunt digestis, pro instituto curiositatis suæ* (id est ad præscriptum Philosophiæ suæ) *ad propria verterunt.* Quibus deinde meritò reponit idem Hieronymus Dial. contra Pelagianos: *Non nobis curæ est quid Aristoteles, sed quid Paulus doceat.*

75 Eandem ob causam SS. Patres communiter omnes in ejusmodi Scripturæ adulteros potiùs quàm interpretes vehementer insurgunt. Cauponatores Scripturarum ipsos vocat Magnus Basilius in c. 1. Isaïæ ubi versum illum 22. *Caupones tui miscent vinum aquâ*, applicat iis qui *Scripturam ipsam in aquam convertunt, permiscentes quæ suo ipsorum intellectu excogitarunt, in extremam perniciem auditorum. Dum enim studio admituntur, ut indulgendo eorum voluptatibus, demereantur ipsorum gratiam per blandiloquia & suaves sermones assentando, alunt illorum vitia in perditionem, per hæc enervantes austeritatem & vigorem Scripturarum vitiosos utiliter perstringentem.* Illos etiam perstringit Hieronymus *qui ad sensum suum incongrua aptant testimonia. Quasi grande sit, & non vitiosissimum docendi genus, depravare sententias, & ad voluntatem suam Scripturam trahere repugnantem.* Et Tertullianus l. de præscript. c. 17. de iisdem dicit, quòd *tantùm veritati obstrepit adulter* ipsorum *sensus, quàm corruptor stylus.*

Eandem denique ob causam Ecclesia, ut 76
hisce malis obviaret, in Scripturis interpretandis semper hunc morem tenuit, semperque præscripsit, ut earum sensum, tam circa morum dogmata, quàm circa fidei mysteria, ex SS. Patribus & traditione Majorum, vellet repetendum. Patet hoc ex verbis VI. Synodi Generalis, & Concilii Tridentini Prol. 1. n. 7. relatis. Et consonat S. Clemens Papa n. 56. ibidem. S. Augustinus l. 6. de util. cred. c. 7. & 27. & in Procem. l. de doctr. christ. S. Gregorius 28. Moral. 9. Clemens Alexandrinus Strom. 5. & 7. Basilius & Nazianzenus apud Ruffinum l. 1. c. 9. vide dicta Prolegom. 1. c. 7. Ex his omnibus constat verissimum esse, quod Cardinalis Turrecremata apud Fagnanum in c. *cùm pridem* de pactis n. 81. ait: quòd utique legitima *interpretatio obsequitur & obsequi debet Evangelio, aliàs non esset interpretativa, sed corruptio.*

CAPUT XII.

A generalibus Scripturæ sententiis ac præceptis, solâ humanâ ratione, prudens non excipit.

PRimò, quia ex hujusmodi exceptione, tam- 77
quam radice, laxior Ethica, multæque damnatæ propositiones Prolegom. 1. c. 2. recensitæ (signanter in materia de homicidio) pullulârunt, prout ibidem c. 5. vidimus.

2°. Quia Deus non remittit nos ad ratio- 78
nem nostram; ut inde sciamus, an & quando istud vel illud licitum sit, vel illicitum; sed ad legem suam, cui addere vetat & detrahere. Deuteron. 12. *Non facietis quod vobis rectum videtur, sed quod præcipio tibi.* Dixerat autem c. 4. *Non addetis ad verbum hoc, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo.*

3°. Divinæ legis doctrina hominibus data 79
est ad corrigendum humanæ rationis nostræ defectum, manifestandamque insufficientiam ejusdem sine magisterio divinæ legis, ad dirigendos mores hominum. Quod ut homines proprio discerent experimento, *Deus reliquit eos absque doctrina legis, tempore legis naturæ: in quo, dum in errores inciderunt, convicta est eorum superbia de defectu scientiæ.* S. Thomas lect. 7. in cap. 3. ad Galat. ampliùsque de eodem defectu & insufficientiâ quotidiano convincuntur exemplo innumerabilium errorum, in quos incidunt, qui de licitis illicitisque solâ humanâ ratione suâ judicare præsumunt. Atqui doctrina legis non corrigeret defectum humanæ rationis, si humanæ rationis esset dijudicare, quando illa procederet, vel non procederet. Sic enim, non obstante generali do-

ctrinâ legis, finaliter recurrendum esset ad humanæ rationis judicium, ad sciendum, quid, in casibus particularibus, licitum foret vel illicitum; ac per consequens humana ratio, in casibus particularibus, non disceret à doctrina legis, sed à seipsa, quid licitum esset vel illicitum. Non igitur per doctrinam legis, in casibus illis particularibus, dirigeretur & corrigeretur; neque divina lex, in iisdem casibus, esset lucerna pedibus nostris, & lumen semitis nostris, sed malesuada ratio nostra.

80 4°. Humana ratio, ut recta sit, ad præscriptum divinæ legis regulari debet: nequit igitur esse judex vel arbitra divinæ legis, sed discipula ac pedissequa; cujus non est coarctare dominam, nec excipere quidquam à generalitate præcepti ipsius.

81 5°. Actum esset de omni penè divinæ legis authoritate, si licitum esset Scripturæ authoritatem interpretari pro sola humana ratione, ut vidimus capite præcedenti: similiter ergo actum esset de omni penè divinæ legis generalitate, si licitum esset, Scripturæ generalitatem, pro sola humana ratione, adinventis exceptionibus coarctare.

82 6°. Solâ humanâ ratione, à generalibus Scripturæ sententiis excipere non licet in materia fidei. Ergo nec in materia morum. Neque enim id minùs periculosum in ista materia, quàm in illa. Immò magis est periculosum in materia morum; eo quòd humana mens, in hoc corruptæ naturæ statu, difficiliùs admittat rectum de moribus judicium, quàm de fidei veritatibus. Quia scilicet humana mens divina non aversatur mysteria, licèt ea non capiat: morum verò aversatur præcepta, quibus concupiscentias & passiones suas compescere jubetur: unde faciliùs Indis persuademus, ut credant divina mysteria, quàm ut vitam suam componant ad evangelica præcepta, abstinendo v. g. ab uxorum multitudine, vel vindicta, &c.

83 Denique modernis Authoribus hodie non magis licet, solâ humanâ ratione suâ excipere à præceptorum divinorum generalitate, quàm Scribis & Pharisæis id olim licuerit. Id autem non licuit. Cùm enim speciosas ob rationes à generali præcepto honorandi de substantia sua parentes, in necessitate constitutos, excepissent casum, quo filius substantiam suam Deo vovisset, à Christo Domino reprehensi sunt, tamquam mandati divini prævaricatores, Matth. 15. *Quare vos transgredimini mandatum Dei propter traditiones vestras? nam Deus dixit: honora patrem & matrem* (non solùm officiis & salutationibus, verùm etiam eleëmosynis & muneribus, dum iis indigent, prout exponit Hieronymus.) *Vos autem dicitis... Munus quodcumque est exme, tibi proderit: & non honorificabit patrem suum & matrem suam...* Id est (eodem Hieronymo interprete in illum locum) si quis ea quæ parentibus offerenda sunt, Deo vovere voluerit, qui verus est Pater, oblatio Domini præponatur parentum muneribus. Ecce quàm speciosam rationem prætexebat cupiditas Scribarum & Pharisæorum (cupiditas utique munera illa convertendi in lucra sua) ad excipiendum à generali illo præcepto casum voti, ut suprà. Quis enim speciosam abnuerit rationem, in divinæ paternitatis prærogativa fundatam, ratione cujus honor Dei præferendus esset honori parentum? Nec aliæ deerant ipsis rationes, quòd utique oblatio, Deo facta in bonum spirituale parentum, præterquàm quòd esset actio pietatis in Deum, foret etiam actio pietatis in parentes, eo quòd cederet in alimentum spirituale ipsorum; ubi eleëmosyna corporalis solùm cederet in alimentum corporale. Speciosioribus certè rationibus non fulciuntur exceptiones Modernorum à generalibus Dei præceptis. Non minùs igitur arguendi sunt, tamquam irritum facientes præceptum Domini per hujusmodi exceptiones, solâ humanâ ratione excogitatas, quàm Scribæ & Pharisæi.

CAPUT XIII.

Sola illa à generalibus Dei præceptis legitima est exceptio, quæ divinâ cognoscitur fieri authoritate, sive per Scripturam, sive per Traditionem externam vel internam, vel divinam pro tempore revelationem.

84 Quòd legitima exceptio à generali Dei lege, solâ divinâ fiat authoritate, probatur, tum quia sicut nulla persona, sic nullus casus, humana authoritate subduci potest à generali Dei lege. Tum quia, sicut ejus est legem ampliare, sic ejus est legem exceptione limitare, cujus est legem ferre. Humana igitur potestas legem divinam non magis limitare potest, quàm ampliare, vel etiam ferre.

85 Quòd autem exceptio per divinam authoritatem, nobis innotescere debeat per Scripturam vel Traditionem, ostenditur: quia sufficienter innotescere nequit per solam humanam rationem, ex dictis capite præcedenti: solùm igitur potest sufficienter innotescere per Scripturam, vel Traditionem, sive externam (nobis declaratam per Ecclesiam, vel per SS. Patres, fideles Traditionis depositarios) sive internam, quæ nobis innotescit per constantem universalemque consensionem totius humani generis, ut dictum est n. 58.

86 Nec certè veteres Patres alias unquam exceptiones à generalibus Dei legibus admiserunt, nisi illas, quas divinâ fieri authoritate, per verbum Dei, scriptum, vel traditum, vel pro tempore revelatum acceperunt, ut videre est in Augustino 1. Civit. 7. ubi aliam non agnoscit legitimam exceptionem à generali præcepto, *non occides*, nisi factam divinâ authoritate, modo dicto innotescente: *quasdam verò exceptiones eadem ipsa divina fecit authoritas.... sed his exceptis, quos Deus occidi jubet* (aut concedit) *sive data lege, sive ad personam pro tempore expressa jussione, quisquis hominem occiderit, homicidii crimine innectitur.* Nec nos igitur ullam aliam exceptionem, tamquam

quàm legitimam, admittere debemus; sed eo ipso, absque majoris inquisitionis necessitate, velut illegitimam rejicere, quo solâ fit humanâ ratione, dialecticationeque.

87 Quòd si à generalitate legis, homicidium prohibentis, admittantur exceptiones, Principis malefactores plectentis, & militum in bello justo hostes interficientium, est quia exceptiones istæ, Scripturæ & Traditionis authoritate firmantur. De Principe namque dicit Apostolus, quòd *non sine causa gladium portat*; *Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malè agit.* Militum verò professionem Joannes Baptista Luc. 3. probavit, & SS. Patres post ipsum, dummodò abstineant à concussione & calumnia, sintque contenti stipendiis suis.

88 Si quæras, quomodò, ante legem scriptam, constare potuerit de ea exceptione? Respondeo, traditione, tum internâ, tum externâ. Verisimile namque est, hanc unam fuisse ex multis traditionibus, à Deo Authore profectis, quæ ab Adamo & Noëmo in reliquum genus humanum derivatæ sunt. Ad internam etiam traditionem fas est recurrere. Sicut enim præceptum, *non occides*, naturale est; sic & naturalis exceptio malefactorum, quorum vita noxia est humano generi, à quo publicâ authoritate Reipublicæ, tamquam Dei ministræ, auferri possint, velut pars à toto, ad salutem totius. Quod à Deo concessum esse, scimus ex constanti totius generis humani consensione.

89 Sed hinc nihil argui potest contra præmissa. Neque enim ante legem scriptam, Deus permisit exceptionem illam fieri solâ ratione humanâ (quæ, ob cæcitatem suam, innumeras exceptiones illegitimas prætenderet, si semel exceptionis arbitra esset;) sed authoritate suâ, innotescente ut suprà. Igitur multò minùs id permisit in lege scripta: in qua sicut scriptum voluit generale præceptum, *non occides*; sic & scriptam voluit exceptionem illam malefactorum.

90 Nec tamen privatis hominibus (licèt superioritatem aliquam habentibus) Deus unquam permisit occisionem membri politici, ad salutem totius: cùm potestatem illam in subditos malefactores, superiori non dederit œconomico, v. g. marito in uxorem, in adulterio deprehensam; tametsi humana ratio (antecedens verbum Dei, scriptum, traditumque) æquè potestatem illam concederet superiori œconomico quàm politico; nec minùs illum, quàm istum, exciperet à generali illo præcepto. Quamvis etiam membrum physicum Deus à privatis hominibus, ad salutem totius, permittat abscindi.

91 Ad propriam verò salutem, sive ad propriæ vitæ defensionem, si privatis hominibus liceat injustum occidere invasorem; profectò licitum non est, nisi authoritate divinâ, per Scripturam vel Traditiones innotescente. Aliàs profectò non licet; uti non licere, tomo sequenti, Deo dante, monstrabimus.

CAPUT XIV.

Regulæ sex ad legitimam sacræ Scripturæ, sanctorumque Patrum expositionem.

Regula prima. Insistendum proprio Scripturæ sensui, quem verba liquidò præ se ferunt; 92
nisi alius Scripturæ textus, vel Ecclesiæ sensus, vel Patrum consensus manifestè cogat ad improprium. Hanc Patres communiter tradunt. Et ratio persuadet: quia alioqui nihil fixum è Scriptura erui posset, dum eam ad figuram pro arbitrio suo facilè quisque traheret. Sicque Scriptura semper diceret quod vellemus; non quod Spiritus per eam nos intelligere vellet. Nulla proindè fidei mysteria, ne veritatem quidem Trinitatis, Incarnationis, Dominicæ Passionis, Resurrectionis, &c. contra negantes evincere possemus.

Ideò D. Basilius homil. 9. in Hexaëmer. eos, 93
non Scripturæ, sed somniorum suorum interpretes vocat, qui sacræ Litteræ veritatem proprietatemque tollunt. Et Tertullianus lib. de carne Christi: *Certè perversissimum est* (inquit) *ut carnem nominantes animum intelligamus, & animam significantes, carnem interpretemur. Omnia periclitabuntur aliter recipi quam sunt, & amittere quid sunt, dum aliter accipiuntur, si aliter quàm sunt cognominentur.*

Regula secunda. Dum Scripturæ verba proprium 94
liquidò præ se ferunt sensum, Philosophia verò, seu ratio purè humana in contrarium se conatur ingerere; audienda non est, quoad usque cætera divinæ revelationis documenta consulantur. Quæ si proprio illi sensui suffragentur potiùs quàm adversentur, standum proprio sensui, sive eum humana ratio capiat, vel etiam reluctetur, sive non. Hanc etiam Patres (c. 11. relati) communiter tradiderunt, dum humanam Philosophiam ad fidem Theologiamque, atque adeò ad propria utriusque principia, statuerunt se habere velut ancillam ad dominam, cujus est judicio dominæ suæ suum submittere, seque captivare in obsequium ipsius. Unde semper habuerunt ut Scripturæ adulteros, qui ad Philosophiam suam, visamque sibi rationem, Scripturam traxerunt repugnantem.

Enimverò non est verè Christiana Philoso- 95
phia, si dum omnia fidei Theologiæque principia, seu divinæ revelationis documenta sensui proprio suffragantur, vel ei præsumat reluctari, vel in contrarium velit audiri. Cùm officium Philosophiæ verè Christianæ, sit in obsequium fidei & Theologiæ se captivare; nec ad discernendum Scripturæ sensum, verum à falso, revelatum à non revelato, judicium sit ab humana ratione petendum (aliàs tota Scripturæ authoritas enervaretur, humanaque ratio in credendorum regulam assumeretur, ut constat ex dictis loco citato;) sed ex usitata Scripturæ phrasi, Ecclesiæ sensu, vel Patrum consensu, quamvis eum ratio humana

non assequatur, vel illi etiam reluctari videatur. Credere enim nos oportet, etiam quæ supra sunt rationem nostram, ipsique, sibi relictæ, impossibilia viderentur, ut mysterium Trinitatis, Incarnationis, &c. Quæ tunc demùm humana mens intelligit esse rationi consona, postquam ea credidit, juxta illud Isaiæ 7. apud 70. *Si non crediderit is, non intelligetis.* Et illud Augustini l. 2. de ord. c. 9. *Omnibus bona, magna, & occulta discere cupientibus, non aperit nisi authoritas januam: quam quisque ingressus, sine ulla dubitatione, vita optima exempla sectatur; per quæ cùm docilis factus fuerit, tum demùm discet, quanta ratione prædita sint ea ipsa quæ secutus est ante rationem.* Quam etiam ob causam Tullius l. 2. divinat. dixit, quòd „ Majoribus nostris, sine „ ratione dicentibus, rationis est credere.

96 Dum igitur humana Philosophia obstrepit proprio sacrorum verborum sensui, quem vel verba liquidò præ se ferunt, vel usitata Scripturæ phrasis, vel Ecclesiæ sensus, aut universus consensus ostendit, reponendum cum Hieronymo dial. contra Pelag. *Non nobis curæ est quid Aristoteles, sed quid Paulus doceat.* Imitandusque Augustinus qui l. 2. op. imperf. contra Julianum c. 137. ob fulmina rationis, à Juliano vibrata, non deseruit sensum proprium apostolicorum verborum, quibus probatur originale peccatum; sed fulmina illa contemnens acutè respondit, quòd ratio quæcumque adversus intonantem Apostolum fumea esset, non fulminea. Replicanti verò per humanam Philosophiam Juliano, quomodò peccante Adamo, peccare potuisset infans, qui necdum erat? Respondit: *Cur quæris quo fieri potuerit modo, qui legis factum quoquo modo, si Apostolo credis aliquo modo, qui mentiri potuit nullo modo?*

97 *Regula tertia.* Solus ille est legitimus sensus documentorum, in sacris Litteris traditorum, quem contextus, sermonisque circumstantia, Ecclesiæve sensus, vel Patrum consensus, probant à Spiritu sancto intentum; non ille quem pro visa sibi ratione humana quisque fingit. Posterior pars regulæ constat ex dictis c. 11. Prior pars verò traditur à D. Hieronymo, qui (postquam in c. 10. Matth. dixisset: *Prudens lector, cave semper superstitiosam intelligentiam, ut non tuo sensui attemperes Scripturas*) in c. 25. ad illa verba, *vigilate itaque*, sic ait: *Prudentem semper admoneo lectorem, ut non superstitiosis acquiescat interpretationibus, & quæ commaticè pro fingentium dicuntur arbitrio; sed consideret priora, media & sequentia, & nectat universa.* Et ab Augustino serm. 131. divers. c. 14. *Verior sensus est, qui ex circumstantia lectionis aperitur.* Subaudi, Ecclesiæve sensu, vel Patrum consensu. Quia ut habet Tridentinum sess. 4. Ecclesiæ est *judicare de vero sensu, & interpretatione Scripturarum*; sicut ipsius est judicare de veris ac legitimis S. Scripturæ Libris. Quoad Patrum consensum, Tridentinum ibidem vetat, *contra unanimem Patrum consensum ipsam Scripturam interpretari.*

98 *Regula quarta.* Cùm disceptatio est de pluribus sacrorum verborum sensibus, præ alio tenendus est ille qui conformior est usitatæ phrasi Scripturæ, sive aliis clarioribus S. Scripturæ textibus, eamdem rem tractantibus. Siquidem sensus uno loco obscurus per clariora alia loca est illustrandus, juxta illud Augustini l. 2. doct. christ. c. 9. *Ad obscuriores locutiones illustrandas, de manifestioribus sumantur exempla, & quædam certarum sententiarum testimonia dubitationem de incertis auferant.* Clariores namque textus exponere per obscuriores, est contra Expositoris officium (quod est, ignotum vel minùs notum per notius explicare) estque proprium hæreticorum, de quibus Facundus Hermianensis l. 9. c. 5. sic habet: *Quemadmodùm calumniantium hæreticorum est, ex dubiis & obscuris, quæ certa & manifesta sunt, malè interpretari; ita solitum est prudentiæ & pietatis catholicæ, ex indubitatis atque evidentibus, & firmare ambigua, & latentia declarare.*

Regula quinta. S. Scriptura non loquitur 99 ambiguè & obscurè, iis in locis, ubi præcipua vitæ christianæ officia, vel fundamentalia fidei christianæ mysteria traduntur. Patet in mysteriis Trinitatis, Incarnationis, Resurrectionis, &c. *Quippe verisimile non est, ut ea species Sacramenti, in quam fides tota committitur, ambiguè annuntiata, & obscurè proposita videatur.* Tertullianus de Resurrect. c. 21. Atqui peræquè necessarium est præcipua vitæ christianæ officia clarè & absque figuris proponi, quàm præcipuos ac fundamentales fidei articulos. Et ideò (quia in gemino charitatis præcepto, tota lex pendet, & Prophetæ, & finis præcepti est charitas, 1. Thimoth. 1. *Et non præcipit Scriptura, nisi charitatem, nec culpat, nisi cupiditatem, & eo modo informat mores hominum.* Augustinus 3. doctr. christ.) ideò (inquam) perspicuis verbis tradita sunt geminæ præcepta charitatis; testeque eodem Augustino ibidem c. 36. *Quisquis Scripturas divinas, vel quamlibet earum partem intellexisse sibi videtur, ita ut eo intellectu non ædificet istam geminam charitatem, Dei & proximi, nondum intellexit. Quisquis verò talem inde sententiam duxerit, ut hinc ædificandæ charitati sit utilis, nec tamen hoc dixerit, quod ille quem legit, eo loco sensisse probabitur, non perniciosè fallitur.* Imò sensus omnis ædificativus charitatis, destructivusque cupiditatis, tametsi fortè non consideratus ab Authore proximo, si tamen eum innuunt verba Scripturæ, tametsi subobscurè, legitimus est censendus, à Spirituque sancto intentus. Quamvis enim fortasse non sit secundùm specialem intentionem, eò loci spectatam ab Authore proximo, est secundùm generalem intentionem, in omni Scriptura spectatam à Spiritu sancto, juxta Apostolum, & Augustinum suprà. Unde Gregorius Magnus in c. 3. Ezech. sic ait: *Quisquis Expositor in explanatione sacri eloquii.... virtutem requirens, ipse aliter, quàm is, per quem prolata sunt, senserit, etiamsi sub intellectu alio ædificationem charitatis requirat, Domini sunt verba quæ narrat: quia ad hoc solùm*

Deus

Deus per totam nobis suam Scripturam loquitur, ut nos ad suum & proximi amorem trahat.

100 *Regula sexta.* Quando per regulas præcedentes verum sacri eloquii sensum assequi non possumus, consulendus est Ecclesiæ sensus, Patrumque consensus, juxta Tridentinum n. 98. relatum. Dum igitur omnes, vel ferè omnes Patres in aliquo sensu, tamquam legitimo, conveniunt, contrarium in sensum Scripturam interpretari vetat Concil. ibidem. Dum verò dissentiunt inter se Patres, eorum sententia præferenda, prò qua clariora efficacioraque Scripturæ sunt testimonia. De quo si dubium sit, illorum Patrum sententia præeligenda est, quorum (in materia de qua agitur) authoritas est præcipua, ut Augustini in materia de Gratia.

101 Sensum porrò Ecclesiæ, vel ex traditione dignoscimus (de qua capite sequenti) vel ex definitione, seu declaratione ipsius, vel ex consuetudine, quam tota vel ferè tota frequentat Ecclesia, de qua S. Thomas 2. 2. q. 10. a. 12. ait, quòd *maximam habet authoritatem Ecclesiæ consuetudo, quæ semper est in omnibus æmulanda (quia & ipsa doctrina Catholicorum Doctorum ab Ecclesia authoritatem habet)* vel denique ex publicis orationibus, quibus omnes per Ecclesiam Sacerdotes sub Missæ sacrificio, vel Horarum Canonicarum officio, Deum obsecrare solent: utpote ex quibus Ecclesiæ sensum Augustinus ipse demonstrat in l. de dono Persever. c. 23. sicut & Cælestinus Papa in Epist. ad Episc. Gall. c. 11. ubi sic: *Obsecrationum quoque sacerdotalium sacramenta respiciamus, quæ ab Apostolis tradita, in toto mundo, atque in Ecclesia Catholica uniformiter observantur, ut legem credendi statuat lex supplicandi.*

102 Istæ sunt regulæ ad legitimam interpretationem Scripturæ sacræ; pro germana etiam SS. Patrum interpretatione proportionaliter observandæ. Quorum proinde testimonia 1°. intelligenda sunt juxta proprium sensum quem liquidò præ se ferunt verba ipsorum, nisi alia testimonia eorundem manifestè cogant in oppositum. Aliàs nihil etiam fixum ex testimoniis ipsorum erui posset, sed ad suum cuique sensum trahere illa liceret. Quod improbatum est Prolegom. 1. c. 6. & Prolegom. 2. c. 7. & 17. & Prolegom. præsenti c. 11.

103 2°. Legitimus sensus doctrinæ Sanctorum, est ille, quem contextus sermonisque circumstantiæ probant ab ipsis intentum; non ille, quem pro visa sibi ratione, absque adminiculo contextûs, vel circumstantiarum sermonis, sibi quisque fingit. Aliàs tota pariter authoritas ipsorum enervaretur, semper Patres dicerent quod vellemus, quodque unicuique ratio sibi visa suggereret, ad cujus præscriptum inflectere liceret documenta Patrum. Quod iisdem locis pluribus est improbatum. *Optimus ergo lector est* (inquit Hilarius l. 1. de Trinit.) *qui dictorum intelligentiam expectat ex dictis potiùs quàm imponat, & retulerit magis quàm attulerit; neque cogat id videri dictis contineri, quod ante lectionem præsumpserit intelligendum.*

104 3°. Cùm disceptatio est de sensu, quem sanctus Doctor intendit, præ alio tenendus est ille, qui conformior est usitatæ phrasi ipsius, textusque obscurior per clariorem illustrandus, ac summoperè cavendum, ne per unum vel alterum subobscurum, vel obiter scriptum, innumeri manifestique subvertantur, vel excogitatâ distinctiunculâ, absque ullius textus adminiculo, textus omnes eludantur. Tum ob dicta n. 99. & Proleg. 1. n. 49. & 50. & Proleg. 2. n. 129. Tum quia id contrarium est legitimo distinctionum usui, qui est ad firmandam illustrandamque, non ad eludendam subvertendamque doctrinam, cui adhibetur.

CAPUT XV.

Regulæ ad dignoscendam Traditionem.

105 PRima est declaratio Ecclesiæ, asserentis aliquid à Christo vel Apostolis esse traditum. Ecclesia namque columna est, & firmamentum veritatis, regiturque & instruitur à Spiritu S. ne erret in veritatibus & traditionibus declarandis.

106 *Secunda*: quando universa Ecclesia aliquid tenet, quod neque in sacris Litteris habetur, neque in Conciliis institutum reperitur, signum est ab Apostolis esse traditum. Ita S. Augustinus l. 4. de baptismo c. 24. Quidquid autem tenetur ab omnibus unanimiter Patribus, ab universa tenetur Ecclesia. Si ergo omnes unanimiter Patres in aliqua fidei vel morum veritate conspirant, quæ nec in sacris exstat Litteris, nec in Conciliis instituta est, hujusmodi veritas censetur Apostolicæ esse traditionis. Et de hujusmodi Zozimus Papa c. *contra statuta* 25. q. 1. dicit: *Contra statuta Patrum condere aliquid, vel mutare, nec hujus quidem Sedis potest authoritas: apud nos enim inconvulsis radicibus vivat antiquitas, cui decreta Patrum sanxere reverentiam.*

107 *Tertia*: ubicumque plures è gravioribus, plurium Nationum, Patribus apertè conspirant in eumdem sensum, in materia fidei vel morum, nec aliorum veterum Patrum sententia reperitur in contrarium, conspirans illorum sententia, sufficiens argumentum est traditionis, cujus SS. Patres depositarii sunt ac testes fideles. Probatur, tùm ex Tertulliano l. de Præscript. c. 28. dicente: *Quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum.* Tum ex eo quòd aliud argumentum traditionis, non legatur in Conciliis Nicæno, Ephesino, Constantinopolitano, Chalcedonensi, cæterisque Conciliis, utpotè, in quibus prolata non leguntur Patrum omnium testimonia (quod & nimis prolixum, & moraliter vix possibile fuisset) sed plurium è gravioribus, nullo aliorum priscorum Patrum testimonio in contrarium apparente. In horum fidem Salmeron to. 1. Proleg. 9. c. 50. refert, quòd " consilium Sisi- "
nii Diaconi libenter accepit Theodosius Impe- "

„ rator, ut, in controversia de fide Trinitatis „ cum hæreticis, producerentur sententiæ tantùm eorum Patrum, qui in veteri, sive in „ priori Ecclesia floruerunt. Ac in tertia Oecumenica Synodo, quæ Ephesi celebrata est contra Nestorium, paucorum quorumdam Patrum „ testimoniis, qui in proxima Ecclesia illustres „ extiterant, causa evicta fuit. Atque hanc rationem cunctas hæreses jugulandi sectata sunt „ cætera omnia Concilia Catholica. „ Vincentius quoque Lyrinensis commonit. 2. c. 2. ostendit, in Concilio Ephesino, totius Ecclesiæ Traditionem decem Patrum Orientis, & Occidentis testimonio comprobatam fuisse, nec majorem testium numerum ad id desideratum fuisse.

108 Eandem rationem, sive regulam, sectati sunt Patres passim omnes. Hac enim ratione S. Hieronymus Helvidii jugulavit hæresim. S. Augustinus hæresim Donatistarum, Pelagianorumque. S. Leo Papa eadem ratione Eutychetem de hæresi convicit apud Leonem Augustum, sicut & Monothelitas Agatho. Idem adversus Græcorum errores Concilium præstitit Florentinum.

CAPUT XVI.

Regulæ in hac nostra Theologia Morali sequendæ.

109 REcapitulando itaque hactenus dicta, sive tot, & tam palpabilia argumenta, quibus tum authoritate, tum ratione, tum experientiâ demonstratum est, rationem purè humanam (antecedentem documenta Scripturæ, Ecclesiæ, Patrum) ob nimiam cæcitatem & insufficientiam suam, atque in errores proclivitatem, idoneam non esse regulam, quæ nos dirigat in materia morum; statutum nobis est ipsam habere suspectam, nec Moralem nostram tam lubricæ committere regulæ, ne in nos quadret illud Augustini 32. contra Faustum 19. *Quò te committis anima misera, infirma, carnalibus nebulis involuta, quò te committis?* Ei se committat, qui voluerit; desipiat cum ea, qui tot argumentis experimentisque adduci noluerit, ut sapiat. Nobis statutum est,

110 1°. Acquiescere monitis Spiritûs sancti. Proleg. 2. c. 13. relatis.

111 2°. Insistere documentis & exemplis Sanctorum, veterumque Theologiæ Moralis Compilatorum, imò ipsius etiam Christi, Apostolorum, Conciliorum, summorum Pontificum, tum ibidem, tum Prolegom. 1. c. 7. productorum.

112 3°. Servare regulas christianæ humilitatis, simplicitatis, modestiæ ac prudentiæ, Prolegom. 2. c. 14. Regulas item sapientiæ, ibidem c. 17. recensitas.

113 4°. Moralem nostram depromere ex solis germanis fontibus illius, sive firmis, tutis ac propriis Theologiæ principiis, de quibus Prolegom. 3. c. 9. utpote ex quibus solis sua morum dogmata deprompserunt Concilia, summi Pontifices, veteresque Patres omnes; quæque sola, tamquam propria Theologiæ principia Sixtus V. commendat in Bulla *Triumphantis Hierusalem*, dicens, *quòd hujus tam salutaris scientiæ cognitio & exercitatio ab uberrimis divinarum Litterarum, SS. Pontificum, SS. Patrum & Conciliorum fontibus dimanat.* Ex quibus etiam Patres ac Theologi novissimi Concilii Tridentini sententias suas derivare jussi sunt, ut vidimus Prolegom. 1. n. 58.

5°. Ab extremis opinionibus, tam scilicet 114
rigidioribus, quàm laxioribus cavere. Ob rationes allatas Prolegom. 2. c. 18.

6°. Incerta ut certa non definire, in ma- 115
teriisque Catholicos inter Doctores adhuc hinc inde controversis, nullâque adhuc Ecclesiæ declaratione alterutram in partem determinatis, ab omni censura, nota, improperio adversæ partis abstinere. Ob dicta ibidem c. 9.

7°. A generalibus Dei præceptis, Scrip- 116
turæque sententiis, ratione purè humanâ, nobis visâ, numquam excipere, tamque Scripturam, quàm SS. Patres, juxta regulas 14. suprà memoratas, rotundè explicare, ut sapiunt, utque contextus & circumstantiæ sermonis exigunt.

8°. Ubicumque SS. Patres stabunt pro dog- 117
mate aliquo, jus divinum, seu naturale, seu positivum concernente; Recentiores verò, ob solam humanam rationem, sibi visam, stabunt ex adverso, Patrum authoritatem doctrinamque, præsertim inconcussa tutissimaque Augustini & Aquinatis dogmata, Recentiorum illorum opinamentis præferre, solosque illos Theologos audire, qui ex germanis Theologiæ Moralis fontibus supradictis doctrinam suam eruunt; non verò Recentiores illos, vel Recentiorum greges, qui à regia Sanctorum Theologia recedunt. Neque enim talium multitudo conciliat ipsis authoritatem in Morali doctrina magni faciendam, cùm Moralem doctrinam suam ex germanis legitimisque fontibus non derivent, nec proinde ipsi, ea in materia, ad numerum solidè eruditorum pertineant, meliusque sit nullos, quàm tales Theologos habere, ut ex Gersone Merbesius observat in Summa Christiana p. 1. q. 15.

CAPUT XVII.

Rationes cur Moralis nostra potissimùm depromatur ex S. Augustino & S. Thoma.

TAmetsi Morales resolutiones nostras ex 118
aliis quoque Patribus simus deprompturi, potissimùm tamen ex Augustino & Aquinate: neque enim dubitare possumus, tot inter errandi pericula, tutò fore Moralem doctrinam, si duorum illorum præclarissimorum Doctorum vestigiis insistat; cùm nec securiores Duces (post sacros Scriptores) videatur habere posse, nec probatiores sequi Doctores.

Enimverò quod ad Augustinum attinet, 119
23 Summi Pontifices, Concilia 15, omnes

post ipsum Patres, & Ecclesiæ Doctores, primarii etiam quique Theologi, vel ipsi quoque Scholasticorum Principes, adeò magnificè de ipso, deque doctrina ipsius senserunt, atque etiamnum sentiunt, ut in cælum usque extollant ipsum, tamquam Doctorem post Canonicos Scriptores præcipuum, quo nullus clarior extitit.

120 Ipsum namque Gelasius Epist. 17. ad Episcopos per Picænum, vocat, *Ecclesiasticorum lumen Magistrorum.* Sixtus IV. *inter intemeratæ Ecclesiæ Doctores præcipuum.* Sixtus V. in Bulla contra Genet. *præcipuum Ecclesiæ lumen.* Cælestinus epist. ad Episc. Gall. Doctorem *quem numquam siniſtræ suspicionis rumor asperſit; quem tantæ scientiæ olim fuisse meminimus* (inquit) *ut inter Magistros optimos, etiam à meis Prædecessoribus haberetur, de quo benè omnes in communi senserunt, utpote qui ubique cunctis & amori fuerit & honori.* Martinus V. serm. de translat. S. Monicæ, tantæ eruditionis Doctorem, ut *unus omnium Patrum Sapientiumque ingenia ac studia exhibeat.*

121 Eundem Possidonius in epist. ad Macedonium, *Patrem Patrum, Doctorem Doctorum, sapientiæ abyssum prædicat.* Consentius in epist. ad Augustinum, inter Augustinianas 221. *Doctrinæ Christianæ culmen.* Paulinus in epist. ad eundem, inter Augustinianas 249. *Doctorum Aquilam sublimiùs omnibus volantem.* Darius Comes epist. ad eundem 263. Doctorem adeò divinum, ut homines ipsum audientes, *putarent se quasdam immortalitatis leges, non modò de cælo, sed in ipso constitutos cælo suscipere, & quasdam Dei voces non longè de templo, sed prope ipsum Dei tribunal adstantes audire.* Macedonius epist. 51. ad eundem Doctorem, *cujus opera tantum habent acuminis, scientiæ, sanctitatis, ut nihil supra sit.* V. Beda l. de sex ætatibus, *præeminentissimum Doctorem.* Isidorus Hispalensis l. 8. origin. Hugo de S. Victore, Didascal. l. 4. c. 14. *omnes Ecclesiæ Doctores ingenio vincentem incomparabiliter.* Rursus Hugo de S. Victore serm. 25. *Inde & de ipso in hac ejus solemnitate canimus, quòd Prophetarum & Apostolorum spiritu plenus, quæ prædixerunt mystica, fecit nobis pervia, post quos secundâ dispensandi verbi Dei primus refulsit gratiâ.* S. Antoninus 2. p. histor. c. 8. tit. 10. *Gemmam Doctorum, Patrem Theologorum.* Cui *contradicere fas non est,* inquit S. Idelphonsus serm. 2. de B. V. Et Albertus Magnus 2. p. Sum. Theol. tract. 14. q. 184. ad q. 3.

122 De eodem S. Vincentius Ferrerius serm. de S. Augustino, testimonium perhibet, quòd *omnes Doctores qui venerunt post Augustinum, sustentantur super ejus doctrinam sanctam, puram, Catholicam, auri purissimi, sine errore falsarum opinionum.* Quòdque *quilibet Doctor est contentus ad probandum dictum suum, si potest habere unam authoritatem Augustini.* Et S. Thomas Villanov. serm. 1. de S. Augustino: *Sicut sol omnia astra; ita cæteros omnes, post Apostolos, superat Augustinus.* Item, *quis in Ecclesia Dei lucet ut Augustinus? à sole omnia astra lucent: ab Augustino, qui post ipsum fuerunt Doctores, sapientiæ lumen accipiunt.* Et ante utrumque S. Remigius Episcopus Altisiodorensis in epist. 2. ad Cor. *Sicut sol in lumine excedit omnes planetas; ita Augustinus omnes excessit in exponendo sacras Scripturas. Alii Doctores comparantur stellis; ipse Augustinus comparatur soli: quia sicut stellæ lumen à sole recipiunt; sic omnes Doctores lumen recipiunt ab Augustino.*

Non mirum proinde, si Scholastici Doctores Augustinum sequantur tamquam primum Ecclesiæ Doctorem, vel in primis unum (prout ipsa Ecclesia testatur, in Officio Festi ipsius, dicens, quòd, *tam multa piè, subtiliter & copiosè scripsit, ut doctrinam christianam maximè illustrarit. Quem in primis secuti sunt, qui posteà Theologicam disciplinam viâ & ratione tradiderunt.* Quo fructu secuti sint, in Angelico patuit Doctore, de quo Urbanus IV. in diplomate ad Tholosates, ait, quòd *Beati Augustini vestigia insequens, Ecclesiam universam doctrinis & scientiis quamplurimis ornaverit.* 123

Cæterùm licèt communi Ecclesiæ Patrumque traditione, Augustini gloria tanta sit, in omnibus quæ docuit & scripsit (quæ omnia S. Gelasius Papa, in Concilio 70. Episcoporum, probavit, custodirique & recipi mandavit) præcipua tamen laus ipsius in illis est operibus, quæ contra hæreticos, & maximè contra Pelagianos, Semipelagianosque, de Gratia & Prædestinatione conscripsit. Tam gloriosum quippe de hæreticis reportavit triumphum, ut D. Hieronymus epist. 25. ipsi rescripserit hunc in modum: *Macte animo, in orbe celebraris, Catholici te conditorem antiquæ fidei venerantur atque suspiciunt, &, quod signum majoris gloriæ est, omnes hæretici detestantur.* 124

De ipso Prosper contra Collatorem, testimonium perhibet, quòd, *non solùm Pelagianam hæresim, adhuc in suis detruncationibus* (id est in Semipelagianis) *palpitantem, sed etiam multas priùs hæreses invicto verbi gladio debellavit.* Ibidem c. 1. *Viginti amplius annis contra inimicos Gratiæ Dei, Catholica acies, hujus viri ductu, pugnat & vincit. Vincit, dico, quia non patitur respirare quos vincit.* Et c. 41. *sanctæ memoriæ Papa Bonifacius, cùm esset doctissimus, tandem adversus libros Pelagianorum B. Augustini responsa poscebat.* 125

De ipso quoque Fulgentius l. 2. de verit. prædest. c. 18. *B. Augustinus, indutus virtute ex alto, abundantiùs illis omnibus* (Patribus utique, Græcis & Latinis) *laboravit; non autem ipse, sed Gratia Dei cum illo. Ipsius ministerio Dominus uberiorem hujus rei fidelibus suis instructionem præbuit. Non solùm ipse, de hoste victoriam referens, triumphavit; quin etiam posteris certandi & vincendi ordinem, si quando pravitas residuo ausu nefandum caput erigere niteretur, ostendit. Hunc* 126

legat omnis qui salutem æternam adipisci desiderat.

127 De Gratia scribendi provinciam, duo Africana Concilia, Carthaginense scilicet & Milevitanum, ipsi demandasse, scimus ex ipsius epist. 150. ubi sic: *Curam scripturarum mihi Fratres & Patres mei Coëpiscopi duorum Conciliorum Numidiæ & Carthaginis imponere dignati sunt.* Ejusdem quoque Milevitani Arausicanique de Gratia Canones, ex Augustini sententiis descriptos esse, notum est conferenti.

128 Traditam verò ab ipso de Gratia doctrinam, ab Ecclesia tota approbatam, receptam assertamque esse, testis imprimis est Prosper in ep. ad Ruffinum c. 3. *Noverunt non solum Romanam Africanamque Ecclesiam, sed & per omnes mundi partes universos promissionis filios cum doctrina hujus viri, sicut in tota fide, ita in Gratiæ confessione congruere.* Testis Hormisdas Papa epist. ad Possessor. *de libero tamen arbitrio, & Gratia Dei, quid Romana, hoc est Catholica, sequatur & asseveret Ecclesia, in variis libris B. Augustini, & maximè ad Hilarium & Prosperum, posse cognosci.* Testis Joannes II. epist. 3. ad quosdam Senatores: *S. Augustinus, cujus doctrinam, secundùm Prædecessorum meorum statuta, Romana sequitur & servat Ecclesia.*

129 Detractores verò Augustini, qui piis ejus contra Pelagianos disputationibus obsistentes, ipsum in nonnullis excessisse mussitabant, solosque articulos ab Apostolica Sede definitos recipiebant, præsumptionis arguit Cælestinus Papa in epist. ad Episc. Gall. c. 3. *Nonnulli, qui Catholico nomine gloriantur, in damnatis autem hæreticorum sensibus, seu pravitate seu imperitiâ demorantes, piissimis disputatoribus obviare præsumunt, & .... Magistris nostris, tamquam necessarium modum excesserint, obloquuntur, eaque tantummodò sequi & probare profitentur, quæ sacratissima B. Petri Apostoli Sedes, contra inimicos Gratiæ Dei, per ministerium Præsulum sanxit & docuit.*

130 Quapropter Augustinus, *maximus post Apostolos prædestinationis Doctor, & lingua veteris Ecclesiæ, quantum ad illam de Gratia doctrinam*, nuncupatur à Cardinale Perronio l. 1. Responsi. ad Regem Britann. „ Apostolica Sedes, „ ait Bellarminus in notis ad 10. tom. Baronii, „ S. Augustini se professa est de Gratia & libero arbitrio probare sententiam, „ (quod ad solos articulos à S. Sede definitos, restringens Nicolaus Du Bois, nescio an effugiat proximè allatam Cælestini redargutionem) „ adeò ut S. Augustini authoritas & doctrina læ- „ di nunc, & ulla ex parte impugnari ac repre- „ hendi non possit sine manifesto 2o. & ampliùs „ SS. Pontificum contemptu, & sine singulari „ S. Sedis injuria.

131 Paria dant primarii alii Societatis Theologi, ut Suarez Prolegom. 6. de Gratia ubi dicit: „ quidquid in hac materia Augustinus ut certum „ affirmat, & ad dogma fidei pertinens, à quolibet prudente & erudito Theologo esse defendendum & tenendum, etiamsi non certò constaret, esse ab Ecclesia definitum. Tum quia cùm Ecclesia in hac materia tantum detulerit Augustino, ut ejus doctrinam, in damnandis erroribus contrariis Dei Gratiæ, secuta fuerit; magna esset temeritas privati Doctoris, qui Augustino, aliquid de Gratia Dei tamquam orthodoxum docenti, contradicere auderet; præsertim cùm tot annis, tantâ sapientiâ, tanto ingenio, tantâ diligentiâ & instantiâ, & (quod caput est) tot Dei donis & auxiliis præditus, pro divina Gratia tuenda & explicanda laboraverit.... Unde tandem concludo, non tantùm in rebus, quas Augustinus certissimas æstimat; sed etiam in his omnibus, quæ simpliciter, tamquam probabiliora, constanter & ubique amplectitur, sententiam ejus esse præferendam, nisi communis Patrum & Ecclesiæ authoritas obstare videatur; quod rarò vel numquam continget.

132 Dionysius quoque Petavius Theol. dogm. to. 1. l. 9. c. 6. " Omnium " (inquit) " Latinorum, quorum in hac controversia majorem dixi authoritatem " (quàm Græcorum) " Princeps est, consensu Theologorum, Augustinus: cujus de Gratia sententiam, quotquot deinde secuti sunt Patres ac Doctores, tum verò Ecclesiæ Romanæ Pontifices.... ratam & Catholicam esse judicarunt, ut hoc satis magnum putarent veritatis argumentum, quod ab Augustino positum ac decretum esse constaret.

133 Hæc plurimùm observanda sunt, utpote valdè profutura ad scopum Theologiæ nostræ Moralis, cujus fundamentales quasdam resolutiones pendere ab Augustiniana de Gratia doctrina, constabit ex dicendis; ut proinde non casu factum sit, quòd qui fideles permanserunt totius doctrinæ ipsius de Gratia defensores, Moralis Christianæ atque Evangelicæ permanserint tenaciores; eam econtrà relaxarint, qui ab Augustiniana de Gratia doctrina cum Molina recesserunt.

134 Prima itaque ratio propter quam S. Augustinum sequimur, tamquam principalem Moralis nostræ Ducem, est mirifica illa Augustinianæ doctrinæ approbatio, & receptio in Ecclesia. Ideò verò S. Thomam tamquam fidelissimum Augustini Discipulum Magistro adjungimus, quia de ipso Joannes XXII. in Bulla Canonizationis declarat adimpletum in ipso versiculum illum Psalmi: *Rigans montes de superioribus suis, de fructu operum tuorum satiabitur terra.* Additque vivæ vocis oraculo, quòd tot miracula edidit, quot articulos scripsit. Innocentius VI. apud Catharinum in lib. de Immac. Concept. *Hujus Doctoris sapientia præ cæteris* (exceptâ Canonicâ) *habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem sententiarum, ita ut numquam, qui eum tenuit, inventatur à tramite veritatis deviasse; & qui eum impugnavit, semper fuit de veritate suspectus.* Clemens VIII. in Brevi ad Neapol. ipsius

admirabilem vocat *doctrinam.... sine ullo prorsus errore conscriptam, in qua conscribenda interdum SS. Apostolos Petrum & Paulum alloquentes, locosque illi, Dei jussu, enarrantes habuit, expressa Christi voce comprobatam, &c.* Quapropter vel ipse sanctissimus Societatis Jesu Fundator, S. Ignatius, teste Francisco Maria Cardinale à Monte, in relatione facta coram Gregorio XV. 19. Januarii 1622. novas opiniones haud unquam admisit, & in doctrina scholastica doctrinam Doctoris Angelici secutus est.

135 Altera ratio, pro S. Thoma, est quia Alexander VII. RR. PP. Prædicatoribus an. 1656. inter Comitia Generalia declarari fecit: *tædere se novarum opinionum hoc sæculo in Theologiam Moralem inductarum, quibus disciplina evangelica resolvitur, ac conscientiis, cum gravi animarum periculo, illuditur; seque maximè velle, in Ecclesiæ hoc morbo laborantis remedium, opus parari ex severiori & tuta sanctissimi Præceptoris doctrina, quo hæc morum & opinionum licentia, quæ in dies grassatur, quasi cauterio cohiberetur.* Sic refert R. P. Vincentius Baron, primus eorumdem Comitiorum Definitor, in epist. ad sui Ordinis Generalem præfixa libro Mercori, cui titulus, *Basis totius Moralis Theologiæ, &c.*

136 Tertia pro utroque ratio est, quia S. D. Alexander VII. in Brevi ad Facultatem Theologicam Lovaniensem, dato 7. Augusti 1660. inconcussa tutissimaque Augustini & Aquinatis dogmata declarat his verbis: *Non dubitamus quin.... præclarissimorum Ecclesiæ Catholicæ Doctorum, Augustini & Thomæ, inconcussa tutissimaque dogmata sequi semper & impensè revereri velitis. Quorum profectò sanctissimorum virorum penes Catholicos universos ingentia, & omnem laudem supergressa nomina, novi præconii commendatione planè non egent.*

137 Scio quòd Honoratus Fabri dicat, Alexandrum VII. non vidisse unquam istud Breve, sanctèque juret, id se accepisse à Veckeno, sodali suo, qui Alexandro acceptissimus fuit. Sed noster Gabriel à S. Vincentio, Carmelita Discalceatus, Clementi X. acceptissimus, in lib. de remed. ignor. disp. 14. dub. 9. n. 149. in contrarium refert testimonium Cardinalis Nerlii ut sequitur: „Cardinalis Nerlius, tunc » temporis Secretarius Brevium, dixit cuidam » viro gravissimo, quòd hoc Breve ipse compo- » suit ex commissione dicti Alexandri VII. & » quòd Pontifex illud attentè legit, & sigillum » dedit, ut illud sigillaretur, & ad dictam Uni- » versitatem mitteretur. „ Illustrissimus Augustinus Favoriti Innocentio XI. à secretis die.... Aprilis 1676. idipsum testificatus est Deputatis Lovaniensibus, dum in atrio Pontificis ipsius audientiam præstolabantur, prout ab uno eorumdem Deputatorum accepi; qui & juratum ad id obtulit testimonium. Sed & ipsemet Innocentius XI. in Brevi dato 23. Febr. 1677. & Innocentius XII. in Brevi ad Facult. Lovan. dato 6. Febr. 1694. Augustinum dicit *tanta scientiæ fuisse, ut inter Magistros optimos etiam à nostris Prædecessoribus haberetur, & cujus doctrinam, secundum eorumdem Prædecessorum statuta, Romana sequitur & servat Ecclesia. Alter verò* (S. Thomas) *mirâ eruditione eamdem Dei Ecclesiam clarificat, & sanctâ operatione fœcundat. Hos dum Universitas vestra doctrinæ Duces secuta fuerit, securè certabit contra hostes orthodoxæ fidei, in Ecclesiæ gloriam & ædificationem.*

Quarta ratio est, quia celebriores Christia- 138
ni Orbis Academiæ, Parisiensis, Lovaniensis, Salmanticensis, &c. sibi glorioſum arbitrantur duorum illorum præclarissimorum Sanctorum doctrinam profiteri. Ad quod Professores suos juramento adstrinxit Academia Salmanticensis, " arbitrata, dum eorum doctrinæ vestigiis inhæ- " ret, omnes alios Doctores sacros (cùm hi duo " omnium aliorum compendium sint ac epilogus) " amplexari, " prout habetur in libro, quem pro justitia & æquitate juramenti istius, eadem Academia, seu, nomine ipsius, & sub ipsius approbatione Basilius Pontius edidit.

Quinta, quia in eodem libro, multipliciter 139
ostenditur " quantum Ecclesiæ bono conducat, " horum Sanctorum authoritatem propugnare, " hac potissimùm tempestate, cùm quidam, in li- " bris noviter in lucem editis, & viva voce, ma- " xima cum libertate, & cum exigua reverentia, " de Patribus Ecclesiæ loquuntur: cupientes per- " suadere, non esse rationi consentaneum, in- " genia sublimia hujus sæculi, horum Patrum do- " ctrinæ astringere, sed cuilibet ad placitum " opinari, liberum esse debere. "

Inter cætera verò argumenta, quibus hoc 140
ibidem comprobatur, momentosa sunt ad intentum nostrum duo sequentia. Primum, ex articulo 1. §. 4. " In Academiis Catholicorum, " tantum curæ in sanctorum Doctorum disciplina & honore tuendis adhiberi debet, quan- " tum ab hæreticis in minuenda eorum autho- " ritate impenditur. Fundamentum enim cujus- " libet erroris, est, veritatis defensores (Do- " ctores videlicet sacros) sua authoritate spolia- " re, sacra Concilia parvi pendere, manifesta " hæresis est: doctrinam Sanctorum contemne- " re, eorumque authoritatem enervare, præla- " tâ ipsis ingenii proprii inventione, superbia est " periculosa, quæ majoribus damnis causa & " principium esse potest. "

Alterum, ex articulo eodem §. 5. " Cogi- 141
tavit Academia, eam licentiam, quæ det il- " lis libertatem opinandi in rebus Theologicis, " nullâ habitâ ratione principalium Ecclesiæ Si- " derum, suis Professoribus non posse concedi, " quin ipsi exponantur immodicæ curiositati, & " Theologia ipsa (cujus finis est, veritates fidei " certò & dilucidè explicare, ac mores homi- " num conscientiasque dirigere) extra legitimos " & proprios terminos ac limites trahatur, ac " peregrinâ & hactenus inauditâ formâ indua- " tur.... Et quia se unam ex primis Orbis Chri- " stiani Academiis agnoscit, cupit ut Professores & " discipuli, id quod in Ecclesia tutius, antiquius, "

& majoris est authoritatis, teneant: ideòque D. Augustinum & Thomam elegit.... Hac ratione Academia suam amplitudinem in tuto collocat, simulque authoritatem Facultatis Theologicæ & suorum Professorum ab omnibus hujus sæculi novitatibus immunem servat, &, ne ulteriùs serpant, quantum in ipsa est, provident. Quia experimento comperit Theologiam scholasticam varias mutationes passam esse.... & ex hac instabilitate veritatem ipsam in evidentia pericula conjici.

142 Ultima ratio nostra est, quia judicio sapientissimæ istius Academiæ, imò (quod caput est) judicio laudatorum summorum Pontificum, in tuto erit Theologia nostra, si duorum illorum principalium Ecclesiæ Siderum vestigiis insistat; eoque ipso Patronos habebit omnes nominatos Pontifices, Patres & Doctores, tam mirificos Augustinianæ Angelicæque doctrinæ commendatores, approbatores & sectatores. Denique (si fides est laudatæ Academiæ) patronos habebit „ omnes alios Doctores sacros: cùm hi duo omnium aliorum compen-
„ dium sint & epilogus.

143 Istæ sunt rationes, quæ nos movent, ut dicamus de Augustino & Aquinate, quod Mellifluus Doctor epist. 77. dixit de Augustino & Ambrosio: *Ab his duabus columnis, crede mihi, difficilè avellor, cum his me errare & sapere fateor.* Quod non solùm dixisse pro casu particulari, (de quo agit ibi) patet ex eo quòd ferè in omnibus, & per omnia, Augustinum sequatur. Quem etiam Innocentius XI. num. 166. referendus, testatur, Ecclesiam Dei, *editis.... ad vitæ ac morum ex Christi institutione formandorum instructionem.... irrefragabilibus scriptis.... illustrare*, atque adeò Moralis Christianæ Doctorem irrefragabilem esse.

CAPUT XVIII.

Solvuntur objectiones eorum, qui magnifica Ecclesiæ de Augustino testimonia vellicare conantur vel extenuare.

144 TAnta est Augustini gloria, tamque venerabilis authoritas ipsius in Ecclesia, ut vix hodie supersit, qui revelatâ facie palàm eructare audeat sequentes propositiones ab Hispanica Inquisitione & Academia Vallisoletana damnatas: *Augustini quædam dogmata ab Apostolica Sede in terminis damnata sunt. Augustini authoritatem interponentibus, respondendum: Ecclesiam in suis filiis usque hodie crescere, etiam eruditione. Augustinum Juliani argumentis non satisfeciss. Si triumphus Ecclesiæ de Pelagianis niteretur posterioribus Augustini scriptis, immeritò de eis illa triumphasset. Volentem sustinere partes Juliani, non posse Augustini rationibus convinci. Utrùm Augustinus, contra quod sentimus, sentiat, non admodum referre.* Supersunt tamen qui doctrinam Augustinianæ contrariam sectantes, gloriam ipsius vellicare, vel extenuare conantur. Quod ne minùs in ipsum reverenter facere videantur:

Objiciunt 1°. per approbationes, capite 145
præcedenti relatas, consecratam quidem esse Augustini doctrinam; sed non sic, ut per illas è Scriptore non Canonico factus sit Canonicus, & infallibilis authoritatis.

Respondeo, quamvis ita sit, allatis tamen elogiis duplicem contineri Augustinianæ doctrinæ approbationem: unam definitionis, quoad dogmata necessariò fide credenda, sive quoad illam Augustini doctrinam, quam Sedes Apostolica sic fecit suam, ut definierit esse fide credendam. Alteram prælationis, seu præferentiæ, quoad cætera dogmata ipsius, præsertim in materia de Gratia; in qua doctrina ipsius cæteris præferenda declaratur, dum per approbationes illas Augustinus declaratur *præcipuum Ecclesiæ lumen; Maximus post Apostolos Ecclesiæ Doctor; sicut sol omnia astra, ita cæteros omnes post Apostolos superans, &c.*

Objiciunt 2°. Approbationes SS. Pontifi- 146
cum, in aliis quàm fidei punctis, non eò tendunt, ut intelligamus, Augustinum nullis humanis defectibus obnoxium; sed rarioribus levioribusque. Cùm nullus sit Sanctus cui non irrepat aliquando judicii sicut & voluntatis lapsus.

Respondeo 1°. nos non negare, quòd Augustino contigerit aliquando judicii non secùs ac voluntatis lapsus (prout de seipso humiliter fatetur, in duobus Retractationum libris;) sed eos ibidem correxit, nec in illis finaliter permansit. An plures lapsus correxisset, si opus Retractationum (uti statuerat) prosecutus fuisset? incertum; cùm in pluribus libris à se retractatis nihil correxerit (ut constat omni legenti lib. 2. Retract.) nec proinde consectarium sit, quòd corrigere statuerat illos alios, quos statuerat retractare. Neque enim id solùm retractatur quod corrigitur, erratumque agnoscitur; sed illud etiam, quod absque correctione denuò tractatur, seu recognoscitur, revidetur, &c. prout constat ex libris proximè dictis.

Respondeo 2°. Ex eo quòd Augustinus (qui 147
aliis in materiis, librisque suis, tanta cum humilitate correxit agnovitque vel minimum lapsum suum, etiam solius vocis minùs congruæ) nihil correxerit in suis contra Pelagianos libris, licèt à se retractatis, præsertim in materia de Gratia (ut videre est l. 2. Retract. c. 33. 36. 37. 42. 50. 61. 62. 66. 67.) signum est, moraliter certum, quòd nullum in se judicii vel incongruæ vocis lapsum iis in libris agnoverit; utpote quem alioqui cum cæteris correxisset. Si verò tantus, tamque humilis Doctor, nullum ibi lapsum agnoverit; qui sunt isti, qui, iisdem in libris, & materia, quam ibi pertractat, contra communem SS. Patrum sensum, tamque solemnes Ecclesiæ approbationes, judicii lapsum Augustino tribuere non verentur?

Objicies 3°. Doctrina Augustini solùm uni- 148
versim, sive in genere approbata est, non in specie,

specie, quoad omnia singulaque placita ipsius.

Respondeo: sic approbata est universim, ut approbata sit absque exceptione. Quod autem sine exceptione approbatum est ab Ecclesia, ut sic approbatum recipere, ac sine exceptione nos quoque approbare debemus, dicereque cum Prospero (hanc ipsissimam Semipelagianorum objectionem versante) lib. contra Collatorem c. 42. *Apostolica Sedes, quod à præcognitis sibi non discrepat, cum præcognitis probat, & quod judicio jungit, laude non dividit.*

149 Objicies 4°. Augustini authoritas non ita est irrefragabilis, ut si contradicat ipsi Hieronymus (quem *in exponendis Scripturis Doctorem maximum* Ecclesia nuncupat in Festo ipsius) vel Chrysostomus, vel aliquis alius è gravioribus Patribus, ab Ecclesia pariter approbatis & commendatis, non liceat, relicto Augustino, sequi Hieronymum, vel Chrysostomum, &c.

Respondeo 1°. Hieronymum subinde quidem in minutioribus, circa Scripturæ intelligentiam, Augustino contradicere; sed hinc ad summum consequi aliquem paris cum Hieronymo sapientiæ & authoritatis posse in ejusmodi Augustino contradicere; non verò modernos Casuistas, vel Molinistas, seu alios Noviores, non paris cum Hieronymo authoritatis, imò velut nanos in comparatione istius Gigantis, nisi evidenter fulciantur authoritate Hieronymi, vel paris S. Doctoris. Quorum proinde ferenda audacia non est, dum ipsos non pudet Augustino errorem tribuere.

150 2°. Augustinum tempore Hieronymi nondum fuisse tot & tantis SS. Pontificum, Conciliorum & Patrum approbationibus supra cæteros exaltatum.

151 3°. In iis quæ Augustinus contra Pelagianos disputavit (de quibus potissimùm agimus) Hieronymum sibi in nullo contradicentem habuit, imò nec Chrysostomum, nec alios graviores Patres antiquos, prout ostendi to. 1. de Deo dist. 11. de prædest. n. 225. Quamvis enim quidam ex ipsis, ante exortam Pelagianam hæresim, adeò lubricè locuti sint, ut nonnullis visi sint semipelagianizare, piam tamen explicationem admittunt, ut ibi videre est.

152 4°. Dato, non concesso, quòd aliquem, vel aliquos (ea in materia) sibi contradicentes habuisset, præ illis adhuc sequendus esset, utpote ea in materia destinatus à divina providentia, approbatusque ab Ecclesia, sicut & ab omnibus post Augustinum Patribus, tamquam in ea materia præcipuus, tamquam Doctor Doctorum, Pater Patrum, &c. Cui etiam Deus, ut Pelagianos Semipelagianosque potenter debellaret, maxima præ cæteris sapientiæ cælestis dona contulit, quibus munitus diligentissimè tot annis, tamque copiosis scriptis, præ aliis omnibus, ex professo laboravit, ubi alii ante exortam illam hæresim, nonnisi obiter de illa materia locuti sunt, prout ipsemet Augustinus testatur in l. de prædestin. Sanct. c. 14. dicens: *Quid opus est ut eorum scrutemur opuscula, qui priusquam ista hæresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad solvendum quæstione versari. Quod procul dubio facerent, si respondere talibus cogerentur; unde factum est, ut de Gratia Dei quod sentirent, breviter quibusdam scriptorum suorum locis, & transeunter attingerent; immorarentur verò in eis, quæ adversus alios Ecclesiæ inimicos disputabant.*

153 5°. Tametsi authoritas Augustini, in materia Gratiæ, non sit irrefragabilis, hoc sensu, quòd ei in nullo puncto refragari liceat, salvâ fide: aliquo tamen sensu irrefragabilem declarat Innocentius XI. in Bulla n. 169. referenda, utique hoc sensu, quòd non liceat eam erroris arguere, vel in ea materia Doctorem alium ipsi præferre; vel etiam hoc sensu, quòd nemo probabiliorem ea in materia possit doctrinam tenere.

154 Objicies 5°. Non est cur, ob gravem rationem, ex adverso stantem, ab Augustino recedere non liceat: cùm authoritas ipsius non sit majoris ponderis, quàm rationes ipsius evincant.

Respondeo negando antecedens: quia rationes contra doctrinam tanti Doctoris privatim occurrentes, ex dictis Prolegom. 1. & 2. haberi debent suspectæ, easque (citra necessitatem manifestè cogentem) ipsius authoritati præferre, est inniti prudentiæ suæ. Deinde propositionem istam: *Augustini authoritas non plus valet, quam rationes (quas allegat) evincant*, Generalis Inquisitio Vallisoletana meritò proscripsit. Si enim rationes, quas allegat, convincentes tibi non videantur, convincentes visæ sunt Augustino, cujus judicium præferendum est tuo.

155 Objicies 6°. Quid si in scriptis Hieronymi contra Rufinum reperiatur aliquid contra Augustinum? Hieronymum, datâ hypothesi, præferendum Nicolaus Du Bois probat ex eo quòd de scriptis illis Gelasius, cum Concilio Romano, dicat: *Illa sentimus, quæ Hieronymum sentire cognoscimus. Et non solùm de Rufino, sed etiam de universis quos vir sapius memoratus zelo fidei & religionis reprehendit.*

Respondeo id objici minùs reverenter in Augustinum, & in SS. Pontifices ac Patres, qui tam mirificè doctrinam Augustini commendarunt, ab erroreque immunem declararunt. Gelasius verò, cum Romano Concilio, de S. Augustino non loquitur, sed de iis quos Hieronymus de errore, zelo fidei & religionis, reprehendit; Augustinum verò Hieronymus in scriptis illis zelo fidei & religionis non reprehendit.

156 Objicies 7°. Nequidem in materia de Gratia authoritatem per omnia infallibilem Augustino tribuit Ecclesia; cùm Cælestinus Papa in epist. ad Episc. Gall. c. 13. dicat: *Profundiores difficiliores que intercurrentium quæstionum partes, quas latiùs pertractarunt, qui hæreticis restite-*

runt, ſicut non audemus contemnere, ita non neceſſe habemus aſtruere: quia ad conſtendam Dei Gratiam... ſufficere credimus quidquid ſecundùm prædictas regulas Apoſtolicæ Sedis nos ſcripta docuerunt.

Reſpondeo 1°. Cæleſtinum ibi non tangere ullas Auguſtini de Gratia ſententias, quas Auguſtinus ipſe, velut Catholicæ fidei dogmata, adverſus Pelagianos & Semipelagianos conſtanter aſſeruit; ſi quas enim hujuſmodi ſententias opinione liberas Pontifex cenſuiſſet, eo ipſo cenſuiſſet Auguſtinum in iis modum neceſſarium exceſſiſſe, velut fidei & Eccleſiæ dogma aſſerendo, quod fidei & Eccleſiæ dogma non eſſet; cùm tamen Semipelagianorum audaciam idem ſanctiſſimus Pontifex reprehenderit, quòd Auguſtino, *tamquam neceſſarium modum exceſſerit, obloquerentur.* 2°. Summos Pontifices, Cæleſtini ſucceſſores, S. Auguſtini de Gratia doctrinam, contra hæreticos conſtanter ab ipſo propugnatam, univerſim & indiſtinctè probaſſe. 3°. Cæleſtinum per *profundiores difficilioreſque partes intercurrentium quæſtionum*, eas non intellexiſſe, quæ per ſe & directè ſpectant ad defenſionem Gratiæ, controverſiaſque inter ipſum, Pelagianoſque ac Semipelagianos agitatas; ſed quas ideò Pontifex *intercurrentes* vocat, quia ex occaſione dumtaxat controverſiarum illarum Auguſtinus tractavit, quas latiùs quidem pertractavit, multiſque & variis rationibus agitavit, ſed de iis vix quidquam definivit. Cujuſmodi ſunt iſtæ? *Quomodò traducatur peccatum originale? Quæ ſit natura concupiſcentiæ? Quænam animæ origo?* Et ſimiles. Quas, quia Auguſtinus ſolùm diſputativè pertractavit, non omninò definitivè; non putavit Pontifex definiendas: quia non putavit omnibus ſcitu neceſſarias. Videatur Auguſtinus de dono Perſev. c. 11. dicens: *Quæſtiones operoſiſſimas incidentes enucleatè ſolvere nolui, &c.*

157 Objicies 8°. Dum Hormiſdas Papa dicit, Eccleſiam in materia Gratiæ, ſequi & ſervare doctrinam Auguſtini, id intelligendum non eſt abſolutè, ſed limitatè ad ſola puncta fidei, in quibus Fauſtus (contra quem ibi agit) ab Auguſtino diſſidebat. Et idem eſt de aliis hujuſmodi aliorum Pontificum approbationibus, quos ita intelligendos ſubjecta indicat materia, de qua agunt. Siquidem *intelligentia dictorum, ex cauſis aſſumenda eſt dicendi* c. 6. de verb. ſignif. In hac objectione multùm confidit Nicolaus Du Bois in tota ſua quæſtione Theologica de authoritate S. Auguſtini.

Reſpondeo, prorſus negando, ſubintelligendam limitationem illam, quam nec SS. Pontificum verba præ ſe ferunt, nec ſubjecta materia evincit. Eo namque modo Pontifices per generalem Auguſtini commendationem, approbationemque, redarguunt impugnatores illius in caſu particulari, quo per rationem vel regulam generalem in ſacris Canonibus plerùmque reſolvunt caſum particularem. Quo etiam Apoſtolus Rom. 14. dicens: *Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt*, Auguſtino teſte 4. contra Julianum 3. *peccati ſpeciem de qua agebatur* (de cibis utique) *generali voluit probare ſententiâ.* Quemadmodùm ergo, ob regulam juris objectam, *intelligentia dictorum*, &c. non licet generalem ſententiam hanc, vel regulam, reſtringere ad ſolum caſum particularem; ſic non licet generalem approbationem commendationemque doctrinæ S. Auguſtini, in generalibus Hormiſdæ, vel aliorum SS. Pontificum verbis expreſſam, reſtringere ad ſolam particularem materiam fidei, in qua ibi Fauſtus arguitur. Maximè cùm certiſſimum ſit, approbationem illam à SS. Pontificibus intellectam non fuiſſe cum illa limitatione; ut patet ex eo quòd Joannes II. in epiſt. ad Anienum, alioſque Senatores, generali illâ approbatione prorſus alia in materia utatur, agendo utique in particulari contra Neſtorianos. *S. Auguſtinus* (inquit) *cujus doctrinam ſecundùm Prædeceſſorum meorum ſtatuta, Romana ſequitur & ſervat Eccleſia, in l. 11. de Civit. Dei, ſic dicit: Credimus.... quòd Pater genuerit Verbum, &c.* An quia hic Pontifex generali illâ Auguſtini commendatione, utitur in materia particulari contra Neſtorianos, licet eam reſtringere ad materiam iſtam particularem? certum eſt quòd non. Intelligentia itaque dictorum, ſic aſſumenda eſt ex cauſa materiali dicendi, ut ad materiam illam non debeat nec poſſit ſemper limitari; ſed tunc ſolùm, cùm cauſa materialis dicendi eſt cauſa unica & adæquata dicti. Quod in præſenti non accidit.

Objicies 9°. Alleganti authoritatem Auguſtini, idem poteſt reſponderi, quod ipſe l. 2. contra Creſconium 32. reſpondit alleganti authoritatem Cypriani: *Authoritate non teneor, quia litteras Cypriani non ut Canonicas habeo.* 158

Reſpondeo quòd idem reſponderi poſſet, ſi caſus ſimilis accideret, ſi utique Eccleſia contra Auguſtinum ſentiret, uti contra Cyprianum ſenſiſſe patet ex eo quod Auguſtinus ibi ſubjungit: *Non accipio, inquam, quod de baptizandis hæreticis & ſchiſmaticis B. Cyprianus ſenſit; quia hoc Eccleſia non accipit.*

Objicies 10°. Ipſemet Auguſtinus in epiſt. ad Marcellinum de ſe ingenuè confitetur: *Si me talem aſſeritis.... ut me nuſquam Scriptorum meorum erraſſe dicatis, fruſtrà laboratis, non bonam cauſam ſuſcipitis.* 159

Reſpondeo Auguſtinum 1°. hoc non dixiſſe de ſcriptis ſuis finaliter retractatis, ſed de operibus ſuis ſecundùm quod aliquando ſcripta fuerunt, & de ſcriptis ſuis abſolutè ſpectatis, non ſecundùm quod ſubſtant SS. Pontificum, Conciliorum & Patrum approbationi, quâ conſecrata ſunt, tamquam ſcripta præcipui Eccleſiæ Doctoris, ab omni erroris ſuſpicione aliena, irrefragabiliaque ſenſu dicto n. 154. 2°. Id non dixiſſe de iis quæ contra Pelagianos ſcripſit; nec de iis ſuum illud dictum intellexiſſe, ſatis colligitur ex eo quòd, ea in materia nihil, prout in aliis, retractarit.

Objicies ultimò: Auguſtinus, impugnando Pelagianos, ardore diſputationis, ſubinde 160

plus

plus dixit quàm dicere debuit.

Respondeo hoc perinde esse, ac dicere (cum Semipelagianis) quòd disputando contra ipsos, necessarium excesserit modum; quod, ut præsumptuosum, Cælestinus Papa redarguit suprà n. 129. Nec certè aliò tendunt hujusmodi dicta, nisi ad extenuandam æstimationem Augustinianæ doctrinæ, tantoperè ab Ecclesia „ commendatæ. Quapropter „ Gregorius XIII. „ Cælestinum imitatus, Scriptori cuidam, inve„ recundiùs adversus Augustinum agenti, plura„ que ejus generis pollicenti, silentium indixit, „ atque à scribendo in posterum abstinere jus„ sit, „ prout à teste fide digno se accepisse refert Facultas Lovaniensis in Justific. censuræ suæ parte altera pag. 256. Edit. Paris. anni 1641. addens se justam ob causam parcere nomini Scriptoris istius.

CAPUT XIX.

Sanctorum Augustini & Aquinatis dogmata nullo in puncto contraria sunt Decretis SS. Pontificum.

161 INter Augustinianæ doctrinæ depressores, sunt qui eximiam S. Augustini extenuare conantur authoritatem, plures ex damnatis in Bajo (ut vulgò fertur) propositionibus ipsi affingendo, hanc v. g. *Omnia infidelium opera, imò omnia peccatorum opera, sunt peccata.* Cujus Authores Augustinum & Prosperum facit Maldonatus in c. 6. Matth. v. 18. cujus specialem hac de re aberrationem, dum infrà suo sumus ostensuri loco, contenti hîc erimus, generalibus argumentis evincere, duorum illorum Sanctorum dogmata nullo in puncto contraria esse Decretis SS. Pontificum.

162 Id igitur efficaciter ostendo. Quia si aliquo in puncto contraria forent Decretis SS. Pontificum, maximè quia aliquæ alterutrius S. Doctoris sententiæ damnatæ forent per Bullam Pii V. Gregorii XIII. & Urbani VIII. contra Bajum, vel per Bullam Innocentii X. & Alexandri VII. contra Jansenium. Atqui certissimum est, nullas, sive Augustini, sive Aquinatis sententias, per Bullas istas esse damnatas. Ergo. Major est illud ipsissimum quod adversarii prætendunt. Minor probatur 1°. ex tot tamque mirificis elogiis, quibus SS. Pontifices, Patres, imò Catholicus Orbis universus, doctrinam utriusque S. Doctoris non modò consecrarunt, sed & integerrimam, sanissimam, purissimam, inconcussam, tutissimam, atque ab omni specie erroris alienissimam, absque ulla exceptione vel limitatione declararunt. Quæ profectò elogia ficta essent, ac mendacia, si alterutrius doctrina aliqua ex parte damnata foret per Bullas supradictas. Illaque præsertim elogia ficta essent ac falsa, quibus Alexander VII, Clemens X. & Innocentius XI. post omnes illas contra Bajum & Jansenium Bullas, traditam ab utroque doctrinam commendarunt.

163 Quippe falsum imprimis foret elogium istud Alexandri VII. in Brevi ad Facultatem Lovanienſem de die 7. Augusti 1660. *Non dubitamus quin.... præclarissimorum Ecclesiæ Doctorum, Augustini & Thomæ, inconcussa tutissimaque dogmata sequi semper, ac impensè revereri velitis. Quorum profectò sanctissimorum virorum penes Catholicos universos, ingentia, & omnem laudem supergressa nomina, novi præconii commendatione plane non egent.* Ibi namque Pontifex simpliciter & sine restrictione *inconcussa tutissimaque* pronuntiat utriusque dogmata. Non forent autem simpliciter, & sine restrictione talia, si forent in aliquo per Bullas supradictas condemnata.

Falsum quoque esset, quod de eodem Au- 164
gustino Clemens X. in Bulla Augustinianis data anno 1671. pronuntiat: *Eximia, omnisque humanæ laudis præconium longè supergressa S. Augustini.... Ecclesiæ Doctoris præcellentissimi (qui Spiritu Dei plenus, hæresum, errorumque tenebras, tamquam fulgentissimum christianæ eruditionis jubar, profundissimis simulque sole clarioribus scriptis profligavit....) decora grato devotoque mentis affectu recolentes, &c.* Sicut & illud Innocentii in Bulla data anno 1677. pro festivando in Regnis Hispaniarum S. Augustini die: *Optimus ille Magister.... Ecclesiam Dei editis ad orthodoxæ fidei defensionem, sacræque doctrinæ elucidationem, vitæque & morum ex Christi institutione formandorum* (nota benè) *institutionem, tot clarissimis atque irrefragabilibus scriptis longè latèque illustravit, illustrareque hodie non cessat; &c.* Neque enim Augustini scripta, absque exceptione ulla, verè dicerentur *sole clariora*, nec *irrefragabilia*, si in aliquo, vel aliquibus punctis, damnatarum in Bajo vel Jansenio propositionum fuligine infuscata, obtenebrataque forent.

Falsum denique esset, quod de eo Cælesti- 165
nus Papa in epist. ad Episc. Galliæ prædicavit, quòd utique eum *numquam sinistræ suspicionis rumor aspersit.* Aliaque hujusmodi, quæ Romani Pontifices de ipso magnificè dixerunt. Nefas est autem, nèdum credere, sed & suspicari Ecclesiam, summosque Pontifices falsis ac confictis elogiis Augustini Thomæque doctrinam commendare voluisse.

Probatur minor 2°. Quod enim attinet ad 166
Bullam Innocentii X. & Alexandri VII. ipsemet Innocentius X. die 13. Junii 1653. id declaravit, ut patet ex epistolâ Legati Regis Christianissimi ad Dominum Comitem de Brienne, eidem Regi ab intimis secretis, datâ Romæ 16. ejusdem mensis & anni, cujus verba exhibentur infrà Proleg. 6. n. 55.

Sed & in Congregatione Generali S. Inqui- 167
sitionis die 23. Aprilis 1654. idem Pontifex rursum declaravit, se (non obstante suâ contra Jansenium Constitutione) quæstionem de auxiliis, seu celebrem de Gratia per se efficaci controversiam eo in statu relinquere, in quo erat sub Paulo V. & Urbano VIII., utpote quorum decreta hac de re voluit ibi observari. At verò " Paulus V. Romanus Pontifex de " gravi illa ac molesta controversia, de auxiliis "

divinæ Gratiæ, & libero arbitrio (quam inter
" Religiosos Prædicatores, & Societatis Jesu,
" sub Clemente agitatam innuimus) quibus ipse
" Paulus cum cæteris Cardinalibus illius Congre-
" gationis semper interfuerat, conticescere jus-
" sit, sanxitque postmodùm, ut utrisque, dum
" aliud decernatur, liberum esset, suam senten-
" tiam in scholis modestè tueri, sed sine dam-
" natione alterius partis.

168 Præterea Alexander VII. in Brevi ad Episc. Gall. directo 29. Junii 1663. eamdem doctrinam de Gratia per se efficaci sanam declaravit: cùm enim Illustriss. D. Gilbertus de Choyseul, tunc Convenarum, posteà Tornacensium Episcopus, ad ipsum quinque misisset articulos, quibus Gratia per se efficax, illiusque ad benè agendum (ultra sufficientem) necessitas, secundùm Augustini & Aquinatis, communemque utriusque Discipulorum doctrinam, defendebatur: gratulatus est Pontifex de sana eòrumdem articulorum doctrina, Episcopisque Galliarum testificatus est gaudium suum, quòd Gratiam taliter explicatam propugnantes, suo exemplo, consilio & operâ, ad saniorem doctrinam induxissent alios apud S. Sedem delatos, tamquam propugnatores quinque articulorum in Jansenio damnatorum, ut videre est apud Gonet to. 1. Clyp. Theol. in Apologia Thomistarum a. 8. ubi profert exemplar memorati Brevis, articulorumque ab Illustriss. Convenarum Episcopo ad Alexandrum VII. transmissorum. Denique S. D. N. Innocentius XII. in Brevi ad Facultatem Lovanien sem de 6. Februarii 1694. Sanctos Augustinum & Thomam adeò commendat, ut dicat: *Hos dum Universitas vestra doctrinæ Duces secuta fuerit, securè pugnabit contra hostes orthodoxæ fidei, in Ecclesiæ gloriam & ædificationem.*

169 Nulla proinde difficultas superesse potest quoad Bullam Pii V. Gregorii XIII. & Urbani VIII. contra 79. propositiones. Quarum aliquæ, nimirum 16. 25. 27. &c. à nonnullis tribuuntur Augustino: eo quòd secundùm perspicua ejus testimonia, suo loco producenda, sine aliquo, imperfectò saltem, afflatu charitatis generaliter dictæ, seu amoris Dei propter se, nulla sit voluntas usquequaque bona; nulla virtus debitis omnibus, tam ex parte operis, quàm ex parte operantis, circumstantiis ornata, nullumque proinde opus undique bonum, sive debitis omnibus circumstantiis vestitum. Ex quo Augustinus insuper conficit, nullum opus usquequaque bonum, debitisque tam ex parte operis, quàm ex parte operantis, circumstantiis ornatum, sine Gratiâ effici posse. Quippe verus Dei propter se amor, ad id necessarius, non ex hominibus, sed ex Deo est, prout Augustinus tam asseveranter tradit, ut aliàs vicisse Pelagianos testetur l. de Gratia & lib. arbit. c. 18. ubi expressè loquens de charitate, sine qua (ut ibidem ait) *quidquid se putaverit homo facere benè, si fiat sine charitate, nullo modo sit benè*; de ea dicit: *si non ex Deo* (per Gratiam, ut contextus manifestat) *sed ex hominibus, vicerunt Pelagiani: si autem ex Deo, vicimus Pelagianos.* Legatur contextus istius capitis, attendaturque scopus totius illius operis, & liquidò apparebit, verborum hunc esse sensum: charitas, ad omne opus usquequaque bonum necessaria, si non necessariò sit ex Deo per Gratiam, sed esse possit ex hominibus per solas naturæ vires, vicerunt Pelagiani: si autem necessariò est ex Deo per Gratiam, & non possit esse ex hominibus per solas naturæ vires, vicimus Pelagianos.

Hinc patet Augustinum in eo quòd nullum 170
opus usquequaque bonum esse queat sine aliquo Dei propter se amore, isque ex Deo sit per Gratiam, nec esse possit ex hominibus per naturam; in duobus, inquam, principiis istis fundasse suam contra Pelagianos doctrinam, de necessitate Gratiæ ad omnes & singulos ejusmodi actus, prout suo loco fusiùs ostensuri sumus. Revera namque duobus illis principiis subvertit tres capitales Pelagianorum errores, ostenditque 1°. absolutam Gratiæ necessitatem ad benè operandum: 2°. per consequens nullum esse meritum, nisi ex Gratia, quam proinde nulla præcedunt merita: 3°. veram Christi Gratiam non esse liberum arbitrium, neque legem atque doctrinam, neque solam internam intellectûs illuminationem, sed charitatis inspirationem. Quæ tribus capitalibus erroribus ipsorum diametraliter adversantur.

At vel hinc apertè conficitur, in nulla ex 171
damnatis illis 79. propositionibus, damnata esse duo illa Augustini principia, nec proinde damnatam esse doctrinam ejusdem num. 170. relatam, innumeris testimoniis ipsius perspicuè in sequentibus comprobandam. Asserta namque ab Augustino contra Pelagianos de Gratia, Gratiæque necessitate doctrina, in erroris, seu damnatæ per Ecclesiam doctrinæ suspicionem adduci non potest sine Ecclesiæ injuria, & sine manifesto viginti & ampliùs SS. Pontificum contemptu, ut constat ex dictis à num. 25. ad 34. " Nihil enim ita admirabilem "
& suspiciendum Ecclesiæ reddidit Augustinum, "
quàm de Gratia doctrina," inquit Suarez to. 7. de Gratia Prolegom. 6. c. 6.

Hæc est enim illa doctrina, quam SS. Pon- 172
tifices ita probavere, ut ad eam fideles remitterent, ex ipsa intellecturos, quid Catholica sequatur & asseveret Ecclesia, ut vidimus n. 129. Hæc est illa doctrina, ex qua Bonifacius Papa, tametsi doctissimus, *adversus Pelagianorum libros responsa poscebat*, ut vidimus n. 126. Hæc est illa doctrina, ex qua ipsamet Concilia suos de Gratia & libero arbitrio Canones verbotenus excerpserunt, ut vidimus n. 128.

Hæc est illa doctrina, cujus ductu Catholi- 173
ca acies tam glorioſam de Pelagianis ac Semipelagianis victoriam reportavit, ut vidimus n. 126. ita ut divina providentia, sicut contra Valentinianos & Gnosticos, Hieronymum: contra Arrianos, Athanasium & Hilarium: con-

tra Nestorianos Cyrillum nostrum Alexandrinum : contra Eutychianos, Leonem Papam : sic contra Pelagianos ac Semipelagianos elegit suscitavitque Augustinum. Cujus proinde adversus ipsos doctrinam (maximè fundamentalem illam, ex qua pendere ipse credidit victoriam) in suspicionem adducere, foret suspectam reddere Augustini, & Ecclesiæ per Augustinum, de Pelagianis Semipelagianisque victoriam. Foret ipsi detrahere mirificam illam approbationem authoritatemque, quam Sedes Apostolica toties illi detulit. Foret Ecclesiam ipsam nimiæ credulitatis arguere, tamquam quæ „ immeritò tam fidenter judicium ejus in „ hac doctrina fuisset secuta, „ inquit Suarez ubi suprà. Foret suscitare propositiones ab Hispanica Inquisitione damnatas : *Augustini quædam dogmata ab Apostolica Sede in terminis damnata sunt. Si triumphus Ecclesiæ de Pelagianis niteretur posterioribus Augustini scriptis, immeritò de eis illa triumphasset. Volentem sustinere partes Juliani, non posse Augustini rationibus convinci, &c.* Foret denique falsitatis ac mendacitatis arguere magnifica de doctrina ipsius elogia Cælestini Papæ, Alexandri VII. Clementis X. & Innocentii XI. n. 164. 165. & 166. recensita. Quod absit omninò.

174 Et confirmatur 1°. Quia sanctissimam Augustini doctrinam n. 170. propositam, in damnatorum illorum articulorum suspicionem adducere, foret omnes ferè Patres, qui, post ipsum, sapientiâ suâ Dei Ecclesiam illustrarunt, de eadem damnatione suspectos reddere. In illa quippe doctrina Augustinus Sectatores habuit omnes ferè Patres, qui post ipsum floruerunt, non solùm utique Hilarium, Prosperum, Fulgentium, Mamercum, Sidonium, Avitum, Joannem Antiochenum, Orosium, Cæsarium, V. Bedam, Petrum Diaconum, Venantium, Anselmum (Augustini Discipulos) verùm etiam Gregorium Magnum, Leonem, Bernardum, aliosque communiter Patres, imò & Concilia Arausicanum, & Milevitanum, prout in sequentibus ostendemus: ita ut illa Augustini doctrina, non jam privati Doctoris, sed communis SS. Patrum, imò communis Ecclesiæ doctrina meritò videri possit. Communem autem Ecclesiæ, vel SS. Patrum doctrinam, in suspicionem damnationis sapiens non adducet.

175 Confirmatur 2°. Quia Ecclesiæ Romanæ consuetudo non est, veterum ac præcipuorum Ecclesiæ Patrum dogmata convellere, sed stabilire : incredibile ergo est, nec (sine expressa ipsius declaratione) præsumendum, quòd convellere voluerit dogmata tanti Doctoris, quem *ut præcipuum Ecclesiæ lumen*, principalemque Christiani Orbis post Apostolos Magistrum, Pontifices & Patres communiter omnes semper commendaverunt, cujus & doctrinam toties & tam mirificè approbarunt. Quid enim dicerent hæretici, si Ecclesia Romana, post tot & tam solemnes approbationes, tamque mirificas commendationes Augustinianæ doctrinæ, ipsam aliqua ex parte damnasset, docerique prohibuisset ? hinc certè campum haberent apertum, amplamque occasionem resumendi vires, doctrinalesque Ecclesiæ sententias irridendi ; utpote quæ toties simpliciter, & absque restrictione, tam magnificè suscepisset commendassetque doctrinam, quam postmodùm, velut hæreticam, erroneam, vel scandalosam condemnasset. Hanc rationem allegat Felix Papa epist. 1. dicens : *Cunctis hæresibus.... resumendi vires, atque in usus pristinos redeundi, latus campus aperitur, si semel quod à Majoribus nostris est dispositum, qualibet occasione pulsetur.* Allegat & Hilarius in lib. de Synodis : *Non damnemus Patres, ne animemus hæreticos ; ne, dum hæresim expellimus, hæresim nutriamus.* Unde cùm Vigilius Papa, in sua Constitutione adversus Theodorum Cæsariensem to. 4. Conciliorum, sexaginta circiter propositiones ipsius condemnasset, subjunxit : *His igitur competenter & per orthodoxæ fidei regulas Apostolicæ sententiæ authoritate damnatis, constituimus, ut ex omnibus istis..... nulla injuriandi præcedentes Patres, vel Doctores Ecclesiæ, præbeatur occasio : anathematizantes omnem.... qui Patribus & Doctoribus Ecclesiæ contumeliam ex suprascriptis impietatibus quodammodò adscribere, vel irrogare voluerit.*

Confirmatur 3°. Quia plures Pontifices re- 176
stificati sunt, se per decreta sua nullum Augustini doctrinæ præjudicium inferri voluisse, ut constat partim ex dictis n. 167. partim ex jurato testimonio Synnichii Doctoris Lovaniensis, quo coram Waltero Vander Waterfort, Notario publico, & duobus testibus ad id vocatis, in forma authentica 22. Februarii 1647. Lovanii in Majori Collegio, testificatus est : "quòd in audientia, quam à felicis recordatio- cc
nis Urbano VIII. summo Pontifice obtinuit die cc
26. Novembris 1643. sub horam nonam ante- cc
meridianam, idem sanctissimus Dominus Ur- cc
banus vivæ vocis oraculo dixerit ipsi Domino cc
comparenti (Synnichio) præsentibus clarissi- cc
mo D. Cornelio Papio, & Venerabili Domino cc
Petro Vercanteren, tria sequentia. Primò se cc
per Bullam, seu Constitutionem suam, occa- cc
sione libri D. Jansenii Episcopi Iprensis.... non cc
aliud intendisse, quàm confirmare Bullam Pii cc
V. & Gregorii XIII. pridem confirmatam.... cc
Tertiò, non fuisse intentionis suæ, per Bul- cc
lam illam procreare ullum præjudicium doctri- cc
næ B. Augustini, & eos, qui contrarium asse- cc
rere præsumerent, compescendos esse. cc

Confirmatur 4°. Quia ne quam hac de re 177
dubitationem tres nominati Pontifices Pius V. Gregorius XIII. & Urbanus VIII. relinquerent, in Bulla sua expressè addiderunt, nonnullas ex propositionibus illis aliquo pacto sustineri posse ; dum clausulam hanc adjecerunt : *quamquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent* ; nec id ad solum impropriam sensum restrinxerunt, sed simpliciter dixerunt, absque additamento hujus vel similis clausulæ : *impropriè, in significatione minùs propria, &c.* At-

tentis verò præmissis, nihil rationabilius dici potest, quàm declarationem istam à SS. Pontificibus ideò adjectam fuisse, ne quis Augustini doctrinam, vel probatorum ab Ecclesia Patrum, maximè præcipuorum Ecclesiæ Doctorum, per Bullam illam aliqua ex parte damnatam existimaret; sed ut sapiens quisque concluderet, saltem eas aliquo pacto sustineri posse, quæ præcipuos Ecclesiæ Patres, sanctosque Doctores, habent fidejussores, maximè Augustinum, inter ipsos præcipuum.

CAPUT XX.

De Augustini doctrina non benè sentiunt, nec reverenter loquuntur, qui dicunt, ei ad litteram non insistendum, utpote quæ haud minùs obscura sit, nec varios diversosque sensus minùs admittat, quàm ipsamet Scriptura sacra.

178 HOc utique, cum Annato, plerique alii contendunt Molinistæ, ideòque Augustini doctrinam, quàmlibet perspicuis verbis expressam, in sensus suos contra litteram obtorto collo trahunt. Sed perperàm. Tum quia hæreticis per hoc exemplo sunt, SS. Doctorum testimonia, quàmlibet perspicua, contra litteræ expressionem, in sensus suos trahendi, eludendi, inefficaciaque atque inutilia reddendi, ad eruendam ex iis traditionem, veramque Scripturæ divinæ intelligentiam. Tum quia Augustinus à SS. Pontificibus & Conciliis, vocatur *clarissimum Ecclesiæ lumen, sol Ecclesiæ, &c.* cujus luminosâ claritate, eadem Concilia & Pontifices, usi sunt ad Scripturam exponendam, dissipandasque obscuritates ac tenebras, ex Pelagianæ hæreseos reliquiis Catholicorum quorumdam Episcoporum mentibus offusas. Augustinique expressiones adeò claras, adeò expressas, adeò exactas, proprias & decisivas Ecclesia censuit, ut clariores, expressiores, exactiores non invenerit ad concinnandos plerosque Canones suos.

179 Denique pro clara divinæ Scripturæ intelligentia, ad Augustini, aliorumque SS. Doctorum expositionem, contra hæreticorum errores semper recurrit, dumque duas inter partes circa Scripturæ intelligentiam controversia fuit, verum sensum ipsius ex Sanctorum traditione petendum semper docuit, semperque recurrit ad sensum in Ecclesia primitiva receptum, in qua Scripturarum Apostolicarum vera intelligentia ab Apostolis vivâ voce tradita fuit discipulis ipsorum, & à discipulis ad eorum successores, quasi de manu in manum transmissa fuit; methodumque istam semper Concilia tenuerunt, Orthodoxi semper approbarunt, soli hæretici recusarunt. Pernicioseè ergo dicitur, sanctorum Doctorum expositiones perinde obscuras esse, atque Scripturam ipsam quam expositerunt; aliàs inutilis fuisset expositio ipsorum. Cùm obscurum per æquè obscurum non benè exponatur.

180 Et ideò licèt Canonici Scriptores, *ad exercendas & elimandas quodammodò mentes legentium, & ad rumpenda fastidia, atque acuenda studia discere volentium... utili & salubri obscuritate* sensum Spiritûs Sancti obvolverint; *sic* tamen *illi locuti sunt, ut posteriores, qui eos rectè intelligerent, & exponerent, alteram gratiam, disparem quidem, verumtamen subsequentem, in Dei Ecclesia reperirent. Non ergo expositores eorum ita loqui debent, ut tamquam seipsi exponendos simili authoritate præponant, sed in omnibus sermonibus suis primitùs ac maximè ut intelligantur elaborent.* Augustinus de doct. christ. l. 4. c. 8.

Sanctorum ergo Doctorum labor & stu- 181
dium semper in eo fuit, ut divinam Scripturam clarè atque evidenter exponerent. Cujus *evidentiæ diligens appetitus aliquando negligit verba cultiora, neque curat quid benè sonet, ne verbum obscurum sit vel ambiguum.* Ibidem c. 8.

Hanc igitur regulam à se traditam haud du- 182
biè secutus est Augustinus, & ideò S. Prudentius, Trecensis Episcopus, contra Joannem Scotum, clarissima Augustini testimonia confictis à se glossis obscurare atque eludere prætendentem, sic scribit de Prædestin. c. 11. n. 2. *Quis non horreat hanc tuæ perversitatis amentiam, ut Orthodoxos tractatores sanctarum Paginarum, quibus omninò studii fuit, abstrusa aperire, clausa reserare, figurata explanare, obscura elucidare, dicat vel ea non intellexisse, vel invidè suppressisse? Quomodò in suis litteris atque explanationibus figuratæ locutionis modo uterentur, qui ad hoc ipsum easdem expositiones susceperunt, ut omnes figuratas locutiones apertis dictionibus expedirent?*

CAPUT XXI.

Ratio cur nonnullis Recentioribus paradoxæ videantur propositiones quædam, in Augustino aliisque probatis Ecclesiæ Patribus certissimæ.

AUdiendus hac de re Albertus Pighius L. 183
6. Hierarch. Eccles. c. 4. " Paradoxa ut " videantur pleraque, quæ ex Theologicis illis " principiis " (Scripturâ & Patribus) " alioquin " sunt evidentissima, fecit sacrarum Litterarum, " & Ecclesiasticæ illius antiquitatis, Orthodoxo- " rumque Patrum, qui jam diù regnavit, ne- " glectus, & recepta pro illis profana quædam " ex suo tradendi, definiendique temeritas, " quâ humanis potiùs ratiunculis, quàm solidis germanisque Theologiæ principiis, omnia expediuntur, ad visæque rationis trutinam, non ad christianas inveniendæ Theologicæ veritatis regulas omnia librantur. Unde cùm ignis fatuus malesuadæ rationis humanæ, fingens laborem in præcepto, ipsi nimiùm innitentibus facilè illudat; facilè fit, quòd incauti sequaces illius tenebras pro luce, & pro tenebris lucem accipiant, ipsisque proinde insolitum videatur & paradoxum, quod aliis, germanos Theologiæ fontes consulentibus, sectantibusque, in iis apparet fundatissimum.

CAPUT XXII.

Ratio multiplex cur eadem propositiones ab indulgentioribus Recentioribus Bajanismi vel Jansenismi (licèt immeritò & calumniosè) insimulentur?

184 RAtio prima ex dictis Prolegom. 2. c. 9. est adhæsio nimia ad proprias opiniones, vel sodalitii sui, quâ fit, ut, etiam in rebus inter Catholicos adhuc controversis, nec adhuc ab Ecclesia determinatis, nihil verum, nihil orthodoxum existiment, nisi quod ipsi scribunt & docent, vel à magistris suis acceperunt.

185 Secunda ratio, est neglectus SS. Patrum, ut vidimus capite præcedenti. Venerandæ quippe antiquitatis neglectus facit, ut plerique damnent, quod ob animi præoccupationem non satis intelligunt, atque, ut alibi dixi, ideò caligare putant oculos aliorum, quia caligant oculi ipsorum; ideò aliòs errare putant, quia ipsimet errant; ideò aliis novitatem objiciunt, quia ipsimet novaturiunt; ideò alios Rigoristas appellant, quia doctrina ipsorum laxa est, prout Eminentissimus Aguirius sapienter observavit.

186 Tertia ratio est, ut hoc artificio imperitis, atque in doctrina Patrum minimè versatis, propositiones illas invisas reddant.

187 Quarta, ut earumdem propositionum assertores odiosos reddendo, suas ipsi opiniones liberiùs possint (depressâ eorum authoritate) diffundere, nec cogantur argumentis ipsorum respondere, quibus se vident difficulter posse satisfacere.

188 Quinta, ut à se amoliantur laxatæ disciplinæ notam, ad seque populi trahant plausum: quia nimirùm exaltari se putant, alios deprimendo. Sed eos redarguit Hieronymus epist. ad Demetriad. dicens: quòd *vilium hominum est, & suam laudem quærentium, alios viles facere, quia alterius vituperatione laudari se putant: & quia suo merito placere non possunt, placere volunt comparatione pejorum.* Ideò non debet, ob liberiores hujusmodi maledicentias, præjudicatarum amor opinionum invalescere contra doctrinam Sanctorum. Nec debent, qui zelum Dei & veritatis habent, ab incœpto desistere, dum pungi se vident stimulis contumeliæ. Neque enim SS. Patres abjecerunt veritatis patrocinium, propter similes maledicentias hæreticorum; quorum proprium semper fuit, Doctores orthodoxos velut hæreticos traducere, quo liberiùs possent errores suos disseminare. Nec novum est, doctrinam catholicam ab inimicis hæresim vocari, cùm vel ipsum Apostolum Judæi apud Felicem Præsidem accusarint tamquam *authorem seditionis sectæ Nazareorum*, quam & *hæresim* appellabant. Idque ideò, quia mortuorum resurrectionem, justorumque & iniquorum finale judicium prædicabat, ut videre est Act. 24. Sed ab ea prædicatione non ideò destitit; uti nec Augustinus a sua de Prædestinatione & Gratiâ doctrinâ, propter hæreseos notam ipsi à Semipelagianis inustam. Nec ignotum est, laxiorum, nuperque ab Alexandro VII. & Innocentio XI. proscriptarum opinionum patronos, simili artificio conatos fucum lectoribus & auditoribus suis facere, quo meliora sapientium, laxiorique ipsorum Ethicæ resistentium, tametsi integerrimorum, odiosam redderent doctrinam, & à se amolirentur laxatæ disciplinæ notam. Legatur Caramuel in Apologemate contra Illustriss. Fagnanum, ubi integerrimo sapientissimoque huic viro sæpiùs objicit Jansenismum, pro eo quòd ad caput *ne innitaris* de Constitut. liberiorem confutavit Probabilismum. Legatur & Casuistarum Apologia, cujus Author laxitatum suarum oppugnatoribus passim inurit Jansenismi notam. Sed infelici successu, qui patuit ex laxitatum ab ipsis assertarum Apostolicâ damnatione, decretisque Alexandri VII. quibus & Casuistarum Apologiam, & Caramuelis Apologema confixit. Legatur denique Memoriale Catholico Regi anno 1698. præsentatum, à Generali Inquisitione Hispanica, deinde à Romana proscriptum, quòd eo primarii viri injuriosè traducerentur ut Jansenistæ. Ideò noviores Casuistas, in improperando Bajanismo & Jansenismo nimis faciles, irridens Cardinalis Aguirius in Præfat. to. 1. Concil. Hispan. n. 37. post allatam sententiam quamdam Bellarmini; *Exeat* (inquit) *nunc aliquis Recentiorum quorumdam, & propterea Bellarminum Jansenismi aut Bajanismi arguat. Hanc enim notam, ex eodem doctrinæ morum severioris capite, inurere ausi sunt nonnulli plurimis aliis Catholicissimis Episcopis, Prælatis, Doctoribus & Scriptoribus, licèt nullo fermento hæreseos, vel doctrinæ erroneæ aspersis, & palàm rejicientibus illas quinque famosas Theses, ab Innocentio X. & Alexandro VII. fulguritas, atque in iis Illustrissimo Fagnano, quo neminem in sacris Canonibus doctiorem, aut celebriorem ætas nostra tulit. Sed calumnia hujusmodi, dum linguario oribus quorumdam injecto coërceri nequit, contemptu aut risu exsibilanda erit, juxta illud vetus adversus convitia injusta: spreta exolescunt.*

Immeritò ergo, & imperitè, calumnioseque 189
de Bajanismo vel Jansenismo notantur propositiones, quæ Augustinum vel Aquinatem, aliosve probatos Ecclesiæ Patres habent fidejussores, quasque proinde certissimum est (ex dictis c. 19.) nihil habere in Bajo vel Jansenio damnatum, sed probatam ab Ecclesia doctrinam: sive eandem Bajus quoque vel Jansenius asseruerit, sive non. Cùm sola illa doctrina notari possit ut Bajana vel Janseniana, quæ est in Bajo vel Jansenio damnata. Nec omne quod Bajus vel Jansenius asseruit, Bajanum sit vel Jansenianum; sed illud solùm, quod in ipsis est damnatum: sicut non omne quod Pelagius, Lutherus, Calvinus dixit, Pelagianum est, Lutherianum, Calvinianum; cùm certissimum sit nullius hæretici, imò ne Diaboli quidem,

dicta omnia esse falsa, sed hæreticum quemque, sicut & Diabolum, falsis vera permiscere. Propter quod Augustinus l. 2. de nuptiis & concupisc. c. 3. ait: *liberum in hominibus esse arbitrium, & Deum esse nascentium conditorem, utrique dicimus: non hinc estis Cœlestiani & Pelagiani.* Et S. Thomas 1. 2. q. 109. a. 1. ad 1. *Omne verum, à quocumque dicatur, est à Spiritu Sancto.* Ideò etiam doctissimus piissimusque Contenson to. 3. dissert. 6. c. 1. sapienter monet: „ iniquum esse, & planè tyrannicum, velle aliquem Authorem, ob aliquot propositiones damnatum, in aliis omnibus reprobare, damnatarumque propositionum reos asserere, qui, in aliis illæsis intactisque propositionibus, cum ipso consentiunt. Certè si juxta Patres licet veritates in libris Gentilium, velut in stercore gemmas lucentes, tamquam ab injustis possessoribus extorquere...: Si, teste Augustino l. 3. qq. Evangel. c. 4. *nulla falsa doctrina est, quæ non aliqua vera intermisceat.* Si ipsis hæreticis de suo schismate gloriantibus, applicat idem Pater illud Davidicum: *quoniam in multis erant mecum.* Cur non licebit cum Authore, aliàs Catholico, gravi & erudito, tametsi per incogitantiam in nonnullis sine pertinacia lapso, & Sedis Apostolicæ devotissimo, quidquam habere commune? cùm non ex hominibus fides, sed ex fide homines judicandi sint. Aliàs suspecta foret fides Trinitatis, quia eam Calvinus tutatur; suspecta realis Christi in Eucharistia præsentia, quia illam Lutherus non est inficiatus.

190 A similibus proinde improperiis, tamquam à veritate, justitia, charitate, Theologica gravitate, modestiaque alienis, sicut & à notandis propositionibus adhuc inter Catholicos hinc inde controversis, sapiens abstinebit juxta Pontificium in virtute S. Obedientiæ præceptum Prolegom. 2. n. 83. relatum, Apostolicasque comminationes ibidem n. 81. productas, maximè cùm inimicus sit humani generis, qui, hoc pacto, in Ecclesia Catholica inter filios ipsius seminando zizania, dissolvit charitatis vinculum, suscitat inter fratres scandalum, animarum impedit profectum: dum quicumque zelum habent Christianæ Ethices ad Evangelicas regulas, sanctorumque Patrum doctrinam revocandæ, tametsi integerrimi, tametsi religiosissimi, tametsi sapientissimi, tametsi à Jansenismo alienissimi, traducuntur ut Janseniani, usque adeò ut Terillus Anglo-Leodiensis è Societ. Scriptor, Authores omnes negantes licitum usum opinionis minùs probabilis, & minùs tutæ pro libertate, in concursu probabilioris tutiorisque pro lege, tametsi certissimè alienos à Jansenismo (ut Eminentissimos Cardinales Bona & Aguirium, Fagnanum, Godæum, Mercorum, Gonetum, &c.) traducat ut Jansenistas, dum in Præfat. ad suum tractatum bipartitum, de regula morum, ait, sententiam ipsorum, " aliam matrem non agnoscere, quàm hæresim Jansenianam. "

Sed & Authore eodem humani generis hoste, tanta facilitate hodie serpit liberior illa maledicentia criminatioque Jansenismi, ut notam suspicionemque illius non effugiant sanctissimi viri, quorum & fides sincera, & charitas non ficta, & morum probitas est perspecta. Quod licèt jam satis apparuerit in Illustrissimo D. Fagnano (de quo suprà) testem tamen ulteriorem produco virum omni exceptione majorem, Dominicum Fernandes Navarrete, Professorem primarium Universitatis S. Thomæ Manilæ, necnon Missionarium Apostolicum magni Regni Sinarum, Provinciæque S. Rosarii, Ordinis Prædicatorum in aula Madritensi Procuratorem Generalem, ac posteà Archiepiscopum S. Dominici, in Opere suo Historico-Politico, Ethico, atque Religioso, Monarchiæ Sinensis, tr. 2. c. 13. n. 6. ubi sic habet: " In regno Siam (non dubito quin pro hisce regionibus etiam plurimæ harum rerum probationes suppetant... quia S. Spiritus est sententia, illum persecutionum, laborumque molestias subiturum, qui veraciter se Dei mancipaverit obsequio) sunt aliqui Episcopi Missionarii, cum quibusdam sodalibus Sacerdotibus sæcularibus, cognitæ virtutis, atque rari exempli quoad paupertatem, humilitatem, atque alias materias ædificationis, in officio prædicandi Evangelii inculpabiles, &c. " 191

Nihilominùs, propter ipsorum, aliorumque bonum, dedit Deus ipsis æmulos (stimulum satanæ) qui ipsos ita colaphizent, ut non relinquant pacem, vel uni ex ossibus eorum. Buccinant, buccis concrepantibus, fictitiæ virtutis esse homines (ut ipsi soli ad se populum, populique applausum attrahant) eo quòd sint Jansenistæ, & multa alia similia. " 192

Cùm super hoc punctum agerem cum Eminentissimo Cardinale Bona (lux perpetua luceat ei) nesciebat ubi pedem figeret, oculosque ad sidera tollens, manibus compositis, dicebat: Esse pauperes, orationes habere, exhortari fideles ut habeant, exemplariter vivere, atque prædicare Evangelico modo, hoc-cine est agere Jansenistas? O! si omnes, quotquot sumus homines, essemus tali modo Jansenistæ! tunc omninò sanè mundus longè differret ab illo quem modò videmus. "

PRO-

PROLEGOMENON QUARTUM.

De Origine ac progressu querelarum adversus laxiorem morum doctrinam.

CAPUT PRIMUM.

Origo & progressus querelarum adversus laxiorem morum doctrinam.

1 SUnt quibus persuasum est, vel qui aliis persuadere conantur, querelas adversus laxiorem de moribus doctrinam, tunc demùm incœpisse, cùm condemnata fuit doctrina Jansenii de Gratia & Libertate. Quasi unica, vel ferè unica querelarum istarum causa, quoddam fuerit recriminationis genus, seu livor arguendi de minimè sanâ morum doctrinâ, arguentes se de fide non sanâ.

2 Verùm, ut non inficias eam Deum Opt. Max. (qui melius judicavit de malis benè facere, quàm mala esse non sinere) ex isto malo tantum elicuisse bonum, laxioris utique Ethices reformationem: haud dubiè tamen altior est origo querelarum istarum. Utpote quæ eo ex tempore cœperunt, quo Casuum Summæ cœperunt ex proprio Casuistarum spiritu, visaque ipsis ratione, non ex Majorum traditione confici, ut constat ex dictis Prolegom. 1. n. 62. ubi ostensum est ab anno 800. Concilia, Turonense III. Cabilonense, Moguntinum, & Parisiense VI. tanto zelo exarsisse adversus ejusmodi Casuum Summas, ut eas tamquam erroneas, laxiorique doctrinâ refertas condèmnaverint, ignique adjudicaverint. Sed & pluribus antè sæculis D. Cyprianus epist. 28. & in L. de lapsis invectus fuerat in ejusmodi libros, dicens: *Hoc sunt ejusmodi libri Christianis, quod frugibus grando, quod turbidum sidus arboribus, quod armentis pestilens vastitas, quod navigiis sæva tempestas; solatium æternæ spei adimunt, arborem à radice subvertunt, sermone morbido ad lethale contagium serpunt, navem scopulis, ne ad portum perveniat, illidunt, &c.*

3 Sub finem verò sæculi XI. contra laxiores Ethicos insurrexerunt S. Petrus Damianus, & B. Gregorius VII. Pontifex Maximus, ut constat ex variis epistolis utriusque, necnon ex Apologetico pro Gregorio VII.

4 Sub finem sæculi XVI. S. Carolus Borromeus zelum suum adversus eosdem ostendit, variis in Orationibus habitis in Conciliis Mediolanensibus, ipso præsidente celebratis, sicut & in Pastoralibus suis Instructionibus.

5 Novissimo sæculo XVII. Facultas Parisiensis anno 1619. proscripsit Librum Fr. Petri Milhard, Ord. S. Benedicti, inscriptum: *La grande guide des Curez, Vicaires & Confesseurs*, Et 1. Augusti 1641. Baunii libros de Theologia Moderali damnavit, tamquam continentes doctrinam nimis laxam dissolutamque. Et sequenti anno 1642. Clerus Gallicanus eosdem censuravit, tamquam *qui ad mollitiem & dissolutionem morum homines inducerent, æquitati naturali, juri gentium adversarentur, blasphemias, usuras, simonias, quasi leviora peccata nequissimè excusarent.*

Anno 1643. eadem Facultas Parisiensis ad 6
instantiam Rectoris sui, varios instituit verbales processus, contra laxitates non paucas in Collegio Claromontano Parisiensi dictatas, ut constat ex Libello supplici per eamdem Facultatem Parlamento Regio contra easdem oblato, mense Januario 1644. Eodem anno 1643. prodiit liber inscriptus: *Theologia Moralis Jesuitarum.* Quem D. Hallierus Doctor ac Professor Sorbonicus, ad sollicitationem quorumdam Episcoporum, per Amicum Doctorem compilari fecit. Adversus quem Pinterellus, sub nomine Abbatis Boisleau, librum scripsit inscriptum: *Impostura ignorantiæque libri, cui titulus, Theologia Moralis Jesuitarum:* sed nullam in relatis laxitatibus impostura, nullam ignorantiam alii demonstrarunt.

Anno 1644. contra easdem laxitates, præ- 7
sente Rege, Reginâque Matre, arrestum tulit Concilium Status, tamquam *quæ januam aperirent passionibus adimplendis, potius quàm moderandis.*

Eodem anno 5. Aprilis, quatuor Galliarum 8
Archiepiscopi ac duodecim Episcopi, Urbano VIII. scripserunt famosissimam illam epistolam, ubique sparsam (inquit Cardinalis de Aguirre) adversus licentiam quorumdam Casuistarum in opinando, aientes (inter plura alia) quòd iis, *divinorum Sacramentorum usus, qui sacer omninò ac salutaris esse debet, in perniciosum ac piis omnibus deplorandum abusum sæpissimè convertitur. Depravatis denique ac corruptis moribus blandimenta potius atque opinamenta, quàm salubria remedia comparantur, ut è sententiis ex libris illorum fideliter excerptis nemini non apertum atque exploratum esse potest.* Eodem insuper anno, Octavius Archiepiscopus Senonensis Emin. Card. Francisco Barberino scripsit ut sequitur: *Eò mollities animorum ac disciplinæ elanguescentis dissolutio processit, ut jam de vera pœnitentia, ac sincero amore Dei, loqui penè sit nefas. Hoc videlicet artificium hu-*

nani generis hostis excogitavit, quo fatiscentis Religionis degenerem illam laxitatem pro ipsa Religione obtruderet, quasi à diverticulis ad viam regredi, à via aberrare sit. Quod enim prædixit Apostolus, jam in multis hisce temporibus videtur impletum: sacram doctrinam non sustinebunt; quærunt Magistros prurientes auribus; à veritate auditum avertunt, ut ad fabulas convertantur. Ita alitur quorumlibet licentia flagitiorum, ita crux Christi evacuatur. Jam enim crimen ludus est, & pœnitentia crimini datur. Sic illi in commendationem Libri de frequenti Communione. Quâ epistolâ, & alterâ ad Innocentium X. id effecerunt ut causâ istius libri Romæ per biennium discussâ, liber ab omni censura immunis exierit.

9 Anno 1649. die 6. Septembris, & 8. Octobris Facultas Lovanienſis cenſuravit propoſitiones quaſdam Amici, tamquam humano generi perniciosas. Circa idem tempus Illuſtriſſimus D. Octavius de Bellegarde, Archiepiſcopus Senonenſis, librum edidit, cui titulus, *Auguſtinus per ſeipſum docens Catholicos, & vincens Pelagianos*, eique præfixit epiſtolam ad Clerum ſuæ Diœceſis, in qua conqueritur, quòd „ in hac ſæculi labe.... non pauci... „ hominibus ſtudioſiores placere, quàm Deo, „ ad fovendam animorum mollitiem, auſtericrem Evangelii normam inflectunt.„ Et infrà: „ „ ingens aliud graſſatur in dies malum, ex quo „ velut peſtilenti ovo, timendum eſt ne quid Eccleſiæ Dei periculoſius pullulet. Sunt enim, „ qui obſtructo Scripturarum ac Patrum fonte, „ diſſipatas ſibi privatarum opinionum ciſternas „ effodiunt. Ut cuique animus ſalit, ut cuique „ deſipit cor, profanas in Eccleſiam novitates è „ Sophiſtarum argutiis, & ægrotarum mentium „ excurſionibus ortas inducit; quodque ſacrilegum eſt, eas, avulſis è Scriptura ac Patribus ultrò citròque ſententiis comprobatas, „ velut antiquas & à primis temporibus conſecratas obtrudunt; quaſi ob nonnullam ſyllabarum potiùs quàm rerum conſonantiam, quæ recentiſſimam infantiam ſpirant, velut quibuſdam „ vetuſtatis cruſtis obducta, canitiem mentiantur, &c.

10 Anno 1653. partim 30. Martii, partim 26. Aprilis Facultas Lovanienſis ad requiſitionem Illuſtriſſimi Archiepiſcopi Mechlinienſis ſeptemdecim aſſertiones laxiorum Caſuiſtarum judicavit in praxi non tolerandas, & authoritate Superiorum prohibendas.

11 Sequenti anno 1654. ipſemet Illuſtriſſimus Archiepiſcopus Mechlinienſis Jacobus Boonen ad ſacram Eminentiſſimorum DD. Cardinalium S. Concilii Tridentini Interpretum Congregationem ſcripſit epiſtolam, in qua ſic conqueritur: „ Hoc eſt, Eminentiſſimi Patres, quod, „ urgente extremâ ſenectute meâ, ad dandam „ ſupremo Judici totius villicationis meæ rationem, ſupra dici poteſt, animum meum contriſtat, quòd non tantùm mundum in maligno eſſe poſitum, ſed quotidie videam in pejus & pejus, refrigeſcente charitate, declinare. Hujus miſerandæ declinationis cauſa (ut partim experientiâ propriâ probavi, partim ex judicio & relatu virorum qui mihi ab integritate morum, zelo animarum, doctrinâ, & rerum uſu probati ſunt, ſæpiùs cognovi) prima & potiſſima eſt, hodierna multorum Confeſſariorum indulgentia, quâ nimis laxant habenas peccatoribus, fidentes quibuſdam noviter inventis opinionibus quorumdam Theologorum, quorum ſtudium non tendit ad ſectandam evangelicam veritatem, & traditam nobis à SS. Patribus vitæ normam, ſed ad excuſandas excuſationes in peccatis, & eorum turpitudinem, pallio probabilitatis obvelandam. De quibus Propheta Ezechiel: Væ qui conſuunt pulvillos ſub omni cubito manus, & faciunt cervicalia ſub capite univerſæ ætatis, ad capiendas animas. In ejuſmodi perniciosis exceſſibus eò uſque proceſſum eſt, ut ſi quis omnia inſolentia paradoxa ex quorumdam libris & praxi excerpere velit, quibus hodie Eccleſiæ præcepta de obſervandis jejuniis, feſtis, lectione Horarum Canonicarum eluduntur, ſimoniæ, privatæ vindictæ, mendacia, perjuria palliantur; obligatio vitandi occaſiones peccatorum extenuatur; Sacramentorum valor & effectus evidenti periculo nullitatis exponuntur, non epiſtola una, ſed liber integer conſcribendus foret. Cùm autem laxæ regulæ, quæ depravatis hominum affectibus allubeſcunt, facilè eorum judicio probentur; viſi ſibi (hoc ſucceſſu) earum Authores utilem Eccleſiæ operam præſtitiſſe, & auſi petulanter gloriari, ſe probabilitatum rotis quotidie Cæli viam ampliare, hoc eſt, terminos arctæ viæ quæ ducit ad vitam, ſemel à prima & inflexibili Veritate fixos, denuò propriis ſuis adinventionibus refigere. Dum adverſus adulterinam hanc Theologiam ſolidioris doctrinæ, chriſtianæque diſciplinæ cultorum querelas audivi, & non ceſſant hæretici nobis vicini, improperare Eccleſiæ noſtræ catholicæ talia à quibuſdam ejus Doctoribus circa mores tradi, qualia nec inter gentes audiuntur; laxiores & periculoſiores articulos, quorum copia hiſce jungitur, partim ex libris publicè editis, partim ex obſervatione praxis quorumdam mihi fideliter relata colligi curavi, &c. "Totius iſtius epiſtolæ tenorem per extenſum refert Illuſtriſſimus D. Fagnanus ad caput *ne innitaris* de Conſtitut. n. 337. Dicti Archiepiſcopi zelum Eminentiſſimi Cardinales multùm laudarunt in reſponſo ſuo de die 14. Novemb. 1654. ut proximè videbitur in epiſt. Epiſcopi Gandavenſis (Antonii Trieſt) ad Facultatem Lovanienſem.

Anno 1655. Archiepiſcopus expedivit De- 12
cretum, quo libros omnes Caramuelis, velut laxiorem doctrinam continentes, è Diœceſi ſua proſcripſit, ut videre eſt apud Synnichium in Saüle l. 1. n. 362.

Anno 1656. Pariſienſes & Rhotomagenſes 13
Parochi, junctо agmine, unanimique voluntate, in laxiores opiniones in dies excreſcentes invehi cœperunt, earumque damnationem apud

ſuos

ſuos reſpectivè Superiores proſecuti ſunt, imò apud ipſum quoque generalem Cleri Gallicani Conventum.

Teſtatur hoc, ſimulque Cleri Gallicani ſuper ea re ſenſum exponit Vir ille in Gallia celebratiſſimus D. Antonius Godæus, Epiſcopus Venciensis, unus ex præcipuis illius Conventus; in cenſura Apologiæ Caſuiſtarum, ubi ſic loquitur: „ In poſtremo Cleri Gallicani Conventu Pariſiis habito 1656. Rhotomagenſes „ Parochi, ad illum remiſſi, itemque Pariſienſes, collectas ex recentioribus Caſuiſtis com„ plures propoſitiones nobis exeutiendas obtule„ re. Harum omnes lectio horrore perculit; „ & propè abfuit, quin nobis aures obturare„ mus, ut Nicæni Patres, ne Arii blaſphemias „ audirent, feciſſe memorantur. Magnus omnes „ zelus & ardor inceſſit, coërcendæ perditorum „ illorum Scriptorum audaciæ; qui tam nefariè „ ſanctiſſima quæque Evangelii dogmata perver„ tunt, eamque morum diſciplinam in Eccle„ ſiam invehunt, quæ non profligatis Ethnicis pu„ dori, ac Turcis non planè improbis offenſioni „ forent. Verùm quia Conventum urgebat ma„ turus diſceſſus, nec tot varii Scriptores perle„ gi in iſtis temporis anguſtiis poterant, quod ta„ men ad ferendum grave conſideratumque, ac „ nullo præjudicio turbidum judicium neceſſe „ erat; referente Abbate Cyronio... placuit Cle„ ri impenſis in lucem edi S. Caroli Borromei, „ Cardinalis & Epiſcopi Mediolanenſis, Inſtitutio„ nes ad Confeſſarios, ut donec Epiſcopi juridi„ cis cenſuris tanto malo remedium adhiberent, „ interim hoc libello, tamquam aliquâ mole, „ reprimi poſſet novarum opinionum torrens, „ qui chriſtianam morum doctrinam perditum „ ibat.

14 Paulò ante id tempus, idem Illuſtriſſ. tunc Graſſenſis Epiſcopus, in Inſtructionibus Synodalibus ſcripſerat in hæc verba: „ Si Confeſ„ ſarii omnes à tanta unanimiter abſtinerent in„ dulgentia, quâ peccatores abutuntur, eandem„ que pravos habitus corrigendi, ad cælumque „ perveniendi demonſtrarent viam, notabilis „ haud dubiè mutatio in Chriſtianis cerneretur. „ Cenſeo quidem à ferro eſſe abſtinendum & „ igne, præterquàm in caſibus extremis: at ubi „ advenerit extremitas, inficiari nemo poteſt fer„ rum & ignem adhibendum eſſe, ægrumque ad „ gemitus & vociferationes conſultiùs impellen„ dum, quàm dimittendum ut moriatur. Quoties „ Judæi ſcandalizati ſunt ex ſermonibus Chriſti „ Salvatoris noſtri? an illos ideò mutavit? an „ ſua lenivit præcepta, de ſuiipſius abnegatione, „ crucis amore, mundi abrenuntiatione, odioque „ rerum omnium ſæcularium? Numquid Chri„ ſtianus eſt vir deliciarum? imò vita ipſius, aſ„ ſerente Tridentino, perpetua eſſe debet pœni„ tentia. Quod ſi verum eſt de Chriſtiano; quid „ de peccatore, qui nihil habet chriſtiani, niſi „ nomen, quique glorioſam illam qualitatem fœ„ davit non ſemel? Quomodò arcta ad cælum „ via, quomodò à paucis inita, ſi veræ ſunt „ maximæ, quæ hodie circumferuntur, quibus via illa adeò dilatatur, ut nemo ſit qui per eam, cum ambitionibus, uſuris, luxibus, ſuperfluitatibus ac deliciis ſuis percommodè incedere non poſſit? An non verum eſt, in multis hodie occaſionibus ſatis eſſe, ut quis ingenio polleat, quo ſuas cum dexteritate intentiones rectificando, peccata plurima devitet? Beatos Chriſtus ait idiotas & parvulos, id eſt; humiles & ſimplices, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Verùm, noſtro hoc ſæculo, cælum (ſecundùm magis communes, magiſque receptas propoſitiones) ingeniorum eſt dumtaxat ſublimium, magnatumque, pro quibus aſſiduè conclamatur, *pax; pax*, quique canonizantur in vitâ, licèt à ſanctitate longè diſſitâ. Hanc viam ineunt majori ex parte Directores conſcientiarum, &, ſi non pro pœnitentium commoditate, certè pro ſua exiſtimatione, mundique judicio, nec attendunt ad veram Dei gloriam, nec ad regulas Evangelicas, nec ad Sanctorum exempla, nec ad proximi damna, ut uſurpare liceat illud Pſalmiſtæ: *Salvum me fac Deus, quoniam defecit ſanctus, & diminutæ ſunt veritates à filiis hominum.* Ex recta adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ pendet Eccleſiaſticæ inſtauratio diſciplinæ, morumque in Chriſtianis reformatio. In declarationibus Caſuum contingentium, ſit vobis hæc generalis regula, ut eam ſemper eligatis opinionem, per quam Deus magis glorificatur, quæque majorem cum arcta Evangelii via habet conformitatem. Maxima valdè periculoſa illa eſt.... quòd probabiliore relictâ liceat minùs probabilem ſequi, &c.

Anno 1657. Illuſtriſſimus D. Antonius Trieſt, 15
Gandavenſis Epiſcopus, ad Facultatem Lovanienſem ſcripſit ut ſequitur: " Admodùm Reverendi ac Eximii Domini, Illuſtriſſimus ac Reverendiſſimus D. Archiepiſcopus Mechlinienſis, nuper defunctus, piæ ac recolendæ memoriæ, pro ſingulari ſua erga gregem ſibi commiſſum vigilantia & ſollicitudine, miſerat ante annos aliquot ſacræ veſtræ Facultati nonnullas propoſitiones Morales, admodùm laxas & pernicioſas, examinandas ac cenſurandas, ut, ſi ita judicium ferret, earumdem praxim in Diœceſi ſua prohiberet, & animarum Rectoribus ac Confeſſariis expreſſè mandaret, ne ullo pacto eas ſequerentur, admitterent, aut docerent. Quod & juxta cenſuram veſtram præſtitit, ac facti ſui rationem ſacræ Congregationi Cardinalium, S. Concil. Trident. Interpretum, aperuit, dictaſque propoſitiones, ut præfertur, cenſuratas tranſmiſit, ut authoritate ſua ſuperiori pium illud incœptum promovere dignarentur. Eminentiſſimi Patres zelum ac prudentiam ipſius, ut accepimus, ſummoperè laudarunt, litteris ad ipſum datis Romæ 14. Novemb. 1654. & renuntiarunt dictas propoſitiones à ſe remiſſas ad ſacram Congregationem Inquiſitionis Generalis examinandas, & qualificandas, ut eo peracto, opportunè tanto malo proſpiceretur. Remedium illud Chriſtianæ Religioni & Eccleſiaſticæ diſciplinæ per-

„ necessarium, hactenus expectatum est, non-
„ dum tamen obtentum.
„ Interea experimur, summo animi nostri & pro-
„ borum dolore, nimiam illam quorumdam Re-
„ centiorum licentiam in excogitandis vanis &
„ inutilibus quæstionibus (quæ proficiunt potiùs
„ ad impietatem, & serpunt ut cancer) stabi-
„ liendisque novis opinionibus & commentis,
„ continuè augeri, & invalescere; probabilita-
„ tes, quibus solis innititur, magis magisque re-
„ cipi & confirmari; Ecclesiasticam disciplinam
„ paulatim pessumdari; dogmata Evangelica ne-
„ gligi; mores perverti, virtutes sperni, vitia
„ speciosis prætextibus involvi, & à natura cor-
„ rupta passim magnis amplexibus arripi, ac sen-
„ sim omnem solidæ & sinceræ pietatis normam
„ à fidelium cordibus exulare. Quibus enim
„ modis & Authoribus quævis fermè cùm jam
„ sint probabilia, iisdem fiunt & licita; men-
„ dacia, fraudes, perjuria, calumniæ, homici-
„ dia, usuræ, furta, simoniæ, & si quid nefan-
„ di ipsa quoque natura exhorret, nonnisi à ru-
„ dibus & idiotis modò perpetrari videntur. Acu-
„ tiores verò, & sagaciores illi rerum inspecto-
„ res, tot circumstantiis, suppositionibus, mo-
„ dis, conditionibus, involucris, ista vitia no-
„ runt obducere, & fucatâ malitiâ in virtutes
„ quodammodò transformare, ut non solùm ho-
„ minibus, sed ipsimet Deo facilè imponerent,
„ si possent. Imò verò, principiis ipsorum in-
„ hærendo, leges omnes & jura, tam positiva
„ quàm naturalia, probabilitatibus tandem ce-
„ dere debebunt, &c.

Et infrà: „ urget interim subditarum ovium
„ cura, à Supremo Pastore Christo Domino no-
„ bis commissa, premit officii debitum, & instat
„ reddenda ministerii ratio, ut pro viribus no-
„ stris opportunum quantociùs remedium affe-
„ ramus: à nobis enim illam exiget, non ab il-
„ lis, ad quos non pertinet de ovibus. Sed si
„ speculator, id est Episcopus, viderit gladium,
„ etiam perversæ doctrinæ, venientem, & non
„ insonuerit buccinâ, & populus se non custo-
„ dierit, veneritque gladius, & tulerit de eis
„ animam: ille quidem in iniquitate sua captus
„ est; sanguinem autem ejus de manu spe-
„ culatoris requiram, inquit Dominus apud Pro-
„ phetam suum Ezechielem. Neque enim so-
„ lummodò conqueritur paulò inferiùs, quòd
„ Pastorum desidiâ & incuriâ greges facti sint in
„ rapinam luporum, seu hæreticorum: verùm
„ etiam quòd oves factæ sint in devorationem
„ omnium bestiarum agri, quæ licèt apertè non
„ invadant aut rapiant, occultè tamen inficiunt
„ & devorant gregem. Ac per eas non incon-
„ gruè intelligi possent pernicioſarum istarum
„ opinionum magistri, qui speculationibus suis
„ nonnisi terrena & carni allubescentia sapere vi-
„ dentur, animos autem ad cælestia & verè chri-
„ stiana non dirigunt.... sed & Ecclesiastici viri,
„ qui dogmatum non custodiunt veritatem, sed
„ de suo corde confingunt, magistramque ha-
„ bent præsumptionem suam, simili errore te-
„ nentur; qui cùm populo persuaserint vera esse
quæ fingunt, & in theatralem modum plau- „
sus concitaverint & clamores, immemores fiunt „
imperitiæ suæ, & adducto supercilio, libra- „
tisque sermonibus, atque trutinatis, magistro- „
rum sibi assumunt authoritatem. Ut itaque „
conscientiæ meæ, & officio, hac in re, satis- „
faciam, præter antedictas propositiones nuper „
30. Martii & 26. Aprilis 1653. à vestra Facul- „
tate censuratas, nonnullas alias hisce jungo, „
&c. „

Subjungit autem 26. propositiones ultra 17. 16
antè censuratas, quas eadem Facultas attentè,
& iteratis sæpè vicibus, tam collegialiter quàm
seorsim, pro materiæ gravitate perpensas, cen-
suit tantoperè ab orthodoxis doctrinæ chri-
stianæ principiis exorbitantes, tamque latam
portam variis vitiis aperientes, ut omnes una-
nimiter in ea fuerint sententia, Præsulum Ec-
clesiæ esse, illas tanquam salutari Christi do-
ctrinæ dissentaneas profligare, & à Diœcesi-
bus suis omni modo eliminare, recurrendo
etiam in istum finem ad S. Sedem, &c. Quæ
quidem 26. propositiones sicut & illæ 17. unà
cum earum censuris videri possunt apud Illu-
strissimum Fagnanum ubi suprà n. 339.

CAPUT II.

*Querelarum, adversus laxiorem morum doctri-
nam, progressus ulterior.*

EOdem anno 1657. Namurcensis Episcopus 17
cum Synodo sua Diœcesana reprobavit 17.
novorum Casuistarum articulos, tamquam no-
vitios, periculosos, salutisque animarum de-
structivos, ut videre est apud Synnichium in
Saüle l. 1. n. 414.

Cùmque sub exitum ejusdem anni in Gallia 18
prodiisset Apologia similium Casuistarum, in
qua laxitates plurimæ, opinionesque anima-
rum perniciem inferentes propugnabantur, in
eam tota penè Gallicana Ecclesia insurrexit,
atque imprimis Parisienses Rhotomagensesque
Parochi ad illam scriptis publicis oppugnan-
dam, atque ad Ecclesiastica tribunalia defe-
rendam convenerunt. Quorum hac in re ze-
lum imitati Ambianenses, Nivernenses, Bello-
vacenses, Ebroicenses, Andegavenses, Lexo-
vienses, Senonenses, postulationibus suis, ty-
pis editis, istius Apologiæ condemnationem
apud suos respectivè Episcopos, magno ardo-
re & instantiâ prosecuti sunt.

Anno 1658. subsecuta sunt judicia censuræ- 19
que ejusdem Apologiæ per Archiepiscopos &
Episcopos Aurelianensem, Tullensem, Seno-
nensem, Alectensem, Apamiensem, Conve-
nensem, Vasatensem, Conseranensem, Niver-
nensem, Bellovacensem, Andegavensem, E-
broicensem, Rhotomagensem, Lexoviensem,
Bituricensem, Cadurcensem, Cathalaunensem,
Suessionensem, Vencionensem, Dinionsem, &c.
qui omnes, unà cum Ecclesiis, seu Synodis
suis, Apologiam illam proscripserunt, tam-
quam pernicioſis dogmatibus refertam, Evan-

gelicis regulis contrariam, chriſtianæ diſciplinæ corruptricem, diſſolutionis ac mollitiei invectricem, &c.

20 Unius verba referam Vencienſis Epiſcopi, Antonii Godæi, Gallicanorum Præſulum Jubaris ſplendidiſſimi, atque ob omnigenas Epiſcopalis muneris dotes, editaque in lucem opera ſole clariora, auroque pretioſiora, toto orbe celeberrimi. Qui ſub finem cenſuræ ſuæ ſic habet: „ Quo tempore credebamus fore, „ ut publicatio Inſtructionum S. Caroli ſiſteret „ curſum periculoſarum opinionum à Caſuiſtis „ modernis invectarum, apparuit pernicioſus li„ ber, inſcriptus, *Apologia Caſuiſtarum adver„ſus calumnias Janſeniſtarum*, ad confirmandos „ errores omnes, extantes in libris ipſorum, ad „ erigendumque quoddam de veritate trophæum. „ Statim atque publicam vidit lucem, contra ſe „ mirandam in lectoribus omnibus provocavit „ indignationem. Enimverò propoſitum Autho„ ris fuiſſe videtur, omnes colligere ſordes, omnes extravagantias, omnes judicii aberrationes, „ corruptiones omnes, in recentioribus Caſuiſtis „ hinc inde diſperſas, tam effrenique audaciâ „ tuetur, ut tam ſtupenda cæcitas digna ſit quæ „ intimis coram Deo gemitibus defleatur, in „ eumdemque Authorem quadret illud Augu„ ſtini: *ſpargens pœnales cæcitates ſuper illicitas „ cupiditates.* Stylus ipſius abjectus, diſcurſus „ puerilis, probationes languidæ, falſificationes „ Patrum allegatorum impudentiſſimæ, conclu„ ſiones periculoſæ & falſæ. Totum operis cor„ pus venenatum in Moralis Chriſtianæ Patronos „ ſpirat furorem, quos infami hæreticorum no„ mine traductos, conatur odioſos reddere. Ne„ dum enim Pariſienſibus, Rhotomagenſibus, „ aliiſque aliarum nobilium regni Civitatum Cu„ ratis hæreticorum nomen affingit; ſed & ſan„ ctiſſimis Epiſcopis, Sacerdotibus probatiſſimæ „ virtutis, Religioſis ſpectatæ pietatis, quinque „ damnatarum à Papa propoſitionum damnatio„ nem, debitamque à ſubmiſſiſſimis Catholicis „ erga S. Sedem obedientiam & ſubmiſſionem „ omnimodam palàm profitentibus. Adverſus „ infeliciſſimum librum illum, primus vexillum „ erexit, Aurelianenſis Epiſcopus, cenſurâ, zelo „ ſuo dignâ, in eum latâ, pro veritatis tuitio„ ne, pro Eccleſiæ honore, pro animarum ſalu„ te. Illuſtriſſimi quoque Domini Archiepiſcopi „ Senonenſis, Rhotomagenſis, Bituricenſis, Iſ„ cut & Epiſcopi Belſovacenſis, Andegavenſis, „ Nivernenſis, Alectenſis, Convenenſis, Apa„ mienſis, Vaſatenſis, Conſeranenſis, Tullenſis, „ Ebroicenſis, Lexovienſis, Cathalaunenſis, Ca„ durcenſis; Vicarii etiam Generales Eminentiſſ. „ D. Cardinalis de Retz, Archiepiſcopi Pariſien„ ſis: ipſa denique Pariſienſis Facultas, eruditis „ ac judicioſis cenſuris ſuis ſolemne perhibue„ runt teſtimonium horroris, adverſus perverſas „ iſtius Apologiæ maximas concepti. Poſt tot „ judicia, tametſi noſtrum exigui ſit ponderis, „ non poſſumus tamen zelum noſtrum non ad„ jungere zelo ipſorum, ne arguamur velut tunc „ obmuteſcentes, cùm lupus circuit gregem, quærens oves quas devoret. Declaramus igitur li- “ brum, inſcriptum, *Apologia Caſuiſtarum, &c.* “ diligenter à nobis lectum, ſtudioſèque à no- “ bis examinatum, judicio noſtro contrarium “ maximis Evangelicis, Chriſti exemplis, Apo- “ ſtolorum documentis, SS. Patrum placitis, “ Eccleſiæ deciſionibus, ſecuritati vitæ, hono- “ rique Principum, Miniſtrorum, Magiſtratuum, “ quieti familiarum, ordinatæque ſocietati ho- “ minum, ob ingeritem numerum falſarum, te- “ merariarum, periculoſarum, erronearum, “ ſcandaloſarumque propoſitionum, quarum “ ſuſcipit patrocinium, &c. „ Hactenus Epiſcopus Vencienſis.

Anno 1659. S. D. N. Alexander VII. 21. Au- 21
guſti in Congregatione Generali S. Romanæ & Univerſalis Inquiſitionis, eamdem Apologiam damnavit, & pro damnata prohibitaque haberi voluit, ſub pœnis ac cenſuris in Concilio Tridentino, & in Indice librorum prohibitorum contentis.

Cùmque non obſtantibus omnibus hiſce cen- 22
ſuris, anno 1664. typis Lugdunenſibus prodiiſſet Amadæi Guimenii Lotharenſis opuſculum, ſingularia univerſæ ferè Theologiæ Moralis complectens, adverſus quorumdam expoſtulationes, contra nonnullas Jeſuitarum opiniones, &c. rurſum tota ferè Gallia claſſicum cecinit adverſus librum illum, velut adverſus anti-Evangelium, ſeu congeriem opinionum adverſantium Evangelicis regulis, morumque integritati, ac publicæ honeſtati, quæ in laxioribus aliis Authoribus diſperſæ ſunt. Quas omnes licèt Amadæus ſpecialiter non probet, imò ſpecialiter aliquas improbare videatur, videtur tamen generaliter approbare, dum ex una parte exhibet illas tamquam gravi authoritate non deſtitutas; ex alia verò parte pag. 27. docet, ex authoritate unius tantùm poſſe quem in praxi ſequi opinionem, velut ab extrinſeco probabilem, in praxique tutam, quam ipſe à principiis intrinſecis falſam improbabilemque exiſtimat. Ex lecturaque operis, maximè Præfationis, & coronidis, apparet, Amadæi illo in opuſculo ſcopum fuiſſe, omnes illas propoſitiones ab omni cenſura immunes, extrinſecæque probabilitatis munimine tutas præſtare, quæ (ut in Præfatione ait) *ut improbabiles, ſcandaloſæ, temerariæ, & erroneæ, & Jeſuitarum commenta in libro Anonymi notantur.* Unde hanc eidem opuſculo coronidem impoſuit: *Ex dictis jam apparet, qua veritate, quo jure, quo zelo Anonymus in ſuo garriat libello, propoſitiones præobjectas, &c. falſas, improbabiles, ſcandaloſas, temerarias, & erroneas, &c. Quomodò enim ſcandaloſæ & erroneæ, quas Eccleſia in tot tantiſque Doctoribus opiniones non corrigit, &c. nullibi ergo ſcandalum, nullibi error.* Ecce quomodò omnium illarum propoſitionum ſuſcipit patrocinium, nullamque ex illis agnoſcit ſcandaloſam eſſe, vel improbabilem, motus argumento leviſſimo, quòd nulla opinio Authoris, Modernorum quorumdam æſtimatione gravis, ab Eccleſia non correcta, jure

censeri possit improbabilis, vel scandalosa. Cujus oppositum constat, tum ex cap. *cùm jam dudum*, de præbend. ubi Alexander III. ait, quòd *multa per patientiam tolerantur, quæ, si deducta fuerint ad judicium, exigente justitiâ non debeant tolerari.* Tum ex condemnatione hujus propositionis per Alex. VII. *Si liber sit junioris & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam esse ab Apostolica Sede, tamquam improbabilem.* Tum denique ex condemnatione tot aliarum propositionum, per eumdem Alexandrum VII. & Innocentium XI. qui eas scandalosas pernicioslasque declararunt, & doceri prohibuerunt, non obstante quòd eas *à tot & tantis Doctoribus* traditas Ecclesia per patientiam aliquamdiù toleraſſet, nec correxisset. Quarum quidem damnatarum propositionum complures in præfato Amadæi libro continentur.

23 Quamobrem liber ille Amadæi Guimenii die 5. Aprilis 1666. à Congregatione Cardinalium, præposita Indici librorum prohibitorum; & rursum die 12. Septembris 1675. à Generali Inquisitione Romana prohibitus fuit. Cùmque, non obstante iteratâ illâ prohibitione, laxioris Ethices amatores & patroni, debitæ Romanis Decretis obedientiæ immemores, non desisterent à distractione lecturaque libri illius, S. D. N. Innocentius XI. die 16. Septembris 1680. eumdem librum, tamquam perniciosam, & Christi fidelium infectivam doctrinam continentem, terribili Vaticani fulmine percussit, editâ adversus illum Bullâ quam c. 6. per extensum proferemus.

24 Sed & S. D. N. Alexander VII. die 24. Septembris 1665. audiens opiniones christianæ vitæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes, in dies excrescere, in Congregatione Generali S. Rom. Inquisitionis viginti octo hujusmodi propositiones, ac rursus 18. Martii 1666. alias septemdecim, ut minimùm, tamquam scandalosas condemnavit, pernicioslasque declaravit.

25 Cùmque R. P. Franciscus Jacops è Soc. Jesu S. Theol. Duaci Professor anno 1675. dictasset varias propositiones de absolutione recidivorum, & existentium in proxima peccandi occasione, quibus indulgentior esse visus est peccatoribus, nec satis eorum saluti, validæque & fructuosæ absolutioni consulere, Illustrissimus ac Reverendissimus D. Guido de Seve, Episcopus Attrebatensis, septem ex propositionibus ipsius censurâ in eas latâ 7. Novembris 1675. periculosas, falsas, scandalosas, ad Sacramenti Pœnitentiæ relaxationem tendentes, injustarum, temerariatum, præcipitatarumque absolutionum necessitatem Confessariis inducentes, evangelicæ denique doctrinæ manifestè contrarias declaravit, & ut tales omnibus suæ Diœcesis Prædicatoribus & Confessariis inhibuit. Quam censuram inhibitionemque 26. alii Episcopi Galliarum & Belgii plurimùm laudarunt, probarunt & commendarunt. Et ipsemet R. P. Franciscus Jacops anno 1679. ut vidit & recognovit earum nonnullas condemnatas per Sanctiss. D. N. Innocentium XI. paucis ante obitum suum diebus eas retractavit, advocatoque uno ex nostris Patribus Insulensibus, per eum me rogari fecit, ut hanc ipsius retractationem, datâ occasione, toti mundo notam facerem. Quod modò facio, juramento, ubi opus fuerit, firmare paratus, me nihil hac in re, nisi quod verum est, scribere.

Anno 1679. ad SS. D. N. Innocent. XI. querelas de indecenti administratione SS. Eucharistiæ, venialiumque peccatorum Sacerdotibus non approbatis factâ Confessione, Sacra Congregatio Cardinalium, Concilii Tridentini Interpretum, approbante, decretumque hac de re editum, publicari mandante eodem SS. Domino, prohibuit S. Eucharistiam deferri in crumena, aut secretò, ad existentes domi, etiam infirmos. Et ne venialium Confessio simplici fieret Sacerdoti, ab Ordinario non approbato. 26

Eodem anno 1679. die 2. Martii, cùm deputati Lovanienses Apostolicæ Sedi detulissent varias Neotericorum opiniones noxias, arctamque cæli viam nimiùm relaxantes, idem Sanctiss. D. N. Innocentius XI. laxioris Ethices reformationem ab Alexandro inchoatam prosequi volens, ultra eas quas Alexander VII. condemnaverat, sexaginta quinque ex iis opinionibus, ut minimùm, tamquam scandalosas & in praxi pernicioslas, omninò prohibuit & condemnavit. Et anno 1682. in Generali Inquisitione Romana..... 27

CAPUT III.

Quadraginta quinque propositiones laxioris Ethices, per Alexandrum VII. condemnatæ, seu duplex Alexandri VII. adversus eas decretum.

Feriâ 5. die 24. Septembris 1665. in Generali Congregatione S. Romanæ Inquisitionis, &c. Sanctissimus D. N. (Alexander VII.) *audivit non sine magno animi sui mœrore complures opiniones christianæ disciplinæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes, partim antiquatas iterum suscitari, partim noviter prodire: & summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excrescere, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepsit alienus omninò ab Evangelicâ simplicitate, sanctorumque Patrum doctrinâ, & quem si pro recta regula fideles in praxi sequerentur, ingens irreptura esset vitæ christianæ corruptela. Quare ne ullo unquam tempore viam salutis, quam Suprema Veritas, Deus, cujus verba in æternum permanent, arctam esse definivit, in animarum perniciem dilatari, seu verius perverti contingeret; idem Sanctissimus D. N. ut oves sibi creditas ab hujusmodi spatiosa latâque, per quam itur ad perditionem, via, pro pastorali sollicitudine, in rectam semitam evocaret, earumdem opinionum examen pluribus in sacra* 28

Theologia Magiſtris, & deinde Eminentiſſimis ac Reverendiſſimis DD. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus ſeriò commiſit : qui tantum negotium ſtrenuè aggreſſi, eique ſedulò incumbentes, & maturè diſcuſſis uſque ad hanc diem infraſcriptis propoſitionibus, ſuper unaquaque ipſarum ſua ſuffragia Sanctitati Suæ ſigillatim expoſuerunt.

29 1ª. Homo nullo unquam vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actum fidei, ſpei, & charitatis, ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.

2. Vir equeſtris ad duellum provocatus, poteſt illud acceptare, ne notam timiditatis apud alios incurrat.

3. Sententia aſſerens Bullam Cœnæ ſolùm prohibere abſolutionem hæreſis, & aliorum criminum, quando publica ſunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus ſermo eſt, anno 1629. 18. Julii in Conſiſtorio ſacræ Congregationis Eminentiſſimorum Cardinalium viſa & tolerata eſt.

4. Prælati Regulares poſſunt in foro conſcientiæ, abſolvere quoſcumque ſæculares ab hæreſi occulta, & ab excommunicatione propter eam incurſa.

5. Quamvis evidenter tibi conſtet Petrum eſſe hæreticum, non teneris denuntiare, ſi probare non poſſis.

6. Confeſſarius, qui in ſacramentali Confeſſione tribuit pœnitenti cartam poſteà legendam in qua ad venerem incitat, non cenſetur, ſollicitaſſe in Confeſſione, ac proinde non eſt denuntiandus.

7. Modus evadendi obligationem denuntiandæ ſollicitationis eſt : ſi ſollicitatus confiteatur cum ſollicitante, hic poteſt ipſum abſolvere abſque onere denuntiandi.

8. Duplicatum ſtipendium poteſt Sacerdos pro eadem Miſſa licitè accipere, applicando petenti partem etiam ſpecialiſſimam fructus, ipſimet Celebranti correſpondentem, idque poſt Decretum Urbani VIII.

9. Poſt Decretum Urbani poteſt Sacerdos, cui Miſſæ celebrandæ traduntur, per alium ſatisfacere, collato illi minori ſtipendio, aliâ parte ſtipendii ſibi retentâ.

10. Non eſt contra juſtitiam pro pluribus ſacrificiis ſtipendium accipere, & ſacrificium unum offerre ; neque etiam eſt contra fidelitatem, etiamſi promittam, promiſſione etiam juramento firmatâ, danti ſtipendium, quòd pro nullo alio offeram.

11. Peccata in Confeſſione omiſſa, ſeu oblita, ob inſtans periculum vitæ, aut ob aliam cauſam, non tenemur in ſequenti Confeſſione exprimere.

12. Mendicantes poſſunt abſolvere à caſibus Epiſcopis reſervatis, non obtentâ ad id Epiſcoporum licentiâ.

13. Satisfacit præcepto annuæ Confeſſionis, qui confitetur Regulari Epiſcopo præſentato, ſed ab eo injuſtè reprobato.

14. Qui facit Confeſſionem voluntariè nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ.

15. Pœnitens propriâ authoritate poteſt ſubſtituere ſibi alium, qui loco ipſius pœnitentiam adimpleat.

16. Qui Beneficium curatum habent, poſſunt ſibi eligere in Confeſſarium ſimplicem Sacerdotem, non approbatum ab Ordinario.

17. Eſt licitum Religioſo, vel Clerico, calumniatorem gravia crimina de ſe vel de ſua Religione ſpargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non ſuppetit ; uti ſuppetere non videtur, ſi calumniator ſit paratus, vel ipſi Religioſo, vel ejus Religioni publicè & coram graviſſimis viris prædicta impingere, niſi occidatur.

18. Licet interficere falſum accuſatorem, falſos teſtes, ac etiam Judicem, à quo iniqua certò imminet ſententia, ſi aliâ viâ non poteſt innocens damnum evitare.

19. Non peccat maritus, occidens, propriâ authoritate, uxorem in adulterio deprehenſam.

20. Reſtitutio à Pio V. impoſita Beneficiariis non recitantibus, non debetur in conſcientia ante ſententiam declaratoriam Judicis, eo quòd ſit pœna.

21. Habens Capellaniam collativam, aut quodvis aliud Beneficium Eccleſiaſticum, ſi ſtudio litterarum vacet, ſatisfacit ſuæ obligationi, ſi Officium per alium recitet.

22. Non eſt contra juſtitiam Beneficia Eccleſiaſtica non conferre gratis, quia Collator conferens illa Beneficia Eccleſiaſtica, pecuniâ interveniente, non exigit illam pro collatione Beneficii, ſed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

23. Frangens jejunium Eccleſiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, niſi ex contemptu vel inobedientiâ hoc faciat, puta quia non vult ſe ſubjicere præcepto.

24. Mollities, ſodomia, & beſtialitas, ſunt peccata ejuſdem ſpeciei infimæ ; ideòque ſufficit dicere in Confeſſione, ſe procuraſſe pollutionem.

25. Qui habuit copulam cum ſoluta, ſatisfacit Confeſſionis præcepto, dicens : Commiſi cum ſoluta grave peccatum contra caſtitatem, non explicando copulam.

26. Quando litigantes habent pro ſe opiniones æquè probabiles, poteſt Judex pecuniam accipere pro ferenda ſententia in favorem unius præ alio.

27. Si liber ſit alicujus junioris & moderni, debet opinio cenſeri probabilis, dum non conſtat rejectam eſſe à Sede Apoſtolica tamquam improbabilem.

28. Populus non peccat, etiamſi abſque ulla cauſa non recipiat legem à Principe promulgatam.

Quibus peractis, dum ſimilium propoſitionum examini cura & ſtudium impenditur, intereà idem Sanctiſſimus, re maturè conſideratâ, ſtatuit & decrevit, prædictas propoſitiones, & unamquamque iſtarum, ut minimùm, tamquam ſcandaloſas eſſe damnandas & pro- 30

hibendas, ſicut eas damnat & prohibet: ita ut quicumque illas aut conjunctim aut diviſim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam diſputativè, publicè aut privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem, à qua non poſſit (præterquàm in articulo mortis) ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, niſi à pro tempore exiſtente Romano Pontifice abſolvi. Inſuper diſtrictè in virtute S. Obedientiæ, & ſub interminatione divini judicii prohibet omnibus Chriſti fidelibus, cujuſcumque conditionis, dignitatis ac ſtatus, etiam ſpeciali, & ſpecialiſſimâ notâ dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum ad praxim deducant.

31 Feriâ quintâ die 18. Martii 1666. in Congregatione Generali ſanctæ Romanæ & Univerſalis Inquiſitionis coram eodem Sanctiſſimo D. N. &c.

Sanctiſſimus D. N. poſt latum decretum die 24. Septembris proximè elapſi, quo viginti octo propoſitiones damnatæ fuerunt, examinatis ſedulò & accuratè uſque ad hanc diem infraſcriptis aliis, quadrageſimum quintum numerum implentibus; per plures in ſacra Theologia Magiſtros, ac per Eminentiſſimos ac Reverendiſſimos DD. Cardinales adverſus hæreticam pravitatem Generales Inquiſitores, eorum ſuffragia ſigillatim ſuper unaquaque iſtarum audivit.

29. In die jejunii qui ſæpiùs quid modicum comedit, etſi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.

30. Omnes officiales qui in republica corporaliter laborant, ſunt excuſati ab obligatione jejunii, nec debent ſe certificare, an labor ſit compatibilis cum jejunio.

31. Excuſantur abſolutè à præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamſi iter neceſſarium non ſit, & etiamſi iter unius diei conficiant.

32. Non eſt evidens, quòd conſuetudo comedendi ova & lacticinia in Quadrageſima obliget.

33. Reſtitutio fructuum, ob omiſſionem Horarum, ſuppleri poteſt per quaſcumque eleëmoſynas quas antea Beneficiarius de fructibus Beneficii ſui fecerit.

34. In die Palmarum recitans Officium Paſchale, ſatisfacit præcepto.

35. Unico Officio poteſt quis ſatisfacere duplici præcepto, pro die præſenti & craſtino.

36. Regulares poſſunt in foro conſcientiæ uti privilegiis ſuis, quæ ſunt expreſsè revocata per Concilium Tridentinum.

37. Indulgentiæ conceſſæ Regularibus, & revocatæ à Paulo V. hodie ſunt revalidatæ.

38. Mandatum Tridentini, factum Sacerdoti ſacrificanti ex neceſſitate cum peccato mortali, confitendi quamprimùm, eſt conſilium, non præceptum.

39. Illa particula, *quamprimùm*, intelligitur, cùm Sacerdos ſuo tempore confitebitur.

40. Eſt probabilis opinio quæ dicit, eſſe tantùm veniale oſculum habitum ob delectationem carnalem & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur, ſecluſo periculo conſenſus ulterioris, & pollutionis.

41. Non eſt obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, ſi hæc nimis utilis eſſet ad oblectamentum concubinarii, vulgo *regalo*; dum deficiente illo nimis ægrè ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficilè inveniretur.

42. Licitum eſt mutuanti, aliquid ultra ſortem exigere, ſi ſe obliget ad non repetendam ſortem uſque ad certum tempus.

43. Annuum legatum pro anima relictum non durat pluſquàm per decem annos.

44. Quoad forum conſcientiæ, reo correcto, ejuſque contumaciâ ceſſante, ceſſant cenſuræ.

45. Libri prohibiti, donec expurgentur, poſſunt retineri, uſque dum adhibitâ diligentiâ corrigantur.

Quibus maturè penſatis, idem Sanctiſſimus 32
ſtatuit ac decrevit, prædictas propoſitiones, & unamquamque illarum, ut minimùm, tamquam ſcandaloſas, eſſe damnandas & prohibendas, ſicut eas damnat & prohibet. Ita ut quicumque illas aut conjunctim aut diviſim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam diſputativè, publicè aut privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem, à qua non poſſit (præterquàm in articulo mortis) ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, niſi à pro tempore exiſtente Romano Pontifice abſolvi.

Inſuper diſtrictè in virtute S. Obedientiæ, & ſub interminatione divini judicii prohibet omnibus Chriſti fidelibus, cujuſcumque conditionis, dignitatis, ac ſtatus, etiam ſpeciali & ſpecialiſſimâ notâ dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum ad praxim deducant.

CAPUT IV.

Sexaginta quinque propoſitiones, chriſtianam diſciplinam relaxantes, per Innocentium XI. condemnata.

FEriâ quintâ die 11. Martii 1679. in gene- 33
rali Congregatione S. Romanæ & Univerſalis Inquiſitionis coram Innocentio XI. Decretum emanavit tenoris ſequentis.

Sanctiſſimus D. N. Innocentius Papa XI. prædictus, ovium ſibi à Deo creditarum ſaluti ſedulò incumbens, & ſalubre opus in ſegregandis noxiis doctrinarum paſcuis ab innoxiis, à fel. record. Alexandro VII. Prædeceſſore ſuo inchoatum proſequi volens, plurimas propoſitiones, partim ex diverſis, vel libris, vel theſibus ſeu ſcriptis excerptas, & partim noviter adinventas, Theologorum plurium examini,

mini, & deinde Eminentiſſimis ac Reverendiſſimis DD. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus ſubjecit. Quibus propoſitionibus ſedulò & accuratè ſæpiùs diſcuſſis, eorumdem Eminentiſſimorum Cardinalium & Theologorum votis per Sanctitatem Suam auditis: idem Sanctiſſimus D. N. re poſteà maturè conſideratâ, ſtatuit & decrevit pro nunc ſequentes propoſitiones, & unamquamque ipſarum, ſicut jacent, ut minimùm tamquam ſcandaloſas, & in praxi perniciosas, eſſe damnandas & prohibendas, ſicut eas damnat, & prohibet. Non intendens tamen Sanctitas Sua per hoc Decretum alias propoſitiones, in ipſo non expreſſas, & Sanctitati ſuæ quomodolibet, & ex quacumque parte exhibitas vel exhibendas, ullatenus approbare.

1ª. Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relictâ tutiore, niſi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi; hinc ſententiâ probabili tantùm utendum non eſt in collatione Baptiſmi, Ordinis Sacerdotalis aut Epiſcopalis.

2. Probabiliter exiſtimo, Judicem poſſe judicare juxta opinionem etiam minùs probabilem.

3. Generatim dum probabilitate, ſive intrinſecâ, ſive extrinſecâ, quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus.

4. Ab infidelitate excuſabitur infidelis non credens, ductus opinione minùs probabili.

5. An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei ſemel tantùm in vita eliceret, condemnare non audemus.

6. Probabile eſt, ne ſingulis quidem quinquenniis per ſe obligare præceptum charitatis erga Deum.

7. Tunc ſolùm obligat, quando tenemur juſtificari, & non habemus aliam viam, quâ juſtificari poſſumus.

8. Comedere & bibere uſque ad ſatietatem, ob ſolam voluptatem, non eſt peccatum, modò non obſit valetudini, quia licitè poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui.

9. Opus conjugii, ob ſolam voluptatem exercitum, omni penitùs caret culpâ, ac defectu veniali.

10. Non tenemur proximum diligere actu interno & formali.

11. Præcepto proximum diligendi ſatisfacere poſſumus per ſolos actus externos.

12. Vix in ſæcularibus invenies, etiam in Regibus, ſuperfluum ſtatui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleëmoſynam, quando tenetur tantùm ex ſuperfluo ſtatui.

13. Si cum debita moderatione facias, potes abſque peccato mortali de vita alicujus triſtari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere & deſiderare; non quidem ex diſplicentia perſonæ, ſed ob aliquod temporale emolumentum.

14. Licitum eſt abſoluto deſiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, ſed ut bonum cupientis, quia nimirùm ei obventura eſt pinguis hæreditas.

15. Licitum eſt filio gaudere de parricidio parentis à ſe in ebrietate perpetrato, propteringentes divitias inde ex hæreditate conſecutas.

16. Fides non cenſetur cadere ſub præceptum ſpeciale, & ſecundùm ſe.

17. Satis eſt actum fidei ſemel in vita elicere.

18. Si à poteſtate publica quis interrogetur, fidem ingenuè confiteri, ut Deo, & fidei glorioſum conſulo; tacere, ut peccaminoſum per ſe non damno.

19. Voluntas non poteſt efficere, ut aſſenſus fidei in ſeipſo ſit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad aſſenſum impellentium.

20. Hinc poteſt quis prudenter repudiare aſſenſum, quem habebat ſupernaturalem.

21. Aſſenſus fidei ſupernaturalis, & utilis ad ſalutem, ſtat cum notitia ſolùm probabili revelationis, imò cum formidine, quâ quis formidet, ne non ſit locutus Deus.

22. Nonniſi fides unius Dei neceſſaria videtur neceſſitate medii, non autem explicita remuneratoris.

23. Fides latè dicta, ex teſtimonio creaturarum, ſimilive motivo, ad juſtificationem ſufficit.

24. Vocare Deum in teſtem mendacii levis, non eſt tanta irreverentia, propter quam velit aut poſſit hominem damnare.

25. Cum cauſa licitum eſt jurare, ſine animo jurandi, ſive res ſit levis, ſive gravis.

26. Si quis, vel ſolus, vel coram aliis, ſive interrogatus, ſive propriâ ſponte, ſive recreationis causâ, ſive quocumque alio fine juret, ſe non feciſſe aliquid, quod reverà fecit, intelligendo intra ſe aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, reverà non mentitur, nec eſt perjurus.

27. Cauſa juſta utendi his amphibologiis eſt, quoties id neceſſarium aut utile eſt ad ſalutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio cenſeatur tunc expediens & ſtudioſa.

28. Qui mediante commendatione, vel munere, ad Magiſtratum, vel Officium publicum promotus eſt, poterit cum reſtrictione mentali præſtare juramentum, quod de mandato Regis à ſimilibus ſolet exigi, non habito reſpectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

29. Urgens metus gravis eſt cauſa juſta Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi.

30. Fas eſt vito honorato occidere invaſorem, qui nititur calumniam inferre, ſi aliter hæc ignominia vitari nequit; idem quoque dicendum, ſi quis impingat alapam, vel fuſte percutiat, & poſt impactam alapam, vel ictum fuſtis, fugiat.

31. Regulariter possum occidere furem pro conservatione unius aurei.

32. Non solùm licitum est defendere defensione occisivâ, quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus.

33. Licitum est, tam hæredi, quàm legatario, contra injustè impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere, sicut & jus habenti in cathedram, vel præbendam, contra eorum possessionem injustè impedientem.

34. Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur aut infametur.

35. Videtur probabile, omnem fœtum, quamdiù in utero est, carere animâ rationali, & tunc primùm incipere eamdem habere, cùm paritur; ac consequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.

36. Permissum est furari, non solùm in extrema necessitate, sed etiam in gravi.

37. Famuli & famulæ domesticæ possunt occultè heris suis surripere, ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.

38. Non tenetur quis, sub pœna peccati mortalis, restituere quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.

39. Qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.

40. Contractus *mohatra* licitus est, etiam respectu ejusdem personæ, & cum contractu retrovenditionis prævie inito, cum intentione lucri.

41. Cùm numerata pecunia pretiosior sit numerandâ, & nullus sit qui non majoris faciat pecuniam præsentem quàm futuram, potest creditor aliquid ultra sortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari.

42. Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur, tamquam ex benevolentia & gratitudine debitum, sed solùm si exigatur tamquam ex justitia debitum.

43. Quidni nonnisi veniale sit, detrahentis authoritatem magnam, sibi noxiam, falso crimine elidere?

44. Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam & honorem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix ulla erit, opinio probabilis in Theologia.

45. Dare temporale pro spirituali, non est simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, sed dumtaxat tamquam motivum conferendi vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solùm gratuita compensatio pro spirituali, aut econtrà.

46. Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale, imò etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris æstimetur, quàm res spiritualis.

47. Cùm dixit Concilium Tridentinum, eos, alienis peccatis communicantes, mortaliter peccare, qui, nisi quos digniores & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent; Concilium, vel primò videtur per hoc *digniores* non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo; vel secundò, locutione minùs propriâ ponit digniores, ut excludat indignos, non verò dignos; vel tandem loquitur tertiò, quando fit concursus.

48. Tam clarum videtur, fornicationem secundùm se nullam involvere malitiam, & solùm esse malam, quia interdicta, ut contrarium omninò rationi dissonum videatur.

49. Mollities jure naturæ prohibita non est. Unde si Deus eam non interdixisset, sæpè esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali.

50. Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium, adeòque sufficit in Confessione dicere, se esse fornicatum.

51. Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras, ad stuprandam virginem, & multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne à domino malè tractetur, he torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.

52. Præceptum servandi festa, non obligat sub mortali, sepositio scandalo, modò absit contemptus.

53. Satisfacit præcepto Ecclesiæ, de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imò quatuor simul à diversis Celebrantibus audit.

54. Qui non potest recitare Matutinum & Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur: quia major pars trahit ad se minorem.

55. Præcepto Communionis annuæ satisfit per sacrilegam Corporis Domini manducationem.

56. Frequens Confessio & Communio, etiam in his qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis.

57. Probabile est sufficere attritionem naturalem, modò honestam.

58. Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.

59. Licet sacramentaliter absolvere dimidiatè tantùm confessos, ratione magni concursus pœnitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnæ alicujus festivitatis, aut indulgentiæ.

60. Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodò ore proferat se dolere, & proponere emendationem.

61. Potest aliquando absolvi, qui in proxima peccandi occasione versatur, quam potest & non vult omittere, quin imò directè & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.

61. Pro-

62. Proxima occaſio peccandi non eſt fugienda, quando cauſa aliqua utilis aut honeſta non fugiendi occurrit.

63. Licitum eſt quærere directè occaſionem proximam peccandi, pro bono ſpirituali vel temporali noſtro, vel proximi.

64. Abſolutionis eſt capax homo, quantumvis laboret ignorantiâ myſteriorum fidei, & etiamſi per negligentiam, etiam culpabilem, neſciat myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini Jeſu Chriſti.

65. Sufficit illa myſteria ſemel credidiſſe.

34 Quicumque autem, cujuſvis conditionis, ſtatûs & dignitatis, illas, vel illarum aliquam, conjunctim vel diviſim, defenderit, vel ediderit, vel de eis diſputativè, publicè aut privatim tractaverit, vel prædicaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem latæ ſententiæ, à qua non poſſit (præterquàm in articulo mortis) ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, niſi pro tempore exiſtente Romano Pontifice abſolvi. Inſuper diſtrictè in virtute ſanctæ Obedientiæ, & ſub interminatione divini Judicii prohibet omnibus Chriſti fidelibus, cujuſcumque conditionis, dignitatis & ſtatûs, etiam ſpeciali & ſpecialiſſimâ notâ dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum ad praxim deducant.

35 Tandem ut ab injurioſis contentionibus Doctores, ſeu Scholaſtici, aut alii impoſterum ſe abſtineant, & ut paci & charitati conſulatur, idem Sanctiſſimus in virtute ſanctæ Obedientiæ, eis præcipit, ut tam in libris imprimendis, & manuſcriptis, quàm in theſibus, diſputationibus ac prædicationibus, caveant ab omni cenſura, & nota, necnon à quibuſcumque convitiis contra eas propoſitiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc inde controvertuntur, donec à S. Sede recognitæ, ſuper iiſdem propoſitionibus judicium proferatur.

CAPUT V.

Doctrina Facultatis Theologicæ Lovanienſis, propoſitionibus per Decretum S. D. N. Innocentii XI. condemnatis oppoſita, à Deputatis ejuſdem Facultatis, eidem S. D. N. ad examen propoſita, Apoſtolicoque ipſius judicio ſubmiſſa, ſed poſt longiſſimum examen, ſummaque in illam præpotentium adverſariorum molimina, ab omni cenſura prohibitioneque libera.

36 NOtum eſt univerſo Orbi & Urbi 65. propoſitiones, capite præcedenti recenſitas, à S. D. N. Innocentio XI. condemnatas fuiſſe ad inſtantiam Deputatorum Facultatis Theologicæ Lovanienſis, quæ ipſos eum in finem Romam ablegaverat, eaſdemque propoſitiones, per eoſdem Deputatos, coram eodem ſanctiſſimo Domino in facie totius Eccleſiæ improbarat, & non ſolùm declararat alienas à doctrina ſua, ſed & S. Sedi detulerat, tamquam Moralis Chriſtianæ corruptelas. Quod ut efficaciùs præſtaret, doctrinam propoſitionibus illis oppoſitam, quam ſe profiteri declaravit, ejuſdem Apoſtolicæ Sedis judicio ſubmiſit, illudque examen idem Sanctiſſ. Dominus Eminentiſſimis Cardinalibus, per univerſam Chriſtianam Rempublicam Generalibus Inquiſitoribus commiſit, adverſariis interim Facultatis, per diverſa ad id oblata Memorialia, perque editum Librum (cui titulus, *Doctrina Theologica per Belgium manans ex Academia Lovanienſi ab anno 1644.* ad informandam S. Sedem, *in partes, ſeu ſpecimina quatuor digeſta*) necnon per potentiſſimos amicos ſuos, nullum lapidem non moventibus, quo & Facultatis doctrina condemnaretur, & oppoſita doctrina (ſexaginta quinque propoſitionibus illis comprehenſa) à damnatione per Lovanienſes ſollicitatâ ſubduceretur, prout fidem faciunt (inter alia) Liber proximè allegatus, & (præter Memorialia plurima ſanctiſſimo Domino oblata) famoſum quoddam Memoriale, Suæ Catholicæ Majeſtati eundem in finem præſentatum; in quo non ſola Facultas Theologica Lovanienſis, ſed & Canonici Præmonſtratenſes, Dominicani, Auguſtiniani, Carmelitæ diſcalceati, Capucini, &c. damnatæ in Janſenio doctrinæ rei perhibentur, his verbis: *Multæ ſunt in Belgio Religiones, quæ ſe à Janſeniſmo intactas conſervant. Utinam idem de Præmonſtratenſibus S. Norberti affirmare liceat! nota eſt omnibus infectio majoris partis Monaſteriorum hujus Inſtituti. ... in duabus ſacris Familiis SS. Auguſtini & Dominici, vix dabitur grandioris notæ Theologus qui.... ſe Anti-Janſeniſtam profiteri auſit... Capucinorum Belgicorum Religio manifeſte in duas factiones dividitur, unam Janſeniſtarum, quam juniores conſtituunt ... nec ab hoc contagio Ordo Carmelitarum diſcalceatorum in Belgio purus exſtit, &c.* In alio etiam Memoriali anno 1698. eidem Majeſtati oblato, primariæ Dignitatis Eccleſiaſticæ & ſæcularis viri, tam Hiſpani, quàm Belgæ pariter traducuntur. Sed in quo fundata eſt illa criminatio? in eo quòd Religioſi illi in materia Gratiæ & morum, doctrinam profitentur doctrinæ Memorialiſtarum adverſam. Ideò ergo (ſi Superis placet) in Memoriali illo traducuntur ut Janſeniſtæ. Quâ veritate? quâ juſtitiâ? quâ charitate? Videant an charitate moveantur, quibus ſolemne eſt omnes ſibi in materia Gratiæ & morum adverſos Janſeniſmi inſimulare, ſciantque habere ſe in iſtis adverſarios, quibus nihil cum Janſenio commune.

Sed quis tandem ſucceſſus illarum criminationum, Memorialium, Librorum, totque & tantorum moliminum? cauſa quidem fuêre longioris, accuratioriſque examinis, tam doctrinæ Lovanienſium, quàm 65. propoſitionum. Sed poſt exactiſſimè diſcuſſa ſpecimina, Memorialiaque omnia, ſexaginta quinque propoſitiones quidem, tamquam perniciosæ ſcandaloſæque, condemnatæ ſunt: ſed Facultatis Lovanienſis doctrina (ſanctiſſimo Domino 37

oblata, ut suprà) à primo suo articulo ad novissimum, ne uno quidem excepto, immunis exiit à prohibitione & censurâ; Memoriale verò anni 1698. ab utraque Inquisitione Generali, tam Romana quàm Hispanica, proscriptum fuit. Ideò operæ pretium existimavi doctrinam illam hîc subjicere, eo ordine quo Apostolico examini, judicioque fuit proposita.

DOCTRINA SCHOLÆ LOVANIENSIS 65. propositionibus adversa.

§. I.

Doctrina circa generales regulas Moralis Christianæ, de ignorantia, inadvertentia, probabilitate.

38 1ª. DUo nobis innata sunt vitia originalia, concupiscentia, & naturalis legis ignorantia.

2. Uti nulla concupiscentia est insuperabilis, ita nulla hujusmodi ignorantia est invincibilis.

3. Quippe sicut omnis illa per divinæ gratiæ auxilium, ita omnis etiam hæc per ejusmodi gratiæ lumen superari potest.

4. Opera igitur nostra, naturali legi contraria, quæ ex tali ignorantia procedunt, à peccato plenè excusari nequeunt, ne favore quidem ullius verisimilitudinis, vel probabilitatis.

5. Ad summum potest subinde mortalis macula dilui in venialem.

6. Quod *ipsum* tamen locum non habet in his peccatis, quæ primis naturalibus & æternæ legis principiis, aut manifestioribus ejus præceptis adversantur.

7. Uti de peccatis carnalibus dilucidè docet S. Augustinus, expositione inchoatâ in Epist. Pauli ad Rom. ea ne in ipsis quidem pueris, & adolescentibus, à mortali malitia expurgari per ignorantiam.

8. Si autem actum, legi æternæ & naturali contrarium, numquam plenè excusat ipsius legis ignorantia, multo minùs simplex inadvertentia, seu non reflexio ad malitiam.

§. II.

Doctrina de Virtutibus Charitatis, Fidei & Spei Theologicæ.

39 1. FUndamentale, ac primum legis æternæ mandatum, est, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, & proximum tuum sicut teipsum.

2. Vocem, *Charitas*, tametsi aliqui Scholastici accipiant pro sola Dei dilectione, quæ est nostra cum Deo per peccatorum remissionem amicitia, S. Augustinus & alii Patres eam sumere solent pro quavis supremi boni casta propter se dilectione. Quasi verò (inquit Augustinus) *aliud sit bona voluntas, quam charitas.*

3. Hinc idem S. Doctor distinguit charitatem natam, nutritam, adultam, robustam, perfectam. Et hanc duplicem; aliam præsentis, aliam futuræ vitæ. Quæ distinctio placet frequenter & S. Thomæ.

4. Itaque charitas & cupiditas, generatim sumptæ, non sunt aliud quàm bona & mala voluntas. Sunt bona & mala radix; quarum hæc solos malos, illa proferre possit solos bonos fructus.

5. Omne opus, ut planè bonum sit, & ne venialiter quidem in eo peccetur, debet ex tali charitate procedere, & per ipsam referri in Dominum Deum: nec enim, teste Augustino de Sp. & Litt. c. 4. *fructus est bonus, qui de radice charitatis non surgit.*

6. Attamen ista relatio per charitatem perfectam fieri non debet; sufficit enim fieri per charitatem imperfectam.

7. Sed neque necessaria est relatio ex charitate actuali, sive ex charitate super quam fiat actualis reflexio.

8. Hæc namque continua in operibus nostris reflexio, est multis hujus vitæ distractionibus impossibilis.

9. Sufficit ergo quòd opera nostra per charitatem virtualem in Deum referantur.

10. Continua virtualis dilectio versari debet non solùm circa Deum, sed etiam circa proximum. Absit ut christiana justitia contenta sit hunc solummodò non odisse, aut illi sola externa impendere officia.

11. Par nobis obligatio est fidei & spei. Etiam per eas obligamur divinæ Majestati continuè, saltem virtualiter, adhærere.

12. Fides debet esse assensus firmissimus. S. Clemens Alexandrinus docet rectè, firmiorem esse omni demonstratione: quare quicumque censet posse esse probabilem dumtaxat æstimationem, jampridem damnatus est in Petro Abaylardo.

13. Debet esse non naturalis, aut latè dicta, sed omninò supernaturalis, & innixa authoritati Dei loquentis, per quam credantur, quæ divinitùs revelata & promissa sunt.

14. Ad justitiam & salutem necessaria fides expressè debet tendere in unam divinæ Majestatis essentiam, ac in tres Personas. Item in Deum remuneratorem: etiam in Christum Mediatorem. Novisse debet ejus Incarnationem, Passionem, Mortem, Resurrectionem.

15. Horum omnium expressa fides, est necessarium justificationis medium. Quicumque vel unum eorum ignorant, licèt baptizati sint, sunt ex illorum numero, de quibus ad S. Petrum Alexandrinum clamavit olim Angelus, ut quid huc jactatis vacua marsupia?

16. Hinc Episcopi, Presbyteri, Curati, aliique omnes animarum Directores, rigidissimè obligantur fidelem populum de iis omnibus plenè instruere; quod præceptum meritò innovavit Synodus Tridentina.

§. III.

De Juramento & Mendacio.

40 1. SIc verbis utendum eſt, ut id quod dicitur, conſideratis ſimul circumſtantiis, quas obviè poſſit audiens intelligere, ſit conforme menti loquentis.

2. Si aliter fiat cum juramentò, perjurium eſt; ſi citra juramentum, mendacium. Quod neutrum ulla utilitate aut neceſſitate excuſari poteſt.

§. IV.

De Homicidio.

1. NOn dedit Dominus vitæ & necis homini privato poteſtatem, ut res ſuas temporales, aut honorem, imò pudicitiam cum invaſoris cæde tueatur.

2. Aliqui affirmant injuſtum vitæ aggreſſorem poſſe occidi, aliqui negant. Hi S. Thomam ſibi favere arbitrantur.

§. V.

De Furto, Reſtitutione, Detractione, Simoniâ & Luxuriâ.

1. SUprapoſitos (id eſt in Decreto Innocentii XI. capite præcedenti relatos) de furto, detractione, ſimoniâ & luxuriâ articulos non admittit, ſed paſſim impugnat.

2. Circa luxuriam ſpecialiter docet poſt S. Auguſtinum, & alios Patres & Doctores, actum conjugii, ut omni defectu veniali careat, exerceri debere, vel generandæ prolis gratiâ, quæ deinde Chriſto regeneretur, vel ut debito conjugalis juſtitiæ ſatisfiat.

§. VI.

De Præceptis Eccleſiæ, Feſtis ſervandis, Miſſa auditione, Horis recitandis, Communione annua, Cultu Sanctorum.

LOvanienſis nihil hîc tradunt ſingulare, docent quæ Tridentina Synodus & ſancta Mater Eccleſia.

§. VII.

De Confeſſione, Contritione, Abſolutione, Satisfactione.

41 1. FRequens Confeſſio & Communio, dum rectè fiunt, ſunt plurimùm laudandæ & fructuoſæ.

2. Venialium etiam peccatorum, licèt citra culpam taceri, & multis aliis remediis expiari poſſent, frequens Confeſſio rectè & utiliter fit, & citra omnem præſumptionem.

3. Servilis gehennarum metus nequaquam in ſua ſubſtantia malus eſt, ſed bonus & utilis. Attamen ipſi ſoli inſiſtens attritio, etiam cum Sacramento, non ſufficit ad juſtificationem: quia, ad accipiendam hanc gratiam, oportet credere, ſperare, ac Deum propter ſe diligere.

4. Vera attritio debet eſſe dolor animi, ac deteſtatio animi de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero, excludens voluntatem peccandi. Attamen non debet includere perfectam charitatem, quæ hominem Deo reconciliat, priuſquàm hoc Sacramentum actu ſuſcipiatur.

5. Nihilominùs debet eſſe, licèt imperfecta, tamen vera Dei charitas, quâ pœnitens Dominum Deum, tamquam omnis juſtitiæ fontem, diligat, ideòque peccata ſua deteſtetur & oderit. Eam aliqui appellant charitatem affectu ſuper omnia.

6. Pœnitens Confeſſario priorem, inveteratam præſertim, peccandi conſuetudinem ex conducentibus ad ejus medelam rationibus interroganti debet obedire.

7. Etiam exprimendæ circumſtantiæ intra eamdem ſpeciem notabiliter aggravantes.

8. Abſolutionis denegatio, aut dilatio, quandoque eſt neceſſaria, quandoque utilis, quandoque pernicioſa. Quare Confeſſario non ſola ſcientia eſt neceſſaria, ſed etiam prudentia. A Domino Deo poſtulare debet gratiam diſcernendorum ſpirituum.

9. Dicta dilatio aut negatio, dum eſt dumtaxat utilis, non poteſt exerceri in pœnitentem invitum.

10. Cauſæ quæ ipſam faciunt neceſſariam, ſunt præſertim tres. Prima, eſt ignorantia articulorum neceſſariorum fidei. Secunda, defectus diſpoſitionis, puta contritionis. Tertia, proxima peccandi occaſio, quæ vel ex natura rei, vel ex qualitate perſonæ eſt talis.

11. Aliquot duarum poſtremarum exempla adducit in ſua Romana Synodo S. Gregorius VII. *Falſas pœnitentias dicimus, quæ non ſecundùm authoritatem SS. Patrum pro qualitate pœnitentium imponuntur. Ideòque quicumque miles, vel negotiator, vel alicui officio deditus, quod ſine peccato exerceri non poteſt, ſi culpis gravioribus irretitus ad pœnitentiam venerit, vel qui bona alterius injuſtè detinet, vel qui odium in corde gerit, recognoſcat ſe veram pœnitentiam non poſſe peragere, per quam ad æternam vitam valeat pervenire, niſi arma deponat, ulteriùſque non ferat (niſi conſilio Religioſorum Epiſcoporum pro defendenda juſtitia) vel negotiationem derelinquat, vel officium deſerat, & odium ex corde dimittat, bonaque quæ injuſtè abſtulit, reſtituat. Ne tamen deſperet, interim quidquid boni facere poterit, hortamur ut faciat, ut Omnipotens Deus cor illius illuſtret ad pœnitentiam.*

12. Confeſſarius obligatur pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, ſalutares & convenientes injungere ſatisfactiones. Qui indulgentiùs agit, & leviſſima quædam opera injungit pro graviſſimis delictis, communicat peccatis alienis.

13. Iſtiuſmodi ſalutares pœnitentias peccator acceptare, & adimplere tenetur.

14. Graviorum delictorum pœnitentiam ante abſolutionem explere, eſt ex variis cauſis ſanctiſſimum. Iſtius tamen moris neceſſitatem

abstulit materna Ecclesiæ clementia, nec videtur reducenda, nisi sic Ecclesiæ Romanæ videretur.

42 Hactenus Facultatis Lovanienſis doctrina Apostolicæ Sedi ad examen oblata, post districtumque examen, nulla in parte notata. Quam hîc referre placuit, ut omnibus compertum sit, illius in toto vel in parte defensores, damnatæ vel notatæ ab Ecclesia doctrinæ reos non esse, nec ut tales absque injuria prævaricationeque præcepti S. D. N. Innocentii XI. traduci posse. Nec solam illam doctrinam iidem Deputati Apostolico examini subjecerunt, sed & doctrinam de Gratia contentam libro, cui titulus: *Censura Facultatis Lovanienſis, &c.* post cujus trimestre examen, jussu S. Sedis institutum, Assessor S. Officii Deputatis dixit, *doctrinam eo libro contentam sine offensa S. Sedis teneri, docerique posse*, prout iidem Deputati reduces testati sunt, oblato ad testimonii veritatem juramento. Verumque esse testimonium ipsorum argumentis irrefragabilibus demonstrat Augustinus le Blanc S. Theologiæ Doctor in Historia Congregationum de auxiliis l. 1. c. 9. 10. 11. & 12. Nec certè credibile est, nullum judicium, post trimestre illud examen, subsecutum esse. Vel ergo post illud exiit immunis à censura, prohibitioneque, vel non? si primum, hoc est quod intenditur. Si secundum, ubi censura, ubi prohibitio, post examen illud subsecuta? Nullam producunt vel producere possunt adversarii, qui certissimè producerent, & cum strepitu insultationeque de more producerent, si talis censura exstaret. Quo enim cum strepitu Alexandri VIII. Decretum in propositiones xxxi. non produxerunt?

CAPUT VI.

Decretum Sanctissimi Domini Nostri Innocentii XI. quo Amadæi Guimenii Liber, cui titulus: Adversus quorumdam expostulationes, contra nonnullas Jesuitarum opiniones Morales, &c. *sub excommunicationis pœna interdicitur, & flammis aboleri jubetur, velut continens doctrinam non sanam, perniciosam, animarum infectivam, & in æternæ salutis detrimentum adductivam.*

43 INnocentius Papa XI. Ad perpetuam rei memoriam. Cùm, sicut accepimus, Liber quidam, cui titulus: Adversus quorumdam expostulationes, contra nonnullas Jesuitarum opiniones Morales, Authore Amadæo Guimenio, &c. Bambergæ & Panormi anno 1657. & subinde Valentiæ, Lugduni, & Madriti anno 1664. additis nonnullis opinionibus non sanis, sub alio titulo, videlicet: Amadæi Guimenii Lomarienſis, olim Primarii S. Theologiæ Professoris Opusculum, singularia universæ ferè Theologiæ Moralis complectens, adversus quorumdam expostulationes contra nonnullas Jesuitarum opiniones Morales, typis recusus: non solùm 5. Aprilis 1666. à Congregatione tunc existentium S. R. E. Cardinalium, Indici librorum prohibitorum & expurgandorum præposita; sed etiam die 12. Septembris 1675. à Congregatione ejusdem S. R. E. Cardinalium, in tota Republica Christiana, contra hæreticam pravitatem Generalium Inquisitorum, à Sede Apostolica specialiter deputatorum, iteratò prohibitus fuerit. Et nihilominùs nonnulli, propriæ salutis immemores, librum eumdem legere & retinere, damnabili lectione, usu, & praxi præsumant. Nos, cujus gregis sui curam commisit Altissimus, periculis animarum, quæ ex usu & praxi perniciosæ doctrinæ dicto libro traditæ, infici, & in æternæ salutis detrimentum adduci possent, Pastorali charitate occurrere cupientes, motu proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, librum prædictum, sub utroque suprà expresso tenore, aliove quocumque titulo, nomine, & idiomate, sive in prædictis, sive in aliis quibusvis locis hactenus typis impressum, ac etiam manu descriptum, & quandocumque (quod absit) imprimendum & describendum, tenore præsentium damnamus, reprobamus, & denuò prohibemus, ac pro damnato, reprobato & prohibito haberi volumus, illiusque impressionem, descriptionem, lectionem, retentionem & usum, omnibus & singulis Christi fidelibus, etiam specificâ & individuâ mentione & expressione dignis, sub pœna excommunicationis per contrafacientes, ipso facto, absque alia declaratione incurrenda, à qua nemo à quoquam, præterquàm à nobis, seu Romano Pontifice, pro tempore existente, nisi in articulo mortis, absolutionis beneficium valeat obtinere, omninò interdicimus. Porrò quicumque librum hujusmodi penes se habuerint, illum statim atque præsentium notitia ad eos pervenerit, locorum Ordinariis, vel hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, tradere atque consignare teneantur. Hi verò exemplaria sibi tradita illicò flammis aboleri curent, &c. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 17. Septembris 1680. Pontificatûs nostri anno quarto. Hactenus Innocentius XI. Cui malè quidam Recentior (de numero eorum, qui sola ea Decreta Apostolica præjudiciis suis consentanea reverenter suscipiunt) opponit Alexandrum VII. quasi ipse in reprobatione censuræ Parisiensis declaraverit propositiones Amadæi Guimenii esse regulas actionum moralium, gravissimorum Scriptorum authoritate, perpetuoque Catholicorum usu probatas, quas Innocentius ad flammas damnavit, tamquam pestilentes & perniciosas. Siquidem Alexander id potiùs narrativè quàm ultimò definitivè declaravit, uti constat ex adjecta clausula, quâ ulteriùs de iis examen sibi, ac S. Sedi Apostolicæ reservavit. Deinde solùm declaravit, ex illo libro, & alio Jacobi Vernantii perperàm à Parisiensibus censuratas esse propositiones aliquas; non verò negavit fuisse in eodem Amadæi libro alias propositiones meritò censurabiles, quarum aliquas ipse etiam postèà censuravit.

CAPUT VII.

Decretum Alexandri VIII. de 24. Augusti 1690. adversus propositiones duas nimis laxas.

44 „ Est tenoris sequentis: „ SS. D. N. Alexan-
„ der Papa VIII. non sine magno animi sui
„ mœrore audivit duas theses, seu propositiones,
„ unam denuò, & in majorem animarum fide-
„ lium perniciem suscitati; alteram de novo
„ erumpere. Et cùm sui Pastoralis officii munus
„ sit, oves sibi creditas à noxiis pascuis averte-
„ re, & ad salutaria semper dirigere, dictarum
„ thesium, seu propositionum examen pluribus
„ in S. Theologia Magistris, & deinde Eminen-
„ tissimis & Reverendissimis DD. Cardinalibus,
„ contra hæreticam pravitatem Generalibus In-
„ quisitoribus, sedulò commisit, qui pluries &
„ maturè discussis infrascriptis thesibus, seu pro-
„ positionibus, super unaquaque ipsarum sua suf-
„ fragia Sanctitati Suæ sigillatim exposuerunt.

„ 1ª. Bonitas objectiva consistit in conve-
„ nientia objecti cum natura rationali. Formalis
„ verò in conformitate actus cum regula mo-
„ rum. Ad hoc sufficit ut actus moralis tendat
„ in finem ultimum interpretativè. Hunc homo
„ non tenetur amare, neque in principio, ne-
„ que in decursu vitæ suæ moralis.

2ª. Peccatum philosophicum, seu mo- “
rale, est actus humanus disconveniens na- “
turæ rationali, & rectæ rationi. Theologicum “
verò & mortale, est transgressio libera divinæ “
legis. Philosophicum, quantumvis grave in “
illo qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu “
non cogitat, est grave peccatum, sed non est “
offensa Dei, neque peccatum mortale, dis- “
solvens amicitiam Dei, neque æternâ pœnâ “
dignum. “

Quibus peractis, Sanctissimus, omnibus “
plenè & maturè consideratis, primam thesim “
seu propositionem declaravit hæreticam, & ut “
talem damnandam, & prohibendam esse, si- “
cuti damnat & prohibet, sub censuris & pœ- “
nis contra hæreticos... in jure expressis. Se- “
cundam thesim seu propositionem declaravit “
scandalosam, temerariam, piarum aurium “
offensivam & erroneam, & uti talem damnan- “
dam & prohibendam esse, sicuti damnat & “
prohibet: ita ut quicumque illam docuerit, “
defenderit, ediderit, aut de ea disputaverit “
publicè, seu privatim tractaverit, nisi forsan “
impugnando, incidat in excommunicationem, “
à qua non possit (præterquàm in articulo mor- “
tis) ab alio, quacumque etiam dignitate ful- “
gente, nisi à pro tempore Romano Pontifice “
absolvi, &c. “

PROLEGOMENON QUINTUM.

De querelis adversus Ethicem severiorem.

CAPUT PRIMUM.

Querelæ sub Pio V. Innocentio XI. & Alexandro VIII.

1 Seculo decimo sexto querelæ graves Pio V. delatæ sunt, adversus varias propositiones, vulgò Bajanas, quas ipse per Bullam, Prolegomeno sequenti exhibendam, condemnavit.

2 Anno verò 1679. (sæculi decimi septimi) ut primùm Româ discesserant Deputati Lovanienses, P. Porterus (Minorita Hibernus) Innocentio XI. examinandas obtulit 104. propositiones doctrinæ per Belgium (ut aiebat) manantis è schola Lovaniensi. Qua in re fidelis delator non fuit, utpote libris publicis manifestè convictus, earum nonnullas designatis à se Scriptoribus per impostúram attribuisse.

3 Quidquid sit, Innocentio XI. displicuit, Lovanienses, vix Româ egressos, taxari, cùm toto biennio, & quatuor mensibus, quibus steterant ad tribunal ipsius, accusare eos nemo ausus fuisset; cùm tamen tempus jam opportunum tunc fuisset accusandi ipsos coram legitimo Judice, si quis adversus ipsos querelam habuisset. Quia tamen Porterus Hispanici Legati munitus erat authoritate, Innocentius XI. propositiones illas 104. examinandas dedit Theologis, qui ex iis 32. (cæteris neglectis) maturiùs examinandas selegerunt. Quorum, & Cardinalium (Generalium Inquisitorum) auditis suffragiis, Innocentius XI. super iisdem consuluit tum Theologos doctissimos, tum sapientissimum Cardinalem Grimaldi. A quo quia (uti Romanæ nuntiaverunt Litteræ) responsum accepit, propositionum illarum censuram; ob terminorum æquivocationem, ambiguitatemque parum utilitatis Ecclesiæ allaturam; multum verò turbarum, dissensionum & inconvenientium, censuram Pontifex noluit promulgare, nec authorizare. Ne eâ plures abuterentur (uti revera jam abutuntur) ad evertendas præcipuas Moralis Christianæ regulas, à SS. Patribus unanimi consensu traditas. Verùm Successori ipsius Alexandro VIII. (qui in censuram propensus fuerat tempore Innocentii XI.) visum est, eam promulgare. Et ideò cum omni veneratione suscipiendum est Decretum ipsius, pro quo, ut iisdem Litteris nuntiatum fuit, vetus examen (sub In-

nocentio XI.) ad hoc ipsi suffecit, nec novum seu distinctum instituit. Una tamen propositio (ex illis 32.) nescio quo fato censuram evasit; hæc nempe: *Spes charitate destituta, virtutis Theologicæ rationem amittit.*

4 Die itaque 7. Decembris anni 1690, promulgatum est Decretum, quo damnantur propositiones sequentes.

1ª. In statu naturæ lapsæ, ad peccatum mortale & demeritum sufficit illa libertas, quâ voluntarium & liberum fuit in causa, peccato originali, & voluntate Adami peccantis.

2. Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat à peccato formali.

3. Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.

4. Dedit semetipsum pro nobis oblationem Deo, non pro solis electis, sed pro omnibus, & solis fidelibus.

5. Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omninò accipiunt à Jesu Christo influxum; adeòque hinc rectè inferes in illis esse voluntatem nudam & inermem, sine omni gratia sufficienti.

6. Gratia sufficiens, statui nostro non tam utilis, quàm pernicioſa est, sic ut proinde meritò possimus petere: *A gratia sufficienti libera nos Domine.*

7. Omnis humana actio deliberata, est Dei dilectio, vel mundi: si Dei, charitas Patris est: si mundi, concupiscentia carnis; hoc est, mala est.

8. Necesse est infidelem in omni opere peccare.

9. Reverà peccat qui odio habet peccatum merè ob ejus turpitudinem & disconvenientiam cum natura, sine ullo ad Deum offensum respectu.

10. Intentio quâ quis detestatur malum, & prosequitur bonum, merè ut cælestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens.

11. Omne quod non est ex fide Christiana supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum est.

12. Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides, & etiamsi videantur credere, non est fides divina, sed humana.

13. Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licèt beatitudinis operatur.

14. Timor gehennæ non est supernaturalis.

15. Attritio, quæ ex gehennæ & pœnarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus, nec supernaturalis.

16. Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex & præscriptio, naturâ rei idipsum quodammodò dictante.

17. Per illam praxim mox absolvendi, ordo pœnitentiæ est inversus.

18. Consuetudo moderna quoad administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet authoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominùs ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu.

19. Homo debet agere totâ vitâ pœnitentiam pro peccato originali.

20. Confessiones apud Religiosos factæ, pleræque vel sacrilegæ sunt, vel invalidæ.

21. Parochianus potest suspicari de Mendicantibus, qui eleëmosynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi & incongrua pœnitentia, seu satisfactione, ob quæstum, seu lucrum subsidii temporalis.

22. Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad Communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint.

23. Similiter arcendi sunt à S. Communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, & omnis mixtionis expers.

24. Oblatio in templo, quæ fiebat à B. V. M. in die Purificationis suæ per duos pullos columbarum, unum in holocaustum, & alterum pro peccatis, sufficienter testatur quòd indiguerit purificatione, quòd Filius qui offerebatur, etiam maculâ Matris maculatus esset, secundùm verba legis.

25. Dei Patris simulachrum nefas est Christiano in templo collocare.

26. Laus quæ defertur Mariæ, ut Mariæ, vana est.

27. Valuit aliquando baptismus sub hac forma collatus, *In nomine Patris, &c.* prætermissis illis, *ego te baptizo.*

28. Valet baptismus collatus à Ministro, qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat, intus verò in corde suo apud se resolvit: *Non intendo quod facit Ecclesia.*

29. Futilis & toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium Oecumenicum authoritate, atque in fidei quæstionibus decernendis infallibilitate.

30. Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clarè fundatam, illam absolutè potest tenere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam.

31. Bulla Urbani VIII. *in eminenti*, est subreptitia.

Quibus maturè consideratis, idem Sanctissimus statuit & decrevit 31. supradictas propositiones, tamquam temerarias, scandalosas, malè sonantes, injuriosas, hæresi proximas, hæresim sapientes, erroneas, schismaticas, & hæreticas respectivè esse damnandas & prohibendas, sicut eas damnat & prohibet, &c.

CAPUT II.

Aliæ querelæ sub Innocentio XII.

ANno 1692. ad Congregationem S. Officii 5 magno numero delatæ sunt *propositiones per Belgium* (ut præ se fert libri titulus) *dis-*

seminata. Quarum aliæ ideò delatæ sunt, ut ex iis appareret, aliquam reverà esse in Belgio Jansenistarum sectam, qui quinque famosas propositiones, ab Innocentio X. & Alexandro VII. damnatas, seu earum aliquas, vel aliquam tuerentur: Jansenismum proinde phantasma, seu sectam phantasticam & imaginariam non esse. Aliæ in materia morum, ob nimium (uti Delatoribus videbatur) rigorem, delatæ sunt, ut ex iis saltem appareret, aliquam esse Rigoristarum sectam.

6 Verùm in primo probando Delatores defecerunt. Tametsi enim ipsorum ad S. Sedem Legatum P. Magistrum Desirant sæpiùs coram eadem S. Sede provocaverit Doctor Hennebellus, Academiæ Lovaniensis Deputatus, ut vel unum è toto Belgio proferret, de Jansenismo legitimè suspectum; frustrà provocavit. Neque enim, post tot provocationes, vel unum Desirantius proferre potuit.

7 In primo ipse scripto 25. Januarii 1692. Suæ Sanctitati oblato, asseruerat *tam multos libros in Belgio prodiisse, atque ab Archiepiscopo Mechliniensi, cæterisque Belgii Episcopis observatas esse tam multas circumstantias, ut jam notorium esset, in Diœcesibus istis grassari de Hæresi Jansenianâ suspectos.*

8 Verùm sub initium Martii reposuit Hennebellus: *Noverunt qui P. Desirant hùc ablegarunt, quidquid de Jansenismi in Belgio grassatione jactabant, ab iis quos accusabant negari, imò ut fabulam & merum commentum palàm rejici. Quis igitur ab iis, ad Apostolicam Sedem per Legatum accedentibus, non expectaret validas & authenticas probationes, quibus, quæ intendebant confirmarent, & id quod contra dicebatur refellerent? Quis non speraret acta & instrumenta allatum iri, unde saltem de corpore delicti, ut aiunt, constaret? Certè nihil eis facilius erat, Ecclesiasticâ & sæculari potestate munitis, quàm reos, si qui essent, indagare, invenire, & servato juris ordine convincere. Ad id satis erat, ex tot viris, quos modò ut suspectos dumtaxat, modò ut errores suos palàm docentes inducunt, aliquos saltem citare, eosque juridicè de doctrina sua, de fide, de quinque propositionibus interrogare, testes eis coram objicere, denique ea peragere, quibus inquisitiones legitimè instrui, & promoveri solent. Quis autem sibi persuadeat, in ampla regione, apud Belgas, hoc est, homines ingenuos & minimè fucatos, sectam, & eam quidem numerosam, ita per annos quadraginta latuisse, ut ex tot suspectis nullus, vel in disseminando errore deprehensus, nullus stimulante sceleris conscientiâ sponte confessus, nullus non modò convictus, sed ne quidem legitimè accusatus unquam fuerit?*

Nihil horum omnium profert P. Desirant: pro actis & probationibus, pro rationibus & argumentis, verborum ambages substituit, multas circumstantias commemorat, ob quas ait notorium esse in Belgio grassari de Jansenismo suspectos. Quid verò circumstantiarum illarum nomine intelligat, in quibus, ubi & quando fuerint observatæ; quinam illi suspecti, an Clerici, an sæculares, cujus Ordinis, aut Instituti, quodnam illis nomen, nusquam explicat. Et nihilominùs, etiam Romæ, apud Apostolicam Sedem, & Pontificem optimum, ac justitiæ amantissimum, confidit se probare posse hanc accusandi rationem, quam olim à Romanis adhuc Gentilibus, non accusationis, sed maledictionis loco habitam legimus, his verbis: " Accusatio cri- "
men desiderat; rem, ut definiat; hominem, "
ut noter; Argumento probet, Teste confirmet. "
Maledictio verò nihil habet propositi, præter "
contumeliam. " *Enimverò, Beatissime Pater, in Belgio multos esse adversariis de Jansenismo suspectos, non infitior; at legitimè suspectos esse pernego.*

Hac responsione, velut fulmine ictus Desi- 9
rantius, actis & instrumentis ad eam refellendam destitutus, octodecim articulos excogitavit, de iisque Hennebellum, & alios Belgas accusavit.

Sed iis articulos septemdecim opposuit Hen- 10
nebellus, quibus genuinam suam, Theologorumque Belgii, accusationibus octodecim directè oppositam doctrinam, tam apertè professus est, ut post tam ingenuam professionem, ab accusatis Belgii Theologis subscriptam, obmutuerit Desirantius, & in hunc usque diem obmutescat. Et ideò sub finem Septembris 1693. Sanctissimo Domino supplicavit Hennebellus, ut idem P. Desirant, aliique ejus adhærentes, ab ejusmodi accusationibus deinceps sibi temperare, authoritate Suæ Sanctitatis cogerentur: quandoquidem P. *Desirant, licèt toties à sex mensibus provocatus, ut vel unum proferret in Belgio Theologum, qui objectos ab eo articulos sustineret, vel qui declarationi, quam ejusmodi articulis Orator opposuit, subscribere recusaret, nullum hactenus protulisset, vel etiamnum proferre valeret, tali se silentio condemnans, Theologorumque, quos accusavit, innocentium confirmans.*

Potuissetne, tamquam Jansenista, vel de 11
Jansenismo suspectus condemnari Hennebellus, qui sic loquebatur, vel ii pro quibus loquebatur, accusatore obmutescente? An non absolvendi erant, qui accusabantur, dum nihil probabat, qui accusabat? Ita sanè: non mirum proinde, quòd ab eo tempore accusatos Belgii Theologos non solùm absolverit Innocentius XII. sed & in Brevi suo ad Episcopos Belgii de 6. Februarii 1694. ipsis injunxerit, *ne ullâ ratione quemquam vagâ istâ accusatione & invidioso nomine Jansenismi traduci aut nuncupari sinerent, nisi priùs suspectum esse legitimè constaret, aliquam ex propositionibus* (ab Innocentio X. damnatis) *docuisse, aut tenuisse; nec quemquam sub hoc prætextu repelli ab officiis, muniis, beneficiis, gradibus, ac concionibus habendis, vel aliâ quâcumque functione Ecclesiasticâ permitterent, nisi servato juris ordine, eam pœnam, quæ viris alioquin Catholicis gravissima est, commeruisse probatum fuerit.* Et in Brevi altero ad eosdem de 24. Novembris 1696. de iis-

dem Theologis, non ut Janseniſtis, ſed ut *prætenſis Janſeniſtis* ſemel iterùmque locutus fuerit.

12 In altera etiam parte, earum ſcilicet propoſitionum Moralium quas detulerant, velut nimium rigorem præ ſe ferentes, meliorem fortunam experti non ſunt Delatores: ſiquidem, hac etiam in parte, in probando adeò defecerunt, ut præcipuæ, quas detulerant, circa adminiſtrationem Sacramenti Pœnitentiæ, poſt diſtrictum examen, à cenſura tranſierint immunes; ideòque per eumdem Delegatum ſuum Deſirantium, reliquarum examen quæſitis prætextibus, cavillationibuſque, remorati fuerint, revocaverintque Deſirantium ſuum, qui oblato ſupplici libello, nomine Epiſcoporum Belgii, poſtulavit, & obtinuit ſuſpenſionem examinis ipſarum, uſque dum in Belgium reverſus, novam ibi probationum neceſſariarum perquiſitionem feciſſet, pro qua perquiſitione licèt duo dumtaxat menſes ipſi fuerint conceſſi, de tranſmittendis promiſſis probationibus non ſolùm non cogitavit, elapſis duobus illis menſibus, ſed nec elapſis quatuor à reditu annis.

Illudque mirabile, ſimul & memorabile ea 13
in cauſa accidit, quòd delatarum propoſitionum Moralium examen, ſeu examinis proſecutionem impedierint, qui eas accuſaverunt; promoverint verò, multiſque oblatis libellis urſerint, qui accuſati fuerunt. Iſti utique de cauſæ ſuæ bonitate confiſi, illi diffiſi.

PROLEGOMENON SEXTUM.

De propoſitionibus vulgò Bajanis.

CAPUT PRIMUM.

Bulla Pii V. adverſus propoſitiones vulgò Bajanas, ex Regiſtro ipſius à Gregorio XIII. producta, atque authentica declarata, ab Urbano VIII. promulgata & confirmata.

1 PIus Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei. Ad futuram rei memoriam. Ex omnibus afflictionibus, quas in hoc loco à Domino conſtituti tam luctuoſo tempore ſuſtinemus, ille animum noſtrum præcipuè excruciat dolor, quòd Religio Chriſtiana, tantis jampridem turbinibus agitata, novis quotidie propoſitis opinionibus conflictetur, Chriſtique populus antiqui hoſtis ſuggeſtione diſſectus, in alios atque alios paſſim errores & promiſcuè deferatur. Quantum verò ad nos attinet, totis viribus conamur, ut illæ, ſimul atque proſiliunt, penitùs opprimantur. Magno enim mœrore afficimur, quòd plerique, ſpectatæ alioquì probitatis & doctrinæ, in varias ſententias, offenſionis & periculi plenas, tum verbo, tum ſcriptis prorumpunt; deque eis, etiam in ſcholis, invicem controverſantur, cujuſmodi ſunt ſequentes.

1ª. Nec Angeli, nec primi hominis adhuc integri merita, rectè vocantur gratiæ.

2. Sicut opus malum ex natura ſua eſt mortis æternæ meritorium; ſic bonum opus ex natura ſua eſt vitæ æternæ meritorium.

3. Et bonis Angelis, & primo homini, ſi in ſtatu illo perſeveraſſet uſque ad ultimum vitæ, felicitas eſſet merces, & non gratia.

4. Vita æterna homini integro, & Angelo promiſſa fuit intuitu bonorum operum, & bona opera ex lege naturæ ad illam conſequendam per ſe ſufficiunt.

5. In promiſſione facta Angelo, & primo homini, continetur naturalis juſtitiæ conſtitutio, quâ pro bonis operibus, ſine alio reſpectu, vita æterna juſtis promittitur.

6. Naturali lege conſtitutum fuit homini, ut ſi in obedientia perſeveraret, ad eam vitam pertranſiret, in qua mori non poſſet.

7. Primi hominis integri merita fuerunt primæ creationis munera, ſed juxta modum loquendi Scripturæ ſacræ non rectè vocantur gratia; quo fit ut tantùm merita, non etiam gratia debeant nuncupari.

8. In redemptis per gratiam Chriſti, nullum inveniri poteſt bonum meritum, quod non ſit gratis indigno collatum.

9. Dona conceſſa homini integro, & Angelo, forſitan non improbandâ ratione, poſſunt dici gratia; ſed quia, ſecundùm uſum ſacræ Scripturæ nomine gratiæ ea tantùm munera intelliguntur, quæ per Jeſum Chriſtum malè merentibus & indignis conferuntur, ideò neque merita, neque merces, quæ illis redditur, gratia dici debet.

10. Solutio pœnæ temporalis, quæ peccato dimiſſo ſæpè remanet, & corporis reſurrectio, propriè nonniſi meritis Chriſti adſcribenda eſt.

11. Quòd piè & juſtè in hac vita mortali uſque in finem converſati, vitam conſequimur æternam, id non propriè gratiæ Dei, ſed ordinationi naturali, ſtatim initio creationis conſtitutæ juſto Dei judicio deputandum eſt; neque in hac retributione bonorum ad Chriſti meritum reſpicitur, ſed tantùm ad primam inſtitutionem generis humani, in qua lege naturali

rali constitutum est, ut justo Dei judicio obedientiæ mandatorum vita æterna reddatur.

12. Pelagii sententia est, opus bonum, citra gratiam adoptionis factum, non esse regni cælestis meritorium.

13. Opera bona, à filiis adoptionis facta, non accipiunt rationem meriti ex eo quòd fiunt per spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei; sed tantùm ex eo quòd sunt conformia legi, quòdque per ea præstatur obedientia legi.

14. Opera bona justorum non accipiunt in die judicii extremi ampliorem mercedem, quàm justo Dei judicio mereantur accipere.

15. Ratio meriti non consistit in eo quòd qui benè operatur habeat gratiam, & inhabitantem spiritum; sed in eo solùm quòd obedit legi divinæ.

16. Non est vera legis obedientia quæ fit sine charitate.

17. Sentiunt cum Pelagio, qui dicunt esse necessarium ad rationem meriti, ut homo per gratiam adoptionis sublimetur ad statum Deificum.

18 Opera Catechumenorum, ut fides, & pœnitentia ante remissionem peccatorum facta, sunt vitæ æternæ merita; quam vitam ipsi non consequentur, nisi priùs præcedentium delictorum impedimenta tollantur.

19. Opera justitiæ & temperantiæ, quæ Christus fecit, ex dignitate personæ operantis non traxerunt majorem valorem.

20. Nullum est peccatum ex natura sua veniale; sed omne peccatum meretur pœnam æternam.

21. Humanæ naturæ sublimatio, & exaltatio in consortium divinæ naturæ, debita fuit integritati primæ conditionis, & proinde naturalis dicenda est, & non supernaturalis.

22. Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad Romanos 2. *Gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt, faciunt*, intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus.

23. Absurda est eorum sententia, qui dicunt, hominem ab initio, dono quodam supernaturali & gratuito, supra conditionem naturæ suæ fuisse exaltatum, ut Fide, Spe & Charitate Deum supernaturaliter coleret.

24. A vanis & otiosis hominibus, secundùm insipientiam Philosophorum, excogitata est sententia, quæ ad Pelagianismum rejicienda est, hominem ab initio sic constitutum, ut per dona naturæ superaddita, fuerit largitate Conditoris sublimatus & in Dei filium adoptatus.

25. Omnia opera infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia.

26. Integritas primæ conditionis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio.

27. Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio, nonnisi ad peccandum valet.

28. Pelagianus est error, dicere, quòd liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum.

29. Non solùm fures ii sunt, & latrones, qui Christum, viam & ostium veritatis & vitæ negant, sed etiam quicumque aliundè quàm per ipsum in viam justitiæ (hoc est aliquam justitiam) conscendi posse docent.

30. Aut tentationi ulli, sine gratiæ ipsius adjutorio resistere hominem posse, sic ut in eam non inducatur, aut ab ea non superetur.

31. Charitas perfecta & sincera, quæ est ex corde puro, & conscientiâ bonâ, & fide non fictâ, tam in Catechumenis quàm in pœnitentibus, potest esse sine remissione peccatorum.

32. Charitas illa quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum.

33. Catechumenus, justè & rectè & sanctè vivit, & mandata Dei observat, ac legem implet per charitatem, ante obtentam remissionem peccatorum, quæ in Baptismi lavacris demùm percipitur.

34. Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet quo Deus amatur ut Author naturæ, & gratuiti quo Deus amatur ut Beatificator, vana est & commentitia, & ad illudendum sacris Litteris, & plurimis Veterum testimoniis, excogitata.

35. Omne quod agit peccator vel servus peccati, peccatum est.

36. Amor naturalis qui ex viribus naturæ exoritur ex solâ Philosophiâ per elationem præsumptionis humanæ, cum injuria Crucis Christi defenditur à nonnullis Doctoribus.

37. Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex naturæ solis viribus ortum ducit, agnoscit.

38. Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas, quâ mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur; aut laudabilis illa charitas, quâ per Spiritum sanctum in corde diffusâ Deus amatur.

39. Quod voluntariè fit, etiamsi necessariò fiat, liberè tamen fit.

40. In omnibus actibus suis peccator servit dominanti cupiditati.

41. Is libertatis modus, qui est à necessitate, sub libertatis nomine non reperitur in Scripturis, sed solùm nomen libertatis à peccato.

42. Justitia quâ justificatur per fidem impius, consistit formaliter in obedientia mandatorum, quæ est operum justitia; non autem in gratia aliqua animæ infusa, quâ adoptatur homo in filium Dei, & secundùm interiorem hominem renovatur, ac divinæ naturæ consors efficitur, ut sic per Spiritum sanctum renovatus, deinceps benè vivere, & Dei mandatis obtemperare possit.

43. In hominibus pœnitentibus, ante Sacramentum Absolutionis, & in Catechumenis ante Baptismum, est vera justificatio, separata tamen à remissione peccatorum.

44. Operibus plerisque, quæ à fidelibus fiunt, solùm ut Dei mandato pareant, cujusmodi sunt obedire parentibus, depositum reddere, ab homicidio, à furto, à fornicatione

abstinere, justificantur quidem homines, quia sunt legis obedientia, & vera legis justitia, non tamen iis obtinent incrementa virtutum.

45. Sacrificium Missæ non aliâ ratione est sacrificium, quàm generali illâ, quâ omne opus, quod fit, ut sanctâ societate Deo homo inhæreat.

46. Ad rationem & diffinitionem peccati non pertinet voluntarium, nec diffinitionis quæstio est, sed causæ & originis, utrùm omne peccatum debeat esse voluntarium.

47. Unde peccatum originis verè habet rationem peccati, sine ullâ ratione ac respectu ad voluntatem, à quâ originem habuit.

48. Peccatum originis est, habituali parvuli voluntate voluntarium, & habitualiter dominatur parvulo, eo quòd non gerit contrarium voluntatis arbitrium.

49. Et ex habituali voluntate dominante fit, ut parvulus discedens sine regenerationis Sacramento, quando usum rationis consecutus fuerit, actualiter Deum odio habeat, Deum blasphemet, & Dei legi repugnet.

50. Prava desideria, quibus ratio non consentit, & quæ homo invitus patitur, sunt prohibita præcepto, *Non concupisces.*

51. Concupiscentia, sive lex membrorum, & prava ejus desideria, quæ inviti sentiunt homines, sunt vera legis inobedientia.

52. Omne scelus est ejus conditionis, ut suum authorem, & omnes posteros eo modo inficere possit, quo infecit prima transgressio.

53. Quantum est ex vi transgressionis, tantum meritorum malorum à generante contrahunt, qui cum minoribus nascuntur vitiis, quàm qui cum majoribus.

54. Diffinitiva hæc sententia, Deum homini nihil impossibile præcepisse, falsò tribuitur Augustino, cùm Pelagii sit.

55. Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur.

56. In peccato duo sunt, actus & reatus; transeunte autem actu, nihil manet nisi reatus, sive obligatio ad pœnam.

57. Unde in Sacramento Baptismi, aut Sacerdotis absolutione, propriè reatus peccati dumtaxat tollitur, & ministerium Sacerdotum solùm liberat à reatu.

58. Peccator pœnitens non vivificatur ministerio Sacerdotis absolventis, sed à solo Deo, qui pœnitentiam suggerens & inspirans, vivificat eum & resuscitat, ministerio autem Sacerdotis solùm reatus tollitur.

59. Quando per eleëmosynas, aliaque pœnitentiæ opera Deo satisfacimus pro pœnis temporalibus, non dignum pretium Deo pro peccatis nostris offerimus, sicut quidam errantes autumant (nam alioqui essemus saltem aliquâ ex parte redemptores;) sed aliquid facimus, cujus intuitu Christi satisfactio nobis applicatur & communicatur.

60. Per passiones Sanctorum in Indulgentiis communicatas, non propriè redimuntur nostra delicta, sed per communionem charitatis nobis eorum passiones impartiuntur, ut digni simus qui pretio Sanguinis Christi à pœnis pro peccatis debitis liberemur.

61. Illa Doctorum distinctio, divinæ legis mandata bifariàm impleri, altero modo quantum ad præceptorum operum substantiam tantùm; altero quantum ad certum quemdam modum, videlicet secundùm quem valeant operantem perducere ad regnum æternum (hoc est ad modum meritorium) commentitia est & explodenda.

62. Illa quoque distinctio, quâ opus dicitur bifariàm bonum, vel quia ex objecto & omnibus circumstantiis rectum est & bonum (quod moraliter bonum appellare consueverunt) vel quia est meritorium regni æterni, eo quòd fit à vivo Christi membro per spiritum charitatis, rejicienda est.

63. Sed & illa distinctio duplicis justitiæ, alterius quæ fit per spiritum charitatis inhabitantem, alterius quæ fit ex inspiratione quidem Spiritûs sancti cor ad pœnitentiam excitantis, sed nondum cor inhabitantis, & in eo charitatem diffundentis, quâ divinæ legis justificatio impleatur, similiter rejicitur.

64. Item & illa distinctio duplicis vivificationis, alterius quâ vivificatur peccator, dum ei pœnitentia, & vitæ novæ propositum, & inchoatio per Dei gratiam inspiratur; alterius quâ vivificatur qui verè justificatur, & palmes vivus in vite Christo efficitur, pariter commentitia est, & Scripturis minimè congruens.

65. Nonnisi Pelagiano errore admitti potest usus aliquis liberi arbitrii bonus, sive non malus, & Gratiæ Christi injuriam facit qui ita sentit & docet.

66. Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.

67. Homo peccat, etiam damnabiliter, in eo quod necessariò facit.

68. Infidelitas purè negativa in his, in quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.

69. Justificatio impii formaliter fit per obedientiam legis, non autem per occultam communicationem & inspirationem Gratiæ, quæ per eam justificatos faciat implere legem.

70. Homo existens in peccato mortali, sive in reatu æternæ damnationis, potest habere veram charitatem, & charitas etiam perfecta, potest existere cum reatu æternæ damnationis.

71. Per contritionem, etiam cum charitate perfectâ, & cum voto suscipiendi Sacramentum conjunctam, non remittitur crimen, extra casum necessitatis, aut Martyrii, sine actuali susceptione Sacramenti.

72. Omnes omninò justorum afflictiones, sunt ultiones peccatorum ipsorum; unde & Job, & Martyres, quæ passi sunt, propter peccata sua passi sunt.

73. Nemo, præter Christum, est absque peccato originali; hinc B. Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum; omnesque ejus afflictiones in hac vita, sicut &

aliorum justorum, fuerunt ultiones peccati actualis, vel originalis.

74. Concupiscentia in renatis, relapsis in peccatum mortale, in quibus jam dominatur, peccatum est, sicut & alii habitus pravi.

75. Motus pravi concupiscentiæ, sunt, pro statu hominis vitiati, prohibiti præcepto, *Non concupisces*. Unde homo eos sentiens, & non consentiens, transgreditur præceptum, *Non concupisces*; quamvis transgressio in peccatum non deputetur.

76. Quamdiù aliquid concupiscentiæ carnalis in diligente est, non facit præceptum, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.*

77. Satisfactiones laboriosæ justificatorum non valent expiare de condigno pœnam temporalem, restantem post culpam condonatam.

78. Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio.

79. Falsa est Doctorum sententia, primum hominem potuisse à Deo creari & institui sine justitia originali.

Quas quidem sententias, stricto coram Nobis examine ponderatas, quamquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent, in rigore & proprio verborum sensu ab Assertoribus intento, hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, & in pias aures offensionem immittentes respectivè, & quæcumque super eis verbo scriptoque emissa, præsentium tenore damnamus, circumscribimus, & abolemus, deque eitdem & similibus posthac quoquo pacto loquendi, scribendi & disputandi facultatem quibuscumque interdicimus. Qui secùs fecerint, ipsos omnibus dignitatibus, gradibus, honoribus, beneficiis & officiis perpetuò privamus, ac etiam inhabiles ad quæcumque decernimus. Vinculo quoque anathematis eo ipso innodamus, à quo nullus, Romano Pontifice inferior, valeat ipsos, excepto mortis articulo, liberare..... Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1567. Kalendis Octobris Pontificatûs nostri anno secundo.

CAPUT II.

Observanda circa illam, aliasque SS. Pontificum Constitutiones.

§. I.

OBSERVATIO I.

Nec illâ Pii V. Constitutione, nec aliâ Innocentii X. & Alexandri VII. contra quinque famosas propositiones, ullo in puncto damnata est S. Augustini doctrina.

2 COnstat tum ex dictis Prolegom. 3. cap. 19, tum ex eo quòd Pius V. ne quis id suspicaretur, clausulam istam suæ adjecerit Constitutioni, *quamquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent.* Innocentius quoque X. quinque famosas propositiones damnando, expressè declaraverit, se Augustini de Gratia non damnasse doctrinam, cujus & inconcussa tutissimaque dogmata Alexander VII. post quinque propositionum damnationem declaravit, sicut & Innocentius XII. in Brevi ad Facultatem Lovaniensem, declaravit ipsius de Gratia doctrinam, nedum securam, sed & Ecclesiæ esse doctrinam.

§. II.

OBSERVATIO II.

Summorum Pontificum Pii V. Gregorii XIII. Urbani VIII. Innocentii X. Alexandri VII. Innocentii XI. & XII. necnon Clementis XI. Constitutionibus ac Decretis omnimoda submissio & obedientia corde & ore præstanda est.

3 UTpote debita ab universis Christi fidelibus, genuinisque Ecclesiæ filiis, quos proinde oportet propositiones omnes iis damnatas, sincerè damnare (sicut reverà damnamus) eo sensu, modo & formâ, quibus eas Summi Pontifices damnant, damnatasque à Christi fidelibus haberi volunt, v. g. Bajanas (ut vocant) tamquam *hæreticas, erroneas, suspectas, scandalosas, & in pias aures offensionem immittentes respectivè.* Jansenianas, priamam ut *temerariam, impiam, blasphemam, anathemate damnatam & hæreticam.* Secundam ut *hæreticam*, &c. Propositiones xxxxv. sub Alexandro VII. *ut minimùm tamquam scandalosas.* Propositiones xxxxxv. sub Innocentio XI. *sicut jacent, ut minimùm tamquam scandalosas, & in praxi pernicioſas.* Propositiones xxxi. sub Alexandro VIII. *tamquam temerarias, scandalosas, malè sonantes, injuriosas, hæresi proximas, hæresim sapientes, erroneas, schismaticas & hæreticas respectivè*, nihil censuris illis addendo, demendo, aut in eis quidquam immutando, nec damnatas propositiones ad privatum sensum suum detorquendo, uti faciunt illi qui contendunt eas damnatas eo sensu, non quo Sedes Apostolica, sed quo eas ipsi damnant, atque à Sede Apostolicâ damnatas esse vellent; alios, sibi non consentientes, invidioso Bajanismi, Jansenismi, Rigorismi, vel Novitatis nomine traducentes; non proinde pro Sedis Apostolicæ authoritate, sed pro privatis opinionibus suis decertantes, easque sub specioso Apostolicæ Sedis nomine perperàm usurpato, tanto audaciùs defendentes, quanto invidiosiùs alienas traducunt.

§. III.

OBSERVATIO III.

Tametsi doctrina S. Augustini nullâ ex dictis Constitutionibus damnata sit, non est tamen pertinaciter asserenda vocibus & phrasibus ab Ecclesia & Schola hodie non probatis.

4 SEmper enim loquendum cum Ecclesia, nec unquam pax fidelium turbanda vocibus ac phrasibus in Ecclesia & Schola non receptis.

Et ideò tametsi Innocentius XII. in Brevi ad Episcopos Belgii de die 6. Februarii 1694. declaraverit quinque propositiones damnatas in sensu obvio, quem ipsa propositionum verba per se exhibent (quem non esse Augustini, constat ex suprà memoratâ SS. Pontificum declaratione;) siqua tamen phrasis Augustini cum phrasi Ecclesiæ vel Scholæ modernæ non consonaret, obedientiæ & pacis amore hodie adhibenda non foret, nisi vel adjectâ explicatione, vel iis in circumstantiis, in quibus periculum non foret, ne aliter intelligeretur, quàm eam Augustinus intellexerit; cùm nec iis ipse usus fuerit, nisi dum Ecclesiæ & fidelibus probabantur; suo proinde nos exemplo docuit, iis modò absque explicatione non utendum, dum Ecclesiæ non probantur, alioque hodie sensu in Scholis accipiuntur, quàm accipiebantur Augustini tempore.

5 Unde dato, non concesso, quòd propositio ista: *Christus non est mortuus pro salute omnium hominum, sed tantùm pro salute electorum*, apud Augustinum reperiretur, eâque S. Doctor rectè olim pro loco & tempore usus fuisset, quando ista phrasis erat fidelium vel Ecclesiæ, eâ hodie simpliciter & absque explicatione uti non licet. Quia hodie non recipitur, eo quòd alio hodie sensu quàm olim accipiatur. Hodie proinde (cum Jansenio) dicendum non est, quòd Christus non magis pro reprobis mortuus sit, quàm pro diabolo; sed cum Ecclesia dicendum, quòd Christus mortuus sit pro salute omnium. Quia non solùm unam omnium naturam, & unam omnium causam in se suscepit, sed & mortem suam voluntate generali, antecedente, & secundùm quid, æterno Patri obtulit tamquam pretium superabundans pro salute omnium, & tamquam causam meritoriam Sacramentorum, quæ pro omnium salute instituit, licèt voluntate peculiari, absolutâ & consequente, nolit ea omnibus applicari, nec salutem omnium efficaciter operari, sed prædestinatorum dumtaxat. Quia ejusmodi voluntate *Christus nihil aliud voluit, nisi quòd scivit Deum velle. Et ideò omnis absoluta voluntas Christi, etiam humana, fuit impleta, quia fuit Deo conformis*, ait S. Thomas 3. p. q. 21. n. 4. Sed hac de re pluta libro IX.

§. IV.

OBSERVATIO IV.

Propositiones per Constitutionem Pii V. damnatæ, non eodem ab hominibus numero referuntur.

6 IN primitiva namque Bulla, Lovanium transmissa, nonnisi 76. propositiones recensentur, ideòque Lovanienses solùm recensent 76. Alii recensent 79. ut suprà, cap. 1. Et isti undecimam in duas dividunt; sicut & quadragesimam septimam, & quinquagesimam primam. Nec tamen Suarez & Ripalda cum ipsis per omnia conveniunt; imò nec omninò inter se: nam Suarez dividit undecimam, à Ripalda indivisam. Ripalda verò dividit vigesimam nonam, quam Suarez, & exemplar Lovaniense indivisam exhibet. Turrianus denique propositionem septimam dissecat in duas, quas alii pro unica exhibent.

§. V.

OBSERVATIO V.

Non omnes propositiones Pius V. damnavit ut falsas, vel hæreticas; sed aliquas dumtaxat ut offensivas, propter expressionis modum tunc in Scholis inusitatum, vel nimis mordacem; vel propter audaciam, quâ contrariæ notantur; vel propter sensum falsum, quo accipi possunt, licèt verum etiam sensum contineant.

ITa sentiunt Suarez to. 1. de Grat. Prolegom. 7
6. n. 12. Vasquez 1. 2. disp. 190. c. 18. Cardinalis Toletus apud ipsum, Turrianus 1. p. select. centur. 3. disp. 6. & 21. Contensonus to. 1. l. 8. dissert. 1. c. 1. Deckerus in brevi Histor. Bajanismi pag. 22. & 62. Steyartius in Th. Mor. emend. Notâ proœmiali 2. Et probat hoc Suarez ex voce *respectivè*, quam Pius V. propositiones qualificando adjecit in censura sua, ut notum faceret, quòd *non omnes partes censuræ in singulas assertiones cadunt* (inquit Suarez) *sed cum proportione*, seu proportionatâ applicatione: ita ut quædam ex illis hæreticæ sint, aliæ erroneæ, suspectæ vel temerariæ, aliæ solùm scandalosæ, vel offensivæ. Offensivæ verò esse possunt, sicut & malè sonantes, etsi non falsæ. Unde Facultas Lovaniensis 3. Novembris 1685. propositionem quamdam D. de Witte, *etsi non falsam, tamen malè sonantem* declaravit. Quam declarationem Steyartius tuetur in *Positionibus* de Pontifice, & in Positionibus ulterioribus.

2°. Probatur ex duplici epistolâ Cardina- 8
lis Granvellani (qui maximas in Piana concinnanda partes habuit, utpote cujus consilio, isto in negotio, Pius usus fuit, cuique Bullæ suæ executionem ipse commisit) datâ Romæ 13. Novembris 1567. ad Morillonum, Vicarium suum Generalem, pro executione illa subdelegatum. In priori namque sic loquitur: *Benè animaduverti, quòd seniores Theologi Lovanienses offensi fuerint, quòd istis terminis* seu expressionibus *usus sit* Bajus. In posteriori verò sic: *Existimo te memorem esse contentionum aliàs exortarum, ex hoc quòd nonnullas aliqui impugnabant propositiones, & loquendi formulas, in schola veteri inusitatas, quibus MM. NN. Joannes à Lovanio, & Michaël Bajus, tam in lectionibus, quàm in disputationibus utebantur... pro cujus opportuno remedio felic. record. Papa Pius IV. mandavit mihi, ut utrique parti silentium imponerem, sub pœnaque excommunicationis, tàm dicto Joanni à Lovanio, quàm Magistro Bajo præciperem (sicut præcepi) ne istis propositionibus, loquendique formulis, in scholis inusitatis, amplius uterentur; aliis verò,*

ne.... de prænominatis obloquerentur Doctoribus. Contentiò ergo offensioque magna ex parte fuit ob inusitatas loquendi formulas, non ob sensus falsos vel erroneos, uti pariter insinuat Cunerus Petri n. 22. & 31. referendus. Aliàs æmulis Doctorum illorum Pius IV. non prohibuisset, ne de ipsis obloquerentur.

9 3°. Nonnullas propositiones, nullam falsitatem continentes, subinde prohiberi damnarique velut offensivas, vel malè sonantes, docet Melchior Canus l. 12. de locis c. 11. constatque ex eo quòd Gregorius XV. (post Sixtum IV.) *pro submovendis inter Christi fideles scandalis, rixis & contentionibus*, sub gravibus pœnis 24. Maii 1622. prohibuerit asseri, *quòd B. Virgo fuerit concepta cum peccato originali*, expressè declarando, quòd per hoc Sanctitas Sua non intenderet, velut falsam *reprobare opinionem quæ id asserit*, nec ei ullum prorsus præjudicium inferre. Quinta quoque Synodus Generalis prohibuit, ne eadem beatissima Virgo *Christipara* nuncuparetur, sed *Deipara*, non ob falsitatem prioris illius vocis; sed quia plures ex ea scandalizabantur, offendebanturque, velut de expressione suspecta, ob sensum Nestorianum vel Eutychianum (licèt minùs proprium) tunc invalescentem. Similem ob causam, hanc propositionem: *unus de Trinitate est passus*, licèt verissimam, Ecclesia olim proscripsit, ne in sensu Eutychianorum acciperetur. Videri potest Christianus Lupus in notis ad cap. 6. & 10. quintæ Synodi.

10 4°. Quemadmodùm libri plerique prohibentur, non quòd falsam contineant doctrinam, sed vel ob nimiam styli acrimoniam, vel ob insolitam expressionis novitatem, vel ob scandalum infirmorum, quod de veritate subinde nascitur, &c. ita & propositiones.

11 Audiendi proinde non sunt novitii quidam Scriptores, quibus placet paradoxum hoc commentum, quòd nulla unquam propositio à summis Pontificibus prohibeatur ut *offensiva, vel malè sonans*, &c. quin falsa sit. Cùm de oppositio constet per allata exempla, testeque Augustino de dono persev. c. 22. veritas eloquio duriore expressa infirmos non ratò offendat: *nempe hoc verissimum est* (inquit) *sed improbissimum, importunissimum, incongruentissimum, non falso eloquio, sed non salubriter valetudini humanæ infirmitatis appositio.*

12 Fatendum nihilominùs, quòd sicut veritas nunquam per se & ratione sui est offensiva; ita nunquam à SS. Pontificibus damnetur, tamquam offensiva per se, sed tamquàm offensiva per accidens, & ratione circumstantiarum, terminorumve duriorum, quibus exprimitur. Hoc enim modo de veritate scandalum, nedum passivum, sed & activum, offensionemque infirmorum per accidens nasci posse, constat ex reg. juris in 6. *si de veritate scandalum nascitur*, necnon ex adductis exemplis. Quibus Augustinus loco citato exemplum addit hujusce verissimæ propositionis, populo ad hominem prædicatæ: *si qui obedientes estis, in obedientia non perseverabitis, sed obedire cessabitis, perituri estis, &c. si non sitis prædestinati*, seu quod idem est, *si præsciti estis rejiciendi.* Quia hujusmodi expressiones, licèt verissimæ, ob suam duritiem, infirmis causam dant turbationis, offensionis & scandali.

At (inquit Junior quispiam) nihil in arti- 13
culo fidei certum supererit, si Dei Vicarius aliquando possit veritatem, velut offensivam prohibere. Cùm hoc ipsum sit errores isti veritati oppositos docere.

Argumentum istud adamantinum ipse censet, verùm instar vitri dissilit, diffringiturque per allatam distinctionem. Quia dum fidei veritas non prohibetur per se, & quoad se, sed quoad duriorem eam exprimendi modum dumtaxat, contrarii errores non docentur, sed congruus tantùm docetur veritatis asserendæ modus.

§. VI.

OBSERVATIO VI.

Nullam ex damnatis à se propositionibus, Bajo, vel determinato cuipiam Assertori, in Constitutione sua nominatim Pius V. adscribit.

COnstat ex tenore, necnon ex eo quòd 14
nomini & honori Michaëlis Baii, ad instantiam Cardinalis Granvellani, parcitum optimus Pontifex voluerit, prout Cardinalis iste testatur in posteriori sua ad Morillonum epistola suprà memorata, addens ea de causa subductum à censura fuisse folium, quo designabatur Liber ex quo Delator propositiones asserebat extractas, ne vel Libri Author cognosceretur, vel locus ubi Liber editus fuisset: « J'ai « ramentevû à Sa Sainteté la qualité dudit Do- « cteur le Bay, & le fruit qu'il peut faire à l'E- « glise de Dieu, la suppliant, que tenant respect « à ce, & à la vertu & bon zele dudit Do- « cteur, il lui plût traiter cette affaire de sorte, « que ce fût avec le moindre scandale dudit Sieur « le Bay que faire se pourroit. Parquoi Sa Sain- « teté se condescendit avec une pieté & charité « vrayment chrétienne, & aiant compassion au- « dit le Bay.... l'on fit ôter le premier feuillet, « afin que l'on ne connût ni l'Autheur du Livre, « ni le lieu où il est imprimé.... Il verra par la « Bulle, qu'il n'est nommé ni son Livre. «

§. VII.

OBSERVATIO VII.

Pius V. Constitutioni suæ clausulam adjecit, quâ declaravit nonnullas ex propositionibus illis aliquo pacto sustineri posse. An in rigore & proprio verborum sensu ab Assertoribus intento? incertum est; nec hactenus definitum.

PRima pars constat ex hac clausula dictæ 15
Constitutioni adjecta: *quamquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent.*

Secundæ partis ratio est, quia incertum est ac controversum, an verba immediatè sequen-

tia clausulam proximè memoratam, *in rigore & proprio verborum sensu ab Assertoribus intento*, afficiant immediatè præcedentia, quibus Pontifex declarat nonnullas aliquo pacto sustineri posse; an immediatè sequentia, quibus damnatio continetur, *hæreticas, erroneas, suspectas, &c. respectivè damnamus.* Nec controversia ista per Pianæ Constitutionis tenorem decidi potest, sive per interpunctiones in ea extantes: quia Exemplum Pianæ Constitutionis, quod Lovanii publicavit Toletus, nullas habuit interpunctiones; Exemplum verò alterum, quod Româ Lovanium anno 1644. Synnichius attulit, habuit duas, ita ut verba ista, *in rigore & proprio verborum sensu ab Assertoribus intento*, duabus interpunctionibus claudantur; sive autem duæ ejusmodi interpunctiones ponantur, sive nullæ, perinde obscurum incertumque est, an verba ista, *in rigore*, &c. præcedentibus connectenda sint, an posterioribus? sive an ab immediatè præcedentibus sejungenda sint, ob priorem interpunctionem; an ab immediatè sequentibus, ob posteriorem?

17 Prima sententia affirmat, sejungenda esse ab immediatè sequentibus, connectendaque immediatè præcedentibus, ita ut sensus sit: *quamquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent in rigore & proprio verborum sensu ab Assertoribus intento:* Et iste constans semper fuit sensus Scholæ Lovaniensis, non infirmis certè succollatus argumentis.

18 Atque imprimis testimonio laudati Cardinalis Granvellani, in Litteris ad Morillonum, quarum autographa extant inter manuscriptos Codices Bibliothecæ clarissimi viri D. Boissot, Abbatis S. Vincentii Bisontini, ex quibus Litteras illas extraxit, publicique juris fecit Author documentorum ad Historiam Academiæ Duacensis pertinentium: iis namque in Litteris verba ista leguntur. *La Bulle de nôtre sain: Pere le Pape.... declare les dites propositions annotées, aucunes erronées, autres suspectes, autres, jaçoit se puissent en rigueur interpreter en quelque sens pour les excuser, donnent toutefois offension à gens pieux, &c.*

19 Igitur verba ista, *in rigore*, ac per consequens immediatè sequentia, *& proprio verborum sensu ab Assertoribus intento*, secundùm testimonium Cardinalis Granvellani, afficiunt immediatè præcedentia, *quamquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent.*

20 Secundò Morillonus epist. ad Granvellanum de 20. Junii 1569. scribit Bajum à se adduci tunc non potuisse ad propositionum ejurationem, non habitâ copiâ Bullæ; eo quòd in ea diceretur *nonnullas propositiones sustineri posse in rigore & proprio verborum sensu.* Cui nihil circa hoc ipse reposuit, quo ipsum ea in re deceptum significaret, sciens ex Granvellani Litteris ita esse.

21 Tertiò, Decanus & Facultas Lovaniensis anno 1567. solemni instrumento, hanc (requirente & ratum habente Morillono) fecit authenticam declarationem. *Notum vobis facimus; quòd die datæ præsentium, indictâ ad hoc speciali Congregatione dictæ Facultatis, comparuit coram Nobis R. D. Maximilianus Morillonus.... qui ibidem exposuit, brevi se accepisse Bullas Apostolicas S. D. N. Pii Papæ V. expeditas Romæ Kalendis Octobris ultimò præteriti.... quibus certa sententiæ damnantur respectivè tamquam erroneæ, hæreticæ, scandalosæ, & piarum aurium offensivæ, quamquam earum nonnullæ aliquo pacto sustineri possent in rigore & proprio verborum sensu ab Assertoribus intento.... De quibus omnibus sic actis, dictis & gestis præfatus D. Præpositus sibi à Nobis actam tradi petiit, quam illi concessimus tenore præsentium Litterarum, quas in fidem & testimonium præmissorum fieri, & Facultatis nostræ sigilli applicatione communiri, & per Notarium nostrum subscribi jussimus & mandavimus. Datum Lovanii in dicta Congregatione.... die Lunæ 29. mensis Decembris anno 1567.* Cui actæ de consensu Magistrorum, nomine Facultatis, subscripsit Cornelius Jansenius pro tempore Decanus, non diù post Gandavensis Episcopus. Facultatem verò componebant, cum dicto Decano, Michaële Bajo, Hunnæo, Boëtio, Judocus Ravestyn Tiletanus & Cornelius Reyneri Goudanus, Baii æmuli acerrimi, qui actæ non consensissent, nisi veram censuissent.

Quartò, Cunerus Petri, Lewardiensis Epis- 22
copus, & ipse acerrimus Baii æmulus, in Præfatione Commentarii, quem anno 1571. edidit in 76. sententias à Pio V. damnatas, testatur & ipse, quòd recensitæ sententiæ per Diploma Apostolicum Theologicæ Facultati (cui præsens aderat) anno 1567. à Morillono exhibitum, sub hac verborum formula damnatæ fuerint: *quas quidem sententias stricto coram Nobis examine ponderatas, quamquam earum nonnullæ aliquo pacto in rigore & proprio verborum sensu ab Assertoribus intento sustineri possent, tamquam erroneas tamen & hæreticas, & quæ scandalum & offersionem in pias aures immittant, damnamus, &c.*

Quintò, omnes antiqui Codices Pianam re- 23
ferunt cum clausulâ declarante, nonnullas ex propositionibus illis aliquo pacto sustineri posse in rigore & proprio verborum sensu ab Assertoribus intento.

Codex utique manu propriâ Goudani (qui propositionum damnationem sollicitavit) anno 1567. exaratus. Et alter exaratus anno 1570. Et alter manuscriptus anno 1585. in Monasterio Parcensi extans, cujus exemplum Adrianus Estius, istius Monasterii Supprior, anno 1586. Duacum misit fratri suo Guilielmo Estio.

Sextò, Valerius Andreas in Fastis Academi- 24
cis Studii generalis Lovaniensis pag. 365. edit. 2. cum eadem clausula Pianam exhibet, dicens, quòd per Bullam Pii V. certæ damnentur Sententiæ, *quamquam* nonnullæ, ut eadem loquitur Bulla, aliquo pacto sustineri possent in rigore & proprio verborum sensu ab Assertoribus intento.

25 Sic denique Pianam, cùm Lovanii promulgaretur, intellectam fuisse Jacobus Janſonius, vir magnæ authoritatis, anno 1618. in Scholis publicis teſtificatus eſt.

26 Cùm igitur teſtimoniis tam gravibus fulciatur conſtans illa perpetuaque ſententia Scholæ Lovanienſis, nullaque adverſus eam S. Sedis deciſio proferatur, probare non poſſum nuperam cenſuram, quâ obſcuri nominis Doctor, Franciſcus Martin, eos condemnat, qui ſententiam illam ſecuti fuerint. Neque enim temeritate vacat cenſura, quâ abſque urgente fundamento ſententiam Matris ſuæ condemnat *Doctor audaculus*, quo ipſum nomine, juſſu ſapientiſſimæ Facultatis Theologicæ Colonienſis, deſcribit Pedellus ipſius in Epiſtolâ objurgatoriâ ad ipſum conſcriptâ.

27 Nec ſuam ipſe cenſuram benè vindicat, arguendo, quòd ſi ſententia illa Scholæ Lovanienſis ſubſiſteret, omni ſano ſenſu Piana careret: ut quid enim omni ſano careret ſenſu? Quia (inquit) Pontifex eâ ſignificaret à ſe damnari ſententias, in rigore & proprio verborum ſenſu ab Aſſertoribus intento veras, propugnabileſque, ac per conſequens in ſolo ſenſu improprio falſas, & propugnari vetitas. Quo nihil (inquit) *Pontifice indignius, nihil impertinentius, nihil magis ridiculum fingi poteſt, nihil etiam magis injuſtum & indiſcretum. Illane enim juſtitia eſt, & diſcretio Vicarii Chriſti, ut Theologiæ Magiſtris, vera & recta in ſenſu proprio ab illis intento docentibus, indelebilem inferat ignominiam, & traditæ hæreſeos, datique ſcandali & offenſionis notam inurat?* Sic ipſe in libello, cujus inſcriptio eſt: Refutatio Juſtificationis, &c. pag. 46.

28 Propter iſtud argumentum Scholæ Lovanienſis, Matris ſuæ, ſententiam à tot & tantis, omnique exceptione majoribus viris traditam, auſu pluſquàm temerario, non erubeſcit ibidem *inſulſiſſimam, ineptiſſimam, infundatiſſimam vocare, dicereque*, cuilibet non excæcato id liquidum eſſe. Et pag. 47. tot & tantis teſtibus à n. 17. ad 23. exhibitis fidem non deberi: quia teſtimonium ipſorum evidenter repugnat claro, evidenti, & obvio ſenſui ipſius Bullæ.... & omnem ejus probum ſenſum evertit. Nec veretur addere, ipſos ita locutos ex inadvertentia, vel ignorantia, aut certè Bajo adblanditos, ut lenito ejus vulnere, faciliùs eum inducerent ad acquieſcendum Bullæ.

29 Verum enimverò quis non obſtupeſcat Martinum de ſe adeò præſumere, ut veritatem evidentem ſe ſolum videre putet: Eminentiſſimum verò Granvellanum à Pio V. delegatum, Morillonum ſubdelegatum ipſius, laudatos Epiſcopos, Facultatem Lovanienſem, cæteroſque Doctores, circa eam ſic cæcutire, ut vel inadvertentiam, vel ignorantiam, vel adulationem, quâ Bajo contra evidentem rationem, adeòque mendaciter adblanditi fuerint, in ipſis agnoſcere oporteat?

30 Pius tamen lector ignoſcat homini, ſuâ de ſe præſumptione decepto, qui de argumenti ſui evidentia non præſumpſiſſet, ſi non laboraſſet ipſe inadvertentiâ, vel ignorantiâ evidentis veritatis, quæ docet 1°. earumdem propoſitionum non unicum dumtaxat, ſed non rarò multiplicem eſſe ſenſum proprium & litteralem, plurium proinde ejuſmodi ſenſuum unum non rarò defenſabilem eſſe, ac verum; alterum damnabilem & falſum: 2°. docet nonnullas propoſitiones in rigore & proprio verborum ſenſu, ab Aſſertoribus intento, veras, ob inuſitatum tamen expreſſionis modum offenſivas eſſe, & ſcandaliſativas, ob ea quæ dixi §. 4. Et nonnullas hoc modo à Pio V. damnatas fuiſſe, teſtis eſt epiſtola Granvellani ad Morillonum, aientis, Pium V. nonnullas damnaſſe, quia *jaçoit qu'elles ſe puiſſent en rigueur interpreter en quelque ſens, pour les excuſer, donnent toutefois offenſion aux gens pieux qui les liſent.* Quare? rationem hanc exhibet, *pour être des propoſitions & formes de parler non accoûtumées aux Ecoles.*

31 Plurimùm obſervanda eſt ratio iſta Eminentiſſimi Granvellani, utpote ex qua facilè intelligitur, à vero non abhorrere, quod Cunerus Petri loco ſuprà relato, non ex amica in Bajum propenſione, vel adulatione (cùm, ut ſuprà dixi, acerrimus fuerit Baii æmulus) ſed ex viſa ſibi veritate, narrat, nonnullas ex Bajanis propoſitionibus, tametſi aliquo pacto *in rigore & proprio verborum ſenſu ab Aſſertoribus intento ſuſtineri poſſent*, reſpectivè tamen prohibitas, velut erroneas vel hæreticas, vel quæ ſcandalum & offenſionem in pias aures immittant, hâc redditâ narrationis ſuæ veritate, ſeu explanatione, quòd cùm ſententiæ iſtæ numero 76. inveniantur; *quædam ſine dubio reperiuntur, quarum ſenſus ab Authoribus intentus, quem rigor & proprius verborum ſenſus admittit, ſi aliter exprimerentur, aliquo pacto ſuſtineri poſſent: Nam ut exemplum unum atque alterum ſubjiciam, multæ ſunt de eo quod naturale dicimus, de charitate, de juſtitia, de vita ſententiæ, quæ ſi aliter efferrentur, non item offenderent.... De Gratia ſi affirmaveris, quòd ſine auxilio Dei nihil liberum arbitrium niſi ad peccandum valet, piè & ſanctè locutus fueris. Quia verò nomen Gratiæ, & ratio, propriæ Sanctorum juſtificationi, quæ naturæ divinitùs ſuperadditur, accommodata eſt, ſi dixeris ſine Gratia nihil, in quo non peccet, præſtare poſſe, durus, abſurdus, erroribus obnoxius erit ſermo. Charitas verò, quia omnes in ea divinam concipiunt amicitiam, non ſuſtinent communes fidelium aures, quòd ſine culpæ remiſſione in aliquo inveniatur. Ubi ſi propoſueris, an dilectio ſeu amor Dei à culpæ remiſſione ad tempus ſeparari poſſit, omnes toto corde conſitebuntur.* Hinc etiam ſæpè *contingit, rigorem & proprium verbi alicujus uſum, ab authore privato intentum, à communiter recepto plurimùm differre*, uti ſapienter obſervat Author reſponſionis ad Synopſim Steyartianam, in reſponſ. ad cap. 1. §. *At Synopſis Author: quia enim alius modò, alius olim, alius apud unum S. Patrem, alius apud*

alium, alius in schola Thomistica, alius in Molinistica est proprius verbi alicujus sensus; ideò fieri potest, ut Authori privato placuerit sensus Veterum, præ sensu proprio Neotericorum, & sensus proprius unius Sancti, v. g. Augustini, præ sensu proprio alterius, v. g. S. Thomæ, &c. Sic variantibus verborum sensibus, nihil vetat Pontificem ex tam variis unum eligere, & certam loquendi normam omnibus præscribere, ne sub incerta verborum varietate, periculum offensionis populo Christiano immineat. Neque ideo necesse est, ut dum certum loquendi modum præscribit, proscribat Authorum sensum.

32 Nihil denique obstare, ne ejusdem propositionis multiplicem sensum proprium habentis, unus defensabilis sit & verus, alter damnabilis & falsus, patet in hac propositione: *Deus non creat mala*: quam ut hæreticam Ecclesia reprobavit adversus Coluthianos, eam in sensu litterali & obvio intelligentes de malis pœnæ; ut Catholicam approbavit adversus Florinianos, eam in sensu quoque litterali intelligentes de malis culpæ, uti videre est apud Augustinum in l. de hæresibus, hæresi 65. & 66.

33 Sic etiam propositio illa: *Deus prædestinavit impios ad mortem*, uno sensu obvio & litterali vera est & catholica, atque à Nicolao Papa, Synodisque Valentinâ, Lingonensi & Tullensi approbata; in altero sensu pariter obvio & litterali hæretica est & damnata.

34 Quæ cùm sint evidentis veritatis, ex iis manifestum est, primò Pii V. Bullam eo sensu intellectam, quo semper eam Schola Lovaniensis intellexit, omni sano sensu non carere, prout contendit Martinus. Quamvis enim nonnullæ ex damnatis ibi propositionibus, uno sensu proprio & litterali, ab Assertoribus intento, sustineri possent, ut veræ; in alio sensu, etiam litterali & proprio (qui vel ex propositionibus ipsis secundùm usum Scholæ intellectis, vel ad invicem collatis eruitur, ut infrà pluribus explicabitur) damnabiles sunt ut falsæ, erroneæ, &c. atque ut tales meritò damnatæ.

35 Manifestum proinde est secundò (contra Martinum) nihil Pontifice indignum, nihil impertinens, nihil ridiculum, nihil insulsum, nihil impium, nihil ineptum, nihil à justitia, discretione, evidentique ratione alienum asseri, ab iis qui Pianam Bullam exponunt ut suprà: Neque enim hinc consequens est, propositiones (etiam illas, quæ aliquo pacto in sensu proprio ab Assertoribus intento sustineri possunt) solùm damnatas esse in sensu improprio (prout ipse perperàm existimat) neque ex earum damnatione, Assertoribus in sensu proprio, ab ipsis intento, vera docentibus, indelebilem traditæ hæreseos, dative scandali & offensionis notam illatam fuisse à Vicario Christi: imò, ne notam illam inferret, clausulam addidit, quâ (secundùm gravissimos testes suprà laudatos) declaravit, nonnullas sensu ipsorum, etiam proprio, aliquo pacto veras esse, & tales quæ sustineri possent.

36 Manifestum est tertiò, quòd licèt illarum propositionum nonnullæ, in proprio sensu sustineri possent; quia tamen omni proprio sensu sustineri nequeunt, sed aliquem etiam habent sensum proprium damnabilem, verba ista *aliquo pacto* à Pio V. rectè adjecta fuerint.

37 Manifestum est quartò, à vero consequenter aberrare Ripaldam, dum ex clausula ista Pianæ, *quamquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent*, existimat consequens, subsequentem clausulam, *in rigore & proprio verborum sensu, &c.* non afficere verba immediatè præcedentia, *sustineri possent*; sed subsequentia, *hæreticas, &c. damnamus, &c.* Quâ enim ratione id probat? Quia (inquit) propositiones in proprio Assertorum sensu defensabiles, non *aliquo pacto* dumtaxat (ut dicitur in Bulla) sed omni pacto, sive omni modo defensabiles sunt, nec pro damnabilibus, sed pro legitimis ac veris absolutè in quovis tribunali habendæ sunt.

38 At certò fallitur Ripalda: quia si propositiones in proprio Assertorum sensu defensabiles, alium insuper habeant sensum proprium & naturalem, vel hæreticum, vel erroneum, vel suspectum, vel scandalosum & offensivum, propter eum meritò absolutè damnantur; eo maximè tempore, quo, juxta communem Scholæ usum, magis accipiuntur in sensu hæretico, vel suspecto, &c. quàm in sensu Assertorum legitimo ac vero, vel quo proprius Assertorum sensus ideò offensionem parit, quia tum inusitatus, licèt tempore veterum Patrum usitatus fuerit: fieri namque potest, ut sensus proprius, hodie in Scholis usitatus, alius sit, quàm qui fuit olim: per consequens fieri potest, ut Veterum phrasibus plus æquo addictus, alios (quibus phrases istæ inusitatæ sunt) vel ipsam quoque Ecclesiam offendat, licèt non offendisset olim; nec fortè hodie offenderet, si sensum (in Ecclesia non peregrinum) exprimeret, quo phrasibus istis utitur. Patet hoc non solùm in exemplis suprà allatis, sed & exemplo illius, qui (absque legitima explicatione) hodie diceret, *hominem per solas naturæ vires posse se disponere ad gratiam.* Hodie namque offenderet ista propositio, quia falsa & hæretica in sensu jam usitato; tametsi vera, nec offensiva in communi sensu veterum Scholasticorum, qui dixerunt, per solas naturæ vires fieri, quod fit absque gratia habituali naturæ viribus superadditâ, etiamsi non fiat absque gratia actuali, uti ostendimus to. 1. de Deo uno. Moderni verò non censent fieri per solas naturæ vires, quod fit Deo per gratiam actualem adjuvante. Alia ad idem exempla cap. 6. proferentur.

39 Hæc dicta sint ad justam defensionem sententiæ, quam constanter hactenus tenuit Schola Lovaniensis, adversus inconsideratam censuram audaculi Doctoris, qui ab ea abstinuisset, si, depositis præjudiciis, seriâ mente perpendisset, Pium V. damnasse quidem illas omnes

nes propositiones (propter sensum damnatas) in proprio verborum sensu ex propositionibus ipsis colligendo, attento usu vocabulorum communiter in Scholis recepto, cùm Bulla emanavit; cum eo tamen consistere, quòd aliquæ ex illis sustineri possint in rigore, uti Pium V. declarasse Granvellanus testatur, atque adeò confundendum non esse rigorem, seu proprium verborum sensum ab Assertoribus intentum, cum rigore, seu proprio verborum sensu ex propositionibus ipsis colligendo; utpote qui erui potissimùm debet ex usu vocabulorum communiter in Scholis recepto, &c. Atque hinc sententia Scholæ Lovanienſis conciliari potest cum altera sententia, quæ dicit propositiones omnes (ob sensum damnatas) damnatas in sensu ab Assertoribus intento, si per sensum ab Assertoribus intentum non ille intelligatur, qui ex libris ipsorum colligendus sit, sed qui colligendus sit ex Bulla ipsa (secundùm regulam infrà designandam) sive ex propositionibus ipsis prout in Bulla exhibentur, attento usu vocabulorum communiter in Scholis recepto, dum Bulla emanavit.

40 Enimverò Pius V. noluit damnatum à se sensum ex Assertorum libris à nobis erui; cùm libros ipsorum à nobis legi vetuerit, ac de pleriſque propositionibus nesciamus, imò prorsus ignoremus, quinam sint earum Assertores, & quibus in libris. Agnovit quidem Bajus damnari in Bulla Piana multas propositiones in libris à se editis contentas, in eo etiam sensu, quo in Bulla damnantur. At eas ipse non designat, nec Pontifex, nec Toletus à Pontifice Lovanium missus. Et, ut verum sit istas esse damnatas in sensu ipsius; quæstio supereſt de tot aliis propositionibus, quas certum est non esse ipsius, sed ipsi perperàm à Delatoribus attributas. Quas inter Bajus ipse in explicatione Articulorum à Pio V. damnatorum (quam in Scholis Theologorum fecit 17. Aprilis 1570. ad requisitionem Illustriss. D.D. Martini Rithovii Episcopi Iprensis, Francisci Sonnii Sylvæducensis Episcopi, & Cornelii Jansenii Episcopi Gandavensis) expressè declaravit, ex iis *multos esse, circiter quadraginta, qui ad se non pertinerent, & de quibus ne cogitaverat quidem.* Die verò sequenti addidit, præter illos quadraginta, alios fuisse ex libris suis *malè collectos, vel non eo sensu intellectos, quem ipse intendit:* ita ut nonnulli recenseant plusquàm quinquaginta, alii plusquàm sexaginta, qui vel in ejus libris non inveniuntur, vel ex iis malè sunt collecti, vel alio sensu intellecti, quàm ipse intenderit. De quo tamen judicium sit apud Apostolicam Sedem.

41 Quidquid enim de eo sit, certum est damnatum sensum earum propositionum, quæ vel in ipso non inveniuntur, vel fideliter excerptæ non sunt ex libris ipsius, erui non posse ex ipso, sive ex libris ipsius. Unde igitur? Ex Assertoribus, inquies. Verùm (præter hactenus dicta) quâ viâ sensus Assertorum cognoscetur; cùm ignoretur quinam sint Assertores illi? Tametsi enim in epistola Licentiati cujusdam Lovanienſis ad Reverendissimum Franciscum Sonnium, Lovanii mense Aprili 1580. conscripta, hæc legantur: *Ex tua testificatione intelligant viri boni, & christianæ pacis & concordiæ studiosi, Bullam istam non tantùm editam fuisse adversus D. Cancellarii* (Baii utique) *opiniones, sed contra Ariminensem; & quosdam Scholasticos, apud quos plerique istorum Articulorum ita tractati & disputati inveniuntur. Præterea adversus quosdam, qui Cancellarii scripta malè intellexerunt, & contra Gosovinum de Justitia scribentem, & similes Scriptores.*

Nec omnes tamen apud Ariminensem inve- 42
niuntur, & quinam sint isti alii Scholastici, nescimus, nec ubi exstet Gosovini de Justitia liber, nec pro addiscendo sensu illo, ad eorum nos lecturam Pius V. remittit; imò vult ut à lectura ista abstineamus.

Manifestum proinde videtur aliud non su- 43
peresse medium sensum illum discernendi, nisi ex propositionibus ipsis, prout in Bulla referuntur, vel secundùm se spectatis, si sic sensum reddant in Ecclesia peregrinum; vel ad invicem collatis, si sic & non aliter peregrinum reddant sensum. Hanc quippe legitimam esse regulam sensum illum cognoscendi cap. 3. & 4. demonstrabitur.

§. VIII.

OBSERVATIO VIII.

Bajus non erravit pertinaciter, nec malitiosè.

OBservandum 8°. Michaëlem Bajum, ta- 44
metsi in nonnullis erraverit ut homo, pertinaciter tamen non errasse, nec hæreticum fuisse, sed submissionis erga S. Sedem observantissimum. Unde tametsi ab æmulis apud Franciscum Toletum, Commissarium Apostolicum, accusatus, quòd post damnationem articulorum, iis adhuc discipulos privatim imbuisset, tam efficaciter accusationem istam refutavit, ut accusatores (licèt ad id ab ipso rogati & provocati) ausi non fuerint accusationem suam in judicio prosequi: ita ut idem Commissarius Apostolicus, inde perspectam habens ipsius innocentiam, demiratusque in tot calumniis sustinendis fortitudinem, modestiam, mansuetudinem, publicè declaraverit, quòd nec doctiorem hominem vidisset, nec humiliorem, adjiciens, quòd, quantum in se esset, honorem ipsius, quem æmuli labefactare conati fuerant, apud Romanum Pontificem esset reparaturus, effecturusque ut Regi quoque Hispaniarum, Pontifex mox rescriberet. Nec promisso defuit, ut colligere est ex Brevi honorifico, quo ipsi tamquam dilectissimo filio suo, Gregorius XIII. (mox à reditu Toleti) *salutem & Apostolicam benedictionem* dicens, sequentia adjecit: *Quidquid autem acciderit, in quo possimus tuæ charitati gratificari, numquam committemus, ut ullum à nobis amantissimi Patris munus desiderari possit, hocque cer-*

tum te habere volumus. Te quoque vicissim tuæ pietati, optimique filii officio, summæque bonorum omnium expectationi, omnibus in rebus, cumulatissimè satisfacturum esse persuasum habemus. Quo nomine omnem tibi à Domino Deo nostro, tum in hac, tum in futura vita felicitatem precamur. Ipsum etiam Pius V. in Brevi ad ipsum dato 13. Maii 1569. *obsequentissimum* vocavit *suum hujusque S. Sedis filium.* Unde post mortem apparens eximio viro Jacobo Bajo, nepoti suo, declaravit se esse in statu salutis, in piacularibus quidem flammis, non tamen ob doctrinam, sed ob admissam aliquam in administrando Decanatûs officio negligentiam. In cujus fidem authenticum istius eximii viri testimonium Doctor Steyartius typis mandari fecit.

45 Hæc dicta sint ad vindicandos pios manes ipsius à gravissima injuria, per immanem calumniam ipsis recenter illata à P. Sabran Authore, vel certè disseminatore libelli anonymi, cui titulus: *Artes Bajanæ:* in quo pag. 7. ac seqq. Bajum depingere non erubescit velut hæresiarcham, suas iis artibus hæreses disseminantem, defendentem, malignèque tegentem, quibus alii hæresiarchæ suas, pro iisque tuendis *sacras Scripturas Augustinumque, admixtis nonnunquam aliis Patribus, more Luthero, Calvino, aliisque hæresiarchis familiari, perpetuò citantem.* Sic depositio omni pudore, sparsis in populo libellis famosis, tam exquisitæ eruditionis, tam humilis patientiæ, tam commendatæ erga S. Sedem submissionis virum, piè in Domino defunctum, per alienam ab homine Christiano maledicendi pruriginem, denigrare conantur libellorum istorum Authores, disseminatoresque, etiam in eo quòd Scripturas & Patres perpetuò citet; quasi hoc ipso hæresiarcharum sit imitator. Verùm ex præmissis manifesta est calumnia ipsorum. Unde servi sui innocentiam signo insolito Deus indigitasse videtur, *dum in animæ ipsius à corpore separationis momento, quasi columna ignea directè supra locum in quo recumbebat, ter ex infimo aëre in cælum usque ascendere, pluribus fide dignis Religiosis Dominicanis, simul eo momento in suo horto congregatis, visa est, qui jurejurando se paratos esse confirmare ita se vidisse,* laudato eximio D. Jacobo Bajo *fidem fecerunt*, prout in eodem testimonio authentico per Doctorem Steyartium typis mandato continetur.

CAPUT III.

Necessaria est regula aliqua, recta, & solida, quâ damnatarum à Pio V. propositionum sensus damnatus à non damnato discernatur.

46 RAtio est duplex. Prima petitur ex magna varietate sententiarum circa sensum illum, in qua firmum ex Bulla Piana contra opinionem aliquam argumentum depromi nequit, nisi per regulam aliquam solidam, damnatus sensus à non damnato discernatur. Uno enim sensu propositiones illas censurâ notatas prætendit Cunerus Petri; alio Suarez; alio Torrez; alio Ripalda & Author doctrinæ per Belgium manantis. Nam duo isti damnatas asserunt in sensu Baii & Theologorum Lovaniensium. Steyartius in sensu quo fuerunt à Delatoribus descriptæ, & Pio V. oblatæ. Suarez in sensu obvio & naturali, quem reddunt verba à Pio V. relata. Toletus & Vasquez aiunt plurimas confixas, non ob doctrinam, sed ob censuræ acrimoniam, inusitatamve, vel nimis duram expressionem. Ripalda & Steyartius, omnes censuratas ob doctrinam, &c.

Ratio altera est, quia varii Recentiores, 47
præsertim è Societate, quemadmodùm Innocentii X. & Alexandri VII. Bullis abutuntur ad destruendam Gratiam per se efficacem, ipsiusque ad singulos actus necessitatem; ita Pii V. & Gregorii XIII. Bullis abutuntur ad destruendas præcipuas Moralis Christianæ regulas, à sanctis Patribus, & à divinis Scripturis traditas, ad stabiliendasque novitias suas vel suorum laxitates, uti videre est in libro, cujus inscriptio est: *Propositiones per Belgium disseminatæ*, in quo pag. 40. velut in Bajo damnatam Innocentio XII. deferunt propositionem istam: *Omnis amor humanus, vel est ista charitas* (generatim sumpta pro quocumque amore boni propter Deum) *vel cupiditas* (similiter generatim sumpta pro quocumque amore boni non propter Deum;) *charitas quidem, si quid boni propter Deum diligit; cupiditas, si non propter Deum.* Sicut & istam Augustini: *si Gentilis nudum operuerit, an quia non ex fide peccatum est? prorsus in quantum non est ex fide peccatum est: non quia per seipsum factum, quod est nudum operire, peccatum est, sed quia de tali opere non in Domino gloriari (hoc est non referre in Deum) solus impius negat esse peccatum.* Putant enim damnatam in 16. 22. & 23. Baii, licèt sit ipsissima Augustini, præter parenthesim, qua ly *non in Domino gloriari*, sic explicatur: *hoc est non referre in Deum.*

Paginâ quoque 45. similiter deferunt hanc, 48
quâ totius vitæ christianæ fundamentum continetur: *ad Deum omnes actiones nostras, actu vel virtute, referre tenemur.* Et hanc: *datur præceptum obligans sub veniali, referendi omnia opera deliberata in Deum.* Et istam: *omne opus, ut plenè bonum sit, & ne venialiter quidem in eo delinquatur, debet ex charitate (generatim dicta ut suprà) procedere, & per ipsam saltem virtualiter referri in Deum.*

Pag. 100. etiam hanc: *alienum est ab Ecclesia Romana mente proscribere eorum doctrinam, qui strictum agnoscunt præceptum, omnia opera deliberata, relatione actuali aut virtuali, referendi in Deum, saltem sub veniali.*

Pag. 112. *ex Apostolo 1. ad Cor. 13. benè de-* 49
ducitur, nihil ad peccatoris justificationem *prodesse susceptionem cujuscumque Sacramenti, sine amore Dei super omnia, sive prædominante.* Et pag. 113. *nulla attritio, ex solo timore pœnæ, sufficit ad justificationem cum Sacramento.* Et pag.

118. *requiritur aliquis amor Dei super omnia ad justificationem etiam cum Sacramento.* Et pag. 120. *non sufficit ad obtinendam in Sacramento justitiam attritio formidolosa, ex solo gehennæ & pœnarum metu concepta.* Item: *sine amore Dei super omnia, nulla absolutio potest solvere à peccatis.*

50 Pag. 118. *contritio perfecta & imperfecta differunt penes majorem & minorem amorem: ita ut contritio perfecta dicatur, quæ oritur ex charitate perfecta; attritio verò, quæ procedit ex charitate imperfecta, sive ex amore Dei propter se imperfecto.* Et pag. 119. *non quævis vera contritio, orta ex amore Dei super omnia, semper habet conjunctam remissionem peccatorum extra Sacramentum. Videtur* (inquiunt) *damnari in propos. 31. 32 & 33. Baii.*

51 Si omnes istæ propositiones in Bajo damnatæ sint, intolerandæ laxitates consequuntur; imò à plerisque sociis admittuntur (prout in decursu operis apparebit) per quas tota Moralis Christiana funditùs subvertitur in tantum, ut primum maximumque de diligendo ex toto corde Deo mandatum penè ad nihilum redigatur: fieri enim potest (secundùm ipsos) ut salventur, post vitam horrendè flagitiosam, qui Deum propter se totâ vitâ numquam amaverint. Quod licèt admittere non erubescant, non solùm piis auribus, sed ipsis quoque hæreticis tantum incutit horrorem, ut plurimùm inde scandalizentur, causenturque justam se habere causam secessionis ab Ecclesia Romana; tamquam à Deo repudiata, eo quòd subruerit (ut aiunt) Christianismi fundamenta per suorum Pontificum Decreta. Ita imprimis Molinæus in libro, quem *Traditiones Romanas* inscripsit. Ita etiam Drelincurius in libro hunc titulum præferente: *Licentia à Casuistis Communionis Romanæ suis devotis concessa.* In Ecclesia Romana (inquit) *creditur, salvari hominem posse, qui divini amoris actum in hac vitâ nunquam elicuerit.* Ita rursùs Minister Jurius in libro intitulato: *Præservativum contra mutationem Religionis.* pag. 186. & seqq. *Contritio* (inquit) *præclara res est; sed in locum ipsius, magno infortunio, nescio quæ displicentia subrogata est, quæ dicitur attritio. Dolor est provenions ex intuitu pœnarum inferni, absque interventu amoris Dei.... Attritio ista prætenditur cum Sacramento sufficere ad justificationem, & per consequens ad salutem. Sic homo salvus & justus esse poterit, qui divini amoris actum nunquam elicuit. Dicetur mihi quòd iste sit sensus quorumdam particularium. Ita: sed isti particulares censent eumdem esse Concilii Tridentini sensum, & indirectè Pii V. in Bulla contra Bajum..... Isti Domini, circa hoc discordantes, ad concordiam inter se redibunt, si ipsis videbitur, priusquàm nos ad reunionem invitent. Nam sine diverticulo ipsis denuntiamus, nunquam nos in eam Ecclesiam redituros, ubi toleranter, qui dicunt, posse hominem salvari, qui Deum totâ vitâ suâ non amaverit.*

52 Denique R. P. Mathias Hauseur, Fratrum Minorum Recollectorum Provinciæ Flandriæ olim Provincialis, Lectorque Jubilatus, qui acrem cum nostratibus hæreticis pro Catholicæ Fidei defensione colluctationem frequenter habuit, in Præfatione Apologetica pro consensu totius Ecclesiæ in doctrinam B. Augustini, contra calumnias hæreticorum, hanc (inter alias) calumniam ipsorum refert: *Novitatis ac dissensionis arguunt Ecclesiam Romanam, quasi hac suis, suorumque Inquisitorum censuris in expressas B. Augustini sententias, deficiat à sensu Antiquitatis ad opiniones novitias, & ab unitate doctrinæ ad dissensiones & rixas.*

Et revera unum è præcipuis argumentis, quo 53
nostrates hæretici in Germania, Gallia, Anglia & Belgio arguunt Ecclesiam Romanam à priscâ Veterum doctrina & fide ad Pelagianismum novitatesque defeciisse, quoque Arminiani, Sociniani, aliique novissimi Pelagiani suadere conantur; Romanam Ecclesiam cum ipsis sentire, illud est, quòd Pius V. per Bullam suam Baii propositiones velut hæreticas, erroneas, &c. proscripserit; quòdque Gregorius XIII. & Urbanus VIII. id confirmaverint. Sic (cum ipsis) novissimè arguit Melchior Leydeckerus Ultrajectensis pseudo-Theologus in 1. disput. Historico-Theolog. de vario Jansenistarum fato, ubi blasphemat, *quòd Ecclesiam Romanam à principio fides habuit; at ista casta olim Virgo facta est fornicatrix perfida... dignaque evasit, quæ... accepto repudii libello, cæleste divortium pateretur... maximè... proximis saculis* per Bullas Pii V. Gregorii XIII. & Urbani VIII. contra propositiones Michaëlis Baii, contra quos Pontifices 2. disput. thesi 13. & 14. sic debacchatur: *Atqui non sic Pius egit ex devotâ in veritatem, gratiæ gloriam, & Christi merita pietate. Non se ostendit Gregorius Pastorem, &c..... sed & datus erat Ecclesiæ Romanæ libellus repudii, & debuit illa palàm facere, se planè excidisse ex gratia, Pelagianismum amplexam, qui Antichristi fides est, uti subruit fundamenta Christianismi.* Cùmque sibi in 3. disput. thesi 24. objecisset assertiones Illustrissimi Domini Bossuet, expressas in libro, cui titulus: *Exposition de l'Eglise Catholique*, anno 1679. à Papa & Cardinalibus approbatas, respondet, quòd istæ assertiones *Bullam contra Baium reddunt evanidam, Papatûs horrorem tegunt, &c.; sed non sic ut demonstrent injustam fuisse Protestantium ab Ecclesia Romana defectionem.* Imò pergens in blasphemia, *adhuc dico* (inquit) *justa fuit Patrum nostrorum ex Babele secessio..... Frustrà invitamur ad regressum, qui novimus Pontificiæ Curiæ solitas artes, dolos & fraudes. Si hæc asserta D. Bossuet Romanæ Ecclesiæ fides est, condemnentur anteà evulgatæ Bullæ contra Baium.*

Verum quidem est blasphemias istas nihil 54
aliud esse nisi calumnias: sed videant qui Ecclesiæ Romanæ Decretis, summorumque Pontificum Bullis abutuntur ut suprà, an non ipsis Ecclesia Romana exprobrare possit cum Jacob Genes. 34. *turbastis me, & odiosam fecistis vi-*

cinis noſtris. Et cum Domino Deo in Prophetis, *propter vos nomen meum blaſphematur in Gentibus :* Nam dum hæretici nova, ſive de Gratia, ſive de moribus, dogmata, Auguſtini aliorumque priſcorum Patrum ſententiis adverſa, legunt in Libris Catholicorum, velut firmata per Bullas ſummorum Pontificum : iſta eſt (inquiunt) novitia Eccleſiæ Romanæ doctrina, per quam oſtendit ſe ab avita fide, veteriſque doctrinæ puritate defeciſſe, cùm eam in Decretis ipſius, ſeu Romanorum Pontificum Pii V. Gregorii XIII. Urbani VIII. Innocentii X. & Alexandri VII. uſque adeò fundent Scriptores Romanæ Communionis, præſertim Jeſuitæ, ut contrariam ab Eccleſia Romana cenſeant eſſe damnatam.

55 Eccleſiæ proinde Matri ſuæ injuni ſunt, qui ſuas ipſi de Gratia & moribus novitates laxitateſque tribuunt, contrariaſque opiniones Decretis ipſius damnatas eſſe ſuſtinent : Cùm enim novitates illæ laxitateſque divinis Scripturis, Auguſtinoque & aliis priſcis Patribus contrariæ eſſe demonſtrentur, Eccleſiam hæreticorum ludibrio dictiſque calumniis & blaſphemiis exponunt, eorumdemque hæreticorum ad eamdem Eccleſiam regreſſum prorſus exoſum reddunt & impediunt : tanto in eo ipſi reprehenſibiliores, quanto certius eſt, nullum Auguſtinianæ nec priſcorum Patrum doctrinæ, per laudatorum Pontificum Bullas illatum eſſe præjudicium. Id enim quoad doctrinam de Gratia Innocentius X. expreſſè declaravit, uti Chriſtianiſſimi Regis Legatus ſcripſit ad Comitem de Brienne de data Romæ 16. Junii 1653. his verbis : „ Sanctitas Sua.... honorificentiſſimis verbis Doctores iſtos, qui vulgò S. Auguſtini Defenſores dicuntur, profecuta eſt. S. Auguſtini ac S. Thomæ doctrinam, necnon efficacis Gratiæ dogma, Decreto ſuo minimè damnari confirmavit, omneſque controverſias eodem loco relictas dixit, quo ſub Clemente VIII. & Paulo V. relictæ ſunt. „ Nec iſtâ declaratione contentus, Cardinali Barberino juſſit, ut ſuo nomine Præpoſito Generali Societatis injungeret, quatenus toti Societati per litteras ſignificaret, ne quis Bullâ ſuâ uteretur ad ſtabiliendum ullum ex punctis in Scholis controverſis. Quod ſe executum fuiſſe laudatus Cardinalis R. P. Æginaldi certiorem fecit, prout in Diario ſuo Sanctamorius teſtatur. Quoad doctrinam verò de moribus, v. g. de charitate, Pius V. Gregorius XIII. & Urbanus VIII. expreſsè addiderunt, nonnullas ex propoſitionibus à ſe damnatis aliquo pacto ſuſtineri poſſe, quia non ignorarunt nonnullas ex traditis à Bajo, ex Auguſtino aliiſque priſcis Patribus deſumptas eſſe, quas ut demonſtrarent à ſe non damnari in ſenſu ipſorum, propterea maximè clauſulam illam adjecerunt.

CAPUT IV.

Regula recta, plana & expedita, quâ damnatarum à Pio V. propoſitionum ſenſus damnatus à non damnato optimè diſcernitur, eſt, quòd ſenſus damnatus non ſemper petendus ſit ex libris Bai, ſeu aliorum Aſſertorum, ſed ex propoſitionibus ipſis, prout in Bulla Pii V. exhibentur : ita ut propoſitiones illæ, quæ damnatæ ſunt quoad doctrinam, cenſendæ ſint damnatæ in ſenſu naturali & obvio quem propoſitiones illæ reddunt, vel ſecundùm ſe ſpectatæ (ſi ſic reddant ſenſum pravum, vel in Eccleſia peregrinum,) vel ad invicem collatæ, ſi ſaltem ſic ſenſum pravum vel peregrinum reddant.

HUic regulæ quoad ſubſtantiam ſubſcribit 56
Suarez de Gratia Prolegom. 6. c. 2. ubi dicit damnatum earum *ſenſum poſſe ex verbis ipſis à Pontificibus relatis ſatis colligi, ſine Aſſertorum integrâ lectione, & antecedentium & conſequentium nova collatione.* Cujus hanc reddit rationem, *quia lectio illorum librorum nobis eſt prohibita. Ergo intercluſa nobis eſt via & ratio aſſequendi proprium ſenſum* damnatum ex libris ipſorum. *Et ſic non poſſemus ex illa Bullæ firmum argumentum contra aliquam opinionem ſumere,* ſi non aliunde quàm ex libris ipſorum ſenſum damnatum poſſemus eruere. Igitur neceſſarium eſt alio indicio uti, ad diſcernendum ſenſum damnatum. *Duo autem ad id indicia videntur eſſe præcipua* (ait Suarez.) *Unum eſt, ſi verba* à Pontificibus relata *in una ſignificatione referant ſenſum non diſcrepantem à doctrina Eccleſiæ & Theologorum, in alia verò novam & inuſitatam doctrinam contineant : tunc enim manifeſtum eſt damnatam eſſe propoſitionem, prout continet peregrinam & inuſitatam in Eccleſia doctrinam ; non verò in alio ſenſu à Catholicis recepto. Alterum indicium eſt, ſi unus iſte ſenſus cohæreat cum aliis aſſertionibus in eadem Bulla damnatis ; non verò alter : tunc enim clarum etiam eſt propoſitionem in priori ſenſu.... damnari. Et hanc conjecturam maximè ſpectandam eſſe, & præ oculis habendam moneo.*

Probatur ergo 1°. allatæ regulæ bonitas, 57
quia ex una parte per eam certus habetur index damnati ſenſûs propoſitionum, de quibus eſt quæſtio. Debet autem certus index haberi, ne Pontificia damnatio maneat ambigua, litibuſque & controverſiis obnoxia ; fructu proinde vacua. Ex alia verò parte certus index meliùs deſignari non poteſt, quàm per aſſignatam regulam : cùm damnati ſenſûs index alius eſſe nequeat, niſi vel libri Aſſertorum, vel Bulla. Certum verò eſt quòd libros Aſſertorum Pius V. noluerit eſſe indices : cùm indicem damnati ſenſûs oporteat eſſe notum, & ad ipſum liber eſſe debeat recurſus. Ad libros verò Aſſertorum liberum recurſum Pius V. eſſe noluit, dum eorum lecturam prohibitam eſſe voluit. Noluit etiam libros ipſorum eſſe notos, imò ne ipſos quidem Aſſertores : ſi enim notos eſſe voluiſſet, ipſos deſignaſſet, expreſſiſſetque : non deſignavit autem, neque expreſſit. Solam proinde Bullam ſuam voluit nobis eſſe indicem à S. Sede propoſitum, ſolas per conſequens

propositiones per Bullam designatas & damnatas. Quæ quidem propositiones sunt optimus index damnati sensus, etiam in sententia quæ dicit propositiones omnes, propter doctrinam à Pio V. damnatas, damnatas esse in proprio sensu ab Assertoribus intento. Vel enim damnatæ propositiones secundùm se nullum habent sensum proprium, nisi unum, eumque in Ecclesia peregrinum & inusitatum. Et iste procul dubio est damnatus sensus ab Assertoribus intentus. Vel secundùm se pluscuàm unum habent sensum proprium, sive naturalem & obvium, quorum unus probatos Ecclesiæ Patres & Theologos habeat defensores; nec proinde sit in Ecclesia peregrinus. Et tunc pro certo tenendum est, quòd iste non sit damnatus Assertorum sensus, sed alius peregrinus, & à probatorum Ecclesiæ Patrum Theologorumque sensu alienus. Quem ab Assertoribus intentum fuisse, si non appareat ex ipsa propositione secundùm se; saltem appareat ex collatione ipsius cum aliis in ipsa Bulla damnatis, sive ex totius doctrinæ per Bullam damnatæ contextu, sensum illum Assertorum manifestante.

58 Declaratur, & ampliùs urgetur argumentum istud: vel propositiones, de quibus agitur, multiplicem habent sensum proprium & naturalem, vel unicum? si tam secundùm se, quàm factâ cum aliis collatione unicum habeant, & iste pravus non sit, nec in Ecclesia peregrinus, sed probatus veterum Patrum, probatorumque Theologorum sensus, signum est ipsas damnatas non esse propter sensum seu doctrinam, sed propter censuram, vel offendentem expressionis modum. Si multiplicem habeant sensum proprium, seu naturalem & obvium, in eorumque aliquo probatos habeant Patronos, & maximè Augustinum, seu alios præcipuos Ecclesiæ Doctores; sensus damnatus ab Assertoribus intentus (si in eo damnatæ sint propositiones) tunc discerni nequit ex solis propositionibus secundùm se præcisè spectatis, utpote sensum ut sic legitimum & non peregrinum habentibus, eodem vel æquè perspicuo verborum tenore à probatis Ecclesiæ Doctoribus traditum. Tunc igitur necesse est alio indicio uti, collatione scilicet istarum propositionum cum aliis in eadem Bulla damnatis ut suprà. Mens proinde summorum Pontificum in ejusmodi propositionibus est, ut sensum damnatum Theologi eruant ex integro contextu totius doctrinæ, prout in Bulla continetur. Quam propterea integram tantâ æquitate ac consideratione exhibuerunt, ut si damnatæ propositiones, non singulæ tantùm, sed & simul omnes spectentur, factâ ad invicem collatione facilè intelligi queat sensus damnatus, à totius doctrinæ Assertoribus intentus, etiam ignotis. An enim & quinam fuerint totius illius doctrinæ Assertores, definire noluerunt, nec debuerunt, contenti totam illam doctrinam exterminare & abolere, uti Suarez observavit.

Probatur 2°. Quia propositiones illas Pius 59
V. damnavit in sensu naturali & obvio. Vel ergo in sensu naturali & obvio, qui in Assertorum mente latet, vel qui ex libris ipsorum patet, vel qui patet ex verbis propositionum, prout in Bulla referuntur. Non primum, quia de occultis & internis non judicat Ecclesia. Non etiam secundum, quia nec propositionum Assertores, nec libros ipsorum Pius V. nobis innotescere voluit; nec aliorum Assertorum libri extant, nisi Michaëlis Bai, quem certum est omnium propositionum illarum Assertorem non esse; certum quoque est quòd & nomini & libris ipsius parcitum voluerit optimus Pontifex. Non superest ergo nisi tertium: Neque enim aliam viam damnatum sensum eruendi nobis ipse reliquit, dum Assertores & libros ipsorum nobis innotescere non voluit; sed ideò noluit, ut per hoc satis intelligeremus, ipsum nolle ut alium sensum Assertorum sollicitè quæramus, quàm qui ex Bulla ipsa colligitur modo dicto.

Probatur 3°. Quia per hanc regulam facilè conciliantur Doctores inter se dissidentes de famoso commate: an scilicet propter comma adjectum immediatè post verba illa, *quamquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent*, ante ista, *in rigore & proprio verborum sensu ab Assertoribus intento*, verba ista, *in rigore*, &c., dicenda sint afficere verba sequentia, *hæreticas, erroneas*, &c. *damnamus*; an propter aliud comma pariter adjectum post ly *in rigore & proprio verborum sensu ab Assertoribus intento*, dicenda sint afficere verba præcedentia, *quamquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent?* Omnes siquidem Doctores facilè concedent, propositiones in Piana designatas, in proprio Assertorum sensu damnatas esse, si per sensum ab Assertoribus intentum intelligatur sensus proprius & obvius, qui naturaliter resultat ex propositionibus inter se collatis; utpote quem necesse est intentum fuisse ab Assertoribus totius doctrinæ per Pianam damnatæ, quicumque illi fuerint: Hoc enim nobis ignotum, nec à nobis sollicitè inquirendum Pius V. voluit, hoc unum intendens, ut propositiones ab omnibus damnarentur in sensu naturali & obvio, qui ex Bulla sua facilè colligi posset. 60

Probatur 4°. Quia per regulam illam damnatus propositionum sensus optimè discernitur à non damnato sensu priscorum Patrum, probatorumque Theologorum, qui nonnullas ex propositionibus illis, vel iisdem, vel æquè perspicuis verbis tradiderunt. Quorum profectò sensum à damnato necesse est discernere. Quia temerarium foret asserere quòd propositiones illas Pius V. damnaverit in sensu, in quo eas prisci tradiderunt Patres, & Ecclesiæ Doctores, illi maximè, quorum *tutissima & inconcussa dogmata* Ecclesia declaravit. Quia hoc esset Ecclesiam cum Ecclesia committere, eamque cum hæreticis calumniari, velut ab avita fide, doctrinaque veterum Patrum deviam. 61

Quod cùm certissimè falsum sit, & calumniosum, prorsus necessarium est Pianam Censuram cum doctrina Patrum illorum conciliare. Hoc autem optimè fit per regulam à nobis propositam, ut ex dicendis constabit. Ista proinde est solida, plana & expedita regula, damnatum sensum à non damnato secernendi; eâque meritò usi sunt magni Theologi, minimèque suspecti, Suarez loco citato, Vasquez 1. 2. disp. 190. c. 18. &c. quâ etiam si usi fuissent plerique ex novioribus Casuistis, à receptissima, per Ecclesiamque probatissima Augustini de charitate, operumque relatione doctrina non declinassent ad novitia dogmata, piarum aurium offensiva, & ipsis quoque hæreticis scandalosa, sub prætextu damnatarum propositionum illarum, ab ipsis ideò perperàm intellectarum, quia non secundùm veram germanamque eas intelligendi regulam. Quo factum est ut plures ex ipsis abierint in opiniones à christiana pietate, evangelica simplicitate, sanctorumque Patrum doctrina adeò exorbitantes, ut earum plurimas Alexander VII. Innocentius XI. & Alexander VIII. justissimè proscripserint.

CAPUT V.

Per regulam illam ostenditur Bajo, de nonnullarum propositionum Censura conquerenti, silentium à Pio V. jure esse impositum.

62 ANno 1569. 8. Januarii Michaël Bajus Pio V. Apologiam scripsit, in qua non semel mirari se dicit, censuram nonnullarum propositionum. Quia (ut ait in epistola præliminari) *metuimus ne quid Vestræ Sanctitatis existimationi detrahant, non tantùm propter manifestas calumnias, quæ videntur in eis contineri; sed etiam propter verba, & (ut appareat) etiam sententias & sensus sanctorum Patrum, qui in iis damnari videntur.*

63 Verùm facto iteratò propositionum Apologiæque examine, omnibus maturè discussis (uti laudatus Pontifex ipsi rescripsit 15. Maii ejusdem anni) *ipsi & cæteris prædictarum Assertoribus, pro earum assertione & defensione perpetuum silentium* Pius V. imposuit: Neque enim Bajus jure metuebat, sententias & sensus SS. Patrum in Piana damnatione comprehendi: cùm in sensu SS. Patrum non reddant sensum in Ecclesia peregrinum, ipsaque Bulla satis insinuet, sententias & sensus Patrum in ea non damnari, declarando, aliquas ex damnatis in ea propositionibus aliquo pacto posse sustineri. Quod principaliter propter sententias & sensus Patrum declaravit.

CAPUT VI.

Per eamdem regulam manifestè retunditur calumnia hæreticorum capite 3. memorata.

64 HÆretici, ut ibi visum est, Ecclesiæ Romanæ insultant, quòd per Bullam Pii V. Gregorii XIII. &c. defecerit ab expressis D. Augustini aliorumque priscorum Patrum sententiis ad opiniones novas, &c. Verùm ex proximè dictis apertè refellitur calumnia ista, quam Pius V. satis præcluserit adjectâ illâ clausulâ, quâ expressè declaravit nonnullas ex propositionibus illis aliquo pacto sustineri posse, utique tamquam veras, nedum in sensu improprio (utpote ad quem suam illam clausulam non restrinxit); sed in proprio etiam sensu, priscorum maximè Patrum, ac præsertim Augustini.

Nec certè ratio est clausulam illam ad sen- 65
sum improprium restringendi. Cùm una eademque propositio plusquàm unum sensum proprium ac litteralem admittat (uti cum Augustino tradit S. Thomas 1. p. q. 1. a. 10.) ac per consequens vera & defensabilis esse queat in uno; falsa & damnabilis in altero. Nihil ergo prohibet aliquas ex damnatis à Pio V. propositionibus esse veras & defensabiles in uno proprio sensu Sanctorum; falsas & damnabiles in alio, etiam proprio sensu, v. g. Assertorum totius doctrinæ per Pianam damnatæ.

Idque variis declarari potest exemplis: Nam 66
præter exempla ex Cunero Petri n. 31. id liquidò conspicitur in nonnullis propositionibus, ex iis quæ in Piana referuntur, v. g. decima sexta, *Non est vera legis obedientia quæ fit sine charitate.* Vigesima septima, *Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio nonnisi ad peccandum valet.* Et quinquagesima quarta; *Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis hodie nascitur.*

Siquidem, ut ab ista novissima incipiam, 67
sensus proprius ipsius tam esse potest, quòd *Deus non potuisset ab initio creare hominem in peccato originali* (*in quo omnes hodie nascimur*) quàm quòd *Deus non potuisset ab initio creare hominem mortalem*, vel *gratiâ sanctificante destitutum.* In priori verò sensu propositio certæ est veritatis; in posteriori damnabilis est falsitatis.

Similiter 27. propositio propriè & ad litte- 68
ram tam intelligi potest de adjutorio gratiæ habitualis, quàm actualis. Et verba ista, *nonnisi ad peccandum valet*, tam intelligi possunt, quòd non valeat ad ullum opus ex se, sive quoad officium & substantiam non peccaminosum, quàm quod non valeat ad ullum opus ex defectu relationis ad debitum finem ultimum non peccaminosum. Priori sensu jure damnatur; posteriori non damnatur, sed traditur à Spiritu sancto in sacris Litteris, Conciliis & Patribus, uti suo loco demonstrabitur.

Propositio etiam 16. tam propriè intelligi po- 69
test de charitate habituali, quàm de actuali, tamque de actuali perfecta, quàm de imperfecta. Rursus tam de obedientia vera quoad substantiam præcepti, de honorandis parentibus v. g. quàm de obedientia vera quoad substantiam simul & quoad circumstantiam relationis ad debitum finem ultimum. Intellecta de charitate habituali, vel de actuali perfecta, vel de obedientia vera

quoad substantiam rei præceptæ, propositio est falsa, jureque damnata. Intellecta de charitate actuali, saltem imperfecta, deque obedientia vera, non quoad substantiam rei præceptæ, sed quoad circumstantiam, propositio est vera, communique sanctorum Patrum traditione firmata, uti suo quoque loco demonstrabitur.

70 Nec desunt ad idem ostendendum exempla ab Antiquitate petita. Neque enim ante Bullam Pii V. inusitatum fuit & insolitum, propositionem aliquam ab Ecclesia ut hæreticam damnari in uno sensu proprio, tametsi veram, Catholicam, & Ecclesiæ probatam in alio sensu proprio. Olim namque propositionem hanc, *Deus non creat mala*, velut hæreticam reprobavit adversus Coluthianos, eam intelligentes de malis pœnæ; velut Catholicam probavit adversus Florinianos, eam intelligentes de malis culpæ, ut videre est in libro Augustini de hæresib. hæresi 65. & 66. ubi sic: *Coluthiani à quodam Colutho, qui dicebat Deum non facere mala, contra id quod scriptum est*: Ego Deus creans mala. *Floriniani à Florino, qui è contrario dicebat Deum creasse mala, contra id quod scriptum est*: Fecit Deus omnia, & erant valdè bona. Ac per hoc quamvis *contraria inter se dicentes, tamen ambo divinis Eloquiis resistebant. Creat enim Deus mala, pœnas justissimas irrogando, quod Coluthus non videbat; non autem malas creando naturas atque substantias, in quantum sunt naturæ atque substantiæ, uti Florinus errabat.*

71 Similiter hæc propositio: *Deus prædestinavit impios ad mortem* seu interitum, hæretica est in sensu Calvinistarum (quem Semipelagiani olim Augustino affinxerant;) Catholica, & à Nicolao Papa, Synodisque Valentina, Lingonensi & Tullensi probata, in sensu Augustini, de prædestinatione ad mortem & supplicia peccatis prævisis infligenda.

Alia exempla duo habes n. 9. in his propositionibus, *Maria Virgo est Deipara*, &, *Unus de Trinitate est passus.*

72 Dixi clausulam istam, *quamquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent*, &c. à Pio V. maximè adjectam fuisse propter sanctos Patres, ne quis scilicet existimaret aliquod per Pianam præjudicium illatum esse doctrinæ veterum Patrum, ac præsertim Augustini inter ipsos præcipui: Id enim Prolegom. 3. c. 19. adeò luculentè probatum est, ut de eo non sit relictus ambigendi locus.

73 Nec alicujus considerationis est objectio Ripaldæ in contrarium, quòd si aliquæ ex propositionibus illis in proprio verborum sensu possint sustineri, poterunt omnes. Quia ad omnes extendere non licet, quod Bulla restringit ad *nonnullas*. Neque pro omnibus est Scripturæ, Ecclesiæ & Patrum authoritas, sed pro aliquibus dumtaxat.

74 Nec majori consideratione digna est objectio altera Arsdekini, quòd fatua esset Pontificia Constitutio, si damnasset propositiones in proprio aliquo sensu defensabiles: Quàm fatua enim sit objectio ista, ostensum est c. 2. observat. 2. satisque constat ex suprà allatis exemplis.

CAPUT VII.

Eamdem calumniam manifestè refellit subjiciendo per regulam illam Pianæ Censuræ conciliatio cum Augustini, priscorumque aliorum Patrum doctrina.

75 Demonstratur: si enim Piana Censura cum Augustini aliorumque Patrum doctrina conciliatur, igitur Romana Ecclesia, per Censuram illam, ab avita fide, veterumque Patrum, maximè Augustini doctrina, ad novitios errores non deflexit, prout hæretici calumniantur.

76 Atque hinc perspicua est allatæ regulæ necessitas, utilitasque: partim utique ad demonstrandam Censuræ Pontificiæ æquitatem; partim ad doctrinam Ecclesiæ Romanæ cum avita fide doctrinaque conciliandam; partim denique ad detegendos scopulos, ab obedientibus Ecclesiæ filiis vitandos. Ad quos profectò fines necessaria est aliqua regula, nec adferri potest aptior eâ quam cap. 4. exhibuimus.

77 Nec prohibitum est dictos ob fines, genuinum damnatarum propositionum sensum inquirere. Neque enim Pontifices vetant Theologi munus implere (cùm hoc laude dignum sit, non prohibitione;) Theologi verò muntis est, hæreticorum adversus Ecclesiam Romanam, Matrem suam, calumnias retundere, Constitutionum Apostolicarum æquitatem demonstrare, S. Sedis doctrinam cum doctrina Patrum conciliare, damnatos ab Ecclesia sensus cavere, & (ut ab aliis caveantur) damnatos à non damnatis secernere. Quam profectò operam tam laudabilem, tamque Ecclesiæ necessariam, ac utilem, cùm Pontifices nunquam prohibuerint, non prohibuerunt genuinum inquirere sensum, quo Bajanæ (ut aiunt) propositiones à Pio V. damnatæ fuerunt, uti communis semper fuit Catholicorum Scriptorum sensus.

78 Nec verò Pius V. hoc prohibuit, dum sub finem Bullæ suæ dixit, *deque eisdem & similibus posthac quoquo modo loquendi, scribendi & disputandi facultatem quibuscumque interdicimus.* Quia verbis istis solùm inhibuit de iis loqui, scribere, disputare, pro earum assertione & defensione (prout ipsemet disertè expressit suprà n. 63.) non verò pro earum refutatione, pro S. Sedis defensione, pro avitæ doctrinæ SS. Patrum tuitione, pro retundenda hæreticorum adversus Ecclesiam criminatione, pro damnati sensûs à non damnato discretione, uti constat ex communi piorum usu, Theologorumque consuetudine. Ampliùsque constat à fortiori ex prohibitione quâ Pius IV. inhibuit *ullum omninò interpretationis genus supra Decreta Concilii Tridentini quocumque modo edere*; eâ tamen prohibitione non obstante, optima legum interpres consuetudo obtinuit, ut

liceat obiter & incidenter aliqua ejus Decreta interpretari, prout Illustriss. D. Fagnanus probat ad caput *cùm venissent* de judiciis n. 83. *Plena enim sunt* (inquit) *volumina harum interpretationum.... in operibus impressis, tam Theologorum quam Juristarum. Et durum videtur condemnare, aut censuris irretitos judicare tot pios & religiosos viros, qui de materiis moralibus scripserunt. Cùm præsertim hujusmodi editiones.... processerint..... Superioribus aliquando consentientibus & approbantibus. Nam videmus multos ex ejusmodi libris fuisse impressos in Urbe, prævio examine & approbatione Magistri S. Palatii Apostolici. Et in S. Congregatione sapiùs vidi observatum, ut in aliquo articulo allegata fuerit sententia Navarri, Medinæ, vel alterius Scriptoris, aliquod Decretum Concilii Tridentini interpretantis, & Congregationem non solùm non redarguisse Authores, quod ausi fuerint hujusmodi interpretationes typis excusas edere, sed illorum etiam sententiæ adhæsisse, ita ut aliquando etiam de illorum authoritate mentionem fecerit in ipsismet decisionibus..... Et tamen si existimasset hujusmodi interpretationes nhiberi in Constitutione Pii IV., illas potiùs rejecisset, cum Authoribus tamquam excommunicatis in facto notorio & permanenti.*

79 Quodcumque interpretationis genus in Bullam suam edere non prohibuit Pius V. uti prohibuit Pius IV. in Decreta Tridentini. Nec tamen nobis est animus propositiones omnes per Bullam Pii V. damnatas interpretari, neque ex professo scribere scholia & adnotationes in totam illam Bullam; sed obiter & incidenter dumtaxat, ad finem suprà memoratum, damnatum exponere sensum earum propositionum, quæ contra probatam Augustini, priscorumque aliorum Patrum & Conciliorum de charitate, gratiæque ad singulos actus bonos necessitate doctrinam objici solent, damnatum ab Ecclesia sensum sic respuendo, ut Ecclesiæ modernæ doctrinam cum venerandæ Antiquitatis doctrina convenire ostendamus; falsissimum proinde esse quod hæretici calumniantur, ipsam ab avita fide ad novitates ei adversantes declinasse. Quod tanto certiùs licitum & laudabile est, quanto verius, quòd innumeræ sint difficultates quotidie emergentes, circa sensum sacrorum Canonum, Conciliorum, Bullas summorum Pontificum, imò supra ipsam quoque Scripturam sacram, quæ ex Dei & S. Sedis placito Theologis ac Juristis respectivè discutiendæ ac decidendæ committuntur. Neque enim sperari potest singularum decisio per responsum S. Sedis, cùm id sit præter morem Romanæ Curiæ. Et ideò licèt damnati sensûs propositionum Bullâ Pii V. damnatarum declarationem à S. Sede olim petierit Facultas Lovanienſis, eidem S. Sedi, justis de causis, non placuit eam dare.

80 *Ad Doctorum ergo discussionem declarationemque recursus apparet omninò necessarius* (ait sapientissimus noster Lumbierus in Prologo suarum observationum ad propositiones ab Alexandro VII. & Innocentio XI. damnatas) & « ideò Decretum Alexandri VII. explicuit Franciscus Verde: cujus opus in Urbis oculis, Romæ datum est typis, & sacro Emin. Cardinalium « Consistorio dedicatum..... P. Filgueyra Clericus Regularis in Hispanica Summa, specialem « etiam circa Alexandri propositiones explicationem attexuit, & Censores operis, certè gra- « vissimi, explicationem specialiter approba- « runt..... Pater etiam Joannes Martinez de Ripalda justum volumen in explicandis..... Mi- « chaëlis Baii propositionibus, à summis Pon- « tificibus proscriptis, insumpsit, &c. " Hactenus Lumbierus, Aragoniæ quondam Provincialis, S. T. D. & in Universitate Cæsarauguſtana Anteceſſor primarius, Concionator Regius, Inquisitionis supremæ Qualificator, & pro Archiepiscopatu Cæsarauguſtano Examinator Synodalis.

CAPUT VIII.

Censura propositionis decimæ sextæ, Non est vera legis obedientia sine charitate, *cum Augustini, priscorumque aliorum Patrum doctrina per regulam suprà allatam conciliatur.*

HAnc propositionem Bajus in sua ad Pium V. Apologia negat à se assertam tamquam propriam, aiens solùm à se relatam inter sententias, quæ à Catholicis variè disputantur. Verùm (ut suprà dixi) pro damnato istius propositionis sensu discernendo ad Bajum recurrere non oportet (nec enim ad ipsum, seu libros ipsius nos Pius V. remittit) sed ad Bullam ipsam. Ex dictis itaque n. 69. obedientia dupliciter esse potest vera. 1°. quoad præceptorum operum substantiam. 2°. quoad substantiam simul & modum, seu circumstantiam debiti finis ultimi. Charitas etiam dupliciter accipi potest. 1°. specialiter seu famosè, pro charitate perfecta, vel propria justorum. 2°. generaliter pro quocumque amore boni propter Deum, sive perfecto, sive imperfecto, quomodò etiam in peccatoribus reperitur. 81

Atque hinc innotescit propositionem illam decimam sextam multiplicem admittere sensum proprium, videlicet 1°. quòd sine charitate specialiter dicta, justorumque propria, nulla sit obedientia vera. 2°. quòd sine charitate generaliter dicta, nulla sit obedientia vera, nequidem quoad operum specialiter præceptorum substantiam. 3°. quòd sine charitate generaliter dicta, saltem imperfecta, seu aliquo ejus afflatu, nulla sit obedientia vera, quoad substantiam simul & circumstantiam debiti finis ultimi. 82

Primo & secundo sensu propositio illa continet doctrinam in Ecclesia peregrinam, & abhorrentem à communi Catholicorum sensu, Lutheranorumque & Calvinistarum sensui consonam. Utroque proinde illo sensu à Pio V. damnata est. Tertio autem sensu catholica est & vera, utpote nullam continens doctrinam in Ecclesia peregrinam, sed à probatis Ecclesiæ Patribus traditam, Evangelioque & Paulo 83

conso-

consonam, à Pio V. proinde non damnatam.

84 Siquidem Joan. 14. Salvator, *Qui non diligit me* (inquit) *sermones meos non servat.* Testeque Augustino de correpț. & grat. c. 3. præcipit Apostolus, dicens: *Omnia vestra in charitate fiant.* Et, *Omnia in gloriam Dei facite*, &c. Joannis verò 16. per dilectionem intelligi charitatem, Author est Augustinus, dicens 14. Civit. 7. quòd *Scripturæ Religionis nostræ.... non aliud amorem, aliud dilectionem & charitatem insinuare videntur.*

85 Hinc idem Augustinus in Psal. 118. Serm. 7. *Non possunt custodiri vel haberi nisi per fidem, quæ per dilectionem operatur.* De grat. Christ. c. 26. *Etsi Dei mandatum videatur aliquando à non diligentibus, sed a timentibus fieri, tamen ubi non est dilectio, nullum bonum opus imputatur, nec rectè bonum opus* (qualis est omnis obedientia quoad substantiam simul & omnem circumstantiam debitam) *vocatur: quia omne quod non est ex fide, peccatum est, & fides per dilectionem operatur.* De correpț. & grat. c. 2. *Duobus modis non agitur*, quod ex præcepto *agendum est, sive omninò non faciendo* (quo casu ne quidem est obedientia vera quoad substantiam) *sive non ex charitate faciendo*, & tunc saltem non est obedientia vera quoad debiti finis ultimi circumstantiam. Epist. 148. *Charitas.... quâ unâ adimpletur in nobis, si quid divinæ legis & admonitionis implemus.* In Psal. 67. v. 18. *Per charitatem lex impletur, non per timorem.* De spir. & lit. c. 14. *Mandatum, si fit timore pœnæ, non amore justitiæ, servilitèr fit, non liberaliter, & ideò nec fit*, ut scilicet fieri debet. Q. 15. super Deuteron. *Cùm verè fit opus legis, charitate fit, non timore.*

86 Augustino subscribit Bernardus serm. 2. de diversi. *Insipida est Deo & insulsa quodammodò nostra obedientia* (*quodammodò*, inquit, ob defectum utique relationis ad debitum finem ultimum).... *nisi omnium quæ agimus, ipse Deus sit causa finalis. Quia quidquid facimus, jubemur in gloriam Dei facere.* Et l. de doctr. pueror. *Necesse est ut ipsa obedientia non servili metu, sed charitatis affectu fiat.... nulla quippe innocentia, nulla vera obedientia est, nisi in eis charitas fulgeat, quæ virtutes omnes transcendit.*

87 Subscribit & S. Thomas 1. 2. q. 100. a. 10. *In hoc præcepto, Honora patrem, non includitur quòd honoretur pater ex charitate, sed solùm quòd honoretur pater. Unde qui honorat patrem, licèt non habeat charitatem, non efficitur transgressor hujus præcepti, etsi sit transgressor præcepti quod est de actu charitatis.* Quia ut ad 2. dicit, *sub præcepto charitatis continetur ut diligatur Deus ex toto corde, ad quod pertinet, ut omnia referantur in Deum. Sic ergo qui honorat patrem, tenetur ex charitate honorare, non ex vi hujus præcepti, quod est, Honora parentes, sed ex vi hujus præcepti, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, tametsi ex omissione istius modi, honorandi ex charitate, non semper fiat transgressor præcepti, uti proximè subjungit. Quia, ut ait in argumento, sed contra *quicumque* transgreditur, sive *non servat præceptum, peccat mortaliter.* Præceptum verò omnia referendi in Deum, *cùm sit affirmativum, non obligat ad semper*, sub mortali utique, licèt aliquo sensu obliget ad semper sub venali, uti suo loco ex ipsomet S. Doctore probabitur.

Similiter subscribit Catechismus Romanus 88
p. 3. c. 2. n. 23. *Necesse est eos qui legem Dei servant, eadem charitate atque amore, quo in Deum sunt, ad ejus obedientiam adduci.*

Idque tantâ asseverationе tradit S. Fulgen- 89
tius in l. de fide ad Petrum, ut velle videatur ad fidei regulam pertinere. Postquam enim c. 32. dixit: *Firmissimè tene, & nullatenus dubites.... divinis mandatis neminem obedire posse, nisi quem Deus suâ gratiâ prævenerit, ut non solùm corde percipiat, sed & acceptâ bonâ voluntate* (*quæ* secundùm ipsùm, & Magistrum ipsius Augustinum, charitas est, prout & gratia bonæ voluntatis, est *inspiratio dilectionis*) *atque virtute mandata Dei facere & velit & possit.* Postquam alia quoque capitula addidit, cap. 42. sic dicit: *Hæc quadragintà capitula ad regulam veræ fidei firmissimè pertinentia fideliter crede.... Et si quem contraria his dogmatizare cognoveris, tamquam hæreticum abjice.* Et quare nemo sine gratia Dei præveniente mandatis Dei obedire potest? Quia (inquit) scriptum est: *Deus est qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate.* Et ut ait epist. 4. ad Probam c. 24. *Quidquid inte boni operis habes, non ex te, sed ex ipso habes.* Et cur hoc? Respondet Augustinus de grat. christ. c. 21. Cùm dicat Scriptura: *Charitas ex Deo est..... quare contendit Pelagius quòd bonam voluntatem, bonamque actionem habeamus ex nobis? quasi verò aliud sit bona voluntas, quam charitas, quam Scriptura declarat nobis esse ex Deo?* Et l. 2. contra 2. epist. Pelag. c. 9. *Quid est boni cupiditas, nisi charitas, de qua Joannes sine ambiguitate loquitur, dicens: Charitas ex Deo est? nec initium ejus ex nobis.... sed si charitas ex Deo est, tota nobis ex Deo est.* Quod tam certæ veritatis esse dicit, ut si hoc verum non sit, Pelagianos vicisse censeat; si autem sit verum, *vicimus*, inquit, Pelagianos. Vide suprà Prolegom. 3. c. 19. Vide etiam infrà l. 8. innumera Sanctorum, veterum ac novissimorum testimonia, quibus demonstrabimus omnes actus nostros deliberatos ex aliquo charitatis afflatu esse faciendos, nullamque esse voluntatem undequaque bonam, nullam virtutem debitis omnibus circumstantiis vestitam, nullum opus ad debitum finem ultimum relatum sine charitate generaliter dicta, saltem imperfecta.

Non igitur in 3°. sensu à S. Patribus tradito, 90
atque ab ipso etiam Pio V. in laudato Catechismo probato, damnata est propositio decima sexta; sed in 1°. & 2°. Quia in 2°. significat, honorantem parentes v. g. non ex charitate, haud adimplere præceptum de honoran-

dis parentibus. Cujus opinionis falsitatem n. 87. vidimus ex S. Thoma. In primo verò sensu adhuc palpabilior est falsitas, consonantiaque ipsius cum errore hæreticorum, damnato per Concilium Tridentinum sess. 6. can. 7. *Si quis dixerit opera omnia, quæ ante justificationem fiunt.... esse peccata.... anathema sit.*

91 In hoc verò sensu propositionem illam à Pio V. damnatam, & (si vis) à totius doctrinæ per Pianam damnatæ Assertoribus intentam fuisse, constat, applicando regulam cap. 4. exhibitam: videlicet in propositionibus multiplicem sensum proprium habentibus, atque ex iis unum verum, catholicumque, alterum falsum; eum censendum esse damnatum, atque à totius doctrinæ Assertoribus intentum, qui, collatione factâ cum aliis propositionibus in ea Bulla damnatis, cum iis dignoscitur cohærere, atque in Ecclesia peregrinus esse. Atqui factâ collatione propositionis 16. cum propositionibus 31. 32. 35. 38. 40. 62. 63. 64. 69. 70. in eadem Bulla damnatis, primus ille sensus cum iis dignoscitur cohærere, atque in Ecclesia peregrinus esse. Proposit. namque 31. 32. 35. &c. earum Assertores satis declarant, nullam à se charitatem, nec gratiam, nec justitiam, nec vivificationem agnosci, nisi perfectam, specialiterque & famosè dictam, propriam utique justorum, quæque est per Spiritum sanctum inhabitantem. Aliàs proposit. 31. 32. 70. & 71. charitatem perfectam, quæque est plenitudo legis, non admitterent in Catechumenis & pœnitentibus, remissionem peccatorum nondum consecutis, usque adeò errantes, ut secundùm propositiones illas, sine remissione peccatorum esse possit. Nec propositione 62. *rejicerent distinctionem, quâ opus dicitur bifariam bonum, vel quia ex objecto & omnibus circumstantiis rectum est (quod moraliter bonum appellare consueverunt) vel quia est meritorium regni æterni, eo quòd fit à vivo Christi membro per spiritum charitatis.* Nec propositione 63. improbarent etiam *distinctionem duplicis justitiæ, alterius quæ fit per Spiritum charitatis inhabitantem; alterius quæ fit per inspirationem quidem Spiritûs sancti, eum ad pœnitentiam excitantis, sed nondum cor inhabitantis, & in eo charitatem diffundentis.* Nec propositione 64. *commentitiam dicerent distinctionem duplicis vivificationis, alterius quâ vivificatur peccator, dum ei pœnitentia & novæ vitæ propositum, & inchoatio per Dei gratiam inspiratur; alterius quâ vivificatur, qui verè justificatur, & palmes vivus in vite Christo efficitur.* Nec propositione 69. dicerent, quòd *justificatio impii sit formaliter per obedientiam legis, non autem per occultam communicationem & inspirationem gratiæ, quæ per eam justificatos faciat implere legem.* Nec propositione 38. dicerent, *omnem amorem creaturæ rationalis*, qui non est vitiosa cupiditas, *esse laudabilem illam charitatem, quâ per Spiritum sanctum in corde diffusâ* (utique per Spiritum sanctum inhabitantem, uti declarant allatâ propositione 63. innuitque Apostolus, dicens: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis*) *Deus amatur.* Nec denique proposit. 38. dicerent: *Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est.* Et proposit. 40. *In omnibus actibus suis peccator servit dominanti cupiditati:* si enim admitterent charitatem generaliter dictam, & imperfectam; ex ea aliquando peccator ageret; per consequens non semper ageret ex cupiditate, multo minùs ex dominante cupiditate, nec semper peccaret. Confer quæ dicturus sum l. 8. c. 26.

Et observa Facultatem Lovaniensem, in *explicatione doctrinæ, quam certorum articulorum damnatio postulare visa est*, anno 1585. jussu Joannis Baptistæ Bonhomi, Nuntii Apostolici, concepta, propositionem decimam sextam nobiscum intellexisse de charitate specialiter dicta, dum eam intellexit de charitate, quæ *legis est plenitudo.* Hâc ratione rectè damnatam asserens propositionem decimam sextam. *Neque enim eamdem vim habent, obedientia legis, & ejusdem plenitudo: siquidem legi obediens est, qui voto saltem desiderioque animi ac sincero conatu legi obsequitur, etiamsi ipsa nondum ab eo legis plenitudo præstetur.* 92

Nec tamen propositio illa decima sexta in primo dumtaxat illo sensu damnata est; verùm & in secundo, quatenus scilicet in sensu naturali & obvio significat, nullo modo veram esse obedientiam (negatio quippe, simpliciter prolata, cùm sit malignantis naturæ, negat per omnem modum) ne quidem proinde veram esse obedientiam quoad substantiam, neque vera virtutum officia, sine charitate. Quod alienum profectò est ab Augustino, qui virtutum officia, quæ ad Deum ab infidelibus non referuntur, nusquam damnat, sed relationis dumtaxat omissionem, quæ officium sic comitatur, ut ipsum in specie non vitiet, sed actum in individuo, seu complexum ex officio seu opere, & relationis omissione. Quo defectu non obstante, virtutum opera manent secundùm quid, sive ex officio bona, legisque de opere illo impletiva. Quam ob causam opera illa ab Augustino subinde dicuntur *Dei dona*, licèt de iis *non in Domino gloriari*, sive ea ad Dei gloriam non referre, peccatum esse dicat: Cùm enim Augustino dicenti, cum Apostolo, *Omne quod non est ex fide, peccatum est*, Julianus objiceret: *Si Gentilis nudum operuerit, numquid, quia non ex fide, peccatum est?* Respondet Augustinus: *Prorsus in quantum non est ex fide, peccatum est. Non quia per seipsum factum, quod est nudum operire, peccatum est; sed de tali opere non in Domino gloriari, solus impius negat esse peccatum.* L. 4. contra Julian. c. 3. 93

Ceterùm an ipsa virtutum officia ex illo relationis in Deum defectu Bajus culpaverit (uti Steyartius putat notâ 18. in 79. propositiones) necesse non est operosiùs disputare. Cùm Pius V. nec de Bajo, nec de sensu ipsius, mentionem fecerit in Bulla sua; nec propositio deci- 94

ma sexta damnata esse desinat sive in primo, sive in secundo sensu exhibito, sive iste fuerit, sive non fuerit Baii sensus: Nam etsi nonnullæ ex propositionibus damnatæ sint in sensu ipsius (prout ipse solenniter fassus est Toleto) quænam illæ sint, & an decima sexta de earum numero sit, omninò non constat. Hoc unum constat, plurimas ex damnatis à Pio V. damnatas esse in sensu alieno à sensu ipsius; nec dubium eas esse, de quarum falsitate numquam à se dubitatum esse, solemniter protestatus est, tam in Apologia ad Pium V. quàm in epistola ad Cardinalem Simonetam, & in explicatione publicis in Scholis facta. Vide suprà n. 40. Aliquid tamen de mente ipsius circa virtutum officia dicturus sum infrà cap. 15. §. 7.

CAPUT IX.

Per eamdem regulam veterum Patrum doctrina conciliatur cum censura propositionis 38. Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas, quâ mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur; aut laudabilis illa charitas, quâ per Spiritum sanctum in corde diffusâ Deus amatur.

95 ITerùm moneo 1°. quòd charitas (ut suprà dixi) alia est perfecta, alia imperfecta. Alia propria justorum, alia justis & peccatoribus communis. Alia in corde dominans, quâ Deus propter se diligitur super omnia; alia non dominans, quâ propter se diligitur non super omnia, sed absque ista perfectione præscindendo. Istos aliosque charitatis gradus fusiùs infrà prosequemur.

96 Moneo 2°. quòd charitas rursus alia est specialiter, alia est generaliter dicta. Charitas specialiter accipitur, quando vel accipitur pro charitate perfecta, vel pro charitate propria justorum, vel pro charitate in corde dominante. Generaliter accipitur, dum accipitur pro quocumque amore boni propter Deum, sive perfecto, sive imperfecto, sive proprio justorum, sive justis & peccatoribus communi, sive dominante, quique proinde sit amor Dei super omnia; sive non dominante, & non super omnia.

97 Similiter cupiditas alia est specialiter, alia est generaliter dicta. Specialiter accipitur, dum accipitur pro cupiditate, quâ mundus diligitur, sive ea quæ mundi sunt, opes, honores, voluptates sensuales, vel pro cupiditate dominante. Generaliter accipitur, dum accipitur pro quocumque amore boni, non propter Deum, sive dominante sive non, sive etiam sit amor mundi, id est rerum mundi, sive sit amor parentum, filiorum, uxoris, &c. sive etiam creatæ virtutis, vel honestatis, vel consolationis spiritualis, &c.

98 Propositio itaque trigesima octava negans amorem medium inter charitatem & cupiditatem, duplicem habere potest sensum proprium, seu naturalem & obvium. Vel utique 1°. charitatem & cupiditatem specialiter, vel 2°. charitatem & cupiditatem generaliter accipiendo.

99 In primo sensu continet doctrinam in Ecclesia peregrinam & inusitatam; non in secundo sensu. Damnata proinde non est in secundo sensu, quem tradit veneranda Patrum Antiquitas, sed in primo sensu. Quem imprimis ipsa propositio secundùm se indigitat: non solùm quia (teste Cunero Petri suprà num. 31.) nomine charitatis *omnes* tunc temporis *divinam concipiebant amicitiam*, quæ sine remissione peccatorum nunquam invenitur: verùm etiam quia per *laudabilem charitatem, quâ per Spiritum sanctum in corde diffusâ Deus amatur*, charitas specialiter dicta significatur, quæ est per Spiritum sanctum inhabitantem. Ut enim Apostolus dicit: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Unde totius illius doctrinæ Assertores propositione sexagesimâ tertiâ pro eodem, vel pro inseparabiliter conjunctis accipiunt, *Spiritum sanctum cor inhabitare*, & *in eo charitatem diffundere*, dum rejiciunt distinctionem duplicis justitiæ, alterius quæ fit *per Spiritum charitatis inhabitantem*; alterius quæ fit per *inspirationem Spiritus sancti, cor ad pœnitentiam excitantis, sed nondum inhabitantis, & in eo charitatem diffundentis.*

100 Propterea etiam Bajus in Apologia ad illam propositionem conqueritur eam sibi falsò affingi, protestatus eam in primo illo sensu à suo sensu alienam esse: *Non enim dixi* (inquit) *aut laudabilem charitatem, quâ per Spiritum sanctum in corde diffusâ Deus amatur*; sed præcisè, *aut laudabilem charitatem, quâ Deus amatur, quam nisi Deus ipse non donat.* Conqueritur (inquam) Collectorem invidiosè addidisse, *quâ per Spiritum sanctum in corde diffusâ*, ut per istam expressionem *ea solùm charitas cogitetur, quæ cum remissione peccatorum invenitur.*

101 Videtur nihilominùs Collector id addendi occasionem accepisse, ex eo quòd Bajus capite 5. immediatè præcedenti insinuasset, de ea se charitate loqui, de qua Scriptura dicit: *Charitas diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Saltem debuisset Bajus magis circumspectè loqui, magisque distinctè, prout ipsemet fassus est in explicatione anno 1570. publicis in Scholis facta, agnoscens se errasse in modo loquendi Scholæ, non distinguendo inter charitatem seu bonam voluntatem, & charitatem secundùm consuetum modum loquendi Scholæ. *Charitas* enim (inquit) à Schola non aliter accipitur, quàm quomodò Paulus accipit, 1. Thimoth. 1. *Charitas de corde puro & conscientiâ bonâ, &c. hoc est charitas perfecta, quæ est actus vel habitus, quem operatur spiritus inhabitans & propitius. Et talis charitas non est in eis qui nondum habent remissionem peccatorum. Habent quidem dilectionem, quâ incipiunt Deum amare, ut loquitur Concilium Tridentinum; habent bonam voluntatem & inchoatam charitatem, licèt minimè*

perfectam. Quod Facultas Lovanienſis approbavit in declaratione ſuprà memoratâ, Nuntio Apoſtolico anno 1585. traditâ, dum cap. 11. dixit, *quòd ante ſuam juſtificationem ineſt in homine pœnitente amor aliquis juſtitiæ, eaque dilectio, quâ Deum diligere incipit; is tamen amor, qui charitatis* (juxta communem acceptionem Scholæ) *naturam aſſequitur, ſeu vera illa & ſincera charitas, quæ eſt ex corde puro, conſcientiâ bonâ & fide non fictâ, cum æternæ damnationis reatu non conſiſtit, ſemperque illa charitas, qua legis eſt plenitudo, quâ Deus ex toto corde, totâque animâ diligitur, cum peccatorum eſt remiſſione conjuncta.*

102 Charitatem itaque primo ſenſu, ſeu ſpecialiter acceptam, damnata propoſitio 38ª. ſecundùm ſe ſignificat; ſignificantiùs tamen eam deſignat conjunctio ſeu collatio ipſius cum propoſitionibus in eadem Bulla damnatis, utpote quarum Aſſertores charitatem omnem volunt eſſe perfectam, ut vidimus capite præcedenti. Siquidem propoſitione 63ª. pro eodem accipiunt, *Spiritum ſanctum cor inhabitare, & Spiritum ſanctum in eo charitatem diffundere*, ut vidimus n. 99. nullamque admittunt, ſive in ea, ſive in ſexageſima quarta propoſitione juſtitiam & charitatem ex inſpiratione Spiritûs ſancti nondum inhabitantis, quâ vivificetur peccator, dum ei pœnitentia, & novæ vitæ propoſitum & inchoatio per Dei gratiam inſpiratur. Denique propoſit. 30. 32. 70. & 71. charitatem perfectam ponunt in ipſis etiam peccatoribus remiſſionem peccatorum nondum conſecutis. Quod Bajus in Apologia ad iſtas propoſitiones proteſtatur ſe nunquam dixiſſe, nec ſenſiſſe.

103 In ſecundo verò ſenſu, generaliter utique charitatem & cupiditatem accipiendo, damnatam non eſſe propoſitionem trigeſimam octavam, doctrinamque in Eccleſia peregrinam non continere, liquidò conſtat ex eo quòd doctri-
104 na illa, ſi intellecta, probatos in Eccleſia Theologos habeat Aſſertores, veteresque Patres, imprimis Auguſtinum, cujus inconcuſſa tutiſſimaque dogmata Eccleſia declaravit.

Primò namque Auguſtinus non admittit amorem in individuo indifferentem, qui ſcilicet nec bonus ſit, nec malus, ut fatentur paſſim omnes. In Pſalmum verò 9. n. 15. dicit, quòd *amor cùm pravus eſt*, ſeu malus, *vocatur cupiditas; cùm autem rectus*, ſeu bonus, *dilectio vel charitas.*

106 Secundò innumeris locis aſſerit, voluntatem bonam nihil aliud eſſe niſi charitatem; voluntatem malam nihil aliud niſi cupiditatem, ſaltem generatim acceptam. Cùm ergo (ſecundùm Auguſt.) omnis voluntas (ſumpta pro actu) vel bona ſit, vel mala, ſive bonus amor, vel malus; perſpicuum eſt quòd omnis amor voluntatis, vel ſit charitas generatim accepta, vel cupiditas. Mirum eſt enim (inquit l. 2. de peccator. merit. c. 18.) *ſi poteſt in medio quodam voluntas conſiſtere, ut nec bona ſit nec mala. Aut enim juſtitiam diligimus* (*id eſt Deum*, ut exponit cap. præcedenti, dicens, *quòd delectatio juſtitiæ, eſt delectatio quâ amatur Deus... Author omnium bonorum, adeòque charitas; ut enim diligamus Deum, charitas diffunditur in cordibus noſtris, &c.*) *aut juſtitiam nullo modo diligimus? quis verò dubitet voluntatem nullo modo juſtitiam diligentem... eſſe malam?... ſi ergo voluntas aut bona eſt, aut mala, & utique malam non habemus à Deo, reſtat ut bonam habeamus ex Deo.* Si inquam *omnis voluntas* in actu (non enim loquitur de voluntate in potentia, uti liquidò conſtat ex contextu) ſive omnis amor voluntatis, *aut ad bonam voluntatem pertinet, aut ad malam*, (prout concludit ibidem) conſequens eſt quòd vel ad charitatem, ſaltem generaliter ſumptam, pertineat, vel ad cupiditatem.

Tertiò, juxta Aug. l. 3. doctr. chriſt. c. 10. 106
non præcipit Scriptura niſi charitatem, nec culpat niſi cupiditatem, & eo modo informat mores hominum. Aliud verò præciperet ſeu commendaret, præter charitatem, vel aliud culparet præter cupiditatem, ſi juxta ipſum daretur amor medius inter utramque; utpote quem Scriptura vel commendaret, vel culparet, ut mores hominum plenè informaret.

Quartò, juxta eundem Auguſtinum, & 107
Apoſtolum, radix omnium bonorum eſt charitas, radix omnium malorum cupiditas. Siquidem *Apoſtolus dicit, radicem omnium malorum eſſe cupiditatem, dans utique intelligi radicem omnium bonorum eſſe charitatem*, l. de grat. Chriſt. c. 20. Quod etiam docent Fulgentius Serm. de char. Innocentius III. in Encomio charitatis, Alanus Magnus in Sum. de arte præd. c. 20. Petrus Bleſenſis de charit. Dei & prox. c. 42. Sed charitas non eſſet radix omnium bonorum, & cupiditas malorum, ſi daretur amor medius. Siquidem medius iſte amor, ſi daretur, ſecundùm Auguſtinum vel foret bonus vel malus; ex neutra tamen radice illa procederet, imò foret radix media inter charitatem & cupiditatem; foret (inquam) radix media aliquorum affectuum & actuum bonorum vel malorum, qui ex ipſo procederent. Igitur charitas non foret radix omnium bonorum, & cupiditas malorum.

Quintò, juxta eundem Auguſtinum *regnat* 108
carnalis cupiditas, ubi non eſt Dei charitas. Enchirid. 117. Ergo juxta Auguſtinum non datur amor medius. Aliàs abſente charitate, non eſſet conſequens cupiditatem regnare; cùm amor iſte medius ſubinde regnare poſſet.

Sextò, Auguſtinus l. 9. de Trin. c. 7. om- 109
nem amorem expreſſiſſimè dicit, vel eſſe charitatem, vel cupiditatem, omnem amorem adæquatè dividendo in amorem Creatoris, & amorem creaturæ, quorum ille charitas, iſte ſit cupiditas. Sic enim diſcurrit: *Nemo volens aliquid facit, quod non in corde ſuo priùs dixerit*, verbum ipſius in corde concipiendo, *quod verbum amore concipitur, ſive creaturæ, ſive Creatoris. Ergo aut cupiditate aut charitate.* Quaſi dicat: Nemo volens aliquid facit, *quod*

non amore facit. Atqui omnis amor vel est creaturæ vel Creatoris : si creaturæ, est cupiditas ; si Creatoris, est charitas. Nemo ergo volens aliquid facit, quod aut cupiditate, aut charitate non facit.

110 Septimò, Author libri de substantia dilectionis, apud Augustinum tom. 6. cap. 5. dicit, quòd *omne quod præter ordinatam charitatem agitur, est inordinata cupiditas*, totoque illo libro (quem Trithemius Abbas esse credit Hugonis à S. Victore) amorem adæquatè etiam dividit in charitatem & cupiditatem.

111 Octavò, Leo Magnus serm. 5. de jejun. 7. mens. amorem etiam adæquatè dividit in ordinatum amorem Dei, & inordinatum amorem mundi, seu creaturæ : *Duo amores sunt, ex quibus omnes prodeunt voluntates* (est igitur adæquata divisio) .... *Rationalis enim animus, qui sine dilectione esse non potest, aut Dei amator est, aut mundi. In dilectione Dei, nulla nimia*, id est inordinata ; *in dilectione mundi, cuncta sunt noxia*, quia cuncta inordinata.

112 Nonò, S. Fulgentius l. 1. ad Monim. c. 18. *Voluntas creaturæ rationalis sine qualicumque amore esse non potest, nec sic potest diligere, ut amorem suum non velit ad aliquid religare. Quæ inter summum bonum, à quo creata est, & infimum bonum, cui prælata est, medio quodam loco posita, aut in infimo bono necesse est miserabiliter jaceat, aut in summo bono veraciter conquiescat.* Atqui, si primum, est charitas : si secundum, cupiditas.

113 Decimò, Gregorius Magnus l. 18. Moral. c. 8. similiter dicit, quòd *esse sine delectatione animæ non potest. Nam infimis delectatur, aut summis.* Ubi delectationis nomine amorem intelligit, sine quo delectatio esse non potest. Sensus proinde est quòd sine amore anima esse non potest : nam vel creaturas amat, vel Deum : Creaturarum verò amorem, in eis requiescentem, ibidem statim improbat ex Joanne dicente, *Nolite diligere mundum.* Solum proinde amorem in Deo conquiescentem probat, id est amorem Dei propter se, vel creaturæ propter Deum. Igitur omnis amor ordinatus, secundùm Gregorium, vel est amor Dei propter se, vel creaturæ propter Deum, adeòque est charitas, saltem generatim accepta ; omnis verò alius amor est amor culpabilis, seu cupiditas, sumpta generaliter pro amore alicujus boni non propter Deum.

114 Undecimò, doctrinam illam sanctorum Patrum sequuntur probatissimi Theologi, quotquot utique docent, omnem amorem ordinatum esse debere propter Deum, omnemque actum deliberatum ad ipsum esse finaliter referendum. Quorum agmen ingens l. 6. 7. & 8. proferemus, contenti hìc referre Eminentissimum D. Cardinalem Bona in lib. de princip. vit. christ. (Romæ cum approbatione Magistri S. Palatii excuso) p. 2. §. 38.

115 Duodecimò, eamdem suam fecit Facultas Lovanienſis, cum reliquisque doctrinæ suæ articulis Innocentii XI. judicio anno 1677. submisit. Siquidem inter articulos illos isti fuerunt : *Vocem, charitas, tametsi aliqui Scholastici accipiant pro sola Dei dilectione, quæ est nostra cum Deo per peccatorum remissionem amicitia, sancti Augustinus & alii Patres, eam sumere solent pro quavis supremi boni casta propter se dilectione. Quasi verò* (inquit Augustinus) *aliud sit bona voluntas, quàm charitas. Hinc idem S. Doctor distinguit charitatem natam, nutritam, adultam, robustam, perfectam.... Quæ distinctio placet frequenter & S. Thomæ. Itaque charitas & cupiditas generatim sumpta, non sunt aliud quàm bona & mala voluntas. Sunt bona & mala radix ; quarum hæc solos malos, illa proferre possit solos bonos fructus.* In qua doctrina post districtum examen, nulla inventa est iniquitas. Imò cùm æmuli Lovanienſium, tempore examinis, Romæ spargerent eam censurâ notandam, ideòque Deputati Lovanienses ab uno ex Eminentissimis Cardinalibus, ad examen Deputatis, petiissent, foretne aliquod censuræ periculum ? Eminentissimus securos esse jussit, dicens : *Nullum est periculum, nos satis benè intelligimus, hoc fieri à cupiditate, quod non sit à charitate :* sic refert Eximius D. Franciscus Vianæus, Deputatorum Lovanienſium unus (qui hoc ipsum ex ore istius Emin. Cardinalis accepit) tr. 2 de ordine amoris.

Cùmque eamdem doctrinam Thesibus suis 116
inseruisset perillustris D. Henricus Denis, Canonicus Theologus Leodienſis, hisce verbis : *Condemnat lex æterna quidquid ex cupiditate fit, & consequenter quidquid non ex Dei dilectione : quidquid enim fit, aut charitate fit, aut cupiditate* ; Theseſque istas ad S. Inquisitionem Romanam PP. Societatis detulissent : nullam in eis doctrinam reprehensione dignam sese reperisse Eminentissimi Cardinales, Generales Inquisitores, Nuntio Apostolico Colonienſi rescripserunt, atque ut de eo Serenissimum D. Electorem Colonienſem certiorem faceret, jusserunt, prout ex ejus Nuntii se accepisse Excellentissimus D. Baro de Karg, Serenissimæ Celsitudinis suæ Cancellarius, laudato perillustri D. Denis significavit per litteras originales, quas vidi. Ipse etiam Serenissimus Elector R. P. Ludovico de Sabran scripsit 6. Octobris 1699. *Romam non improbasse* ipsius Theses. Cùm enim S. S. C. P. Sabran misisset ejusdem perillustris Viri Scripta per S. Facultatem Theologicam Colonienſem censuranda, Serenissimus Elector respondit, se nolle ut Censura Sacræ istius Facultatis, si qua ferret Articulos perillustris istius Professoris, lucem publicam videret, nisi prius de ipsa certior factus esset S. Pontifex, vel ipsius Coloniæ Minister, *ne* (inquit Serenissimus Princeps) *id accidat incommodi, ut Roma non improbet, quod in Diœcesi nostra judicassemus censurâ notandum, prout antehac contigisse circa Theses ejusdem, quem denuntias, Professoris, non ignoras.* Verùm sicut Romæ perillustris ille Professor, sic & Coloniæ triumphavit : nihil quippe reprehensibile in scriptis

ipsius, post maturum examen, se invenisse, authentico testimonio Facultas Colonienſis declaravit.

117 Certissimum proinde est trigesimam octavam propositionem in secundo sensu non esse damnatam, nec Authorem speciminum doctrinæ per Belgium manantis p. 2. c. 3. §. 1. validè in contrarium arguere, hoc modo: Propositio illa damnata est in sensu Baii, qui eam asseruit l. de charit. c. 6. sed charitatem Bajus intellexit in secundo sensu, non in primo: Neque enim per charitatem aliud intellexit, nisi dilectionem Dei supernaturalem, abstrahendo à perfecta & imperfecta. Nec cum fundamento dici potest, quòd voluerit, omnem amorem creaturæ rationalis, vel esse perfectam charitatem, vel vitiosam cupiditatem: cùm veri nominis charitatem agnoverit, quæ perfecta non sit. Toto namque cap. 8. ostendit dari initium charitatis, seu initiatam charitatem, quæ deinde crescat in perfectam. Et in ipso titulo capitis 9. dicit, *quòd ipsa charitas non simul tota detur, sed in proficientibus paulatim crescat.*

118 Istius namque argumenti imbecillitas demonstratur, negando majorem, si Bajus propositionem illam revera intellexerit in secundo sensu, non in primo. Neque majorem illam speciminum Author benè probat hoc modo: Damnata est in sensu ab Authore intento: ergo in sensu Baii. Tum quia sic retorquetur: Damnata est in sensu ab Assertore intento: ergo in sensu Augustini, qui eam tradidit, locis suprà relatis. Hoc autem dici non potest, nisi promovendo calumniam hæreticorum, quam retundere, non promovere, munus est Theologi, Romanam Ecclesiam Matrem suam amantis. Tum quia Bulla Piana non dicit, *in sensu ab Assertore*, sed, *ab Assertoribus intento*, iis utique quos propositionem illam in primo sensu intellexisse demonstravimus. Enimverò eam Pius non damnavit nisi in sensu inusitato, atque in Ecclesia peregrino, non in sensu priscis Patribus, Theologisque probatissimis usitatissimo, in quo vel ipse Pius V. ait propositionem illam sustineri posse.

119 Alio insuper peregrino sensu propositio illa damnata dici potest, si utique sic intelligatur, ut omnis amor creaturæ rationalis secundùm speciem suam, vel vitiosa sit cupiditas, vel laudabilis charitas, nulli proinde dentur actus, nec affectus naturales secundùm speciem suam & officium moraliter boni. Quod profectò non est verum, nec à sanctis Patribus, vel probatis Theologis traditum: siquidem voluntas v. g. operiendi nudum, in homine infideli, amorque naturalis erga communem naturam, & similes affectus, secundùm speciem suam & objectum moraliter boni sunt, in Deumque referibiles, neque tamen charitas sunt, neque cupiditas. Nec ullibi à S. Augustino *cupiditas* appellantur, considerati secundùm speciem, sed secundùm circumstantiam, seu defectum relationis in Deum; qui defectus tametsi vitiosus, non vitiat actum ex se bonum, sed agentem complexumque ex actu & illo defectu.

Atque ex his facilè intelligitur, quo sensu 120
per Decretum Alexandri VIII. damnata sit hæc propositio: *Omnis humana actio deliberata, est Dei dilectio, vel mundi: si Dei, charitas Patris est; si mundi, concupiscentia carnis; hoc est, mala est.* Cùm enim vix differat à Bajana 38. eodem sensu, primo utique vel tertio proximè dicto, non secundo damnata est. Illudque præterea habet malè expressum, quòd id dicat de omni actione, quod Bajana de omni amore; & omnem cupiditatem exprimat nomine *concupiscentiæ carnis*; cùm esse possit non solùm concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ (quæ tres concupiscentiæ secundùm se malæ sunt) sed & amor, secundùm se, sive secundùm speciem suam & officium, vel indifferens, vel etiam moraliter bonus.

CAPUT X.

Per eamdem regulam ostenditur concordia doctrinæ veterum Patrum, probatorumque Theologorum (asserentium Dei propter se, etiam super omnia, dilectionem ante Sacramenti susceptionem, non semper esse conjunctam cum remissione peccatorum) cum censura propositionis trigesimæ secundæ, Charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum. *Et trigesimæ tertiæ,* Catechumenus justè, rectè & sanctè vivit, & mandata Dei observat, ac legem implet per charitatem, ante obtentam remissionem peccatorum, quæ in Baptismi lavacro demùm percipitur.

NOn omnem Dei propter se super omnia 121
dilectionem esse charitatem perfectam, sed utplurimùm imperfectam; non omnem proinde Dei propter se dilectionem, etiam super omnia, conjunctam esse cum remissione peccatorum, priusquàm Sacramentum actu suscipiatur, ex divina Scriptura, communi veterum Patrum traditione, Conciliis, Catechismo Romano, probatissimisque Theologis, Guilielmo Parisiensi, S. Thoma, Doctore subtili, Joanne Firschero Martyre & Episcopo Roffensi, Adriano VI. Petro Soto, Cajetano, Alfonso Virvesio, Mathia Bredenbachio, Bellarmino, Joanne Lensco, Molano, Estio, Sylvio, Morino, Cardinale Pallavicino, &c. demonstrabimus (Deo dante) dum de Pœnitentia tractabimus.

Nisi ergo Author speciminum (de quo cap. 122
præcedenti) sustinere velit calumniam hæreticorum, culpare non potest eos qui dicunt propositiones trigesimam secundam & trigesimam tertiam damnatas non esse intellectas de charitate imperfecta, etiam super omnia (quod profectò demonstrat allata regula: cùm sic intellectæ non contineant doctrinam in Ecclesia peregrinam, sed in ea receptissimam usitatissimamque) sed intellectas de charitate perfecta,

quam

quam significant verba ista propositionis trigesimæ secundæ, *charitas quæ est plenitudo legis*; & manifestiùs significat conjunctio duarum illarum propositionum cum 31. 70. & 71. quibus Assertores totius illius doctrinæ expressè aiunt, charitatem perfectam non semper conjunctam esse cum remissione peccatorum; imò cum æternæ damnationis reatu consistere. Quod in Ecclesia prorsus est inauditum, hæreticum, Concilioque Tridentino sess. 14. c. 4. Patribusque & Theologis omnibus adversum, meritò proinde à Pio V. damnatum.

123 Nec mirum in eo ipsos errore fuisse. Cùm ex dictis cap. 8. & 9. solam admiserint charitatem perfectam, famosèque dictam, per Spiritum sanctum inhabitantem. Quam (paradoxo inaudito) præcedere voluerunt peccatorum remissionem.

124 Non audiendus proinde speciminum Author, dum p. 2. c. 4. §. 4. solitam repetit cantilenam: Propositiones illæ damnatæ sunt in sensu Baii, qui Opusculo de charit. c. 7. dicit, *quòd is animi motus, qui charitas dicitur, remissionem peccatorum præcedere possit.* Unde enim probat, damnatas esse in sensu Baii? Ex eo (inquit) quòd damnatæ sint in sensu *ab Assertore intento.*

125 Sed cur Bullam alterat? cur dicit *in sensu ab Assertore intento*, cùm hoc Bulla non dicat; sed, *in sensu ab Assertoribus intento*? Cur Bajum nominat, cujus nomini parcitum Bulla voluit? Hoc quod capite illo 9. Bajus dicit, de perfecta charitate non dicit, sed de imperfecta, quam Bajum agnovisse, speciminum Author fatetur ibidem c. 3. §. 1. ut capite præcedenti vidimus. Si charitatem imperfectam admisit, de ea convenienter intelligitur quod cap. 7. dicit: sic enim ipse declarat in Apologia sua ad hanc propositionem trigesimam primam. *Charitas perfecta & sincera, quæ est ex corde puro, & conscientiâ bonâ, & fide non fictâ, tam in Catechumenis, quàm in pœnitentibus, potest esse sine remissione peccatorum.* Quam ex capite illo 7. malè collectam fuisse conqueritur. Quia (inquit) *ibi solùm conatus sum ostendere, bonum animi motum, qui ante remissionem peccatorum ex Christi dono in peccatoribus reperitur, etiam in Scripturis sacris nomine dilectionis seu charitatis significari, & manifestè ab Augustino doceri.* Quid enim boni cupiditas, nisi charitas? inquit l. 2. contra duas epist. Pelag. c. 9. *loquendo de imperfecta boni cupiditate. Sed quia hoc Collector proponere damnandum non audebat; ideò ut aliquid adversum nos dicere videretur, hanc propositionem, quæ & falsa est, & à nostro sensu prorsus aliena (audis?) per calumniam nobis affinxit, quasi videlicet unquam somniassemus, perfectam charitatem ex corde puro & conscientia bona in iis reperiri, qui peccatorum remissionem nondum sunt consecuti. Nam perfecta charitas foras mittit timorem, qui abesse non potest, quamdiù manet reatus æternæ damnationis. Et ubi nondum est peccatorum remissio, non potest esse bona & tranquilla conscientia.* Idem repetit in Apologia ad propos. 70. & 71. (quæ apud ipsum sunt 67. & 68.) aiens se nunquam dixisse, aut sensisse, quòd charitas perfecta non semper conjunctam habeat remissionem peccatorum.

Fatetur tamen, quòd propter hæreticos, 126
qui, sequentes doctrinam Wicleffi, sic omnia tribuunt fidei, ut Sacramentis nihil tribuant, & propter abusum, qui apud multos Sacerdotes invaluerat, celebrandi sine Confessione, non solùm dum Confessionem excludit necessitas, seu defectus Confessarii; verùm etiam dum (habitâ copiâ Confessarii) Confessionem excludit justa aliqua ratio, qualem subesse plures (inquit) censebant in casu v. g. quo Regularis in fornicationem lapsus præsentem non haberet nisi Confessarium sæcularem: quo casu contendebant, & scripto etiam defendebant, posse cum contritione, & Confessionis propósito, sine actuali Confessione celebrare, ne sæcularis infirmitates fratrum cognosceret. Fatetur (inquam) quòd propter hæc, docendo & disputando, magis in eam partem propenderit, quæ, inquit, negari non potest & utilior esse in Ecclesia, & tutior, *nempe quòd regulariter, extra duos illos casus (necessitatis, & Martyrii) non daretur remissio peccatorum sine actuali perceptione Baptismi, aut reconciliationis; eo quòd nemo de se præsumere deberet,* se habere contritionem, vel charitatem perfectam. *Quas duas sententias audivi aliquando ex consensu omnium Magistrorum nostræ Facultatis probari. Unde etiam scriptum reliquit D. Ruardus to. 2. articulorum, quòd præsumptio & temeritas esset, expectare à Deo remissionem peccatorum* (regulariter loquendo) *sine his Sacramentis, quando ea necessitas non excludit: licèt nunc non desint, qui confidentiâ Litterarum Apostolicarum* (malè intellectarum) sive Bullæ Pianæ, *audeant palàm asserere, certum esse, quòd quisquis diligit Deum super omnia, hoc ipso habeat remissionem peccatorum. Quod quomodo consonet iis Doctoribus, qui docent, hominem posse diligere Deum super omnia ex solis naturæ viribus, sine gratia, disputandum relinquo.*

Certè Thomas Waldensis, extra duos prætactos 127
casus, usque adeò urget necessitatem Sacramentorum, ut etiam Cornelium Centurionem, & alios charitate flagrantes, dicat non habuisse remissionem peccatorum, nisi in perceptione Sacramentorum, idque in eo libro, qui per Martinum V. in Consistorio Cardinalium, contra hæresim Wicleffi approbatus est.... Idem doceri videtur in Actis, ubi Paulus sibi, priùs ingenti devotione converso, dictum ab Anania refert: « Et nunc quid moraris? exurge & baptizare « & ablue peccata tua, invocato nomine Jesu. « *Si enim Apostolus post tantam animi conversionem, peccata sua debebat abluere, miror quis, extra casum necessitatis, audebit sibi de remissione peccatorum abblandiri. Augustinus etiam magnâ animi devotione ad Deum conversus erat, ut refert in suis Confessionibus, & tamen auda-*

cter pronuntiat, peccata sibi in Sacramenti susceptione demùm remissa. „ Unde lib. 9. c. 2. „ Hoc peccatum, *inquit*, cum cæteris horrendis „ & funereis in aqua sancta ignovisti, & remisisti mihi. Et eod. l. c. 4. Ea fides me securum „ esse non sinebat de peccatis meis, quæ mihi „ per Baptismum tunc remissa nondum erant. „ Idem tr. 8. in Joan. Quantumcumque Catechumenus proficiat, adhuc sarcinam suæ iniquitatis portat, non illi remittitur, nisi cùm venerit ad Baptismum. Quæ autem Baptismatis, „ eadem & reconciliationis est ratio, *ut idem* „ *Augustinus priori libro de adulter. conjug.*

128 *Ex quibus colligimus, neminem relapsum in crimina regulariter posse præsumere, se extra casum necessitatis, remissionem peccatorum accepisse sine actuali reconciliatione, sicut etiam docet Hugo de S. Victore, & Bernardus epist. 77... Hos secutus Jacobus Latomus lib. de confessione secreta, ostendit ex Veteribus, quòd remissionem peccatorum in cœlis regulariter præcedere debeat remissio eorumdem quæ fit in terris.* Nihil ergo novum, nihil singulare, nihil in Ecclesia peregrinum quoad hoc docuit Bajus; nihil nisi quod prisci Patres tradiderunt, nihil proinde à Pio V. damnatum, nisi cum hæreticis dicere velis, à Pio V. damnatam sententiam veterum Patrum.

CAPUT XI.

Augustinianæ de Gratia & Charitate doctrinæ concordia cum Censura propositionis 34. Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur ut Author naturæ; & gratuiti, quo amatur ut Beatificator, vana est, & commentitia, & ad illudendum sacris Litteris excogitata. *Et* 36. Amor naturalis, qui ex viribus naturæ exoritur, ex sola Philosophia per elationem præsumptionis humanæ, cum injuria Crucis Christi, defenditur à nonnullis Catholicis.

129 SUnt qui ex damnatione propositionum istarum certum putant, dari amorem Dei propter se (saltem ut Authoris naturæ) effectivè naturalem, sive ex solis naturæ viribus ortum; imò Molina pluresque cum ipso Recentiores censent, hominem naturæ viribus posse Deum propter se diligere super omnia, fundantque se in propositionum illarum damnatione.

130 Verum-enimverò vehementer decipiuntur. 1°. Quia suprà memoratæ hæreticorum calumniæ incautè patrocinantur. 2°. Duæ illæ propositiones gravissimorum Theologorum judicio solùm damnatæ sunt propter audaciam, acerbitatemque censuræ. 3°. Si damnatæ sint propter doctrinam, ex damnatione equidem propositionis trigesimæ sextæ confici nequit, dari amorem Dei propter se effectivè naturalem, multo minùs amorem Dei propter se super omnia; utpote quæ nedum amorem Dei super omnia, nedum amorem Dei propter se, sed ne amorem quidem Dei nominat. Nec idipsum confici potest ex damnatione propositionis trigesimæ quartæ, quia non nominat etiam amorem Dei super omnia, nec propter se, sed præcisè amorem Dei, ut Authoris naturæ: ex ipsius proinde damnatione ad summum conficitur, negandum non esse amorem Dei ut Authoris naturæ, objectivè naturalem, nec invidiosè notandam distinctionem duplicis amoris Dei, petitam ex parte objecti, quorum unus sit objectivè naturalis, quo scilicet Deus amatur ut Author naturæ; alter objectivè supernaturalis, quo Deus amatur ut Beatificator.

Si itaque trigesima quarta & trigesima sexta 131
damnatæ sint ob doctrinam; trigesima quarta solùm damnata est, quatenus negat amorem Dei, ut Authoris naturæ, objectivè naturalem; trigesima sexta, quatenus generaliter negat amorem naturalem, sive ex objecto bonum, qui ex naturæ viribus oriatur; cùm tamen fatendum sit talem esse amorem, quo v. g. infidelis alienæ compatitur miseriæ, quo sponsa diligit sponsum, vel filius patrem, &c. vel utraque damnata est, quatenus negat amorem Dei propter se, qui non procedat ex gratia per Spiritum sanctum inhabitantem, uti colligitur ex collatione cum aliis propositionibus, juxta dicta c. 8. & 9., dicendaque capite sequenti. Priorem responsionem in Congregatione de Auxiliis die 19. Augusti 1602. coram Clemente VIII. adhibuit Prædicatorum Generalis. Cùm enim Bullam Pii V. & Gregorii XIII. adversus Bajum Valentia allegasset, velut apertam Molinianæ sententiæ definitionem, quòd in ea distinctio duplicis amoris definita sit; laudatus Generalis, nemine contradicente, respondit, multum abesse, ut eam Molinæ doctrinam Gregorius XIII. definierit: quia licèt distinctionem duplicis amoris agnoverit; de viribus tamen liberi arbitrii in amoris, objectivè naturalis, actibus eliciendis, nihil decrevit, ut videre est apud Authorem Historiæ Congregat. de Auxil. l. 3. c. 12. pag. 426.

Et quomodò damnata est sententia, sic ad- 132
mittens duplicem Dei propter se amorem, quorum alter objectivè sit naturalis, ut tamen omnis Dei propter se amor à Deo sit effectivè per gratiam, nullus ex homine (saltem in hoc statu naturæ corruptæ) per naturam; cùm ista sit Augustini sententia tam certa, tamque constanter ab ipso tradita, ut in istius veritatis assertione fundaverit suam de Pelagianis victoriam, & alioqui Pelagianos victores pronuntiaverit, uti vidimus Prolegom. 3. c. 19. n. 170. & 171.; eademque sit sententia Spiritûs sancti in sacris Litteris, sicut & Conciliorum, summorum Pontificum, veterumque Patrum, uti suo loco videbitur?

Et quid de opinione Molinæ, admittente 133
amorem Dei propter se super omnia, ex solis naturæ viribus, S. Congregatio de Auxiliis censuit? Teste laudato Authore Histor. Congreg. de Auxil. l. 2. c. 2. die sexta Februarii 1598. censuit, *propositiones, quibus Molina sustinet, homi-*

hominem viribus naturæ posse diligere Deum super omnia quoad substantiam actûs (id est non ut oportet ad justificationem & salutem) esse Pelagianas; vel de Pelagianorum reliquiis. Et ideo retinentes sanctissimas Conciliorum definitiones, ac Patrum sententias, ac doctrinam venerantes, illas omninò improbandas & rejiciendas esse existimamus.

134 Et die 26. Febr. 1601. Congregatio tractans de decima Molinæ propositione: *Potest homo solis viribus naturalibus liberi arbitrii, & concursu generali Dei, elicere actum absolutum merè naturalem dilectionis Dei super omnia, qui ad justificationem nequaquam sufficiat, & pari ratione propositum absolutum placendi Deo in omnibus, servandique mandata omnia naturalia, obligantia sub culpa lethali, tametsi & hunc, & quemcumque alium actum virtutis moralis, multo facilius & promptius potuerit elicere homo naturæ integræ, quàm modo possit homo naturæ corruptæ.* Hanc propositionem istâ censurâ notavit: *Hæc fuit sententia Cassiani, quam impugnavit S. Prosper l. contra Collat. c. 27. & 30. Et l. de ingrat. significat relabi in eorum errorem, qui negabant per peccatum originale fuisse læsum & vulneratum liberum arbitrium, Pelagianos intelligens. Eamdem impugnat Augustinus l. 2. ad Bonifac. contra duas ep. st. Pelag. c. 8. & 10. & alibi. Quam etiam condemnat Concilium Milevitanum can. 4. Arausicanum II. can. 25. & Tridentinum sess. 6. c. 6. &c.* Videatur memorata Historia l. 2. c. 16. Videatur & c. 19. ubi sic: *Die 10. Maii 1601. Congregatione vigesima septima actum de decima propositione Molinæ* (de qua proximè) *eaque expensâ, & censurâ in illam, necnon rationibus à PP. Jesuitis in defensionem præfatæ propositionis, post maturam consultationem, censuerunt omnes, duobus exceptis, persistendum in censura, & ita subscripserunt.* Et l. 3. c. 12. iteratò narrat quòd *die 19. Augusti 1602. rursus actum est de decima propositione Molinæ, pro qua cùm Valentia allegasset Bullam Gregorii XIII. de distinctione duplicis amoris: Respondit Prædicatorum Generalis, multum abesse, ut eam Molinæ doctrinam Gregorius XIII. definierit, quia licèt distinctionem duplicis amoris agnoverit, de viribus tamen liberi arbitrii in amoris naturalis actibus eliciendis nihil decrevit.* Unde die sequenti Congregatio censuit, *ex doctrina S. Augustini ex professo tradita contra Pelagianos, & eorum reliquias, multis locis, & ex Conciliis Milevitano can. 4. & Arausicano II. can. ult. & Tridentino sess. 6. can. 6. & cap 7. non posse hominem in statu naturæ lapsæ, sine speciali divinæ gratiæ adjutorio, diligere Deum, neque ut Authorem naturæ, neque ut largitorem gratiæ & gloriæ, neque perfectè, neque imperfectè; Et hanc sententiam S. Augustini, esse doctrinam Ecclesiæ, atque ab illa omninò defecisse Molinam.*

Et ibidem c. 16. ex Actis Secretarii narrat, quòd die 10. Decembris 1602. Congregatio iterùm censuit, hanc conclusionem, *Homo ex solis viribus naturæ potest diligere Deum super omnia, esse Pelagianam absolutè prolatam, sive intelligatur de dilectione Dei, ut Author est bonorum supernaturalium, sive ut Author naturæ, sive de perfecta, sive de imperfecta & inchoata dilectione Dei.*

Et quia alleganda in sequentibus divinæ 135
Scripturæ Patrumque testimonia, necnon Summorum Pontificum Conciliorumque definitiones, non solùm pro necessitate gratiæ ad amandum Deum propter se, sive perfectè, sive imperfectè & inchoatè, sed & pro necessitate ejusdem ad singulos actus moraliter omni ex parte bonos, nullaque ex parte defectuosos; quia (inquam) testimonia illa, definitionesque, Molinistæ enervare se putant, ea glossando de necessitate gratiæ ad amandum Deum, vel actum omni ex parte moraliter bonum salubriter efficiendum, sive utiliter ad justificationem, sicut oportet ad salutem &c. non abs re erit, nec injucundum veritatis amatori, videre glossam istam radicitùs evulsam per judicium ejusdem S. Congregationis.

Laudatus ergo Historicus l. 3. c. 9. narrat, 136
die 8. Julii 1602. in Congregatione (quæ secunda fuit coram Clemente VIII.) actum de hac Molinæ propositione: *Cùm solo concursu generali Dei, absque alio dono, vel auxilio gratiæ, potest homo efficère opus bonum morale, quod fini naturali hominis accommodatum sit, atque comparatione illius sit verè bonum, ac virtutis opus; non tamen quod fini supernaturali sit accommodatum, quodque comparatione illius bonum simpliciter, ac virtutis opus dici queat.* Circa quam propositionem cùm Thomas de Lemos pluribus ex Augustino testimoniis ostenderet, nullam sine speciali Dei dono dari posse virtutem, etiam in ordine moris; idemque esse Molinæ ac Juliani Pelagiani judicium in illa propositione: Reponente Valentiâ, controversiam, Augustinum inter & Julianum olim habitam, de virtutibus Deo acceptis, & fini supernaturali accommodatis dumtaxat intelligi posse, quasi eas solas, non item morales, ex Dei dono esse contendisset S. Doctor: *loquentem* (inquit Historicus) *interpellavit Sanctissimus Pontifex, dicens: Profectò S. Augustinus contra Julianum non disputabat, nisi de virtutibus moralibus, quas Julianus dicebat reperiri in Ethnicis, & impiis hominibus. Nec potuit usque adeò desipere, ut putaret fuisse in Ethnicis veras virtutes fini supernaturali accommodatas. Sed ideò impugnabatur ab Augustino, quia contendebat hominem sine gratia posse operari bene moraliter propter Deum, quod similiter asserit Molina.*

Addit Historicus, post multa hinc inde in- 137
ter Lemosium & Valentiam circa hoc disputata, ventùm ad alteram disputationem: *An virtutes morales sine fide & charitate verè virtutes dici possint?* atque ex S. Thoma Lemosium ostendisse, *posse in homine sine gratia esse virtutes quasdam imperfectas morales, id est, quasdam inclinationes naturales ad opera aliqua de genere bonorum facienda; veras autem virtutes*

morales, cùm sint connexæ, sine gratia haberi non posse, Generalemque Prædicatorum subjunxisse, nihil ex celebri loco Apostoli, *Gentes quæ legem non habent*, &c. nihil etiam ex Bulla Pii V. & Gregorii XIII. extundi posse, quod Molinæ vel leviter faveat. Unde Congregatio censuit, propositionem Molinæ *cum solo concursu generali*, &c. num. præcedenti relatam, *esse contra expressam doctrinam S. Augustini l. 4. contra Julian. c. 5. neque excusari aliquo modo posse ab errore, non obstantibus ex adverso productis à Patribus Societatis, scripto & voce.*

138 Cap. XI. refert, quòd die 6. mensis Augusti 1602. actum est de quinta Molinæ propositione, videlicet: *Negari non potest complurium esse Scholasticorum sententiam, liberum arbitrium nostrum, cum solo concursu generali Dei, elicere posse non solùm actum attritionis naturalem, id est, dolorem de peccatis ex Dei timore, cum proposito amplius non peccandi lethaliter, sed etiam actum contritionis naturalem, qui idem propositum non peccandi amplius lethaliter includat.* Quòdque eam Lemos confutarit ex can. 5. sess. 14. Concilii Tridentini, *si quis dixerit eam contritionem, &c.* Quem nodum ut solveret Valentia, respondit, Concilium loqui de contritione pia & salutari; Molinam autem de contritione morali locutum esse. Quem idcircò Pontifex interpellavit: *Dicas mihi; illa contritio, à Molina tot circumstantiis circumscripta, estne fructuosa? Placetne Deo?.... Si est fructuosa, & Deo acceptabilis, negare non poteris esse donum Dei, & ex inspiratione & adjutorio Dei elici; non autem ex solis viribus naturæ. Si non est fructuosa, neque Deo placet, benè colligebat Lemos, quòd Molina docuerit, ejusmodi contritionem esse insufficientem, quod est contra Decretum Concilii Tridentini.* Dicente autem Valentiâ eam contritionem esse fructuosam moraliter, non utiliter ad gratiam & salutem. Reposuit Pontifex: *Isto modo etiam colere agros, plantare vineas... & alia hujusmodi opera vitæ civilis sunt fructuosa; sed hoc non est respondere ad interrogata. Quæro igitur à te, an illa contritio Molinæ sit fructuosa, pia, & Deo acceptabilis?* Idem ut antè respondit Valentia, addens tamen, contritionem à Tridentino memoratam ideò dici præparare ad gratiam, adeòque gratiæ tribui, quia est cum spe veniæ. Sed replicante Lemosio, spem veniæ à Molina naturæ viribus pariter tribui tamquam fructum naturalem contritionis ab ipso descriptæ: non habuit Valentia quod responderet, nisi Molinam de spe morali, non christianâ locutum. Unde dimissis Prædicatoribus & Jesuitis, resolvit Congregatio: *fuisse expressam sententiam Molinæ, ab ipso ex professo traditam, quòd homo in statu naturæ corruptæ possit ex solis viribus naturalibus, absque ullo gratiæ divinæ speciali adjutorio, dolere de peccatis (cum proposito absoluto amplius non peccandi lethaliter) non solùm ex timore gehennæ, sed etiam ex consideratione bonitatis divinæ, & amore ipsius Dei super omnia. Quam sententiam adversari doctrinæ S. Augustini, & Ecclesiæ Catholicæ definitionibus, potissimùm in Concilio Arausicano & in Tridentino editis, ex multis conclusum est.*

Capite verò 24. ad rem propiùs veniens, ad 139
evellendam (inquam) radicitùs elusionem, de qua suprà num. 135. narrat, quòd die 23. Junii 1603. ad discutiendas solitas Jesuitarum responsiones, Congregationi propositum fuit à Pontifice hoc dubium: *An bona opera nostra moralia, nedum bona ex genere & objecto, ac ex officio, & nedum semotâ omni malâ circumstantiâ, sed econtrà vestita omnibus bonis circumstantiis, non dicantur bona, nec secundùm Deum Authorem naturæ & gratiæ, nec ad pietatem pertinere, nisi sint facta ex motivo fidei & pietatis supernaturalis, quamvis facta sint suppositâ fide, & intuitu & consideratione justitiæ Dei scelera punientis, & beneficiorum Dei miserentis, & tam copiosè præmiantis, & præsertim consideratione beneficii effusionis proprii sanguinis in cruce pro nobis?*

Ad quod dubium die sequenti Congregatio 140
resolvit, *ejusmodi opera esse opera pia, pertinentia ad Deum Authorem naturæ & gratiæ, etiamsi non essent facta ex motivo fidei & pietatis supernaturalis, ac propterea effici non posse absque speciali gratiæ adjutorio, & hanc esse expressam doctrinam S. Augustini, & Conciliorum.* Contrariam verò *Molinæ doctrinam nullo modo vindicari posse à nota Pelagianismi.* Cujus probationem ibi videre est in actis Secretarii.

Simile refert (cap. XXIII.) judicium Con- 141
gregationis de 1. Maii 1604. utique *actus credendi, diligendi, pœnitendi, tentationes superandi, elicitos propter Deum, & cum omnibus bonis circumstantiis, esse actus prout oportet, atque adeò elici non posse sine Spiritûs sancti gratia. Et idcircò Molinam errasse, asserendo posse hominem ex sola facultate naturæ, credere, sperare, diligere.*

Rursus cap. XXXIV. narrat, quòd die 7. Maii 142
1604. coram Clemente VIII. tractata fuit in Congregatione quæstio, *In quo differant motivum pietatis christianæ, & motivum quòd actus fiant intuitu & contemplatione bonitatis & justitiæ Dei, cùm ii actus fiant ex timore & amore Dei, etiam super omnia?* Ad quam die sequenti Congregatio respondit: *Idem esse actus fieri ex motivo pietatis christianæ, & fieri intuitu bonitatis divinæ, & contemplatione beneficiorum, quæ Deus in nos contulit, usque ad effusionem sanguinis Filii sui in cruce pro nobis; atque adeò hujusmodi actus esse pios sicut oportet, ac propterea elici non posse ex solis viribus naturæ. Quocumque enim modo proponatur bonitas divina, sub ratione diligibilitatis, sive per lumen naturæ, sive per lumen fidei, omninò tenendum est, esse motivum pietatis.*

Libro 4. c. 15. narrat, doctrinæ damnandæ 143
canones à Secretariis jussu Pauli V. elaboratos, à cæteris Consultoribus recognitos, à Pontifice probatos fuisse. Compositam quoque ejus-

dem Pontificis jussu, Bullæ Pontificiæ Idæam, quam unà cum Canonibus proximè dictis exhibet in Appendice pag. 203. & seqq.

144 Porrò, inter canones, duo sequentes plurimùm faciunt ad rem nostram. *Dicere quòd in statu naturæ lapsæ, homo cum solo concursu Dei generali, absque alio bono vel auxilio gratiæ, possit efficere opus bonum morale, quod fini naturali hominis accommodatum, atque comparatione illius sit verè bonum, veraque virtutis opus, referendo illud in Deum naturaliter cognitum: id doctrinæ illi contradicit, quâ in Concilio Arausicano can. 25. contra reliquias Pelagianorum olim definitum est, quòd post peccatum primi hominis, nullus operari propter Deum quod bonum est, possit, nisi gratia eum & misericordia divina prævenerit. Ex qua tamen doctrina nequaquam sequitur, quòd omne opus bonum, quod sine speciali gratia fit ab homine, etiam infideli, sit peccatum.*

Qui dixerit, similiter posse hominem elicere actum absolutum dilectionis Dei super omnia, placendi Deo in omnibus, & propositum servandi omnia mandata naturalia, obligantia sub peccato lethali, errat.

145 In Idæa verò Bullæ Pauli V. cap. 3. hæc habentur: *Cùm in ecclesiasticis definitionibus * damnatum sit, per naturæ vigorem hominem posse aliquid quod ad salutem pertinet, cogitare ut expedit, absque illuminatione & inspiratione Spiritûs sancti, ac rursus, sine Spiritûs sancti inspiratione, atque adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet ut ei justificationis gratia conferatur: in iis definitionibus, per id quod exprimitur, sicut oportet, sive, ut expedit, hoc intelligendum esse, quod est, cum circumstantiis debitis ab homine adhiberi in commemoratis actibus, satis insinuatur, tam in doctrina a sanctis Patribus definita & tradita, quàm in ipsa Scriptura sacra, quando actus qui fiunt sicut oportet, per hujusmodi circumstantias describuntur: siquidem tales actus sunt, verbum auditus Dei (ut Scriptura loquitur) † accipere non ut verbum hominum, sed sicut est verè verbum Dei. . . . ¶ operari propter Deum quod bonum est, diligere Deum propter seipsum, hominem verò, sive alium, propter Deum. Quapropter iis definitionibus adversatur, dicere, quòd possit homo actus sic descriptos operari, aut velle operari sine gratia Dei, etiamsi intelligatur tunc non fore supernaturales, sed naturales actus.*

146 Hæc plusquàm sufficiunt ad refellendas opiniones n. 133. & 134. commemoratas, & ad demonstrandum 1°. quàm verè Bellarminus l. 6. de Grat. & lib. arbitr. c. 7. dicat *non posse Deum sine ope ipsius* (id est sine auxilio gratiæ, prout explicat ibidem) *diligi ut Authorem naturæ, neque ut largitorem gratiæ & gloriæ, neque perfectè, neque imperfectè, ullo modo. Atque hanc non dubitamus sententiam esse S. Augustini, imò etiam Scripturarum & Conciliorum, quidquid aliqui minùs considerate in hac materia scripserint.* Quorum argumenta, glossasque ad testimonia Scripturarum, Conciliorum & Patrum subvertit ibidem.

2°. Quàm verè etiam Vasquez 1. 2. disput. 147 197. c. 4. concludat, quòd Pius V. *non contendit definire, esse alterum amorem Dei propter se, depromptum ex viribus naturæ, alterum ex gratia. Neque, me judice, contendit damnare censuram, quâ quis notaret eos qui dicerent, esse aliquem amorem amicitiæ* (id est propter se, uti seipsum explicat) *erga Deum, depromptum ex propriis viribus. Cùm* (ut ait ibidem c. 2.) *in S. Scriptura & sanctis Patribus nunquam inveniamus distinctum hunc duplicem amorem amicitiæ; sed Patres omnem ejusmodi amorem charitatem definiant, quam constat esse amorem supernaturalem.* Hactenus Vasquez, in Bibliotheca Patrum Societatis dictus *Hispanus Augustinus, totius planè Societatis lumen, Sol Theologiæ, Magister Magistrorum, Doctor Orbis, Theologorum quasi quidam Coryphæus & Antesignanus.*

CAPUT XII.

Consonantia doctrinæ ejusdem Augustini cum Censura propositionis vigesimæ septimæ Liberum arbitrium, sine gratiæ Dei adjutorio, nonnisi ad peccandum valet.

Difficile profectò foret, damnatum istius 148 propositionis sensum à non damnato legitimoque Augustini, aliorumque priscorum Patrum sensu discernere, sine usu adminiculoque supradictæ regulæ. Constat quippe ex una parte illam propositionem esse Baii, in cujus proinde sensu videri posset damnata: ex alia verò parte non minùs certum est eamdem esse Augustini, aliorumque communiter SS. Patrum, ipsorum etiam Romanorum Pontificum, Conciliorumque.

Quem verò diversum ab iis sensum Bajus 149 intenderit, facile non est ostendere. Neque enim id omninò liquet ex verbis ipsius. Existimat quidem Vasquez 1. 2. q. 190. c. 8. quòd *ille prædictam propositionem. . . . . in eo sensu intellexit, quem expressit aperte l. de just. & virtutib. impior. c. 4. & 5. nempe per auxilium gratiæ intelligens auxilium inhabitantis Spiritûs sancti, quo referantur opera illa in Deum. Nam propos. 63. & 64. notata in eadem Bulla non admittebat ille distinctionem gratiæ Spiritûs sancti nondum inhabitantis, qualem concedimus ante remissionem peccatorum.* Sed ut in eo laudandus Vasquez, quòd, Apostolicæ Sedis honori consulens, enitatur damnatæ propositionis censuram sic interpretari, ne (inquit) *Augustini sententia cuiquam damnata videatur, qua in præsente materia, a Cælestino I. in sua epistola mirum in modum commendata & approbata fuit.* Non apparet tamen istum fuisse Baii intellectum, quem ipsi Vasquez absque solido fundamento tribuit; maximè cùm intellectum illum Bajus ipse absurdum, à sensu suo alienum, & sibi per calumniam affictum protestetur in Apologia ad propos. 16. 18. 35. 38. 40. 43. 63. 64. & 70.

* Concil. Trid. sess. 6. cap. 3. † Ad Thess. 2. ¶ Concil. Arausc. cap. 7. & 25.

150 Dixi *absque solido fundamento*. Neque enim verum est quòd sensum illum Bajus expresserit capite illo 4. & 5. Quàmlibet enim utrumque caput istud legatur relegaturque, ibi expressus non invenietur. Non profectò in verbis, quibus innuit, *omne quod non est ex fide, per dilectionem operante, esse peccatum* (in quibus Vasquez se fundat:) neque enim ibi, neque alibi Bajus dicit, fidem in eo solo per dilectionem operari, in quo Spiritus sanctus inhabitat: Nam *Deus ad nos inhabitandum censetur venire, quando per remissionem peccatorum propitius efficitur*, prout ex Augustino dicit l. de charit. c. 7. Ante peccatorum verò remissionem esse in nobis aliquem divinæ dilectionis, seu charitatis motum, novemdecim argumentis probare conatur ibidem: propositiones verò illas sexagesimam tertiam & sexagesimam quartam (in quibus etiam sensum illum Vasquez fundat) in libellis suis non inveniri, & nonnisi calumniosè sibi imponi, protestatur in Apologia sua.

151 Necessariò proinde recurrendum ad regulam à nobis cap. 4. stabilitam, & juxta eam dicendum, propositionem vigesimam septimam damnatam esse secundùm quod continet sensum in Ecclesia peregrinum, alienumque à sensu sanctorum Doctorum, probatorumque Theologorum; sive iste fuerit Baii sensus, sive non, dummodò sensus ille ab Assertoribus totius doctrinæ, per Pianam damnatæ, intentus colligi possit vel ex ipsis propositionibus secundùm se sumptis, attentâ communi istius temporis acceptione, vel saltem ex ipsis ut conjunctis cum propositionibus circumstantibus, ex quarum ad invicem collatione appareat, totius illius doctrinæ Assertores peregrinum illum sensum intendisse.

152 Triplicem porrò sensum admittit illa propositio. 1°. Liberum arbitrium sine gratia Spiritûs sancti inhabitantis non valere ad non peccandum. 2°. Valere quidem ad non peccandum sine gratia Spiritûs sancti inhabitantis, sed sine gratia Spiritûs sancti moventis non valere ad ullum actum in substantia, sive ex officio & specie sua bonum. 3°. Sine gratia Spiritûs sancti moventis non valere ad ullum actum omni ex parte bonum, tam scilicet bonum in substantia, atque ex officio & specie sua, quàm ex omnibus circumstantiis, ita ut nulla ipsi desit circumstantia debita, ne quidem circumstantia relationis ad debitum finem ultimum.

153 Duo priores sensus peregrini sunt, alienique à sensu SS. Patrum, probatorumque Doctorum. Meritò proinde damnati. Et primus quidem hæreticus est, & ut talis damnatus à Concilio Tridentino sess. 6. can. 7. Iste tamen sensus ex tota doctrina perspicuè colligitur, ut apparebit conferenti vigesimam septimam (de qua agitur) cum 35. 38. 40. 63. 64. 70. & 71. Præterea *nomen gratiæ, Sanctorum justificationem tunc temporis significabat*, inquit Cunerus Petri suprà n. 31.

154 Secundus etiam sensus prorsus est falsus & in Ecclesia peregrinus: vult enim Ecclesia Romana admitti actus sine gratia moraliter in substantia, sive ex officio & specie sua bonos.

Tertius sensus verissimus est, catholicissimusque, nec ullo modo in Ecclesia peregrinus, sed receptissimus, usitatissimusque; utpote perspicuè traditus à Spiritu Sancto in sacra Scriptura, à S. Augustino aliisque Patribus, à Summis etiam Pontificibus & Conciliis, à gravissimis denique Theologis, è quibus plures refert Vasquez loco citato c. 2. n. 10. Quibus innumeros alios infrà, Deo dante, adjungemus. 155

Quòdque ea perspicua sit Augustini sententia, innumera ipsius testimonia perspicuè demonstrant: Nam præter testimonia in sequentibus proferenda, quibus evidenter asserit, 1°. Nullum esse actum deliberatum in individuo indifferentem, sed omnem vel bonum esse, vel malum. 2°. Ad actum bonum, debitis circumstantiis ornatum, sine gratia ideò non sufficere liberum arbitrium, quia nullus actus esse potest debitis circumstantiis ornatus, nisi ex casto Dei propter se amore ad Deum relatus; qui amor ab homine corrupto esse nequit per solum liberum arbitrium, sed necessariò à Deo per gratiam. 3°. Quidquid non est ex casto Dei propter se amore, esse ex culpabili cupiditate, sensu dicto cap. IX. 4°. Nullum dari actum bonum simpliciter talem, sed omnem actum bonum, ad debitum finem relatum, esse salutarem, proficuumque ad vitam æternam. 156

Præter hæc (inquam) aliaque ejusmodi serm. 10. de verb. Apost. disertè pronuntiat, *Quod nostrum nihil nisi peccatum est.* Serm. 11. c. 7. *Liberum arbitrium nihil valet sine Dei gratia.* Serm. 13. *Non sic est adjutorium Christi... prorsus si defuerit, nihil boni agere poteris. Agis quidem illo non adjuvante, sed malè.* Serm. 1. in Psal. 70. *Si de tuo retribuis, peccatum retribuis; omnia enim quæ habes, ab illo habes, tuum peccatum solùm habes.* In Psalm. 142. *Ad me cùm respicio, nihil meum quàm peccatum invenio.* Epist. 89. q. 2. *Liberum arbitrium, desertum à divino adjutorio, nullo modo habebit justitiæ soliditatem, sed inflationem impiæ superbiæ.* Epist. 106. *Pelagius.... potestatem voluntatis.... aliquantulum etiam ad non peccandum valere definit. Quod si ita est, nullus locus adjutorio Dei reservatur, sine quo nos dicimus ad non peccandum nihil voluntatis arbitrium valere.* Tract. 5. in Joan. *Nemo habet de suo, nisi mendacium & peccatum.* L. 1. ad Bonifac. c. 3. *Homo in malo liberum habet arbitrium; sed hæc voluntas, quæ libera est in malis, ideò in bonis non est libera, quia liberata non est. Nec potest boni aliquid velle, nisi adjuvetur ab eo qui malum non potest velle, hoc est, gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum: omne enim quod non est ex fide, peccatum est.* Ibidem c. ult. *Libero arbitrio nemo benè uti potest, nisi per gratiam, quæ.... Deo gratis miserante donatur.* L. 2. ad Bonifac. c. 5. *Liberum arbitrium periisse nos dicimus, sed ad peccandum valere; ad benè autem pieque vi-* 157

vendum non valere, nisi ipsa voluntas sit gratiâ Dei liberata. Et l. 3. c. 8. *Liberum arbitrium captivatum* (id est adjutorio Dei non liberatum) *nonnisi ad peccandum valet; ad justitiam verò, nisi divinitùs adjutum & liberatum, non valet.* L. de spir. & lit. c. 3. *Neque liberum arbitrium quidquam nisi ad peccandum valet, si lateat veritatis via.... nisi etiam delectet & ametur quod agendum est.* Ut autem non lateat veritatis via, delectetque & ametur quod agendum est, ibidem gratiæ esse dicit. Sicut & l. 2. de peccat. merit. c. 17. *Ut innotescat quod latebat, & suave fiat quod non delectabat, gratia Dei est.* Lib. de corrept. & grat. c. 11. *Liberum arbitrium ad malum sufficit; ad bonum autem nihil est, nisi adjuvetur ab omnipotenti bono.* L. 1. Retract. c. 15. *Voluntas in tantum libera est, in quantum liberata est, alioquin tota cupiditas est.* Quandocumque ergo agit sine gratia liberatrice, agit ex cupiditate, atque adeò peccaminosè; unde lib. de corrept. & grat. c. 1. *In bono* (inquit) *liber esse nullus potest, nisi fuerit liberatus ab eo qui dixit: Si vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis.*

158 Adeò ergo perspicua est hac de re Augustini sententia, ut nullâ possit tergiversatione negari. Omnem quippe tergiversationem, omne effugium præcludit consonantia sententiarum ipsius, earumque inter se collatio & concatenatio.

159 Porrò illam Augustini sententiam Ecclesia suam fecit, dum Cælestinus I. in epist. ad Episcop. Gall. c. 7. Magistralem hanc regulam, ex Augustino depromptam l. 1. ad Bonifac. Apostolicâ tradidit authoritate: *Nemo nisi per Christum libero benè utitur arbitrio.* Dum etiam Zosimus Papa à Cælestino relatus, Conciliumque Africanum ducentorum quatuordecim Episcoporum, ab eodem pariter relatum, sententiam eamdem comprobavit; sicut comprobavit & Concilium Arausicanum II. can. 2. 9. 18. 22. & 26. Canone quippe 9. *Divini* (inquit) *est muneris, cùm & rectè cogitamus, & pedes nostros à falsitate & injustitia continemus. Quoties enim bona agimus, Deus in nobis & nobiscum operatur.* Et can. 22. *Nemo habet de suo nisi mendacium & peccatum.* Quæ verba eumdem sensum habent in Arausicano, quem in Augustino, ex quo desumpta sunt. Comprobarunt denique Concilium Valentinum III. Lingonense & Tullense, dum definierunt, tenendum esse de gratia & libero arbitrio, quod Africana Synodus professa est, & quod Beati Pontifices Apostolicæ Sedis catholicâ fide tenuerunt.

160 Postremò illam Augustini sententiam, cum laudatis Conciliis, Romanisque Pontificibus, tenent veteres communiter Patres, Ambrosius l. 2. in Luc. dicens: *Nulla est actio bona sine auxilio Dei.... planè ergo & veraciter confitenda est gratia Dei*, ita scilicet ut nulla prorsus actio omni ex parte bona ipsi subtrahatur, sicut Cælestinus dicit in Epistola citata, atque ex ipso, & post ipsum, Innocentius XI. in suo Brevi ad Facultatem Lovanien sem. *Cujus operi ac dignationi nihil penitus subtrahendum est.*

Hieronymus l. 2. in epist. ad Galat. *Sine* 161
Christo omnis virtus in vitio est, quia scilicet non rectè facta, sive non cum omnibus debitis circumstantiis: siquidem, ut ait epist. ad Ctesiphont. *nihil potest rectè fieri sine gratia Christi.* Gregorius Magnus homil. 9. in Ezech. *Mala nostra solummodo nostra sunt: bona.... ipse aspirando prævenit, ut velimus.* Similia habent Prosper libro contra Collat. c. 3. 19. 22. & 26. Et in respons. ad Capit. Gallor. Julianus Pomerius l. 1. de vocat. Gent. c. 6. Fulgentius l. de Incarn. & Grat. c. 12. 16. 17. Sancti Patres in Sardinia exules in epist. Synod. c. 5. Isidorus l. 2. sent. c. 5. & l. de differ. Spir. sanct. c. 27. Paulus Diaconus l. de Incarn. & Grat. c. 26. Paulus Orosius Dial. de lib. arb. Anselmus l. de Concord. p. 3. col. 4. & in fine ejusdem partis. Bernardus serm. 1. de Annunt. serm. 30. & 31. in Cant. Et in l. de Grat. & lib. arb. Sufficiet ex iis proferre verba Prosperi, laudatorum Patrum exulum & Bernardi.

Prosperi verba ad Capit. Gall. sunt ista: *Cum* 162
214. Sacerdotibus, quorum Constitutionem contra inimicos gratiæ Dei totus mundus amplexatus est, veraci professione dicamus, gratiam Dei per J. C. D. N. non solùm ad cognoscendam, verùm etiam ad faciendam justitiam, nos per singulos actus adjuvare, ita ut sine illa nihil veræ sanctæque pietatis habere, cogitare, dicere, agere valeamus.... Dedit quidem ab initio hanc homini facultatem; sed omnes eam in illo amisimus, in quo omnes peccavimus. Quæ verba sic intelligi nequeunt, ut sine gratia nihil quidem veræ justitiæ vel pietatis conducentis ad salutem; possimus tamen aliquid veræ justitiæ vel pietatis ad salutem non conducentis. Tum quia nullam veram justitiam vel pietatem ad salutem non conducentem Prosper agnoscit, uti nec Augustinus, cujus sectator est fidelissimus. Tum quia usque adeò vult Prosper, quòd sine gratia nihil veræ justitiæ possimus, ut intelligat nos nihil posse in quo non peccemus. Siquidem epist. ad Ruffin. c. 10. dicit in negatione Petri apparuisse, *liberum arbitrium nihil posse sine gratia*; non solùm utique nihil posse conducens ad salutem, sed nihil posse quod saltem ex defectu alicujus circumstantiæ non sit culpabile & malum. Unde c. 17. subjungit, quòd liberum arbitrium *cùm solum esset, sibique permissum, nonnisi in suam perniciem movebatur.* Et Carm. 45. de ingrat. *sine te quid agat, nisi quo procul exulet à te?*

Sanctorum Patrum exulum c. 5. citato verba 163
sunt: *Ante largitatem gratiæ est in homine quidem liberum arbitrium; sed non bonum, quia non illuminatum. Proinde nisi gratia detur, bonum ipsum arbitrium non habetur. Sic namque est liberum hominis arbitrium absque dono gratiæ, sicut oculus sine luce. Nam & oculus ad videndum factus est, sed nisi lumen acceperit, non videbit, &c.*

Bernardus denique serm. 1. de Annunt. *Nos* 164
(inquit) *qui de nihilo creati sumus, constat,*

quia si nobis ipsis relinquimur, in peccatum semper quod nihil est, labimur.

165 Unde istam concordem esse Patrum sententiam glorioſus Fidei defensor & Martyr, Joannes Firscherus, Episcopus Roffensis, contra 36. artic. Lutheri testatur his verbis: *Hoc dixi propter Patres, quorum sententiam sequi malui, quam Scholasticorum, cùm in hac re mutuò sibi pugnent. Patres enim* (absque mutua ad invicem pugna) *asserunt, neminem posse quidquam boni facere, sine speciali Dei auxilio; nec sufficere generalem illum influxum. Nonnulli contrà Scholastici sic contendunt hunc sufficere, ut quis absque illo auxilio benè moraliter agere, & bonum facere possit, non solùm ex genere, verùm etiam quod debitis undique circumstantiis ornatum sit. At si Scholasticorum argutiam adversus Patres admitteremus, sequitur, &c.*

166 Illam profectò Scholasticorum argutiam non admisit Scholasticorum Princeps S. Thomas, ut alibi videbitur, atque hîc breviter ostenditur ex q. 24. de lib. arb. a. 14. ubi sic: *Si gratiam Dei velimus dicere, non aliquod habituale donum, sed ipsam misericordiam Dei, per quam interius motum mentis operatur, sic nec ullum bonum homo facere potest sine gratia Dei.*

167 Non admisit etiam Alphonsus à Castro verbo *Gratia* conclus. 3. ubi recensitis Pelagii erroribus, conclusionem hanc velut catholicam, Pelagioque oppositam ponit: *Liberum hominis arbitrium ex sola sua potestate, additâ etiam illâ communi & generali Dei concausatione, non potest sine aliquo Dei speciali auxilio bonum aliquod operari.* Similia habent Gregorius Ariminensis, Gerson, Dionysius Carthusianus, & alii quos refert Vasquez ubi suprà. Idemque censuisse Congregationem de Auxiliis, constat ex dictis n. 136. & 144.

CAPUT XIII.

Augustinianæ doctrinæ concordia cum Censura propositionis trigesimæ. Non solùm fures sunt & latrones, qui Christum viam & ostium veritatis & vitæ negant; sed etiam quicumque aliunde quàm per ipsum in viam justitiæ, hoc est, ad aliquam justitiam conscendi posse docent; aut tentationi ulli, sine ipsius adjutorio, resistere hominem posse, sic ut in eam non inducatur, aut ab ea non superetur.

168 COncordia per regulam sæpè memoratam comperta est: ei namque insistendo, dicendum, propositionem istam, vel damnatam non esse ob doctrinam, sed ob censuræ acrimoniam, quæ (in re apud Scholasticos Catholicos controversa) offensionem & scandalum causabat; vel certè damnatam esse sensu in Ecclesia peregrino, non sensu apud veteres Patres, probatosque Theologos recepto.

169 Quia ergo duplicem sensum peregrinum & falsum habet propositio illa, utroque meritissimò damnata est. Primò namque significat, nulli tentationi hominem resistere posse sine auxilio gratiæ inhabitantis, eumque sensum indigitat totius doctrinæ damnatæ connexio, uti sæpiùs demonstravimus: sensus verò iste prorsus est falsus & peregrinus. Secundò, secundùm se significat, nulli tentationi hominem resistere posse, *sic ut in eam non inducatur, aut ab ea non superetur*: sic enim finalis clausula ipsius exprimit. Significat proinde, quòd quisquis aliquâ tentatione pulsatur, v. g fornicationis, in illam tentationem necessariò inducatur, nisi adjutorio gratiæ Dei liberetur. Quod prorsus etiam peregrinum est, & falsum, cùm certissimum sit, experientiâque notum, hominem gratiâ destitutum, non necessariò eâ quâ pulsatur tentatione dejici, sed sæpè tentatione unâ tentationem aliam, v. g. tentatione & amore propriæ famæ & humanæ gloriæ, vel pecuniæ, tentationem fornicationis superare, eo modo quo vitium vitio sæpè vincitur, ut Augustinus dicit epist. 29. *Aliquando vitium vitio tollitur, ut amore laudis amor pecuniæ.* Et l. 21. de Civit. c. 16. *Nonnunquam sanè apertissima vitia aliis vitiis vincuntur occultis.* Hoc l. 4. contra Julian. c. 3. existimat contigisse in Scipionibus & Philosophis ethnicis, dicens, quòd *cupiditas una, ac per hoc prava, vicit in eis ac frænavit alias cupiditates pravas.*

Verùm hoc non est tentationem absolutè superare: Tunc enim tentatio absolutè superatur, quando sic superatur, ut non peccetur, juxta id quod idem Augustinus dicit l. 22. de Civit. c. 16. *Tunc victa vitia deputanda sunt, cùm Dei amore vincuntur.* Quod sine gratia Spiritûs sancti moventis fieri non posse, immediatè subjungit, dicens: *quem* (Dei scilicet amorem) *nisi Deus ipse non donat, nec aliter, nisi per Mediatorem Dei & hominum Jesum Christum.* 170

Hinc perspicuum est, nullam tentationem, nec magnam, nec parvam, secundùm Augustinum, posse absolutè superari, absque gratia actuali. Cùm ad id necessarius sit amor Dei, ad quem necessaria est gratia Dei, uti demonstratum est capite præcedenti. Nec minùs perspicuum, istam Augustini doctrinam à Pio V. non esse damnatam: cùm sit in Ecclesia receptissima, & non solùm à S. Augustino, aliisque Patribus, sed & à summis Pontificibus, & Conciliis, & à Congregatione de Auxiliis, gravissimisque Theologis etiam post Bullam Pii V. tradita. 171

Eam imprimis tradidit Augustinus, non solùm loco n. 170. allegato, sed & serm. 13. de verb. Apost. c. 9. his verbis: *Si nos ipse non adjuvat, non dico vincere, sed nec pugnare poterimus.* Et c. 10. *Nisi ille regat, cadis; nisi ille erigat, jaces.* Et alibi: *Non solùm faciendo bonum se nihil esse testatur Apostolus; sed etiam de tentatione differens, statim subjecit: Nam si quis existimat se aliquid esse, scilicet ex seipso, ipse se seducit. Nempe ut non tantùm ad operandum bonum, sed etiam ad declinandum à malo pertinere ostendat, quod ait Christus in Evangelio,* 172

Sine

Sine me nihil potestis facere. Sive ergo parum (inquit tr. 81. in Joan.) sive multum, sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest. Ideò epist. 106. à Pelagio exigit, *ut fateatur, quando contra tentationes concupiscentiasque illicitas dimicamus, quamvis & illic habeamus propriam voluntatem, non tamen ex illa, sed ex adjutorio Dei nostram provenire victoriam.* Plenus est Augustinus ejusmodi sententiis. Videri potest in Psal. 89. n. 4. in Psal. 123. n. 6. in Psal. 143. n. 9. L. de perfect. just. c. 21. in fin. L. de Gratia & lib. arb. c. 4. L. de dono persev. c. 6. & 7. & in opere imperfecto contra Julian. l. 3. n. 109. & 115. ubi dicit *possibile non esse voluntati hominis declinare à malo, nisi ei voluntati, quam Deus adjuvat gratis.*

173 Hinc solemnis ipsius sententia est l. 2. Confess. c. 7. *Gratiæ tuæ deputo quæcumque non feci peccata.* L. de S. Virginit. c. 40. *Deputate vobis tamquam omninò dimissum, quidquid mali à vobis non est (illo regente) commissum.* Homil. 23. *Adulter non fuisti in illa tua vita præterita plenâ ignorantiâ, nondum illuminatus, nondum malum bonumque discernens, nondum credens in illum, qui te nescientem regebat? Hoc tibi dicit Deus tuus: Regebam te mihi, servabam te mihi, ut adulterium non committeres. Suasor defuit? ut suasor deesset, ego feci. Adfuit suasor, non defuit locus, non defuit tempus? ut non consentires, ego te terrui. Agnosce ergo gratiam ejus, cui debes & hoc quod non admisisti.*

174 Augustino concinit venerandus cæterorum Patrum chorus. Ambrosius in Psal. 41. *Quis est tam fortis, ut nequaquam in tentatione moveatur, nisi Dominus ei adjutor existat?* Chrysostomus homil 34. in 1. ad Cor. *Sunt ergo tentationes, quæ ferri non possunt. Et quæ hæ sunt? omnes, ut semel dicam: posse enim ferri, situm est in Dei nutu. Quare ut certò cognoscas, non solùm illas quæ virtutem nostram exsuperant, non posse nos sine divino auxilio superare, sed ne has quidem humanas, addidit* (Apostolus:) *sed faciet cum tentatione proventum, ut possitis sustinere. Neque enim mediocres illas, quas dixi, propriâ virtute substinebimus, sed in his etiam divino opus habemus auxilio, &c.* Prosper contra Collat. c. 35. *Quisquis in tribulatione non deficit, ab illo se non dubitet adjuvari, ad quem quotidie corda universorum fidelium clamant:* „ Ne nos inferas in tentationem; „ sed libera nos à malo. „ Quod profectò generaliter & in omni tentatione orandum; & ista generalis orandi necessitas, generalis & pro omni tentatione est gratiæ necessitas. Fulgentius Epist. 4. c. 4. *Nec est aliquod vitæ hujus tempus, in quo non hominibus muscipulam tendat inimicus, cujus laqueos nemo possit propriis viribus evadere.* Bernardus serm. in octav. Pasch. *Quoties tentationi resistis, quoties vincis malignum, noli propriis retribuere viribus, noli in te, sed magis in Domino gloriari.*

175 Concinunt quoque Romani Pontifices & Concilia. Imprimis Cælestinus I. loco suprà relato c. 6. *Pares nos ad resistendum, non liberum arbitrium, sed Dei solum facere potest auxilium.* In cujus confirmationem refert probatque verba Innocentii I. dicentis: *Necesse est ut quo auxiliante vincimus, eo iterùm non adjuvante vincamur.* Item verba Zozimi: *Quod ergo tempus intervenit, quo ejus non egeamus auxilio? In omnibus igitur actibus, causisque, cogitationibus, motibus, adjutor & protector orandus est. Superbum est enim, ut quidquam sibi humana natura præsumat, clamante Apostolo: Non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed contra principes & potestates aëris hujus, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus.* Gregorius Magnus l. 9. Moral. c. 29. *Qui aptè reduci in pulverem dicitur, quia dimissus sibi, cujuslibet tentationis aurâ raptatur.* Et in 3. Psal. Pœnit. *Necessariò sequitur, ut omni tentationi sit subditus, quicumque à Deo fuerit derelictus.*

Cum laudatis Pontificibus Concilium Arau- 176
sicanum II. can. 14. *Nullus miser de quantacumque miseria liberatur, nisi qui Dei misericordiâ prævenitur.* Concilium Carthaginense epist. ad Innocentium, nonagesimâ primâ inter Augustinianas. Milevitanum quoque epist. ad eumdem nonagesimâ secundâ, consequens esse dicunt, *ut nec orare debeamus, ne intremus in tentationem, si possibilitate naturæ & arbitrio voluntatis in potestate est constitutum.*

Ex his omnibus Congregatio de Auxiliis die 177
3. Septembris 1602. præsente Clemente VIII. concluserit, *non posse solis naturæ viribus ullam veram tentationem superari in statu naturæ corruptæ, & hanc esse expressam doctrinam SS. Patrum, potissimùm verò Augustini, sacrorum Conciliorum & summorum Pontificum, contra Pelagianos, & eorum reliquias assertam & definitam, ut constat ex Synodo Palæstina relata à Sancto Augustino in epist. 106. & in epistolis Conciliorum Milevitani & Carthaginensis ad Innocentium, & ex epist. ejusdem Innocentii ad Patres Concilii Milevitani; similiter ex epist. Zozimi, qui Innocentio successit, cujus meminit Cælestinus Papa in epist. ad Gallos c. 9. & ex eadem epist. Cælestini c. 6.* Sic ex compendio Actorum Secretarii refert Historia Congreg. de Auxil. l. 3. c. 13.

Nec ista glossari possunt de salutari victoria 178
tentationum, seu æternæ vitæ meritoria. Quia ut rectè in Congregatione Lemos reposuit, Pelagiani non eò usque desipuerunt, ut victoriam tentationum, facultate naturali reportatam, vitæ æternæ meritoriam assererent: cùm opera sine fide & charitate facta, taliter meritoria esse pernegarint; facta verò ex fide & charitate, meritoria negari non possunt; imò nec id negari potest de victoria facta ex amore Dei naturali super omnia, quem Molina admittit in statu naturæ corruptæ, prout rectè etiam Lemos intulit ob ea quæ dicta sunt cap. præced. num. 139. & seqq.

Est igitur veritas christiana, quòd nulla om- 179
ninò tentatio, in hoc statu absolutè vinci queat,

absque auxilio divinæ gratiæ, in eaque christiana veritate, quemadmodùm & in alia capite præcedenti stabilita (quæ per præsentem haud mediocriter roboratur, sicut & præsens per præcedentem) christiana fundatur humilitas, quâ prorsus fugatur gloriæ vanitas. Tum quia per eam totum datur Deo, sine quo nihil habet homo. Tum quia per eamdem plena humanæ infirmitatis acquiritur cognitio. Nam uti sapienter observat Richardus de S. Victore tr. de differ. Sacrif. Abrahæ & Mariæ, *cognitio humanæ infirmitatis, ut plena sit, in quatuor gradibus consistit, duos habens in consideratione mali, duos in consideratione boni. Primò, ut sciamus nos nullum malum nostrâ virtute posse cavere: secundò, ut sciamus à nullo malo, post lapsum posse resurgere. In consideratione boni, ut cognoscamus nos ad nullum bonum de nostra industria posse convalescere: 2°. ut cognoscamus nec in eo quod divinitùs accepimus, nostrâ industriâ posse perseverare.*

180 Ubi quod dicit de consideratione mali, probat testimonio Abrahæ Patriarchæ, dicentis Deo: *Loquar ad Dominum meum, cùm sim pulvis & cinis; siquidem pulvis ad omnem flatum de suo loco excutitur, & quocumque dejectus, nunquam, nisi alieno impulsu levatur. Ecce habes formam defectûs humani; quantùm pertinet ad considerationem mali. Subtractâ namque gratiâ, & protectione divinâ, homo ad inimici suggestionem in quodcumque malum dejicitur, &c.* Probatur etiam testimonio Psalmistæ Psal. 17. *In te eripiar à tentatione, & in Deo meo transgrediar murum. Impulsus eversus sum ut caderem, & Dominus suscepit me.*

181 Per eamdem christianam veritatem perspicuè demonstratur, ex solis liberi arbitrii viribus, nullam Prædestinationis, vel gratiæ efficacis causam dari, ne quidem per modum removentis prohibens, sive per modum removentis obstaculum gratiæ. Quod tam necessariò dicendum est, ut oppositum pertineat ad errorem Semipelagianorum, prout à nobis ostensum est to. 1. de Deo distinct. xi. q. 2. a. 3. Ejusmodi verò causa daretur, si liberum arbitrium, solis suis viribus, absque gratia posset ullum opus moraliter omni ex parte bonum benè exercere, vel peccatum ullum vitare, tentationemque ullam ex Dei propter se amore superare. Quia per illas suas vires, per quas bonum benè operaretur, peccatumque vitaret, vel tentationem taliter superaret, præ alio iisdem in circumstantiis constituto, foret causa gratiæ efficacis, vel prædestinationis, saltem per modum removentis prohibens, sive per modum removentis obstaculum gratiæ efficacis, &c. Eo quòd foret causa, cur gratia in ipso, præ alio eamdem gratiam habente, foret efficax. Siquidem eadem gratia, collata habenti minus obstaculum, sæpè efficax est, quæ inefficax foret, collata eidem vel alteri majus obstaculum habenti. Major enim vis & efficacia requiritur ad perrumpendam majorem, quàm ad perrumpendam minorem contra gratiam obdurationem; sive ad perrumpendum majus, quàm ad perrumpendum minus gratiæ obstaculum.

Nec istud solum, sed & alterum inconve- 182
niens ex adversa sententia consectarium foret, utique quòd gratia non tam ex parte Dei, quàm ex parte hominis efficax foret, sive quòd gratia in uno, præ alio eamdem gratiam habente, non foret efficax quatènus exit à Deo, sed quatenus ipsi minus obstaculum ponitur à libero arbitrio: utpote ex quo fieret quòd unus emolliretur, præ alio eamdem gratiam habente, ob minorem adversus gratiam obdurationem. Ex quo tandem conficeretur, quòd per solas liberi arbitrii vires daretur causa primi effectus prædestinationis: Quod loco citato demonstravimus pertinere ad errorem Pelagianorum.

Hæc sunt fundamenta sententiæ, quæ asse- 183
rit, nullam sive gravem sive levem tentationem in hoc statu, absque gratiæ actualis auxilio, vinci posse, sic ut amore Dei peccatum deliberatè vitetur. Quam post Bullam Pii V. Congregatio de Auxiliis amplexa est, ut vidimus, amplexi quoque sunt Cardinalis Bellarminus l. 5. de lib. arb. c. 7. Vasquez 1. 2. disp. 189. Cardinalis Toletus (apud ipsum) qui Pianam Lovanii promulgavit. Turrianus Opusc. de Grat. Contenson. to. 5. dissert. 2. c. 1. specul. 3. confect. Franciscus Macedo in Cortina S. Augustini q. 2. a. 5.

CAPUT XIV.

Concordia ejusdem cum Censura propositionis vigesimæ secundæ. Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad Rom. 2. *Gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt*, intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus.

IN secunda Congregatione coram Clem. VIII. 184
rectè Prædicatorum Generalis ostendit ex censura illa nihil à Molinistis extundi posse pro opinione quæ asserit, dari opera omni ex parte bona, sive debitis omnibus circumstantiis ornata, solis naturæ viribus. Unde oppositum (post Pianam Censuram) Congregatio de Auxiliis censuit, ut visum est cap. xii. certissimaque Augustini & aliorum communiter SS. Patrum doctrina est, quòd non dentur, ut partim constat ex dictis, partim constabit ampliùs ex dicendis. Ecclesiæ verò injurius est, quisquis communem Augustini aliorumque Patrum doctrinam censurâ illâ contendit esse notatam.

Theologi ergo munus est Ecclesiam ab ista 185
injuria, & simul à sæpedicta hæreticorum calumnia vindicare. Pro quo observandum quòd propositio illa vigesima secunda, intellecta *de gentibus fidei gratiam non habentibus*, duplicem sensum habere potest. Vel enim ly *naturaliter* illa in propositione contraponitur gratiæ, ut sit idem ac per solas naturæ vires: vel non contraponitur gratiæ, sed legi scriptæ dum-

dumtaxat, ut sensus sit, *Gentes quæ legem scriptam non habent, naturaliter, id est solius naturæ ductu, absque legis scriptæ magisterio, sed non absque divinæ gratiæ auxilio, quæ legis sunt, faciunt.*

186 Posteriorem sensum Apostoli contextus innuit. Sequitur enim: *Ejusmodi legem non habentes; ipsi sibi sunt lex*; eidemque sensui Augustinus insistens, textum illum Apostoli passim exponit de gentibus ad fidem conversis, non omninò tamen reprobando expositionem illius de gentibus adhuc infidelibus, uti videre est in l. de spir. & lit. c. 26. & 27. ubi tamen non dicit, gentes infideles solis naturæ viribus facere opera bona, debitis omnibus circumstantiis ornata, sed bona ex officio dumtaxat; eo quòd utique *naturalis Dei imago necdum in eis omninò deleta sit.* Quo sensu dicit, quòd *quædam eorum facta secundùm justitiæ regulam meritò laudamus.* Unde statim addit, quòd, *si discutiatur quo fine fiant, vix inveniantur, quæ justitiæ debitam laudem defensionemque mereantur.* Ubi dicendo, quòd *vix inveniantur*, nec supponit, nec negat inveniri, sed adhuc sub incerto recludit (ait R. P. Hauseur to. 1. Anatomiæ operum S. Aug. ad cit. l. de spir. & lit. c. 28.) eo quòd utique scopus ipsius non esset id ibi definire, sed alibi definiendum relinquere. At verò constat ex principiis, quæ centies alibi tradit, quòd si qua in ipsis inveniantur opera non solùm ex officio bona, sed & ad debitum finem ultimum relata, id non fiat sine aliquo saltem crepusculo gratiæ actualis, aliquâque imperfectæ saltem fidei inchoatione, conceptioni simili. Qua de re plura cap. seq.

187 Quod autem dixi, verba illa Apostoli, *Gentes quæ legem non habent*, &c. ab Augustino passim exponi de gentibus ad fidem inchoatè saltem conversis, ostenditur tum ex citato c. 27. l. de spir. & lit. ubi sic: *naturaliter quæ legis sunt faciunt.... non quòd per naturam negata sit gratia, sed potiùs per gratiam reparata natura*; quasi dicat, quòd per ly *naturaliter* Apostolus non intelligat idem quod per naturam gratiâ destitutam, sed idem quod per *naturam gratiâ reparatam*, ait S. Thomas ad illum Apostoli locum. Tum ex l. 4. contra Julian. c. 3. ubi sic: *Ideò aiunt sine lege, naturaliter quæ legis sunt facere, quia ex Gentibus venerunt ad Evangelium, non ex circumcisione, cui lex data est. Et propterea naturaliter, quia, ut crederent, ipsa in eis est correcta per Dei gratiam natura. Nec per eos putes probare quod vis* (ô Juliane! ô Molinista, post Julianum!) *etiam infideles* (omni gratiâ & fide inchoatâ destitutos) *veras posse habere virtutes; sunt quippe isti fideles.*

188 Cùm igitur expositio ista ex contextu Apostoli colligatur (prout ostendimus,) nec solùm tradita sit à S. Augustino & S. Thoma loco citato, sed & à S. Ambrosio & S. Anselmo ad eumdem Apostoli locum, necnon à S. Prospero contra Collatorem c. 22. S. Fulgentio l. de Incarn. & Grat. c. 25. arguendus est Suarez l. 2. de causa prædest. c. 12. in eo quòd supra sanctos illos Doctores (cum suo Molina) sapere volens, expositionem illam arguit tamquam minùs consonam textui Apostoli; nec ullatenus audiendi Molinistæ, ly *naturaliter*, in textu Apostoli, explicantes, ut idem sit quod ex propriis naturæ viribus, exclusâ gratia; maximè cùm nullus veterum Patrum sic exponat, ut ostendit Vasquez 1. 2. disp. 190. c. 15. sed alterutro ex duobus allatis modis, vel sic utique ut idem sit quod per naturam gratiâ repatatam; vel sic ut idem sit quod *per legem naturalem, ostendentem eis quid sit agendum, secundùm illud Psalmi:* "Multi dicunt, quis ostendit nobis bona? signatum est super nos lumen vultus tui Domine, "*quod est lumen naturalis rationis, in qua est imago Dei; & tamen non excluditur quin necessaria sit gratia ad movendum affectum* (inquit S. Thomas ubi suprà) *sicut etiam per legem est cognitio peccati, (ut dicitur infrà cap. 3.) & tamen ulteriùs requiritur gratia ad movendum affectum.* Quam etiam expositionem diù ante S. Thomam tradiderunt Cyprianus, Chrysostomus, &c.

Certissimum proinde est, hunc sensum à Pio 189
V. non esse damnatum, nec fuisse quemquam qui eum Pelagio tribuerit, utpote contrarium errori ipsius. Quisquis ergo propositionem vigesimam secundam Pelagio tribuit, priori, non posteriori hoc sensu tribuit. Et reverà priori sensu Pelagii esse, constat ex epistola ipsius ad Demetriadem, cujus mentionem facit Augustinus l. de grat. christ. c. 3. & 22. eumdemque Pelagianorum atque Semipelagianorum sensum esse tradunt, S. Augustinus, S. Fulgentius, S. Prosper, &c. Siquidem Augustinus l. 4. contra Julian. c. 3. hisce verbis in ipsum insurgit; *Illi quos commemorare voluisti, de quibus ait Apostolus, Gentes legem non habentes, &c. quid te adjuvent, omninò non video; per hoc enim probare conatus es, etiam alienos à fide Christi veram posse habere justitiam; eo quòd isti, teste Apostolo, naturaliter quæ legis sunt, faciunt. Ubi quidem dogma vestrum, quo estis inimici gratiæ Dei, quæ datur per D. N. J. C. evidentiùs expressisti, introducens hominum genus, quod placere Deo possit, sine fide Christi, lege naturæ.* Fulgentius cum aliis Episcopis pro fide in Sardinia exulibus l. de Incarn. & Grat. c. 25. *Apostolus dicit: Gentes quæ legem non habent, &c. quem quidem Apostoli locum hi, qui gratiæ contradicunt, gentibus incredulis assignare contendunt; ex hoc videlicet, quòd etiam illi, qui fidei gratiam non recipiunt, illa quæ ad honestatem morum, & humanæ societatis vinculum pertinent, naturali quâdam lege sic servant, &c.* Prosperi verba videri possunt loco citato contra Collatorem, ubi eumdem Semipelagianorum sensum refert; quem profectò Cassiani esse, constat ex Collat. 13. Fausti quoque esse constat ex libro 2. ipsius de lib. arbitr.

Ad discernendum itaque damnatæ propositionis vigesimæ secundæ sensum, prorsus neces- 190

saria est applicatio regulæ c. 4. stabilitæ, juxta eamque, vel dicendum, propositionem illam damnatam in sensu in Ecclesia peregrino, quem ab Assertoribus totius damnatæ doctrinæ intentum fuisse, cùm non constet ex sola ipsa propositione secundùm se, saltem constet ex collatione ipsius cum aliis propositionibus eadem in Bulla damnatis. Factâ quippe collatione, satis constat, *per gentes fidei gratiam non habentes*, ab ipsis intellectas fuisse gentes non habentes gratiam fidei perfectam per Spiritum sanctum inhabitantem : cùm aliam non admiserint, uti sæpiùs est demonstratum. Vel dicendum, propositionem illam damnatam, tamquam suspectam de sensu alio in Ecclesia peregrino, in quantum Pelagianismi arguere videtur Catholicos Doctores, qui tenent gentes, fidei gratiam non habentes, solis naturæ viribus interdum efficere opera ex officio bona ; licèt opera debitis omnibus circumstantiis ornata non efficiant absque omni gratia.

CAPUT XV.

Augustiniana doctrina concordia cum damnatione propositionis trigesimæ quintæ. Omnia opera infidelium sunt peccata, & virtutes Philosophorum sunt vitia.

§. I.

OBSERVATIO PRÆAMBULA.

Distinguuntur varii gradus acceptionesque fidei, charitatis, justitiæ, justificationis, vivificationis, &c.

191 DE propositione illa Jansenius to. 2. l. 4. de statu naturæ lapsæ c. 27. sic scribit : „ Magis arctat propositio vigesima quinta, Om„ nia opera infidelium sunt peccata, & Philoso„ phorum virtutes sunt vitia. Utramque partem „ enim tam constanter & luculenter, ac tot mo„ dis Augustinus tradidit, ut si ulla est doctrina „ in universis ejus lucubrationibus manifesta, & „ cavillationibus minùs obnoxia, illa emicet in„ ter omnes. „ Eandem Augustino tribuunt Maldonatus in cap. 7. Matth. Vasquez 1. 2. disp. 191. c. 2. & 3. Meratius to. 2. tr. de grat. disp. 15. sect. 8. Et ante ipsos Ruardus a. 11. dicens, probabilius esse, quòd D. Augustinus senserit, omnia Ethnicorum opera esse peccata. Imò Maldonatus loco citato non veretur tanto Doctori affingere propositionem à Tridentino sess. 6. c. 7. damnatam, *Omnia peccatorum opera sunt peccata.* Idque partim quia Augustinus ad omne opus usquequaque bonum requirit charitatem, partim quia l. 4. contra Julian. c. 3. dicit : *Absit ut sit in aliquo vera virtus, nisi fuerit justus.*

192 Sed si varios gradus acceptionesque fidei, charitatis, justitiæ, &c. diligentiùs observassent, distinxissentque, Augustinum à damnata doctrina facilè vindicassent. Quam distinctionem quia propositionum à Pio V. damnatarum Assertores rejecerunt, erraverunt. Eo quòd utique posit. 63. rejecerint *distinctionem duplicis justitiæ ; alterius, quæ fit per spiritum charitatis inhabitantem ; alterius quæ fit ex inspiratione Spiritûs sancti, cor ad pœnitentiam excitantis, sed nondum cor inhabitantis.* Et posit. 64. pariter improbarint distinctionem *duplicis vivificationis ; alterius, quâ.... pœnitentia & novæ vitæ propositum & inchoatio, per Dei gratiam inspiratur ; alterius, quâ vivificatur, qui verè justificatur, & palmes vivus in vite Christo efficitur.* Et quia abyssus abyssum invocat, negatâ illâ distinctione, nullam aliam charitatem agnoverunt, nisi specialiter & famosè acceptam, pro charitate perfecta, propriaque justorum, quam etiam in Catechumenis & pœnitentibus reperiri dixerunt ante remissionem peccatorum, ut constat ex ipsorum propositionibus 31. 32. 33. 70. & 71. eo usque errantes, ut propositione quadragesimâ secundâ, in tali charitate, non in gratia infusa, consistere vellent justificationem impii, & propositione quadragesimâ tertiâ contenderent, quòd *in hominibus pœnitentibus, ante Sacramentum absolutionis, & in Catechumenis ante Baptismum, est vera justificatio (per Spiritum sanctum inhabitantem, ut suprà) separata tamen à remissione peccatorum.*

Ecce quanti momenti, quantæque necessi- 193
tatis est distinctio variorum graduum, &c. Quam dum iidem Assertores rejecerunt, nedum erraverunt à veritate, sed & ab Augustini mente ; utpote qui multis locis quasdam agnoscit fidei, charitatis, justitiæ, justificationis, vivificationis, imò & filiationis Dei inchoationes ; nec perfectam dumtaxat, sed & imperfectam, seu inchoatam fidem, charitatem, justitiam, &c. fidei, charitatis, justitiæ, &c. nomine non rarò intelligit.

Primò namque Augustinus, sub justificatio- 194
nis, vivificationis, &c. nomine, non rarò complectitur totam auxiliorum seriem, quæ ad perfectam justificationem ordinatur, ita ut ipsas etiam præparationes, seu dispositiones, ad justificationem ordinatas, justificationem appellet l. de Grat. & lib. arb. c. 7. l. de prædest. Sanct. c. 7. & l. 2. contra Parmen. c. 8. ut ostendunt Suarez to. 3. de Grat. l. 8. c. 21. n. 26. & 27. Vasquez 1. 2. disp. 217. Smising. tr. 6. q. 7. n. 376. Unde etiam l. 1. ad Simplician. q. 2. tr. 4. in Joan. l. de Baptismo c. 21. l. de fid. & operib. c. 4. & epist. 105. dicit, *justificari hominem, non solâ remissione peccatorum, sed etiam inspiratione fidei & timoris Dei.* Idque conforme est sacris Litteris, in quibus homo justificari dicitur, modò per fidem, modò per timorem, modò per eleëmosynam, &c. Conforme est & Tridentino, in quo cùm quæreretur sensus Apostoli, dicentis, hominem justificari per fidem, communis Patrum Theologorumque sententia fuit, hominem justificari per fidem, *non tamquam per integram causam, sed tamquam per primam præparationem, primamque radicem ad omnes actiones proximè*

utiles ad consequendam justitiam, uti narrat Cardinalis Pallavicinus Hist. Conc. Trid. l. 8. c. 4.

195 Secundò, ultra fidem perfectam, Augustinus l. 1. ad Simplician. q. 2. agnoscit quasdam fidei inchoationes, quæ nihil aliud sunt nisi supernaturales quædam illustrationes intellectûs, piæque affectiones voluntatis, cælitùs immissæ; per quas Deus incipit hominem ad se, sive ad fidem attrahere, quæque ad fidem perfectam sese habent velut embrio ad fœtum perfectum, vel ut crepusculum, seu prima aurora ad perfectum diem: *fiunt* (inquit) *quædam inchoationes fidei, conceptionibus similes: non solùm tamen concipi, sed etiam nasci opus est, ut ad vitam perveniatur æternam.*

196 Tertiò, inchoatam similiter charitatem justitiamque agnoscit, atque à perfecta distinguit l. de nat. & grat. c. 70. *Charitas inchoata, inchoata justitia est; charitas provecta, provecta justitia est; charitas magna, magna justitia est; charitas perfecta, perfecta justitia est.*

197 Quartò, quemadmodùm præparationes ad justificationem locis allegatis vocat justificationem inchoatam; pariformiter haud dubiè sentit de vivificatione; cùm eo modo, secundùm ipsum, quispiam dicendus sit spiritualiter vivere, quo justus est: *Absit enim* (ait 4. contra Julian. 3.) *ut sit justus verè, nisi vivat ex fide; justus enim ex fide vivit.* Vivit utique proportionaliter ad justitiam, quâ justus est, vel scilicet inchoatè vel provectè, vel perfectè vel imperfectè, &c. Unde Facultas Lovanienſis, in declaratione articulorum Pii V. (anno 1585. facta) dicit, quòd „ ante remissionem peccato-
„ rum atque inhabitantem Spiritum Sanctum, &
„ justificationis, & vitæ quædam inchoationes
„ fiunt conceptionibus similes.

198 Quintò, simili modo Augustinus de filiatione Dei loquitur cap. 3. ad Galat. dicens, quòd per fidem, induendo Christum, *omnes sunt filii Dei*, puta inchoatè ac dispositivè: neque enim fides est formaliter ipsa filiatio Dei, nec integra causa illius, sed prima dispositio præparatioque ad illam. Eodem sensu epist. 54. ait: *In quantum non peccant, filii Dei sunt.* Et l. 1. ad Bonifac. c. 2. *Non vivunt benè homines, nisi effecti filii Dei.* Quod certissimè non intelligit de perfecta filiatione Dei, quæ sine peccatorum, per Spiritum sanctum inhabitantem, remissione non est: siquidem l. 6. contra Julian. c. 19. dicit, quòd possit homo rectè vivere, nondum remissione peccatorum liberatus. Intelligit ergo de filiatione imperfecta, seu dispositione ad perfectam.

§. II.

Non docuit Augustinus omnia peccatorum opera esse peccata.

199 EX dictis §. præcedenti facilè intelligit, qui intelligere vult, ex eo quòd Augustinus 4. contra Julian. 3. dicat: *Absit ut sit in aliquo vera virtus, nisi fuerit justus*; consequens non esse, quòd secundùm Augustinum omnia peccatorum opera sint peccata, neque hoc rectè concludi ex eo quòd aliquem charitatis afflatum requirat ad omne opus usquequaque bonum: cùm ad omne ejusmodi opus non requirat charitatem specialiter dictam, peccatorumque remissione justificantem, locoque illo contra Julianum, justitiæ nomine perfectam non intelligat, sed perfectam vel imperfectam, seu inchoatam, quâ justificari quis dicitur, non solùm remissione peccatorum, sed ante illam per inspirationem fidei, timoris Dei, pio orationis affectu, &c. ut ait epist. 105. c. 6. Et ibidem c. 3. dicat, quòd *à fide omnis justitia sumit exordium*; à fide (inquam) non quam operatur spiritus inhabitans, sed ad fidem excitans & movens: ut enim dicit c. 4. *Nondùm inhabitans adjuvat ut sint fideles, inhabitans adjuvat jam fideles.* Denique in peccatoribus per fidem, spem, orationem, & pios gemitus ad justificationem sese disponentibus aliquid divinæ dilectionis Augustinus agnoscit, dum in l. de Grat. & lib. arb. c. 18. ait quòd fides quâ Deum per orationem quærimus, sine dilectione non est: *Præcepto admonitum est liberum arbitrium, ut quæreret Dei donum, quod quidem sine suo fructu prorsus admoneretur, nisi priùs acciperet aliquid dilectionis, &c.*

Prorsus ergo infundatè tantum errorem Au- 200
gustino Maldonatus tribuit, cujus oppositam mentem ex innumeris locis ipsius animadvertisset, si diligentior in Augustino legendo fuisset. Innumeris namque locis Augustinus agnoscit in peccatoribus nondùm justificatis opera, non solùm non peccaminosa, sed & de congruo meritoria, v. g. in infidelibus credere incipientibus. Nam ut ait l. de prædest. Sanct. c. 2. *Quis credat eum, qui jam cœpit credere, ab eo in quem credidit, nihil mereri?* Et epist. 105. citata c. 3. *Nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat; Neque enim nullum est meritum fidei: quâ fide ille dicebat, Deus propitius esto mihi peccatori. Et descendit justificatus, merito fidelis humilitatis*, &c. Et epist. 106. *Fides impetrat justificationem.*

Certissimum quoque est, Augustinum in ca- 201
techumenis & pœnitentibus agnoscere pios motus, gemitus, affectus, orationes, &c. ante perfectam gratiam justificantem, nec gratiam istam ullo loco ab ipso requiri ad operationem omni ex parte bonam, sed gratiam actualem & inchoatam dumtaxat. Unde tr. 44. in Joan. explicans verba cæci à nativit. *Peccatores Deus non audit. Si* (inquit) *peccatores Deus non exaudiret, frustrà ille Publicanus, oculos in terram dejiciens, & pectus suum percutiens, diceret, Deus propitius esto mihi peccatori. Et ista confessione meruit justificationem.* Et l. de prædest. Sanct. c. 7. necnon l. 1. ad Simplic. q. 2. in Cornelio agnoscit opera Deo accepta, ex inchoata dumtaxat fide, antequam in Christum crederet, gratiamque justificantem consecutus esset. In posteriore namque loco ma-

nifestè supponit, ipsum tunc necdum justificatum fuisse.

202 Postremò non est dubium, quin Augustinus præter meritum de condigno (quod non est nisi perfectè justorum) meritum admiserit de congruo (quod in peccatoribus ad Deum converti incipientibus reperitur) prout ex laudatis ipsius testimoniis liquet; atque ex quampluribus aliis efficaciter ostendunt Vasquez 1. 2. disp. 218. c. 3. & Smising. tr. 8. disp. 6. q. 6. n. 316. Et quod majus (amabo) fundamentum Augustino tribuendi, quòd peccator in omnibus peccet, quàm quòd justus in omnibus benè agat? Nusquam profectò Augustinus dixit, sive peccatorem, sive justum, semper agere secundùm habitum in se dominantem; sive peccatorem semper & in omnibus agere ex cupiditate, magis quàm justum semper & in omnibus agere ex charitate.

§. III.

Nec docuit Augustinus, omnia infidelium opera esse peccata; sed aliqua (licèt rara) agnovit in ipsis opera rectè facta, ex aliquo gratiæ crepusculo profecta.

203 PRobatur primò, quia loca omnia (in quibus se fundant, qui oppositum Augustino tribuunt) unicè collimant ad probandam tuendamque necessitatem alicujus saltem inchoatæ fidei, gratiæque actualis ad omne opus omni ex parte bonum, debitisque omnibus circumstantiis vestitum, ut benè ostendit R. P. Hauseur in Anatomia operum S. Augustini to. 2. in lib. 4. contra Julian. c. 3. qui locus unus est ex præcipuis, in quibus adversarii se fundant. Unicus verò scopus & intentio S. Augustini eo in capite, est necessitatem illam evincere. Tota namque disputatio istius capitis sumit originem à doctrina, quam Augustinus statuerat l. 1. de nupt. & concup. c. 3. & 4. de necessitate fidei gratiæque actualis ad servandam pudicitiam conjugalem, cum debitis omnibus circumstantiis, signanter cum ea quam ibi c. 3. expresserat, *Absit pudicum veraciter dici, qui non propter Deum verum fidem connubii servat uxori.*

204 Deinde in prolixa illa disputatione Augustinus eo sensu negat virtutes veras in infidelibus, quo eas adstruebat Julianus: scopus quippe Augustini, in eadem disputatione, directè contrarius est scopo Juliani, cujus allegationes, exceptiones & objectiones omnes collimabant ad ostendendum dari virtutes veras solis naturæ viribus, ut patet ex hisce Augustini verbis: *Soletis, negantes Dei dona esse virtutes, & eas naturæ voluntatique humanæ, non gratiæ tribuentes, uti hoc argumento, quod eas nonnumquam habeant infideles.* Item: *Sed exempla nobis opponitis impiorum, qui solis libertatis ingenitæ viribus, & misericordes & casti inveniuntur & sobrii. Quanto satiùs hæc ipsa in eis dona Dei fatereris, &c. Numquid sibi quisque corpus condidit? Quanto ergo tolerabiliùs illas, quas dicis in ipsis esse virtutes, divino muneri potiùs, quàm eorum tribueres voluntati?* Quibus in verbis Augustinus aliquam potiùs gratiam ad quædam opera virtutum admittit in infidelibus, quàm veras virtutes, & earum opera undique bona, ex solis naturæ viribus. Siquidem ut paulò post subdit: sicut Galat. 2. *Si per legem justitia: ergo Christus gratis mortuus est; ita si per naturam voluntatemque, si per doctrinam hominum qualiscumque justitia: ergo Christus gratis mortuus est. Item: Cùm non ad suum referuntur Authorem dona Dei, hoc ipso mali, his utentes, efficiuntur injusti. Quia nosse debes non officiis, sed finibus à vitiis discernendas esse virtutes.... absit autem ut veræ virtutes cuiquam serviant, nisi illi, vel propter illum, cui dicimus Ps. 59. Deus virtutum converte nos... veræ quippe virtutes Deo serviunt in hominibus à quo donantur hominibus, Deo serviunt in Angelis, à quo donantur & Angelis. Quidquid autem boni sit ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera sapientia præcipit, ipso non recto fine peccatum est.... intellige quod ait Dominus Marc. 9. Si oculus tuus, &c. Et hunc oculum agnosce intentionem, quâ facit quisque quod facit. Et per hoc disce eum, qui non facit opera bonâ intentione fidei bonæ, quæ per dilectionem operatur, totum quasi corpus, quod illis, velut membris, operibus constat, tenebrosum esse, hoc est, plenum nigredine peccatorum:* Ad operandum verò intentione fidei bonæ, quæ per dilectionem operatur, gratiam ubique requirit Augustinus, ut capite 12. vidimus. Sed & aliam adhuc rationem adfert ibidem, cur vera virtus, cum omnibus circumstantiis debitis, haberi nequeat sine gratia; videlicet: quia *ideò veras virtutes habemus, quia verum est propter quod facimus, id est, hoc naturæ nostræ consentaneum est ad salutem & veram felicitatem.... sed hoc præstari hominibus non potest, nisi per Christum, & hunc crucifixum, &c. Si ergo ad consequendam veram beatitudinem nihil prosunt homini virtutes, nullo modo veræ possunt esse virtutes. Audi ergo Juliane, quoniam saltem concedis, opera infidelium non eos ad salutem æternam perducere.... scito nos illud bonum hominum dicere, illam voluntatem bonam, illud opus bonum sine Dei gratia, quæ datur per Christum, nemini posse conferri, per quod solum homo potest ad æternum Dei donum regnumque perduci. Omnia proinde cætera, quæ videntur inter homines habere aliquid laudis, videantur tibi veræ virtutes: quod ad me pertinet, hoc scio, quia non ea facit voluntas bona,* id est, amor Dei necessarius ad voluntatem usquequaque bonam. Quare? *quia amor Dei, quo pervenitur ad Deum, non est nisi à Deo Patre per J. C. sine hoc amore Creatoris, nullus benè utitur creaturis, &c.*

Denique ad confirmandam eamdem fidei, 205
seu gratiæ actualis necessitatem, locum illum Apostoli Rom. 2. *Gentes quæ legem non habent, &c.* explicat de gentibus ad fidem inchoatè

saltem conversis, frequenterque inculcat illud Rom. 14. *Omne quod non est ex fide, peccatum est*; vehementer quoque redarguit dictum Juliani, *Perfacilè studio sanctitatis, quod Deus adjuvat, potest homo carere peccatis*: hoc enim dicendo (inquit) *studium sanctitatis, sine adjutorio Dei, vultis præcedere, quod meritò debeat Deus adjuvare, non gratis.* Tandem reducit finem totius illius disputationis ad suum principium, utique non solùm necessariam esse fidem, seu gratiam actualem, sed & dictum Creatoris amorem, ad veram pudicitiam conjugalem, vitandumque in usu conjugii omne peccatum, *ut sit ejus intentio, non in voluptate libidinis, sed in voluntate propaginis*, in Christo utique regenerandæ, uti dixerat c. 1. Nihil itaque est in tam prolixa illa contra Julianum disputatione, quod evincat omnia omninò infidelium opera secundùm Augustinum esse peccata, sed illa ad summum quæ fiunt absque ulla inchoata fide & gratia; non quòd velit omnia ista esse peccata ex parte operis, cùm aliqua sint moraliter bona; sed vel ex parte operis vel ex parte operantis, illa ad Deum finaliter non referentis. Vide infrà l. 4. c. 3.

206 Secundò idipsum probatur, quia tametsi perspicua Augustini sententia sit, omnia opera, quæ ab infidelibus absque ulla omninò fide inchoata, id est, absque ulla supernaturali illustratione, piaque affectione, atque adeò sine ulla omninò gratia fiunt, vel ex specifico defectu operis, vel saltem ex individuali defectu operantis, esse peccata; nusquam tamen omnem omninò gratiam, sive omnem illustrationem supernaturalem, piamque affectionem in universum & semper denegat infidelibus: nusquam dicit, infidelibus nullo unquam tempore cælitùs immitti crepusculum aliquod divinæ illustrationis, scintillamque piæ affectionis (per modum dispositionis ad fidem strictè dictam) quâ Deus infideles, saltem aliquos, incipiat ad se attrahere, ipsisque insinuare finem, ad quem conditi sunt, per quam denique fiat in ipsis quidam affectus credulitatis, sive quædam fidei inchoatio, conceptioni similis; licèt facilè mobilis, citòque plerumque evanescens, ob defectum subjecti. Immò hujusmodi fidei inchoationes l. 2. ad Simplic. q. 2. expressè admittit in iis, in quibus necdum nata est fides, prout §. 1. vidimus. Atqui affectus ille credulitatis, qui præcedit fidem, estque initium aliquod ipsius, non est peccatum; cùm sit Dei donum, uti contra Semipelagianos definit Concilium Arausicanum can. 5.

207 Tertiò, sicut tres sunt infidelitatis species, Paganismus, Judaismus, Hæresis; sic tres sunt species infidelium, Pagani seu Gentiles, Judæi, Hæretici. Quorum primi sunt, qui Fidem Christianam nondum susceperunt. Secundi, qui renituntur Fidei Christianæ in figura susceptæ. Tertii, qui renituntur eidem susceptæ in ipsa manifestatione veritatis, ut docet S. Thomas 2. 2. q. 10. a. 5. At nullis ipsorum gratiam, quâ benè & sine peccato, subinde (saltem rarò) operentur, in totum subtrahit Augustinus, ne ipsis quidem Paganis seu Gentilibus. Siquidem lib. de 5. hæresibus c. 6. Christum inducit alloquentem hominem paganum, velut quem ad fidem & salutem quæsivit, dicens ei: *Ego, cùm esses longè, veni ut reducerem te; cùm inter montes & sylvas errares, quæsivi te; inter lapides & ligna inveni te, in lapidibus offendebas, ipsis adhærebas, quia ligna & lapides adorabas, &c.* Sed & lib. de prædest. Sanct. c. 7. l. 1. de Baptismo c. 3. & l. 4. c. 23. in Cornelio, nondum in Christum credente, agnoscit opera bona, Deoque placentia ex fide tantùm inchoata.

Denique ne ipsis quidem infidelibus, in tam 208
profunda ignorantiæ nocte demersis, ut Deum expressè & distinctè necdum cognoscant, Augustinus universim negat, quin potiùs affirmat, subinde affulgere luculam aliquam divini luminis, quâ Deum confusè cognoscunt, sub ratione lucis, non in humana mente, sed supra humanam mentem lucentis, vel sub ratione veritatis æternæ, incommutabilisque justitiæ, de qua non præsumunt judicare, secundùm quam tamen judicant se debere agere, & à qua experiuntur se acriter torqueri, accusari, condemnari, dum contra agunt, cui denique velum obducere non possunt, etiamsi velint. Quæ proinde lux sit ipsis potentior, æterna, immutabilis, & in omnem hominem tantam exercens authoritatem, ut dominatum illius omnes sentiant; nec jugum illius quisquam excutere possit; atque adeò sit Deus, si non explicitè, saltem implicitè sub ratione illa (soli Deo propria) cognitus.

Hanc lucem, supra omnem humanam men- 209
tem modo dicto lucentem, sæpiùs inculcat Augustinus, signanter in lib. de vera relig. c. 39. l. de Magistro c. 11. & seqq. l. 14. Trinit. c. 15. & cum Augustino S. Thomas qq. disput. q. de verit. a. 11. ad 1. & 2. *Et hinc est* (inquit Augustinus citato cap. 15.) *quòd etiam impii cogitant æternitatem, & multa rectè reprehendunt, rectèque laudant in hominum moribus. Quibus ea tandem regulis judicant? nisi in quibus vident, quemadmodùm quisque vivere debet, etiamsi nec ipsi eodem modo vivant. Ubi eas vident? Neque enim in sua natura, cùm procul dubio mente ista videantur; eorumque mentes constat esse mutabiles, has verò regulas immutabiles videat quisquis in eis & hoc videre potuerit. Nec in habitu suæ mentis; cùm ista regula sint justæ, mentes verò eorum constat esse injustas. Ubinam sunt istæ regulæ scriptæ? ubi quid sit justum, & injustus agnoscit? ubi cernit habendum esse, quod ipse non habet? ubi ergo sciri potest, nisi in libro lucis illius, quæ veritas dicitur? unde omnis lex justa describitur, & in cor hominis, qui operatur justitiam, non migrando, sed tamquam imprimendo transfertur, sicut imago ex annulo, & in ceram transit, & annulum non relinquit. Qui verò non operatur, & tamen videt quid operandum sit, ipse est qui ab*

luce avertitur, à qua tamen tangitur. Qui autem nec videt quemadmodùm sit vivendum, excusabiliùs quidem peccat, quia non est transgressor cognitæ legis: sed etiam ipse splendore aliquoties ubique veritatis præsentis attingitur, &c. Cùm igitur lux illa (quæ nihil aliud est, quàm Deus) ipsos etiam infideles tanta infidelitatis caligine circumfusos illuminet (secundùm Augustinum, & Evangelicum istud Joan. 1. *Erat lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum*) non est cur coruscationibus illius subinde, saltem rarò, sese non intermisceant supernaturales illustrationes, cælestesque motiones, seu divini ignis scintillulæ (velut primum aliquod fidei ac divinæ dilectionis crepusculum) saltem ad momentum coruscantes (ad modum quo fulgetra & coruscationes altis interdum noctibus ex improviso emicant & illicò extinguuntur) quibus in Deum, sive in æternam illam lucem pulchritudine ipsius delectati, tenui saltem ac momentaneo amoris affectu moveantur, sibi in pulchritudine ac rectitudine lucis illius complacendo, nec ad se illam reflectendo, sed se ad illam erigendo; atque adeò illam propter se amando. Hoc modo veram pudicitiam conjugalem, licèt raram, gratiæque & inchoatæ fidei dono tribuendam, infidelibus non denegat, sed concedit Augustinus l. 1. de nupt. & concup. c. 3. *Quid ergo dicemus, quando & in quibusdam impiis inventur pudicitia conjugalis? utrùm eo peccare dicendi sunt, quòd dono Dei malè utantur, non id referentes ad cultum ejus à quo acceperunt? An fortè nec dona Dei putanda sunt ista, quando hæc infideles agunt, secundùm Apostoli sententiam dicentis: Omne quod non est ex fide, peccatum est? Quis audeat dicere, donum Dei esse peccatum, &c.?* Hoc etiam modo Herodes, *audito Joanne, multa faciebat, & libenter eum audiebat.* Marci 6. Nec tamen ideò sufficienter convertebatur: quia tametsi auditam libenter exciperet veritatem, gaudioque & delectatione ipsum afficeret cæleste lumen; illi tamen lumini & delectationi prævalebant præjudicia infidelitatis & impietatis suæ, utpote tam firmiter radicata in corde ipsius, ut per debilem illam delectationem, necdum abrumpi possent, sed in se experiretur plus valere deterius inolitum, quàm melius insolitum, prout in causa mutationis morum expertum se narrat Augustinus l. 8. Confess. c. 11.

§. IV.

Augustini Sententia est, omnia infidelium opera deliberata, quæ non sunt ex aliqua fide inchoata, sive ex aliquo primo saltem aliquo gratiæ actualis crepusculo profecta, esse peccata; non in specie, sive secundùm substantiam suam & officium spectata; sed secundùm individualem circumstantiam non relationis ad debitum finem ultimum, requisitam ex parte agentis.

210 PRobatur primò, quia innumeris locis perspicuè negat, dari opera undique bona, sive debitis omnibus circumstantiis ornata sine fide; sed hoc non intelligit de fide perfecta, seu strictè sumpta (quæ virtutum Theologicarum est prima) ut constat ex dictis §. præcedenti. Intelligit ergo de fide inchoata, prout complectitur quamvis illustrationem supernaturalem, piamque credulitatis affectionem, quæ ad fidem strictè dictam se habeat, sicut dispositio ad formam, vel sicut crepusculum ad diem. Probatur major ex lib. de prædest. Sanct. c. 10. *Non sunt opera bona nisi ex fide: justus enim ex fide vivit, & omne quod non est ex fide peccatum est, & sine fide impossibile est placere Deo.* L. 3. ad Bonifac. c. 5. *Sine fide, etiam quæ videntur bona, in peccata vertuntur: omne enim quod non est ex fide, peccatum est.* In præfat. Ps. 31. *Ea bona opera quæ dicuntur ante fidem, quamvis videantur hominibus laudabilia, inania sunt. Ita mihi videntur esse ut magnæ virtutes, & cursus celerrimus præter viam. Nemo ergo computet bona opera sua ante fidem: Ubi fides non erat, bonum opus non erat. Bonum opus intentio facit: intentionem fides dirigit.* In Ps. 67. *Ea sola bona opera dicenda sunt, quæ fiunt per dilectionem Dei. Hæc autem necesse est ut antecedat fides, ut inde ista, non ab istis incipiat illa.* 4. contra Julian. 8. *Nos autem ea, quæ videntur opera bona, dicimus non esse verè bona sine fide: quoniam opera verè bona necesse est Deo placere, cui sine fide, quia impossibile est placere, profectò, quod verè est bonum, sine fide non potest esse.* Epist. 105. *Opera quippe bona fiunt ab homine; fides autem fit ab homine, sine qua illa à nullo fiunt homine: omne enim quod non est ex fide, peccatum est.* Tract. 86. in Joan. *Non est ut dicas, antequam crederem, jam bona operabar. Quid enim est boni operis ante fidem, cùm dicat Apostolus: Omne quod non est ex fide, peccatum est?* Idem sexcentis aliis locis repetit, sed nullibi luculentiùs argumentum hoc prosequitur, quàm 4. contra Julian. 3. ubi tam expresè omnes adversariorum tergiversationes & glossas excludit, ut nullum videatur reliquisse ambigendi locum. Ideòque caput istud lib. 6. specialiter expendemus.

Secundò, hanc esse Augustini sententiam 211
perspicuè ostendere videntur testimonia ejusdem c. 13. relata, quibus expresè asserit liberum corrupti hominis arbitrium sine gratia Christi, non sufficere ad opus usquequaque bonum, nullaque ex parte peccaminosum. Quibus alia lib. 6. adjiciemus, quibus apertè docet, nullum opus ex omni parte bonum sine gratia Christi effici posse, nec ipsam boni cupiditatem in homine esse nisi per gratiam, primam verò gratiam, quæ datur infidelibus, esse gratiam fidei, saltem inchoatæ, perspicua quoque ipsius sententia est l. 1. ad Simplician. q. 2. *Incipit homo percipere gratiam, ex quo incipit credere, vel internâ, vel externâ admonitione motus ad fidem.* Ideòque lib. de perfecta justitia c. 19. dicit quòd *initium corrigendæ mentis est fides.*

Tertiò, eamdem esse Augustini sententiam 212
demon-

demonstrare videntur duo alia ejusdem principia l. 6. stabilienda. Primum, quòd omnia ex præcepto referenda sint in Deum propter se dilectum, nullumque opus benè fiat nisi ex amore Dei propter se, quem sine fide, saltem inchoata, esse non posse docet in Psal. 67. suprà. Secundum, quòd omnis amor Dei propter se à Deo sit per gratiam.

213 Quartò, idipsum demonstratur ex eo quòd textum Apostoli Rom. 14. *Omne quod non est ex fide, peccatum est*, innumeris locis exponat ad sensum expressum in summario præsentis §. Id quod usque adeò verum est, ut ipsimet adversarii, Augustinianæ doctrinæ luce perstricti, id fateantur, & nonnulli ex ipsis (cum Massilienſibus) dicere non erubescant, ipsum in eo excessisse, textumque illum Apostolicum, in hunc sensum perperàm exposuisse. Ita Antoninus Moraines, seu Joannes Martinonus in Anti-Jansenio, de ipso dicens: „ Perperàm „ quoque exponit id quod ait Apostolus Rom. „ 14. *Omne quod non est ex fide, peccatum est.* Quasi velit dicere Apostolus, omnia opera infidelium (sine ulla fide, saltem inchoata) esse peccata, & sine vera fide (inchoata ut antè) nullum posse fieri opus bonum. „ Cùm tamen „ ibi sermo sit, de eo quod non fit ex dictami„ ne conscientiæ judicantis bona fide licitum esse „ id quod fit, ut ex textu ipso liquet, & com„ munis interpretatio Doctorum contradicit Au„ gustino.

214 Verum-enimverò licèt iste unus sit ex sensibus istius loci, non tamen unicus. Meminisse ergo debuit Martinonus, unius ejusdemque sacri textûs sensum, etiam proprium ac litteralem, non rarò multiplicem esse, nec proinde sensum illum, allegatum à Martinono, tametsi plurium sit Patrum, & Interpretum, ideò contradicentem esse Augustiniano sensui, quia diversum ab Augustiniano, per Ecclesiam & SS. Patres, pariter approbato.

215 Augustinianam quoque expositionem sequitur Pontificale Romanum, dum (inter cæremonias ordinationis Subdiaconorum) inducit Episcopum sic ipsos alloquentem: *Estote ergo tales, qui sacrificiis divinis & Ecclesiæ Dei.... dignè servire valeatis, in vera & catholica fide fundati, quoniam, ut ait Apostolus, omne quod non est ex fide, peccatum est.*

216 Sequuntur & summi Pontifices. Leo Magnus serm. 8. de Quadragesc. c. 1. & serm. 2. de jejun. Pentec. c. 2. Bonifacius in epistola ad Cæsarium Arelat. apud Sirmundum to. 1. Concil. Gall. pag. 123. & seqq. Sequuntur etiam communiter SS. Patres. Origenes l. 1. in Job paulò post initium, & l. 10. in cap. 14. ad Rom. Chrysostomus, Beda, Hugo Victorinus, & Rabanus ibidem. Prudentius adversus Joannem Scotum c. 4. Julianus Pomerius l. 3. de vit. contempl. c. 1. Facundus Hermianensis lib de trib. capit. c. 1. Fulgentius l. 2. de remiss. peccat. c. 1. l. 1. de verit. prædest. c. 18. & l. de Incarn. & Grat. c. 25. Prosper epist. ad Rufin. c. 7. & Carm. de ingrat. c. 16. S. Isidorus de summo bono c. 2. Author libror. de vocat. Gent. Lupus Servatus l. de trib. quæst. q. 1. Lupus Ferrariensis in collectan. q. 2. Aelredus serm. 21. in c. 14. Isaï. Remigius Lugdun. l. de trib. epist. c. 22. Bernardus serm. 30. & 50. in Cantica. Quibus concinunt Scholastici celebres apud Pererium in c. 14. ad Rom. disp. 4. sub initium, ubi sic: "Hæc quidem fuit sententia Gregorii Arimi- "nensis, qui l. 2. sent. dist. 26. 27. & 28. longis- "simâ disputatione probat, omnes actiones & "opera infidelium citra speciale aliquod Dei au- "xilium facta esse peccata. Cui Capreolus ibi- "dem adstipulatur, etiam B. Thomæ hanc opi- "nionem assignans. Beatus Martyr Roffensis ad- "versus trigesimum sextum articulum Lutheri "disputans, hanc ipsam censet fuisse Patrum do- "ctrinam. Ambrosius item Catharinus in com- "mentariis suis in lib. Geneseos super c. 2. ejus "libri, pugnaciter hanc opinionem defendit, "& contrarias ei rationes, præcipuè allatas à "Dominico Soto l. 1. de nat. & grat. dissolvere "conatur. "

Eundem denique sensum, eandemque Au- 217
gustini sententiam sequuntur omnes Patres, qui negant liberum arbitrium valere ad non peccandum sine gratia, quique negant liberum arbitrium sine gratia valere ad ullum opus undique bonum. Ut enim Augustinus de grat. & lib. arb. c. 13. *Gratia Jesu Christi eorum tantummodò est, quorum est ipsa fides*, saltem inchoata.

Hoc itaque sensu Rabanus loco citato, Apo- 218
stolicum testimonium, *Omne quod non est ex fide, peccatum est*, hisce Origenis verbis explicat: *In hoc sermone credentium quorumcumque negligentes & desides animos vinculo arctiore constringit* (Apostolus) *ut nihil sine fide agant, nihil absque fide cogitent. Quia sive quid gesseris sine fide, sive locutus fueris, sive etiam cogitaveris, peccas. Hoc idem est quod in aliis dicit: Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid faciatis, omnia in gloriam Dei facite.*

Eodem sensu Bernardus serm. 30. in Cant. 219
Si probas nostram de vinea interpretationem, vide etiam consequenter, an rectè quoque dicamus, fidem, vitem; virtutes, palmites; botrum, opus; devotionem, vinum. Siquidem nec palmes absque vite, nec virtus sine fide aliquid est: sine fide enim impossibile est placere Deo. Fortasse & displicere necesse erit. Denique omne quod non est ex fide, peccatum est. Et serm. 51. florem fidem, fructum actum intellige. Nec incongruè, si advertas quomodò, instar floris necessariò præcedentis fructum, bonum quoque opus oporteat fide præveniri. Alioquin sine fide impossibile est placere Deo. Paulo attestante, magis autem (aquè ipso dicente) omne quod non est ex fide, peccatum est. Itaque nec sine flore fructus, nec sine fide opus bonum.

Et S. Remigius cum Ecclesia Lugdunensi 220
loco suprà relato: *Verè mortua sunt omnia opera infidelium, non solum quando apertè vitiis & peccatis serviunt, sed etiam quando naturali bono, in quantum omnipotens Creator tribuit,*

instigati, vel naturali lege commoniti, quædam bona opera, & velut quasdam virtutes habere atque exercere videntur : quia fidem Dei & Christi ejus, vel ignorantes, vel odio habentes... quod ex illa fide non operantur, omninò nec bonum opus (id est non omnimodè, sive omni ex parte bonum) *nec vera virtus esse potest, quæ non procedit ex radice veritatis & bonitatis.* Et in lib. de tenenda verit. Script. c. 10. *Habent omnes homines, etiam qui alieni sunt à Christo, liberum arbitrium, sed.... in prævaricatione Adæ infirmatum, naturali possibilitate & innocentiâ spoliatum, sine Christo nulli bono usui aptum. Habent naturaliter insitum arbitrium voluntatis, ut eodem arbitrio possint velle mala, possint velle etiam quædam bona, sed humanâ affectione ad humanam societatem atque honestam pertinentia, quæ eâdem humanâ affectione, vel propter aliqua temporalia commoda appetuntur, vel propter ipsam solummodò vitæ honestatem.... Cùm propter temporalia bona appetuntur, sine dubio cupiditates sunt. Cùm propter solam vitæ honestatem, sine dubio inflata & elata sunt, &c.*

221 Et V. Beda l. 1. in Cant. c. 6. *Constat quia quicumque Philosophorum Christi Dei virtutem, & Dei sapientiam nescierunt, hi nullam veram virtutem, nec ullam veram sapientiam habuerunt.*

222 Gregorius Magnus l. 2. in Ezech. 16. *Per vestibulum fides potest intelligi : ipsa quippe est ante gradus & portam.... non enim virtutibus venitur ad fidem ; sed per fidem pertingitur ad virtutes. Cornelius enim Centurio, cujus eleëmosynæ ante baptismum, Angelo testante, laudatæ sunt, non operibus venit ad fidem ; sed fide venit ad opera.... Neque enim poterat bona agere, nisi antè credidisset : sine fide enim impossibile est placere Deo ;* cui placet omnis benè operans.

223 Et Julianus Pomerius l. 3. vit. contempl. c. 1. *Virtutes, si fuerint sine fide, non sunt aliqua bona* (omni ex parte bona) *credenda ; sed vitia, saltem ex parte operantis, non in specie, sed in individuo, ob defectum alicujus circumstantiæ individuantis, ex parte operantis requisitæ.*

224 Et S. Prosper epist. ad Rufin. c. 7. *Omne quod non est ex fide, peccatum est ; ut scilicet intelligas, justitiam infidelium non esse justitiam, quia sordet natura sine gratia.* Et Carm. de ingratis c. 16.

Omne etenim probitatis opus, nisi semine veræ
Exoritur fidei, peccatum est, inque reatum
Vertitur, & sterilis cumulat sibi gloria pœnam.

225 Et sent. 106. *Omnis infidelium vita peccatum est, nihilque bonum sine summo bono. Ubi deest agnitio æternæ atque incommutabilis veritatis, falsa virtus est, etiam in optimis moribus.* Et S. Fulgentius l. 1. de verit. prædest. c. 18. *Omne enim quod non est ex fide, peccatum est, & sine fide impossibile est placere Deo. Qui autem Deo non placet, sine dubio displicet ; non eum mitigat, sed potiùs exacerbat.*

226 Et Hieronymus l. 2. Comment. in c. 3. ad Galat. ad illa verba, *Justus ex fide vivit : Faciamus & nos aliquid simile huic quod dicitur, Justus ex fide vivit, & dicamus, castus ex fide vivit, sapiens ex fide vivit, fortis ex fide vivit, & à vicinis virtutum partibus vicinam sententiam proferamus, adversus eos qui in Christum non credentes, fortes, sapientes & temperantes se putant esse, vel justos, ut sciant nullum absque Christo vivere, sine quo omnis virtus in vitio est.*

Et Cyprianus l. de bono patientiæ sub initium : *Hanc se sectari Philosophi quoque profitentur : sed tam illic patientia falsa est, quàm & falsa sapientia. Unde enim vel sapiens esse, vel patiens possit, qui nec sapientiam, nec patientiam Dei novit ?* 227

Ecce quomodò sanctorum Patrum Chorus Augustino concinit, qui proinde non solùs l. 1. Retract. c. 3. *Displicet mihi* (inquit) *quòd Philosophos, non verâ pietate præditos, dixi virtutis luce fulsisse.* Secundùm Augustinum verò, sine fide nulla vera pietas : quia à fide incipit omnis vera pietas, sicut & omnis vera alia virtus, ut docet l. 1. de lib. arb. c. 2. 228

§. V.

Gratia, seu Fides inchoata, sine qua omnis actus deliberatus deficit à debita in Deum relatione, secundùm Augustinum, est gratia supernaturalis, non concursus naturalis, ordinario major, ut Vasquez putat.

PRobatur primò, quia testimonia Scripturæ, quibus tantam fidei, seu gratiæ necessitatem comprobat Augustinus, procedunt de gratia supernaturali ; ista utique : *Justus ex fide vivit. Omne quod non est ex fide, peccatum est. Sine fide impossibile est placere Deo* ; ut benè ostendit Suarez to. 1. de grat. l. 1. c. 17. & 18. 229

2°. Si Augustinus tantam fidei gratiæque necessitatem prædicando, gratiâ illâ naturali Vasquezianâ contentus esset, ineptè inde argueret contra Pelagianos & Semipelagianos, initium meriti in natura ponentes. 230

3°. Augustinus epist. 105. docet gratiam Christi, cujus tantam necessitatem asserit, esse illam ad quam nobis promerendam Christus mortuus est. Non est autem mortuus pro concursu naturali. 231

4°. Ad opus undequaque bonum Augustinus censuit non sufficere gratiam naturalem, sitam in notitia legis atque doctrinæ : ergo nec sitam in concursu illo naturali. Propterea namque illud censuit, quia sic gratia sita esset in natura, utpote quam non excederet. Hinc verò convincitur postulasse gratiam excedentem naturam ; adeòque supernaturalem. 232

5°. Augustinus nusquam nisi de gratia supernaturali loquitur, dum necessitatem illius adstruit vel defendit, prout idem Suarez loco citato ostendit, & post ipsum Smising. tr. 3. d. 6. q. 7. n. 360. 361. & 367. 233

6°. Augustinus nullos agnoscit actus omni ex parte bonos, nisi proficuos ad vitam æternam. 234

nam. Ad istos verò omnes haud dubiè requirit fidem & gratiam supernaturalem.

Scio Recentiores non paucos difficulter ac-
235 quiescere tantæ necessitati gratiæ, fideique supernaturalis. Unde enim (inquiunt) tanta ipsius necessitas, ut sine ea nullum opus undequaque bonum in hoc statu fieri queat?

Sed imprimis pariter ab ipsis quæri potest,
236 unde tanta ipsius necessitas, ut sine ea nulla vel levissima tentatio vinci queat, ut docet Bellarminus, vel nulla saltem tentatio gravis, ut vult Suarez? Quidquid dixerint, sibi dictum putent; maximè cùm dicere nequeant, impotentiam istam solùm esse moralem, consistentem in sola difficultate, quæ, cùm summa sit, impotentia dicitur. Quippe ex quo sequeretur, gratiam non esse simpliciter necessariam ad posse, neque etiam simpliciter ad operari; sed ad facilè posse vel operari; prout dicebant Pelagiani. Igitur est impotentia simpliciter & omnimoda, atque adeò physica. Sola quippe impotentia moralis, non est omnimoda, cùm relinquat potentiam physicam integram. Cùmque major quoad hoc impotentia sit in natura corrupta, quàm fuisset in natura pura, & natura pura fuisset ad minus moraliter ad hoc impotens sine gratia: igitur modo est physicè impotens, defectu scilicet alicujus physicè necessarii ad actum: si enim sine gratia haberet omnia necessaria ad actum, non apparet cur sine gratia nunquam prodiret in actum.

Quidquid autem de eo sit, ad quæsitum
237 ipsorum directè respondeo, duplicem esse radicem dictæ necessitatis. Prima est corruptio naturæ, quâ fit ut natura sine gratia sordeat (ut ait D. Prosper suprà) pro quanto scilicet natura corrupta omnia retorquet ad seipsam, nec quidquam operatur finaliter propter Deum nisi sanetur per gratiam, prout habemus ex Thoma à Kempis in lib. de Imit. Christi; habemus etiam ex sanctis Patribus l. 6. referendis, necnon ex Arausicano can. 20. dicente: *per peccatum ita attenuatum & inclinatum liberum arbitrium, ut neque diligere Deum sicut oportet, neque propter Deum operari possit.* Atque ex S. Thoma 1. 2. q. 109. a. 3. *Homo in statu naturæ integræ dilectionem sui ipsius referebat ad amorem Dei sicut ad finem, & similiter dilectionem omnium aliarum rerum. Sed in statu naturæ corruptæ, homo ab hoc deficit, secundùm appetitum voluntatis rationalis, quæ propter corruptionem naturæ sequitur bonum privatum, nisi sanetur per gratiam.*

238 Secundam radicem istius necessitatis optimè prosequitur noster Irenæus à S. Jacobo de grat. c. 2. sect. 2. §. 3. conditionem scilicet statûs, in quo conditi sumus, sive elevationem & ordinationem ipsius ad finem supernaturalem, quâ fit, ut finis ille, seu beatitudo supernaturalis, esse debeat regula & mensura omnium actuum nostrorum moralium, finisque ad quem omnes actus nostros morales referre teneamur. Quod profectò sine gratia supernaturali non possumus. Neque enim ad finem supernaturalem natura potest suis assurgere viribus, sed solâ Christi gratiâ, per quam solam salvari possumus.

§. VI.

Damnatæ propositionis vigesimæ quintæ sensus multiplex ab Augustiniano diversus.

MEritò nihilominùs damnata est propositio 239
vigesima quinta, salvâ Augustini sententiâ. 1°. Quia propositio illa falsissima est, considerata relativè ad omnes propositiones in eadem Bulla damnatas, in sensuque Assertorum totius doctrinæ ibidem proscriptæ. Ideò namque volunt omnia infidelium opera esse peccata; quia omnia opera infidelium sunt opera peccatorum, gratiâque sanctificante & perfectâ charitate destitutorum. Omnia verò opera sine gratia sanctificante, & perfecta charitate facta, voluerunt esse peccata (cum Luthero & Calvino damnatis in Concilio Tridentino sess. 6. c. 6. & Joanne Hus, cujus in Concilio Constantiensi sess. 15. damnata est hæc propositio: *Sine gratia sanctificante, nullum opus bonum fieri potest*); *ac proinde omnia peccatoris opera sunt peccata*, ut patet ex eorum propositione trigesima quinta: *Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est*; necnon ex aliis propositionibus eorumdem c. 9. & 10. allegatis, quibus nec aliam gratiam agnoscunt quàm sanctificantem, nec aliam quàm perfectam charitatem.

2°. Rursus eadem falsissima est, meritò- 240
que damnata, in alio sensu ab eisdem totius illius doctrinæ Assertoribus intento, quo voluerunt, omnia infidelium opera ex natura sua esse peccata mortalia, juxta hanc propositionem ipsorum vigesimam: *Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur pœnam æternam.*

3°. Eadem propositio meritissimò damnata 241
est, quatenùs Assertores illius ne quidem excipiunt actus indeliberatos infidelium, sive prava desideria, quibus ratio ipsorum non consentit, motusque concupiscentiæ, quos inviti patiuntur; utpote de quibus propositione quinquagesimâ, cum Luthero & Calvino sic aiunt: *Prava desideria, quibus ratio non consentit, & quæ homo invitus patitur, sunt prohibita præcepto, Non concupisces.* Et propositione quinquagesimâ primâ: *Concupiscentia, sive lex membrorum, & prava ejus desideria, quæ inviti sentiunt homines, sunt vera legis inobedientia.*

4°. Non excipiunt etiam actus alios inde- 242
liberatos, in quos infideles naturaliter prorumpunt, ex naturalissima inclinatione amandi Deum. Qui profectò non sunt peccata.

5°. Non soli illi sunt infideles, qui non 243
credunt in Deum; sed & qui non credunt in Christum, ut §. 3. vidimus, patetque in Paganis, seu Gentilibus & Judæis. Imò hæretici, licèt in Christum credentes, infideles sunt, ex dictis ibidem. Falsissimum verò est, eorum omnium (quorum nulli excipiuntur ab iisdem Assertoribus) opera omnia esse peccata, ut

constat in Cornelio, *cujus acceptæ sunt eleëmosynæ, & exaudita orationes, antequam credidisset in Christum*, inquit Augustinus de prædest. Sanct. c. 7.

244 6°. Quædam opera & virtutes infidelium possunt esse ex gratia & fide inchoata, uti §. 3. ostensum est: ergo saltem hæc excipere debebant Assertores illi. Non exceperunt autem, ex supradictis: quia gratiam & fidem inchoatam non agnoverunt, sed solam perfectam per Spiritum sanctum inhabitantem.

245 7°. Quando simpliciter agitur de peccatis aut vitiis, considerantur ex genere suo, seu objecto proprio, non ex circumstantiis individualibus, actum ex se bonum non vitiantibus, ut observat R. P. Hauseur to. 2. Anatom. oper. S. Augustini in lib. 4. contra Julian. c. 3. ubi sex adfert discrimina doctrinæ Augustinianæ suprà relatæ à damnata illa propositione, & inter ea ponit 3. 4. 5. & 6. de quibus antè. Ideòque omnia opera & virtutes infidelium non sunt peccata & vitia, quia non sunt talia ex genere suo, seu objecto & officio proprio, imò nec ex vi talis agentis, ex eo utique quòd infidelis sit; cur enim peccassent Philosophi illi Ethnici, v. g. Platonici, qui Deum (Apostolo teste) cognoverunt, & ad Deum opera omnia referenda docuerunt, si quando ipsi opera sua, ex se bona, ad Deum retulerint? Cur peccassent, qui (juxta præceptum Epicteti) in quovis incœpto petierunt à Deo duci, vel (juxta Arrianum) in quovis opere suo Deum laudarunt & gratias egerunt? Nequidem actus ipsorum ex suo genere, seu officio boni, cujusmodi sunt, honestatem diligere, nudum operire, eleëmosynam dare, filiorum suorum necessitatibus subvenire, &c. ideò mali fuerunt, quia infidelium fuerunt, sed moraliter boni fuerunt, solusque debitæ in Deum relationis defectus, malus fuit, nec tamen actum ipsum ex se bonum vitiavit, sed agentem, vel (si mavis) complexum ex actu, & illo defectu.

246 Idem etiam Author in Præfatione Apologetica (eidem tomo præfixâ) observat, quòd licèt nonnullæ Augustini propositiones, ab ipso B. Augustini textu sejunctæ, & quasi emunctæ, cumque supradictis propositionibus damnatis & fœtentibus, ab Augustiniana doctrina procul alienis, per earumdem Assertores conjunctæ, sub ista conjunctione, illaque sejunctione, quasi fumantes & malè olentes sint, suo tamen Augustiniano contextui redditæ, & ab isto adulterino contextu separatæ, non fumum & fœtorem, sed puram christianæ pietatis, charitatis & veritatis lucem suaveolentemque odorem spargere dignoscuntur.

§. VII.

Sensus quo damnata est altera pars propositionis vigesimæ quintæ. Virtutes Philosophorum sunt vitia.

247 VIrtutes Philosophorum, seu philosophicæ, in hoc distinguuntur à virtutibus christianis, quòd illæ ad Deum non referantur, sed propter solam creatam earum honestatem exerceantur; secùs istæ; quia sine charitate non sunt, saltem generaliter accepta pro amore Dei propter se, per quem ad Deum referuntur. Docet porrò Augustinus l. 19. de Civit. Dei c. 25. *Virtutes, quas sibi habere videtur* (mens veri Dei nescia) *per quas imperat corpori, & vitiis.... nisi ad Deum retulerit, etiam ipsa vitia sunt potiùs, quàm virtutes.* Quæritur ergo sensus diversus damnatæ illius propositionis à sensu S. Augustini, quem ex hactenus dictis constat non esse damnatum?

Respondeo partem illam propositionis vige- 248
simæ quintæ damnatam esse à Pio V. quatenus asserit virtutes Philosophorum esse vitia strictè sumpta, id est, habitus inclinantes ad actus ex officio malos. Quo sensu nunquam Augustinus asseruit virtutes philosophicas, seu ad Deum finaliter non relatas, esse vitia; sed solùm asseruit esse vitia latè sumpta, id est, habitus inclinantes ad actus ex officio quidem bonos, sed ex defectu relationis ad debitum finem ultimum sic vitiosos, ut defectus iste non teneat se ex parte officii, nec ipsum vitiet, sed agentem dumtaxat, vel complexum ex actu, & illo defectu. Unde l. 4. contra Julian. c. 3. virtutes philosophicas Dei dona appellat, earumque opera, *opera bona*, sed sine amore Creatoris non benè facta.

Damnatæ verò propositionis Assertores, Phi- 249
losophorum virtutes voluerunt esse vitia strictè accepta: quia voluerunt per defectum relationis ad debitum finem ultimum, actus illarum virtutum vitiari etiam quoad officium. Et ipsemet Bajus hoc sensu voluisse videtur, virtutes Philosophorum esse vitia: quia l. 2. de virtut. impior. c. 4. dicit, *virtutes eas, quæ ab Aristotele describuntur, id est, virtutum officia, quæ non ob aliud, sed propter semetipsa expetuntur, non rectè à peccato vindicari.* Et in titulo istius capitis: *Quòd honestatis officia, cùm in Deum non referuntur, non sint virtutes, sed vitia virtutes imitantia.* Et c. 5. dicit, *virtutem* (id est virtutis officium, ut antè) *propter se factam, non tantùm non esse virtutem fructuosam; sed vanitatem manifestam, &, ut minimè, stipulam igne comburendam.*

Non sum nescius illum Baii sensum à non- 250
nullis negari. Quia in titulo capitis 2. dicit 1°. quòd aliud sit differere de virtutibus, quàm de virtutum officiis. 2°. Quia in corpore ejusdem capitis dicit: *Neque mihi nunc quæstio est de honestatis officiis.* Quod & in fine repetit. 3°. Quia ibidem addit se agere de virtutibus, quæ & finibus distinguuntur à vitiis: *Non itaque de officiis mihi quæstio est, quæ aliqua ex parte post lapsum remanserunt integra; sed de virtutibus, quæ & finibus distinguuntur à vitiis.*

Verùm per hæc non evacuatur difficultas. Quamvis enim aliud sit differere de virtutibus, quàm de virtutum officiis; officia virtutum philosophicarum per non relationem ad Deum, velut finem ultimum, in se vitiari dicit locis

citatis. Nec cap. 2. absolutè dicit se agere nolle de virtutum officiis (cùm toto cap. 3. & 4. expresè de iis agat, ferèque semper de iisdem loquatur) sed de iis dumtaxat, *quibus aut Deum colendo benè utimur, aut mundum diligendo malè*, prout ibidem exprimit. *De* talibus namque *honestatis officiis* agere non erat necesse: quia satis constabat honestatis officia, quibus Deum colendo benè utimur, esse bona; ea verò quibus mundum malè diligendo malè utimur, (ea v. g. ad vanam gloriam referendo) esse mala. Necesse ergo ipsi non erat agere de honestatis officiis ad Deum, vel ad finem malum relatis. Sed eo non obstante verum est quòd de iis agere voluerit, nec ad Deum, nec ad finem malum, sed ad se præcisè relatis, sive propter se factis, ut loquitur c. 5. Unde c. 4. *Qui* (inquit) *Deo non servit, etiam virtutum officia non ob aliud, sed propter semetipsa expetit. Is non secundùm virtutem vivit, sed simulat dumtaxat, fornicans Deo suo, & per honestatis officia, quæ soli debuerunt Creatori famulari, in cogitationibus & inanibus desideriis evanescit.* Nota ly *per honestatis officia evanescit.* Quod profectò non diceret, nisi officia illa in se vitiari censeret.

251 Nec oppositum evincunt verba ista: *Non itaque de officiis mihi quæstio est, quæ aliqua ex parte, post lapsum, in natura humana remanserunt integra, sed de virtutibus, quæ & finibus distinguuntur à vitiis.* Dicendo namque se nolle agere de virtutum officiis, quæ post lapsum in natura humana remanserunt integra, dicit se de iis agere nolle, quibus Deum colendo benè utimur; utpote quæ sola existimavit integra, id est, nullo vitio maculata. Virtutes verò, finibus à vitiis distinguendo, officia per defectum relationis in Deum in se vitiari censuit, uti ostendimus.

Propterea Bajanam illam propositionem, sen- 252
su à nobis allato, Romani Theologi semper intellexerunt, ut constat partim ex dictis cap. 9. num. 15. partim ex iis quæ Romæ acta sunt in causa libri P. Ægidii Gabrielis, quem cùm Romana Inquisitio proscripsisset, deque speciali gratia Author ille postmodùm obtinuisset ut liber ille corrigeretur, correctusque ederetur, assignato ipsi in Correctorem Reverendissimo, posteà Eminentissimo Cardinale de Lauræa; voluissetque Lauræa, ut propositioni isti, *Omnis amor in hoc statu, seclusò Salvatore, est malus*, adderet, *plerumque*, vel *ut plurimùm*. Quæsivit P. Gabrielis, num proscribere vellet doctrinam Lovanienstum, de obligatione omnes actus nostros referendi in Deum ex amore benevolo, qui sine Salvatore non habetur? *Minimè verò*, respondit Lauræa: *etenim hæc sententia, me judice, probabilis est, relinquemusque intactum quidquid de illa dicis; falsumque est ex ea sequi vexatam tuam propositionem. Nam qui non refert in Deum actum, cæteroquin bonum, peccat quidem, quatenùs præcisè non refert; non tamen quatenùs exercet talem actum. Adeòque defectus relationis non vitiat ipsum actum. Quare defectu istius præcisè relationis vocari non potest malus. Aliter verò sentiens, Bajanus est.*

PROLEGOMENON SEPTIMUM.

De nimia Recentiorum Casuistarum libertate censurandi sententias in sacris Litteris & SS. Patribus, Doctoreque Doctorum Augustino fundatissimas.

1 GRassantem, Catholicos inter Theologos, sæculares & Religiosos, divisionem, velut Ecclesiæ paci animarumque saluti noxiam, pii quique deplorant: *Hoc autem dico, quod unusquisque vestrûm dicit* (aiebat Apostolus 1. Cor. 1.) *Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego autem Cephæ, ego autem Christi. Divisus est Christus?* Unde ista divisio? ex immoderata se mutuò censurandi audacia; eâ præsertim, quâ sententiæ innocentissimæ, in sacrisque Litteris, & SS. Patribus fundatissimæ, nullâ sobriâ consideratione, erroris arguuntur. *Videmur nimis Catholici* (aiebat Gregorius Nazianzenus in Apolog.) *nimis & fideles, & zelo Dei excitati, sed non sicut expedit.*

2 Longum esset recensere sententias omnes hujusmodi, quas nimia illa censurandi libido erroris arguit: ex multis accipe quinque sequentes.

Prima est, quòd homo sub præcepto, adeòque sub peccato, teneatur omnes actus suos deliberatos in Deum propter se dilectum referre.

Secunda, quòd Dei propter se dilectio, seu charitas non strictè & specialiter, sed amplè & generaliter accepta, necessaria sit ad justificationem peccatoris in Sacramento Pœnitentiæ.

Tertia, quòd non omnis charitas, taliter accepta, sive non omnis Dei propter se dilectio, regulariter sufficiat ad justificationem peccatoris, absque actuali susceptione ejusdem Sacramenti.

Quarta, quòd solo gehennæ timore, absque Dei propter se dilectione, saltem inchoatâ, peccati mortalis affectus non penitùs excludatur, nec sufficienter retractetur.

Quinta, quòd peccatorum consuetudinariorum, facilèque, citò & frequenter in eadem gravia crimina reincidentium, absolutio ordi-

nariè differenda sit, quamdiu verisimile est ad eadem peccata redituros.

§. I.

Refellitur censura primæ propositionis.

3 PRimam erroris arguit Casuistarum Apologista pag. 165. atque post ipsum Arsdekinus Theol. tripart. to. 2. p. 2. tr. 1. c. 3. q. 21. §. 2. Eandem inter Baii errores referunt Jesuitæ Anglo-Leodienses in Artibus Bajanis pag. 15.

Verum-enimverò censuram istam Ludovicus Gondrinus Archiepiscopus Senonensis, cum tota Synodo sua, Casuistarum Apologiam anno 1658. condemnando, sic meritissimò perstrinxit: *Hæc propositio quatenus erroris accusat sanctissimam illam doctrinam, quâ Christianis omnibus præceptum asseritur, ut actus omnes suos ad Dei honorem, (actu scilicet vel virtute) referant: temeraria, ac falsa est, Patribus, S. Thomæ, & clarissimis Theologiæ Doctoribus injuriosa, qui in his S. Pauli verbis:* „ Omnia „ vestra in charitate fiant, &, omnia in gloriam „ Dei facite, „ *verum præceptum semper agnoverunt, quod violari sine aliquo peccato mortali, vel veniali non possit.* Eandem censuram temerariam, & pluribus Patribus injuriosam, censuerunt Vicarii Generales Eminentiss. D. Cardinalis Retzii, Archiepiscopi Parisiensis, 23. Augusti 1658. Inter alias quoque causas Apologiam condemnandi, Annas de Levi, de Vantadour, Archiepiscopus Bituricensis, in censura anni 1659. Nicolaus Episcopus Bellovacensis, in censura anni 1658. Ægidius Episcopus Ebroicensis in censura anni 1659. & Eminentissimus D. Cardinalis Forbinus de Janson, in censura ejusdem anni, hanc expresserunt, quòd Apologiæ Author, erroris arguat doctrinam orthodoxam, quæ cum Paulo asserit obligationem, omnes actus nostros, ex divini amo-
4 ris motivo faciendi. Cùmque per totam Diœcesim Rothomagensem sparsus fuisset per P. Buffierum (è Soc. Jesu) liber inscriptus: *Les difficultez proposées, &c.*, in quo erroris arguebantur sanctiores Moralis Christianæ regulæ, v. g. de Deo quàm frequentissimè diligendo: Illustrissimus D. Jacobus Nicolaus Colbert, Archiepiscopus Rothomagensis, voluit ut in tota Diœcesi sua traderetur, recipereturque, etiam à Sociis, doctrina regulis illis conformis, à memoratoque P. Buffiero subscriberentur propositiones sequentes, ad rem nostram facientes, ab eodem Illustrissimo explicatæ ut infrà: Quarta: *Divini amoris obligatio prima est, præcipuaque hominis obligatio, nec ulla pars vitæ ipsius ab amore isto, saltem habituali, esse debet exempta.* Quinta: *Omnis actio, ut verè christiana sit & meritoria, procedere debet ex amore Dei, velut principio, ad Deumque referri, velut ad finem suum ultimum.* Et adjecit explicationem, probationemque solidissimam: *quòd Dei amor sit cultus ille perpetuus quem homo debet enti entium, pro quo colendo, & à quo habet quidquid habet. Quòd desiderium beatitudinis (unde motus ipsius omnes procedant) ipsum movere non cesset ad amandum illud bonum, quo solo satiari potest cor ipsius. Quòd lege divinitùs constitutâ jubeatur in omnibus actibus suis, in Deum tendere, velut in finem suum ultimum. Quòdque hæc est universa lex & Prophetæ, ad quam implendam motiva in Christo Jesu occurrunt urgentissima, efficacissimaque.*

Nunquam (inquit) *credere quis potuisset,* 5 *obligationem tam justam & tam amabilem, à Christianis in dubium revocatum iri. Verùm inventi sunt novitii Doctores, quibus necessitas jugiter amandi Deum visa est adeò onerosa, ut ab ea totam penè hominis vitam exemptam voluerint. Probabile namque censuerunt, singulis dumtaxat quinquenniis per se obligare præceptum charitatis erga Deum, totamque istius præcepti observantiam ad mortis articulum, quasdamque occasiones raras reducentes, non erubuerunt asserere, quòd pro reliquo vitæ tempore, Deus pro infinita sua bonitate, non tam sui amorem præciperet, quàm odium vetaret.*

Ad cohibendos excessus istos (in quorum reno- 6 *vationem libellus per Diœcesim nostram dispersus collimabat) in propositionibus, quarum signaturam P. Buffiero Superiores Societatis injunxerunt, expressimus, nullam vitæ partem exemptam esse debere ab exercitio divini amoris; utpote ex cujus motivo procedere oportet omnes & singulos actus nostros, juxta expressas illas Apostoli sententias:* " Sive manducatis, sive bibitis, sive " aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite, " 1. Cor. 10. Omnia vestra in charitate fiant, 1. " Cor. 16. Omne quodcumque facitis, in verbo, " aut in opere, omnia in nomine Domini Je- " su Christi facite, gratias agentes Deo & Patri " per ipsum, Coloss. 3. " *Quas profectò sententias, S. Thomas, eruditioresque S. Scripturæ Interpretes de vero exponunt præcepto, cui contraveniri nequeat absque peccato.*

Nec explicatiùs vobis exprimere valemus, 7 *quousque se præceptum istud extendat, quàm ipsissimis hisce Augustini verbis l. 1. doctr. christ. c. 22.* " Hæc regula dilectionis constituta est: " *Diliges.... Deum.... ex toto corde, & ex tota* " *anima, & ex tota mente,* ut omnes cogita- " tiones tuas, & omnem vitam, & omnem in- " tellectum in eum conferas, à quo habes ea ip- " sa quæ confers. Cùm autem ait, *toto corde,* " *totâ animâ, totâ mente:* nullam vitæ nostræ " partem reliquit, quæ vacare debeat, & quasi " locum dare, ut aliâ re velit frui; sed quidquid " aliud diligendum venerit in animum, illuc ra- " piatur, quò totus dilectionis impetus currit. "

Cæterùm ad removendas æquivocationes, qui- 8 *bus momentosa ista veritas novissimis hisce diebus involvitur, scire oportet, continuam illam actuum nostrorum in Deum relationem, quâ divini amoris implemus præceptum, haud consistere in concipiendis, recitandisve certis verborum formulis, quæ divini amoris actus nuncupantur: neque enim quisquis mente & voce dicit, se diligere Deum, eum reverà diligit; è converso*

non infrequens est Deum in imo cordis ab iis amari, qui nec distinctâ cogitatione se amare reflectunt, nec voce exprimunt.... Ea in re divinus amor humano simili est, quo movemur ad serviendum amico, sequendasque inclinationes ipsius, ipsi placendi gratiâ, tametsi nec reflectamus, nec protestemur nostri erga ipsum amorem. ....

9 *Sic itaque ex divini amoris motivo procedere debent omnes actus nostri, ut tamen necessaria non sit distincta ad eum reflexio. Et hoc est quod significare voluimus in quarta propositione nostra, cùm diximus, nullam vitæ partem à divino amore, saltem habituali, exemptam esse debere: ad significandam utique continuam obligationem nostram agendi propter Deum, sive ad placendum Deo; quamquam continua ad id attentio, seu actualis reflexio nec necessaria sit, nec possibilis.*

10 *Verùm amor iste habitualis confundendus non est cum habitu charitatis, seu charitate justificante. Absit enim ut voluerimus, peccatores, non justificatos, in omni actione sua peccare; cùm certum sit, eos, in quibus cupiditas adhuc dominatur, nonnunquam agere ex amore Dei transitorio, quo & actio ipsorum rectificatur, & ad justificationem ipsi disponuntur. Certum item, charitatis habitum, in justis, nequaquam sufficere ad sanctificandas, seu rectificandas actiones ipsorum; cùm earum nonnullæ ex cupiditate procedant. Solæ proinde actiones, etiam justorum, verè christianæ sunt, & meritoriæ (solæ proinde benè factæ) quæ ex divini amoris motivo prosciscuntur, quem in intimo cordis ipsorum Deus inspiciat, tametsi eum in seipsis ipsi non semper inspiciant, seu non attendant. Et iste genuinus est sensus propositionum quartæ & quintæ suprà exhibitarum.*

11 Ex his manifestè colligitur, per amorem *habitualem* ab Illustrissimo Rothomagensi virtualem intelligi; cùm eo planè modo habitualem exponat, quo virtualis passim exponitur, nec amorem habitualem pro habitu accipiat amoris, sed pro exercitio facto sine actuali ad illud reflexione. Et ideò sententiam ipsius l. 8. c. 1. 2. 3. 4. 5. & 7. demonstrabimus fundatissimam esse in sacris Litteris. Et ibidem c. 8. esse fundatissimam in SS. Patribus, Origene, Basilio, Chrysostomo, Ambrosio, Hieronymo, Zozimo, Cælestino, Leone Magno, Augustino, Gregorio Magno, Prospero, Fulgentio, Maximo, Theodoreto, Authore Soliloquiorum apud Augustinum, Victore Antiocheno, Beda, Rabano, Anselmo, Bernardo, Thoma Aquinate, Francisco Assisiate, Laurentio Justiniano, Thoma Villanovano, Ignatio de Loyola, Francisco Xaverio, Philippo Nerio, S. Theresia, S. M. Magdalena de Pazzis, Thoma à Kempis, Dionysio Cartusiano, Catechismo Romano. Denique cap. 13. & 14. demonstrabimus eandem esse doctrinam præcipuorum Theologorum, videlicet, Magistri Sententiarum, Guilielmi Parisiensis, Alberti Magni, veterumque passim Theologorum, Cardinalis Hosii, Cardinalis Gropperi, Cardinalis Bona, Ambrosii Catharini, Alfonsi Salmeronis (qui assertam testatur à melioribus Theologis), Antonii Godæi Episcopi Grassensis, Joannis Nercaselii Episcopi Castorienses, Nicolai Episcopi Bellovacensis, Ludovici Episcopi Agathensis, Danielis Episcopi Valentini, Claudii Episcopi Agennensis, Joannis Episcopi Gebennensis, Francisci de Genet Episcopi Vasionensis (præter sapientissimos Archiepiscopos, Episcoposque n. 3. laudatos) complurium denique Catechismorum in Ecclesia probatissimorum, videlicet Romani, Canisiani, Colonensis, &c.

Veniant jam temerarii Censores in Concilium tot & tantorum sanctorum Patrum, Cardinalium, Archiepiscoporum, Episcoporum, Theologorumque, audiantque ipsos cum Augustino l. 1. contra Julianum ipsis dicentes: *Itane nos*, filii, *erramus, dum ista Pauli verba:* " Omnia vestra in charitate fiant, *&*, omnia in gloriam Dei facite, " *de vero præcepto intelligimus, intelligendaque prædicamus? Rogo vos quid respondebitis? quibus eos oculis intuebimini? quæ vobis argumenta succurrent? quæ Aristotelis cathegoriæ suppetias ferent? quæ argumentorum vestrorum vel acies vitrea, vel plumbei pugiones in illorum conspectu exeri audebunt? quæ abs vobis arma non fugient, nudosque destituent? an fortè dicturi estis, neminem illorum vos in isto crimine nominasse? At quid facietis, cùm vobis dixerint: Tolerabiliùs dente maledico nomina configeretis nostra, quàm fidem nostram, cujus merito in Cælo nomina ipsa scripta sunt nostra. An fortè dicetis eis, nec fidem vestram ullo tali crimine violavimus? Sed quâ confidentiâ id dicere audebitis, qui dicitis* Bajanum esse sensum, quo (ut suprà) duplex exposuimus Pauli testimonium. *Iterùm vos admoneo, iterùm rogo, aspicite tot & tales Ecclesiæ Catholicæ Defensores, atque Doctores: videte quibus tam gravem, tamque nefariam irrogaveritis injuriam.* 12 13

Sed quid mussitetis novi, dicite jam, dicite, audiamus: Pius V. (aitis) Bajanas istas damnavit propositiones: *Non est vera legis obedientia sine charitate. Omnia infidelium opera sunt peccata*, &c. *Itane audetis* Pianam istam condemnationem tot, talium, & *tantorum sententiis opponere*, Piumque *ab illorum concordissima societate sejungere? absit, absit hoc malum*, de tanto Pontifice cum hæreticorum scandalo *credere, aut dicere*, quasi suâ Constitutione à tota recesserit Antiquitate. Dicite & credite potiùs, imperitos vos interpretes esse Pianæ Constitutionis, nec clavem habere scientiæ, quâ damnatum à Pio V. sensum à non damnato discernatis. Dicite vobis solidam ad hoc deesse regulam; ideòque à recta vos istius Constitutionis, damnatarumque per eam propositionum intelligentia plurimùm aberrare. Regulam istam, Suarezio vestro probatam, vobis ob oculos statuimus Prolegomeno præcedenti, velut collyrium, ad eos inungendos, ut videatis quantum Pianâ abutamini ad censuran- 14

das sanctissimas Moralis Christianæ regulas, sustinendasque novitates vestras, non sine grandi Sanctorum, præcipuorumque Theologorum injuriâ, hæreticorum (uti dixi) scandalo, transgressioneque Decreti Innocentii XI. ejusmodi censuras prohibentis.

15 Desinite itaque sanctissimæ illi sanctorum Patrum doctrinæ, de omnibus actibus nostris in Deum referendis, damnatas à Pio V. propositiones obtorto collo opponere: *Non est vera legis obedientia*, &c. *Omnia infidelium opera*, &c.; utpote quas (salvâ illâ doctrinâ) jure optimo damnatas esse, laudata demonstrat regula, uti visum est Prolegomeno præcedenti, ubi & ostendimus

16 Primò, nonnulla opera infidelium, v. g. misericordiæ, esse Dei dona (licèt omissio relationis eorum in Deum sit peccatum); falsum proinde esse, quòd omnia opera infidelium sint peccata.

17 2°. Infidelium nomine Hæreticos ac Judæos comprehendi, qui cùm Deum verum cognoscant, aliqua interdum opera bona faciunt propter Deum; nullâ proinde verisimilitudine dici posse, omnia opera ipsorum esse peccata.

18 3°. Aliquos etiam Paganos subinde à Deo peculiariter illuminari (v. g. dum ad Deum incipiunt converti) atque ex vi istius illuminationis in aliquibus operibus bonis sese exercere, antequam plenè & perfectè sint conversi, prout Act. 10. docetur de Cornelio Centurione. Falsam esse proinde propositionem, quæ generaliter asserit, omnia infidelium opera esse peccata.

19 4°. Aliquos item adhuc strictè Paganos v. g. Platonis & Epicteti Discipulos, Dei cognitionem habuisse, ad eumque omnes actus suos referendos censuisse; aliquando retulisse etiam subinde ex aliqua divini luminis illustratione, divinique amoris impressione. Id namque non parum verisimile esse docet Eminentissimus Cardinalis Norisius vindic. August. cap. 3. §. 4. & cap. 4. §. 5. Per consequens non parum verisimile est ipsis ad hoc gratiam aliquando non defuisse; siquidem id Alexander VIII. declarasse videtur, dum hanc propositionem damnavit: *Pagani, Judæi, Hæretici.... nullum omninò accipiunt à Jesu Christo influxum. Adeòque hinc rectè inferes, in illis esse voluntatem nudam & inermem, sine omni gratia sufficienti.* Confer quæ dixi loco citato num. 245.

20 Si dicatis neminem unquam dubitasse de falsitate propositionis, à Pio V. damnatæ, intellectæ de infidelibus per gratiam Dei actualem adjutis; in isto proinde sensu damnatam non esse.

Respondeo contrarium esse certum; nam præter Hæreticos, & Assertores totius doctrinæ per Pianam damnatæ (cujus articulus 35. *Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est*, sensum istum exigit); præter hos (inquam) Romæus (qui ante Pianam publicatam scripsit) libro de libert. & necessit. bonor. oper. c. 14. sic habet: *Quidam dubitant, etiam nunc temporis, eruditi atque optimi Christiani, num scilicet peccator infidelis, puta Paganus, assistente sibi speciali Dei motione, possit opus perfectum, seu completè bonum moraliter facere, quo se ad recipiendam gratiam.... disponat.* Allatis ergo sensibus, & aliis Prolegomeno præcedenti expositis, meritò damnata est propositio illa, *Omnia infidelium opera*, &c.; tametsi & ipsa, & nonnullæ aliæ, in Piana damnatæ, alium sensum verum habeant, in quo à Patribus, Conciliis, summis Pontificibus, imò ab ipsamet S. Scriptura in simili traditæ sint, in quo sensu ipsas damnatas non esse, certum est ex regula supradicta, demonstrantque Eminentissimus Cardinalis Norisius ubi suprà (refellens importunos illos Recentiores qui crudam illam propositionem, *Omnia opera infidelium*, &c. absque sensuum, quos plures patitur, distinctione damnatam volunt) & Pater Franciscus August. de Macedo, Ordinis Minorum, in sua Cortina August. de eadem propositione dicens: *Respondetur, Pontificem dicere, nonnullas earum propositionum posse aliquo modo sustineri.* Quòd siquæ possint, hæ certè sunt, sensu S. Augustini intellectæ. Sed hac de re satis diximus Prolegomeno præcedenti.

Quòd si propterea, dimissis Bajanis illis propositionibus, opponatis tres sequentes, ab Alexandro VIII. damnatas. Septimam: *Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio, vel mundi. Si Dei, charitas Patris est; si mundi, concupiscentia carnis; hoc est, mala est.* Nonam: *Reverà peccat, qui odio habet peccatum merè ob ejus turpitudinem, & disconvenientiam cum natura, sine ullo ad Deum offensum respectu.* Decimam: *Intentio, quâ quis detestatur malum, & prosequitur bonum, merè ut cælestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens.* Æquè vana est oppositio, sanctisque Patribus injuriosa, quàm præcedens: cùm certo certius sit Alexandrum VIII. damnare noluisse doctrinam Patrum omnium, vel ferè omnium, magis quàm Pium V. maximè cùm eam Ecclesia implicitè saltem approbet, dum canit: *Sine tuo numine, nihil est in homine, nihil est innoxium.* Approbet etiam Canonem 22. Concilii Arausicani: *Nemo habet de suo nisi mendacium & peccatum.* Neque enim verum utriusque istius propositionis sensum reperiet, qui sanctam illam doctrinam, de relatione operum, veram non agnoverit. Quomodò enim sine gratia Spiritûs sancti nihil in homine innoxium? quomodò nihil homo habet de suo (id est, solis naturæ viribus) nisi peccatum? Si de suo, sine gratia Spiritûs sancti, aliquid operetur omni ex parte innoxium: itaque utraque illa propositio, solùm vera est, quatenus homo de suo non habet Dei propter se dilectionem, per quam ad Deum referat suam operationem; & ideò peccat, non semper ratione operis quod agit, sed ratione omissæ relationis, vel complexi ex utroque. Videatur S. Thomas Opusc. 2. sive in compendio Theolog. ubi hæc habet reflexione digna, ad intentum facilè applicabilia: *Sicut naturalia* 21

conse-

consequuntur speciem à forma; ita moralia à fine.... Sicut autem in naturalibus uni formæ adjungitur privatio alterius, puta formæ ignis privatio formæ aëris; ita in moralibus uni fini adjungitur privatio finis alterius. Cùm igitur privatio perfectionis debitæ sit malum; in naturalibus formam accipere, cui adjungitur privatio formæ debitæ, malum est, non propter formam, sed propter privationem ei adjunctam, sicut igniri malum est ligno. Et in moralibus etiam inhærere fini (v. g. odisse peccatum propter naturalem ejus turpitudinem ibi sistendo) *malum est, non propter finem* (istum, utpote non malum) *sed propter privationem adjunctam*, v.g. propter privationem debiti finis ultimi.

22 Nec hoc est quod damnat Alexander VIII. cùm ista certò sit doctrina Sanctorum, quam certissimè non damnat; sed septimam damnat, quia certò falsa est in sensu obvio: tametsi enim omnis humana actio deliberata procedat ex amore, non ideò verum est, quòd omnis humana actio sit amor. Neque enim fides v.g. est amor, nec omnis actio, quæ non est dilectio Dei, est concupiscentia carnis; cùm talis non sit datio eleëmosynæ ex compassione humanæ miseriæ. Denique propositio ista accusare videtur opera ex officio bona, renovareque propositionem à Pio V. damnatam, *Omnis amor creaturæ rationalis, &c.*, quæ quo sensu damnata sit, satis etiam diximus Prolegomeno præcedenti.

23 Nona etiam propositio falsa est, & erronea, quatenus accusare videtur officium ipsum odii, quo quis peccatum odit merè ob ejus turpitudinem; quod tamen odium ex se, sive ex officio est bonum; cùm peccatum, etiam ut de se turpe præcisè, verè sit odio dignum; nec talis peccet quatenus peccatum ob ipsius turpitudinem odit, sed quia odii relationem ad Deum omittit.

24 2°. Propositio illa falsa est, meritòque damnata, quatenus accusare videtur affectum sanctum, quo castissima anima, v. g. sordes odit venereas, præcisè tanquam contrarias castitati, quam diligit ut virtutem Deo placentem, absque ullo ad Deum offensum respectu: per consequens ad hoc ut odium peccati ad Deum referatur ut oportet, exigere videtur reflexam cogitationem de Deo per peccatum offenso. Quod prorsus est à veritate alienum; cùm odium illud sufficienter ad Deum referatur per sanctum affectum proximè explicatum; sicut & quilibet actus virtutis moralis, factus ex amore honestatis immutabilis, per amorem istum satis ad Deum refertur.

25 Decimam propositionem (& idem est de decima tertia: *Quisquis æternæ mercedis intuitu*, &c.) esse falsam, constabit ex dicendis lib.... ubi demonstrabitur desiderium beatitudinis esse sanctum, nec esse sine debita relatione in Deum, etiamsi careat charitate distincta ab ea, quæ in desiderio illo includitur.

26 Quòdque damnatæ à Pio V. & Alexandro VIII. propositiones in vanum opponantur unanimi SS. Patrum de relatione operum doctrinæ, præter dicta, vel sola hæc evincit Regula: Ubi damnata aliqua propositio æquivoca est, ambiguaque, ob multiplicem sensum, quo accipi potest, damnata est sensu in Ecclesia peregrino (quales sunt ii quos suprà expressimus) non sensu in Ecclesia receptissimo: non igitur sensu quem adversarii prætendunt, utpote quem SS. Patres omnes, vel ferè omnes, in Ecclesia tradunt, atque cum ipsis meliores Theologi, etiam Cardinales & Episcopi, in conspectu Urbis & Orbis, non solùm absque cujusquam reprehensione, sed sic etiam ut ex ipsis plerique præcipuis dignitatibus, etiam Cardinalitiâ (ut Joannes Bona, & Henricus Norisius) & Episcopali (ut Lambertus le Drou) vel Apostolico Vicariatu (ut Martinus Steyaert) honorentur.

Et ista quidem observatio, solutioque, tam 27
solida est, ut necesse non sit ei quidquam superaddere; ad superabundantem tamen demonstrationem soliditatis doctrinæ de operibus ad Deum propter se dilectum referendis, addo, quòd doctrina ista ad Tribunal Pontificium ab adversariis sæpiùs delata, & accusata, tamquam aurum in fornace Pontificii examinis probata, cum honore semper ex tot accusationum fluctibus emerserit, deque accusatoribus suis triumphaverit.

Et primò quidem in causa delati ad sanctum 28
Officium libri P. Ægidii Gabrielis, prout dixi Proleg. præced. Cùm enim liber ille jussus fuisset corrigi, deputato ad correctionem tunc Reverendissimo, postea Eminentissimo Patre de Lauræa, voluit Reverendissimus Corrector ut propositioni isti (ei libro insertæ) *Omnis amor in hoc statu, seclusâ Salvatore, est malus*, adderetur *regulariter*, vel *utplurimùm*. Cùmque P. Gabrielis quæreret, *an proscribere vellet fundamentalem Lovanienſium doctrinam, de omnibus actibus nostris in Deum benevolè dilectum referendis?* (qualis dilectio sine gratia Salvatoris haberi non potest.) *Minimè verò*, respondit Lauræa: *etenim hæc sententia, me judice, probabilis est, relinquemusque intactum quidquid de illa dicis. Falsumque est ex ea sequi vexatam tuam propositionem. Nam qui non refert in Deum actum, cæteroquin bonum, peccat quidem quatenus præcisè non refert; non tamen quatenus exercet talem actum* (ecce ipsissima solutio nostra): *adeòque defectus relationis non vitiat ipsum actum. Quare defectu istius præcisè relationis vocari non potest malus. Aliter verò sentiens, Bajanus est.* Ecce ergo sensum damnatæ propositionis nonæ & decimæ tertiæ.

2°. In legatione Deputatorum Academiæ 29
Lovaniensis ad Innocentium XI. anni 1677. cùm Deputati Doctores eidem sanctissimo Domino examinandum obtulissent hunc articulum: *Omne opus, ut plenè bonum sit, & ne venialiter quidem in eo delinquatur, debet ex tali charitate* (generatim acceptâ pro casta Dei propter se dilectione, prout ipsimet exprimerant) *procedere, ac per ipsam referri in Do-*

minum Deum. Post biennii examen, articulus ille, cum aliis (quos iidem Deputati examinandos obtulerant) ab omni censura immunis evasit, tametsi iteratò ad incudem revocatus, ita postulantibus Lovanienſium æmulis, qui unum saltem Lovanienſium articulorum damnari cupiebant, eo tempore, quo 65. articuli laxioris doctrinæ proscribebantur. Iste tamen est articulus, cujus proscriptionem præ cæteris iidem æmuli urserunt. Circa quem cùm Eminentissimi quidam scrupulum aliquem haberent, ad eum eximendum Deputati libellum obtulerunt tenoris sequentis.

Eminentissimi ac Reverendissimi Domini,

S*Theologiæ Doctores, à Theologica Facultate Lovanienſi ad Apostolicam Sedem Deputati, intelligunt, circa hunc ſuum articulum:* Omne opus ut plenè bonum sit, &c. *Eminentiis vestris enasci dubium, an illa censeat opera, quæ per charitatem non referuntur in Deum, nunquam esse bona moraliter, seu, ut loquitur S. Augustinus, ex officio bona? Quare præfati Doctores reverenter respondent, istum sensum esse à se penitùs alienum. Etenim omninò profitentur, se sentire ac docere juxta sensum quem S. Augustinus tradit in l. de patientia c. 26. & 27. In penultimo capite Enchiridii. In tertio cap. lib. 4. contra Julianum, ac in aliis locis.*

30 Testati sunt Qualificatores sibi satisfactum, sicque (sublato dubio circa eum excitato) articulus post iteratum illud examen cum gloria evasit incolumis. Enimverò constat quòd in Decreto Innocentii XI. de die 4. Martii 1679. quo sexaginta quinque propositiones damnatæ fuerunt, nullus ex Lovanienſium articulis, ad examen oblatis, damnatus fuerit; Eximioque viro Francisco Vianæo 21. Novembris 1682. R. P. Josephus Sabatini, Bibliothecæ Angelicæ Præfectus, Ordinis S. Augustini, Româ scripsit: *Illud pro certo affirmare possum, me quoque audivisse, non solùm ab Illustrissimo D. Assessore S. Officii, sed etiam ab Eminentissimis Riccio, Casanate, ac de Laurea, tam censuram, quàm articulos vestræ doctrinæ, Congregationi S. Officii oblatos fuisse, necnon à Theologis pro tali negotio deputatis ab omni censura immunes esse declaratos.*

31 Consideret ergo cordatus Lector circumstantias sequentes (quas benè ponderat Steyartius in Assert. Censur. Lovan.) *Academia Catholica, nec fortè.... inter minimas, aut mediocres Catholici Orbis, ab æmulis suis traducta, à Rege suo, Archiepiscopo, & Provinciæ Ordinibus commendata, recurrit ad Sedem Apostolicam, ut ei doctrinam exponat suam. Ultrò profitetur iis in punctis quid doceat, in quibus præ cæteris accusatur. Dicit hanc suam esse doctrinam. Hanc se à Majoribus accepisse. Hanc porrò se posteris transmissuram, nisi Ecclesiæ Romanæ aliter videretur. Paratam se præbet ea respuere omnia, quæ S. Sedes sibi ostenderit displicere. His obtinet ut plusquam toto biennio, nec vice simplice, tota sua doctrina examine severissimo discutiatur. Interea non desunt sibi potentes adversarii, sed omnes nervos intendunt, ut saltem aliquod è dogmatibus istis proscribatur. Interim proscribitur nihil, sed econtrà ex adversariorum doctrinis damnantur non paucæ. Sic dimittuntur istius Academiæ Deputati, benignissimè in omnibus, & ad invidiam à Pontifice excepti. Positivam tamen doctrinæ suæ approbationem non reportant, quam in controversiis istis dare non solet Ecclesia Romana, conscia sibi ponderis quod habet approbatio sua. Profectò si adhuc error est (error nimirùm damnabilis) in his quæ Ecclesia Romana, sic rogata ab Academicis istis, sic instigata ab adversariis, tanto spatio, tantoque rigore discussit, liceat mihi dicere Apostolicæ Sedi, quod olim alius Deo dixit: Domine, si error est, à te decepti sumus. Et quò tandem, quove modo recurret Catholica Universitas, ut securitatem quærat doctrinæ suæ; nisi modo isto tam supplici ad Petrum, ad quem recurrit olim Paulus, ne in vacuum curreret, aut cucurrisset? Non igitur simpliciter evasit censura nostra, aut reliqua doctrina, quam S. Sedi exposuimus, & tam filiali humilitate subjecimus. Evasit tunc, cùm evadere nequaquam potuisset, si quid in ea Ecclesiæ displicuisset.* Hactenus Steyartius.

3°. Eadem doctrina anno 1690. rursus Ale- 32
xandro VIII. oblata fuit. Nam uti disertè testatur Steyartius notâ primâ in propositiones ab Alexandro VIII. proscriptas, oblatus est articulus iste: *Spes charitate destituta virtutis Theologicæ rationem amittit:* Sed nec iste censurâ notatus fuit, utpote doctrinam D. Thomæ evidenter continens.

4°. Iterùm anno 1695. delata fuit ad S. of- 33
ficium Thesis perillustris D. Denys in qua licèt propositio ista contineretur: *Condemnat lex æterna quidquid ex cupiditate fit, & consequenter quidquid non ex Dei dilectione: quidquid enim fit, aut charitate fit, aut cupiditate:* nullam tamen ea in Thesi doctrinam reprehensione dignam se reperisse Eminentissimi Cardinales, Congregationis S. Officii, Illustrissimo D. Nuntio Apostolico Colonienſi rescripserunt, uti vidimus Prolegomeno 6. c. 9.

Maneat ergo certum, & indubitatum, quòd 34
doctrinam (de qua nunc quæstio est) in Bajo damnatam Ecclesia non censeat. Neque enim Romanæ Ecclesiæ mos est silere, dum ad tribunal ipsius toties proscribenda defertur doctrina, jam antè à summis Pontificibus damnata.

At (inquit artium Bajanarum Author) Ale- 35
xander VIII. condemnavit hanc propositionem: *Revera peccat, qui odio habet peccatum merè ob ejus turpitudinem, sine ullo ad Deum offensum respectu.* Ergo propositionem contradictoriam definivit, Non peccat qui odio habet peccatum merè ob ejus turpitudinem, sine ullo ad Deum offensum respectu.

At (inquam ego) argumentum istud omni 36
ex latere vacillat. 1°. Propter dicta n. 23. & 24. 2°. Quia nec assumptum illius verum

est

est omni sensu (uti ex præmissis est manifestum) nec consequentia est bona, nisi propositio, de qua in antecedente, damnata sit ut non habens sensum verum. Sic autem damnatam esse ostendi non potest ex Alexandrino Decreto; utpote quo damnantur quidem propositiones triginta & una, sed ut temerariæ, scandalosæ, malè sonantes, injuriosæ, hæresi proximæ, hæresim sapientes, erroneæ, schismaticæ, & hæreticæ respectivè, non determinando quæ ex censuris istis in quamlibet propositionem cadat. Aliquæ proinde solùm damnantur, tamquam malè sonantes; ad quam damnationem sufficit, quòd licèt damnata propositio sensum habeat verum, habeat tamen & falsum, in quo periculum est ne à plerisque accipiatur, ut videre licet in hac propositione: *Maria est Christipara*, tempore grassantis Nestorianismi damnatâ, velut tunc scandalosâ, ob periculum ne acciperetur sensu Nestorii; non ideò tamen contradictoria definita fuit, velut ad fidem pertinens: *Maria non est Christipara.* Et idem est de hac propositione, olim à Felice III. proscriptâ: *Unus è Trinitate est passus:* quam Joannes II. & Agapetus, Pontifices, & quinta Synodus, ut Catholicam probavere. Quod certissimè non fecissent, si à Felice III. damnata fuisset ut omni sensu falsa. Vide dicta Prolegomeno præcedenti cap. 2. observat. 5.

36 Si quis contendat, nullum unquam ita desipuisse, ut damnatam illam propositionem, *reverà peccat*, &c. eo sensu falso teneret, quem suprà damnatum diximus: ita ut existimaret, odium peccati, ob ejus turpitudinem, sine respectu ad Deum, in se esse peccatum. Respondeo ex dictis in fine Prolegomeni præcedentis, Bajum sic existimasse, sicut & Assertores propositionis decimæ & decimæ quintæ inter Alexandrinas. Legantur, & apparebit ipsos negasse rectitudinem intentionis, quâ quis detestatur malum, merè ut cælestem obtineat gloriam; negasse quoque attritionem ex gehennæ metu conceptam, sine dilectione Dei propter se, esse bonum metum.

§. II.

Refellitur Censura secundæ propositionis.

37 SEcundam propositionem Sabranus in Artibus Bajanis pag. 16. hæreticam vocare non erubescit, dicens, quòd Theologiæ Sanctorum Author hæreses Bajo incognitas superaddit, dum veri nominis charitatem, imperfectam utique, & generatim acceptam pro dilectione Dei propter se (neque enim perfectam & justificantem requirit) docet necessariam absolutè esse ad justificationem per Sacramenta. Itane, secundùm Socios Anglo-Leodienses (Artium illarum Authores) hæretica est illa doctrina? Videte boni Patres, ne incidatis in Scyllam, cupientes vitare Charybdim. Videte (inquam) an ipso facto non incidatis in excommunicationem Sedi Apostolicæ reservatam; quandoquidem Alexander VII. Maii 1665. sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, S. Sedi reservatæ, prohibuit, ne quis alicujus Theologicæ censuræ, alteriusve injuriæ, aut contumeliæ notâ inurere sententiam audeat, asserentem divinæ dilectionis necessitatem ad justificationem per Pœnitentiæ Sacramentum. Ubi ergo vestra erga Christi Vicarium obe- 38
dientia, à vobis tantoperè deprædicata? utinam & tantoperè practicata! Ubi veneratio vestra erga SS. Patres passim omnes, erga sapientissimos Cardinales, erga sanctissimos Episcopos, ipsorumque Mandata, Ritualia, Catechismos, Instructiones Pastorales, Decreta Synodalia, &c. quorum omnium testimonium pro illa necessitate to. 3. exhibebit hæc Sanctorum Theologia? Videte, si nescitis, Institutionem Moguntinam, ex Synodi Decreto editam anno 1549. Catechismum Frederici à Nausea Episcopi Viennensis l. 3. c. 47. Rituale Carnotense anni 1581. Atrebatense, & Engolismense ejusdem anni, Viennense in Delphinatu anni 1584. Mandatum Illustrissimi D. Jacobi Boonen, Archiepiscopi Mechlinienſis, de 26. Martii 1637. Synodum Namurcensem anni 1659. Synodum Senonensem anni 1645. & 1658. Catechismum Ecclesiæ Senonensis anni 1669. Rituale provinciæ Remensis anni 1676. Catechismos Ecclesiarum Rupellensis & Lucionensis p. 6. a. 6. Lect. 8. necnon Ecclesiæ Tornacensis ejusdem anni. Institutionem Pastoralem Illustrissimi D. Guidonis de Seve Episcopi Atrebatensis. Instructionem quoque Pastoralem Illustrissimi D. Jacobi Nicolai Colbert Archiepiscopi Rothomagensis de die 20. Martii 1697. Videte (inquam) ista omnia, divinis in Litteris, & Sanctorum traditione fundatissima (uti Tomus tertius, Deo dante, demonstrabit) & vos ipsi estote Judices, an non sit insolens auda- 39
cia, hæreticam asserere doctrinam, quam cum Spiritu sancto, & Patribus passim omnibus, tot & tanti Ecclesiæ Principes, atque cum ipsis tot Ecclesiæ, Theologique omnes, ab initio Scholastices ad usque Tridentinum, plures etiam Patres Theologique Tridentini, atque post ipsos alii Theologi præcipui nominis, longissimo tradunt agmine, prout idem Tomus tertius demonstrabit? Si post hæc audaciam illam vos ipsi non condemnetis, videte ne ipsi hæretici sitis. Ut enim D. Gregorius l. 9. Registri c. 30. *Multi sunt fidelium, qui imperito zelo succenduntur, & dum sæpè quosdam velut hæreticos insectantur, hæreses ipsi faciunt.* Quia (ut benè Major in 3. dist. 37. q. 26.) *non est minùs hæresis, asserere aliquid esse de fide, quod nullatenus de fide est* (uti de fide non est novella opinio, suprà assertam negans divinæ dilectionis necessitatem) *quàm negare aliquid esse de fide, quod est de fide.*

§. III.

Tertiæ propositionis censura ostenditur esse temeraria.

40 TErtiam propositionem idem Sabranus ibidem pag. 15. damnati in Bajo erroris non sine temeritate magna arguit. Quòd enim imperfecta Dei propter se dilectio, etiam super omnia, regulariter non justificet ante susceptionem actualem Sacramenti, ex divina Scriptura probant sancti Patres, cumque ipsis tenent S. Thomas, Scotus, Cajetanus, Petrus Soto, Cardinalis Otho, Cardinalis Bellarminus, Cardinalis Pallavicinus, Jacobus Latomus, Albertus Pighius, Alphonsus Virvesius, Mathias Bredenbachius, Scholastæ Lovanienses, Tridentini Patres, Estius, Molanus, Sylvius, Morinus, Christianus Lupus, Franciscus Farvacques, Merbesius, Contensonus, Natalis Alexander, Leonardus Van Roy, & (ipso teste Theol. Moral. p. 2. tr. 3. c. 3. q. 7.) tota Schola Augustiniana, & Facultas Lovanienſis, & viri toto orbe clarissimi idipsum palàm docent, etiam Romæ, Sede Apostolicâ non contradicente. Ergone sancti Patres, totque eximii Theologi Bajani sunt? potestne hoc asseri absque temeritate, & absque prævaricatione Decreti, quo Innocentius X I. die 2. Martii 1679. ut ab injuriosis contentionibus Doctores seu Scholastici, aut alii quicumque imposterum se abstineant, & ut paci & charitati consulatur, in virtute sanctæ Obedientiæ eis præcipit, ut tam in libris imprimendis, ac manuscriptis, quàm in thesibus, disputationibus, ac prædicationibus, caveant ab omni censura, & nota, necnon à quibuscumque conviciis, contra eas propositiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc inde controvertuntur, donec à S. Sede recognitæ, super iisdem propositionibus judicium proferatur.

41 Si dicas, super propositione, de qua nunc quæstio, judicium à Pio V. esse prolatum, dum hasce damnavit propositiones: *Charitas perfecta, & sincera, quæ est ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, tam in Catechumenis, quàm in pœnitentibus, potest esse sine remissione peccatorum. Charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum. Catechumenus justè, rectè & sanctè vivit, & mandata Dei observat, ac legem implet per charitatem, ante obtentam remissionem peccatorum. Homo existens in peccato mortali, sive in reatu æternæ damnationis, potest habere veram charitatem, & charitas, etiam perfecta, potest consistere cum reatu æternæ damnationis. Per contritionem, etiam cum charitate perfecta, & cum voto suscipiendi Sacramentum conjunctam, non remittitur crimen extra casum necessitatis, aut Martyrii, sine actuali susceptione Sacramenti.*

42 Contrà est, quòd propositiones istæ damnatæ non sint, intellectæ de charitate imperfecta, & generatim accepta; sed intellectæ de charitate perfecta (prout ipsæmet exprimunt) vel specialiter accepta pro charitate propria justorum, uti demonstravimus Prolegomeno 6. c. 10. per totum. Non dari verò Dei propter se dilectionem, etiam super omnia, quæ non sit charitas perfecta, vel propria justorum, hoc est de quo Idius V. ne verbum quidem dixit. Certo ergo certius, super propositione de qua agimus, judicium non protulit (quidquid interim Bajus de ea senserit, vel non senserit: neque enim ad ipsius solius mentem respiciendum est; cùm ipsum Pii V. Bulla non nominet, nec singulariter dicat, in sensu ab Assertore, sed ab Assertoribus intento); sed super charitate perfecta & justificante, circa quam Assertores tam crassè erraverunt, ut vellent charitatem perfectam & justificantem in hominibus reperiri separatim à remissione peccatorum: hoc est enim quòd partim expressérunt in propositionibus objectis, partim in 43. quâ asserunt, quòd *in hominibus pœnitentibus, ante Sacramentum absolutionis, & in Catechumenis ante Baptismum, est vera justificatio* (nota benè) *separata tamen à remissione peccatorum.* Cùm iste error sit, error (inquam) crassissimus, quem Pius V. confixit; ibi sistendum; nec censura, ausu temerario in doctrinam sanctorum Patrum, totque Ecclesiarum, tot etiam Cardinalium, Episcoporum, & probatissimorum Theologorum, obtorto collo est detorquenda. Neque enim hoc absque summorum Pontificum injuria, hæreticorumque scandalo, & Bullarum Pontificiarum abusu fieri potest, uti laudato Prolegomeno 6. demonstratum est.

§. IV.

Idem ostenditur de censura propositionis quartæ.

PRopositionem quartam, hanc scilicet: *Peccati lethalis affectus solâ charitate, saltem inchoatâ, excluditur & consumitur*, 44
purè Lutheranam dicere non veretur Author libelli, cui titulus: *Difficultates propositæ Illustrissimo D. Archiepiscopo Rothomagensi*, contra Theologiam dogmaticam & moralem P. Alexandri. Eandemque propositionem velut Lutheranam repræsentat Arsdekinus Theol. tripart. to. 2. p. 2. tr. 1. c. 3. q. . . §. 2. de ipsâ dicens: *Docent nonnulli, metum gehennæ, absque Dei propter se dilectione, non posse animum cohibere à pravo affectu. . . . sic sentit Lutherus in disp. Lypsic.* &c. Sed contrà: ergone Luthero associare, & velut Lutheranos, doctrinamque purè Lutheranam tradentes, depingere licet quotquot ita sentiunt? Ergone Lutherani sancti Patres, Ambrosius, Augustinus, Prosper, Gregorius Magnus, Isidorus, Anselmus, Bernardus, Aquinas, Bonaventura, Laurentius, Justinianus, &c. à quibus ea traditur doctrina, uti constabit ex ipsorum testimoniis to. 3. proferendis? Ergone Lutherani veteres Doctores, ac Theologi passim omnes, sanctis Doctoribus hac in re concinentes, uti videbitur ibidem? Hoc nimi-

rùm asserere, non solùm est plectenda temeritas; sed & inobedientia erga Decretum Alexandri VII. n. 37. laudatum, & Innocentii XI. laudatum n. 40. Unde Natalis Alexander in Paralipomen. moral. pag. 49. & seqq. *Temerariam* (inquit) *imperitiam suam prodit Anonymus Declamator in libello cui titulus est: Scrupuli propositi Illustrissimo D. Archiepiscopo Rothomagensi, &c. cùm hanc propositionem Lutheranam dicere non veretur:* „ Peccati lethalis „ affectus solâ charitate, saltem inchoatâ, exclu„ ditur & consumitur. „ Et infrà, post copiosam censuræ temerariæ refutationem: *Qui hanc* (inquit) *propositionem Lutheranam vocat.... imperitus est, temerarius, excommunicatione Sedi Apostolicæ reservata ligatus.* Illustrissimus quoque D. Archiepiscopus Rothomagensis, Jacobus Colbert, in Epist. Pastorali suprà relata, eandem censuram refellens: *Contraria* (inquit) *Sociorum utique doctrina incognita fuit ante sæculum novissimum* (utique decimum sextum) *in quo initio proposita fuit ut probabilis. Et ecce ab Authore libelli, vix comprehensibili cæcitate proponitur velut sola Catholica. Dicit enim quòd quisquis inchoatum amorem exigit, ad eliminandum è corde hominis affectum omnem peccati, puram doceat doctrinam Lutheri.... sic pro fidei articulo proponitur error oppositus veritati, quam constanter tradit Scriptura Traditioque.... Jesuitarum Superiores conqueruntur eam respici velut suæ Societatis doctrinam, certioresque nos fecerunt, quòd eam absolutè damnant, adhærentque principiis omnibus suprà exhibitis, quibus doctrina continetur, quam omnes sectari volumus in hac Diœcesi.* Inter quæ principia duo sunt ista: *Quisquis amorem Dei inchoatum necessarium asserit ad excludendum peccati affectum, alienissimus est à sustinenda pura Lutheri doctrina. Confiteor, quòd sine aliquo Dei amore nulla sit conversio, quòdque peccator esse nequeat satis dispositus ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ, nisi diligere incipiat Deum, tamquam fontem omnis justitiæ.* Ecce quomodò Socii Socios inconsideratis censuris suis traducunt ut Lutheranos.

§. V.

Idem denique ostenditur de censura propositionis quintæ.

45 P. Renatus Ludovicus de Sabran, ex Anglicana Societate, in Conclusionibus Theologicis de Sacramentis, die 22. Novembris 1700. in Seminario Leodiensi defensis, Concluſ. 33. de quinta propositione sic censet: *Regula illa in novella Theologia Sanctorum tradita, Consuetudinarios non esse absolvendos, quamdiù verisimile est ad eadem peccata redituros.... ad Novatianum malè accedit errorem.*

46 O censuram censurâ dignam! Ergone ad Novatianum errorem malè accedit S. Carolus Borromeus, dum in Instruct. Pastor. p. 2. c. 15. sic habet: *Absolvere eos non possunt Confessores.... qui quamvis asserant, peccatum se velle deserere, tamen una dicunt videri sibi non esse commercium illius relicturos, nisi ea velint remedia opponere, sine quibus Confessarius judicat ad vomitum redituros?* Dumque addit: *Differatur adhuc absolutio* (sic habet textus Italicus S. Caroli, in Actis Ecclesiæ Mediolanensis), *donec videatur aliqua emendatio illis, qui quantumvis dicant, & promittant relinquere peccata, nihilominùs Confessarius judicat probabiliter illos peccata non relicturos? Ex hoc genere esse solent plerique adolescentes, qui in otio vitam agunt, qui luxui dediti, crapulam & amores inhonestos sequuntur, verba obscœna proferunt, murmurant, in odiis ac detractionibus versantur quotidie, &c.* Ex quibus verbis triginta celeberrimi Doctores Parisienses, ab insigni Galliæ Antistite consulti, circa absolutionem eorum qui sunt in consuetudine alicujus peccati mortalis, responderunt: *secundùm regulam S. Caroli Borromei, differendam esse absolutionem, donec aliqua correctio appareat in pœnitentibus quos verisimile est ad eadem peccata redituros, quidquid contrà affirment, cujusmodi sunt præsertim juvenes, otio utplurimùm dediti, qui majorem vitæ suæ partem insumunt in ludis, conversationibus, ebrietatibus, impudicitiis, blasphemiis, detractores, turpiloquio addicti, innumerisque id genus vitiis, &c.*

De istis sancti Caroli Instructionibus Inno- 47
centius XII. anno 1700. per suum Romæ Vicarium Eminentissimum D. Carpegna S. R. E. Cardinalem in Epistolâ Pastorali ad omnes Confessarios Urbis Romæ, totiusque districtus ipsius conscriptâ, novæque earumdem Instructionum editioni, Romanis Typis factæ præfixâ, sic loquitur: *Vos itaque Sanctissimus Pater hortatur, ut legatis relegatisque leges tam sanctas, instructionesque tam plenas cælesti sapientiâ, atque ut eas præ manibus jugiter habeatis, velut auream regulam, quam sequendo, depravatos populorum habitus facilè corrigetis. Istud est quod ipsius jussu vobis omnibus significamus.... ut unusquisque vestrùm.... veram solidamque doctrinam sequatur, non in novellis, infundatisque opinionibus fundatam, sed in doctrina praxique Sanctorum Patrum, quos cælesti Deus clarificavit lumine, ad directionem plebis Christianæ, &c.* Pastorales itaque S. Caroli Instructiones Innocentius XII. fecit suas, velut in doctrina praxique SS. Patrum, adeòque in doctrina praxique Ecclesiæ fundatas. Et post hæc audet Sabranus propositionem istam quintam, ex Carolinis Instructionibus depromptam, maledico calamo depingere velut quæ ad Novatianum malè accedit errorem? gaudet (inquam) sic deprimere doctrinam, in doctrina praxique SS. Patrum (Judice sanctissimo Christi Vicario) fundatam? Sed istud solitum est artificium Novaturientium Casuistarum, ut suas tueantur novellas infundatasque opiniones, cujusmodi sunt damnatæ propositiones infamis Apologiæ Casuistarum, quas Sabranus sequitur; has utique: *Necesse non est quòd Confessarius probabiliter judicet futurum, ut pœnitens se à peccatis abstineat; sed satis est quòd putet pœnitenti hîc & nunc non deesse generale emendationis propositum, tametsi ab eo citò sit recessu-*

rius. Quòd Janseniſtarum ſententia, negans abſolvendum pœnitentem, quem non credit, nec probabiliter judicat executurum mutandæ in melius vitæ propoſitum, certa ad deſperationem eſt via. Adeòque quòd debet pœnitentem Sacerdos abſolvere, etiamſi in crimina relapſurum ſentiat: imò etiamſi de ſe pœnitens judicet fore, ut in eadem peccata recidat impoſterum, dummodò peccatum ipſi diſpliceat Confeſſionis tempore. Quas Illuſtriſſimus D. Ludovicus Henricus de Gondrin, Archiepiſcopus Senonenſis anno 1657. proſcripſit, ut *periculoſas, ad fovendam peccati libidinem excogitatas, Sacramento ac virtuti Pœnitentiæ injurioſas.* Annas de Levi de Vantadour, Archiepiſcopus Bituricenſis, tamquam *periculoſas, abſurdas, ſcandaloſas, temerarias.* Alii complures Archiepiſcopi & Epiſcopi Gallicanæ Eccleſiæ, tamquam *crudelem mollitiem præ ſe ferentes, tamquam inducentes ad dandam nimis temerè abſolutionem, tamquam chriſtianæ de Pœnitentia doctrinæ labefactivas, &c.* Et ideò Apologiam illam prorſus condemnarunt, ſicut & Alexander VII. condemnavit. Sed de his plura to. 3. ubi de Pœnitentiæ Sacramento.



PARS SECUNDA.

DE GENERALIBUS PRINCIPIIS AMORIS ET MORUM.

LIBER PRIMUS.

Amor voluntarius.

NIhil aliud est Theologia Moralis, nisi Theologia amoris ; utpote eo ipso Theologia morum. Non enim faciunt bonos vel malos mores, nisi boni vel mali amores. Eapropter in capite Librorum omnium hujusce Theologiæ Moralis prælocutor erit divinus amor. Regula quippe ac finis erit dicendorum omnium. Porrò nihil magis voluntarium, quàm amor. Quid enim magis voluntarium, quàm velle & amare; cùm nihil magis sit in manu voluntatis? Istud sacrificium Deus quærit, dum sacrificium voluntarium exquirit. Et quodnam istud? *Deus cor quærit* (inquit Augustinus) *sufficit ut offeras voluntatem.* Unde in Psal. 50. *Offer, quid? sanè in te habes quod offeras. Noli extrinsecùs thura comparare ; sed dic : In me sunt Deus vota tua. In corde meo bona voluntas.* Cujus sacrificium quàm Deo gratum sit, Gregorius hisce explicat verbis : *Nihil offertur Deo ditius bonâ voluntate*, quæ, ut verbis utar piissimi Contensoni, sola est fœcunda Aurifodina, unde solidi thesauri eruuntur. Est lapis philosophicus, metalla convertens in aurum ; mala in bonum transmutans, tristia in gaudium transformans ; paupertatem ditans, vilitatem nobilitans, infamiam illustrans, mærores amœnans. Ideò *pax hominibus bonæ voluntatis.* Pax proinde hominibus charitatis. *Bona* quippe *voluntas* (Augustino teste) *ipsa est charitas.* Quâ animatus Regius Propheta, meritò psallebat : *Voluntariè sacrificabo tibi.*

CAPUT PRIMUM.

Actus humanus non est, qui non est voluntarius.

1 RAtio est, quia actus humanus non est quicumque actus hominis, seu ab homine procedens ; neque ii actus hominis humani dicuntur, qui non sunt hominis proprii, sed ipsi cum cæteris animalibus communes ; utpote non procedentes ab homine, ut agente modo proprio hominis. Soli proinde illi actus propriè dicuntur humani, qui sunt proprii hominis, in quantum homo est ; juxta illud S. Thomæ 1. 2. q. 1. a. 1. *Actionum, quæ ab homine fiunt, illæ solæ propriè dicuntur humanæ, quæ sunt propriæ hominis, in quantum est homo.* Est autem proprium hominis, in quantum est homo, agere cum judicio rationis, sive agere per voluntatem directam judicio rationis. *Differt* siquidem *homo ab aliis irrationabilibus.... per rationem & voluntatem*, prosequitur S. Doctor ibidem. Actus itaque propriè humanus est, *qui à voluntate hominis deliberata procedit*, id est, à voluntate directa judicio rationis : *Siquæ autem aliæ actiones homini conveniunt, possunt quidem dici hominis actiones ; sed non propriè humanæ ; cùm non sint hominis, in quantum est homo.*

Sequitur ex allata definitione 1°. Omnem 2
actum hominis perfectè voluntarium, esse propriè humanum : cùm omnis actus hominis, perfectè voluntarius, procedat à voluntate hominis, directa judicio rationis. Unde S. Thomas in procœmio citatæ quæstionis : *Actus* (inquit) *humani propriè dicuntur, qui sunt propriè voluntarii : eo quòd voluntas* (propriè dicta) *est rationalis appetitus qui est proprius hominis.*

Sequitur 2°. Amorem beatificum esse actum 3
propriissimè & perfectissimè humanum. Tum quia est actus propriissimè perfectissimèque voluntarius : cùm amor ille à principio maximè intrinseco, ex perfectissima finis cognitione procedat. Tum quia est actus maximè proprius hominis, in quantum homo est : cùm procedat à voluntate hominis, directa perfectissimo judicio rationis. Tum denique quia nimis absonum videtur, perfectissimam hominis actionem, propter quam creatus est homo, quæque est finis omnium actionum propriè humanarum, ad quem omnes illæ collimare debent, spoliare nomine & dignitate actus humani : cùm ipsi perfectissimè conveniat tam ratio actus humani, quàm voluntarii, & perfectissima quidem ratio, quæ in creatis potest reperiri ; nec actio illa minùs in homine sit humana, quàm in Angelo angelica, in Deo divina : nec homo minùs humano modo fruatur Deo ; quàm Angelus angelico, Deus divino.

Nec idoneo fundamento fulciuntur, qui 4
contradicunt : cùm totum fundamentum ipsorum sit, quòd amor ille non sit liber libertate indifferentiæ. Verùm indifferentiæ libertas haud magis est de ratione actus propriè &

perfectè humani, quàm de ratione actus propriè & perfectè voluntarii. Neque enim beata neceſſitas, quâ beatus rapitur in amorem Dei, intuitivè viſi, in amore illo minuit, immò perficit rationem voluntarii. Cum ea quippe ſtat, quòd amor ille procedat ex perfectiſſima cognitione, Deum in ratione ultimi finis perfectiſſimè repræſentante, atque ex intima, immò intimiſſima voluntatis propenſione: atque adeò à principio maximè intrinſeco. Quam ob cauſam beata neceſſitas amoris, quo Deus ſe amat, in amore illo voluntarii rationem non minuit, ſed perficit. Quod ſolus ille negaverit, qui negare auſus fuerit, voluntatem divinam eſſe perfectiſſimam, vel aſſerere imperfectam voluntarii rationem, in amore, quo ſeipſum Deus diligit; vel certè perfectiorem voluntarii rationem, in amore, quo creaturas, quàm in amore quo ſe diligit.

5 Confirmatur: amor beatificus non deſinit eſſe perfectè liber, tametſi non ſit indifferens: ergo non deſinit eſſe perfectè humanus. Conſequentia bona eſt: cùm ne adverſarii quidem diffiteantur, omnem actum hominis, perfectè liberum, eſſe perfectè humanum. Antecedens probabitur libro ſequenti cap. 6. Enimverò ut ſit perfectè liber, eſſe non debet defectibilis. Tum quia potentia ad deficiendum non eſt de perfectione, ſed de imperfectione libertatis; ideòque divinæ non convenit libertati. Tum quia perfectio ſimpliciter ſimplex non debet eſſe defectibilis, nullaque ejuſmodi perfectio evacuatur per beatitudinem, ſed in ultimo potiùs culmine perfectionis conſtituitur. Perfecta verò libertas amandi, eſt perfectio ſimpliciter ſimplex. Libertas quidem indifferentiæ ad amandum bona creata, eſt perfectio ſimpliciter ſimplex (eo quòd bona iſta, ob ſuam modicitatem inſufficientia ſint ad plenè ſatiandam & adæquandam humanæ voluntatis capacitatem) ſed non libertas indifferentiæ, ad amandum bonum increatum, intuitivè viſum; eo quòd bonum increatum, intuitivè viſum, ob ſuam infinitudinem plenè ſatiet & adæquet totum voluntatis appetitum; ideòque potentia non amandi iſtud objectum intuitivè viſum, ſit potentia deficiendi à perfectione, non ſimpliciter ſimplex perfectio. Unde nec iſta libertas convenit voluntati noſtræ, in ſtatu præſentis viæ, niſi quia infinitum iſtud objectum nobis non repræſentatur ut in ſe eſt, ſed obſcurè, imperfectè & cum aliqua ratione mali in aſſecutione illius: quia nobis repræſentatur ut difficulter aſſequendum.

6 Sequitur 3°. voluntarium eſſe de ratione actus humani. De eo proinde ſit.

CAPUT II.

Definitio voluntarii.

7 COmmunis definitio eſt iſta: *Voluntarium eſt quod procedit à principio intrinſeco, cum cognitione finis.* Pauculi ſunt, qui vulgatæ iſti definitioni, ſimilibuſque communi Sapientum ferè omnium calculo receptis, ſingulariter contradicunt, proprias cogitationes pro legitimis definitionibus, contra communem traditionem, obtrudentes; non alio fine, niſi ut novas ſingulareſque opiniones, à ſe adinventas, vel antiquatas, à ſe ſuſcitatas, tueri poſſint. Quem in finem receptas etiam nominum notiones rejiciunt, novaſque à ſe fabricatas obtrudunt.

Sed hunc ego philoſophandi modum probare numquam potui. Primò, quia æquè improbandus eſt, quàm ille, quo olim uſi ſunt Epicuri Sectatores, qui, ſuſcepto voluptatis patrocinio, dum ſe communi aliorum omnium judicio reprobatos, argumentiſque undique conſtrictos viderunt, novâ ſingularique voluptatis definitione aliis illudentes, negarunt adverſarios ſuos ſatis intelligere, quid Epicuro voluptas eſſet. Verùm ab omnibus ipſi tandem exploſi deriſique fuerunt. 8

Secundò, modus ille (ex dictis Prolegom. 2.) eſſe non videtur ſecundùm regulas chriſtianæ ſapientiæ: quia eſſe non videtur ſecundùm regulas chriſtianæ modeſtiæ, rationiſque ſatis ſobriæ. Utpote viam aperiens ad omnia ſuſque deque invertenda; receptiſſima quæque principia neganda; & neſcio quæ non exotica in eorum locum ſubſtituenda, audacterque contra communem Sapientum traditionem ſuſtinenda. Quod quàm alienum ſit à ſobriæ ſapientiæ, chriſtianæque humilitatis ac modeſtiæ regulis, abundè conſtat ex ibi dictis. 9

Tertiò, iſtius philoſophandi modi alius non videtur fructus, niſi ſterilis contentionis, nimiæque altercationis, quâ (Senecâ teſte) veritas amittitur. Neque enim cum negantibus receptas nominum notiones, vel communi Sapientum traditione firmatas definitiones, utilis & fructuoſa magis eſſe poteſt diſputatio, quàm cum negantibus principia, vel cum ſectantibus *profanas vocum novitates* (de quibus 1. Thimoth. 6.) quæ profectò ad nihil valent, niſi vel ad ſubverſionem audientium, vel ad tempus infructuosè tranſigendum. Ut enim graviter monet Abbas Gradius, Bibliothecæ Vaticanæ Præfectus, diſp. de opin. prob. c. 7. « Non magis diſputatio aliqua rectè poteſt conſiſtere, « inter eos, quibus de ſignificatione verborum « non convenit, quàm lucta inter Athletas, « quos non eadem arena committit; nec hone- « ſtiùs à diſputatore movetur ejuſmodi contro- « verſia nominum, quàm à milite locus pugnæ « deſeratur. « 10

Quartò denique, nec æquitati, nec rationi conſonum eſt, ut ſingulares adinventiones, definitionesque, è ſola ſpeculatione tua natas, recipi velis, qui definitiones ab omnibus, vel penè omnibus Sapientibus traditas non vis recipere: cùm, juxta Sanctos, dignum & juſtum ſit, ut ab omnibus rejiciatur, qui omnes rejicit. Quippe *omnium manus in ſe provocat, cujus manus contra omnes.* Bernardus epiſt. 77. *Dignumque eſt & æquum, ut qui anteriorum au-* 11

thoritatem vilipendunt, suam ipsi authoritatem apud posteros amittant. B. Remigius Lugdun. l. de tenenda verit. Script. c. 8.

12 Proinde tam hîc, quàm in sequentibus, fixum firmumque est, definitionibus communi Sapientum consensu traditioneque firmatis insistere. Allata verò voluntarii definitio communi Sapientum consensu traditioneque firmata est, ideòque sustinenda, non (cum Bonæ-Spei to. 2. disp. 2. dub. 1.) refellenda: cùm conformis sit ei quam Aristoteles, Nyssenus, Damascenus, S. Thomas, aliique Sapientum Proceres tradiderunt. Quòd enim voluntarium, propriè dictum, essentialiter postulet esse à principio intrinseco, unanimis est sensus, traditioque, nedum laudatorum Sapientiæ Principum, sed & cæterorum Doctorum passim omnium, in definitione voluntarii, propriè dicti (in tota sua latitudine, universalissimoque genere accepti; nec enim universaliorem alicubi definitionem tradunt) ponentium ly *à principio intrinseco*; statuentium proinde, id esse de ratione, seu essentia voluntarii universalissimè accepti. Cùm definitio sit oratio explicans quod quid est, id est, essentiam rei. Videri potest Philosophus 3. Ethic. 1. ubi voluntarium definit: *cujus principium est in ipso agente*, &c. Damascenus 2. fid. 24. *cujus principium & causam continet is qui agit*, &c. S. Thomas 1. 2. q. 6. a. 1. *cujus principium est intrà*, &c. unde ad 1. infert, quòd de ratione voluntarii sit, quòd principium ejus sit intrà, sive quòd sit à principio intrinseco, ut ait ad 3. Et usque adeò ponit id esse de ratione, seu essentia voluntarii, ut statuat, etiam divinitùs impossibile esse, quòd aliquid sit voluntarium, & non sit ab intrinseco: *cùm duo contradictoria esse simul, non subsit divinæ potentiæ; nec hoc a Deo fieri possit, ut motus lapidis sursum, qui non est à principio intrinseco, sit ei naturalis.... Et similiter non potest hoc divinitùs fieri, ut aliquis motus hominis, vel interior vel exterior, qui sit à principio extrinseco, sit voluntarius.* Nec circa hæc tricas movet Bonæ-Spei, nisi ut sibi viam sternat ad tuendam singularem, exoticamque opinionem, quâ docet, beatos beatificè amare Deum amore increato sibi unito, non creato à se producto.

13 Quale verò esse debeat principium intrinsecum, à quo esse debet voluntarium, designatur, cùm additur: *cum cognitione finis*. Per quod utique datur intelligi, intrinsecum illud principium, solùm esse voluntatem, non intellectum, &c. Proprium quippe objectum intellectus, non est bonum, quà tale, sed verum. Et idem est proportionaliter de aliis potentiis. Soli proinde voluntati propriè convenit agere propter finem: quia solius voluntatis proprium objectum est bonum, quà tale.

14 Atque ex his apparet bonitas communis definitionis: utpote per quam voluntarii natura essentiaque optimè declaratur, voluntariumque ab omni alio distinguitur. In eo namque quod voluntarium dicitur esse debere ab intrinseco, voluntarium distinguitur à violento & artificiato, quæ ab extrinseco sunt, non ab intrinseco: violenti namque principium est agens extrinsecum, à quo patiens vim patitur. Quia *violentum dicitur, cujus principium est extrà, sic quod patiens nihil confert ad operationem.* 3. Ethic. 2. Artificiati verò principium est ars, existens in mente artificis.

In eo verò quod additur: *cum cognitione* 15
finis, voluntarium imprimis distinguitur à meré naturali; cujus licèt internum sit principium, ab eo tamen non procedit ex prævia finis cognitione. Distinguitur etiam ab actibus intellectus, & cujuscumque alterius potentiæ, quàm voluntatis. Quamvis enim actus intellectus sint à principio intrinseco, & ferantur in finem, subinde etiam à cognitione finis progrediantur ad cognitionem mediorum; non feruntur tamen in finem formaliter ut talem, id est, sub ratione boni, uti vidimus. Nullius proinde momenti sunt, quæ contra communem illam definitionem laudatus Author objicit, ut ad supradictam singularem (contra omnes) opinionem viam sibi pandat. Quam S. Thomas suprà n. 14. & 2. 2. q. 23. a. 2. contradictionem implicare ostendit: *Non enim* (inquit) *motus charitatis ita procedit à Spiritu sancto.... quòd humana mens nullo modo sit principium hujus motus* (uti nullo modo est, nec esse potest principium amoris increati); *hoc enim est contra rationem voluntarii, cujus principium oportet in ipso esse... unde sequeretur, quòd diligere non esset voluntarium: quod implicat contradictionem: cùm amor de sui ratione importet, quòd sit actus voluntatis.* Videnda quæ dixi to. 1. de Deo distinct. 5. q. 2. a. 7. sect. 3.

In calce tamen addiderim 1°. quòd cùm 16
in definitione voluntarii dicitur: *cum cognitione finis*: idipsum implicitè dicitur de cognitione cæterorum, quæ voluntaria censentur. Si enim proprium & specificativum objectum voluntatis esse debet cognitum, idem est de cæteris, quæ velut secundariò voluntaria censentur; cujusmodi sunt circumstantiæ. Quorum omnium una est ratio: quia voluntas non fertur in incognitum. Quemadmodùm enim appetitus naturalis sequitur formam naturalem, & appetitus sensitivus sequitur formam apprehensam per sensum; sic appetitus rationalis sequitur formam propositam per rationem seu intellectum. Ideò Aristoteles, Nyssenus & Damascenus, in definitione voluntarii, ponunt cognitionem omnium & singulorum, de quibus est actio voluntatis. Proinde si comedas carnem, putans invincibiliter esse piscem, non comedis voluntariè carnem. Et si hominem occidas, ignorans invincibiliter esse Clericum, non occidis voluntariè Clericum.

2°. Tametsi in ea nonnumquam amplitu- 17
dine voluntarium sumatur, ut ipsum voluntatis objectum, nullo modo à voluntate procedens, voluntarium dicatur, voluntarium pro volito accipiendo (quomodò à nonnullis SS.

Doctoribus æterno Patri voluntaria dicitur generatio Verbi, à voluntate Patris nullo modo procedens); propriè tamen loquendo, voluntarium distinguitur à volito. Volitum namque est objectum voluntatis; voluntarium verò est effectus ejusdem, sive id quod à voluntate procedit.

18 3°. Omne voluntarium esse directè vel indirectè volitum, non contrà. Tripliciter namque quidpiam à voluntate procedit. 1°. Tamquam effectus à voluntate immediatè & proximè elicitus, sive positivè, sive interpretativè: quomodò voluntarii sunt omnes actus eliciti à voluntate, liberæque eorum omissiones. 2°. Tamquam effectus à voluntate imperatus, ab ipsa immediatè non procedens, sed ab alia potentia executiva, voluntatis imperio subjecta. 3°. Tamquam effectus consequens ex actu per voluntatem imperato. Contingit autem varia objecta nobis esse volita, quæ nullo ex tribus hisce modis à voluntate nostra procedunt, v. g. actus aliorum hominum, circa quos voluntas nostra occupatur, complacendo, vel displicendo; approbando, vel improbando; desiderando ut fiant, timendo ne fiant, &c. tametsi voluntas nostra eorum nullo modo sit causa. Non omne igitur volitum propriè est voluntarium.

19 Omne tamen voluntarium, aliquo modo, directè vel indirectè, seu interpretativè volitum est: nihil enim à voluntate procedit, nisi ipsa velit, tametsi detur voluntarium, quod non solùm non est directè, seu formaliter & expressè volitum, quin potiùs est expressè & formaliter nolitum, ut malitia peccati, quæ peccanti rarò est directè & expressè volita, imò plerumque est expressè, licèt inefficaciter, nolita: quia plerique vellent malitiam abesse ab actu suo peccaminoso, quem non volunt ob malitiam, sed ob utilitatem vel delectationem suam.

CAPUT III.

Divisio voluntarii.

20 PRima divisio voluntarii est in perfectum & imperfectum. Voluntarium perfectum, propriè, & ad mores accommodatè, est quod procedit ex plena ratione, deliberatione, plenoque consensu. Imperfectum, quod ex semiplena deliberatione, &c. Voluntarium tamen imperfectum, sicut & voluntas imperfecta, aliter plerumque à Theologis, licèt minùs propriè, accipi solet, voluntas utique imperfecta, pro appetitu sensitivo. Voluntarium autem imperfectum, pro eo quod procedit à voluntate imperfecta, seu appetitu sensitivo, qui *voluntas carnis* dicitur Ephes. 2. Et hoc sensu voluntas imperfecta, voluntariumque imperfectum, brutis animantibus tribuitur, sicut & imperfecta, non perfecta cognitio finis. Quas duas cognitiones S. Thomas 1. 2. q. 6. a. 2. sic distinguit, *ut perfecta cognitio finis sit, quando non solùm apprehenditur res, quæ est finis, sed etiam cognoscitur ratio finis, & proportio ejus quod ordinatur ad finem ipsum*, id est, proportio medii ad finem. *Et talis cognitio finis competit soli rationali naturæ. Imperfecta autem cognitio finis est, quæ in sola finis apprehensione consistit, sine hoc quòd cognoscatur ratio finis & proportio actus ad finem. Et talis cognitio finis reperitur in brutis animalibus, per sensum & æstimationem naturalem.* Quippe, ut S. Bernardus ait serm. 81. in Cant. *sensu aguntur, rapiuntur appetitu, neque judicium habent quo se dijudicent, sive regant, sed ne instrumenta quidem judicii, id est, rationem. Inde est quòd non judicantur, quia non judicant*, judicio utique rationali, sive ex collatione rationis, cognoscentis rationem finis & proportionem mediorum ad finem; sed judicio naturali duntaxat, sive ex naturali instinctu, secundùm illud Aquinatis 1. p. q. 83. a. 1. *Judicat enim ovis, videns lupum venientem, eum esse fugiendum, naturali judicio*, & non libero, quia non ex collatione rationis, sed ex naturali instinctu hoc judicat. Et simile est de quolibet judicio brutorum animalium; sed homo agit *judicio*.... sed quia *judicium non est ex naturali instinctu in particulari operabili, sed ex collatione quadam rationis, ideò agit libero judicio.* Et q. 24. verit. a. 1. *nec bruta judicant de suo judicio, sed sequuntur judicium sibi à natura* (sive ab Authore naturæ) *inditum.* Et quare non judicant de suo judicio? Non quia eorum judicium non est ex imperio voluntatis, ut vult Bonæ-Spei loco citato disp. 1. dub. 2. n. 10. 11. & 17. (neque enim judicium, quo dirigitur primum voluntatis imperium, ex voluntatis imperio procedit, sed omne voluntatis imperium præcedit; de eo tamen, utpote rationali, homo judicat, quia rationem ejus cognoscit); sed quia *judicare de suo judicio, est solius rationis, quæ super actum suum reflectit, & cognoscit habitudines rerum de quibus judicat*; quod non faciunt bruta, *cùm rationem judicii sui ignorent.* Ille ergo de suo judicio judicat, secundùm Angelicam doctrinam, qui rationem judicii sui cognoscit, &, super judicium suum reflectendo, atque, in eo quod judicat, rationem finis, proportionemque actus judicati ad finem cognoscendo, se rectè judicare cognoscit. Quod brutis animalibus tribuere, est irrationalia rationalia facere, & nedum Aquinati & Bernardo absque necessitate contradicere, sed & Scripturæ dicenti: *in quibus non est intellectus.* Cùm cognoscere rationem sui judicii, modo dicto, communi Sapientum & SS. Doctorum judicio, tam proprium munus sit rationis & intellectus, quàm cognoscere verum sub ratione veri.

Dixi quòd id sit *Aquinati, Bernardo,* & 21 *Scripturæ absque necessitate contradicere*: quia totum quod in brutis experimur, salvatur per hoc quòd agant judicio per naturalem instinctum, non per collationem rationis, cognoscentis

centis rationem, cur ita judicent, finemque formaliter ut talem, proportionem denique mediorum ad finem illum. Quam cognitionem nulla experientia in ipsis magis evincit, quàm cognitionem veri, formaliter sub ratione veri. Quod omnes fatentur esse proprium intellectus objectum.

22 Secunda divisio voluntarii est in elicitum & imperatum. Priori modo voluntarii sunt actus omnes eliciti à voluntate. Posteriori actus aliarum potentiarum, parentium voluntatis imperio, qui immediatè non procedunt à voluntate, sed ab istis aliis potentiis, voluntatis imperio mediante.

23 Tertia divisio est in voluntarium voluntate propriâ & actuali, & voluntarium voluntate alienâ, seu voluntate capitis, & originali; quomodò posteris voluntarium est originale peccatum.

24 Quarta divisio est in voluntarium directum & indirectum. Directè voluntarium est, quod procedit à voluntate directè in illud tendente, sive in se & secundùm se illud volente. Indirectè voluntarium est, quod, licèt non procedat à voluntate, in se & secundùm se illud volente, censetur tamen volitum in alio directè volito, vel tamquam connexum cum illo, vel tamquam effectus inde consequens, vel aliter (certis in circumstantiis) secundùm moralem æstimationem censetur interpretativè volitum. Unde voluntarium directum subinde confunditur cum voluntario expresso, indirectum cum tacito, implicito, & interpretativo. Directum subinde etiam sumitur pro positivo, indirectum pro negativo.

25 Quinta denique voluntarii divisio est in expressum & tacitum. Expressum est quod verbis exprimitur, aliove signo, consensum ex instituto significante. Tacitum est, quod, absque hujusmodi signo, ex facto aliquo, factive omissione, consideratis circumstantiis, meritò colligitur.

26 Huc spectat regula 43. juris in sexto: *Qui tacet, consentire videtur.* Quæ tamen non est universaliter vera, sed solùm quando ex circumstantiis, probabilibusque conjecturis, sumitur argumentum istius consensus.

27 Pro quo Theologi & Canonistæ sequentes afferunt regulas. Prima: tacens consentire præsumitur, quando agitur de favore vel commodo ipsius (ut dum aliquis pro te fidejubet, vel aliquid tibi donat, si taces, consentire videris); secùs, dum agitur de ipsius incommodo, vel præjudicio, ut si quis dicat puellæ, promittisne mihi matrimonium? quamvis ipsa taceat, non ideò consentire videtur.

28 Secunda: tacens consentire videtur, si taceat, dum negare & contradicere deberet, ut dum reus, legitimè à Judice interrogatus, respondereque jussus, tacet, fateri præsumitur cap. *Si post* de Confession. in sexto. Similiter Canonicus, iniquæ Electioni vel Constitutioni in Capitulo non reclamans, in ordine ad peccatum & pœnam, consentire judicatur, ut Innocentius tradit cap. 1. de his quæ fiunt à maj. par. cap. secùs in ordine ad valorem Electionis. Neque enim in re graviter Communitati præjudiciante taciturnitas habetur pro consensu.

29 Tertia: Principis vel Prælati scientia & patientia consensus æstimatur, si facilè, & absque scandali, vel alterius mali periculo, aliquid à se dependens impedire possit, nec impediat; secùs, si facilè impedire non possit, vel non expediat, nisi opportuno tempore, vel nisi res ad judicium ipsius deducatur. Quo ex capite non omnia quæ SS. Pontifices sciunt, & tolerant, approbare censentur. Quia, ut dicitur cap. *Cùm jam dudum* de Præbend. *multa per patientiam tolerantur, quæ si deducta fuerint ad judicium, exigente justitiâ non debeant tolerari.* Sunt etiam variæ consuetudines, sacris Canonibus contrariæ, quas licèt Papa toleret, quia ob multitudinem delinquentium emendare non valet, non ideò censendus est approbare, ut constat ex cap. *Cùm non ignores* 14. de Præbend. ubi Alexander III. de ejusmodi consuetudine dicit: *Quæ cùm sit sacris Canonibus inimica, à nobis non approbatur, licèt præ multitudine delinquentium à nobis emendari non possit.*

30 Quarta: si ex duobus tibi objectis, unum tantùm neges, alterum fateri censeris, nisi tales sint circumstantiæ, quæ vim istius præsumptionis elidant. Videri potest cap. *Nonne* de præsumpt. ubi ex Gregorio Homil. 18. in Evang. dicitur, quòd dum objicientibus Judæis: *Nonne benedicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes. Respondit Jesus: Ego dæmonium non habeo.... unum negavit, alterum tacendo concessit.*

31 Quinta: regula illa procedit regulariter, non in illis casibus, in quibus consensus expressus requiritur, ut notat Glossa in cap. *Is qui tacet.*

32 Generaliter itaque loquendo, taciturnitas aliis adminiculis non suffulta, neque consensum significat, neque dissensum, ut constat ex reg. 44. immediatè sequente in sexto: *Is qui tacet, non fatetur, sed nec utique negare videtur.*

CAPUT IV.

Tria ad voluntarium indirectum requisita.

33 TRia ex communi Doctorum sententia requiruntur, ad hoc ut effectus indirectè voluntarius censeatur, in causa scilicet seu positiva, seu negativa, ad quam consequitur.

34 Primum est, ut advertas, vel advertere possis & debeas talem effectum ex tali causa secuturum, vel sequi natum. Nihil enim volitum, nisi præcognitum, actu vel virtute.

35 Secundum est, ut possis causam illam non ponere, vel positam auferre. Quia in cujus potestate non est impedire causam, in ipsius potestate non est impedire effectum. Nec proinde effectus ipsi moraliter imputatur.

34 Tertium est, ut tenearis actionem illam omittere, seu causam non ponere, positamve auferre, ad effectum illum impediendum. Aliàs effectus solùm censebitur voluntarius permissivè. Neque enim effectus censetur tibi indirectè voluntarius, ex eo præcisè quòd non impedis causam illius; sed ex eo quòd effectum non impedis, cùm possis & debeas. Dum enim justam habes causam, propter quam non teneris impedire causam, ob talem effectum, tunc iste effectus non censetur tibi indirectè voluntarius, magis quàm peccata nostra censeantur indirectè voluntaria Deo, non impedienti causam eorum, scilicet voluntatem nostram per gratiam efficacem, ne peccet. Quamvis enim possit, non tenetur impedire: quia justam habet non impediendi causam. Et ideò non impediendo, non censetur ea velle, ne quidem indirectè, sed permittere dumtaxat.

35 Neque solo Dei exemplo id ostenditur, sed ex variis exemplis creaturarum, quæ partim à SS. Doctoribus, partim ab omnibus vel ferè omnibus Doctoribus Scholasticis admittuntur.

36 Primò namque S. Thomas 2. 2. q. 64. a. 7. docet, *quòd nihil prohibet unius actus esse duos effectus, quorum alter solùm sit in intentione, alius præter intentionem*; ideòque voluntariam non censeri occisionem injusti invasoris propriæ vitæ, dum contingit non intendendo ipsius occisionem, sed propriæ dumtaxat vitæ defensionem. Quia (inquit) *non est necessarium ad salutem, ut homo actum moderatæ tutelæ prætermittat, ad evitandam occisionem alterius: quia plus tenetur homo vitæ suæ providere, quàm vitæ alienæ. Sed quia occidere hominem non licet nisi publicâ authoritate.... illicitum est quòd homo intendat occidere hominem, ut seipsum defendat, nisi ei qui habet publicam authoritatem.* Igitur secundùm Angelicum Doctorem, licèt occisio invasoris vitæ per se physicè sequatur ex defensione propriæ vitæ, quia invasus non tenetur defensionem illam prætermittere, occisio illa non censetur ipsi moraliter voluntaria, si eam non intendat. Dum enim unius actus duo sunt effectus, sicut alter solùm esse potest in intentione, alius præter intentionem; sic alter esse potest voluntarius, alius non item.

37 Secundò, idipsum declaratur exemplo Medici, præscribentis ægroto potionem, ad restituendam ipsi sanitatem; ex qua potione tametsi per se physicè duo sequantur effectus, sanitatis restitutio, ægrotique debilitatio; ista Medico voluntaria non censetur, sed illa dumtaxat: quia illius solius causâ Medicus potionem præscribit.

38 Tertiò, exemplo Principis obsidentis civitatem, hostilemque tormentis bellicis turrim dejicientis, in qua, cum hostibus, innocens non ignoranter occiditur. Neque enim innocentis occisio ipsi voluntaria censetur, tametsi per se physicè tam sequatur ex illa turris dejectione, quàm hostium occisio. Quia justa necessitas istam excusat dejectionem, ex intentione capiendi civitatem, vel occidendi hostes, non innocentem.

Quartò, exemplo Medici & Chyrurgi, cu- 39
rantium secretiora mulierum, ex quorum necessario aspectu, & tactu, tametsi prævideant secuturos in se carnis motus, vel etiam pollutionem, non censentur effectus istos moraliter velle: quia justam habent aspiciendi tangendique necessitatem. Et idem est de Confessario, similes in se effectus, ex auditis in Confessione turpibus, experiente.

Hinc communis Doctorum passim omnium 40
doctrina est, quòd licèt effectus proximè dicti indirectè voluntarii censeantur, absque justa necessitate vel utilitate ponenti, vel positam non auferenti causam eorum: secùs si eam ponat, vel non auferat ex justa causa, vel utilitate, dummodò periculum absit consensus. Quamvis enim homo teneatur inferiorem regere appetitum, ipsiusque adversus spiritum rebellionem coërcere, solùm eatenus ad id tenetur, quatenus inordinatis motibus rebellionibusque ipsius consensum denegare tenetur, eorumque causas inutiles minimèque necessarias amovere: cùm ad amplius nos non obligent Sancti, Deumque amplius non exigere communis Sapientum sensus, & proborum praxis ostendat. Neque suo se muneri deesse existimant, si à Casuum obscœnorum studio, vel auditione Confessionum non abstineant, licèt ex auditione ista, vel studio, in se dictos experiantur effectus, contradicente voluntate.

Solus (quem viderim) Irenæus noster à S. 41
Jacobo de peccat. c. 1. sect. 3. §. 5. ea in re præ cæteris scrupulizat, summam requirendo necessitatem, non prætermittendi causam, ex qua certò moraliter secutura prævidetur pollutio. Et ne tunc quidem permittit ejusmodi causam, nisi spes probabilis affulgeat, quòd pollutio per Dei gratiam non sequetur. Cur enim (inquit) alioqui Confessiones feminarum audias, cùm tanta sit aliorum copia, qui absque tanto audiant præjudicio? Cur equo non abstineas, cùm ire possis pedibus? Gratis verò dici putat, quòd præter intentionem accidat pollutio, imò contradictionem esse in eo qui diceret: *Nolo pollui, sed solum ponere causam, ex qua pollutionem secuturam certò scio.* Perinde ac si diceret: *Nolo meam mortem, sed solùm bibere venenatum vinum, ex quo certò scio secuturam meam mortem.* Quoties namque scimus duo sic esse inter se connexa, ut unum certò secuturum sit ex alio, non possumus unum velle, quin velimus alterum, nec velle causam, nisi velimus effectum: voluntaria quippe causa causæ, voluntaria est causa causati. Ita ille.

Verùm hanc rationem universim non pro- 42
cedere, manifestum videtur ex dictis à num. 36. ad num. 41. Nec subsistit paritas à veneni sumptione, ad Confessionum auditionem, &c. cùm nullo casu liceat scienter & volenter sumere venenum certò mortem allaturum. In casu verò summæ necessitatis, si v. g. femina

aliàs sine absolutione certò sit moritura. tam licitè ipsam audio, imò audire teneor, tametsi certò moraliter (citra periculum consensus) passurus sim turpes motus, vel etiam pollutionem, quàm Chyrurgus feminam, aliàs certò morituram, licitè curat in secretioribus, tametsi moraliter certò (citra periculum consensus) ista passurus. Strictiùs proinde teneor abstinere ab actione meiipsius physicè directè occisivâ, quàm à dictis actionibus, quas (absente consensus periculo) solùm amovere teneor, dum nec justa utilitas, nec necessitas eas requirit, uti n. 40. ostendimus, confirmatque ibi dicta D. Gregorius l. 1. Registri epist. 24. ubi consolatur rectores animarum, qui ex auditis alienis immunditiis, obscœnis tentationibus pulsantur : *Fit plerumque ut dum rectoris animus tentamenta condescendendo recognoscit, auditis tentationibus & ipse pulsetur : quia & hæc eadem, per quam populi multitudo diluitur, aqua procul dubio luteris inquinatur. Nam dum sordes diluentium suscipit, quasi suæ munditiæ serenitatem perdit. Sed hæc nequaquam Pastori timenda sunt : quia Deo subtiliter cuncta pensante, tanto facilius à sua eripitur, quanto misericordius ex aliena tentatione fatigatur.*

43 Non itaque tenemur motus per se involuntarios impedire, dummodò absit consensus periculum, adsitque justa non impediendi causa. Ad quod prudenter dijudicandum, Doctores sapienter monent, discernendum esse inter motuum illorum causas & causas, videndumque an per se & propinquè eorum sint excitativæ, an per accidens & remotè dumtaxat.

44 Per se & propinquè excitativæ censentur, quæ in hoc corruptæ naturæ statu, eam habent turpitudinis speciem, ut per se ad luxuriam spectarent, nisi propriæ vel alienæ necessitatis titulo honestarentur, ut aspectus & tactus partium inhonestarum, præsertim alterius sexus. Remotè verò & per accidens, quæ per se eam non habent turpitudinis speciem, sed vel per se honestæ sunt, ut Confessiones audire ; vel indifferentes, ut cibis vesci calidioribus, in communi usu apponi solitis.

45 Quòd si sermo sit de causis solùm remotè & per accidens excitativis, Doctores honestam sufficere aiunt utilitatem, ad hoc ut homo non teneatur, motuum illorum, seu etiam pollutionis causas remotas prætermittere, ad effectus illos impediendos, dummodò effectus illi nec quærantur, antequam adsint, nec amentur cùm adsunt : tametsi homines spirituales perfectique amatores castitatis, consultò, cum aliquo incommodo suo, ab illis abstineant, dum necessariæ non sunt, ut effectus illos devitent. Si autem sermo sit de causis per se & propinquè natis illos excitare, tanto gravior esse debet necessitas non prætermittendi ejusmodi causas, quanto graviores motus natæ sunt excitare. Et ideò mortiferè peccat Chyrurgus, absque gravi necessitate tangens vel aspiciens secretiora feminæ.

CAPUT V.

Voluntarii indirecti varia proferuntur exempla.

QUia voluntarii indirecti argumentum per universam ferè Theologiam Moralem se offert, varia illius exempla, regulasque, ex quibus colligi possit ac debeat, operæ pretium est afferre, ut discernere quisque possit, quando contingat, vel non contingat illud adesse. Est autem voluntarium indirectum, quod licèt non sit volitum in se, morali hominum æstimatione volitum censetur in alio, directè volito, vel tamquam effectus in causa, vel propter connexionem cum illo, vel propter aliquas alias circumstantias, uti dixi n. 25. 46

Exemplum primum est in homicidio, quod indirectè voluntarium censetur venatori, ejaculanti feram, cum interpretativa saltem advertentia periculi occidendi hominem illac transeuntem. Quamvis enim directè non velit ipsum occidere, vult indirectè. 47

2°. In scandalo, quod indirectè voluntarium fuit Davidi adulteranti cum Bethsabee, maritumque ipsius occidenti ; tametsi enim scandalum istud directè non intenderit 2. Reg. 12. Natan Propheta ipsum de scandalo increpavit, dicens : *Blasphemare fecisti inimicos Domini.* Similiter Apostolus Rom. 9. & 1. Cor. 8. de scandalo arguit Christianos, cum infirmorum fratrum offendiculo legalia servantes, vel idolyta comedentes, etiamsi nihil minùs sibi proponerent, quàm scandalum seu offendiculum ipsorum. 48

3°. In alienis erroribus, peccatisque, quæ indirectè voluntaria reputantur iis, qui non impediunt, cùm possint & debeant. Ut enim dicitur cap. *Error* dist. 83. *Error, cui non resistitur, approbatur, & veritas, cùm minimè defenditur, opprimitur.* Ob eamdem causam Sacerdotes, indulgentiùs agentes cum pœnitentibus, levissima quædam opera pro graviss imis delictis injungendo, peccatorum alienorum participes effici dicuntur à Concilio Tridentino sess. 14. cap. 8. Et à D. Bernardo serm. 40. de divers. c. 8. his verbis : *Qui, cùm emendare possit, negligit, participem se procul dubio delicti constituit.* 49

4°. In pollutione indirectè voluntaria, absque justa causa voluntariè animo volventi venereas cogitationes, vel legenti libros, turpia tractantes ; vel turpes intuenti picturas, vel conversanti cum personis, ex quarum intuitu & familiaritate carnales in se motus, & periculum pollutionis in se experitur. 50

5°. In juramentis, blasphemiis, &c. quæ voluntaria censentur assuetis in ea prorumpere, dum foliis pictis ludunt, nec tamen à ludo abstinent. De similibus S. Franciscus Salesius Introd. p. 4. c. 6. sic ait : *quandoque vel solâ tentatione nos peccati reos constitui, eo quòd eam ipsi nobis accersiverimus : v. g. scio lusu ad rabiem me concitari, vel blasphemiam. Novi* 51

ad ista me lusu tentari. Toties pecco, quoties ludam, omniumque tentationum, quæ in lusu contingent, reatu gravor. Similiter siquam conversationem noverim tentationem mihi parere, & lapsum, ingrediar tamen voluntariè conversationem illam, omnium tentationum, quibus in ea impetendus sum, reus indubitatè teneor.

52 6°. In quocumque peccato mortali, cujus quis occasioni proximæ se exponit, vel in ea permanet, sive ea fuerit occasio per se, sive per accidens. Censetur namque toties peccatum illud indirectè velle, quoties eam frequentat; voluntariè item permanere in peccato, in proxima cujus occasione voluntariè permanet. Unde quia consuetudo jurandi, blasphemandi, &c. occasio est proxima relabendi, non laborantibus efficaciter ad istius consuetudinis extirpationem; relapsus in similia ipsis indirectè voluntarii censentur, quamdiù efficaciter non laborant, &c.

53 Et ista quidem sunt exempla voluntarii indirecti in causa positiva. Sequentia verò exempla voluntarii sunt indirecti in causa negativa, sicut & illud quod primo loco positum est n. 49. Itaque septimum exemplum est in morte infirmi, vel corpore læsi, quæ indirectè voluntaria censetur Medico vel Chyrurgo, morbum vel vulnus sibi commissum curare negligenti, quemadmodùm & ipsimet infirmo, necessariis Medici præceptionibus parere detrectanti.

54 Octavum est in damnis temporalibus clienti obvenientibus ex ignorantia, vel negligentia Advocati. Et idem est de damnis spiritualibus, pœnitenti vel parochiano obvenientibus ex ignorantia vel negligentia Confessarii vel Parochi.

55 Nonum exemplum est in relapsu, qui indirectè voluntarius est pœnitenti, renuenti se subjicere salutaribus remediis, quæ Confessarius ipsi declarat necessaria ad relapsum impediendum. Quæ proinde respuere, est relapsum velle; vanaque censenda est pollicitatio non relabendi, quam facit, quamdiù remedia illa renuit. Quia licèt relapsum nolit expressè, vult interpretativè, sicut infirmus de quo n. 53. interpretativè vult mortem suam, dum absolutè renuit uti remediis, quæ Medicus ad impediendam mortem ipsius necessaria judicat.

56 Sed non sufficit exempla proponere, oportet & regulas tradere, ex quibus discerni queat, quandonam effectus indirectè, seu interpretativè voluntarius censeatur in causa, sive in actione vel omissione, ex qua consequitur. Quando verò permissivè dumtaxat. Quomodò multos effectus voluntariè permittimus, quos tamen propriè non volumus. Quomodò etiam Deus, propriè non vult iniquitates nostras, quas permittit.

57 Antequam verò tradamus regulas, observandum, effectus aliquos ex actione nostra, vel omissione, tripliciter consequi posse. Vel scilicet primò ex pura aliorum malitia, absque concursu nostro, ut dum tertius accipit scandalum ex actione nostra, per quam ipsi scandalum non damus. Vel secundò ex natura talis actionis, utpote quæ nata sit effectus illos proferre. Vel tertiò ex hominum fragilitate vel ignorantia.

CAPUT VI.

Regulæ ad discernendum quandonam effectus indirectè voluntarius censeatur in causa.

EX dictis cap. 4. & 5. perspicuum est, ad 58
hoc ut effectus voluntarius sit in causa, sufficere, quòd causa illa prætermitti debuisset, ne ex ea sequeretur effectus, qui prævisus fuit, vel prævideri debuit secuturus. Quoties verò effectus malus ex certa causa consequi debeat, ut in ea censeatur indirectè voluntarius; unicâ generali regulâ determinari non potest: quia dependet à gravitate malitiæ quæ est in effectu; à magnitudine rationis non prætermittendi causam; à modo quo causa influit in effectum; atque à specialibus obligationibus ipsius agentis. Et ideò ad rectum hac de re judicium, cavendumque laxitatis excessum (quo innumera gravissimaque peccata à nonnullis Casuistis excusantur, quæ in voluntario indirecto consistunt) non unam, sed multiplicem regulam exhibemus.

Regula prima: Ut rectè judices, quandonam 59
effectus indirectè voluntarius sit in causa, expendere debes, an & quàm frequenter sequatur ex tali causa. Tum quia aliqui effectus in causa voluntarii non censentur, nisi ex ea per se sequantur, sive ut in pluribus, & non solùm per accidens, sive ut in paucioribus. Exemplum est in pollutione nocturna, quæ indirectè voluntaria non censetur intemperantibus in cibo & potu, nisi inde per se, sive ut in pluribus sequatur. De hujusmodi effectibus loqui videtur S. Thomas 1. 2. q. 20. a. 5. dum ait: *Si eventus sequens non est præcogitatus, nec per se sequatur ex tali actu, & ut in pluribus, sed per accidens, & ut in paucioribus, tunc eventus sequens non addit ad bonitatem vel malitiam actus.* Tum quia quo effectus malus frequentiùs sequitur ex certa causa, eo magis cavenda est causa ista, ad effectum illum impediendum.

Regula secunda: Quanto pejor est effectus, 60
vel specialiori titulo à tali persona impediendus (ut peccata subditorum & filiorum, à superioribus & parentibus) tanto minùs frequenter eos sequi oportet ex tali causa, ut in ea censeatur indirectè voluntarius. Quanto enim pejor est effectus, tanto magis cavendus, tanto proinde magis ad eum cavendum, cavenda est causa ipsius.

Hinc non semper necesse est, ut effectus ex 61
tali causa per se sequatur, sive ut in pluribus, vel certò moraliter, vel ferè semper, vel frequenter, ad hoc ut in ea voluntarius censeatur; sed quandoque sufficit quòd ex ea minùs frequenter, vel rarò consequatur, ut constat in

homicidio, & abortu fœtus animati; quorum iſte ſequitur ex comeſtione aliqua, vel potione, illud ex ebrietate. Abortus namque, præſertim fœtus animati, graviſſimis de cauſis ſolliciti ſſimè eſt cavendus: quia fœtui adfert mortem animæ & corporis, ipſumque in æternam præcipitat damnationem. Et ideò, etiamſi nonniſi ſemel vel iterùm ſequatur ex viginti vicibus, quibus talis cibus, vel potio ſumitur, à tali cibo vel potione abſtinendum, ne inde ſequatur. Similiter ab ebrietate abſtinendum eſt, non ſolùm ad cavendam malitiam per ſe ipſi annexam, ſed & ad cavendum homicidium; etiamſi nonniſi ſemel vel iterùm inde ſequatur ex viginti vicibus, quibus ſe quis inebriat. Sicut & abſtinendum eſt à cæca projectione tegulæ in talem locum, ad cavendum homicidium; tametſi non ſequatur niſi ſemel vel iterùm ex viginti projectionibus ſimilibus. Et hinc eſt quòd S. Thomas 3. contra Gent. 160. Lect. 7. in cap. 1. ad Rom. & alibi ſæpè, loquens de homicidio ex culpabili ebrietate, non requirit, ut ex ea frequenter, & ut in pluribus ſequatur, ut in ea voluntarium & culpabile cenſeatur.

62 *Regula tertia*: Quanto minor eſt cauſa ponendi cauſam, ex qua ſequitur effectus valdè malus, tanto minùs frequenter effectus iſte ex ea ſequi debet, ut in ea voluntarius reputetur. Homicidium quippe voluntarium reputatur fabro lignario v. g. qui ſæpiùs ambulaſſet ſuper arcto ligno, extra ſuperiorem feneſtram altiſſimæ turris, ad multos pedes prominente, ſi tandem abſque juſta cauſa, ad ſolam oſtentationem audaciæ ſuæ, ſuper eo periculosè ambulans, in terram præcipitatus, occideretur.

63 *Regula quarta*: Neceſſaria eſt juſta cauſa ponendi, ſeu non prætermittendi cauſam, ut in ea voluntarius non cenſeatur effectus malus inde conſequens. Cùm enim unuſquiſque teneatur impedire, ne ex ſua actione malus ſequatur effectus, ſi non impediat, cùm poſſit & debeat, effectus ipſi imputatur, nec excuſari poteſt, niſi juſtam habeat cauſam, ob quam non teneatur impedire.

64 *Regula quinta*: Non ſufficit quæcumque juſta cauſa ponendi cauſam, reſpectu cujuſcumque effectus, ut iſte voluntarius non reputetur in cauſa; ſed ad hoc requiritur cauſa quæ juſta ſit, comparativè ad effectum malum, qui ex cauſa poſita conſequitur. Tametſi enim ponendi cauſa ſit aliàs juſta, ſi talis non ſit comparativè ad talem effectum malum, attentâ certitudine vel veriſimilitudine futuritionis ipſius, ponens in talibus circumſtantiis cauſam, in ea cenſebitur interpretativè velle effectum: quia comparativè ad talem effectum, ponit cauſam illius abſque ratione juſta. Ut enim ratio ponendi juſta ſit, non ſufficit quòd talis ſit comparativè ad effectum minùs malum; ſed talis eſſe debet comparativè ad effectum magis malum, qui ſecuturus timetur: cùm tanto gravior eſſe debeat ratio ponendi cauſam, quanto effectus, qui ex ea timetur ſecuturus, eſt pejor, certiorque aut veriſimilior futuritio ipſius. Cæteris namque paribus, gravior exigitur cauſa, ad ponendam cauſam homicidii, vel abortus, quàm ſolius nocturnæ pollutionis.

Regula ſexta: Expendendus quoque eſt mo- 65
dus, quo cauſa in effectum influit: ſi enim per ſe & propinquè nata ſit illum cauſare, ratio tanto gravior exigitur ad eam ponendam, quanto propinquiùs eum nata eſt cauſare, & longè gravior, quàm ſi ſolùm per accidens illum cauſaret.

Regula ſeptima: Ut nimiam laxitatem non 66
inducat, famoſum effatum deſumptum ex S. Thoma ſuprà n. 36. *Quando cauſa duos habet effectus, unum bonum & alterum malum, poni poteſt ex intentione ſolius effectus boni, ſolùm permiſſivè ſe habendo ad effectum malum*, intelligendum eſt cum grano ſalis, id eſt, cum multiplici limitatione. 1°. Quia manifeſtum eſt, quòd ſi cauſa illa directè & immediatè habeat effectum malum, & nonniſi indirectè, maloque illo effectu mediante, effectum bonum, cauſam illam ponere non liceat ex intentione effectus boni: quia non ſunt facienda mala ut eveniant bona, v. g. non licet mentiri ad ſalvandam vitam patris, nec abortum procurare ad impediendam infamiam, vel occiſionem puellæ ex fornicatione gravidæ. 2°. Etiamſi cauſa æquè directè & immediatè habeat effectum bonum, quàm malum; ſi tamen nulla ſit comparatio bonitatis unius effectus, cum malitia alterius effectus, ſed malitia hujus longè ſuperet bonitatem illius, talem cauſam ponere non licet, v. g. incendere locum, ubi æquè directè exurendus eſt homo & lupus; ſumere potionem æquè directè cauſaturam abortum fœtus animati, quàm expulſionem febris, &c. 3°. Tametſi cauſa illa æquè directè habeat effectum bonum quàm malum, & bonitas unius effectus, non ſit minor, imò major quàm malitia alterius; ſi tamen cauſa illa ex ſe mala ſit, adeòque prohibita, cauſam illam ponere non licet ex intentione effectus boni. Neque enim tibi privatâ authoritate licita eſt projectio tui in ignem, vel puteum, unde emergere nequeas, ad baptizandum puerum, aliàs ſine baptiſmo moriturum, vel ad ſalvandum virginitatis florem, &c. Cùm enim projectio illa ſit ſuiipſius occiſio, à Deo vetita per præceptum, *Non occides*, ſine divina authoritate numquam licet, juxta doctrinam Sanctorum, qui ne quidem ſanctas excuſant mulieres, quæ, ſuam aliter pudicitiam ſalvare non valentes, ſeſe in flumen projecerunt, ut invaſores effugerent, niſi quia id fecerunt per latentem ſancti Spiritûs inſpirationem. Non aliter quoque Samſonem excuſat Auguſtinus, in eo quòd ſe cum Satrapis Philiſtinorum, concuſſis columnis, ruinâ domûs oppreſſit.

Hinc ſolvitur famoſa quæſtio, an licita ſit 67
projectio pueri (aliàs ſine baptiſmo morituri) in puteum (unde emergere nequeat) non ad finem occidendi, ſed ad finem baptizandi ip-

sum? Affirmant quidam Neoterici, dicentes, non esse cur hîc non procedat ratio Angelici Doctoris n. 66. allegata, sicut procedit in casu Principis, obsessam turrim hostilem dejicientis, ex cujus dejectione licèt æquè directè innocentium occisio sequatur, quàm hostium, Princeps non censetur intendere occisionem innocentium, sed hostium dumtaxat.

68 Negandum tamen cum communi omnium ferè Doctorum sententia, id esse licitum: quia projectio illa est infantis occisio, quæ privatâ authoritate ex se mala est, à Deoque prohibita. Nec ipsi comparanda est illa turris dejectio, utpote facta publicâ authoritate Principis justè bellantis, ut supponitur. Ex justo quippe bello (quod ob commune bonum, licitum esse constat ex sacris Litteris) sequi nata sunt incommoda ista.

69 Et ut ista disparitas inter dejectionem illam turris, authoritate Principis justè bellantis, & projectionem pueri, privatâ factam authoritate, plenè non satisfaceret, spectatâ ratione purè humanâ; satisfacere debet, spectatâ authoritate Sanctorum, omniumque penè Theologorum, cujus major in Theologicis habenda est ratio, quàm rationis purè humanæ. Et maximè in præsenti difficultate, in qua ratio humana coanguſtatur, propter oppositas paritates, quarum una probat projectionem illam pueri tam licitam esse, quàm dictam turris dejectionem; altera ex adverso probat eam haud magis esse licitam, quàm projectionem sui in puteum ad puerum baptizandum; quam ex doctrina Sanctorum ostendimus illicitam esse. Neque hinc inde exitum facilè inventura est ratio purè humana, ut vel hinc Theologus discat, perplexos casus solâ ratione purè humanâ facilè non decidendos; sed vel judicium suspendendum, vel ferendum secundùm authoritatem potiùs, quàm secundùm humanam rationem.

70 *Regula octava:* De effectibus malis actionem nostram consequentibus, non primo vel secundo modo, sed tertio ex tribus n. 57. enarratis, scilicet ex hominum infirmitate vel ignorantiâ, pariter philosophandum, ac de illis qui sequuntur per se, ex naturali conditione actionis nostræ. Unde quia effectus mali actionem nostram consequentes ex naturali conditione ipsius, nobis indirectè voluntarii censentur, dum formido mali, quod inde natum est sequi, plus movere nos debet ad eam prætermittendam, quàm spes boni ad eam ponendam: idem dicendum de effectibus actionem nostram consequentibus ex hominum infirmitate. Quia ferè tantum cavere debemus effectus malos actionem nostram consequi solitos ex communi hominum infirmitate, quàm consequi solitos per se ex naturali actionis conditione. Ob sacra eloquia tam vehementer inculcantia cavendum scandalum pusillorum, pœnasque gravissimas comminantia iis per quos ejusmodi scandalum venit, Matth. 18. v. 6. Rom. 14. v. 15. & seqq. 1. Cor. 8. v. 11. & seqq. Gravissimè namque jubemur alienis infirmitatibus compati, & alter alterius onera portare, in tantum ut Galat. 6. Apostolus dicat: *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.*

Regula nona: Ad hoc ut mali effectus actionem nostram consequentes ex sola aliorum malitia, nobis non censeantur indirectè voluntarii, sed merè permissi, sufficit rationabilis causa eam non prætermittendi, tametsi bonitas ipsius minor sit malitiâ effectus taliter consequentis. Miserrima quippe foret humana conditio, si à rationabilibus actionibus prohibere nos deberet aliena malitia, quâ laqueum sibi perditionis quispiam nectit ex actione nostra bona; ideòque abstinere nos oporteret à vino, quia bonum vinum nostrum malitia alterius converteret in venenum suum. Hoc enim ad scandalum pertinet, non datum, sed acceptum, seu pharisaïcum, quod contemnendum Dominus docet Matth. 15. ut S. Thomas ait 2. 2. q. 43. a. 7. quia scilicet Discipulis dicentibus: *Scis, quia Pharisæi, audito verbo hoc, scandalizati sunt?* Christus ibi respondet: *Sinite illos, cæci sunt.* Quasi diceret ejusmodi scandalum pro nihilo habendum. 71

Ex qua Salvatoris doctrina S. Franciscus Salesius Introd. p. 4. c. 1, ostendit, devotam animam moveri non debere obloquiis censurisque filiorum hujus sæculi. Et S. Thomas 2. 2. q. 43. a. 7. docet propter scandalum pharisaïcum prætermittenda non esse spiritualia bona, etiam ad salutem non necessaria, quæ alii, scandala concitando, volunt impedire. Et D. Gregorius 31. Moral. 28. dicit, quòd *quidam, dum temporalia nobis rapiunt, sunt tolerandi: quidam verò æquitate servatâ prohibendi, non solâ curâ, ne nostra subtrahantur, sed ne, rapientes non sua, semetipsos perdant.* Et D. Bernardus epist. 78. c. 10. *Cùm carpuntur vitia, & inde scandalum oritur, ipse sibi scandali causa est, qui fecit quod argui debeat, non ille qui arguit.* Quia *melius est ut scandalum oriatur, quàm veritas relinquatur.* Quod & D. Gregorius dicit Homil. 7. in Ezech. Et D. Thomas 3. p. q. 42. a. 2. ad 1. *Homo sic debet esse sine offensione omnibus, ut nulli det de suo facto, vel dicto, minùs recto, occasionem ruinæ; sed cùm de veritate scandalum oritur, magis est sustinendum scandalum, quàm veritas relinquatur.* 72

Hinc honesta puella non ideò domi manere compellitur, quia ab aliquo juvene perditè amatur: si enim ex intuitu ipsius juvenis ille sibi sumat occasionem spiritualis ruinæ, malitiæ suæ debet imputare, ob quam justum non est, honestam puellam ad domesticum veluti carcerem obligare; quin ipsa potiùs Apostolicum istud usurpare potest: *Non enim servituti subjectus est frater vel soror in hujusmodi.* 73

Nec mutuo indigens, dum illud ab alio accipere non potest, accipere prohibetur ab eo, qui cognoscitur non daturus, nisi sub usura; quia, ut ait S. Thomas 2. 2. q. 78. a. 4. ad 2. *ille qui accipit pecuniam mutuo, sub usuris, non* 74

dat

dat occasionem usurario usuras accipiendi, sed mutuandi. Ipse autem usurarius sumit occasionem peccandi ex malitia cordis sui. Unde scandalum passivum ex parte sua est, non autem activum ex parte petentis mutuum. Nec tamen propter hujusmodi scandalum passivum debet alius a mutuo petendo desistere, si indigeat: quia hujusmodi scandalum passivum non provenit ex infirmitate vel ignorantia, sed ex malitia. Quæ Angelica ratio probat, juramentum, pro contractuum firmitate, ab eo etiam licitè exigi posse, qui scitur verum juraturus per falsos deos, prout idem Angelicus Doctor dicit ibidem in corp. post S. Augustinum epist. 154. ad Publicolam.

75 *Regula decima:* Causa rationabilis requiritur, non prætermittendi actionem, ex qua effectus malus ex aliena malitia secuturus prævidetur, ut non censeatur tibi indirectè voluntarius. Sine justa namque utilitate vel necessitate id facere, ex quo proximus dignoscitur accepturus occasionem spiritualis ruinæ suæ, est ipsum tentare, saltem interpretativè. Quia, ut S. Thomas ait 2. 2. q. 79. a. 1. *interpretativè quis tentat, quando scilicet, etsi hoc non intendat, ut experimentum sumat, id tamen agit, vel dicit, quod ad nihil aliud videtur ordinabile, nisi ad experimentum sumendum. Et ideo interpretativè Deum tentat, qui, etsi non intendat experimentum de Deo sumere, aliquid tamen petit vel facit, ad nihil aliud utile, nisi ad probandam Dei potestatem, vel bonitatem, vel cognitionem: sicut si equum quis currere faciat absque aliqua utilitate, hoc nihil aliud esse videtur, quàm experimentum sumere de equi velocitate. Et idem est in omnibus aliis rebus.* Absque utilitate ergo facere aliquid, cum prævisо periculo, quòd proximus ex sua malitia inde ruat in peccatum, nihil aliud esse videtur, nisi experimentum sumere de malitia proximi, ut perspicuum est Angelicam doctrinam applicanti.

76 Et allatæ regulæ veritas illustratur exemplis, imprimis ex conditione, quam S. Thomas postulat, ad licitam petitionem mutui, ab eo qui daturus cognoscitur sub usuris: si videlicet *indigeat*; adeòque postulat ut petitio fiat *propter aliquod bonum*, utile, vel necessarium, ut S. Doctor ibidem in corpore dicit. Deinde secundùm Augustinum Epist. 154. & serm. 28. de verb. Apost. personæ privatæ illicita est petitio juramenti, ab eo qui cognoscitur pejeraturus. Quod & docet S. Thomas ibidem q. 98. a. 4. addens tamen id licitum personæ publicæ, quæ ex necessitate officii, pro alio juramentum exigit. Cur (amabo!) potiùs isti quàm illi licitum est? nisi quia persona publica justam ad id rationem habet, ut videlicet satisfaciat officio suo, satisfaciendo parti id postulanti secundùm ordinem juris: privata verò persona nullam ad id justam rationem habet, cùm perjurium non sit ipsi profuturum, sed obfuturum potiùs, uti suo loco ostenditur. Justa ergo ratio, pro similibus exigitur, juxta SS. Doctores.

77 *Regula undecima*: Ut mihi tamquam interpretativè volenti, non imputetur effectus malus ex aliena malitia ad actionem meam secuturus, in grave detrimentum spirituale vel temporale tertii innocentis, vel infirmi, non sufficit causa quæcumque rationabilis; sed tanto major causa requiritur, quanto gravius detrimentum ipsi prævidetur secuturum. Quia cùm detrimentum istud isti tertio secuturum videatur ex ipsius malitia, servanda est regula quarta & quinta. Ad tradendum proinde tyranno innocentem, quem noscitur occisurus, gravissima requiritur causa, ut quòd excidium & vastitatem aliàs illaturus sit civitati.

Regula duodecima: Quando in regulis su- 78
perioribus dictum est, justam causam requiri & sufficere, ad hoc ut effectus malus ex actione nostra consequens, nobis indirectè voluntarius non censeatur, id intelligendum est de causa justa hîc & nunc inducente voluntatem ad agendum: si enim voluntas ad agendum inducta non fuerit per causam illam, licèt non deficientem, sed per aliam insufficientem, justa illa causa non excusabit agentem, nec impediet, ne effectus malus ipsi imputetur, velut indirectè voluntarius.

Patet primò, in Principe bellum indicente, 79
qui licèt justam ad id habeat causam, si tamen illâ non utatur, velut causâ verè ipsum movente, sed tamquam prætextu & velamine dumtaxat; vera autem causa, quâ hîc & nunc movetur ad bellum indicendum, sit libido dominandi, seu regni limites extendendi, ipsi velut indirectè voluntaria imputabuntur, quæcumque mala ex bello consequentur. Quia licèt justam habuerit causam indicendi bellum, moraliter ipsum non magis movit, ac si nullam habuisset, nec reverà causam habuit moraliter moventem, nisi ambitionem suam, ob quam mala illa contempsit.

Propterea Bellarminus l. 3. de Laïcis c. 15. 80
sapienter monet, graviter peccare tam Reges quàm milites, qui ad bellandum, hîc & nunc solùm moventur, ut noceant alicui, vel ut dilatent fines imperii sui, vel ut bellicam exerceant fortitudinem, vel alia de causa, quàm ob commune bonum, etiamsi authoritas legitima, & causa justa reverà non desint; quia justa causa, quæ hîc & nunc moraliter non influit in opus, perinde se habet, ac si non adesset. Non magis ergo abstergit malitiam operis, sine justa causa positi, quàm si non adesset.

Propterea etiam S. Thomas 2. 2. q. 40. a. 1. 81
ad justitiam belli, cum S. Augustino, non solùm requirit Principis authoritatem, & justam causam, sed rectam etiam intentionem. Quam profectò non facit finis bonus, v. g. promovendi boni communis, vel removendi mali communis, nisi finis iste hîc & nunc finalizet, id est, hîc & nunc moveat & inducat voluntatem, ut propter finem illum faciat, quod facit.

Patet secundò à simili in usu conjugii: quia, ut 82
docet S. Thomas supplem. q. 49. a. 6. licèt quis non utatur nisi conjuge, si tamen delectatio

quæratur ultra honeſtatem matrimonii, ut ſcilicet aliquis in conjuge non attendat quòd conjux eſt, ſed ſolùm quòd mulier, paratus idem facere cum ea, ſi non eſſet conjux, eſt peccatum mortale. Quia ſcilicet jus matrimoniale dum non attenditur, nec eſt vera cauſa operis, non purgat malitiam, quæ in defectu talis juris adeſſet.

83 Patet 3°. in pluralitate Beneficiorum, de qua poſteaquam S. Thomas quodlib. 9. a. 15. docuit, polygamiam Beneficiorum illis actionibus annumerandam, quæ cùm, abſolutè ſpectatæ, deformitatem aliquam & irregularitatem contineant, abſtergi tamen poſſit deformitas illa per particulares circumſtantias occurrentes: addit, quòd occurrentibus illis circumſtantiis cum bona intentione, nullum peccatum ſit, habere plures Præbendas. Si tamen eſſet intentio cupiditatis vel ambitionis, purgari non poſſe deformitates, quas ſimpliciter continet pluralitas Beneficiorum, ſed magis augeri, qualeſcumque demùm circumſtantiæ occurrant.

84 Patet denique 4°. in ſimonia, de qua rurſus idem S. Doctor 2. 2. q. 100. a. 5. ad 3. poſtquam docuit ſimoniam eſſe, ſi quis in Beneficiorum collatione principaliter intenderit munus à lingua, addit: *Videtur autem ad hoc principaliter intendere, qui preces pro indigno porrectas exaudit; unde ipſum factum eſt ſimoniacum. Si autem preces pro digno porrigantur, ipſum factum non eſt ſimoniacum: quia ſubeſt debita cauſa, ex qua illi pro quo preces porriguntur, ſpirituale aliquid porrigatur. Tamen poteſt eſſe ſimonia in intentione, ſi non attendatur ad dignitatem perſonæ, ſed ad favorem humanum.*

85 Ex his habes, quid ſentiendum de litigiis & quibuſcumque actionibus, quarum malitia non purgatur, niſi per magna bona, quibus compenſentur mala, quæ ex eis conſequuntur. Niſi enim bona illa in generali vel ſpeciali intendantur, actiones illæ contrahent malitiam omnem, quæ ipſas depravaſſet, ſi juſta eas exercendi cauſa defuiſſet.

CAPUT VII.

Ex allatis exemplis maximi momenti derivantur conſectaria.

86 COllige primò, non ſubſiſtere quod Neoterici quidam aiunt: Effectum malum, ſolùm voluntarium indirectè, ſive in cauſa, ſolùm eſſe culpabilem in cauſa, nec magis culpabilem, quàm culpabilis ſit cauſa. Atque adeò pollutionem, in cauſa præviſam, in eaque ſola, non in ſe voluntariam, ſolùm eſſe venialiter malam, ſi cauſa, in genere Luxuriæ, de ſe ſolùm ſit venialis. Contrarium quippe perſpicuum videtur. 1°. Ex eo quòd effectus malus quatenus indirectè voluntarius, culpabilis ſit ratione voluntarii indirecti; non ergo ratione ſolius cauſæ, utpote directè voluntariæ. 2°. Ex eo quòd ipſa cauſa propter talem effectum non rarò culpabilis ſit, cùm aliàs culpabilis non eſſet, utpote propter talem effectum vitanda, quæ aliàs foret permiſſa. A multis quippe licitis abſtinere tenemur, ad vitandum ſcandalum puſillorum. 3°. Ex eo quòd cauſa, aliàs licita, vel ſaltem venialiter illicita, ſæpè reddatur mortifera, propter effectum mortiferum, ut comeſtio cibi, aliàs liciti; vel animi aut corporis perturbatio, aliàs nonniſi venialis, propter abortum in muliere gravida, cujus inde prævidet periculum. 4°. Ex eo quòd varii tactus impudici, quos conjugati inter ſe faciunt causâ ſolius voluptatis, ex communi ſententia Doctorum ſint mortale peccatum, ſi pollutio inde prævideatur ſecutura; tametſi aliàs non forent niſi peccatum veniale, nec pollutio ſit ab ipſis per ſe, ſive in ſe intenta.

Collige 2°. prægnantibus incumbere magnam & ſpecialem obligationem cavendi à perturbationibus animæ & corporis, quæ periculum creare poſſunt abortus, ob periculum ſummi mali, ſive damnationis æternæ, quod ex abortu conſequitur animato fœtui. 87

Collige 3°. majorem commoditatem hujus, vel illius ſitus corporis in lecto, non ſufficere ad hoc, ut pollutio, ex tali ſitu conſecuta, non cenſeatur interpretativè voluntaria, dum alio ſitu, abſque magna difficultate, quis dormire poteſt. Quia fœditas pollutionis plus movere debet ad ſitum illum dimittendum, quàm major præcisè commoditas ad eum admittendum. Ob conſimilem rationem nocturna etiam pollutio videtur indirectè voluntaria homini illi, qui, ſæpiùs expertus ſe eâ fœdari, dum veſperi veſcitur certo genere cibi, non abſtinet, cùm facilè poſſit, nec ſit ipſi neceſſarius, vel utilis, ſed voluptuoſus dumtaxat. 89

Collige 4°. puellis & feminis indirectè voluntaria eſſe ſcandala, in quæ puſilli ex humana fragilitate labuntur, ex intuitu nuditatis, vel immoderati ornatus earum, quo & naturalem venuſtatem nimiùm exponunt, & extraneam ſuperaddunt. Quia nullam ad id cauſam habent ſufficientem, quæ compenſet ſcandala illa puſillorum, quæ prudenter timere debent; cùm non ignorent, magnam, in hoc corruptæ naturæ ſtatu, pronitatem hominum, maximè juvenum, ad laſciviam. Ut quid igitur pronitatem illam, ex ſe ſatis magnam, ſuis illis illecebris tentant & irritant? cùm non ignorent, ſed in dies experiantur, puſillos homines, non eſſe ſatis fortes, ut avertant oculos, ne videant expoſitam ſibi vanitatem ipſarum (quia ſcilicet ſenſus ipſorum vehementer tentatur ad conſpiciendum, tangendum, &c. objecta, in quibus plurimam inveniunt ſatisfactionem); niſi verò oculos avertant (quod ne ipſi quidem pii, & ad perfectionem aſpirantes, ſine magna faciunt mortificatione) in magno lapſus periculo verſantur. Suam itaque vanitatem adinventitiamque & naturalem venuſtatem, vel etiam nuditatem nimiùm exponendo, 88

verè

verè tentant pusillos homines, suisque illis illecebris laqueum parant animabus ipsorum, ita ut ipsis applicari possit illud Isa. 42. *Laqueus juvenum omnes vos.* Si ergo propter scandalum pusillorum dimittenda sunt temporalia bona nostra, vel scandalum aliter sedandum, ut docet S. Thomas 2. 2. q. 43. a. 8. propter eorumdem scandalum multo magis dimittendus est illecebrosus ornatus ille: cùm scandalum illud aliâ viâ sedari nequeat.

90 Collige 5°. multis quoque Religiosis, Ecclesiasticis & Sæcularibus, in causa voluntarias esse distractiones, licèt in se involuntarias, quibus inter orandum detinentur. Quia scilicet proveniunt ex eo quòd terrenis actibus, mundanisque occupationibus, sine justa necessitate vel utilitate se nimiùm, & plusquàm decet statum suum, voluntariè implicent, plenique sint sæcularibus desideriis; assidui, vel nimii in lusibus, & inutilibus conversationibus, potitationibus, confabulationibus; mancipati sensuum voluptatibus, interiora negligentes; ad exteriora se nimiùm effundentes; videre & videri supra modum amantes. Manifestum namque est, quòd, per hujusmodi vitam, aperiant distractionibus suis latissimam januam, quòdque frivola sit excusatio ipsorum, dum aiunt eas se pati invitè. Ut enim Augustinus in Psal. 53. ad v. 3. *Non proposuerunt Deum ante conspectum suum:* „ quomodo proponit „ Deum ante conspectum suum, ante cujus con„ spectum non est nisi sæculum „? Igitur ut justa foret excusatio ipsorum, audire & practicare deberent monitum istud D. Gregorii l. 1. Moral. c. 21. *Ut ad precem facies sine macula levetur, ante orationis semper tempora debet sollicitè conspici, quidquid potest in oratione reprobari, talemque se mens, cùm ab oratione cessat, exhibere festinet, qualis apparere Judici in ipsa oratione exoptat.* Quia nempe *cùm se mens ad studium orationis erexerit, earum rerum imagines reverberata patitur, quibus libenter priùs otiosa premebatur: sæpè curis mundi libenter occupamur, cùmque post hæc studio orationis intendimus, nequaquam se mens ad cælestia erigit, nec erigere potest, quia pondus hanc terrenæ sollicitudinis in profundum mersit.* Et sicut Abbas Isaac observat apud Cassianum collat. 9. c. 3. *quidquid ante orationis horam anima nostra conceperit, necesse est ut orantibus nobis per ingestionem recordationis occurrat. Quamobrem quales orantes volumus inveniri, tales nos ante orationis tempus præparare debemus.... Idcircò quidquid orantibus nobis nolumus ut occurrat, ante orationem de abditis nostri pectoris extrudere festinemus.* Quisquis ergo sincerè efficaciterque vult tot & tantis distractionibus carere, vel saltem eas sibi indirectè voluntarias non esse, causas earum, sibi nec necessarias, nec utiles, sollicitè debet cavere, impedimentaque devotionis & recollectionis auferre. Neque enim vult efficaciter finem, qui sincerè & efficaciter non vult media, sine quibus pervenìri nequit ad finem. Nec sufficit de anteactis distractionum causis dolere; nisi quis sincerâ & efficaci voluntate, & non solâ tali quali velleitate proponat eas imposterum abjicere.

Collige 6°. alienam ebrietatem, indirectè 91
voluntariam esse cauponibus, qui, absque gravi detrimento suo, recusare valentes, vinum promunt iis, quos vident ebrietati proximos, atque adeò inde inebriandos. Ipsis enim vinum promere & propinare, est actio, in istis circumstantiis, ex natura sua tendens ad inebriationem ipsorum. Cùm enim vendens & tradens mercem aliquam, ordinariè vendat & tradat ad principalem usum ipsius; vendens & promens, seu tradens vinum, vendit, promit & tradit illud ad potationem, sive ut illud bibat, cui promitur & propinatur. Si ergo ille, cui propinatur, hîc & nunc in eo sit statu fixo, in quo bibere nequeat nisi se inebriando, propinatio illa ex natura sua, comparata ad statum fixum personæ cui fit propinatio, non verò ex sola aliena malitia, habet quòd ex ipsa expectanda sit ebrietas. Audiant igitur caupones illi, Apostolum Rom. 10. dicentem: *Noli cibo*, noli vino tuo *illum perdere, pro quo Christus mortuus est.* Et sicut idem Apostolus, Cor. 8. dixit: *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum*; dicant & ipsi: Si vinum scandalizat fratrem meum, non promam illud in æternum.

Nec refert, quòd, ex recusato vino, præ- 92
videant inimicitias, rixas, blasphemias, &c. Hæc enim (utpote pertinentia ad scandalum pharisaïcum) negligere debent, nec propter scandalum acceptum, non datum, prætermittere eas, quas ex jure divino & naturali habent obligationes. Sed de his plura, ubi de scandalo. Solùm hîc addo, caupones excusari posse, si in consortio, ubi cum paucis ebrietati proximis, adsunt plures alii capere valentes, integrâque ratione vigentes, his posterioribus vinum promant, tametsi sciantur prioribus propinaturi, dummodò talem habeant rationem ipsis promendi, qualis requiritur & sufficit ad mutuum ab usurario exigendum. Cùm enim justam habeant rationem posterioribus promendi; nonnisi permissivè se habent ad malitiam cordis ipsorum, quâ prioribus propinant.

Collige 7°. peccatori sano & vegeto, ha- 93
benti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ aut Ecclesiæ, dum emendationis spes nulla apparet, tametsi ore proferat se dolere, emendationemque proponere; Confessarium prudenter (juxta Ecclesiæ declarationem) negare, seu differre absolutionem, ob ingentia, quæ inde utplurimùm sequuntur bona, non obstante vanâ formidine (quam nonnulli minùs sapienter allegant) quòd pœnitens sine absolutione fortè decessurus sit. Quia scilicet formido ista minùs movere debet ad statim dandam, quàm spes ingentium illorum bonorum inducere ad differendam absolutionem, junctâ cum formidine non vana maximorum malorum, quæ ex statim data promiscuè absolutione omnibus, quàmlibet in peccato mortali ha-

bituatis, & consuetudinariis, ore emendationem promittentibus, maximo cum fundamento timenda sunt. Idque propter tria, quæ simul juncta prorsus demonstrant intentum. 1°. Quia formido illa, in malo statu sine absolutione ob eam sibi dilatam moriendi, vana est, nec probabilis. 2°. Quia formido maximorum malorum ex data taliter omnibus absolutione timendorum, fundatissima est, probabilissimaque. 3°. Quia spes ingentium bonorum ex dilata talibus absolutione, utplurimùm provenientium, pariter fundatissima est, atque probabilissima. Atqui certissimum est, Confessario (secundùm regulas prudentiæ) majorem habendam rationem istius formidinis & spei fundatissimæ & probabilissimæ, quàm illius formidinis vanæ, id est, nec probabilis nec fundatæ. Cùm formidinem hanc contemnere debeat, tamquam vanam & infundatam; & formido malorum, spesque bonorum probabilissimè futurorum, haud dubiè præponderet formidini malorum probabiliter non futurorum, dum bona quæ sperantur, minora non sunt malis quæ timentur, malaque quæ probabilissimè timentur, minora non sunt malis, quæ improbabiliter formidantur, prout in præsenti contingere jam jam ostendo.

94 Et imprimis formidinem illam (in malo statu sine absolutione ob dilationem illius decedendi) probabilem non esse, sed vanam, demonstratur ex eo quòd probabile non sit, quòd huic pœnitenti tuo accidet, quod vix, aut ne vix quidem, in simili casu, accidit uni ex mille (probabile namque est quod frequenter, non quod rarissimè accidit): atqui (in tanta Sacerdotum copia) non accidit unum ex mille pœnitentibus ob dictam causam, ad tempus sine absolutione dimissum, ob dimissionem illam in malo statu sine absolutione decedere, ut experientia docet. Et ut accideret, unum ex mille in malo statu decedere, non tamen ob dilationem illam. Nam ut id accideret ob dilationem illam, deberet illo præcisè tempore ex hac vita discedere, quo collatam sibi per absolutionem gratiam retinuisset, si absolutionem obtinuisset. At rationabiliter præsumi non potest, hoc accidere uni ex mille. In obscuris namque rationabilis præsumptio fit à communiter accidentibus. Communiter autem accidit, quòd peccatores habituati & consuetudinarii, primâ occasione post absolutionem in mortale relabantur, gratiamque (si eam fortè obtinuerunt) ad tam breve tempus retineant, ut si per aliquot dies ab absolutione sine nova Confessione & absolutione decedant, decedant in malo statu, quem amissâ gratiâ, per novum mortale sibi compararunt, non in eo præcisè, in quo antè fuerunt. Denique dato, non concesso, quòd ob dilatam absolutionem, ut suprà, unus ex mille, sine absolutione decederet, praxis illa sine absolutione consuetudinarium dimittendi, non ideò exponeret ipsum majori periculo moriendi in malo statu, quàm praxis opposita. Tum quia planè timendum est, quòd, si in malo statu decedat, in eo adhuc decessisset, tametsi absolutionem recepisset: cùm omninò dubia & suspecta sit absolutio, quæ istiusmodi hominibus impenditur. Tum quia de salute pœnitentis, secundùm praxim illam sine absolutione dimissi, meliùs sperandum est, quàm si impensa ei absolutio fuisset. Neque enim praxis illa nudè consistit in absolutionis dilatione, sed & in suggestione salutarium monitorum, præscriptioneque remediorum, ac piorum operum, quæ si pœnitens fideliter impleat, verisimile non est, ipsum, si fortè sine absolutione decedat, in malo statu decessurum (uti, Deo dante, ostendam ubi de Sacramento Pœnitentiæ); si autem non impleat remedia illa, sed pia opera negligendo, voluntariè post Confessionem permanserit in proxima peccati mortalis occasione, quam sua sibi consuetudo induxit; ipsi (in voluntaria occasione illa morienti) absolutio data non profuisset. Non minora proinde mala formidari possunt & debent ex statim data, quàm ex dilata similibus absolutione; sed eadem, vel majora, & majori cum fundamento.

Eadem (inquam) vel majora: quia ex praxi 95
illa differentium absolutionem, sequitur mala mors pauciſſimorum; ex oppositâ verò, seu indulgentiore praxi, sequitur mala mors, sicut & vita in continuis ferè mortalibus plurimorum, ne dicam infinitorum. Quia ob indulgentiorem illam praxim (quæ immisericors misericordia jure dicitur) Salesio teste, *perit multitudo infinita*, testeque Bellarmino, *non esset hodie tanta facilitas peccandi, si non esset tanta facilitas absolvendi.* Sed de hoc aliàs.

Maximorum proinde malorum, ex oppositâ 96
istâ praxi, formido fundatissima est, probabilissimaque, utpote communissimis experientiis comprobata. Palpabiliter enim sapiens quisque videt (si præjudicia tantisper deponat) & Sancti attestantur, verissimum esse illud S. Thomæ Villanovani: *Quid Ecclesiam Domini hodie perdit, nisi Confessariorum & Pastorum blandiens adulatio?*

Quid dicam de spe ingentium bonorum, 97
ex dilata consuetudinariis tantisper absolutione, utplurimùm provenientium, & ideò probabilissimè expectandorum? 1°. Suus Sacramentis honor per hanc praxim asseritur, dum innumeræ profanationes Sacramentorum Eucharistiæ ac Pœnitentiæ impediuntur. 2°. Per eam innumeri peccatores ad veram salutaremque pœnitentiam, vel moraliter certò, vel probabilissimè perducuntur: quorum omnis vel ferè omnis pœnitentia, aliàs ficta, vel valdè suspecta fuisset. Id profectò ego, id plures mecum, imò innumeri Confessarii experti sunt. Videatur Emericus de Bonis, insignis è Societate Theologus, tract. de SS. Sacram. c. 19 ubi sic: *Complures Confessarii religiosi & prudentes testantur, quòd peccatores innumeri verè conversi sint, & infelicem, quam habebant, peccandi consuetudinem deserentes, magno cum solatio, & non mediocri in spiritualibus progressu, castitati sese dederint, quia usurpata fuerat*

circa ipsos tam sancta praxis differendi illis absolutionem. 3°. In bona vita firmantur: qui aliàs ipsâ Confessionis die, vel non diù post, velut canes ad vomitum rediissent. 4°. A malis habitibus, praviſque consuetudinibus curantur: qui aliàs per totam, vel ferè totam vitam in iis jacuissent. 5°. Emendatione vitæ, salutariumque operum, ac remediorum praxi, assecuratur salus eorum, quorum vita nimis licentiosa, & sine ullo ferè timore Dei, fundatissimum incutiebat timorem imminentis damnationis, vehementissimèque periclitantis salutis ipsorum. 6°. Fit adeò christiana vita eorum, quorum aliàs gentilis erat, ut si laudatam praxim concorditer inirent Confessarii, brevi reformaretur Christianus Orbis, qui ob contrariam plurimorum praxim, magna ex parte totus in dissolutionem abit, & in perditionem.

98 Cùm igitur ex illa praxi tam ingentia bona sequantur, tanta econtrà mala ex praxi contraria; nec ulla mala sequi nata sint, nec prudenter timeri debeant ex illa dilatione (facta non in turbine tempestatis, sed in spiritu Jesu Christi, id est, charitatis & lenitatis, ardentique zelo alienæ salutis): vanaque proinde sit formido eorum; vel siqua non in vanum timeantur, ex aliorum malitia, suæque salutis incuria, non ex causa à Confessario data timeantur: Ideò Confessario indirectè voluntaria non censentur, nec ipsi proinde sapienter imputantur.

99 Collige 8°. nec ipsam etiam Sacramenti nullitatem censeri indirectè voluntariam Sacerdoti administranti illud cum materia dubia, dum mala, quæ prudenter timentur ex non administrato Sacramento, præponderant nullitatis periculo, cui Sacramentum exponitur, ut in articulo mortis, in quo melius est Sacramentum exponere periculo nullitatis, pœnitentem nonnisi dubiè contritum absolvendo, quàm inabsolutum dimittendo, ipsum exponere periculo damnationis. Cùm enim Sacramenta propter salutem hominum instituta sint, non homines propter Sacramenta; minus malum est Sacramentum irritari, quàm hominem damnari. E duobus autem malis, minus eligendum, sive majori occurrendum, minori negledto.

CAPUT VIII.

Tametsi ad peccatum satis sit voluntarium indirectum; ad actum tamen virtutis requiritur directum.

100 SEnsus est, quòd ut actio nostra contrahat honestatem alicujus virtutis, honestas illa in se & propter se intendi debeat ab operante, sive esse debeat motivum, quo hîc & nunc moveatur & inducatur ad operandum. Aliàs quantumcumque operemur in materia, v. g. justitiæ, temperantiæ, &c. actio nostra non erit actio justitiæ, temperantiæ, &c. quantacumque etiam bona secutura videantur ex actione nostra, nobis moraliter non imputabuntur, si eorum intuitu ad agendum non moveatur voluntas nostra. Hæc est communis doctrina Theologorum, cum S. Thoma 1. 2. q. 19. a. 7. ad 3. & Philosophorum cum Aristotele 2. Ethic. 4. ubi ostendit, non omnes qui agunt justa, esse justos, sed eos solos, qui justa justè agunt; non agere autem justè, ex eo solùm quòd justa sint quæ agunt; sed ex eo quòd agant scienter & ex electione, propter ipsam virtutem. Et l. 6. c. 12. dicit aliquos agere justa non justè, *quia non ob ipsa*, id est, non causâ justitiæ, quæ in ipsis est. Unde l. 4. c. 2. dicit, ad magnificentiæ virtutem pertinere, magnos & decentes sumptus facere, non quacumque ex causa; sed hoc (inquit) *honestatis causâ faciet: Hoc enim commune est omnibus virtutibus.*

Probatur ergo 1°. ex Scriptura Deuteron. 101
16. ubi satis innuitur ad actum virtutis, non sufficere facere quod justum est, nisi fiat causâ justitiæ. Dicitur enim: *Justè quod justum est persequêris.* Et Sap. 6. *Qui custodierint justa justè, justificabuntur.*

2°. Ex Augustino 4. contra Julian. 3. dicen- 102
te: *Non officiis, sed finibus à vitiis discernendas esse virtutes. Officium autem* (inquit) *est quod faciendum est; finis, propter quod faciendum est.* Si ergo ad actum virtutis non sufficit officium, sed insuper requiritur finis virtutis: ad eum ergo non sufficit velle officium, sed & oportet velle, seu intendere finem virtutis. Et sub initium ejusdem capitis, dixerat: *non veraciter dici pudicum, qui non propter Deum verum fidem connubii servat uxori.*

3°. Ex S. Thoma loco citato dicente, quòd 103
malum contingat ex singularibus defectibus; bonum autem ex tota & integra causa. Unde sive voluntas sit ejus quod secundùm se est malum, sub ratione boni; sive sit boni sub ratione mali, semper voluntas erit mala. Sed ad hoc quòd sit voluntas bona, requiritur quòd sit boni sub ratione boni, id est, quòd velit bonum, & propter bonum. Et q. 73. a. 1. *Cujuslibet agentis secundùm virtutem intentio est, ut ipsius rationis regulam sequatur.* Et 2. 2. q. 58. a. 1. probat doctrinam Philosophi suprà allatam.

4°. Idipsum ratione probatur, quia offi- 104
cium virtutis indifferens est ut benè vel malè appetatur (cùm modò ex bono, modò ex malo fine appetatur, ut Augustinus ostendit loco citato;) sed actus non sumit bonitatem ab officio virtutis, ut indifferenter benè vel malè appetibili. Solùm ergo sumit bonitatem ab officio virtutis appetito conformiter ad rationem rectam. Hæc autem dictat, bonum ob finem honestum appetendum. Cùm enim bonum solùm sit appetibile ut bonum, solùm est appetibile, vel ut bonum delectabile, vel ut bonum utile ad delectationem, vel ut bonum honestum, utileve ad illud. Atqui recta ratio non permittit bonum appeti solùm ut delectabile, vel ut utile ad delectationem. Solùm

ergo permittit illud appeti ob bonum honestum, vel ut utile ad illud.

105 5°. Denique ut actus sit in specie determinata virtutis, debet specialiter exerceri propter honestatem propriam talis virtutis, tamquam finem, saltem intermedium. Ergo in genere dicendum, ad hoc ut actus sit in genere virtutis, necessarium esse, ut exerceatur propter bonitatem seu honestatem virtutis. Probatur antecedens: quia actus tendens in objectum, in quo variæ sunt rationes honestatis, spectantes ad varias specie virtutes, solùm contrahit specialem honestatem illius virtutis, quâ voluntas movetur ad exercendum talem actum; non verò specialem honestatem aliarum virtutum, quâ voluntas hîc & nunc non movetur. Si quis enim ex solo motivo justitiæ faciat actum, qui materialiter est justitiæ & misericordiæ, dando v. g. proximo indigenti rem ipsi ex justitia debitam, quâ talem præcisè, non quâ sublevativam indigentiæ ipsius, solùm exercet actum justitiæ, non misericordiæ.

106 Et confirmatur: solus ille facit actum charitatis, qui facit illum propter motivum charitatis, id est, propter Deum, ut omnes fatentur; patetque ex eo quòd solus ille faciat actum charitatis, qui agit ex charitate, quæ est virtus quâ Deus diligitur propter se, & proximus propter Deum. Idem ergo proportionaliter de aliis virtutibus dicendum. Quia solus etiam ille facit actum obedientiæ, temperantiæ, justitiæ, &c. qui agit ex obedientia, temperantia, justitia, &c.

107 Nec obstat Angelicus Doctor 2. 2. q. 123. a. 2. ad 2. dicens, quòd martyrium propter Deum perpessum, *est actus charitatis ut imperantis, fortitudinis autem ut elicientis.* Quando enim martyrium à fortitudine elicitur, à charitate verò imperatur, imperatur quidem ex motivo charitatis, *sicut primo & principali motivo* (quia ex eo elicitur tanquam fine ultimo); sed elicitur ex motivo fortitudinis, *tanquam motivo proprio*, & tanquam fine intermedio, id est, subordinato fini charitatis.

108 Secundò, non obstat quòd ut actus sumat malitiam ab objecto, non oporteat malitiam illam intendi in se & propter se. Respondet enim S. Thomas 1. 2. q. 19. a. 7. ad 3. plus requiri ad bonum quàm ad malum: siquidem bonum non est nisi ex integra causa, malum autem ex singulis defectibus. Et si ad contrahendam malitiam necesse foret illam in se & propter se intendi, nullus foret actus malus. Quia *nemo intendens ad malum operatur*, nec voluntas intendere potest malum sub ratione mali. Hoc ergo necesse non est; sed ad contrahendam malitiam, v. g. furti, adulterii, &c. sufficit velle liberè actum, cui malitia furti, adulterii, &c. annexa cognoscitur. Ubi verò actus volitus annexam habet multiplicem specie malitiam, eo ipso quis multiplicem specie malitiam contrahit, quo liberè vult actum, cui multiplicem illam malitiam annexam esse cognoscit.

CAPUT IX.

Definitio involuntarii, duplexque ipsius acceptio.

INvoluntarium, propriè ac positivè sumptum, illud est, quod est contra inclinationem voluntatis: tametsi involuntarium subinde minùs propriè accipiatur, cumque non voluntario confundatur. Quemadmodùm verò voluntarium, aliud est plenè & simpliciter tale, quod scilicet voluntas absolutè & efficaciter vult; aliud semiplenè & secundùm quid tale, quod voluntas solùm vult inefficaciter. Sic involuntarium aliud est plenè & simpliciter tale, illud utique cui voluntas plenè, absolutè & efficaciter resistit; aliud semiplenè, & secundùm quid tale, nimirùm illud, cui voluntas plenè, efficaciter & absolutè non resistit, sed aliquo modo & secundùm quid dumtaxat. 109

CAPUT X.

Violentia causat involuntarium simpliciter & absolutè.

VIolentia (inquam) causat involuntarium, non qualecumque, sed plenè & simpliciter tale. Quia *violentia opponitur voluntario.* S. Thomas 1. 2. q. 6. a. 3. causatque motum ad quem voluntas nihil omninò confert, sed absolutè & efficaciter ei resistit. Illam proinde voluntas pati nequit in actibus suis elicitis, sed solùm in imperatis, ut idem S. Doctor ait a. 3. *Duplex est actus voluntatis; unus ab ipsa elicitus, alius à voluntate imperatus. Quantum ad hos, voluntas violentiam pati potest.... sed quantum ad ipsum proprium actum voluntatis, non potest ei violentia inferri.* Quia *fieri non potest, ut, dum volumus, non velimus.* Augustinus lib. 3. de lib. arb. c. 3. *Ligari potest invitus, quia nolens: velle autem non potest invitus, quia non potest velle, nolens velle.* Concinit Anselmus de lib. arb. c. 5. 110

Ad majorem hujus evidentiam, advertere, tria hæc nomina, *involuntarium, coactum, violentum*, subinde quidem pro eodem accipi, propriè tamen distingui, tanquam magis & minùs commune. Violentum quippe latiùs patet quàm involuntarium & coactum: cùm hæc duo solùm conveniant creaturis cognoscitivis & appetitivis; violentum verò etiam inanimatis, v. g. lapidi, cui vis, non coactio infertur, dum sursum projicitur. Nec proinde vis seu violentia esse debet contra elicitam inclinationem passi, sed sufficit quòd sit contra inclinationem, seu appetitum innatum. *Violentum* itaque est, quod procedit ab extrinseco, non solùm nihil conferente, sed etiam efficaciter reluctante passo, sive contra efficacem appetitum ipsius, sive innatum, sive elicitum. *Coactum* verò est, quod procedit ab extrinseco contra elicitam inclinationem ipsius, sive inclinatio ista rationalis sit, sive non. *Invo-* 111

luntarium denique, quod procedit ab extrinseco, contra rationalem inclinationem passi.

112 Ad violentum porrò, & coactum propriè dictum, Doctores passim aiunt, non sufficere, quòd sit contra voluntatem inefficacem: aliàs matrimonium, ex gravi metu initum, utpote contrà voluntatem inefficacem, foret violentum. Cùm tamen nec propriè ac strictè violentum sit, nec coactum; sed latè & secundùm quid. Quomodò Augustinus subinde dicit, coactè fieri quod fit ex solo timore.

113 Sunt quidem qui ad violentum, propriè & strictè dictum, non requirunt, quòd sit contra efficacissimam voluntatem, quâ media omnia hîc & nunc possibilia adhibeantur, ad evitandum effectum violentum; sed sufficit quòd sit contra voluntatem efficacem, quâ adhibeantur media hîc & nunc moraliter possibilia, id est, quæ absque gravi periculo adhiberi possunt. Unde secundùm ipsos, Virgo censetur violenter oppressa, licèt ex gravi metu mortis sibi comminatæ, non adhibuerit media omnia absolutè possibilia ad stuprum impediendum, quia scilicet non clamavit, à clamando prohibita per comminatam sibi alioqui mortem, quia non tenebatur cum periculo mortis clamare: dummodò nec interiùs ullo modo consentiat, sed plenè dissentiat; nec exteriùs aptet corpus ad voluntatem stupratoris (quod ne quidem metu mortis potest) sed & manibus & pedibus & reliquo corpore resistat, quantum potest. Verùm hoc refutabimus to. seq. ad sextum Decalogi præceptum.

CAPUT XI.

Metus non causat involuntarium simpliciter, sed secundùm quid. Nec tamen hoc universim est verum.

114 *METUS est instantis vel futuri periculi causâ mentis trepidatio* l. 1. ff. de *eo quod metus causâ fit.* Duplex est, gravis & levis. Gravis est metus, quo certò vel probabiliter timetur grave malum, v. g. mors, atrox cruciatus, mutilatio, dehonestatio per stuprum, servitus, exilium, carceris diuturnitas, gravis infamia, totalis vel notabilis amissio bonorum temporalium, vel quodcumque aliud malum, quod vel absolutè, vel respectivè ad personam talis ætatis, vel sexus, judicio prudentum, reputatur formidabile & magnum, sive interim ejusmodi malum timeatur sibi, sive parentibus, uxori, filiis, fratribus, vel aliis, tam arcto amicitiæ vinculo conjunctis, ut malum ipsorum reputetur proprium. Qui quidem metus appellari solet *justus*, *probabilis*, & *cadens in constantem virum.* Levis (qui & vocari solet *injustus*, *improbabilis*, & *cadens in virum inconstantem*) est, quo timetur leve malum, vel grave quidem, sed facilè impedibile, vel ex levi, non ex probabili fundamento.

Uterque metus dupliciter se habere potest ad actionem vel passionem, concomitanter scilicet & causaliter. Concomitanter se habet, quando non est causa movens, seu excitans voluntatem ad actionem vel passionem, sed eam merè concomitatur; & tunc actio vel passio non dicitur accidere *ex metu*, sed *cum metu.* Causaliter verò se habet, quando est causa movens & excitans voluntatem, &c. & tunc actio vel passio dicitur accidere *ex metu*, seu *per metum*, & *propter metum.* Et quidem dum actiones, quæ ex metu fiunt, nullam aliam bonitatem habent, nisi medii utilis ad fugiendum malum quod timetur, metus est earum causa unica & totalis, ut in casu projectionis mercium in mare ad vitandum naufragium. Dum verò actiones aliam habent bonitatem, & amabilitatem, quàm medii ad vitandum malum quod timetur, metus non semper est earum causa unica & totalis, sed tunc solùm, cùm voluntas hîc & nunc non movetur ab ulla alia bonitate, sed ex sola mali istius apprehensione. Quo proinde casu illa alia bonitas, amabilitasque, ad præsentem voluntatem perinde se habet, ac si non esset: cùm à præsenti voluntate non magis attendatur, nec magis ipsam excitet aut moveat, quàm si non esset; sed ad eam merè per accidens, materialiter & concomitanter se habeat.

Metus itaque non eo modo causat involun- 115
tarium, quo violentia; cùm non causet involuntarium simpliciter & absolutè, sed voluntarium. Quod enim ex metu fit, est simpliciter voluntarium: cùm voluntas ex prævia deliberatione, spectatis omnibus, efficaciter velit & faciat, id quod ex metu facit, sive id faciat ex metu tamquam causâ unicâ & totali, sive non tamquam causâ totali, sed partiali. Quamvis enim id quod facit ex metu, tamquam causâ unicâ & totali, secundùm se consideratum, non sit voluntarium, absolutè tamen hîc & nunc eligitur & efficitur à voluntate tamquam impeditivum mali, quod timetur. Et ideò *si quis benè consideret*, videbit quòd ea quæ per metum aguntur, *magis sunt voluntaria quàm involuntaria* (ait S. Thomas 1. 2. q. 6. a. 6.) *Sunt enim voluntaria simpliciter, involuntaria autem secundum quid: Unumquodque enim simpliciter esse dicitur, secundùm quod est in actu; secundùm quod autem est in sola apprehensione, non est simpliciter, sed secundum quid. Cùm autem actus in singularibus sint; singulare autem, in quantum hujusmodi, sit hîc & nunc.... id quod fit, est in actu, secundùm quod est hîc & nunc, & sub aliis conditionibus individuantibus. Atqui quod fit ex metu, est voluntarium, in quantum est hîc & nunc.* Unde manifestum est, quòd simpliciter voluntarium est.

Et confirmatur ratione exemploque D. Ber- 116
nardi lib. de grat. & lib. arb. c. 12. quia *velle plenè convincimur, quod non fieret, si nollemus. Cogebatur Christianus negare Christum*, & negavit *quidem dolens, non tamen nisi volens. Volebat nimirùm gladium vitare ferientis; atque illa talis voluntas, intùs præsidens, os aperiebat; non gladius, qui foris apparebat.*

Addendum nihilominùs cum S. Thoma loco citato, Philoſophoque, & Gregorio Nyſſeno apud ipſum, voluntarium illud, cauſatum ex metu, utplurimùm, non ſemper mixtum eſſe involuntario ſecundùm quid, tunc ſcilicet, cùm in voluntate agente, vel omittente quidpiam ex metu, præexiſtit, & moraliter, ſaltem in habituali cordis præparatione, ſeu diſpoſitione, adhuc permanet affectus in actum, oppoſitum ei qui per metum agitur, vel omittitur, v. g. ad conſervandum merces, quæ per naufragii metum in mare projiciuntur, ad retinendum pecuniam, quæ per metum latroni traditur, &c. Tunc enim id quod per metum agitur, vel omittitur, agitur vel omittitur contra permanentem illum affectum, actioni vel omiſſioni illi reſiſtentem, licèt inefficaciter tantùm. Igitur actio illa, vel omiſſio, eſt quidem abſolutè & ſimpliciter voluntaria; eſt tamen ſecundùm quid involuntaria, utpote contra inefficacem illam inclinationem ſeu affectionem voluntatis.

118 Iſtud tamen involuntarium per ſe formaliter non provenit ex metu (utpote per ſe formaliter nullam cauſante voluntatem, contrariam ei quæ cauſatur & excitatur per metum); ſed ex præexiſtente, & moraliter adhuc permanente contrario illo affectu: nec proinde metus propriè & per ſe cauſat involuntarium, etiam ſecundùm quid; ſed eatenus tantùm dicitur cauſare involuntarium, quatenus cauſat actum, qui eſt involuntarius, non ratione metus, ſed ratione contrarii illius affectus, qui permanere ſupponitur, utpote quo ſepoſito, voluntarium ex metu mixtum non foret involuntario ſecundùm quid. Unde quia contrarius ille affectus non ſemper reperitur in agente, vel omittente quidpiam ex metu, non omne quod per metum agitur vel omittitur, agitur vel omittitur involuntariè ſecundùm quid, ut patet in puella ardenter exoptante matrimonium cum Titio, à quo (iſtius affectus neſcio) per metum deinde excitatur ad matrimonium ipſi promittendum. Tunc enim promiſſio ex metu fit, ſine ullo voluntatis reniſu: cùm matrimonium promiſſum ipſi ſecundùm ſe non diſpliceat, ſed placeat. Patet etiam in Philoſopho illo qui alterum pecuniâ ſic exuerat, ut pecuniam ſubmergeret, ne ab ea ſubmergeretur. Qui ſi cum ea animi diſpoſitione, pecuniam in mare, metu naufragii, projeciſſet, voluntariè ſine ulla involuntarii admixtione projeciſſet. Patet denique in juſto, non habente affectum ullum ad peccatum, qui, ſi deteſtetur illud ex metu gehennæ, nullo modo deteſtatur illud involuntariè, etiam ſecundùm quid; uti nec peccator, qui partim deteſtatur illud ex timore gehennæ, partim ex imperfecto Dei propter ſe amore, quo exuit affectum ad peccatum ſecundùm ſe.

119 Cæterùm communis illà doctrina Philoſophorum, quòd *ea quæ aguntur ex metu, mixta ſunt ex voluntario & involuntario* (uti cum Philoſopho in 3. Ethic. tradit S. Thomas 1. 2. q. 6. a. 6. & apud ipſum Gregorius Nyſſenus, ſeu (ut alii) Nemeſius, & Damaſcenus l. 2. de fide c. 24. poſt Auguſtinum alioſque Patres) ſicut univerſim ac ſine exceptione ab ipſis traditur, ſic univerſim vera eſt, de omnibus quæ contra aliquid, ſecundùm ſe prædilectum, aguntur ex metu mali extrinſeci, tamquam motivo unico & adæquato. Quandocumque enim contra rem ſecundùm ſe prædilectam quis agit purè ex timore, & nulla alia ex cauſa, agit contra præexiſtentem illum affectum, ſaltem in habituali voluntatis diſpoſitione moraliter adhuc permanentem, ac per conſequens actioni illi reſiſtentem: agit ergo contra reſiſtentiam voluntatis, quamvis inefficacem: atque adeò cum involuntarii admixtione, repugnantiâque voluntatis, quâ nollet facere, niſi metu cogeretur. Quòd verò agat contra præexiſtentem illum affectum, moraliter adhuc modo dicto permanentem, demonſtratur, quia præexiſtens ille affectus tamdiù manet, ſaltem in habituali voluntatis diſpoſitione, quamdiù non abjicitur per affectum contrarium. Manet enim quamdiù non retractatur; non retractatur autem niſi per affectum contrarium, ut patet in affectu ad peccatum, ſeu deſiderio peccandi, de quo S. Auguſtinus l. 2. contra adverſarium legis & prophet. dicit, *quòd deſiderium peccandi non excluditur, niſi contrario deſiderio rectè faciendi.* Sed in eo qui purè ex timore mali extrinſeci, & nulla alia ex cauſa, agit contra rem ſecundùm ſe prædilectam, eliciendo v. g. actum diſplicentiæ, nullus eſt affectus contrarius præexiſtenti dilectioni illius ſecundùm ſe: cùm enim præexiſtens illa dilectio rei ſecundùm ſe, ſit complacentia & volitio rei ſecundùm ſe, ſola diſplicentia & nolitio illius ſecundùm ſe, illi contrariatur (neque enim volitio & nolitio, complacentia & diſplicentia, &c. ejuſdem rei, quomodocumque ſpectatæ, ad invicem contrariantur, ſed ſolùm volitio & nolitio, complacentia & diſplicentia, &c. ejuſdem rei, eodem modo ſpectatæ, uti notum eſt ex legibus oppoſitorum & contrariorum); nolitio verò & diſplicentia illius purè ex timore, & nulla alia ex cauſa, non eſt nolitio & diſplicentia illius ſecundùm ſe, ſed alio modo, ſive ſub alia ratione conſideratæ: cùm nolitio & diſplicentia illius purè ex timore, ſine ullo alio motivo, ſit nolitio & diſplicentia illius, præcisè ut eſt inductiva mali extrinſeci, quod timetur. Neque enim aliâ ratione diſplicet ei, qui ad diſplicentiam non movetur alio motivo, quàm timoris iſtius mali. Alia verò eſt ratio, ſeu conſideratio rei ſecundùm ſe; alia ratio ejuſdem, ſecundùm quod eſt inductiva mali extrinſeci, ut per ſe patet: cùm prior conſideratio ſit conſideratio illius in ratione, quæ ipſi competit priùs naturâ, quàm mali iſtius ſit inductiva: priùs enim naturâ res conſideratur in ordine ad ſe, quàm conſideretur in ordine ad effectum extrinſecum. Dum ergo res illa non diſplicet aliâ ratione, ſive ſub alio motivo, quàm quatenus inde quis ſibi timet

malum

malum extrinsecum, non displicet secundùm se, sed secundùm considerationem naturâ posteriorem dumtaxat.

120 Et ideò juxta S. Thomam citatâ q. 6. a. 7. ad 2. quandocumque res secundùm se prædilecta, abjicitur ex solo timore mali extrinseci, & nulla alia ex causa, non abjicitur præexistens ille affectus erga rem illam secundùm se consideratam : istud enim discriminis S. Doctor ibi statuit inter id quod agitur ex solo timore, & id quod agitur ex concupiscentia, quòd *in eo qui per metum aliquid agit* (& nulla alia ex causa) *manet repugnantia voluntatis ad id quod agitur secundùm quod in se consideratur.* (quæ non maneret, si præexistens ille affectus sic abjiceretur, ut nullo modo ampliùs maneret) ; *sed in eo qui aliquid agit per concupiscentiam, sicut est incontinens, non manet prior voluntas, quâ repudiabat illud quod concupiscitur ; sed mutatur ad volendum id, quod prius repudiabat. Et ideò quod per metum agitur, quodammodò est involuntarium ; sed quod per concupiscentiam agitur, nullo modo. Nam incontinens concupiscentiæ agit contra id quod priùs proponebat ; non autem contra id quod nunc vult : sed timidus agit contra id quod etiam nunc secundùm se vult.*

121 Quid clarius ? Pro majori tamen claritate, ampliùs declaratur exemplo projectionis mercium in mare. Nam qui ex metu naufragii, & nulla alia ex causa, merces abjicit, quas priùs secundùm se amabat, non ideò abjicit affectum erga merces illas, secundùm se consideratas : Ideòque licèt illas voluntariè abjiciat, non tamen sine admixtione involuntarii, & repugnantia voluntatis, ob præexistentem, qui manet, affectum erga illas, secundùm se consideratas. Idem igitur accidit in omni casu, quo res, secundùm se prædilecta, abjicitur purè ex metu, nullaque alia ex causa. Ob eandem rationem.

122 Nam quod aliqui dicunt, esse quidem eandem rationem in omnibus, quæ sic ex metu fiunt, ut nullam habeant bonitatem & amabilitatem, nisi medii conducentis ad vitandum malum quod timetur, ut in casu illo projectionis mercium ; secùs, in iis quæ sic ex metu fiunt, ut aliam habeant bonitatem secundùm se amabilem : nihil facit ad ostendendam rationem diversam, quæ, in casu nostræ hypotheseos, diversam de his & illis postulet Philosophiam. Nihil enim refert, an actio, quæ fit ex metu, aliam habeat, vel non habeat bonitatem, quàm medii conducentis ad vitandum malum quod timetur : si equidem voluntas ista aliâ bonitate hîc & nunc non magis moveatur, nec magis eam attendat, quàm si non esset ; sed merè per accidens & materialiter se habeat. Ita verò esse in hypothesi assertionis nostræ, in qua voluntas alio motivo non movetur, quàm timoris v. g. pœnæ, patet ex dictis num. 113.

123 Nihil etiam facit, quod alii addunt, affectum præcedentem abjici per timorem sequentem, quando malum quod timetur, v. g. infernus, vitari non potest, nisi affectus ille abjiciatur. Ita verò esse in casu quo peccatum v. g. displicet ex metu inferni ; secùs, in casu quo merces displicent ex metu naufragii ; in quo ad vitandum naufragium, necesse non est abjici affectum ad merces, sed ipsas dumtaxat merces. Sit enim, vel non sit necesse, ad vitandum malum quod timetur, abjicere affectum ad rem aliquam secundùm se sumptam ; equidem affectus ille nunquam abjicitur, nisi per affectum ipsi contrarium, ut vidimus num. 118. nunquam ergo abjicitur ex solo timore mali extrinseci, quo voluntas secundùm se non odit nec aversatur rem secundùm se prædilectam, sed solùm eam odit & aversatur ut causam istius mali. Sola namque aversio à re secundùm se, contraria est præcedenti conversioni ad illam secundùm se ; solum odium illius secundùm se, contrarium est amori illius secundùm se ; sola nolitio & displicentia illius secundùm se, contraria est volitioni & complacentiæ illius secundùm se. Displicentia verò, nolitio, odium & aversio rei secundùm se, est displicentia, nolitio, odium & aversio rei secundùm aliam rationem & motivum, quàm purè ob motivum timoris mali extrinseci, ut vidimus ibidem. In omni ergo casu, in quo vitari nequit malum quod timetur, nisi præexistens erga rem, secundùm se spectatam, affectus abjiciatur, adhuc nihilominùs philosophandum, prout in casu projectionis mercium, quamdiù voluntas, à displicentia rei quatenus est inductiva mali extrinseci (quomodò & non aliter displicet ei, qui ad displicentiam non movetur alio motivo quàm timoris istius mali) non transit ad displicentiam illius secundùm se, ac proinde sub alia ratione & motivo, quàm timoris antedicti. Neque enim necessitas, v. g. abjiciendi affectum peccati secundùm se, ad vitandum infernum, facere potest ut affectus peccati secundùm se abjiciatur, nisi peccatum secundùm se odio habeatur ; qualiter nequit odio haberi, ex solo motivo timoris inferni ; sed necesse est ut id ex alio motivo fiat, utque proinde voluntas aliud sibi proponat motivum, si velit efficaciter timere vitareque infernum. Ex qua doctrina suo loco (Deo dante) demonstrabimus insufficientiam Attritionis purè formidolosæ, ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ.

CAPUT XII.

Concupiscentia non causat involuntarium. Si tamen sit antecedens, per se loquendo, minuit voluntarium perfectum, auget imperfectum.

COncupiscentia propriè est in appetitu sen- 124
sitivo, inquit S. Thomas. 1. 2. q. 30. a. 1. estque proinde motus appetitus sensitivi, tam irascibilis, quàm concupiscibilis, sive in sensibile bonum, sive in malum, excepto motu timoris, de quo antè. Duplex est, antece-

dens & consequens. Antecedens est, quæ cùm voluntatia non sit, voluntatem excitat & inclinat ad volendum. Consequens, est illa quam voluntas excitat ad ferventiùs, vel delectabiliùs optandum, estque proinde voluntaria.

125 Et concupiscentia quidem consequens, nec causat involuntarium, nec auget, aut minuit voluntarium: cùm sit posterior actu voluntatis. Quòd siquando, à voluntate excitata, magis accendat ipsam voluntatem, respectu istius voluntatis magis accensæ, quà talis, jam non habet rationem consequentis, sed antecedentis. Sed neque concupiscentia antecedens causat involuntarium positivè & propriè dictum, ut patet ex discrimine inter concupiscentiam & timorem n. 119. ex S. Thoma allato. Subinde tamen adeò vehemens est, ut tollat voluntarium, & hoc sensu causet involuntarium negativè, id est, non voluntarium, ut patet in iis, qui tam forti abripiuntur passione libidinis, vel iræ, ut passio in ipsis omninò absorbeat rationem, ad insaniamque quamdam redigat hominem. Quamdiù tamen concupiscentia antecedens non absorbet rationem, auget quidem voluntarium imperfectum, sed per se loquendo, minuit voluntarium perfectum. Auget imperfectum, quia (ob summam animi cum corpore societatem) facit ut voluntas, majori cum impetu, vehementiâque feratur in objectum, juxta illud S. Thomæ 1. 2. q. 77. a. 6. ad 3. *Motus voluntatis est intensior ex passione incitatus.* Quod de voluntate imperfecta ab ipso intelligi, denotant verba immediatè sequentia: *Non tamen ita est voluntatis proprius, sicut si solâ ratione moveretur ad peccandum.* Quod est dicere, non esse intensiorem, in quantum voluntas agit ut voluntas, id est, ex ratione prædominante & imperturbata; sed in quantum agit ut natura, id est, in quantum ad agendum magis aliunde agitur, quàm seipsam ex ratione agit. In quantum enim voluntas agitur à concupiscentia antecedente, agitur aliunde, modo quasi brutali, non à seipsa, modo humano. Et ideò concupiscentia antecedens minuit voluntarium perfectum; utpote quod tanto perfectius est, quanto ex perfectiori judicio, rationeque magis prædominante & imperturbata procedit, & quanto magis voluntas agit, quàm agitur. Agens verò ex concupiscentia antecedente, magis agitur, quàm agit, agitque ex judicio minùs perfecto, atque ex ratione minùs prædominante, &c. Quemadmodùm enim ex Philosopho dicit S. Thomas 2. 2. q. 142. a. 2. *concupiscentia non audit rationem.* Et propterea 1. 2. q. 77. a. 6. docet concupiscentiam antecedentem diminuere peccatum: *Si igitur accipiatur passio secundùm quod præcedit actum peccati, sic necesse est quòd diminuat peccatum. Actus enim in tantum est peccatum, in quantum est voluntarius, & in nobis existens. Esse autem aliquid in nobis dicitur per rationem & voluntatem. Unde quanto ratio & voluntas ex se aliquid agunt, non ex impulsu passionis, magis est voluntarium, & in nobis existens. Et secundùm hoc passio minuit peccatum, in quantum minuit voluntarium. Passio autem consequens voluntatem, non diminuit peccatum, sed magis auget, vel potiùs est signum magnitudinis ejus, in quantum scilicet demonstrat intensionem voluntatis ad actum peccati. Et sic verum est, quòd quanto aliquis majori libidine vel concupiscentiâ (consequente) peccat, tanto magis peccat.* Quod S. Doctor tradit de voluntario in malis, ad 3. applicat voluntario in bonis: *dicendum quòd bona passio, consequens judicium rationis, augmentat meritum; si autem præcedat, ut scilicet homo magis ex passione quàm ex judicio rationis moveatur ad benè agendum, talis passio diminuit bonitatem & laudem actus.*

Dixi quòd concupiscentia antecedens per se 126
loquendo minuit voluntarium perfectum: per accidens enim fateor fieri posse quòd non minuat illud, ut si causalitas concupiscentiæ, rationisque & judicii obnubilatio elidatur per affusum divini luminis radium, quo dissipentur nebulæ, alioqui obnubilantes intellectum. Notat verò S. Doctor ibidem a. 7. quòd passio quandoque est tanta, & usque adeò obnubilans intellectum, quòd totaliter auferat usum rationis, sicut patet in his, qui propter amorem vel iram insaniunt. Et tunc si talis passio fuerit ab initio voluntaria, imputatur actus ad peccatum: quia est voluntarius in sua causa. Si verò causa non fuerit voluntaria, sed naturalis (puta cùm aliquis ægritudine, vel aliâ hujusmodi causâ incidit in talem passionem, quæ totaliter aufert usum rationis) actus redditur omninò involuntarius, & per consequens totaliter à peccato excusatur. Quandoque verò non est tanta, quòd totaliter intercipiat usum rationis, &.... talis passio non totaliter à peccato excusat.

Ex omnibus porrò passionibus nulla est quæ 127
judicium rationis adeò obnubilet, voluntatemque ad se vehementiùs pertrahat, quàm passio iræ. De qua S. Thomas 1. 2. q. 46. a. 5. docet, quòd *habitudinem naturalem.... quæ est ex complexione, magis de facili sequitur ira, quàm concupiscentia, vel aliqua alia passio. Est enim homo dispositus ad irascendum, secundùm quod habet cholericam dispositionem. Cholera autem inter alios humores citiùs movetur. Assimilatur enim igni. Et ideò magis est in promptu, ut ille qui est dispositus secundùm naturalem complexionem ad iram, quòd irascatur, quàm de eo qui dispositus est ad concupiscendum, quòd concupiscat. Et propter hoc Philosophus dicit in 7. Ethic. quòd ira magis traducitur à parentibus in filios, quàm concupiscentia.* Et ideò 2. 2. q. 56. a. 4. eandem doctrinam repetens, dicit quòd ira magis est veniâ digna. *Quia quod provenit ex naturali corporis dispositione, magis est veniâ dignum.*

Ob eandem quoque rationem, tresque alias, 128
quas ibidem adjungit, docet concupiscentiam ex parte passionis esse irâ turpiorem: *Motus concupiscentiæ habet majorem inordinationem*

quàm

quàm motus iræ. Nec tamen ideò ira est sine culpa : cùm domabilis sit per gratiam (ut eleganter ostendit Augustinus serm. 4. de verb. Dom.) *sicut omnis natura bestiarum, & volucrum, & serpentium, & cæterorum* (teste Apostolo Jacobo) ab homine domabilis est per naturam.

CAPUT XIII.

Habitus & consuetudo non diminuit, sed auget voluntarium.

129 TAmetsi magna sit inter passionem & habitum differentia, uti proximè videbitur ; doctrinæ tamen affinitas postulat, ut posteaquam de passione & concupiscentia egimus, aliquid de habitu dicamus. Illud verò pro indubitato tenendum, quòd habitus, seu virtutis, seu vitii, non diminuat, sed potiùs augeat voluntarium & liberum. Tametsi enim, cùm ad perfectionem venerit, necessitatem quamdam inducat ad id ad quod inclinat ; non tamen necessitatem involuntariam, & libertati præjudiciantem, sed voluntatem libertatemque firmantem & perficientem. Quia, ut angelicè Doctor Angelicus l. 3. contra Gent. c. 138. *est duplex necessitas. Quædam coactionis ; & hæc laudem virtuosorum actuum diminuit, quia voluntario contrariatur : coactum enim est, quod est voluntati contrarium. Est autem quædam necessitas ex interiori inclinatione procedens ; & hæc laudem virtuosi actus non minuit, sed auget : facit enim voluntatem magis intensè tendere in actum virtutis. Patet enim quòd habitus virtutis, quanto fuerit perfectior, eò vehementiùs facit tendere in bonum virtutis, & minùs ab eo deficere. Quòd si ad finem perfectionis devenerit, quamdam necessitatem infert ad bene agendum, sicut est in beatis, qui peccare non possunt.... Nec tamen propter hoc aut libertati aliquid deperit, aut actus bonitati.* Sibi ipsi namque voluntas necessitatem illam facit, eaque seipsam firmat in bono, vel in malo, per vehementem affectum suum habitualem, quo inclinatur in illud. Nihil quippe aliud est habitus, nisi vehemens voluntatis affectus, seu inclinatio habitualis in actum, cujus est habitus. Eaque inter passionem & habitum differentia est, quòd (ut docet S. Thomas 1. 2. q. 78. a. 4. ad 2.) *impulsio quæ est ex passione, est quasi ex exteriori defectu respectu voluntatis ; sed per habitum inclinatur voluntas quasi ab interiori.* Quasi scilicet, ut idem S. Doctor ait ibidem a. 2. in corp. *unicuique habenti habitum, est per se diligibile id quod est ei conveniens secundùm habitum : quia scilicet fit ei quodammodò connaturale, secundum quod consuetudo & habitus vertitur in naturam* ; siquidem, ut vulgò dicitur, *consuetudo est altera natura*, quam sibi utique voluntas facit actibus suis, dum iis habitum acquirit. Unde quod voluntas ex habitu facit, ex seipsa, sive ex propria inclinatione facit, sive ex inclinatione quam sibi naturalem fecit. Tanto proinde magis ex seipsa, quanto magis ex habitu : quia tanto magis ex intrinseca naturalique inclinatione, quam sibi fecit. Tanto ergo magis ab intrinseco, tanto magis ex seipsa movetur. Et ideò tanto magis voluntariè, tanto magis liberè.

Istam ob causam S. Thomas 2. 2. q. 156. a. 130
3. docet, habitum vitii conferre ad augmentum peccati : quia *peccatum (secundùm Augustinum) præcipuè in voluntate consistit :* voluntas enim est quâ peccatur, & rectè vivitur. Et ideò *ubi est major inclinatio voluntatis ad peccandum, ibi est gravius peccatum.* In eo autem qui peccat ex habitu, major est inclinatio voluntatis ad peccandum, ut patet ex proximè dictis ; patetque ampliùs ex eo quòd voluntas peccantis ex habitu *inclinatur ad peccandum ex propria electione, quæ procedit ex habitu per consuetudinem acquisito.* Ex quo ibidem concludit, quòd intemperatus, id est, peccans ex habitu intemperantiæ, multo deteriùs peccat, quàm incontinens, id est, peccans ex passione seu concupiscentia. Tum quia *in eo qui est incontinens, voluntas inclinatur ad peccandum ex aliqua passione*, non ex propria electione. Tum quia *passio citò transit, habitus autem est qualitas difficilè mobilis : inde est quòd incontinens statim pœnitet, transeunte passione. Quod non accidit de intemperato ; quinimò gaudet se peccasse, eo quòd operatio peccati est sibi facta connaturalis secundùm habitum. Unde de his dicitur Prov. 2. quòd lætantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus pessimis.*

Quod confirmat 1. 2. q. 78. a. 2. quia quis- 131
quis peccat ex habitu, peccat ex certa malitia : *quandocumque aliquis utitur habitu vitioso, necesse est quòd ex certa malitia peccet :* quia scilicet peccat ex electione (sic ut electio in ipso sit primum principium peccati) in quo peccans ex malitia differt ab eo qui peccat ex passione : *ille enim qui peccat ex passione, peccat quidem eligens, sed non ex electione : quia electio in eo non est primum peccati principium ; sed inducitur ex passione ad eligendum id, quod extra passionem existens non eligeret ; sed ille qui peccat ex certa malitia, secundùm se eligit malum*, ait ibidem a. 4. ad 4. quia (uti dixerat a. 3.) *ipsius voluntas ex seipsa movetur ad malum eligendum.* Manifestum verò est quòd graviùs peccet, qui ex certa malitia peccat, quàm qui ex passione : quia (ut prosequitur a. 4.) in ipso *motus peccati est magis proprius voluntati, quæ ex seipsa in malum movetur, quàm quando ex passione peccatur, quasi ex quodam extrinseco impulsa ad peccandum.*

Inaniter proinde se excusant peccatores ha- 132
bituati, quasi habitus quem voluntariè contraxerunt, ob illam quam infert peccandi velut necessitatem, aliquod inferat præjudicium, vel diminutionem libertatis. Quia (præter hactenus dicta) si habitus, seu vitii seu virtutis, aliquod inferret præjudicium vel diminutionem libertatis ; quo pejor quis fieret, eo excusabilior ; & quo magis per habitum radicatus atque firmatus in malo, eo minùs argui-

bilis de peccato ; utpote eo minùs liber. Similiter ex adverso, quanto magis in virtute quis proficeret, tanto minus meritum acquireret (eo quòd tanto magis in homine crescat habitus virtutis, quanto magis in virtute proficit : secundùm vanam autem illam prætensionem, incrementum habitus virtutis foret diminutio libertatis : ergo diminutio meriti.) Hoc autem manifestè est falsum ; utpote ex quo consequens esset, minùs mereri illos qui maxima in dies accumulant incrementa meritorum, qui utique pervenerunt ad culmen perfectionis, à Mellifluo Doctore sic descriptum serm. 3. in Cantica c. 1. *Quæ anima semel à Domino didicit & accepit intrare ad seipsam, & in intimis suis Dei præsentiam suspirare, & quærere faciem ejus semper.... talis anima nescio an vel ipsam gehennam ad tempus experiri horribilius pœnaliusve ducat, quàm post spiritualis studii gustatam semel suavitatem, exire denuò ad illecebras, vel potiùs ad molestias carnis, sensuumque inexplebilem repetere curiositatem.* Et à D. Gregorio l. 7. Moral. c. 6. *Sancti viri, cùm æternitatis desideriis anhelant, in tantam altitudinem vitæ se sublevant, ut audire jam quæ mundi sunt, grave sibi ac deprimens pondus credant : valdè namque insolens atque intolerabile æstimant, quidquid non illud sonat, quod amant.*

CAPUT XIV.

Ignorantia prorsus antecedens, & involuntaria, causat involuntarium simpliciter.

133 IGnorantia est privatio scientiæ in subjecto capaci. Per ultimas particulas distinguitur à nescientia, quæ verificatur etiam in subjecto incapaci scientiæ. Multiplex est, scilicet ignorantia juris, facti, & pœnæ. Antecedens, consequens, concomitans. Vincibilis & invincibilis. Levis, lata & affectata.

134 *Ignorantia juris*, est quâ ignoratur lex vel præceptum ; vel obligatio, v. g. jejunii tali vel tali die. Et hæc pro diversitate legum, alia est ignorantia juris naturalis, alia juris positivi, divini vel humani. *Ignorantia facti*, est quâ ignoratur substantia, vel aliqua circumstantia, ejus quod fit, & ratione cujus factum suum præcipitur vel prohibetur, v. g. quod comeditur esse carnem, vel esse diem abstinentiæ. *Ignorantia pœnæ*, est quâ ignoratur pœna annexa facto, quod scitur esse prohibitum, v. g. excommunicatio annexa percussioni Clerici.

135 *Ignorantia antecedens*, vel talis dicitur respectu operis, vel respectu voluntatis, vel respectu utriusque. Antecedens respectu operis, illa est quæ causa est cur fiat opus, quod aliàs non fieret. Causa (inquam) per modum removentis prohibens, pro quanto removet scientiam, quâ habitâ opus non fieret. Antecedens respectu voluntatis, est quæ sic antecedit actum voluntatis, ut nullo modo voluntaria sit, seu directè vel indirectè causata à voluntate. Antecedens respectu utriusque, illa est quæ est causa involuntaria operis, aliàs non futuri. Exemplum est in tegulario, qui, post debitam præcautionem, tegulam projiciendo, occidit ignoranter amantissimum filium.

Ignorantia consequens, solet dici talis respectu 136
voluntatis : solet enim definiri illa, quæ directè vel indirectè voluntaria est, sive causata à voluntate. Exemplum est in eodem tegulario, qui, sine debita præcautione, tegulam projiciendo, ignoranter occidit proximum.

Ignorantia concomitans, propriè non dicitur 137
talis, nisi respectu operis, cùm sit antecedens respectu voluntatis. Est enim illa, quæ nec directè nec indirectè voluntaria est, neque causa operis ; utpote quod adhuc fieret, si ignorantia illa non esset. Exemplum est in venatore, qui putans in sylva occidere feram, ignoranter occidit inimicum, adhuc occisurus, si sciviſſet.

Ignorantia invincibilis, est illa quæ superari 138
non potest adhibitâ eâ diligentiâ, quæ moraliter potest & debet adhiberi. Semper est antecedens respectu voluntatis (cùm nullo modo voluntaria sit) ; sed non respectu operis, nisi sit causa ipsius.

Ignorantia vincibilis, est illa quæ superari potest adhibitâ diligentiâ, quæ moraliter potest & debet adhiberi. Ideòque voluntaria est directè vel indirectè. Et directè quidem voluntaria dicitur ignorantia affectata. Quæ verò solùm voluntaria est indirectè, vel est lata vel levis. Nec ad eam necessaria est actualis advertentia, seu cogitatio obligationis inquirendi veritatem ; sed sufficit virtualis, consistens in eo quòd quis possit & debeat ad eam advertere, culpaque ipsius sit, quòd actu non advertat, ut posteà videbitur.

Ignorantia affectata, illa est, quâ quis ex 139
proposito vult ignorare, vel ob discendi tædium, vel ob superbiam, quia non vult ab aliis doceri ; vel ob malitiam, ut liberiùs & sine conscientiæ remorsu peccet ; vel ut excusationem habeat in peccatis suis ; vel ne ex conscientiæ stimulo, cogatur resipiscere, & facere quod non vult facere. Affectata proinde est ignorantia eorum, qui datâ operâ, non frequentant conciones, ne audiant prædicari illicitum quod agere volunt ; vel datâ operâ petere nolunt consilium, super re, de qua dubitant, ne fortè ab ea abstinere debeant ; vel qui bonum suggerenti consilium, oggerunt, *Ne facias mihi hac de re scrupulum.* De tali ignorantia Psal. 35. dicitur : *Noluit intelligere ut benè ageret.* Eâ laborabant impii, qui *dixerunt Deo : Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.* Unde est ignorantia omnium pessima, signumque reprobationis (nisi Dominus extraordinariè misereatur) ; scriptum est enim : *Qui ex Deo est, verba Dei audit : propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.*

Ignorantia lata, seu *crassa & supina*, est quæ 140
provenit ex notabili negligentia addiscendi addiscenda : ita ut ad discendum & sciendum,

nullâ, vel ferè nulla moraliter adhibita sit diligentia.

Ignorantia levis, quam nonnulli *strictè vincibilem* appellant, est quæ non provenit ex notabili, sed ex levi negligentia addiscendi addiscenda: ita ut licèt quis diligentiam tantam non adhibuerit, quantam debuit, non defecerit tamen notabiliter à diligentia debita.

141 Paulò aliter Tamburinus l. 2. in Decal. c. 1. §. 7. dicit, ignorantiam levem esse, quando quis adhibuit diligentiam mediocrem & sufficientem, sed non „ tantam quantam in summo rigore potuit. Ubi „ (inquit) „ levis „ culpa supponitur. „ Sed cur Author iste, aliàs tam indulgens, hîc tam rigidus? cur culpam supponit, ubi diligentia mediocris ac sufficiens adhibita est? non enim adstricti sumus ad diligentiam extremam, sive in rigore summam, sed ad mediocrem tantùm & sufficientem.

142 Quanta verò diligentia in obligationibus nostris investigandis requiratur & sufficiat? alia statui nequit generalis regula, nisi quòd ea diligentia adhibenda sit, quæ, juxta rerum addiscendarum gravitatem & difficultatem, humano modo adhiberi solet à prudentibus; major utique, vel minor, prout magis vel minùs momentosæ, difficilesque fuerint: major ubi agitur, quàm ubi non agitur de notabili damno tertii; major ubi de vita, quàm ubi de solis fortunæ bonis agitur, &c. Ita Doctores communiter.

143 Qua in re meritò à SS. Patribus arguuntur, qui minorem gerunt sollicitudinem investigandi necessaria ad salutem animæ, quàm necessaria ad salutem corporis, &c. In quos quadrat ista Hieronymi querela in epist. ad Demetriad. *Celerem habituræ res finem sine fine quæruntur: nos cælestes divitias immortalis honoris pigrâ quâdam dissimulatione negligimus.* Et Laurentii Justiniani de obed. c. 21. *Ego dico, quòd seculares viri, solùm temporalia sectantes, surgent in judicio cum servis Dei, redargutioneque illos esse dignos ostendent, tamquam sollicitudine & affectione inferiores se*, in eoque innatæ rationis contemptores. Quia, ut prosequitur in Festo SS. Innocentium: *Nonne innata clamat ratio, & usus docet, ut tantò sollicitiùs res unaquæque quæratur, quanto pluris esse deprehenditur? Aurum videmus præponi argento, argentum plumbo, &c. & hæc unde? nisi quia pluris æstimantur.* Haud dubium quin hac de causa innumeri projiciantur in tenebras exteriores: quia *hanc sententiam* (inquit Augustinus serm. 102. de tempore, seu potiùs Cæsarius serm. 15.) *accepturi sunt, qui majorem de corpore, quàm de anima sollicitudinem gerunt.*

144 Juxta SS. itaque Doctores perspicuum est, in investigandis obligationibus, salutem animæ concernentibus, diligentiam adhibendam, si non tantam quantam sæculares adhibent avari, vel qui ex sæcularibus habentur prudentissimi (nec enim præcipitur ut simus prudentissimi, sed prudentes, nec ad extremam tenemur diligentiam) saltem quantam pro qualitate negotiorum adhibent, qui communiter habentur prudentes.

Supereſt ut videamus, an & quæ ignoran- 145
tia causet vel non causet involuntarium? Et ignorantia quidem antecedens, tam respectu operis, quàm respectu voluntatis (quæ à nonnullis dicitur invincibiliter antecedens) causat involuntarium simpliciter, ut dicit S. Thomas 1. 2. q. 6. Cùm enim ipsa incausata sit à voluntate, ipsi est *causa volendi* & agendi, quod aliàs non vellet, nec ageret (ait S. Doctor ibidem): facit ergo voluntatem velle & agere contra efficacem dispositionem, quâ virtualiter, vel saltem habitualiter sic affecta est, ut non compatiatur voluntatem ejus quod de facto vult, nisi per accidens, ob defectum scientiæ, quâ præsente, eam non compateretur, sed prorsus excluderet; sicque meritò dicitur causare involuntarium simpliciter, per modum removentis prohibens, causando voluntarium secundùm rationem scitam, quod (attentâ præsente illâ animæ dispositione) est simpliciter involuntarium secundùm rationem ignoratam.

Indicium verò aliquod, quòd quidquam 146
factum sit involuntariè modo dicto, est dolor ac tristitia concepta statim atque ignoranter factum rescitur: quia, ut Philosophus ait 3. Ethic. 1, *qui ob ignorantiam quidpiam agit, si ipsum pœnitet, invitus feciſſe videtur.* Non ideò tamen doloris ac tristitiæ defectus universim arguit ignorantiam concomitantem fuisse, non antecedentem.

Accesserit quippe vir justus ad non suam, 147
putans invincibiliter suam, non accessurus si sciviſſet, quia peccare noluisset, ex hoc quòd postea rescens non doleat, quia non peccavit, non illicò conficitur, ignorantiam ipsius concomitantem, non antecedentem fuisse. Contingit enim quòd sic non doleat de ignoranter facto, quia non peccaminoso, ut tamen cum scientia, adeòque cum peccato facere noluisset. Ita quidem plerique philosophantur. Sed vir verè justus, Deique verus amator, non videtur mihi posse non dolere de ignoranter facto contra Dei legem, dum id postea rescit. Quia vero Dei amatori non solùm displicet factum formaliter contra Dei legem, sed & factum materialiter, ut alibi dicemus.

CAPUT XIV.

Ignorantia antecedens respectu operis, si sit consequens respectu voluntatis, non causat involuntarium simpliciter, causat tamen secundùm quid.

ITa S. Thomas a. 8. citato: cùm enim ipsa 148
simpliciter voluntaria sit, opus quod causat, in ipsa simpliciter est voluntarium. *Causat tamen secundùm quid involuntarium* (prosequitur S. Thomas): hoc ipso namque causare supponitur opus contra inclinationem ali-

quam voluntatis, quo ſupponitur cauſare opus, quod ſine ipſa non fuiſſet, ob contrariam utique illam inclinationem ; cujus tamen inefficacia ſe prodit, ex eo quòd intellectum non applicet ad comparandum mediis poſſibilibus ſcientiam, quâ præſente opus non fieret.

CAPUT XV.

Ignorantia concomitans, nec voluntarium cauſat, nec involuntarium.

149 NEque enim facit opus voluntarium, nec facit opus involuntarium. Non facit voluntarium : quia non facit ullo modo cognitum, ſed prorſus ignoratum, ignorantiâ non voluntariâ. Nec facit involuntarium : cùm opus ſine ipſa adhuc equidem fieret, nec proinde conjunctam habeat præſentem voluntatis inclinationem, contra quam opus fiat.

150 Hinc conficitur, eum qui inimicum, concomitanter ignoratum, ejaculando occidit, non peccare peccato homicidii. Quia voluntariè ipſum non occidit, defectu cognitionis.

151 Nec refert, quòd animo ſic affectus ſit, quòd, licèt hîc & nunc velit ejaculari feram (quia putat feram eſſe quam videt) adhuc ejaculaturus eſſet, ſi ſciret inimicum eſſe loco feræ. Quia, talibus in circumſtantiis, affectus ille animi regulariter non eſt actualis, ſed habitualis dumtaxat, qui non ſufficit ad peccandum hîc & nunc, per actum, in quem hîc & nunc non influit. Aliàs ſimili ratione innumera nobis hîc & nunc imputarentur peccata, ad quæ animum ſic habitualiter affectum gerimus, quòd ea committeremus, ſi in tali vel tali circumſtantia eſſemus, in qua de facto non ſumus.

152 Si tamen illa voluntatis affectio, ſeu diſpoſitio, foret actualis dum ejaculatur, ſic ut actu diceret : *Vellem ejaculari inimicum, ſi ſcirem ibi eum eſſe*, reus foret homicidii interni (ob affectum illum actualem ad inimici occiſionem, tametſi ſolùm exequendam ſub conditione ſcientiæ, hîc & nunc non habitæ) ; ſed non homicidii externi (tametſi de eo reum ipſum faciat Corduba quæſtionarii lib. 2. q. 9.) quia pravus ille affectus non influit hîc & nunc in externam illam occiſionem, ſed ſola voluntas occidendi feram ; utpote quam ſolam, non inimicum, hîc & nunc exiſtimat præſentem. Ita noſter ſapientiſſimus Lezana tract. 5. diſp. 9. q. 3. cùm Granado, Monteſino, Tannero, &c.

Si dicas, affectum animo ut ſuprà, æquivalenter dicere : *Volo quidem abſolutè feram hîc & nunc occidere, quia prorſus exiſtimo feram eſſe quam video ; ſi tamen loco feræ ſit inimicus meus, volo hâc ejaculatione ipſum occidere.* 153

Reſpondeo negando ita eſſe, regulariter loquendo : rarò namque accidit, quòd modo dicto formaliter, aut virtualiter, ſeu æquivalenter dicat : *Volo*, &c ; ſed ad ſummum : *Vellem*, &c. ut ſuprà num. 148. Inter quas affectiones iſtud eſt diſcriminis, quòd prior ſit ſub conditione præſentiæ inimici, purificatâ de præſenti ; poſterior verò ſub conditione ſcientiæ, non purificatâ de præſenti. Sed ne ipſa quidem affectio voluntatis, quæ dicit : *Vellem*, &c. in concomitanter ignorante ſolet eſſe actualis ; ſed utplurimùm habitualis, non applicans hîc & nunc potentiam executivam ad opus ; tametſi applicaret, ſi ſcientia adeſſet.

In caſu etiam raro, quo contingit eſſe actualem, vix contingit habere ſe per modum imperii hîc & nunc efficacis ; ſed utplurimùm per modum velleitatis, ſeu nudæ complacentiæ, vel actus conditionati, cujus conditio ſcitur non ſubeſſe. Et ideò ignorantia concomitans regulariter excuſat actum externum à peccato, & cenſuris ei annexis ; ſicut & ab irregularitate, obligationeque reſtituendi, titulo injuſtæ damnificationis ; utpote quæ non exurgit ex ſolo affectu purè interno & inefficaci, ſed ex effectu externo voluntario ac peccaminoſo, ut benè Sylvius, Lezana, Vaſquez, Tannerus, &c. 154

Fatendum tamen cum Suarez, in caſu raro, quo quiſpiam de præſenti foret ita actu affectus, ut æquivalenter diceret : *Volo quidem abſolutè, &c.* ut ſuprà in objectione, reum fore homicidii externi. Quia actualis illa affectio ipſius, in homicidium externum hîc & nunc influeret, ſub conditione purificata de præſenti. Et idem dicendum videtur, in caſu, quo voluntatem hanc actualem haberet : *Volo inimicum occidere quocumque tempore & ubilibet exiſtentem*, cùm implicitè videatur involvere ſequentem : *Volo hîc & nunc occidere, ſi ibi ſit.* 155

LIBER SECUNDUS.

Amor liber.

QUemadmodùm nihil tam voluntarium, quàm velle & amare ; ſic nihil tam liberum. Quid enim magis liberum, quàm quod maximè eſt in poteſtate noſtra ? Quid magis in poteſtate noſtra, quàm velle & amare ? Neque enim voluntas extra ſe exire debet, ut velit & amet. Ire non debet ad orientem, ut quærat charitatem ; nec navigare ad occidentem, ut inveniat dilectionem. Intus in corde amor eſt. Ibi nec pedes laborant currendo, nec aures audiendo, nec manus operando laſſantur. Ad alia bona poteſt interdum aliquis qualemcumque excuſationem habere : ad habendam dilectionem nullus ſe poteſt ex-

cusare. Potest aliquis dicere: non possum jejunare. Numquid potest dicere: non possum amare? Potest quispiam dicere: virginitatem non possum servare, res totas non possum vendere, ac pauperibus erogare. Numquid potest dicere: non possum diligere? Amor nec per violentiam extorqueri potest, nec per violentiam impediri: neque enim amorem impediunt carceres, nec Tyranni dominantes. Nihil proinde liberius amore, præsertim divino. Quo qui ducitur, spiritu ducitur. *Ubi verò spiritus, ibi libertas.* Amor ala est voluntatis. Voluntas à volatu dicta est: quia quo vult, summâ velocitate transfertur. Quibus alis? amoris.

CAPUT I.

Triplex libertas.

1 *TRiplex est nobis proposita libertas* (inquit Bernardus lib. de grat. & lib. arb. c. 3.) *à peccato, à miseria, à necessitate. Hanc ultimo loco positam, contulit nobis in conditione natura. In primam restauramur à gratia. Media nobis reservatur in patria. Dicatur ergo prima, libertas naturæ, secunda gratiæ, tertia gloriæ. Primò nempe in liberam voluntatem & voluntariam libertatem conditi sumus, nobilis Deo creatura. Secundò, reformamur in innocentiam, nova in Christo creatura. Tertiò, sublimamur in gloriam, perfecta in spiritu creatura. Ex prima præstamus cæteris animantibus: in secunda, carnem: per tertiam, mortem subjicimus. Prima ergo libertas habet multum honoris: secunda, plurimum etiam virtutis: novissima, cumulum jucunditatis.*

2 Prima ergo libertas, *à necessitate*, est libertas electionis, seu indifferentiæ, quâ homo sic habet dominium actuum suorum, ut possit hos vel illos eligere, eumdemque actum ponere & omittere, vel etiam contrarium ponere. Et ista est duplex: una est contrarietatis, quâ ex duobus actibus contrariis, v. g. bono & malo, potest utrumlibet eligere. Altera contradictionis, quâ potest eumdem actum, pro libitu vel facere vel non facere, seu omittere.

3 Secunda libertas, est *à servitute peccati*, quæ dicitur libertas gratiæ, quâ scilicet homo, per gratiam Salvatoris, liberatur à servitute peccati, de eoque ac de concupiscentia sua victoriam reportat. De ea loquitur Apostolus 1. Cor. 3. *Ubi spiritus Domini, ibi libertas.* Et Rom. 6. *Cum servi essetis peccati, liberi facti estis justitiæ.* Hanc plenissimè habuit homo in statu innocentiæ; utpote in quo non solùm nullam habuit peccandi necessitatem; sed &, absque ulla difficultate, & cum omnimoda suavitate, vitare potuit omne peccatum; etiam veniale, tam collectivè quàm distributivè, seque ab omni omninò peccato perpetuò immunem servare; utpote cor habens rectum, & rationem passionibus perfectè dominantem, & carnem spiritui perfectè subjectam. Sed libertatem istam homo per peccatum Protoparentis eatenus amisit, quatenus non est potens ad bonum salutiferum, nisi per gratiam reparantem; & quamvis liberum arbitrium in ipso permaneat quoad substantiam, non tamen cum illa potestatis, facilitatisque plenitudine, quam habuit in statu innocentiæ, ob naturæ corruptionem, carnis adversus spiritum, passionumque adversus rationem rebellionem; tantam denique infirmitatem, ut liber non sit ab omni necessitate peccandi. Tametsi enim quodlibet veniale peccatum, cum Dei gratia vincere possit, cavere non potest omnia collectivè, absque specialissima gratia. Quam beatissimæ Virgini concessam credit Ecclesia.

Hinc collige, quo sensu Augustinus, in Enchiridio, dicat, *quòd libero arbitrio malè utens homo, & se perdidit & ipsum.* Et epist. 170. ad Vitalem: *Liberum arbitrium ad diligendum Deum, primi peccati granditate perdidimus.* Duplici quippe sensu liberum homo perdidit arbitrium: Primò, in quantum potestatem amisit operandi bonum, absque gratia reparante. Secundò, in quantum plenitudinem amisit potestatis, facilitatisque operandi bonum, virandique omne penitùs peccatum, quam primitùs habuit. *Libertas quidem periit per peccatum* (inquit Augustinus contra duas epist. Pelagian.) *sed illa quæ in paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate justitiam, propter quod natura humana indiget gratiâ reparante.* 4

Tertia denique libertas est à servitute mortis, & corruptionis. De qua Apostolus Rom. 8. *Creatura liberabitur à servitute corruptionis; in libertatem gloriæ filiorum Dei.* 5

CAPUT II.

Essentia veræ proprièque dictæ libertatis, in communi, sita est in jure, dominio, & potestate voluntatis super actus suos.

CUm triplicem, cum Mellifluo Doctore, Theologi passim asserant libertatem, nescio cur tanta cum animositate Noviores explodant omnem aliam, quàm indifferentiæ libertatem; tantâ etiam contentione Theophylus Raynaudus, Annatus, Antonius Richardus, post Molinam, persuadere conentur, veram proprièque dictam libertatem necessitati in universum opponi, non servituti, ideòque libertatem servituti oppositam (de qua Apostolus suprà n. 3. & 5.) non veram, sed metaphoricam & impropriè dictam libertatem esse, solùm è suggestu suadendam, non in Scholis, & è Cathedra tradendam; utpote non philosophicam, nec principiis Aristotelicis innixam. Quasi verò plura de natura libertatis Aristoteles, lumine naturæ, assecutus fuerit, quàm Apostolus Paulus, qui ad tertium usque cælum evectus, audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui; quique, si Apostolorum Principi Petro credimus, secundùm datam sibi sapientiam, fidei nostræ documenta tradidit. Quasi non ipse (quod 6

amplius est) Christus Joan. 8. dicat: *Si vos filius liberaverit, tunc verè liberi eritis.*

7 Asserendum itaque 1°. cum S. Thoma & Theologis passim, libertatem veram & propriè dictam in dominio consistere, atque adeò servituti oppositam esse. Id quod ita compertum videtur, ut nisi quis semetipsum fallere velit, & non solùm oculos luci, & aures vocibus præcludere, sed intellectum à veritate avertere satagat, id non possit ignorare. Quis enim tam verè proprièque liber, quàm qui sui compos, & suiipsius dominus est? Audiri meretur hac in re elegantissimus discursus R. P. Antonini Reginaldi, celebris Doctoris Tholosani, Ordinis Prædicatorum, in suo eruditissimo Opere *de mente Concilii Tridentini circa gratiam seipsâ efficacem* p. 1. cap. 14. „ Illud (inquit) „ seriò cogitandum est, quòd servus opponitur „ libero. Liber autem est causa sui; servus ergo „ causa alterius. Quod quidem dupliciter intel- „ ligi potest. Primò, in genere causæ efficientis; „ secundò, in genere causæ finalis. In genere causæ „ efficientis: quia liber est causa suorum actuum, „ utpote seipsum movens. In genere verò causæ fi- „ nalis: quia liber est causa suorum actuum in ordi- „ ne ad se; servus autem in ordine ad alium. Illa „ ergo libertas vera est, in qua homo est causa sui „ in utroque genere causæ, finalis scilicet & effi- „ cientis, eo modo quo potest ei competere se- „ cundùm rationem generalem causæ creatæ. Illa „ verò servitus vera servitus est, in qua homo „ non est causa sui secundùm utrumque genus „ causæ; maximè verò in quantum ei hoc non „ competit secundùm propriam naturam, etiam „ ut est res creata. Porrò universaliter hoc om- „ ni creaturæ competit, ut Deo subdatur tam- „ quam primæ causæ; & tamquam ultimo fini. „ Deus enim sicut omnium Author est & causa „ efficiens, ita est omnium finis, ad quem ipse „ omnia, ea producendo, ordinat; juxta illud: „ *Universa propter semetipsum operatus est Domi-* „ *nus.* Ex hac ergo parte nemo liber absolutè „ dici potest: quia & in genere causæ efficien- „ tis, & in genere causæ finalis à Deo depen- „ det.... Solus Deus absolutum & independens „ dominium habet.... cæteri omnes respectu „ ipsius absolutè servi. Quia nullus causa sui est, „ hoc est, nullus à seipso ut causâ efficiente, nul- „ lus est absolutè ad seipsum ut causam finalem; „ sed res omnes creatæ sicut à Deo producuntur „ ut efficiente, ita & ad Deum ordinantur ut „ finem. Sub hoc tamen Dei absoluto & inde- „ pendenti dominio, aliqui & liberi, & servi „ dicuntur.... in ordine ad alia creata. Illi ergo „ verè liberi, qui, exceptâ istâ generali atque „ intimâ creatarum omnium rerum servitute, „ nulli alteri subjiciuntur; illi verè servi, qui, „ ultra hanc, aliam servitutem serviunt, hoc „ est, qui ab alia causa & efficiente & finali mo- „ ventur & agunt. Qui ergo nullam aliam causam „ suorum actuum effectricem, nullam aliam eo- „ rumdem finalem agnoscunt, verissimè ac pro- „ priissimè liberi sunt, quantum ratio entis crea- „ ti finit: qui verò ab alia quapiam causa agun- tur, vel propter aliam operantur, servi sunt verâ & propriè dictâ servitute..... 8

Neque aliquis mihi opponat, nos libertatem ac servitutem morali duntaxat consideratione, non physicâ indagare. Physicam inquirimus.... quantum materia patitur. Libertas enim vix à moralitate præscindi potest: cùm sit essentialiter totius moralitatis fundamentum, & ita sit fundamentum, ut eo ipso quo agens sit liberum, saltem creatum, sit etiam agens morale.... Physicè igitur ille dominus ac liber est, qui sub Deo principio ac fine est dominii physici particeps, causans physicè, producens, efficiens sua, & illorum qui ipsi subduntur opera, atque ad eadem illos movens & applicans. Moraliter verò ille liber est ac dominus, qui à Deo authoritatem præcipiendi, prohibendi, præmiandi, puniendi participat. Libertas ergo, etiam physicè spectata, illa sola vera est, quæ Deum solum ut principium effectivum sui suorumque operum agnoscit, & quæ ad ipsum solum ut ad finem se suaque omnia dirigit. Servitus verò, etiam physicè spectata, illa sola vera est in creatis, quæ ab alio quàm à Deo sua opera ut à causa efficiente ac finali pendere sentit.

Ad hanc itaque fundatissimam regulam li- 9
bertas omnis creata est expendenda. Quare omnis alia libertas, quæ non solum Deum suorum operum authorem & finem, sed aliud quidpiam creatum, quodcumque tandem illud sit, experitur, non libertas est, sed defectus libertatis, & servitus. Et ideò cùm homo verè liberi sit arbitrii, in tantum hunc suum dominatum conservat & retinet, quatenus sub Deo solo, ut causa efficiente ac finali, constitutus, nulli alteri ullo ex his modis subjicitur.....

Hinc ergo fit, ut qui per peccatum à Deo 10
ut fine ultimo avertitur, libertatis solùm.... quoddam, ut sic loquar, semivivum cadaver retineat; libertatis autem veram ac perfectam naturam aut rationem non habeat. Quare ubi *dominatur iniquitas*.... ubi *regnat peccatum*.... ubi peccatum est alicui agendi causa efficiens, aut quasi efficiens; ubi etiam quippiam creatum est finis ultimus: vix libertatis illius veræ ac perfectæ vestigium supereest; imò verò verissima & propriissimè dicta servitus reperitur. Quippe cùm in hac positione vix Deo, ut agenti, vix eidem ut ultimo fini propriè subjiciatur; quæ tamen sunt de intrinseca ratione veræ, & non fictæ & apparentis libertatis. Et propterea D. Thomas 1. p. q. 62. a. 1. ad 3. dicit liberi arbitrii perfectionem esse, quòd possit diversa eligere servato ordine finis; quòd verò eligat aliquid, divertendo ab ordine finis, hoc (inquit) pertinet ad defectum libertatis.

Ex his luce clarius consequens est 1°. li- 11
bertatem à peccato verissimam ac propriissimè dictam esse speciem libertatis; utpote verissimæ ac propriissimè dictæ servituti oppositam, per quam liberum etiam arbitrium diversa eligere potest servato ordine finis.

2°. Liberi arbitrii perfectionem esse soli 12
Deo

Deo servire ac subjici ut Authori, & ut fini; & eo ipso quòd liberè se alii à Deo submittit, perfectionem aliquam velut essentialem aliquatenus amittit: quia potest quidem ex seipso malum; sed bonum, etiam connaturale, non potest, nisi adjutum per gratiam. Hæccine verò est libertas ejus, qui peccati funibus ligatus, & concupiscentiarum retibus ac laqueis irretitus, non potest vel pedem unum extra retia ponere, nec extremum digiti ad Deum levare? Sed de his plura in sequentibus.

Itaque asserendum est 2°. libertatem filio-
13 rum Dei, sive à servitute peccati, (de qua Apostolus suprà) esse veram & propriè dictam libertatem. Veram: quia testatur id veritas ipsa. Propriè dictam: quia per eam verè ac propriè homo sui compos, suique juris efficitur, verèque ac propriè sui dominus. Cum ea porrò libertate, licèt pro ratione status comparatur defectibilitas & indifferentia ad agere & non agere; immeritò tamen in ista indifferentia totum libertatis arcanum, pro quocumque statu, noviores illi Theologi constituunt: quia verissima, propriissima, perfectissimaque libertas, non consistit essentialiter in illa defectibilitate & indifferentia; sed in dominio & potestate super actus suos, de qua conclusione sequenti. Tanto proinde libertas illa perfectior est, quanto remotior à servitute. Et ideò magna libertas fuit in statu innocentiæ: quia nulla in eo peccandi servitus. Sed ab ea homo suâ culpâ excidit, solaque Salvatoris gratia, libertatem illam ipsi restituit, ut Apostolus & Christus ipse dicit. Cum ista quidem libertate à peccati servitute, in statu viæ, semper conjuncta est in homine puro libertas à necessitate: quia semper conjuncta est potestas, per quam potest dissentire gratiæ, si velit. Sed potestas ista dissentiendi gratiæ, non est essentia nec perfectio, sed defectus libertatis; sicut potestas peccandi.

14 Asserendum 3°. essentiam veræ ac propriè dictæ libertatis, in communi, sitam esse in jure, dominio ac potestate agentis vel omittentis, super actum suum, vel omissionem; atque adeò liberum esse, quod sui juris est in agendo, vel omittendo, sive quod in dominio ac potestate sua habet actum suum, vel omissionem, pro quanto scilicet agit vel omittit, quia vult, sive quia suum sibi actum ex judicio rationis imperat; sicque ad illum suâ se voluntate determinat, volendo se velle, non per actum necessariò diversum, sed per unum eundemque, super se virtualiter reflectentem, sive interim oppositum velle possit, sive non possit. Ut enim Seraphicus Doctor sapienter observat in 2. dist. 25. q. 2. *Liberum arbitrium dicitur, non quia sic velit hoc, ut possit velle ejus oppositum; sed quia omne quod vult, appetit ad sui ipsius imperium: quia sic vult aliquid, ut velit se velle illud. Et ideò, in actu volendi, seipsum movet, & sibi dominatur, & pro tanto dicitur liberum, quamvis immutabiliter* (id est, sine potestate volendi oppositum) *ordinetur ad illud.*

Neque hanc libertatis in communi notio- 15
nem Seraphicus Doctor ex seipso tradidit, sed à Patribus & Majoribus suis accepit. Siquidem Tertullianus l. 2. contra Marcion. c. 5. & 6. liberum dicit, *quod est sui juris, & suæ potestatis.* Irenæus l. 4. c. 76. pro eodem accipit hominem esse *liberi arbitrii, suæque potestatis.* Eusebius Cæsariensis l. 4. præparat. Evangel. c. 6. liberè agere explicat per hoc quòd est *suâ voluntate facere; voluntario voluntatis nostræ motu ferri; voluntate utente jure suo, &c.* Chrysostomus Homil. 62. ad populum Antioch. per hoc quòd *anima sui juris, vim in se habet operandi, neque in ulla re, nisi velit, obtemperat.* Nyssenus in orat. cathech. c. 30. per hoc quòd *aliquid in nostra est potestate, cujus unusquisque nostrûm solus est dominus.... & sui juris, &c.* Cyrillus noster Alexandrinus l. 4. de adorat. in spirit. & verit. per hoc quòd operationes *sunt in hominis potestate, quarum penes nos facultas est, quarum arbitrium & nutus est in hominis potestate.* Item per hoc quòd facit, cùm visum fuerit, &c. Augustinus 3. lib. arb. 3. non minùs significanter ait, quòd voluntas nostra, *quia in nostra est potestate, libera est nobis: non enim est nobis liberum, quod in potestate nostra non habemus, aut potest non esse quod habemus.* Quo nihil expressius desiderari potest. Quid autem in potestate nostra sit, ibidem præmittit dicens: *Non posses aliud sentire, esse in potestate nostra, nisi quod cùm volumus* (id est quia volumus) *facimus.* Item: *Nihil tam in potestate nostra, quàm ipsa voluntas est: ea enim prorsus nullo intervallo mox ut volumus præsto est.* Quam doctrinam jam senex, & in sacris Litteris versatissimus repetit, Retract. l. 1. c. 31. & l. 2. c. 1. Author Hypognostici (apud eundem Augustinum) l. 3. c. 4. arbitrium ideò liberum dicit, *quòd in sua sit positum voluntate, habens agendi quod velit possibilitatem.* V. Beda l. variar. qq. *Arbitrium certè liberum fuit, quamdiù suæ potestatis extitit.* Damasc. 2. orthod. fid. 7. *Cùm liberi arbitrii participes.... conditi simus, hinc efficitur, ut actiones nostræ in nostra potestate sint.* Et c. 12. pro eodem accipit hominem esse *liberum, & per se potestativum.* Et c. 25. rursus pro eodem accipit hominem *operum suorum authorem esse, eaque in arbitrio suo & potestate habere.* Et c. 27. *Si ratione præditus sit, penes eum quoque actionum arbitrium ac potestas futura sunt, &c.* Anselmus l. de lib. arbi. c. 5. inde libertatem ostendit voluntatis tentationi consentientis, quia *cùm vincitur, non alienâ vincitur potestate, sed suâ.* Bernardus de grat. & lib. arb. c. 9. & 10. *Hâc savè dignitatis prærogativâ rationalem singulariter creatu am Conditor insignivit, quòd quemadmodùm ipse sui juris erat, suaque ipsius voluntatis, non necessitatis erat, quòd bonus erat; ita & illa quoque sui quodammodo juris in hac parte existeret, quatenus nonnisi suâ voluntate, aut mala fieret.... aut bona.* Quod ibidem pluribus explicat, non solùm exemplo divinæ, sed & angelicæ liber-

tatis : *Sicut cælestis Angelus, aut etiam Deus ipse permanet liberè bonus, propriâ videlicet voluntate, non aliquâ extrinsecâ necessitate... Nemo proinde putet ideò dictum liberum arbitrium, quòd æquâ inter bonum & malum potestate aut facultate versetur. Alioquin nec Deus nec Angeli sancti, cùm ita boni sint, ut non possint esse mali, liberi arbitrii esse dicuntur. Verumtamen nec Deus libero caret arbitrio : quoniam quòd ille non potest esse malus, non infirmâ facit necessitate, sed firmâ in bono voluntate.* S. Thomas 1. 2. in proœmio, cum Damasceno, dicit : quòd homo factus ad imaginem Dei dicitur, secundùm quod per imaginem significatur *intellectuale & arbitrio liberum, & per se potestativum* ; duo ista, *arbitrio liberum, & per se potestativum*, pro eodem cum Damasceno accipiens. Et ideò subjungit : *Postquam prædictum est de... Deo... restat, ut consideremus de ejus imagine, id est, de homine, secundùm quod & ipse est suorum operum principium, quasi liberum arbitrium habens, & suorum operum potestatem* ; pro eodem rursus accipiens, habere liberum arbitrium, & habere suorum operum potestatem.

CAPUT III.

Ad hoc ut voluntas actus suos in suo habeat dominio & potestate, nec sancti Doctores, nec primarii Scholastici universim postulant, ut sic illos velit, ut possit non velle, vel oppositum velle.

16 PRobatur 1°. ex SS. Doctorum testimoniis infrà referendis, quibus asserunt, omnem actum perfectè voluntarium esse liberum, atque adeò in potestate dominioque agentis : tametsi certissimum sit, aliquos esse actus perfectè voluntarios, quos voluntas non potest non velle, multo minùs oppositum velle, ut constat in amore, quo Deus seipsum amat, &c.

17 2°. Ex omnibus locis, quibus Augustinus asserit, actum eo ipso esse in potestate nostra, quo fit quia volumus, vel quando volumus : hoc autem sexcentis asserit locis. Ut 1. Retract. 22. *Hoc est in potestate, quod cùm volumus facimus*, quòdque proinde *nihil tam in potestate nostra, quàm ipsa voluntas est.* Quod non minùs expressè dicit 3. lib. arb. 3. ut vidimus n. 15. Secundùm Augustinum verò non illud solùm facimus, *cùm volumus*, vel quia volumus (sive ut ait in Psal. 134. *quia placet*) quod sic volumus, ut possimus non velle : cùm omnis voluntas seu volitio perfecta, secundùm ipsum, sit cùm volumus, vel quia volumus, atque adeò in nostra potestate. Ideò namque dicit 3. lib. arb. 3. quòd *nihil tam in potestate nostra, quàm ipsa voluntas est : ea enim prorsus nullo intervallo, mox ut volumus, præsto est.* Et ut ostendat se id intelligere de omni voluntate, saltem perfectâ, adjungit, quòd, cùm impossibile sit nos non velle, dum volumus, consequenter impossibile sit, quòd voluntas nostra in nostra non sit potestate : *dum autem volumus, si ipsa voluntas* (id est, actus voluntatis) *deest nobis, non utique volumus. Quòd si fieri non potest, ut dum volumus, non velimus... voluntas igitur nostra, nec voluntas esset, nisi esset in nostra potestate* ; atque adeò, nisi esset dum volumus. Nam ut 2. Retract. 1. dixit : *Non dicimus esse in potestate nostra, nisi quod cùm volumus fit.*

Quo ex principio l. 2. de grat. & lib. arb. 18
c. 15. generaliter concludit, *quòd semper est in nobis voluntas libera, sed non semper est bona.* Ex eodem quoque principio 5. Civit. 10. concludit, quòd necessitas voluntaria (seu rationalis de qua infrà) non sit inimica libertatis ; sed sola necessitas involuntaria, sive quæ, etiamsi nolimus, efficit quod potest. Refellens enim Stoïcos, qui omnem à voluntatibus nostris necessitatem removerunt, *ne videlicet non essent liberæ, si subderentur necessitati*, sic ait : *Si enim necessitas nostra illa dicenda est, qua non est in nostra potestate, sed etiamsi nolumus efficit quod potest, sicut est necessitas mortis ; manifestum est voluntates nostras, quibus rectè vel perperàm vivimus, sub tali necessitate non esse. Nam si volumus, est ; si nolumus, non est : non enim vellemus, si nollemus. Si autem ista definitur esse necessitas, secundùm quam dicimus necesse esse, ut ita sit, vel ita fiat, nescio cur eam timeamus, ne nobis auferat libertatem voluntatis. Neque enim & vitam Dei, & præscientiam Dei sub necessitate ponimus, si dicamus necesse esse Deum semper vivere & cuncta præscire... sic etiam cùm dicimus, necesse est, ut cùm volumus, libero velimus arbitrio, & verum procul dubio dicimus, & non ideò ipsum liberum arbitrium necessitati subjicimus, quæ adimit libertatem.*

Quisquis oculos habet, non potest non vi- 19
dere distinctam hîc ab Augustino necessitatem in duas species ; quarum una sit amica, non inimica libertatis, tametsi (hoc ipso quòd necessitas est) opposita sit indifferentiæ & vertibilitati ad opposita ; ad quod significandum, Augustinus exemplificat in necessitate, quâ necesse est Deum semper vivere, (id est, vitales actus amoris v. g. erga seipsum exercere) & in necessitate, quâ *necesse est, ut cùm volumus* (voluntate scilicet perfectâ) *libero velimus arbitrio.* Quod ideò dicit : quia omne voluntarium perfectum Augustino liberum est, à liberoque proinde necessario proficiscitur arbitrio, nec ab eo potest non proficisci.

Sicque Augustinum intellexit fidissimus in- 20
terpres ipsius S. Thomas q. 10. de potentia a. 2. ad 5. ubi sic : *Dicendum quòd naturalis necessitas, secundùm quam voluntas aliquid ex necessitate velle dicatur, ut felicitatem, libertati voluntatis non repugnat, ut Augustinus docet in 5. l. de Civit. Dei : libertas enim voluntatis, violentiæ vel coactioni opponitur*, non necessitati cuicumque. *Unde voluntas liberè appetit felicitatem, licèt necessariò appetat illam. Sic autem & Deus suâ voluntate liberè amat seipsum, licèt de necessitate* (oppositâ indifferentiæ) *amet seipsum.*

ſeipſum. Et quidem de neceſſitate, tam quoad exercitium, quàm quoad ſpecificationem.... *Liberè ergo Spiritus ſanctus procedit à Patre, non tamen poſſibiliter* (id eſt, cum poſſibilitate in oppoſitum) *ſed ex neceſſitate, &c.* Similiter q. 22. verit. a. 5. exponens citatum Auguſtini teſtimonium, dicit, quòd *duplex eſt neceſſitas: neceſſitas ſcilicet coactionis, & hæc in volentem cadere nullo modo poteſt; & neceſſitas naturalis inclinationis, ſicut dicimus Deum de neceſſitate vivere: & tali neceſſitate voluntas aliquid de neceſſitate vult*, liberè tamen, ut ait ad 3. Et ibidem q. 24. ad 20. *In appetibilibus de fine ultimo non judicamus judicio diſcuſſionis, vel examinationis, ſed naturaliter approbamus. Propter quod de eo non eſt electio, ſed voluntas: habemus ergo reſpectu illius liberam voluntatem, cùm neceſſitas naturalis inclinationis libertati non repugnet, ſecundùm Auguſtinum 5. de Civit. Dei: non autem liberum judicium, propriè loquendo, cùm non cadat ſub electione.* Ne quis verò exiſtimet S. Doctorem in Summa id retractaſſe, ſimilia habet 1. p. q. 82. a. 1. ad 1. ubi ſic: *Neceſſitas naturalis non aufert libertatem voluntatis, ut Auguſtinus dicit*, &c. Et 2. 2. q. 88. a. 4. ad 1. *Sicut non poſſe peccare non diminuit libertatem; ita etiam neceſſitas firmatæ voluntatis in bonum, non diminuit libertatem, ut patet in Deo & beatis.* Et in 3. diſt. 18. a. 2. ad 5. *Liberum arbitrium Chriſti, etiamſi eſſet determinatum ad unum numero, ſicut ad diligendum Deum, quod non facere non poteſt; tamen ex hoc non amittit libertatem aut rationem laudis, ſive meriti: quia in illud non coactè, ſed ſponte tendit, & ita eſt actus ſui dominus.* Utrique nedum concinit Seraphicus Doctor in 2. diſt. 7. q. 2. dicens: *Duplex eſt neceſſitas, quædam à cauſa extrinſeca, utpote neceſſitas coactionis: & hæc opponitur ei quod eſt liberè velle. Quædam verò eſt à diſpoſitione intrinſeca: & hæc huic non opponitur, imò ſtat cum libertate.* Et diſt. 25. q. 2. *Liberum arbitrium poteſt dupliciter conſiderari; aut ſecundùm quod liberum, aut ſecundùm quod deliberans. Si loquamur de ipſo ſecundùm quod liberum, ſic concedo, quòd poteſt eſſe, non ſolùm reſpectu contingentis, ſed neceſſarii* (imò poteſt eſſe neceſſarius in ſe, ut paulò poſt ait); ſed & idipſum probat exemplo libertatis Dei, Chriſti & beatorum, ſicut patet (ait) *in Deo, in Chriſto, in Angelis & hominibus beatis*, unde ſit

CAPUT IV.

Ampliùs idipſum probatur exemplo libertatis Dei.

22 TErtiò aſſertio noſtra probatur exemplo libertatis Dei, quæ fons eſt omnis libertatis, libertaſque omnium poſſibilium perfectiſſima, nec Deo ſolùm competit in ordine ad creaturas, quas poteſt non amare, ſed in ordine ad ſe, tametſi non poſſit ſe non amare. Igitur ad libertatem dominiumque & poteſtatem voluntatis ſuper actum ſuum non requiritur poteſtas non ponendi illum. Antecedens probatur: quia, ut ſuprà audivimus ex S. Thoma, *Deus ſuâ voluntate liberè amat ſeipſum, licèt de neceſſitate amet ſeipſum.* Unde q. 24. verit. a. 5. probat, *quòd in Deo liberum ſit arbitrium, ex eo quòd ipſe habet voluntatis ſuæ finem, quem naturaliter vult, ſcilicet ſuam bonitatem.* Quæ probatio videretur ridicula, ſi liberè non amaret ſuam bonitatem, tamquam voluntatis ſuæ finem. Hæc enim conſecutio: *Deus in ſe, independenter à quocumque alio, habet voluntatis ſuæ finem, quem naturaliter amat: ergo habet liberum arbitrium*; eſſe non poteſt legitima, niſi finem illum voluntatis ſuæ, ſuam utique bonitatem, ſic naturaliter amet, quòd tamen liberè. Ra- 23
tio verò cur Deus liberè amet bonitatem ſuam tamquam voluntatis ſuæ finem, eſt quia Deus in eo maximè liber eſt, ſuique actus dominus, quod maximè facit quia vult, ut conſectarium eſt ex dictis aſſertione 3. atqui Deus bonitatem ſuam, tamquam finem voluntatis ſuæ, maximè amat, quia vult: nihil enim tam amat, quia vult, quàm finem voluntatis ſuæ, utpote quem ſolùm propter ſe vult & amat; cætera propter illum, ſecundùm id quod S. Doctor ſubjungit ibidem: *Alia verò omnia vult quaſi ordinata ad hunc finem.* Quòd ſi cætera propter illum amat, quia vult: illum ergo magis & maximè amat, quia vult; juxta illud, *propter unumquodque tale eſt & illud magis.* Deinde juxta Philoſophum 1. Metaphyſ. & S. Thomam 1. p. q. 83. a. 1. ad 3. Et in 2. diſt. 25. q. 1. a. 2. ad 4. *Liber eſt, qui ſuiipſius, & non alterius gratiâ eſt*, nullique proinde alteri ſervit. Ergo Deus in amando ſeipſum eſt maximè liber, quia ſeipſum maximè amat, *ſuiipſius, & non alterius gratiâ*, in eoque proinde amore non ſolùm non ſervit alteri; quin cætera prorſus omnia, quæ amat, iſti amori ſubſerviunt. Nihil enim extra ſe Deus amat, niſi quia ſe, ſeu bonitatem ſuam amat. Ad hæc juxta Auguſtinum 1. de nuptiis 30. *ibi ſumus veraciter liberi, ubi non delectamur inviti:* ille ergo amor (juxta Auguſtinum) maximè liber eſt, qui maximè delectabilis & maximè voluntarius eſt. Atqui propriæ bonitatis amor in Deo maximè delectabilis, & maximè voluntarius eſt: ergo maximè liber.

Præterea amor ille Deo maximè perfectiſſi- 24
mèque liber eſt, in quo Deus eſt maximè ſui juris, ſuæque poteſtatis. In eo verò amore Deus maximè ſui juris eſt, ſuæque poteſtatis, in quo maximè independens eſt ab omni alio, maximèque immunis ab omni ſervitute & ſubjectione, ab omni aliena motione, dominatione & poteſtate, ab omni denique impedimento, ita ut à nullo impediri queat, vel retardari; imò à nullo moveri niſi à ſeipſo, ſuæque voluntatis determinatione. Ita verò ſe Deus habet in amore ſui, ad quem divina voluntas non determinatur ab objecto, ſicut aliæ potentiæ naturales, ſed ipſa, pro ſumma ſua rectitudine, à ſeipſa, & ex ſeipſa, per pro-

prium velle, seipsam agit & determinat ad amandam divinam bonitatem, sicque dominium habet in illum amorem: cùm agere & determinare seipsum ad actum suum, argumentum sit dominii & potestatis in illum. In eo proindè suiipsius amore, divina voluntas non se habet sicut divinus intellectus in suiipsius cognitione: quia voluntas ut voluntas, de se, sive in linea sua, non est potentia ex se, antecedenter ad suum velle, determinata ad unum, sicut intellectus, & aliæ potentiæ naturales, antecedenter ad actus suos. Cujus ratio à priori alia quærenda non est, quàm diversa in eo natura seu essentia voluntatis, & intellectus, &c. cùm essentiarum à priori non detur ratio. Ideòque Scotus quodlib. 16. ad quæstionem, cur voluntas potiùs liberè moveatur ad actum suum, quem non potest non ponere, quàm grave, rationem aliam non adfert, nisi *quia hoc est hoc, & istud est istud. Nam esse, forma, & modus essendi, agere & modus agendi sunt immediata.* Eam verò esse naturam essentiamque voluntatis, ut voluntatis, quamvis non à priori, monstrabitur infrà.

25 Nec sapientissimus Magister noster Lumbierto. 1. Theol. Scholast. in appendice n. 805. contra hoc efficaciter (tametsi subtiliter) objicit, divinam voluntatem à sua rectitudine, utpote sibi intranea, ex se, ante suum velle, esse necessitatam & determinatam ad amorem antedictum, sicut est divinus intellectus ad suum intelligere. Cùm velle divinum sit ratio & regula omnis rectitudinis, eoque aliquid rectum, quo divinæ voluntati consonum. Non proinde antecedenter ad velle suum, divina voluntas à sua rectitudine determinatur: quia per illud (non antecedenter ad illud) formaliter rectificatur.

26 Denique Deus, in non volendo malum, ex hoc non desinit esse liber, suique juris & suæ potestatis, quòd malum velle non possit. Ergo in volendo bonum, seu bonitatem suam, ex hoc non desinit esse liber, suique juris & suæ potestatis, quòd malum velle non possit, bonumque non velle non possit. Oppositum enim sive antecedentis, sive consequentis prætendenti, meritò reponitur illud Augustini l. 1. op. imperf. contra Julian. fol. 150. *Siccine Deum laudas, ut ei auferas libertatem? an potiùs intelligere debes*, necessitatem, quâ Deus non potest seu malum velle, seu bonum non velle, *esse quamdam beatam necessitatem quâ Deus justus non potest injustus esse?* hoc autem quia non potest, *non deficienter non potest* (ait contra serm. Arriani c. 14.) *sed potenter. Nec ex hoc dicere audemus* (prosequitur l. de nat. & grat. c. 46.) *Deum non voluntatem* (utique liberam, ut patet ex hac Pelagii, cui respondet, cuique aliàs non satisfaceret, objectione, *voluntatis arbitrio privari quidquid naturali necessitate constringitur*) *sed necessitatem habere justitiæ, quia non potest velle peccare.* Ut enim præclarè Bernardus lib. de grat. & lib. arb. *quòd ille esse non potest malus, non infirma facit necessitas, sed firma in bono voluntas & voluntaria firmitas.* Et ideò addit ibidem, quòd ipse *permanet liberè bonus, propriâ scilicet voluntate.* Item quòd Deus *sui juris erat, sæque ipsius voluntatis, non necessitatis* (liberam voluntatem impedientis) erat *quòd bonus erat, &c.* Similiter Anselmus l. 2. *Cur Deus homo* c. 17. *nihil ibi operatur necessitas non faciendi, aut impossibilitas faciendi, sed sola Dei voluntas, quæ veritatem semper* (*quia veritas est*) *sicut est, esse vult.*

CAPUT V.

Eadem veritas ostenditur exemplo libertatis Christi.

QUartò eadem assertio probatur exemplo 27
libertatis Christi, de quo S. Thomas in 3. dist. 18. a. 2. ad 5. hanc objectionem: *Liberum arbitrium Christi erat determinatum ad unum: ergo Christus non meruit per liberum arbitrium*; ideò enim *naturalibus non meremur, quia sunt determinata ad unum.* Respondet dupliciter. Primò, quòd *liberum arbitrium Christi non erat determinatum ad unum secundùm numerum, sed ad unum secundùm genus, scilicet ad bonum, quia in malum non potest.... Et hoc non excludit libertatem arbitrii: quia posse peccare, nec est libertas arbitrii, nec pars libertatis, ut dicit Anselmus. Et hæc quidem determinatio ex perfectione liberi arbitrii contingit, secundùm quod per habitum gratiæ & gloriæ terminatur in eo quod est naturaliter ordinatum* (scilicet *in bono*): *quia liberum arbitrium, quamvis in nobis se habeat ad bonum & ad malum, non tamen est propter malum, sed propter bonum.* Secundò respondet, ut sequitur, vel *dicendum, quòd etiamsi esset determinatum ad unum numero, sicut ad diligendum Deum, quod non facere non potest; tamen ex hoc non amittit libertatem, aut rationem laudis, sive meriti: quia in illud non coactè, sed sponte tendit; & ita est sui actus dominus.* Priori responsione dicit, liberum arbitrium Christi fuisse quidem sic determinatum ad bonum in genere, ut non potuerit facere malum; fuisse tamen indifferens ad hoc vel illud bonum in specie, & individuo, secundùm se spectatum (id est, abstrahendo à speciali Dei præcepto vel consilio); determinationem verò illam ad bonum in genere, sic ut non habuerit potestatem in malum, provenisse ex perfectione liberi arbitrii ipsius; utpote quod perficitur per determinationem ad id, ad quod est naturaliter ordinatum, sicut cæteræ res naturales, atque adeò perficitur per determinationem ad bonum: sicut v. g. grave perficitur per determinationem ad centrum suum ad quod naturaliter ordinatur. Unde arguitur sic: liberum arbitrium perficitur per determinationem ad bonum, ad quod est naturaliter ordinatum: ergo magis perficitur per majorem determinationem ad bonum, &c. Quo igitur magis determinatum

fuerit ad bonum, eo perfectius; & quo ad illud minùs determinatum, magisque indifferens, eo minùs perfectum: quia magis recedens à termino, ad quem non utcumque, sed ut liberum arbitrium est naturaliter ordinatum. Igitur liberum arbitrium determinatum ad bonum, non solùm in genere, sed & in specie, sicut ad diligendum Deum, perfectius est, quàm solùm determinatum ad illud in genere.

Et ideò posteriori responsione S. Doctor libertatem Christi salvat, non solùm sub determinatione ad bonum in genere, sed etiam in specie & individuo, dicens, quòd etiamsi liberum Christi arbitrium esset determinatum ad unum numero actum, quem non facere non potest, nimirùm ad dilectionem Dei, nihilominùs adhuc actus ille non desinit esse liber: quia equidem in actum illum non coactè, sed sponte tendit, & ita est actus sui dominus.

28 At (inquit Annatus) S. Thomas per esse *determinatum ad unum numero*, non intelligit determinatum ad unum numero actum, sed ad unum numero objectum, cujusmodi est Deus, ad quod diligendum supersit indifferentia ex parte actuum. Vel dicendum (inquit Godoy disp. 48. de Incarn. n. 80.) quòd loquatur quidem de determinatione ad unum numero actum, quo Christus non poterat non diligere Deum quoad perfectiones necessarias; poterat tamen ipsum non diligere, ut est ratio diligendi creaturas, quòdque proinde hâc solâ ratione actus ille erat liber & meritorius.

29 Verum-enimverò, tanta est claritas invincibilis illius testimonii S. Doctoris, ut evasionum istarum nebulas omninò dissipet. Annatinam namque evasionem lux Angelici contextûs eliminat: quia ibi S. Thomas discutit libertatem actus, cui attribuit rationem laudis & meriti, non verò objecti, cui nec libertas nec laus & meritum adaptari potest. Ideòque libertatem illam explicat per dominium in actum; quod probat, quia Christus in illum non coactè, sed sponte prorumpit, utique quia vult; atque adeò tamquam dominus illius actus, non obstante quòd illum *non facere non potest*, quòdque proinde ad illum faciendum determinatus sit. Apertè ergo S. Doctor loquitur de determinatione ad illud unum numero, de quo dicit quòd *non facere non potest*. Quod de Deo non dicit tamquam objecto dilectionis, sed de actu ipso dilectionis, quo Christus diligit Deum. Deinde loquitur de tali determinatione actus ad illud unum numero, ex qua actus Christi non desinat esse liber, laudabilis, meritorius, & sub dominio voluntatis Christi. Quæ cùm non conveniant objecto, sed actui dilectionis, quo voluntas Christi tendit in Deum: loquitur ergo de determinatione ad unum numero actum. Enimverò sicut prior responsio S. Doctoris defendit libertatem Christi, sub indeterminatione, seu indifferentia ad hunc vel illum specie vel numero actum, & non solùm sub indeterminatione ad hoc vel illud specie vel numero objectum (cujus libertatem ibi non discutit, sed actus); sic posterior solutio defendit libertatem sub determinatione ad hunc numero actum, & non solùm sub determinatione ad hoc numero objectum. Si enim eam solùm defenderet sub determinatione ad hoc numero objectum, manente tamen indeterminatione seu indifferentiâ ad hunc vel illum specie vel numero actum, posterior solutio S. Doctoris nihil importaret diversum à priori. Cujus oppositum perspicuè innuit, cùm dicit, *vel dicendum, &c.*

Evasio verò Godoyna refellitur, 1°. 30
Quia S. Doctor expressè loquitur de dilectione Dei, quâ Christus non poterat Deum non diligere, poterat verò non diligere Deum, ut est ratio diligendi creaturas. De ea igitur, ut sic, non loquitur S. Doctor. 2°. Quia S. Doctor respondens objectioni, quòd actibus necessariis non mereamur, expressè dicit, actum dilectionis Dei in Christo, non amittere libertatem, nec rationem laudis aut meriti, ex eo quòd actus ille sit necessarius, seu non potens non esse; nec hujus rationem reddit, ex eo quòd licèt actus ille non possit non esse, quatenus tendit in Deum secundùm se, possit tamen non esse quatenus tendit in Deum, ut est ratio diligendi creaturas (quod vel exprimere, vel aliquo modo significare debuisset, si necessarium censuisset ad solvendam illam objectionem.) Id ergo non censuit necessarium, atque adeò censuit indifferentiam non esse necessariam ad liberam & meritoriam dilectionem in Christo. 3°. Quia ratio quâ S. Doctor ibi probat, dilectionem Dei, ex determinatione voluntatis Christi ad illam, impotentiâque non ponendi illam, non amittere libertatem, nec rationem meriti; est quia, eo non obstante, Christus ad diligendum Deum non coactè, sed sponte tendit (spontaneo utique, seu voluntario perfecto) & eatenus (inquit) Christus est actus sui dominus. Vel igitur hæc ratio S. Doctoris est vera, & sufficiens ratio libertatis, in illo actu dilectionis, vel non? Si sit: igitur negatio coactionis, perfectaque spontaneitas, est vera & sufficiens ratio libertatis in illo actu dilectionis. Si non: igitur S. Doctor pro ratione libertatis in illo actu attulit id quod non est vera sufficiensque ratio illius, veramque & sufficientem rationem illius (indifferentiam utique) ibi subticuit; sicque objectioni non satisfecit. Quod verus tanti Doctoris discipulus & venerator non dixerit.

Angelico ergo illo testimonio manet invin- 31
cibiliter comprobatum, ad libertatem & dominium, seu potestatem voluntatis in actum suum, universim non requiri, quòd sic illum velit, ut possit non velle, vel oppositum velle. Nec unico illo loco S. Doctor id adstruit, sed & aliis multis n. 21. relatis. Sicut & 3. contra Gent. 138. ubi agens *de errore eorum, qui vota impugnant*, ostendit quidem necessitatem voti seu obligationis non minuere, sed augere libertatem & bonitatem actus; sed ad hoc

ostendendum generale adfert principium, quòd utique necessitas voluntaria, sive proveniat ex voto, sive ex interiori perfectione, naturalique inclinatione voluntatis, non minuat, sed augeat rationem libertatis, ob rationem ex eodem Angelico Magistro n. 20. depromptam: *Est enim* (inquit) *duplex necessitas; quædam coactionis, & hæc laudem virtuosorum actuum diminuit, quia voluntario contrariatur: coactum enim est, quod est voluntati contrarium. Est autem quædam necessitas, ex interiori inclinatione procedens* (quam suprà n. 21. vocat *naturalem necessitatem*. Item necessitatem naturalis inclinationis, secundùm quam voluntas aliquid *ex necessitate velle dicitur, ut felicitatem*; secundùm quam etiam *Deus suâ voluntate liberè amat seipsum, licèt de necessitate amet*) *& hæc laudem virtuosi actus non minuit, sed auget: facit enim voluntatem magis intensè tendere in actum virtutis. Patet enim quòd habitus virtutis, quanto fuerit perfectior, eo vehementiùs facit tendere in bonum virtutis, & minùs ab eo deficere. Quòd si ad finem perfectionis devenerit, quamdam necessitatem infert ad benè agendum* (non solùm necessitatem obligationis, ut interpretantur Authores speciminum doct. Theol. per Belgium manantis p. 1. c. 3. §. 5. sed necessitatem naturalis inclinationis, quæ tollit indifferentiam, seu potentiam in oppositum, ut patet in exemplo quòd proximè subjungit) *sicut est in beatis qui peccare non possunt.... nec tamen propter hoc, aut libertati aliquid deperit, aut actus bonitati.*

32 Non existimo P. Annatum hîc (ut alibi sæpiùs, dum locutio SS. Doctorum non est ad palatum ipsius) dicturum S. Thomam concionatoriè & exaggeratoriè loquutum, non theologicè: cùm contra Gentiles loquatur, qui exaggerationibus & concionibus hyperbolicis non convincuntur, sed efficacibus argumentis, verisque doctrinis. Dicat ergo ipse, dicat & quilibet Assecla ipsius, si nulla est alia vera propriaque libertas, nisi indifferentiæ, sive quæ est cum potentia in oppositum, quomodò ex majori determinatione, minorique proinde indifferentia voluntatis ad unum extremum, scilicet ad bonum, laus, ac proinde libertas virtuosi actus augeatur & perficiatur, uti S. Doctor hîc apertè declarat? Sic enim argumentor: conceptus essentialis veræ, propriæ & perfectæ libertatis (per se) unicè consistit in indifferentia seu potentia, vel contrarietatis, vel contradictionis in oppositum. Igitur quo major determinatio, minorque indifferentia, seu potentia, vel contrarietatis, vel contradictionis in oppositum, minor est libertas, minorque proinde laus virtuosi actus. At, juxta S. Doctorem, totum est oppositum. Dicit enim quòd quanto major est necessitas seu determinatio, ex interiori inclinatione procedens, tanto major sit laus virtuosi actus: atque adeò major libertas. Quanto verò major est necessitas seu determinatio & inclinatio in actum virtutis, tanto minor est indifferentia, seu potestatis, seu contrarietatis, seu contradictionis in oppositum, nullaque potestas in oppositum, si voluntas ad finem perfectionis devenerit, sicut est in beatis, qui nec peccare possunt, nec Deum non diligere; nec tamen propter hoc *aut libertati voluntatis aliquid deperit* (ait S. Doctor) *aut actus bonitati.* Igitur conceptus essentialis veræ, propriæ ac perfectæ libertatis, juxta S. Doctorem, in universum non consistit in indifferentia, seu contrarietatis, seu contradictionis; utpote sine qua (juxta S. Doctorem) datur vera, propria, perfectaque libertas amoris, quo beati Deum diligunt.

Nec evadit Annatus, dicendo, quòd S. Doctor non loquatur ibi de libertate actus dilectionis, qui est proprius comprehensorum; sed de libertate aliorum actuum, qui licèt sint charitatis, à beatis exercentur cum indifferentia. Quippe nimis evidens est, S. Doctorem loqui de libertate illius actus, quo beati ad *finem perfectionis* deveniunt; ad quem non deveniunt per alios actus, sed per solum actum dilectionis, qui est proprius comprehensorum. Nimis quoque evidens est, S. Thomam fundare libertatem illam beatorum in perfectissimo voluntario, seu vehementiâ interioris inclinationis, quâ feruntur in actum virtutis. At in nullum actum feruntur ex vehementiori perfectiorique inclinatione, quàm in actum beatificæ dilectionis Dei clarè visi, qui est actus proprius comprehensorum. Et hinc sit 33

CAPUT VI.

Ostenditur quoque exemplo libertatis Angelorum, hominumque beatorum.

DE ipsis namque Augustinus 22. Civit. ult. dicit: *Erit ergo civitatis illius & una in omnibus, & inseparabilis in singulis voluntas libera, ab omni malo liberata, & impleta omni bono, fruens indeficienter æternorum jucunditate gaudiorum.* In ipsis ergo S. Augustinus liberam prædicat voluntatem fruentem summo bono, licèt inseparabilem & inamissibilem, ac proinde non potentem non esse. Unde l. 3. de lib. arb. c. 3. voluntatem quâ beati sumus, seu beatificam dilectionem, asserit non necessariam (necessitate oppositâ libertati); sed ita voluntariam, ut sit in potestate nostra, adeòque liberam: *Non ergo necessitate* (inquit) *sed voluntate, in te fiet beatitudo tua.* Et infrà: *Sed dico, cùm futurus es beatus, non te invitum, sed volentem futurum.* Quali voluntate? ibidem exponit, dum subjungit: *Voluntas nostra, nec voluntas esset, nisi esset in nostra potestate. Porrò quia est in potestate, libera est nobis.* Et lib. 1. oper. imperf. n. 103. *Beatissima ista omninò necessitas, quâ necesse est feliciter vivere... Hâc necessitate, si necessitas etiam dicenda est, non premuntur*, id est, libertate privantur *sancti Angeli, sed fruuntur.* Quare? est enim *voluntaria felixque necessitas*, de qua l. 4. de per- 34

fect. just. cap. 4. dicit, quòd in beatis *erit tanta libertas, in qua sicut necesse permaneat beatè vivendi voluntas, ita sit etiam benè vivendi & nunquam peccandi voluntaria felixque necessitas.* Cujusmodi profectò necessitas inimica non est libertatis: quia per eam beati sic Deum necessariò diligunt, ut non diligant necessitate voluntatem antecedente, seu involuntariâ, sed quia ipsis super omnia placet. Diligunt ergo liberè, juxta dicta n. 17. quia cum summa summèque voluntaria delectatione diligunt: *ibi verò sumus veraciter liberi, ubi non delectamur inviti*, ut n. 23. nos Augustinus docuit. Et quia ideò Deum summè diligunt, & diligendo laudant, quia Deus ipsis super omnia placet, ideò liberâ voluntate amant. *Hoc enim liberâ voluntate facis, quando amas quod laudas* (inquit Augustinus in Psal. 134.); *non enim ex necessitate, sed quia placet.* Denique ut idem Augustinus rursum ait lib. de morib. Eccl. c. 12. *dilectione in Deum redit animus..., quod quanto fecerit instantiùs & studiosiùs, tanto erit beatior atque sublimior, & illo solo dominante liberrimus*: beati autem instantissimè & studiosissimè Deo soli Dominatori cordis ipsorum adhærent: in ea ergo dilectione liberrimi.

35 Imò libertas nulla tam vera, quàm Deum taliter diligentium, Augustino lib. 1. lib. arb. c. 15. iterùm pronuntiante: *Libertas nulla vera est, nisi beatorum & legi æternæ adhærentium.* Cætera etiam n. 22. & seqq. allegata ad probandam libertatem actus quo Deus seipsum diligit, valent ad probandam libertatem actus, quo beati Deum diligunt. Et si beati, juxta Augustinum Enchirid. 104. & 105. de corrept. & grat. c. 11. 22. Civit. ult. 3. lib. arb. 5. 12. epist. 89. &c. in non volendo malum non desinunt esse liberi, imò liberrimi, ex hoc quòd malum velle non possint; non est cur, in volendo seu amando summum bonum, liberi, imò liberrimi esse desinant, ex hoc quòd illud non velle, seu non amare non possint. Quippe, ut optimè Seneca l. 6. de benef. c. 21. *quis tam demens est, ut eam neget esse liberam voluntatem*, cui non est periculum desinendi, vertendique se in contrarium? cùm ex diverso nemo *æquè videri debeat liberè velle, quàm cujus libera voluntas usque eò certa est, ut æterna sit. An si is quoque liberè vult, qui potest statim nolle, is non videbitur liberè velle, in cujus natura non cadit nolle?* Meminerint, qui contrà sentiunt, Angelicæ doctrinæ n. 20. productæ, quòd necessitas naturalis inclinationis, utpote voluntaria, libertati non sit infensa, quòdque licèt in *appetibilibus de fine ultimo non judicamus judicio discussionis, vel examinationis, sed naturaliter approbamus, propter quod de eo non est electio*, strictè accepta, *sed voluntas*; *habemus tamen respectu illius liberam voluntatem*, licèt non electionem strictè sumptam: *cùm necessitas naturalis inclinationis libertati non repugnet, secundùm Augustinum 5. de Civit. Dei.*

36 Utque omni ex latere eluceſcat asserta libertas beatorum in actus suos, etiam in amorem Dei clarè visi, dominiumque & potestas voluntatis ipsorum in eosdem, non obstante quòd non habeant potentiam, seu contrarietatis, seu contradictionis in oppositum, duobus insuper principiis idipsum comprobatur. Primum sic efformatur: si potentia, seu contrarietatis, seu contradictionis, foret universim de essentia veræ ac propriæ libertatis, dominiique voluntatis in actus suos, reperiri deberet in omni actu verè proprièque libero, sub omni ratione quâ verè proprièque est liber. Sed non reperitur in omni actu verè proprièque libero, sub omni ratione quâ verè proprièque est liber. Ergo major est certa: quia nullus actus sub ulla ratione esse potest verè proprièque liber, sine essentia veræ propriæque libertatis. Probatur minor: quia actus beatorum, secundùm quod cadunt sub divinum præceptum, vel consilium, verè proprièque liberi sunt (cùm soli actus liberi cadant sub præceptum vel consilium); voluntas tamen beatorum sic illos ponit, ut non habeat potentiam, seu contrarietatis, seu contradictionis in oppositum. Neque enim ponere potest actum contrarium ei quem Deus ipsis præcipit, vel consulit: cùm sit impeccabilis, & moraliter indefectibilis: nec potest omittere actum divinâ sibi voluntate præceptum, vel consultum, ob eandem rationem.

Imò beatorum voluntas nihil, sive quoad 37
substantiam, sive quoad modum & circumstantias, eligere, nihil velle, nihil amplecti potest, nisi quod consultum divinæ voluntatis speculum respondet eligendum, volendum, amplectendum. Nihil proinde nisi prædictatum (tam quoad substantiam quàm quoad modum, &c.) à prima illa voluntate (tamquam prima omnis creatæ voluntatis regula) quam cognoscere, cognitamque sequi, creaturæ perfectio beatitudoque est; à qua deficere nequit indefectibilis voluntas ipsorum; nec (sine defectu perfectionis) esse potest prima in eligendo, volendo, amplectendo, quæ est secunda in essendo. Et ideò S. Thomas 1. p. q. 62. a. 8. dicit, quòd *Angelus beatus non potest velle agere, nisi attendens ad Deum.* Ex quo conficitur quòd necessariò, necessitate voluntariâ & liberâ, amat quidquid amat. Ut enim ait 1. 2. q. 4. a. 4. *Voluntas videntis Dei essentiam, ex necessitate amat quidquid amat* in ordine ad Deum. Sanctus quoque Augustinus l. 13. Confess. c. 15. *Vident* (inquit) *beati faciem tuam, & ibi legunt sine syllabis temporum, quid velit æterna voluntas tua, legunt, eligunt, & diligunt*; (ut prosequitur l. 8. Gen. ad liter. c. 4.) *secundùm eam suas dirigunt voluntates..., voluntatem ejus semper facientes. Id enim sibi agendum imperant* (inquit 22. contra Faust. 27.) *quod ille quem contemplantur, jubet, cujus æterno imperio liberaliter* (id est, liberè) *quia suaviter, serviunt.* Neque enim aliter agere possunt, nisi sicut decet talem sapientem, qualem idem Augustinus describit 3. Trin. 5. *Constituamus ta-*

lem ſapientem, cujus anima rationalis jam ſit particeps incommutabilis æternæque veritatis, quam de omnibus ſuis actionibus conſulat, nec aliquid omninò faciat, quod non in ea cognoverit eſſe faciendum, ut ei ſubditus, eique obtemperans rectè faciat.

38 Quod hîc de beatis aſſerui, de Chriſto incunctanter eſt aſſerendum; quamvis utique fide certum ſit, Chriſtum liberè pro omnibus mortuum, paſſum, &c. ſuâque morte, paſſione, &c. nobis gratiam & gloriam promeruiſſe; nihil interim Chriſtum in ſubſtantia, nihil in circumſtantia ulla (dum viveret) elegiſſe, vel eligere potuiſſe niſi conſultâ divinitate, nihil niſi prædictatum à prima voluntate, nihil proinde antecedenter, nihil niſi conſequenter ad illam, ob rationem ſuprà allatam. Contrarium quidem Jeſuitæ Pariſienſes aſſeruerunt in Theſibus defenſis 17. Decembris 1691. col. 2. Th. 6. his verbis: *Jus habuit Verbum, humanitati unitum, exigendi, ut humanitas dignè Deo, id eſt, ſemper & optime ageret, & ex optimo motivo, ex quo poſſet agere. Hinc ſtricta obligatio faciendi ſemper quod eſt melius. At cùm ſtare non poſſit talis obligatio cum indifferentia ad utrumlibet, ſine qua meritum non eſt, conveniens fuit, Verbum renuntiare juri illi ſuo (jure autem ceſſante, ceſſat quoque debitum ei correlativum, ſeu obligatio.) Chriſtus enim, licèt merito non indigeret, ut qui perfectiſſimus ſimul & beatiſſimus eſſet; cum tamen Redemptoris munus in ſe ſuſcepiſſet, ut aliis mereretur, libertate opus fuit. Retinuit Verbum jus ad auxilia efficacia, quibus humanitas ad optimè ſemper agendum, non certè minùs infallibiliter, quàm liberè induceretur. Fuit ergo liber circa melius, & proinde circa labores, ipſamque mortem, quam non propriè imperatam elegit (ut docent Cyrillus, &c.) velut redemptionis humanæ modum excellentiſſimum, &c.*

39 Verùm non hæc Theologia Sanctorum eſt, non ſequacium paternæ traditionis, ſed nova cudentium, ut tueri valeant Molinianas de libertate novitates. Facere namque partitionem in vita & actionibus Redemptoris, quarum aliæ ipſi præceptæ fuerint, aliæ non, & iſtæ liberæ ac meritoriæ fuerint, non illæ, quaſi præceptum & obedientia obſtaculum libertatis ac meriti fuerit in opere redemptionis humanæ; Paradoxum eſt divinis Scripturis, Traditionique contrarium, in ſolaque novitatis officina, non in Eccleſia auditum. In Eccleſia namque hactenùs audita non fuit, niſi ſola Theologia principale Chriſti meritum conſtituens in obedientia uſque ad mortem, mortem autem crucis; obedientiam verò novitia illa Theologia conſiderat velut obſtaculum meriti in vita Redemptoris, opereque redemptionis hominum. Quandoquidem ſecundùm eam actiones, quæ à Patre præceptæ fuerunt Redemptori, nec ipſi liberæ fuerint, nec meritoriæ; actiones verò quæ ipſi liberæ fuerunt, ac meritoriæ ſalutis hominum, ipſi non fuerint præceptæ, nec proinde meritum habuerint obedientiæ. Hanc verò doctrinam Thomaſſinus Theolog. dogmat. de Incarn. l. 5. c. 15. monſtroſam dicere non dubitat. Eſt enim (inquit) monſtri ſpecies, aſſerere, quòd nulli præcepto Patris liberè Chriſtus unquam obediverit, nec eo proinde modo, qui laude dignus fuerit & merito; quòdque divinæ erga Chriſtum providentiæ munus fuerit, ſatagere, ne ullâ unquam, vel rariſſimâ lege ad ſuas ipſum actiones obligaret, ne per obedientiæ legem amitteret libertatis & meriti honorem. Quia injurioſum eſt divinæ providentiæ præcipuas, excellentioreſque Chriſti actiones legibus ipſius ac directioni ſubducere, ſoliuſque humanæ voluntatis directioni ſubjicere. Eſt quoque injurioſum ipſiſmet actionibus Chriſti, quæ magis profectò dignæ ſunt Chriſto, ſi directioni ſubſint divinæ providentiæ, humanam voluntatem antecedentis, quàm ſi ab humana dirigantur voluntate, divinam antecedente. Eſt etiam injurioſum humano generi; utpote cui per hoc ſurripiuntur fructus ſuperabundantes infinitarum Chriſti actionum, quæ non potuerunt non dirigi per leges æternas Dei Patris. Ipſi denique naturæ injurioſum eſt; utpote quæ eo ipſo indignè tractatur, quo libertas, laus & meritum ipſi adimitur, ex hoc quòd Creatoris ſui voluntati per invincibilem obedientiam ſubjicitur. Quænam chriſtiana plebs novitates iſtas patienter audiret, ſi publicis in Catechiſmis ipſi proponerentur? Pias aures haud dubiè offenderet novitia prædicatio, utpote divinis Scripturis communique 40
Traditioni manifeſtè adverſa. Quid enim Chriſtus in Evangelio dicit? Joan. 5. v. 30. *Non poſſum ego à meipſo facere quidquam. Non quæro voluntatem meam, ſed voluntatem ejus qui miſit me.* C. 6. v. 38. *Deſcendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam, ſed voluntatem ejus qui miſit me.* C. 8. v. 29. *Quæ placita ſunt ei facio ſemper.* C. 10. v. 17. *Propterèa diligit me Pater, quia ego pono animam meam, ut iterùm ſumam eam.... Hoc mandatum habeo à Patre meo.* C. 14. v. 31. *Ut cognoſcat mundus quia diligo Patrem, & ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio, ſurgite eamus hinc*, ad patiendum utique, moriendumque pro redemptione generis humani. Siquidem *his dictis perrexit ad indebitam mortem* (inquit Auguſtinus) *factus obediens uſque ad mortem*, l. 2. de peccat. merit. c. 29. Enimverò, ut ait tr. 79. in Joan. *non habebat meritum mortis, ſed habebat ut moreretur præceptum Patris.* Et ideò Petrum corripiens, quòd ipſum gladio tueri vellet: *Calicem* (inquit) *quem dedit mihi Pater, non bibam illum?* Et Apoſtolo teſte Rom. 8. v. 11. *Proprio filio non pepercit* Pater æternus, *ſed pro nobis omnibus tradidit illum.* Et v. 19. *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi; ita & per unius obeditionem, juſti conſtituentur multi.* Per eam ſcilicet obeditionem de qua Philipp. 2. v. 8. *Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis. Definito* quippe *Dei conſilio & præſcientiâ Dei traditus eſt.* Act. 2.
v. 23.

v. 23. *ad quid traditus? ut gratiâ Dei pro omnibus gustaret mortem.* Hebr. 2. v. 9. Ad hoc significandum c. 10. v. 5. & seqq. *ingrediens mundum dicit; hostiam & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi: holocaustomata pro peccato tibi non placuerunt. Tunc dixi, ecce venio. In capite libri scriptum est de me, ut faciam Deus voluntatem tuam.... in qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Christi semel.... unâ enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.* Et post hæc omnia venient Jesuitæ illi, divinamque hanc doctrinam conclusione decisivâ subvertent, dicentes mortem non fuisse Christo *propriè imperatam*, sed indifferenti voluntati ipsius relictam, ut pro libitu suo eam eligeret vel non eligeret, prout humana voluntas ipsius vellet, alioqui per mortem non meritura. At non sic Christus ipse, non sic Apostolus, non sic Augustinus suprà. Non sic Ambrosius l. 5. de fide c. 8. ubi explicans verba ista Apostoli: *Cùm in forma Dei esset, exinanivit semetipsum, formam servi accipiens: quid est* (inquit) *in Dei forma, nisi in divinitatis plenitudine? Disce igitur quid sit, formam servi accipiens; id est, plenitudinem perfectionis humanæ, plenitudinem obedientiæ.* Ac si apertè dicat: sicut Christus accipiens à Patre formam Dei, in plenitudine divinæ perfectionis, accepit eam in plenitudine supremi dominii atque independentiæ; sic Christus accipiens formam servi, in plenitudine perfectionis humanæ, accepit eam in plenitudine dependentiæ, sive subjectionis & obedientiæ, utpote formæ servi seu humanitati æquè propriæ & essentialis: atque supremum dominium & independentia propria est & essentialis formæ Dei, seu divinitati; & quia plenè ac per omnia subjicere se voluntati divinæ non minùs est de plenitudine perfectionis voluntatis humanæ, quàm plenè & per omnia supremam & independentem esse, est de plenitudine perfectionis voluntatis divinæ. Neque enim humana voluntas esse potest perfecta, nisi secunda sit in eligendo, quæ secunda est in essendo, nisi proinde directa à divina voluntate, tamquam prima regula omnis voluntatis creatæ, cui per humilem obedientiam & submissionem perfectè se conformare, tota ipsius perfectio, ut suprà dixi. Et ideò S. Thomas 2. 2. q. 104. a. 3. dicit quòd *obedientia* (cujus *speciale objectum est præceptum tacitum vel expressum*, ut art. 2. dicit) primas obtinet inter virtutes morales, quòdque, *per se loquendo, laudabilior est obedientiæ virtus, quæ propter Deum contemnit propriam voluntatem, quàm aliæ virtutes morales, quæ propter Deum aliqua alia bona contemnunt.* Denique *quòd quæcumque alia virtutum opera ex hoc meritoria sunt apud Deum, quòd fiant ut obediatur voluntati divinæ. Nam si quis etiam martyrium sustineret, vel omnia sua pauperibus erogaret, nisi hoc ordinaret ad impletionem voluntatis divinæ, meritoria esse non possent.* Quia ergo voluntas humana Christi in omnibus actibus suis, & omni modo volendi perfectissima fuit, nec quidquam velle potuit, nisi modo perfectissimo; ideò (ut idem S. Doctor ait 3. p. q. 18. a. 1. ad 1.) *quidquid fuit in humana natura Christi, movebatur nutu voluntatis divinæ.* Et ad 4. *Voluntas humana Christi* habuit quemdam determinatum motum, ex eo quòd *fuit in hypostasi divina, ut scilicet moveretur* semper secundùm nutum divinæ voluntatis. Et in epist. ad Philipp. c. 2. *Voluntas humana Christi in omnibus dirigebatur per voluntatem Patris.* Enimverò vo- 41
luntas Patris jus habebat eam in omnibus dirigendi, nec jus istud abdicare potuit, magis quàm abdicare potuerit jus dominii, præsidentiæ & superioritatis in omnem creaturam, omnemque motum ipsius. Et confirmatur: quia Christus nihil 42
velle, nihil eligere, nihil amplecti, nihil operari potuit, nisi excellentiori quo potuit modo, quo Pater spectatis omnibus magis glorificaretur. Hoc enim ab ipso exposcebat perfectio charitatis ipsius, excellentiaque humanæ subjectionis ad dictamen æternæ incommutabilisque veritatis ac voluntatis; quæ, tametsi non exigat electionem meliorum sublimiorumque; exigit tamen electionem aptiorum (spectatis circumstantiis omnibus) modorum agendi, in ipsa luce æternæ veritatis semper & immutabiliter ipsi patentium, præ ineptioribus. Ne alioqui veritatis, quàm diligebat, & præter quam nihil diligebat, & propter quam cuncta diligebat, & sine cujus dictamine nihil diligebat, cui denique venerat testimonium reddere, solamque ipsam diligere, atque individuè sectari, non tam sectator quàm discretor, imò ipsius ex parte saltem delertor fuisset. Si enim prætermisisset, vel prætermittere potuisset id quod, spectatis omnibus, optimum ad eligendum esse nota sibi veritas dictasset, in eo non veritatis, sed suæ voluntatis sectator fuisset; maximè cùm veritas hoc dictare nequeat (spectatis omnibus) optimum esse, ut creatura, aliqua in re, circumstantia, vel modo, suam potiùs quàm Dei sequatur voluntatem, sive quòd voluntas secunda in essendo, prima sit in eligendo; nec asseri queat Christum id aliquando prætermisisse, ad quod non prætermittendum ardentissima Dei dilectio nonnullorum in terris Sanctorum mentes adeò vehementer accendit, ut voto sese astrinxerint ad semper agendum quod, spectatis omnibus, Deo gratius intelligerent, prout de S. Theresia legitur in Breviario. Nihil inde tamen deperiit libertatis Christi, vel Sanctorum illorum. Quin potiùs ipsorum voluntas *tanto liberior, quanto senior; tanto autem senior, quanto divinæ gratiæ misericordiaque subjectior.* Augustinus epist. 89.

Alterum principium, quo comprobatur li- 43
bertas dominiumque libertatis beatorum in amorem beatificum, tametsi non habeant potentiam contradictionis, seu contrarietatis in oppositum, est quia amor Dei clarè visi, quo beati non possunt non amare Deum, licèt ex quo semel est, non possit in ipsis non esse inamissibilis, & perpetuus; ut talis in ipsis esset,

ſuo id merito liberâque juſtitiæ ſelectione, atque eatenùs liberâ voluntatis ſuæ determinatione compararunt. Sicut ergo, ob id Deus liber eſt, liberèque volens creare mundum v. g. quia licèt, ex quo ſemel voluit, ob immutabilitatem ſuam jam non velle non poſſit; ad id tamen volendum ſuâ ſe liberè voluntate determinavit. Sicut etiam Cacodæmon liberè jam peccat, quia licèt jam non peccare non poſſit; ad eum tamen damnationis & peccaminoſæ neceſſitatis ſtatum ſuâ ſe electione liberè determinavit: ſic beati jam liberè Deum clarè viſum diligunt, quia licèt, ex quo ſemel beatificâ ſunt viſione donati, non poſſint Deum non diligere; ad perveniendum tamen ad illum beatificæ viſionis, inamiſſibiliſque dilectionis ſtatum ſuâ ſe liberâ voluntate determinarunt, eundemque ſtatum merito ſuo compararunt. Videri poteſt S. Thomas de malo q. 15. a. 5. ad 8. ubi docet, Angelos talis eſſe naturæ, *ut immobiliter perſeverent, vel in averſione, vel in converſione, reſpectu ſupernaturalis boni. Quare? quia ſecundùm modum naturæ ſuæ competit ei, ut immobiliter inhæreat ei quod per propriam voluntatem elegit.* Eo tamen non obſtante liberè permanet in eo quod elegit, quia ad liberam perſeverantiam, in converſione ad Deum, vel averſione à Deo, ſufficit libera electio cauſæ, ad quam perſeverantia illa ſequitur. Sufficit etiam quòd aſſerta ipſius immobilitas in bono vel malo, ipſi voluntaria ſit, juxta illud Bernardi in lib. de grat. & lib. arb. *Cæleſtis Angelus permanet liberè bonus, propriâ ſcilicet voluntate, non aliquâ extrinſecâ neceſſitate. Et iterùm: nec diabolus libero caret arbitrio, quoniam quòd is non valet in bonum reſpirare, non aliena facit violenta oppreſſio, ſed ſua ipſius in malo obſtinata voluntas, & voluntaria obſtinatio.*

CAPUT VII.

Sanctis Patribus cap. 4. 5. & 6. productis ſubſcribunt Primarii Scholaſtici Doctores.

44 PRæter laudatos SS. Patres, ſuperiori aſſertioni non eſt dubium ſuffragari Patres omnes Scholaſticoſque Doctores c. 8. referendos, qui tradunt, omne voluntarium perfectum, verè & propriè eſſe liberum, nec aliud ad libertatem requirunt, quàm ut voluntas agat ut voluntas, ſive ex ſuiipſius & rationis imperio. Quotquot item cum rationali ſeu voluntaria neceſſitate libertatem componunt, de quorum numero ſunt Alexander de Ales 2. p. q. 7. memb. 3. a. 3. S. Thomas q. 22. verit. a. 5. ad 3. q. 10. de potent. a. 2. ad 5. l. 3. cont. Gent. 158. in 3. diſt. 18. a. 2. ad 5. 1. p. q. 82. a. 1. ad 1. S. Bonaventura in 2. diſt. 7. q. 2. & diſt. 25. q. 2. Henricus Gandavenſis quodl. 12. q. 26. Richardus de media Villa in 2. diſt. 7. a. 1. q. 2. ad 2. & 3. & in 3. diſt. 10. a. 2. q. 1. ad 2. Thomas de Argentina in 3. diſt. 12. & diſt. 18. a. 3. Marſilius in 3. q. 12. a. 2. Nicolaus de Orbellis in 2. diſt. 25.

45 Sed non minùs inſigniter quàm ſubtiliter, eandem aſſertionem illuſtrat Doctor ſubtilis quodlib. 16. ad q. 2. ubi duplicem diſtinguit neceſſitatem, quarum una " prævia eſt ad vo- " luntatem, ut voluntas intelligatur cadere ſub " neceſſitate, tamquam impellente in actum, & " figente in actu. Si autem ſic eſſet, voluntas " ageretur, & non ageret, nec ſtaret in tali actu " libertas. Altera eſt neceſſitas concomitans, ita " quòd ipſa intelligatur cadere ſub voluntate, " ſic quòd voluntas propter firmitatem libertatis " ſuæ, ſibiipſi neceſſitatem imponit in eliciendo " actum, & in perſeverando ſive figendo ſe in " actu. Et hanc componit cum libertate: eo quòd " voluntas (ut voluntas) ſemper habet ſuum " modum agendi proprium, ſcilicet liberè. Si- " quidem voluntas, ut voluntas, non magis po- " teſt eſſe naturaliter activa " (id eſt per mo- " dum naturæ) " quàm natura, ut eſt princi- " pium diſtinctum contra voluntatem, poteſt eſſe " liberè activa. Unde concludit, quòd voluntas " divina neceſſariò vult bonitatem ſuam, & ta- " men in volendo eam eſt libera. "

46 Quam quidem doctrinam ſuam ibidem ad primum articulum principalem hâc ratione confirmat, quia libertas non opponitur neceſſitati, ſed naturæ, ſicut contingentia non opponitur naturæ, ſed neceſſitati. Ariſtoteles namque 1°. Phyſic. cauſam activam non dividit in neceſſariam & liberam, ſed in naturam & propoſitum, id eſt, in naturalem & voluntariam. Similiter Auguſtinus 5. Civit. 9. cauſas per ſe dividit in naturales & voluntarias. Unde cùm differentiæ iſtæ ſint modi directè oppoſiti primò & immediatè dividentes principium activum; non magis poteſt voluntas, ut voluntas, eſſe naturaliter activa, quàm natura, ut eſt principium activum, diſtinctum contra voluntatem, poteſt eſſe liberè activa. Ita Scotus ad tertium articulum principalem. Non eſt autem eodem modo philoſophandum de libero & neceſſario (ait idem ad primum articulum principalem) cùm non opponantur ad invicem, magis quàm naturale & contingens; ideòque voluntas, ut libera, non minùs eſſe poſſit neceſſaria, quàm ignis, ut naturaliter agens, eſſe poſſit contingenter agens, pro quanto poteſt ab agendo impediri.

47 Obſervatione digna eſt ratio iſta Doctoris ſubtilis, in gratiam noſtræ aſſertionis, ſicut & prior illa ratio, quâ probavit neceſſitatem rationalem (quam S. Bernardus ſerm. 81. in cant. poſt Auguſtinum ſuprà relatum *neceſſitatem voluntariam* vocat, ſeu, ut alibi loquitur Auguſtinus, *neceſſitatem non prementem*) ideò non officere libertati, eo quòd ipſa intelligatur cadere ſub voluntate, ſic quòd voluntas, propter firmitatem libertatis ſuæ, ſibi ipſi neceſſitatem illam imponat. Quam etiam rationem Mellifluus Doctor reddit in lib. de grat. & lib. arb. ubi probat, Chriſtum, *ideò in obedientia libero non caruiſſe arbitrio, quoniam quòd non poſſet obedire, non infirma faciebat neceſſitas, ſed firma in bono voluntas, & voluntaria firmitas,*

ſive

sive ut Augustinus lib. de perfect. just. voluntaria felixque necessitas.

48 Et ideò eidem assertioni nostræ novissimè (cum Scotistis, ex hoc principio communiter asserentibus, processionem Spiritûs sancti liberam esse, libertate essentiali) subscribit Antonius Gonzales de Rosende, è Clericis Regularibus Minoribus Catholici Regis Ecclesiastes, Sanctæque & Generalis Inquisitionis in Hispania Qualificator to. 1. de just. origin. disp. 2. per totam, ad idem n. 83. referens Magistrum sententiarum Guillelmum Parisiensem, cum pluribus aliis Antiquis & Modernis.

CAPUT VIII.

Argumenta contraria dissolvuntur.

49 OBjicies 1°. illud Augustini 5. Civit. 10. *Si aliquid est necessarium, non est voluntarium:* non igitur liberum.

Respondeo cum S. Thoma 1. p. q. 82. a. 1. ad 1. *verbum illud Augustini intelligendum de necessario necessitate coactionis*, seu involuntariâ necessitas autem naturalis, seu ex interiori ipsiusmet voluntatis inclinatione procedens, adeòque voluntaria, *non aufert libertatem voluntatis, ut ipse in eodem libro dicit.* De ea itaque necessitate loquitur Augustinus, quam innumeris locis voluntati opponit, signanter epist. 205. l. 29. contra Faustum in fine lib. de fid. cont. Manich. c. 26. in Psal. 103. ubi sic: *Nemo vult quod necesse est.* Et l. 3. de lib. arb. c. 3. ibi: *Si enim necesse est ut velit, unde volet, cùm voluntas non erit?* ubi de ea procul dubio necessitate loquitur, quâ fit aliquid, etsi nolimus; quamque l. 1. op. imperf. cont. Julian. n. 103. necessitatem *prementem*, & 3. lib. arb. 1. *necessitatem dominantem* vocat. De qua & Bernardus de lib. arb. c. 3. *Quod ex necessitate fit, jam non voluntate, & è converso.* Cujusmodi necessitatem fatemur sociam habere non posse libertatem, nec cum eâ necessitate quidpiam magis esse posse liberum, quàm voluntarium; secùs cum necessitate voluntaria. Neque enim voluntaria necessitas magis excludit liberum, quàm voluntarium. Ut enim integro tractatu de libero arbitrio Bernardus inculcat, *ubi voluntas* (ut voluntas) *ibi libertas*, & liberum est omne quod perfectè voluntarium.

50 Objicies 2°. S. Thomas 1. p. q. 41. a. 2. ad 3. videtur retractasse quod suprà asseruit de libertate amoris, quo Deus amat seipsum, & de libera processione Spiritûs sancti: ait enim, quòd *voluntas, in quantum est natura quædam, aliquid naturaliter vult, sicut voluntas hominis naturaliter tendit ad beatitudinem. Et similiter Deus naturaliter vult & amat seipsum... Spiritus autem sanctus procedit ut amor, in quantum Deus amat seipsum, unde naturaliter procedit, quamvis per modum voluntatis procedat.* Respondeo negando antecedens: cùm enim libertas sit natura voluntatis, ly *naturaliter*, in objecto testimonio, non est terminus oppositus libertati in genere, sed cum ea componibilis, prout ipsemet S. Doctor ibidem q. 82. a. 1. ad 1. necessitatem naturalem cum ea componit, cum Augustino dicens, quòd *necessitas naturalis non aufert libertatem voluntatis*, si utique sermo sit de naturalitate, non prout natura est principium distinctum contra voluntatem, ut voluntas, sed prout voluntas, etiam ut voluntas, est natura quædam, sicque intelligitur aliquid naturaliter velle, ut tamen id velit per modum voluntatis, atque adeò voluntariè, voluntario perfecto. Quomodò ly *naturaliter* loco objecto à S. Doctore accipi, ipsemet tenor verborum objectorum manifestat.

Objicies 3°. quinquaginta duo testimonia ejusdem S. Doctoris apud Annatum in disput. quadripart. de inchoata libertate, quorum pleraque refert etiam Antonius Richardus in lib. de lib. arb. In quibus S. Doctor totus est in tradenda definitione libertatis, liberique arbitrii per potentiam ad oppositа, per indifferentiam ad utrumlibet, per exclusionem necessitatis, &c. 51

Respondeo verissimum esse, S. Doctorem locis illis tradere notionem libertatis à necessitate, sed non notionem libertatis in genere: quia (præter libertatem illam à necessitate, seu electionis, indifferentiæ & contingentiæ, locis illis traditam, atque à Catholicis omnibus admittendam, velut ad meritumque & demeritum in statu naturæ lapsæ necessariam) aliis locis (cap. 4. & 5. relatis) aliam cum S. Augustino, aliisque SS. Doctoribus, & Scholasticorum Principibus, admittit libertatem, quæ secum compatitur rationalem voluntariamque necessitatem, quàm Thomistæ non pauci cum Scotistis, vocant libertatem essentialem, estque libertas, non electionis (quæ est de iis quæ utramque in partem accidere possunt, versaturque circa media); sed simplicis volitionis, quæ est de necessariis, nec versatur circa media, sed circa finem. Nam tametsi libertas electionis, sive indifferentiæ & contingentiæ, non sit de fine, sed de mediis, sicut electio ipsa; libertas tamen volitionis, seu essentialis, est de fine, sicut volitio, seu voluntas, ut condistincta ab electione: siquidem volitio & amor finis non servit alteri amori, seu volitioni (uti servit amor mediorum); sed maximè est *gratiâ sui*, maximèque dominans omni alteri amori: ideòque maximè liber. Nec de eo dubium est in via S. Augustini; cui hoc liberum, quod fit *quia volumus*, sive *quia placet*, ut loquitur in Ps. 134. finem enim maximè volumus quia placet. Unde tr. 101. in Joan. de fructu contemplationis, ad quem, tamquam finem, cuncta officia referuntur actionis, dicit, quòd *solus est liber, quoniam propter se appetitur, & non refertur ad aliud. Huic servit actio, ad hunc refertur quidquid benè agitur, &c.* Et 1. Musicæ 2. *Quando* (inquit) *censes aliquam rem præstare, & quasi dominari, an*

cùm propter seipsam, an cùm propter aliud appetitur? quis negat, cùm propter seipsam? Confer alia testimonia, tam Augustini quàm S. Thomæ n. 26. & seqq. relata, aliaque quibus ex utroque illo Ecclesiæ sole, suprà probavimus quòd Deus liberè amat suam bonitatem tamquam voluntatis suæ finem, quòdque & nos liberè amamus felicitatem, quòdque licèt de fine ultimo non sit electio, sed voluntas (ut ait S. Thomas q. 24. verit. ad 20.) *habemus tamen respectu illius liberam voluntatem.*

52 Objicies 4°. Pius V. Gregorius XIII. & Urbanus VIII. damnarunt hanc propositionem trigesimam nonam: *Quod voluntariè sit, etiamsi necessitate fiat, liberè tamen fit.* Item hanc sexagesimam sextam: Sola *violentia repugnat libertati hominis naturali.*

Respondeo propositiones illas (salvâ doctrinâ S. Augustini, aliorumque SS. Doctorum, ac primariorum Scholasticorum superioribus capitibus probatâ) meritissimò ab Ecclesia damnatas esse, vel quatenus ad liberum amplius non requirunt quàm esse voluntarium, & sine violentia; cùm tamen improvisi motus voluntatis, tametsi voluntarii (utpote à voluntate profluentes) & sine violentia, non ideò tamen liberi sint. Vel damnatæ sunt, quatenus procedunt ex falso supposito, quòd sola libertas à peccato sit libertas propriè dicta, libertas verò à necessitate non sit libertas *nisi impropriè & secundùm analogiam*, prout eam vocat Bajus lib. de lib. arb. c. 5. Vel denique damnatæ sunt, quatenus indefinitæ, nec excipientes (prout excipere oportebat) libertatem electivam, ad merendum & demerendum requisitam, in statu naturæ lapsæ, à qua sacræ Litteræ, SS. Patres, & Ecclesia usque adeò volunt abesse necessitatem, id est, determinationem ad unum, non relinquentem potentiam ad oppositum, ut S. Thomas q. 6. de malo hæreticam pronuntiet opinionem, ponentem quòd voluntas hominis ex necessitate, sine coactione tamen, movetur ad aliquid eligendum: *Tollit enim* (inquit) *rationem meriti & demeriti in humanis actibus, &c.* Et Innocentius X. pariter ut hæreticam damnavit hanc propositionem: *Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.* Constat igitur libertatem à necessitate requisitam esse ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ. Assertores verò damnatarum illarum propositionum eam non requisivisse, patet ex collatione earumdem propositionum cum 41. *Is libertatis modus, qui est à necessitate, sub libertatis nomine non reperitur in Scripturis*: in quibus haud dubiè fit mentio libertatis requisitæ ad merendum & demerendum, &c. Necnon cum 5°. *Prava desideria, quibus ratio non consentit, & quæ homo invitus patitur, sunt prohibita præcepto, Non concupisces*, sive sunt *vera legis inobedientia*, ut aiunt propositione quinquagesimâ primâ. Necnon cum 67. *Homo peccat, etiam damnabiliter in eo quod necessariò facit.* Et cum 68. *Infidelitas purè negativa, in his in quibus Christus non est prædicatus* (quique proinde credere in Christum non possunt) *peccatum est.* Ex damnatis itaque propositionibus illis, conficitur quidem, ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ necessariam esse libertatem à necessitate, ampliusque requiri ad liberum, quàm voluntarium sine violentia; sed nihil conficitur contra doctrinam SS. Patrum, primariorumque Doctorum, quòd omne voluntarium perfectum sit verè ac propriè liberum; quòdque proinde necessitas rationalis & voluntaria, quâ Deus amat seipsum, vel Christus & beati diligunt Deum, sit componibilis cum vera proprièque dictâ libertate dicti amoris ac dilectionis; tametsi non cum electiva (de qua mentio fit in sactis Litteris) nec proinde cum libertate requisita ad meritum & demeritum hominis lapsi.

Dico *ad meritum & demeritum hominis lapsi*, 53
sive *in statu naturæ lapsæ*, uti habet propositio illa per Innocentium X. damnata: ut pateat ex ipso tenore damnatæ illius propositionis, damnationem ipsius non præjudiciare doctrinæ S. Thomæ n. 27. laudatæ, quòd, etiamsi liberum arbitrium Christi non potuerit non diligere Deum, tamen ex hoc non amiserit libertatem, aut rationem laudis, sive meriti in illa dilectione, quòdque proinde, cum necessitate rationali & voluntaria, steterit in Christo libertas sufficiens ad meritum. Quæ etiam fuit sententia S. Bonaventuræ in 3. dist. 12. & dist. 18. q. 2. Richardi de media Villa in 3. dist. 10. a. 2. q. 1. ad 2. Thomæ de Argentina in 3. dist. 12. & dist. 18. a. 3. Marsilii in 3. q. 12. a. 2. Damnatio quippe illius propositionis solùm præjudiciat opinioni cum necessitate componenti meritum in statu naturæ lapsæ, in quo non fuit Christus.

Ex hoc verò quòd probabile sit, actum ne- 54
cessarium necessitate rationali & voluntariâ fuisse meritorium in Christo, conficitur probabilitas opinionis, quæ ponit necessitatem rationalem actus, ex natura rei non obstare merito hominis lapsi, sed ex positivo decreto Dei dumtaxat. Aliàs tam obstaret merito Christi, quàm hominis lapsi: cùm necessaria ex natura rei tam habuerint locum in Christo, quàm in homine lapso.

Proinde quod S. Thomas laudatâ q. 6. de 55
malo dicit: *Non enim videtur esse meritorium, quod aliquis sic ex necessitate agit, quòd vitare non potest*: non continet rationem universalem, pro omni statu, ut patet ex allata ipsius doctrina de Christo; sed pro statu naturæ vertibilis ad malum. In quo indifferentia non est conditio ad meritum ex parte actus essentialiter requisita, sed accidentaliter, ex sola extrinseca voluntate Dei, quem ex allata Ecclesiæ declaratione scimus sic disposuisse, pro statu naturæ lapsæ, non pro omni omninò statu. Sic etiam id quod S. Doctor allegat ibidem de præcepto, non procedit pro omni statu, si-

quidem actus necessarius necessitate rationali in Christo cadit sub præcepto legis naturalis, quâ Christus adstrictus fuit ad Deum in omni actu suo diligendum, quod non facere non potuit.

56 Objicies ultimò, de iis non est libertas, nec liberum arbitrium, de quibus non est deliberatio. Sed deliberatio non est de iis ad quæ voluntas ex necessitate movetur, sed solùm de iis quæ potest velle & non velle. Ergo.

Respondeo primò deliberationem posse dupliciter accipi: vel strictè, pro ratione ex prævia dubitatione discutiente, & velut ad stateram appendente hinc & inde rationes, quæ voluntatem ad volendum movere possunt, vel à volendo removere, ut fit in homine: vel pro ratione, absque prævia dubitatione & consultativa inquisitione, subitò acceptante unam partem præ altera pariter acceptabili, ut fit in Angelis. Vel latè, pro quacumque ratione dirigente & regulante judicium, sive Dei, sive Angeli, sive hominis. Quomodò omne voluntarium perfectum in Deo, Angelo & homine dici potest deliberatum; & actus humanus à S. Thoma 1. 2. q. 1. ad 1. definitur *actus qui à voluntate deliberata procedit*, sive *ex deliberatione rationis*, ut ait ad 3. Tametsi ergo libertas non sit, nisi de iis de quibus est deliberatio, vel strictè vel latè sumpta; nec libertas electionis, seu indifferentiæ, sit nisi de iis, de quibus est deliberatio strictè accepta: libertas tamen simplicis volitionis, seu essentialis, de iis est, de quibus non est deliberatio strictè, sed latè accepta: cùm de iis sit, quæ non judicamus judicio discussionis, vel examinationis, sed naturaliter approbamus, ut docet S. Thomas proximè referendus.

Respondeo secundò, cum eodem S. Doctore in qq. disput. q. 29. de grat. Christi a. 8. ad 1. *Quòd deliberatio duo importat, scilicet perceptionem rationis cum certitudine judicii, de eo de quo fit deliberatio... Et sic fuit in Christo. Potest etiam dicere discussionem*, sive inquisitionem: & sic importat discursum quendam. Unde non potest esse in instanti. Et tali deliberatione Christus non indigebat, quia non erat ipsi dubitatio de agendis. Talis proinde deliberatio non est de ratione libertatis universim, utpote sine qua libertas fuit in Christo.

CAPUT IX.

Tametsi non omnis vera libertas, sit libertas à necessitate; libertas tamen à necessitate, seu electionis, & indifferentiæ, necessaria est ad merendum & demerendum, in statu naturæ lapsæ, nec ad hoc satis est libertas à coactione.

57 Est de fide, satisque probatum manet ex dictis num. 52.

CAPUT X.

Ad libertatem indifferentiæ, necessariam ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ, requiritur potestas agendi vel non agendi, &c. non tamen componendi non actionem cum omnibus ad agendum requisitis.

58 UNicum quippe fundamentum Authorum id requirentium, est fabricata ab ipsis definitio libertatis indifferentiæ: *Causa libera, libertate indifferentiæ, est quæ positis omnibus ad agendum requisitis, cum iis tam componere potest non actionem, quàm actionem.* Verùm etsi libertas indifferentiæ, quæ à S. Thoma 1. p. q. 83. a. 4. definitur *facultas electiva*, sit facultas seu potentia ad agendum, simul & non agendum; ad eamque necesse sit, potentiam ad non agendum illæsam permanere, etiam sub omnibus prærequisitis ad agendum: ad eam non ideò necessaria est potentia componendi non actionem cum omnibus prærequisitis ad agendum. Stat enim potentiam non agendi illæsam permanere sub omnibus prærequisitis ad agendum, cum iisque componi; tametsi cum iis non componatur non actio: Sicut stat prædestinatum, sub decreto Dei ipsum prædestinante, posse damnari, potentiamque istam cum eo decreto componi, tametsi cum eo non componatur actualis damnatio ipsius. Ad facultatem verò electivam, atque adeò ad libertatem indifferentiæ, sufficit potentiam ad non agendum illæsam permanere, simulque stare & componi cum omnibus requisitis ad agendum, tametsi non actio cum iis non componatur: cùm hoc ipso verificetur facultas electiva, *quòd possumus unum recipere, alio recusato*, ut docet S. Thomas loco citato a. 3.

59 Rejicienda proinde est illa definitio: quia nova. Teste namque invicto illo gratiæ per se efficacis coram SS. Pontificibus Pugile, Thoma de Lemos, in sua Panoplia gratiæ to. 3. l. 3. tr. 2. c. 3. n. 29. primarii Patroni illius, Molina & Suarez, eam non ex Aristotele, aut doctrinâ ejus, non ex Augustino, & SS. Patribus, non ex Magistro sententiarum, S. Thoma, aut Doctore ex gravioribus, sed ex Almaino in suis Moralibus didicerunt, & ex Holcot in 1. q. 3. a. 2. Ante quos nullum ex Antiquioribus proferunt, nec proferre possunt. Nullum certè ipsis antiquiorem Molinæ sequaces hactenus exhibere potuerunt, nec verificare, quod suis in Thesibus non semel asseruerunt, quòd utique libertatem, illâ ipsorum definitione comprehensam, " Aristoteles cum " Peripateticis, D. Thomas cum Theologis, S. " Augustinus cum Patribus, Traditio cum Scrip- " turis, Pontifices Romani cum Conciliis tradi- " derunt. " Tametsi enim tradiderint libertatem electivam, explicatam & definitam per potentiam agendi & non agendi, vel opposita agendi; non magis inde consequens est, Aristotelem cum Peripateticis, D. Thomam cum Theologis, S. Augustinum cum Patribus, &c. tradidisse libertatem electivam, explicatam per potentiam componendi non actionem cum omnibus prærequisitis ad agendum, quàm Doctores & Authores omnes Catholicos, etiam

Thomistas, & omnes gratiæ per se efficacis defensores libertatem electivam sic explicatam & definitam tradere, ex eo quòd libertatem electivam tradant & admittant, eandemque explicent per potentiam agendi & non agendi, vel opposita agendi. Quam explicationem, licèt Catholici omnes libentissimè admittant; omnes tamen gratiæ per se efficacis defensores, cum Thomistis, imò cum Scripturis, Conciliis, Pontificibus, Patribus n. 62. referendis negant libertatem electivam consistere in potentia componendi non actionem cum omnibus prærequisitis ad agendum, & graviſſimas ob rationes negant, quarum nonnullas subjicimus.

60 Prima ratio, contra novam illam Recentiorum definitionem, est quia videtur manifestè repugnare rationi libertatis electivæ, quam S. Thomas & Aristoteles tradiderunt, eâque admissâ sequeretur, eundem S. Thomam & Aristotelem, sustulisse electivam libertatem, prout multis ostendimus to. 1. de Deo dist. 8. q. 5. a. 8.

61 Secunda ratio est, quia eadem definitio à Christo & beatis eliminat omnem electivam libertatem. Ut enim c. 5. monstravimus, nihil in substantia, nihil in circumstantia ulla Christus in terris elegit, vel eligere potuit; nihil beati in cælis, nisi prædictatum à consulto speculo divinæ voluntatis, præcipientis vel consulentis. Una proinde ex conditionibus requisitis ad agendum, in Christo & beatis, fuit & est dictamen illud, & speculum consultum divinæ voluntatis, præcipientis vel consulentis. Cùm igitur Christus (utpote impeccabilis & moraliter indefectibilis) non potuerit; nec beati (ob eandem rationem) possint componere non actum cum divina voluntate præcipiente vel consulente actum (si enim hoc possent, possent peccare, vel moralem defectum admittere) in Christo non fuit, nec in beatis est potentia componendi actum cum omnibus prærequisitis ad actum, nec proinde libertas electiva, si legitima sit definitio illa. Vide de hoc argumento plura to. 1. dist. 9. q. 3. n. 342. & seqq.

62 Tertia ratio est, quia pariter eliminat libertatem electivam à nobis viatoribus, sub gratia efficaci, qualem nobis deprædicant Scripturæ, Concilia, Pontifices, Patres. Deprædicant enim gratiam per se antecedenter efficacem, efficaciâque suâ antecedente invincibiliter infrustrabiliterque donantem, atque in nobis operantem actum ad quem datur; deprædicant pariter ejusdem gratiæ ad singulos actus salutares necessitatem (uti lib. 9. Deo dante monstrabimus) quæque proinde sit unum è prærequisitis ad quemlibet actum salutarem. Perspicuum est autem, cum gratia per se antecedenter efficaci, invincibiliterque & infrustrabiliter in nobis operante salutarem actum, componi non posse non actum (aliàs gratia illa per se foret invincibilis & infrustrabilis, sive in nobis invincibiliter infrustrabiliterque operans actum & non foret): igitur perspicuum est, libertatem electivam componi non posse cum gratia efficaci, qualem nobis deprædicant Scripturæ, Concilia, Pontifices, Patres, si de ratione ac definitione illius sit potentia componendi non actum cum omnibus prærequisitis ad actum. Igitur definitio illa eliminat à nobis viatoribus libertatem sub gratia efficaci, qualem nobis deprædicant Scripturæ, Concilia, Pontifices, &c. Nec proinde Scripturæ, Concilia, Pontifices, Patres patrocinantur, sed advertantur definitioni illi.

Quarta ratio est, quia definitio illa infert 63
propositionem à Sixto IV. damnatam, videlicet: *Quod ex inimpedibili per necessariam sequitur consequentiam, hoc inimpedibile ac necessarium est.* Ex ea namque definitione sequitur, actum per necessariam consequentiam consequentem decretum Dei, per se antecedenter efficax, à creaturaque inimpedibile, necessarium esse, non à necessitate liberum: cùm non actus componi nequeat cum ejusmodi decreto de actu. Sequitur ergo propositio illa damnata. De qua videri possunt quæ dixi to. 1. de Deo dist. 9. n. 36.

Ultima ratio est, quia sine potentia compo- 64
nendi non actum, cum omnibus prærequisitis ad actum, verificatur totum quod Scriptura, Traditio, Concilia, Pontifices, Patres, tradunt de libertate electiva. Verificatur enim sub prærequisitis illis potentia agendi & non agendi: ut enim potentia non agendi verificetur sub omnibus prærequisitis ad agendum, potentia quidem non agendi componi debet cum omnibus prærequisitis ad agendum; sed necesse non est quòd actus istius potentiæ, seu ipsa non actio cum iis componatur, componive possit. In eo verò quòd potentia non agendi componatur cum omnibus ad agendum prærequisitis, tametsi actus istius potentiæ, seu ipsa non actio, cum iis nec componatur, nec componi possit, nulla major est contradictio, quàm sit in eo quòd potentia finaliter peccandi componatur cum perseverantiæ dono, tametsi cum eo finale peccatum, nec componatur, nec componi possit. Item nulla in eo contradictio major, quàm sit in eo quòd potentia se damnandi componatur cum prædestinatione alicujus ad gloriam, tametsi actualis damnatio ipsius cum ea non componatur, nec componi possit. Denique in eo nulla contradictio major, quàm sit in eo quòd Deus per voluntatem suam, per se antecedenter efficacem, infallibiliter præservare velit aliquem à defectu, non reddendo tamen ipsum indefectibilem: quæ duo non minùs compossibilia sunt, quàm quòd Deus, per infallibilem suæ providentiæ ordinem, velit lampadem aliquam præservare ab extinctione, non reddendo tamen ipsam inextinguibilem. Quo casu extinguibilitas & defectibilitas componitur cum tali providentiæ ordine, divinaque voluntate, tametsi actualis extinctio & defectus cum ea non componatur.

Et per hunc modum Deus agit cum iis, 66

quos per dispositionem suæ voluntatis, specialemque suæ providentiæ ordinem, per se antecedenter efficacem, vult ad se efficaciter convertere, vult bonum agere, &c. sic enim omnia disponit, sic voluntatem ad agendum movet, ut quamvis eam à defectu infallibiliter præservet, non tamen indefectibilem reddat; sed, relictâ ipsi suâ intrinsecâ & absolutâ defectibilitate, solùm impedit, ne ipsa in actum, sive in actualem deficientiam prorumpat, juxta illud Augustini l. de corrept. & gratia c. 12. *Subventum est igitur infirmitati humanæ ut divinâ gratiâ infallibiliter & insuperabiliter ageretur; & ideò, quamvis infirma* (id est, defectibilis, seu potens deficere) *non tamen deficeret, neque adversitate aliquâ vinceretur.* Ad quem locum Scholiastæ Lovanienses in annotationibus suis: „ Non sentit (inquiunt) Au-
„ gustinus electos à via recta declinare, & supe-
„ rari à tentatione non posse, sed tam potentem
„ eis dari gratiam, ut, quamvis infirmi & im-
„ becilles, tamen nec declinent nec superentur
„ de facto, ut non negata peccandi potentia, sed
„ eventus tantummodò significetur, id quod ver-
„ ba illa satis indicant, *& ideò, quamvis infir-*
„ *ma*, &c. Ecce quomodò Deus, secundùm Augustinum, per gratiam efficacem infallibiliter impedit actualem humanæ voluntatis defectum, illæsâ nec impeditâ deficiendi potentiâ. Idem clariùs adhuc exprimit Prosper (Augustini discipulus) vel quisquis est Author libri de vocatione Gentium l. 2. c. 2. *Deus ad obediendum sibi ipsum velle sic donat* (utique insuperabiliter, prout Augustinus expressit) *ut etiam à perseveraturis, illam mutabilitatem, quâ potest nolle, non auferat.*

67 Denique S. Thomas præmissa omnia mirificè illustrat, clarissimèque confirmat q. 23. verit. a. 5. ubi imprimis ostendit, voluntatem Dei, licèt per se agens fortissimum, potiùs esse causativam firmativamque, quàm eversivam libertatis actuum volitorum, eo quòd vi & efficaciâ ipsius non solùm infallibiliter sequantur effectus, quos esse vult, sed etiam eo modo quo eos esse vult, quòdque adeò effectus, quos esse vult liberos, vi & efficaciâ ipsius sequantur infallibiliter, cum suo modo libertatis, atque adeò sic ut possint non sequi, potentiâ antecedenti, tametsi non possint non sequi potentiâ consequenti: quia (inquit) *voluntas divina est agens fortissimum, oportet ejus effectum ei omnibus modis assimilari, ut non solùm fiat quod Deus vult fieri, sed ut eo modo fiat quo vult fieri, ut necessariò vel contingenter.... & sic non dicimus, quòd aliqui divinorum effectuum sint contingentes solummodò propter contingentiam causarum secundarum, sed magis propter dispositionem divinæ voluntatis.* Deinde ad 5. explicat, uti nos suprà, quomodò benè stet voluntatem hominis posse (potentiâ antecedenti) non ponere effectum à Deo efficaciter volitum, efficaciâ antedictâ, tametsi cum voluntate Dei, taliter efficaci, non stet effectum illum non poni de facto: *Quamvis* (inquit) *non esse effectus divinæ voluntatis non possit* (potentiâ consequenti, seu actuandâ) *simul stare cum divina voluntate; tamen potentia deficiendi effectum, simul stat cum divina voluntate. Non enim sunt illa incompossibilia, Deus vult istum salvari, & iste potest damnari; sed ista sunt incompossibilia, Deus vult istum salvari, & iste damnatur.* Quia scilicet Deus non vult ipsum salvari utcumque, sed vult ipsum salvari liberè, atque adeò cum potentia in oppositum, ac per consequens ex vi efficaciaque divinæ voluntatis utrumque infallibiliter sequitur. *Cùm enim causa fuerit efficax ad agendum* (ait rursum 1. p. q. 19. a. 8.) *effectus consequitur causam, non tantum secundùm id quod fit, sed etiam secundùm modum fiendi vel essendi... Cùm igitur voluntas divina sit efficacissima, non solùm sequitur quòd fiant ea quæ Deus vult fieri, sed quòd eo modo fiant, quo Deus ea fieri vult, &c.* Nec libertati contingentiæque effectuum, quos divina voluntas vult fieri liberè & contingenter, obstat quòd divinæ voluntati humana voluntas nequeat resistere (juxta illud Rom. 9. *Voluntati ejus quis resistit?*) Ut enim angelicè respondet ad 2. *Ex hoc ipso, quòd nihil voluntati divinæ resistit, sequitur quòd non solùm fiant ea quæ Deus vult fieri, sed quòd fiant contingenter*, id est, cum potentia in oppositum, *vel necessariò quæ sic fieri vult.* Et ne putetur agere de divina voluntate, solùm irresistibili, seu inimpedibili, & efficaci ex suppositione consequente, non ex suppositione antecedente humanam voluntatem; contrarium apertè declarat in responsione ad 3. ubi cùm sibi objecisset hoc argumentum: *Illud quod habet necessitatem ex priori, est necessarium absolutè... sed res creatæ à Deo, comparantur ad voluntatem divinam, sicut ad aliquid prius, à quo habent necessitatem* (*cùm hæc conditionalis sit vera, si aliquid Deus vult, illud est, omnis autem conditionalis vera est necessaria*): *sequitur ergo quòd omne quod Deus vult, sit necessarium absolutè.* Respondet, concedendo, quòd res creatæ comparantur ad voluntatem divinam, sicut ad aliquid prius, à quo habent necessitatem; negando verò quòd ex illo priori habeant necessitatem absolutam: *quia posteriora habent necessitatem à prioribus, secundùm modum priorum. Unde & ea quæ fiunt à voluntate divina, talem necessitatem habent, qualem Deus vult ea habere, vel absolutam, vel conditionalem tantùm. Et sic non omnia sunt necessaria absolutè.*

Aliarum objectionum solutionem vide to. 1. 68
de Deo distinct. 9. q. 3. à n. 36. ad 372. & distinct. 11. n. 252. & seqq. Quia verò præcipua est, quòd ad impossibile non datur potentia. Cùm igitur impossibile sit, voluntatem hominis non agere id, ad quod agendum à Deo movetur per motionem seu dispositionem per se antecedenter efficacem; ad id non agendum non est in voluntatis hominis potentia, nec proinde agendi libertas, sed necessitas. Ne istud quidem argumentum omisit Angelicus Doctor,

ſed illud ſibi objecit 1. 2. q. 10. a. 4. in tertio argumento, cujus hæc verba ſunt: *Poſſibile eſt, quo poſito non ſequitur impoſſibile. Sequitur autem impoſſibile, ſi ponatur quòd voluntas non velit hoc, ad quod Deus eam movet* (quia ſecundùm hoc operatio Dei eſſet ineffícax): *non eſt ergo poſſibile, voluntatem non velle hoc, ad quod Deus eam movet: ergo neceſſe eſt eam hoc velle.* Ad quod reſpondet ut ſequitur: *ad 3. dicendum quòd ſi Deus movet voluntatem ad aliquid, impoſſibile eſt poni* (id eſt, cum eo componi) *quòd voluntas ad illud non moveatur. Non tamen eſt impoſſibile ſimpliciter. Unde non ſequitur quòd voluntas à Deo ex neceſſitate moveatur.* Quare non eſt impoſſibile ſimpliciter? quia Deus vult illæſam permanere potentiam abſolutam, ſeu antecedentem voluntatis in oppoſitum, ſolùmque impedire vult, ne potentia iſta de facto in oppoſitum actum, ſive in non velle prorumpat. Actus itaque iſtius potentiæ, ſeu non volitio, ſolùm eſt impoſſibilis ſecundùm quid, in quantum incomponibilis cum efficaci voluntate, quâ Deus vult eſſe volitionem; non verò impoſſibilis abſolutè: cùm eâdem illâ voluntate Deus velit eſſe poſſibilem, ſolùmque impediat ne iſta poſſibilitas exeat in actum. Et ideò actus iſtius potentiæ, ſeu non volitio, ſolùm eſt impoſſibilis ſecundùm quid, in quantum incomponibilis cum efficaci voluntate, quâ Deus vult ut humana voluntas velit; non verò impoſſibilis abſolutè: quia efficaci illâ voluntate Deus vult eſſe abſolutè poſſibilem, non impoſſibilem, ſolùm impediens actualem ipſius exiſtentiam. Neque enim vult humanam voluntatem velle quomodocumque, ſed liberè, & cum potentia, adeòque poſſibilitate in oppoſitum.

69 Et hoc eſt quod ſibi volunt Thomiſtæ, cùm aiunt, Deo per ſe efficaciter (efficaciâ antecedenti) volente ut voluntas hominis velit, non volitionem ſolùm eſſe impoſſibilem in ſenſu compoſito, non in ſenſu diviſo. Quòdque vulgata definitio cauſæ electivè liberæ, cauſa libera eſt, *quæ poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis, poteſt agere & non agere*, intelligenda non ſit in ſenſu compoſito, ſed in ſenſu diviſo. Non quidem in ſenſu diviſo, quo potentia ad non agendum dividatur à prærequiſitis ad agendum (uti ſenſum diviſum Thomiſtarum perperàm exponunt ſectatores Molinæ, Thomiſtis imponentes quod non dicunt) ſed quo potentia ad non agendum dividatur à ſuo actu, ſive à non actione: ita ut non actio, ſeu actionis omiſſio, numquam componatur cum omnibus ad agendum prærequiſitis.

70 Eundem ſenſum habet, quod aiunt, cauſam electivè liberam, ſub omnibus ad agendum prærequiſitis, poſſe non agere, potentiâ antecedenti; ſecùs potentiâ conſequenti. Potentia quippe illa antecedens, eſt potentia diviſa ab actu ſuo; potentia verò conſequens, eſt potentia cum actu ſuo conjuncta, ſive potentia actuata.

71 Atque hoc, ſimilive modo, de electiva libertate philoſophantur, qui pro ipſius definitione primò non conſulunt Philoſophiam, ſed Scripturam, Traditionem, Concilia, Pontifices, Patres, eorumque documentis accommodant definitionem libertatis. Iſtud utique munus eſt Philoſophi ac Theologi Chriſtiani; cujus non ſatis memores fuiſſe videntur Authores definitionis, quam toto hoc capite confutavimus. Si enim primò conſuluiſſent Scripturam, Traditionem, Concilia, Pontifices, Patres, ſeu Spiritum ſanctum in iis loquentem, non fabricaſſent philoſophicam libertatis definitionem, allatis Scripturæ, Eccleſiæ & Patrum de voluntate Dei, libertate Chriſti & beatorum, &c. documentis parum conſonam; ubi nos per omnia conſonam tradimus; aliter tamen (cum ſanctis Doctoribus) philoſophantes de libertate viatorum, ſub decreto Dei per ſe antecedenter efficaci; aliter de libertate Chriſti & beatorum ſub præcepto vel conſilio Dei. Iſta namque libertas (utpote non ſolùm impeccabilis, ſed & moraliter indefectibilis, ſeu incapax moralis imperfectionis) non conſiſtit in poteſtate omittendi actum, divinâ ſibi voluntate præceptum vel conſultum, ſive in ſenſu compoſito præcepti, vel conſilii, ſive in ſenſu diviſo; quaſi potentiam habeant omittendi actum, divinâ ſibi voluntate præceptum, vel conſultum, ſed potentiam à ſuo actu diviſam (aliàs haberent potentiam peccandi, vel moralem imperfectionem admittendi, à ſuo ſaltem actu diviſam); vel quaſi potentiam habeant dividendi à ſe divinum præceptum vel conſilium, cùm voluntas ipſorum, utpote ſecunda in eſſendo, abſque peccato vel imperfectione eſſe nequeat prima in eligendo, nec proinde non poſſit non eſſe pediſſequa divinæ voluntatis, præcipientis vel conſulentis; nec poſſit velle quidquam, niſi prædictatum à conſulto divinæ voluntatis præcipientis vel conſulentis ſpeculo, ut ſuprà vidimus. Libertas proinde ipſorum (utpote ſolùm electiva, *ſervato ordine finis*, cumque ſubordinatione ad divinam voluntatem, ut antè) ſolùm conſiſtere poteſt in poteſtate omittendi actum divinâ ſibi voluntate dictatum, ſecundùm ſe ſpectatum, præſcindendo à divina voluntate ipſum præcipiente, vel conſulente; quæ cùm intrinſecè non attingat, nec immutet naturam iſtius actus, nec det ipſi intrinſecam eſſentialemque connexionem cum fine (ad cujus amorem beati ſic neceſſitantur, ut nihil eligere queant, niſi ſervato ordine illius) non neceſſitat voluntatem Chriſti & beatorum, ad ponendum actum illum ſecundùm ſe ſpectatum.

Libertas verò electiva viatorum, ſub de- 72
creto Dei, per ſe antecedenter efficaci (de gratia ſileo, uti jubet Eccleſia) cùm non ſit impeccabilis nec moraliter indefectibilis, eſt quidem cum potentia deficiendi, ſeu omittendi actum, à Deo voluntate per ſe antecedenter efficaci volitum, ſed in ſenſu diviſo n. 69. explicato, non in ſenſu compoſito. Quia vi & efficaciâ iſtius divinæ voluntatis, ſeu decreti,

voluntas

voluntas hominis infallibiliter agitur, ne de facto deficiat, tametsi deficere possit, ut suprà explicatum est.

CAPUT XI.

Non omne voluntarium perfectum, liberum est libertate electionis, seu indifferentiæ; tametsi liberum sit, libertate propriè dictâ, vel scilicet libertate electionis, vel libertate simplicis volitionis, seu essentiali.

73 QUòd non omne voluntarium perfectum, liberum sit libertate electionis, seu indifferentiæ, patet in amore, quo se Deus amat, & in amore quo Christus, & beati Deum beatificè diligunt.

74 Quòd autem omne voluntarium perfectum, liberum sit, libertate propriè dictâ, vel scilicet electionis, vel simplicis volitionis, &c. (quam esse veram propriamque libertatem, constat ex dictis à cap. 2. ad 9.) probatur primò ex S. Augustino, cujus tam constans sententia est, ut nihil in ipso decantatius. Libro namque 2. de grat. & lib. arb. c. 15. dicit, quòd *semper est in nobis voluntas libera*, quando scilicet agit ut voluntas, id est, ex dictamine ductuque rationis. Qualiter agit, quandocumque agit voluntariè, voluntario perfecto. Omne proinde voluntarium perfectum est liberum. *Si enim liberum non est, non est voluntas* (ait l. de duab. animab. c. 11.) sive non est voluntarium. Eadem communis est aliorum Patrum sententia, ut proximè videbimus.

75 2°. Probatur ratione, quam idem Augustinus tradit in locis n. 16. relatis: quidquid in nostra est potestate, nobis verè & propriè est liberum. Atqui omne voluntarium perfectum in nostra est potestate, *quia nihil tam in potestate nostra, quàm voluntas nostra.* L. 3. de lib. arb. c. 3. Quòd autem nobis liberum sit, omne quod in nostra est potestate, probat Augustinus ibidem, *quia non aliud quidquam est in potestate nostra, nisi quod volentibus adest. Voluntas igitur nostra, nec voluntas esset, nisi esset in nostra potestate. Porrò quia est in voluntate nostra, libera est nobis. Non enim est nobis liberum, quod in potestate non habemus, aut potest non esse, quod habemus.*

76 Hanc rationem, non ex solo Augustino, sed ex communi Patrum doctrina esse depromptam, patet ex dictis citato n. 16. Et ideò dixi suprà, assertionem nostram, communem esse SS. Patrum sententiam. Siquidem Patres *liberum arbitrium voluntatem esse definierunt*, ait Damascenus l. 2. orthod. fid. c. 14. voluntatem utique rationalem. Sequitur enim: *nam si rationis particeps est, utique & libera.* Unde ad præcidendam omnem tergiversationem, seu tergiversationis ansam, ibidem addit quòd *arbitrii libertas, nihil est aliud quàm* proximè explicata *voluntas*; sicut & ipsa eadem voluntas, nihil aliud est, quàm *mentis imperatricis liber motus.*

Consonant Anselmus de casu diab. c. 5. *Velle nemo potest invitus: quia nemo potest velle, nolens velle: nam omnis volens, ipsum suum velle vult... quomodò itaque non est libera voluntas, quam aliena potestas, sine suo consensu subjicere non potest?* Et S. Bernardus l. de grat. & lib. arb. *Quod ex voluntate, jam non ex necessitate* (involuntariâ utique) *sed voluntarium. Si autem voluntarium, & liberum. Nam ubi consensus, ibi & libertas. Et hoc est quod puto dici liberum arbitrium. Ipsam enim voluntatem, quia impossibile est de seipsa sibi non obedire, etiam impossibile est suâ privari libertate.* Et Hugo de S. Victore in Sum. sent. tr. 2. c. 4. & tr. 3. c. 8. & 9. *Liberum arbitrium ex eo dicitur, quia est voluntarium. Nam ex quo voluntas est, libertas est. Quia voluntatis est libertas. Ubi non est libertas, nec voluntas.* 77

3°. Aliâ adhuc ratione, si tamen aliâ, idipsum probatur: quia id omne nobis verè ac propriè liberum est, cujus domini sumus, ut omnes fatentur. Sed domini sumus omnium actuum perfectè voluntariorum: quia omnis actus perfectè voluntarius, ab homine est per rationem & voluntatem. *Est autem homo dominus suorum actuum, per rationem & voluntatem: unde & liberum arbitrium esse dicitur facultas rationis & voluntatis.* S. Thomas 1. 2. q. 1. a. 1. Enimverò omnis actus exterior, cui per rationem & voluntatem damus esse, eo ipso sub nostro est dominio ac potestate. Igitur & omnis actus interior. 78

Et confirmatur 1°. Quia omne agens ex voluntario perfecto, agit per formam, quæ est ab ipso agente per formam, per judicium scilicet imperiumque rationis, quod non est sibi ab alio impressum, nec naturaliter inditum, sed à seipso per dictamen rationis profectum. Omne verò agens per formam, quæ est ab ipso agente per formam, est dominus suæ actionis, juxta illud ejusdem S. Thomæ 2. contra Gent. 47. *Oportet quòd secundùm modum formæ, sit modus operationis consequentis formam... Forma igitur, quæ non est ab ipso agente per formam, causat operationem, cujus agens non est dominus. Siqua igitur fuerit forma, quæ sit ab eo, qui per ipsam operatur, etiam consequentis operationis dominium habebit.* 79

Confirmatur 2°. Quia domini sumus omnium actuum nostrorum propriè humanorum. Sed omnes actus nostri perfectè voluntarii propriè sunt humani. Ergo domini sumus omnium actuum nostrorum perfectè voluntariorum. Minor constat ex dictis cap. 1. Major est expressa. S. Thomas 1. 2. q. 1. a. 1. ubi sic: *Actionum quæ ab homine fiunt, illæ solæ propriè dicuntur humanæ, quæ sunt propriæ hominis, in quantum est homo. Differt autem homo ab aliis irrationabilibus creaturis, in hoc quòd est suorum actuum dominus. Unde illæ solæ actiones vocantur propriè humanæ, quarum homo est dominus, per rationem scilicet & voluntatem,* uti explicat ibidem. 80

Confirmatur 3°. Quia siquid obstaret do- 81

minio voluntatis in omnes actus perfectè voluntarios, foret, quia ad dominium voluntatis in actus suos, elicitos vel imperatos, necessaria foret libertas electionis, seu indifferentiæ. At ista non requiritur, ut pluribus ostensum est cap. 3. & seqq. Nihil igitur obstat.

LIBER TERTIUS.

Amor Moralis.

MOralitas omnis ex amore petitur, uti proximè videbitur. Amoris proinde moralitas, morum omnium, seu actuum omnium humanorum moralitatem, seu bonitatem malitiamque complectitur. Enimverò quid moralitas est, nisi liberi actus ad regulam suam ordinatio, vel inordinatio? Quænam verò universalis est actuum omnium liberorum regula, nisi lex æterna, quæ regularum est regula, à qua cæteræ regulæ habent, & sine qua non habent vim regulandi? Lex porrò æterna per sacram nobis Scripturam proponitur, per rationemque & conscientiam nobis applicatur. *Non præcipit autem Scriptura, nisi charitatem, nec culpat nisi cupiditatem, & eo modo informat mores hominum*, ut Augustinus dicit l. 3. doctr. christ. c. 10. Regula proinde amoris, morum omnium bonorum malorumque, regula est. Quisquis igitur mores vult componere, amorem suum debet ordinare. *Ille enim justè sanctèque vivit, qui ordinem servat in dilectione, ne aliquid diligat, quod non sit diligendum, aut non diligat, quod diligendum est, aut ampliùs diligat, quod minùs diligendum est, aut æquè diligat, quod vel minùs vel ampliùs diligendum est, aut minùs vel ampliùs, quod æquè diligi debet.* Card. Bona princip. vit. christ. §. 38.

CAPUT I.

Moralitatis descriptio.

1 DE bonis malisque moribus tractaturi, à sterilibus abstinebimus quæstionibus, quibus plerique Moralium tractatores adeò paginas implent, ut non doceant vivere, sed disputare, potiùsque tradant principia sterilis Metaphysicæ, quàm vitæ christianæ. Quod ut caveamus, solas illas explicabimus difficultates, quæ prodesse possunt ad Christiani hominis institutionem, ad cupiditatis destructionem, ad charitatis ædificationem. Hunc in finem, ante omnia scire operæ pretium est, quid sit amor, seu actus moralis.

2 Actus itaque moralis, nihil aliud est, nisi actus liber, cum ordine ad regulas morum. Ut enim S. Thomas ait 1. 2. q. 18. a. 5. dicuntur *aliqui actus morales, secundùm quod sunt à ratione*, id est, secundùm ordinem ad regulas rationis. Quibus si actus sit conformis, est moraliter bonus; si difformis, est moraliter malus. Moralitas proinde nihil aliud est, nisi liberi actus ordo ad rectæ rationis regulas, maximè ad legem Dei æternam, quæ (ut dixi ante caput primum) regularum regula est. Quam ob causam, sicut actus malus, seu peccatum ab Augustino & Doctoribus passim, definitur: *dictum, factum vel concupitum contra legem Dei æternam*, id est, actus legi Dei æternæ difformis; sic actus bonus, ex adverso, benè definitur: *dictum, factum vel concupitum secundùm legem Dei æternam*, seu actus isti legi conformis. Per consequens, actus moralis in genere, rectè definitur: *actus liber, dicens ordinem ad legem Dei æternam.*

Actus (inquam) liber. Quia, ut S. Tho- 3
mas ait a. 9. actus voluntatis, *si non procedat à ratione deliberata, propriè loquendo moralis non est.* Lex quippe æterna, cæteræque rationis regulæ, libertatem in operante supponunt. Nec enim libertate destitutis præscribuntur. Ideò & nos de libertate egimus, priusquàm de moralitate.

CAPUT II.

Tametsi alii sint affectus in homine, omnes tamen ex amore velut fonte procedunt. Et ideò omnis moralitas cæterorum affectuum, actuumque, ex amoris moralitate petitur, sive ex ordinatione vel inordinatione ipsius ad legem æternam.

VEritatem hanc perspicuè tradit Augusti- 4
nus epist. 54. dicens: *Non faciunt bonos vel malos mores, nisi boni vel mali amores.* Quod si verum est de bonis malisque moribus, verum est & de indifferentibus, siqui dentur: si enim non faciunt bonos vel malos mores, nisi boni vel mali amores; similiter non faciunt mores indifferentes, nisi indifferentes amores. Quia, ut Augustinus prosequitur, *mores nostri, non ex eo quod quisquam novit, sed ex eo quod quisquam diligit*, dijudicari solent. Et sicut ex objecto seu specie, boni vel mali sunt, dum amor (ex quo procedunt) ex objecto seu specie bonus vel malus est; sic ex objecto seu specie indifferentes sunt, dum amor (ex quo procedunt) ex objecto seu specie indifferens est.

Enimverò omnis moralitas actuum exter- 5
norum petitur formaliter ex actibus internis, juxta illud Psal. 44. *Omnis gloria Filiæ Regis ab intus.* Omnis verò moralitas actuum internorum vel formaliter, vel fontaliter petitur ex

mora-

moralitate amoris, sive ex conformitate vel difformitate ipsius cum lege æterna. Omnis quippe affectus humanus, omnisque proinde actus internus voluntatis, vel formaliter, vel fontaliter seu originaliter est amor. Quia si non est formaliter amor, ex amore velut fonte profluit, ut docet Augustinus l. 83. qq. q. 33. Amor quippe fons est & origo cæterorum omnium affectuum voluntatis. *Tametsi enim sunt alii affectus in homine, omnes ex amore velut fonte profluunt. Et si est ordo in amore, omnes affectus ordinati sunt; si non est ordo in amore, in ipsis quoque nullus ordo, sed perversitas & inordinatio est*, inquit Cardinalis Bona princip. vit. christ. p. 2. §. 38. Sicut enim fluentes aquæ naturam participant sui fontis; sic universi affectus humani moralitatem participant fontalis amoris. Ex amore quippe ordinato inordinati affectus procedere nequeunt; neque ex inordinato amore, affectus ordinati, Christo attestante: *Non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala fructus bonos.*

6 Quòd verò amor, fons sit reliquorum affectuum, patet primò ex celebri dicto Augustini 13. Confess. 9. *Amor meus pondus meum, eo feror quocumque feror*: quod verificari nequit, nisi cæteri motus ex amore profluant.

7 2°. Ex eo quòd, pro varietate status, ac circumstantiarum rei amatæ, amor in anima varios excitet affectus, & amans varios induat vultus. Re namque absente, desiderat; præsente, lætatur; periclitante, metuit; impeditâ, irascitur; amissâ, tristatur, &c. prout idem Augustinus tradit 14. Civit. 7. Et quis, nisi amor, hoc totum facit? Cur enim quidpiam desideramus, nisi quia amamus? Cur de ipsius possessione gaudemus, nisi quia amamus, &c.? Causa etiam primordialis, cur objectum (qualecumque sit) prosequimur, est quia amamus. Causa cur ipsum aversamur & odimus, est quia oppositum diligimus. Nam ut Salesius l. 1. de amore c. 4. *Non ob aliam causam odimus malum, nisi ob amorem, quo prosequimur bonum.* Quod etiam docet S. Thomas 1. 2. q. 29. a. 2. ubi postquam in argumento *sed contrà* id probavit ex Augustino loco citato, dicente, quòd *omnes affectiones causentur ex amore*, in corp. id ipsum probat ex eo quòd tota ratio odiendi aliquid, sit repugnantia, quâ repugnat alteri: *per hoc autem aliquid est repugnans alteri, quia est corruptivum & impeditivum ejus, quod est conveniens. Unde necesse est, quòd amor sit prior odio, & quòd nihil odio habeatur, nisi hoc quod contrariatur convenienti, quod amatur. Et secundùm hoc omne odium ex amore causatur. Quandoquidem amor unius rei, est causa, quòd ejus oppositum odio habeatur*, ut ad 2. ait. Amor quippe continentiæ, causa est, quòd odio habeatur incontinentia; amor justitiæ causa est, quòd odio habeatur injustitia, sive peccatum, & sic de aliis. In tantum, ut mensura amoris unius oppositorum, mensura sit odii alterius, secundùm illud Augustini epist. 144. *Tantum quisque peccatum odit, quantùm justitiam diligit.*

8 Certa itaque Sanctorum doctrina est, experimento ipso comprobata, cæteras omnes affectiones, passionesque ex amore prodire; & idem est de actionibus quibusque: quia, uti rursum S. Thomas ibidem q. 28. a. 6. *omne agens*, quodcumque sit, agit quamcumque actionem ex aliquo amore. Quod in argum. *sed contrà* probat ex D. Dionysio de div. nom. c. 4. dicente: *Propter amorem boni omnia agunt quacumque agunt.* Et ad 2: *Ex amore causatur & desiderium, & tristitia, & delectatio Dei, per consequens omnes aliæ passiones. Unde omnis actio, quæ procedit ex quacumque passione, procedit etiam ex amore.* Et ad 3. *Odium etiam ex amore causatur.* Ideò ergo omnia *mala sunt ista, si malus est amor; bona, si bonus*, ut Augustinus dicit 14. Civit. 7.

9 Et confirmatur: moralitas humanorum actuum, nihil aliud est, nisi eorum ordinatio vel inordinatio ad legem æternam, ut suprà ostensum est. Atqui omnis eorum ordinatio vel inordinatio, vel est amor, vel ex amore procedit. Omnis namque ordinatio vel inordinatio, vel est fruitio, vel usus, vel ex fruitione usuve procedit. Omnis verò fruitio & usus, amor est. Quandoquidem frui est aliquid amare propter seipsum; uti, est amare illud propter aliud, uti Augustinus definit l. 1. de doct. christ. c. 4. *Frui est amore alicui rei inhærere propter seipsam; uti autem, quod ad usum venerit, ad id quod amas obtinendum referre.* Et c. 31. *Dicimus eâ re nos perfrui, quam diligimus propter seipsam.* Et l. 11. de Trin. c. 21. *Eâ re frui dicimur, quæ nos non ad aliud referenda, per seipsam delectat; uti verò eâ quam propter aliud quærimus.*

10 Quòd autem omnis ordinatio vel inordinatio, vel fruitio sit, vel usus, idem Augustinus perspicuè tradit l. 83. qq. q. 30. his verbis: *Omnis humana perversio est (quod etiam vitium nominatur) fruendis uti velle, atque utendis frui. Ità & rursus omnis ordinatio, fruendis frui, atque utendis uti.*

11 Et hinc *virtutem nihil aliud esse, quàm ordinem amoris; peccatum verò, inordinationem amoris, viri sapientes definierunt*, inquit Card. Bona ubi suprà §. 38. Enimverò *definitio brevis & vera virtutis, est ordo amoris.* Augustinus 15. Civit. 22. Nam, ut ait epist. 52. ad Macedon. *Virtus non est nisi ordinatè diligere quod diligendum est. Id eligere prudentia est; nullis inde averti molestiis, fortitudo est; nullis illecebris, temperantia est; nullâ superbiâ, justitia est.* Et l. de mor. Eccl. c. 15. *Illud quoque quod quadripartita dicitur virtus, ex ipsius amoris vario quodam affectu, quantum intelligo, dicitur. Illas itaque quatuor virtutes Cardinales. . . . sic definire non dubitem, ut temperantia sit amor, integrum se præbens ei quod amatur. Fortitudo, amor facilè tolerans omnia propter quod amatur. Justitia, amor soli amato serviens, & propterea rectè dominans. Prudentia, amor ea quibus adjuvatur, ab eis quibus impeditur, sa-*

gaciter seligens. Sed hunc amorem, non cujuslibet, sed Dei esse diximus, id est, summi boni. Et l. de grat. Christ. c. 25. *Ut generaliter breviterque complectar quam de virtute habeam notionem... virtus est charitas, quâ id quod diligendum est, diligitur.*

CAPUT III.

Primum Christiani hominis officium, est amorem suum rectè ordinare.

12 COnstat ex dictis capite præcedenti: ex recto quippe amoris ordine, pendet rectus ordo cæterorum humanorum affectuum, actuumque. Si enim ordo est in amore, affectus omnes ordinati sunt; si ordo non est in amore, in ipsis quoque nullus ordo, sed perversitas & perturbatio est, ut sapienter advertit Emin. Cardinalis Bona loco suprà relato.

CAPUT IV.

Prima proinde Theologi Moralis cura esse debet, sanam & christianam de Dei creaturarumque amore doctrinam tradere.

13 SEquitur quoque ex dictis capite præcedenti: si enim primum Christiani hominis officium, vitæque christianæ fundamentum, est amorem suum rectè ordinare, prima & fundamentalis Christiani Doctoris cura esse debet, docere rectum amoris ordinem. A christianæ namque vitæ fundamento Moralem Christianam auspicari debet; indeque suos de doctrina christiana libros auspicatus est Augustinus, ab ordine utique amoris.

14 Et ideò Moralem nostram, seu Sanctorum Ethicam, Augustini exemplo, nos quoque auspicamur, non solùm ob rationem proximè allatam, sed & ut in ipso limine præscindamus radicem pernicioſarum, scandalosarumque opinionum, quas Ecclesia per SS. Pontifices Alexandrum VII. & Innocentium XI. meritissimò proscripsit. Quarum Authores in Conclusiones christianæ vitæ adeò relaxativas non abiissent, si Augustini, aliorumque passim Sanctorum, de ordinato Dei creaturarumque amore, principiis instituissent. Si enim recessus à doctrina Sanctorum, radix est tot laxiorum, scandalosarum pernicioſarumque opinionum, ut Prolegomeno 1. c. 6. à nobis est demonstratum; id maximè verum est de recessu à fundamentali ipsorum, de ordinato Dei, creaturarumque amore, doctrinâ. Quemadmodùm enim ordo amoris, fons est, fundamentumque totius bonæ moralitatis; sic sana christianaque Sanctorum de amoris ordine doctrina, fons est fundamentumque totius Moralis Christianæ. Quod fundamentum ne ipsa quidem divina Scriptura aliter tradidit, nisi præcipiendo charitatem, culpandoque cupiditatem; & sic informando mores hominum, prout Augustinum attestantem suprà audivimus. Enimverò si *radix omnium bonorum est charitas*, & radix omnium malorum cupiditas, prout ex eadem divina Scriptura sancti Doctores tradunt: radix omnis sanæ de moribus doctrinæ ea est quæ ædificat charitatem, destruitque cupiditatem.

Atque hinc doctrina, quæ vel destruendo, 15
vel plus æquo minuendo obligationem charitatis, regnum amplificat cupiditatis, radix est totius Moralis laxioris; indeque patefactus est aditus ad tot illas propositiones, quas Ecclesia damnavit, velut christianæ vitæ nimiùm relaxativas, animarumque perniciem inferentes; eo quòd utique minùs quàm oportet faverent charitati, nimiùm cupiditati, adversarenturque doctrinæ Sanctorum de recto amoris ordine, uti perspicuum est 1°. in ea quæ usum permittit opinionis, quantumvis tenuiter probabilis pro carnali libertate (adeòque pro cupiditate) contra probabiliorem pro lege & charitate. 2°. In ea quæ Judici permittit ferre sententiam pro amico, juxta opinionem minùs probabilem. 3°. In ea quæ à mortali excusat semel in vita dumtaxat elicientem actum dilectionis Dei, vel quæ ad eum eliciendum ne singulis quidem quinquenniis obligat, vel solùm dum non est alia justificationis via. 4°. In ea quæ esum, potum, conjugiique opus permittit ob solam voluptatem cibi, vel potus, vel concubitus. 5°. In ea quæ permanere permittit in proxima peccati mortalis occasione, ad vitandum detrimentum aliquod, vel incommodum temporale. 6°. In ea quæ excusat gaudium, & desiderium inefficax mortis proximi, etiam patris, ob temporale emolumentum. 7°. In ea quæ in tantum amare permittit sæculum, ut ab eleëmosynæ de superfluis obligatione excuset reservantem pecunias, statui præsenti superfluas, ad statum altiorem per eas comparandum. 8°. In tot aliis excusantibus furta, usuras, simonias, homicidia, duella, innumeraque ejusmodi plus æquo faventia cupiditati, quarum prolixa specimina habes Prolegomeno 1. c. 2. specimina certè non tam sapientia Ethicen Christianam, quàm Gentilem, imò quâ honestior in plerisque fuit Ethica Philosophorum Gentilium; specimina, inquam, opinionum, quarum Authores Dei leges considerant velut odiosas, easque, ut tales, in favorem cupiditatis extenuant, atque ab humeris hominum excutiunt, vel excutere nituntur.

Qui certè ab ejusmodi opinionibus haud du- 16
biè abstinuissent, si depositò omni affectu pruriendi auribus, magis seriò perpendissent, qualem Deo, qualem proximo charitatem, juxta divina Oracula, Sanctorumque documenta, imò & juxta rectam rationem homo debeat, præsertim Christianus, & quomodò liber esse debeat à sæcularibus desideriis, nec creaturam ullam amare finaliter propter se, sed propter Deum, mansorioſque rerum omnium mortalium amores abnegare, ut soli Deo, tamquam Creatori, Redemptori ac fini suo, per amorem inhæreat.

17 Quod si satis perpendissent, sanctissimam castissimamque de omnibus deliberatis actibus nostris propter Deum faciendis doctrinam, in sacris eloquiis, traditione & ratione fundatissimam, velut nimis austeram, inhumanamque, imò velut Bajanam & Jansenianam, per magnam vel inscitiam, & in doctrina Sanctorum oscitantiam, vel in Sanctos ipsos injuriam (in ipsamet eloquia sacra redundantem) carpere veriti fuissent, ac per consequens justo Dei judicio permissi non fuissent loqui adeò falsa, ut eorum aliqui (Ecclesiâ gemente) negaverint, quod ne ipsi quidem Ethnici negant, quodque naturæ lumen radiis plusquàm solaribus ostendit, Deum utique in lege amoris, interiori dilectionis affectu, de præcepto, per se specialiter obligante, diligendum. Alii nonnisi semel in vita asseruerint diligendum. Alii nonnisi semel in anno. Alii semel dumtaxat singulis quinquenniis. Alii ne singulis quidem rigorosè quinquenniis: quasi toto reliquo tempore per se liceat hærere in creaturarum amore; vel sibi, non Deo vivere. Alii licitum asserentes mansorium amorem, nedum honoris & pecuniæ (contra perspicua divinæ Scripturæ testimonia) sed & carnalium voluptatum cibi, potus, concubitus, &c. tandem in alias suprà memoratas laxitates prolapsi sunt, pœnali quidem cæcitate, non tamen absque fundamento, semel concesso quòd per amorem finaliter in creatura liceat hærere. Quia, hoc semel dato, istius adhæsionis mensura statui non potest. Eorum quippe, quæ amantur in ordine ad finem, mensura statuitur secundùm proportionem medii ad finem. Ast eorum quæ amantur ut finis, non est per quid, & secundùm quid mensura statuatur. Per consequens non est per quid, & secundùm quid mensura statuatur amoris creaturarum, si creaturæ esse queant finis ordinati amoris nostri, etiam sordidæ voluptates, de quibus suprà. Amari ergo poterunt absque termino. Quod si verum est, laxitatum omnium consectaria sunt portenta. Ad quæ proinde præcavenda, securis ad radicem hanc ipso in limine applicanda est. Quem in finem, ad majorem claritatem, roburque dicendorum, nonnulla præmittemus. Sit itaque

CAPUT V.

Ad christianam de amore doctrinam manuducit triplex divisio, quâ sancti Patres amorem adæquatè dividunt 1°. in mansorium & transitorium, sive in fruitionem & usum. 2°. in amorem Creatoris & creaturæ. 3°. in charitatem latè dictam, & cupiditatem, latè similiter acceptam.

18 AMorem mansorium & transitorium, idem esse quod fruitionem & usum (juxta Augustinianam definitionem fruitionis & usus n. 9. traditam) inde perspicuum est, quòd amor mansorius ille sit, quo amans sistit in re amata, eam propter se; non propter aliud diligendo; transitorius verò, quo amans non sistit in re amata, eam propter se diligendo, sed à re illa transit ad aliam, propter quam priorem amat. At hoc ipsum, & nihil aliud est fruitio & usus, prout constat ex dictis ibidem.

Quòd itaque divisio amoris in mansorium & 19
transitorium, sive in fruitionem & usum, sit adæquata, Gregorius Ariminensis, Augustinianæ doctrinæ Assertor egregius, optimè probat ex Augustino, nullam agnoscente dilectionem, quæ nec fruitio sit, nec usus. Libro namque primo de doctr. christ. c. 31. ad probandum, quòd Deus utitur nobis, arguit sic: Diligit nos Deus. Ergo vel fruitur, vel utitur. Non fruitur. Ergo utitur. *Nam si neque utitur, neque fruitur, non invenio quemadmodùm diligat.* Quod argumentum non concluderet, si dilectionem agnosceret, quæ nec fruitio sit, nec usus; utpote quâ datâ, inveniri posset Dei erga nos dilectio, tametsi Deus nec uteretur, nec frueretur nobis.

Probari etiam potest hac ratione: Omnis 20
amor, vel sistit in re amata, vel non sistit (neque enim inter duo ista contradictoria dabile est medium.) Si sistit, est amor mansorius, seu fruitio; utpote rei istius amor propter se, non propter aliud. Si non sistit, transit à re ista in aliam, propter quam, non propter se illam amat; sicque est amor transitorius, seu usus.

Secunda etiam divisio amoris, in amorem 21
Creatoris & creaturæ, juxta Sanctos, est adæquata. Cùm omnis amor, seu dilectio, sit entis alicujus (*voluntas* quippe *rationalis.... non sic potest diligere, ut amorem suum non velit ad aliquid referre*, ait S. Fulgentius l. 1. ad Monim. c. 18. Omne verò ens, vel Creator est, vel creatura. Omnis ergo amor vel Creatoris est, vel creaturæ. Et ita docet S. Leo Papa serm. 5. de jejun. sept. mens. his verbis: *Duo amores sunt, ex quibus omnes prodeunt voluntates.... Rationalis enim animus, qui sine amore esse non potest, aut Dei amator est, aut mundi*) id est creaturæ. Et S. Gregorius l. 18. Moral. c. 1. *Esse quidem sine delectatione* (adeòque sine dilectione) *anima nequaquam potest: nam aut infimis delectatur, aut summis*, id est, vel creaturis, vel Deo. Et ante utrumque S. Augustinus l. 9. Trinit. c. 7. *Nemo volens aliquid facit, quod non in corde suo priùs dixerit. Quod verbum amore concipitur, sive creaturæ, sive Creatoris.... Ergo aut cupiditate, aut charitate.* Nemo ergo volens aliquid facit, nisi vel amore creaturæ, vel amore Creatoris: adeòque vel cupiditate, vel charitate. Quia omnis amor creaturæ, in ipsa sistens, juxta Augustinum est cupiditas. Omnis verò amor Creatoris, in ipso sistens, est charitas. Ergo juxta Augustinum non datur amor, qui vel non sistat in creatura, vel in Creatore. Unde in Psal. 122. dicit, quòd omnis amor aut ascendit, aut descendit. Quod ideò dicit, quia omnis amor vel Dei est vel creaturæ: si Dei, ascendit; si creaturæ, descendit. *Aman-*

do quippe *Deum, ascendis* (inquit in Psal. 126.) *amando creatorem, cadis*, adeòque descendis.

22 Quòd si objicias, amorem boni in communi, nec Dei amorem esse, nec creaturæ. Respondeo 1°. amorem boni in communi, esse amorem beatitudinis, uti (cum Philosophis antiquis) docent Augustinus & Thomas, aientes, quidquid homo vult, sive bonum, sive malum, ex hoc amore procedere, quo quisque vult beatus esse. *Beati* (inquit Tullius in Hortensio) *omnes esse volumus.* Et *acquirendæ beatitudinis causâ* (inquit Augustinus. 13 Trin. 3. & in Psal. 32.) *faciunt omnes homines quidquid vel boni faciunt, vel mali.* Beatitudinem omnes indesinenter appetunt; eo quòd omnes naturaliter satiari & expleri cupiant appetitum suum. Qui cùm summo dumtaxat bono satiari queat, indesinenter à quovis appetitur. Appetitus proinde, seu amor illius, est amor Dei confusè cogniti, uti post S. Augustinum docet S. Thomas 1. p. q. 60. a. 5. q. 105. a. 4. & 1. 2. q. 19. a. 10. Quia reverà & summum bonum, & bonum commune, seu in communi, est idem optimus Deus, qui non aliam indidit voluntati inclinationem omni voluntati communem, quàm ad se solum verum omnis voluntatis bonum, qui naturam avium & piscium, omniumque aliorum animalium ad verum eorum bonum inclinavit, non verò ad bonum aliquod abstractum, aut nescio quod, quod nec creatum sit, nec increatum, quod in rerum natura esse non potest, sed in solis spatiis imaginariis cerebri illud confingentis. Talis boni amorem omni homini ab Authore naturæ naturaliter inditum esse quis credat? Non credit certè Augustinus; sed *est* (inquit) *mentibus hominum veri boni* (realiter proinde existentis) *naturaliter inserta cupiditas* (quâ *omnes beati esse volunt*); *quidquid aliud quisquam latenter velit, ab hac voluntate non recedit. Id unum ardentissimo amore appetunt*, (singulis momentis, sicut aves aërem, pisces aquam, &c.) *& propter hoc cætera quæcumque appetunt.* Et propterea illud bonum esse non potest nisi bonum universale, sive Deus, in quo (ut S. Thomas ait) *unum & idem est ejus substantia, & bonum commune.* Aliàs *naturalis* illa *dilectio esset perversa.* Ardentissimo quippe amore appetere bonum abstractum, sive ens rationis, & propter illud cætera quæcumque appetere, est dilectio perversa. Cùm solus Deus sic ordinatè appeti possit.

23 Respondeo 2°. omne bonum, sive in communi amatum, sive in particulari, esse bonum amatum alicui. Nam, uti S. Thomas ait 1. p. q. 20. a. 1. ad 3. actus amoris semper tendit in duo, scilicet in bonum volitum, & in eum cui est volitum. Siquidem *amare* (ut ait 1. 2. q. 26. a. 4.) *est velle alicui bonum. Sic ergo motus amoris in duo tendit, scilicet in bonum quod quis vult.... & in illum cui vult.* Vel ergo amans sibi ipsi vult bonum per intellectum abstractum (quod objiciens vocat bonum in communi) vel vult illud alteri? Si sibi, vult illud creaturæ (quæ sola talem abstractionem facere potest) per consequens est amor creaturæ, tamquam finis cui. Si alteri, istud alterum est ens aliquod susceptivum boni. Vel ergo Deus est, vel creatura. Atque adeò vel Dei amor est, vel creaturæ, saltem velut finis cui.

De tertia divisione major est difficultas, propter trigesimam octavam propositionem à Pio V. damnatam: *Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas, quâ mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur; aut laudabilis illa charitas, quâ per Spiritum sanctum in corde diffusâ Deus amatur.* Et aliam consimilem, damnatam ab Alexandro VIII. *Omnis humana actio deliberata, est Dei dilectio, vel mundi. Si Dei, charitas Patris est. Si mundi, concupiscentia carnis; hoc est, mala est.* Verùm ex dictis Prolegom. 6. c. 9. constat, propositionem illam trigesimam octavam à Pio V. damnatam non esse in sensu catholico, quo eam probati Ecclesiæ Patres tradunt; sed in sensu in Ecclesia peregrino, resultante vel ex ipsis verbis damnatæ propositionis secundùm se, vel ex collatione ipsius cum aliis propositionibus in eadem Bulla damnatis. Utrovis modo damnata propositio illa toto ostio differt à nostra. Absolutè namque, sive secundùm se spectata, non admittit medium inter cupiditatem strictè, & charitatem strictè similiter acceptam (quam nostra admittit): siquidem cupiditatem strictè acceptam significant verba ista: *Cupiditas, quâ mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur.* Charitatem etiam strictè sumptam designant verba ista: *Charitas, quâ per Spiritum sanctum in corde diffusâ Deus amatur.* Quæ verba Tridentinum sess. 6. c. 7. intelligit de charitate justificante, sicut & Augustinus serm. 163. aliàs 3. de verbis Apost. & alibi sæpiùs. Cupiditatem quoque strictè sumptam apertè denotat *concupiscentia carnis* in propositione per Alexandrum VIII. proscripta. Inter charitatem verò strictè, & cupiditatem strictè sumptam, media est charitas latè, seu generaliter accepta, sicut & cupiditas latè sumpta, v. g. amor creatæ honestatis præcisè. Conferendo etiam propositionem illam trigesimam octavam cum aliis eadem in Bulla damnatis, adhuc manifestiùs apparet in ea agi de charitate strictè accepta, vel utique perfecta, vel propria justorum, quæ est per Spiritum sanctum inhabitantem, sicut & de charitate & cupiditate dominante, prout ostendimus Prolegomeno illo 6. 24

Scio quosdam importunè obstrepere, dicendo, propositionem trigesimam octavam damnatam esse in sensu Baii, qui admisit amorem Dei imperfectum, medium inter cupiditatem & charitatem strictè acceptam. 25

Sed nego assumptum. Tum quia propositio illa non est Baii (nec hoc Bulla dicit) vel certè est à delatoribus adulterata, prout ipse conquestus est in Apologia sua. Nec certè Bajus habet verba illa: *quâ per Spiritum sanctum in corde diffusâ.* Tum quia Pius V. in Bulla sua non dicit se omnes propositiones illas damnare in

sensu Baii, sed (ad summum) *in sensu ab Asserturibus intento*, colligendo utique vel ex ipsis terminis, quibus exprimuntur in Bulla, vel ex collatione totius doctrinæ per eam damnatæ; non verò ex libris ipsorum, uti probavi-
26 mus eodem Proleg. 6. Neque ergo Piana Bulla, neque Decretum Alexandrinum (in Bulla illa fundatum) prohibet, ne divisio illa adæquata dicatur in sensu, quo adæquatam asserunt Augustinus, Fulgentius, Leo Papa, Gregorius Magnus, aliique Patres ibidem laudati, cupiditatem utique latè accipientes pro amore cujuscumque rei non propter Deum, sicut & charitatem pro amore cujuscumque rei propter Deum, sive amor iste perfectus sit, sive imperfectus; sive in corde dominans & super omnia, sive non; sive per Spiritum sanctum inhabitantem, sive solùm excitantem; sive justorum proprium, sive justis & peccatoribus communem.

27 Quo sensu divisionem illam amoris adæquatam esse, non sola Patrum authoritas ostendit, sed invicta quoque ratio suadet: quia omnis amor, seu dilectio, vel Creatoris est, vel creaturæ, uti probavimus n. 21. & 22. Si Creatoris, vel est mansorius, sive Dei finaliter propter se; vel transitorius, sive Dei propter creaturam (neque enim datur medium, uti ostendimus n. 19. & 20.) Si primum, est charitas latè sumpta, utpote Dei propter se amor. Si secundum, est cupiditas, latè similiter accepta: cùm amor Dei propter creaturam, sit amor creaturæ propter se.

28 Si non sit amor Creatoris, sed creaturæ, vel rursus est mansorius, sive creaturæ propter se, in ipsa sistendo, & est cupiditas; vel transitorius à creatura ad Deum, ita ut sit amor creaturæ finaliter propter Deum, & est charitas. Ergo omnis amor, seu dilectio, dicto sensu est charitas, vel cupiditas.

29 Paulo aliter sic: omnis amor, vel est mansorius, vel transitorius. Si primum, vel est mansorius in Creatore, & est charitas; vel est mansorius in creatura, & est cupiditas. Si secundum, vel est transitorius à Deo ad creaturam, & est cupiditas; vel à creatura ad Deum, & est charitas.

30 Vel rursum sic: omnis amor creaturæ rationalis, vel in Deo sistit, vel non sistit. Si sistit, charitas est. Si non sistit in Deo, sistit in creatura (cùm necessariò sistat in alterutro) omnis verò amor, sistens in creatura, cupiditas est.

31 Ante oculos Christiani semper esse debet triplex allata divisio; utpote satis indigitans, omne momentum, omnem horam, omnem diem, omnem hebdomadam, omnem mensem, omnem annum, omne vitæ tempus, quod creatura, ratione utens, non impendit in amore & fruitione sui Creatoris, sive in charitate, impendere in amore & fruitione creaturæ, sive in cupiditate. Voluntatem quippe, vigilante ratione, sine amore aliquo esse, & in totum feriari non posse, doctrina Sanctorum est, nominatim S. Leonis, & S. Gregorii suprà, & S. Bernardi l. de grat. c. 2. aientis, *voluntatem non posse aliquando nihil omninò velle.* Velle autem sine amore non potest, ut constat ex dictis cap. 2. Igitur sine amore aliquo esse non potest. Unde Augustinus præfat. in Psal. 31. mortuos esse dicit, qui nihil amant. Rationem dat, sive ipse, sive quisquis est Author libri de substantia dilectionis cap. 6. quia *vita cordis amor est, & idcircò impossibile est, ut sine amore sit cor, quod vivere cupit.* Eadem est doctrina S. Fulgentii Prolegom. 6. c. 9. relati; dicit enim, quòd *voluntas creaturæ rationalis sine qualicumque amore esse non potest.* Semper ergo vel Deum diligit, vel creaturam. Semper proinde, vel charitate, vel cupiditate, sensu sæpiùs exposito. Atqui Christiano non licet, vitæ suæ tempus, v. g. annum, mensem, hebdomadam, diem, horam, imò nec momentum unum voluntariè impendere cupiditati, subtrahereque charitati, prout ex Scripturis, Patribus & multiplici ratione demonstrabitur in sequentibus.

CAPUT VI.

Ad amorem ordinatum, actumque bonum, non sufficit velle & facere bonum, sed oportet illud velle & facere benè, sive intentione bonâ, cumque omnibus debitis circumstantiis.

RAtio sumitur 1°. ex vulgato axiomate: 32
Bonum ex integra causa, malum ex quolibet defectu. 2°. Ex eo quòd objectum bonum malè amari possit, & actus bonus malè fieri. Quod contingit, quoties ipsi deest aliqua circumstantia debita, vel adest indebita.

Porrò inter circumstantias potissima est cir- 33
cumstantia finis, cujus proinde habenda est ratio præcipua, duas ob causas.

Prima, quia amor propriè est finis, sive 34
ejus quod propter se finaliter amatur, & in quo amor sistit, ut posteà probabitur.

Secunda, quia finis est præcipuum, quod 35
in actibus moralibus attenditur, juxta illud Augustini l. 2. de serm. Dom. in mont. c. 2. *Non quid quisque faciat, sed quo animo faciat, considerandum est.* Et præfat. in Psal. 31. *Non valdè attendas quid homo faciat, sed quid, cùm facit, aspiciat.* Nam, ut Prosper, vel Julianus Pomerius, vel (ut aliis placet) S. Leo l. 3. de vit. contemplat. c. 14. ait, *Non quid, sed propter quid faciamus, in illa ultima examinatione quærendum est.* Et ideò, *non si quid patimur, sed si propter justitiam patimur, beati*, ait S. Bernardus serm. de divers. Ideò etiam S. Augustinus tr. 7. in epist. Joan. de Christi loquens traditione, facta à Patre æterno, & Juda: *Cùm una sit res* (inquit) *ex diversis eam intentionibus sumetiamur, unum amandum, alterum damnandum; unum glorificandum, alterum detestandum invenimus.*

Propterea etiam non tam officiis, quàm fi- 36
nibus, à vitiis discernendas esse virtutes, idem

Augustinus ostendit l. 4. in Julian. c. 3. his verbis : *Noveris, non officiis, sed finibus, à vitiis discernendas esse virtutes. Officium autem est, quod faciendum est ; finis verò, propter quod faciendum est. Cùm itaque facit homo aliquid, ubi peccare non videtur, si non propter hoc facit, propter quod facere debet, peccare convincitur.* Et rursùm : *Quidquid boni sit ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera sapientia præcipit, etsi officio videatur bonum, ipso non recto fine peccatum est.*

37 Cæterùm quòd non sufficiat bonitas finis, si vel objectum malum sit, vel aliqua circumstantia mala, rationem primam habes n. 32. Ratio altera est, quia quando vel medium est malum, vel aliqua circumstantia mala, intentio tunc verè non est bona, nec *aspiciens quod aspiciendum est* (quod ad intentionem bonam postulat Augustinus l. 2. de serm. Dom. in mont. c. 1.) Intentio quippe verè bona, & aspiciens quod aspiciendum est, debet ad finem bonum referre objectum, seu medium, ad finem illum hîc & nunc referibile. Objectum verò malum referibile non est ad finem bonum, v. g. peccatum ad gloriam Dei ; sicut nec objectum bonum, in circumstantiis indebitis ; utpote in illis non bonum, ut patet in locutione de rebus piis, tempore, vel loco indebito.

38 Neque tamen, ad actum moraliter bonum, necesse est quòd objectum secundùm se sit bonum (cùm odium peccati, secundùm se mali, bonum sit ; sicut & actus, quo voluntas ob finem moraliter bonum, vult objectum secundùm se indifferens) ; sed sufficit, quòd voluntas in illud tendat conformiter ad legem æternam, ut constat in allato exemplo odii peccati. Tametsi enim peccatum secundùm se malum sit, æternæque legi difforme, nec proinde benè amari possit ; ut objectum tamen odii, est isti legi conforme, benèque odibile : quia lex æterna vult illud odio haberi. Econtrà Deus, tametsi secundùm se bonus, esse non potest objectum odii, nisi contra legem æternam ; & ideò respectu odii esse non potest objectum bonum, seu benè odibile, sed objectum malum, odioque improportionatum.

CAPUT VII.

Ad amorem ordinatum, actumque bonum, non sufficit intentio bona.

39 RAtio petitur ex dictis n. 37. Si enim vel objectum malum sit, vel aliqua circumstantia mala, amor est inordinatus, actusque malus, ut ibidem ostensum est.

40 Hinc erravit Cassianus collat. 17. c. 17. & 18. Sicut & Author imperfecti in Matth. c. 7. dum ex necessaria boni finis intentione actiones malas excusarunt, v. g. mendacium officiosum, ad vitandum grave de veritatis confessione discrimen. *Non* enim *sunt facienda mala, ut eveniant bona.* Rom. 3. Et ut optimè Augustinus l. contra mendac. c. 7. *Interest quidem plurimùm, quâ causâ, quo fine, quâ intentione quid fiat. Sed ea, quæ constat esse peccata, nullo bonæ causæ obtentu, nullo quasi bono fine, nullâ velut bonâ intentione facienda sunt.* Cui succinens Bernardus serm. 40. in cant. ad illa verba : *Pulchræ sunt genæ tuæ, sicut turturis : Duo* (inquit) *in intentione.... necessariò requiruntur, res, & causa ; id est, quid intendas, & propter quid. Ex his sanè duobus, vel decor, vel deformitas judicatur, ut anima, quæ ambo ista recta atque pudica habuerit, illi meritò veraciterque dicatur : Pulchræ sunt genæ tuæ, sicut turturis. Quæ verò altero horum caruerit, non poterit dici de ea, quòd pulchræ sunt genæ ejus, sicut turturis, propter eam, quæ adhuc ex parte erit ; deformitatem.*

Sapienter proinde Contensonus to. 3. dis- 41
sert. 4. c. 1. sub finem concludit, quòd si intentio gloriæ & honoris Dei, per se honesta, per se casta, & semper laudanda, opus malum non justificat : quomodò excusabuntur cædes, gulæ, ambitiones, aliaque id genus scelera, *ob voluntatem dandi signa excellentiæ. Ob existimationem apud homines captandam. Ut appetitus suis actibus fruatur. Ut sacerdotium pinguius obtineatur. Ob naturalem fastus inclinationem. Propter temporalem commoditatem*, ut quidam novelli morum corruptores, potiùs quàm Doctores, excogitarunt.

CAPUT VIII.

Tota moralitas, seu bonitas vel malitia actus exterioris, ipsi formaliter provenit ab actu interiori. Nulla proinde exteriori actui formalis inest bonitas vel malitia, distincta à bonitate, vel malitia formali actus interioris.

PEr actum exteriorem hîc intelligitur omnis 42
actus, non elicitus, sed imperatus à voluntate. Per interiorem verò intelligitur omnis actus à voluntate elicitus. Proinde non soli actus membrorum ac sensuum externorum, sed & intellectus, & appetitus sensitivi, quatenus à voluntate imperati, hîc veniunt nomine actuum exteriorum.

Totam itaque moralitatem, seu bonitatem 43
& malitiam actus exterioris, ipsi provenire ab actu interiori, communis est doctrina Theologorum, signanter Baconii nostri in 3. dist. 37. a. 1. & 3. ubi id benè probat 1°. Ex eo quòd habens, vel exercens actum virtutis exteriorem, sine interiori, nihil habeat de bono virtutis formaliter ; habens verò, vel exercens actum virtutis interiorem, sine exteriori, habeat bonum virtutis formaliter. In solo ergo interiori actu, bonum virtutis formaliter consistit ; atque inde provenit, derivaturque in actum exteriorem.

Probatur 2°. Quia moralitas, seu bonitas 44
& malitia formalis, sequitur libertatem, tamquam fundamentum suum proximum ; immò ipsam involvit (cùm moralitas nihil aliud sit quàm libertas cum ordine ad morum regulam)

sed

sed tota libertas actus exterioris ipsi provenit ab actu interiori, atque ex eo derivatur in actum exteriorem. Ergo & tota moralitas, &c.

45 Et confirmatur ex communi doctrina Sanctorum. Chrysostomus namque Homil. 19. in Matth. *Voluntas est* (inquit) *quæ aut remuneratur, aut condemnatur. Opera autem, testimonia sunt voluntatis. Non ergo Deus quærit opera propter se, ut sciat quomodò judicet; sed propter alios, ut omnes intelligant, quia justus est.* Ambrosius l. 1. Offic. c. 3. *Affectus divitem, vel pauperem eleëmosynam facit, pretiumque imponit rebus.* Augustinus epist. 49. q. 4. *Appetitus voluntatis, humanorum omnium est mensura factorum.* Et rursum: *Voluntatis affectus, omnium factorum meritorumque mensura est.* Et lib. 4. retract. c. 9. *Voluntas est, quâ peccatur, & rectè vivitur.* Ex quibus verbis S. Thomas 1. 2. q. 20. a. 1. probat, quòd *bonum & malum morale per prius consistit in voluntate*, & inde *derivetur in actum exteriorem.*

46 Ad quod etiam probandum valet sententia Gregorii Magni Homil. 5. in Evangel. *Deus cor, non substantiam pensat.* Unde concludit, quòd *ante oculos Domini numquam vacua est manus à munere, si fuerit arca cordis repleta bonâ voluntate.*

47 Quibus omnibus robur adjicit Apostolus 2. Cor. 8. *Si enim voluntas prompta est, secundùm id quod habet accepta est; non secundùm id quod non habet.* Quem textum ad intentum explanabimus cap. seq.

48 Confitendi nihilominùs sunt actus exteriores mortales, sive procedentes ex voluntate interiori, mortaliter malâ, per sinceram pœnitentiam non retractatâ. Quia verè sunt peccata mortalia, per denominationem extrinsecam ab interiori actu voluntatis. Omnia verò mortalia, secundùm Tridentinum sess. 14. c. 5. *etiamsi occultissima sint, &c.* Clausula namque ista, *etiamsi occultissima sint*, designat, non sola ista, seu interna, quæ *sunt adversus duo ultima Decalogi præcepta*, confitenda esse; sed & externa, quæ aliis præceptis adversantur.

49 Si tamen voluntas interior, ex qua procedunt, per sinceram pœnitentiam efficaciter retractata fuisset, antequam actus exterior sequeretur, iste exterior actus, sic consequens ex causa culpabiliter, ut jam impediri non posset, non inficeretur malitiâ pravæ voluntatis, quæ causam illam posuit; nec proinde ratione sui præcisè necessariò confitendus foret; utpote cui prava illa voluntas malitiam suam, postquam per legitimam retractationem esse desiit, jam ampliùs communicare non potuisset.

50 Nec tamen hinc Vasquez, Sayrus, Layman, & alii Juniores rectè concludunt, isto in casu non incurri censuram, excommunicationis v. g. actui exteriori, v. g. homicidio, annexam. Quia tametsi excommunicatio supponat mortale peccatum; non tamen illud quod tale sit in se, sed vel in se, vel in causa. Neque enim punitur solum peccatum propriè dictum; sed & effectus peccati. Nec peccatum esse desinit punibile ex eo quòd retractatum sit per pœnitentiam: cùm fures justè plectantur patibulo ob furtum, licèt de eo confessi sint, & absoluti. Et hinc dictus actus externus, licèt ratione sui præcisè confitendus non sit; videtur tamen confitendus, ut Confessarius dijudicet an peccator propter eum censuram non incurrerit, vel non teneatur ad restitutionem, vel non sit irregularis, &c.

CAPUT IX.

Actus externus per se formaliter nihil bonitatis, vel malitiæ, superaddit actui interiori efficaci: benè tamen occasionaliter & per accidens, quatenus actus interior, occasione ipsius adaugetur.

HÆc est Hugonis Victorini, S. Thomæ, 51
S. Bonaventuræ, Baconii nostri, aliorumque passim Doctorum sententia, tametsi dissentiat Scotus, cum suis. Et sequitur ex dictis cap. præcedenti. Si enim actus exterior nullam ex se habeat bonitatem, vel malitiam formalem, sed ex actu interiori dumtaxat: nullam igitur bonitatem, vel malitiam formalem, ex se formaliter actui superaddit interiori; utpote quam ex se formaliter superaddere nequit, nisi ex se formaliter habeat. Nemo quippe dat, quod non habet.

Et hanc veritatem Spiritus sanctus innuit 52
Psal. 44. cùm dicit: *Omnis gloria Filiæ Regis ab intus*, id est, ab interiori provenit, uti Hieronymus & Augustinus exponunt. Potestque multipliciter ostendi. Eadem quippe actio exterior in uno moraliter bona est, in alio non; in uno magis, in alio minùs bona; in uno incomparabiliter magis bona, quàm in alio, v. g. in beatissima Virgine, quàm in aliis Sanctis, ob solam diversitatem actus interioris.

Voluntas etiam plena, absoluta, & efficax, 53
pro facto reputatur, dum factum excludit vel impossibilitas, vel Dei voluntas, ut constat ex Genes. 22. ubi Abrahami voluntatem, de immolando filio suo, Deus pro facto reputavit, dicens: *Quia fecisti hanc rem* (nota ly *fecisti*) *& non pepercisti filio tuo unigenito, &c.*

Talis proinde voluntas, absque facto, non 54
minoris ante Deum meriti est, quàm cum facto, ut constat ex 2. Cor. 8. *Si enim voluntas prompta est, secundùm id quod habet accepta est; non secundùm id quod non habet*: quibus verbis Apostolus, ut Sancti exponunt, totam perfectionem meritumque eleëmosynæ, in voluntatis collocat promptitudine, seu plenitudine: ita ut voluntas dandi eleëmosynam, si ex se plena sit, perfectaque, & efficax, Deo non minùs accepta sit, propter id quod in sua non habet potestate, dummodò efficaciter, quantum in se est, affectu faciat, quod non potest effectu. Ita Cyprianus l. 3. ad Quirinum c. 2. & Theophylactus in eum Apostoli locum,

aiens: *Qui habet, opùs impleat; qui non habet, jam suâ voluntate opus implevit.* Quare? quia, ut Augustinus in Psal. 105. *si non habet saccus, vel arca, quod donet, habet cor, & voluntas.* Et in Psal. 57. *Quidquid vis, & non potes, factum Deus computat. Mens enim boni studii, ac pii voti* (ait Salvianus in Prolog. lib. de provid.) *etiamsi effectum non inveniat cœpti operis, habet tamen præmium voluntatis.*

55 Et ideò, post infructuosos Apostolicæ vitæ labores, dicebat vir sanctus: *Non minùs solves Domine, non minùs solves:* quia nempe per ipsum non steterat, quominùs fructificaret.

56 Ideò etiam S. Bernardus l. de interiori domo c. 8. *Quantum vis, tantum mereris: quantum crescit voluntas tua bona, tantum crescit meritum tuum.* Et epist. 77. *Quid planius, quàm quòd voluntas pro facto reputatur, ubi factum excludit necessitas?*

57 Itaque *sicut non contingat facultas concumbendi cum conjuge aliena; planum tamen aliquo modo sit, id eum cupere, &, si potestas detur, facturum esse; non minùs reus est, quàm si in ipso facto deprehenderetur,* inquit Augustinus l. 1. de lib. arb. c. 3. conformiter oraculo Salvatoris Matth. 5. *Omnis qui viderit mulierem, ad concupiscendam eam, jam mœchatus est in corde suo.*

58 Ex his collige cum S. Thoma in 2. dist. 40. q. 1. a. 3. quòd *actus exterior nihil adjungit ad præmium essentiale. Tantum enim meretur, qui habet perfectam voluntatem aliquod bonum faciendi, quantum si faceret illud, ut si facit unum actum, quantum si faceret multos, voluntate æqualiter manente.*

59 Quia tamen *tale est cor hominis, ut in opere suo ampliùs inardescat; opere enim affectus nutritur, ut crescat, & amplior sit, & vix fieri potest, ut voluntas opere suo non augeatur,* ait Hugo Victorinus apud Baconium nostrum loco citato a. 4. Hinc occasionaliter, & per accidens utplurimùm contingit (ait Resolutus Doctor ibidem) quòd *operatio interior existens cum operatione exteriore, est melior, & perfectior, in hoc quòd assequitur suum finem, vel attingit terminum.* Operatio namque exterior est finis & terminus operationis interioris, uti ostendit a. 2. Contingit (inquam) quòd actus interior, occasione exterioris, majoris sit intensionis, durationis, efficaciæ, &c. Ut enim Augustinus ait tr. 58. in Joan. *Cùm ad pedes fratris inclinatur corpus, etiam in corde ipso, vel excitatur, vel, si jam inerat, confirmatur ipsius humilitatis affectus.* Et in lib. de cur. ger. pro mort. c. 5. dicit quòd exteriori corporis humiliatione *seipsum excitat homo, ad orandum gemendumque humiliùs atque ferventiùs. Et nescio quomodò, cùm hi motus corporis* (quibus genua figit, extendit manus, vel etiam prosternitur solo) *fieri nisi motu animi præcedente non possint, eisdem rursus exteriùs visibiliter factis, ille interior invisibilis, qui eos fecit, augetur; ac per hoc cordis affectus, qui, ut fierent ista, præcessit, quia facta sunt crescit.*

60 Cæterùm quandocumque ex adjuncto exteriori actu, nulla in actu interiori diversitas contingit, nihil minùs bonitatis, vel malitiæ moralis, formaliter est in solo actu interiori, quàm in interiori & exteriori simul, ut rectè Hugo Victorin. l. 2. de Sacram. p. 14. c. 6. *Si contingat tantam esse voluntatem in eo qui non operatur, quanta est in illo qui opus exercet, ubi voluntas eadem est, meritum dissimile esse non potest.* Et S. Bonaventura in 2. dist. 40. a. 2. q. 1. *Tantùm placet Deo ille qui habet voluntatem plenam, & non potest habere opus, quantum & ille qui habet voluntatem & opus.*

CAPUT X.

Objectiones dissolvuntur.

OBjicies 1°. S. Augustinus l. 13. de Trinit. c. 5. dicit, quòd *malâ voluntate suâ quilibet miser efficitur; sed miserior potestate, quâ desiderium malæ voluntatis impletur.* Et tr. 58. in Joan. *Quod manu non faciunt, corde faciunt: multo autem est melius... ut etiam manibus fiat.* 61

Respondeo id verum esse occasionaliter, & per accidens; non formaliter, & per se. Aliàs sibi manifestè contrarius foret Augustinus.

Objicies 2°. S. Bernardus epist. 77. dicit voluntatem martyrii tantum valere, atque ipsum martyrium ad salutis obtentum; non ad meriti cumulum. 62

Respondeo id non procedere de merito præmii essentialis, ex opere operantis, sed de merito præmii accidentalis, ex opere operato, pro quanto martyrium opere susceptum, ex speciali Dei privilegio, Christique meritis, valet ad aureolam, ad quam non valet martyrium solâ voluntate susceptum. Non itaque Bernardus contradicit Cypriano epist. ad Lucium Papam dicenti: *Neque in tribus pueris minor fuit martyrii dignitas, quia, morte frustratâ, de camino ignis incolumes exierant..., In Confessoribus Christi dilata martyria non meritum Confessionis minuunt.*

Objicies 3°. Meritum non solùm augetur penes affectum internum voluntatis; sed etiam penes difficultates, & alias circumstantias operis, quæ plerumque majores sunt in opere externo, quàm in solo actu interno. 63

Respondeo meritum per se formaliter non augeri penes difficultatem operis externi, sed per accidens, & occasionaliter dumtaxat, pro quanto interior actus voluntatis secundùm se melior est (utpote magis heroïcus, & generosus) volendo efficaciter bonum, non obstante difficultate, &c.

Objicies 4°. Si plus mali non committeret, qui peccatum opere externo perpetrat, quàm qui illud perpetrat solâ voluntate, gratiæ Deo agendæ non forent pro subtracta operis exterioris occasione. 64

Respondeo negando sequelam: quia subtractâ operis exterioris occasione, subtrahitur occasio augendæ, continuandæ, & multiplicandæ malæ voluntatis internæ.

5°. Objí-

65 Objicies 5°. Voluntas quâ elicere volo omnes actus bonos, quos Deipara, & Sancti omnes elicuerunt, tantâ quàm ipsi perfectione, tanti non est meriti, quàm si eos omnes, tantâ perfectione de facto elicerem.

Respondeo, quòd tanti foret meriti, si id omninò efficaciter vellem tantâ plenitudine, ac si omnes illos tanta cum perfectione elicerem. Sed casus est Metaphysicus: quia ad ejusmodi voluntatem necessaria foret tanta gratia, quanta Deiparæ, & Sanctis omnibus concessa est. Unde siquando pii homines simile quid subinde dicunt, velleitate potiùs, quàm plenâ dicunt voluntate, uti colligitur ex eo quòd similiter non operentur, datâ opportunitate. *Non est* autem *perfecta voluntas, nisi sit talis, quæ opportunitate datâ operetur*, ait S. Thomas 1. 2. q. 29. a. 4.

66 Objicies 6°. Qui perfectâ voluntate satisfacere vellet, v. g. parvo jejunio, quantùm satisfaceret in Purgatorio, tantùm equidem non satisfaceret.

Respondeo hoc ideò esse, quia ad satisfactionem plurimùm confert pœna externa. Aliud proinde est de bonitate & merito; aliud de satisfactione.

CAPUT XI.

Bona quæ facimus, sæpè sunt bona mixta malis, & mala mixta bonis.

67 Sæpè dixi: non *semper*. Neque enim *in omni opere bono justus peccat*, ut habet articulus 31. Lutheri, à Leone X. meritissimò condemnatus. Siquidem orthodoxæ religionis doctrinæ adversantur, qui hoc dicunt, uti Tridentinum definivit sess. 6. c. 11. Et quo fundamento hoc dicunt? quia perperàm intelligunt propheticum istud Isa. 64. *Tamquam pannus menstruatæ, universæ justitiæ nostræ.* Quod certè Propheta non dixit in persona fidelium & justorum; sed in persona Judæorum, Christo non credentium, & impiorum, per quorum justitias non intelligit opera justa, sed sacrificia expiatoria veteris legis, quæ per Christum jam abolita sunt, & non solùm mortua, sed & mortifera, & apud Deum fœtida, velut pannus menstruatæ. Ita S. Hieronymus ad citatum Isaiæ locum, Cyrillus, Procopius, &c. *Siquis igitur* (ait Hieronymus) *post Evangelium Christi, & adventum Filii Dei, pedagogæ legis observat cæremonias, audiat populum confitentem, quòd omnis illa justitia panno sordidissimo comparetur.*

68 Sæpè nihilominùs bona justorum esse bona mixta malis, & mala mixta bonis, Sanctorum doctrina est: propter quam justi animis despondere non debent, sed humiliari in conspectu Dei, scrutantis renes & corda. Qui in die judicii separabit pretiosum à vili, bonorumque operum sordes, velut paleas, Purgatorii igne expurgabit, velut rationali igne, quo actuum nostrorum bonitatem à concomitante malitia discernet, malitiam puniendo, bonitatem præmiando.

Quòd igitur bona justorum sæpè sint bona 69
mixta malis, & mala mixta bonis, Gregorius Magnus in fine Moralium perspicuè tradit, dicens: *Redeundum est ad curiam cordis, ut, quasi in quodam Concilio consultationis, ad meipsum discernendum, convocem cogitationes mentis; quatenus ibi videam, ne aut incautè mala, aut bona non benè dixerim. Tunc enim benè dicitur bonum, cùm is qui dicit, soli ei à quo accipit, per id appetit placere quod dicit. Et quidem mala me aliqua etsi dixisse non invenio; tamen quia omninò non dixerim, non defendo. Bona verò, siqua divinitùs accipiens, dixi, meo videlicet vitio minùs me dixisse profiteor. Nam ad me intrinsecus rediens.... dum ipsam subtiliter radicem meæ intentionis inspicio, Deo quidem ex ea me summoperè placere voluisse cognosco; sed eidem intentioni, quâ Deo placerè studeo, furtim se, nescio quomodò, intentio humanæ laudis interserit. Quòd cùm jam postmodùm tardèque discerno, invenio me aliter agere, quod scio me aliter inchoasse.... sicut pro necessitate quidem cibus sumitur; sed in ipso esu, dum furtim gula surrepit, edendi delectatio permiscetur. Fatendum est igitur, quòd rectam intentionem nostram.... nonnunquam intentio minùs recta.... insidiando comitatur. Si autem de his divinitùs districtè discutimur, quis inter ista remanet salutis locus, quando & mala nostra pura mala sunt, & bona, quæ nos habere credimus, pura bona esse nequaquam possunt.*

Quomodò verò id contingat, operosiùs hîc 70
explicandum est. Et unum quidem eumdemque physicè actum exteriorem, v. g. eleëmosynæ ex diversis principiis posse simul esse bonum, malumque, facilè intelligitur. Quia eadem eleëmosyna, quatenùs à voluntate Domini bonâ intentione imperatur, bona est: quatenùs malâ intentione perficitur à voluntate servi, est mala. Eadem quoque passio Christi, quatenùs injustissimè à Judæis illata, est mala; bona verò, immò optima, quatenùs justissimè à Christo suscepta. Quòd si eadem eleëmosyna, & passio, simul esse queat bona, & mala, quatenùs procedit à diversis principiis, & suppositis; quidni & eadem actio exterior, quatenùs imperatur à diversis actibus, uno bono, altero malo?

Potissima ergo difficultas est de actibus in- 71
ternis, an scilicet unus idemque physicè actus interior, simul esse possit bonus & malus? Simul (inquam) quia facilè etiam intelligitur, successivè id fieri posse, si sermo sit de actu contingenter bono & malo. Quemadmodùm enim idem actus intellectus, in materia contingenti, transire potest de vero in falsum, & contrà; sic & idem actus voluntatis de bono in malum, & contrà: ut si velim laborare ad subventionem pauperis, & ista voluntas duret per horam, cujus medietas spectet ad diem ferialem, altera ad diem festivum. Primâ natu-

que medietate horæ erit voluntas bona; alterâ medietate erit mala.

72 Quæstio proinde est, an unus idemque physicè actus interior, simul esse possit bonus, malusque?

Respondeo 1°. unum eumdemque physicè actum internum, respectu unius ejusdemque objecti, eodem modo, & sub iisdem circumstantiis spectati, non posse simul esse bonum & malum. Quia bonum & malum, respectu ejusdem actus, & objecti, eodem modo spectati, sunt differentiæ oppositæ, & invicem repugnantes, ut observat S. Thomas 1. 2. q. 20. a. 6. in argum. *Sed contra.*

73 Respondeo 2°. unum eumdemque actum, in esse physico, dicentem ordinem ad duo objecta disparata, posse esse bonum respectu unius objecti, & simul malum respectu alterius. Potest enim quis uno physicè actu duas velle eleëmosynas, duabus personis erogandas, unam uni propter Deum, alteram alteri propter vanam gloriam, vel complacentiam. Quo casu actus iste, licèt physicè & formaliter unus; moraliter & virtualiter, seu æquivalenter est duplex; utpote æquivalens duobus actibus disparatis, in duo objecta disparata tendentibus, quorum unus, respectu unius objecti, sit bonus; alter respectu alterius, sit malus; quique proinde quatenùs est virtualiter & æquivalenter actus A. sit bonus, quatenùs verò virtualiter & æquivalenter actus B. sit malus. Nulla quippe in eo repugnantia est vel oppositio; ideòque S. Thomas loco citato: *Si sit actus* (inquit) *unus unitate naturæ, & non unitate moris, potest esse bonus & malus.*

74 Respondeo 3°. quandocumque actus interior sic refertur ad finem malum, ut, non propter se, sed propter illum intendatur, actus ille, in individuo, totus malus est, non bonus. Quia ut S. Doctor ait q. 19. a. 7. ad 2. *Qui vult dare eleëmosynam, propter inanem gloriam consequendam, vult id quod de se est bonum*, non sub ratione boni, sed *sub ratione mali* (neque enim voluntas ipsius allicitur bonitate objecti, sed objectum bonum assumit ut instrumentum seu medium iniquitatis) *& ideò prout volitum ab ipso, est malum. Unde voluntas ejus est mala.* Et in 2. dist. 38. q. 1. a. 4. *Cum aliquis vult dare eleëmosynam, propter inanem gloriam, hic est unus actus voluntatis* (ubi enim unum propter aliud, ibi unum tantùm, ait Philosophus) *& hic actus totus malus est.* Quia, ut Veritas dicit: *si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit.*

75 Ad consolationem tamen timoratorum, & maximè pusillanimium, respondeo 4°. unum eumdemque physicè actum internum, respectu ejusdem objecti, diversis intentionibus imperatum, unâ bonâ, alterâ malâ, quarum una ad alteram disparatè, & merè concomitanter se habeat, simul esse bonum, malumque; bonum, quatenùs, ob bonum finem, bonâ imperatur intentione; malum, quatenùs, ob finem malum, imperatur malâ intentione. Ita Ægidius, Adam, Cajetanus, Petrus Loria, Marcus à Serra, Contensonus to. 3. dissert. 5. c. 2. specul. 3. Bonæ-Spei disput. 3. de moralit. actuum dub. 4. Steyartius Aphorism. p. 1. disput. 18. n. 10.

Et ratio est 1°. quia actus ille, licèt physicè unus, est moraliter duplex, sicut *motus continuus, qui procedit ex diversa intentione, licèt sit unus unitate naturæ, non est tamen unus unitate moris*, ait S. Thomas 1. 2. q. 20. a. 6. ad 1. Nulla verò repugnantia est in eo quòd, duorum moraliter actuum, unus sit moraliter bonus, alter malus, non obstante eorum unitate in esse naturæ. Sic enim idem actus exterior ex duplici elicitus intentione, unâ bonâ, alterâ malâ, quarum una ad alteram merè disparatè & concomitanter se habet, absque ulla repugnantia simul est bonus & malus; utpote ut sic moraliter duplex. Nulla etiam repugnantia est in eo quòd idem actus interior ex duplici imperetur intentione, seu fine, quorum alter ad alterum disparatè se habeat, & merè concomitanter. Idem quippe actus ex duplici causa finali, seu duplici fine & motivo procedere potest, ac sæpè procedit, quorum alter ad alterum merè concomitanter & disparatè se habeat. Et si idem actus exterior procedere possit, ac sæpè procedat ex duabus intentionibus disparatis; quidni & idem actus interior ex duobus finibus, seu motivis disparatis, v. g. eadem voluntas Pontificis dispensationem concedentis? Eumdem assensum intellectus ex motivo divinæ fidei, simul & scientiæ experimentalis, procedere posse, & in Deipara, circa Verbi divini ex seipsa Virgine de facto processisse, satis communiter admittunt Philosophi Theologique. 76

2°. Nisi vera sit assertio nostra, possunt contrarii Authores Orbem lustrare, assumptâque Philosophi laternâ, hominem in meridie quærentis, actum bonum vestigare. Et vix invenient. Quia ipsa etiam pietatis opera, ut plurimùm concomitantem habent defectum aliquem, v. g. vanæ gloriæ, vel complacentiæ latenter irrepentis. Ad quod reflectens Joannes à S. Thoma, fatetur, opera pietatis, fideique, pœnitentiæ & justificationis œconomiam, compati minutiorum peccatorum sordes; sed eorum amore non elici: quia tametsi fiant cum illis, non procedunt ex illis; quia ad istos pietatis actus habent se concomitanter, non antecedenter. Et hoc sensu S. Thomas 1. 2. q. 19. a. 2. ad 2. ait: *Supposito quòd voluntas sit boni, nulla circumstantia potest eam facere malam.* 77

Verùm si opera illa pietatis, ideò non desinant esse opera pietatis, quia licèt fiant cum minutioribus illis nævis, non procedunt ex illis; similiter actus, moraliter virtualiter duplex, elicitus ob duos fines disparatos, unum bonum, alterum malum, quatenùs moraliter actus A. elicitus ob finem bonum, non desinit esse bonus, ob consortium & concomitantiam actus B. moraliter virtualiter distincti, 78

eliciti ob finem malum : quia quatenùs actus A. elicitus ob finem bonum, non elicitur ob finem malum, sive ex amore ipsius. Tametsi enim fiat cum ipso, non procedit ex ipso. Quia amor mali finis ad actum illum A. se habet concomitanter, non antecedenter.

79 Et verò si actus bonus, sive interior, sive exterior, eo ipso desineret esse bonus, quo extrinsecus aliquis eum comitatur defectus, væ nobis, in quibus, tametsi vigilantibus, pauci in hac vita forent actus boni : quia pauci sunt, quos extrinsecus defectus aliquis non comitetur. Quem ob defectum si penitùs amitteremus fructum actionis bonæ, pauciſſimi homines pœnitentiæ suæ fructum perciperent : quia pauciſſimi sunt, quorum pœnitentiam defectus aliquis non comitetur, vel scilicet excessiva aliqua indiscretio, vel se intermiscens nimia remissio, vel aliquis affectus purè humanus. Pauci etiam parentes, magistri, superiores, suæ sollicitudinis & zeli disciplinæ meritum non amitterent, dum ex isto zelo, vel filios, vel subditos, vel lascivientem corrigunt juventutem : quia correctionem istam utplurimùm aliquis comitatur defectus, v. g. iracundiæ, vel excessus, &c. Pauci rursus suæ insumendo cibo temperantiæ, & intentionis divinæ gloriæ acciperent mercedem : quia pauci sunt, in quibus temperantiam illam & intentionem insidiosæ voluptatis indulgentia non comitetur. Denique rara avis in terris, cujus piis operibus (etiam supernaturalibus infusarum virtutum, piisque intentionibus recipiendorum Sacramentorum) nonnihil humani affectus extrinsecè & concomitanter non misceatur. Qui tamen haud ideò desinunt intrinsecè & secundùm se esse boni : quia intrinsecè & per se non attingunt finem seu affectum malum ; sed per alium moraliter actum, vel formaliter, vel virtualiter distinctum.

80 Et ideò S. Gregorius n. 69. relatus : *Fatendum* (inquit) *quòd rectam intentionem nostram, quæ soli Deo placere appetit, nonnumquam intentio minùs recta, quæ de donis Dei placere hominibus quærit, insidiando comitetur. Si autem de his divinitùs districtè discutimur* (secundùm rigorem contrariæ opinionis Salmanticensium nostrorum, Joannis à S. Thoma, &c. aientium tunc omne perdi meritum) *quis inter ista remanet salutis locus, quando & mala nostra, pura mala sunt, & bona quæ nos habere credimus, pura bona esse nequaquam possunt?* Ea igitur Gregorius censuit bona mixta malis. Et idem censuit Bernardus serm. 5. de verb. Isa. cùm dixit, *justitiam nostram, rectam forsitan esse, non puram.*

CAPUT XII.

Satisfit objectionibus Salmanticensium, aliorumque superiori assertioni contradicentium.

81 OBjicies 1°. Quandocumque actus ex objecto bonus sit ob finem malum, nullo modo est bonus. Numquam igitur simul est bonus & malus. Probatur antecedens, quia hoc ipso quòd sit ob finem malum, ne quidem est bonus ex objecto. Neque enim bonitatem ullam sumit ab objecto, nisi volito sub ratione boni ; adeòque ut affecto omnibus debitis circumstantiis, ita scilicet ut nulla adsit circumstantia indebita, nec absit ulla circumstantia debita. *Bonum* namque *ex integra causa ; malum ex quolibet defectu.* Unde S. Thomas 1. 2. q. 19. a. 7. ad 2. *Qui vult dare eleëmosynam propter inanem gloriam consequendam, vult id quod de se est bonum sub ratione mali ; & ideò, prout est volitum ab ipso, est malum. Unde voluntas ejus est mala.*

Respondeo antecedens esse verum, quando actus de se bonus merè sit ob finem malum ; non quando sit ob duos fines disparatos, quorum unus bonus est, ad malum nullo modo relatus, de quo casu non loquitur S. Thomas. Isto namque casu actus ille moraliter est duplex, saltem virtualiter & æquivalenter ; & quatenùs sit ob finem bonum, non sit ob finem malum, licèt fiat cum fine malo, id est, cum alio actu in esse moris, saltem virtualiter distincto, finem malum respiciente. Itaque actus ille, quatenùs sit ob finem bonum, nullâ afficitur circumstantiâ malâ, nec ulla ipsi deest circumstantia ipsi quà tali debita. Proinde non deest ipsi causa integra bonitatis in propria linea. Cùm circumstantia mali finis, concomitantis finem illum bonum, ad lineam ipsius non pertineat, nec ipsum afficiat quatenùs actum A. respicientem finem bonum, sed quatenùs actum B. moraliter distinctum, saltem virtualiter.

Objicies 2°. Recta ratio dictat, ad actum 82
bonum necesse esse, quòd omnem excludat obliquitatem, tam ex parte objecti, quàm ex parte circumstantiarum. Dictat enim justa justè prosequenda. Solusque actus ille moraliter est bonus, seu virtuosus, qui conformis est judicio prudentiali, quod est proxima immediataque humanorum actuum regula. Prudentiæ verò munus est, circumspicere, & cavere, ne quis defectus ullo ex capite irrepat in actum.

Respondeo inde solùm confici, unum eumdemque actum in esse moris, ut bonus sit, excludere debere omnem obliquitatem ac defectum. Si autem sit moraliter duplex, sive respiciens duplicem finem, bonum & malum ; quorum alter ad alterum disparatè ac merè concomitanter se habeat, quatenùs v. g. est actus A. respiciens finem bonum, debere à se excludere omnem defectum, ut sit conformis judicio prudentiali ; sed non debere excludere omnem defectum, & circumstantiam malam ab actu B. moraliter distincto ; utpote quæ ipsum (ut actum A.) non afficit, sed ad ipsum quà talem, merè concomitanter se habet.

Objicies 3°. Nullus actus virtutis esse po- 83
test malus (cùm definitio virtutis sit : *Bona qualitas, quâ nemo malè utitur*) ; sed omnis actus bonus est actus virtutis. Ergo nullus

actus bonus potest esse malus.

Respondeo majorem esse veram de actu virtutis, procedente à sola virtute velut principio (quia virtute tamquam principio, nemo potest malè uti, prout S. Thomas docet 1. 2. q. 55. a. 4. ad 5.); secus de actu virtutis, ut procedente ab alio vitioso principio, non per se, sed per alium moraliter actum, ad ipsum, tamquam virtutis actum, merè disparatè & concomitanter se habentem.

84 Objicies 4°. Tam impossibile est justitiam & iniquitatem simul in uno actu reperiri, quàm lucem & tenebras in uno subjecto. *Quæ* enim *participatio justitiæ cum iniquitate* (ait Apostolus 2. Cor. 6.) *aut quæ societas luci ad tenebras?* Unde Augustinus l. contra mendac. c. 7. & 15. *Nihil potest dici absurdius, quàm opus aliquod esse simul justum & injustum.*

Respondeo justitiam & iniquitatem simul reperiri non posse in uno actu, qui non sit moraliter duplex, vel formaliter, vel saltem virtualiter, & æquivalenter; secus si sit moraliter duplex, ut suprà. Neque enim hoc est contra Apostolum, ibi solùm admonentem Corinthios, ut à convictu & consortio infidelium separentur. Non est etiam contra Augustinum, ibi solùm volentem, *ea, quæ constat esse peccata, sicut furta, stupra, &c. nullo bonæ causæ obtentu, nullo quasi bono fine, nullâ velut bonâ intentione facienda esse*, ut ait cap. 15. citato. Solùm proinde vult, mendacium, furtum, & similia, quàmlibet facta bonum ob finem, absque absurditate dici non posse simul justa & injusta. De cujus veritate nullus hodie dubitat.

85 Objicies 5°. Implicat Deum specialiter influere in actum, in quo partem habet diabolus; in eoque sibi complacere. Sed Deus specialiter influit in omnem actum bonum, in eoque sibi complacet. Ergo implicat eum actum esse bonum, in quo partem habet diabolus.

Et confirmatur: si hoc fieri posset, homo posset, uno eodemque actu, duobus simul dominis servire, Deo scilicet & diabolo, contra oraculum Salvatoris: *Nemo potest duobus dominis servire.*

86 Respondeo, implicantiam esse in eo, quòd Deus specialiter influat in actum, in quo partem habet diabolus, secundùm quod in eo partem habet diabolus; utique secundùm quod malus est. Nullam tamen implicantiam esse in eo, quòd Deus specialiter influat in actum, secundùm quod bonus est; quomodò partem in eo diabolus non habet. Neque in casu assertionis nostræ Deum specialiter influere in actum moraliter eumdem, cum eo in quo partem habet diabolus, neque in eo sibi complacere; sed in actum moraliter diversum, & solùm in esse physico unum.

87 Ad confirmationem similiter respondeo, hominem non posse duobus simul dominis servire, actu moraliter uno; secùs actu moraliter duplici. Non sic ut utrique serviat, tamquam absolutè domino, & tamquam fini suo positivè ultimo (quod fieri non posse, docemur oraculo illo Salvatoris); sed Deo tamquam absolutè Domino, finique positivè ultimo, per actum v. g. temperantiæ, factum propter Deum super omnia dilectum; & creaturæ, tamquam fini negativè ultimo, per actum moraliter diversum, factum ob alium finem disparatum, venialiter malum.

Objicies 6°. Implicat eumdem actum fi- 88
mul esse meritorium & demeritorium. Igitur & simul esse bonum & malum.

Respondeo non esse inconveniens in eo quòd idem physicè actus, sed moraliter duplex, sit meritorius, in quantum bonus; & demeritorius, in quantum malus. Sicut nullum est inconveniens in eo quòd per duos actus, physicè distinctos, idem homo simul mereatur & demereatur; uti fortassis accidit obstetricibus Ægyptiis, de quibus S. Thomas 1. 2. q. 114. a. ult. ad 2. ait: *Obstetrices habuerunt bonam voluntatem, quoad liberationem puerorum* Hebræorum, ex timore Dei factam: *non tamen fuit recta earum voluntas, quantum ad hoc quòd mendacium confinxerunt.* Ubi Cajetanus: *Deus tantâ bonitate affluit, ut, etiam inter malas nostras voluntates, gaudeat se ordinare opera, quæ remuneret.* Itaque licèt obstetrices peccarint, & demeritæ sint mentiendo; benè fecerunt tamen, & præmium meruerunt in eo quòd tunc, cùm mentitæ sunt, ex timore Dei, bonam habuerunt voluntatem conservandi populum Dei. Unde Exodi 1. dicitur: *Quia timuerunt obstetrices Deum, ædificavit eis domos.*

Responsio tamen intelligenda non est de 89
actu simul meritorio & demeritorio vitæ & mortis æternæ. Neque enim homo simul dignus esse potest vitâ & morte æternâ, etiam per duos actus physicè distinctos; nec simul esse in gratia & mortali peccato. Aliàs simul esset in gratia, gratiæque privatione. Quod implicat. Intelligenda proinde est de actu physicè uno, sed moraliter duplici, simul meritorio vitæ, vel gratiæ, & demeritorio pœnæ temporalis. Qua in re nulla apparet implicantia, magis quàm sit in eo quòd homo actu physicè duplici sic simul mereatur & demereatur.

CAPUT XIII.

Omnis actus deliberatus, in individuo, bonus est, vel malus; id est, benè, vel malè factus: & hoc sensu nullus indifferens in individuo.

HAnc post Albertum Magnum, Præcepto- 90
rem suum, tradit S. Thomas in 1. dist. 1. q. 3. ad 3. & 1. 2. q. 18. a. 9. Estque communis sententia sanctorum Patrum, & Doctorum.

Et probatur 1°. Authoritate sacrorum Eloquiorum, quibus l. 8. demonstrabitur obligatio Deum amandi, in omnibus quæ deliberatè amamus, ad ipsumque referendi quidquid deliberatè agimus, illa etiam quæ in specie sunt indifferentia, ut manducare, bibere, &c.

Vel ergo hoc facimus, vel non. Si facimus, benè; sin minùs, malè facimus. Quidquid ergo deliberatè facimus, vel benè, vel malè in individuo facimus.

91 2°. Ex Matth. 12. ubi Salvator dividit arborem in bonam & malam; sicut & arboris fructus, in bonos & malos: *Aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum; aut facite arborem malam, & fructum ejus malum.* Quæ divisio manca foret, si daretur in individuo voluntas media inter bonam & malam, sive sumpta pro potentia, sive sumpta pro actu. Sic enim daretur arbor media, & fructus ejus medius: cùm arboris nomine voluntas intelligatur.

92 3°. Rursus ex Matth. 12. ubi sic: *Omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii. Ex verbis enim tuis justificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.* Ex quibus verbis sic arguo: de omnibus deliberatis factis, in die judicii, in ordine ad justificationem, vel condemnationem, æquè nos oportet reddere rationem, quàm de omnibus deliberatis verbis. Sed de omnibus deliberatis verbis, in ordine ad justificationem, vel condemnationem, reddenda est ratio. Omnia proinde vel bona sunt, vel mala (de solis namque bonis justificabimur; de solis malis condemnabimur) nulla in individuo indifferentia. Siqua enim in individuo indifferentia forent ad bonitatem vel malitiam; in individuo indifferentia forent ad justificationem, vel condemnationem. Siqua verò in individuo indifferentia forent ad justificationem, vel condemnationem; forent verba otiosa. Quod negat Evangelium, juxta communem SS. Patrum expositionem, apud Valentiam hîc disput. 2. q. 13. puncto 6. de verbo. Neque enim per verbum otiosum Patres intelligunt verbum ex se malum, v. g. nocivum, mendax, detractorium, blasphemum, impium, &c. (prout aliqui Juniores perperàm interpretantur) aliàs vim non haberet argumentum à fortiori, quo Salvator ibi probat, reddendam in die judicii rationem de verbis nocivis, mendacibus, detractoriis, blasphemis, impiis, quibus Pharisæi calumniabantur ipsum in Beelzebub ejicere dæmonia; id (inquam) à fortiori probat, ex eo quòd de verbis otiosis, in die judicii, rationem reddituri sint, in ordine ad pœnam & condemnationem. Quia (ut Ambrosius exponit l. 1. Offic. c. 2.) *Si pro otioso verbo ratio poscitur; quanto magis pro sermone impietatis, & blasphemiarum?* Vel, ut Bernardus in serm. de tripl. custod. *Si de omni vel otioso verbo.... Deo sunt reddituri rationem.... quanto districtiùs de verbo mendaci & injurioso, &c. Si* verò *de verbis otiosis ratio redditur* ad pœnam, *quanto magis de operibus?* ait Hieronymus in Psal. 16. Enimverò *cuncta quæ fiunt adducet Deus in judicium*, Eccle. ult. utique in ordine ad sententiam justificationis, vel condemnationis, sive præmii, vel pœnæ. Neque enim alterius sententiæ, & judicii (saltem pro dictis, & factis adultorum) mentio legitur in sacris Litteris.

Porrò otiosum SS. Patres concorditer vo- 93
cant, quod non refertur ad debitum finem bonum. Unde Origenes Homil. 1. in Psal. 38. *Otiosus est, qui neque boni, neque mali aliquid agit.* Hieronymus in cap. 4. ad Ephes. Otiosum verbum est, *quod non ædificat audientes, ut si, omissis seriis, de rebus frivolis loquamur, & fabulas narremus antiquas.* Basilius in reg. ad interrogat. 23. *Omne verbum, quod ad propositum in Domino usum non servit, otiosum est.* Gregorius Homil. 6. in Evang. *Otiosum verbum est, quod aut utilitate rectitudinis, aut ratione justæ necessitatis caret.* Ita ut pro fine non habeat ædificationem. Immediatè namque subdit: *Otiosa ergo colloquia ad ædificationis studium vertite.* Bernardus tr. de vit. solitar. ad fratres de monte Dei: *Quicumque.... quodcumque agit.... & non propter hoc agit, ut Deo serviatur, in eo quod agit otiatur.*

Hinc appetitus gloriæ, non relatus ad glo- 94
riam Dei, vel salutem proximi, vanus est, juxta S. Thomam 2. 2. q. 132. a. 1. *Potest gloria dici vana tripliciter.... Tertio modo ex parte ipsius qui gloriam appetit, qui videlicet appetitum gloriæ suæ non refert in debitum finem, putà ad honorem Dei, vel proximi salutem.*

Sed & appetitus scientiæ, eumdem in finem 95
non relatus, est vanus, juxta eumdem ibidem q. 167. a. 1. *Appetitus, vel studium cognoscendæ veritatis, potest habere perversitatem.... ex ipsâ inordinatione appetitus & studii ad cognoscendam veritatem. Et hoc quadrupliciter.... Tertiò, quando homo appetit cognoscere veritatem circa creaturas, non referendo ad debitum finem, scilicet ad cognitionem Dei. Unde Augustinus dicit in lib. de ver. relig. c. 29. quòd in consideratione creaturarum non est vana... curiositas exercenda, sed gradus ad immortalia & semper permanentia faciendus.* Et ad 1. *Potest esse vitium in cognitione aliquorum verorum, secundum quod talis appetitus non debito modo ordinatur ad cognitionem summæ veritatis.* Ratio est, quia, ut ait in 1. dist. 1. q. 3. ad 3. *actus procedens à ratione deliberata, s. est referibilis in Deum, & non refertur, vanus est, & otiosus.* Et sicut in vanum gratiam accipit, qui eâ non utitur ad finem, ad quem à Deo gratiam accipit; & in vanum tempus transigit, qui in eo non facit aliquid utile ad finem, ad quem Deus ipsi tempus concedit; & in vanum essent sol, elementa, &c. si non facerent id ad quod Deus illa condidit, si utique sol non illuminaret, ignis non calefaceret, aqua non humectaret, &c. Sic homo vanus & otiosus est, omni momento, quo nihil facit utile ad finem, propter quem factus est. Quomodò & in vanum homo libero suo utitur arbitrio, qui illo non utitur ad finem, ad quem ipsi unicè datum est, utique ad servandam rectitudinem, propter ipsam rectitudinem. Ut enim Anselmus dicit l. de lib. arb. c. 3. *Liberum arbitrium homini non est datum, nisi ut ser-*

varet rectitudinem, propter ipsam rectitudinem.

96 3°. Idipsum probatur ex communi doctrina Sanctorum. Est enim procul dubio eorum omnium, qui tradunt obligationem referendi omnes actus nostros deliberatos in Deum. Quos longo agmine lib. 8. proferemus.

97 Est & specialiter Tertulliani l. de patient. c. 8. aientis, *manere nos omnis vani & supervacui dicti reatum.* Et Basilii Magni in Psal. 29. dicentis, quòd omnis actio nostra vel nos ad Deum erigit, tamquam bona; vel ad inferiora deprimit, tamquam mala & peccaminosa: *Una quælibet actio, aut ad inferiora nos per peccatum gravando deducit; vel habiles ad Deum accedendi, ad Deum tollit.*

98 Et D. Augustini l. 2. de peccat. merit. c. 18. *Mirum, si potest in medio quidem voluntas sic consistere, quod nec bona, nec mala sit.* Et infrà: *Voluntas, aut bona est, aut mala.* Quod Augustinus non dicit de sola voluntate in potentia, sed in actu, uti constat ex contextu & scopo ipsius, necnon ex eo quòd si voluntas in actu non necessariò foret bona vel mala, id est, benè volens, vel malè, nec voluntas in potentia necessariò talis foret. Cùm voluntas in potentia ab actu suo qualificetur, utpote talis, qualis est dilectio ejus, uti frequenter Augustinus dicit. Nec ibi dumtaxat Augustinus negat actum in individuo indifferentem, sive medium inter rectè & malè factum, sed & in lib. de utilit. cred. c. 12. cùm dicit: *Nonne factum, si rectè factum non est, peccatum,* id est, malè factum *est?* Porrò ideò factum medium non admittit, quia *cùm facit homo aliquid ubi peccare non videtur, si non propter hoc facit, propter quod facere debet* (utique propter Deum) *peccare convincitur. Ipso enim non recto fine peccatum est.*

99 Nec S. Fulgentius factum admittit medium inter benè & malè factum. Cùm actum non admittat medium inter placentem Deo, eique displicentem, l. 1. de verit. prædest. c. 18. Aliàs enim ibi non diceret: *Omne quod non est ex fide, peccatum est. Et sine fide impossibile est placere Deo. Qui autem Deo non placet, sine dubio displicet.*

100 Nec D. Paulinus, sive Author Epistolæ ad Celantiam, diceret: *Omne quod agimus, omne quod loquimur, aut de lata, aut de angusta via est.*

101 Nec D. Gregorius l. 26. Moral. c. 13. *Non enim ante oculos Dei vacuæ transvolant cogitationes nostræ, & nulla momenta temporis per animum transeunt, sine statu retributionis.* Uti nec Bernardus: *Sicut capillus de capite, sic nec momentum peribit de tempore.* Nec Sancti passim dicerent, non dari medium, inter proficere & deficere. Si enim medium agnoscerent, inter benè & malè agere, eo ipso medium agnoscerent, inter proficere & deficere. Cùm is qui nec benè agit, nec malè, nec proficiat, nec deficiat, ut per se manifestum est.

CAPUT XIV.

Contrariis occurritur argumentis.

Objicies 1°. In Concilio Constantiensi sess. 15. a. 6. damnata est propositio Joannis Hus, quâ dicebat, nulla esse opera indifferentia. 102

Respondeo damnatam esse in sensu Authoris, volentis, omnia justorum opera esse bona, omnia opera peccatorum esse mala. Quod est hæreticum: quia *septies in die cadit justus.* Et peccatores sæpè faciunt actus moraliter bonos, quibus ad justificationem disponuntur.

Objicies 2°. D. Hieronymus epist. 89. dicit, quòd *bonum est continentia, malum est luxuria: inter utrumque indifferens, ambulare.... sive enim feceris, sive non feceris, nec justitiam habebis, nec injustitiam.* Ubi ly *feceris*, denotat actum in individuo. Nihil enim fit, nisi in individuo. 103

Respondeo negando consequentiam. Quemadmodùm enim Hieronymus, dum ait, continentiam esse bonum, sic vult esse bonum ex objecto, ut non neget malè fieri in individuo, si fiat ob finem malum, v. g. vanam gloriam; sic dum ait, ambulare, esse actionem indifferentem, sic vult esse actionem indifferentem ex objecto, ut non neget malè fieri in individuo, si fiat cum defectu debiti finis. Solùm enim vult, quòd sive actionem illam fecerimus, sive non fecerimus, nec justitiam habebimus, nec injustitiam, quantum est ex specie talis actionis. Quamvis enim nihil fiat, nisi in individuo; non tamen de solis individuis, sed etiam de solis speciebus & generibus, rectè dicitur, quòd fiant, in aliquo videlicet individuo suo, ut constat ex Genes. 1. *Fecit Deus bestias terræ juxta species suas, & jumenta, & omne reptile terræ in genere suo.*

Objicies 3°. Nazianzenus orat. 3. in Julian. ait, quòd *non continuò pœnâ dignus sit, qui laudem non meretur.* 104

Respondeo, vel hoc dicere propter actiones ex specie indifferentes, propter quas, specificè spectatas, nec pœnam, nec laudem homo promeretur. Vel hoc dicere, propter actiones deliberatas secundùm speciem suam, sed indeliberatas secundùm defectum circumstantiæ individuantis, relationis scilicet ad debitum finem ultimum. Quia dum deliberatè quidem homo ambulat, sed ex naturali oblivione, seu distractione & inadvertentia, citra negligentiam, omittit relationem ambulationis in Deum, non peccat ex defectu istius relationis; utpote indeliberato, atque adeò non voluntario. Isto proinde casu, ob naturalem indeliberationem, atque hoc sensu ob naturalem miseriam, ambulatio ipsius est indifferens in individuo; quod solùm intendere videtur S. Bonaventura in 2. dist. 41. a. 1. q. 3. Sed non ideò vera esse desinit assertio nostra, procedens de actibus plenè deliberatis; tam scilicet secundùm rationem

suam

ſuam ſpecificam, quàm ſecundùm circumſtantiam individuantem debiti finis ultimi. Dari namque actus indeliberatos, in individuo indifferentes, nemo eſt qui neget.

105 Objicies 4°. Aſſertio noſtra conſcientias gravat, ſcrupuliſque, imò peccatis innumerabilibus exponit; utpote ſecundùm quàm licitum non eſt pulchrum ſpectare campum, fragrantem roſam odorare, ob ſolam naturæ commoditatem, vel delectationem, ignem accedere, &c.

Reſpondeo negando antecedens. Neque enim aſſertio noſtra conſcientias gravat, ſed levat, tradendo modum, ex amore debiti finis, ſuaviùs operandi, innumerabiliumque peccatorum omiſſionis ſarcinam deponendi, quæ ab iis incurruntur, qui debitum in actionibus ſuis finem prætermittunt. De quibus S. Thomas intelligit verba iſta Job 22. *Propter malitias tuas, & infinitas iniquitates tuas.* Intelligit (inquam) de peccatis omiſſionis, quæ infinita eſſe dicit, longèque plura, quàm peccata commiſſionis.

106 Neque aſſertio noſtra illicitum dicit, pulchrum ſpectare campum, vel fragrantem odorare roſam, nec omnes vitæ commoditates rejicit, & delectationes; ſed docet eas ad finem debitum referendas; nec iis vetat uti, ſed frui, dum docet eas aſſumi debere ut medium, non ut finem.

107 Per conſequens aſſertio noſtra horrida non eſt; ſed ordinata, caſta, & homine digna, dum eum dicere vult cum Philoſopho Morali epiſt. 65. *Major ſum, & ad majora natus, quàm ut mancipium ſim corporis mei.* Contraria verò aſſertio permittit inordinationem homine indignam, dum contra rationis ordinem, voluntatem, potentiarum reginam, iis potentiis permittit ancillari, quibus debet principari. Quod profectò facit, dum ipſi permittit agere propter delectationem ſenſibilem præcisè; atque adeò propter finem proprium facultatis inferioris. Hoc ipſo namque permittit, ut major ſerviat minori, ratio concupiſcentiæ obſequatur. Illa quippe potentia alteri ſervit, & ſubordinatur, quæ ſuum actum non exercet, niſi propter finem alterius, ut videre eſt in arte dolandi lapides, quæ ideò deſervit ædificatoriæ, quia lapides non dolantur niſi ad finem ædificandi. Facultas proinde rationalis ſervit & ſubordinatur facultati animali, dum actus ipſius non fiunt niſi ob ſenſibilem delectationem, vel commoditatem, quæ eſt finis proprius facultatis animalis. Quod proinde illicitum meritò Eccleſia declaravit per Decretum Innocentii XI. quo damnata eſt propoſitio octava & nona inter 65. Nec tamen ideò ſcrupulis & innumerabilibus peccatis conſcientias expoſuit.

108 Itaque ratio, ſeu facultas rationalis advigilare debet, ne voluptas ſenſibilis præcurrat; cùm ſubſequi debeat: & ne aſſumatur ut finis, ſed ut medium ad finem debitum. Quod ſiquando præcurrat, non propterea ſcrupulis angi nos oportet, ſed coram Deo confundi & humiliari; nec animus triſtitiâ obrui debet, ſed ſervire Domino in timore Sanctorum, qui nec obruit, nec turbat; ſed humiliat, & humiliando ſublevat: cor enim contritum & humiliatum non deſpicit Deus, ſed tranquillum facit, dando ipſi pacem juſtorum, quæ in ipſis quoque timoribus, exuperat omnem ſenſum, ut benè Contenſon. to. 3. diſſert. 4. c. 2. ſpecul. 3.

CAPUT XV.

Omnis actus in individuo bonus, ad debitumque finem ultimum relatus, meritorius eſt, ſaltem de congruo: nullus ſteriliter bonus.

DE *congruo* (inquam) quia ex propoſitio- 109
nibus ſexageſima ſecunda & ſexageſima quinta à Pio V. damnatis conſtat, actus in individuo bonos, nullaque ex parte peccaminoſos, per gratiam Spiritûs ſancti, nondum inhabitantis, fieri à peccatoribus, nondum juſtificatis, quibus ad juſtificationem diſponuntur. Sola verò opera juſtorum, quæ fiunt à vivo Chriſti membro, per gratiam Spiritûs ſancti inhabitantis, meritoria ſunt de condigno.

Probatur itaque aſſertio noſtra 1°. ex D. Ba- 110
ſilio n. 97. relato, aiente, quòd omnis actio, quæ nos ad inferiora per peccatum gravando non deducit, *habiles ad Deum accedendi, ad Deum tollit.* Omnis verò actio, nos ad Deum tollens, ſine dubio meritoria eſt, ſaltem de congruo.

2°. Juxta Auguſtinum, & alios commu- 111
niter Patres, nullus eſt actus in individuo bonus, niſi in Deum, tamquam finem ultimum, actu vel virtute relatus, ex vero ſinceroque Dei propter ſe amore, uti demonſtrabitur lib. 8. Sed nullus actus ejuſmodi poteſt non eſſe ſalutaris, ſeu profiêuus ad ſalutem: cùm verus Dei propter ſe amor nequeat non eſſe ſalutaris. Nihil quippe ad hoc requiſitum ipſi deeſt: cùm nequeat non eſſe ex gratia, ſaltem actuali, ut videbitur ibidem.

3°. Auguſtinus id evidenter docet omnibus 112
locis, quibus nullum actum in individuo bonum agnoſcit, niſi qui aliquo modo eſt ex fide (ſaltem inchoata) per charitatem operante. Fides namque & charitas, ſecundùm Auguſtinum, ſterilis eſſe non poteſt.

4°. Specialiter id tradit l. 4. contra Julian. 114
c. 3. ubi non ſolùm conſtanter aſſerit, nullos dari actus ſteriliter bonos, nullam veram juſtitiam ſterilem, nullas veras virtutes ſteriles: ſed & mirum quantùm inſurgit in Julianum, contrarium aſſerentem, ut demonſtrabitur ibidem cap... Et ratio tantæ averſionis ipſius ab ejuſmodi actibus, & virtutibus, eſt quia Pelagiana aſtutia ideò genus quoddam actuum naturaliter bonorum, ad vitam æternam ſterilium, excogitavit & induxit, ut aliquem haberet colorem adſtruendi aliquod in natura

initium, seu dispositionem ad gratiam. Ita præsertim Julianus apud Augustinum loco citato, ubi commentum istud, cum Semipelagianis proximè referendis, iisdem fundamentis stabilire conatur; quæ etiamnum allegant, qui actus naturali bonitate steriliter bonos hodie adstruunt. Primò utique, quòd natura, à Deo creata, arbor bona sit; adeòque fructus bonos efficere possit. Secundò, quòd non sit extincta tota vis naturæ; nec proinde extincta facultas efficiendi opera quædam facilia, sibique proportionata, v. g. colendi parentes, afflictis compatiendi, &c. Tertiò, quòd in infidelibus, omni gratiâ supernaturali destitutis, veræ non defuerint virtutes, ut patet in virginitate Vestalium, fortitudine Fabritiorum, Camillorum, &c. prout citato cap. 3. videre est, ubi Augustinus Juliani vafritiem, callidamque detegit machinationem, quâ genus hoc actuum naturaliter honestorum commiscebatur, ut initium aliquod in natura poneret ad gratiam: *Vis intelligi, hominem per se incipere sine gratia..... in quo enim vis hominem, sicut loqueris, ad aliquid generosi cordis stimulis incitari, in hoc eum non vis in Domino, sed in libero arbitrio gloriari, ac sic priorem dare, ut retribuatur illi.* Eamdem Semipelagianorum machinationem Hilarius refert in epist. ad Augustinum, præfixâ libro de prædestinat. Sanctor. Contendebant enim, *nullam ita depravatam voluntatem, vel extinctam, ut non debeat, vel possit velle sanari, &c.*

114 Sic itaque asseruerunt genus illud actuum, naturaliter bonorum, ad vitam æternam sterilium, ut, eo posito, colore aliquo inferre possent, aliquam in natura dispositionem, licèt improportionatam, ad gratiam; quæ proinde aliquo modo daretur secundùm merita, ut Augustinus observat l. de prædest. Sanct. c. 2. his verbis: *Videte, si aliud agitur isto modo, nisi ut gratia Dei secundùm merita nostra detur quolibet modo.* Meritò dicit, *quolibet*, sive aliquo *modo*. Neque enim hæretici solliciti esse solent de modo, dummodò errorem suum tueri queant, quolibet demùm modo.

115 Nec certè, posito illo actuum naturaliter bonorum genere, v. g. naturali Dei propter se dilectione, argutia ipsorum prorsus infundata fuisset, quâ prætendebant, homines, per ejusmodi actus, ad gratiam aliquo modo disponi, Deoque aliquam dare occasionem, ipsis aliquo modo retribuendi, atque hoc saltem sensu, aliquo modo, licèt imperfecto, & improportionato, gratiam promereri, ob rationem Prolegom. 6. c. 13. allatam. Vidit proinde aquilinis oculis suis consequentiam istam Augustinus, nec legitimam esse negavit, imò fundatam agnovit lib. 4. contra Julian. c. 3. cùm dixit: *Absit, ut Deus bonus, à quo securis paratur arboribus non facientibus fructum, excidat, & in ignem mittat arbores bonas, &c.* Quia, ut ibidem ait: *Arbores bonæ sunt, quarum fructus boni sunt, & debent Deo placere, &c.* Totis proinde viribus impugnavit antecedens, ne colorem, aut verisimilitudinem istud haberet consequens. Totis (inquam) viribus infectatus est actus, quos Julianus prætendebat steriliter bonos. Nec potuit non insectari, salvo principio suo (quod ut certum statuit) de gratiæ necessitate, nedum ad singulos actus in individuo bonos; sed & ad vitandum, ne in omnibus quæ facimus, aliqua ex parte peccemus. Quam gratiæ necessitatem statuit in locis Prolegom. 4. c. 19. relatis, & ampliùs in locis l. 8. c. 29. 30. & 32. referendis.

Et hinc 5°. Probatur assertio: quia omnis 116
actus, in individuo bonus; ad debitumque proinde finem ultimum relatus, ex gratia procedit, secundùm Augustinum, & constat ex Scripturis, Conciliis, SS. Pontificibus, Patribus, & rationibus Theologicis eodem lib. 8. c. 29. §. 1. 2. & 3. exhibendis. Atqui omnis actus, ex gratia procedens, meritorius est, saltem de congruo; nullus verò sterilis, seu steriliter bonus. Deus namque, cui bona cuncta placent, vacuum & inanem esse non sinit ullum actum ex gratia factum, in obsequium suum, ne potum quidem aquæ frigidæ, ut constat ex Evangelio.

6°. Omnis actus, quatenus ex gratia, est 117
supernaturalis. Ergo proportionatus ad meritum, saltem congruum, præmii supernaturalis.

7°. Ex doctrina Aquinatis, non uno loco 118
hac in re Augustino concinentis. Siquidem in 1. dist. 1. q. 3. ad 3. ideò nullum agnoscit actum deliberatum, indifferentem in individuo, quia omnis actus deliberatus, vel est referibilis in Deum, vel non? Si non, est peccatum. Si sic: vel refertur in Deum, vel non refertur? Si non refertur, est actus otiosus; adeòque peccaminosus. Si refertur, est meritorius, etiam de condigno, suppositâ gratiâ gratum faciente: *Si refertur* (inquit) *in Deum, suppositâ gratiâ, meritorius est. Si autem non est referibilis, peccatum est. Si autem est referibilis, & non refertur, vanus est.*

Deinde nullum & ipse actum, in individuo 119
bonum, agnoscit, nisi ex gratia actuali, ut constat ex testimoniis ipsius l. 8. cap. 29. & 34. allegandis. Nullum igitur agnoscit, nisi meritorium, saltem de congruo.

Ad hæc 1. 2. q. 21. a. 4. ex professo tractans 120
quæstionem: *Utrùm actus humanus, in quantum est bonus, vel malus, habeat rationem meriti, vel demeriti apud Deum?* In argumento *Sed contrà* arguit sic: *Dicitur Eccle. ult. cuncta quæ fiunt adducet Deus in judicium, sive bonum, sive malum. Sed judicium importat retributionem, respectu cujus meritum, vel demeritum dicitur. Ergo omnis actus bonus, vel malus, habet rationem meriti, vel demeriti apud Deum.* Deinde in corp. dicit, quòd *actus alicujus hominis habet rationem meriti secundùm quod ordinatur ad Deum.* Atqui omnis actus, in individuo benè factus, ordinatur ad Deum. Aliàs non benè fieret, sed malè. *Est* enim *debitum, ut ad finem ultimum omnes actus nostri refe-*

referantur. Ibidem. Quia, ut ait ad 3. *totum quod homo est, & quod potest, & habet, ordinandum est ad Deum.* Unde concludit: *Et ideò omnis actus humanus bonus, vel malus, habet rationem meriti vel demeriti apud Deum, quantum est ex ipsa ratione actus*, id est, quantum est ex ratione operis, præscindendo à statu operantis, an scilicet sit, vel non sit in statu gratiæ gratum facientis. Quem statum S. Doctor requirit ad meritum simpliciter dictum, seu condignum. De quo proinde intelligendus est, siquando contrarius videatur.

121 Præterea S. Doctor ibidem q. 114. a. 4. dicit, quòd *meritum vitæ æternæ primò pertinet ad charitatem; ad alias autem virtutes secundariò, secundum quod earum actus à charitate imperantur.* Unde sic argumentor: Omnis actus individuo benè factus, vel est charitatis, vel à charitate imperatus, juxta S. Doctorem (neque enim admittit actum in individuo benè factum, nisi relatum in Deum finem ultimum: quod secundùm ipsum pertinet ad charitatem); sed omnis actus, qui vel est charitatis, vel à charitate imperatus, est meritorius: cùm meritum primò pertineat ad charitatem. Ergo.

Denique 2. 2. q. 104. dicit, quòd *quæcumque virtutum opera ex hoc fiunt meritoria apud Deum, quòd fiunt ut obediatur voluntati divinæ.* 122 Sed quæcumque fiunt finaliter propter Deum (uti fiunt omnia opera in individuo bona, seu benè facta) fiunt (saltem virtualiter) ut obediatur voluntati divinæ; utpote quæ vult, ut omnia fiant propter Deum. Enimverò omnia opera in individuo benè facta fiunt ex charitate, seu Dei propter se amore. Charitas autem, seu Dei propter se amor, omnia facit quia placita sunt Deo.

LIBER QUARTUS.

Amor circumspectus.

QUisquis ordinatè amat, aspicit quod aspiciendum est, ne quid ordinationi desit amoris, ne quid bonitati desit actionis. Neque enim ex passione agit, vel ex impetu, sicut bruta. Advigilat, ne sensualitas premat, ne ira excandescat, ne insoleſcat authoritas, ratio evagetur, fugiat prudentia, labatur lingua. Quia motus ipsius præcedit ordinatio & trutina debitæ circumspectionis. Considerat omnes circumstantias operis, ne quid ei debitum desit, & ne indebitum adsit. Omnem electionem executionemque ipsius trina hæc prævenit consideratio: *An liceat? deinde, an deceat? postremò, an expediat?* uti Doctor Mellifluus considerandum monet. Quippe, ut lib. 4. de considerat. c. 4. ait: *turpe est tibi sæpiùs retractare quod feceris, & judicium tuum frequenter periclitari non decet. Diligenter proinde omne quod faciendum est, tracta apud te.... tracta ante factum: quia post factum sera retractatio est.* Nec istam considerationem ordinatè amans prætermittit, eo quòd nisi actus suos, quâmlibet ex objecto bonos, in debitum referat finem, cæterisque debitis ornet circumstantiis, seminabit multum, sed inferet parùm; comedet, & non satiabitur; bibet, & non inebriabitur; operietur, & non calefiet; mercedes congregabit, easque mittet in sacculum pertusum. Ad quod præcavendum operæ pretium est sequentia de humanorum actuum circumstantiis observare.

CAPUT I.

Circumstantiarum natura.

1 CIrcumstantia est particularis conditio actus humani, extra substantiam ipsius existens; aliquid tamen ad moralitatem, seu bonitatem vel malitiam ipsius conferens. Actus quippe humani, ultra primariam bonitatem, vel malitiam, quam habent ex objecto, alteram secundariam habent ex circumstantiis. Nam *sicut in rebus naturalibus non invenitur tota plenitudo perfectionis ex forma, quæ dat speciem* (ait Aquinas 1. 2. q. 18. a. 3.) *sed multum superadditur ex supervenientibus accidentibus; sicut in homine, ex figura, colore, & aliis: ita dicendum de actione, cujus perfectio non tota consistit in sua specie primaria* (quæ petitur ex objecto) *sed aliquid additur ex his quæ adveniunt tamquam accidentia quædam. Et hujusmodi sunt circumstantiæ debitæ.*

Porrò ista secundaria bonitas, vel malitia, 2 quæ ex circumstantiis provenit, aliquando est specifica, seu mutans speciem; aliquando solùm aggravans, vel diminuens intra eamdem speciem. Quòd enim dentur circumstantiæ speciem mutantes, Tridentinum sess. 14. c. 5. & can. 7. declarat, dum ait, necessariò confitendas esse circumstantias, *quæ speciem peccati mutant.*

Neque contra rationem circumstantiæ, id 3 est, accidentis, quà talis, est dare speciem secundariam, & accidentalem (quæ utique supponit actum in specie primaria, in genere moris jam constitutum) licèt sit contra rationem circumstantiæ, dare speciem primariam. Hoc namque usque adeò spectat ad objectum, ut siquando circumstantia det actui primam speciem, in genere moris, quatenùs eam dat, esse desinat circumstantia, objectique rationem sortiatur, ut S. Thomas tradit 1. 2. q. 19. a. 10. ad 2. Circumstantia quippe, vanæ gloriæ v. g. quatenùs eleëmosynæ ob eam factæ,

dans primam ſpeciem malitiæ, circumſtantia non eſt eleëmoſynæ malè factæ. Ut enim circumſtantia maneat circumſtantia, ſupervenire debet actui, in prima ſpecie bonitatis, vel malitiæ jam conſtituto, ſpeciem illam augendo, vel aliam ei bonitatis, aut malitiæ ſpeciem adjiciendo.

CAPUT II.

Circumſtantiæ ſeptem.

4 CIrcumſtantias quatuordecim aſſignat D. Bonaventura in 4. diſt. 16. dub. 9. verſibus hiſce comprehenſas:

Aggravat ordo, locus, perſona, ſcientia, tempus,
Ætas, conditio, numerus, mora, copia, cauſa,
Eſt modus in culpa, ſtatus altus, lucta puſilla.

Sed eas S. Thomas (poſt Tullium, & Damaſcenum) ſeptenario hoc numero comprehendit:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodò, quando.

Quarum tres ſe tenent ex parte agentis, ſeu cauſæ, videlicet *quis*, *quibus auxiliis*, & *cur*. *Quis* enim deſignat cauſam principalem. *Quibus auxiliis*, cauſam inſtrumentalem. *Cur*, cauſam finalem. Tres tenent ſe ex parte actus, ſcilicet *quomodò*, *ubi*, *quando*. Septima tenet ſe ex parte objecti, ſcilicet *quid*.

5 Cæterùm circumſtantia *quis* non deſignat perſonam ipſam agentem ſecundùm ſe; ſed qualitatem, ſeu conditionem ipſius, an ſcilicet, ſit religioſa, conjugata, &c. An Epiſcopus, Prælatus, &c. Frequenter quippe accidit, quòd ratione qualitatis perſonæ agentis, actus vel ſit ſcandaloſus, vel ſacrilegus, &c. qualis alioqui non eſſet. Frequenter etiam bonitas vel malitia ipſius inde accreſcit, intra eamdem ſpeciem. Fornicatio namque Epiſcopi peccatum eſt procul dubio gravius fornicatione ſimplicis Sacerdotis; quemadmodùm & Sacerdotis fornicatio gravior eſt fornicatione Diaconi, & Subdiaconi. Similiter humiliatio perſonæ valdè nobilis erga vilem perſonam, longè majoris eſt bonitatis ac meriti, quàm humiliatio perſonæ vilis erga valdè nobilem.

6 Circumſtantia *quid*, vel *circa quid*, objecti ſubſtantiam non denotat, ſed qualitatem, vel quantitatem, vel qualitatem perſonæ circa quam peccatur, v. g. an res furto ſublata ſacra ſit vel profana; gravis, an levis; an perſona, cui detraxiſti, ſit ſacra; an ſuperior tuus; an perſona, quacum fornicatus fuiſti, ſoluta ſit, vel conjugata, vel ſacra, vel conſanguinea, vel affinis.

7 *Ubi*, & *quando* non ſignificant nudum locum, & tempus, ſecundùm ſe, ſed ſpecialem loci, vel temporis qualitatem, v. g. an locus, ubi furtum, vel homicidium, vel fornicationem perpetraſti, ſit ſacer; an tempus, quo ſervile opus feciſti, feſtivum fuerit. Quædam enim uno loco, vel tempore prohibentur, non alio. Quædam etiam, ratione loci, vel temporis, ſpecialem, vel majorem contrahunt malitiam, prout oſtendemus lib. 9. c. 10.

Quibus auxiliis, qualitatem indigitat adjutoris, vel inſtrumenti, vel medii, quo uſus es ad opus perficiendum, an v. g. uſus ſis ope dæmonis, vel alterius hominis ad nocendum, an ope lenonis ad pelliciendum ad fornicationem, an re ſacrâ ad uſus profanos, &c. 8

Cur, finem extrinſecum actus, ſeu operantis, deſignat (an v. g. oraveris propter vanam gloriam); non finem intrinſecum, ſeu operis. Hic namque ad ſubſtantiam actus ſpectat, non ad circumſtantiam. 9

Quomodò, denotat modum accidentalem actus, v. g. fueritne intenſus, an remiſſus; an efficax, an inefficax; an diù, an parùm duraverit, &c. 10

CAPUT III.

Quando actus ex objecto, adeòque ex ſpecie ſua & officio bonus, non ſit ob ſpecificam bonitatem ſuam, ſed ob finem malum, v. g. ob vanam gloriam, non eſt moraliter bonus, ſed totus malus: ſecùs dum ſit ob ſpecificam bonitatem ſuam, licèt cum defectu relationis in Deum.

PRima pars conſtat ex Evangelico oraculo: 11 *Si oculus tuus* (id eſt, intentio) *nequam fuerit, totum corpus* (id eſt, opus) *tuum tenebroſum erit*, id eſt, malum. Matth. 6. Sic enim oraculum iſtud communiter intelligunt Sancti, nominatim Auguſtinus l. 4. contra Julian. c. 3. Unde Boëtius Topic. l. 3. c. 1. *Cujus finis malus, ipſum quoque malum eſt.* Et vulgata paræmia: *Quotieſcumque intentio eſt prava, etiam electio prava eſt.*

Cujus ratio eſt, quia dum actus ex objecto 12 bonus non ſit ob ſpecificam bonitatem ſuam, eam non participat, ſed malitiam pravi finis, propter quem fit. Quod enim fit propter finem malum, ei poſitivè applicatur, & ſubſervit, velut medium fini, ac velut ancilla dominæ. Quemadmodùm ergo manus, vel veſtis, poſitivè applicata pici, per eam inquinatur, & ancilla dominæ ſubſerviens in malo, participat malitiam ipſius; ita ſimiliter, &c. Confer, quæ ad idem dixi libro præcedenti n. 74.

Altera pars fundatur, tum in Tridentino 13 ſeſſ. 14. c. 4. definiente, attritionem, ex gehennæ & pœnarum metu conceptam, eſſe bonum motum & *Spiritûs ſancti impulſum*. Tum in doctrina Eccleſiæ, quæ per Pium V. damnavit propoſitionem quæ aſſerit, *virtutes Philoſophorum eſſe vitia*, & per Alexandrum VIII. proſcripſit eam quæ dicit, odium peccati, *merè ob ejus turpitudinem*, eſſe peccatum.

Ex qua doctrina Catholici Doctores rectè 14

colligunt, actus ex objecto & officio bonos, in se non vitiari, ex hoc quòd agens illos non referat in Deum. Tametsi enim ipse peccet, eos non referendo, complexumque ex illo actu, debitæque in Deum relationis defectu, peccatum sit: actus tamen ipse, seu officium vitio illo concomitante non vitiatur, sed manet in se laudabilis, & moraliter bonus.

15 Et ratio est, quia defectus ille non tenet se ex parte ipsius, sed ex parte agentis; ideòque ipsum non vitiat, sed agentem. Nam licèt omnis actus deliberatus in Deum sit ex præcepto referendus; actus ipse seipsum referre non debet, neque istud est officium ipsius, sed alterius virtutis (nempe charitatis) & agentis, à quo referri debet, non per ipsum, sed per actum alterius virtutis, si non physicè, & in esse entis, saltem moraliter, sive in esse moris distinctum. Quem dum agens non omittit, duo actus concurrunt, saltem moraliter distincti, quorum uno, v. g. eleëmosynæ largitione, satisfit eleëmosynæ præcepto; altero, scilicet charitatis, satisfit præcepto charitatis, quo jubemur omnia quæ facimus, facere propter Deum, juxta illud, *Omnia in gloriam Dei facite*, licèt utrumque fieri queat actu physicè uno. Dum verò agens, actum illum voluntariè omittit facere propter Deum, voluntas quidem ista mala est, & culpabilis, sed actum ex officio bonum ideò non vitiat; quia in illum non influit, adeòque ad illum non habet se antecedenter, nec applicativè, sed merè concomitanter. Neque enim propter eam fit v. g. eleëmosynæ largitio, neque per eam applicatur ad finem malum. Non est ergo cur malitiâ ipsius inficiatur, & cur hîc cum proportione philosophandum non sit, sicut l. præcedenti c. xi. philosophati fuimus de actu physicè uno, moraliter duplici, quorum unus ob finem malum, alter fiat ob finem bonum, sic tamen ut finis malus nullo modo influat in actum factum ob finem bonum, nec ipsum sibi applicet, sed habeat se merè concomitanter ad ipsum. Quo casu ipsum non vitiat, prout ostendimus ibidem.

Respondetur ad ea quæ objiciuntur.

16 Objicies 1°. Augustinus l. 4. contra Julian. c. 3. dicit, quòd *quidquid boni fit ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera sapientia præcipit, etsi officio videatur bonum, ipso non recto fine peccatum est.*

17 Respondeo 1°. Augustinum ibi non velle, quòd actus ex officio bonus in se vitietur, ob defectum relationis in debitum finem ultimum; sed quòd malè fiat ab agente; adeòque per peccatum intelligit malè factum. *Possunt enim* (inquit) *aliqua bona fieri, non benè facientibus, à quibus fiunt.* Sed non dicit Augustinus quòd ista malitia vitiet actum in se, & secundùm se, quasi ex illa agentis malitia actus ipse ex officio bonus, reddatur in se culpabilis & vituperabilis. Quia actum virtutis moralis ad Deum referre non est officium virtutis moralis, sed charitatis, ut suprà dixi, cujus proinde actus omissio non est cur imputetur actui virtutis moralis.

Respondeo 2°. Siquando Augustinus insi- 18
nuare videatur, actum ex officio bonum, esse malum, si non referatur in Deum, actum illum complexè sumit, prout complectitur istius relationis defectum. Qui quidem defectus vitiat complexum ipsum, sed non actum ex officio bonum, secundùm se consideratum. Quòd verò actum illum complexè sumat, apertè indicat verbis sequentibus loco citato: *Non quia per seipsum factum, quod est nudum operire, peccatum est* (non vult ergo quòd defectus ille vitiet actum illum, consideratum secundùm *seipsum*) *sed de tali opere non in Domino gloriari* (ecce complexum ex opere, & non relatione in gloriam Dei) *solus impius negat esse peccatum.* Unde l. de spir. & lit. c. 28. aliqua in infidelibus agnoscit opera ex officio bona, non vituperanda, sed *meritò rectèque laudanda*, licèt rara: quia (inquit) *si discutiatur quo fine fiant, vix inveniuntur, quæ justitiæ debitam laudem, definitionemque mereantur.* Ubi dicendo, *vix inveniuntur*, satis insinuat aliquando inveniri, sed rarò; eo quòd utplurimùm ad malum finem, v. g. ad vanam gloriam referantur.

Objicies 2°. S. Thomas 1. 2. q. 18. a. 9. 19
dicit, quòd *actus à deliberativa ratione procedens, si non sit ordinatus ad debitum finem, hoc ipso repugnat rationi, & habet rationem mali.* Quia, uti dixerat a. 1. *omnis actio, in quantum ei deficit aliquid de plenitudine essendi, quæ debetur actioni humanæ, in tantum deficit à bonitate sibi debita, & sic dicitur mala.* Etiamsi nihil ei desit bonitatis debitæ in sua specie. *Plenitudo* quippe *bonitatis actionis non tota consistit in sua specie* (inquit a. 3.) *sed aliquid* additur ex his *quæ adveniunt tamquam accidentia, cujusmodi sunt circumstantiæ debitæ. Unde si aliquid desit, quod requiritur ad debitas circumstantias, erit actio mala.*

Respondeo, Angelicam doctrinam istam esse verissimam, assertioni tamen nostræ non contrariam. Quia licèt verissimum sit actionem ex sua specie bonam, in se esse malam, si ipsi desit aliqua circumstantia debita ex parte ipsius, etiam dum nihil ipsi deest bonitatis debitæ in sua specie, ut dum fit ubi & quando non oportet, vel ob finem malum: si tamen nulla ipsi desit circumstantia debita ex parte ipsius, sed solùm debita ex parte agentis, vel alterius virtutis (quo dumtaxat modo debita est relatio in Deum) nullibi dicit S. Thomas, quòd actio ex sua specie bona, in se tunc vitietur ob defectum talis circumstantiæ; licèt agens ex parte sua non faciat illam sicut oportet; ideòque peccet. Quando igitur S. Doctor dicit, actionem ex officio bonam, ob defectum relationis in Deum esse malam, hoc non dicit de ipsa actione secundùm se, sed complexè considerata, sive pro complexo ex ipsa & defectu illo, prout de Augustino dixi num. præcedenti. Certum quippe est ab Angelico De-

ctore admitti actus in se moraliter bonos absque relatione illa, etiamsi tunc non sint usquequaque boni, pro quanto non habent ultimam bonitatem sibi debitam ex parte agentis. Tales namque in ipsismet infidelibus admittit 2. 2. q. 10. a. 4. dicens, quòd infideles *bona opera, ad quæ sufficit bonum naturæ, aliqualiter operari possunt. Unde non oportet quòd in omni opere suo peccent*, talia scilicet opera faciendo, etiamsi peccent, ad Deum illa non referendo. Et 1. 2. q. 23. a. 7. sicut & q. 65. a. 2. veras in Gentilibus admittit virtutes morales sine charitate, licèt imperfectas, & *secundùm quid virtutes, non simpliciter*, uti articulo illo 2. dicit.

20 Ad quod etiam significandum dixi quòd actus ex officio boni tunc non habeant ultimam bonitatem sibi debitam ex parte agentis; ideòque non sint omni ex parte boni: quia scilicet non habent finem charitatis sibi debitum ex parte agentis. Et isto etiam sensu S. Doctor a. 4. dicit, ejusmodi actus non esse simpliciter bonos, sed secundùm quid, *nisi omnes bonitates concurrant*, tam scilicet bonitas *secundùm genus*, quàm *secundùm speciem*, & *secundùm circumstantias*, & *secundùm finem* ultimum, ad quem referendi sunt ab agente. Ad quem tamen dum non referuntur, priores bonitates non amittunt, nisi referantur ad finem malum. Quia, uti non semel dixi, agens quidem tunc peccat, sed actiones ipsæ, in se, & secundùm se non sunt peccata, sed opera laudabilia.

21 Objicies 3°. Si defectus relationis in Deum, non vitiaret actum ex objecto bonum; similiter non vitiaret actum ex objecto indifferentem. Et sic daretur actus indifferens in individuo.

Existimabit fortasse aliquis negari posse sequelam: eo quòd omnis actus à ratione deliberante procedens referri debeat in finem rationi conformem, adeòque bonum & honestum. Verùm similiter omnis actus ab homine deliberante procedens (non propter se utique habente esse, sed propter Deum, ultimum finem suum, qui universa propter semetipsum operatus est) referri debet in finem propter quem habet esse & operari; cujus relationis defectus, si non vitiet actum ex objecto bonum; similiter defectus relationis in finem rationi conformem, seu bonum & honestum, non vitiabit actum ex objecto indifferentem.

22 Admittenda proinde videtur sequela. Non ideò tamen admittendus actus indifferens in individuo, id est, nec benè, nec malè factus: cùm illum malè faciat, qui nec in Deum, nec in finem rationi conformem refert. Et ideò omnis actus deliberatus, in talem finem non relatus, vel est peccatum, vel cum peccato, saltem se tenente ex parte agentis.

23 Objicies 4°. Hoc ipso quòd actus ex objecto bonus non refertur in Deum, refertur in finem indebitum, scilicet in creaturam, tamquam finem saltem negativè ultimum: cùm tamen ratio ista finis, etiam negativè ultimi, soli Deo debita sit. Distinguo antecedens, refertur in finem indebitum, id est, secundùm se malum, nego antecedens (si enim finis ipsius sit honestas creata, largitionis eleëmosynæ v. g. finis ille secundùm se non est malus) refertur in finem indebitum, id est, in creatum bonum, in quo agens indebitè sistit, velut in fine saltem negativè ultimo, concedo. Sed non ideò actus ex objecto & fine proximo bonus vitiatur in seipso; sed ipse agens dumtaxat, vel complexum ex actu illo, & omissione relationis in Deum, tamquam finem ultimum.

CAPUT IV.

Finis operantis non semper est circumstantia operis, sed et aliquando tribuit primam speciem bonitatis vel malitiæ.

QUòd finis operantis non habeat rationem 24
circumstantiæ moralis, dum primam speciem dat actui morali, hac ratione probat S. Thomas 2. 2. q. 154. a. 1. quia *circumstantia, in quantum hujusmodi, non dat speciem actui morali, sed ejus species sumitur ab objecto.* Quod enim dat speciem actui morali, ipsi essentiale est, non accidentale, qualis est circumstantia in *quantum* hujusmodi.

Quòd autem finis operantis aliquando tri- 25
buat operi morali primam speciem bonitatis vel malitiæ, manifestum est 1°. in casu quo actus indifferens ex objecto, v. g. ambulatio, fit ex fine bono vel malo; dum enim fit ex bono fine, primam bonitatis speciem ex bono isto fine accipit, sicut & primam speciem malitiæ ex fine malo, dum ex eo fit. 2°. In casu quo actus ex objecto bonus, fit ob malum finem: tunc enim primam malitiæ speciem accipit ex fine illo. 3°. In casu quo quis actum ex objecto bonum facit, ad specificam bonitatem ipsius non attendendo, sed ad solam bonitatem finis extrinseci, ut dum quispiam temperatè comedit, in ipsa temperata comestione non attendendo ad honestatem temperantiæ, sed solùm ad sanitatem suam, quatenùs conducentem ad servitium Dei: tunc enim comestio temperata formalem non habet bonitatem ex objecto proprio (ob defectum intentionis ipsius) sed ex solo illo fine extrinseco.

Sed quid 1°. dum actus ex objecto bonus 26
merè fit ob finem indifferentem, v. g. jejunium, ut parcas sumptibus; 2°. dum actus ex objecto bonus fit ob finem extrinsecum bonum, vel malus ob malum?

Ad 1. respondent aliqui tunc actum in indi- 27
viduo esse merè indifferentem. Neque enim est bonus, cùm non intendatur bonitas & honestas jejunii, sed sola evitatio sumptuum. Sed dicendum, actum tunc esse in individuo malum, ob defectum debiti finis; non indifferentem: quia non datur actus in individuo indifferens, uti probatum est libro præcedenti c. 13.

Ad 2. Respondeo circumstantiam boni vel 28
mali finis, novam tunc addere bonitatis vel malitiæ speciem, nisi actum ex objecto bonum

exercens, ad specificam bonitatem ipsius non attenderet, uti dixi n. 25. Vide quæ dixi lib. 1. c. 8.

CAPUT V.

Tametsi intentio boni finis non tollat, diminuit tamen malitiam mali medii.

29 RAtio est 1°. quia hoc ipso quòd malum medium quis non vult, nisi ob finem bonum, ostendit se minùs affici malitiæ. 2°. Dum unam habet ex præcipuis circumstantiis bonam, minùs deest actui suo de conformitate ad rectam rationem.

30 Et rationi accedit 1°. authoritas S. Augustini l. contra mendacium c. 8. dicentis, quòd *pejor est qui concupiscendo, quàm qui miserando, id est, misericordiæ voluntate furatur, tametsi horum duorum non ideò est quisquam bonus, quia pejor est unus. Item, in suo genere aliis ejusdem generis peccatis leviora fiunt, quæ bono animo videntur admitti.*

31 Accedit 2°. communis sensus, quo minùs peccare censetur, qui mendacium profert ad salvandam vitam patris, quàm qui profert illud gratis, vel ob jocum.

32 Peccat quidem qui malum medium ordinat ad finem bonum. *Non enim sunt facienda mala, ut eveniat bona*; sed minùs peccat, quàm si malum medium amaret propter se, non propter bonum: non quia bonus finis malo isti medio aliquid suæ bonitatis communicat; sed quia malitia istius medii ipsi minùs voluntaria est, quàm si medium istud propter se amaret. Quod enim propter se amatur, magis amatur, quàm quod propter aliud præcisè.

CAPUT VI.

Circumstantiæ mutantes & non mutantes speciem peccati.

33 ILlæ circumstantiæ peccati speciem mutant, quæ important novam & specialem difformitatem cum ratione & lege æterna. Ad quod distinctiùs dignoscendum videndæ sunt regulæ, quæ habentur infrà lib. 9. c. 8. Illæ autem speciem non mutant, sed, intra eandem speciem, peccati malitiam aggravant, quæ specialem ejusmodi difformitatem non important, sed aggravant, seu augent præexistentem.

Utrasque clarè & prolixè enarrat caput *Consideret* de pœnit. dist. 5. c. 1. sumptum ex lib. de vera & falsa pœnit. c. 14. *Consideret pœnitens qualitatem criminis in loco, in tempore, in perseverantia, in varietate personæ, & quali hoc fecerit tentatione, & in ipsius vitii multiplici executione. Oportet enim pœnitere fornicantem, secundùm excellentiam sui status, aut officii, & secundùm modum meretricis, & in modo operis sui, & qualiter turpitudinem suam peregit, si in loco sacro, aut cui debuit excellentiam fidei, ut sunt domus dominorum, & aliorum multorum, si in tempore orationi constituto, aut in festivitate Sanctorum, & in tempore jejunii. Consideret quantum perseveraverit, & defleat quòd perseveranter peccaverit, & quanta virtus fuerit in pugnatione. Sunt enim qui non solùm vincuntur, sed ultrò se peccato offerunt, nec expectant tentationem, sed præveniunt voluptatem, & pertractant secum, quàm multiplici actione vitii delectabiliter peccent. In cognoscendo augmentum peccati, inveniat se, cujus ætatis fuerit, cujus sapientiæ, & ordinis, & statum omnem alterius non peccantis. Immoretur in singulis istis, & sentiat modum criminis, purgans lachrymis omnem qualitatem vitii. Defleat virtutem, qua interim caruit. Dolendum enim, & dolore purgandum, non solùm quia peccavit, sed etiam quòd se virtute privavit. Defleat etiam, quoniam in uno offendens, factus est omnium per ingratitudinem reus: ingratus enim extitit, qui plenus virtutibus, Deum omninò non timuit. In hoc enim quisque peccator fit culpabilior, quo est Deo acceptior. Ideò enim Adam plus peccavit, quia omni bono abundavit. Animadvertere etiam oportet, & animadvertendo deflere animam proximi, quam fornicator Deo eripuit, vel ereptam in malo confirmavit. Etiam quòd exemplum extitit mali, in operatione sui criminis. Gemat itaque aliorum vitam in sua corruptam, vel incorruptam non conservatam, & commodum proximi, quod desistat exemplo boni. Doleat de tristitia, quam peccando bonis intulit, & de lætitia, quam eis non adhibuit.* 34

LIBER QUINTUS.

Amor ordinatus.

1 SI moralitas omnis ab amore dependet, bonitas omnis actuum humanorum ab amoris dependet ordine. Siquidem ordinata dilectio, legis est plenitudo, ab eaque lex pendet & Prophetæ. Propterea l. 3. c. 3. & 4. dixi, primum christiani hominis officium esse, amorem suum rectè ordinare, primamque proinde Theologi Moralis curam esse oportere, sanam christianamque de ordinato Dei creaturarumque amore doctrinam tradere: cùm humanorum affectuum primus sit amor, causaque & mensura cæterorum. Neque enim alia de causa res aliqua desideratur, speratur, delectat, nisi quia amatur; nec odio quidquam habetur, nisi quia malum, id est, contrarium bono quod amatur. Quod malum, dum imminet, timetur; dum præsens est, de eo tristitia concipitur; sicut & audacia, dum contra illud insurgitur; ira, dum de authore ipsius vindicta appetitur. Denique *propter amo-*

rem boni omnia agunt, quæcumque agunt, inquit D. Dionysius de divin. nomin. c. 4. *Et omne agens agit quamcumque actionem ex aliquo amore*, ait S. Thomas 1. 2. q. 28. a. 6. Quapropter in cæteris affectibus & actibus quibuscumque erit ordo, si ordo sit in amore, dumque ordinatus est amor, cæteri quoque affectus & actus ordinati sunt; econtrà dum amor inordinatus est, inordinati sunt & ipsi, uti breviter, sed eleganter Augustinus exprimit l. 14. de civit. Dei cap. 7. dicens, quòd *recta voluntas est bonus amor, & voluntas perversa, malus amor. Amor ergo inhians habere quod amatur, cupiditas est, eoque fruens, lætitia; fugiens quod ei adversatur, timor est; idque, si acciderit, sentiens tristitia est. Proinde mala sunt ista, si malus est amor; bona, si bonus. Amor itaque ordinatus est evangelica illa arbor bona, de qua Veritas dicit: Omnis arbor bona fructus bonos facit.... non potest arbor bona fructus malos facere, Matth. 7. Et Apostolus: Charitas non agit perperàm, 1. Cor. 13.* Totam proinde actuum humanorum œconomiam, universamque christianam Ethicen complectitur tractatus de ordinato inordinatoque amore, deque principiis, regulis & mediis amoris ordinati, necnon de remediis amoris inordinati. Summi ergo momenti est, sana solidaque de ordinato inordinatoque amore principia tradere, magnoque studio allaborandum, ut illa inveniantur, inventa menti imprimantur, impressa voluntas toto affectu complectatur, vitaque secundùm ea dirigatur, bona faciendo, & à malis declinando. Quod profectò fiet, amoris ordinem custodiendo, perversionemque sollicitè cavendo. Sed ante omnia, explicanda est amoris natura, objectum, motivum & finis. Sit itaque

CAPUT I.

Amoris natura, objectum, motivum & finis.

2 AMare, ut Philosophus dicit 2. Rhetor. 4. *est velle alicui bonum.* Verùm, ut S. Thomas advertit 2. 2. q. 17. a. 2. ad 1. *Philosophus ibi diffinit amare, non ponens totam rationem ipsius, sed aliquid ad rationem ejus pertinens.* Quid igitur amor? *Amor* (ait S. Doctor 1. 2. q. 25. a. 2. in corp.) *nihil aliud est quàm complacentia boni, sive* (ut ait q. 27. a. 1.) *complacentia amantis ad amatum*, sive ad bonum, ut antè dixit. Quidquid namque amatur, amatur ut bonum. *Unicuique autem est bonum id quod est sibi connaturale & proportionatum*, sive naturæ suæ conveniens & accommodatum, ut ait ibidem. Unde q. 29. a. 1. in corp. *Amor* (inquit) *est consonantia quædam appetitus ad id quod apprehenditur ut conveniens; odium verò est dissonantia appetitus ad id quod apprehenditur ut repugnans & nocivum.*

3 Per consequens *omne conveniens in quantum hujusmodi, habet rationem boni*, ait S. Doctor ibid. estque proinde amoris objectum, ipsiusque motivum seu excitativum. Quodnam enim aliud est amoris excitativum, nisi amabilitas objecti? atqui omne conveniens, in quantum hujusmodi, amabile est: neque enim amabilitas aliud est quàm convenientia unius objecti respectu alterius, ratione alicujus perfectionis, quâ ipsum perficere potest, nisi ex se sit omnimodè perfectum.

4 Ideò naturam amoris pulchrè Salesius explicat l. 1. de amore Dei c. 7. cui titulus, *Descriptio amoris in genere:* ubi sic: *Tanta est convenientia voluntatis cum bono, ut statim atque illud apprehendit, ad illud se convertat, ut sibi in ipso complaceat, tamquam in objecto sibi gratissimo, cumque ipso tantam habet connexionem, ut nec voluntatis natura explicari queat, nisi per respectum ad bonum, nec natura boni, nisi per ordinem ad voluntatem, sicut objecti convenientis ad potentiam cui convenit.... Voluntas igitur bonum apprehendens per intellectum illud ipsi repræsentantem, statim in eo sentit complacentiam quandam delectationemque, quâ suaviter sed fortiter movetur & inclinatur in objectum istud amabile, ut ei uniatur, atque ut ad unionem istam perveniat, complacentia illa facit ut exquirat omnia media ad id magis apta & accommodata. Arctissima proinde est convenientia voluntatis cum bono; convenientia ista causat complacentiam in illo, complacentia movet impellitque voluntatem ad bonum, motus iste ad unionem tendit, voluntas tandem sic mota ad unionemque tendens, omnia quærit media necessaria, quibus ad eam perveniat. Amor profectò, generaliter loquendo, simul omnia ista comprehendit, ut pulchra quæpiam arbor, cujus radix est convenientia voluntatis ad bonum; pes est complacentia; caput seu thyrsus est ipse motus; prosecutiones mediorum usus & conatus sunt rami;* unio seu fruitio est *fructus. Sic amor ex quinque ipsis partibus seu actibus præcipuis compositus videtur.* Amor *insensibilis magnetem inter & ferrum, imago vera est amoris sensibilis & voluntarii, de quo nobis sermo. Ferrum itaque talem cum magnete convenientiam habet, ut statim atque tangitur, virtute ipsius ad ipsum convertatur; inde statim incipit agitari, parvisque saltitationibus commoveri, velut demonstrans innatam sibi inclinationem ad complacentiam. Denique versus magnetem fertur, & modis omnibus se movet ut ei uniatur. An non istæ sunt partes omnes vitalis amoris, per inanimatas res istas benè repræsentatæ?*

Verumtamen, Theotime, complacentia, motusque, seu effluxus, & tendentia voluntatis in rem amabilem, propriè amor est; sic tamen ut complacentia non sit nisi initium ipsius, motus verò, seu cordis in rem amatam effluxus, verus sit amor essentialis. Uno verbo, complacentia primus est effectus boni in voluntate; effectum istum motus consequitur, quo voluntas fertur in rem amatam, eique se *jungit; & isto in motu amor verè proprièque consistit. Quidam nihilominùs magni viri complacentiam ipsam, amorem esse non sine verisimili ratione crediderunt: quando-*

quidem motus amoris non solùm originem habet ex complacentia in corde percepta ad primum boni occursum, in secundaque complacentia terminatur, quæ per unionem cum objecto amato in cor revertitur; sed & per complacentiam nutritur perficiturque: sicque amor ex complacentia nascitur, per complacentiam conservatur, in complacentia terminatur, & usque adeò sine complacentia esse non potest, ut eâ cessante cesset.... complacentia est quæ voluntatem agit, eamque movet, & in re amata ipsi unita facit requiescere. Cùm igitur tanta sit dependentia motus amoris à complacentia, & inseparabilitas tanta; haud mirum si amor & complacentia magnis illis ingeniis una eademque res visa sit; tametsi in rei veritate amor, utpote animæ passio, complacentia simplex esse nequeat, sed motus ex ea procedens, & usque ad unionem seu fruitionem perseverans.

Sequenti verò capite, cui titulus: *De convenientia amoris excitativa*, clarè exponit, in quo convenientia ista consistat; & postquam ostendit non consistere semper in qualitatum similitudine (cùm humanus amor nonnunquam fortiùs concipiatur inter personas, quarum contrariæ sunt qualitates, quàm inter similes) concludit sic: *Convenientia ergo, quæ amoris est causa, in amantis ad rem amatam proportione, coaptatione & correspondentia consistit; sic enim medicina ægro amabilis non est ob similitudinem, sed ob proportionem & correspondentiam ad necessitatem ipsius, quatenùs scilicet æger indiget sanitate, quam medicina potest ipsi conferre, quomodò etiam infirmum medicus, & discipulum magister amat*, velut subjectum, erga quod *artem suam exercere potest. Amorem itaque non semper conciliat similitudo & simpathia, sed correspondentia & proportio, in eo consistens quòd per unionem unius rei ad alteram, una per alteram naturaliter perfici potest & meliorari.... Prima proinde amoris causa est convenientia amantis ad rem amatam, consistens in correspondentia, quæ nihil aliud est nisi relatio mutua, quâ res aptæ efficiuntur ad perfectionem aliquam sibi mutuò communicandam.* Hactenùs Salesius, primam amoris causam cum S. Thoma asserens mutuam esse convenientiam inter amantem remque amatam, quæ nihil aliud sit quàm proportio, correspondentia, seu aptitudo, quâ res aliqua apta est excitare voluntatem ad ipsam amore prosequendam, eique se uniendum tamquam perfectibile cum perfectivo, sive tamquam objecto habenti rationem causæ perficientis respectivè ad naturam perfectibilem per rem illam.

5 Cui sanè assertioni veteres omnes Philosophi, Stoïci, Peripateticique concinunt, exceptis Epicureis, uti videre est apud Ciceronem in libris de finibus bonorum & malorum, ubi variarum sectarum Philosophos inducit, illud pro indubitato pariter statuentes, *prius esse aliquid esse conveniens alteri, quàm ab eodem appeti, amoremque* omnem alterius *incipere à seipso*, sive ab amore sui: sic enim philosophantem inducit Catonem Stoïcum l. 3. *Placet his, quorum ratio mihi probatur, simul atque natum sit animal, ipsum sibi conciliari & commendari ad se conservandum.... quod non fieret, nisi statum suum diligerent, fieri autem non posset ut appeterent aliquid, nisi.... se & sua diligerent; ex quo intelligi debet principium ductum esse à se diligendo.* Quod & Piso hisce verbis l. 5. exprimit: *Omne animal seipsum diligit, &... omni animali illud quod appetit, positum est in eo quod naturæ est accommodatum.* Et rursus Cato: *In natura primum inesse incipit, & intelligi quid sit quod verè bonum possit dici, prima enim conciliatio hominis ad ea quæ sunt secundùm naturam.* Et Cicero ipse: *Bonum appello, quidquid secundùm naturam*, id est, naturæ conveniens, *est; quod contra, malum. Nec ego solus* (addit) *qui Peripateticus sum, sic definio bonum & malum, sed & tu Chrysippe, qui Stoïcus es, eodem definis modo.* Unde l. 3. rursus ex Catone dicit, quòd bonum per se expetendum *positum sit in eo quod convenientiam appellamus.* Enimverò *quomodò moveri animus ad appetendum potest, si id quod videtur, non percipit, accommodatumne naturæ sit, an alienum? Ergo* (inquit l. 5.) *omni animali illud quod appetit, positum est in eo quod est naturæ accommodatum*, id est, conveniens. Unde ex eo quòd Epicurus, cum suis, Deum comminisceretur sine actione, sine beneficentia, sine amore, sine providentia erga homines, ultimamque hominis felicitatem in Deo non poneret, sed in voluptate; cum cæteris Philosophis concluserit, Deum homini amabilem non esse: cùm nulla (secundùm Epicurum) Dei convenientia esset cum natura humana, nulla hominis à Deo perfectibilitas, seu beatificabilitas. Siquidem Cotta apud ipsum l. 1. de natura deor. in fine: *Si* (inquit) *maximè talis est Deus, ut nulla gratia, nulla hominum charitate teneatur, valeat.* Refellitque Veilleïum Epicureum, aientem, quòd præstans natura deorum digna sit veneratione amoreque hominum: habet enim venerationem justam quidquid excellit. *Quid est* (replicat Cotta) *cur deos ab hominibus colendos dicas, cùm dii non modò homines non colant, sed nihil omninò curent, nihil agant? At est eorum* (inquis) *eximia quædam præstansque natura. An quidquam eximium potest esse in ea natura, quæ, sua voluptate lætans, nihil nec actura sit unquam, neque agat, neque egerit? quæ porrò pietas ei debetur, à quo nihil acceperis?.... Epicurus ergo ex animis hominum extraxit radicitùs religionem, cùm diis immortalibus & opem & gratiam sustulit. Cùm enim optimam & præstantissimam naturam Dei dicat esse, negat idem esse in Deo gratiam, adeòque tollit id quod maximè proprium est optimæ præstantissimæque naturæ. Quid enim est melius, aut quid præstantius bonitate & beneficentiâ? qua cùm carere Deum vultis, neminem Deo, nec Deum nec hominem charum, neminem ab eo amari, neminem diligi vultis.* Et qua de causa Stoïci virtutem homini propter

se amabilem censuerunt? non aliâ, nisi quia eam humanæ naturæ per se & propter se convenientem esse crediderunt, in eaque finem hominis ultimum, seu beatitudinem constituerunt.

6 In tribus ergo principiis istis omnes Philosophi (Epicureis exceptis) convenerunt, 1°. quòd prius sit unum alteri esse conveniens, quàm ab ipso amari: nam, uti Catonem suprà de virtute philosophantem audivimus, *quomodò moveri animus ad appetendum potest, si id quod videtur, non percipit, accommodatumne naturæ sit, an alienum?* 2°. Quòd nihil propter se diligendum sit, nisi per se & propter se conveniens sit: si enim solùm conveniens sit propter aliud, sive in ordine ad consequendum bonum à se distinctum, sicut medicina propter sanitatem, solùm diligendum est propter aliud, non propter se. 3°. Quòd nobis innatus sit amor, quo necessariò amamus statum naturæ nostræ convenientem, ex quo amamus quidquid amamus. Propterea namque dixerunt, *fieri non posse, ut animalia appeterent aliquid, nisi se & sua diligerent, principiumque omnis dilectionis ductum esse à se diligendo.*

7 Quo in principio cum Philosophis antiquis sancti etiam Doctores conveniunt, signanter Augustinus & Thomas: siquidem Augustinus l. 13. de Trinit. c. 3. de amore loquens beatitudinis: *Quidquid* (inquit) *aliud quisquam latenter velit, ab hac voluntate, quæ omnibus hominibus satis nota est, non recedit.* Et c. 5. *Quoniam verum est, quòd omnes homines esse beati velint, idque unum ardentissimo amore appetant, & propter hoc cætera quæcumque appetunt.* Et c. 8. asserit naturam ipsam nos compellere ut beati esse velimus. Concione etiam primâ in Psal. 118. *Beatum esse, tam magnum bonum est, ut hoc & boni velint esse & mali; nec mirum quòd boni propterea sint boni, sed illud est mirum quòd etiam mali propterea sint mali ut sint beati.* Verum est tamen, quia in *malo beatitudinem quærunt, & se miseros putant, cùm ad suæ concupiscentiæ voluptatem lætitiamque non perveniunt.* Atque hinc Homil. 37. inter 50. cum laudatis Philosophis concludit, *quòd amores omnes & dilectiones prius sint in hominibus de se, & sic de alia re quam diligunt.* Quòdque *dilectio unicuique à se incipit, & non potest nisi à se incipere.* Similiter D. Thomas 1. 2. q. 5. a. 8. docet necesse esse *quòd omnis homo beatitudinem velit.* Et q. 1. a. 6. necesse esse *quòd omnia, quæ homo appetit, appetat propter ultimum finem consequendum.* Quod duplici probat ratione. Prima est: quia impossibile est quòd voluntas aliquid appetat, nisi sub ratione boni sibi convenientis; quod vel est bonum perfectum, vel tendens in bonum perfectum: quia semper inchoatio alicujus ordinatur ad consummationem ipsius, sicut pars ad totum, & ita omnis inchoatio perfectionis ordinatur in perfectionem consummatam. Secunda est: quia sicut nulla causa secunda prorumpit in actum, nisi moveatur à causa prima; sic nullum appetibile secundum movet appetitum, nisi moveatur à primo appetibili, quod est ultimus finis.

Denique ipsamet ratio dictat nihil à nobis 8
amari posse, nisi nobis conveniens; eo quòd utique nihil amare possimus, nisi nobis amabile sit; nihil verò nobis amabile esse potest, nisi nobis conveniens. Cùm sublatâ convenientiâ, auferatur appetitus excitativum. Nullum quippe in objecto est appetitus excitativum, si nulla sit convenientia, per quam voluntas excitetur ad ipsum appetendum. Per quid enim tunc excitari potest? certè non per absolutam aliquam perfectionem ipsius; utpote quæ si apprehendatur absque ulla convenientia respectivè ad nos, nullam habebit vim excitandi voluntatem nostram ad ipsum appetendum, sed ipsam relinquet indifferentem ad ipsum appetendum vel non appetendum; imò ipsam excitabit ad ipsum odio prosequendum, si perfectio absoluta ipsius non solùm non apprehendatur ut nobis conveniens, sed apprehendatur ut disconveniens & noxia. Cùm enim necessariò amemus statum naturæ nostræ convenientem, per consequens necessariò odio prosequimur statum disconvenientem, propositum ut talem, sive omne illud quod nobis proponitur ut statui nostro prorsus disconveniens, uti patet in dæmonibus & damnatis, qui, licèt cognoscant justitiam Dei, quia tamen vitio suo eam non apprehendunt, nisi ut statui suo prorsus noxiam & disconvenientem, non apprehendunt ut amabilem, sed ut odibilem. Et ideò Deum non amant, sed odio habent.

Verissimum proinde est quod S. Thomas su- 9
prà n. 2. dicit, bonum conveniens, quà tale, objectum esse amoris nostri. Per consequens nullas absolutas perfectiones objecti absque ullo respectu convenientiæ ad nos, illud reddere nobis amabile, sed admirabile dumtaxat. Aliàs illud adhuc amabile redderent, quàmlibet nobis disconvenientes forent, causaque miseriæ nostræ, non felicitatis; atque ita falsum esset nos propter beatitudinem nostram velle quodcumque volumus.

Triplex porrò est bonum nobis conveniens, 10
scilicet honestum, utile, jucundum; non quòd ista sint tria bona specie distincta, sed tres boni respectus. Omne quippe bonum honestum sub diverso respectu utile est ac jucundum; honestum, quatenùs propter se amore dignum & prosecutione; utile, quatenùs perficiens amantem; jucundum, quatenùs possessio ipsius ipsi gaudium & lætitiam parit. Similiter omne verè utile, honestum est, saltem honestate respectivâ. Et tametsi omne bonum jucundum non sit honestum, sæpè tamen utile est parti animali & sensitivæ. Ut sic tamen præcisè, non est verè bonum; imò solùm bonum honestum, Tullio est verè bonum. *Quid est enim bonum?* (quærit in paradoxis) *Si quid rectè fit & honestè, & cum virtute.... id solùm opinor bonum.*

Bonum itaque honestum illud est, quod 11
propter

propter se ordinatè amabile est; unde cùm solus Deus propter se ordinatè amabilis sit, uti posteà demonstrabitur, unicum est bonum absolutè honestum, scilicet Deus; quamvis alia quædam bona, propter se non amabilia, respectivè, sive in ordine ad Deum honesta dici queant, eo modo quo alimentum, exercitium, medicinæ & similia dicuntur sana, non absolutè, sed respectivè, quatenùs ordinem habent ad sanitatem. Et sic creatæ virtutes honestæ sunt respectivè, non absolutè. Virtutem quidem Stoïci absolutè honestam esse opinati sunt; sed hoc ideò quia in virtute summum bonum, finemque hominis ultimum erroneè constituerunt. In virtutum proinde creatarum exercitiis agnoscenda non est honestas absoluta, sed relativa dumtaxat.

12 Simili ferè modo philosophandum de bono utili, solùm videlicet verè utile esse, quod conducit ad bonum absolutè honestum, sive ad summum bonum consequendum, prout S. Ambrosius docet l. 1. de Offic. c. 9. hisce verbis: *Nihil utile, nisi quod ad vitæ illius æternæ profit gratiam, definimus, non quod ad delectationem præsentis. Est igitur eadem utilitas quæ honestas.* Nec alia vera est jucunditas, nisi de summo bono, sive in ordine ad illud, si sermo sit de bono jucundo respectivè ad partem hominis rationalem & spiritualem, & non solùm in ordine ad partem animalem ac sensitivam, quæ per se non fertur nisi in delectationes sensibiles: neque enim nobis hîc sermo est de amore sensitivo & animali, sed de rationali spiritualique, utpote qui solus liber, legibusque, & regulis morum subjectus.

13 Supereſt ut aliquid de amoris fine dicamus, de quo illud imprimis est observandum, *bonum*, *finem*, *felicitatem*, non esse nisi tres ejusdem objecti nobis convenientis respectus. Nam dum objectum consideratur *quatenus appetitum movet*, per respectum convenientiæ ad nos, sub eo respectu est *bonum*; dum autem consideratur ut terminus, in quem tendit, & in quo terminatur appetitus noster, sub eo respectu est *finis*; denique dum consideratur ut nos lætificans per sui fruitionem, seu possessionem, sub eo respectu est *felicitas nostra*.

14 Secundò observandum, solum illud bonum esse finem amoris nostri, in quo amor noster sistit & terminatur, quodque proinde à nobis propter se, non propter aliud amatur. Nam, ut Augustinus l. 2. contra adversarium leg. & Prophet. c. 7. ait: *Finis est propter quem fiunt omnia quæcumque ad quo fiunt officio.*

15 Tertiò observandum, finem à Philosophis duplicem distingui, videlicet finem *qui*, sive *cujus gratiâ*, & finem *cui*. Finis *qui*, ille est quem propter se volumus, & propter quem agimus. Finis *cui*, est persona, cui bonum volumus. Omnis quippe amor, volitio est boni. Omne verò bonum, quod volumus, alicui volumus; vel utique nobis ipsis, vel alteri. Persona itaque, seu subjectum, cui bonum illud volumus, est finis *cui*. Aliud proinde significat amor, quo dicimur amare rem à persona distinctam, v. g. scientiam, honorem, pecuniam, &c. aliud; amor quo dicimur amare personam, v. g. parentes, uxorem, filios, amicos, &c. Amare namque scientiam, honorem, pecuniam, &c. est velle rerum istarum acquisitionem, vel fruitionem, vel de earum fruitione gaudium: amare verò parentes, uxorem, filios, amicos seu personas, est ipsis velle aut procurare bonum.

Cæterùm amor omnis, etiam scientiæ, pe- 16
cuniæ, &c. amor est personæ alicujus, vel nostræ, vel alterius, cui res istas volumus. In omni proinde amore duplex est respectus, unus ad objectum seu bonum amatum; alter ad subjectum, seu personam cui bonum istud volumus. Quandocumque tamen bonum amatum alteri volumus, tamquam subjecto, v. g. parenti, filio vel amico, nos equidem semper sumus subjectum, cui immediatè volumus satisfactionem, quam omnis amans inseparabiliter percipit ex amore, quo alteri vult bonum. Ut quid enim pater ex amore filii procurat ipsi divitias & dignitates, vel iis seipsum exuit, ut eas in ipsum transferat, nisi quia filium considerans velut partem sui, satisfactionem habet ex hoc quòd ipsi velit & procuret bona ista? Propterea Augustinus suprà n. 8. dicit amores omnes priùs esse in hominibus de se, & à se incipere, & sic esse de alia re vel persona quam diligunt. Talis enim naturæ à Deo conditi sumus, ut amor noster nunquam feratur nisi in bonum nobis conveniens, seu naturæ nostræ accommodatum, saltem ad satisfactionem aliquam, seu jucunditatem ex amore ipsius nobis conciliandam.

Quartò observandum, omnem finem, quate- 17
nùs finem, propriè esse finem ultimum. Cùm omnis finis, quà talis, sit terminus amoris, ad quem, ut amans perveniat, media omnia conducentia adhibet, ab iisque adhibendis eo ipso cessat, quo ad eum pervenit. Est ergo finis ultimus respectivè ad media propter ipsum adhibita. Porrò quia finis ultimus in uno genere, respectivè ad media ad ipsum consequendum adhibita, alteri fini superiori subordinatus esse potest, ideòque respectivè ad ipsum in alio genere esse potest finis intermedius, ideò fines duos ultimos Philosophi distinguunt, videlicet *finem ultimum secundùm quid*, & *finem ultimum simpliciter*. Finis ultimus secundùm quid, ille est, qui sic est ultimus in uno genere, respectivè ad media ad se relata, ut rationem habeat medii, respectivè ad finem superiorem, cui subordinatur: sic pharmaca rationem habent finis ultimi secundùm quid, respectivè ad artem pharmacopolæ, eo quòd tota ars ista, mediaque quibus utitur, ad pharmacorum compositionem ordinentur, in eaque terminentur. Verùm quia finis iste subordinatur fini superiori, ad eumque ordinatur, nimirùm ad curationem, & curatio ad sanitatem, ipsa quoque sanitas ad Dei gloriam, æternamque felicitatem nostram ulteriùs ordinabilis est, re-

ſpectu ulteriorum finium iſtorum rationem non habet finis ultimi ſimpliciter, ſed finis intermedii, ſeu ultimi ſecundùm quid dumtaxat. Quia finis ultimus ſimpliciter & abſolutè ſolus ille eſt, ad quem cætera omnia referuntur, ipſe verò ad nullum alium finem refertur. Solus proinde Deus, ſeu ſummum bonum noſtrum, eſt finis ſimpliciter ultimus ordinati amoris noſtri: *Eo enim fruendo quiſque beatus eſt* (inquit Auguſtinus epiſt. 118.) *propter quod cætera vult habere, cùm illud jam non propter aliud, ſed propter ſeipſum diligatur. Et ideò finis ibi dicitur, quia jam quò excurrat, & quo referatur non invenitur. Ibi requies appetendi, ibi fruendi ſecuritas, ibi tranquilliſſimum gaudium optimæ voluntatis.* Et epiſt. 54. *Quare finis ibi dicitur? quoniam quidquid agimus ad illum referimus, & cùm ad eum pervenerimus, ultrà quod quæramus non habebimus.*

CAPUT II.

Diviſio amoris, verumque diſcrimen inter amorem concupiſcentiæ, & amorem amicitiæ ſeu benevolentiæ.

18 VAldè obſervanda ſunt ea quæ capite præcedenti dicta ſunt de natura, objecto, motivo, & fine amoris, quia apprimè neceſſaria ſunt ad refellendos Quietiſtarum, Semiquietiſtarumque errores, quos Innocentius XI. & Innocentius XII. proſcripſerunt, ad quem etiam finem neceſſe eſt exactè ſcire naturam amoris amicitiæ, prout diſtinguitur ab amore concupiſcentiæ, ut errores iſti ſuis à fundamentis penitùs ſubvertantur.

19 Amor itaque 1°. alius eſt innatus, ſeu invincibilis, & neceſſarius, ſcilicet amor beatitudinis in communi; alius liber, ſeu electivus. 2°. Alius naturalis, alius ſupernaturalis. Alius ſupernaturalis ex parte principii; alius ſupernaturalis ex parte objecti, cujuſmodi eſt amor Dei, ut Authoris gratiæ & gloriæ. 3°. Alius amor Dei, alius creaturarum. 4°. Alius amor fruens, alius utens, ſeu fruitio & uſus. 5°. Alius amor charitatis, alius cupiditatis. Vide quæ dixi libro 3. c. 5. de tertia, quarta & quinta diviſione. 6°. Alius amor concupiſcentiæ, ſeu mercenarius; alius amicitiæ, ſeu gratuitus.

20 Ad utriuſque iſtius amoris elucidationem, animadvertendum, concupiſcentiam aliquando latiùs, aliquando preſſiùs accipi. Preſſiùs accepta eſt amor bonorum temporalium & ſenſibilium, ſubdividitur que in tres ſpecies, quæ ſunt concupiſcentia bonorum, concupiſcentia divitiarum, & concupiſcentia ſenſibilium voluptatum. Sic proinde accepta non habet pro objecto niſi bona ſenſibilia, ſeu conducentia ad felicitatem corporis. Aliter tamen ſe habet in hoc ſtatu naturæ corruptæ, aliter ſe habebat in ſtatu naturæ integræ, in quo naturalis fuit, ſive ab Authore naturæ indita concupiſcentia ſenſibilium bonorum, utpote neceſſariorum ad corporis conſervationem, ejuſdemque cum anima unionem; ſic tamen eo in ſtatu ſenſibilia feriebant ſenſus, ut non prævenirent rationem, nullumque excitarent ſui deſiderium vel paſſionem, niſi ex rationis imperio. Nullos proinde tunc excitabant motus indeliberatos, hominem cæco modo in ſenſibilia bona pertrahentes; ſed quaſi reverenter monebant ipſum de ſua præſentia. Verùm ex quo ratio per inobedientiam primorum parentum Deo rebellis fuit, in iſtius rebellionis pœnam ſenſibilia jam feriunt ſenſus noſtros præveniendo rationem, indeliberatoſque in nobis excitant motus, per quos homo cæco modo pertrahitur in ſenſibilia. Impreſſio namque, quam ſenſibilia faciunt ſupra ſenſus noſtros, ratione jam ampliùs non dirigitur (uti tunc dirigebatur) ſed eam prævenit; nec homo jam perfectâ Dei ſuarumque obligationum cognitione naturali & ſupernaturali illuſtratur, uti tunc; ſed perfectâ iſtâ cognitione, Deique amore privatus, naturaliter impotens eſt ad continendam ſub rationis regula ſenſibilium concupiſcentiam. Cujus proinde inordinatio ex duplici illa privatione provenit, cognitionis ſcilicet & amoris.

21 Concupiſcentia latiùs accepta, pro objecto habet bona quæcumque conducentia ad felicitatem, tam animæ quàm corporis, tam ſpiritualia, ut ſpirituales conſolationes, quàm corporalia, ferturque tam in perſonas, quàm in res à perſonis diſtinctas. Et iſta eſt cujus a charitate, ſeu amore amicitiæ vel benevolentiæ diſcrimen hîc inquiritur, confunditurque cum amore proprio, ſeu mercenario, quem *privatum* Bernardus appellat.

22 Amor itaque concupiſcentiæ, ſic acceptæ, ille eſt, qui nec in perſonas, nec in res à perſonis diſtinctas fertur propter ipſas, velut amoris *finem qui*, ſed propter bonum aliquod ſeu commodum ab ipſis diſtinctum, quod amanti ab amato ſperatur proventurum, propter quod ipſæ amantur, velut media propter finem. Amor verò amicitiæ eſt amor perſonæ independenter à quocumque bono, ſeu commodo ab ea diſtincto, velut fine *qui*, quod amanti ab ea provenire poſſit, nihil proinde aliud in amando quærens, niſi perſonam ipſam amatam, ſeu ipſius poſſeſſionem, vel ſatisfactionem amandi ipſam.

23 Si amor iſte inter utramque perſonam, amantem ſcilicet & amatam, reciprocus ſit, amor eſt amicitiæ propriè dictæ. Si reciprocus non ſit, magis propriè dicitur benevolentiæ amor quàm amicitiæ.

24 Itaque objectum à nobis diſtinctum tunc propter ſe amatur, & causâ ſui (adeòque amore amicitiæ, vel benevolentiæ, ut condiſtincto ab amore concupiſcentiæ) dum non amatur propter aliud objectum, ad quod referatur velut medium ad finem *qui*, ſed ita propter ſe, ut ipſum ſolum ſit finis *qui* iſtius amoris, licèt amans ſit ſubjectum & finis *cui* objectum iſtud ſeu poſſeſſio ipſius deſideratur. Neque

enim amores nostri à subjecto, nec proinde à fine *cui* specificantur, sed ab objecto, & fine *qui*, sive *cujus gratiâ*. Amori proinde amicitiæ non officit, quòd objectum ipsius nobis ametur ut subjecto & fini *cui*, seu ut nobis bonum & conveniens, dummodò non ametur propter aliud bonum, seu interesse ex ipso speratum, ad quod referatur velut medium ad finem *qui*, sed ipsum solùm per se immediatè & ratione sui sit objectum & finis *qui* istius amoris. Quidquid enim amatur ut per se immediatè finis *qui*, seu *cujus gratiâ* amoris nostri, propter se amatur, uti constat ex definitione finis *qui*, quam Philosophi, Theologique omnes tradunt post Augustinum, non uno loco dicentem: finem esse quodcumque propter se quæritur; quidquid verò propter aliud quæritur, non propter se, finem non esse.

14 Verum ergo discrimen amoris amicitiæ vel benevolentiæ, sive amoris gratuiti & disinteressati, ab amore concupiscentiæ, sive mercenario & interessato, in eo situm est, quòd amor concupiscentiæ pro motivo habeat spem consequendi bonum aliquod, seu interesse à persona amata distinctum, propter cujus consecutionem vel fruitionem ipsa ametur velut medium vel instrumentum aptum ad illud consequendum, quod proinde bonum seu interesse sit principale objectum & finis *qui*, sive propter quem persona illa ametur, non ipsa propter se: amor verò amicitiæ pro motivo non habeat spem consequendi ullum bonum, seu interesse à persona amata distinctum, propter cujus consecutionem ipsa ametur, velut medium seu instrumentum aptum ad illud consequendum, sed propter se, velut unicum finem *qui*, sive *cujus gratiâ*.

25 Amare itaque personam vel ob solam satisfactionem quæ reperitur in amore ipsius, vel ob spem reperiendi perfectam beatitudinem in sola possessione, seu perfecta cognitione amoreque ipsius, absque intuitu alterius boni, seu interesse à persona amata distincti, est amare ipsam vero, puro, perfectoque amicitiæ vel benevolentiæ amore. Sicque veteres omnes Philosophi intellexerunt, qui de perfecto amicitiæ vel benevolentiæ amore nobiliùs scripserunt, uti videre est apud Tullium l. 3. 4. & 5. de finibus bonorum & malorum, ubi Stoïcorum omnium, Peripateticorumque hac de re sensum exponit. Sicut & in libro de amicitia, ubi pulcherrimus extat dialogus, quo Lælium accuratissimè ea de re differentem inducit. Legatur specialiter istius libri caput 6. 7. 8. 9. 13. 14. 21. & 22. ubi perfectam explicat amicitiam prorsus ut suprà, & eam quidem independentem esse vult à spe quorumcumque fructuum, utilitatum, emolumentorumque ab amicitia personaque amata & ipsius fruitione distinctorum, sed non à suavitate & satisfactione, quæ est in amando ipsam, quæ vel indistincta est ab amicitia, vel ipsi essentialiter aut inseparabiliter annexa. Quòd enim de perfecta loquatur amicitia, totus liber manifestum facit: *De vera* (inquit) *& perfecta loquor amicitia, qualis eorum qui pauci numerantur.* Quòd ipsam gratuitam esse velit, & disinteressatam, liquet ex eo quod subjungit: *Quamquam utilitates multæ & magnæ benevolentiam consecutæ sunt, non sunt tamen ab earum spe causæ diligendi profectæ...: amicitiam non spe mercedis adducti, sed quòd omnis ejus fructus in ipso amore inest, expetendum putamus.* Et iterùm: *Mihi videntur qui utilitatis causâ fingunt amicitias, amabilissimum modum amicitiæ tollere. Non enim tam utilitas parta per amicitiam, quàm amici amor ipse delectat.* Denique quòd à vera perfectaque amicitia sic excludat respectum ad utilitates ab amante & amato, atque utriusque possessione distinctas, non tamen suavitatem jucunditatemque seu delectationem à mutuo amicorum amore vel indistinctam, vel inseparabilem, ex eo perspicuum est quòd ab utilitatibus illis distinguat delectationem sive satisfactionem, quæ est in eo quòd amas & amaris: *Non enim tam utilitas parta per amicitiam, quàm amici amor ipse delectat.* Unde licèt eos refellat, *qui volunt præsidii adjumentique causâ, non benevolentiæ neque charitatis amicitias esse expetendas*, subjungit tamen, quòd *amicitiâ nihil jucundius.* Et infrà: *Quid enim tam absurdum, quàm delectari multis inanibus verbis.... animo autem.... qui vel amare, vel (ut ita dicam) redamare possit, non admodùm delectari? nihil enim remuneratione benevolentiæ... jucundius.* Et rursus infrà: *Accedat huc suavitas quædam oportet sermonum atque morum, haud quaquam mediocre condimentum amicitiæ.* Et iterùm: *Digni sunt amicitiâ, quibus in ipsis est causa cur diligantur, rarum istud genus, & quidem omnia præclara rara, nec quidquam difficilius quàm reperire quod sit omni ex parte in suo genere perfectum; sed plerique neque in rebus humanis quidquam bonum norunt, nisi quod fructuosum sit, & amicos tamquam pecudes eos potissimùm diligunt, ex quibus sperant se maximum fructum esse capturos. Itaque pulcherrima illa & maximè naturali carent amicitia, per se & propter se expetenda, nec ipsi sibi exemplo sunt, hæc vis amicitiæ qualis & quanta sit. Ipse enim se quisque diligit, non ut aliquam à seipso mercedem exigat charitatis suæ, sed quòd per se quisque sibi charus est.* Et sub finem: *Amare, sive amicitia nihil aliud est, nisi eum ipsum diligere, quem ames, nullâ indigentiâ, nullâ utilitate quæsitâ.* Paulo post tamen addit: *Nihil habeo quod cum amicitia Scipionis possim comparare, in hac mihi requies plena oblectationis fuit.*

Solvuntur objectiones Quietistarum.

OBjiciunt 1°. Quietistæ: Omnis amor sui, 26
est amor proprius & vitiosus. Sed amor, quo quis amat bonum ut sibi conveniens, est amor sui, cùm sit amor quo sibi vult illud bonum. Igitur est amor proprius; per consequens, nullus amor ejusmodi est amicitiæ seu benevolentiæ, sed concupiscentiæ.

Respondeo 1°. negando majorem, quia duplex est amor sui, naturalis unus, seu necessarius, alter liber. Amor sui naturalis ac necessarius est ipsummet naturale atque invincibile desiderium, quo quisque vult esse beatus; per consequens non est malus nec vitiosus, cùm sit perfectio quædam naturæ nostræ ab ipsomet Authore naturæ indita. Nec tamen meritorius est, quia necessarius, non liber. Amor sui liber, est actus liber quo voluntas nostra eligit bonum aliquod determinatum, cui adhæreat, & in quo sibi complaceat velut in objecto sibi conveniente. Amor iste aliud objectum non habet, nisi bonum cujus tamquam sibi convenientis desiderat possessionem. Omnis quippe amoris objectum est bonum illud cujus possessio desideratur, & in cujus possessione complacentia ponitur. Tot proinde sunt species liberi amoris suiipsius, quot species bonorum à voluntate liberè eligibilium, ut sint objectum amoris naturalis sui ipsius, seu invincibilis desiderii propriæ beatitudinis, ex qua homo vult quidquid vult, prout ostensum est suprà. Porrò quilibet homo in se sentiens invincibilem suæ beatitudinis amorem, pro amoris istius objecto liberè eligere potest vel seipsum (ita ut in cognitione & amore sui, suarumque perfectionum, totam suam felicitatem complacentiamque constituat) vel pro ipsius objecto liberè eligere potest aliud bonum à se realiter distinctum. Amor sui quo seipsum non solùm haberet pro subjecto, sed & pro objecto, in quo totam suam felicitatem complacentiamque constitueret, omninò perversus esset, utpote idololatria suiipsius. Verùm licèt istud communiter existimetur fuisse Luciferi peccatum; in hominibus modò vix contingit, ob experientiam miseriarum, qua docemur extra nos quærendam esse beatitudinem nostram, ob nostram ad id insufficientiam. Et ideò communis & ordinarius amor suiipsius pro objecto bona habet à nobis ipsis distincta, in quibus suam homines complacentiam & felicitatem quærunt.

27 Amor iste liber suiipsius, pro objecto non habens amantem, sed bona ab ipso distincta, rursus est duplex: vel enim pro objecto habet Deum, vel bonum aliquod creatum, à se & à Deo distinctum. Suiipsius amor pro objecto habens bonum aliquod creatum, à nobis distinctum, pro objecto habere solet vel honores, vel divitias, vel corporis voluptates, separatim vel conjunctim, quarum amor concupiscentia dicitur, nec tamen earum amor pro objecto amantem habet, sed pro subjecto & fine *cui*. Ratio est quia (ut suprà dixi) nullus amor pro objecto habet nisi bonum amatum, seu desideratum; amor proinde honoris in ambitioso pro objecto habet honorem, non ipsum ambientem: cùm honor, non ipse, sit bonum cujus desiderat possessionem. Non enim desiderat possessionem suiipsius, sed honoris, sicut nec voluptuosus suiipsius possessionem desiderat, sed voluptatis; ideòque non ipse, sed voluptas objectum est amoris suiipsius.

Amor liber sui pro objecto Deum habens, 28
non amantem, ille est quo Dei solius possessio quæritur ac desideratur, non suiipsius, in Deoque solo, & nullo modo in seipso tota complacentia & felicitas nostra, adeòque finis noster ultimus *qui* constituitur. Iste proinde amor sui est regula amoris proximi, quæ nobis hoc præcepto præcipitur: *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Et sicut homo desiderans proximo Deum, seu Dei possessionem, pro desiderii istius objecto Deum habet, non proximum; sic homo sibi desiderans Deum, pro desiderii istius objecto Deum habet, non seipsum; ipse verò solùm est subjectum & finis *cui* ejusdem desiderii, sicut proximus in priori casu.

Patet ergo evidenter, omnem sui amorem 29
pro objecto & fine *qui* non habere seipsum, sed aliquem esse qui pro objecto & fine *qui* non habet nisi Deum. Unde cùm amor sui pro objecto & fine *cui* non habens nisi Deum, sit perfectè conformis legi æternæ, perfectè proinde ordinatus, ac per consequens amor perfectus, esse non potest oppositus charitati (sicut ei oppositus est amor concupiscentiæ) imò est amor charitatis, seu amicitiæ vel benevolentiæ: cùm sit amor Dei propter se, nec solus amor Dei propter infinitam ipsius bonitatem absolutam, absque ullo ad nos convenientiæ respectu, sit amor charitatis (cùm infinita Dei bonitas, ut sic præcisè, non sit nobis amabilis, ob ea quæ dicta sunt cap. 1. à num. 2. ad 11. eo quòd utique nihil amare possimus, nisi ex innato invincibilique nostræ beatitudinis amore, uti ostensum est ibidem num. 6. 7. & 8.) sed & amor Dei propter infinitam Dei bonitatem, ut nobis convenientem: qui profectò amor non minùs est perfectus, ex eo quòd sit propter infinitam Dei bonitatem, ut nobis convenientem, quàm si foret propter eam, ut in Deo est absolutè: cùm Deus non sit minùs perfectus secundùm perfectiones suas nobis convenientes, quàm secundùm absolutas, nec amor Dei propter infinitam ipsius perfectionem ut nobis convenientem, minùs sit amor Dei propter Deum, quàm amor Dei propter infinitam perfectionem suam absolutam. Deus namque tam est Deus, summèque in se perfectus, secundùm perfectiones suas nobis convenientes, nobisque communicabiles, quàm secundùm absolutas & incommunicabiles; tamque est Deus & summè in se perfectus, ut summum bonum nostrum, quàm ut summè in se bonus. Neque enim foret summum bonum nostrum, nisi foret summè in se bonus. Amor itaque Dei propter infinitam Dei bonitatem, ut nobis convenientem, est amor Dei propter se, & causa sui, utpote pro objecto & fine *qui* non habens nisi Deum, seu divinam bonitatem. Est ergo amor amicitiæ seu benevolentiæ; amor proinde charitatis. Unde ad objectionem in forma

Respondeo 2°. distinguendo majorem, om- 30

nis amor sui, pro objecto & fine *qui* habens seipsum, vel bonum aliquod creatum sibi concupitum, est amor proprius & vitiosus, concedo: omnis amor sui, pro objecto & fine *qui* non habens nisi Deum, nego. Similiter distinguo minorem, amor quo quis amat bonum creatum ut sibi conveniens, in eo sistendo est amor sui, transeat: amor sui quo quis amat Deum ut sibi convenientem, ut pro objecto & fine *qui* amoris non habeat nisi Deum, est amor sui, nego minorem & consequentiam. Dixi transeat: partim quia ex una parte distinguendus est amor nostri ut objecti & finis *qui*, ab amore nostri ut subjecti & finis *cui* bonum aliquod desideratur. Partim quia admittendus non est, propriè loquendo, amor nostri distinctus ab amore bonorum quorum possessionem nobis desideramus. Dum enim nobis desideramus possessionem bonorum à nobis distinctorum, nos non sumus objectum istius amoris, sed subjectum dumtaxat, cui bonorum istorum possessionem desideramus: de amore verò nostri, propriè loquendo, potiùs judicandum penes objectum, quàm penes subjectum. Partim denique quia amor sui, sicut & amor proprius, malam in partem ab hominibus ordinariè accipi solet, pro amore quo nobis desideramus bona creata, vel sensibilia, vel pro amore mercenario, qui opponitur amori gratuito.

31 Objiciunt 2°. Propter se non amatur objectum, dum amatur ut nobis conveniens, sive ut nobis bonum: cùm tunc ametur propter nos. Ergo tunc non amatur amore benevolentiæ & charitatis, sed amore concupiscentiæ.

Respondeo propter se quidem non amari objectum, dum amatur propter nos velut finem *qui*; secus dum solùm amatur propter nos, velut subjectum & finem *cui*, quomodò Dei Filium de cælis descendisse credimus, & incarnatum, passum, &c. *propter nos*, tametsi nos non fuerimus finis *qui* Dominicæ Incarnationis, Passionis, &c. sed finis *cui*, & subjectum indigentiæ dumtaxat.

32 Objiciunt 3°. A nobis propter se non amatur objectum, quod non nisi respectivè ad nos, & propter felicitatem nostram amatur.

Respondeo negando antecedens, si objectum istud non ametur respectivè ad nos velut ad objectum & finem *qui*, sed ut subjectum & finem *cui* dumtaxat: at verò Deum amans velut summum bonum & ultimum finem suum, in ipsoque quærens felicitatem suam, non refert Deum ad se velut ad objectum & finem *qui* istius amoris: cùm solùs Deus amoris istius objectum sit & finis *qui*. Amoris quippe istius objectum & finis *qui*, illud est, quod amat ut summum & beatificum bonum suum, quod se non esse, nec se suiipsius possessione beatum esse posse, satis edocetur experimento miseriarum suarum, ut suprà dixi. Et ideò nec in seipso, nec in sui possessione beatitudinem suam quærit, sed in Deo, Deique possessione dumtaxat. Amor proinde Dei, ut summi boni nostri, Deum habet pro objecto & fine *qui*, nos autem pro indigentiæ subjecto, & fine *cui*, uti sæpiùs dixi. Meminerint ergo adversarii aliter accipi ly *propter*, dum objectum amari dicitur *propter nos*; aliter, dum amari dicitur *propter se*: dum enim objectum à nobis amari dicitur *propter se*, sensus est quòd amor noster objectum istud non referat ad aliud objectum velut amoris finem, sed quòd ipsum solùm sit objectum & finis *qui* amoris nostri. Dum autem objectum à nobis amari dicitur propter nos, sensus est quòd amor noster objectum istud non referat ad aliud subjectum & finem, cui desideret possessionem illius objecti, sed ad amantem ipsum.

Objiciunt 4°. Dum nobis desideramus pos- 33
sessionem Dei velut summi boni nostri, possessio Dei velut summi boni nostri est finis & objectum amoris nostri.

Respondeo negando assumptum, quia possessio Dei, ut summi boni nostri, non est beatitudo nostra objectiva, quam desideramus, sed formalis; nec finis noster ultimus *qui*, sed *quo* Deum tamquam finem ultimum *qui*, & tamquam objectum amoris nostri, sive tamquam beatitudinem nostram possidemus. Nec proinde Dei desiderans possessionem, beatitudinem suam objectivam refert ad formalem; cùm beatitudo nostra formalis, sit ipsamet perfecta cognitio amorque Dei tamquam summi boni nostri; qui actus Deum essentialiter habent pro objecto, ad quod per actus istos referimus nos, velut ad beatitudinem nostram objectivam, non verò Deum referimus ad nos, vel ad beatitudinem nostram formalem.

CAPUT III.

Amoris bonitas petitur ex ordine amoris. Cujus ordinis custodia compendium est totius vitæ christianæ.

QUòd ordinatus amor compendium sit to- 34
tius vitæ christianæ, liquet ex dictis in principio hujus libri.

Quòd autem bonitas amoris ex ipsius ordi- 35
ne petatur, ratio est primò, quia amor bonus, est amor ordinatus, qualis profectò habetur ex ordine amoris. Quid enim est amor bonus? Si *definitio brevis & vera virtutis, est ordo amoris*, ut Augustinus dicit in Civit. 22. definitio brevis & vera actus virtuosi, atque adeò actus vel amoris boni, est amor ordinatus.

2°. Ad amorem bonum non sufficit objec- 36
tum bonum, sed necessarium est quòd objectum bonum benè ametur (quod non fit nisi custodito amoris ordine.) Ut enim Augustinus dicit ibidem: *Omnis creatura, cùm bona sit, & benè amari possit & malè; benè amatur, quando amatur ordine custodito; malè autem, ordine perturbato.* Constatque ex legis æternæ dictamine, quòd *justa justè*, adeòque *bona benè* sint persequenda. Neque enim Deus contentus est nominibus sine adverbiis.

CAPUT IV.

Amabilitas istius ordinis.

37 ORdo (secundùm Augustinum 19. Civit. 13.) *est parium dispariumque rerum sua cuique loca tribuens dispositio*: ita ut res gradu superiores locum habeant superiorem, inferiores inferiorem, æquales æqualem. Ordo proinde amoris, est talis ipsius dispositio, ut suum in amore locum amans cuique tribuat, non diligendo, nisi quod diligendum est, nec amplius diligendo quod minùs diligendum est, nec minùs diligendo quod amplius est diligendum, nec minùs aut amplius quod æquè diligendum est, sed unumquodque secundùm quod dignum est dilectione, sive secundùm gradum & ordinem bonitatis suæ.

38 Et hinc conspicua est istius ordinis amabilitas; utpote cujus indivulsæ sociæ sunt justitia, decor & pax. Si enim justitia, decor & pax omni in ordine reperitur, maximè in ordine dilectionis. Et quid (amabo) magis justum, quàm suum cuique locum tribuere? Quid magis decorum, quàm parium dispariumque rerum ordinata compositio? An non id oculis cernimus in pulcherrima, quia ordinatissima, compositione parium dispariumque partium corporis humani, vel etiam totius universi, quæ sine isto ordine, non foret nisi horridum chaos & confusio? Quid denique magis perspicuum, quàm quòd quies tranquillitasque vel ipsarum rerum sensibilium, ab ordinata earum dispositione, suum cuique locum tribuente, dependeat, ita ut eo ipso tumultum excitent, quo naturalis earum situs seu ordo perturbatur? pondere enim suo suum unaquæque res locum & ordinem naturaliter quærit. Siquidem pondus (ut Augustinus enarrat. 2. in Psal. 29. n. 10. ait) *est impetus quidam cujusque rei velut conantis ad locum suum.... fers lapidem manu, pateris pondus; premit manum tuam, quia locum suum quærit. Et vis videre quid quærat? subtrahe manum, venit ad terram, quiescit in terra, pervenit quò tendebat, invenit locum suum.... Sunt alia quæ sursum versus petunt locum. Namque si aquam mittas super oleum, pondere suo ad ima tendit, locum enim suum quærit, ordinari quærit, quia præter ordinem est aqua super oleum. Donec ergo veniat ad ordinem suum, inquietus motus est, donec teneat locum suum. Contrà, oleum funde sub aqua.... non se patitur oleum subter... Ignis sursum fertur, locum suum quærit. Et aqua locum suum quærit pondere suo, &c.*

39 Quòd si tam amabilis est rerum corporalium ordo, quia tam justus, tam decorus, tam pacificus; quanto magis amabilis ordo rerum spiritualium, & maximè amoris, cæterorumque affectuum, & actuum hominis, quibus proximè ipse ad Deum accedit, ipsique similis & Deiformis quodammodò efficitur?

40 Istius profectò ordinis amabilitas tanto major est amabilitate ordinis sensibilium rerum, quantò justitia, decor & pax rerum spiritualium exuberantior est justitiâ, decore & quiete rerum sensibilium. Quæ pax tam exuberans est, ut *exuperet omnem sensum*, sicut Apostolus ait ad Philipp. 4. Ut proinde sponsa in Canticis de sponso suo dicat: *Ordinavit in me charitatem*, id est, dilectionem & amorem, ut Augustinus exponit 15. Civit. 22. ex eo loco colligens suam virtutis definitionem: *Definitio brevis & vera virtutis, ordo est amoris.*

CAPUT V.

Alius ordo amandi, alius ordo subveniendi.

ENimverò ordinem amandi ab ordine sub- 41
veniendi distinguit Augustinus epist. 148. dicens: *Charitas, quæ tamquam nutrix fovet filios suos, non ordine amandi, sed ordine subveniendi, infirmioribus fortioribus anteponit.* Et ratio distinguendi est, quia aliunde petitur ordo amandi, quàm ordo subveniendi. Ordo quippe amandi ex dignitate petitur objecti, seu gradu bonitatis ipsius, ut infrà videbitur; ordo verò subveniendi petitur ex indigentia personæ cui subvenitur: cùm ratio subveniendi, sit indigentia, quâ sublatâ, non est locus subventioni.

Unde licèt Angelos cæterosque beatos in 42
cælo regnantes, maximè beatissimam Virginem amore appretiationis plus amare debeamus, quàm peccatores in via delinquentes, vel etiam animas purgantes, istis subvenire debemus, non illis, quia subventione nostra non indigent; nec Deo, tametsi super omnia diligendo, subvenire debemus, nec possumus, quia bonorum nostrorum non eget. Quam etiam ob causam Pastor Evangelicus, licèt nonaginta novem oves magis diligat, quàm solam centesimam errantem, deserit nonaginta novem, ut centesimam perditam requirat. Et majus est gaudium in cælo super uno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentia, licèt nonaginta novem justi plus diligantur. *Nec ideò naturam humanam assumpsit Deus (præ Angelica) quia hominem absolutè plus diligebat (quàm Angelum) sed quia plus indigebat. Sicut bonus paterfamilias aliquid pretiosius dat servo ægrotanti*, quod non dat *filio sano*, ait S. Thomas 1. p. q. 20. a. 4. ad 2.

Sic tamen ordo subveniendi ex indigentia 43
petitur, ut in eo habenda sit ratio conjunctionis, quâ persona indigens conjungitur nobiscum; ita ut inter indigentes, cæteris paribus, præferendi sint conjunctiores, ad quorum adjutorium magis nati sumus. Ut enim optimè Augustinus l. 1. de doctrina christ. c. 28. *Cùm omnibus prodesse non possis; iis potissimum consulendum est, qui pro locorum, temporum & quarumcumque rerum opportunitatibus constrictiùs tibi conjunguntur.*

Quod etiam tradit S. Paterius in cap. 2. Deu- 44
teron.

teron. cum Gregorio Magno dicens, quòd *debemus temporaliter his, quibus vicinius conjungimur, plus cæteris prodesse.* Quod pulchrâ hac similitudine declarat: *Quia & flamma admotis rebus incendium porrigit.*

Eademque mihi videtur doctrina Angelici Doctoris 2. 2. q. 26. a. 9. dum ait, quòd *gradus dilectionis ex duobus pensari potest, uno modo ex parte objecti, & secundum hoc, id quod habet majorem rationem boni, est magis diligendum, & quod est Deo similius.... Alio modo computatur gradus dilectionis ex parte ipsius diligentis* (id est, ex ordine diligentis ad dilectum) *& sic magis diligitur, quod est conjunctius.* Quomodò magis? Non secundùm affectum dilectionis, sive secundùm ordinem amandi, amore appretiationis: siquidem ordo iste est secundùm ordinem diligibilium, ita ut *id quod habet majorem rationem boni*, sit *magis diligendum*, ut proximè dixit. Igitur secundùm ordinem subveniendi, sive quoad dilectionis effectum, ut patet ex illatione quam facit, quòd ex parte diligibilis (unde petitur ordo appretiationis) pater sit magis diligendus quàm filius: *quia patrem diligimus sub ratione principii* (*quod habet rationem eminentioris boni, & Deo similioris*) sed ex parte diligentis seu conjunctionis dilecti cum diligente (unde petitur ordo subveniendi) *filius est magis diligendus quàm pater.... quia filius est magis propinquus parenti, utpote pars existens, quàm pater filio, ad quem habet habitudinem principii.*

45 Hoc est etiam quod idem S. Doctor frequenter ait, quòd in amore duplex est ordo: primus, inter diligibilia: secundus, inter diligentem & dilectum. Quòdque primum attendit amans. Secundum attendit quoad effectum, non quoad affectum, seu affectus appretiationem.

46 Quamvis ergo pater magis appretiativè diligendus sit (in quantum rationem habet principii) ideòque magis honorandus: quia tamen filius est pars patris, & aliquid ipsius, pater verò non est pars, nec aliquid filii, pater est quodammodo magis conjunctus filio, quàm filius patri, in ordine ad beneficium præstandum. Quia dum pater filio benefacit, benefacit quodammodò sibi, in quantum benefacit ei, in quo est aliquid sui. Dum autem filius benefacit patri, non benefacit sibi, sed principio sui, quia in patre non est aliquid sui.

47 Ordine itaque subventionis in cura provisionis, filius præferendus est patri, juxta S. Doctorem n. 44. relatum, & ibidem ad 1. ubi idipsum magis explicat, dicens, quòd *in principio debetur subjectio, reverentia & honor. Effectum autem proportionaliter competit recipere influentiam principii, & provisionem ipsius. Et propter hoc parentibus à filiis magis debetur honor: filiis autem magis debetur à parentibus cura provisionis.*

48 Ad tertium tamen angelicè monet, quòd *in articulo necessitatis, filius obligatus sit ex beneficiis susceptis, ut parentibus proximè provideat.* Quia *Dei traditio est* (inquit Ambrosius lib. 8. in cap. 18. Lucæ) *ut prius pascas parentes:* quia recta ratio vult, ut ei quodammodò rependas vitæ beneficium, à quo illud accepisti, conservando vitam illius, à quo vitam accepisti. Qua ratione motus Philosophus l. 9. Ethic. c. 2. dicit: *Videtur autem nutrimento parentibus maximè filios, ut debentes, opitulari oportere, & honestum est iis, qui causa sunt essendi, quàm sibiipsis subvenire, &c.*

Ratio verò propter quam (extra articulum necessitatis) in cura provisionis, magis providendum sit filiis quàm parentibus, est quia quisque magis natus est ad adjutorium filiorum quàm parentum, Apostolo teste, qui propterea ait: *Non debent filii parentibus thesaurizare*, sed parentes filiis: quia, ut ex S. Thoma audivimus, effectui competit recipere influentiam *principii, & provisionem ipsius.* 49

De uxore S. Thomas pariformiter docet, quòd secundùm ordinem amoris appretiativi, qui petitur ex *ratione eminentioris boni*, sunt *magis diligendi parentes, quàm uxor.* Quia parentes diligendi sunt sub ratione principii, adeòque sub ratione eminentioris boni. *Secundùm rationem autem conjunctionis* (quam attendit ordo subveniendi) *magis diligenda est uxor, quia uxor conjungitur viro, & caro una existens.* Quod à S. Doctore intelligi in *cura provisionis*, extra articulum necessitatis, liquet ex proximè dictis. 50

Denique cùm quisque magis natus sit ad adjutorium consanguineorum, quàm extraneorum, ordine subventionis consanguinei, in iis quæ ad naturam pertinent, extraneis præferendi sunt, ut idem S. Doctor tradit a. 8. his verbis: *Diversorum dilectio est mensuranda secundùm diversam rationem conjunctionis, ut scilicet unusquisque diligatur magis* (secundùm effectum, seu ordinem subveniendi) *in eo quod pertinet ad illam conjunctionem, secundùm quam diligitur. Et ulterius comparanda est dilectio dilectioni, secundùm comparationem dilectionis ad dilectionem. Sic ergo dicendum quòd amicitia consanguineorum fundatur in conjunctione naturalis originis: amicitia concivium in communione civili: & amicitia commilitonum in communicatione bellica. Et ideò in his quæ pertinent ad naturam, plus debemus diligere consanguineos. In his autem, quæ pertinent ad civilem conversationem, plus debemus diligere concives. Et in bellicis plus commilitones.* 51

Ad secundum tamen ait, quòd loquendo *de dilectione quantum ad beneficia, quæ pertinent ad communicationem gratiæ, scilicet de instructione morum, in hac magis debet homo subvenire filiis spiritualibus, quos spiritualiter genuit, quàm filiis corporalibus, quibus tenetur magis providere in corporalibus subsidiis.* 52

Sed & q. 32. a. 9. in corp. docet quòd licèt, sicut Augustinus dicit, *illi qui sunt nobis magis conjuncti, quadam quasi sorte nobis convenit ut eis magis providere debeamus. Est tamen circa hoc discretionis ratio adhibenda, secundùm dif-* 53

ferentiam conjunctionis, & sanctitatis, & utilitatis. Nam multo sanctiori, magis indigentiam patienti, & magis utili ad commune bonum, est magis eleëmosyna danda, quàm personæ propinquiori, maximè si non sit multùm conjuncta, cujus cura specialis nobis non immineat, etsi magnam necessitatem non patiatur.

54 Et hinc patet quòd in servando subveniendi ordine, sicut habenda est ratio indigentiæ & conjunctionis, sic quandoque etiam habenda sit ratio sanctioris, & communi bono utilioris indigentis, dum specialis impiorum indigentia, vel demandata nobis conjunctorum cura non obstat. Idque fundamentum habet in Scriptura & ratione.

55 In Scriptura: scriptum est enim Matth. 10. *Qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet.* Galat. 5. *Operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei.* 1. Thessal. 5. *Rogamus vos fratres, ut noveritis eos qui laborant inter vos, & præsunt vobis in Domino, & monent vos, ut habeatis illos abundantius in charitate propter opus illorum.* Et 1. Thimoth. 5. *Qui benè præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur.*

56 Sed & rationi consonum est, & æquitati, ut bona de larga Dei manu suscepta, cæteris paribus, Dei amicis potiùs quàm inimicis impartiamur, iis maximè qui beneficiis nostris adjuti, Dei gloriam animarumque salutem præ aliis procurant, vel benè de republica merentur.

57 Nec tamen sic habenda ratio meritorum, ut impii & infideles negligendi sint, si verè indigentes sint. Cùm Apostolus velit, ut *operemur bonum ad omnes*, utique ut simus filii & imitatores Patris nostri cælestis, qui *solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos.*

58 Sed de subveniendi ordine, misericordiaque erga proximum indigentem corporali spirituali*que*, plura, Deo dante, tom. 2. Deinceps proinde solùm agemus de amore appretiativo, ejusque ordine.

CAPUT VI.

In amore duplex attenditur ordo. Unus, inter diligibilia. Alter, inter diligentem & dilectum. Prior est ordo amoris appretiativi. Posterior benefactivi, seu amoris quoad subventionis effectum.

59 Sic docet S. Thomas suprà n. 18. Et inter diligibilia quidem ordinem esse amoris appretiativi, ex eo perspicuum est, quòd inter diligibilia, quatenùs talia, non sit nisi ordo diligibilitatis. Non alius proinde, nisi ordo bonitatis & dignitatis. Quem ordinem attendit amor appretiativus.

60 Inter diligentem verò & dilectum non est nisi ordo, vel abundantis ad indigentem, vel conjuncti ad conjunctum. Quorum utrumque attendit amor benefactivus, seu ordo subveniendi, de quo actum est capite præcedenti.

CAPUT VII.

Appretiatio non solùm fit per intellectum, sed & per voluntatem.

Distinguenda est duplex ista appretiatio. 61
Tum quia appretiatio amoris, de qua deinceps, per voluntatem fit, non per intellectum. Tum quia circa appretiationem per voluntatem faciliùs hallucinamur, quàm circa appretiationem per intellectum. Per quem tunc fit appretiatio, dum fit per judicium intellectus de dignitate rei amatæ. Per voluntatem autem tunc fit, quando voluntas sibi complacet in re amata secundùm gradum, seu præstantiam bonitatis sibi propositum vel propositam per intellectum. Quod profectò voluntas non semper facit, imò plerumque magis sibi complacet in rebus, quas homo scit esse deteriores, melioribus neglectis, juxta illud, *Video meliora, proboque, deteriora sequor.*

Plerùmque etiam appretiationem intellectus 62
sequitur inefficax & semiplena dumtaxat appretiatio voluntatis. Et hinc humana mens seipsam sæpè deludit, dum putat se Deum amare super omnia, quia Deum æstimat super omnia. Cùm tamen vel non sit nisi appretiatio intellectus, vel nonnisi imperfecta & semiplena appretiatio voluntatis.

Qua in re tanto faciliùs seipsum homo sæ- 63
pissimè decipit, quantò difficiliùs appretiatio voluntatis ab ipso percipitur, quàm appretiatio intellectus. Per reflexam quippe cognitionem certiùs percipimus judicium nostrum quàm amorem nostrum. Quòd enim judicemus Deum super omnia amabilem esse, per reflexam cognitionem evidenter cognoscimus. An autem Deum verè super omnia amemus; an non potiùs creaturam supra Deum? post serium conscientiæ examen, plerùmque certò scire non possumus. Ideò namque *nescit homo, utrùm amore, an odio dignus sit.* Eccles. 9.

Imò plerùmque ne tunc quidem certi su- 64
mus, quæ ratio nos moveat ad amandum, dum nos amare certi sumus. An scilicet ad amandum nos objecti honestas moveat, an utilitas, an delectabilitas. Quæ triplex amandi ratio se plerùmque offert in eodem objecto.

Ex quo patet nos faciliùs scire motivum ju- 65
dicii nostri, quàm amoris, quia simplicior est bonitate veritas, quæ objectum est intellectus. Ad judicium enim de veritate intellectus non movetur, nisi vel ratione vel authoritate. Eo quòd non solùm triplex sæpè sit in uno eodemque objecto bonitas, quæ objectum est amoris, sed & triplicis istius bonitatis ratio, multiplex utique honestas, multiplex delectabilitas, multiplex utilitas, indeque augeatur incertitudo, dum inquirimus quænam bonitas hîc & nunc nos ad amandum moveat.

Nec hoc mirum, cùm tunc etiam plerùm- 66
que facilè discernere non possimus, quæ ratio hîc & nunc intellectum moveat ad assensum,

dum

dum neceſſe eſt eum moveri ab authoritate obſcurè revelante. Eò quòd utique tunc aſſenſus intellectûs pendeat ab imperio voluntatis, cujus obſcuritas obſcurum facit motivum, propter quod intellectus hîc & nunc præſtat aſſenſum. Nam ne tunc quidem homo certò ſcit ſe fidei articulos ob divinam credere authoritatem, & non ob aliud motivum, v. g. authoritatem Paſtorum, vel parentum, vel magiſtrorum inſtruentium, vel ob temporalem etiam conſiderationem ſuperbiæ, vel avaritiæ, vel luxuriæ, vel alterius paſſionis. Quomodò hæretici erroneas opiniones ſuas vel gignunt, vel ſequuntur, prout Auguſtinus obſervat in lib. de utilit. cred.

67 Unus denique modus eſt intellectu rem appretiandi, ſcilicet per judicium de gradu bonitatis ipſius: ſed non unus, imò varius & multiplex eſt modus voluntate appretiandi. Præter modum namque appretiandi per expreſſam electionem unius rei præ alia (quæ correſpondet præfatæ appretiationi per intellectum) ſunt in voluntate varii modi, ideò ſæpè latentes & fallentes amantem, quia expreſſi non ſunt, ſed taciti, & dumtaxat interpretativi.

68 Atque ex his, aliiſque de cauſis, fit quòd tam abditi ſint ſinus, anfractus & receſſus voluntatis noſtræ, ut ſæpiſſimè hallucinemur, etiam circa eum, qui in corde noſtro dominatur, affectum appretiativum.

CAPUT VIII.

Varii modi tacitæ appretiationis.

69 PRimus eſt, dum rem aliquam in abdito cordis receſſu, amamus per modum finis, ad finem ulteriorem non relati, ſive interim eam amemus per modum finis ſimpliciter & abſolutè, ſeu poſitivè ultimi (qui vocari ſolet finis hominis ſeu operantis) ſive per modum finis ſecundùm quid, & negativè ultimi (qui vocari ſolet finis operis, ſeu actionis) nullam enim rem amamus ut finem, niſi eam amemus abſolutè propter ſe, ſive propter bonitatem vel præſtantiam bonitatis, in ea ſiſtendo. Qui amor haud dubiè eſt amor appretiativus.

70 Illud porrò amamus ut finem abſolutè, ſimpliciter & poſitivè ultimum, ſive ut finem ultimum agentis, quod ſuper omnia alia tam altè amamus, ut nihil æquè vel magis amemus, ſed in ipſo beatitudinem, ſeu finem omnium, vel præcipuorum deſideriorum noſtrorum collocemus, ad quem proinde vel omnes, vel præcipuas vitæ noſtræ moralis actiones dirigamus. Illud verò ſolùm amamus ut finem ſecundùm quid, & negativè ultimum, ſive ut hîc & nunc finem ultimum actionis noſtræ, quod tametſi ſuper omnia alia bona non amemus, nec ipſum amemus velut beatitudinem noſtram, finemque omnium deſideriorum noſtrorum, ad quem omnes, vel præcipuas vitæ noſtræ actiones referamus; in eo tamen per amorem hîc & nunc ſic ſiſtamus & requieſcamus, velut in fine propter ſe amato, ut finem iſtum ad finem ulteriorem hîc & nunc non dirigamus. Hoc ipſo namque quòd ipſum amamus propter ſe, non tamquam finem intermedium, ſed tamquam finem ulteriùs non relatum, finis iſte hîc & nunc eſt finis ultimus amoris noſtri; utpote in quo amor noſter hîc & nunc ſic ſiſtit, & requieſcit, ut ultrà non tendat. Hoc ipſo verò quòd aliquid hoc modo propter ſe finaliter amamus, ipſum amamus tamquam bonum eâ bonitate quæ digna ſit hîc & nunc amari finaliter propter ſe, abſque relatione ad ulteriorem finem. Ipſum ergo amamus amore appretiativo.

Hoc modo non ſolùm peccatores, ſed & 71
juſti, qui innocenter vivunt; ſolumque Deum amant, velut finem ſuum abſolutè, ſimpliciter & poſitivè ultimum, per humanæ vitæ infirmitatem, variis creaturarum amoribus, ſeu potiùs amorculis detinentur, dum eas ſic amant, ut in ipſis hîc & nunc ſiſtat amor ipſorum, eaſque proinde ament propter ſe, velut hîc & nunc finem amoris ſui. De juſtis namque loquitur Auguſtinus in Pſal. 136. cùm ait: *Omnis anima infirma in hac vitæ quærit ſibi aliquid terrenum, ubi requieſcat* (amor ipſorum ad finem ulteriorem non relatus,) *quoniam intentionem laboris & mentis extentæ in Deum difficilè poteſt perpetuò laborare. Aliquid ſibi in terra conquirit, ubi requieſcat, & quodammodò pauſatione quadam recumbat, velut ſunt iſta quæ diligunt & innocentes. Neque enim de cupiditatibus malorum nunc loquendum eſt... Ad innocentem hominem veniamus: acquieſcit in domo ſua, in familia ſua, in conjuge, in filiis... in prædiolo, in novella manibus conſita, in ædificio aliquo ſuo ſtudio fabricato*, in oblectamento, quod percipit in cibo & potu, in concentu, in viſu vel auditu rei curioſæ, v. g. lepuſculi ante canes currentis, in ſcientia, in honore ſibi exhibito, in gloriola, &c. Quis juſtus in iſtis amorculis & oblectamentis plerùmque non offendit? *In multis enim offendimus omnes.*

Secundus modus eſt, dum aliquid amamus 72
ut medium, ſed non purè ut medium: dum enim ipſum amamus purè ut medium, non amamus nec appretiamur ratione ſui (imò ipſum ut ſic plerùmque horremus, ut potionem amaram, membri amputationem, &c.) ſed ratione finis dumtaxat, v. g. ſanitatis. Si autem (dum in ipſo miſcetur utile dulci) ipſum partim amemus, v. g. propter ſuam dulcedinem, partim propter alium finem, ad quem utile eſt, in quantum amamus propter ſe, per amorem appretiamur propter ſe, ut perſpicuum eſt ex dictis n. præcedenti.

Ipſa verò media, quæ amamus ut media, 73
nec per amorem appretiamur ratione ſui, ſed ratione finis, propter quem illa amamus, tanto magis appretiamur, quanto propinquiora ſunt fini, eaque ut talia affectuoſiùs eligimus. Quia, ut S. Thomas ait 2. 2. q. 81. a. 6. *ea quæ ſunt ad finem, ſortiuntur bonitatem, adeòque*

bonitatis pretium ex ordine ad finem : & ideò quanto sunt fini propinquiora, tanto sunt meliora.

74 Tertius modus est secundùm modum procedendi intellectûs, secutum à voluntate. Quandoquidem appretiatio finis, & mediorum per voluntatem, sequitur plerùmque modum procedendi intellectûs; utpote à quo voluntas trahitur. Exemplum est, dum intellectus in utramque contradictionis partem allectus, hinc per rationem, inde per authoritatem proponentem fidei articulos, contra quos ratio aliqua occurrit, rationi præferens divinam authoritatem, articulos illos credit. Hoc enim non facit sine pio voluntatis affectu, majori in pretio habente divinam authoritatem quàm rationem: non fit ergo sine appretiatione per voluntatem.

75 Quartus modus est secundùm modum procedendi in opere exteriori, dum scilicet ex opere exteriori arguimus unum æquè, vel magis per voluntatem appretiari quàm alterum, tametsi hoc expressè non faciamus. Hoc modo paciscens temporale pro spirituali, arguitur temporale æquiparare spirituali, etiamsi expressam non habeat æquiparandi voluntatem. Collator quoque beneficii, dum ex duobus inæqualiter dignis, simul ad illud concurrentibus, illud uni præ altero confert, v. g. minùs digno, arguitur facto suo hunc illi præferre.

CAPUT IX.

Ex dignitate seu excellentia finis arguitur quo in pretio voluntas habeat ea quæ amat ut finem, seu finaliter propter se.

76 PRima excellentia finis est, quòd finis (ut S. Thomas frequenter ait) *est mensura caterorum*, utique mediorum, quæ amantur & adhibentur propter finem. Hæc quippe fiunt eo tempore, loco, iisque aliis circumstantiis, quæ æstimantur fini congruere: quia *in omnibus appetibilibus & agibilibus mensura est finis*, ait S. Doctor 2. 2. q. 27. a. 6. in corp.

77 Et hinc colligitur secunda finis excellentia, quòd utique in corde amantis eatenùs dominetur, & habeat principatum, ut imperet actiones fini necessarias, vel utiles, trahatque post se varios affectus, velut pedissequos suos: utique gaudii, si res amata sit præsens; desiderii, si absens; spei, si probabiliter futura; timoris, si spei eventus periclitetur; tristitiæ, si possessa amittatur, &c. Voluntas quippe amans aliquid ut finem, fini velut domino servit, varioque vultus & affectus induit pro vario statu ipsius, ut experientia docet. Istamque esse naturam amoris, ut amantem rei propter se finaliter amatæ servum faciat, communis hominum sensus & Augustinus testantur. Ideò namque rerum mortalium amatores, dum eas propter se finaliter amant, *ab his ipsis per cupiditatem tenentur, & rerum mortalium servi fiunt*, inquit Augustinus lib. de morib. Eccles. cap. 3. Et tam ipsi amatores, amasiam suam, heram, seu dominam suam, quàm alii eam amasii sui dominam vocitare solent. Ex veteri quoque proverbio scimus, quòd amantis anima non tam sit ubi animat, quàm ubi amat. Ipsâ etiam Veritate teste, *ubi est thesaurus tuus*, (id est, quod in amore tuo loco thesauri est) *ibi est & cor tuum*. Cur? quia thesaurus amatur ut finis. Denique persona, propter se finaliter amata, usque adeò amanti dominatur, ut omnes nutus, affectus & passiones ipsius sequatur; ipsâ namque turbatâ turbatur, irascente irascitur, periclitante angitur, &c. uti quotidiè videmus.

Tertia excellentia est, quòd solus finis, sive 78
id quod amatur ut finis, propriè ametur; non verò medium quà tale præcisè. Quia non amatur propter se & ratione sui, sed solùm propter finem, & ratione finis: At verò *quod non propter se amatur, non amatur*, inquit Augustinus l. 1. Soliloq. c. 13. *Nihil enim est aliud amare, quàm propter seipsam rem aliquam appetere.* Lib. 83. qq. q. 34. Et ideò citato lib. 1. Soliloq. c. 11. postquam dixit, divitias sibi ampliùs amandas non videri, eò quòd jam non ampliùs propter seipsas, sed propter aliud expetendæ viderentur. Rationem subjungit, dicens: *Optimè omninò: nam nec ego ullarum rerum vocandam puto cupiditatem, quæ propter aliud requiruntur.*

Augustino concinit Bernardus l. de diligendo Deo c. 7. *Quidquid propter aliud amare videaris, id planè amas, quò amoris finis pertendit, non per quod tendit.* Qua in re uterque pariformiter loquentem habet divinam Scripturam, quæ per amorem, dilectionem, &c. simpliciter loquendo, intelligit amorem & dilectionem rei finaliter propter se. Dum enim Joan. 2. simpliciter dicit: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt.* Eccli. 8. *Nihil scelestius quàm amare pecuniam*, &c. non prohibet amare pecuniam, vel ea quæ in mundo sunt propter aliud, sed propter se, ibi sistendo. Unde nec dicit: *Nolite uti mundo*; sed, *nolite diligere mundum*, &c. ut Augustinus advertit lib. 5. contra Julian. c. 16. 79

Ex his colligit Augustinus Homil. 38. inter 80
50. quòd si *propterea proximum amas, ut præstet tibi vel pecuniam, vel aliquod commodum temporale, non illum amas, sed illud quod præstat.* Et serm. 41. *Amicus meus, si cùm dives esset, amicus fuit, cùm pauper est, amicus non est: non ipse mihi amicus, sed aurum ejus fuit.* Et infrà: *Si propterea manes cum amico in paupertate ejus, ut, quando dives fuerit, perfruaris divitiis ejus, adhuc non amicum, sed aliud aliquid amas in amico.* Similiter Prosper, vel Julianus Pomerius l. 3. de vita contemplativa c. 25. *Qui amicum propter commodum quodlibet amat, non amicum convincitur amare, sed commodum.*

Quarta excellentia est, quòd finis semper 81
excellit rem, quæ est ad finem, ut docet S. Thomas 2. 2. q. 152. a. 5. in corp. post Augustinum l. 2. de serm. Domini in monte c. 16.

dicentem, quòd *quæcumque res propter aliud quæritur, sine dubio inferior est, quàm id propter quod quæritur.* Unde infert: *Si propterea evangelizamus ut manducemus, vilius habemus Evangelium quàm cibum.*

82 Quinta excellentia est, quòd sicut Philosophus ait in 1. Politic. *appetitus finis in omnibus actibus est absque termino; eorum autem quæ sunt ad finem est aliquis terminus. Non enim medicus imponit aliquem terminum sanitati, sed facit eam perfectam quantumcumque potest, sed medicinæ imponit terminum. Non enim dat tantum de medicina quantum potest, sed secundùm proportionem ad sanitatem,* ait S. Thomas 2. 2. q. 27. a. 6. Quod & repetit q. 184. a. 3. *In fine non adhibetur aliqua mensura, sed solum in his quæ sunt ad finem... sicut medicus non adhibet mensuram, quantum sanet, sed quantâ medicinâ vel diætâ utatur ad sanandum.*

83 Idque experientia docet in iis qui divitias habent pro fine amoris sui: divitias enim quærunt sine fine, nec eas ad usus suos applicant, ideòque fructum ex eis non capiunt, ut Spiritus sanctus testatur Eccli. 15. *Qui amat divitias* (id est, qui eas pro fine amoris habet, hoc est enim simpliciter amare phrasi Scripturæ, uti n. 50. ostendimus) *fructum non capiet ex eis.*

CAPUT X.

Ad ordinatum amorem necesse est ut (cæteris paribus) talis sit ordo amoris, qualis est ordo rerum in bonitate.

84 RAtio est, quia ut amor sit ordinatus, amans debet unumquodque amare secundùm amabilitatem suam. In amore igitur ordinato, talis est ordo amoris, qualis est ordo amabilitatis. Sed talis est ordo amabilitatis, qualis est ordo rerum in bonitate: unumquodque enim in tantum est amabile, in quantum bonum. Quia bonitas rerum est tota ratio amabilitatis earum.

85 Et confirmatur, quia ordinatus amor postulat, ut maximè amemus quod maximè est amabile, amemus minùs, quod minùs est amabile, & amemus æqualiter ea quæ æqualiter amabilia sunt. Sic enim recta ratio dictat, & non potest voluntas non esse recta, rectam rationem sequendo.

86 Sic etiam faciendum docent SS. Patres. Augustinus serm. 100. de verb. Evangelii Lucæ (Edit. noviss. Benedictin.) explicans verba ista Cantic. *Ordinate in me charitatem.* Quid est (inquit) *ordinate in me charitatem? facite gradus, & cuique quod debetur restituite. Nolite anteriora in bonitate posterioribus subdere. Amate parentes, sed præponite Deum parentibus.* Serm. 21. Cant. 2. dicitur: *Ordinate in me charitatem: bonum aliquid te fecit Deus, sub se fecit aliquid inferius, & sub te: sub alio es, super aliud es: noli, relicto superiore bono, curvare te ad inferiora.... Si in negotio tuo argentum præponis auro, si plumbum argento, si pulverem plumbo, nonne ab omnibus socis tuis... dementissimus judicaberis?.... ideò demens dicor, quia de duabus speciebus... præpono viliorem chariori... eris rectus, superiora plus diligens, inferioribus rectè utens.* L. de vera relig. c. 48. *Ordo amoris est ut potiùs potiora, & minùs minora diligamus.* L. 1. de lib. arb. c. 8. *Non enim ordo rectus, aut ordo appellandus est omninò, ubi deterioribus meliora subjiciuntur.* Lib. 2. c. 10. *Ille qui justè vivit, non posset ita vivere, nisi videret quæ inferiora quibus potioribus subdat, & quæ paria sibi copulet, & quæ propria suis quibusque distribuat.* Lib. 1. de doct. christ. c. 27. *Justè & sanctè vivit, qui rerum integer æstimator est; ipse est autem, qui ordinatam habet dilectionem, ne aut diligat quod non est diligendum, aut non diligat, quod est diligendum, aut ampliùs diligat, quod minùs diligendum est, aut æquè diligat, quod vel minùs vel ampliùs diligendum est, vel ampliùs quod æquè diligendum est.* Et epist. 120. ad Honorat. *Sicut bona sunt omnia quæ creavit Deus, ab ipsa rationali creatura usque ad infimum corpus, ita benè agit in his anima rationalis, si ordinem servet, & distinguendo, eligendo, pendendo, subdat minora majoribus, corporalia spiritualibus, inferiora superioribus, temporalia sempiternis; ne superiorum neglectu, & appetitu inferiorum (quoniam hinc sit & ipsa deterior) & se, & corpus suum mittat in pejus, sed potiùs ordinata charitate, se & corpus suum convertat in melius.*

Similiter loquitur Bernardus lib. de diligendo Deo: *Cupiditas tua tunc rectè à superveniente charitate ordinatur, cùm mala quidem penitùs respuuntur, bonis meliora præferuntur, nec bona, nisi propter meliora diliguntur.* Et serm. 6. in parvis: *Si amantur quæ amanda sunt, si magis amantur quæ magis amanda sunt, si non amantur, quæ amanda non sunt, amor purgatus erit.* 87

CAPUT XI.

In ordine rerum Deus est summus, optimus, maximus in bonitate. Summè proinde & maximè diligendus, creaturisque omnibus in amore præferendus.

COnstat ex allato amoris ordine, ex primoque & maximo mandato: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex omnibus viribus tuis,* &c. 88

Adversus hunc ordinem peccat, quisquis mortaliter peccat, vilissimam voluptatem v. g. Deo præferendo. Specialiter peccavit Judas, dum triginta denariis Christum vendidit, de quo Ambrosius l. 3. de Spir. S. c. 18. *O Juda proditor! unguentum passionis ejus trecentis denariis æstimas, & passionem ejus triginta denariis vendis, dives in æstimatione, vilis in scelere.*

CAPUT XII.

In ordine rerum Deus ſolus habet eſſe finaliter propter ſe. Solus proinde amari debet finaliter propter ſe.

89 NUllus ſanæ mentis de prioris propoſitionis veritate dubitat. Deus enim cùm à ſe ſit, non ab alio, propter ſe eſt, non propter alium vel aliud, utpote non habens principium, nec bonum majus aut melius, ad quod referri poſſit vel debeat. Eſt enim ſummum bonum, quo nihil ſuperius, melius aut majus excogitari poteſt.

90 Secundæ propoſitionis veritas perſpicua eſt ex eo quòd nulla creatura ordinatè amari poſſit finaliter propter ſe: ſolus ergo Deus ordinatè amari poteſt finaliter propter ſe. Aſſumptum probatur 1°. quia nulla creatura habet eſſe finaliter propter ſe, ſed propter Deum (Scripturâ teſte Proverb. 16. *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt.* Apoc. 1. *Ego ſum* creaturarum omnium *alpha & omega, principium & finis.*) Nulla igitur creatura eſt amabilis finaliter propter ſe, ſed propter Deum dumtaxat (cùm in tantum amabilis ſit, in quantum habet eſſe & bonitatem, quæ unica & tota eſt amandi ratio; nulla verò creatura magis habet bonitatem finaliter propter ſe, quam habeat eſſe finaliter propter ſe.) Si nulla creatura eſt amabilis finaliter propter ſe, nulla ergo creatura ordinatè amatur finaliter propter ſe, quandoquidem ordinatè amari nequeat, niſi in quantum amabilis eſt.

91 2°. Ut amor ſit ordinatus, talis eſſe debet ordo amoris, qualis eſt ordo rerum, uti demonſtratum eſt cap. 9. Id igitur ſolùm amari poteſt propter ſe tamquam finem amoris poſitivè vel negativè ultimum, quod in ordine rerum habet rationem finis poſitivè vel negativè ultimi. Atqui nulla creatura in ordine rerum habet rationem finis poſitivè vel negativè ultimi, ſed medii dumtaxat & vehiculi ad finem ultimum, ſcilicet Deum. Tum quia nimis glorioſa eſt multiplex dignitas & excellentia finis (capite 8. enarrata) ut creaturæ valeat convenire: finis namque eſt menſura cæterorum, quæ fiunt propter finem; ideòque in corde amantis ſic dominatur, ut amans illi ſerviat: Soli autem Deo ut fini, creatura amans ſervire debet, ait Auguſtinus lib. 6. de muſica c. 15. Deinde finis appetitur ſine termino. Bono autem finito (quale eſt bonum quodcumque creatum) non competit appeti ſine termino.

92 Tum quia ſicut nulla creatura in ordine rerum habet rationem principii, ſeu poſitivè, ſeu negativè primi, ſic neque rationem finis, ſeu poſitivè, ſeu negativè ultimi. Sed quemadmodùm Deus ſolus eſt primum principium creationis & conſervationis omnium creaturarum, ſic ſolus Deus eſt finis ultimus creationis & conſervationis earum. Neque enim finem alium ultimum operationum ſuarum ad extra Deus præfixit, vel præfigere potuit, quàm ſeipſum, ſuæque bonitatis manifeſtationem & amorem, ut Theologi docent cum S. Thoma 1. p. q. 44. a. 3. & q. 65. a. 2.

Tum denique quia nulla eſt ſolemnior doctrina Sanctorum, Magiſtrorumque ſpiritualium, quàm ea quæ tradit, omnem creaturam propter Deum factam eſſe, nec habere alium ſuæ creationis conſervationiſque finem, niſi Deum; nec alium in finem à Deo accepiſſe intellectum & voluntatem, niſi ad cognoſcendum amandumque principium ſuum & finem; alias verò creaturas rationales à Deo creatas in iſtius amoris ſocietatem: inferiores denique creaturas in ejuſdem amoris miniſterium & adminiculum, ſive ut homini famulentur & adminiculentur ad cognoſcendum, amandum, glorificandumque Authorem ſuum. Nihil enim ſolemniùs perſonant libri ipſorum, nihil magis inculcant. Hoc ſenſu Auguſtinus l. 10. Confeſſ. c. 6. dicit: *Cælum & terra, & omnia quæ in eis ſunt, ecce undique mihi dicunt ut te amem, nec ceſſant dicere omnibus ut ſint inexcuſabiles.* Eodem ſenſu mille locis tradit creaturam omnem factam ad uſum, nullam ad fruitionem. Omnem ad hoc factam, ut per eam Deus ametur, nullam ut ei per amorem inhæreatur. Solum Deum eſſe finem, omne aliud eſſe viam ad finem. *Quid eſt finis?* (ait tract. 10. in epiſt. Joan.) *Chriſtus: quia Chriſtus Deus.... ibi tibi finis eſt, alibi via eſt. Noli hærere in via per amorem, & non pervenire ad finem. Ad quidquid aliud veneris, tranſi, donec pervenias ad finem.... pecuniam aliquis quærit? non ſit ibi finis.... ſalutem corporis quæris? adhuc noli ibi remanere.... Quære illam, ne* impediat *morbida valetudo tua bona opera tua. Ergo non eſt ibi finis: quia propter aliud quæritur. Quidquid propter aliud quæritur, non eſt ibi finis. Quidquid propter ſe & gratis quæritur, ibi eſt finis. Quæris honores?.... noli ipſum honorem amare, ne ibi remaneas. Quæris laudem? ſi Dei quæris, bene facis; ſi tuam quæris, malè facis: remanes in via:... ergo tranſi & ipſam laudem tuam. Videtis fratres, quanta tranſimus, in quibus non eſt finis. His utimur quaſi in via: quaſi in manſionibus ſtabulorum reficimur, & tranſimus. Ubi ergo finis? dilectiſſimi filii Dei ſumus, & nondum apparuit quid erimus... Adhuc ergo in via ſumus. Adhuc quocumque* (id eſt, ad quamcumque creaturam, corporalem, vel ſpiritualem) *venerimus, tranſire debemus, uſquequo perveniamus ad finem. Quem? illum, de quo ſcriptum eſt: Cùm apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt. Iſte finis.* Tr. 2. in epiſt. Joan. c. 2. n. 11. *Non te prohibet Deus amare iſta* (cælum & terram, mare, ſolem, lunam, &c.) *ſed non diligere ad beatitudinem, ſed approbare & laudare, ut in iſtis ames Creatorem. Arrha ſponſi ſunt. Ad hoc utique arrham dat ſponſus, ut in arrha ſua ipſe ametur.* Hugo Victorinus in lib. de arrha animæ: *Si iſta diligis, ut ſubjecta dilige, ut famulantia dilige, ut arrham ſponſi, ut munera amici, & beneficia Domini;* 93

sic tamen ut memineris semper quid illi *debeas, nec ista propter se, sed ista pro illo, nec ista cum illo, sed ista propter illum, & per ista* (tamquam ad hoc obsequiis tuis & utilitati famulantia) *illum.... diligas.*

94 S. Ignatius Societatis Jesu Fundator in aureo Exercitiorum Lib. Edit. Antuerp. anni 1676. tit. *Principium seu Fundamentum* pag. 67. *Creatus est homo ad hunc finem, ut Dominum Deum suum laudet, & revereatur, eique serviens tandem salvus fiat. Reliqua verò super terram sita, creata sunt hominis ipsius causâ, ut eum ad finem creationis suæ prosequendum juvent. Unde sequitur utendum illis, vel abstinendum eatenùs esse, quatenùs ad prosecutionem finis vel conferunt vel obsunt.* Pag. 146. *Ad bene quidpiam eligendum, nostræ sunt partes, ut oculo puro ac simplici spectemus quorsum finerimus creati, nimirùm ad laudem Dei & salutem nostram. Quapropter eligenda sunt ea tantùm, quæ conducunt ad eum finem: cùm ubique fini medium, non medio finis habeat subordinari. Unde errant, qui uxorem ducere primitùs, seu beneficium adipisci statuunt, atque ita demùm Deo inservire, utentes præposterè fine & medio, nec ad Deum tendentes rectà. Atqui è contrario planè agendum est, proposito primùm* divino cultu, tamquam *fine nostro, & electo deinceps conjugio, vel sacerdotio, cæteris*que *rebus omnibus, quatenùs expedit ad præfixum finem ordinatis.*

95 Dionysius Carthusianus in lib. de pass. animæ art. 3. *Quemadmodum ordo est in potentiis animæ, sic ordo servandus est in actibus ejus atque objectis. Sicut enim omnes inferiores potentiæ, ad intellectivas potentias, scilicet rationem & voluntatem, naturaliter ordinantur, finaliterque referuntur, & propter eas animæ tribuuntur; sic actus, & item objecta inferiorum potentiarum, ad actus & objecta rationis & voluntatis ordinare.... ad benè vivendum necesse est. Non ergo debemus in sensibilibus rebus notitiâ & affectu amplius immorari, occupari, aut affici, nisi in quantum operationi rationis & rectæ voluntatis utile est & necesse. Nam quæ ordinantur ad aliquem finem, disponenda ac moderanda sunt secundùm exigentiam finis. Objecta verò rationis & voluntatis, cùm sint communia, multa includunt, in quibus sunt aliqua summa, quæ & cæterorum fines rectè censentur, ideòque ad ea referenda sunt reliqua, nec amplius cognoscenda seu diligenda, neque tractanda vel aspicienda sunt, nisi prout utile est vel necesse ad cognitionem atque amorem summorum ac nobilissimorum rationis voluntatisque objectorum. In omni etenim multitudine benè dispositâ est aliquod primum & summum, quod inferiorum finis vocatur, & secundùm ejus exigentiam inferiora meritò disponuntur. Objectum autem rationis est verum, voluntatis quoque objectum est bonum intellectualiter cognitum. Omnium autem verorum, omniumque bonorum primum & summum est Deus gloriosus & sanctus* (quippe cùm ipse *sit veritas exemplaris, bonitasque fontalis, ex quo omnia vera ac bona exorta sunt*) *omnium ergo verorum cognitio, omniumque bonorum dilectio, imò omnis intellectualis operatio, & universaliter universarum animæ virium motus & actio, ad primæ veritatis contemplationem atque divinæ bonitatis amorem sunt ordinanda.... Deus namque est illud unum.... ad cujus intuitum atque affectum tota est mentis nostræ dirigenda intentio, erigenda profectio.*

3°. Nulla creatura habet esse à se. Nulla 96
ergo creatura habet esse propter se. Quemadmodùm enim omnis creatura habet esse à Deo tamquam primo principio; sic habet esse propter Deum, tamquam finem ultimum (utpote qui æquè essentialiter est finis ultimus omnium, quàm principium primum omnium); sed quod non habet esse propter se, in ordine rerum, non habet rationem finis. Et quod in ordine rerum non habet rationem finis, rationem finis habere non debet in ordine amoris (cùm talis esse debeat ordo amoris, qualis est ordo rerum.) Nulla igitur creatura, salvo ordine amoris, amari potest finaliter propter se.

CAPUT XIII.

Majus bonum, salvo amoris ordine, referri non potest ad minus bonum, velut amoris finem, seu positivè, seu negativè ultimum.

SEnsus est, quòd majus bonum finaliter amans 97
propter minus bonum, v. g. Deum propter temporalia beneficia, vel propter nummum, peccet contra amoris ordinem. Cujus ratio est, quia amoris ordo postulat, ut minora bona amentur propter majora seu meliora, non contrà. Nec enim *bona, nisi propter meliora appetenda sunt*, inquit Bernardus in lib. de diligendo Deo. Quia scilicet majora propter minora amare, velut propter amoris finem, est minora plus amare quàm majora. Cùm amoris finis plus ametur, quàm id quod propter finem amatur. Quia *propter quod unum quodque tale est, & illud magis.* Quod ad propositum applicat S. Thomas 2. 2. q. 26. a. 3. arg. *sed contrà.* Et sicut principia, quæ sunt ratio cognoscendi conclusiones, secundùm Dialecticos plus cognoscuntur: sic finis, qui est ratio amandi media ad finem, plus amatur.

Accedit 1°. quòd finis ametur propter se, 98
& ratione sui; medium autem nec propter se, nec ratione sui. Quod autem propter se, & ratione sui amatur, magis amatur, quàm quod solùm amatur propter aliud; imò istud tunc propriè non amatur, sed illud dumtaxat, uti probatum est n. 51. 52. & 53.

2°. Quòd mansoria dilectio (qualis est di- 99
lectio rei finaliter propter se) potior sit quàm transitoria, qualis est dilectio rei, quæ solùm amatur propter aliud, adeòque non sistit in ipsa, sed transit in amoris finem, in quo solo sistit & manet.

3°. Quòd amor medii, ut talis, sit affe- 100
ctus purè ministerialis, respectu amoris finis, ut talis, utpote ei serviens velut trahenti ip-

sum in scopum suum. Finis enim est mensura eorum quæ amantur & adhibentur propter finem, ut constat ex dictis n. 49. atque in corde amantis habet principatum & imperium in affectus & actiones necessarios vel necessarias seu utiles ad finem, ut constat ex dictis n. 50. Unde & *quæcumque res propter aliud quæritur, sine dubio inferior est quam id propter quod quæritur* (inquit Augustinus l. 2. de serm. Dom. in monte c. 55.) *Et ideò illud primum est, propter quod rem istam quæris. Quapropter si Evangelium aut regnum Dei propter cibum quærimus, priorem facimus cibum, & posterius regnum Dei.* Et in Psal. 72. *Qui aliud præmium petit à Deo, & propterea servire vult Deo, charius facit quod vult accipere, quàm ipsum à quo vult accipere.* Ita etiam Prosper, seu Julianus Pomerius l. 3. vit. contemplat. c. 25. *Si Deus propter illa quæ præstat, amatur.... jam illud, propter quod diligitur, ei, quod dictu nefas est, antefertur.*

101 Quomodò ergo (inquies) Pater æternus *proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus* redimendis *tradidit eum?* Quomodò ipse Dei Filius (nobis haud dubiè melior, & in infinitum melior) *propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis?*

Respondeo nec Patrem, nec Filium ista fecisse ultimatè propter nos, nostramque redemptionem & salutem tamquam finem, sed propter nos quidem, nostramque redemptionem & salutem, tamquam subjectum indigentiæ; propter gloriam autem suam, manifestandamque infinitudinem sui erga nos amoris, tamquam finem. Quomodò etiam Ecclesia Deo spirituales preces, sacrosanctumque altaris sacrificium Deo offert ad impetranda temporalia beneficia, v. g. pluviam, pacem, &c. non in istis velut in fine hærendo, sed ista nobis velut subjecto indigentiæ impetrando, eademque ipsa ad Dei gloriam & obsequium, gratiasque ipsi persolvendas referendo. Ad quod significandum, Collectam pro pace, *Deus à quo sancta desideria*, &c. concludit sic: *& corda nostra mandatis tuis dedita*, &c. Collectam etiam pro infirmis concludit hunc in modum: *ut reddita sibi sanitate, gratiarum tibi in Ecclesia referat actiones.*

CAPUT XIV.

Ex allata regula de ordine amoris, momentosa derivantur corollaria, ut quòd, inter creaturas, illæ præ aliis sint amandæ, quæ Deo sunt propinquiores, &c.

102 RAtio est, quia quanto sunt Deo viciniores, tanto meliores, ut perspicuum est ex Angelico isto principio: *Ea quæ sunt ad finem* (uti sunt omnes creaturæ respectu Dei) *sortiuntur bonitatem ex ordine ad finem: & ideò quanto sunt fini propinquiora, tanto sunt meliora.* Sed ordinatus amor postulat ut meliora, seu majora bona præ minoribus diligantur. Cùm talem esse oporteat amoris ordinem, qualis est ordo rerum; ergo.

Et hinc creaturæ rationales irrationabilibus, 103
spirituales corporalibus, æternæ temporalibus sunt in amore præferendæ, sicut & bona publica privatis, ut Augustinus docet epist. 52. & 120.

Contra hanc regulam peccant, qui æternam 104
suam vel proximi salutem perdunt pro honore temporali, duellando, abortum procurando, fœtumque in æternum perdendo, &c.

Neque hoc tantùm sequitur ex allata regula 105
de ordine amoris, sed & insuper 1°. inter creaturas rationales, eas quæ Deo viciniores sunt, præ aliis amandas esse. Ob rationem n. 75. allatam. Quia verò triplici in ordine aliis aliæ viciniores sunt, vel scilicet in ordine gratiæ, vel in ordine naturæ, vel in ordine superioritatis; ordine gratiæ viciniores præferendæ sunt vicinioribus ordine naturæ vel superioritatis. Quia perfectissima conjunctio, atque adeò vicinia ad Deum (citra hypostaticam unionem) est per gratiam, per quam homo Dei amicus, filius, & *divinæ consors naturæ efficitur.* Ideò extraneus justus in amore præferendus est propinquo injusto, ut docent Ambrosius l. 2. de Offic. c. 7. *Boni domestici sunt malis filiis præferendi.* Prosper, vel Julianus Pomerius l. 3. vitæ contempl. c. 15. *Si propinquos nostros, quamvis incompositos, turpes & malè moratos, plusquàm quoslibet Sanctos (quos à nobis secundùm carnem vocamus extraneos) diligamus, non solùm carnaliter diligimus, sed etiam graviter in tali eorum dilectione peccamus.* Bernardus seu Author libri de modo benè vivendi ad sororem, inter opera ipsius to. 5. *Plus debemus diligere extraneos, qui nobis sunt conjuncti vinculo charitatis Christi, quàm propinquos qui Deum non diligunt, nec Deo serviunt.*

Inter creaturas verò, Deo per gratiam con- 106
junctas, præferendæ illæ, quæ gratiâ & sanctitate præeminent; proinde Deipara virgo diligenda plus cæteris Sanctis post Christum.

Similiter Angeli hominibus, ipsis etiam ho- 107
minum animabus, ordine naturæ præferendi sunt, sicut & hominum animæ corporibus. Superioritatis denique ordine, superiores spirituales temporalibus sunt præferendi, & inter temporales, qui magis præcellunt. Cæteris tamen superioribus temporalibus parentes secundùm aliquid præferendi sunt, utique secundùm quod principium sunt vitæ nostræ; qua ratione Deo, rerum omnium principio, viciniores sunt.

Sequitur 2°. inter creaturas non rationales, 108
eas præ aliis à nobis amandas & amplectendas, quæ magis promovere nos possunt ad conjunctionem cum Deo, utpote hac ipsa ratione excellentiores. Hinc virtus magis amanda quàm corporalis vita, quàm scientia, quàm honor & fama, quàm temporalia bona, &c. Cujus oppositum faciunt, qui virtutis acquisitionem negligunt, ut vel scientiam, vel bona temporalia acquirant, vel majus studium & sollicitudinem adhibent pro istis comparandis,

quàm

quàm pro comparanda virtute, aliisque bonis spiritualibus. Hi proinde amoris ordinem haud minùs pervertunt, quàm dementes illi, qui magis solliciti sunt de comparando pulvere vel plumbo, quàm de comparando argento vel auro. Impinguntque in Evangelicum istud: *Quærite primum regnum Dei, & justitiam ejus*, &c.

109 Eadem ratione contra amoris ordinem peccant, qui optant mortem patris, ut potiantur hæreditate ipsius, vel ob temporale aliquod emolumentum tristantur de vita alterius, vel gaudent de morte naturali. Quia plus diligunt hæreditatem quàm vitam patris, seu illud temporale emolumentum, quàm vitam alterius, quæ in ordine rerum haud dubiè præstantior est; ideò sequentes propositiones Innocentius XI. justissimè condemnavit.

13. *Si cum debita moderatione facias*, (in quo contradictio est in terminis) *potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere & desiderare, non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.*

14. *Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis: quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas.*

15. *Licitum est filio gaudere de parricidio parentis, à se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias ex hæreditate consecutas.*

110 Sequitur 3°. esse contra amoris ordinem, propter quodcumque temporale bonum, sive fortunæ, sive honoris aut famæ, proximo se peccati mortalis periculo exponere: cùm sit temporalia magis amare, quàm animam suam, Deique amicitiam & gratiam. Eo ipso namque minùs ista amat, quo minùs curat ista perdere, vel periculo perditionis exponere, quàm illa.

111 Sequitur 4°. esse contra amoris ordinem, ad propulsandum temporale malum longè minus, movere bellum, longè atrociora mala allaturum. Cùm temporale malum longè minus, amor ordinatus postponere debeat malis longè majoribus, sicut minus bonum, bono longè majori.

112 Sequitur 5°. esse pariter contra amoris ordinem, magis amare equos, canes, flores, picturas, &c. quàm pauperes vel subditos. Cujus majoris amoris indicium est, majorem habere curam equorum, canum, &c. quàm pauperum vel subditorum: quos, utpote ordine rerum meliores & præstantiores, amoris ordo postulat magis amari quàm equos, canes, &c.

113 Sequitur 6°. illos etiam peccare contra ordinem amoris, qui bona superflua statui præsenti, pauperum necessitatibus subtrahunt, ut altiori ea statui, per pecuniæ vim acquirendo reservent, vel in superfluis ædificiis, sumptuosisve conviviis, ad magnificentiæ ostentationem expendant. Cùm plus amandus sit proximus quoad necessaria vitæ, quàm altior ille status, ædificiorumque & conviviorum fastus; utpote eo ipso vanus, quo pro fine non habet gloriam Dei, sed hominum, quæ ordinati amoris finis esse nequit. Imò altior ille status & fastus eo ipso est contra gloriam Dei, quo contra divinum eleëmosynæ præceptum, uti esse probabitur, Deo dante, tomo sequente, dum de eleëmosyna.

Sed & ista prætensio altioris statûs, per pe- 114
cuniam, vana est, & contra rectam rationem, quæ dictat, altiorem statum prætendendum non esse ab homine, qui non est eo dignus. Sola verò pecunia non reddit hominem honore (nec proinde statu altiore) dignum. Cùm sit peccatum acceptionis personarum, solo intuitu pecuniæ, unum præ alio honorare, ut docet S. Thomas 2. 2. q. 63. a. 3. Quod & Jacobus Apostolus tradit in canonica sua c. 2. Si quis itaque dives altiorem statum prætendat, priùs eo se dignum reddat, non solâ pecuniâ, sed virtute, scientiâ, bellicâ fortitudine, rectâ Reipublicæ administratione, aliove notabili servitio, vel subsidio, Reipublicæ in necessitate præstito. Enimverò si solâ pecuniæ vi, absque alio titulo, honorem promerente, honorabiliorem statum prætendere liceret, in manu cujuscumque divitis foret, eximere se ab obligatione eleëmosynæ de superfluis erogandæ. Quia in manu ipsius foret, superflua statui præsenti, in altioris statûs comparationem reservare. Quod qui assereret, Evangelio contradiceret, concineretque Assertoribus damnatæ istius propositionis: *Vix in sæcularibus invenies, etiam in Regibus, superfluum statui; & ita vix aliquis tenetur ad eleëmosynam, quando tenetur tantùm ex superfluo statui.*

Sequitur 7°. temporalia inordinatè diligi ab 115
iis qui, pro re parva temporali, statim convolant ad lites, in se (præter jacturam temporis, impedimentumque multiplex spiritualis profectûs) causare solitas multa spiritualia damna, inimicitias, odia, rixas, detractiones, judicia temeraria, iras, blasphemias, &c. Quorum ubi proximum vel probabile est periculum, amoris ordo postulat, temporalia ista reputari ut stercora, ut Christum lucrifaciamus, injuriamque potiùs sustinendam in re temporali, ut Apostolus docet 1. Cor. 6. cùm magno intereſse spirituali parvum temporale postponere debeamus. Unde saltem tunc Dominicum observandum est præceptum: *Qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Videri potest Estius ad citatum Apostoli locum.

Sequitur 8°. nullam creaturam à nobis di- 116
ligendam, nisi in ordine ad Deum. Nullam proinde, cujus dilectio, spectatis omnibus circumstantiis, hîc & nunc, per se, vel per accidens, impeditiva sit divinæ gloriæ vel divini amoris, ut sunt vani mulierum ornatus, nuditas pectoris, & similia. Nulla quippe creatura ordinatè diligi potest finaliter propter se, sed propter Deum dumtaxat, ut constat ex

dictis cap. 11. atque hinc

117 Sequitur 9°. officium vel ſtatum inordinatè prætendi ab eo qui aptus non eſt iſto in officio vel ſtatu, Dei gloriam promovere, ſed potiùs impedire, ob defectum virtutis vel capacitatis.

118 Infinita propemodùm hujuſmodi corollaria capitibus ſequentibus deducenda ex eadem ordinatæ dilectionis regula conſequuntur, ex quibus apparet quàm ea utilis ſit, imò neceſſaria ad vitam chriſtianè inſtituendam. Cùm meritò dici poſſit baſis & fundamentum totius Moralis chriſtianæ.

LIBER SEXTUS.

Amor Dei ordinatus.

IN ſancto Cantico Canticorum cantat ſponſa Chriſti, *Ordinate in me charitatem*, ait Auguſtinus 15. civit. 22. inſinuans in ipſo etiam Dei amore ordinem ſervandum eſſe. Quem ordinem licèt ex dictis libro præcedenti facile ſit colligere: quia tamen de dilecto, deque ipſius dilectione nunquam ſatis, & quia circa Dei creaturarumque dilectionem complures prodierunt noviorum Caſuiſtarum opiniones, à documentis divinæ Scripturæ, atque à Sanctorum Theologia Philoſophiaque alienæ, iſtam Sanctorum Theologiam Philoſophiamque enucleatiùs diſcuſſam, viſum eſt novitiis opinionibus illis opponere, divinorum documentorum authoritate roborare, ratione illuſtrare, atque à contradicentium argumentis vindicare, ut deſinat novitas inceſſere vetuſtatem, omnibuſque veritatis & charitatis zelatoribus patenter innoteſcat, quàm fundata, quàm ſolida, quàm ſancta, quàm venerabilis & amabilis ſit vetuſta hac de re doctrina, quam charitatis Doctor Auguſtinus præ cæteris illuſtravit. Ex quo præcipua teſtimonia, velut ſcintillas quaſdam charitatis emicantes, & ſeſe uberrimè quaquaverſum diffundentes colligemus.

CAPUT I.

Ordinatus amor non eſt, quo quis Deum, non propter Deum, ſed propter ſeipſum; velut amoris finem, ultimatè diligit.

1 HAnc doctrinam (cum Sanctis) tradunt graviſſimi Doctores. Gerſon ſerm.... in ſolemnit. omn. Sanct. Joannes Lenſæus (in quo, teſte Henrico Gravio, & ſolida S. Auguſtini doctrina, & ſuavis Lactantii elegantia enituit) lib. 6. de libert. Chriſt. c. 6. & lib. 7. de charitate c. 19. Cardin. Bellarminus l. 5. de juſtitia c. 8. & 9. Card. Toletus l. 4. c. 9. Malderus 1. 2. q. 114. a. 3. dub. 5. Franciſcus Labata in theſauro mor. auctioris Edit. Antuerp. V. *Amor Dei* propoſit. 23. Contenſonius tom. 4. diſſert. 3. c. 1.

2 Et probatur 1°. ex Auguſtino l. 83. qq. q. 30. *Neque enim ad aliud Deus referendus eſt*, (id eſt, non propter aliquid à ſe diſtinctum finaliter amandus) *quoniam omne quod ad aliud referendum eſt, inferius eſt quàm id ad quod referendum eſt.* Lib. 2. de ſerm. Dom. in monte c. 25. *Quacumque res propter aliquid aliud quæritur, ſine dubio inferior eſt, quàm id propter quod quæritur.*

2°. Ex S. Bernardo ſerm. de Cantico Ezechiæ, ubi ſic: *Qui timet ire ad portas inferi, & qui Deum cupit videre propter quietem ſui, uterque profectò quærit quæ ſua ſunt.*

Et, ut antè dixit, prior ſe gerit ut ſervus, 3
poſterior ut mercenarius. Atqui *mercenarius propriâ trahi cupiditate cognoſcitur*, ut ait epiſt. 11. ad Fratres Carthuſienſes: cupiditas verò eſt amor inordinatus. Unde ſubjungit: *Sit itaque ſervo ſua lex, timor, quo conſtringitur; ſit mercenario cupiditas, quâ & ipſe arctatur.... horum nulla ſine macula eſt.* Quia ſcilicet non caſtè diligit bonum. Nam ut Mellifluus Doctor præloquitur ibidem: *Qui magis, aut certè ſolum diligit ſuum, convincitur non caſtè diligere bonum, quod utique propter ſe diligit, non propter ipſum. Et hic talis non poteſt obedire Propheta, qui ait: Confitemini Domino, quoniam bonus. Confitetur quidem, quia fortaſſis bonus eſt ſibi, non autem quia bonus eſt in ſe. Quapropter noverit in ſe dirigi illud ab eodem Propheta opprobrium: Confitebitur tibi, cùm benefeceris ei.* Quòd bonum, ſeu Deum non diligat propter ipſum, ſed propter ſeipſum, ampliùs declarat his verbis: *Cùm ſe videt per ſe non poſſe ſubſiſtere, Deum, quaſi ſibi neceſſarium, incipit per fidem inquirere & diligere. Diligit itaque.... Deum, ſed propter ſe, non propter ipſum.* Quod non eſſe propriè diligere Deum, conſtat ex verbis ipſius lib. præcedenti n. 52. relatis.

3°. Id ipſum probatur ex S. Thoma opuſc. 4
61. c. 3. *Sicut minus bonum ad majus bonum, ſic beatitudo creata, per influentiam beatitudinis increatæ, & ſummi boni, ad ipſum ſummum bonum quod influit eſt referenda... dum ergo quis diligit Deum propter Deum habendum, ut habere Deum, vel frui Deo, ſit finis, in quo quieſcimus... ſic diligere eſt malum.... beatitudo enim creata, ſeu Dei fruitio, non debet poni finis, in quo quieſcimus, ſed per ipſum in Deo, tamquam fine in quo quieſcimus*, ut antè dixit.

4°. Ex S. Maria Magdalena de Pazzis in- 5
tellig. divin. lib. 4. cap. 16. dicente, quòd oportet, *nec etiam Deum velle, niſi propter Deum.*

5°. Deum diligere, non propter Deum, 6
ſed propter ſeipſum, velut amoris finem, 1°. eſt ſeipſum majori in pretio habere, quàm Deum. *Semper enim finis excellit id quod eſt ad finem.* S. Thomas 2. 2. q. 152. a. 5. in corp.

2°. eſt

2°. est invertere ordinem amoris, de fine in essendo, faciendo medium in amando, & de medio in essendo (qualis est creatura) faciendo finem in amando. Cùm tamen talis esse debeat ordo amoris, qualis est ordo rerum, & aperta inordinatio sit, præposterè uti medio & fine. 3°. est uti Deo, fruique seipso, juxta Augustinianam definitionem fruitionis & usus, allatam l. 3. c. 8. *Frui, est quidpiam amare propter seipsum: uti, est illud amare propter aliud.* Hoc autem est contra legem æternam, quæ dictat solis creaturis utendum, soloque Deo fruendum, ut Augustinus docet l. 1. de doctr. christ. c. 22. 33. 35. ubi ait, ne ipsa quidem humanitate Christi fruendum, sed utendum. Estque *humana perversio*, secundùm quod ait l. 83. qq. q. 30. *Omnis humana perversio, quod etiam vitium nominatur, est fruendis uti velle, atque utendis frui.* Unde l. 11. de Civit. c. 25. *Perversi* (inquit) *frui volunt nummo, uti autem Deo.* Cur ita? & in quo usus iste, fruitioque consistit? sequitur, & dicit hoc ab ipsis fieri, dum *non nummum propter Deum, sed Deum propter nummum quærunt.*

7 6°. *Fit homo iniquus, cùm.... propter aliud diligit res propter seipsas diligendas. Sic enim quantum in ipso est, perturbat ordinem naturalem, quem lex æterna conservari jubet*, ut idem ait l. 22. contra Faustum c. 26. Sed Deus propter seipsum est diligendus, ut ibidem dicit, & manifestum ex eo quòd sit summum & maximum bonum, finisque ultimus Angelorum & hominum. Fit igitur homo iniquus, dum ipsum diligit, non propter seipsum, sed propter aliud, utique propter seipsum.

8 Denique Deum, non propter Deum, sed propter seipsum diligere, est seipsum propter seipsum, non propter Deum diligere (cùm sit sibi Deum velle propter seipsum, sive propter commodum suum & quietem;) sed *nemo seipsum servato ordine, rectè amat* propter seipsum, inquit Cardinalis Bona in princip. vit. christ. p. 2. §. 38. nemo enim seipsum servato ordine, rectè diligit, nisi *propter illum qui rerum omnium finis ultimus est, & summum bonum, cui toto affectu inhærere debemus. Nam si se diligit propter se, non se refert ad Deum, &... seipso fruitur, transgrediens regulam dilectionis divinitùs constitutam. Mandatum quippe accepimus amandi Deum toto corde, totâ animâ, totâ mente, ut omnem vitam & intellectum, totumque affectum divinæ dilectioni impendamus, & si quid aliud diligendum venerit, illuc referatur, quò totus amoris impetus currit. Proximum verò quisque diligere debet sicut seipsum, totam sui & illius dilectionem in Deum referens.* Quam doctrinam sapientissimus Cardinalis ex Augustino desumpsit l. 1. de doctr. christ. c. 22. ubi sic: *Nec seipsum debet quisquam propter se diligere, sed propter illud quo fruendum est.... Si autem se propter se diligit, non se refert ad Deum, sed ad seipsum conversus, non ad incommutabile aliquid convertitur. Et propterea jam cum defectu aliquo se fruitur... Si ergo te non propter te debes diligere, sed propter illum, ubi dilectionis tuæ rectissimus est finis, non succenseat alius homo, si etiam ipsum propter Deum diligis.* Hæc enim regula dilectionis divinitùs constituta est: *Diliges proximum tuum sicut teipsum, Deum verò ex toto corde, ex tota anima, &c.*

Contrariis argumentis occurritur.

Objicies 1°. Si amans Deum non propter Deum, sed propter seipsum, majori in pretio seipsum haberet, quàm Deum, uti diximus n. 6. eo ipso mortaliter peccaret. Cùm sub mortali teneamur amare Deum appretiativè super omnia. 9

Respondeo negando sequelam. 1°. Quia licèt mortaliter peccet, qui seipsum, seu commodum suum majori in pretio habet absolutè & simpliciter, seipsum amando tanquam finem amoris simpliciter & absolutè, seu positivè ultimum; secus si seipsum majori in pretio solùm habeat secundùm quid, seipsum sic amando tanquam finem amoris negativè ultimum, ut Deus maneat (saltem in habitu & præparatione animi) finis amantis simpliciter & absolutè ultimus. Deus autem manet finis simpliciter & absolutè ultimus amantis, saltem in habitu, &c. quandocumque amans saltem habitualiter sic affectus manet erga Deum, ut occurrente casu, quo vel Dei amicitia amittenda foret, vel proprium commodum, seu alia quæcumque creatura, commodum proprium, seu aliam quamcumque creaturam potiùs amittere vellet quàm Dei amicitiam. Quia verò frequenter accidit, quòd amans Deum finaliter propter commodum suum (ita ut commodum suum finaliter non referat in Deum) nihilominus retineat habitualem illam affectionem; Deum simpliciter & absolutè super omnia æstimat habitu, licèt non actu. Et ideò defectus ille finalis relationis in Deum (utpote non excludens habitualem affectum proximè dictum) non est mortale peccatum.

2°. Licèt sub mortali teneamur amare Deum 10
appretiativè super omnia; non tamen semper actu, sed vel actu, vel habitu, seu habituali affectu, de quo proximè: quo permanente, non est mortale peccatum plus amare creaturam quàm Deum, non simpliciter & absolutè, sed secundùm quid. Hoc enim facit omnis venialiter peccans; cùm eo ipso quo peccat, etsi venialiter tantùm, amore creaturæ faciat contra divinam legem, id facere prohibentem, adeòque plus secundùm quid amet creaturam, quàm divinam legem, seu Deum. Et cui dubium quòd divinæ voluntati suam præferat, dum sciens & volens à divina voluntate discedit ut faciat suam? Unde Augustinus l. de mendacio c. 7. probat illicitum esse mendacium officiosum, ad salvandam honorabilis personæ pudicitiam corporalem: quia per illud integritas corporis præfertur integritati mentis. (*Quis enim dixerit integrum animum esse mentientis? imò præfertur æternæ veritati, bonoque æterno. Cùm tanto quisque ab æ-*

ternitate discedat, quanto à veritate discedit. Neque enim *est aliquod bonum æternum, quod non complectitur veritas.... ut autem animus corpori*, & animi integritas *integritati corporis; ita etiam veritas ipsi animo præponenda est.* Sed & mentiens ad salvandam alieni corporis integritatem, id non facit ex charitate, sed ex cupiditate, seu libidine, quæ, ut Augustinus ibidem ait, *rectè definitur appetitus animi, quo æternis bonis quælibet temporalia præferuntur.* Igitur temporalem illam, seu corporalem integritatem præfert æterno bono, seu æternæ legi, scienter à veritate discedere prohibenti.

11 Objicies 2°. Nulla est inordinatio in amore, quo Deum referimus ad nos, tanquam *finem cui* Deum concupiscimus; sed solùm in eo, quo Deum referimus ad nos tanquam *finem qui*. Hoc autem non facit, qui Deum sibi concupiscit ob commodum suum. Et ideò Deum non refert ad se tanquam finem ultimum, sed tanquam finem non ultimum.

Respondeo aliquos quidem Recentiores putare, vim præcipuorum argumentorum nostrorum istâ unâ elidi distinctione. Verùm, utinam hîc (uti aliàs sæpiùs) non hærerent in verborum cortice! utinam rem, de qua agitur, ad fundum scrutarentur! hoc utique pacto fructu vacua non foret subtilitas ipsorum, solâ alioqui viridantium foliorum specie, non solidorum fructuum perceptione fœcunda. Certissimum quippe est in concupiscentia, quâ sibi Deum quispiam sic concupiscit, ob commodum suum à Deo distinctum, ut se, commodumque suum (propter quod Deum amat) finaliter ad Deum non referat, commodum amantis esse finem ultimum *qui* istius amoris; non verò Deum, qui, propriè loquendo, tunc non tam amatur, quàm commodum illud, propter quod Deus finaliter amatur. Igitur certissimum est, tunc, propriè loquendo, non tam Deum esse finem ultimum amoris, quàm commodum illud, propter quod Deus finaliter amatur. Quid enim certius, quàm finem ultimum amoris propter se finaliter amari, & non solùm propter aliud? cùm in fine ultimo amoris amor sic conquiescat, ut ultrà non excurrat, nec ad aliquid ulterius referatur: *Quare* enim *finis ibi dicitur?* (ait Augustinus epist. 56.) *quia quò ultrà excurrat, & quò referatur, non invenitur.* Amor verò non conquiescit in eo quod non propter se, sed propter aliud amatur: cùm eo ipso ad istud aliud excurrat & referatur. Amor verò ad aliud excurrens & transiens, non est conquiescens, nec mansorius, ut ex terminis manifestum est.

12 Neque amans est dumtaxat ultimus *finis cui* istius amoris, sed & *finis qui*. Quia id quod isto amore finaliter concupiscit, non est Deus, sed commodum suum; & istud non concupiscit propter Deum, sed finaliter propter se. Igitur amat se finaliter propter se, adeòque est finis ultimus *qui* istius amoris. Cùm ille sit ultimus finis *qui* amoris, qui amatur finaliter propter se, non propter aliud. Ipse verò volendo sibi Deum propter commodum suum, & non propter Deum, vult sibi bonum finaliter propter se: amat ergo se finaliter propter se.

Tunc proinde finis ultimus *cui* est etiam finis ultimus *qui*; sicut dum quis diligit aurum, propter commodum inde sibi proveniens, ipse est finis ultimus *cui* & *qui* istius dilectionis. Se enim, ut *finem qui*, priùs diligit, & sic aurum, ut docet Augustinus Homil. 37. inter 50. *Si diligis aurum, priùs te diligis, & sic aurum.* Nec solùm priùs, sed & magis se diligit: quia in commodum & utilitatem suam diligit aurum. Quemadmodùm ergo diligens aurum, non finaliter propter aurum, sed finaliter propter commodum suum, verè ac propriè est finis ultimus *qui* & *cui* istius amoris, & quidem finis magis dilectus, quàm aurum ipsum. Sic & in casu nostro.

Objicies 3°. Ordinatè peccatum odit, qui 13
illud odit propter gehennam, ut sibi incommodam, ibi sistendo: Igitur ordinatè Deum amat, qui ipsum amat propter speratam ab ipso gloriam, ut sibi commodam, ibi sistendo.

Respondeo distinguendo antecedens: ordinatè peccatum odit, hoc sensu quòd odium peccati, propter gehennam ut sibi incommodam, non sit in se malum & inordinatum, sed in se, sive in specie, atque ex officio bonum, concedo hoc sensu quòd non sit malum & inordinatum in adjuncta sibi (individualiter spectato) circumstantia mala, non relationis ad Deum ultimum finem, nego antecedens & consequentiam. Nisi consequens eodem modo distinguere malis. Itaque peccatum odio habens purè putè ob gehennam, ut sibi incommodam, sive purè putè ob incommodum suum, in eo finaliter sistendo, non peccat quia peccatum odit ob incommodum suum (cùm peccatum ista etiam de causa reverà sit odio dignum;) sed peccat quia omnibus circumstantiis in individuo spectatis finaliter sistit in odio incommodi sui, atque adeò in amore sui, nec sui amorem, suique incommodi odium finaliter refert in Deum, uti referre tenetur secundùm divinam Scripturam, communemque Sanctorum, ac meliorum Theologorum doctrinam, in sequentibus exhibendam. Cui non officere Decretum Alexandri VIII. liquet ex dictis Prolegom. 7.

Instabis, licitum est se disponere ad justificationem, eo ordine quem Tridentinum describit sess. 6. c. 6. primò utique per fidem; posteà per timorem; exinde per spem; denique per odium ex amore Dei tanquam fontis omnis justitiæ. Non liceret autem, si justitiam Dei timens & non amans peccaret.

Respondeo negando minorem: quia omnes istæ dispositiones bonæ sunt & utiles, ipse etiam timor justitiæ; nec eam timens, & non amans, peccat ratione timoris, sed ex

defectu amoris, qui defectus non provenit ex vitio timoris, sed ex vitio timentis, qui timore illo benè uti potest, ad introducendum utique in se amorem, quemadmodùm seta utimur ad introducendum filum. Quo qui taliter utitur, non est sine omni amore, uti nec fides & spes sine omni amore sunt, tametsi peccator ad justificationem se disponens per fidem, timorem & spem ordinariè non pertingat ad amorem prædominantem Dei, tanquam fontis omnis justitiæ, nisi in quarto gradu per Tridentinum descripto, in quo demùm omninò abjicitur voluntas peccandi, tam efficax quàm inefficax, etiamsi abjici incipiat per timorem, cum quo tamen retineri solet saltem tenuis complacentia in peccatis.

14 Objicies 4°. Nazianzenus orat. 3. *tres eorum qui convertuntur classes enumerat, servorum, mercenariorum & filiorum. Si servus es* (inquit) *plagas metue. Si mercenarius, mercedem dumtaxat spera*, &c. Ita etiam S. Maximus & Theophilactus.

Respondeo Nazianzenum verbis istis non distinguere tres classes justorum, nec dicere servos & mercenarios, solo servili timore pœnæ, vel solâ spe mercedis, ut nobis commodæ, absque filiali dilectione salutem consequi. Neque hoc absque errore in fide dici potest. Solùm proinde vult tres esse vias perveniendi ad justificationem, eâque mediante ad salutem, & servilem quidem timorem, spemque mercenariam esse viam seu dispositionem ad justificationem & salutem, sed mediâ filiali dilectione consequendam, ideòque bonum esse timere pœnam, bonum sperare à Deo mercedem, tametsi hoc non sufficiat ad salutem. Sic etiam Hieronymus in cap. 1. Malach. dicit quidem: *Vult Deus primum ut filii simus, & bonum voluntate faciamus. Si hoc consequi nolumus, ut nos saltem servos suos habeat, & à malis per suppliciorum formidinem recedamus.* Sed non vult hoc sufficere, imò vult necessarium esse à servili timore ad filialem affectum transire. Addit enim: *Deus omnipotens sciens differentiam filii & servi, à filio gloriam, à servo timorem expetit .... ut de timore servorum ad filiorum gloriam transeamus.* Videri potest Nicetas in commentario super orationes Nazianzeni, ubi ipsum exponit in sensu obvio & naturali, quem exhibuimus.

CAPUT II.

Ordinatus est amor concupiscentiæ sanctæ, quo Christiani Deum amant, sibique concupiscunt, tanquam summum bonum suum, & quia est finis ultimus ipsorum, ad quem possidendum creati sunt, & per cujus solius possessionem satiari possunt.

15 RAtio est 1°. quia ordinatus est amor, quo Deus propter se finaliter amatur. Amore verò illo Christiani Deum amant finaliter propter se, sive propter Deum ipsum, hoc ipso quòd Deum amant finaliter, quia est finis ultimus ipsorum. Cùm Deus ut Deus, & secundùm quod Deus, non secundùm aliquid à se distinctum, sit finis ultimus ipsorum.

2°. Quia, ut sapienter advertit Illustriss. 16
D. Episcopus Castoriensis in amore suo pœnitente l. 1. c. 9. ad amorem castum non requiritur ut amans bonum suum non intendat, sed solùm ut à summo bono non aliud cupiat quàm ipsum; vel, si quid aliud, cupiat in ordine ad ipsum, sive ad hoc ut ipso plenè & perfectè perfruatur. Nullus enim amor impurus, nullus non castus, nisi ille, quo quis in seipso, vel in creatura vult requiescere: omnis verò ille castus, quo quis bonum suum vult, ad quod factus est, ut in ipso solo per amorem quiescat, illique tanquam fini suo se conjungat, æstimans sine ista conjunctione & possessione, in quantalibet cæterarum rerum abundantia, se esse non posse nisi miserum, imperfectum, inquietum. Neque enim homo sic affectus Deum amat, amore ipsum ad se suumque commodum deprimente, sed amore Deum glorificante, tanquam solum bonum, quo perfici, quietari, beatificarique possit, & sine quo nihil ipsum quietare, perficere, beatificare, nihil ipsi sufficere possit.

3°. Quia casto ordinatoque amore diligit 17
Deum, qui à Deo non quærit nisi Deum, ut Deus sit ipsi omnia in omnibus. Quam ob causam negari non potest, quin Augustinus casto Deum amore diligeret, cùm aiebat serm. 36. de verb. Dom. *ô Domine Deus noster, ut veniamus ad te, fac nos beatos de te. Nolumus de auro, neque de argento, nec de fundis. Nolumus de terrenis istis & vanissimis, & caducæ vitæ transitoriis. Non loquatur os nostrum vanitatem. Fac nos beatos de te: beatus populus, cujus Dominus Deus ejus.*

4°. Ejusmodi amorem mercenarium non 18
æstimat Bernardus, sed filialem: *Numquid enim mercenarium eum quis æstimet* (inquit serm. 8. de divers.) *qui paternæ inhiat hereditati, eamque toto affectu expetit & expectat? Quam nimirùm filii mercedem esse, non mercenarii*, Propheta testatur: *Cùm dederit* (inquit) *filiis suis somnum, ecce hæreditas Domini, filii merces, fructus ventris.*

5°. Negari non potest castum esse amo- 19
rem, quo quis Deum tanquam sponsum diligit. At sponsa Dei ardenter cupit, ut ipse sit bonum ipsius. Ut enim mellifluus Doctor rursum ait ibidem: *Anima quæ sub Deo, tanquam sub sponso est, penitùs castificato corde, nihil aliud à Deo quærit quàm ipsum Deum.... Neque enim suum aliquid, non felicitatem, non gloriam, non aliud quidpiam privato sui ipsius amore desiderat anima, quæ ejusmodi est; sed tota pergit in Deum, unicumque & perfectum desiderium ipsius est, ut introducat eam*

rex in cubiculum suum, ut ipsi adhæreat, ipso fruatur.

20 6°. Id totum confirmant Augustini & Salesii testimonia cap. sequenti proferenda. Confirmat & S. Thomas opusc. 61. cap. 3. dum ait, *quòd beatitudo creata, seu Dei fruitio potest appeti ut finis quo quiescimus.... in Deo*, quòdque inordinatus non est amor, quo quis sic diligit, non in quo quiescit, sed *quo* in Deo *quiescit.*

21 Si dicas amorem hujusmodi non esse amorem concupiscentiæ, sed benevolentiæ & charitatis, cùm sit amor Dei propter se.

Respondeo 1°. esse amorem charitatis generaliter dictæ, ob rationem proximè allatam; non charitatis specialiter dictæ, prout distinguitur à spe. Ob ea quæ dicemus cap. seq.

22 2°. Esse amorem concupiscentiæ filialis & castæ, sicque vocati à S. Francisco Salesio, aliisque gravibus Doctoribus, licèt non sit amor concupiscentiæ mercenariæ, ut distinguitur à filiali, quomodò plures accipiunt amorem concupiscentiæ, nominatim Bellarminus l. 8. de justific. c. 9. cùm ait: *amorem* concupiscentiæ propriè dici, cùm potissimùm quis diligit alterum *propter se, non propter illum.* Nam si quis diligat amicum præcipuè *propter ipsum, etiamsi secundariò mercedem operis ab illo expectet*, non est amor concupiscentiæ, sed amicitiæ. Eodem modo concupiscentiæ amorem accipere videtur Illustriss. D. Episcopus Castoriensis, cùm ait loco citato: *Neque etiam semper est amor concupiscentiæ, dum homo hominem diligit, quia bona ab ipso accipit. Nam si quis diligat proximum, quia ab illo per instructiones, per exhortationes, aliaque subsidia ad Deum ducitur, ille profectò perinde benevolo & honorifico amore proximum prosequitur, quam is benevolo proximum amore prosequitur, qui eum diligit, ut eum docendo, & pro illo preces fundendo ad Deum adducat. Uterque enim propter Deum diligit. Neque etiam semper amor, quo proximo benefacimus, est amor christianæ benevolentiæ: si quis enim illi benefaciat, ut ei in hoc mundo bene sit, nec de æterna ejus salute satagat, is proximum perverso amore concupiscentiæ diligit. Econtrà si quis à proximo eleemosynas accipere desideret, ut is istâ beneficentiâ Deum promereatur, ille proximum benevolentissimo amore prosequitur.* Verùm nos concupiscentiæ amorem tam prestè non accipimus, pro amore utique mercenario. Neque omnes sic semper accipiunt; sed dum à variis variè accipitur, inter varias acceptiones, una est, quâ accipitur pro concupiscentia sponsali, filiali & casta; sive pro amore honorante solum Deum, velut ultimum finem suum, ipsumque solum desiderante tanquam summum bonum suum, cujus solius possessione perfici, quietari, beatificarique possit. Quem amorem, licèt sibi tanquam subjecto indigentiæ, Deum desiderantem & concupiscentem (utpote super omnia bona creata Deum honorantem) castum pronuntiat Augustinus serm. 19. de verbis Apost. dicens: *Amor castus in te esse debet, quo amore desideres videre, non cælum & terram, non campos liquidos maris, non spectacula nugatoria, non fulgores, nitoresque gemmarum, sed desidera videre Deum tuum, amare Deum tuum*, &c.

CAPUT III.

Ordinatus est amor spei christianæ, operans propter retributionem, quæ Deus est, tanquam ultimum finem. Quia amor iste mercenarius non est, sed gratuitus & castus secundùm doctrinam Sanctorum.

SPem Theologicam esse non posse sine omni dilectione Dei, adeò perspicua est doctrina Sanctorum, communisque Theologorum, ut non absque stupore viderim, in collectione propositionum per Belgium disseminatarum, doctrinam istam ad supremum Innocentii XII. tribunal fuisse delatam. Sed benè est quòd eo in tribunali immunis manserit à censura; sicut & Alexandri VIII. censuram evasit ista propositio: *Spes charitate destituta, virtutis Theologicæ rationem amittit*, tametsi à Romanis Qualificatoribus unà cum 31. die 7. Decembris 1690. ab ipso proscriptis, maturiùs examinata, eidemque Pontifici ad censuram proposita. 23

Interim ingeniosus Recentior disput. 2. de spe dub. 2. propositâ quæstione, *an liceat operari spe mercedis, sive* (ut alii) *an affectus spei, ut mercenarius & concupiscentiæ, condistinctus ab actu charitatis* (eo nomine intelligendo amorem) *quo Deus propter se diligitur*) *sit vitiosus & peccatum?* Respondet: de fide est, spe mercedis seu vitæ æternæ, sensu proposito licere operari. 24

Verùm-enim-verò statum quæstionis vir doctus non benè proponit, neque hoc in puncto assequitur mentem Lovanienſium, quibus contradicit, perperàmque (utpote contra doctrinam Sanctorum Augustini, Bernardi, Francisci Salesii, Hugonis à sancto Victore, &c.) supponit affectum spei Theologicæ mercenarium esse, talisque concupiscentiæ, ut per eum Deus non diligatur finaliter propter se, sed (quod inde sequitur) propter nos, velut amoris finem. Sic enim nos essemus finis ultimus *qui*, motivumque finale affectûs spei. Quod si verum esset, affectus ille non esset affectus virtutis Theologicæ, utpote pro fine, objectoque formali ultimo creaturam habens, non Deum. 25

Dicimus ergo affectum (quem vocant spei christianæ, qui tamen ex dicendis de amore sperante, non spectat formaliter ad ipsam) intuitumque mercedis seu retributionis (quæ Deus est) in sacris Litteris, signanter Psalm. 118. commemoratum his verbis: *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum propter retributionem*, esse affectum inclinantem ad faciendas justificationes Dei propter retributionem, seu mercedem quæ 26

Deus est, adeòque propter Deum, velut summum bonum nostrum, finemque nostrum ultimum. Quem esse castum gratuitumque Dei amorem, Deum pro objecto materiali & formali habentem, nec hærentem in creatura, sed in solo Deo tanquam fine ultimo, Sancti docent.

27 Et meritò docent: ut enim cap. 2. monstravimus, per affectum illum Deus non amatur ob aliquid extra ipsum, neque refertur ad aliud velut in finem *qui*, ne quidem ad nos, vel ad creatam voluptatem, seu commoditatem nostram; sed sistit in hoc quòd ipsum possideamus tanquam ultimum finem, ad quem possidendum creati sumus.

28 Solus itaque Deus, ejusque bonitas, est ultimus noster finis in affectu spei, quem non cupimus nobis, tanquam fini, sed tanquam subjecto. Et ideò cupimus, quia finis noster est, in quo profectò affectu nihil non castum, nihil non ordinatum, nihil non relatum finaliter ad Deum reperitur.

29 Quòd autem doctrina Sanctorum sit, amorem illum mercenarium non esse, sed gratuitum, patet in Augustino, qui serm. 19. de verb. Apost. sic ait: *Amor castus in te esse debet, quo amore desideres videre, non cælum & terram, non campos liquidos maris, non spectacula nugatoria, non fulgores, nitoresque gemmarum, sed desidera videre Deum tuum, amare Deum tuum, quia dictum est:* Charissimi filii Dei sumus, & nondùm apparuit quid erimus. Scimus autem, quia cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. *Ecce propter quam visionem fac bonum. Ecce propter quam noli facere malum. Si enim amas videre Deum tuum, si in hac peregrinatione illo amore suspires: ecce probat te Deus tuus, quasi dicat tibi: Ecce fac quod vis, imple cupiditates tuas, extende nequitiam, dilata luxuriam, quidquid libuerit, licitum puta. Non hinc te punio, non te in gehennas mitto. Faciem meam tantùm tibi nega-bo. Si expavisti, amasti. Si ad hoc quod dictum est, faciem suam tibi negabit, contremuit cor tuum: in non videndo Deum tuum, magnam pœnam putasti, gratis amasti.* In Ps. 53. *Laudetur voluntate, ametur charitate, gratuitum sit quod amatur & quod laudatur. Quid est gratuitum? ipse propter se, non propter aliud.* In Psal. 72. *Factum est cor castum, gratis jam amatur Deus, non ab illo petitur aliud præmium. Quid ergo, nullum præmium Dei? nullum præter ipsum: præmium Dei ipse Deus est. Hoc amat, hoc diligit. Si aliud dilexerit, non erit castus amor.* In Psalm. 134. *Hoc est gratis amare.... sic amare.... ut ipsum pro mercede desiderare non desinas, qui solus te satiat.* Serm. 335. Edit. noviss. Paris. *Hoc est Deum gratis amare, de Deo Deum sperare, de Deo properare impleri, de ipso satiari.* Et serm. 340. *Quia gratis amamus, quia oves pascimus, mercedem quærimus.... quomodò convenit, gratis amo ut pascam, & mercedem posco, quia pascо? nullo modo fieret hoc, nullo modo merces quæreretur ab eo qui gratis amatur, nisi merces esset ipse qui amatur.*

Si gratis amat Deum, qui oves pascit propter mercedem, quæ Deus est: igitur Deum propter se amat. Per gratuitum quippe amorem, Dei propter se amorem intelligit Augustinus, uti declarat in Psal. 54. *Quid est gratuitum? ipse propter se, non propter aliud.* 30

Unde l. 5. contra Julian. c. 3. pro eodem accipit, operari propter Deum, & gratis amare Deum: *totum rectè sit, quando sit propter ipsum, id est, quando gratis amatur ipse.* 31

Augustino concinit Bernardus suprà n. 18. & 19. ejusmodi amorem negans esse mercenarium, imò affirmans esse amorem filii aspirantis ad paternam hæreditatem, & amorem sponsæ Dei, *penitùs castificato corde nihil aliud à Deo quærentis quàm ipsum Deum.... ut introducat eam rex in cubiculum suum, ut ipsi adhæreat, ipso fruatur.* 32

Concinit & Hugo Victorinus l. 2. de Sacram. c. 8. ubi scribens contra opinionem putantium filiali, gratuitoque amori Dei contrarium, amare Deum, ipsique servire propter mercedem, quæ Deus est: *Dicunt hoc stulti quidam (* inquit *) & tam stulti, ut seipsos non intelligant: Diligimus Deum, & servimus illi, sed non quærimus præmium (* ne mercenarii simus *) etiam ipsum non quærimus. Dabit, si voluerit... Quomodò (* inquiunt *) mercenarii non sumus, si Deum propter hoc diligimus, ut præmium ab ipso accipiamus? non est gratis hoc amare, neque amor iste filialis, sed mercenarii & servi, qui pretium quærit pro servitute sua. Qui hoc dicunt, virtutem dilectionis non intelligunt. Quid est eum diligere, nisi ipsum velle habere? non aliud ab ipso, sed ipsum: hoc est gratis. Si aliud quæreres ab ipso, gratis non amares. Nunc autem non aliud quæris pro eo quod amas, & tamen aliquid quæris & desideras, in eo ipso quod amas. Alioquin non amares, si non desiderares.* Quia nimirùm amor, ut Augustinus dicit l. 8. de Trinit. c. 10. *est vita, seu vitalis motus, duo aliqua copulans, vel copulare appetens.* 33

Concinit denique (aliis omissis) S. Franciscus Salesius l. 2. de amore c. 17. his verbis. *Igitur amor iste, quem vocamus spem, est quidem amor concupiscentiæ, sed concupiscentiæ sanctæ & benè ordinatæ, per quam non trahimus Deum finaliter ad nos, neque ad nostra commoda, sed ei nos jungimus, ut finali nostræ felicitati. Simul cum Deo per hunc amorem nos amamus, sed Deo nos non præferimus vel æquamus. Nostri ipsorum amor est mixtus amori Dei, sed Dei supernatat. Propria nostra utilitas aliquem in eo tenet locum, sed Deus primum & principalem.* Quia scilicet utilitatem nostram non quærimus extra Deum, nec aliam nisi Deum, solo Deo contenti. 34

Sic mercedem intuemur æternam, *cum hoc ut imprimis glorificetur Deus,* prout justos facere dicit Tridentinum sess. 6. cap. 11. dum 35

enim mercedem aliam non quærimus nisi Deum, Deum amamus supra nos, & supra omnem creaturam, ipsum appretiando & glorificando tanquam solum bonum à quo quietari, beatificarique possimus.

CAPUT IV.

Contrariorum argumentorum imbecillitas ostenditur.

36 EX dictis capite præcedenti manifestum videtur doctrinam de spe ibi explicatam, & in libro de amore sperante fusiùs explicandam, prorsus cohærere cum doctrina Ecclesiæ per Alexandrum VIII. damnatis duas hasce propositiones, 13. *Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu, Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licèt beatitudinis operatur.* 10. *Intentio quâ quis detestatur malum, & prosequitur bonum merè ut cœlestem obtineat gloriam, non est recta nec Deo placens.* Hanc quippe intentionem esse rectam & castam absque alio accedente charitatis actu per quem referatur ad Deum, constat ex dictis. Non indiget ergo distincto charitatis actu, per quem in Deum referatur, tam enim fides & spes quàm charitas, seipsis referuntur in Deum, utpote virtutes Theologicæ, Deum habentes pro immediato objecto. Etiamsi ergo distincto charitatis actu caruerit, Deo famulans æternæ mercedis intuitu, vitio caret. Et quomodò non careret, cùm affectus & intentio ipsius non hæreat in creatura, sed in Deo solo, nec sit affectus purè mercenarius, sed gratuitus, ut Sancti docent, nominatim Augustinus? Si gratuitus: igitur est amor Dei propter se, adeòque charitas latè & generaliter, licèt non strictè & specialiter dicta. Charitatem namque priori modo acceptam Augustinus l. 3. de doctr. christ. c. 10. definit *motum animi ad fruendum Deo propter ipsum, & se & proximo propter Deum.* Libro etiam de morib. Eccles. c. 9. dicit, quòd *charitas non potuit significari expressiùs, quàm quod dictum est, propter se.*

37 Ostendamus nunc imbecillitatem argumentorum quæ laudatus Recentior objicit contra assertam à nobis castissimam sanctissimamque Augustini aliorumque Sanctorum doctrinam.

Objicit ergo 1°. de fide est, spe mercedis, ut condistincta ab actu charitatis, licere operari.

Respondeo de fide esse quòd liceat operari spe mercedis, ut condistincta ab actu charitatis specialiter dictæ, pro charitate propria justorum; non autem quòd liceat operari spe mercedis, ut condistincta à charitate generatim accepta pro amore Dei propter se, suique & proximi propter Deum: cùm operari spe mercedis, quæ Deus est, sit operari propter Deum, juxta doctrinam Sanctorum.

38 Objicit 2°. Tridentinum sess. 6. can. 31. *Si quis dixerit justificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis benè operatur, anathema sit.*

Respondeo Tridentinum non dicere: intuitu æternæ mercedis, ut nobis commodæ, quasi liceat æternam mercedem, seu Deum finaliter referre ad creatam commoditatem nostram; sed simpliciter dicere: *intuitu æternæ mercedis*, id est, intuitu Dei, qui est æterna merces nostra, adeòque propter Deum, ad quod significandum capite 11. dixerat, justum de quo agit, mercedem quidem æternam intueri, sed *cum hoc ut imprimis glorificetur Deus*; non ergo sine intuitu divinæ gloriæ, in christiana spe incluso.

Instabis cum quibusdam Neotericis, vel 39
Tridentinum eo loco aërem verberat, vel Calvinum Lutherumque ferit, qui non docuerunt justum peccare, dum æternæ mercedis intuitu operatur ex Dei propter se amore, sed absque illo. Siquidem Calvinus in lib. 1. Samuelis c. 22. Homil. 80. sic habet: *Si spe mercedis tantùm, illius cultui & honori divino nos dedamus, ingratum illi futurum est, quidquid eo fine præstiterimus, & ab ipso rejicietur. Deus enim propter seipsum est diligendus, & sincero corde colendus.... Quamobrem merces quidem nobis proposita debet esse instar famuli, ad nos ad officium alacriùs faciendum excitandos, sed non præcipuus tamen scopus, ad quem nos oportet collimare.* In antidoto quoque Conc. Trid. ad sess. 6. can. 31. *Justificatus* (inquit) *non negliget, fateor, mercedem sibi propositam.... attamen hunc solum respectum non habebit.* Nam... *Deus servile ejusmodi obsequium non repudiabit modò, sed procul etiam rejiciet.* Similia habet Lutherus in epist. ad Galatas c. 5.

Respondeo Authores instantiæ non tam im- 40
petere nos, quàm ipsummet Concilium Tridentinum, quasi aërem verberet, orthodoxæque doctrinæ adversantes confingat, dum sess. 6. c. 11. declarat *eos orthodoxæ doctrinæ adversari, qui statuunt in omnibus operibus justum peccare, si in illis, suam ipsorum socordiam excitando, & sese ad currendum in stadio cohortando, cum hoc ut imprimis glorificetur Deus, mercedem quoque intuentur æternam.* Istâ namque declaratione apertè supponit, aliquos hæreticos, seu orthodoxæ doctrinæ hostes esse qui hoc statuunt. Si enim nulli sunt, aërem verberat, imaginariosque sibi hostes confingit. Si aliqui: edisserant instantiæ Authores, quinam illi sint, nisi Lutherus, Calvinus, & similes.

Quamvis enim Calvinus in verbis objectis 41
ex Homil. 80. solùm improbare videatur intuitum mercedis æternæ, absque Dei propter se amore: notum est universis Calvinum, Lutherum, & similes hæreticos diversis in locis diversa, & non rarò sibi adversantia tradere, nec dubitare debemus, post allata Tridentini verba, ipsos aliquando docuisse, justum peccare, quoties operatur intuitu mercedis æternæ, etiam *cum hoc ut imprimis glorificetur Deus*; etiamsi proinde amori mercedis propter nos conjun-

ctus

ctus esset amor Dei propter se. Quod & Lutherus insinuat loco objecto, ubi dicit, *sui amorem.... semper iniquum esse dum fuerit in seipso; nec esse bonum, nisi extra seipsum sit in Deo, hoc est, ut voluntate mei & amore mei prorsus mortuo, nihil quaram nisi purissimam Dei voluntatem in me fieri, &c.* Quibus verbis prorsus improbat sui amorem, dupliciter errans. Primò, quia sui amorem *semper iniquum* pronuntiat, nisi fuerit *prorsus mortuus.* Cùm tamen sui, id est proprii commodi, amor in se & secundùm se non sit peccatum, sed possit esse bonus. Secundò, quia tunc solùm putat esse bonum, quando *nihil quærit nisi purissimam Dei voluntatem.* Cùm tamen bonus sit iste amor, etiam in individuo, quando *nostri ipsorum amor est mixtus amori Dei, sed Dei supernatat; & propria* quidem *nostra utilitas aliquem in eo tenet locum, sed Deus primum & principalem* (ut loquitur Salesius suprà n. 36.) ita ut non trahamus Deum finaliter ad nos, neque ad nostra commoda; sed solus Deus sit finis ultimus amoris nostri.

42 Errant denique hæretici illi in eo quòd non intelligunt fieri propter Deum, quod sit intuitu mercedis æternæ, quæ Deus est; in quo errore si non fuisset Calvinus in antidoto Trid. sess. 6. can. 32. canonem istum perperàm non intellexisset, quasi definiisset, licitum esse operari solo affectu mercedis ut nobis commodæ, absque ullo Dei propter se amore. In qua siniſtra interpretatione, mirum est instantiæ Authores ipsi consentire, cùm tamen Catholicis Authoribus sibi contrariis vitio vertant convenientiam cum Calvino vel Luthero in nonnullis dogmatibus ab Ecclesia non damnatis, in quibus hæretici, vera falsis miscentes, Catholicis subinde consentiunt. Ut enim Cardinalis Polus advertit in cœtu habito 21. Junii 1547. non benè arguitur sic: Lutherus hoc scripsit: igitur falsum est. Cùm hæreticorum sit industria, falso fidem quærere, veris admixtis. Sic ille apud Pallavicinum Histor. Concil. Trid. l. 8. c. 2. n. 2. addens hæreticorum libros perlegendos, non animo infenso, sed æquè in utrumque parato.... nisi hac animi æquabilitate ii legerentur, sed pronis ad cuncta refellenda votis, veritas eam quærendo amitteretur. Hujus rei exemplum conspici in Alberto Pighio, qui in articulo de originaria noxa, dum universam Lutheranorum doctrinam rejicere conatur, propè in Pelagianorum errorem lapsus est.

43 Imperitè ergo, ut modestissimè loquar, Authores speciminum doctrinæ per Belgium manantis p. 2. c. 2. nobis objiciunt, quòd cum Luthero & Calvino conveniamus. Si enim conveniamus, conveniunt & ipsi; & si ipsis contradicunt, contradicimus & nos. Cùm ibidem asserant Luthero & Calvino contradicere Theologos communissimè, qui (ut aiunt) *nullius peccati censent damnatam operationem, quæ fit ex spe mercedis æternæ, seu beatitudinis æternæ, hoc est, ex spe fruendi Deo tota æternitate per visionem & amorem, &c. etsi hic & nunc non adsit aliqua intentio præstantior, quâ referatur hæc ipsa fruitio in Deum per purissimam charitatem.* Quod ipsissimum est quod asserimus, ob illam ipsam rationem, quam & ipsi subjungunt, aientes, *honestum oportere esse eum actum, quo intenditur finis adæquatus* & formalis, ad quem sumus conditi: cùm dubium non sit, quin conditi *simus ad fruendum Deo, quo actu indivisim amatur non solùm finis* (nos dicimus subjectum, non finis) cui, seu nos ipsi, sed & finis qui, seu *Deus.* Quod & R. P. Platelius ipsorum sodalis, in synopsi cursûs Theologici p. 3. c. 2. §. 1. n. 315. edit. 3. planè explicat sensu nostro, dicens, quòd *amor concupiscentiæ, quo per actum spei homo amat sibi beatitudinem supernaturalem, ut oportet, est quidem amor proprius: cùm per illum sibi velit suum bonum proprium, & quidem summum; nullo modo tamen est vitiosus, sed ordinatissimus: cùm per illum homo non ita se amet, ut sistat in seipso; sed sic, ut seipsum & omnia sua, adeòque etiam suam beatitudinem, nempe formalem, referat ad Deum ut finem ultimum.* Et n. 316. dicit quòd *per talem actum homo seipsum referat ad Deum, in eoque ultimatè sistat, illum amando propter ipsum, ibi sistendo.*

Objicit 3°. Bugaurius de Monte Falcone 44
à Sancio Archiepiscopo Tarraconensi damnatus fuit ut hæreticus; eò quòd doceret nullum esse opus bonum, nisi purè ex amore Dei factum.

Respondeo Bugaurium non ideò damnatum, quòd docuerit, nullum opus undequaque bonum, nisi ex amore Dei factum; sed quia *negavit bonum opus fieri posse intuitu mercedis æternæ*, ut testatur Holdenus in Analisi fidei divinæ lib. 2. c. 5. §. 3. *dicebat enim opera bona vitiari, si fierent intuitu mercedis æternæ*, inquit Bellarminus lib. 8. de justificatione c. 8. Nos autem asserimus de fide esse, quòd isto intuitu fieri possint.

Objicit 4°. Spes distinguitur à charitate: 45
non distingueretur autem, si amore spei Deus diligeretur propter se. Quia idem esset motivum formale spei & charitatis.

Respondeo negando minorem, si sermo sit de charitate specialiter dicta, prout est tertia virtus Theologica. Quia spes pro motivo formali habet Deum ut possidendum tanquam summum bonum suum, finemque ultimum, adeòque respicit Deum tanquam bonum absens, per cujus præsentiam evacuatur; non sic charitas specialiter dicta, quæ, utpote ab ista imperfectione aliena, per præsentiam objecti sui perficitur, non evacuatur. In spe quidem non intervenit charitas generaliter sumpta pro amore Dei propter se (utpote sine qua *spes faceret mercenarium sua lucra sectantem*, ait S. Bernardus serm. in Cantic. Ezech. qui & opusculo de charitate c. 19. *Sine charitate*, inquit, *nihil est virtus, & ipsa unicuique virtutum exhibet ut sit virtus..... nec fides vir-*

tus est sine dilectione, nec spes, nisi, quod speratur, ametur. Quod & D. Ælredus ait in spec. charit. c. 31.) sed non specialiter dicta.

CAPUT V.

Ex primo maximoque mandato ostenditur, solum Deum amandum finaliter propter se; cætera non nisi finaliter propter ipsum. Solum proinde Deum propter se dilectum, esse debere finem omnis deliberati amoris, atque adeò omnis deliberati actûs nostri.

46 ORdinatam quamcumque dilectionem vel debere esse finaliter Dei propter se, vel finaliter propter Deum, communis traditio est veterum Patrum lib. 8. referendorum, quam etiam secuti sunt S. Anselmus Monol. c. 66. dicens, *rationalem creaturam ad hoc esse factam, ut summam essentiam amet... immò ut nihil amet nisi illam, aut propter illam. Quia illa est bona per se, & nihil est bonum nisi per illam.* Hugo de S. Victore l. 2. de Sacram. c. 8. *Deus est illud bonum, quod solum amandum est propter ipsum.* Magister Sentent. in 1. dist. 1. §. 2. Albertus Magnus in 2. dist. 40. a. 4. S. Thomas in 1. dist. 1. q. 2. in argum. *Sed contra*, ibi: *nihil diligendum, nisi in ordine ad Deum.* Et q. 3. *quæcumque sunt bona, non habent bonitatem, nisi in quantum accedunt ad similitudinem bonitatis divinæ. Unde oportet, cùm bonitas sit ratio dilectionis & desiderii, ut omnia amentur in ordine ad bonitatem primam, sive propter ipsam*, ut paulò post dicit. Aliàs (ut ait supplem. q. 49. a. 5. in corp.) *staretur in creatura, quod sine peccato esse non potest.* Uberiora ex S. Doctore dabimus lib. 8.

47 Tantis Doctoribus innumeri alii, iique primarii illustrioresque ibidem referendi subscribunt. Duorum hîc solùm verba proferam, videlicet Eminentissimi D. Cardinalis Bona Manuduct. ad cælum c. 1. *Non patitur lex amoris quidpiam cum Deo amari, nisi in Deo, vel propter Deum.* Et princip. vitæ christ. p. 1. §. 29. *Si rebus creatis inhæremus, & ipsas propter se diligimus, sine ulteriori relatione ad Deum, damnata cupiditas est.* Et p. 2. §. 38. *Deus præ omnibus & super omnia diligendus, reliqua verò in ipso & propter ipsum, ut amor noster ordinatus sit.* Necnon Illustrissimi D. Episcopi Castorienſis Amor. pœnit. p. 1. c. 2. *Non potest cor nostrum... in aliqua hærere creatura, nisi Deum saltem venialiter offendat... naturalis ordo violatur, dum homo.... creaturam propter seipsam, Deum verò amat propter creaturas.*

48 Rationibus validissimis, ex Christiana Philosophia, Theologiaque Sanctorum petitis, veritatem istam probavimus lib. 5. c. 11. Sed habemus firmiorem, Propheticum, Evangelicumque sermonem, in stabilimentum illius. Siquidem invictè probatur ex primo maximoque mandato, quod Matth. 22. sic exprimitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & in tota mente tua.* Luc. 10. *ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua.* Marci 12. sic: *ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua.* Deuteronomii verò cap. 6. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua: eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, & enarrabis ea filiis tuis, & meditaberis in eis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque consurgens. Et ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque & movebuntur inter oculos tuos, scribesque ea in limine, & ostiis domus tuæ.*

49 Quis unquam credidisset fore ut mandatum istud, moralium omnium principiorum primum maximumque, verbis tam perspicuis, tam patheticis, tam expressis, tam extensis, tam efficacibus, à Deo latum, sophisticis Casuistarum nonnullorum argutiis usque adeò obscuraretur, extenuaretur, & vix non ad nihilum redigeretur, ut eorum nonnulli asserere non verentur, eo effectivum amorem præcipi, non affectivum, id est amorem, non amorem? vel affectivum præcipi præcepto clementiæ, non rigoris, id est sub reatu æternæ damnationis; vel eo nihil aliud à nobis exigi, quàm ut ipsi aliis in præceptis pareatur; vel eum qui semel in vita uno amoris actu interno fungitur, plus facere quàm in rigore præcipitur. Vel ad eum eliciendum solùm teneri bis aut ter in vita, in principio scilicet, medio, & fine illius; vel semel in anno; vel semel in tribus, quatuor vel quinque annis; vel ne singulis quidem rigorosè quinquenniis; vel tunc solùm ad id esse obligationem quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, quâ justificari possimus?

50 Quis (inquam) credidisset ullius mortalium eò progredi posse cæcitatem, ut assertionibus tam indignis, imò tam impiis, præstare non erubesceret assensum, quibus & natura, & ratio, & divini Verbi tam evidenter reclamat authoritas? Ego certè non credidissem, nisi propriis oculis in libris vel opusculis Assertorum, illas assertiones divini amoris inimicas legissem.

51 Quid ergo dicendum de vecordi, impiaque hæresi post damnatas ab Ecclesia suprà relatas assertiones 14. Januarii 1589. in Collegio Mussipontano Soc. Jesu publicè defensa: *Deum finem ultimum, homo non tenetur amare, neque in principio, neque in decursu vitæ suæ moralis?* An non sine corde esse oportuit, qui tam vecordem errorem evomuit? Quis non propositionem illam ut hæreticam damnet, uti meritò damnavit Alexander VIII.?

52 Quis denique non obstupescat, quòd ubi obscurum facer textus non reliquit, quo tempore, quo loco, quo actu vel opere Deum nos oporteat diligere; quando non solùm præcepit Deum diligere *ex toto corde, ex tota mente, ex tota virtute, ex tota fortitudine, ex omnibus*

nibus viribus noſtris, ſed & rationem addidit cur ita? addidit & circumſtantias illas, quòd primum illud maximumque mandatum ſemper ob oculos noſtros poſitum eſſe deberet, quovis tempore & loco, ſive ſcilicet in domo eſſemus, ſive in itinere, ſive dormientes, ſive conſurgentes, ſeu vigilantes, ſive ſedentes, ſive ambulantes, &c. Nihilominùs inventi ſunt hodierni Theologi, qui ſe dicunt orthodoxæ fidei & authoritatis Pontificiæ Defenſores, qui non erubuerunt ad Tribunal Innocentii XII. cenſurâ notandas deferre ſequentes propoſitiones: *Nullus eſt locus, nullum tempus, nullum opus, in quo ab hoc amore ceſſari poſſit. Eſt ergo hoc præceptum ad omnia tempora determinatum. Datur præceptum obligans ſub peccato referendi omnia opera deliberata in Deum. Non tantùm aliquoties in vita; ſed toto tempore vitæ oportet Deum ex toto corde diligere, ſic ut quovis tempore de nobis verè dicatur, quòd amor Dei in nobis dominetur.*

53 Sed irrito conatu eas detulerunt. Quippe alienum eſt ab Eccleſia Romana, damnare propoſitiones in ſacris Litteris, in communi Sanctorum traditione, in rationibus Theologicis fundatiſſimas. Itaque primo maximoque mandato, quo Deus non ſolùm dicit: *Diliges Dominum Deum tuum*; ſed addit, *ex toto corde, ex tota mente, tota virtute, nullam vitæ noſtræ partem reliquit quæ vacare debeat*, inquit Auguſtinus l. 1. de doctr. chriſt. c. 22. Cùmque rurſum addit: *Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo... & meditaberis in eis ſedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens, atque conſurgens*, &c. perſpicuè declarat, quòd *non ceſſatio ſedentis ab hoc amore debet ceſſare; non quies dormientis ab hoc amore quieſcere; non vigiliæ conſurgentis, neglecto hoc amore, aliis intendere; non labor itinerantis ab hoc amore diſcedere; ſive domi, ſive foris, quocumque loco, quocumque tempore, quocumque in opere homo fuerit, Dei amator eſſe debet. Alia opera ut manum ejus occupent, licet; ut alius amor cor ejus occupet, minimè licet*, ait Illuſtriſſ. D. Epiſcopus Caſtorienſis in Amore pœnitente l. 1. c. 2. n. 1. Primo proinde iſto mandato præcipimur non ſolùm nihil unquam facere divino amori contrarium (quemadmodùm enim propriè non diligimus, per hoc præcisè quòd nihil contra amorem faciamus; ſic propriè non diligimus *ex toto corde*, per hoc præcisè quòd nihil unquam contra amorem faciamus;) ſed & nullo tempore, vel loco, vel opere, à divino amore voluntariè feriari. Iſtam quippe primi maximique mandati expoſitionem, velut genuinam, & legitimam, ſancti Patres communiter tradunt; Origenes, Baſilius, Auguſtinus, Theodoretus, Victor Antiochenus, Bernardus, Franciſcus Aſſiſias, Aquinas, Thomas Villanovanus, &c.

54 Primò namque Origenes to. 23. in Matth. dicit, *toto corde Deum diligere, nihil aliud eſſe, quàm amare ſecundùm totam recordationem, operationem, & cogitationem.... ex tota mente, nihil aliud proferre, quàm quæ ſunt Dei, &c.*

55 2°. Baſilius in Pſal. 44. ly *ex toto*, ſive (ut ipſe legit) *ex omni corde*, dicit idem eſſe, quod ex corde non diviſo; eo proinde mandato, prohiberi cordis ſeu amoris partem dare ulli creaturæ, ipſam propter ſe, non propter Deum diligendo: *Hoc autem quod ex omni dicit, diviſionem in alia nullam admittit. Quantum enim dilectionis in hæc inferiora inſumpſeris, tantum neceſſe eſt ut ei adimas, quod totum eſt.* Unde in reg. fuſ. diſput. interrogat. 195. dicit, *omnia propter Deum ex Dei mandato facienda.*

56 3°. Auguſtinus loco citato, ex primo illo mandato probat, nullam vitæ noſtræ partem Dei amore vacuam eſſe debere, nec licitum eſſe aliam rem, ne ſeipſum quidem, vel proximum, propter ſe diligere, ſed dumtaxat propter Deum. *Hæc enim regula dilectionis divinitùs conſtituta eſt*, " Diliges proximum tuum ſicut teipſum ": *Deum verò*, " ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente, " *ut omnes cogitationes tuas, & omnem vitam, & omnem intellectum in illum conferas* (id eſt, referas) *à quo habes ea ipſa quæ confers. Cùm autem ait toto corde, totâ animâ, totâ mente, nullam vitæ noſtræ partem reliquit, quæ vacare debeat* (à Dei dilectione) *& quaſi locum dare* (id eſt permittere) *ut aliâ re velit frui; ſed quidquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quò totus dilectionis impetus currit*, id eſt, referatur in finem divinæ illius dilectionis. Unde concludit: *Quiſquis ergo rectè proximum diligit.... eum diligens ſicut ſeipſum, totam dilectionem ſui, & illius, refert in illam dilectionem Dei, quæ nullum à ſe rivulum duci extrà patitur, cujus derivatione ipſa minuatur.* Quid (quæſo) illuſtrius, quid apertius, quid expreſſius deſiderari poteſt ad intentum? Ecce magnum dilectionis præceptum Aquila Patrum ſic explicat, ut ſecundùm illud nulla vitæ noſtræ pars à præcepta ibi dilectione vacare permittatur, nec liberum nobis relinquatur, aliquid præter Deum diligere, abſque relatione ad Dei dilectionem, ſed ad eam referre oporteat omnes cogitationes, & omnem vitam, & omnem vitæ partem, & omnem dilectionem noſtri & proximi, alteriuſque cujuſcumque rei. Quia ſcilicet id importat præcepta Dei dilectio *ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente*, quæ dilectio *nullum à ſe rivulum duci extrà patitur, cujus derivatione ipſa minuatur*; id eſt, non patitur quidquam extra Deum diligi, cum diminutione dilectionis Dei. Quæ profectò, ſecundùm Auguſtini doctrinam, minuitur dilectione cujuſcumque rei extra Deum, non propter Deum: *Siquidem minùs te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat.* Lib. 10. confeſſ. c. 29.

57 4°. Author Soliloquiorum c. 19. (haben-

tur inter opera Augustini; licèt enim Augustini non sint, ex Augustino desumpta sunt) *Domine, justitiæ in lege tua, ut diligam te in toto corde meo, tota anima mea, & totamente mea, & tota fortitudine mea, & totis viribus, & etiam ex intimis medullis cordis mei, omnibus horis & momentis, quibus fruor bonis misericordiæ tuæ.... Sicut ergo nulla hora est, vel punctum, in omni vita mea, quo tuo beneficio non utar; sic nullum debet esse momentum, quo te... non diligam ex omni fortitudine mea*, &c.

58 5°. Theodoretus q. 3. super Deuteronom. quærit: quid significet, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo?* Respondetque: *Manifestè nos docuit Dominus, neminem duobus dominis servire. Ex hoc igitur loco docemur dilectionem non scindere in dilectionem Dei, & proximorum; in dilectionem Dei, & liberorum: sed totam dilectionis vim Creatori Deo consecrare; deinde secundùm Creatorem, quæ unicuique sunt utilia impartiri, velut liberis, fratribus & amicis, &c. Siquidem pertinet etiam ad dilectionem Dei hæc præstare.*

59 6°. Victor Antiochenus in Marcum: *Lex ista* (Diliges, &c.) *ejusdem rei, circa eandem materiam, repetitione præ cæteris abundat: habet enim*, „ ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua. „ *Facit hoc autem, quo hominem tanto Dei amore flagrare debere demonstret, ut nihil prorsus in ullam omninò animæ facultatem irrepere sinat, quod suam erga Deum dilectionem excludat, aut diminuat, aut aliò transferat.*

60 7°. Bernardus in lib. de dignit. amoris c. 10. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.... In eo quod dicit, ex toto corde tuo, totam sibi vendicat voluntatem: in tota anima, totum amorem, &c.* Quomodò totum amorem? dixerat c. 7. nihil debere amari, nisi propter Deum. Serm. 12. in Psal. *Qui habitat*, sic uberiùs explicat: *Totus ei reddatur amor... à quo nobis est totum, unde amare possimus.... sic ergo dilectio.... quasi sola regnare debet in nobis, ut quidquid debetur cæteris, sibi vendicet, & ex dilectione omnia faciamus. Sic divinus prævalere debet amor, & quodammodò præjudicare universis, ut solus ipse, non solùm præ omnibus, sed in omnibus ametur. Quid enim extra ipsum reliquit cæteris, qui totum cor, totam animam, totam virtutem, Domino suo in dilectione donavit*, uti sibi Dominus donari præcepit, dicens: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, &c. Et in libro de modo benè vivendi ad soror. c. 5. *Debemus Deum diligere ex toto corde, id est, ex toto intellectu, & ex tota anima, & ex tota voluntate, & ex tota mente, & ex tota memoria, ut omnem intellectum, & omnes cogitationes nostras, & omnem vitam nostram ad eum dirigamus, à quo omnia bona habemus, ut nulla pars vitæ nostræ otiosa relinquatur; sed quidquid in animum venerit, illuc dirigatur, ubi impetus dilectionis currit.*

61 8°. S. Franciscus Assisias, Seraphici Ordinis Minorum Fundator, in expositione Orat. Domin. ad illa verba: *fiat voluntas tua*, sic primum mandatum exponit: *Amem te ex toto corde, te semper cogitando: ex tota anima, te semper desiderando: ex tota mente, omnes intentiones nostras ad te dirigendo, & honorem tuum in omnibus quærendo: & ex omnibus viribus nostris, omnes vires, sensus animæ & corporis, in obsequium tui amoris, & non in alio exponendo.*

9°. S. Thomas Aquinas 2. 2. q. 27. a. 5. 62
Homo debet.... quidquid habet ad Dei amorem ordinare, secundùm illud Deuteron. 6. " Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. " Et q. 44. a. 5. dicit, quòd iis verbis *præcipitur nobis, ut tota nostra intentio feratur in Deum*, sive, *ut omnia referantur in Deum* (ait 1. 2. q. 100. a. 10. ad 2.) *& ideò præceptum charitatis implere homo non potest, nisi etiam omnia referantur in Deum.* Quomodò? ex charitate, saltem generaliter dicta; sequitur enim: *Sic ergo qui honorat parentes, tenetur ex charitate honorare; non ex vi hujus præcepti, quod est, Honora parentes; sed ex vi hujus præcepti, Diliges Dominum Deum tuum*, &c. Idem de debito cuique reddendo dicit lect. 3. in cap. 3. ad Galat. *Si reddas tibi, vel proximo, quod debes, & hoc non facias propter Deum, magis es perversus, quàm justus; cùm ponas finem in homine*; adeòque stes per dilectionem in creatura; quod sine peccato fieri non posse, docet supplem. q. 49. a. 5. ad 1.

10°. Idem S. Thomas opusc. 35. aliàs 18. 63
de perfect. christ. c. 5. explicans ad quid homo teneatur, ex vi præcepti de diligendo Deum ex toto corde, tota anima, tota fortitudine, &c. *Ex toto* (inquit) *corde, mente, anima & fortitudine Deum diligimus, si nihil nobis deest ad dilectionem divinam, quod actu vel habitu* (*id est, virtute*) *in Deum referamus. Et hujus divinæ dilectionis perfectio datur homini in præcepto. Primò quidem, ut omnia in Deum referat, sicut in finem, sicut Apost. dicit 1. Cor. 10. Sive manducatis, sive bibitis, vel quid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite. Quod quidem impletur, cùm aliquis vitam suam ad Dei servitium ordinat, & per consequens omnia, quæ per seipsum agit, virtualiter ordinantur in Deum, nisi sint talia, quæ à Deo abducunt, sicut sunt peccata.... Tertiò, ut quæcumque homo amat, in Deo amet, & suam omnem affectionem ad Dei dilectionem referat.... Quartò, ut omnia exteriora nostra verba & opera ex divina charitate formentur, secundùm illud 1. Cor. ult. Omnia vestra in charitate fiant. Et sic Deus ex tota fortitudine diligitur. Hic est ergo tertius perfectæ dilectionis modus, ad quem omnes ex necessitate præcepti obligantur.* Tametsi nihil expressius desiderari queat, alia lucidissima testimonia ipsius lib. 8. c.... proferemus.

11°. S. Thomas de Villa-nova serm. 1. in 64
Domin. 17. post Pentecost. *Præcipis Domine.... ut amem te, & in omnibus, & super omnia diligam te. Itane Domine.... postquam à te fa-*

clus sum, & tanto pretio redemptus, post tot & tanta beneficia, quæ mihi quotidie præstas, opus est mandato, ut diligam te? .... Attendite, fratres charissimi, attendite & videte, qualia præcepta nobis injungit Deus.... Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua... O quàm justum & æquum est Domine, ut amet te opus tuum quod feciſti.... gratis feciſti illud.... ad quem igitur, niſi ad te, debuit esse conversio ejus? Si pictor imaginem pulchram depingeret in tabula, & illi visum dare posset & sensum, ut seipsam, pulchritudinem suam, & pictorem suum agnosceret, & coram se positum videret, quo amore.... existimas diligeret ipsum? Aut quid aliud imago illa toto conatu ageret, quàm amare, laudare, colere & venerari pictorem suum, à quo habuit ut esset, & tam pulchra esset? ..... Et tu, homo, non solùm hujus tanti & tam mirifici pictoris imago es, quia ipse te fecit: sed (quod valdè majus est) quia in te seipsum depinxit. Ad imaginem enim ejus plasmatus es, ut ipsa te similitudo ad amorem ejus ampliùs incitaret. Quanti igitur piaculi reus es, si tantam neglexeris gratiam, & tanti immemor fueris beneficii? Illi namque debes quidquid es, quidquid potes, quidquid sapis, te totum denique; cui enim debetur fructus, niſi ei qui plantavit arborem? Illi igitur integrum debes amorem, qui tibi amandi præstitit facultatem. Illi debes omnes cogitationes, qui vim intelligendi animæ tuæ inſerit. Illi debes desideria omnia tua, & appetitus, qui appetendi desiderandique potentiam in te plantavit. Si quam igitur cogitationem, si quam dilectionem in alio expendis, si quid aliud cupis aut sapis, si quid agis vel meditaris, quod non ipse, aut non propter ipsum est, fur es & latro, & alienum est quod prodigis.... Illi enim, qui tibi præstitit ut esses, omnis actus & operatio tua jure debetur. Nonigitur tibi fit injuria, si à te exigitur, ut ex toto corde, & ex tota anima, & ex omni mente diligas ipsum, ac ex te toto. Denique quia totus illius es (tres enim potentias.... in te plantavit Altissimus, intellectum scilicet, voluntatem & sensum) horum à te jure suo fructum (omnem, ut antè dixit) à te exposcit, cùm præcipit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota mente tua.

65 12°. Allatam Sanctorum expositionem secutus Jacobus Alvarez de Paz. lib. 6. de vita religiosè instituenda c. 2. eodem & ipse modo primum explicat mandatum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ita ut omnem amorem voluntatis tuæ in eo colloces, & ad nullam rem, niſi propter illum, atque ut illi actu placeas, voluntate feraris. Dilige ex tota anima, ita scilicet ut omnem motum appetitus, minùs ordinatum, propter illum fortiter comprimas, & omnes actus hujus vitæ mortalis in ipsum dirigas. Dilige ex tota mente, ita ut eum semper cogites, semper sitias, & intellectu & affectu illi inhæreas. Dilige ex omnibus viribus, ita ut omnes sensus & vires corporis, actuali intentione* (id est, non solâ habituali) *in Domini tui obsequium impendas.*

Ite nunc expositæ Dei dilectionis vexato- 66
res, allatamque Sanctorum, vestrique Alvarez de Paz. doctrinam Pontificio deferte Tribunali censurâ perstringendam. Numquid vobis honorificum est hæc lumina Civitatis Dei hostiliter insectari? Videte & attendite quibuscum nobis sit causa communis. Introduxi vos sedandos atque sanandos, non in alicujus Philosophi auditorium, sed in Sanctorum Patrum pacificum honorandumque conventum. Aspicite tot & tales Ecclesiæ Catholicæ defensores. Hic est Basilius, hic Augustinus, Bernardus, Thomas, &c. quorum vos movere debet tam perspicua consensio. An non alienum est à Romanæ Ecclesiæ more communem eorum doctrinam proscribere? Anne ipsi suâ illâ doctrinâ homines adigunt in desperationem observandi primum maximumque mandatum, uti dicitis in collectione vestra propositionum per Belgium disseminatarum p. 8. a. 3. pag. 140? Laudandus esset vester zelus, si esset secundùm scientiam, & secundùm Sodalitii vestri tesseram, *ad majorem Dei gloriam.* Talem non esse, videntur evincere fortissima argumenta sequentibus capitibus, duobusque sequentibus libris proferenda, quibus invictè probatur veritas propositionum, quas accusare non erubuistis; quemadmodùm & ea quæ à nobis allegata sunt Prolegomeno 7. §. 1.

CAPUT VI.

Ratio primi mandati, seu titulus in quo fundatur, titulus utique Creatoris & Domini nostri, allatum sensum ipsius ostendit esse legitimum.

RAtio ista, seu titulus & causa primi man- 67
dati Deuteron. 6. exprimitur his verbis: *Audi Israël: Dominus Deus noster, Dominus unus est, diliges Dominum Deum tuum ex toto corde*, &c. Quasi diceret: quia ipse solus est Dominus, eò quòd utique ipse unus & solus est Creator & Conservator noster, ideò *diliges Dominum Deum*, &c. *Cùm* igitur *intelligentia dictorum* (ut D. Hilarius ait) *ex causis assumenda sit dicendi*, siqua foret ambiguitas in verbis illis, *diliges ex toto corde*, &c. quo tempore, loco, & opere, Deus diligendus sit, per causam allegatam, seu diligendi rationem, ambiguitas sublata intelligeretur.

Atqui causa, seu ratio illa, Creatoris & 68
Domini, postulat, Deum omni tempore, loco & opere deliberato à nobis diligi, nec aliquid extra Deum diligi, niſi propter Deum: in quantum enim Creator, est principium, finis, & Dominus absolutissimus totius esse nostri, omniumque facultatum, potentiarum & operationum nostrarum. Ipsi ergo,

tamquam absolutissimo Domino, principio & fini, debitus est omnis deliberatus amor noster, omnis cogitatio, omne desiderium, omnis actus noster. Ut enim sapientissimè, sanctissimèque differentem audivimus S. Thomam Villanovanum: *Illi integrum debes amorem, qui tibi amandi præstitit facultatem; illi debes omnes cogitationes, qui vim intelligendi animæ tuæ inseruit; illi debes omnia desideria tua, & appetitus, qui appetendi desiderandique potentiam in te plantavit.* Denique illi, qui tibi præstitit ut esses, eoque titulo absolutissimus est Dominus tuus, omnis actus & operatio tua jure debetur.

69 Enim-verò quid certius, quàm quòd ei debitus sit omnis arboris fructus, qui plantavit arborem? Quid receptius, quàm quòd unaquæque res absolutissimè fructificare debeat absolutissimo Domino suo? Quid exploratius, quàm quòd omnis amor, omnis affectus, omnis actus, omnis operatio, debita sit primo suo principio, Authori & fonti? Quid decantatius, quàm quòd omnia servi opera, omnesque operum fructus, cedere debeant Domino, quòdque quidquid acquirit absolutissimus servus, Domino acquirat suo? Quid manifestius, quàm quòd ad eum, tamquam finem ultimum, referri debeant creaturæ, potentiæ & operationes omnes, à quo, velut primo principio, debent profluere: cùm æquè sit *alpha & omega, principium & finis?* Quid denique naturali lumine notius, quàm quòd homo, qui omni momento divinis, iisque maximis, fruitur beneficiis, omni quoque momento, amoris officio, tanto gratus esse debeat benefactori?

70 Cùm omnes rationes istæ fundentur in titulo Creatoris & Conservatoris, recapitulantur his verbis: *Diliges Dominum Deum tuum, &c.* Ideò namque Deus est Dominus creaturarum omnium, quia omnium Creator & Conservator. Quandoquidem ergo omnes rationes istæ exigant Deum à nobis diligi omni tempore, omni loco, omni actu, & opere, ex ipsamet causa, allegata in tenore primi maximique mandati, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c.* manifestè colligitur, præceptum istud obligare omni tempore, loco, opere, &c. atque hunc esse sensum verborum istorum, *ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, ex tota fortitudine, &c.* id est, (ut Bernardus intelligit in lib. de diligendo Deo) *ex omni quod homo est, quod scit, quod potest.*

CAPUT VII.

Totam vitam nostram, omnemque illius partem; omnem proinde actum, omnem amorem deliberatum, non solùm debemus Deo, tamquam Creatori, Conservatorique, sed & tamquam Redemptori nostro.

71 RAtio est, quia nihil omni jure magis debitum, quàm ut redemptus homo, sui Redemptoris amori & obsequio se totum impendat (totum utique quod est, quod vivit, quod agit, &c.) quemadmodùm Redemptor ipse se totum impendit homini redimendo. Si enim *totum me debeo pro me facto* (ait Bernardus serm. 20. in Cant.) *quid addam jam pro refecto, & refecto hoc modo? Non enim tam facilè refectus, quàm factus. Siquidem.... qui me tantùm & semel dicendo fecit, in reficiendo profectò & dixit multa, & gessit mira, & pertulit dura; nec tantùm dura, sed & indigna. Quid ergo retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? in primo opere me mihi dedit, in secundo se, &c.* Si ergo, quia fecit nos, nihil dimisit in nobis, unde amemus vel nos, totum amorem nostrum, & omnem motum illius, ut sibi debitum exigit (prout Augustinus serm. 34. c. 4. declarat, dicens: *Vide si aliquid voluit dimittere in te, unde ames vel te, qui tibi dicit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. Quid remanet de corde tuo, unde diligas teipsum? Quid de anima tua? Quid de mente tua? Ex toto, inquit. Totum exigit te, qui fecit te:*) pari, si non potiori jure totum amorem nostrum, & omnem motum deliberatum ipsius, ut sibi debitum exigit, quia refecit seu redemit nos. Ut enim cum D. Bernardo serm. 20. in Cantica dicit Author libri de diligendo Deo c. 16. *Magna & innumerabilia sunt, quæ mihi Domine Deus contulisti beneficia, pro quibus meritò mihi diligendus, & semper es laudandus.... Unum autem est, quod me plus his omnibus accendit, urget, movet & promovet ad te diligendum.... hoc solum omninò totam vitam nostram, totum laborem nostrum, totum obsequium nostrum, amorem denique nostrum facilè sibi vindicat totum. De mundo enim, & de his quæ in mundo sunt,* dixit, & facta sunt; mandavit, & creata sunt: *at verò pro redemptione generis humani, magnos & multos, & diuturnos labores sustinuit, & dolores.*

Ad hoc enim-verò Salvator se totum nobis 72
dedit, per incarnationem mortemque suam, ut nos sibi totaliter acquireret, atque *ut sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi, in sanctitate & justitia*, atque adeò ex gratuito amore, *coram ipso omnibus diebus nostris.* Quid est, omnibus diebus nostris, nisi toto vitæ nostræ curriculo? Nam ne quis existimaret sufficere, quòd exiguo quopiam tempore, vel aliquibus vitæ nostræ partibus Deo serviremus in sanctitate & justitia, additum est, *omnibus diebus nostris*; quasi diceretur: omnibus vitæ nostræ partibus. Atqui omnibus vitæ nostræ partibus Deo servire in sanctitate & justitia, est omnibus vitæ nostræ partibus Deum propter se amare. Si enim *nihil est aliud benè vivere, quàm toto corde, totâ animâ, totâ mente Deum diligere.* Augustinus l. 1. de moribus Eccles. c. 25. Et si *ubi charitas non est, non potest esse justitia*, lib. 1. de serm. Dom. in mont. c. 5. Si non est verus Dei cultus, vera pietas, vera religio, vera Dei servitus absque Dei dilectione; eò

quòd Deus *non colitur nisi charitate*, epist. 29. *non colitur nisi amando*, epist. 120. *Et diligere Deum ex toto corde, &c. hic est Dei cultus, hæc vera religio, hæc recta pietas, hæc tantùm Deo debita servitus*, l. 10. de civit. c. 3. Igitur omnibus diebus nostris Deo in sanctitate & justitia servire, est omnibus vitæ nostræ partibus Deum propter se amare. Neque enim in sanctitate & justitia Deo servit, nisi qui benè vivit, nisi qui cum vera religione & pietate Deum colit, &c. quæ, secundùm Augustinum, præstari nequeunt absque vero Dei propter se amore.

73 Confirmat idipsum Apostolus 1. Cor. 6. *Non estis vestri; empti enim estis pretio magno*; absque ulla quippe exceptione dicit, *non estis vestri*; quasi dicat, nullo momento estis vestri, sed Christo per omnia absolutissimè acquisiti; utpote ab ipso *empti pretio magno* passionis & mortis ipsius. Cum igitur nullo momento nostri simus, sed omni momento Salvatoris ac Redemptoris nostri; nullo momento nobis vivere possumus, sed omni momento vivere debemus Redemptori. Si enim servus emptitius nullo sibi momento vivere debet, sed emptori suo: quantò magis nos, tanto empti pretio? Igitur omni momento Redemptorem nos oportet diligere & glorificare. *Illi quippe rei quisque vivit, quam diligit*, ait Fulgentius l. ad Ferrand. Diacon. in respons. ad 1. quæst. ipsius, *& illi se exhibet mortuum, cujus in se mortificavit affectum.*

74 Nec minùs idipsum confirmat 2. Cor. 5. *Pro omnibus mortuus est Christus, ut & qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est.* Si enim ex hoc quòd pro omnibus mortuus est Christus, Apostolus efficaciter concludit, eos qui vivunt, non sibi (id est, pro semetipsis) vivere debere, sed ei qui pro ipsis mortuus est, id est, propter ipsum: ex eodem illo antecedente non minori efficaciâ concluditur, omnes motiones operationesque vitæ ipsorum esse debere propter ipsum. Cùm vita sit omnium illarum motionum operationumque principium; atque adeò propter eum esse debeant omnes vitæ motiones operationesque propter quem esse debet vita.

75 Circa quod ne superesset ambiguitas, verba illa Apostoli, ab ipso simpliciter prolata sunt, absque exceptione ullius vitalis motûs & operationis, sicut & absque exceptione ullius momenti. Simpliciter namque & absque exceptione dicendo, *ut & qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est*, nullum vitæ momentum, nullam vitæ (utique moralis) operationem excepit. Nec exceptionem Apostoli ratio permittit: probat enim, eos qui vivunt, non sibi, sed Christo vivere debere, quia *pro omnibus mortuus est Christus*, pro omnibusque moriendo nos sibi totaliter & absolutissimè acquisivit, utique & corpus, & animam nostram, & omnes sive animæ, sive corporis facultates, & omnes earum operationes, & omnem vitam nostram, & omnem vitæ nostræ partem. Ex quo efficacissimè concluditur, omnem vitæ nostræ partem, & omnes operationes nostras esse debere propter ipsum.

Omni igitur momento vivere debemus in 76
obsequium, amorem, & laudem Redemptoris, gloriamque ipsius in omnibus quærere; omni denique momento, & in omni deliberata actione ipsum actu vel virtute amare; ita ut semper cum Apostolo dicere possimus: *Vivo ego; jam non ego; vivit verò in me Christus.* Nullo quippe momento nobis vivere possumus, vel aliis creaturis, sed ipsi soli. Unde nec ullo momento permittitur nobis diligere mundum, vel corpus proprium, vel etiam animam nostram, sed semper *mortificationem Jesu in corpore nostro circumferre*, 2. Cor. 4. crucem nostram propter ipsum ferre *quotidie*, Luc. 9. ipsum denique sequi in omnibus. Hoc est enim quod in Baptismo polliciti sumus, Basilio teste l. 2. de Baptismo q. 1. ubi sic: *Quisquis Evangelii baptismate baptisatus est, ad hoc obligatur, ut secundùm Evangelium vivat. Et irrevocabili pacto ad hoc se adstrinxit, ut Christum sequatur in omnibus, quod est Deo integrè & perfectè vivere.*

CAPUT VIII.

Tertiò, nos totos, totamque vitam nostram, & totum quod agimus, Deo debemus, seu ipsius amori & obsequio, ratione vocationis nostræ ad Christianismum.

ISte est tertius titulus, ex tribus allegatis à 77
Mellifluo Doctore serm. 2. de verb. Apost. *Non est regnum Dei, esca & potus.* Prima proinde probatio assertionis nostræ petitur ex verbis ipsius ibidem dicentis: *Quidquid igitur es, quidquid potes, debes creanti, redimenti, vocanti.*

Secunda probatio sumitur ex verbis ejus- 78
dem serm. de verbis Psalmi 23. *Quis ascendet in montem Domini?* ubi probat quod proximè dixit, quia *hæc est professio Fidei Christianæ, ut qui vivit, jam non sibi vivat, sed ei qui pro omnibus mortuus est.* Si enim Christianus, quia Christianus, jam non sibi vivere debet; consequens est quòd tota vita ipsius, debita sit amori & obsequio Christi, ut perspicuum est ex dictis n. 74. 75. 76.

Tertiam probationem subministrat Cate- 79
chismus Romanus p. 1. c. 3. n. 12. his verbis: *Æquum est nos ipsos, non secùs ac mancipia, Redemptori nostro & Domino in perpetuum addicere & consecrare. Et quidem, cùm Baptismo initiaremur, ante Ecclesiæ fores, id professi sumus: declaravimus enim nos satanæ & mundo renuntiare, & Jesu Christo totos nos tradere.*
Nec absque fundamento Catechismus hoc di- 80
cit: cùm, teste Basilio Magno serm. 2. de Bapt. *in mortem Christi baptisatus.... irrevocabili pacto se adstrinxerit ad hoc ut Christum sequatur in omnibus.* Et, ut Concilium Constantinopolit. quinisextum ait can. 86. *Qui Christum per Baptismum induerint, ejus in ear-*

ne vitæ agendæ (quæ tota amoris vita fuit) *rationem imitari professi sunt.*

81 Et si Christianus quisque ad id tenetur, titulo baptismalis professionis; quid dicendum de titulo participationis reliquorum Sacramentorum, præsertim Eucharistiæ? cùm Dominus in Evangelio dicat: *Qui manducat me, ipse vivet propter me*; vivet (inquit) non uno vel altero die, non aliquot horis vel diebus, sed simpliciter, absolutè & sine exceptione ullius diei, horæ vel momenti. Omni proinde momento *vivet propter me.* Quid est propter me? *charitas non potuit significari expressiùs, quàm quòd dictum est, propter me,* inquit Augustinus in lib. de morib. Eccles. c. 9.

82 Denique christiana ratio, eaque multiplex, idipsum demonstrat: quemadmodùm enim homo, omni momento quo deliberatè agit, agere debet ut homo, adeòque propter finem proprium hominis; sic Christianus, omni momento quo deliberatè agit, agere debet ut Christianus, adeòque propter finem proprium Christiani; ac per consequens propter Christum, qui proprius finis est Christianorum, ut Prosper ait sententiâ 244. *Finis fidelium Christus est.* Unde Augustinus in Psal. 54. *Intentio ergo dirigatur in Christum. Quare finis dicitur? quoniam quidquid agimus, ad illum referimus, &c.*

83 Enim-verò, si Christianus omni momento vitæ moralis, seu deliberatæ, vivere debet ut Christianus: igitur 1°. omni momento vivere debet ut totus Christi, ex professione Baptismi, adeòque ut vivens, non sibi, sed Christo.

84 2°. Omni momento vivere debet ut acquisitus Christo per pretium sanguinis ipsius. Qui profectò non solùm aliquot vitæ ipsius momenta, sed omnia, totamque vitam ipsius acquisivit, sicut totam redemit sanguine suo.

85 3°. Omni momento vivere debet ut *sponsa Christi*, adeòque ex amore Christi. Quæ est enim vita sponsæ, ut sponsæ, nisi vita amoris? una esse debet sponsa Christi, unique Christo intenta, non in plures divisa: dividitur autem tot in creaturas, quot diligit non propter Deum.

86 4°. Omni momento vivere debet vitâ Christi (quâ non vivit, nisi vivat in gloriam & amorem ipsius): sicut enim membra corporis physici nec uno momento vivunt, nisi vitâ capitis; sic membra corporis mystici (quod est Ecclesia) nec uno momento vivere debent nisi vitâ capitis sui, quod est Christus; cui etiam membrum per omnia crescere debet in charitate, ut Apost. dicit Ephes. 4. *Crescamus ergo in illo per omnia... in charitate.*

87 5°. Omni momento vivere debet ut *templum Dei*; quod nunquam licet profanis usibus applicare, sed solis Dei laudibus & obsequiis.

88 6°. Omni momento vivere debet ut *palmes Christi*, ac per consequens ut *in ipso radicatus, & ipsi fructum ferens, & omnia quæ illo digna sunt*, inquit Basilius reg. 80. c. 1.

7°. Omni momento vivere debet ut *victima, sive hostia Dei*, sancta, Deo placens, ut Apost. dicit Rom. 12. atque (ut Basilius ibidem) *omnibus suis membris & partibus absoluta, veræ in Deum pietatis* (ac proinde amoris) *integritatem conservans.* 89

8°. Omni momento vivere debet ut Sanctus, *& civis Sanctorum, domesticusque Dei*; ut de *populo acquisitionis*, qui à Principe Apostolorum vocatur *genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, &c.* Denique omni momento vivere debet ut *filius Dei*: atque adeò *secundùm eum, qui vocavit eum, sanctum*, debet in *omni conversatione esse sanctus*, ut idem Apostolorum Princeps dicit 1. Petri 1. *esseque perfectus, sicut Pater suus cælestis.* Matth. 5. Neque enim prærogativæ tam nobiles, sublimesque permittunt ipsi vel uno momento vitam ducere ignobilem, terrestrem, animalem; sed vitam postulant semper sanctam, nobilem, sublimem. Cùm oporteat vitam esse proportionatam statui ac conditioni cujusque; nec Christianus permittatur ullo momento tam nobiles qualitates relinquere otiosas, non utendo ad finem, ad quem ipsi datæ sunt. Debet ergo semper, sive in *omni vita* esse sanctus, quia in Baptismo sanctificatus, omnibusque prærogativis huc usque dictis nobilitatus, vocatus est ad sanctè vivendum. Et sicut esse est propter operari; ita tale esse est propter taliter operari, juxta illud Ephes. 1. *Ambulate* dignè *vocatione quâ vocati estis.* Et Philipp. 1. *Dignè Evangelio conversamini.* 90

Illum proinde cui datum est esse Christianum, totum Christo acquisitum, emptum pretioso sanguine ipsius, sponsam & membrum ipsius, templum, victimam, hostiam & filium Dei, sanctum, civem Sanctorum, domesticum Dei, &c. oportet in omni vita, conversatione, & actione, esse sanctum. Qualis esse nequit, nisi in omni vita, conversatione & actione Deum amet: cùm vera sanctitas in amore Dei consistat, uti probat Cardinalis Bona princip. vit. christ. p. 2. §. 49. ex eo quòd sanctitas sit ab omni labe libera puritas. Quemadmodùm autem omnis res ex mixtione pejoris & deterioris sordes contrahit, ut argentum ex mixtione plumbi, vestis aspersione luti: sic anima nostra impura & sordida efficitur amore rerum inferiorum; tuncque demùm evadit pura & libera ab omni sorde, cùm nihil amat nisi Deum, vel in Deo, & propter Deum. *Ut igitur sancti simus* (ait sapientissimus ille Cardinalis) *necessarium est à nobis ipsis recedere, & ab omnibus quæ extra Deum sunt, & ad illud principium regredi, à quo profluximus, totoque corde, totâ mente, totâque virtute* illi per amorem inhærere: tunc enim *unum cum uno erimus, omnia amando in uno, & unum in omnibus. In qua unitate, seu unione consistit sanctitas.* 91

CA-

CAPUT IX.

Præter hactenus dicta, tenor ipse verborum primi mandati, ostendit Deum omni vitâ, opere & actione diligendum.

92 VErba namque ista, quibus mandatum illud exprimitur : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota mente, ex tota anima, ex tota fortitudine, ex omnibus viribus tuis*, ad omnes homines, etiam simplices & idiotas prolata, accipienda sunt non solùm prout Sancti communiter ea accipiunt (uti vidimus c. 5.) sed etiam prout dicti simplices, scholasticæque subtilitatis expertes (quorum numerus est longè maximus) accipere solent, in sensu utique simplici, plano, & naturali. Atqui hoc modo accepta significant quòd Deum diligere nos oporteat *toto corde*, id est, omni motu & affectu cordis nostri ; *totâ mente*, id est, omni cogitatione nostrâ ; *totâ animâ, & omnibus viribus nostris*, id est, omni actu nostro deliberato, interiori & exteriori ; atque adeò omnem motum & affectum cordis nostri, omnem cogitationem nostram, omnemque actum nostrum, interiorem exterioremque, vel esse debere Dei dilectionem, vel ad eam referri, sive ex ea procedere. Iste quippe sensus adeò planus est, & naturalis, ut verba illa primi mandati simplicibus nequeant planiùs & naturaliùs explicari, quàm sensu proximè dicto. Quid enim planius & naturalius, quàm dicere, quòd Deus, dum diligi vult *toto corde*, non patitur ullum interiorem motum, seu affectum cordis, à sui dilectione vacare ? cùm hoc ipso quòd aliquis motus, seu affectus cordis, à Dei dilectione vacat, aliquam creaturam amando, non propter Deum ; cor pro illa parte dividatur, partemque illius creatura occupet ; nec proinde *toto corde*, id est, integro & indiviso, sed in alicujus creaturæ amore pro parte diviso, Deus diligatur.

93 Sed & planissimus naturalissimusque sensus est, *toto corde*, id est, *totâ voluntate*. Cùm igitur voluntas sit principium omnium affectuum spiritualium, sicut cor principium est omnium motuum corporalium : qui Deum omni affectu spirituali non diligit, Deum totâ voluntate, sensu naturali & plano, non diligit.

94 Denique Deus, hoc ipso quòd diligi vult *ex tota mente, ex tota anima, ex tota fortitudine, ex omnibus viribus*, omnes operationes nostras intellectuales, animales, exteriores, in amorem suum dirigi vult. Quandoquidem & cor & mens, & anima & fortitudo, & virtus, seu vires, ibi sensu plano & naturali accipiantur non in actu primo, sed secundo, pro motu & operatione cordis, mentis, animæ, fortitudinis & virtutis, seu virium nostrarum. Proinde ly *ex toto*, seu omni corde, in sensu plano & naturali, idem est, quod ex tota, seu omni operatione mentis, & virtutis nostræ. Quia enim *tria sunt principia actuum, quæ moventur à voluntate* (ait S. Thomas 2. 2. q. 44. a. 5.) *scilicet intellectus, qui significatur per mentem ; vis appetitiva interior, quæ significatur per animam ; & vis executiva exterior, quæ significatur per fortitudinem, seu virtutem, seu vires*, hoc ipso quòd Deus diligi vult totâ mente, totâ animâ, totâ fortitudine & virtute ; diligi vult toto intellectu, totâ vi appetitivâ interiore, & totâ vi executivâ exteriore. Quomodò verò ly *toto intellectu* simpliciùs, planiùs & naturaliùs exponi potest, quàm dicendo, id est, omni intellectûs operatione ; & idem est proportionaliter de ly *totâ vi appetitivâ interiore, & totâ vi executivâ exteriore*, id est, omni operatione utriusque. Sicut ergo per *totum cor* S. Doctor ibidem simpliciter & de plano intelligit totam nostram intentionem, seu voluntatis nostræ affectionem ; sic *per totam mentem, totam animam, totam virtutem*, simpliciter & de plano intelligitur tota, seu omnis operatio intellectûs, appetitûs interioris, & vis exteriùs exequentis. Denique sicut Deus, dum diligi vult toto corde, seu totâ voluntate, sensu plano & simplici *præcipit nobis ut tota nostra intentio*, seu voluntatis affectio, *feratur in Deum*, ut S. Doctor ait ibid. sic dum vult diligi *toto intellectu, totâ animâ, totâ virtute*, præcipit ut tota, seu omnis operatio nostri intellectûs, appetitûs interioris, & facultatis executricis exterioris, feratur in Deum, id est, in Dei amorem dirigatur.

CAPUT X.

Circumstantiæ adjunctæ primo mandato idipsum ostendunt.

95 UT quid enim post mandati expressionem, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua*, &c. sacer textus Deuteron. 6. immediatè subjungit : *Eruntque verba, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo.... & meditaberis in eis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens, atque consurgens, & ligabis ea quasi signum in manu tua.... & movebuntur inter oculos tuos.* Ut quid (inquam) verba illa, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, &c. semper versari voluit ante oculos nostros, sive inter sedendum, sive inter ambulandum, sive inter dormiendum, sive inter consurgendum, &c. nisi ad significandum, quòd semper in scopum divinæ dilectionis collimare nos oporteat, eâque dirigi debeat oculus mentis nostræ, sive dum sedemus, sive dum ambulamus, sive dum dormimus, sive dum consurgimus ? Ut quid addit, *& ligabis ea quasi signum in manu tua*, &c. nisi ad designandum, quòd quodcumque facimus, ex ejusdem dilectionis intentione, seu directione facere debeamus ? Nulla profectò hujus ratio simplicior, planior

& naturaliter adferri potest; nulla proinde verior. Unde enim in expositione hujus præcepti tot damnati prodierunt errores, nisi ex hoc quòd circa illud *modus opinandi irrepsit alienus omninò ab evangelica simplicitate*, prout Alexander VII. conqueritur in procœmio Decreti sui de 24. Septemb. 1665.?

CAPUT XI.

Allatum sensum primi maximique mandati legitimum esse constat non solùm ex eo quòd contextus, circumstantiæque illius, & communis Patrum consensus, ostendunt sensum illum esse intentum à Spiritu sancto; sed & amplius ex eo quòd alii sacri textus, eandem rem tractantes, eundem confirment.

96 ARgumenta cap. 5. 6. 7. 8. 9. & 10. producta satis superque ostendunt, Deum propter se dilectum, esse debere finem omnis deliberati amoris & actûs nostri, Deumque omni parte vitæ nostræ moralis propter se finaliter diligendum esse; cætera finaliter propter ipsum. Istumque esse genuinum, planum & naturalem, adeòque legitimum sensum primi maximique mandati. Cùm legitimus sensus documentorum, in sacris Litteris traditorum, ille sit quem contextus, sermonisque circumstantiæ, & communis Patrum consensus, ostendunt intentum esse à Spiritu sancto, ut constat ex regula 3. interpretandi S. Scripturam, Prolegomeno 3. n. 98. tradita.

97 Uberioris tamen doctrinæ gratiâ, lubet id rursum demonstrare ex regula 4. n. 99. ibidem exhibita, quòd utique, dum disceptatio est de pluribus sacrorum verborum sensibus, præ alio tenendus sit ille, quem confirmant alii sacri textus, eandem rem pertractantes. Præfatum verò sensum primi mandati complures alii sacri textus confirmant. Quia, ut eum omni ex parte manifestum faceret Spiritus sanctus, pluribus aliis sacris Eloquiis, partim figuratis, partim apertis, planis & expressis, ipsum dignatus est illustrare.

98 Atque imprimis duobus figuratis. In veteri quippe Testamento (sub quo, Apostolo teste 1. Cor. 10. omnia in figura contingebant illis) Levitici 6. præcepit, dicens: *Ignis in altari meo semper ardebit.... Ignis iste est perpetuus, qui numquam deficiet in altari.* Quem ignem Deus ibi designare voluit, nisi illum (uti SS. Patres & Interpretes passim intelligunt) de quo Christus Luc. 12. *Ignem veni mittere in terram*, ignem utique charitatis? Unde Cornelius à Lapide in eum Levitici locum, post Radulphum, fatetur per ignem illum significari charitatem. Per *altare* cor nostrum significari, post Origenem Homil. 4. in Levit. & Gregorium proximè referendum, omnes sacri Interpretes pariter conveniunt. Quid igitur designare voluit Spiritus sanctus, dum in veteri lege præcepit ignem in altari semper ardere, & numquam deficere, nisi quòd homo Christianus semper ardere debeat igne charitatis, seu divini amoris, nec ullo momento vitæ moralis ab eo deficere, sed eo omnes deliberatos motus, affectus & effectus suos accendere, seu dirigere?

Ille namque est planus & obvius istius figuræ sensus tropologicus, quem non sacri dumtaxat Interpretes tradunt, Lovinus, Radulphus, Salvator de Leon in cap. 3. Eccl. verùm etiam SS. Patres, quos inter D. Gregorius l. 25. Moral. c. 7. *Altare Dei* (inquit) *est cor nostrum, in quo jubetur ignis semper ardere: quia necesse est ex illo charitatis flammam ad Deum indesinenter ascendere.* " Illa ergo pe- " petuitas ignis " (ait Salvator de Leon) " con- " venit procul dubio nostræ sententiæ, quæ " (juxta illud Eccli. 13. *Omni vitâ tuâ dilige Deum*) " prædicat dilectionem Dei per omnem " vitam. Nulla enim remissio debet esse in Dei " amore; semper autem ignis amoris ardere de- " bet in corde.... Si enim virgines illæ Vestales " fovebant ignem sacrum, non patientes illum " ullo modo extingui; & si aliquando propter " earum negligentiam, aut incuriam, extin- " guebatur, puniebantur, & novum ignem in- " cudebant; quare nos ignem amoris Dei cor- " da nostra inflammantem extingui patimur? " 99

Alter textus figuratus habetur Levit. ult. ubi sic: *Omnis æstimatio sicli Sanctuarii ponderabitur.* Per siclum Sanctuarii, divini amoris significatur affectus. Ut enim ait S. Thomas Villanovanus serm. 1. in Domin. 17. post Pentecosten, *hic est ille siclus Sanctuarii, quo omnia ponderantur. Et sicut fiebat in illo mystico; ita fit in hoc vero* (*quod præfigurabatur*) *Sanctuario: omnia donaria sicli amoris ponderantur.... Hoc igitur nunc maximè cura.... ut isto sicli non careas, ut hoc dilectionis thesauro abundes.... vacuum enim & otiosum est omne tempus, quod in hoc non expenditur.* 100

Figurâ proinde illâ significatur, omnem æstimationem cujuscumque affectionis, cogitationis & actionis nostræ, & cujuscumque partis vel momenti vitæ nostræ, cujuscumque etiam functionis, dignitatis & officii, appendendam ad stateram amoris divini, & secundùm eam ponderandam: ita ut nihil necessarium vel supervacaneum, nihil utile vel inutile, nihil omni ex parte bonum vel malum, nihil grande vel parvum, nihil sublime vel vile sit æstimandum, nisi quatenùs ad Dei amorem aliquid vel nihil, plus minùsve prodest, vel obest. Illum etiam vitæ statum, illam conditionem, illas functiones, illas actiones & operationes, coram Deo & hominibus habentibus Spiritum Dei, in tantum esse in pretio, in quantum Dei amorem promovent, licèt ab hominibus sæculi hujus vilipendantur. Illas econtrà actiones, functiones, &c. coram Deo viles, abjectas, vacuas, otiosas, & absque pretio esse, quæ Dei amorem impediunt, vel diminuunt, vel amore Dei vacuæ sunt, tametsi in pretio sint apud homines sæculi. 101

Denique

102 Denique figura illa significat, otiosum, adeòque defectuosum esse omne vitæ tempus, omne momentum, &c. Dei amore vacuum, uti S. Thomam de Villa-nova dissentem audivimus.

CAPUT XII.

Non figuratis dumtaxat & tropologicis, sed planis etiam perspicuisque Oraculis sacris, eundem sensum Spiritus sanctus expressit Eccli. 13. 1. Petr. 4. 1. Cor. 10. & 16. Coloss. 3.

103 SIquidem Eccli. 13. expresse præcipit, dicens: *Omni vitâ tuâ dilige Deum*; præcipit (inquam) imperativo usus verbo, sine adjuncto consilium denotante. Etenim D. Basilii & D. Chrysostomi regula est, imperativa sacri Eloquii verba censeri præceptiva, nisi aliud appareat ex adjecto, prout ostendimus Prolegomeno 3. cap. 5. & 6. Estque specialis hîc ratio sic censendi: cùm eodem hîc tenore Deus dicatur diligendus *omni vitâ*, quo Deuteron. 6. diligendus dicitur *toto corde*; quo Marci 6. *quærite primùm regnum Dei*; sitque insuper eadem ratio Dei dilectionem præcipiendi *omni vitâ*, atque eandem præcipiendi *ex toto corde*, præcipiendi ut regnum Dei *primùm quæratur*, &c. Quæ tamen locis istis præcipi fatentur omnes. Nihil proinde apertius, nihil planius, nihil expressius loco illo.

104 Nihil etiam apertius & expressius, quàm quod 1. Petri Apostolorum Princeps ait: *Ante omnia autem mutuam in vobismet ipsis charitatem continuam habentes*, saltem in radice divinæ dilectionis, quæ (juxta Augustinum lib. 1. de doctr. christ. c. 22.) includitur in ordinata dilectione proximi. Continuam ergo Dei dilectionem haberi vult Apostolorum Princeps. Et benè addit, *continuam* (ait V. Beda ad locum citatum) *quia semper diligere valemus .... semper his quæ subjungit virtutibus insistere minimè valemus; id est, hospitalitati, doctrinæ, administrationi gratiarum, vel communium, vel specialium in proximos, cæterisque hujusmodi. Quia hæc nimirum & per officium corporis, & per tempora opportuna fieri necesse est. Ipsa autem charitas, cujus instinctu hæc foris aguntur, quia interiori homini præsidet, semper ibidem haberi potest.*

105 Et quid aliud quàm continuam (actu vel virtute) Dei propter se dilectionem præcipit Apostolus Paulus, dum 1. Cor. 10. præcipit, dicens: *Omnia in gloriam Dei facite?* Et c. 16. *Omnia vestra in charitate fiant.* Coloss. 3. *Omne quodcumque facitis, in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi.* Quibus locis præceptum importari lib. 8. monstrabimus.

CAPUT XIII.

Christus Matth. 6. idipsum confirmat, cùm dicit: Quærite primùm regnum Dei.

106 ISti namque verbis significavit, regnum Dei (quod, ut Augustinus ait, *amore quæritur, amore inventur, amore possidetur.*) esse debere finem omnis amoris nostri. Quod esse non potest, nisi divinus amor, actu vel virtute, sit in nobis continuus.

107 Enim-verò regnum Dei primum quærere, est ipsum quærere in capite omnium aliorum affectuum, desideriorumque, ita ut amor regni Dei sit principium, regula ac mensura omnium aliorum desideriorum, ad regulamque ac directionem ipsius intendatur & quæratur quodcumque aliud intenditur & quæritur. Iste enim est sensus, quo Evangelicum textum illum Augustinus exponit l. 2. de serm. Dom. in mont. c. 17. Nam sic exponit: *Quærite primùm regnum Dei, id est, hoc præponite cæteris rebus, ut propter hoc cætera quærantur.* Quasi dicat Salvator: *Nè duos fines constituatis, ut & regnum Dei propter se appetatis, & ista necessaria; sed hæc potiùs propter illud.... Quia duobus Dominis servire non potestis. Duobus autem Dominis servire conatur, qui & regnum Dei pro magno bono appetit, & hæc temporalia. Non poterit autem & simplicem habere oculum, & uni Domino Deo servire, nisi quæcumque sunt cætera, si sunt necessaria, propter hoc unum assumat, id est, propter regnum Dei.* Hactenùs Augustinus, qui deinde recapitulans quod dixit, subjungit: *Ad hanc ergo regulam hoc totum præceptum redigitur, ut etiam in istorum provisione regnum Dei cogitemus*, id est, intuitu, seu amore regni Dei ista provideamus. Ut igitur regnum Dei sit primum respectu cæterorum, cætera non propter se, sed propter ipsum amanda sunt, & quærenda. Dumque Salvator dixit, regnum Dei primùm esse quærendum, satis innuit, cætera posteriùs esse quærenda, id est, propter primum. Rursum dum regnum Dei voluit primum quæri, voluit primum istud mensuram esse cæterorum. Siquidem *primum in unoquoque genere, mensura est cæterorum.* Ex quo rursum consequitur, primum illud quærendum ut finem cæterorum, ita ut cætera in ordine ad ipsum, & propter ipsum, tamquam finem, quærenda sint. Vide dicta lib. 5. n. 49.

108 Itaque primum quærere regnum Dei, est illud ante omnia quærere, & cætera in ordine ad ipsum, ità ut *omnium aliarum rerum desiderum ex divini regni desiderio fluat*, (ait Illustrissimus D. Castorensis l. 1. Amoris pœnit. c. 2. n. 2.) *Fit hoc, quando homo nec vitam suam, nec vitæ subsidia, victum & amictum, nec hominum amicitias, nec dignitates desiderat, nisi quatenùs illarum rerum desideria ex Dei profluunt amore. Ille autem amor non parit aliarum rerum desideria, nisi quatenùs suæ con-*

servationi, incremento & perfectioni vel necessaria, vel utilia sunt. Si advertat usu & possessione aliarum rerum se tepescere, & implicari, ab illis protinùs resilit, atque ab illis se continet, ut seipsum Deo acquirendo ac promerendo integrum castumque servet. Et hoc est quod S. Ignatius, Societatis Jesu Fundator, præclarè docet in aureo Exercitiorum libro, uti vidimus lib. 5. citato n. 67.

CAPUT XIV.

Alii sacri textus eundem in sensum proferuntur.

109 PRofertur imprimis oraculum Salvatoris Luc. 18. *Quid me dicitis bonum? nemo bonus, nisi solus Deus.* Laudari non voluit Salvator de bonitate, ab eo qui ipsum existimabat hominem purum, ideòque laudem istam ad Deum non referebat. Propterea dixit: *nemo* propter se bonus, nemo proinde propter se laudandus, nisi solus Deus. Quod utique dixit: quia cætera bona, vel non sunt nisi apparentia; vel non sunt bona propter se, sed propter Deum, à quo & propter quem aliquid participant de bonitate ipsius. Proinde non sunt nisi media, quibus deducimur ad Deum verum bonum. Quam ob causam nec propter se amabilia sunt, nec laudabilia, sed propter Deum, qui solus est per se & propter se bonus, solus proinde per se & propter se amabilis.

110 Cui sacro textui, si jungas complura alia Eloquia sacra, libro sequenti proferenda, quibus creaturatum propter se amor inhibetur, ex iis omnibus simul sumptis, manifestè conficitur, solum Deum esse posse finem omnis deliberati amoris, & actûs nostri; Deumque proinde omni tempore, & opere deliberato, à nobis diligendum esse. Quandocumque enim deliberatè agimus, ex amore aliquo agimus, ut constat ex dictis lib. 5. ante caput 1. ergo finaliter vel ex amore Dei, vel creaturæ. Non enim datur medium, ut constat ex dictis lib. 4. cap.... Cùm igitur secundùm Eloquia sacra numquam licitum sit amare creaturam finaliter propter se, quandocumque deliberatè agimus, agere nos oportet finaliter propter Deum, sive ex amore Dei propter se. Igitur à primo ad ultimum, omni tempore quo deliberatè agimus, oportet nos amare Deum finaliter propter se. Qui proinde amor in nobis esse debet continuus actu vel virtute.

111 Actu, inquam, vel virtute. Neque enim volumus, hominem teneri ad perpetuò eliciendos è sinu cordis istos vel similes actus, *Amo te Deus, ad gloriam tuam refero actiones meas*, &c. vel ad perpetuò cogitandum actu de Deo: hoc enim (attentis tam multis vitæ nostræ distractionibus) impossibile est, nec certè necesse est ad verificandum Eloquia sacra, divini amoris perpetuitatem exigentia: cùm affectiones divini amoris instar fulguris non transeant & evanescant jugiter renovandæ; sed in anima radicatæ & impressæ, eam reddant amore ferventem, etiam dum de amore non cogitat. Patet in affectione fidei, de qua Apostolus: *Justus ex fide vivit*, licèt justus de fide non semper cogitet; illa verò fides, ex qua justus vivit, haud dubiè est *fides quæ per dilectionem operatur*, ut alibi dicit. Ista proinde fides, per dilectionem operans, justi vitam dirigit, etiam dum de illa non cogitat. Imò, si Augustino credimus serm. 7. de calend. Jan. *Nemo vivit in quacumque vita, sine tribus istis animæ affectionibus, credendi, sperandi, amandi*, etiamsi de credendo, sperando, amando non semper cogitet. De fide etiam christiana & catholica idem Augustinus 7. confess. 5. dicit: *Stabiliter hærebat in corde meo... non eam relinquebat animus; imò in dies magis magisque imbibebatur.* Certum tamen est, quòd de ea jugiter non cogitabat. Sic etiam avarus haud dubiè pecunias amat, ambitiosus honores, voluptuosus voluptates, quando de iis non cogitat.

CAPUT XV.

Divini amoris ignem in altari cordis nostri jugiter (actu vel virtute) ardere debere, Augustinus & Aquinas tradunt, ipsisque reliquorum Sanctorum communis traditio concinit.

DIvum Augustinum hac de re audivimus n. 112
56. dicentem, quòd cùm Deus præcepit, dicens: " Diliges Dominum Deum tuum " *ex toto corde, tota anima, tota mente, nullam vitæ nostræ partem reliquit, quæ vacare debeat.* Qui etiam tr. 8. in epist. Joan. n. 3. sic ait: *Opera modò illa sint in vobis, modò illa, pro tempore, pro horis, pro diebus. Numquid semper loqui? numquid semper tacere? numquid semper corpus reficere? numquid semper jejunare?... modò illud, modò illud. Inchoantur illa, & cessant: ille autem imperatur, nec inchoatur, nec cessare debet. Charitas intùs non intermittatur, officia charitatis pro tempore exhibeantur.* Numero verò 1. dixerat: *Affectus charitatis, sanctitas pietatis... semper hæc tenenda sunt: sive cùm in publico sumus, sive cùm in domo, sive cùm inter homines, sive cùm in cubiculo, sive loquentes, sive tacentes, sive aliquid agentes, sive vacantes, semper hæc tenenda sunt.*

Aquinas 2. 2. q. 83. a. 14. expressissimè aper- 113
tissimèque dicit: *Desiderium charitatis in nobis debet esse continuum, vel actu vel virtute.*

Non minùs expressa sunt verba Gregorii 114
Magni suprà n. 99. dicentis: *Altare Dei est cor nostrum, in quo jubetur ignis semper ardere: quia necesse est ex illo charitatis flammam ad Deum indesinenter ascendere.*

Author etiam Soliloquiorum (inter opera 115
Augustini) expressissimè Deo dicit: *Sicut nulla hora est, vel punctum in omni vita mea, quo tuo beneficio non utar; sic nullum debet esse momentum, quo te.... non diligam ex omni fortitudine mea.*

116 Cùmque Origenes, Basilius, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Cælestinus Papa, Theodoretus, Leo Magnus, Prosper, Fulgentius, Victor Antiochenus, Maximus, Beda, Rabanus, Eucherius, Aponius, Anselmus, Bernardus, Franciscus Assisias, Laurentius Justinianus, Thomas Aquinas, Thomas Villanovanus, S. Ignatius de Loyola, S. Teresia, S. Maria Magdalena de Pazzis, & alii Sancti passim doceant, omnes actus nostros deliberatos ex Dei dilectione faciendos esse (uti demonstrabitur lib. seq.) ex communi Sanctorum traditione constat veritas assertionis nostræ.

CAPUT XVI.

Primo maximoque mandato duplex involvitur præceptum, affirmativum unum, negativum alterum; illud expresè, istud implicitè.

117 EO namque Dei dilectio expresè præcipitur, cùm dicitur: *Diliges Dominum Deum tuum.* Eodem quoque cordis divisio implicitè prohibetur, cùm additur, *ex toto corde tuo, &c.* Dum enim totum cor Deus expresè vult sibi, prohibet illud alteri dari, etiam ex parte, sive per mansorios creaturarum amorculos, aliquid extra Deum non propter Deum diligendo, v. g. divitias, honores, sensuum voluptates, &c.; sive per amorem habentem alium finem ultimum agentis, quàm Deum.

CAPUT XVII.

Eodem consequenter mandato duplex involvitur præceptum, unum sub mortali, alterum sub veniali.

118 SUb veniali quippe eo mandato præcipitur, omnes deliberatos actus saltem virtualiter referre in Deum, hoc ipso quo per mansorios creaturarum amorculos prohibetur dividere cor nostrum, & aliquid extra Deum amare, non propter Deum, ut constat ex hactenùs dictis, atque ex professo probabitur l. 8.

119 Sub mortali verò & aliquid præcipitur, & aliquid prohibetur. Præcipitur amare Deum tamquam finem ultimum hominis; prohibetur aliquid extra Deum amare tamquam finem ultimum hominis.

120 Porrò illud propriè amatur tamquam finis ultimus hominis, quod principaliter possidet cor hominis, & in cujus amore homo præcipuum studium suum & cogitationem ponit. Per consequens propriè amatur tamquam finis ultimus hominis, quod amatur amore prædominante, seu *præcipuum in corde locum obtinente* (ut loquitur S. Franciscus Salesius) ita ut *amor* ipsius *præ reliquis nostris amoribus altiùs cordi impressus*, iis *regnantis in morem dominetur*, eosque fortitudine & fervore vincat.

121 Ex quo patet, impropriam esse locutionem, cùm dicitur, per quodcumque mortale constitui finem ultimum hominis in creatura. Neque enim propriè finem ultimum hominis constituit in divitiis v. g. quisquis eas amat amore mortaliter malo: quia eo ipso divitias non amat amore prædominante, & super omnia, modo dicto: cùm amore mortaliter malo possit & amare divitias, & simul honores, & sensuum voluptates, &c. Quisquis verò sic divitias amat, eas super omnia non amat, v. g. super voluptates, vel honores. Eas proinde non amat amore prædominante. In iis ergo finem suum ultimum propriè non constituit.

122 Unde D. Thomas 1. 2. q. 88. a. 2. & 4. dum distinguit modos, quibus veniale ex genere suo fieri potest mortale, dicitque veniale fieri mortale, vel quia in eo constituitur finis ultimus, vel quia ordinatur ad mortale, sive ad finem mortaliter malum, adeòque mortaliter amatum: duo ista apertè distinguit, finem aliquem mortaliter amare, & in eo finem ultimum hominis constituere, prout & Theologi communiter cum ipso distinguunt.

123 Et si idem foret finem aliquem mortaliter amare, & in eo finem ultimum hominis constituere, in Deo finis ultimus constitui non posset absque mortali peccato. Quod absit.

124 Finem itaque ultimum hominis in aliquo constituere, propriè est ipsum amare ex toto corde; est ipsum amare super omnia; est ipsum amare fortiori quàm cætera amore; sive amore supra alios amores omnes prædominante: atque hoc modo, ex vi primi maximique mandati, sub mortali Deum amare tenemur; sub mortali etiam prohibemur finem ultimum hominis in ulla re extra Deum vel momento constituere, sive aliquid extra Deum amare plusquàm Deum, vel aliquid extra Deum amare amore supra Dei amorem prædominante, etiam momentaneo, & citò transeunte. Siquidem 1. Joan. 2. scriptum est: *Si quis* taliter *diligit mundum, non est charitas Patris in eo.* Matthæi quoque 10. Veritas dicit: *Qui amat patrem & matrem plusquàm me, non est me dignus.* Et Luc. 14. *Si quis venit ad me, & non odit patrem & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Si quis proinde animam, seu vitam suam vel momento plus amaret quàm Christum, timoreque mortis ipsum vel momento negaret, ut Petrus, tametsi, cessante timore, ad se reversus, statim id fleret amarè, momento illo haud dubiè mortaliter peccaret; uti haud dubiè mortaliter peccavit Petrus. Verùm hac de re plura ubi de peccatis.

125 Accipe tamen hîc brevem hujus rationem: quia nempe quisquis finem ultimum hominis vel momento, in aliqua constituit creatura, ipsam plusquàm Deum amando, eo momento summum bonum suum, bonum infinitum, bonum infinitè amabile, bono postponit vilissimo, principemque in amore locum, Deo

(cui tot titulis strictissimè debetur) furatur ut in creaturam transferat. Quod profectò Deo valdè est injuriosum.

126 Plura de amore prædominante (dante Deo) ubi de charitate. Solùm hîc addere lubet, ex eo quod n. 118. dixi, primo mandato esse vetitum, aliquid extra Deum amare non propter Deum, sive amore objectum amatum non referente in Deum, non esse consequens, omnem actum virtutis, non relatum in Deum, in se, sive ex officio suo esse malum (prout aliqui consequens esse putant) eò quòd omissio circumstantiæ debitæ ad hoc ut opus sit usquequaque bonum, vitiet opus.

127 Negatur quippe sequela : quia opus ex sua specie, sive ex officio bonum, v. g. datio eleëmosynæ, in se non vitiatur ex defectu relationis in Deum ; utpote qui, licèt sit defectus circumstantiæ requisitæ ad bonitatem actûs in individuo, sive ad bonitatem complectentem omnia ad actum usquequaque bonum tam ex parte operis, quàm ex parte operantis ; non est tamen defectus circumstantiæ requisitæ ad bonitatem actûs ex parte operis, sive ad hoc ut actus sit ex parte operis, sive ex specie sua & officio bonus : cùm ut sic bonitatem, sive honestatem suam habeat ex objecto fineque proximo, non ex fine extrinseco ; nec eam accipiat ex circumstantiis requisitis ex parte operantis, sed ex parte operis dumtaxat.

128 Et ostenditur id ab omnibus admitti debere : Quia nemo est, qui negare queat, saltem actum aliquem, à charitatis actu distinctum, semel in vita in Deum esse referendum, ipsique, tot beneficiorum largitori, affectu benevolo esse offerendum (aliàs præceptum relationis operum, à tot sanctis Doctoribus toties inculcatum, funditùs everteretur) & ut hoc de facto præceptum non sit, saltem extra controversiam est, Deum Titio præcipere posse ut actum, sequenti instanti ponendum, sibi ex affectu benevolo offerat. Ponamus actum illum esse dationem eleëmosynæ. Quæro an actus ille, absque ipsius in Deum benevolè dilectum relatione, in se malus sit ? absit ut hoc quisquam admittat. Manifestum est ergo quòd defectus relationis actum ex specie sua, sive ex officio bonum in se non vitiet : quia non est defectus circumstantiæ requisitæ ad bonitatem istius actûs ex parte operis, sed solùm ex parte operantis.

129 Si dicas 1°. omissionem relationis ad debitum finem ultimum non minùs vitiare opus, quàm relationem ipsius ad finem malum. 2°. actus specificari ab intentione ; dum autem actus ex officio bonus non refertur in Deum, intentio est mala. 3°. actum, non relatum in Deum, haud esse usquequaque bonum ; per consequens simpliciter & absolutè non esse bonum. Quia bonum ex integra causa.

130 Ad 1. Respondeo esse disparitatem, quòd per relationem ad finem malum, actus ex se bonus, sive ipsius officium positivè applicetur ad finem malum, per eum proinde deturpetur, sicut manus aut vestis pici applicata. Per defectum verò relationis ad Deum, actus ex se bonus, sive ipsius officium positivè non applicatur ad finem malum, sed dumtaxat non applicatur ad debitum finem ultimum bonum. Qui defectus applicationis non afficit officium actûs : cùm solùm se teneat ex parte operantis, in creatura sistentis, velut in fine negativè ultimo.

131 Ad 2. Respondeo ad hoc ut intentio mala opus inficiat, necesse esse ut ipsum ad finem malum applicet, ut proximè dixi. Hoc autem non facit intentio, dationem eleëmosynæ v. g. non referens in Deum : tum quia non tam est intentio mala, quàm negatio debitæ intentionis bonæ : tum quia actum illum per modum medii non dirigit in malum finem, sed solùm non dirigit in bonum.

132 Ad 3. Respondeo actum ex se bonum esse usquequaque bonum bonitate specificâ, seu tenente se ex parte officii, & operis : cùm & objectum ipsius sit bonum, & finis proximus bonus ; tametsi non sit usquequaque bonus bonitate, complectente omnia ad honestatem requisita, tam ex parte operantis, quàm ex parte operis. Cùm ut sic sit complexum ex actu secundùm se bono, & dictæ relationis defectu ; ob quem complexum quidem istud est malum, sed opus in se bonum.

133 Recole quod dixi n. 128. & videbis hasce solutiones ab ipsismet objicientibus adhibendas in casu ibi memorato.

134 Posteaquam n. 124. & 125. ex Scriptura & ratione ostendimus, Deum ex vi primi maximique mandati, sub peccato mortali super omnia amandum, amore prædominante, supererat ut idipsum ex doctrina Sanctorum demonstraremus. Sed quia id tunc excidit, lubet hîc id demonstrare ex præclara doctrina sanctorum Augustini & Francisci Salesii. Augustinus ergo l. de moribus Eccles. c. 11. *Summum* (inquit) *bonum, quod etiam optimum dicitur, non modò diligendum esse nemo ambigit ; sed ita diligendum, ut nihil amplius* (imò nec æquè, ut dicit epist. 155. ad Macedonium) *diligere debeamus ; idque significatur & exprimitur, eo quod dictum est*, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. Atque ut ostenderet se loqui de amore prædominante : Sic (inquit) Paulus *Deum diligebat, cùm dicebat : Certus sum, quòd neque mors, neque vita .... neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei.* Unde tandem concludit : nihil nobis aliud esse optimum, ad quod adipiscendum, postpositis cæteris, festinare oporteat, quàm Deum. Ecce quomodò Deum super omnia (uti significat ly *postpositis cæteris*) primo mandato, dilectione prædominante, diligere præcipimur, secundùm Augustinum. Et ne dubium supereset id præcipi sub mortali, subjungit, quòd *mors ipsa sit* taliter *non diligere Deum.* Quòd (inquit) nihil est aliud, quàm ei quidquam in diligendo, atque sequendo,

præponere vel æquare. Siquidem epist. 155. ad Macedonium c. 4. dicit, quòd *Deus* est *quo nihil melius invenimus. Cui si diligendo aliquid vel præponimus, vel aquamus, nosipsos diligere nescimus.*

135 Salesii quoque verba ad idem sunt observatu dignissima; siquidem primum mandatum exponens, dicit, quòd *istud mandatum amorem inter mille amores electum præscribit; quemadmodùm eo amore dilectus, electus est inter mille, ut dilecta Sunamitis notavit in Cantico. Est amor quem omnes amores nostros vincere, & omnibus nostris affectibus, regnantis in morem dominari necesse est. Et hoc à nobis exigit Deus, ut sui amor præ reliquis nostris amoribus, altiùs cordi impressus, toti cordi præsit ac imperet, ut ardentiori affectu totam animam nostram obtineat, & majori amplitudine nostras omnes facultates ad opus adhibeat, ut sit sublimior, omnemque nostram mentem impleat, ut denique sit fortior & robustior, omnemque nostram fortitudinem & vigorem exerceat. Et quia per illum Deum in supremum nostræ mentis objectum eligimus, amor est summa dilectionis, & electio summi amoris. Quia nempe Dei bonitas omnem aliam bonitatem infinitis partibus antecellit, ipse diligendus est amore sublimi, præstanti, potenti, extra omnem comparationem posito. Suprema illa dilectio tantam Dei reverentiam & æstimationem animis nostris ingenerat, per eamque gratiam & amicitiam ipsius tanti facimus, ut illam rebus omnibus antepositam, quanto maximo amore prosequamur. Et hinc perspicuum, hominis sic Deum diligentis totam animam, totamque fortitudinem ipsi mancipatam penitùs esse & consecratam. Siquidem.... in præparatione animi totum terrarum orbem deserturus erit, ne excidat ab amore, quem se divinæ bonitati debere gloriatur. In summa est amor excellentiæ, vel excellentia amoris, qui omnibus mortalibus in genere & in specie, seu generaliter & particulariter unicuique mandatus est; & hoc à primo momento, quo incipiunt uti ratione, amor sufficiens cuilibet, & necessarius singulis ad salutem.* Hactenùs Salesius lib. 10. de amore c. 6.

CAPUT XVIII.

Designatur tempus, quo amoris Dei prædominantis actus sub mortali eliciendus est.

136 AMoris itaque Dei super omnia, & prædominantis, actum, juxta Salesium, elicere tenemur à primo momento usûs rationis, quo utique divina bonitas super omnia amabilis proponitur, vel quo per nos stat, quòd non proponatur. Quod & S. Thomas docet 1. 2. q. 89. a. 6. ad 3. Rationem enim homo accepit ut deliberet de fine suo ultimo, ad quem se debeat super omnia convertere, quamprimùm potest. Hoc est enim negotium negotiorum, cui per totam vitam debet præ cæteris se applicare. *Creatura* quippe *rationali alia beatitudo non potuit, nec potest esse, nec poterit* (inquit Fulgentius lib. 1. ad Monim. c. 17.) *nisi ut agnoscens à quo non solùm facta, sed etiam à quo rationalis facta est, majorem dilectionem exhibeat bono Creatori, quàm sibi. Neque enim ei inesse posset ullatenùs ratio, nisi ei posset Creatoris inesse dilectio. Quia nec est ulla, quæ vera sit, sapientia, vel intelligentia creaturæ rationalis, nisi dilectio Creatoris.* Ad hoc autem rationem accepit, ut verè sapiens & intelligens sit.

Rationem alteram insinuat D. Basilius in 137
Psal. 1. ubi explicans verba ista: *Beatus vir, qui in via peccatorum non stetit*, innuere videtur, hominem, accepto rationis usu, servire dominanti cupiditati, si ei dominatus non fuerit per victricem Dei dilectionem: *Adhuc in prima ætate existentes homines, neque in vitio sumus, neque in virtute.... Postquam verò ratio nostra fuerit completa, tunc fit quod scriptum est:* " Ubi venit mandatum, peccatum " revixit; ego verò moriebar. " *Exoriuntur enim ratiocinationes pravæ, quæ ex affectionibus carnis in nobis generantur. Reverà ubi venit mandatum, id est, cognitio bonorum, si non pejori cogitationi dominatus fueris*, ad Deum, velut finem ultimum, per dilectionem victricem te convertendo, uti recta ratio dictat; *sed rationem ab affectionibus in servitutem redigi concesseris, revixit quidem peccatum; moritur autem mens, per delictum mortua facta.* Hæc ratio coincidit cum ea quam deduximus n. 125. & 126. Quòd utique homo ratione utens, vel Deum amet amore prædominante, vel creaturam. Hanc autem si sic amet, eo ipso mortaliter peccat.

Denique quemadmodùm miles, statim at- 138
que militiam ingreditur, se in amicitiam & obsequium Principis addicit; sic homo, statim atque rationis usum ingreditur, ad supremum Dominum suum & Creatorem se & sua referre debet, cum sincero efficacique proposito secundùm leges ipsius vivendi, mortemque potiùs subeundi, quàm eas transgrediatur. *Cùmque* (ut S. Thomas ait q. 28. verit. a. 3. ad 4.) *quilibet teneatur peccatum vitare, & hoc fieri non possit, nisi præstito sibi debito fine: tenetur quilibet, cùm primò suæ mentis est compos, ad Deum se convertere, & in eo finem constituere.* Tandem homo multis titulis Deo debet primitias suæ libertatis & amoris. Et si Deus olim exegerit primitias frugum & animalium: multò magis exigit primitias cordis.

Si dicas, ad amorem prædominantem non 139
nisi lentè & per gradus ordinariè perveniri; tali proinde amore Deum, adepto rationis usu, statim amari non posse.

Respondeo ideò parentibus, patrinis, &c. non levi curâ saragendum, ut in puerorum animis, ante rationis usum, jaciantur semina & inchoationes amoris Dei prædominantis; utpote qui momento non adolescit, magis quàm prædominans amor sæculi, qui tamen

faciliùs se ingerit, ob naturæ corruptionem. Quemadmodùm enim prædominans amor sæculi prima exordia sua & semina ante rationis usum acquirit, sic & prædominans amor Dei. Nec ante rationis usum dumtaxat allaborandum, ut jaciantur semina prædominantis Dei amoris; sed & ut congruis illi ætati mortificationibus pro posse extirpentur semina & inchoationes amoris sæculi, mortificando potissimùm cupiditates illas, & passiones, quæ pro illa ætate prædominantur. Deplorandâ quippe experientiâ nimis exploratum est, ab illa ætate incipere corruptionem hominis, per amorem adhæsivum ad vanitates, vindictas, gulas, ambitiones, &c. *Vidi ego* (inquit Augustinus l. 1. confess. c. 7.) *& expertus sum zelantem parvulum; nondum loquebatur, & intuebatur amaro aspectu collactaneum suum.* A quarto & quinto anno nonnullorum libidinem incœpisse, testantur Scriptores graves, & sciunt qui confessionibus audiendis sedulò vacant.

140 Secundò, prædominantis amoris divini actum eodem mandato prohibemur notabili vitæ moralis tempore intermittere; imò præcipimur tam frequentes actus illius exercere, ut morali quodam modo Deum super omnia, amore prædominante semper amare censeamur, tametsi actus illius continuè elicere non teneamur. Quia, ut Augustinus suprà n. 134. dicit, sic non diligere mors est animæ. Cùm, eo ipso quo esse desinit in nobis prædominans amor Dei, esse incipiat in nobis amor prædominans creaturæ, ut probatum est suprà n. 125. &. 126. Peccat autem mortaliter, qui creaturam amat amore prædominante.

141 Neque hac in re quidquam asseritur, quod reipsà non doceant Theologi passim omnes: utpote qui fatentur Deum, morali quodam modo, semper à nobis habendum pro fine ultimo cordis nostri, ita ut quilibet homo, ratione utens, sub peccato mortali, debeat semper sic esse animo constitutus, ut morali quodam modo, de ipso semper affirmari queat, quòd Deum habeat pro fine suo ultimo. Fatentur enim Theologi, toties peccatum mortale committi, quoties finis ultimus hominis in creatura constituitur, in qua eo ipso constituitur, quo non constituitur in Deo. Hoc ipso verò quòd finis ultimus efficaciter constituitur in Deo, Deus amatur amore prædominante; quemadmodùm divitiæ, honores, voluptates eo ipso amore prædominante amantur ab avaro, ambitioso, libidinoso, quo finem suum ultimum in ipsis efficaciter constituit.

142 Si quis sufficere putet, quòd Deus amore prædominante semper ametur in habitu otioso, prorsus fallitur. Tum quia præcepta de actibus sunt; non de habitibus. Tum quia divini amoris prædominantis habitus esse non potest otiosus, in iis qui finem suum ultimum constituunt in Deo, magis quàm amoris divitiarum, honorum, voluptatum prædominantis habitus esse possit otiosus, in iis qui finem suum ultimum constituunt in divitiis, honoribus, voluptatibus. Tum denique, quia vita cordis amor est. Vita verò otiosa esse non potest. Unde Augustinus in Psal. 31. *Da mihi* 14
vacantem amorem, & nihil operantem. Et in Psal. 121. *Habet omnis amor vim suam, nec potest vacare amor in anima amantis.* Et Gregorius: *Numquam est amor Dei otiosus... si operari renuit, amor non est.* Homil. 30. in Evang. Et hinc Steyartius in Aphorismis p. 2. 143
disp. 30. n. 18. censet prædominantis amoris actum, nulla die fine peccato omitti posse. Enim-verò habitus, qui generatur ex actibus, per actus conservatur, & per non usum deficit, ut vel ipsa Philosophia docet. Idque potissimùm verum est de habitu virtutis, & maximè de habitu charitatis. Quid enim virtus, etiam secundùm Philosophum? *Est*, inquit, *dispositio perfecti ad optimum*, id est, 14
ad actionem, seu operationem, prout sanctus Thomas exponit. Igitur naturâ suâ non est iners & otiosa, sed actuosa. Virtus (ait S. Thomas 1. 2. q. 5. a. 4.) est *bona qualitas mentis, quâ rectè vivitur*, &c. Atqui rectè vivere est agere. *Virtus* (ait Gerson) *in genere, est bona inclinatio naturæ rationalis ad operationes naturæ suæ congruas laudabiliter exercendum.* Ex qua definitione rursum conficitur, inertiam & otiositatem esse contra naturam virtutis. Quod maximè verum est de virtute charitatis, quæ igni & flammæ comparatur, Cantic. 8. *Lampades ejus, lampades ignis, atque flammarum.* Flamma verò otiosa esse non potest. Quamdiù est extra centrum, inquieta est, semperque movetur versus illud. Idem de amore Idiota dixit: *Amoris requies inquietudo. Vide flammam, quasi volantem & stantem simul* (ait Bernardus Serm. 4. de verb. Isa.) *nec miraberis jam Seraphim stantes volare, stare volantes.* Semper urget charitas, secundùm illud Pauli: *Charitas Christi urget nos.* Nec certè Theologia Christiana permittit otiosos relinquere virtutum habitus. Si enim de verbis otiosis ratio reddenda est, numquid non de habitibus & talentis otiosis? *Quis ascendet in montem Domini?* (quærit Propheta Psal. 23.) *Qui non accepit in vano animam suam.* Animam suam in vano accipit, qui ipsam, virtutum habitibus instructam, inertem 14
& otiosam relinquit. Et quid dicit Dominus de servo inerti qui talentum suum otiosum relinquit? *Ligatis manibus & pedibus, projicite eum in tenebras exteriores.*

Et quomodò cum habitibus nostris otiari 144
permittimur, qui jubemur semper proficere, & in justitia crescere, secundùm illud Ephes. 4. *Veritatem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus.* Et 2. Petri 3. *Crescite in gratia & cognitione Domini* 14
nostri, &c. Spiritualis verò profectus ille, & incrementum, non fit sine frequentissimis actibus charitatis: cùm justitia christiana sit charitas:

ritas: *Charitas* quippe *inchoata*, *inchoata justitia est* (inquit Augustinus l. de nat. & grat. c. ult.) *charitas provecta*, *provecta justitia est*; *charitas magna*, *magna justitia est*; *charitas perfecta*, *perfecta justitia est*.

145 Tertiò, quamvis homo non teneatur ad continuum actum & exercitium amoris prædominantis (ut suprà dixi) sed ad non peccandum mortaliter sufficiat, si semper retineat amorem prædominantem habitualem, non otiosum, sed actuosum, frequenterque prorumpentem in actum, eo modo quo avarus, constituens finem ultimum in pecuniis, retinet earum amorem prædominantem, etiam dum dormit, etiam dum per horam nihil ex amore pecuniæ agit, vel (distractus) de aliis cogitat quàm de pecuniis: tamen mortali se crimine illaqueat, quandocumque prædominante amore creaturam amat, ut constat ex dictis n. 124. & 125.

146 Satagendum proinde, & sollicitè incumbendum, ut divinus amor semper in corde prædominetur. Quemadmodùm enim quandocumque in corpore non dominatur calor, dominatur frigus; etiam tunc dum caloris quidpiam in corpore restat, si equidem plus in eo sit frigoris. Sic quandocumque in corde hominis Dei amor non dominatur, dominatur amor creaturæ. Cor enim, quod ex amore vivit, vel ex charitate (generaliter dicta) vivit, vel ex cupiditate; sicut corpus vel calore afficitur, vel frigore. Eà proinde ratione, quâ infertur corpus affici frigore prædominante, quandocumque vel nullo vel minori afficitur calore: pariter infertur, cor vivere ex prædominante cupiditate, quandocumque vivit absque ulla, vel cum minore charitate. Imò infertur cor vivere ex cupiditate prædominante, hoc ipso quòd ex prædominante non vivit charitate. Tametsi enim calor & frigus idem corpus simul afficere queant in æquali gradu; similiter philosophari non possumus de charitate & cupiditate. Quia præcepto diligendi Deum ex toto corde non permittitur æqualitas ista, id est, æquè creaturam amare quàm Deum; imò præcipitur plus Deum amare quàm creaturam, hoc ipso quo præcipitur Deum amare super omnia. Et hoc Salvator significare voluit, cùm dixit: *Nemo potest duobus dominis servire.*

147 Quartò, quandocumque homo dominium amoris, seu principem in amore locum, alteri quàm Deo tribuit per mortale peccatum, ei quamprimùm restituere debet sub gravi obligatione. Utpotè sub qua tenetur pro illata Deo injuria, quamprimùm potest, satisfacere, ipsi per amorem restituendo cordis possessionem, quam peccando injustè sustulit, à Deoque in creaturam transtulit. Verùm hac de re plura, ubi de Pœnitentia.

148 Scio, quòd peccator, ab amore creaturæ prædominante, momento transire non soleat ad prædominantem Dei amorem. Et ideò addidi, *quamprimùm potest*, ad innuendum utique quòd quando ad prædominantem Dei amorem quamprimùm pertingere non potest, saltem eniti debeat, faciendo quod in se est, ut quantociùs pertingat.

Quintò, sicut vitam rationalem homo in- 149
choare non potest sine actu divini amoris prædominantis; ita nec finire. Actum proinde illius elicere tenetur homo in probabili vitæ periculo constitutus. Tum, ut gressu amoris eat obviàm sponso venienti. Tum, ut Domino moriatur, sicut Domino vixit, vel vivere debuit, secundùm illud Rom. 14. *Sive enim vivimus, Domino vivimus; sive morimur, Domino morimur; sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus.* Tum, quia tunc maximè se fini suo ultimo per amorem conjungere debet, & ad centrum suum tendere, quando fini illi maximè appropinquat. Tum denique, quia tunc maximè sibi consulere debet per pœnitentiam, sine qua nullus, etiam nullius sceleris sibi conscius, migrare debet è vita. *Pœnitentiam autem certam non facit, nisi odium peccati & amor Dei.* Sed & dictus amor tunc maximè necessarius est ad muniendum cor adversus graviores tentationes. Suam proinde salutem graviter negligere censetur, qui munimentum istud negligit. Periculum namque est ne à Deo separetur, in charitate non radicatus & fundatus.

Præter assignata tempora, plerique Theologi 150
non sine probabili fundamento assignant dies festos, quos aiunt non sanctificari prout oportet absque sincero Dei cultu, qui sine ipsius amore non est. *Quis est* enim *cultus ejus, nisi amor ejus?* inquit Augustinus l. 12. de Trin. c. 14. Sed & siqui conscientiam habeant mortalis peccati, tenentur affectum illius per contritionem deponere secundùm Scotum in 3. dist. 2. aliàs (inquit) peccant mortaliter contra præceptum sanctificandi festa. Quisquis enim voluntariè manet in affectu peccati; Deum non colit interiori affectu; ad quod tenetur, & non solùm ad exteriorem cultum. *Consistit* namque *interior cultus in hoc quòd anima conjungatur Deo per intellectum & affectum*, ait S. Thomas 1. 2. q. 101. a. 2. in corp. Et quâ (amabo) interiori devotione Missam audit, voluntariè manens in affectu mortalis peccati? Quâ fronte Deum audet Patrem appellare, filialem erga ipsum non habens affectum, sed hostilem? Quâ sinceritate ipsi dicit, *sanctificetur nomen tuum*, illud inhonorando per criminosum affectum? Quâ item fronte dicit, *adveniat regnum tuum*, eligens esse in regno diaboli? *Fiat voluntas tua*, voluntariè manens ei rebellis? *Dimitte nobis debita nostra*, seu peccata, dum adhuc affectu peccat? *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*, dum odio & vindictâ in proximum exæstuat? *Et ne nos inducas in tentationem*, dum cedere vult tentationi, amatque occasionem peccandi? An hoc est in spiritu orare, in spiritu & veritate Deum adorare? *Veri* autem *adoratores in spiritu & veritate oportet adorare.* Joan. 4.

151 Ex hoc principio Merbesius Summ. Christ. p. 1. q. 8. infert, pro certo mortaliter peccare, qui, peccati lethalis affectu plenus, Missæ interest sacrificio; orationemque ipsius execrabilem esse, nisi depositio illo affectu, ad Deum, quem precari vult, seriò reverti proposuerit. Scriptum est enim Proverb. 28. *Qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis.* Quod & præclaris Augustini, Gregorii Nysseni, & Hieronymi sententiis confirmat. Et si ex communi sententia (inquit) graviter peccat, qui inter orandum, notabili tempore, voluntariè distrahitur: An distractio, imò aversio cordis à Deo, per affectum ad mortale peccatum, inter ipsa sacrificii tempora (quibus interiori cordis affectu Deus orandus & adorandus est) gravi culpâ vacare potest?

CAPUT XIX.

Signa divini amoris in corde prædominantis.

152 TAle signum non est, ore dicere, vel intellectu cogitare, quòd Deum super omnia diligas; vel legere, cum aliqua devotione, precatiunculam in qua prædominantis amoris Dei actus exprimitur. Nihil enim certius quàm hæc omnia consistere cum prædominante amore libidinum, divitiarum, &c.

153 Primum itaque signum, est præcipua cura Deo placendi, declinando à malo, & faciendo bonum. Ut enim Augustinus præfat. in Psal. 31. *Numquid charitas permittit aliquid mali facere ei quem diligis?... ergone charitas permittit te non præstare quidquid potes ei quem diligis?.... dilectio vacare non potest, nisi & mali nihil operetur, & quidquid potest boni operetur. Quid enim facit dilectio?* declina à malo, & fac bonum. *En opus dilectionis.*

154 Amor proinde Dei prædominans facit servare mandata, secundùm illud Joan. 14. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit.* Facit etiam fugere omnia ad peccatum allicientia, scilicet mala consortia, illecebrosa contagia, libros, picturas, & statuas impudicas, &c. Nec solùm id facit prædominans amor Dei, sed & facit quòd homo nihil magis habeat cordi, quàm divinam amicitiam per mandatorum observantiam conservare.

155 Secundum signum, est constantia in observantia mandatorum, fugaque peccatorum mortalium. Neque enim ex momentaneo vel horario affectu in observantiam mandatorum, fugamque criminum, satis colligitur prædominans amor Dei: sed sicut amor iste tenax & constans esse solet; ita constanter manifestare se solet per antedictam observantiam fugamque. Non quòd amor Dei prædominans in hac vita sit immutabilis: sed sicut amor prædominans libidinum, pecuniarum, &c. tenax esse solet; non est tamen immutabilis; sed luxuria subinde mutatur in castitatem, avaritia in liberalitatem. Sic & de prædominante Dei amore philosophandum est. Neque enim arbor ideò non fuit radicata, quia vi ventorum vel aquarum posteà dejecta. Sed sicut arbor colligitur benè radicata non fuisse, dum citò & facilè dejecta fuit; sic & de amore Dei colligimus. Unde D. Ælredus in speculo charitatis l. 2. c. 18. *Non secundùm hos momentaneos affectus* (inquit) sensibiles utique... *Dei æstimandus est amor; sed potiùs secundùm continuam ipsius voluntatis qualitatem. Suam enim voluntatem Dei voluntati conjungere, ut quælibet voluntas divina præscribat, ut nulla sit alia causa, cur hoc aut illud velit voluntas humana, nisi quia hoc Deum velle cognoscit, hoc utique Deum amare est.... Sanè hæc voluntas secundùm duo quædam judicanda est, passionem scilicet & actionem; si videlicet ea quæ Deus intulerit, vel inferri permiserit, patienter sustineat, & ea quæ jusserit, ferventer adimpleat.... Ut ergo simplicioribus verbis utar, qui quantumcumque potest, insistit ut Deum habeat, mandatis videlicet illius obtemperando, & secundùm Apostolica & Evangelica præcepta sobriè & justè & piè vivendo, etsi nihil ejus dulcedinis gustet, Deum tamen diligere dicendus est, ipso attestante qui ait: Qui mandata mea custodierit, ille est qui diligit me.*

Tertium signum, est frequens & libens de 156
Deo cogitatio. Quia, ut Matth. 6. Veritas ait: *ubi thesaurus tuus, ibi cor tuum est.* Et uti Richardus à S. Victore in Benjamin minore c. 13. *ubi amor, ibi oculus. Libenter aspicimus, quem multùm diligimus. Vis scire* (ait D. Bonaventura Conc. 2. de S. Maria Magdal.) *si Deum perfectè diligas, vel aliud plus Deo ames; attende si de Deo plusquàm de aliis rebus cogitas: quia de illo plus cogitas, quod plus amas.... Ergo si plus cogitas de mundo, plus de lucro, plus de carnali amico, vel socio, quàm* 15
de Christo, non vertas in dubium, sed sit tibi certissimum argumentum, quòd amas istà plusquàm Christum. Nam ob hanc causam Dominus dicebat de divino amore: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. *Nota diligenter quòd non dicit ex parte cordis... sed* ex toto. *Nec tantùm dicit*, ex toto corde; *sed*, ex tota anima, & ex tota mente, *dans per hoc intelligere, quòd non debeamus aliud velle, aliud cogitare quàm Christum. Nam* (*sicut Bernardus dicit*) *diligere Deum toto corde, est diligere toto intellectu sine errore. Diligere Deum totâ animâ, est diligere totâ voluntate sine contradictione. Diligere verò totâ mente,* 15
est diligere totâ memoriâ sine oblivione. Hanc frequentem Dei memoriam Deus mandat apud Michæam c. 6. *Indicabo tibi.... quid Dominus requirat à te.... sollicitum ambulare cum Deo tuo.* Cum Deo quippe ambulandi sollicitudo, est cogitatio sollicita ne quid velimus vel faciamus contra Dei amorem.

Quartum signum, est studium magnum 157
quæ-

quærendi Deum, si illum nostris amiserimus peccatis. Quod enim quis multùm diligit, multùm quærit, si amiserit. Evangelica quippe mulier, quæ dragmam suam perdiderat, everrit domum, omnes angulos ejus scrutata est, omnia susquedeque vertit, ut perditum argentum, quod amabat, inveniret. Evangelicus quoque Pastor, ovem centesimam, quæ erraverat, non cessavit quærere, donec reperiret. *Videmus ad sensum* (ait Bonaventura loco citato) *quòd si quis non videat rem quam diligit, & nesciat ubi sit, non quiescit, non dormit, comedere ad tempus omittit, & sollicitè illam quærit. Unde sponsa præ amore & absentia sponsi languens, sic ait:* In lectulo meo per noctem quæsivi quem diligit anima mea. *Sed quia Christus non invenitur in lecto, nec in suavi loco, addit & dicit:* Surgam & circuibo civitatem; per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea. *Sed quia Dominus non invenitur inter cognatos & amicos, addit anima sancta, dicens:* Paululùm cùm pertransissem eos, *scilicet cognatos & notos*, inveni quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam.... *Sed quis hodie Christum quærit? quærunt luxuriosi & gulosi suavia: quærunt superbi sublimia: quærunt avari pecuniam, magis quàm Christum. Verè multi plus diligunt asinum suum, porcum suum, & equum, imò denarium unum, quàm Deum. Unde hoc probas? certè ex inquisitione sollicita: nam perdit homo bovem, & sollicitè eum quærit. Perdit equum, & non quiescit. Perdit ovem, & post eam vadit. Perdit asinum, & quærit: sed perdit homo peccando Christum, & quiescit, dormit, bibit, comedit, & non quærit. O quot sunt, qui diù dormiunt in peccatis, nec curant per pœnitentiam Christum Dominum invenire!*

156

158 Sed qui sunt (inquies) qui Deum amissum sollicitè quærunt? Respondeo: illi sunt, qui orationibus instant, orationi fletus, jejunium, eleëmosynam (si possint) aliaque pietatis & humilitatis opera jungunt, conceptâque adversus seipsos indignatione quòd levissimis de causis à summo se bono averterint, à se pœnas exigunt, ut Deum propitiatum tandem inveniant. Hæc est enim tristitia secundùm Deum, quæ ex Dei amore causata (ut S. Thomas ait) magnam in nobis *operatur sollicitudinem: sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed æmulationem, sed vindictam*, ut Apostolus ait 2. Cor. 7.

157

159 Ex adverso si quis aliquid aliud magis cordi habeat, & magis sollicitè quærat, quàm divinam amicitiam conservare, vel amissam recuperare; si de Deo vix cogitet, si à promissa emendatione facilè & citò resiliat, si post amissum Deum remissus sit in vindicta à seipso exigenda, negligens in producendis dignis pœnitentiæ fructibus ad Deum reconciliandum sibi, &c. signum est quòd non habeat amorem Dei prædominantem.

CAPUT XX.

Momentosa observatio, in confirmationem assertæ obligationis primi maximique mandati.

EX huc usque dictis facilè videt, quisquis 160
oculos habet, quàm immanè à veritate, à pietate, à sacris Litteris, à SS. Patribus, à recta ratione aberrent propositiones num. 49. enarratæ. Adversus eas proinde mirum quòd zelum suum non acuerint nonnulli, quorum solemnis professio est, *ad majorem Dei gloriam* collimare. Mirum (inquam) quòd eas ad Romanæ Inquisitionis Tribunal non detulerint, ne hæreticam quidem illam Professoris Mussipontani, quæ dicit, quòd finem suum ultimum *homo non tenetur amare, neque in principio, neque in decursu vitæ suæ moralis.* Neque enim zelus majoris gloriæ Dei, neque alia ratio justa verè ipsos movere potuit ad deferendam Tribunali illi piissimam sanctissimamque Augustini doctrinam de relatione operum, potiùs quàm impiissimam istam. Vix certè credidi oculis meis, cùm christianissimam doctrinam illam ab ipsis accusatam vidi. An non cum scandalo totius Orbis Christiani? Orbis ipse, vel Sanctissimus judicet. Certè non cum ædificatione charitatis, nec cum promotione divinæ gloriæ, vel pietatis. Vide infrà lib. 8. c. 17. Accusarunt & hanc: *Amor* 161
Dei amori creaturarum sub mortali semper prædominari debet: unde ex illo semper vivendum, quòd non fit per habitus merè otiosos. Accusarunt & alias ejusmodi, tamquam quæ *adigerent homines in desperationem.* Perinde est ac si primum maximumque mandatum, sub eodem prætextu, utique tamquam observatu impossibile, & homines adigens in desperationem, accusassent, & ad Romanæ Inquisitionis Tribunal detulissent. Anne ergo primum istud mandatum permittit ullo tempore vitæ moralis vivere sibi, non Deo? vel aliud quidpiam magis amare quàm Deum? vel finem ultimum constituere in aliquo extra Deum? Si aliquo hoc tempore liceat, difficile erit tempus illud determinare, atque ostendere, quòd non toto die, totâ hebdomadâ, toto mense, toto anno, toto quinquennio. Difficile proinde erit damnatis hisce propositionibus aditum præcludere: *Probabile est, ne singulis quidem rigorosè quinquenniis per se obligare præceptum charitatis erga Deum. An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantùm in vita elicere et? condemnare non audemus*, &c.

Difficultatem istam auget ipsamet confessio 162
adversariorum (ingenuè fatentium, sibi admodùm difficilem esse determinationem illam temporis) varietasque circa hoc, atque exorta inde exorbitantia opinionum. Quâ non parum confirmatur veritas accusatæ per ipsos propositionis. Siquidem præter damnatas illas propositiones, Sirmondus in lib. quem *virtutis defensionem* inscripsit: *Diligendi* (inquit)

præcepto hominès obligari affirmat S. Thomas statim ab usu rationis. Hui! tam citò? Scotus singulis Dominicis. Unde peticum? Alii cùm urget tentatio. Rectè, si non esset alia via fugiendi tentationem. Sotus post acceptum beneficium. Grati quidem animi istud indicium est. Quidam in mortis articulo. Nimis serum est. Ne quidem quoties recipiur hoc Sacramentum, eam obligationem urgere existimem. Sufficit enim attritio, cum confessione.... Aliquo tempore teneri censet Suarez. At quo? tuo judicio remittit; ipse nescit. At quod ille nescivit, quis sciat, nescio. Suarez, aliique plures aiunt præceptum illud sub mortali obligare aliquoties in vita, sed nesciunt ubi pedem figant; aiunt quidem diuturno tempore differri non posse. Sed quodnam sit tempus diuturnum, affirmativè determinare non audent, nisi quòd Escobar Th. mor. tr. 5. exam. 4. c. 1. cum Henriquez determinat principium & finem vitæ moralis, & *tempus vitæ intermedium, saltem singulis quinquenniis.* Suarez & alii solùm negativè determinant, aientes, obligare ad non differendum per multos annos. Id est, ut Coninck, Comptonus & Unanoa exemplificant, ad *tres vel quatuor annos.* Palao ad tres annos. Andreas Mendo in statera dissert. 1. q. 13. n. 141. dicit *semel in anno obligare.* Sed quo fundamento annuam determinat obligationem, potiùs quàm biennalem, vel triennalem? Quam rationem adferre potest pro annua obligatione, quæ ampliorem obligationem non probet, v. g. semel sexto, quinto, quarto, tertio, secundo, uno quolibet mense? unâ quâlibet hebdomadâ, uno quolibet die? Ratio certè, quâ Sanchez in Decal. l. 2. c. 35. n. 8. cum Soto improbat opinionem eorum, *quibus placet præceptum hoc tantùm obligare semel in vita,* quia scilicet *lex dilectionis Dei.... totius vitæ christianæ fundamentum est,* probat pro omni die, omnique tempore: quia omni die, omnique tempore, ducenda est vita christiana, quæ cùm duci nequeat absque fundamento vitæ christianæ; igitur toto vitæ christianæ tempore lex illa obligat. Rectiùs proinde Joannes Maldonatus in Summula q. 3. a. 1. (ut testatur Marcus Codognat ex Ord. Minimorum) docet, quòd *charitas illa, quæ diffusa est in cordibus nostris, plus exigit à nobis, nimirùm ut ita Deum super omnia diligamus, ut non semel & iterùm anteferamus rebus omnibus, sed & constanter & in omni vita illi adhæreamus.* Scio quòd Summulam illam Southwellus neget esse Maldonati. Sed Maldonati nomen præfert Summula à Codognato visa & relata. Quæ & in pluribus extat Bibliothecis. Nec credibile est Maldonato suppositam esse. Ut quid enim? An quia illa Maldonati sententia non placet Southwello? at placere debet, utpote in divinis Scripturis, Patribus, & ratione (ut suprà vidimus) fundatissima. Neque enim cor homini dedit Deus, ut semel in anno, sed ut semper Deum amet, Deoque Creatori & Redemptori suo semper vivat & moriatur.

CAPUT XXI.

Non omnis Dei propter se amor est charitas perfecta; nec amor Dei prædominans est super omnia.

163 SUmmoperè dolendum, quòd Delatores propositionum per Belgium disseminatarum, Sectatoresque opinionum capite præcedenti recensitarum, dum tam exorbitanter de primi mandati obligatione senserunt, cupiditatis amplificaverunt regnum; cùm eos oportuisset amplificare regnum charitatis. Assertio proinde nostra, quam inconsideratè detulerunt, ad majorem est Dei gloriam. Quia quantò magis regnum cupiditatis minuit, tantò magis regnum charitatis amplificat: *quantò enim regnum cupiditatis minuitur, tantò regnum charitatis augetur,* inquit Augustinus l. 3. de doctr. christ. c. 10. Sed quæ ipsis causa fuit aberrandi à veritate, Dei gloriam amplificante? Quæ ipsis causa regnum cupiditatis amplificandi, toto illo tempore, quo permittunt hominem vivere sibi, vacareque à Dei propter se amore? Quia falsò sibi persuaserunt, omnem Dei propter se amorem, perfectam esse charitatem; quæ cùm ne quidem necessaria sit peccatori, dum per Pœnitentiæ Sacramentum vult justificari, necessaria esse nequit omni tempore.

164 Ad istius proinde persuasionis falsitatem demonstrandam, cum Augustino tr. 5. in primam Joan. & Angelico Doctore 2. 2. q. 23. a. 9. distinguendi sunt varii gradus charitatis, seu amoris Dei propter se, ostendendumque non omnem Dei amorem, statim atque nascitur, esse perfectum. Quod profectò Augustinus nobiscum disertè asserit loco citato, dum ait quòd *charitas non mox ut nascitur jam prorsus perfecta est. Ut perficiatur, nascitur. Cùm fuerit nata, nutritur. Cùm fuerit nutrita, roboratur. Cùm fuerit roborata, perficitur. Dum ad perfectionem venerit, quid dicit? mihi vivere Christus est, & mori lucrum. Optabam dissolvi, & esse cum Christo.* Et tr. 6. *Charitas non in omnibus perfecta est, & desperare non debet, in quo perfecta non est, si jam nata, quæ perficiatur. Et utique, si nata est, nutrienda est, & quibusdam suis nutrimentis ad perfectionem deducenda.*

165 Sed & in lib. de nat. & grat. c. 70. charitatem distinguit in inchoatam, provectam, magnam, & perfectam: *Charitas inchoata, inchoata justitia est; charitas provecta, provecta justitia est; charitas magna, magna justitia est; charitas perfecta, perfecta justitia est.* Similiter S. Thomas, loco citato, charitatem dividit in incipientem, proficientem & perfectam. Et 2. 2. q. 19. a. 8. dicit, quòd timor initialis & filialis non differunt specie, sicut nec charitas imperfecta & perfecta; sed solùm secundùm statum: quia timor initialis

est incipientium, in quibus est inchoatio, non perfectio charitatis.

166 Nec solis illis testimoniis, sed & pluribus aliis argumentis veritas illa probatur. 1°. namque secundùm Scripturam *perfecta charitas foras mittit timorem.* Inchoata verò & pusilla charitas, seu Dei propter se amor, timorem non pellit; imò compatitur timorem amittendi temporalia, & indiget adminiculo timoris inferni. Igitur quælibet charitas, seu Dei propter se amor, non est perfecta charitas.

167 2°. Secundùm eandem Scripturam, justitia non statim atque incipit perfecta est; sed, *quasi lux splendens, procedit & crescit usque ad perfectum diem.* Proverb. 4. Idem ergo de charitate dicendum: justitia enim charitas est, uti ex Augustino audivimus n. 165.

168 3°. *Perfecta charitas nec cupiditatem habet sæculi* (id est, non compatitur eam) *nec timorem sæculi: id est, nec cupiditatem, ut acquirat res temporales; nec timorem, ne amittat res temporales.* Augustinus de Agone Christ. c. 33. Qui & in lib. 83. qq. q. 36. *Charitatis*, inquit, *venenum est spes adipiscendorum, aut retinendorum temporalium. Nutrimentum ejus, est imminutio cupiditatis. Perfectio, nulla cupiditas. Signum profectûs ejus, imminutio timoris. Signum perfectionis, nullus timor. Qui quis eam nutrire vult, instet minuendis cupiditatibus. Est autem cupiditas, amor adipiscendi, aut retinendi temporalia.* Ergo in justis, Deum quidem propter se amantibus, etiam amore prædominante, adhuc tamen retinentibus mansorium amorculum adipiscendi aut retinendi temporalia, eaque amittere timentibus, & dolentibus dum amittunt, nondum est charitas perfecta, secundùm Augustinum; sed imperfecta dumtaxat, licèt prædominans.

169 4°. Charitatem, seu Dei propter se amorem, Petrus habebat, quando Christo dicebat: *Animam meam pro te ponam.* Et, *etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Joan. 13. Perfectam tamen non habebat, sed *parvam & imperfectam*, ut Augustinus dicit lib. de grat. & lib. arb. c. 17. quia (inquit) *putabat se posse, quod se velle sentiebat.* Sed in tentatione apparuit imperfectio charitatis: dum enim mori timuit, vitam negavit.

170 5°. Nec Augustinus, ante plenam suam conversionem, charitatem habuit perfectam; imò ne amorem quidem Dei prædominantem. Tunc tamen Dei propter se amorem aliquem habuit, licèt sæculi amore infirmiorem, uti de se ipse testatur in confessionibus suis. Siquidem lib. 3. confess. c. 4. posteaquam narravit, quomodò Ciceronis Hortensium, Deo providente, legisset: *Liber*, inquit, *ille*, seu potiùs Deus per illum, *mutavit affectum meum, & ad te Domine mutavit preces meas, & vota & desideria mea fecit alia. Viluit mihi repentè omnis vana spes, & immortalitatem sapientiæ* (id est, sapientiam æternam, quæ Deus est) *concupiscebam æstu cordis incredibili, & surgere cœperam, ut ad te redirem.... Quomodò ardebam, Deus meus, quomodò ardebam revolare à terrenis ad te?* Fortiori tamen adhuc ligatus amore carnalis voluptatis, converti nondum potuit; sed, lapsus in Manichæorum hæresim, concubinam tenere, & eum ea peccare perrexit. Identidem tamen erumpebant flammulæ divini amoris, & *mirabar* (inquit l. 7. c. 17.) *quòd jam amabam te...: rapiebar ad te decore tuo.... sed mox diripiebar abs te pondere meo.... Et pondus istud consuetudo carnalis. Ad te* (inquit l. 8. c. 5.) *suspirabam ligatus, non ferro alieno, sed meâ ferreâ voluntate. Velle meum tenebat inimicus; & inde mihi catenam fecerat & constrinxerat me.... voluntas autem nova, quæ mihi esse cœperat, ut te gratis colerem Deus,* (*te gratis*, id est, te propter te, ut sæpè explicat Augustinus ipse) *nondum erat idonea ad superandam priorem, vetustate roboratam. Ita duæ voluntates meæ, una vetus, alia nova; illa carnalis, illa spiritualis, confligebant inter se, atque discordando dissipabant animam meam.... Ita sarcinâ sæculi, velut somno assolet, dulciter premebar, & cogitationes, quibus meditabar in te, similes erant conatibus expergisci volentium; qui tamen, superati soporis altitudine, remerguntur.... Certum habebam esse melius tuæ charitati me dedere, quàm meæ cupiditati cedere. Sed illud placebat & vincebat* (id est, intellectum convincebat) *hoc libebat & vinciebat.* Itaque licèt veritate convictus esset, quòd melius esset se totum Deo dare; ob infirmiorem tamen voluntatis affectum, non eligebat. *Non enim erat quod tibi responderem, dicenti: Surge qui dormis, &c. non erat omninò quod responderem, veritate convictus; nisi tantùm verba lenta & somnolenta: modò, ecce modò: sine paululùm. Sed modò & modò non habebat modum; &, sine paululùm, ibat in longum. Fruſtrà condelectabar legi tuæ, secundùm interiorem hominem, cùm lex alia in membris meis repugnaret legi mentis meæ, & captivum me duceret in legem peccati, quæ in membris meis erat. Lex enim peccati, est violentia consuetudinis, quâ trahitur & tenetur etiam invitus animus, eo merito quo in eam volens illabitur.* Cap. 7. ejusdem lib. 8. *Effluxerant fortè duodecim anni, ex quo ab undevigesimo anno ætatis meæ, lectio Ciceronis Hortensio, excitatus eram studio sapientiæ, & differebam, contemptâ felicitate terrenâ, ad eam investigandam vacare.* Cap. 8. *Fremebam spiritu, indignans turbulentissimâ indignatione, quòd non irem in placitum & pactum tecum, Deus meus, in quod eundum omnia ossa mea clamabant. Et.... non solùm ire, verùm etiam pervenire illuc, nihil erat aliud, quàm velle ire; sed velle fortiter & integrè; non semisauciam hac atque hac versare & jactare voluntatem, hac parte assurgentem cum alia parte cadente luctantem.* Cap. 9. *Unde hoc monstrum, & quare istud? imperat animus, ut velit animus... nec facit tamen.... imperat,*

inquam, ut velit, qui non imperaret, nisi vellet; & non fit quod imperat. Sed non ex toto vult: non ergo ex toto imperat.... Non utique plena voluntas imperat; ideò non est quod imperat. Nam si plena esset... jam esset quod imperat. Tamdiù lucta illa duravit, tamdiù non fuit plena conversio, quam Augustini animus sibi imperabat, donec cælesti voce admonitus, ut legeret codicem Apostoli, in eo legit hæc verba: *Non in comessationibus, & ebrietatibus; non in cubilibus, & impudicitiis*, &c. Quibus lectis, ex toto tandem conversus fuit. Igitur antè neque ex tota & integra voluntate, neque perfectè Deum amavit. Amavit tamen, licèt infirmâ, semiplenâ & semisauciâ voluntate, uti perspicuè significat illis verbis: *Veluit mihi repentè omnis vana spes, & immortalitatem sapientiæ concupiscebam æstu cordis incredibili. Surgere cœperam, ut ad te redirem. Ardebam revolare à terrenis ad te. Jam amabam te. Voluntas nova mihi esse cœperat, ut te gratis colerem Deus. Tuæ charitati me dedere placebat. Condelectabar legi tuæ, secundùm interiorem hominem. Fremebam spiritu, indignans.... quòd non irem in placitum & pactum tecum Deus*, &c. Cumque infirmo illo, semipleno & semisaucio Dei propter se amore, fortior amor sæculi adhuc in ipso erat, & prædominabatur, uti expressè confitetur. Nimis ergo manifestum est, quòd ille Dei propter se amor in ipso non erat perfecta charitas: cùm ne quidem esset amor Dei prædominans, & vincens sæculi amorem, sed ab amore sæculi adhuc vinceretur.

171 6°. Non omnis amor creaturarum propter se, est amor perfectus (ut constat in matre amante parvulum suum, ipsum tamen in fame comedente; in mercatore amante merces suas, eas tamen in naufragio abjiciente in mare, &c.) neque igitur omnis Dei propter se amor, est amor perfectus. Cur enim potiùs ille quàm iste? Datur profectò Dei propter se amor inefficax, semiplenus, semisaucius in illis qui ad Deum converti incipiunt; sicut datur creaturæ propter se amor inefficax in mercatore illo & matre. Certum est autem amorem inefficacem non esse perfectum.

172 7°. Non omnis fides, quâ aliquid credimus propter Dei testimonium, est fides perfecta (*fides* namque *perfecta vix invenitur in terra*, inquit Augustinus serm. 36. de verb. Dom. Aliàs, ut idem addit, *quis non montes transferret?*) ergo nec omnis charitas, quâ aliquid amamus ob Dei bonitatem, est charitas perfecta.

173 8°. Non omnis amor Dei propter se, est amor Dei super omnia. Ergo non omnis amor Dei propter se, est charitas perfecta. Neque enim perfecta est, nisi sit super omnia. Qualis tamen non est amor, quo peccator v. g. dat eleëmosynam propter Deum, ut apud Deum pro se egenus intercedat; vel quo incipit bonam voluntatem habere, ad conversionemque se disponere, concipiendo displicentiam de peccatis, quia Deo displicent, sed ea nondum apprehendendo & detestando tamquam mala malorum omnium maxima. Sed nec justus quidquid propter Deum facit, ex amore Dei super omnia facit; sed plerùmque propter Deum, ibi sistendo, id est, abstrahendo an super omnia, vel non super omnia. Quamvis enim Deus, ut Deus, sit motivum amabile super omnia, voluntas humana non movetur semper eo motivo, ut amabili super omnia, sive non semper eo movetur secundùm totam amabilitatem suam; sed subinde inadæquatè & imperfectè.

Et hinc nonum petitur argumentum: quia 174
licèt amare Deum propter Deum, vel propter infinitam bonitatem ipsius, sit amare Deum ex motivo charitatis perfectæ, non eo ipso est amor perfectus, charitasque perfecta, theologicè loquendo (id est ad sensum, quo Scriptura, Concilia & Patres loquuntur de charitate perfecta; ad quem sensum respicere debent Theologi; utpote quos quæstionem hanc resolvere oportet ex principiis theologicis; non ex philosophicis, seu ratione purè humanâ) neque enim ad charitatem theologicè perfectam sufficit amor Dei ex motivo perfecto; sed necesse est ut voluntas eo motivo moveatur modo perfecto, id est eo fervore, intensione, fortitudine, & voluntatis plenitudine, ut amor & charitas eas habeat vires, quas Scriptura, Concilia & Patres tribuunt amori perfecto, charitatique perfectæ. Cui imprimis Scriptura & Patres vim tribuunt non timendi corporis cruciatus, nec jacturam vitæ, nec omnium bonorum temporalium, sed ista patienter, imò delectabiliter patiendi pro amore dilecti. Quo sensu 1. Joan. 4. dicitur: *Timor non est in charitate; sed perfecta charitas foras mittit timorem.* Et hinc est quòd Augustinus suprà n. 168. dicat *quòd perfecta charitas nec habeat*, seu compatiatur *cupiditatem sæculi, nec timorem sæculi*; quòdque *charitatis perfectio* tunc sit, quando *nulla cupiditas, nullus timor.* Et S. Ambrosius epist. 44. ad Herontinum Episcopum: *Perfecta charitas non potest timere martyrium.* Et rursum Augustinus tract. 5. in Canon. Joan. circa finem: cùm *Dominus in Evangelio* dixit: *Majorem charitatem nemo habet, quàm ut animam suam ponat pro amicis suis: perfectionem charitatis ostendit.* Et ibidem ante medium: *Perfecta ista charitas est, ut paratus sis mori pro fratre.... sed numquid mox ut nascitur, jam prorsus perfecta est? ut perficiatur, nascitur.... cùm autem ad perfectionem venerit, quid dicit? mihi vivere Christus est & mori lucrum. Optabam dissolvi, & esse cum Christo.* Quod explicans tr. 9. *Sunt* (inquit) *homines*, qui *cum patientia moriuntur*, & isti nondum sunt perfecti. *Sunt autem quidam perfecti, qui cum patientia vivunt... Qui adhuc desiderat istam vitam, quando illi*

venerit dies mortis, patienter tolerat mortem; luctatur adversum se, ut sequatur voluntatem Dei.... ex desiderio vitæ præsentis fit lucta cum morte, & adhibet patientiam.... patienter moritur. Qui autem desiderat, sicut dicit Apostolus, dissolvi, & esse cum Christo, non patienter moritur, sed patienter vivit, & delectabiliter moritur.

175 Et hinc rursum 1. Joan. 4. *In hoc perfecta est dilectio ejus in nobis, ut fiduciam habeamus in die judicii.* Ad quæ verba Augustinus tr. 9. citato: *Aliter* (inquit) *non probatur perfecta charitas, nisi cùm cœperit ille dies desiderari; ille autem eum desiderat, qui fiduciam habet in illo. Ille autem fiduciam habet in illo, cujus conscientia non trepidat in charitate perfecta.* Nam, ut antè dixit: *quid est habere fiduciam in die judicii? non timere ne veniat dies judicii... Qui timet adhuc, nondum habet fiduciam in die judicii, nondum est in illo perfecta charitas.* Et infrà: *Quid ergo dicimus de illo qui timere cœpit diem judicii? si perfecta in illo esset charitas, non timeret: perfecta enim charitas faceret perfectam justitiam, & non haberet quare timeret; imò haberet quare desideraret, ut transeat iniquitas, & veniat regnum Dei.* Ergo timor non est in charitate. *Sed in qua charitate? non in inchoata* (id est, hoc Joannes non dicit de inchoata charitate) *in qua ergo? sed* perfecta, *inquit*, charitas foras mittit timorem. *Ergo incipiat timor: quia initium sapientiæ, timor Domini. Timor quasi locum præparat charitati. Cùm autem cœperit charitas habitare, pellitur timor, qui ei præparavit locum. Quantùm enim illa crescit, ille decrescit.... major charitas, minor timor; minor charitas, major timor.* Et ut suprà n. 168. dixit: *Signum perfectionis ejus, nullus timor.* Sed de his pluta to. 3. ubi de contritione perfecta, discrimineque illius ab imperfecta. Solùm hîc addo diversos charitatis gradus, ex quibus luce meridianâ clarius adhuc apparebit, non omnem Dei propter se amorem, perfectam esse charitatem.

CAPUT XXII.

Ex variis charitatis gradibus amplius ostenditur non omnem Dei propter se amorem esse charitatem perfectam.

176 ITaque quemadmodùm *fiunt quædam inchoationes fidei, conceptionibus similes*, ut Augustinus dicit: sic fiunt inchoationes quædam charitatis; idque Tridentinum agnoscit sess. 6. c. 6. dum ait de peccatore se ad justificationem disponente, quòd *Deum tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipit.* Agnoscit & Augustinus, non solùm in locis cap. præcedenti relatis, & mille aliis; sed & l. de grat. & lib. arb. c. 17. Qui ergo vult facere mandata Dei, & non potest, *habet quidem voluntatem bonam, sed adhuc parvam & invalidam*, quam paulò post vocat *parvam & imperfectam charitatem.* Quâ utique justitiam perfectè non diligit, sed est de numero eorum, de quibus l. 8. de Trin. c. 8. dicit, *diligere justitiam minùs quàm ut justi esse valeant.* Atqui, ut dicit l. 9. c. 8. *qui perfectè amat justitiam, jam justus est.* Ille ergo justitiam perfectè non diligit, sed inchoatè dumtaxat.

Atque hinc patet, distinguendos esse varios 177
charitatis gradus. Quorum primus est in infidelibus, qui tantis in tenebris degunt, & in tam profunda ignorantiæ nocte, ut vix de Deo distinctè cogitent. Quos tamen Deus in totum non derelinquit (saltem non omnes) sed immensâ bonitate suâ subinde, licèt rariùs, luculâ aliquâ divini luminis, scintillulâque cælestis ignis (velut primo fidei charitatisque crepusculo) ad momentum afflat, ad modum quo fulgetra & coruscationes altis interdùm noctibus ex improviso emicant, atque illicò extinguuntur. Hinc verò afflati, amorem Dei sub confusa saltem ratione lucis amabilis, seu æternæ veritatis, vel justitiæ, supra humanam mentem lucentis, derepentè concipientes, istius lucis, veritatis ac justitiæ (quæ reverà Deus est) pulchritudine delectati, in eam aliquando tenui saltem ac momentaneo amoris affectu moventur, ad eam concupiscendam sese erigendo, tametsi iste affectus, ad modum fulgetrorum illorum, citò evanescat. Quos profectò momentaneos divini luminis amorisque afflatus in universum negare non possunt, qui gratiam sufficientem adultis omnibus, etiam infidelibus, tam liberaliter tribuunt, ut nullo momento obligationis præceptorum eam ipsis deesse censeant. Si enim ita, quo fundamento omnem illius effectum, etiam momentaneum, ipsis denegant? Vide suprà Prolegom. 4. c. 22. §. 3.

Secundus gradus est in infidelibus illis, qui 178
Deum distinctè cognoscunt, nec ignorant ipsum aliqua religione colendum; sed hæsitant circa determinatam religionem, ex multis, quibus mundus discinditur. Quos contingit, divino aspirante Numine, per crebriores antelucanas illustrationes, divinique ignis flammulas (velut secunda fidei & charitatis crepuscula) eò usque crescere in amore incommutabilis veritatis, ut amore ipsius concipiant desiderium inveniendæ veræ religionis, in qua Deo servire valeant; aliqua etiam eum in finem adhibeant media, quæ ipsis videntur opportuna; sed necdum captivant intellectum in obsequium veræ fidei, nec omnia ipsius obstacula perrumpunt; tametsi Deus in ipsis operetur ut frequenter id velint, modò per velle indeliberatum, modò per deliberatum; imperfectum tamen, nec perrumpendis impedimentis omnibus adhuc idoneum. Quo in statu Augustinus se fuisse meminit l. 3. & 7. confessionum, ut vidimus n. 170. Meminit (inquam) sui erga Deum, veramque sapientiam & religionem affectûs; ob superbiam tamen, & carnalem concupiscentiam nondum sufficientis ad perrumpenda veræ si-

dei obstacula, donec crescente inveniendæ veritatis amore, per eum divinam opem impetravit ad pleniorem conversionem, ut ait lib. 2. de lib. arbitr. c. 2. *Nisi mihi amor inveniendi veri opem divinam impetrasset*, &c.

179 Tertius gradus, est in iis, in quibus eò usque crescit flammula divini amoris erga primam veritatem, ut omnia veræ fidei obstacula perrumpens, intellectum ipsorum captivet in obsequium illius, Deoque servire, atque gratis ipsum amare velint; imò multa Dei amore jam faciant, à multisque se cupiditatibus expediant, necdum tamen omnibus; eò quòd nonnullis adhuc cupiditatibus detenti (quas expleri malunt quàm extingui) Deum, tamquam omnis justitiæ fontem, nondum absolutè atque efficaciter diligant, sed secundùm quid, & inefficaciter, semiplenâque & semisauciâ, non plenâ, forti & integrâ voluntate. Quo etiam in statu Augustinus se fuisse meminit lib. 7. confess. c. 17. & 21. Et lib. 8. à cap. 1. ad 12.

180 Quartus proinde gradus, est in iis, qui Deum, tamquam omnis justitiæ fontem, absolutè & simpliciter diligere incipiunt, omnemque voluntatem peccandi mortaliter excludunt, sed tali inchoatâ dilectione, quæ ad id se solâ non sufficeret absque adminiculo timoris gehennæ, per cujus amaritudinem fiat, ut peccatum non ita ut antè dulcescat, peccandique ardor & audacia refrigescat; quibus refrænatis atque compressis, exiguum quod supererit de voluntate peccandi, accedente initiali illâ voluntate, utpote jam prævalente, penitùs extinguitur.

181 Quintus gradus, est charitas, quæ se solâ, absque timoris adminiculo, sufficiens est ad excludendam omnem mortaliter peccandi voluntatem, estque affectivè super omnia, efficaxque quoad præsentes circumstantias; sed nondum est effectivè super omnia, respectivè ad circumstantiam, seu occasionem gravioris tentationis, in qua hîc & nunc vel consentiendum foret peccato, vel subeundum damnum vitæ, omniumve bonorum temporalium. Hujusmodi charitas fuit in Petro, cùm dixit: *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Ut enim dicit Author sermonis 127. de temp. inter sermones Augustini: *Dilectionis est quod dixit: fuit tamen in voluntate; sed non fuit in virtute.* Et ut ait Augustinus l. de nat. & grat. *Charitas.... parva & imperfecta* tunc ipsi *non deerat.... Putabat enim se posse, quod se velle sentiebat.* Magnam proinde charitatem illam non habuit, quâ Martyres Christum usque ad tormenta & mortem confessi sunt, ut ibidem dicit.

182 Sextus gradus, est charitas Dei super omnia, non solùm affectivè, sed & effectivè. Estque eorum, in quibus charitas tam magna est ac robusta, ut qui eam habet, non solùm habeat affectum vincendi omnia appetibilia & terribilia, quæ possent animam ipsius ab honestate justitiæ, Deique amore & gratia separare, sed & habeat vires ad hoc sufficientes. Talem habuit Paulus; cùm dixit: *Certus sum, quòd neque mors, neque vita, neque Angeli.... neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei.* Perinde est enim *ac si dixisset* (ait Chrysostomus) *Nec si à regno me discedere necesse sit, aut etiam in gehennam trahi pro Christo, nec hoc mihi metuendum est.* Talem & sancti Martyres habuerunt, & habent, quicumque charitatem perfectam habent, ita ut idonei sint mori pro fratribus suis, uti n. 174. vidimus. Sed talem nondum habuit S. Petrus, quando dixit: *Animam meam pro te ponam*; nondum enim habebat vires ad hoc sufficientes, prout Augustinus pluribus in locis ait. Talem etiam necdum habent, sed charitatem imperfectam dumtaxat, qui parati quidem sunt animam dare pro Christo, quando amor quidem vitæ non est princeps affectuum ipsorum; amor tamen Christi nondum prædominans est in corde ipsorum, sed amor facultatum, prout S. Cypriani tempore patuit in iis, qui ad dira tormenta non expaverunt, sed ad minas fisci, metumque paupertatis defecerunt. Quomodò etiam conjugata aliqua (ut S. Augustinus ait in l. de S. Virginit. c. 44.) esse potest *idonea martyrio*, non satis tamen *validè ad vincendas carnis illecebras.* Et contrà, virgo idonea esse potest ad eas superandas, non tamen *matura martyrio.* Occulta namque sunt Dei dona, quæ *nonnisi interrogatione tentationis, etiam semetipsum unicuique declarant.*

Septimus gradus eorum est, qui tam solidè in charitate radicati sunt, ut vires habeant suam Deo fidelitatem opere exhibendi, cum jactura vitæ, omniumque etiam facultatum, & voluptatum mundi, non solùm patienter, sed & delectabiliter tolerata. Qui profectò gradus pauciorum est quàm præcedens: quia requirit animum liberum ab amore affixivo, seu tenaci ad creaturas quascumque, etiam ad propriam vitam, & substantiam. Solis proinde illis convenit, qui omnia pro Christo, etiam vitam & facultates, dum necesse est, delectabiliter amittunt, cum Apostolo dicentes: *Mihi vivere Christus est, & mori lucrum. Cupio dissolvi, & esse cum Christo.* Cumque Christianis illis (apud Tertullianum Apol. c. 4.) *Nihil nostra refert in hoc mundo, nisi de eo celeriter discedere.* Vide suprà n. 174. 183

Octavus gradus est ille, qui excludit omnem ad creaturas propter se amorem, etiam volaticum; nec in hac vita datur, nisi per speciale privilegium immunitatis ab omni peccato, etiam veniali (quale beatissimæ Virgini concessum agnoscit Ecclesia) non sic tamen est in continua actualitate, actualitatisque perfectione, quin per somnum, aliave impedimenta valeat interrumpi. 184

Nonus gradus solis fortasse Beatis & Christo convenit; eorum quippe est, quorum chari- 185

charitas nedum purissima est ab omni creaturarum propter se amore, etiam volatico, sed & semper actualissima est, & sine ulla unquam interruptione perfectissimæ actualitatis suæ; nondum tamen adæquat infinitam amabilitatem Dei.

186 Decimus proinde, & ultimus, omniumque sublimissimus gradus est ille, qui adæquat infinitam Dei amabilitatem; utpote tantus, quanta est Dei amabilitas. Ast hic soli Deo convenit, nulli communicabilis creaturæ.

187 Ex enarratis porrò gradibus luce meridianâ clarius apparet, non omnem veri nominis charitatem, id est, Dei propter se dilectionem, esse perfectam; imò nec super omnia. Certum namque est, tres primos gradus tales non esse. Imò nec quartus & quintus tales videntur Augustino n. 168. & 174. relato. Qui & epist. 144. de ea loquens charitate, quâ quis ad justè vivendum non supplicii urgetur metu, sed delectatione ducitur, charitateque justitiæ, ait: *Et hæc quidem, quantum mihi videtur, nondum est perfecta, sed quodammodò adulta justitia....* Quia *justitia*, ut perfecta sit, *sic amanda est, ut ab ejus operibus etiam pœnæ corporis nos cohibere non debeant, atque inter manus, etiam crudelium inimicorum, luceant opera nostra coram hominibus, ut glorificent Patrem*, &c.

188 Sed & experientiâ constat esse in peccatoribus initia charitatis, quibus fortiora sint incrementa inveteratæ cupiditatis, talemque esse initialem charitatem, seu Dei propter se amorem, quo infideles incipiunt Deo benè affici. Complures etiam peccatores testantur, sese quosdam nonnunquam in se experiri dilectionis motus, quibus incipiunt tædio affici erga peccatum, & amore erga Deum, ad melioremque vitam aspirare, tametsi simul experiantur sese necdum perrumpere posse vincula dominantis adhuc cupiditatis, quâ ligati detinentur. Nec pii illi erga Deum affectus ideò desinunt esse veræ charitatis, quia necdum victricis, omnique mortali cupiditati prædominantis. Cùm, eo non obstante, ferantur in Deum propter Deum. Quod est veræ charitatis objectum. Quâ ratione victus Suarez l. 2. de grat. c. 15. agnoscit in peccatoribus, nondum justificatis, actum veræ charitatis, licèt non perfectæ, nec super omnia. Similiter Gobat Theol. experim. de Sacram. tr. 6. n. 93. fatetur, myriades hominum serium habere affectum amoris complacentiæ erga Deum, hærentes interim in luto peccatorum, absque efficaci proposito illinc eluctandi. *Nam* (inquit) *ille amor exprimitur hisce verbis: gaudeo Deum esse tam infinitè potentem quàm est. Lætor tam multos ad fidem catholicam converti. Utinam totus mundus crederet in Dominum Jesum Christum*, &c. At verò quot myriades hominum sunt, qui vel hisce, vel similibus verbis seriò Deum compellant, hærentes interim in luto peccatorum!

LIBER SEPTIMUS.

Amor ordinatus Creaturarum.

Minùs te amat (Deo dicebat Augustinus) *qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat.* Ne divinus ergo amor detrimentum patiatur vel præjudicium, jubet lex æterna avertere amorem à temporalibus, & eum mundatum convertere ad æterna, simul providens ne temporalium amore homo sordidetur, ab ordine recedens amoris, atque eo ipso à proprio suo bono. Ut enim rursum Augustinus lib. de musica & epist. 52. *Tantò nobis melius est, quantò magis in illum imus, quo nihil melius est. Imus autem non ambulando, sed amando: quia ad eum, qui ubique præsens est, & ubique totus, non pedibus ire licet, sed moribus; non gressu, sed affectu.* Tantumque nobis bonum provenit ex amore Dei, *ut* (eodem Augustino teste in Psal. 85.) *stans in terra, in cælo sis, si diligis Deum.* Et *amando Deum efficimur dii*, uti dicit Serm. 121. sicut è contrario *amando mundum, dicimur mundus.* Quia (ut ait tr. 2. in epist. Joan.) *talis est quisque, qualis ejus dilectio est. Terram diligis? terra eris. Deum diligis? quid dicam? Deus eris... Si ergo vultis esse dii, & filii Altissimi, nolite diligere mundum, neque ea quæ sunt in mundo. Amando* quippe *Deum, ascendis; amando sæculum, cadis.* In Psal. 126. *Quantò plus* Deum *amaveris, tantò plus ascendes.* In Psal. 183. *Econtrà: malè mihi est præter te, non solum extra me, sed & in meipso; & omnis mihi copia, quæ Deus meus non est, egestas est.* Lib. 13. confess. cap. 10.

CAPUT I.

Nullus amor creaturæ finaliter propter se, est absque inordinatione.

1 VEritatem hanc & divinorum Oraculorum, & Sanctorum authoritate, & multiplici ratione probatam habes lib. 5. c. 11. & lib. 6. cap. 5. & seqq. usque ad 16.

CAPUT II.

Nullam creaturam propter se finaliter ordinatè diligi, certissima Augustini sententia est.

2 DEmonstratur 1°. quia tr. 10. in epist. Joan. dicit nullam creaturam corporalem, vel spiritualem, habere rationem finis,

sed viæ seu medii ad finem. In nulla proinde creatura finaliter hærendum per amorem, sed per eam transeundum *usque quò perveniamus ad finem*, qui Deus est. Vide lib. 5. n. 66.

3 2°. Quia tr. 2. in eandem: *Non te prohibet Deus* (inquit) *amare ista* (cælum, terram, solem, lunam, &c.) *sed non diligere ad beatitudinem, sed approbare & laudare, ut inistis ames Creatorem.* Quia arrha sponsi sunt: ad hoc utique arrham dat sponsus, ut in arrha sua ipse ametur.

4 3°. Quia lib. 1. de doctr. christ. c. 22. dicit quòd primum mandatum *nullam vitæ nostræ partem reliquit, quæ vacare debeat* à præcepta dilectione Dei, *& quasi locum dare, ut aliâ re homo velit frui* (id est, eam propter se amare) *sed quidquid aliud diligendum venerit in animum*, ad Dei referatur dilectionem. Vide lib. 6. n. 56.

5 4°. Quia (ut dicit Serm. 34. de Scriptura) hoc ipso quòd Deus voluit totum cor nostrum sibi dari, seque ex toto corde diligi, *nihil dimisit in te, unde ames vel te.* Nihil proinde dimisit in te, unde ullam ames creaturam propter se, non propter ipsum. Sicque primo mandato, tametsi formaliter affirmativo, virtualiter continetur negativum istud: *Nihil extra Deum diliges non propter Deum.*

6 5°. Quia serm. 23. de vers. 24. Psalm. 72. c. 12. dicit: *Quidquid benè amas, charitate amas.* Lib. 4. contra Julianum c. 3. *Sine amore Creatoris nullis quisquam benè utitur creaturis.* Lib. 9. de Trin. c. 8. *Non quòd amanda non sit creatura; sed si ad Creatorem refertur ille amor, non jam cupiditas, sed charitas erit. Tunc enim est cupiditas, cùm propter se amatur creatura. Tunc autem non utentem adjuvat, sed corrumpit fruentem.*

7 6°. Secundùm Augustinum, nullâ creaturâ fruendum, sed utendum dumtaxat. Nulla igitur creatura propter se finaliter amanda, sed propter Deum dumtaxat. Ut enim ait lib. 1. de doctr. christ. c. 4. *Frui, est amore alicui rei inhærere propter seipsam. Uti autem, quod in usum venerit, ad id quod propter se amas obtinendum referre*, atque adeò propter aliud amare. Atqui illæ tantùm res sunt, quibus fruendum est, quas æternas atque incommutabiles commemoravimus, ut ait ibidem cap. 22. *Cæteris autem utendum ut ad illarum perfruitionem pervenire possimus* (scilicet Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, uti dixerat cap. 5.) Enim-verò *res illæ quibus fruendum est, beatos nos faciunt*, uti dicit cap. 3. Et cap. 31. *Dicimus eâ re nos perfrui, quam diligimus propter seipsam, & eâ nobis fruendum esse tantùm, quâ efficimur beati; cæteris verò utendum.*

8 7°. Unde secundùm Augustinum, nec seipsum homo, nec proximum ordinatè amare potest propter seipsum, sed propter Deum dumtaxat: *Magna quædam res est homo* (ait ibidem c. 22.) *factus ad imaginem & similitudinem Dei.... Itaque magna quæstio est, utrùm frui se homines debeant, an uti, an utrumque? Præceptum est enim nobis, ut diligamus invicem; sed quæritur utrùm propter se homo ab homine diligendus sit, an propter aliud? si enim propter se, fruimur eo: si propter aliud, utimur eo. Videtur autem mihi propter aliud diligendus. Quod enim propter se diligitur, in eo constituitur vita beata.... sed nec seipso quisquam frui debet, si liquidò advertas, quia nec seipsum debet propter seipsum diligere, sed propter illum, quo fruendum est.... si autem se propter se diligit, non se refert ad Deum, sed ad seipsum conversus, non ad incommutabile aliquod convertitur. Et propterea jam cum defectu aliquo se fruitur.... Si ergo teipsum propter teipsum non debes diligere, sed propter illum ubi dilectionis tuæ rectissimus finis est; non succenseat alius homo, si etiam ipsum propter Deum diligis. Hæc enim regula dilectionis divinitùs constituta est:* " Diliges ", *inquit*, " proxi- " mum tuum, sicut teipsum. Deum verò ex toto " corde, & ex tota anima, & ex tota mente, " *ut omnes cogitationes tuas, & omnem vitam, & omnem intellectum in illum conferas, à quo habes ea ipsa quæ confers. Cùm autem ait:* " toto cor- " de, totâ animâ, totâ mente " *nullam vitæ nostræ partem reliquit, quæ vacare debeat, & quasi locum dare, ut aliâ re velit frui; sed quidquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quo totus dilectionis impetus currit. Quisquis ergo rectè proximum diligit, hoc cum eo debet agere, ut etiam ipse toto corde, totâ animâ, totâ mente diligat Deum. Sic enim eum diligens tanquam seipsum, totam dilectionem sui & illius, refert in illam dilectionem Dei, quæ nullum à se rivulum duci extrà patitur, cujus derivatione minuatur.* Et serm. 34. suprà relato: *Vide si aliquid voluit dimittere in te, unde ames vel te, qui tibi dicit:* " Diliges " Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex " tota anima tua.... " *Quid remanet de corde tuo, unde diligas teipsum? quid de anima tua?... Ex toto, inquit. Totum exigit te, qui fecit te... Respondebis, & dices: si nihil mihi remansit, unde diligam me, quia ex toto corde.... jubeor diligere eum qui fecit me; quomodò secundo præcepto jubeor diligere proximum, tanquam me? Hoc est magis unde debes ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente proximo. Quomodò? diliges proximum tuum, tanquam teipsum. Deum ex toto me: proximum, sicut me. Unde me, unde te? vis audire, unde diligas te? ex hoc diligis te, quia Deum diligis ex toto te.... Prorsus non diligebas te, quando Deum non diligebas, qui fecit te.* Et serm. 225. *Nihil aliud in nobis quàm Deum debemus diligere, aut quia habemus, aut ut habeamus.* Et serm. 336. *Deum amemus propter Deum, & nos in ipso, tamen propter ipsum. Ille enim veraciter amat amicum, qui Deum amat in amico, aut quia est in illo, aut ut sit in illo. Hæc est vera dilectio. Propter aliud si nos diligimus, odimus potiùs quàm diligimus.* Et epist. 155. *dictum est:* " In his duobus præceptis tota lex pen- " det

det & Prophetæ, " *id est, in dilectione Dei ex toto corde, & proximi tanquam ſuipſius: videlicet ut intelligeretur nullam eſſe aliam dilectionem, quâ quiſque diligit ſeipſum, niſi quòd diligit Deum. Qui enim aliter ſe diligit, potiùs ſe odiſſe dicendus eſt.... Quia igitur nemo, niſi Deum diligendo, diligit ſeipſum.... debet & proximum diligere tanquam ſeipſum, ut quem potuerit hominem.... adducat ad colendum Deum.*

9 8°. Lib. 4. confeſſ. c. 12. ne animas quidem hominum in ſe, & propter ſe, amare permittit, ſed in Deo dumtaxat. *Si placent animæ, in Deo amentur, quia & ipſæ mutabiles ſunt, & in illo fixæ ſtabiliuntur; alioquin irent & perirent. In illo ergo amentur, & rape ad eum tecum quas potes, & dic eis: Hunc amemus, hunc amemus*, &c.

10 9°. Imò nec ſanctiſſimam Chriſti humanitatem, ſeu Chriſtum, ſecundùm naturam humanam, & ea quæ temporaliter propter nos geſſit, amore manſorio, ſeu propter ſe finaliter, amare permittit lib. 1. de doctr. chriſt. c. 34. *Ex quo intelligitur, quòd nulla res in via tenere nos debeat, quando nec ipſe Dominus, in quantum via noſtra eſſe dignatus eſt, tenere nos voluerit, ſed tranſire; ne rebus temporalibus, quamvis ab illo pro ſalute noſtra ſuſceptis & geſtis, hæreamus infirmiter, ſed per eas potiùs curramus alacriter, ut ad Deum provehi atque pervehi mereamur.* Et cap. 35. *Hoc ergo ut noſſemus.... facta eſt tota pro ſalute noſtra, per divinam providentiam, diſpenſatio temporalis, quâ debemus uti, non quaſi manſoriâ quâdam dilectione atque delectatione, ſed tranſitoriâ potiùs, tamquam viæ, tamquam vehiculorum, vel aliorum quorumlibet inſtrumentorum; aut, ſicut congruentiùs dici poteſt, ut ea quibus ferimur, propter illud ad quod ferimur, diligamus.*

11 Ad quod ſignificandum Chriſtus Joan. 16. Diſcipulos ſuos, adhuc imperfectos, monuit de neceſſitate ſubtrahendi ſuam ipſis humanitatem, abeundique ad Patrem; *Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos.* Quia videlicet humanitati illi, licèt ſanctiſſimæ, propter ſe finaliter inhærens amor Diſcipulorum, impedimento erat receptioni Spiritûs ſancti, uti Auguſtinus dicit tr. 94. in Joan. verba proximè relata ſic explicans: *Expedit vobis, ut hæc forma ſervi auferatur à vobis: caro quidem factum Verbum habito in vobis; ſed nolo me carnaliter adhuc diligatis... Quia ſi carni carnaliter hæſeritis, capaces Spiritûs non eritis.* Et infrà: *Non poteſtis capere Spiritum, quamdiù ſecundùm carnem perſiſtitis noſſe Chriſtum.*

12 10°. Nec ipſas etiam creatas virtutes propter ſe, ſeu propter creatam earum honeſtatem, in ea finaliter ſiſtendo, amari poſſe docet in locis cap. 4. proferendis. Sequiturque ex proximè dictis. Si enim nec ipſa quidem ſanctiſſima humanitas Chriſti eſſe poteſt finis etiam negativè ultimus amoris noſtri; idem (eadem ratione) de creatis virtutibus dicendum. Eadem (inquam) ratione: quia ſcilicet nec virtutes, nec humanitas Chriſti, ſeu Chriſtus ſecundùm humanam naturam, præcisè rationem habent finis noſtri, ſed mediorum, ſeu (ut Auguſtinus loquitur) *vehiculorum*, ſeu *viæ* ad finem. Ideòque amari debent ut media, ut via, ut vehicula, non ut finis. Tranſitoriâ proinde, non manſoriâ dilectione, ut Auguſtinus concludit.

Ex his facilè quiſque videt profunditatem, ſu- 13
blimitatemque Auguſtinianæ doctrinæ, quàmque meritò Auguſtinus *Doctorum Aquila* nuncupetur. Meritò namque dicitur *Aquila Doctorum*, cujus doctrina tam ſublimis eſt & excelſa, ut & ſe erigat, & corda noſtra erigi velit, non ſolùm ſuper terram, & ſuper omnem ambitum aëris & cæli, ſed & ſuper omnem exercitum Angelorum, omnemque conſtitutionem inviſibilium poteſtatum, donec perveniatur ad Deum. *Non prohibet* (inquit expoſitione 2. in epiſt. Joan.) *non prohibet te Deus amare iſta, ſed non diligere ad beatitudinem, ſed ad hoc probare & laudare, ut ames Creatorem.... ad hoc utique arrham dat ſponſus, ut in arrha ſua ipſe ametur.... Non ad fruendum hoc ametis, quod ad utendum habere debetis. Nam ſi eis, quibus utendum eſt, frui voluerimus, impeditur curſus noſter, & aliquantò etiam deflectitur*, ut ab iis rebus, quibus fruendum eſt, obtinendis, vel retardemur, vel etiam revocemur inferiorum amore præpediti. Lib. 1. de doctr. chriſt. c. 3.

CAPUT III.

Altiſſimam, ſanctiſſimam, diviniſſimam hanc Theologiam in primo maximoque mandato, aliſque Oraculis ſacris fundatiſſimam, communis reliquorum Sanctorum traditio corroborat.

QUia omnes amores noſtros in Deum 14
propter ſe dilectum finaliter referendos, communis Sanctorum traditio docet, uti videbimus libro ſequenti. Primumque & maximum mandatum, Baſilius, Theodoretus, Victor Antiochenus, Franciſcus Aſſiſias, Aquinas, Thomas Villanovanus, &c. cum Auguſtino ſic explicant, ut omnis deliberatus amor noſter vel Dei propter ſe, vel propter Deum finaliter eſſe debeat, uti vidimus lib. 6. c. 5.

Sanctus quoque Leo Papa, ſerm. 5. de 15
jejunio ſeptimi menſis, animi rationalis manſorium amorem, cum Auguſtino, Fulgentio, Gregorio & Authore Libri de ſubſtantia dilectionis (Prolegomeno 6. c. 10. relatis) adæquatè dividit in amorem Dei & creaturæ, ſive in amorem rerum æternarum & temporalium, aiens creaturis, ſeu temporalibus, tranſeunter utendum, tamquam viatico itineris; non verò illis per amorem inſiſtendum, veluti illecebrâ manſionis, nec eas proinde amandas amore manſorio, ſed tranſitorio: *Duo ſunt amores, ex quibus omnes prodeunt volun-*

tates.... Rationalis enim animus, qui sine dilectione esse non potest, aut Dei amator est, aut mundi, id est, creaturæ. *In dilectione Dei, nulla nimia. In dilectione mundi, cuncta sunt noxia. Et ideò æternis rebus inseparabiliter inhærendum, temporalibus verò transeunter utendum est, ut peregrinantibus nobis, & ad patriam redire properantibus, quidquid de prosperitatibus mundi hujus occurrerit, viaticum sit itineris, non illecebra mansionis.*

Hoc est quod aliis verbis l. 9. de Trin. c. 7. Augustinus insinuaverat, mansorium amorem adæquatè dividendo in charitatem & cupiditatem, charitatem sumendo pro quavis casta Dei propter se dilectione; cupiditatem, pro amore creaturæ non propter Deum: *Nemo volens aliquid facit, quod non in corde suo prius dixerit*, sive cujus verbum in corde suo non conceperit: *quod verbum amore concipitur, sive creaturæ, sive Creatoris. Ergo aut cupiditate, aut charitate.* Quasi dicat: nemo volens aliquid facit, quod non amore facit, vel creaturæ, vel Creatoris. Ergo nemo volens aliquid facit, quod non facit *aut cupiditate, aut charitate:* si enim facit amore mansorio creaturæ, facit cupiditate. Si facit amore mansorio Creatoris, facit charitate. Quam l. 3. de doctr. christ. c. 10. definit: *Motum animi ad fruendum Deo propter ipsum, & se atque proximo propter Deum.* Cùm igitur mansorium amorem medium inter charitatem & cupiditatem (taliter acceptas) Sanctorum Theologia non admittat, omnis amor creaturæ non propter Deum, secundùm eandem Theologiam, est cupiditas: cùm non sit charitas. Omnis verò cupiditas est amor inordinatus, id est, peccatum, vel non sine illo. Et ideò Author Libri de substantia dilectionis apud Augustinum to. 6. *Omne* (inquit) *quod præter charitatem agitur, non ordinata charitas est, sed inordinata cupiditas.* Vide suprà l. 4. cap. 5. & Prolegom. 6. cap. 10.

16 Denique laudatis Sanctis concinunt, Anselmus, Bernardus, Hugo Victorinus, Laurentius Justinianus, S. Thomas, &c. Siquidem Anselmus Monologii c. 66. *Nihil* (inquit) *est apertius, quàm rationalem creaturam ad hoc esse factam, ut summam essentiam amet super omnia, sicut ipsa est summum bonum: immò ut nihil amet, nisi illam, aut propter illam. Quia illa est bona per se, & nihil est aliud bonum, nisi per illam.*

17 S. Bernardus in Soliloq. Verissima summæ justitiæ regula nihil nos *amare permittit extra te, Deus.* Et infrà: *Deus solùm amari debet à Creatore Deo, & à creatura Dei.* Lib. de natura & dignitate amoris cap. 7. *Luce clarius constat, nihil debere amari, nisi propter Deum: non enim Deus dignatur amari cum aliqua re, quæ propter ipsum non amatur.* Serm. 5. in Cœna Dom. *Sic diligendus est proximus, ut in illo semper diligatur Deus. Si sic diligis proximum, complesti mandatum. Debet enim sic diligi proximus, ut amoris causa semper sit Deus.* Et Serm. 8. *Omnis creatura jure creationis ab illo est, & omnis creatura, in eo quòd creatura, bona est. Debet ergo ad hoc diligi creatura, ut in ipsa Creator ametur: non ipsa per se; at per eum qui illam creavit. Qui enim sic diligit aurum, argentum, possessionem, variam supellectilem, ita quòd hæc sunt sibi causa amoris, profectò non est in illo charitas Patris. Diligendus ergo Creator in cunctis creaturis est.*

Hugonis Victorini & S. Thomæ ad idem testimonia habes lib. 6. c. 5. n. 46. 18

S. Laurentius Justinianus fol. 193. *Pudeat hominem, creaturis inhærendo, non amare bonum unde bonæ sunt.* 19

CAPUT IV.

Nullam creaturam propter se finaliter ordinatè diligi, validissimis rationibus, Theologicis & Philosophicis, demonstratur.

TRes priores rationes produximus lib. 5. c. 11. Prima petitur ex eo quòd nulla creatura habeat esse, vel bonitatem, finaliter propter se. Nulla proinde habeat amabilitatem finaliter propter se. Solùm quippe amabilis est, in quantum bona est. 20

Secunda petitur ex eo quòd nulla creatura in ordine rerum habeat rationem finis, etiam negativè ultimi; nulla proinde rationem finis, etiam negativè ultimi, habere possit in ordine amoris.

Tertia ex eo quòd sicut nulla creatura habet esse à se, sed à Deo; sic nulla esse & amabilitatem habet propter se, sed propter Deum. Vide rationes istas fusiùs deductas ibidem.

Quarta ratio sumitur ex Augustino lib. 22. 21
contra Faustum c. 78. *Fit homo iniquus, cùm propter seipsas diligit res, propter aliud assumendas. Sic enim, quantùm in ipso est, perturbat in se ordinem naturalem, quem lex æterna conservari jubet.* Atqui omnis creatura ab homine assumenda est propter aliud, videlicet propter Deum, utpote *qui universa propter semetipsum operatus est.* Proverb. 16. estque creaturarum omnium *alpha & omega, principium & finis.* Ergo fit homo iniquus, cùm propter se diligit creaturam, quæcumque illa sit.

Quinta ratio est, quia fit homo iniquus, 22
quandocumque in volendo & amando subducit se à fine, ad quem volendum & amandum à primo movente Deo movetur ad volendum & amandum. Sed hoc facit quandocumque creaturam amat, non propter Deum, sed propter ipsam finaliter creaturam. Major perspicua est: quandocumque enim homo subducit se à fine, ad quem volendum & amandum à Deo primo movente movetur ad volendum & amandum, subducit se ab ordine primi sui moventis, primique principii. Quod ideò iniquum est & inordinatum, quia cùm homo nihil velle & amare queat

nisi per virtutem & motionem Dei (in quem, sicut in primum movens, primumque principium, omnes motus nostros operationesque reduci oportere probat S. Thomas 1. 2. q. 109. a. 2. ad 1. quodlib. 1. a. 7. lect. 1. in cap. 3. secundæ ad Corinthios, & lect. 3. in cap. 9. ad Rom. q. 6. de malo a. 7. lect. 3. contra Gent. c. 89.) in volendo & amando sequi debet ordinem primi sui moventis, primique principii; atque adeò velle & amare debet ob finem, ad quem volendum & amandum à primo suò movente primoque principio movetur (qui finis haud dubiè Deus est: cùm nulla motio operatioque Dei ad extra alium habeat finem ultimum, nisi Deum Deique gloriam, propter quam universa operatur Deus.) Ut enim angelicè discurrit idem S. Thomas 3. contra Gent. 10. *Cujuslibet activi principii* perfectio virtutis ex superiori agente dependet. *Agens* enim *secundum agit per virtutem primi agentis. Cùm igitur secundum agens manet sub ordine primi agentis, indeficienter agit. Deficit autem in agendo, si contingat ipsum ab ordine primi agentis deflecti: sicut patet in instrumento, cùm deficit à motu artis.* Et q. 3. de malo a. 2. *Necesse est omnes motus causarum secundarum causari à primo movente, sicut omnes motus inferiorum corporum causantur à motu cæli. Deus autem est primum movens omnium motuum, & spiritualium & corporalium; sicut corpus cæleste est principium omnium motuum inferiorum corporum .... Cùm igitur aliquid est in debita dispositione & aptitudine ad recipiendam motionem primi moventis, consequitur actio perfecta, secundùm intentionem primi moventis. Sed si non sit in debita dispositione & aptitudine ad recipiendam motionem primi moventis, sequitur actio imperfecta. Et tunc .... quod est ibi de defectu, non reducitur in primum movens, sicut in causam: quia talis defectus consequitur in actione, ex hoc quòd agens deficit ab ordine primi moventis .... Sic ergo dicendum, quòd, cùm Deus sit primum principium motionis omnium, quædam sic moventur ab ipso, quòd etiam ipsa seipsa moveant, sicut quæ habent liberum arbitrium. Quæ si fuerint in debita dispositione, & ordine debito ad recipiendam vel sequendam motionem, quâ moventur à Deo, sequentur bonæ actiones, quæ totaliter reducuntur in Deum sicut in causam. Si autem deficiant à debito ordine, sequitur actio inordinata, quæ est actio peccati.* Quæ profectò angelica doctrina concinit Augustinianæ dicenti, quòd *vitium in eo consistit, quòd naturæ ab eo à quo factæ sunt, aute discedunt.* Quo ex principio conficitur, vitiosam esse voluntatem, dum in affectibus actibusque suis in id finaliter non tendit, ad quod à Deo movetur & ordinatur. Tunc enim subducit se à veritate & sapientia æterna, subducendo se ab ordine divinæ motionis. *Ea verò quæ dicitur à veritate atque sapientia separatio, perversa voluntas est, quâ inferiora diligantur.* Lib. 2. de lib. arbitr. c. 14. Tamdiù ergo motus & affectus voluntatis nostræ rectus est & ordinatus, quamdiù tendit in Deum, sicut in finem: tunc enim sequitur motionem primi moventis, per quam à primo movente in Deum movetur. Ex hoc ipso verò quòd non tendit finaliter in Deum, sed in creaturam, subducit se ab ordine primi moventis sui; adeòque motus & affectus ipsius est inordinatus.

Hujus rationis vis breviter hoc modo pro- 23
poni potest: Homo nihil amare potest nisi per impressionem divini amoris: sicut ad nihil moveri potest nisi per impressionem divinæ motionis. Eundem igitur finem sibi proponere debet amando, quem Deus intendit, amorem illum nobis imprimendo. Si enim propter finem illum non amet, propter quem Deus amorem imprimit, subducit se à fine propter quem amandum, amorem Deus imprimit. Atque adeò subducit ab ordine divinæ motionis. Quod est inordinatum.

Sexta ratio: inordinatus est affectus om- 24
nis, qui de fine ultimo omnis appetitionis nostræ, facit non finem ultimum; & de non fine ultimo, facit finem ultimum. At hoc facit affectus omnis, quo homo creaturam propter se finaliter amat, non propter Deum. Facit enim quòd Deus, qui in amando esse debet finis ultimus omnis appetitionis nostræ, non sit finis ultimus istius amoris & appetitionis, quâ homo creaturam amat non propter Deum. Facit ergo de fine ultimo, non finem ultimum. Facit etiam de non fine ultimo, finem ultimum, dum per amorem finaliter sic hæret in creatura, ut ultrà non tendat. Cùm illud sit finis ultimus amoris nostri, in quo amor noster finaliter sic hæret, & requiescit, ut ultrà non tendat. Tuno proinde homo creaturam (quæ in ordine rerum non est finis ultimus) in ordine amoris facit finem ultimum amoris sui; dignitatemque finis ultimi Deo subtrahit, cui jure competit, ut conferat creaturæ, cui jure non competit. Quam profectò dignitatem homo eo ipso subtrahit Deo, quo aliquid vult & amat, non propter ipsum (*ideò quippe Deus finis est dictus, quia propter hunc cætera volumus.* Augusf. 10. Civit. 4.) eo quippe ipso dignitatem illam creaturæ confert, quo eam dignam ducit, in qua per amorem finaliter hæreat.

Septima ratio: homo factus est ad imagi- 25
nem & similitudinem Dei, in quantum ratione, seu intelligentiâ & voluntate præditus est sicut Deus. Sed rationalis imago Dei nihil amare debet, nihi prototypon & factorem suum, vel certè nihil nisi propter ipsum. Tum quia *si pictor imaginem pulchram depingeret in tabula, & illi visum dare posset, & sensum, ut seipsam, pulchritudinem suam, & pictorem suum agnosceret, & coram se positum videret... nihil aliud imago illa toto conatu ageret, quàm amare, laudare, colere &*

venerari pictorem suum, à quo habuit ut esset, & tam pulchra esset, ait S. Thomas de Villanova suprà lib. 6. n. 64. Tum quia imagini rationali ratio ad hoc data est, cum voluntate, ut sapienter diligat, & nihil nisi sapienter diligat. Atqui *nulla alia est quæ vera sit sapientia, vel intelligentia creaturæ rationalis, nisi dilectio Creatoris*, ait S. Fulgentius lib. 1. ad Monim. c. 18. Quia sine illa dilectione nullus promovetur ad beatitudinem, ad quam vult Deus ut quovis actu tendat, eamque indesinenter appetat. Propterea namque beatitudinis appetitum creaturæ rationali usque adeò voluit esse naturaliter insitum, ut nihil, nisi ex eo velle & amare possit, uti dixi lib. 3. n. 22. Contra Dei ergo moventis voluntatem, imò contra naturam suam agit, quandocumque eò per amorem non tendit.

26 Octava ratio: inordinatum est, quòd creatura rationalis ibi velit per amorem requiescere, ubi non potest quietem invenire. Hoc autem toties vult, quoties vult creaturam propter se finaliter amare. Hoc ipso namque quòd creaturam vult amare finaliter propter se, non propter Deum, vult amorem suum in creatura terminari. Vult ergo amorem suum in creatura quiescere. Siquidem affectus omnis in termino suo quiescit: cùm ultra terminum suum non tendat. Dum igitur affectus & amor in creatura terminatur, ultrà non tendens in Deum, in creatura quiescit. In nulla tamen creatura quietem invenire potest rationalis creatura. Ut enim Augustinus testatur, experientiaque docet: *inquietum est cor nostrum donec requiescat in te.*

27 Nona ratio: homo per amorem nulli ordinatè servit, nisi Deo, ut Augustinus contestatur lib. 6. de Musica c. 15. *Ipsa est animæ ordinatio, quâ nulli servit, nisi Deo.* Nihil ergo ordinatè propter se finaliter diligit, nisi Deum. Si quid enim aliud propter se finaliter diligat, illi servit. Quia amor quo quidpiam propter se finaliter amatur, amantem amati servum facit. Cùm ea sit natura amoris, quo quidpiam amatur tanquam finis, etiam negativè ultimus, uti ostendimus lib. 5. n. 50. Et idem Augustinus lib. de morib. Eccles. c. 3. dicat quòd *cùm volunt homines* res mortales *per dominationem tenere, ab his ipsis potiùs per cupiditatem*, id est, earum propter se finaliter amorem *tenentur, & rerum mortalium servi fiunt.*

28 Decima ratio: *omnis humana perversio est, quod etiam vitium nominatur, fruendis uti velle, atque utendis frui.* Augustinus lib. 83. qq. q. 30. *Nec est enim alia vita hominis vitiosa atque culpabilis* (inquit lib. 10. de Civitate c. 10.) *quàm malè utens & malè fruens*, utendo fruendis, & fruendo utendis. Atqui creaturas propter se diligere, est utendis frui. *Frui* namque est *amore alicui rei inhærere propter seipsam*, ait Augustinus lib. 2. de doctr. christ. c. 4. *Et dicimus eâ re nos perfrui, quam diligimus propter seipsam.* Ibidem c. 31. Igitur Augustino judice, perversum est, sive culpabile & vitiosum creaturam propter se finaliter amare. Cùm hoc sit creaturâ frui. Et creaturis utendum sit, solo Deo fruendum, prout Augustinus docet lib. 1. de doctrina christ. c. 5. 22. & 31.

Porrò cùm Augustinus dicit, quòd omnis 29
humana perversio sit *fruendis uti, atque utendis frui*: perversionis nomine vitium, seu culpam intelligit, prout abstrahit à mortali & veniali; non verò solam mortiferam perversionem, uti manifestum est ex eo quòd perversionem cum vitio confundat (*omnis humana perversio, quod etiam vitium nominatur*) perversionisque nomine inordinationem intelligat. Perversionem namque ordinationi contraponit, ut constat ex antithesi quam immediatè subjungit: *ita & omnis ordinatio, fruendis frui, & utendis uti.* Denique eodem modo dicit, omnem humanam perversionem esse utendis frui, & uti fruendis; quo suprà dicit, *non esse aliam vitam hominum vitiosam, atque culpabilem, quàm malè utentem, & malè fruentem.* Hæc quippe propositio æquipollet priori: cùm malè uti, secundùm Augustinum, sit fruendis uti; & malè frui, sit utendis frui. Atqui per vitam hominum *vitiosam atque culpabilem* in posteriori hac propositione Augustinus intelligit tam venialiter quàm mortaliter talem. Ergo & in priori, per humanam perversionem, intelligit tam venialem quàm mortalem.

Hinc perperàm aliqui Noviores *perversionis* 30
nomine in allegato Augustini testimonio, solam mortalem intelligunt, ut sibi viam faciant dicendi, Augustinum in eodem testimonio de sola illa fruitione loqui, quâ quidpiam diligitur propter se, tanquam finem positivè ultimum, tanquam finem utique hominis, quem omnibus ipse præferat, & in quo beatitudinem suam collocet. Si enim de sola ista fruitione loqueretur Augustinus, perspicuè falsa foret propositio ipsius: *omnis humana perversio*, seu inordinatio est, *fruendis uti, atque utendis frui.* Cùm de fide sit, non omnem humanam perversionem, seu inordinationem, vel culpam, esse mortiferam; non omnem proinde consistere vel in positiva fruitione utendorum, vel in usu positivè fruendorum, illo ipsorum sensu. Perspicuè quoque (secundùm ipsos) falsa foret altera propositio, ibidem ab Augustino immediatè subjectà: *omnis ordinatio est fruendis frui, & utendis uti.* Cùm ipsi censeant ordinatos esse actus quarumcumque virtutum, absque relatione in Deum, tanquam finem ultimum, absque positiva proinde illa fruitione, seu Dei, seu virtutis.

Denique cur loco illo Augustinus de sola 31
illa loquitur positiva fruitione, potiùs quàm alio quocumque loco? aliis profectò locis infinitas agnoscit fruitiones utendorum, quibus res creatæ propter se inordinatè diliguntur, tametsi non diligantur propter se tanquam fi-

nem positivè ultimum, sive tanquam finem hominis, ut videre est l. 1. de Civitate Dei c. 9. & lib. 21. expos. in Psal. 29. 40. 80. lib. de vera relig. c. 4. Enchirid. c. 68. serm. 121. de diversis, ubi in justis infinitos admittit inhæsivos & mansorios amorculos creaturarum ad usum concessarum, quibus justi eas amant finaliter propter se, licèt non præponant eas Christo, nec eas ament tanquam finem positivè ultimum. Vel sola definitio fruitionis id liquidò demonstrat: siquidem *frui, est amore alicui rei inhærere propter seipsam*, uti dicit lib. 1. de doctr. christ. c. 4. ubi cùm dicit *propter seipsam*, non intelligit *tanquam finem positivè ultimum*, sive tanquam finem ultimum hominis. Cùm ibidem c. 34. nullam agnoscat dilectionem, quæ non sit fruitio vel usus. Nullum proinde medium. Cùm tamen apertissimè detur, atque ab Augustino admittatur dilectio media inter usum & fruitionem illam positivam. Talis quippe est fruitio negativa, quâ creatura diligitur propter se, tanquam finem, non positivè, sed negativè ultimum.

32 Undecima ratio: quidquid homo amat non propter Deum, cupiditate amat (non enim amat charitate: ergo cupiditate: cùm omnis amor vel charitas sit generatim sumpta pro amore Dei propter se; vel cupiditas sumpta pro amore creaturæ non propter Deum) sed quidquid homo cupiditate amat, inordinatè amat. Tum quia, ut Augustinus dicit serm. 23. de v. 24. Psal. 72. *Quidquid benè amas, charitate amas.* Tum quia, ut idem ait l. de grat. Chr. c. 20. *Aliud est charitas, radix omnium bonorum; aliud cupiditas, radix malorum, tantùmque inter se differunt, quantùm virtus & vitium.* Et infrà: *Cupiditas hominis, vitium est.* Et serm. 115. de diversis: *Cupiditas nihil boni potest generare.* At verò *tunc est cupiditas, cùm propter se amatur creatura*, lib. 9. de Trin. c. 8. Et quid aliud cupiditas, nisi amor à Deo ad creaturam deficiens, sive amor quo non Deus, sed creatura propter se, non propter Deum amatur? Talem verò amorem esse peccaminosum divinâ se voce didicisse ait lib. 12. confess. c. 11. *Dixisti mihi, Domine, voce forti in aurem interiorem, quòd hoc solum à te non est, quod non est, motusque voluntatis à te, qui ea, ad id quod minus est, quia talis motus delictum atque peccatum est.* Talis proinde amor, est illa cupiditas, de qua loco citato de gratia Christi: *Cupiditas hominis, quæ vitium est, hominem habet authorem, vel hominis deceptorem; non hominis Creatorem.*

33 Duodecima ratio: homo tenetur omni vitâ suâ rationali, omni proinde die, horâ & momento illius, Deum propter se diligere, ut ex Scriptura & Patribus ostensum est lib. 6. cap. 5. & seqq. nullâ ergo horâ, nullo momento potest creaturam propter se finaliter diligere, sive in creatura per amorem hærere. Cùm hoc ipso Deum propter se non diligat, quo creaturam propter se finaliter, non propter Deum diligit. Sed & ipsum amplius ostendunt Scriptura, Traditio, ratio, quibus libro 8. demonstrabimus, nullum amorem, & actum nostrum deliberatum esse usquequaque ordinatum, qui non fuerit ordinatus, seu relatus in Deum propter se dilectum.

Denique creaturam propter se finaliter amari non posse absque peccato, probant mali 34
effectus istius amoris, satis demonstrantes innocentem non esse tot malorum parentem. Mali autem effectus ipsius sunt 1°. diminutio divini amoris, satis superque probata superiùs. 2°. amissio temporis, sicut & inclytæ illius libertatis, cum qua anima sic à Deo condita est, ut soli Deo serviat, serviendo regnet. Quam libertatem per mansorium creaturæ amorem amitti constat ex dictis n. 27. 3°. agglutinatio amantis ad rem amatam, quâ fit ut ab ea sine dolore & difficultate non separetur, & anima immunda efficiatur ex unione cum bono inferiori. 4°. inquietudo & instabilitas. Quia anima rei instabili conglutinata omnes motus ipsius sentit dum veniunt, timet dum prævidet, luget dum acciderunt, &c. prout quotidiana experientia docet.

CAPUT V.

Ne ipsæ quidem virtutes propter se finaliter; sive propter creatam earum honestatem, in ea sistendo, ordinatè amantur secundùm Augustinum.

PRobatur 1°. quia lib. 19. de Civitate c. 25. 35
apertissimè dicit, quòd virtutes, quas sibi videtur habere humana mens, per quas imperat corpori & vitiis, ad quodlibet adipiscendum, vel tenendum, nisi ad Deum retulerit, etiam ipsæ vitia sunt potiùs quàm virtutes. Nam licèt à *quibusdam tunc veræ & honestæ putentur esse virtutes, cùm ad seipsas referuntur, nec propter aliud expetuntur; etiam tunc inflatæ & superbæ sunt. Et ideò non virtutes, sed vitia judicandæ sunt.*

Suarez l. 1. de grat. c. 7. in tantum miratur 36
dictum Augustini, ut incredibile esse dicat. Verùm credibile visum est Angelico Doctori, illud referenti & approbanti opusc. 16. aliàs 61. de humanitate Christi c. 3. Credibile etiam visum est S. Remigio in lib. de tenenda verit. Script. c. 10. ubi sic: *Homines.... habent arbitrium voluntatis, ut.... possint velle etiam quædam bona.... quæ cùm propter solam vitæ honestatem appetuntur, sine dubio inflata & elata sunt.* Credibile denique videtur consulentibus Christianam potiùs Philosophiam, quàm Peripateticam, vel Stoïcam, potiùsque rationem christianam & consequentem, quàm purè humanam & antecedentem. Christianam quippe Philosophiam consulentes, suspiciunt mirabilem Augustinianæ doctrinæ profunditatem, sanctitatem, soliditatem, sublimitatem, sibi per omnia constantem, firmissimisque atque utroque Testamento firmatis christianæ vitæ principiis innitentem, communi quoque

Sanctorum traditione vallatam, de ordine amoris, de fine ultimo cujuscumque humanæ operationis, de omnibus vitæ & virtutum officiis & actibus eò referendis, de Deo in omnibus diligendo, de non diligenda ulla creatura finaliter propter se. Istis namque principiis edocemur, solum Deum amandum ut finem ultimum, nedum totius vitæ nostræ, sed & cujuslibet deliberatæ actionis affectionisque nostræ. Nec proinde ullos actus, vel affectus nostros, aut virtutes nostras, esse posse finem, etiam negativè ultimum, in quo amor noster voluntariè hæreat: cùm in ordine rerum non habeant rationem finis, sed medii ad Deum, tanquam finem, tam negativè quàm positivè ultimum; dignitasque finis, etiam negativè ultimi, major sit, quàm nobis, vel actibus nostris, aut virtutibus, secundùm ordinem rerum, conveniat. Talem verò oportet esse amoris ordinem, qualis est ordo rerum.

37 Et ideò, dum nos ipsos, vel actus, affectus, aut virtutes nostras amamus, ut finem, etiam negativè ultimum, ibi sistendo, nec ulteriùs ad Deum referendo, amor ille noster est appretiativus nostri, vel actuum, affectuum, aut virtutum nostrarum, supra suam dignitatem & meritum; utpote supra illum quem in rebus habent ordinem. Appretiare verò nos ipsos, vel nostra, supra dignitatem & meritum, notoria superbia est.

38 Christianam hanc rationem insinuat S. Thomas loco citato, cùm dicit: *Est autem desiderium desiderati duplex. Nam illius ut finis; hujus verò ut viæ ad finem....* Aristoteles: *Propter quod unumquodque, & ipsum magis. Similiter amans, appeto Deum, appeto virtutem, sed Deum ut finem; virtutem ut ad finem.* Augustinus: *Virtutes si propter se appetuntur, nec ad aliud referuntur, inflatæ sunt. Et ideò non jam virtutes, sed vitia appellandæ sunt.*

39 Nec una dumtaxat, sed duplex ea in appretiatione (quâ v. g. temperantiam nostram amamus ut finem, seu finaliter propter se) superbia se prodit. Una, quâ temperantiam nostram amamus ut *finem qui*, saltem negativè ultimum; eique proinde tribuimus excellentiam, soli Deo convenientem. Altera, quâ nos ipsos æstimamus ut finem cui temperantiam ultimatè amamus, saltem negativè, dum nec ipsam, nec nos ulteriùs ad Deum referimus. In quibus enim nec Deus, nec proximus est finis, cui bonum amamus, in iis nos ipsi sumus (cùm omne bonum, quod amamus, alicui ultimatè amemus, tamquam fini cui, vel utique nobis, vel Deo, vel proximo, prout vidimus lib. 3. n. 23.) nobis igitur tribuimus plusquàm nobis competat, nos dignos æstimando, ad quos velut ad finem cui, bonum aliquod (propter Deum non amatum) ultimatè referatur. Quod haud dubiè superbia est. Cùm soli Deo dignitas ista conveniat; nos autem indigni simus omni bono, ad nos ultimatè relato, in Deoque & propter Deum non amato.

Accedit quòd seipso delectari, seipso sibi 40
complacere, &c. superbia sit, ut Augustinus dicit: *Cùm autem anima seipsâ delectatur, nondum re incommutabili delectatur. Et ideò adhuc superbia est: quia se pro summo habet*, dum in se quiescit, velut in fine delectationis suæ; cùm in ipso solo summo bono conquiescere debeat. Atqui seipso delectatur, qui dignum se æstimat aliquo bono, sive virtutis, sive scientiæ, &c. absque ulteriori ad Deum relatione.

Probatur 2°. quia lib. 4. contra Julian. 41
c. 3. dicit, quòd *virtutes, quæ carnalibus delectationibus, vel quibuscumque commodis & emolumentis temporalibus serviunt, veræ prorsus esse non possunt. Quæ autem nulli rei serviunt, nec ipsæ veræ sunt. Veræ quippe virtutes Deo serviunt in hominibus, à quo dantur hominibus, &c.* Quid est, *Deo serviunt?* Et quænam virtutes Deo serviunt? solæ illæ quæ ad Deum referuntur; sicut solæ illæ carnalibus delectationibus, vel emolumentis temporalibus serviunt, quæ ad istas delectationes, vel emolumenta referuntur; sicut etiam virtutes illæ nulli alii serviunt, quæ ad nihil aliud, nisi ad seipsas referuntur. Vide infrà num....

Probatur 3°. quia lib. 5. de Civit. c. 12. 42
Neque enim est vera virtus (inquit) *nisi quæ* 44
ad Deum tendit, quo melius non est. Et lib. 4. contra Julianum c. 3. *Cùm non ad suum referuntur Authorem dona Dei, hoc ipso* (non dicit, cùm ad malum finem referuntur, sed *hoc ipso quòd non ad suum referuntur Authorem*) *mali his utentes, efficiuntur injusti.* Lib. 1. de nuptiis & concup. c. 4. *Absit pudicum veraciter dici, qui, non propter Deum verum, fidem connubii servat uxori.*

Probatur 4°. quia epist. 5. dicit, quòd 43
cælestis authoritas voluntariam paupertatem, continentiam, benevolentiam, justitiam, atque concordiam, veramque pietatem persuadet, non tantùm propter istam vitam honestissimè agendam (nota benè) *nec tantùm propter civitatis terrenæ concordissimam societatem; verùm etiam propter adipiscendam sempiternam salutem, & sempiterni cujusdam populi cælestem divinamque Rempublicam.* Quod magis explicans epist. 52. c. 3. *Si omnis*, inquit, *prudentia tua, quâ consulere conaris rebus humanis; si omnis fortitudo, quâ nullius iniquitate adversante terreris; si omnis temperantia, quâ in tanta labe nequissimæ consuetudinis hominum, te à corruptionibus abstines; si omnis justitia, quâ rectè judicando, sua cuique distribuis: id laborat, id nititur, ut ii, quibus vis ut benè sit,* 45
salvi sint corpore, & ab omni cujusquam improbitate tuti atque pacati.... non erunt veræ virtutes tuæ.... Si autem virtutes illas, à quo acceperis sentiens, eique gratias agens, ad ipsius cultum.... conferas.... veræ illæ virtutes erunt. Quare? quia, ut ait c. 4. *virtus non*

est

est nisi diligere quod diligendum est. Id eligere, prudentia est; nullis inde averti molestiis, fortitudo est; nullis illecebris, temperantia est; nullâ superbiâ, justitia est. Quid autem eligamus quod præcipuè diligamus, nisi quo nihil melius est invenimus? ... hoc Deus est. Et de moribus Eccles. Cathol. c. 15. *Nihil omninò esse virtutem affirmaverim, nisi summum amorem Dei. Namque illud quod quadripartita dicitur virtus, ex ipsius amoris vario quodam affectu, quantum intelligo, dicitur. Itaque illas quatuor virtutes. ... sic etiam definire non dubitem, ut temperantia sit amor, integrum se præbens ei quod amatur. Fortitudo, amor facilè tolerans omnia, propter quod amatur. Justitia, amor soli amato serviens, ac propterea rectè dominans. Prudentia, amor ea quibus adjuvatur, ab eis quibus impeditur, sagaciter seligens. Sed hunc amorem, non cujuslibet, sed Dei esse diximus, id est, summi boni, summæ sapientiæ, summæ concordiæ. Quare definire etiam sic licet, ut temperantiam dicamus esse amorem Deo se integrum incorruptumque servantem. Fortitudinem, amorem omnia propter Deum facilè perferentem. Justitiam, amorem Deo tantùm servientem, & ob hæc benè imperantem cæteris, quæ homini subjecta sunt. Prudentiam, amorem benè discernentem ea quibus adjuvetur in Deum, ab iis quibus impediri potest.*

44 Probatur denique omnibus Augustini testimoniis, quibus docet solo Deo fruendum, nullâ creaturâ, ne ipsâ quidem Christi humanitate. Hinc enim manifestè conficitur, virtutibus creatis utendum, non fruendum; eas proinde propter se finaliter non expetendas, nec amandas, sed propter beatitudinem, uti docet Augustinus lib. 13. de Civit. c. 8. & cum Augustino Lactantius l. 3. divin. Instit. c. 12. & 17. lib. 5. c. 17. & 18. & lib. 6. c. 9. Omnibus item testimoniis quibus suprà cap. 2. dicit nullam creaturam propter se amandam. Nihil benè diligi nisi charitate, quòdque *bona voluntas* (sine qua nulla vera virtus) *non est aliud quàm charitas*, lib. de grat. Christi c. 21. *Bona voluntas est ipsa charitas*, homil. 8. inter 50. Quòdque *nihil aliud est benè vivere* (quod fit ordinato virtutum amore) *quàm toto corde, totâ animâ, totâ mente Deum diligere.* Quòd denique ad opus bonum, benè factum, natura non sufficiat. Quam tamen sufficere dicit ad opus bonum, factum amore justitiæ creatæ.

CAPUT VI.

Satisfit argumentis in contrarium.

45 OBjicies 1°. Augustinus frequenter ait, opus bonum, atque adeò virtuosum benè fieri, dum fit amore justitiæ, amore veritatis atque rectitudinis, &c. Igitur ad veræ virtutis actum, solùm requirit amorem justitiæ, amorem veritatis, amorem rectitudinis, &c.

Respondeo Augustinum id non dicere de solo amore veritatis, justitiæ & rectitudinis creatæ, sive prout veritas, justitia & rectitudo sunt extra Deum, in hominibus, velut in rivulis; sed prout sunt in Deo, velut in fonte omnis veritatis, justitiæ & rectitudinis creatæ. Ut enim dicit serm. 17. de verbis Apost. *Dominus justitia est.* Lib. 8. de Trin. c. 6. & 9. *In Deo inspicimus incommutabilem formam justitiæ, secundùm quam hominem oportere vivere judicamus.* Et ut significet isto sensu se loqui in locis, ubi dicit, opus benè fieri, dum fit amore justitiæ, &c. amorem justitiæ non semel confundit cum amore Dei, opusque factum propter justitiam, cum opere facto propter Deum, unum per alterum explicando, ut exposit. in epist. ad Galat. *Nondum justitiam propter Deum, & propter justitiam diligit.* Tract. 100. in Joan. *propter Deum, hoc est propter veram justitiam.* Serm. 15. de verb. Apost. c. 7. *Amor justitiæ, amor charitatis Dei.* Denique epist. 144. perspicuè declarat, se per justitiæ amorem, intelligere amorem justitiæ ut est in Deo, sive justitiæ, de qua fortissimus justitiæ dilector exclamat: *Quis nos separabit à charitate Christi? neque mors, neque vita.... poterit nos separare à charitate Dei.... vide quemadmodùm .... ita concluserit, ut eandem diceret charitatem Dei, quam dixerat Christi. Et quid est à charitate Christi? nisi à charitate justitiæ. De illo quippè dictum est: qui factus est nobis sapientia à Deo, & justitia, & sanctificatio.... Quæ charitas Dei .... diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.... Quâ charitate lex verissimè impletur.* De illa itaque justitia loquitur, de qua lib. de catech. rud. c. ult. dicit, quòd *amandus est Deus .... sicut amatur sapientia, & veritas, & sanctitas, & justitia, & charitas .... non quemadmodùm sunt ista in hominibus, sed quemadmodùm in ipso fonte incorruptibilis & incommutabilis sapientiæ*, &c.

Objicies 2°. Quisquis amat quod Deo placitum est, benè amat. Sed quisquis amat justitiam creatam, amat quod Deo placitum est. Ergo benè amat. 46

Respondeo antecedens & consequens esse verum de eo qui amat quod Deo placitum est, eo fine & modo quo Deo placitum est; non de amante alio fine & modo, quàm quo Deo placitum est.

Objicies 3°. Quidquid per se amabile est, amabile est propter se. Atqui omnis virtus per se amabilis est. Cùm omne quod per se conveniens est homini (uti est creata virtus) per se amabile sit. 47

Respondeo 1°. nec hanc objectionem, nec præcedentem, depromptam esse ex Augustini doctrina, nec proinde facere contra assertionem capitis præcedentis.

Respondeo 2°. virtutem nec esse per se bonam, nec per se homini convenientem, nec per se amabilem per modum finis, sive 48

positivè sive negativè ultimi, sed dumtaxat per modum medii ad talem finem. Et ideò non esse amabilem finaliter propter se. Quia illud solum propter se finaliter amabile est, quod amabile est per modum finis negativè vel positivè ultimi.

Objicies 4°. Sequeretur ex dictis virtutes Philosophorum esse vitia. Quod est damnatum à Pio V.

Respondeo pro solida solutione videnda quæ dixi Prolegomeno 6. c. 15. §. 7.

CAPUT VII.

Si ne ipsa quidem creatæ virtutes propter se finaliter ordinatè amari possint, multò minùs res temporales, prout ex utriusque Testamenti Scripturâ, ratione & Augustino ostenditur.

49 OStenditur (inquam) 1°. ex veteri Testamento Eccli. 18. *Post concupiscentias tuas non eas*, id est post cupiditates tuas, animæ tuæ permittendo, ut rerum transeuntium amorem sectetur. Ut enim Augustinus l. 83. qq. q. 33. *Nihil aliud est cupiditas* (pressiùs accepta) *nisi amor rerum transeuntium.* De quibus Ecclesiastes c. 1. solemne istud oraculum pronuntiavit: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Vanus est autem qui diligit vanitatem, ut rursùm Augustinus dicit lib. 1. de moribus Eccl. c. 21. *Procul dubio vanitates sunt, qui diligunt vanitatem.*

50 Et quid sunt res temporales, nisi divitiæ, honores, voluptates? Divitiarum propter se amorem Psalmista prohibet Psal. 61. *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Prohibet & Spiritus sanctus omnibus locis, quibus avaritiam culpat. Nam, ut Augustinus dicit serm. 105. de temp. *Avaritia est, esse velle divitem.* Et serm. 47. de diversis: *Amator pecuniæ, vocatur avarus; honoris amator, vocatur ambitiosus; corporum pulchrorum amator, vocatur lascivus.* Avaritia verò in tantum prohibetur, ut Eccli. 10. dicatur, *avaro nihil esse scelestius.* Quod mox exponitur istâ æquipollenti propositione: *Nihil est iniquius, quàm amare pecuniam.*

51 Cùmque *honoris amator sit ambitiosus*, ut audivimus ex Augustino, honoris & humanæ gloriæ amorem Scriptura prohibet omnibus locis, quibus superbiam prohibet & ambitionem: unde Jeremiæ 9. *Non glorietur sapiens in sapientia sua, & non glorietur fortis in fortitudine sua, & non glorietur dives in divitiis suis.* Cùm denique venereæ voluptatis amator, sit luxuriosus; amatorque voluptatis cibi & potûs, sit gulosus; utriusque voluptatis amorem prohibet, ubicumque gulam & luxuriam prohibet. Num. 15. à Deo graviter puniti sunt filii Israël, quòd ad ollas carnium Ægypti inhiassent. Proverb. 6. Spiritus sanctus jubet ut *custodiamus* nos *à blanda lingua extranea. Non concupiscat pulchritudinem ejus cor tuum.* Job. 6. *Qui conjugium ita suscipiunt, ut .... suæ libidini ita vacent sicut equus & mulus .... habet potestatem dæmonium super eos. Tu autem ....: accipies virginem cum timore Domini, amore filiorum magis quàm libidine ductus.*

52 Novi quoque Testamenti Scriptura temporalium amorem prohibet, 1. Joan. 2. *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt.* Quid est; nolite diligere ea quæ in mundo sunt? nolite diligere divitias, nec honores, nec carnis voluptates: subjungit namque Joannes, *Omne quod est in mundo, aut concupiscentia carnis est, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ.* Ubi per carnis concupiscentiam, Augustino interprete tr. 2. in epist. Joann. intelligit amorem, seu *desiderium earum rerum, quæ pertinent ad carnem, sicut cibus, & concubitus, & cætera hujusmodi*, cum annexis voluptatibus. Per oculorum concupiscentiam intelligit omnem curiositatem videndi, sciendi, experiendi. *Per oculos enim maximè curiositas prævalet*, ait Augustinus in Psal. 8. Per superbiam vitæ intelligit amorem omnium illarum rerum, unde apud homines sæculi homines magnificantur, ut sunt honores, divitiæ, gloria, potentia, &c. Probibet proinde Joannes omnem humanam cupiditatem. Quia triplici illâ concupiscentiâ, seu cupiditate, humana cupiditas adæquatè dividitur. *Nihil quippe invenis undè tententur cupiditas humana, nisi aut desiderio carnis, aut desiderio oculorum, aut ambitione sæculi.* Augustinus tr. 2. in epist. Joan. Unde in Psalm. 8. dicit, quòd *hæc tria genera vitiorum, voluptas carnis, & superbia, & curiositas, omnia peccata concludunt.*

54 Paulus etiam (Augustino teste lib. 1. de morib. Eccl. c. 20.) *jubet nihil hujus mundi diligere*, cùm ait Rom. 12. *Nolite conformari huic sæculo.* Temporalia namque & mundana propter se diligere, est ipsis conformari; eodem Aug. ibidem. c. 21. dicente, *ei rei quemque conformari, quam diligit.* Siquidem *talis est unusquisque, qualis ejus dilectio est.* Aug. tr. 2. in epist. Joan. sive *quale est quod diligit*, ut Rupertus ait in illud Osee 9. *Facti sunt abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt.* Unde iterùm Augustinus serm. 121. *Amando Deum, efficimur dii. Et amando mundum, dicimur mundus.* Et citato tr. 2. in epist. Joan. *Si terram diligis, terra eris.* Itaque *nisi voluntas, quidquid in eis rebus capit, ad meliorem verioremque vitam* (æternam, seu Deum) *referat.... quid aliud facimus, nisi quod Apostolus facere prohibet, dicens: Nolite conformari huic sæculo?* Idem l. 11. de Trin. c. 15. Istis proinde verbis præcipit Apostolus, ut *quidquid in usu temporalium rationabiliter facimus, æternorum adipiscendorum amore faciamus, per ista transeuntes, illis adhærentes.* Idem lib. 12. de Trin. c. 13.

55 Rursus idem Apostolus 1. Cor. 3. *Qui utuntur hoc mundo, quasi non utantur.* Ad quæ verba

verba Auguſtinus l. 5. contra Julianum c. 16. *Quid eſt, quaſi non utantur? niſi, non diligant quo utuntur: quoniam tale eſt, ut benè aliter non utantur. Et hoc etiam in his rebus obſervandum eſt, quæ in hoc mundo ſic bonæ ſunt, ut tamen eas diligi non oporteat.*

56 Et iterùm ad Coloſſ. 3. *Primus homo de terra terrenus; ſecundus homo de cælo cæleſtis. Qualis terrenus, tales & terreni. Qualis cæleſtis, tales & cæleſtes. Sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cæleſtis. Hoc eſt*, inquit Auguſtinus l. 1. de moribus Eccl. c. 19. *exuite veterem, & induite novum. Omne igitur officium temperantiæ, eſt exuere veterem hominem, & in Deo renovari, id eſt, contemnere omnes corporeas illecebras.... totumque amorem ad inviſibilia & divina conferre. Illecebræ autem corporis ſunt in omnibus quæ corporeis ſenſibus attinguntur, quæ à nonnullis etiam ſenſibilia nominantur.... Et ideò in Scripturis ſanctis viſibilium nomine ſenſibilia cuncta ſignificantur. Itaque in novo Teſtamento ſic ab iſtorum amore prohibemur:* „ non reſpicientes quæ videntur, ſed quæ non videntur. „ Quæ enim videntur, temporalia ſunt; quæ „ autem non videntur, æterna ſunt. „ *Vetiti ſumus converti ad ea quæ videntur. Non ſunt igitur iſta diligenda.... Amandus igitur ſolus Deus eſt: omnis verò iſte mundus, id eſt, omnia ſenſibilia contemnenda. Utendum autem his ad vitæ hujus neceſſitatem, ad cujus ſubventionem inſtituta ſunt.*

57 *Habet igitur vir temperans, in ejuſmodi rebus mutabilibus & fluentibus, vitæ regulam, utroque Teſtamento firmatam* (concludit Auguſtinus l. 1. de moribus Eccl. c. 21.) *ut nihil eorum diligat, nihil per ſe appetendum putet, ſed ad vitæ hujus atque officiorum neceſſitatem, quantum ſatis eſt, uſurpet, utentis modeſtiâ; non amantis affectu.*

58 Quæ profectò regula non utroque dumtaxat Teſtamento, ſed & multiplici ratione firmatur. Duodecim imprimis rationibus, quibus cap. 4. demonſtravimus, inordinatum eſſe amorem cujuſcumque creaturæ finaliter propter ſe.

59 Deinde 1°. quia temporalia propter ſe appetere, eſt falſis bonis illudi atque decipi. *Quid eſt enim aliud falſis bonis illudi atque decipi, quàm teipſo inferiora miranda & appetenda arbitrari?* Idem loco proximè citato. Si falſa bona non eſſent, vana non eſſent. Vana autem uſque adeò ſunt, ut *vanitates* dicantur, Eccl. 1. Unde & mundi gloriam inanem vocat Apoſtolus, pro eodem accipiens humanam, ſeu mundi gloriam, & inanem gloriam, 2. Cor. 5. *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi.* Divitias quoque fallaces Salvator vocat Matth. 13. cùm ait: *Fallacia divitiarum ſuffocat verbum.* Unde Gregor. hom. 15. in Evang. *Evangeliſtâ teſtante... Dominus fallaces divitias appellat. Fallaces enim ſunt, quæ nobiſcum diù permanere non poſſunt. Fallaces, quæ mentis noſtræ inopiam non expellunt, &c.*

60 2°. Homo tam ſublimis eſt conditionis (ait Illuſtriſſimus Caſtorienſis lib. 1. de Amore pœnitente c. 1.) & tam excelſum inter omnes creaturas ordinem nactus, ut omnibus rebus corporalibus ſit præpoſitus, ſoluſque Conditor ſit finis, bonum & perfectio ejus; vel ſi quid aliud ſit ipſi bonum, nonniſi bonum uſuale & miniſteriale; non fruibile & finale. Ideò namque Creator, ipſum creare volens: *Faciamus*, inquit, *hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, & præſit piſcibus maris, & volatilibus cæli, & beſtiis terræ, &c.* Id eſt, (inquit Caſtorienſis) " faciamus hominem imaginem nobis ſimilem, ut " non delectetur in piſcibus maris, & volatilibus cæli, & beſtiis terræ: non ut univerſæ " terræ, omnique quod movetur in terra, eſurientem affigat amorem, & in eis velut fine " & loco ſuo conquieſcat; ſed ut Deo, tamquam... ultimo fini... amore ſubditus, piſcibus maris, volucribus cæli, beſtiis & reptilibus terræ, omnique corporeæ creaturæ non " ſerviat indignus, ſed præſit divino lumine plenus; nec eis ſubjaceat, quærens in illis bonum ſuum; ſed eis uti ſervis dominetur... in " dulciſſima fruitione ſemper manentis ſapientiæ conſtitutus." Juſtum quippe eſt, ut quemadmodùm illis præeſt in eſſendo; ſic præſit in amando; nec proinde illa propter ſe finaliter diligat. Quia ſuæ hoc ipſo conditionis & dignitatis obliviſcitur, quo eis in amando non præeſt, ſed ſubjicitur. Eis verò hoc ipſo in amando ſubjicitur, quo ea propter ſe finaliter diligit (ut conſtat ex dictis n. 27. necnon ex eo quod Auguſtinus l. 10. confeſſionum c. 6. dicit: *Amore ſubduntur eis*) quod profectò inordinatum eſt. *Perverſi* namque *animi eſt, & inordinati, eis ſequendis ſubjici, quibus ad nutum ſuum ducendis divino ordine ac jure prælatus eſt.* Meritò itaque Epictetus primis Enchiridii ſui capitibus decernit ad obtinendam animi libertatem, vitandamque ſervitutem, cavendum earum rerum amorem quas inviti poſſumus amittere.

61 3°. Amore manſorio rerum temporalium ſeu corporalium animus ſordidatur. Igitur amor ille eſt inordinatus. Probatur antecedens. Tum quia *ſordes animi ſunt, amor quarumcumque rerum, præter animam & Deum.* Auguſtinus lib. de utilit. cred. c. 16. Tum quia *animus noſter terrenorum cupiditate ſordeſcit.* Idem lib. 2. de ſerm. Dom. in monte c. 13. Et ratio eſt, quia per amorem temporalium, rerumque quarumcumque inferiorum, illis miſcetur (cùm amor ſit quidam velut animi contactus, & velut egreſſus amantis à ſeipſo, ingreſſuſque in rem amatam) at verò *ſordeſcit aliquid, cùm inferiori miſcetur naturæ* (ait Auguſtinus ibid.) *quamvis in ſuo genere non ſordida: quia etiam de puro argento ſordidatur aurum; ita & animus noſter terrenorum cupiditate ſordeſcit; quamvis ipſa terra in ſuo genere atque ordine munda ſit.* Unde lib. contra Secundinum cap. 11. *Cùm animus ad corpus*

declinat, quodammodò corporascit. Et lib. de morib. Eccl. c. 2. *Quisquis* (inquit) *quod sc-ipso deterius est sequitur, sit & ipse deterior*, dum & voluntas fordescit, & intellectus sic obtenebratur, ut rectum de re amata judicium ferre non possit. Inferiorum quippe amore *subduntur eis, & subditi judicare non possunt*, ait idem lib. 10. confess. c. 6. Nec rectè aliam ob causam sæcularia sæcularium judicio multùm æstimantur, nisi quia multùm amantur, illoque sæcularium amore intellectus ipsorum excæcatur.

62 4°. Rerum mortalium amore animus fit miser, eodem Augustino teste l. 4. confess. c. 6. ibi: *Miser est omnis animus vinctus amore rerum mortalium.* Et rationem subjungit, quia *dilaniatur, cùm eas amittit; & tunc sentit miseriam quâ miser est & antequam amittat eas.* Quia antequam amittat, dilaniatur inquietudine timoris, ne, ut ait. lib. 3. de doctr. christ. c. 8. *Non est in carendo difficultas, nisi dum est in habendo cupiditas.* Nam *quid est dolor qui dicitur animi, nisi carere mutabilibus rebus, quibus fruebatur?* Lib. de vera relig. c. 12. Haud dubiè enim *eorum amissione cruciabitur, quibus fruendo utique lætabatur.* Lib. 21. de Civit. Dei c. 26. Et infrà: *Ex earum rerum amissione tantùm necesse est urat dolor, quantùm hæserat amor.* Quisquis igitur rerum temporalium amissione non vult cruciari, *non eis amore conglutinetur, neque velut membra sui animi faciat* amando; *ne cùm resecari cœperint, cum cruciatu animi fœdent; sed eis potiùs superferatur, & habere illa, & regere, cùm opus est, paratus, & amittere ac non habere paratior.*

63 5°. Inordinatus est omnis amor, quo animus, velut glutine quodam, sic tenetur, implicatur, & impeditur, ut liberè non feratur in Deum (neque enim ordinatus est amor, quo Dei impeditur amor) sed affixivo temporalium rerum amore sic animus tenetur, implicatur & impeditur, ut liberè non feratur in Deum. Alis enim spiritualibus charitatis animus liberè fertur in Deum. *Amor verò rerum terrenarum viscum est spiritualium pennarum.* Aug. Serm. 112. Unde Serm. 311. *Noli amare impedimentum, si non vis invenire tormentum. Quod amas in terra impedimentum est; viscum est spiritualium pennarum, hoc est virtutum, quibus volatur ad Deum. Capi non vis, & viscum amas? Numquid ideò non caperis, quia dulciter caperis? Quantò magis delectat, tantò fortiùs strangulat.* Quanto certè impedimento sit rerum mortalium amor ad divinorum & cælestium amorem, experientiâ notum est. Tantò quippè minùs divina & cælestia amamus, quantò plus terrena. Ut enim Augustinus Serm. 125. Non potest homo *amare quod æternum, nisi destiterit amare quod temporale est.... Qui amat sæculum, amare Deum non potest.* Serm. 368. *Amor amore impeditur... Funde quod habes de amore sæculi, ut capias quod non habes de amore Dei.* Lib. 83. qq. q. 36. *Charitatis venenum est spes adipiscendorum aut retinendorum temporalium. Nutrimentum ejus; imminutio cupiditatis. Perfectio, nulla cupiditas.... Quisquis igitur eum nutrire vult, instet minuendis cupiditatibus. Est autem cupiditas, amor adipiscendi aut obtinendi temporalia.* Judicet sapiens, num rectus amoris ordo amare permittat impedimentum & venenum divini amoris; vel ut humana mens temporalibus sic alligetur, ut ad amandum Deum, propter quem factus est, ipsi sint impedimento, quæ facta sunt, ut ad hoc ipsi sint adminiculo.

Jubet ergo lex æterna avertere amorem à 64
temporalibus, & eum mundatum convertere ad æterna, inquit Augustinus lib. 1. de libero arbitrio c. 15. Et ne dubites quænam sint temporalia à quibus amorem avertere jubet lex æterna, ibidem ab ipso recensentur sequentia. 1. *Hoc corpus, & ejus quæ vocantur bona, ut integra valetudo, acumen sensuum, vires, pulchritudo, & si quæ sint cætera, partim necessaria bonis artibus.... partim viliora. Deinde libertas.... deinde parentes, fratres, conjunx, liberi, propinqui, affines, familiares, & quicumque aliquâ necessitudine adjuncti sunt. Ipsa denique civitas, quæ parentis loco haberi solet. Honores etiam, & laudes, & ea quæ dicitur gloria popularis. Ad extremum pecunia,* &c.

Ne etiam existimes lege æternâ solùm esse 65
vetitum amorem temporalium, quo quis illa Deo divinæque præfert amicitiæ. Effugium istud Augustinus mille locis præcludit, ut lib. 1. de Civit. Dei c. 9. ubi loquens de infirmioribus, qui terrenis bonis, quamvis ea non præponerent Christo, *aliquantulâ tamen cupiditate inhærebant*, dicit: *Quantùm hæc amando peccaverint, perdendo senserunt.* Et exposit. in Psal. 40. *Omnis anima infirma in hac vita quærit sibi aliquid terrenum, ubi requiescat. Quoniam intentionem laboris & mentis extenta in Deum difficilè potest perpetuò tolerare. Aliquid sibi in terra conquirit, ubi requiescat, & quodammodo pausatione quadam recumbat, velut sunt ista quæ diligunt & innocentes* (non præponendo ea Christo, aliàs non forent innocentes, seu justi) *neque enim de cupiditatibus malorum nunc loquendum est: quia, multi acquiescunt in circo, in amphitheatro, multi acquiescunt in alea, multi in luxuria popinarum, multi in libidine adulteriorum, multi in violentiis rapinarum, multi in dolo & insidiis fraudum. Acquiescunt in his omnibus hominis. Quid est, acquiescunt? delectantur illic. Sed removeamus hæc omnia. Ad innocentem hominem veniamus. Acquiescit in domo sua, in familia sua, in conjuge sua, in filiis, in paupertate, in prædiolo suo, in novellæ manibus suis consita, in ædificio aliquo, suo studio fabricato. Acquiescunt innocentes in his. Sed tamen Deus, volens nos amorem non habere nisi vitæ æternæ, istis velut innocentibus* (non dicit *prorsus innocentibus*) *delectationibus mis-*

cet amaritudines, ut ex his patiamur tribulationes.... ne viator, tendens ad patriam, ſtabulum amet pro domo ſua.... Ergo quia correptiones iſtas.... agnoſcere debet homo propter peccata ſua pati, convertat ſe, & dicat quod ſequitur: Ego dixi, Domine miſerere mei; ſana animam meam; quia peccavi tibi.... Planè committamus nos medici (tribulationibus nos exercentis, & à peccato ſanantis, prout immediatè promiſit) manui. Non enim errat ut ſanum pro putri ſecet. Novit quod inſpicit. Novit vitium, quia ipſe fecit naturam. Quid ipſe condidit, quid de noſtra cupiditate acceſſit, diſcernit. Et iterùm expoſit. in Pſal. 80. *Sunt qui rebus infirmitati conceſſis, inhærent aliquantulùm dilectione.... Talibus dicitur: jam quidem omninò delictum eſt in vobis....habent ligna, fœnum, ſtipulam, ſuper fundamentum; ſed rerum conceſſarum; non illicitarum.... Cùm autem dixeris: amo poſſeſſionem iſtam, timeo ne pereat.... non quidem præponis eam Chriſto. Nam ſi ſic amas poſſeſſionem iſtam, ut ſi dicatur tibi; ipſam vis; an Chriſtum? etſi triſtis eam perdis, plus tamen amplecteris Chriſtum, quem poſuiſti in fundamento. Salvus eris, quaſi per ignem.... Chriſtum habes in fundamento. Sed tamen quia diligis illam, & contriſtaris, ſi perdas illam; ſuper fundamentum poſuiſti, non aurum, aut argentum, aut lapides pretioſos; ſed ligna, fœnum, ſtipulam. Salvus ergo eris, cùm arderе cœperit* (igne purgatorio) *quod ædificaſti; ſic tamen quaſi per ignem.... Nam qui ædificat amorem terrenorum, ſuper fundamentum regni cælorum, id eſt, ſuper Chriſtum, ardebit amor temporalium; & ipſe ſalvus erit per idoneum fundamentum.* Similibus ſententiis plenus eſt Auguſtinus, ut videre eſt l. 1. de Civit. Dei c. 26. l. de vera relig. c. 47. Enchirid. cap. 68. Serm. 121. de diverſ. ubi ly *quaſi per ignem*, exponit de igne judicii futuri, quem vocat *flammam gehennæ*, quâ nullus ardet, niſi ob veri nominis peccatum: *ſi quis non pro dignitate fundamenti, ædificat lignum, fœnum, ſtipulam...ad ignem præparet. Sed ſi fundamentum ipſius Chriſtus eſt, id eſt, ſi primum locum in corde Chriſtus obtinuit; ſæcularia verò ſic amentur, ut non Chriſto præponantur, ſed eis Dominus Chriſtus.... detrimentum patietur: ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem.... Neſcio quomodò, cùm ignis nominatur, in die judicii futurus... flammas foci timentes, flammam gehennæ pro nihilo ducunt.*

66 Ecce quàm evidenter Auguſtinus dicit, ipſos etiam juſtos, quorum in corde Chriſtus primatum obtinet, ob ſæcularium rerum amorem in die judicii, gehennâ ignis puniendos; iſtumque proinde amorem veri nominis eſſe peccatum. Unde lib. 10. confeſſ. c. 31. ſe culpabilem agnoſcit, quòd inter comedendum & bibendum ſubinde rapiatur aliquantulùm ultra metas neceſſitatis, captus laqueis voluptatis: *Hoc me docuiſti, ut quemadmodùm medicamenta, ſic alimenta ſumpturus accedam. Sed dum ad quietem ſatietatis ex indigentiæ moleſtia tranſeo, in ipſo tranſitu mihi inſidiatur laqueus concupiſcentiæ.... In his ergo tentationibus poſitus, certo quotidie adverſus concupiſcentiam manducandi & bibendi.... Et quis eſt, Domine, qui non rapiatur aliquantulùm extra metas neceſſitatis? Quiſquis eſt, magnus eſt, magnificet nomen tuum. Ego autem non ſum; quia peccator homo ſum.* Cap. 33. *Cùm mihi accidit, ut me amplius canus* (Eccleſiæ) *quàm res quæ canitur, moveat, pœnaliter me peccaſſe confiteor.* Cap. 35. *In quàm multis minutiſſimis & contemptibilibus curioſitas quotidie noſtra tentatur, & quàm ſæpè labimur, quis enumeret? quoties narrantes inania primò quaſi toleramus, ne offendamus infirmos; deindè paulatim libenter advertimus? Canem currentem poſt leporem jam non ſpectо cùm in Circo ſit. At verò in agro, ſi caſu tranſeam, avertit me fortaſſis & ab aliqua magna cogitatione, atque ad ſe convertit illa venatio.... cordis inclinatione.... Quid: cùm me domi ſedentem ſtellio muſcas captans, vel aranea retibus ſuis irruentes implicans, ſæpè intentum facit?.... Et talibus vita mea plena eſt.* Et lib. 4. contra Julianum c. 14. *Movetur certè animus divino cantico audito: tamen etiam illic, ſi ſonum, non ſenſum, libido audiendi deſideret, improbatur; quantò magis, ſi cantiunculis inanibus, & vel etiam turpibus delectatur?*

CAPUT VIII.

Temporalium propter ſe amorem Chriſtianis eſſe vetitum ampliùs oſtenditur ex baptiſmali ipſorum profeſſione, Evangelicisque chriſtianæ vitæ principiis.

EX baptiſmali imprimis profeſſione. Quia 67
utique Chriſtiani renuntiarunt ſæcularibus omnibus deſideriis, & amoribus, dum ſæculo renuntiarunt, profeſſi illic, quòd unà cum Chriſto, crucifixi, mortui & ſepulti erunt mundo, viventque Deo. Ut enim D. Baſilius ait ſerm. de inſtruendis baptizandis: *In baptiſmo aquæ ex pacto polliciti videmur, profeſſi illic, quòd unà cum Chriſto, crucifixi, mortui ſepultique ſumus.* Et homiliâ ſequenti: *Aquâ verò in mortem Domini baptizati, quaſi ſcripto quædam pepigimus, & profeſſi ſumus, quòd mortui ſumus peccato, & mundo, vivificati verò juſtitiæ.*

Ita etiam Ambroſius, ſeu quiſquis eſt Au- 68
thor librorum de Sacramentis inter opera Ambroſii l. 1. c. 1. ubi Neophitum alloquens: *Quando* (inquit) *te interrogavit Sacerdos, abrenuntias diabolo, & operibus ejus? abrenuntias ſæculo, & voluptatibus ejus? Quid reſpondiſti? Abrenuntio. Memor eſto ſermonis tui, & numquid tibi excidit tuæ ſeries cantionis.... ubi promiſeris, conſidera.... Ergo abrenuntiaſti mundo, abrenuntiaſti ſæculo.*

Et ante Ambroſium Origenes in Num. c. 69
21. baptiſmalem illam pollicitationem adum-

bratam dicit promissione seu sponsione filiorum Israël, facta Sehon Regi Amorrhæorum, dum ei dixerunt: *Obsecro ut mihi transire liceat per terram tuam, non declinabimus in agros & vineas, &c. viâ regiâ gradiemur, donec transeamus terminos tuos.* Num. 21. *Nos ergo sumus* (inquit Origenes, sponsionem illam moraliter exponens) *qui transire volumus per hunc mundum, ut pervenire possimus ad terram sanctam, quæ repromissa est sanctis. Et mittimus verbis pacificis ad Sehon, promittentes nos non habitaturos in terra ejus* (per mansorium utique amorem) *nec moraturos cum eo; sed transituros tantummodò, & incessuros viâ regali, nec declinaturos usquam, nec in agrum, nec in vineam, sed nec de lacu ejus aquam bibituros. Videamus ergo, quando nos ista promisimus, quando hæc verba diabolo denuntiavimus. Recordetur unusquisque fidelium, cùm primùm venit ad aquas baptismi, cùm signacula fidei prima suscepit, & ad fontem salutis accessit, quibus ibi tunc usus sit verbis, & quid denuntiaverit diabolo, non se usurum pompis ejus, neque operibus ejus, neque ullis omninò servitiis ejus, ac voluptatibus pariturum .... sed & viâ regali incessurum se profitetur. Quæ est via regalis? illa sine dubio, quæ dicit: Ego sum via, veritas & vita. Via* utique verbo exemploque erudiens nos, ad terram cælestis promissionis gradiendum per abdicationem sæcularium desideriorum. *Veritas* admonens homines sæculi: Filii hominum, ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Psal. 4. *Vita* consistens in amore paupertatis, humiliationis & crucis, mundique, & eorum quæ in mundo sunt contemptu.

70 Sed & Catechismus Romanus p. 1. c. 2. n. 12. *Cùm baptismo* (inquit) *initiaremur, ante Ecclesiæ fores professi sumus .... nos Satanæ & mundo renuntiare, & Jesu Christo totos nos tradere.*

71 Quicumque ergo baptizati sumus, in baptismo professi sumus abrenuntiationem sæculi, sæculariumque desideriorum, *Christum sequi in omnibus* (ut Basilius ait serm. 2. de bapt. c. 2.) vitam denique christianam, sive documentis Evangelicis conformem, cujus fundamentum est sui rerumque omnium abdicatio: Luc. 9. *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.* Et c. 14. *Qui non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Et infrà: *Qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Non quòd Christus præcipiat abrenuntiationem possessionum, & patris, & matris, &c. quoad usum, sed quoad amorem seu affectum mansorium. Vult enim Christus, ut in nullo sæculi bono per affectum quiescamus, neque scilicet in possessionibus nostris, neque in vita longæva, neque in elegante uxore, neque in filiis carnis, aliisque ejusmodi; sed per illa, tamquam vehicula & adminicula ad Deum transeamus, ita ut *qui habent uxores, tanquam non habentes sint .... & qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur.* 1. Cor. 3. Nec iis proinde Christianorum inhæreat affectus, sed solidis & æternis dumtaxat, juxta illud Coloss. 3. *Quæ sursùm sunt quærite, non quæ super terram.* Et 2. Cor. 4. *Non respicientes quæ videntur, sed quæ non videntur*, tamquam utique personæ mortuæ in Christo, quæ nihil ampliùs concupiscunt de mundo: *Quicumque enim in Christo baptizati sumus, in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodò Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus*, exuentes veterem hominem, & induentes novum, id est, *contemnentes omnes corporis illecebras, & omnia sensibilia, totumque amorem ad invisibilia & divina transferentes*, ut Augustinus exponit l. 1. de moribus Eccles. c. 19. sicque adimplentes quod Joannes in prima sua Canonica c. 2. dicit: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ sunt in mundo*, &c.

Non alia itaque *salus animæ est, aut reno-* 72
vatio, aut reconciliatio Authori suo, nisi ut omnia corporea contemnat (Christianus) *universoque huic mundo renuntiet, uti præcipitur in mysteriis*, ait idem Augustinus l. de quantit. an. c. 3. Ista namque sunt christianæ vitæ præcepta Christianis omnibus imposita, quorum observantiam ab iis qui baptizantur promitti Gregorius VII. testatur l. 7. epist. 10. Quæ profectò merum consilium non continere Basilius, Chrysostomus, Augustinus, aliique Patres passim contestantur, & ratio quadruplex suadet. Prima: quia fundamentum continent vitæ christianæ. Quod profectò fundamentum præcepti est, non meri consilii. Secunda: baptismalibus promissis ea servare polliciti sumus. Tertia: eorum adimpletio necessaria est ad eam vitæ sanctitatem, ad quam Christiani omnes tenentur ex dictis Prolegom. 3. c. 1. 2. 3. 4. & 5. Quarta: Christianis omnibus haud dubiè præcipitur vivere secundùm vocationem professionemque suam. Quicumque verè ad Christianismum vocati sunt, vocati sunt de mundo (secundùm illud, *Elegi vos de mundo*) ita ut cum Christo dicere debeant: *Non sum de mundo.* Et, *regnum meum non est de hoc mundo.* Igitur secundùm vocationem professionemque suam renuntiare debent sæcularibus desideriis, secundùm illud Augustini Serm. 39. de verbis Dom. c. 1. *Ab amore sæculi vocati sumus, ut aliud sæculum speremus, & diligamus*, de quo scriptum est, *expectantes beatam spem*, &c. Et lib. 2. de Serm. Dom. in monte c. 20. *Omnis immunditia, rerum temporalium dilectione concipitur, id est, dilectione hujus sæculi, cui jubemur renuntiare ut mundi esse possimus.*

Christianorum proinde cordibus, velut cel- 73
te in silice, insculpta esse debet aurea ista

sententia pientissimi Cardinalis Bona in principiis vit. christ. p. 1. §. 21. *Hoc nimirùm à nobis exigit fidei Christianæ professio, ut omnia terrena transcendentes, vitâ vivamus divinâ. Ad hoc quippè apparuit gratia Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem, & sæcularia desideria, sobriè, & justè, & piè vivamus in hoc sæculo, expectantes beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi.* Quæ verba exponens Illustrissimus Castoriensis in epist. ad Clerum Amori suo pœnitenti præfixa: „ Testatur (inquit) Paulus gratiam erudientem apparuisse omnibus hominibus, „ non ut divitibus & potentibus molliorem salutis viam ostenderet, quàm pauperibus, opificibus & plebeïs; sed apparuisse omnibus „ hominibus qui in ipsum credunt, ut eos omnes doceret abnegare impietatem & sæcularia desideria, non minùs dedecentia Christianos Magistratus, Principes ac Potentes, quàm „ dedeceant rusticos, opifices, reliquamque plebem. Ab omnibus etiam pari ratione requirit, ut sobriè, justè & piè vivant in hoc sæculo. Nulli ergo Christianorum classi, nulli „ ordini permissa impietas; nulli licita sæcularia desideria; nulli concessum, ut, salvâ „ Christi gratiâ, aut intemperanter, aut injustè, aut impiè vivant; nulli indultum, ut impietatem & sæcularia desideria in corde retinens, sine præsumptione à cæca temeritate, „ beatam spem & adventum gloriæ magni Dei „ expectare possit.

74 Quàm justè abnegationem illam sæcularium omnium desideriorum, mansoriique amoris rerum temporalium, à discipulis suis Salvator exigit? *In dilectione mundi* (ait Leo Papa Serm. 5. de jejun. 7. mens.) *cuncta sunt noxia. Assentior* (inquit Augustinus l. 1. de lib. arb. c. 15.) *omnia peccata hoc uno genere contineri, cùm quisque avertitur à divinis, verèque manentibus, & ad mutabilia atque incerta convertitur. Quæ quamquam in ordine suo rectè locata sint, & suam quamdam pulchritudinem habeant, perversi tamen animi est, & inordinati, eis sequendis subjici, quibus ad nutum suum ducendis potiùs divino ordine ac jure prælatus est.* Istis quidem rebus, ut paulò antè dixerat, *alius malè, alius benè utitur.* Sed ille *malè, qui amore inhæreat.... ea bona sibi constituens, quibus ordinandis benèque tractandis ipse esse utique deberet bonum. Ille autem qui rectè his utitur, ostendat quidem bona esse, sed non sibi; non enim eum bonum melioremve faciunt, sed ab eo potiùs fiunt, & ideò non eis amore conglutinetur.* Tametsi omnis creatura Dei bona sit, non ideò bonum est hominis, uti lumine naturali Tullius agnovit in Parad. dicens: *Potestne bonum cuiquam malo esse? aut potest quisquam in abundantia bonorum ipse esse non bonus? Atqui omnia ista talia videmus, ut etiam improbi habeant, & obsint probis. Quamobrem.... ego nunquam illum bona perdidisse dicam, si quis pecus, aut suppellectilem amiserit. Quidquamne bonum est, quod non eum, qui possidet, meliorem faciat?* Cùm igitur temporalia bona verè non sint bonum hominis, amari non possunt ut bonum hominis. Non ergo propter se, sed propter id, propter quod instituta sunt, ut hominem adjuvent ad serviendum Deo, & divino impendantur obsequio. Qui ea aliter amat, in iisque velut in fine etiam negativè ultimo requiescit, *quantùm in ipso est, perturbat in se ordinem naturalem, quem lex æterna conservari jubet*, juxta Aug. l. 22. contra Faust. c. 28. adeòque *peccat, aliàs venialiter, aliàs damnabiliter.*

CAPUT XIX.

Idipsum amplius ostenditur ex Decreto Innocentii XI. damnantis 65. propositiones.

OCtava quippe propositio ab Innocentio XI. damnata sic sonat: *Comedere & bibere usque ad satietatem, ob solam voluptatem, non est peccatum, modò non obsit valetudini. Quia licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui.* Nona verò sic: *Opus conjugii, ob solam voluptatem exercitum, omni penitùs caret culpâ & defectu veniali.* 75

Ex quarum propositionum damnatione conficitur Ecclesiæ doctrinam esse 1°. quòd peccatum sit comedere & bibere, ob solam voluptatem, etsi non obsit valetudini. 2°. quòd per consequens peccatum sit in cibo & potu intendere solam voluptatem cibi & potûs, eamque propter se finaliter amare. 3°. quòd appetitus naturalis licitè non possit frui suis actibus. Neque enim solam priorem partem octavæ propositionis Ecclesia damnavit, sed & posteriorem, seu rationem, ob quam priorem illius partem recentiores Casuistæ tuebantur, videlicet, *quia licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui*, id est, illos propter se amare, juxta Augustinianam fruitionis definitionem, secundùm quam Casuistæ illi fruitionis nomen haud dubiè acceperunt. 76

Enim-verò si rationem hanc cum subjecto damnatam noluisset Pontifex, eam à subjecto suo, seu priore propositione (cui applicatur) separatam voluisset; uti voluit in damnatione propositionis 23. *Cùm fides latè dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo, ad justificationem sufficiat: Deus ignorari potest invincibiliter.* Pontifex indecisam relinquere volens posteriorem hanc partem: *Deus ignorari potest invincibiliter*, à priori separatam voluit, solamque priorem partem in damnatione expressit. 77

Unde sic argumentor. 1°. Non licet propter se finaliter amare, nec intendere voluptatem cibi, potûs, nec conjugalis concubitûs. Ergo nec aliam quamcumque sensibilem voluptatem. 78

2°. Non licet propter se finaliter amare delectationem cibi & potûs. Ergo nec ipsum cibum, potumque. Nec per consequens pe-

cuniam, honores & similia ob eandem rationem. Quemadmodùm enim delectationes institutæ non sunt propter se, sed propter aliud; ita & cibus, & potus, & pecunia, & honores, &c. Et si amor sensibilis delectationis animam polluit; similiter amor cujuscumque rei temporalis. Ut enim Augustinus lib. 6. de Musica c. 14. *Amor inferioris pulchritudinis animam polluit.*

79 3°. Appetitus naturalis licitè non potest suis actibus frui. Ergo nec appetitus rationalis, seu voluntas. Quia omnis ratio, quæ probat unum, probat & alterum. Quòd enim appetitus naturalis suis actibus licitè non fruatur, est quia creaturæ sunt, quæ, cùm propter se non sint, propter se amandæ non sunt. Quod de omni creatura verificatur. Nec est cur appetitus naturalis frui non posset actibus suis, sive eos propter se amare, si creaturæ propter se amor licitus esset. Nec tamen propterea volumus, damnatam esse propositionem, quæ dicit, licitum esse creaturæ propter se amorem; sed solùm quòd contrarium istius propositionis ex damnata illa propositione inferatur.

80 Sed quid de opinione eorum qui prætendunt moderatum amorem, etiam sensibilium voluptatum cibi, potûs, conjugalis actûs, &c. ipsis propter se inhærentem, esse licitùm, solumque immoderatum esse vetitum? Sic utique, adhuc post Innocentii XI. Decretum, cum Juliano Pelagianorum antesignano, opinantes vidi Recentiores nonnullos. Ita nominatim Henricus van Jerssel in Thesi Lovanii in Conventu Minorum Recollect. 16. Julii anno 1680. defensa conclus. 3. coroll. 7.

81 Respondeo quòd hanc opinionem animalem, Evangelicisque regulis ac vitæ christianæ principiis adversam, Augustinus in suis contra Julianum libris, depromptam conqueritur ex corruptis voluptuariorum Philosophorum Epicuri & Dinomachi promptuariis, diùque ante Augustinum Philosophus confutavit in suis ad Nicomachum Ethicis l. 3. c. 10. voluptates illas *serviles & ferinas* appellans, indignas proinde, ad quas humanus appetitus propter se descenderet. Confutavit & Seneca epist. 88. eò quòd temperantia voluptatibus imperat, ... nec unquam ad illas propter illas venit.

82 Et ratio est, quia inordinatum est finem, etiam negativè ultimum, ponere in eo, quod in ordine rerum non habet rationem finis, sed medii ad aliud ordinati. Nulla verò delectabilia, quæ in usum hominis veniunt, in ordine rerum habent rationem finis, sed medii ordinati ad aliquam hujus vitæ necessitatem, uti docet S. Thomas 2. 2. q. 14. a. 6. Et ideò *malum est ponere finem in delectatione ludi*, ait ibidem q. 68. a. 2. ad 1. vulgatum quippe est istud Philosophi: *Delectationes sunt propter operationes.* Quando verò quis comedit, bibit, conjugi miscetur, &c. propter annexas delectationes, operationes istæ, ordine inverso, sunt propter delectationes. Quod est naturæ ordinem invertere.

Sed & inordinatum est, quòd homo, ad majora natus, quàm ad hoc ut sensuum serviat voluptatibus, naturalis suæ dignitatis adeò obliviscatur, ut sordidis & belluinis delectationibus se per amorem subjiciat, earumque propter se amore se polluat. Quod ex præmissis facit, qui eas propter se finaliter amat & intendit. Nobiliorem utique finem, quàm pecora, sibi in omnibus operationibus præfigere debet, qui paulò minùs ab Angelis minoratus, ad imaginem Dei accepit esse longè nobilius cunctis pecoribus. 83

Et confirmatur 1°. non solùm rationibus omnibus cap. 4. & 7. deductis, sed & insuper quia si voluptates cibi, potûs, conjugalis actûs, &c. propter se finaliter intendi possint & amari, adeòque esse possint finis amoris & intentionis nostræ, intendi & amari possint absque termino & mensura, (quod ne ipsi quidem Adversarii admittunt) cùm eorum quæ appetuntur in ordine ad finem, mensura sit & terminus, secundùm exigentiam finis; non verò eorum quæ appetuntur ut finis. Quia, ut Angelicus Doctor ait 2. 2. q. 27. a. 6. *appetitus finis in omnibus actibus est absque fine & termino. Non enim Medicus imponit aliquem terminum sanitati; sed facit eam perfectam quantùm potest; sed medicinæ imponit terminum. Non enim tantum dat de medicina quantum potest, sed secundùm proportionem ad sanitatem.* Quam proportionem si medicina excederet, vel ab ea deficeret, immoderata esset. Et q. 184. a. 12. *In fine non adhibetur aliqua mensura, sed solùm in his quæ sunt ad finem.* 84

2°. Humana laus, gloria, honor, &c. eo ipso immoderatè appetuntur, quo propter se, non propter aliud appetuntur. Idem ergo de voluptatibus illis dicendum. Ac per consequens reprobanda est Ethica, dicens, esse licitum operari propter moderatam delectationem cibi, potûs, vel conjugalis actûs. Sicut reprobanda Ethica, dicens, esse licitum operari propter moderatam humanam laudem, gloriam, honorem, &c. Cur enim illicitum sit operari propter moderatam humanam laudem, gloriam, &c. si licitum sit operari propter moderatum finem longè viliorem, animalem utique voluptatem? & si hanc, dummodò non excessivam, propter se intendere, amare, & quærere liceat; quidem & humanam laudem, gloriam, honorem, &c. Quod si licitum esset, licita esset vana gloria non excessiva, ambitio, lascivia, avaritia, &c. non excessiva. Quod sicut absque contradictione asseri nequit; ita nec illud. Sicut ergo non datur moderatus amor humanæ laudis, gloriæ, honoris, pecuniæ, &c. finaliter propter se; sic nec moderatus amor voluptatis cibi, potûs, concubitûs, &c. finaliter propter se. Quòd autem non detur moderatus amor humanæ laudis, &c. finaliter propter se, constat ex Evangelio, in quo Christus Pharisæos reprehendit, in eo quòd opera sua facerent ut vide- 85

rentur ab hominibus, ipsorumque ambitionem non aliter depingit, nisi dicendo: *Amant primos accubitus in cœnis, & primas cathedras in Synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi*; humanæque insuper laudis, atque honoris amorem discipulis suis inhibet, addens: *Vos autem nolite vocari Rabbi*, nec vocemini Magistri. Et Apostolus 2. Cor. 5. *Non efficiamini inanis gloriæ cupidi.* Et ad Galat. 5. *An quæro hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.* An & ista quæri & amari possunt moderatè? At hoc est moderationem in immoderatione prætendere, & ut Tullius ait de iis qui solùm immoderatas cupiditates reprehendunt, *hoc est dicere, non reprehenderem Asotos, si non essent Asoti. Isto modo ne improbos quidem, si essent boni viri.... & quidem illud non nimium probo, & tamen patior Philosophum loqui de cupiditatibus finiendis*, id est, moderatè satiandis. *An potest cupiditas finiri*, id est, moderatè satiari? *Tollenda est, atque extrahenda radicitùs*, ita ut nihil propter eam fiat. *Quis est enim, in quo sit cupiditas, qui rectè*, id est, moderatè *cupidus dici possit? Ergo & avarus erit, sed finitè*, id est, moderatè; *& adulter verum habebit modum, & luxuriosus eodem modo. Qualis ista Philosophia est? quæ non interitum afferat pravitatis, sed sit contenta mediocritate vitiorum.*

86 An post hæc Adversarii dicent esse licitum amorem moderatè placendi hominibus, amorem inanis gloriæ moderatæ, amorem primorum accubituum moderatorum in cœnis? Cùm hoc dicere nequeant secundùm Evangelium; profectò nec dicere queunt esse licitum amorem moderatæ voluptatis sensuum, &c. siquidem eo ipso voluptas ista moderatè non quæritur, nec amatur, quo propter se finaliter quæritur & amatur, ut patet à simili in amore humanæ laudis, honoris, pecuniæ, &c. Omnes namque fines isti inordinatè, atque adeò immoderatè intenduntur & amantur, uti docet Augustinus serm. 234. de temp. c. 5. dicens: *Iste finis est reprehensibilis, atque culpabilis, usque ad hominum laudem velle bene facere, nihil amplius inde quærere.* Unde in Psalmum 80. peccati arguit eos qui *rebus infirmitati concessis inhærent aliquantulùm dilectione.* Et S. Fulgentius epist. 1. de conjugali debito, posteaquam c. 1. dixit: *Culpabilis usus* conjugii, *non in conjugali concubitu, sed in concumbentium reperietur excessu; neque in commixtione maris & fœminæ, sed ex immoderatione libidinis culpam trahit coitus conjugalis.* Et cap. 3. *Hujus igitur* conjugalis *potestatis inculpabilis est usus, officio gignendi divinitùs attributus, si justitiæ terminum transgredi libidinosus non permittatur excessus*: Ibidem consequenter exponens in quo consistat iste excessus, & immoderatio libidinis, justitiæ terminum transgrediens, sic ait: *Justitia verò utendi conjugio hæc est, ut non explendæ libidinis, sed substituendæ prolis obtentu sibi conjuges, congruo tempore misceantur.* Excessus proinde & immoderatio libidinis non solùm invenitur dum libido seu voluptas nimis magna illo in actu quæritur & intenditur; sed dum actus ille ob libidinem, seu carnis voluptatem, non ob prolis generationem exercetur. Hoc est quod perspicuè declarat verbis sequentibus: *Sed quia sine libidine in corpore mortis hujus proles humana non seritur, non eam affectant conjugia casta, sed tolerant, eique imponit nuptialis honestas modum.... Sic ergo quæri debet ex nuptiis fructus, ut cohibendus sit lubricæ libidinis excessus.* Quomodò hoc? non propter libidinem, sed propter prolem, utendo conjugio: *Quocirca si conjugalis usus eatenùs temperetur, ut non æstuanti libidini animus serviat* (eam propter se intendendo) *sed proventum nascituræ prolis attendat, & cùm nata fuerit, diluendam celeriùs spirituali generatione non negligat, non deputatur fidelibus conjugibus ad peccatum carnis indulta commixtio.... Conjugatus ergo.... si thori fidem non deserat, sed in uxore sua naturali dumtaxat usu aliquantulùm intemperatus accedat* (audi jam, in quo intemperantiam istam excessumque constituat) *non solùm scilicet generationem quærens, sed aliquando libidini carnis obediens*, ipsam propter seipsam affectando, *hoc equidem sine culpa non facit.* Et c. 4. *Ergo.... maculam.... contrahit infirmitas carnis.... quisquis non solâ generatione, sed etiam propter fragilitatem carnis suæ miscetur uxori.* Quid clarius? Unde c. 9. concludit: *Ut omnia vestra honestè fiant in redditione conjugalis debiti, sic infirmitatem carnis usus excipiat conjugalis, ut non caro*, multò minùs animus *libidini serviat, sed... subserviente verecundiâ, dum se ad opus fœcunditatis animus fidelis inclinat, modestiam simul naturalis honestatis Deo adjuvante custodiat.*

Hæc plusquàm satis ad confutandam ani- 87
malem illam opinionem, satis confutatam damnatione 8. & 9. propositionis. Quarum profectò Authores non dixerunt esse licitum comedere, bibere, conjugio uti, propter immoderatam, seu excessivam voluptatem (imò ne Julianus quidem Pelagianus id unquam dixit) sed propter moderatam, ut ipsi putabant & exprimebant. Eorum nihilominùs opinionem Innocentius XI. seu Ecclesia per ipsum condemnavit.

CAPUT X.

Satisfit objectionibus prætendentium, licitum esse operari propter voluptatem, etiam sensibilium.

OBjicies 1°. Si licitum non esset opera- 88
ri propter moderatam voluptatem, frustrà darentur virtutes morales; utpote quarum officium est medium in passionibus ponere, excessivas refrænando, moderatas admittendo.

Respondeo negando sequelam. Neque enim medium in passionibus ponit, qui voluptates

sensuales propter se appetit (cùm hoc sit contra temperantiam, contra rationem, contra divinam institutionem, contra vitæ regulam utroque Testamento, & traditione firmatam) sed qui non appetit, nisi propter debitum finem, & quantùm, ubi, quando & quomodò requiritur ad finem, propter quem institutæ sunt.

89 Objicies 2°. Natura varias operationes, ex se alioquin molestas, conservationi tamen speciei, vel individui, necessarias vel utiles, reddidit appetibiles per annexas voluptates.

Respondeo naturam, seu potiùs naturæ Authorem, non reddidisse nec instituisse operationes illas appetibiles propter voluptates illas, in ipsis sistendo; sed appetibiles propter finem æternâ lege præfixum, utique propter conservationem speciei, vel individui, tanquam finem proximum, & propter Deum tanquam finem ultimum.

90 Objicies 3°. Delectationes sensuum bonæ sunt, non malæ; utpote Deum habentes Authorem. Ergo malum non est eas propter se appetere.

Respondeo negando consequentiam. *Amari enim potest res bona amore non bono*, inquit Augustinus contra Secundinum c. 16. Amantur autem amore non bono, dum propter se, non propter aliud amantur.

91 Objicies 4°. Augustinus Serm. 17. de verb. Apost. c. 2. distinguit voluptates in licitas & illicitas. Et lib. 2. retract. c. 22. *Quod est* (inquit) *cibus ad salutem hominis, hoc est concubitus ad salutem generis, & utrumque non est sine delectatione carnali; quæ tamen modificata, & temperantiâ refrænante, in usum naturalem redacta, libido esse non potest.* Consequenter nec peccatum. Quia *hæc vescendi atque potandi tolerabilis est voluptas.* Lib. 4. contra Julianum c. 14.

92 Respondeo ad primum locum, voluptates ab Augustino optimè dividi in licitas & illicitas ex objecto, seu specie (quod solum ab Augustino intendi videbit quisquis contextum legerit) non ex fine, dum propter se, non propter aliud amantur.

93 Ad 2. locum Respondeo delectationem carnalem, propter se amatam, secundùm Augustinum, non esse modificatam, adeòque esse libidinem. Dilectores mundi (ait tr. 2. in epist. Joan. c. 2. n. 12.) *desiderant manducare, bibere, concumbere, uti voluptatibus istis. Numquid non est in his modus? aut quando dicitur, nolite ista diligere; hoc dicitur ut non manducetis, aut non bibatis, aut filios non procreetis? Non hoc dicitur. Sed fit modus propter Creatorem, ut non vos illigent ista dilectione; ne ad fruendum hoc ametis, quod ad utendum habere debetis.* Antè verò dixerat: *Non te prohibet Deus amare ista, sed non diligere ad beatitudinem, sed approbare & laudare ut ames Creatorem.... Tibi arrham dat Sponsus, ut in arrha sua ipse ametur.*

94 Ad 3. locum Respondeo Augustinum non dicere, *vescendi atque amandi* propter se amabilis *est voluptas*, sed *tolerabilis*: ita tamen ut propter se non ametur, secundùm quod ait enarrat. 4. in Psal. 30. Deus *jubet tolerare, non amare præsentia.*

Objicies 5°. Bonum delectabile est bonum naturæ conveniens, ad quod prosequendum natura ipsa, ut natura, inclinatur (sicut natura, ut natura, inclinatur ad fugiendum oppositum malum sensibile) estque verè bonum in se. Ergo propter se amabile. 95

Respondeo 1°. negando consequentiam, quia consequens non magis sequitur ex ista antecedente, quàm ex eo sequatur amorem boni delectabilis finaliter propter se esse actum moraliter bonum. Quod nec ipsi quidem Adversarii admittunt. 96

Respondeo 2°. naturam, ut corruptam, inclinari ad prosequendum bonum delectabile, tanquam finem; non autem naturam, ut à Deo conditam. Nisi fermo sit de natura sensitiva, seu appetitu sensitivo, quà tali; qui ideò hæret in sensibili bono, quia altiùs assurgere est extra sphæram ipsius; ita tamen ut partis superioris, seu appetitûs rationalis officium sit altiùs assurgere. Quia respectu ipsius bonum delectabile, seu delectatio sensibilis, non est bonum amabile propter se, velut propter finem. Cùm finem longè præstantiorem lex æterna ipsi præfixerit. 97

Objicies 6°. Bonum delectabile & bonum utile distinguuntur. Non distinguuntur verò nisi in eo quòd bonum utile, quà tale, solùm amabile sit propter aliud; bonum verò delectabile, propter se. 98

Respondeo negando minorem. Distinguuntur namque in eo quòd bonum utile, quà tale præcisè, secundùm se non alliciat appetitum, quem secundùm se allicit bonum delectabile; etiamsi appetitus rationalis in ipso, velut in fine sistere, ipsumque propter se finaliter amare non debeat.

Objicies 7°. Homo constat utroque appetitu, superiori & inferiori, sive rationali & sensitivo. Non est ergo cur non possit aliquando se conformare inferiori, dum non repugnat superiori. Neque enim homo, ex hoc quòd sit rationalis, semper operari debet ut rationalis; sicut ex hoc quòd sit Christianus, semper operari non debet ut Christianus, id est, ob finem proprium Christiani. 99

Respondeo 1°. mirum esse quòd argumento tam animali utantur Christiani; cùm longè honestiùs & rationabiliùs quoad hoc argumentati sint Ethnici, sitque pudor honestiorem esse Ethnicorum quàm Christianorum Philosophiam. 100

Respondeo 2°. Tametsi homo utroque constet appetitu, sicut carne constat & spiritu: in carne tamen viventes prohibet Apostolus secundùm carnem vivere. Quemadmodùm ergo eâ lege carnem & spiritum homini dedit Deus, ut caro semper ancillaretur spiritui, & spiritus semper dominaretur carni: sic utrumque 101

que appetitum eâ lege dedit Deus, ut inferior semper ancillaretur superiori, & superior semper dominaretur inferiori, ipsum regendo, in omnique humana operatione ipsum ad finem sibi æternâ lege præfixum dirigendo. Numquam proinde homo, humano modo agens, licitè agit ob finem proprium animalis præcisè; sed semper operari debet ut homo, & Christianus ut Christianus. Ut homo, propter finem proprium hominis; ut Christianus, ob finem proprium Christiani. Quia esse, est propter operari; & tale esse, propter taliter operari. Nec unquam concessum est homini, vel Christiano, esse in operando degenerem à conditione sui esse; nunquam concessum, non præfigere sibi finem, altiorem fine belluarum. Semper *vitium hominis, natura est pecoris*, ut Augustinus dicit.

102 Denique christianæ professionis sublimitas exigit, ut tota Christianorum vita talis sit, qualem Apostolus exigit 2. Cor. 2. *Pro omnibus mortuus est Christus, ut & qui vivunt; non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est.* Ad Galat. 5. *Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt, cum vitiis & concupiscentiis. Si spiritu vivimus, spiritu & ambulemus.* Rom. 8. *Ergo, fratres, debitores sumus, non carni, ut secundùm carnem vivamus. Si enim secundùm carnem vixeritis, moriemini. Si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Coloss. 3. *Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* Porrò *illi rei quisque vivit, quam diligit, & illi se exhibet mortuum, cujus in se mortificavit affectum.* Fulgentius lib. ad Ferrand. Diac. in respons. ad 1. q. Proinde carni & carnis voluptatibus vivit, qui illas propter se diligit. Sapit proinde quæ sunt super terram, sapit ea quæ carnis sunt, secundùm carnem vivit & sapit; carnem suam non crucifigit cum concupiscentiis suis. Cùm perspicuum sit, quòd carnis & concupiscentiarum ipsius propter se dilectio & satisfactio non sit earum crucifixio.

LIBER OCTAVUS.

Amor in Deum ordinandus.

SI amoris requiritur ordo, maximè ordo in debitum finem. Cùm finis sit potissimum, quod in actibus moralibus attenditur, & amor propriè non sit nisi finis; & ideò Augustinus l. 4. contra Julian. c. 3. pronuntiet, *non officiis, sed finibus à vitiis discernendas esse virtutes. Officium autem est quod faciendum est; finis verò, propter quod faciendum est.* Videndum proinde, & maximè considerandum, quis sit finis, ad quem omnis amor, omnisque proinde actus humanus ordinandus est? Porrò si quies animæ in solo Deo sit, ut Augustinus docet epist. 55. ad qq. Januarii c. 10. finis ad quem ordinandus est amor hominis, solus est Deus; idque tantò magis esse debet persuasum, quantò validiùs in superioribus est demonstratum, nullam creaturam esse posse amoris hominis finem.

CAPUT I.

Omnis amor, & actus deliberatus, secundùm divinam Scripturam, in Deum propter se dilectum, finaliter est ordinandus.

Argumentum primum & secundum, quibus id demonstratur.

1 PRobatur 1°. ex primo maximoque mandato: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex omnibus viribus tuis, &c.* Deuteron. 6. & Matth. 22. Eo namque præcipitur, ut Deum omni momento rationalis vitæ nostræ, actu vel virtute, propter se diligamus, nihilque extra Deum, seu nullam creaturam non propter Deum diligamus, ut ex ipso primi ipsius mandati tenore, rationeque & circumstantiis illius, necnon ex concinentibus aliis sacris testimoniis, communique doctrina Sanctorum, denso denique agmine christianarum rationum, validè ostendimus lib. 5. c. 11. lib. 6. c. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. & lib. 7. c. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. His certè persuasus Eminentissimus Cardinalis Bona princip. vit. christ. p. 2. §. 3. " Mandatum (inquit) accepimus " à Patre amandi Deum toto corde, totâ ani- " mâ, totâ mente, ut omnem vitam & intel- " lectum, totumque affectum divinæ dilectio- " ni impendamus, & si quid aliud diligendum " in mentem venerit, illuc referatur. " Sanctus Thomas quoque, tum alibi, tum 1. 2. q. 100. a. 10. obligationem referendi omnes actus nostros in Deum infert ex primo mandato, dicens: *Sub præcepto charitatis continetur ut diligatur Deus ex toto corde, ad quod pertinet ut omnia referantur in Deum, & ideò præceptum charitatis implere homo non potest, nisi etiam omnia referantur in Deum.*

2°. Ex omnibus sacris textibus, quibus citato lib. 6. c. 11. 12. 13. & 14. comprobata est obligatio Deum omni tempore & opere deliberato diligendi, actu vel virtute. Quibus etiam ibidem probatum est, amorem nostrum deliberatè nunquam hærere posse finaliter in creatura, sive in aliquo bono, quod non sit Deus. Inde enim perspicuè conficitur, om- 2

nem deliberatum amorem, omnemque proinde deliberatum actum noſtrum, vel debere eſſe finaliter amorem Dei propter ſe, vel inde procedere, in eumque referri.

CAPUT II.

Argumentum tertium ex Proverb. 3. In omnibus viis tuis cogita illum. *Et c.* 16. *v.* 3. Revela Domino, *ſeu* (*ut Cajetanus legit*) verte ad Dominum opera tua, & dirigentur cogitationes tuæ.

3 EX priori namque textu S. Thomas 2. 2. q. 81. a. 1. infert omnem electionem noſtram in Deum aſſiduè referendam. Poſteriorem textum Salazar ibidem ſic exponit, quaſi dicat Spiritus ſanctus : propone tibi Dominum, tanquam finem propter quem opera tua facias, & ad debitum finem collimabunt cogitationes tuæ. Quam expoſitionem genuinam eſſe dupliciter oſtenditur. 1°. Quia litteralis eſt, ædificatque charitatem. Igitur ſecundùm regulam D. Auguſtini l. 1. de doct. chriſt. c. 36. & 40. & lib. 3. cap. 10. & 15. continet ſenſum intentum à Spiritu ſancto.

4 2°. Quia ſenſum illum ſuadet ratio, quam Spiritus ſanctus attexit in verſu immediatè ſequenti : *Omnia propter ſemetipſum operatus eſt Dominus.* Quaſi dicat (pergit Salazar) ad hoc actus noſtros propter Deum operari, ad ipſumque referre debemus, ut Deum imitemur, qui omnia agit propter ſemetipſum, & in ſuam gloriam omnia deſtinat. Certiſſima namque ſententia eſt D. Leonis Papæ ſerm. 1. de jejunio decimi menſis, *hominem ideò ad imaginem Dei eſſe conditum, ut imitator ſui eſſet Authoris.* Siquidem eſſe ad imaginem & ſimilitudinem Dei, eſt propter operari ad imaginem & ſimilitudinem Dei. Quemadmodùm ergo univerſa propter ſemetipſum dilectum operatur Deus ; ſic & nos univerſa propter ipſum dilectum operari debemus.

5 Vel aliter id ipſum hoc modo Salazar oſtendit : Quidquid boni agimus, id in nobis Deus per gratiam ſuam operatur, & principaliter operatur, ita ut non operemur, niſi ſicut agentia ſecunda ſub primo, & ſicut agentia inſtrumentalia ſub principali. Sed agens ſecundum agere debet ſecundùm intentionem primi agentis, ſimiliter & agens inſtrumentale agere debet ſub eo ordine ſub quo agit principale. Cùm igitur omne quod in nobis velut agentibus ſecundariis & inſtrumentalibus Deus operatur, operetur propter ſemetipſum dilectum ; ſicut nos conſpiramus in eandem cum Deo operationem, conſpirare debemus & in eandem cum ipſo intentionem, agendo & operando propter eundem finem. Argumentum iſtud pulcherrimo Doctoris Angelici diſcurſu confirmatum habes lib. 7. n. 22.

CAPUT III.

Argumentum quartum ex Lucæ 18. Oportet ſemper orare, & nunquam deficere. *Et* 1. *Theſſal.* 5. Sine intermiſſione orate : hæc eſt enim voluntas Dei, in Chriſto Jeſu, in omnibus vobis.

VErba iſta eſſe præcepti, tradunt Hieronymus in lib. de virginit. ſervand. ad Euſtoch. Auguſtinus epiſt. 121. ad Probam c. 8. & 9. S. Thomas 2. 2. q. 83. a. 84. aliique SS. Doctores, cum Zozimo Papa in epiſt. ad Epiſcopos Gall. ubi continuæ orationis neceſſitatem probat ex continua neceſſitate divini auxilii : *Quod ergo tempus intervenit, quo ejus non egeamus auxilio? In omnibus igitur actibus, cauſiſque, cogitationibus, motibus, adjutor & protector orandus eſt.* 6

Atqui continuæ orationis præceptum impleri nequit, niſi per continuæ charitatis deſiderium. Igitur charitatis deſiderium in nobis debet actu vel virtute eſſe continuum ; omneſque proinde actus & affectus noſtros dirigere & informare. Ut enim S. Thomas ait loco citato, oratio in ſe nequit eſſe continua, ſed in cauſa ſua, quæ eſt deſiderium charitatis, omnes actus noſtros dirigens : *De oratione dupliciter loqui poſſumus. Uno modo ſecundùm ſeipſam. Alio modo ſecundùm cauſam ſuam. Cauſa autem orationis eſt deſiderium charitatis, ex quo procedere debet oratio. Quod quidem in nobis debet eſſe continuum, vel actu, vel virtute. Manet enim virtus hujus deſiderii in omnibus quæ ex charitate facimus. Omnia debemus in gloriam Dei* (adeòque ex charitate) *facere, ut dicitur* 1. *Cor.* 10. *ſecundùm hoc ergo oratio debet eſſe continua.* 7

Scio quòd ſacri textus continuam orationem præcipientes, non uno modo exponantur apud Bellarminum lib. 1. de bonis operibus in partic. c. 9. ſed non ideò legitima non eſt expoſitio, ordine ſecunda, quam ibi exhibet hiſce verbis : " Secundò alii ſunt, qui ſemper ora- " re, nihil aliud eſſe volunt, niſi mentem Deo " per amorem & deſiderium aſſiduè conjungere. " Ita docet Auguſtinus in epiſt. 121. ad Probam, " & S. Baſilius orat. in Julittam. " 8

Juxta hanc igitur Baſilii, Auguſtini & Aquinatis expoſitionem, ſemper orat, in cujus pectore continua charitas flagrat. Continua verò flagrat in te charitas, ſi omnia in charitate facias, gloriam Dei in omnibus intendendo. Nec hoc impoſſibile eſt. Ut enim Baſilius ibid. impoſſibile non eſt rem vehementer amatam ſemper deſiderare, ut videre eſt in amatoribus hujus ſæculi, qui, etiam dum comedunt, bibunt, ambulant, &c. rem vehementer amatam, v. g. pecuniam, cum deſiderio cogitant ; imò etiam inter dormiendum cum eadem ſomniando verſantur. 9

Ante Baſilium, Auguſtinum & Aquinatem, præceptum illud aſſiduæ orationis, eodem 10

quo ipsi modo, exposuerat Hilarius in Psalm. 1. aiens : *Omnia quæcumque facitis, in gloriam Dei facite, sive cùm manducatis, sive cùm bibitis, sive cùm aliud agitis. Per hoc enim efficitur, ut sine intermissione oremus.* Ab ipso proinde discere potuit Augustinus, quod in Psal. 37. ait : *Ipsum desiderium, tua oratio est, &, si continuum desiderium, continua oratio.... Si non vis intermittere orare, noli intermittere desiderare, continuum desiderium, continua vox tua est. Tacebis, si amare destiteris. Frigus charitatis, silentium cordis : flagrantia charitatis, clamor cordis. Si semper manet charitas, semper clamas.*

CAPUT IV.

Argumentum quintum ex 1. Cor. 10. Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.

11 HÆc verba plana sunt, perspicua sunt, universalia sunt. Omnes actus comprehendunt. Nullum omninò excipiunt, ut patet tum ex ly *sive aliud quid facitis*; tum ex ly *omnia*; tum denique ex eo quòd si procedant in minimis, esu, potu, &c. multò magis in maximis, & mediis. Omnes igitur actus humanos & deliberatos jubet Apostolus in gloriam Dei fieri. Jubet (inquam) illa quippe verba ipsius præceptum continere, nedum consilium, communis est traditio Sanctorum, ut videbitur cap. 8. & seqq.

12 Et probatur 1°. quia Apostolus utitur verbo imperativo, *facite*, quod, dum materia patitur, & locutionis circumstantiæ non obstant, obviè, litteraliter & connaturaliter significat imperium seu præceptum.

13 2°. Dum Apostolus solùm vult designare consilium, non utitur verbo imperativo, nisi varia addendo, quibus significat se nonnisi consilium dare : ut videre est ibid. c. 7. dum agit de cœlibatu, *noli quærere uxorem*, per ea quæ addit, significat cœlibatum à se consuli, non præcipi : *Præceptum non habeo, consilium do. Non peccat, si nubat. Si acceperis uxorem, non peccasti*, &c. In præsenti verò textu, *sive manducatis, sive bibitis*, &c. omnia se habent oppositò modo. Nihil enim adjicit in contextu, quòd verbum imperativum *facite* (quod naturaliter significat imperium) trahat ad significandum consilium.

14 3°. Imò ea adjicit antecedenter, quibus firmatur significatio imperii. Siquidem in contextu immediatè antecedente, prohibet cum infirmorum fratrum scandalo comedere idolothyta; in textu verò immediatè consequente, jubet sine offensione esse Judæis, Gentibus, Ecclesiæ Dei. Proinde tam antecedentia, quàm consequentia in contextu, suadent pariter imperativum esse textum intermedium: *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Quibus in verbis ly *ergo* significat, documentum istud inferri ex textu præcedente, ubi cùm prohibuisset esum idolothyti coram infirmo, ad cavendum scandalum ipsius, hanc ob rationem : *Ut quid enim libertas mea* comedendi omne quod ex macello venit, *judicatur ab aliena conscientia ? Si ergo cum gratia*, id est cum gratiarum actione, laudans Deum *percipio cibum, quid blasphemor* (id est reprehendor, quasi manducans in honorem idolorum) *pro eo quòd gratias ago*, id est, comedo gratias agens Deo vero? Quia tamen scandalum cavere debeo, si verè gratias ago Deo, gloriamque ipsius verè intendo, tunc ab esu abstinere debeo, quando ita necesse est ad vitandum scandalum, atque adeò ad Deum tam in me, quàm in proximo meo glorificandum. Qui in omnibus esse debet scopus omnis Christiani. Ex quo infert: *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*, id est, in omnibus gloriam Dei intendite, non solùm in vobis, sed & in proximo, quando ita requirunt circumstantiæ vitandi scandali, offensionisque proximi. Et hoc enim cavendum esse dicit, dum immediatè subdit : *Sine offensione estote Judæis, & Gentibus, & Ecclesiæ Dei.*

Nec tamen ibi solùm sermo est de vitando scandalo, sed & de Deo in omnibus deliberatis actibus nostris glorificando. Vult enim Apostolus, ut & Deum in proximo glorificemus, scandalum ipsius, Deique proinde in ipso offensam cavendo; & in omnibus actibus nostris Dei gloriam in omnibus intendendo, ad eamque omnes actus nostros deliberatos referendo. Undè immediatè ante verba illa, *Sive ergo manducatis*, &c. præcedit; *Si ergo cum gratia participo*, id est cum Dei laude & gratiarum actione manduco, *quid blasphemor pro eo quòd gratias ago ?* In quo vult Corinthios esse imitatores ipsius, paucis post verbis subjungens : *Imitatores mei estote*, &c. Et ad marginem loci citati, sive manducatis, &c. notatur similis Apostoli locus ad Coloss. 3. *Omne quodcumque facitis, in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi, gratias agentes Deo per ipsum.* Ubi nulla scandali mentio.

Nec Apostoli præcepto, omnia in gloriam 15
Dei facite, adæquatè satisfit, nihil contra Dei gloriam faciendo. Nihil enim contra Dei gloriam facere, non est propriè omnia in gloriam Dei facere. Sicut non odisse Deum, non est propriè amare Deum. Textum verò Apostolicum ad sensum improprium restringere, est contra regulam Sanctorum, de legitima S. Scripturæ interpretatione. Nec eum sensum adæquatum, & unicè intentum esse dicit S. Thomas, etiamsi aliquando illum adferat. Cùm & alium proprium adferat ad intentum.

CAPUT V.

Argumentum sextum ex 1. Cor. 16. Omnia vestra in charitate fiant.

16 SEnsus quippe est: *Omnia referri debent ad finem charitatis, ut scilicet fiant propter Deum*, uti S. Thomas exponit lect. 3. in eum Apostoli locum. Nullum etiam actum ibi Apostolus exigit, nullam adhibet restrictionem ad certa tempora, quibus hoc faciendum sit; sed generaliter & absque restrictione, seu limitatione temporum, dicit: *Omnia vestra.* Nec consulit, sed (Augustino teste lib. de correp. & grat. c. 3.) *præcipit Apostolus, dicens: Omnia vestra in charitate fiant.* Idque contextus evincit. Sic enim habet: *Vigilate: state in fide: viriliter agite: omnia vestra in charitate fiant.* Atqui vigilare & viriliter agere, est præcepti. Similiter ergo, omnia in charitate facere, est præcepti.

17 Quod præceptum non ideò desinit esse affirmativum, quia pro omni actu deliberato obligat: sicut præceptum, *Oportet semper orare*, non desinit esse affirmativum, quia pro omni momento vitæ moralis obligat. Sicut etiam primum maximumque mandatum non ideò desinit esse affirmativum, quia complectitur & *totum cor*, id est, omnes cordis affectus; & *totam mentem*, id est, omnes cogitationes; & *totam animam*, id est, omnes vitæ sensitivæ operationes deliberatas; & *totam fortitudinem*, id est, omnes deliberatos actus exteriores. Et idem est de præcepto Apostoli: *Omnia vestra honestè fiant*, id est, ex motivo honesto, modoque, loco, & tempore debito. Quæ omnia, quia complectuntur universitatem humanorum actuum, non ideò affirmativa esse desinunt, quia pro omni actu deliberato obligant. Enim-verò, etsi sic explicitè affirmativa sint, ut implicitè contineant præceptum negativum, nihil faciendi nisi ex fine debito, cumque omnibus debitis circumstantiis, nihil amandi nisi finaliter propter Deum, non hærendi per amorem in creatura, &c. Vide suprà lib. 6. n....

CAPUT VI.

Argumentum septimum ex 1. Petri 1. Secundùm eum qui vocavit vos sanctum, & ipsi in omni conversatione sancti sitis.

18 MAndatum istud, quo jubemur in omni conversatione esse sancti, ac per consequens in omni actu deliberato esse sancti, non semel in divina Scriptura repetitur. Et ratio redditur Lucæ 1. quia ad hoc Deus factus est homo, *ut sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi, in sanctitate & justitia coram ipso, omnibus diebus nostris.* Profectò si omnibus diebus, profectò & omnibus horis, omnibus momentis, &c. Ideò namque se totum Deus homini dedit per Incarnationem, ut homo fieret filius Dei, totus Dei, peculium & possessio Christi, templum, victima, sponsa Dei, &c. omnique proinde momento vitæ moralis viveret vitâ Dei, viveret ut totus Dei, ut filius, templum, victima, sponsa Dei, ut peculium & possessio Christi, &c. ut omni proinde momento sanctè viveret, prout demonstratum est lib. 6. cap. 7. & 8. At verò nequit omni momento vitæ moralis sanctè vivere, nisi in omni vita, actione, conversatione morali Deum amet, ad Deumque proinde, Deique amorem omnem vitæ suæ moralis partem, actionem & conversationem dirigat, uti ostensum est ibidem n. 91.

CAPUT VII.

Argumentum octavum ex 2. Cor. 5. Pro omnibus mortuus est Christus, ut & qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est.

EX hoc loco efficax argumentum habes ibi- 19
dem n. 73. 74. 75. 76. Vide ibi.

CAPUT VIII.

Omnem amorem actumque deliberatum referri debere in Deum propter se dilectum, communis est traditio Sanctorum.

§. I.

Nonnulla præmittuntur ad evidentiam testimoniorum referendorum.

REcolenda est regula 5. ad dignoscendam 20
traditionem Proleg. 3. c. 15. n. 108. exhibita, nimirùm, quòd *ubicumque plures è gravioribus plurium Nationum Patribus aperte conspirant in eundem sensum, in materia fidei vel morum; nec aliorum veterum Patrum sententia reperitur in contrarium: consensus illorum sententia sufficiens est traditionis argumentum.* Nec ad id necesse est quòd referantur omnes. Cùm hoc vix possibile sit, nec unquam practicatum in Conciliis, in quibus hæreticorum errores per Patrum traditionem confutati fuere.

Ad ostendendam proinde Sanctorum tra- 21
ditionem, in puncto præsenti, sufficiet exhibitio plurium è gravioribus variarum Nationum vetustis Patribus. Quibus non paucos adjiciemus è Recentioribus sanctis.

Omnem itaque actum deliberatum in Deum 22
propter se dilectum referri debere, eorum imprimis traditio est, qui aiunt, omnes actus nostros in Dei gloriam finaliter esse referendos, vel propter Deum faciendos. Siquidem Deus propter se dilectus, finis est omnium, quæ fiunt finaliter propter ipsum. Quæcumque enim propter Deum fiunt, ex gratuito Dei amore, Deique charitate fiunt: cùm charitas sit amor Dei propter se, vel creaturæ

propter Deum, Augustinoque teste lib. de moribus Eccles. c. 9. *charitas expressiùs significari nequeat, quàm dicendo propter se*, propter Deum, &c. *Scriptum est, quia propter te efficimur totâ die. Charitas verò ipsa non potuit significari expressiùs, quàm quòd dictum est, propter te.* Sermone etiam in Psalmum 54. *Quid est gratuitum?* (inquit) *ipse propter se, non propter aliud.* Serm. 11. in Psalm. 118. *Gratis, id est, nonnisi propter Deum.* In Psal. 79. in fine: *Deum gratis colunt, id est, quia ipse bonus est.* Et lib. 5. contra Julianum c. 3. *Totum rectè fit, quando fit propter ipsum, id est, quando gratis amatur ipse.* Deus autem propter se dilectus, finis est charitatis, gratuitique Dei amoris.

Deus etiam propter se dilectus finis est omnium, quæ finaliter in gloriam ipsius referuntur. Cùm omnia quæ finaliter in gloriam ipsius referuntur, fiant propter gloriam ipsius; adeòque finaliter propter ipsum, ut Basilius tradit in reg. fus. disput. interrogat. 195. dum ad hanc interrogationem: quomodò omnia quis ad Dei gloriam facit? Respondet: *quando omnia propter Deum.... facit.*

24 Denique Deum, propter se dilectum, esse debere finem omnium actuum nostrorum, traditio est omnium illorum Patrum, qui asserunt, Deum esse debere finem omnium actuum nostrorum; omnisque proinde amoris nostri. Cùm certum sit (ex dictis lib. 5. n. 51. 52. 53.) finem amoris propter se amari, solumque propriè amari; nec minùs certum, quòd finis, quò referimus ea quæ facimus, sit finis propter quem ea facimus, secundùm illud Augustini l. 2. de mor. Manich. c. 13. *Finis quò referuntur ea quæ facimus, id est, propter quem facimus.* Ubi finem, quò referimus ea quæ facimus, confundit cum fine propter quem facimus.

§. II.

Referuntur varii SS. Patres remissivè.

25 ASsertionem proinde nostram tradunt imprimis omnes qui suprà l. 5. c. 11. docent solum Deum propter se finaliter amandum. Et qui lib. 6. c. 5. & 15. docent omnem vitæ nostræ partem in Dei amore transigendam, Deumque omni affectu, opere, cogitatione, &c. diligendum, sic primum exponentes mandatum. Hi sunt Origenes, Basilius, Augustinus, Author Soliloquiorum inter opera Augustini, Theodoretus, Victor Antiochenus, Gregorius, Bernardus, S. Franciscus Assisias, S. Thomas Aquinas, S. Thomas Villanovanus, &c.

§. III.

Sigillatim referuntur Origenes, Basilius, Chrysostomus, Ambrosius, Hieronymus.

26 ORigenes quidem, quia lib. 10. in epist. ad Rom. ad illa verba, *Omne quod non est ex fide, peccatum est*, sic habet: *In hoc sermone credentium quorumdam negligentes & desides animos vinculo acriore constringit, ut nihil sine fide agant, nihil sine fide dicant, nihil sine fide cogitent. Quia sive quid gesseris sine fide, sive locutus fueris, sive etiam cogitaveris, peccas. Hoc idem est quod in aliis dicit: Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Ubi perspicuè docet peccare eum, qui aliquid facit non in gloriam Dei. Nec mirum, quia Deum ex vi primi mandati omni affectu, opere, cogitatione amandum docet loco proximè relato.

Basilius l. 2. de Bapt. c. 8. *Necessarium est* 27
præceptum Apostoli servare, dicentis: Omnia honestè & secundùm ordinem fiant, id est, ut paulò post exponit, *pietatis gratiâ.... secundùm scopum quem Dominus docuit, dicens: Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est. Et quem Paulus in Christo locutus ostendit, sive edatis* (inquiens) *sive quid aliud faciatis, omnia ad gloriam Dei facite.* Quæ verba in reg. fus. disp. interrogat. 5. vocat *Pauli præceptum*, hisce verbis: *Christianus, si actiones suas omnes, sive majores, sive minores, ad Dei voluntatem direxerit.... Apostoli præcepto ille satisfacit, Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei.* Interrogat. 72. rursus vocat *præceptum Apostoli.* Interrogat. 195. *Dei mandatum.* Ad quæstionem namque, quomodò quis omnia ad Dei gloriam facit? Respondet: *quando omnia propter Deum ex Dei mandato facit.* Nec mirum, quia nullam cordis divisionem Deus permittit, ut aliquid extra Deum non propter Deum diligas, uti docet in Psal. 44. Vide lib. 6. c. 5.

Chrysostomus in cap. 10. ad Hebræos: *Nihil* 28
bonum est, quod non per charitatem fiat. Serm. de charitate quæ cuncta dirigit: *Nihil est boni & honesti, quin ortum ex charitate ducat.*

Ambrosius serm. super verbis Malachiæ: 29
Qui est Christianus, debet *semper Patri ac Domino suo laudes dicere, & in ejus gloriam omnia procurare, sicut ait B. Apostolus, dicens: Sive manducatis, sive bibitis, &c.* Et rursus: *In hoc nomine* (Christi) *omnes actus nostri dirigendi sunt, & in ipsum totius vitæ nostræ commotio referenda.*

Hieronymus in epist. ad Ctesiphont. contra 30
Pelagium probat necessitatem gratiæ ad omnes actus nostros rectè factos, ex eo quòd juxta Apostolum omnes faciendi sint in nomine Domini. Cùm enim Pelagius, contra necessitatem illam sic arguisset: *Audite, quæso, audite sacrilegium, si voluero curare digitum, movere manum, sedere, stare, ambulare, discurrere, sputa jacere, duobus digitis narium purgamenta decutere, relevare alvum, urinam digerere, semper mihi auxilium Dei necessarium erit.* Sic in ipsum Hieronymus insurgit: *Audi ingrate, imò sacrilege, Apostolum prædicantem: Sive manducatis, sive bibitis, sive*

aliud quid facitis, omnia in nomine Domini agite. Ubi certum est sermonem non esse de necessitate divini auxilii per generalem concursum (cujus necessitatem Pelagius non negavit) sed per gratiam, cujus ad prædictas actiones rectè & inculpatè faciendas necessitatem negavit, quia per assertam illius necessitatem destrui putavit arbitrii libertatem. Cui Hieronymus: *Quis destruit arbitrium? ille qui semper agit gratias, & quodcumque in suo rivulo fluit, ad fontem refert; an ille qui dicit: recede à me, quia mundus sum, non habeo te necessarium? dedisti enim mihi semel arbitrii libertatem.... quid rursum te ingeris, ut nihil possim facere, nisi tu in me dona compleveris?* Tunc subjungit allatam objectionem Pelagii, *Audite, quæso, audite sacrilegium, &c.* ut suprà, confutatque per Apostoli sententiam, *Sive manducatis, &c.* Quæ Apostoli verba si non censuisset esse præcepti, per ea gratiæ necessitatem ad omnes actus rectè & inculpatè factos solidè probare non potuisset. Sed & in cap. 10. prioris ad Cor. *Nihil* (inquit) *magis agendum Christiano, quàm ut in omni opere ejus Dei gloria prædicetur.*

§. IV.

Idipsum Augustinus multipliciter tradit.

31 UTique lib. de corrept. & gratia c. 3. *præcipit Apostolus dicens: Omnia vestra in charitate fiant.* Lib. 2. de serm. Dom. in monte c. 18. *Vult Deus, ut simplici corde, & in unum Deum intento, faciamus quæcumque facimus.* L. 2. de lib. arb. c. 17. *Quidquid laudabile advertitur in rerum natura, ad laudem referendum est Creatoris.* Epist. 17. ad Eudoxium: *Omnia in gloriam Dei facite, qui operatur omnia in omnibus... ipsa est enim actio recti itineris, quæ oculos semper habet ad Dominum.* In Psal. 44. ad illa verba: *Dico ego opera mea Regi.* n. 9. *Opera tua si non fuerint laus Dei, incipis teipsum amare, & pertinebis ad illos, de quibus dicit Apostolus: erunt enim homines seipsos amantes. Displice tibi: placeat tibi qui te fecit... opus ergo tuum sit laus Dei.* In Psal. 51. n. 12. *In terra viventium nos debemus habere radicem.... Radix nostra, charitas nostra. Fructus nostri, opera nostra. Opus est ut opera nostra de charitate procedant.* In Psal. 54. n. 1. *Intentio dirigatur in finem, dirigatur in Christum. Quare finis dicitur? quoniam quidquid agimus ad illum referimus.* In Psal. 65. *Quo fine facias* opera tua, *vide. Si ideò facis, ut tu glorificeris, hoc prohibui. Si autem ideò, ut Deus glorificetur, hoc jussi.* In Psal. 67. *Ea sola bona opera dicenda sunt, quæ fiunt per dilectionem Dei.* In Psal. 89. explicans verba ista: *Opera manuum nostrarum dirige super nos. Et opus manuum nostrarum dirige*, n. 17. *Omnia* (inquit) *bona opera nostra, unum opus est charitatis.... Nam superiore versu, cùm dixisset: & opera manuum nostrarum dirige super nos: isto* ultimo versu *non opera, sed opus, dixit, manuum nostrarum dirige.... volens ostendere, ipsa opera, unum opus esse, id est, ad unum opus dirigi. Tunc enim recta sunt, cùm ad hunc finem diriguntur. Finis enim præcepti est charitas*, &c. In Psal. 102. n. 2. *Negotium agis? laudet Deum anima tua. Cibum capis? vide quid ait Apostolus: Sive manducatis, sive bibitis, omnia in gloriam Dei facite.* In Psal. 118. Ser. 12. n. 2. *Magni interest, cùm aliquid boni facimus, cujus rei contemplatione faciamus. Officium quippe nostrum, non officio sed fine pensandum est, ut scilicet non tantùm si bonum est quod facimus, sed præcipuè si bonum est, propter quod facimus, cogitemus.... Non ipsa laus humana culpanda est... sed propter istam laudem benè operari, hoc est vanitatem in suis operibus intueri. Quandoquidem & ipsa ab hominibus laus homini justo quantacumque provenerit, non ibi esse debet ejus finis boni, sed etiam ipsa referenda est ad laudem Dei, propter quam bona faciunt verè boni: quoniam non ab ipsis, sed ab illo fiunt boni. Denique.... Dominus.... dicit: Luceat lumen vestrum coram hominibus, ut videant vestra opera bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est. Ubi finem posuit, hoc est, in gloriam Dei. Hoc debemus, quando aliquid boni facimus, intueri, si avertuntur à vanitate oculi nostri. Non ergo sit finis boni operis in laudibus hominum, sed ipsas laudes hominum corrigamus, ad Dei laudem omnia referamus, à quo nobis datur quidquid in nobis sine laudantis errore laudatur. Porrò si vanum est propter hominum laudes bona facere; quanto vanius propter adipiscendam pecuniam? .... Et si quid est ejusmodi commodi temporalis, quod nobis accedit extrinsecùs? quia omnia vanitas .... Propter ipsam denique temporalem salutem non debemus facere bona opera nostra, sed potiùs propter illam quam speramus æternam, ubi bono immutabili perfruemur .... quod nobis est ipse Deus.* Enchirid. c. 121. *Quod ita fit, ut non referatur ad charitatem, non fit quemadmodùm oportet fieri, quamvis fieri videatur.* De fid. & oper. c. 7. *Quidquid homo velut rectè fecerit, nisi ad pietatem, quæ ad Deum est, referatur, rectum dici non oportet.* De moribus Eccles. c. 14. *Ad summum bonum referenda sunt omnia.* Tract. 25. in Joan. *Sunt opera, quæ videntur bona, sine fide Christi; & non sunt bona, quia non referuntur in eum finem, ex quo bona sunt.* Lib. 4. contra Julianum c. 3. *Cùm ad suum non referuntur Authorem dona Dei, hoc ipsi mali, his utentes, efficiuntur injusti.* Et iterùm: *Quidquid boni fit ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera Sapientia præcipit, etsi officio videatur bonum, ipso non recto fine peccatum est.* Vera autem Sapientia, secundùm Augustinum, præcipit omnia opera officiaque bona referri *in eum finem ex quo bona sunt*, sive in Deum, uti proximè dixit, evidenterque declarat lib. 19. Civit. c. 20. *Non est*

Vera

vera sapientia, quæ intentionem suam, in his quæ prudenter discernit, gerit fortiter, cohibet temperanter, justèque distribuit, non in illum finem dirigit, ubi erit Deus omnia in omnibus. Et cap. 25. *Virtutes, quas sibi habere videtur homo, nisi ad Deum retulerit, etiam ipsæ vitia sunt, potiùs quàm virtutes.*

32 Tot hisce testimoniis præsertim simul junctis, & ad invicem collatis, perspicua est Augustini sententia pro assertione nostra. Sed & si cuipiam de ea adhuc dubitandum videretur, non posset non deponere omne dubium, si ea conferret cum aliis Augustinianæ Theologiæ documentis, quibus eadem assertio nostra manifestissimè continetur.

33 Suprà namque lib. 5. c. 11. n. 66. apertissimè tradit, solum Deum amandum finaliter propter se, cætera propter Deum. Lib. 6. c. 5. n. 56. *Hæc* (inquit) *regula dilectionis divinitùs constituta est: Diliges .... Deum ex toto corde, &c. ut omnes cogitationes tuas, & omnem vitam, & omnem intellectum, in illum conferas*, id est referas, *à quo habes ea ipsa quæ confers.* Cùmque Deus præcipit se diligi toto corde, totâ animâ, totâ mente, *nullam vitæ nostræ partem reliquit, quæ vacare debeat, & quasi locum dare, ut alia re velit frui; sed quidquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quò totus dilectionis impetus currit*, ita ut ne quidem se & proximum rectè diligat, nisi qui *totam dilectionem sui & proximi refert in dilectionem Dei.* Lib. 7. c. 2. evidentissimè docet, nullam creaturam, ne ipsas quidem creatas virtutes, propter se finaliter ordinatè diligi, sed propter Deum dumtaxat. Deinde infrà cap. 31. & 32. docet nullam dari virtutem, omni ex parte bonam, debitèque circumstantionatam, nullum opus usquequaque bonum, omnibusque circumstantiis debitis vestitum, sine Dei propter se amore. Qui quia non est ex hominibus per naturam, sed à Deo per gratiam, cap.... docet nullum opus usquequaque bonum sine gratia effici posse. Quibus omnibus adeò perspicua est pro assertione nostra mens Augustini, ut de ea relictus non sit ambigendi locus.

§. V.

Idem tradunt quatuor sancti Pontifices Zosimus, Cœlestinus, Leo, Gregorius Magnus.

34 Zosimi testimonium Cœlestinus I. refert, sequiturque in epist. ad Episc. Gall. ubi sic: *Omnia studia, & omnia opera, ac merita Sanctorum, ad Dei gloriam laudesque referenda sunt .... In quam nos sententiam dirigit beatæ recordationis Papæ Zosimi regularis authoritas, cùm scribens ad totius orbis Episcopos, ait .... Omnia bona ad Authorem suum referenda sunt, undè nascuntur. Quòdque omnis motus bonæ voluntatis ex Deo sit .... sine quo nihil possumus. Ad hanc enim nos professionem idem Doctor Zosimus instituit, qui cùm ad totius orbis Episcopos de divinæ gratiæ opitulatione loqueretur: Quod ergo* (ait) *tempus intervenit, quo ejus non egeamus auxilio? In omnibus igitur actibus, causisque, cogitationibus, motibus, adjutor & protector orandus est. Superbum est enim, ut quidquam sibi humana natura præsumat, clamante Apostolo: Non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed... contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus. Et sicut ipse iterùm dicit: infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? gratia Dei per Jesum Christum... Et iterùm... non ego, sed gratia Dei mecum.*

Ecce Zosimus Papa, & cum Zosimo Cœ- 35
lestinus apertè tradunt, omnia bona opera ad Deum esse referenda. Quia ab ipso sunt per gratiam, sicut & omnis motus bonæ voluntatis, ita ut nullus bonus motus ab homine sit per naturam, sed à Deo per gratiam, & nullum tempus sit, quo gratiæ non egeamus auxilio, pro quo proinde impetrando, in omnibus actibus, causis, cogitationibus, motibus, Deus est orandus.

Quod totum usque adeò verum pronuntiat 36
Cœlestinus in epistola citata, ut in fine illius, *Non opinemur* (inquit) *catholicum, quod apparuerit præfixis sententiis esse contrarium.* Sic itaque Cœlestinus censuit de sententia Zosimi, quâ dixit, *omnia bona* opera *ad Authorem suum esse referenda, in omnibusque actibus, cogitationibus, motibus, gratiæ adjutorium esse necessarium.* Cur ita, nisi quia omnes actus, cogitationes & motus (deliberati) ad Deum propter se dilectum referendi sunt; quæ dilectio non est ab homine per naturam, sed à Deo per gratiam, ut Augustinus mille locis tradit?

S. Leonis pro assertione nostra non minùs 37
luculentum est testimonium serm. 5. de jejunio septimi mensis: ibi namque docet quòd in quocumque actu rationalis animus non est amator Dei, amator sit mundi, cùm dicit: *Duo sunt amores, ex quibus omnes prodeunt voluntates*, omnes proinde actus voluntarii & deliberati. Rationalis enim animus, *qui sine amore esse non potest, aut Dei amator est, aut mundi.* Vult igitur omnes voluntates, vel ex Dei amore procedere, vel mundi. Omnem verò mundi culpabilem esse dicit, cùm addit: *In dilectione mundi cuncta sunt noxia.* Ne igitur ex culpabili amore rationalis animi prodeant voluntates, vult Pontifex ut ex Dei prodeant amore. Et ideò subjungit: *Æternis rebus inseparabiliter* (adeòque semper, sive in omni actu deliberato) *inhærendum; temporalibus verò transeunter utendum*, ita ut *quidquid eorum occurrerit, viaticum sit itineris, non illecebra mansionis.*

Luculentiùs adhuc Gregorius Magnus l. 25. 38
Moral. c. 13. assertionem nostram tradit, dum ait: *Altare Dei est cor nostrum, in quo jubetur ignis semper ardere: quia necesse est ex illo ad Dominum charitatis flammam semper ascendere.* Dum etiam lib. 28. c. 13. dicit, *quòd*

vigilanti curâ, per cuncta opera intentio noſtra penſanda eſt, ut nihil temporale, in his quæ agit, appetat, totam ſe in ſoliditate æternitatis (id eſt in Deo) *figat: ne ſi extra fundamentum actionis noſtræ fabrica ponatur, terrâ dehiſcente ſolvatur. Unde hîc quoque apertè ſubjungitur:* ſuper quo baſes illius ſolidatæ ſunt? (id eſt, ſuper quo ſolidatæ ſunt intentiones ſuæ? baſes quippe *animæ rationalis, ſunt animæ intentiones ſuæ*) *ac ſi apertè diceret* (Deus) *niſi ſuper me?*

39 Homiliâ quoque 4. ſuper Ezech. *Omnis* (inquit) *intentio Sanctorum ſuper ſe tendit, ut illud poſſit adipiſci, quod in cæleſtibus appetit... tunc enim veraciter quod agit bonum eſt, quando ei complacere concupiſcit, à quo eſt.* Et lib. 4. regiſtri epiſt. 8. *Neceſſe eſt ut Deum in omni quod gerimus, attendamus.... atque ad æternitatis bona cordis deſiderium dirigamus.*

§. VI.

Idem tradunt Proſper, Fulgentius, Maximus, Author Soliloquiorum apud Auguſtinum, Theodoretus, Victor Antiochenus, Beda, Rabanus, Eucherius, Aponius, Anſelmus.

40 SAnctus Proſper, ſeu Julianus Pomerius l. 1. de vocat. Gent. c. 6. *Homo, etiamſi in bonis moribus agat, malè adhuc vivit, ſi non in Dei gloriam vivit. Hoc eſt proprium & præcipuum piorum, ut in Domino glorientur, nec ſe niſi in Deo diligant.* Et l. 3. de vita contempl. c. 15. *Iſte igitur nobis dilectionis ordo ſervandus eſt.... ut* (*ſicut ordinata charitas poſcit*) *Deum principaliter diligamus: & propter ipſum, in ipſo ea quæ diligenda ſunt, tantùm, quantùm ipſe præcipit, diligamus.* Et lib. de grat. & lib. arb. c. 2. Caſſianum blaſphemiæ arguit, dum negat, ad Deum omnia Sanctorum merita referenda, dicitque *nos gratiam Dei non ad ſingulos actus recipere, ac proinde non pro omni bono opere ſemper orare.... Nam* (ait econtrà S. Proſper) *cùm nemo ſit bonus, niſi ſolus Deus; quale erit bonum, quod Authorem non habet bonum?* Cur Deus omnis boni Author eſt per gratiam? Quia omne bonum in Deum referri debet per charitatem. Unde in ſententiis ſent. 159. *Unum eſt* (inquit) *ſummum bonum.... propter quod appetenda ſunt bona cætera; ipſum autem propter ſeipſum.*

41 Fulgentius l. 1. de Incarn. & grat. c. 16. *Quomodò hi poterunt eſſe apud Deum juſti, qui ſic in ſuis moribus atque operibus aliquid bonitatis ſervant, ut hoc ad finem chriſtianæ fidei charitatiſque non referant?*

42 S. Maximus Homil. 2. de gratiis Deo agendis: *Chriſtianus ſemper debet Patri ac Domino ſuo laudes dicere, & in ejus gloriam omnia procurare, ſicut ait B. Apoſtolus: Sive manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.*

43 Author Soliloquiorum apud S. Auguſtinum hoc ipſum apertiſſimè tradit, dum c. 19. explicans primum mandatum, Deo dicit: *Domine juſſiſti in lege tua, ut diligam te in toto corde meo... omnibus horis ac momentis, quibus fruor bonis miſericordiæ tuæ.... Sicut ergo nulla hora eſt, vel punctum in omni vitamea, quo tuo beneficio non utar; ſic nullum debet eſſe momentum, quo te... non diligam, &c.*

44 Theodoretus in cap. 10. primæ ad Corinth. explicans verba iſta: *Omnia in gloriam Dei facite: Pulchrè* (inquit) *omnia comprehendit, & ſedere, & ſtare, & ambulare, & diſſerere, & miſereri, & docere, ut unus ſit omnibus ſcopus, Dei gloria. Ita etiam præcipit Dominus, &c.* Confer aliud teſtimonium ipſius, quod habes lib. 6. c. 5. ex q. 3. ſuper Deuteron. ubi habes quoque teſtimonium Victoris Antiocheni ad idem.

45 Eucherius epiſt. ad Valerianum inter varia vitæ chriſtianæ præcepta, iſtud ultimo loco tradit: *Omnia dicta factaque, ad Deum vel propter Deum dirige. Unus hic portus eſt, in quem nos ab omni fluctuantis ſæculi jactatione referamur.*

46 Aponius l. 2. in Cantica. *Deus operam hominis, pro ſua voluntate, ſibi vult ſemper totam impendi, ſicut ipſe ait in Evangelio: Operamini opus quod non perit. De quo itidem Apoſtolus commonuit.... Omnia in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti facite. Quòd ſi omnia in nomine ejus juſſa ſunt fieri, nulla dereliquit opera, quæ non in nomine ejus fiant.*

47 V. Beda, & Rabanus, ad illa Apoſtoli verba: *Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt*, verbatim exſcribunt explicationem Origenis n. 6. relatam.

48 Anſelmus Monolog. c. 66. *Nihil enim aptius, quàm rationalem creaturam ad hoc eſſe factam, ut ſummam eſſentiam amet ſuper omnia... imò ut nihil amet, niſi illam, aut propter illam.* In caput quoque 3. ad Coloſſ. verba illa Apoſtoli, *Omnia in gloriam Dei facite*, dicit eſſe præcepti.

§. VII.

Proferuntur Sancti noviſſimorum ſæculorum, S. Bernardus, S. Thomas Aquinas, S. Franciſcus Aſſiſias, S. Laurentius Juſtinianus, S. Thomas Villanovanus, S. Ignatius de Loyola, S. Franciſcus Xaverius, S. Philippus Nerius, S. Tereſia, S. Maria Magdalena de Pazzis. Et cum iis Thomas à Kempis, Dionyſius Carthuſianus, & Catechiſmus Romanus.

49 SAnctus Bernardus Serm. 2. de diverſis, cui titulus, de miſeria humana: *Totum eſt vanitas, totum ſtultitia, totum dementia, quidquid facis in hoc mundo, præter id ſolum, quod in Deum, & propter Deum, & ad honorem Dei facis.* Et Serm. 3. cui titulus, de obedientia, patientia & ſapientia: *Quidquid facimus, jubemur facere in gloriam Dei.* Et Serm. 2. de verbis Apoſt. *Non eſt regnum Dei eſca & potus*, in medio: *Quidquid igitur es, quidquid potes, debes creanti, redimenti, vocanti*

canti. Confer clarissima alia testimonia ipsius, quæ habes suprà l. 6. n. 60. & 71. Et l. 7. n. 17. Et adde id quod ait in l. de præcepto & dispens. *Ut interior oculus verè simplex sit, duo illi arbitror esse necessaria, charitatem in intentione, & in electione veritatem.*

50 S. Thomas Aquinas tot locis tamque manifestis assertionem nostram tradit, ut angelica hac de re doctrina ipsius digna sit, quæ sequenti capite per totum specialiter referatur.

51 S. Franciscus Assisias, Ordinis Minorum Fundator, in expositione Dominicæ Orationis, exponens verba primi mandati, Deum sic alloquitur: *Amem te (ut præcipis) ex toto corde, te semper cogitando. Ex tota anima, te semper desiderando. Ex tota mente, omnes intentiones nostras ad te dirigendo, & honorem tuum in omnibus quærendo. Et ex omnibus viribus nostris, omnes vires, sensus animæ & corporis, in obsequium tui amoris, & non in alio exponendo.* Cùm ergo primo mandato jubeamur Deum diligere ex toto corde, juxta Seraphicum Franciscum, jubemur de Deo semper cogitare. Cùmque etiam jubeamur Deum diligere *ex tota anima, ex tota mente, & ex omnibus viribus nostris*, juxta eundem jubemur Deum semper desiderare, ad ipsum omnes intentiones nostras dirigere, honorem ipsius in omnibus quærere, omnes vires, sensusque animæ & corporis in obsequium sui amoris, & non in alio exponere. Hoc est enim (juxta eundem Sanctum) Deum diligere ex toto corde, tota anima, tota mente, & ex omnibus viribus nostris.

52 S. Laurentius Justinianus de regim. Prælat. c. 22. *In cunctis operibus, quicumque animi salutem exoptat, intentionis suæ componat obtutum, & ad illum, quem lex divina mandat, dirigat finem.* Et alibi fol. 193. dicit pudore suffundi debere hominem, qui creaturam amat, non amando Deum; sed amat creaturam propter creaturam, non propter Deum: *pudeat hominem, creaturis inhærendo, non amare bonum, unde bonæ sunt.*

53 S. Thomas Villanovanus lib. 6. c. 5. relatus, efficacissimè, apertissimèque dicit: *Illi* (utique Deo) *debes quidquid es, quidquid potes, quidquid sapis... Cui enim debetur fructus, nisi ei qui plantavit arborem? Illi igitur integrum debes amorem, qui tibi amandi præstitit facultatem. Illi debes omnes cogitationes, qui vim intelligendi tibi inseruit. Illi debes desideria omnia tua, & appetitus, qui appetendi desiderandique potentiam in te plantavit. Si quam igitur cogitationem, si quam dilectionem in alio expendis, si quid aliud cupis aut sapis, si quid agis, vel meditaris, quod non ipse est, aut propter ipsum, fur es & latro... Illi enim... omnis actus & operatio tua jure debetur, &c.*

54 S. Ignatius de Loyola, Fundator Soc. Jesu, in lib. Exercit. Edit. Antuerp. anni 1676. pag. 176. *Haud sanè dubium, quin mea omnia divinæ Majestati offerre debeam*, ex amore ipsius, de quo p. 160. dicit: *quem certè amorem debeo sentire in me ut radicem & causam cujuscumque meæ affectionis.* Junge quæ ex ipso retuli lib. 5. n. 67. & quæ habet in suis Constitut. pag. 3. c. 1. §. 26. *Omnes rectam habere intentionem studeant* (hæc certè verba meri consilii non sunt. Ergo nec sequentia, rectæ intentionis naturam exponentia) *non solùm circa vitæ suæ statum, verùm etiam circa res particulares, ut serviant & placeant divinæ bonitati propter seipsam, exuentes se, quantùm fieri potest, amore omnium creaturarum, ut affectum universum in ipsarum Creatorem conferant, eum in omnibus creaturis amando*, &c.

S. Franciscus Xaverius lib. 3. epist. 4. *Par est ut Dei beneficiis ad Dei gloriam utamur.* 55
Aliàs ingrati sumus, pœnamque meremur, ut ait lib. 1. epist. 2. *Mutua officia & studia amicorum ad unam Christi gloriam referantur*, id est, referri debent: sequitur enim: *siquando* (quod Deus avertat) *ejus ipsum caperet oblivio, enim-verò existimaret, se, pro tam ingrato animo, gravissimas Deo pœnas daturum.*

S. Philippus Nerius in monitis asceticis, mo- 56
nito 10. *Omnis ille amor, quem quis parentibus, carni, sanguini, sciendi studio, ac sibi ipsi denique tribuit* (ibi sistendo) *Deo, qui solus illo amore dignus est, detrahitur.* Et monito 10. *Nescit eorum quidquam quæ facit, qui aliùs quàm Christi amore, aut causâ quidquam facit.*

S. Teresia in monitis suis, monito 23. 57
Quidquid ages, in gloriam Dei referes. Aliàs quidquid egeris, vanitas, mendacium, & vituperabile erit, ut dicit lib. 1. vitæ suæ c. 40. Edit. Paris. anni 1670. per Arnaldum Dandillyum: *Quidquid ad obsequium ipsius non ordinatur, adeò evidenter apparet mihi non esse nisi vanitas, & mendacium, ut exprimere nequeam, quàm vituperabile sit, & quantoperè miserear eorum, qui ignorant hanc veritatem.*

S. Maria Magdalena de Pazzis lib. 2. di- 58
vin. intellig. c. 23. n. 6. *O Domine mi! purâ, mundâ & sincerâ intentione oportet ambulare, & væ illis, qui aliam quàm tibi serviendi, teque honorandi, vel etiam seipsos salvandi, intentionem habent.* Et lib. 4. c. 16. exponens verba Christi Matth. 10. *Neque duas tunicas habeatis, per unicum vestimentum* intelligit *unicam intentionem, unicum finem. Per te* (Deus) *sit opus cœptum, in te finitum, qui veritas es. Sed à quàm paucis veritas hæc intelligitur! omnes claudere videntur aures; sed ad oppositum mendacium aperiunt.... unicum, unicum vis ut habeamus vestimentum, quod est tua, tuæque bonitatis cognitio, haud in aliquo creato sistendo, non in divitiis, nec in pulchritudinibus, nec in fortitudine, nec in aliquo extra te; sed tantùm omnium creaturarum salutem in te & pro te desiderare.* Et cap. 24. n. 13. *Audeam dicere, minimam omnem, quamvis vilem, actionem elevandi ad te mentem causam esse debere.* Et lib. 5. c. 30. *Quilibet, etiam minimus intuitus, qui secundùm Deum non sit, puritatem impedit.... quam pu-*

ritatem à tua ejicis intentione, quoties intentionem puram honorandi Deum, & adjuvandi proximum non habes.

59 Thomas à Kempis (de quo Catholicus orbis semper tam magnificè sensit) l. 3. de Imit. Christi c. 9. in Dei persona sic loquitur: *Fili, ego debeo esse finis tuus supremus & ultimatus, si verè desideras esse beatus. Ex hac intentione purificabitur affectus tuus, sæpiùs ad teipsum, & ad creaturas malè incurvatus. Nam si teipsum in aliquo quæris, statim in te deficis & exarescis. Omnia ergo ad me principaliter referas: quia ego sum qui omnia dedi. Sic singula considera, sicut ex summo bono manantia, & ideò ad me, tanquam ad suam originem, cuncta sunt reducenda. Totum da Deo, sine quo nihil habet homo. Ego totum dedi: ego totum habere volo .... Si rectè sapis, in me solo gaudebis ....: quia nemo bonus, nisi solus Deus, qui est in omnibus benedicendus.*

60 Dionysii Carthusiani verba ad idem clarissima habes suprà lib. 5. n. 68.

61 Catechismus Romanus pag. 3. c. 2. n. 23. *Necesse est eos qui legem Dei servant, eadem charitate atque amore, quo ad Deum sunt, ad ejus obedientiam adduci.* Quod est dicere, quòd *charitate & amore lex perficienda sit*, ut ibidem in margine dicitur. Et pag. 4. c. 13. n. 3. *In iis petendis, quæ ad usum fructumque pertinent rerum terrenarum, esse intendendum animum ac studium nostrum ad Dei præscriptionem, nec inde ulla ex parte declinandum.... Nam Apostolus in epist. ad Corinth. docet, omnia quæ spectant ad usus vitæ necessarios, ad Dei gloriam referri oportere: sive enim manducatis (inquit) sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.*

62 S. Bonaventuram assertioni nostræ fateor per omnia non favere. Quia admittit opera indifferentia in individuo, nec putat necessarium, ut omnia fiant ex fine sive motivo honesto. Favet tamen ex parte, quatenùs in 3. dist.... a. 1. q. 1. sic habet: *Hoc solum fit rectâ intentione, quod fit ad honorem & gloriam Dei. Sine verò recta intentione nullus actus virtutis rectè incedit.* In eo verò, in quo non favet, haud dubiè postponendus est veteribus Patribus, ipsi hac in parte communiter contradicentibus, ut ostensum est.

Argumentum X.

Omnem actum deliberatum in Deum propter se dilectum referri debere, manifesta videtur sententia Angelici Doctoris.

63 Demonstratur ex innumeris, iisque clarissimis testimoniis ipsius. Primò namque in 1. dist. 1. expressissimè docet, oportere ut omnia bona amentur in ordine ad primam bonitatem, omnemque actum humanum, referibilem in Deum, si non referatur, esse in individuo peccatum. Posteaquam enim q. 2. in argum. *Sed contrà* dixit: *Nihil est diligendum, nisi in ordine ad Deum.* q. 3. sic habet: *Dicendum quòd quæcumque sunt bona, non habent bonitatem, nisi in quantum accedunt ad similitudinem bonitatis divinæ. Unde oportet, cum bonitas sit ratio dilectionis & desiderii, ut omnia amentur in ordine ad bonitatem primam. Omne autem quod bonum est, à Deo est... ipsæ etiam res mundi ab ipso sunt, & eis utendum est secundùm quod conferunt ad Dei cognitionem.... vel secundùm quod præbent subsidium vitæ nostræ ordinatæ in Deum. Similiter opera nostra, quæ mala non sunt, ab ipso sunt; & ideò sunt propter ipsum facienda.* Quid clarius?

Secundò ibid ad 3. ob rationem fundamentalem proximè exhibitam dicit, quòd, *secundùm Theologum, nullus actus procedens à voluntate deliberante est indifferens. Quia si referatur in Deum, supposità gratiâ meritorius est. Si autem non referatur, vanus est. Otiosum autem inter peccata apud Theologum computatur.* Manifestum est ergo, ut à peccato excusemur, juxta S. Doctorem, non sufficere, quòd actus noster referibilis sit in Deum; sed quòd hoc ipso peccatum sit, quo non refertur. 64

Tertiò in 2. dist. 38. q. 1. a. 1. *Sicut omnium rerum unus est finis ultimus, scilicet Deus; ita & voluntatum omnium unus est finis ultimus, scilicet Deus. Nihilominùs tamen alii sunt fines proximi. Et si secundùm illos fines servatur debita relatio ad finem ultimum, erit recta voluntas. Si autem non, erit perversa. Debita autem relatio ad finem ultimum salvatur secundùm actum, quo voluntas nata est ultimum finem participare... Et hic est charitas vel beatitudo. Et ideò non solùm Deus, sed charitas est finis omnium rectarum voluntatum.* Deus utique est finis *qui*; charitas, finis *quo*, prout ipsemet explicat suprà lib. 6. n. 4. 65

Quartò, ibidem ad 4. ut ostendat se, in verbis proximè relatis, exigere relationem, saltem virtualem, & non solùm habitualem, ad Deum, vel charitatem: *Ad hoc* (inquit) *quòd alicujus actionis finis sit Deus, vel charitas, non oportet quòd agendo illam actionem, aliquis de Deo vel charitate cogitet; nec iterùm sufficit, quòd aliquis habitu tantùm Deum vel charitatem habeat. Quia sic etiam actum venialis peccati aliquis in Deum ordinaret; quod falsum est. Sed oportet quòd priùs fuerit cogitatio de fine, qui est charitas, vel Deus, & quòd actiones sequentes in hunc finem ordinaverit, ita quòd rectitudo istius ordinationis in actionibus sequentibus salvetur, ut patet in exemplo quod Avicenna ponit de artifice, qui si, dum opus exercet, semper de regulâ artis cogitaret, multùm in opere impediretur: sed sicut priùs excogitavit per regulas artis; ita postmodùm operatur; & sic in opere ejus rectitudo artis salvatur.* Quæ est ipsissima explicatio, quâ exponi solet intentio seu relatio virtualis. 66

Quintò, rursus in 2. dist. 40. q. 1. a. 5. ad 7. *Hoc quod dicitur, Omnia in gloriam Dei facite, potest intelligi dupliciter, vel affirmati-* 67

vè, vel negativè. Si negativè, sic est sensus, nihil contra Deum faciatis. Et hoc modo præceptum est.... Si autem intelligatur affirmativè, hoc potest esse dupliciter. Aut ita quòd actualis relatio in Deum sit conjuncta actioni nostræ cuilibet, non quidem in actu, sed in virtute, secundùm quod virtus primæ ordinationis manet in omnibus actionibus sequentibus; sicut & virtus ultimi finis manet in omnibus finibus ad ipsum ordinatis. Et sic adhuc præceptum est, & contingit omissionem ejus esse venialem, vel mortalem, &c.

68 Sextò, in 2. ad Annibaldum dist. 41. q. un. a. 3. in c. *Potest considerari aliquis actus secundùm individuum; & sic oportet quòd consideretur cum omnibus circumstantiis, quæ ad actum concurrunt. Et sic nullus actus, ex deliberativa voluntate procedens, est indifferens, quin sit bonus vel malus. Et hoc quia, si refertur in finem debitum, est bonus. Aliàs autem est malus. Tenetur enim voluntas deliberativa omnem actum referre in Deum, vel immediatè vel mediatè. Etsi enim non semper actu cogitet de Deo, refert tamen habitu* (id est, virtute, ut verba sequentia manifestant) *& quodammodò actu; in quantum vis actualis intentionis præcedentis remanet in actibus sequentibus.*

69 Septimò, in disputatis q. un. de charitate a. 11. ad 1. *Omnia actu referre in Deum, non est possibile in hac vita; sicut non est possibile, quòd semper de Deo cogitetur.... sed quòd omnia virtute referantur in Deum, pertinet ad perfectionem charitatis, ad quam omnes tenentur.* Quam relationem virtualem explicat exemplo Medici colligentis herbas, qui dum eas colligit, *actu intendit conficere potionem, nihil fortasse de sanitate cogitans, virtualiter tamen intendit sanitatem, propter quam potionem dat. Sic igitur, cùm aliquis seipsum ordinat in Deum, sicut in finem, in omnibus quæ propter seipsum facit, manet virtute intentio ultimi finis, qui Deus est. Hoc igitur modo Apostolus præcipit, quòd omnia in gloriam Dei referantur.*

70 Octavò, ibidem q. 23. de voluntate Dei ad 8. *Secundùm communiorem non tenemur ad faciendum aliquid ex charitate* (habituali) *sed ad faciendum aliquid ex dilectione naturali* (id est, procedente ex sola gratia actuali, non habituali, uti S. Doctor seipsum explicat infrà l. 9. c. 9.) *sine quo ad minus quidquid sit, malè fit.*

71 Nonò, lect. 7. in cap. 10. prioris ad Corinth. exponens Apostoli verba, *Sive manducatis, sive bibitis*, &c. dicit, quòd Apostolus primò inducit actum multiplicem, sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis. *Secundò persuadet intentionem debitam, ibi, omnia in gloriam Dei facite.... id est, cum invocatione Creatoris, eâ intentione ut Deus laudetur & glorificetur.* Vult igitur hanc intentionem esse debitam.

72 Decimò, lect. 2. in cap. 16. ejusdem epist. Apostolicum istud, *Omnia vestra in charitate fiant*, sic exponit: *id est, omnia debent referri ad finem charitatis, scilicet ut fiant propter Deum & proximum.*

Undecimò, lect. 3. in cap. 3. ad Colossenses 73
relatis hisce Apostoli verbis: *Omne quodcumque facitis, in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi*, subjungit: *Quidam dicunt, quòd hoc est consilium; sed hoc non est verum.*

Si dicas, hinc esse consequens, peccantem 74
venialiter peccare mortaliter; utpote faciendo contra præceptum. Negat consequentiam S. Doctor: quia *venialiter peccans non facit contra hoc præceptum simpliciter.* Quia non facit contra finem præcepti: quamvis enim *non actualiter*; sed tamen *habitualiter refert omnia* in Deum. Quod licèt non sufficiat ad non peccandum venialiter contra hoc præceptum; sufficit ad non peccandum mortaliter. Solus autem mortaliter peccans, sensu Veterum, facit simpliciter contra præceptum. Aiebant enim peccatum veniale non esse *contra*, sed *præter* legem Dei.

Duodecimò, lect. 3. in cap. 3. ad Galat. 75
culpat redditionem debiti, factam non propter Deum: *Si reddas tibi, vel proximo quod debes, & hoc non facis propter Deum, magis es perversus, quàm justus. Cùm ponas finem in homine*, in quantum stas in homine, sive in creatura. *Stare* autem *in creatura, sine peccato esse non potest*, inquit supplem. q. 49. a. 5. ad 1.

Decimò-tertiò, 1. 2. q. 19. a. 10. *Non est* 76
recta voluntas alicujus hominis, volentis bonum particulare, nisi referat illud in bonum commune.... Unde ad hoc quòd aliquis rectâ voluntate velit aliquod particulare bonum, oportet quòd illud particulare bonum sit volitum materialiter; bonum autem commune divinum (id est, Deus, quem 1. p. q. 60. a. 4. vocat *bonum commune*, & *universale*) *sit volitum formaliter.*

Decimò-quartò, ibidem q. 21. a. 4. *Deus* 77
est ultimus finis hominis. Est autem debitum, ut ad finem ultimum omnes actus referantur.

Decimò-quintò, ibidem ad 3. *Totum quod* 78
homo est, & quod potest, & habet, ordinandum est ad Deum.

Decimò-sextò, rursus 1. 2. q. 100. a. 10. 79
ad 2. *Sub præcepto charitatis continetur, ut diligatur Deus ex toto corde; ad quod pertinet, ut omnia referantur in Deum. Sic ergo qui honorat parentes, tenetur ex charitate honorare; non ex vi hujus præcepti, quod est, Honora parentes; sed ex vi hujus præcepti, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, &c.

Decimò-septimò, ibidem q. 102. a. 6. ad 80
7. *Cælestis intentio debet omnibus operibus nostris adjungi.* Ubi per cælestem intentionem nihil convenientiùs accipitur, quàm intentio in Deum directa.

Decimò-octavò, 2. 2. q. 27. a. 5. *Homo* 81
debet quidquid habet ad Dei amorem ordinare, secundùm illud Deuteron. 6. Diliges Dominum

Deum tuum ex toto corde tuo, &c.

82 Decimò-nonò, ibidem q. 44. a. 4. *Deus est diligendus sicut finis ultimus, ad quem omnia sunt referenda. Et ideò totalitas quædam fuit designanda circa præceptum de dilectione Dei*, proximè utique relatum, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, &c. vi cujus *hoc quòd nutrimur, sentimus & intelligimus, debemus ad Deum referre*, ut ibidem ait art. 5. & iterùm ibidem: *præcipitur nobis, ut tota nostra intentio feratur in Deum.*

83 Vigesimò, ibidem q. 29. a. 1. in argum. *Sed contrà: Ex præcepto tenemur omnia in gloriam Dei facere*, ut patet 1. Cor. 10.

84 Vigesimò-primò, ibidem q. 81. a. 1. *Ad Deum nostra electio assiduè dirigi debet, sicut in ultimum finem.*

85 Vigesimò-secundò, ibidem q. 83. a. 14. *Desiderium charitatis in nobis debet esse continuum, vel actu, vel virtute. Quia omnia debemus in gloriam Dei facere.*

86 Vigesimò-tertiò, ibidem q. 89. a. 4. ad 3. *Omnia quæ facimus, debemus in Dei reverentiam facere.*

87 Vigesimò-quartò, 2. 2. q. 23. a. 7. ad 1. *Sine charitate potest quidem esse aliquis actus bonus ex suo genere; non tamen perfectè*, id est, usquequaque *bonus. Quia deest debita ordinatio ad ultimum finem.* Et ad 2. *Cùm finis se habeat in agibilibus, sicut principium in speculabilibus: sicut non potest esse simpliciter vera scientia, si desit recta æstimatio de primo & indemonstrabili principio; ita non potest esse simpliciter vera justitia, aut vera castitas, si desit debita ordinatio ad finem, quæ est per charitatem, quantumcumque aliquis se rectè circa alia habeat.*

88 Vigesimò-quintò, his adde testimonium S. Doctoris ex opusc. 35. aliàs 18. de perfect. christ. relig. cujus verba habes lib. 6. n. 63. suntque adeò perspicua, ut nihil expressius desiderari queat.

89 Vigesimò-sextò, adde etiam testimonia l. 9. cap. 8. proferenda, quibus gratiæ auxilium requirit ad omnem actum usquequaque bonum. Neque enim alia de causa illud requirit, nisi quia omnis actus usquequaque bonus fieri debet propter Deum, seu finaliter referri in ipsum propter se dilectum, prout ibidem videbitur.

90 Vigesimò-septimò, ad actum usquequaque bonum, nullaque ex parte defectuosum, juxta S. Doctorem non sufficit 1°. quòd sit bonus ex genere suo, sive ex specie & objecto: 2°. nec quòd sit bonus ex fine suo proximo: 3°. nec quòd actus ex suo genere bonus non referatur ad finem malum. Igitur præterea requiritur relatio ad debitum finem ultimum, scilicet Deum, uti S. Doctor tradit omnibus locis suprà relatis, sicut & omnibus locis quibus ad bonam electionem requirit tam bonitatem finis ultimi, quàm bonitatem finis proximi. Si enim alterum desit, ait in 2. dist. 40. q. 1. a. 2. erit voluntas mala, & actus malus. Et ad 2. ad bonitatem rei non solùm requiritur bonitas finis ultimi, quem respicit voluntas intendens; sed etiam bonitas finis proximi, quem respicit voluntas eligens. Et ad 3. defectus voluntatis circa ultimum finem, sufficit ad malitiam actionis.

Solùm proinde antecedens probandum superest, cujus prima pars probatur, quia *bonum ex genere indifferenter se habet ad bonum & malum ex circumstantia & fine*, ait S. Doctor in 2. dist. 4. q. 1. a. 5. Actus verò non est usquequaque bonus, nisi bonus sit tam ex genere quàm ex circumstantia & fine, ut proximè audivimus ex S. Doctore. Et ratio est, quia ad hoc ut actus sit usquequaque, sive absolutè bonus, debet fieri *quando oportet, & ubi oportet, & sicut oportet, &c. Si enim aliquid horum deficiat, actus est inordinatus & malus. Et hoc maximè considerari potest in circumstantiis finis.* 91

Secunda pars antecedentis sequitur ex prima. Si ad actum usquequaque bonum non sufficiat quòd bonus sit ex genere, sed bonus esse debeat ex circumstantia, & maximè ex circumstantia finis. Ergo non sufficit quòd sit bonus ex fine suo proximo; sed bonus esse debet ex fine remoto, seu ultimo. Quia bonitas ex fine proximo est ipsamet bonitas ex genere suo, sive ex specie & objecto. Et cùm bonum ex fine distinguitur contra bonum ex genere, intelligitur de fine remoto, quem agens intendit. S. Thomas in 2. dist. 36. q. 1. a. 5. ad 2. 92

Tertia pars etiam consequitur ex prima. Non enim sufficit bonitas ex genere suo, quà talis præcisè. Ergo non sufficit bonitas ex genere, non relata ad finem malum. Aliàs sufficeret bonitas ex genere, quà talis præcisè, utpote ut sic non relata ad finem malum. 93

Vigesimò-octavò, obligationem actus omnes in Deum referendi, adeò certam S. Thomas existimavit, ut licèt feraciſſimus quæstionum articulorumque, quibus tam varia inquirit, nullam tamen quæstionem, nullum articulum proponat, ubi præcisè inquirat, sitne obligatio referendi omnia opera in Deum? Cur ita, cùm hac de re toties loquatur? cur (inquam) nisi quia obligationem istam supposuit ut satis notam, nec dubitatione dignam? si enim dubitabilem censuisset, quomodò de ea dubium non instituisset? quomodò argumenta pro & contrà non proposuisset, uti facere solet in quæstionibus & articulis dubitabilibus? 94

Hoc non solùm non fecit S. Doctor, sed obligationem illam usque adeò supposuit, ut ex ea velut satis nota, varias deduxerit conclusiones, de quibus ipse non dubitavit, v. g. *quòd nulla detur actio humana, indifferens in individuo*: ex illa etiam supposita, in argumentis quæ sibi objicit, varia intulit absurda (v. g. quòd modus charitatis caderet sub præcepto; quòd omnia infidelium opera forent peccata, &c.) ad quæ dum respondet, argumenta numquam solvit, obligationem illam negando, sed sic explicando, ut absurda prætensa inde non consequantur. 95

CAPUT X.

Juxta S. Thomam non sufficit habitualis relatio omnium actuum deliberatorum in Deum; sed requiritur saltem virtualis.

96 NOnnulla sunt S. Thomæ testimonia, propter quæ aliqui censent, ipsum solùm exigere relationem habitualem. Verùm ex testimoniis adductis n. 65. 66. 67. 68. 85. constat ab ipso exigi relationem saltem virtualem.

97 Nec verò dici potest scopum S. Doctoris; tot illis testimoniis (quæ capite superiori produximus) esse quòd homines teneantur omnes actus suos deliberatos referre habitualiter in Deum propter se dilectum. Cùm q. un. de charitate a. 11. ad 2. dicat, quòd *habitualiter referre in Deum non cadit sub præcepto:* sæpèque repetat, præcepta dari de actibus, non de habitibus. Et si per testimonia, cap. præcedenti allata, doceret obligationem referendi habitualiter omnes actus in Deum, cùm habitualis illa relatio, secundùm ipsum, sit per charitatem habitualem, quæ habitualiter ordinat in Deum, sequeretur omnes actus habituali charitate carentium, videlicet infidelium & peccatorum, esse peccata. Quod constanter negat.

98 Quòd autem habitualis illa relatio sit per charitatem habitualem, adeòque sit in solis habentibus habitum charitatis, apertè indicat 1. 2. q. 88. a. 1. ad 2. ubi dicit, quòd *veniale peccatum non excludit habitualem ordinationem actûs humani in gloriam Dei, sed solam actualem: quia non excludit charitatem quæ habitualiter ordinat in Deum.* Et 2. 2. q. 44. a. 4. ad 2. *Dupliciter contingit ex toto corde Deum diligere. Uno quidem modo in actu.... alio modo, ut habitualiter totum cor hominis in Deum feratur, ita scilicet quòd nihil contra Dei dilectionem cor hominis recipiat*: quod profectò solùm fit in habentibus charitatem habitualem. Unde mox subdit, quòd *hæc est perfectio viæ, cui non contrariatur peccatum veniale.* Quare? an quia actus peccati venialis non contrariatur relationi omnium actuum in Deum? non: quia cum isto actu non consistit relatio omnium actuum in Deum, cùm actus peccati venialis non sit referibilis in Deum, uti n. sequenti ex S. Doctore videbimus. Cur ergo? *quia* (inquit) *non tollit habitum charitatis; cùm non tendat in oppositum objectum, sed solùm impedit charitatis usum.* Ideò ergo in peccante venialiter habitualis relatio manet, quia habitus charitatis manet, per quam fit ista relatio, ut exprimit in priori loco. Ideò autem in peccante venialiter manet habitus charitatis, quia actus peccati venialis non tendit in objectum oppositum isti habitui; ideòque ipsum non excludit.

99 Ne quis tamen ista sic acciperet, quasi per habitum charitatis actus peccati venialis habitualiter ordinaretur in Deum, in 2. dist. 38. q. 1. a. 1. ad 4. expressè declarat oppositum his verbis: *Ad hoc ut alicujus actionis finis sit Deus, vel charitas; non oportet quòd agendo illam actionem aliquis de Deo vel de charitate cogitet. Nec iterùm sufficit, quòd aliquis in habitu tantùm Deum & charitatem habeat: quia sic etiam actum venialis peccati aliquis in Deum ordinaret: quod falsum est.* Etsi 2. 2. q. 24. a. 10. ad 2. fateatur, contingere posse, quòd res, quæ amatur in peccato veniali, habitualiter in Deum referatur, dum utique referibilis est. Quod & repetit q. 7. de malo a. 1. ad 4. In priori namque loco, *quod amatur* (inquit) *in peccato veniali, propter Deum amatur habitu, etsi non actu.*

Porrò ratio propter quam relatio habitualis 100
(juxta S. Doctorem) fit per habitum charitatis, est quia relatio illa (secundùm ipsum) est relatio, non quâ principaliter refertur actio hominis, sed homo ipse, habens Deum pro fine suo simpliciter ultimo, regeque & possessore cordis sui. Videri potest q. un. de charit. a. 11. ad 2. ubi sic: *Aliud est habitualiter in Deum referre, & aliud virtualiter. Habitualiter enim refertur in Deum & qui nihil agit* (quod clarè de homine intelligit) *nec aliquid actualiter intendit, ut dormiens.* Non est igitur actio, quæ per relationem habitualem principaliter refertur, sed homo, seu agens; actio verò, si referibilis sit, nonnisi consecutivè.

Et hinc ratio, propter quam docet relatio- 101
nem habitualem non excludi per actum peccati venialis, est quia per actum illum non excluditur quòd Deus maneat finis simpliciter ultimus hominis, seu agentis; sed solùm quòd sit finis hîc & nunc ultimus istius actionis, quæ est peccatum veniale. Ex quo rursum colligitur, quòd relatio habitualis, ut antè dixi, principaliter sit relatio hominis, non actionis. Et ideò S. Doctor non censet finem simpliciter ultimum poni in creatura, dum sola actio venialis peccati hæret in creatura; sed solùm dum agens, sive homo, eam habet pro fine ultimo, desinitque pro fine suo simpliciter ultimo habere Deum. Quo sensu (strictiori utique quàm Augustinus accipere soleat) creaturæ fruitionem accipit, dum 1. 2. q. 84. a. 1. ad 3. ait, quòd *ille qui peccat venialiter, inhæret bono temporali, non ut fruens (quia non constituit in eo finem) sed ut utens, referens in Deum, non actu, sed habitu:* vult enim peccare mortaliter, qui fruendo creaturâ, in ea ponit finem suum simpliciter ultimum; quod non facit, quamdiù retinet charitatis habitum.

CAPUT XI.

Diluuntur argumenta prætendentium, juxta S. Thomam sufficere habitualem relationem.

OBjicies 1°. S. Doctor 1. 2. q. 88. a. 1. 102
ad 2. dicit, quòd *illud præceptum Apostoli* (Sive manducatis, sive bibitis, &c.) *est*

affirmativum. Unde non obligat ad ſemper. Et ſic non facit contra hoc præceptum, quicumque actu non refert in gloriam Dei omne quod facit. Sufficit ergo quòd aliquis habitualiter referat ſe, & omnia ſua in Deum.

Reſpondeo ſolutionem eſſe manifeſtam, tam ex quæſtione quam ibi ſanctus Doctor tractat, quàm ex verbis immediatè ſequentibus textum objectum, quòd utique ſolùm velit, habitualem relationem ſufficere, non ut non peccet quomodocumque, ſed *ut non ſemper mortaliter peccet*, uti ſanctus Doctor expreſsè addit immediatè poſt verba objecta; patetque ex eo quòd ibi tractet de diſtinctione peccati mortalis à veniali; quorum illud dicit eſſe contra legem, ſeu præceptum; iſtud non contra, ſed præter, ſenſu & uſu Doctorum ſui temporis, qui ideò dicebant peccantem venialiter nihil agere vel omittere contra, ſed præter præceptum, quia nihil agit contra finem præcepti, ſive quia non corrumpit charitatem, quæ eſt finis præcepti. Peccatum quippe veniale, ut ibidem ſanctus Doctor tradit, non excludit habitualem ordinationem actûs humani in gloriam Dei, ſed ſolùm actualem: quia non excludit charitatem, quæ habitualiter ordinat ad Deum. Iſto ergo ſenſu dicit, quòd veniale peccatum non eſt contra, ſed præter Apoſtoli præceptum: *Omnia in gloriam Dei facite.* Idque valdè notandum pro ſolutione aliorum ſimilium textuum, in quibus ſanctus Doctor primâ facie videtur ſolùm habitualem exigere relationem: ſiquidem legenti contextum, conſiderantique circumſtantias textuum illorum, apparebit ſolùm velle, quòd relatio habitualis ſufficiat ad non peccandum mortaliter, vel ad non peccandum contra legem vel præceptum, phraſi illâ Scholaſticorum ſui temporis. Quod & ex ſequentibus ampliùs apparebit.

103 Objicies 2°. Lect. 3. in cap. 3. ad Coloſſ. ſic ait: *Quidam dicunt, quòd hoc Apoſtolicum* (Omne quodcumque facitis... omnia in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti) *eſt conſilium.* Sed hoc non eſt verum; ſed dicendum quòd non eſt neceſſarium quòd omnia in Deum referantur actu, ſed habitu.

Reſpondeo ut antè, manifeſtum eſſe ex contextu, atque ex objectione, ad quam ibi reſpondet, ſanctum Doctorem ſolùm velle, quòd relatio habitualis ſufficiat ad non peccandum mortaliter, & ad non faciendum contra præceptum, ſenſu dicto. Objectio namque quam ſibi facit, hæc eſt: *Sed contrà, aut eſt præceptum, aut conſilium? Si præceptum, peccat mortaliter quicumque hoc non facit: ſed qui peccat venialiter, hoc non facit. Ergo quicumque peccat venialiter, peccat mortaliter.* Ad quod reſpondet, id quidem eſſe præceptum, *non eſſe tamen neceſſarium, quòd omnia in Deum referantur actu, ſed habitu*: volens utique id ſufficere ad non faciendum ſimpliciter contra hoc præceptum, uti perſpicuè declarat verbis immediatè ſequentibus: *qui enim facit contra gloriam Dei, & præcepta ejus*, mortaliter peccando, *facit contra hoc præceptum. Venialiter autem peccans, non facit contra hoc præceptum ſimpliciter: quia licèt non actualiter, tamen habitualiter refert in Deum.* Quod ſufficit ad vitandum mortale peccatum, licèt non ſufficiat ad vitandum veniale.

Objicies 3°. S. Doctor q. 7. de malo a. 104
1. dicit, *quòd cùm illud præceptum Apoſtoli ſit affirmativum, non obligat ad hoc quòd ſemper obſervetur in actu. Obſervatur autem ſemper in habitu, quamdiù homo habitualiter habet Deum* ſicut finem ultimum; quod non excluditur per peccatum veniale.

Reſpondeo eadem ſolutione, hîc pariter manifeſtâ ex quæſtione, quam ibi reſolvit, necnon ex objectione ad quam reſpondet. Quæſtio enim quam ibi reſolvit, eſt quòd detur veniale, quod non ſit mortale. Objectione verò contendebatur, omne peccatum veniale fore mortale, ſi verba Apoſtoli præceptiva ſint. Ad quod reſpondet, *quòd cùm præceptum Apoſtoli ſit affirmativum, non obligat* (ſub mortali, uti prætendit objectio) *ad hoc quòd ſemper obſervetur in actu.* Quod pleniùs explicans in reſponſione ad 1. *Convenienter dicitur* (inquit) *quòd peccatum veniale non eſt contra legem, ſed præter legem. Quia ſi in aliquo recedat ab ordine legis, non tamen ipſum corrumpit. Quia non corrumpit dilectionem, quæ eſt plenitudo legis, ut dicitur Rom. 12. Et ad 8. Cùm aliquis peccat venialiter, tunc quidem non reddit honorem debitum Deo, ſervando præceptum affirmativum in actu* ſaltem virtualiter permanente (vult ergo id eſſe debitum) *ſed hoc non eſt peccare mortaliter.*

Superiores reſponſiones genuinas eſſe, ſa- 105
tis quidem patet ex dictis; ampliùs tamen patet ex eo quòd juxta ſanctum Doctorem in locis objectis, quicumque ſe & ſua omnia actu vel habitu non refert in Deum, mortaliter peccet, uti ampliùs oſtenſum eſt capite ſuperiori. Manifeſtè ergo agit de obligatione ſub mortali.

Inſtabis: ſi ita eſt, cur ſanctus Doctor 106
nullam iſtis locis mentionem facit relationis virtualis, obligationiſque ſub veniali, ad referendum actiones omnes in Deum, actu vel virtute.

Reſpondeo quòd ad refellendam ſequelam 107
abſurdam, quam ſibi locis illis objicit (quòd utique venialiter peccans, ex defectu relationis in Deum, peccet mortaliter, & omnis qui non refert ſua omnia in Deum, mortaliter peccet) neceſſaria non eſt relatio virtualis, ſed ſufficit habitualis.

Objicies 4°. Sanctus Thomas lect. 7. in 108
cap. 10. primæ ad Corinth. dicit, quòd *relatio hæc in gloriam Dei* (de qua Apoſtolus: *Omnia in gloriam Dei facite*) *intelligitur vel in actu, vel in aptitudine referendi.*

Reſpondeo, hoc dicere, non quaſi ſuffi-

ciens

ciens absolutè, sed quasi sufficiens ad ostendendum, quòd dentur actus in specie indifferentes. Cùm enim allata Apostoli verba posuisset, statim opponit hanc objectionem. *Contrà: ergo nullus actus est indifferens.* Ad quod respondet quòd *relatio hæc in gloriam Dei intelligitur vel in actu, vel in aptitudine referendi, quæ non est solùm in bonis, sed etiam in indifferentibus.* Scopus proinde ipsius ibi solùm est ostendere, quòd verba Apostoli non obstent, ne dentur actus in specie indifferentes, utpote qui ex specie sunt in Deum referibiles: cùm soli actus ex specie, seu objecto mali, in Deum referibiles non sint. Et iste quidem unus est sensus Apostolici textûs, ut scilicet nihil faciamus ex se irreferibile in gloriam Dei; sed unicus non est, & adæquatus, ut certissimè constat ex testimoniis S. Doctoris cap. 9. relatis.

108 Quòdque S. Doctor contentus non sit solâ habituali in Deum relatione, ad vitandum veniale peccatum in actibus nostris deliberatis, in individuo spectatis, præter dicta ibidem, hoc argumento confirmatur. Sola relatio habitualis, juxta S. Doctorem, nec sufficit ad excusandos justos & fideles, nec ad excusandos impios & infideles. Non ad excusandos justos fideles, utpote charitatem habentes. *In habentibus* autem *charitatem, omnis actus est meritorius, vel demeritorius*, ait S. Doctor q. 2. de malo a. 5. ad... Sed actus justorum, solùm habitualiter in Deum relati, non sunt meritorii: cùm ad meritum S. Doctor contentus non sit habituali relatione. Ergo omnis actus justorum, solùm habitualiter in Deum relatus, juxta S. Doctorem, est demeritorius; adeòque in individuo virtualiter peccaminosus.

109 Jam si sola habitualis relatio non sufficit ad excusandos justos & fideles; multò minùs impios & infideles: non solùm eandem ob rationem; sed & maximè quia in impiis & infidelibus, utpote habitualiter à Deo aversis, non est habitualis ad Deum conversio, nec habitualis illa ad Deum relatio, quam S. Doctor ex suprà dictis fieri censet per gratiam charitatemque habitualem, quâ impii & infideles sunt destituti.

110 Quòd etiam S. Doctor, ad vitandum veniale peccatum, contentus non sit solâ actuum referibilitate ad Deum, inde patet quòd ad actum usquequaque bonum, nullaque ex parte in individuo peccaminosum, ex dictis n. 89. & seqq. contentus non sit quòd sit bonus ex genere suo, neque quòd sit bonus ex fine suo proximo, neque quòd actus ex genere & specie, necnon ex fine proximo bonus, adeòque in Deum referibilis, ad finem malum non sit relatus; sed quòd actu vel virtute sit in debitum finem ultimum, sive in Deum relatus (ut probant testimonia à num. 62. ad 69. relata) & quidem relatus ex charitate, seu Dei propter se amore, uti probant testimonia adducta n. 69. 71. 74. 78. 79. 80. 84. 86. 87. Denique in 1. dist. 1. q. 3. expressissimè dicit: *Si actus est referibilis, & non referatur, vanus est. Otiosum autem inter peccata apud Theologum computatur.*

CAPUT XII.

Solvuntur argumenta prætendentium, relationem actuum in Deum non debere fieri semper, sive pro omni actu, sed pro aliquo actu, & aliquibus temporibus dumtaxat.

FAtentur communiter Discipuli S. Thomæ, 111
ex mente ipsius non sufficere relationem habitualem, sed necessariam esse actualem, vel virtualem: quia tamen (inquiunt plerique ex ipsis) præceptum ipsius affirmativum est, licèt semper obliget, non obligat pro semper, sive pro omni actu deliberato, sed solùm ad hoc ut certis temporibus omnes actus nostros ad Dei gloriam referamus.

Causa deceptionis ipsorum, circa testimo- 112
nia S. Doctoris, in quibus se fundant, est duplex. Prima est quia non advertunt, duplicem à S. Doctore statui obligationem referendi se, suaque omnia in Deum; unam sub mortali, quæ non currit pro semper ad referendum actu vel virtute, sed pro certis temporibus & circumstantiis; licèt obliget pro semper ad referendum actu vel habitu. Alteram sub veniali, quæ currit pro semper, sive pro omni actu deliberato, ad eum in gloriam Dei referendum, non quidem semper actu, sed actu vel virtute. Quam pro omni & singulo actu deliberato ex mente S. Doctoris obligare, constat 1°. ex eo quòd velit relationem esse conjunctam omnibus & singulis actibus nostris in 2. dist. 40. a. ult. ad 7. præceptum est *quòd actualis relatio in Deum sit conjuncta actioni nostræ cuilibet*, non quidem in actu, sed in virtute. Et 1. 2. q. 102. a. 6. ad 7. *cælestis intentio debet omnibus operibus nostris adjungi.*

2°. Constat ex eo quòd 2. 2. q. 81. a. 1. 113
dicat, quòd *ad Deum nostra electio assiduè dirigi debet, sicut in finem.* Et q. 83. a. 14. *Desiderium charitatis in nobis debet esse continuum, actu vel virtute: quia omnia debemus in gloriam ipsius facere.* Vult igitur obligationem referendi esse ad assiduè & continuè, sive pro semper, pro omnibusque & singulis actibus deliberatis, actu vel virtute referendis.

3°. Constat ex eo quòd 1. 2. q. 19. a. 10. 114
dicat, *non esse rectam voluntatem hominis, volentis aliquod bonum particulare, nisi referat in bonum commune divinum*, sive in Deum. Constat denique ex pluribus aliis locis lib. 6. n. 46. relatis, quibus asserit, *nihil diligendum, nisi in ordine ad Deum*, sive nihil nisi *propter Deum. Aliàs staretur in creatura; quod sine peccato esse non potest.*

De priori obligatione sub mortali, S. Do- 115
ctor loquitur, nedum in locis proximè objiciendis, sed & in disputatis q. de inani gloria a. 2. ubi propositâ quæstione, *an inanis*

gloria sit peccatum mortale? in corpore sic arguit : Cùm vanum sit, quod non refertur ad Deum, videtur gloria hominis vel non esse vana, si referatur ad Deum ; vel esse peccatum mortale, si non referatur, sed in ea finis intentionis ponatur. Jam enim aliquis creaturâ fruitur ; quod non fit sine peccato mortali. Quod argumentum dissolvit sic : *Considerandum est, quòd aliquis actus non referatur in Deum, sicut in finem, potest dupliciter contingere. Uno modo ex parte actûs, eò scilicet quòd ipse actus non est ordinatus in finem. Et sic nullus actus inordinatus est referibilis in finem ultimum, sive sit peccatum mortale, sive veniale.... Alio modo contingit ex parte agentis, cujus scilicet mens non ordinatur actu vel habitu in finem debitum. Ex hoc enim sequitur, quòd actus à tali mente procedens ordinatur in aliquid aliud, sicut in finem ultimum. Et tunc semper actus humanus, qui non refertur in Deum sicut in finem, est peccatum mortale.*

116 Hujus rationem hanc reddit 2. ad Annibald. dist. 24. q. 3. a. 6. *Cùm impossibile sit esse duos fines ultimos, quandocumque ponitur aliquod commutabile bonum finis ultimus vitæ, oportet quòd Deus non pro fine habeatur. Et cùm finis semper maximè sit dilectus ; oportet quòd illud, in quo finis constituitur, supra Deum diligatur. Quod constat esse peccatum mortale.*

117 Secunda causa deceptionis opinantium ut suprà n. 110. est quia non considerant quòd aliqua sunt præcepta formaliter affirmativa, quæ comprehendunt negativa, adeòque tam obligant pro semper, quàm negativa in ipsis comprehensa. Hoc considerassent, si absque præoccupatione perpendissent id quod S. Doctor ait 1. 2. q. 100. a. 4. ad 2. *Præcepta affirmativa distinguuntur à negativis, quando unum non comprehenditur in alio.* Sunt igitur aliqua præcepta affirmativa, in quibus comprehenduntur negativa, juxta S. Doctorem. Atqui tale est præceptum Apostoli : *Omnia in gloriam Dei facite.* Comprehendit namque istud negativum, *nihil facite, nisi in gloriam Dei*, ipsomet S. Thoma interprete in 2. dist. 40. q. 1. a. 5. ad 7. *dicendum, quòd hoc quod dicitur, Omnia in gloriam Dei facite, potest intelligi dupliciter, vel affirmativè, vel negativè. Si negativè, sensus est, nihil contra Deum* (vel præter Deum, ut manifestum est ex verbis sequentibus) *faciatis. Et hoc modo præceptum est. Et sic præteritur hoc præceptum, vel per peccatum mortale, quod contra Deum fit, vel per peccatum veniale, quod præter præceptum, & præter Deum fit, &c.* Et ratio manifesta est, quia præceptum affirmativum, quod complectitur universitatem humanorum actuum, necessariò comprehendit negativum, ut constat in hoc præcepto affirmativo, *Omnia vestra honestè fiant*, id est, ex motivo honesto, ut fatentur omnes Thomistæ, cæterique passim Theologi extra scholam Scotistarum, admittentium actus in individuo indifferentes. Similiter hoc præceptum affirmativum : *Oportet semper orare*, comprehendit negativum : *nunquam oportet orationes intermittere.* Præceptum affirmativum : *Deum in omnibus diligite*, comprehendit negativum : *nihil nisi Deum vel propter Deum diligite.* Similiter ergo, dum Apostolus præcipit : *Omnia in gloriam Dei facite*, eo ipso prohibet *aliquid non in gloriam Dei facere.*

Frustrà proinde nobis objiciuntur testimo- 118
nia, quibus S. Doctor ait, præcepta affirmativa à negativis in eo differre, quòd ista, non illa, obligent pro semper : Neque enim affirmativa à negativis in eo distinguuntur, quando negativa in affirmativis comprehenduntur, uti S. Doctorem id docentem audivimus numero præcedenti.

Ad pleniorem tamen satisfactionem, perpen- 119
damus nonnulla testimonia quæ ex S. Thoma objiciuntur.

Objicies itaque 1°. S. Doctor in 1. dist. 1. q. 3. *Opera* (inquit) *quæ mala non sunt, à Deo sunt, & propter ipsum facienda : non quòd quamlibet operationem oporteat semper actualiter referre in Deum ; sed sufficit ut habitualiter in Deo constituant finem suæ voluntatis.*

Respondeo manifestum esse ex scopo, titu- 120
lo, & resolutionibus istius & præcedentis quæstionis, S. Doctorem ibi solùm velle quòd relatio actualis necessaria non sit sub mortali, sed ad mortale vitandum sufficiat relatio habitualis. Eò quòd utique sufficiat ad hoc quòd operans frui non censeatur bono commutabili, phrasi Scholasticorum istius temporis, secundùm quam, frui aliqua re, est finem ultimum operantis, sive cordis & voluntatis, in ea constituere. Qui profectò in creatura sine mortali nequit constitui. Enim-verò sensum illum manifestant verba ista objecta : *Sufficit ut habitualiter in Deo constituant finem suæ voluntatis.* Manifestat & quæstio, quam S. Doctor ibi & quæstione præcedenti resolvit. Quæstione enim præcedenti resolvit, solo Deo fruendum esse. Quæstione præsenti ostendit, cæteris, præterquam peccatis, utendum, non fruendum. Ne quis verò hinc inferret, peccantem venialiter, peccare mortaliter, utpote creaturâ fruentem, non utentem (dixerat enim S. Doctor peccatis utendum non esse) occurrit S. Doctor, dicendo, quòd creaturâ non fruitur *qui habitualiter in Deo constituit finem suæ voluntatis*, sive finem hominis, nihil faciendo contrarium gratiæ habituali, per quam voluntas, seu homo, habitualiter refertur in Deum.

Unde ibidem ad 4. cùm sibi objecisset, ex 121
doctrina sua sequi, quòd nullum sit peccatum veniale. Vel enim actus operantis refertur in Deum, tamquam finem ultimum ; vel non ? Si sic, actus ille non est peccatum. Si non, operans constituit finem suum ultimum in alio quàm in Deo, sicque mortaliter peccat.

Respondet quòd *quamvis ille, qui peccat venia-*

venialiter, non referat actu in Deum suam operationem; nihilominùs tamen Deum habitualiter pro fine ultimo habet. Unde non ponit creaturam finem ultimum: cùm diligat eam citra Deum, &c. Et 1. ad Annibald. dist. 1. a. 4. eandem quæstionem objectionemque sibi proponens: *Omnibus* (inquit) *tenemur uti; non quòd semper eis utamur; sed cùm utimur, in Deum referamus. Nec referre tenemur semper actualiter in Deum, sed habitualiter* (ut mortaliter non peccemus, fruendo creaturâ.) *Unde non oportet quòd semper peccemus mortaliter.*

122 Objicies 2°. S. Thomas 1. 2. q. 100. a. 10. ad 2. sic habet: *Qui honorat parentes, tenetur ex charitate honorare; non ex vi hujus præcepti: Honora parentes; sed ex vi hujus præcepti: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Et cùm ista sint duo præcepta affirmativa, non obligantia ad semper: possunt pro diversis temporibus obligare. Et ita potest contingere, quòd aliquis, implens præceptum de honoratione parentum, non tunc transgrediatur præceptum de omissione modi charitatis.*

Respondeo 1°. in præcepto diligendi Deum ex toto corde, duas à S. Doctore distingui obligationes (ut suprà ostensum est) unam sub mortali (ad eliciendum certis temporibus actum divinæ dilectionis) agendique ex habitu charitatis. Alteram sub venìali, faciendi omnia ad gloriam Dei. De priori loco objecto dicit, posse contingere, *quòd aliquis, implens præceptum de honoratione parentum, non tunc transgrediatur præceptum de omissione modi charitatis.* Nec mirum, quia, ut dicit in 3. distinct. 36. a. 6. ad 5. *modus charitatis plus importat, quàm relationem operis in finem debitum; importat enim quòd actus ex habitu charitatis procedat.* Ad eliciendum verò actum divini amoris, præsertim ex habitu charitatis, omni tempore non tenemur.

123 Respondeo 2°. de posteriori obligatione ibidem à S. Doctore dici, quòd *sub præcepto charitatis continetur, ut diligatur Deus ex toto corde: ad quod pertinet ut omnia referantur in Deum. Et ideò præceptum charitatis implere homo non potest, nisi etiam omnia referantur in Deum.* Ubi per ly *etiam* S. Doctor satis innuit, se obligationem hanc, omnia in Deum referendi (quæ solùm est sub veniali) distinguere à priori, quæ est sub mortali: dumque dicit quòd *cùm ista sint duo præcepta affirmativa, non obligantia ad semper, possunt pro diversis temporibus obligare*, de ista priori loquitur, ut antè dictum est. De posteriori namque in corpore dicit, *quòd qui honorat patrem, si non habeat charitatem... sit transgressor præcepti, quod est de actu charitatis.* Idque perspicuum est ex testimoniis ipsius n. 112. 113. & 114. relatis. Necnon ex eo quod 2. 2. q. 137. a. 1. ad 2. dicit, quòd *sunt quædam virtutes, quarum actus per totam vitam debent durare, sicut fidei, spei & charitatis: quia respiciunt ultimum finem totius vitæ humanæ.* Non quòd semper eliciendi sint actus virtutum illarum, sed quòd virtualiter semper continuandi sint.

Respondeo 3°. Etiamsi charitatis actus per 124
totam vitam nostram moralem esse debeat continuus, uti ex S. Thoma proximè audivimus; non debet tamen esse continuus in actu, sed actu vel virtute, ita ut tam frequenter tamque efficaciter ponatur in actu, ut in vim illius omnia nostra procedant, nihilque extra Deum diligatur, non propter Deum. Aliàs in vim illius non procederet opus, quod propter Deum non fieret; istoque proinde in opere virtus illa interrumperetur. Quod prohibetur præcepto negativo, quod includitur in præcepto affirmativo omnia referendi in Deum, quo utique prohibemur aliquid facere non propter Deum. Quod cùm sit negativum, semper, & pro semper obligat.

Respondeo 4°. S. Doctorem, sensu alla- 125
to, sibi per omnia consonare. Aliàs sibi contrarium esse, tantoque Doctori antilogiam eos imponere, qui sic nolunt ipsum secum concordem facere, voluntque nec relationem operum in Deum, nec charitatis, seu divinæ dilectionis actum, sensu dicto, juxta S. Doctorem continuum & continuam esse debere. Neque enim satisfacere possunt testimoniis S. Doctoris à nobis allatis, nec S. Thomam secum conciliare possunt, in omni parte eorum quæ dicit loco objecto in corpore, & ad 2.

Objices 3°. Juxta S. Doctorem contin- 126
git *quòd homo actu non ordinet aliquem actum in Deum; cùm tamen actus ille non contineat aliquam inordinationem, ratione cujus non sit in Deum referibilis. Et tamen quia mens hominis est habitualiter relata in Deum, sicut in finem, actus ille non solùm non est peccatum, sed etiam est actus meritorius.*

Respondeo juxta S. Doctorem id contingere in homine justo, in quo charitas habitualis (per quam mens ipsius est habitualiter relata in Deum) non est habitus otiosus, sed frequenter prorumpens in varios actus, virtute influentes in omnes actus hominis justi, etsi non semper actu. Et ideò omnis actus non peccaminosus, in homine justo, meritorius est secundùm doctrinam ipsius. Non quia in Deum referibilis, vel solùm habitualiter in Deum relatus, (habitualem quippe relationem ad meritum non sufficere docent omnes passim discipuli S. Thomæ cum Magistro suo) sed quia saltem virtute relatus per unum ex actibus illis.

Objicies 4°. S. Doctor lect. 3. in cap. 14. 127
ad Rom. dicit, quòd *in homine infideli cum infidelitate est bonum naturæ. Et ideò cùm aliquis infidelis ex dictamine rationis aliquod bonum facit non referendo ad malum finem, non peccat.* Ergo, ut homo non peccet, sufficit quòd actum non malum non referat in malum finem. Maximè si actus non solùm non sit ex se malus, sed & bonus sit ex genere. Quia, ut ait in 2. dist. 41. q. 1. a. 2. ad 3.

actus infidelium *secundùm quod sunt boni ex genere, vel circumstantia, Deo placent.* Etiamsi relati non sint in finem ultimum. Quia præceptum referendi affirmativum est : *præcepta* verò *affirmativa* (ait ibidem a. 4.) *non obligant ad semper, quamvis semper obligent. Et ideò non oportet, ut actus infidelium, qui in finem illum non est ordinatus, semper sit peccatum; sed solùm pro tempore illo, in quo tenetur actum suum in finem ultimum referre.*

128 Pro solutione nonnulla observanda sunt, quæ S. Doctor tradit. Imprimis varios esse gradus, seu species bonitatum in actibus humanis, quæ ad variarum objectionum tenebras dissipandas præ oculis frequenter esse debent. *Dicendum* (ait S. Doctor citatâ dist. 41. q. 1. a. 2. in corpore) *quòd sicut in rebus naturalibus una perfectio alteri superadditur, sic ut quædam res habeant unam illarum, & quædam duas, & sic deinceps : ita etiam in moralibus contingit in actu considerare aliquam perfectionem alii superadditam, ex quarum unaquaque dicitur actus bonus; & si aliqua illarum perfectionum desit, deerit bonitas quæ est secundùm perfectionem illam. Verbi gratiâ, omnis actus, in quantum est actus, habet essentialem bonitatem, secundùm quam omne ens bonum est : Sed in aliquibus actibus superadditur quædam bonitas, ex proportione actûs ad debitum objectum. Et secundùm hoc dicitur actus bonus ex genere. Et rursus ex debita commensuratione circumstantiarum, dicetur bonus ex circumstantia. Et sic deinceps, quousque perveniatur ad ultimam perfectionem, cujus actus humanus est susceptivus, quæ est ex ordine in finem ultimum, per habitum gratiæ & charitatis. Et ideò actus illorum qui gratiam & charitatem non habent, hoc modo bonus esse non potest. Et hæc est bonitas, secundùm quam actus meritorius dicitur. Sed subtracto posteriori, nihilominùs remanet prius, ut in lib. de causis dicitur. Unde quamvis ab infidelium actibus subtrahatur ista bonitas, secundùm quam actus meritorius dicitur; remanet tamen bonitas alia, vel virtutis politicæ, vel ex circumstantia, vel ex genere.*

129 In angelica ista doctrina quinque distinguuntur bonitates. Prima est bonitas essentialis, seu transcendentalis, quam quilibet actus habet in quantum actus, & in quantum ens. Secunda est bonitas ex objecto, quam S. Doctor vocat bonitatem ex genere, alii bonitatem ex specie. Tertia est bonitas ex circumstantiis, in qua comprehenditur bonitas ex fine extrinseco, utpote circumstantiâ principali. Quarta est ex habitu virtutis distincto ab habitu charitatis, quam S. Doctor solùm in confuso designat, his verbis; *& sic deinceps :* estque bonitas quam actus cujusllibet virtutis habet ex hoc quòd procedat ex habitu istius virtutis, v. g. actus temperantiæ ex hoc quòd procedat ex habitu temperantiæ. Ex hoc enim quòd ex tali habitu procedat, habet (præsimili actu ex habitu non procedente) quòd fiat faciliter, sive promptè, firmiter & delectabiliter, nisi ab eo impediatur per habitum contrarium, prout S. Doctor variis locis expressè declarat. Quinta & ultima (his verbis designata, *quousque perveniatur ad ultimam perfectionem, &c.*) est bonitas quam actus habet ex eo quòd procedat ex habitu infuso gratiæ & charitatis, adeòque procedat ab agente justo, Deique amico.

Observandum secundò, ad actum simpliciter bonum, nullaque ex parte defectuosum, ultra bonitatem ex objecto, necessariam esse bonitatem tertiam, sive ex circumstantiis, & maximè ex circumstantia finis, licèt necessaria non sit bonitas quarta ex habitu; multò minùs quinta, ex habitu nobilissimo charitatis, gratiæque sanctificantis. Quam tamen S. Doctor requirit ad actum meritorium, dum ait : *Et hæc est bonitas, secundùm quam actus meritorius dicitur.* 130

Observandum tertiò, in actibus infidelium, licèt esse nequeat bonitas quinta, *secundùm quam actus meritorius dicitur*; contingit tamen esse bonitatem non solùm tertiam, sed & quartam, uti S. Doctor exprimit his verbis : *remanet tamen alia, vel virtutis politicæ,* (hæc est quarta) *vel ex circumstantia,* (hæc est tertia) *vel ex genere,* quæ est secunda. Hæc tamen secunda bonitas, sine tertia, non est bonitas simpliciter, sed secundùm quid. Quia *bonum* simpliciter non est nisi *ex integra causa; malum ex singulis defectibus.* 131

Quartò, per bonitatem virtutis politicæ, seu civilis, à S. Doctore intelligi bonitatem virtutis acquisitæ. Per virtutem quippe politicam, & civilem, intelligit virtutem acquisitam, prout distinguitur ab infusa, ut videre est in 2. q. 1. a. 1. ad 4. *Aliquis potest dici justus dupliciter, vel justitiâ civili, vel infusâ.* Et q. 24. de lib. arb. a. 14. ad 6. *Virtus politica ex actibus acquiritur.* 132

Quintò, actus humanos tripliciter in Deum referri juxta S. Doctorem, scilicet imperfectè, perfectè, perfectissimè. Imperfectè, dum non ex habitu virtutis, licèt non sine gratia actuali. Perfectè, dum ex habitu virtutis, non tamen ex habitu charitatis. Perfectissimè, dum ex habitu charitatis. Videri potest S. Doctor in 2. dist. 41. q. 1. a. 1. in corp. ubi sic. *Ordinare in finem contingit dupliciter, vel ostendendo finem* (quod rationis esse dicit) *vel inclinando in finem, quod voluntatis est .... sed perfectè ostendere finem non competit rationi, nisi secundùm quod est per habitum perfecta : similiter non competit perfectè inclinare in finem voluntati, nisi secundùm quod est per habitum perfecta.* Ex quo sequitur relationem, seu ordinationem in finem non ex habitu, sed ex sola gratia actuali, juxta S. Doctorem esse imperfectam. Ecce ergo relatio perfecta, & imperfecta. Subjungit S. Doctor relationem perfectam 133

in finem ultimum esse duplicem. *Vel enim* (inquit) *finis excedit facultatem naturæ, sicut felicitas futura in patria. Et in hunc finem ostendendo dirigit fides, & inclinando charitas.... In finem autem proportionatum humanæ facultati, dirigit ratio ostendendo, & inclinando virtus appetitiva, secundùm quod est perfecta habitibus virtutum moralium.* Quia verò, secundùm majorem perfectionem habituum, major est perfectio relationis in Deum, & operationis quæ fit ex tali habitu (juxta illud quod ait in 2. dist. 38. q. 1. a. 2. *Quanto habitus est perfectior, & operatio perfectior erit*) *sequitur, quòd operatio perfectissima*, ac per consequens relatio perfectissima, *ab habitu nobilissimo erit*, ab habitu videlicet charitatis.

134 Sextò, in infidelium actibus, juxta S. Thomam, aliquando contingere relationem in Deum perfectam, & imperfectam, etsi non perfectissimam. Sequitur ex eo quòd (juxta S. Doctorem) in ipsis contingat bonitas non solùm secunda, sive ex genere; sed & tertia ex circumstantiis, & quarta ex habitu, prout n. 130. vidimus. Tertia verò & quarta non sunt absque relatione in Deum. Neque ad eam necessaria est fides: quia *cognitio naturalis de Deo* (quæ ex dicendis libro sequenti non est absque gratia actuali, etiamsi sit absque fide & gratia habituali) *potest dirigere in Deum, sic ut vitetur peccatum.* 2. ad Annibald. dist. 42. q.... a. 1. ad 2. & in 4. dist. 17. q. 1. a. 2. q. 2. ad 4. *Finis ultimus, scilicet Deus, potest esse in intentione ejus, qui fidem non habet, per generalem vel naturalem cognitionem, quam de Deo habet. Unde etiam ille qui fidem non habet, potest se ad fidem habendam præparare, & ad gratiam* (habitualem) *si secundùm suam cognitionem peccatum displiceat, & in Deum affectus ejus feratur.* Cùm verò certum sit, S. Doctorem alienissimum esse ab errore Pelagianorum, Semipelagianorumque, certum est, *per generalem & naturalem cognitionem*, ibi eam non intelligere, quæ est absque ulla omninò gratia actuali, utpote sine qua hominem lapsum posse se ad fidem & gratiam præparare, Pelagianorum, Semipelagianorumque error est. Certum proinde est intelligere eam quæ est absque habitu supernaturali, uti latiùs ostendam libro sequenti.

135 Ex eo verò quòd S. Doctor in actibus infidelium admittat bonitatem quartam ex habitu virtutis moralis, seu politicæ, ideò consequens esse dixi, quòd admittat relationem perfectam in Deum, quia variis locis tradit, quòd quarta bonitas tertiam includat. *Dicendum* (ait 2. ad Annibald. dist. 41. a. 1. ad 2.) *quòd actus virtutis* (loquitur de quacumque virtute) *est actus perfectus, & quantùm ad materiam, & quantùm ad circumstantias, & quantùm ad intentionem.* Enim-verò rectitudo, quæ *importat ordinem ad finem ultimum.... communis est omni virtuti* 1. 2. q. 55. a. 4. ad 4. Unde ibidem admittit definitionem Augustini, *virtus est ordo amoris*, fatenturque quòd *ordinatio, quæ virtus vocatur, sit fruendis frui, & utendis uti.* Et q. 58. a. 4. in corp. *Ad hoc quòd electio sit bona, duo requiruntur, 1°. ut sit debita intentio finis, & hoc fit per virtutem moralem. Est autem debitum* (ait 1. 2. q. 21. a. 4. in corp.) *ut ad finem ultimum omnes actus nostri referantur.*

Septimò, finem ultimum (qui Deus est) 136
à S. Doctore suprà n. 132. dividi in finem ultimum, naturæ proportionatum, & finem ultimum qui excedit facultatem naturæ. Ad actum verò nulla ex parte defectuosum, sufficere relationem in Deum, finem naturæ proportionatum, docet in disputat. q. 23. de volunt. Dei a. 7. ad 8. dum ait: *Non tenemur ad faciendum aliquid ex charitate; sed ad faciendum aliquid ex dilectione* (Dei) *naturali; sine qua ad minus quidquid sit, malè sit.* Ubi cùm dicit, nos (utique in quantum homines, atque ex vi præcepti naturalis) non teneri ad faciendum actus nostros ex charitate, non loquitur de charitate generaliter dicta, prout est amor Dei propter se, sed specialiter dicta, prout fertur in Deum velut in finem supernaturalem, secundùm quod ait 1. 2. q. 109. a. 3. ad 1. *Charitas diligit Deum super omnia, eminentiùs quàm natura. Natura enim diligit Deum prout est principium & finis naturalis boni; charitas autem secundùm quod est objectum beatitudinis*, & prout amabilis est amore amicitiæ, per quem amans fertur in Deum, *secundùm quod habet quamdam societatem spiritualem* cum eo (ibidem) *& quodammodò ut unum sibi, vel ad se pertinens* 2. 2. q. 57. a. 2.

Itaque relatio in Deum, tamquam finem 137
ultimum naturalem, fit quidem per affectum benevolentiæ in Deum, sed non per affectum amicitiæ, 2. 2. q. 2. a. 2. dumque homo tendit in finem istum naturalem, tendit in *Deum tamquam Authorem naturæ, & donorum naturalium* 1. 2. q. 109. a. 3. ad 1. sed non *tanquam Authorem gratiæ.* Estque adhuc alio sensu naturalis ille finis (secundùm Angelicum Doctorem) in quantum censet hominem absque elevatione ad statum & finem supernaturalem condi potuisse, in ordine ad Deum quidem possidendum, sed modo proportionato naturæ humanæ, ad statum supernaturalem non elevatæ. Neque enim homo creari potuit, nisi propter Deum; sed juxta S. Doctorem necessariò creari non debuit propter Deum intuitivè videndum, amoreque amicitiæ diligendum. Proinde *ab ipsa prima institutione, natura* quidem *humana est ordinata in finem beatitudinis* (supernaturalis) *sed non quasi ad finem debitum homini secundùm naturam ejus; sed ex sola divina liberalitate.* q. 14. de verit. a. 10. ad 2. *Si ex sola divina liberalitate*: potuit Deus liberalitatem istam erga humanam naturam non exercere; atque adeò naturam humanam instituere absque elevatione, seu ordinatione ad beatitudinem supernaturalem,

cumque sola ordinatione ad finem naturalem, quem vocat *naturæ debitum*, ubi supernaturalem *vocat gratuitum*.

138 Atque ex his facilis est responsio ad objectionem 4. quando enim dicit quòd dum infidelis ex dictamine rationis aliquid bonum facit, non referendò ad malum finem, non peccat, sensus est quòd non necessariò peccet, uti necessariò peccat, quando agit ut infidelis, prout docet lect. 4. in cap. 1. ad Titum, & 2. 2. q. 10. a. 4. in corp. & in 2. dist. 41. q. 1. a. 2. ad 3. *Infideles non semper ex infidelitatis errore finem sibi præstituunt.. & ideò non oportet quòd in quolibet actu peccent, sed tunc solùm quando ex errore finem sibi præstituunt.* Vel sensus est quòd non peccet mortaliter, sicut peccat mortaliter, dum agit ut infidelis. Quòd enim loco objecto in epist. ad Rom. antonomasticè loquatur de peccato mortali, tamquam de famosiori Analogato, satis explicat per antithesim quam facit inter peccare, & non peccare. Postquam enim dixit, ipsum non peccare, dum facit aliquid bonum, non referendo ad finem malum, mox subjungit: *Cùm verò homo infidelis aliquid agit ex eo quòd infidelis est, manifestum est quòd peccat.* Quæ posterior pars antitheseos cùm haud dubiè intelligatur de peccato mortali, de eo quoque intelligitur prior.

139 Ex eo verò quod S. Doctor dicit, *quòd actus infidelium Deo placeant, secundùm quod sunt boni ex genere*, non sequitur quòd simpliciter non peccent, si actum ex genere bonum in Deum non referant. *Quia bonum ex genere non est... simpliciter bonum, sed potest malè fieri* in 2. dist. 36. q. 1. a. 5. ad 2. Nec S. Doctor ait, actus illos Deo placere simpliciter, sed secundùm quid, *secundùm quod sunt boni ex genere*, eo sensu quo peccator Deo placet in quantum homo. Quia scilicet *sicut aliquid participat bonitatem, ita etiam Deo est acceptum.* In 2. dist. 41. q. 1. a. 2. ad 3. Et sicut ait in 2. dist. 36. q. 1. a. 3. ad 1. *Illa bonitas, quæ est ex genere, manet in actu, quantumcumque per alias circumstantias indebitas deordinetur; sicut etiam quantumcumque ab anima tollatur gratia, remanet in ea bonitas naturæ. Unde non dicitur actus, qui est bonus ex genere, malè fieri, quia privatur ab eo bonitas sui generis; sed quia privatur bonitate circumstantiarum.*

140 Actus ergo infidelis, ex genere bonus, dum ad Deum finem ultimum (saltem naturalem) non refertur, non desinit esse bonus ex genere, nec fit in se malus; sed ei jungitur mala circumstantia, ratione cujus malè fit, complexumque *in individuo consideratur ut compositum quoddam* ex actu secundùm se, & circumstantiâ illâ est malum. Quo sensu S. Doctor in 2. dist. 40. q. 1. a. 2. ad 4. ait, *quòd defectus voluntatis circa ultimum finem sufficit ad malitiam actionis.* Nec contrarium infertur ex eo quòd actus ille Deo placeat, secundùm quod ex se, sive ex genere est bonus; sicut peccator non desinit esse peccator ex eo quòd placeat Deo, secundùm quod homo.

Denique dum (ex eo *quòd præcepta affirmativa non obligant ad semper*) S. Doctor infert, *quòd non oportet ut actus infidelium, qui in finem illum* (Deum) *non est ordinatus, semper sit peccatum, sed solùm pro tempore in quo tenetur actum suum in finem ultimum referre.* 141 Vel loquitur de peccato famosè dicto, seu mortali, sicut & de obligatione præceptorum affirmativorum famosè dicta, utique sub mortali (secundùm ea quæ ex S. Doctore exhibuimus n. 101. & 103.) Vel loquitur de relatione, seu ordinatione actuali, quæ semper necessaria non est, ad hoc ut actus infidelium non sit peccatum: cùm præceptum affirmativum referendi omnes actus in Deum, tamquam ultimum finem, non obliget ad semper actu referendum actus deliberatos in Deum, sed ad referendum actu vel virtute, uti S. Doctor frequenter explicat. Vel denique loquitur de relatione ad Deum finem supernaturalem, ad quam infideles non obligantur pro semper, nec pro omni actu. Nisi enim aliquo ex tribus hisce modis S. Doctor loqueretur, 14
sibi contrarius esset in locis n. 111. 112. & 113. relatis. Sic verò expositus sibi per omnia consonat.

Objicies 5°. *Homo* (inquit S. Doctor q. 142
24. de lib. arb. a. 14. ad 3.) *faciendo actum de genere bonorum*, id est, bonum ex genere, *vitat peccatum, quamvis non mereatur præmium.* Et sæpè dicit, quòd *solâ substantiâ actûs boni observetur præceptum, sic ut vitetur pœna.* Denique frequenter negat *modum charitatis cadere sub præcepto.*

Respondeo actum *de genere bonorum* apud S. Doctorem non esse idem quod actum *ex genere bonum*, sed esse actum bonum tertiâ vel etiam quartâ bonitate, etsi non quintâ & supremâ. In eo proinde comprehendi relationem saltem imperfectam in Deum. Cùm per tales actus peccator se disponat ad gratiam; non per actus solùm ex genere bonos. Siquidem *bonum ex genere indifferenter se habet ad bonum & malum ex circumstantia & fine* in 2. dist. 4. q. 1. a. 5. Quòd autem per actus & 145
opera de genere bonorum peccator se disponat ad gratiam, S. Doctor tradit q. 2. de malo a. 5. ad 7. *Hoc est simpliciter falsum, quòd omnis actus, qui non est ex voluntate informata charitate sit demeritorius. Alioquin illi qui sunt in peccato mortali, in quolibet actu peccarent; nec eis esset consulendum, quòd interim quidquid boni possent, facerent, nec opera ab iis quæ sunt de genere bonorum disponerent eos ad gratiam. Quæ omnia sunt falsa.*

Sed & in substantia actûs boni in indivi- 143
duo, quâ dicit sic præceptum observari ut vitetur pœna, S. Doctor comprehendit relationem in debitum finem ultimum, per gratiam actualem. Cùm q. 24. de lib. arb. a. 12. ad 16. 14
duos tantùm assignet modos observandi præceptum, unum ex gratia habituali, alterum

sine illa. Debuisset autem tres assignare, primum ex gratia habituali, secundum ex gratia actuali, tertium sine ulla gratia, si talem agnovisset. Non agnovit igitur, dum duos tantùm assignandos censuit: *Præceptum dupliciter observatur, uno modo sic quòd observatum est meritum gloriæ. Et sic nullus potest sine gratia* (gratum faciente) *prædictum præceptum* (charitatis) *nec alia observare. Alio modo sic quòd observatum facit vitare pœnam. Et sic sine gratia gratum faciente observari potest. Primo modo observatur, quando substantia actûs impletur cum modo convenienti, quem charitas habitualis ponit; & sic etiam præceptum prædictum.... non tam est præceptum, quam finis præcepti.... Secundo observatur, solâ substantiâ actûs adimpletâ: quod contingit omninò in eo qui non habet habitum charitatis. Potest enim & injustus justa facere justè, secundùm Philosophum in 2. Ethic.* Proinde cùm dicit: *solâ substantiâ actûs adimpletâ*, ly *solâ* non excludit gratiam actualem per quam fiat relatio saltem imperfecta ad Deum ultimum finem; sed solam habitualem, seu *habitum charitatis*.

144 Denique, ex verbis proximè relatis, *quando substantia actûs impletur cum modo convenienti, quem charitas ponit* (utique habitualis, ut contextus manifestum facit) satis apparet, *per modum charitatis* (de qua in objectione) à S. Doctore intelligi quòd actus ex habitu charitatis procedat. Quod & in 3. dist. 36. a. 6. ad 5. expressè declarat his verbis: *Modus charitatis plus importat, quàm relationem operis in finem debitum. Importat enim quòd actus ex habitu procedat.* Hunc proinde modum negat cadere sub præcepto quemlibet actum deliberatum referendi in Deum.

CAPUT XIII.

Argumentum XI. Quia obligationem referendi omnes actus nostros deliberatos in Deum (cum sanctis Doctoribus hactenùs relatis) tradunt præcipui Scholastici, & Doctores Christiani, Cardinales, Episcopi, &c.

145 TRadit imprimis Magister Sentent. in 1. dist. 1. a. 2. ubi docet, nullis creaturis, ne ipsis quidem virtutibus inhærendum: *Propter se quidem amandæ sunt... verumtamen non est hîc consistendum, sed ultrà gradiendum: non hîc hæreat dilectionis gressus, nec hîc fit dilectionis terminus; sed referatur hoc* finaliter *ad summum bonum, cui soli omninò inhærendum est, quia illud propter se tantùm finaliter amandum est.* Et in 2. dist. 38. a. 1. *Ex fine suo, ut ait Augustinus, voluntas cognoscitur utrùm recta, an prava sit; finis autem bonæ voluntatis, beatitudo est; vita æterna, Deus ipse.... charitas ergo.... finis omnis consummationis est, id est, omnis bonæ voluntatis & actionis.*

146 Subsequuntur Guilielmus Parisiensis in lib. de virtutibus, aiens, gloriam Dei esse debere finem omnium operum nostrorum. Quòdque totam vitam humanam datori ejus Deo esse honorificam oportet: quia *cujus est arbor tota, & non ejus totus fructus? Cujus totus ager, & non tota fruges? Quia igitur totum quod sumus, totum quod vivimus & movemur, totum boni quod vel habemus vel facimus, totum est opus Dei, Dei donum, Dei beneficium, ex toto quolibet honorandus est nobis.* Albertus Magnus in 2. dist. 40. a. 4. aliique passim vetustiores Scholastici, quorum testimonia profert Dionysius Carthusianus in 1. dist. 1. q. 1. & 2. ubi & ipse subscribit, sicut & in cap. 10. primæ Corinth. & in lib. de passion. animæ, ex quo verba ipsius notatu dignissima exscripta habes lib. 5. n. 68.

Subscribit & Ariminensis in 2. dist. 18. q. 147
un. & sæpiùs alibi, negans, ad actum simpliciter bonum satis esse quòd fiat propter honestatem virtutis, & aiens, necessarium esse, ut fiat propter Deum, tamquam finem ultimum. Si hoc Ariminensis requirit ad actum simpliciter bonum, consequenter requirit ad vitandum omni ex parte peccatum. Cùm omnis actus deliberatus (secundùm ipsum) in individuo malus sit, si non sit in individuo bonus. Neque enim admittit in individuo indifferentem.

Innumeris aliis Vetustiorum testimoniis omis- 148
sis, ne prolixior sim, ad Illustriores venio, qui vel Tridentino interfuerunt, vel proximè ab eo celebrato scriptis suis Ecclesiam illustrarunt.

Imprimis Cardinalis Hosius, Concilii Tri- 149
dentini Præses, in Confessione Polonica (à Synodo Petricovien si, ac deinde à Romanis Theologis approbata) c. 76. sic ait: *Etiam pueri didicimus in Ecclesia, non quid, sed propter quid faciamus aliquid, Deum attendere; adeò ut si quid ex radice charitatis profectum non sit, nihil sit nobis utilitatis allaturum. Quamobrem in utriusque tabulæ præceptis... ex qua radice, quod sit, proficiscatur, attenditur.* Duas autem tantùm radices assignant, charitatem & cupiditatem: *Sunt enim in cordibus hominum radices duæ, & charitatis una.... cupiditatis altera. Nihil ex illa mali. Nihil ex hac boni nascitur. Hoc docuit, hoc docet, hoc docebit semper Catholica Ecclesia.* Secundùm ipsum proinde, si quid ex radice charitatis non proficiscitur, proficiscitur ex radice cupiditatis; ex qua nihil boni nascitur, imò nihil nascitur quod malum non sit, vel malè factum.

Ambrosius Catharinus, unus è celebrioribus 150
Patribus Tridentinis, æquè invisus hæreticis, ac Catholicis charus (inquit Pallavicinus l. 8. Histor. Concilii Trid. c. 9.) in commentario super cap. 10. prioris ad Corinth. explicans Apostoli verba: *Omnia in gloriam Dei facite: hoc est* (inquit) *præceptum, quod servari debet ab omnibus, & in omnibus, ut saltem virtualiter habeat quis in animo, se velle in gloriam Dei facere, quæcumque facit.* Et in cap. 3. ad Colossens. verba ista explicans: *Omne quodcumque facitis, &c. hoc præceptum datur*

omnibus fidem Evangelicam suscipientibus, ut cuncta dicta & facta ad gloriam Dei referant. Peccant igitur, si secùs fecerint. Attamen hæc non actualiter, omnique momento (ob imbecillitatem mentis, ac naturæ nostræ) requiruntur; sed habitualiter, aut (ut meliores Theologi docent) virtualiter, ut nulla sit actio nostra, quam non velimus tendere in gloriam Dei, & Salvatoris nostri.

151 Alfonsus Salmeron, famosissimus & ipse Theologus Tridentinus, & Societatis decus, disput. 6. in epist. ad Colossens. folio mihi 354. dicit, quòd Apostolicum istud: *Omne quodcumque facitis, in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini facite; præceptum generale est omnibus fidem Evangelicam profitentibus datum; ita ut si secùs fecerint, à mandatis declinent. Nam servi Dei sumus, tanto pretio redempti, ut promptè ad voluntatem Dei exequendam teneamur. Non tamen ad hæc semper actu præstanda (ob imbecillitatem mentis nostræ ac naturæ) obligamur; sed satis est habitu, aut (ut meliores Theologi docent) virtute, etsi non actu, hæc præstare, ut nulla sit actio, quam non velimus in gloriam Dei cedere. Apostolus dixit alio loco:* „ Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. „ *Ubi etiam actiones crassas & humanas, comedendi & bibendi, & opera generationis præstandi, per illud verbum*, vel aliud quid facitis, *Apostolus comprehendit... Igitur Apostoli doctrina nullum admittit medium inter opus meritorium, & demeritorium. Et intelligo in actione humana & deliberata. Et cùm grati esse jubemur Deo, & diligere Deum ex toto corde, anima, & mente; quomodò non aliquod erit peccatum, si omnia opera nostra in gloriam ejus non referamus?* Vide eundem disput. 17. in primam ad Corinth. ubi dicit, quòd *præceptum illud*, Omnia in gloriam Dei facite, *servari debet ab omnibus, & in omnibus.... quia omnis nostra actio in illud tendere debet, ut glorificetur Deus.*

152 Ecce assertam à nobis obligationem non solùm tradunt Catharinus & Salmeron, sed & assertam testantur à melioribus Theologis. Ex his est Cardinalis Gropperus doctr. christ. de peccato actuali c. 6. Meliorescque Theologos illos, qui vel ante Tridentinum, vel circa Tridentinum floruerunt, postea secutus est Cardinalis Bona in libro (Romæ excuso) de princip. vit. christ. p. 1. §. 29. ubi sic: *Sententia Apostoli est, omnia opera ad Deum, ejusque gloriam referenda esse, ut veræ virtutis rationem consequantur.... quidquid enim boni à nobis fit, quod non fit propter Deum, etsi officio videatur esse bonum, deficiente tamen recto fine, malum est. Finibus enim, non officiis, virtutes à vitiis secernuntur.... quod si rebus creatis inhæremus, & ipsas propter se diligimus, sine ulteriori relatione ad Deum, damnata cupiditas est.... Ratio est, quia in hoc mundo tamquam peregrini sumus, qui ad patriam pergimus. Creaturis autem uti debemus, tamquam vehiculis, quibus recto itinere eò feramur, quò tendimus.... Hinc Theologi.... docent eum peccare, qui dormit, edit, ambulat, & hæc non refert in ultimum finem. Quia deficit à prima & universali regula humanarum actionum, quæ est idem finis, ad quem quidquid agimus dirigere oportet.* Et p. 2. §. 38. *Mandatum accepimus amandi Deum toto corde, totâ animâ, totâ mente, ut omnem vitam, & intellectum, totumque affectum divinæ dilectioni impendamus, & si quid aliud diligendum in mentem venerit, illuc referatur.*

153 Eminentissimos Hosium, Gropperum, Bona, sequuntur Illustrissimi Archiepiscopi, atque Episcopi proximè referendi, cumque ipsis celeberrimus Antonius Godæus Episcopus Grassensis in Instructionibus Synodalibus, seu Regulis christianis reg. 8. Joannes Episcopus Castoriensis, Sanctissimi D. Papæ in fœderatis Belgii Provinciis Vicarius, in insigni libro cui titulus, *Amor Pœnitens*, c. 2. Nicolaus Episcopus Bellovacensis, Ludovicus Episcopus Agathensis, Daniel Episcopus Valentinus, Ludovicus Episcopus Agennensis, Joannes Episcopus Gebennensis, Henricus Episcopus Lexoviensis, in approbationibus quas dederunt Theologiæ Morali Franciscì de Genet, ex ordinatione Eminentissimi Card. le Camus Episcopi Gratianopolitani compositæ, qui etiam ipse eam plurimùm laudat, commendatque in Epistola Pastorali ipsi præfixa, to. 1. cujus tr. c. 16. dicitur intentionem esse malam, dum voluntas movetur ad faciendam aliquam actionem propter finem, non relatum in Deum. Theologia ista Moralis, in Latinum translata, sanctissimoque D. Clementi XI. dicata, jussu Suæ Sanctitatis, nuperrimè iteratis Typis Venetianis edita fuit.

154 His meritò accenseri potest Reverendissimus P. Raimundus Capisucchus, S. Palatii Apostolici Magister, utpote qui de eadem Theologia Morali 6. Maii 1678. censuit, *in ea sanam, solidam ac tutam contineri doctrinam, atque ad componendos Christi fidelium mores necessariam.*

155 Cùmque sanctissimam hanc, fundatissimamque de relatione operum doctrinam Casuistarum Apologia erroris arguisset, eamque in Bajo damnatam asserere non dubitasset, Apologiam istam Alexander VII. condemnavit, sicut & plures Galliarum Archiepiscopi, Episcopique, hac ipsa de causa eam proscripserunt.

156 Siquidem Nicolaus, Episcopus Bellovacensis, in Epistola Pastorali anni 1658. inter alias suæ proscriptionis causas hanc in capite ponit: quòd damnata illa Apologia erroris arguat sententiam orthodoxam eorum, qui (post Apostolum & S. Thomam) sustinent obligationem referendi omnes actus nostros in Dei gloriam.

157 Ægidius, Episcopus Ebroicensis, similiter in capite ponit, quòd ut erroneam traducat obligationem amandi Deum in cunctis actionibus nostris.

Annas

158 Annas de Levi, de Ventadour, Archiepiscopus Bituricensis, etiam in capite eandem causam ponit, ut vidimus Prolegomeno 7.

159 Ludovicus de Gondrin, Archiepiscopus Senonensis, censurâ 5. ejusdem Apologiæ temeritatem hac in parte graviter redarguit, ut visum est ibidem. Et istud Archiepiscopi sui judicium Synodus Senonensis anno 1658. approbavit publicarique jussit.

160 Vicarii Generales Eminentissimi Card. de Rets, Archiepiscopi Parisiensis, censurâ 30. ejusdem Apologiæ: *Hæc doctrina, quatenùs erroris damnat opinionem, quæ sustinet, Christianos debere in cunctis actionibus suis amare Deum, nullamque esse actionem virtuosam, nisi à charitate imperatam: temeraria est, pluribusque Ecclesiæ Patribus injuriosa.* Cui censuræ Doctores Sorbonici subscripserunt.

161 Eminentissimus D. Cardinalis Forbinius de Janson, in censura ejusdem Apologiæ, facta dum foret Episcopus Dinienſis, pag. 5. *An non est* (inquit) *corrumpere omnes divini istius fontis aquas* (de primo Decalogi præcepto loquitur) *immortalis istius lampadis puriores extinguere radios, violatoribusque omnium præceptorum illius spondere impunitatem, tueri* (*cum Apologiæ Authore*) *quòd error sit asserere, Christianos teneri ad faciendum omnes actiones suas ex divini amoris motivo, nullamque esse virtuosam actionem, si ex charitatis non procedat imperio.*

CAPUT XIV.

Argumentum XII. Quia eandem obligationem tradunt plures Catechismi in Ecclesia probatissimi.

162 IMprimis Catechismus Romanus, ut vidimus num. 60.

163 Catechismus P. Canisii agens de præcepto charitatis: *Diligendus* (inquit) *præcipuè est Deus in omnibus, & super omnia, & propter se solum, qui unus summum æternumque bonum existit... cujus amor & honor nostræ, tum voluntatis, tum actionis omnis initium & scopus esse debet.*

164 Catechismus plusquàm à centum quadraginta annis, jussu Cæsaris & Catholici Regis editus, sub hoc titulo: *Summa doctrinæ christianæ, à viris non dubiæ fidei, sacrosanctæ Theologiæ scientiâ, & vitæ innocentiâ perspicuis conscripta, magnoque Theologorum consensu approbata* cap. 3. de charit. & præcept. Decal. eadem omninò verba continet, quæ ex Canisii Catechismo exscripsimus.

165 Catechismus Colonienſis, seu Enchiridion, jussu Concilii Colonienſis editum, explicans primam petitionem Orationis Dominicæ, seu divini nominis sanctificationem, quam eâ petimus, quæque haud dubiè præcepti est, non consilii dumtaxat: eâ (inquit) *rursum precamur, ut omnia quæcumque facimus, aut gerimus, non nostro, sed in Dei nomine, nec in nostram, sed Dei gloriam faciamus.*

Catechismus Senonensis lect. 5. *Ad quid nos obligat hæc hominis præ aliis creaturis excellentia? ad tria quæ necessariò præstare debemus. Primo.... Tertiò obligat nos, ut omnes cogitationes, & omnia opera totius vitæ nostræ dirigamus ad illum finem* (*Deum*): *foret enim contra rationem, quòd Deus semetipsum nobis totum daret, & quòd cor nostrum, & amor noster foret divisus.* 166

Catechismus Turlot, seu Thesaurus doctrinæ christianæ p. 3. c. 1. lect. 2. explicans dilectionis præceptum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, &c. idem est, ac si dicat: Diliges Deum ex tota voluntate tua.... finaliter, ut generatim velis Deum esse finem totum & ultimum tuarum cogitationum, actionum & amorum, &c.* 167

CAPUT XV.

Argumentum XIII. Eandem obligationem, S. Inquisitione Romanâ permittente, tradunt plerique alii insignes Theologi.

168 DUo imprimis Academiæ Duacenſis lumina. Estius in cap. 10. primæ ad Corinth. Et Sylvius in 1. 2. q. 18. a. 9.

169 E Doctoribus Lovanienſibus Hesselius in Decal. c. 42. Fromondus in citatum locum ad Corinth. Sinnichius in Saüle Exrege. Steyartius Aphorism. p. 2. disp. 31. & in novitate utrimque repressa nota 6. & 10. Estque doctrina totius Facultatis Theologicæ Lovanienſis, quam per Deputatos suos, Franciscum Vianæum, Christianum Lupum, Martinum Steyartium anno hujusce sæculi 1677. sequentibus articulis distinctam, SS. Domino Innocentio XI. obtulit examinandam.

170 Art. 1. *Fundamentale ac primum Legis æternæ mandatum est*: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum sicut teipsum.

171 Art. 2. *Vocem charitas, tametsi aliqui Scholastici accipiant pro sola illa Dei dilectione, quæ est nostra cum eo per peccatorum remissionem amicitia; S. Augustinus, & alii Patres, eam sumere solent, pro quavis supremi boni casta propter se dilectione*: "quasi verò (inquit Augustinus) aliud sit bona voluntas, quàm charitas." "

172 Art. 3. *Hinc idem S. Doctor distinguit*, charitatem natam, nutritam, adultam, robustam, perfectam. *Et hanc duplicem: aliam præsentis, aliam futuræ vitæ. Quæ distinctio frequenter placet etiam S. Thomæ.*

173 Art. 4. *Istaque charitas & cupiditas, generatim sumptæ, non sunt aliud, quàm bona & mala voluntas. Sunt bona & mala radix, quarum hæc solos malos, illa proferre possit solos bonos fructus.*

174 Art. 5. *Omne opus, ut plenè bonum sit, & ne venialiter quidem in eo delinquatur, debet ex tali charitate procedere, ac per ipsam refer-*

ri in Dominum Deum. Nec enim (teste Augustino) fructus est bonus, qui de radice charitatis non surgit.

175 Art. 6. *Attamen ista relatio per charitatem perfectam fieri non debet, sufficit eam fieri per charitatem imperfectam.*

176 Art. 7. *Sed neque necessaria est relatio ex charitate actuali, sive ex charitate super quam fiat actualis reflexio.*

Art. 8. *Hæc namque continua in operibus nostris reflexio, est multis hujus vitæ distractionibus impossibilis.*

177 Art. 9. *Sufficit ergo quòd opera nostra per charitatem virtualem in Deum referantur.*

178 Post biennii examen evaserunt articuli illi immunes ab omni censura, etiam articulus quintus, quamquam iteratò fuerit ad incudem *revocatus*, ita postulantibus quibusdam adversæ partis fautoribus, qui unum saltem Lovanienſium articulum damnari expetebant, eo tempore, quo 65. articuli largioris doctrinæ proscribebantur.

179 Sed frustrà tunc fuerunt omnia. Plenè absoluti fuerunt Lovanienſes : maximè explicatâ suâ doctrinâ, circa relationem operum in Deum. Circa quam solam tot inter articulos, tempore biennii, & ampliùs, scrupulum nonnulli moverunt. Ad *quem* eximendum, Deputati Facultatis obtulerunt libellum, Prolegomeno 7. n. 22. descriptum, sicque scrupulum exemerunt, Qualificatoribusque & Cardinalibus satisfecerunt.

180 His adde acta ibidem n. 21. descripta in causa libri P. Gabrielis, sicut & quæ n. 26. descripta sunt circa Theses Perillustris D. Henrici Denis.

181. Quòd si è Belgio in Gallias progredi lubeat, cap. præcedenti vidimus, quanti inde viri, quàmque celebres Episcopi, Archiepiscopique, pro eadem illa obligatione sufſragentur. Non tamen ipsi soli, sed & cum ipsis Isambertus in 1. 2. ad q. 18. disp. 10. art. 7. Franciscus de Genet locò suprà relato, Author Moralis Christianæ in Orat Dominic. lib. 3. sect. 1. a. 7. Feydeau in Meditationibus principalium obligationum hominis Christiani Medit. 1. &. 2. R. P. Senault Congregationis Oratorii Generalis lib. cui titulus : *l'Homme criminel*, tract. 5. disc. 5. & seqq. Illuminatissimus cæcus P. le Jeune Serm. de amore Dei, Merbesius Sum. Christ. to. 1. p. 1. q. 7. & 8.

CAPUT XVI.

Argumentum XIV. specialiter desumptum è præclaris Theologis Regularibus omnium Ordinum, etiam Societatis Jesu.

182 Assertam quippe à nobis obligationem tradunt ex Benedictina familia Benedictus Haftenius in Venatione sacra lib. 3. c. 16. passimque Benedictini Reformati in Gallia & Belgio.

183 Ex Cistercienſibus Cardinalis Bona, suprà laudatus, Albertus Kerkovius in Disquisit. Theologo-Bernardina de attrit. §. 5.

184 Ex Præmonstratenſibus Adamus to.... l. 2. serm. 2. de Ordine Canonic. Præmonstrat. Philippus Abbas Bonæ-speenſis in Moral. super Cantic. l. 3. sub finem, Franciscus Wennius in Spec. relig. tr. 2. c. 11. 12. & 13. Franciscus Placet lib. cui titulus, *La corruption du grand & petit monde*, p. 2. c. 4. Havermannus in Tyrocin. Th. Moral tr. 2. c. 6. Et in defenſione Tyrocinii per totum. Florentius de Cocq Princip. Theol. to. 1. tr. 2. c. 3. sect. 3.

185 Ex nostris Carmelitis, cum Seraphica Teresia, & S. Maria Magdalena de Pazzis, inclinat Lezana 1. 2. tr. 1. q... & tr. 7. q. 8.

186 Ex Augustinianis Gregorius Ariminenſis (n. 147. citatus) S. Thomas Villanovanus suprà n. 53. Eminentissimus Cardinalis de Noris Vindic. Augustin. c. 3. §. 4. & c. 4. §. 5. Franciscus Farvacques de Lege æterna q. 10. & alibi frequenter Illustriss. Pater le Drou, Episcopus Porphirienſis, in Triade Patrum §. 2. & 3. Leonardus Van Roy Theol. Moralis p. 1. tr. de act. human. c. 1. q. 2.

187 Ex sacro Prædicatorum Ordine, præter Albertum Magnum, S. Thomam, & Catharinum (suprà relatos) Joannes Thaulerus, Doctor illuminatissimus, serm. in Dom. 2. Advent. Ludovicus Granatenſis (cujus sapientia cum sanctimonia conjuncta, toto orbe celebratur) feria 6. post diem Cinerum Conc. 2. & 3. Ludovicus Bertha in suo Medico Christiano p. 2. tr. 4. c. 3. Contenſonius Theol. ment. & cord. to. 5. dissert. 2. c. 1. Natalis Alexander to. 9. a. 10. reg. 1. 4. & 5. Et to. 10. l. 5. a. 9. n. 4.

188 Pii Contenſonii verba digna sunt quæ hîc exscribantur : *Quis* (inquit) *crederet, in illas extremæ calamitatis extremas tenebras prolapsuram unquam humani ingenii non omninò extinctam lucem, ut.... in Deum omnia referendi necessitatem negaret, quo fine virtutes in vitia degenerant. Hæc non credebam, nec credere poteram.... Quis enim tam cæcus, ut non videat quòd sicut in quolibet humanæ vitæ instituto finis primùm, & ratione sui quæritur, & impensè præeligitur, ut cætera deinde eligantur, quæ in finem illum referantur : ita in humanæ & præsertim christianæ vitæ œconomia... priùs quærendus, priùs diligendus est totius humanæ vitæ finis, qui utique nec est, nec esse potest alius quàm Deus.... ex cujus deinde amore cætera volumus & operamur.... Certè facilius est negare Deum, quàm illi semel agnito omnia offerri non debere, affirmare. Unde graviter monet Sinnichius, Academiæ Lovanienſis nullâ unquam oblivione delendum decus,* quòd hoc præceptum tam apertum negantis non procul ab atheismo distet assertio. “ Immò multò faciliùs omnium hæreticorum & “ impiorum errores poterit propugnare. “ *Ridiculus foret ille Dialecticus, qui, contra omnes*

nes Logicæ, & communissimæ rationis leges, conclusiones vellet sine ullo præmissarum assensu derivare. At longè absurdior est Theologus, qui opera absque ullo prævio in Deum amore immaculata esse pronuntiat: cùm sicut se habet primum principium in speculabilibus; ita & se habeat finis ultimus in operabilibus. Certè.... si Theologia... Deum solum quærit, & aliud quodvis objectum... ne quidem inspicere dignaretur, nisi in illo divinus quidam ordo, & velut radius emineret, & ideò objectum adæquatum Theologiæ est Deus solus: quomodo suo nomini & veræ Theologiæ non renuntiant, qui opus non in Deum ordinatum, bonum posse esse testantur, &c.

190 E Seraphico Ordine S. Francisci idem tradunt Lyranus in cap. 10. prioris ad Corinth. Bernardinus de Busto p. 2. Serm. 5. art. 3. Didacus Stella in Luc. enarrat. in cap. 6. Petrus Marchantius Tribun. Sacram. tit. 2. q. 2. art. 4. Joannes de la Haye in Annotation. ad Bibliam Maxim. ad cap. 10. primæ ad Corinth. Franciscus à S. Augustino de Macedo in cortina S. Augustini q. 2. Georgius Ambianus, Capucinus, in Commentar. super epist. ad Corinth. ad illa verba: *Omnia in gloriam Dei facite.* Item ad ista: *Omnia vestra in charitate fiant.* Et ad ista: *Si quis non amat Dominum Jesum Christum, anathema sit.* Hausseur to. 2. anatom. S. Aug. ad cap. 3. lib. 4. contra Julian.

191 Ex inclyta Societate Jesu P. Canisius & Alphonsus Salmeron suprà n. 151. & 163. relati.

192 Alvarez de Paz l. 1. de vit. relig. instit. c. 1. & lib. 2. p. 1. c. 7. *Ut opus bonum sit, non satis est ut ex natura sua fructus virtutis sit, sed necessarium ut in finem virtutis ordinetur,* Deum utique, prout expressè declarat ibid. Aliud testimonium ipsius ex lib. 6. c. 2. habes suprà lib. 6. n. 65.

193 Claudius Aquaviva Generalis Soc. in epist. de spirit. renovat. c. 13. *Si infelicia prorsus putarentur corpora, quæ suis ponderibus, gravitate scilicet, & levitate, sua loca non peterent: longè procul dubio major miseria nostra fuerit, nisi assiduè tendamus in Deum. Quod tunc verè sit, cùm actus omnes nostri ab ipsius amore & moventur in ipsum, & dirigantur. Ex quo etiam id apparebit, quàm non leviter venialia æstimanda sint, & cavenda, quibus fit, ut actiones quæ hujusmodi fuerint, non possint tendere in Deum. Quare S. Dionysius malum asserit, esse, præter finem extra terminum scopo carens, &c.*

194 Drexelius in suo Tobia p. 2. c. 2. art. 2. quòd si actio *vel bona, vel certè si adiaphora, ea omnis planè in unius Numinis gloriam est reducenda. Ita divus Paulus præcipit, Sive manducatis, &c. Paulinam hanc præceptionem eximiè Bernardus explicans, &c.* Et initio art. sequentis, *Itaque omnia in gloriam Dei facienda, hoc unum semper & oculis & animo sit affixum.*

Bernardinus Rosignolius l. 1. de act. virt. c. 3. *Præcipit enim Apostolus: Sive manducatis, &c. Et omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi facite, gratias agentes Deo, & Patri per ipsum. De eodem Patres omnes* (nota benè) *una & mente & voce consentiunt.* 195

Franciscus Labata, (vir, teste Alegambio, magnæ eruditionis & sanctimoniæ) in Thesauro Morali, verbo *Amor Dei*, proposit. 23. auctioris Editionis Stanhurtii: *Dilectio hæc amicitiæ requirit, ut nos & omnia quæcumque aliæ in Deum referamus, & in gloriam suam ultimatè: ita ut nosipsos, & omnia quæ diligimus, diligamus propter ipsum, & quidquid agere voluerimus, sit propter Deum ipsum, secundùm illud Apostoli: Sive manducatis.... Nec nimium hoc videri debet: cùm Deus sit alpha & omega, principium & finis omnium rerum. Cùm igitur finis sit.... ad Deum res nostras & actiones nostras referamus, tamquam ad finem nostrum.* 196

Quod etiam in tenore hujus præcepti Dominus nobis injunxit: "Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua: "*hoc est, nihil sit in intellectu tuo, nihil in voluntate tua, nihil in memoria tua, nihil in omnibus viribus & potentiis, quod in Dei amorem non dirigatur, & referatur, tamquam in suum finem.* 197

Et hoc quidem meritò exigit à nobis Deus. Naturalis quippe ratio poscit ut arboris Dominus fructibus ejus potiatur, & cujus ager est, ipsius etiam seges sit. Cùm igitur Deus sit omnium rerum Dominus, potentiarum, sensuum, liberi arbitrii, & omnium operationum: quid mirum, si quod ejus est, ad eum referamus? "In ipso (*ait Apostolus*) vivimus, movemur, & sumus. "*Ad ipsum igitur vivamus, moveamur, & simus....* 198

Præterea omnia opera servi, sunt Domini ejus. Si enim ex operibus suis aliquod emolumentum percipit servus, id totum Domino debetur. Ipsius enim est, secundùm regulam illam juris: Quidquid acquirit servus, acquirit Domino suo. *Quare si servus illud sibi usurparet, ille fur esset, & latro. Cùm igitur Deus Dominus noster sit; nos autem servi ejus, titulo Creationis, & titulo Redemptionis...: potiori jure Dei servi sumus, quàm sit servus emptitius ipsius ementis servum.... Nihil igitur in homine sit, quod non Deo Domino referatur.* 199

Hoc quidem tenentur Concionatores populum docere, hoc superiores subditos suos. Nam sicut Guilielmus Parisiensis adnotavit in libro de virtutib. pauci sciunt, vel saltem animadvertunt, gloriam Dei esse finem omnium operum nostrorum. Et infrà: *Hoc igitur discat etiam vulgus, scilicet ad diligendum Deum in omnibus, & per omnia teneri, & ipsius gloriam in suis actibus omnibus inquirere debere.* Hactenùs doctissimus ille verbi divini præco. 200

Ludovicus de Palma in praxi vitæ spiritualis, prout eam docet S. Ignatius in libello Exer- 201

cit. pag. 58. & 59. Edit. Antuerp. anni 1637. in expositione fundamenti: *Prima, quæ hominem tenere debet cura, est scire, in quem finem creatus sit, & sollicitum esse, ut illum acquirat. Finis, propter quem Deus hominem creavit, est primò ut eum laudet & glorificet, corde, ore, & opere, omnia ad majorem Dei gloriam & laudem dirigendo.* Pag. 60. & 61. *Omnia ad hominis obsequium facta creataque sunt.... ut illis ipse utatur ad finem suum, propter quem creatus est.... qui est major gloria & obsequium Dei, eoque omnium istarum creaturarum usum referat, illum in omnibus, & omnes in illo, secundùm sanctissimam ejus & divinam voluntatem amando: & ea tum à recto suo fine divertitur intentio, quando nosipsos, aut aliquam creaturam, non ad majus Dei obsequium quærimus.*

202 Joannes Pelecius l. 2. de passion. animi c. 18. *Deus omnia sua facit propter suum honorem, & gloriam, juxta illud* (Deuteron. 26.) Creavit cunctas gentes in laudem, & nomen, & gloriam suam, &c. *Ad eamdem homo quoque gloriam sua omnia referre debet. Quod nisi fecerit, in eum quadrabit sententia, quam Christus fulminavit* (Matth. 6.) *in eos qui operibus suis humanam aucupantur gloriam*: Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.

203 Istis Societatis Theologis, ex eadem Societate subscribunt Salazar num. 3. laudatus, Gaspar de Loarte in Instruct. Confess. Joannes Nierembergius l. 1. discrim. inter tempor. & ætern. c. 4. Et vitæ divinæ c. 29. Thomas Massutius de cælesti convers. l. 2. c. 3. art. 3. Joannes Bourgesius de christ. humil. l. 1. c. 11. Jacobus Lobbetius qq. Theol. in Evang. q. 7. Quibus omnibus, in doctrina ista tradenda, duces fuerunt S. Ignatius Societatis Fundator, & S. Franciscus Xaverius cap. 8. §. 7. laudati. Et sanctus quidem Ignatius finem illum humanæ creationis, pro suo, institutæque à se Societatis classico assumpsit, ut illud per Orbem universum circumferret, eoque homines omnes admoneret officii sui, finisque ad quem suis in omnibus collimare deberent.

CAPUT XVII.

Reflexio & apostrophe ad Authores propositionum per Belgium disseminatarum, &c.

204 Ecce quorum, ecce quam doctrinam, ad supremum Innocentii XII. Tribunal ex Orbe Christiano proscribendam detulistis, Religiosi in Christo fratres, doctrinam utique sanctissimi Fundatoris vestri, doctrinam S. Francisci Xaverii, doctrinam Canisii, Salmeronis, Alvarez de Paz, Claudii Aquaviva Generalis vestri, Drexelii, Rosignolii, Labatæ, Lud. de Palma, Pelecii, Salazaris, Loartii, Nierembergii, Massutii, Bourgesii, Lobbetii, non ignobilium profectò Scriptorum inclytæ Societatis vestræ; doctrinam tot & tam illustrium aliorum Theologorum sæcularium, regulariumque ex omni Ordine, Nationeque; doctrinam, in quam *Patres omnes* (teste Rosignolio vestro) *una & mente & voce consentiunt*; quam Apostolus in epistolis suis prædicavit, Christus in Evangelio canonizavit, Spiritus sanctus in veteri Testamento multipliciter expressit, & ut in manibus omnium versaretur, à servo suo Thoma à Kempis describi voluit lib. 3. de Imit. Christi c. 9. ut vidimus suprà num. 59.

De hoc libro S. Ignatius (si fides R. P. 205
Georgio Mayer in epist. ad R. A. P. Claudium Aquaviva) non solùm *magnificè sensit, sed & quotidiano usu lectioneque sibi familiarissimum, filiis suis commendatissimum reddidit.* Ipsaque Societas *per Orbem propè universum circumulit, ejus amorem magnis æquè ac parvis instillans, usumque singularem summo omnium questu commendans.* Ideò sanctissimam fundatissimamque doctrinam de necessaria operum omnium in Deum propter se dilectum relatione, in libro per totum Christianum Orbem tanta cum laude & commendatione recepto traditam, noluit SS. D. N. Innocentius XII. proscribere; nec vos debuistis ad censuram deferre. Cùm delatio ista ad majorem Dei gloriam non esset; imò contra eam, adeòque contra tesseram vestræ Societatis esset.

Et quâ (amabo) censurâ doctrinam illam 206
notatam voluistis? An nescitis quid Romanus Theologus, ad examen articulorum Lovanienſium deputatus, à viginti quinque circiter annis dixerit: *Si articulus ille censurâ aliquâ perstringeretur, ad minimum scandalosus dici deberet. Esset autem scandalosum dicere, articulum illum esse scandalosum?* Sic refert Vianæus (qui tunc præsens aderat) in libro suo de ordine Amoris cap. 9. in fine.

CAPUT XVIII.

Argumentum XV. Quia ipsimet Judæi, Ethnicique Philosophi, eamdem obligationem tradunt.

SI Julianum Augustinus sic olim affatus est: 207
Obsecro te, non sit honestior Philosophia Gentium, quàm nostra Christiana, quæ una est vera Philosophia: vix dubium, quin Augustinus, si foret hoc tempore redivivus; hoc (inquam) tempore, quo tam in moribus, quàm in opinionibus, usque adeò refrixit charitas multorum, iisdem verbis interpellaret nonnullos Recentiores Opinatores, qui, divini amoris neglecto patrocinio, cupiditati malunt patrocinari, docendo, quòd licitum sit creaturis frui; licitum temporales honores, pecuniam, sensuum voluptates propter se appetere, nullamque esse obligationem in Deum omnes actus nostros deliberatos referendi, quam ne quidem Judæi negare ausi sunt.

Siquidem Morinus l. 1. de pœnit. c. 21. ce- 208
leberrimum apud Judæos axioma esse testatur: *omnes actiones nostras divini amoris causâ fa-*

ciendas esse. Unde Rabbi Moyses, apud Driedonem l. 1. de libert. dicit, quòd *justus, licèt loquatur cum hominibus, & laboret in his quæ necessaria sunt corpori, providet Dominum in conspectu suo semper.*

209 Sed & obligationem illam Ethnici Philosophi, videlicet Platonici cum Platone, Peripatetici cum Aristotele, Stoïci, Cynici, Megarici, Pythagorici, imò ipsi etiam Epicurei, uno velut ore tradunt, prout adductis expressissimis ipsorum testimoniis pulchrè ostendit Doctor Claës in Ethica sua p. 1. cap. 20. & 23. ubi pariter exhibet gravissimas de eadem veritate sententias Senecæ, Plotini, Ciceronis & Epicteti.

210 De Platonicis idem testatur S. Augustinus l. 8. de Civit. Dei c. 9. Aristotelis testimonium videri potest apud ipsum lib. 1. Moral. c. 10.

211 Præterite hîc non possum verba notatu digna Epicteti apud Arrianum l. 1. c. 16. *Si sani essemus, quid aliud agendum erat, & publicè & privatim, quàm Numen celebrandum, & laudandum, & grates persolvendæ? Nonne & interfodiendum, & arandum, & edendum, hymnus hic cantandus erat Deo: Magnus est Deus... Deus, qui manus dederit, qui deglutiendi vim, qui ventrem, &c.?.... Si philomela essem, philomelæ officio fungerer; si olor, oloris. Nunc rationis cùm sim particeps, Deus mihi celebrandus est. Hoc meum munus est,* &c. Senecæ verba epist. 95. *Proponamus oportet finem summi boni, ad quem nitamur, ad quem omne factum nostrum, dictumque respiciat, velut navigantibus ad sidus aliquod dirigendus est cursus.*

CAPUT XIX.

Argumentum XVI. ex multiplici ratione Theologica, atque imprimis ex rationibus octo, spectantibus ad naturalem rerum ordinem, ab Authore naturæ institutum.

212 REcolenda sunt verba Melliflui Doctoris serm. 2. de verb. Apost. *Non est regnum Dei esca & potus*, in medio: *Quidquid es, quidquid potes, debes creanti, redimenti, vocanti.* Hisce namque verbis tres assignat rationes fundamentales assertæ à nobis obligationis, rationem utique creationis, redemptionis & vocationis. Ad quas aliæ reduci possunt. Ad rationem quippe creationis facilè reducuntur rationes petitæ ex naturali rerum ordine, ab Authore naturæ, seu Creatore instituto. Sicut ad rationem Redemptionis reducitur ratio, quam S. Augustinus serm. 12. in Psal. 118. adducit, ad probandum quòd omnia bona sua justi ad Deum referre debeant, *quoniam non à seipsis, sed ab illo fiunt boni.* Cùm in hoc statu boni non fiant, nisi per gratiam Redemptoris.

213 Ad rationem itaque creationis, seu naturalis rerum ordinis, pertinent octo rationes, capite præsenti subjiciendæ. Ad rationem Redemptionis spectant quatuor sequentes, quas cap. 20. deducemus. Reliquæ (capite 21. exhibendæ) pertinent ad rationem vocationis.

Prima itaque ratio, petita ex naturali rerum 214
ordine, à Creatore, seu Authore naturæ instituto; est quia omnis amor deliberatus ad Deum finaliter est referendus. Ergo & omne quodcumque agimus. Consequentia bona est: quia omne quodcumque agimus, ex amore aliquo procedit. Antecedens probatur: omnis amor noster deliberatus, vel Dei est, vel creaturæ, ut constat ex dictis lib. 4. n. 21. Vel ergo ex amore finaliter sistente in Deo; & hic sine dubio finaliter refertur ad Deum. Vel ex amore finaliter sistente in creatura, utpote amata finaliter propter se; & hoc est contra naturalem ordinem, à Creatore institutum, secundùm quem nulla creatura finaliter amabilis est propter se, sed solus Deus, uti demonstratum est lib. 5. c. 11. Et lib. 6. c. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. Et lib. 7. c. 2. & 4. ubi rationibus duodecim, tum philosophicis, tum theologicis, hoc invictè probatum invenies.

Secunda ratio: homini Deus numquam 215
permittit usum potentiarum suarum, non ad finem ad quem eas ipsi dedit. Numquam enim ipsi permittit amare sæculum, voluptates sensuum, pecunias, honores, &c. quia ad hoc ipsi non dedit amandi potentiam. Numquam ipsi permittit fruendis uti, nec frui utendis; quia ad hoc ipsi non dedit potentiam utendi & fruendi. Numquam ipsi permittit rebus uti, nisi propter quod divinitùs institutæ sunt, &c. Sed amandi potentiam Deus homini non dedit, nisi ut ipsum amet, & cætera propter ipsum, ut Sancti docent, specialiter Villanovanus l. 6. n. 64. relatus. Et ratio dictat: neque enim servo Dominus instrumenta, neque militi Rex arma porrigit, nisi ut sibi serviat, & militet, sive ut illis utatur in obsequium Domini vel Regis sui. Unde nec unquam permittit iis uti cum detrimento obsequii sui. Et hinc *omnes Scripturæ* (teste Augustino serm. 15. inter editos à Sirmondo) *nihil aliud te docent, nisi continentiam ab amore sæculi, ut amor tuus currat in Deum.* A quo cursu quia cor tuum impeditur per sæculi amorem, amorem istum numquam permittit Deus. Nec ergo permittit unquam creaturæ propter se finaliter amorem; utpote per quem impeditur cursus amoris in Deum, minùs inde amatum, ut idem Augustinus dicit: *Minùs te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat.* Denique sicut quæcumque potestas subdito à Rege committitur, eâ lege committitur, ut omnis usus ipsius in Regis committentis obsequium ordinetur; sic dicendum de omni etiam potentia homini à Deo commissa.

Tertia ratio: omnis amor & actus tuus 216
deliberatus, Deo debitus est, tamquam primo, absolutissimo, perfectissimoque rerum omnium principio (si enim arboris fructus

omnes ei debiti sunt, qui arborem plantavit; quantò magis ei, qui & arborem plantavit, & quod plus est creavit, & omnes fructus ipsius immediatissimè, perfectissimèque producit?) *Si quam igitur cogitationem, si quam dilectionem in alio expendis, si quid aliud cupis, aut sapis, si quid agis, vel meditaris, quod non ipse, aut propter ipsum est, fur es & latro, & alienum est quod prodigis*, ait Villanovanus ibidem. Enim-verò *cùm ad suum non referuntur Authorem dona Dei, hoc ipso mali, bis utentes, efficiuntur injusti.* Augustinus lib. 4. contra Julian. c. 3. Jure ergo creationis *omnia bona ad Authorem suum referenda sunt, unde nascuntur.* Zozimus & Cœlestinus Papa epist. ad Episc. Gall. Eodem jure Dominus l. 3. de Imit. Christi cap. 9. *Omnia* (inquit) *ad me principaliter referas, quia ego sum, qui omnia dedi. Sic singula considera, velut ex summo bono manantia: & ideò ad me, tamquam ad suam originem, cuncta sunt reducenda.* Omnis quippe effectus referri vult ad causam suam, fluvius omnis refluere ad originem suam. *Quòd si copia aquarum secretis, subterraneisque recursibus incessanter æquora repetunt.... cur non etiam spirituales rivi.... proprio fonti sine fraude & sine intermissione redduntur?* (ait Bernardus serm. 13. in Cant.) *Ad locum, unde exeunt, revertantur flumina gratiarum, ut iterùm fluant; remittatur ad suum principium cœleste profluvium.* Illi proinde debes, quidquid es, quidquid potes, quidquid operaris, à quo habes esse, & posse, & operari. Nec pro uno vel altero dumtaxat, sed pro omni momento: cùm pro omni momento à Deo omnia habeas.

217 Quarta ratio: omnis etiam amor, omnis affectus, omnis actus noster Deo debitus est, tamquam jure creationis conservationisque supremo, absolutissimo, perfectissimoque rerum omnium, potentiarum, actuumque Domino; ideòque omnes fieri & referri debent in obsequium ipsius. Cùm unaquæque res & potentia in omnibus in quibus subest dominio alterius, ipsi fructificare debeat. Nec ulla res & potentia, tam stricto jure in omnibus subsit dominio alterius, quàm homo & omnis potentia ipsius subsit dominio Dei. Sed & si omnia opera servi, omnesque operum fructus Domino cedere debeant; nullus profectò magis servus alterius, quàm homo Dei.

218 Quinta ratio: unaquæque res, adeòque omnis actus noster, secundùm naturalem rerum ordinem, non minùs referri postulat ad finem suum ultimum, à creatura capaci, quàm procedere à primo principio suo. Nec finis ultimus creationis & conservationis rerum omnium, minùs exigit à creatura capaci, ad se referri omnia, ad se referibilia, quæ per creaturam fiunt; quàm primum principium exigat à se produci omnia à se producibilia, quæ per creaturam fiunt. Cùm igitur Deus æquè sit finis ultimus, quàm primum principium creationis & conservationis rerum omnium, secundùm illud Apocal. 1. *Ego sum alpha & omega, principium & finis*: æquè postulat à creatura capaci (qualis est homo) ad se referri omnes actus suos, ad se referibiles, quàm à se produci omnes actus ipsius à se producibiles. Nec ut finis ultimus, magis permittit, actum ullum deliberatum referri ad aliquid extra se, tamquam ad finem, seu positivè, seu negativè ultimum; quàm, ut primum principium, permittat actum ullum produci ab aliquo extra se, tamquam à principio, seu positivè, seu negativè primo.

Et confirmatur 1°. sicut necessarium est 219
Deum esse primum principium rerum omnium; ita necesse est Deum esse rerum omnium finem ultimum; ad quem proinde homo referre debet quidquid est, aut habet, quia totum quod est, aut habet, hoc ipsi Deus dedit eo fine ut totum divinæ gloriæ rependat; nihil enim alio fine aut conditione Deus homini donare potest, sicut nihil alio fine creare vel operari potest. Quia omnia quæcumque donat, vel agit, sicut donat & agit perfectissimè, sic donat & agit propter finem perfectissimum, qui est solus Deus. De quo propterea scriptum est: *Omnia propter semetipsum operatus est Dominus.*

Confirmatur 2°. secundùm Philosophum 220
2. Physic. textu 89. & Angelicum Doctorem 1. p. q. 62. a. 8. & q. 82. a. 1. finis se habet in appetibilibus & operabilibus, sicut principium in speculabilibus. Igitur ad finem ultimum reduci debent appetitus omnes, & operationes, sicut ad primum principium conclusiones omnes.

Confirmatur 3°. quia idem esse debet fi- 221
nis amantis hominis, in omni amore suo deliberato, qui fuit Dei creantis & dantis ipsi amandi potentiam; utpote quâ uti non debet, nisi ad finem, ad quem ipsi data est.

Sexta ratio: nullum est momentum, nul- 222
lus in nobis actus, quo non fruamur beneficiis Dei, continuâ suâ dilectione nos, potentiasque nobis datas conservantis, ad omnemque actum nostrum, saltem non malum, prævio influxu suo nos moventis, adjuvantis, & ad opus bonum dirigentis: nullum est ergo momentum, nullus actus, quo non postulat gratitudinem nostram, gratiasque, laudes, & reciprocum amorem in omni actu nostro deliberato ipsi rependendo, vivendoque & movendo nos propter ipsum, sicut vivimus, movemur, & sumus per ipsum. Ideò ergo Apostolus Coloss. 3. ait: *Omne quodcumque facitis.... omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi, gratias agentes Deo & Patri per ipsum.* Et 1. Thessalon. c. 5. *In omnibus gratias agite. Hæc est enim voluntas Dei in Christo Jesu in omnibus vobis.*

Septima ratio: quisquis habet esse ad ima- 223
ginem & similitudinem Dei, quandocumque deliberatè agit, agere debet ad imaginem & similitudinem Dei (cùm esse sit propter ope-

rari, & tale esse propter taliter operari) sed homo habet esse ad imaginem & similitudinem Dei, qui universa propter se & gloriam suam operatur.

224 Octava ratio: eum ordinem naturæ Author in rebus instituit, ut velit unamquamque rem, secundùm modum naturæ suæ proportionatum, indesinenter tendere in centrum suum. Ad hoc namque manifestandum, eum rebus omnibus, etiam inanimatis, naturalem instinctum indidit, per quem indesinenter tendunt in centrum suum; ipsumque hominem sic creavit, ut inquietum sentiat cor suum, donec requiescat in centro suo. Sed solus Deus est centrum hominis; utpote in quo solo cor ipsius quietem invenire potest, prout experientia docet. Indesinenter ergo, atque adeò in omni actu & amore suo, tendere debet in Deum. Agitque proinde contra ordinem, ab Authore naturæ institutum, dum deliberatè vult per amorem requiescere in aliquo extra Deum, non ultrà tendendo in Deum, centrum suum. Quemadmodùm enim Deus unamquamque rem naturalem indesinenter tendere vult in centrum suum, per instinctum naturæ suæ proportionatum; sic hominem ratione & voluntate præditum, indesinenter tendere vult in centrum suum, per rationem & voluntatem naturæ suæ proportionatam.

CAPUT XX.

Argumentum XVII. ex rationibus quatuor, petitis ex titulo redemptionis.

225 SI omnes actus nostri deliberati, titulo creationis, sint Deo debiti, ad Deumque referendi; multò magis titulo redemptionis.

Nona ergo assertæ obligationis ratio est, quia nihil magis dignum & justum, nihil magis conforme regulis æquitatis & gratitudinis, nihil magis omni jure debitum, quàm ut homo redemptus, & tanto pretio redemptus, se totum, suaque omnia, potentias & operationes omnes, totamque vitam, & omnem illius partem, talis ac tanti Redemptoris impendat amori, honori, obsequio & laudi, qui se totum, totamque vitam suam, & totum pretiosum sanguinem impendit homini redimendo. *Foret* enim *contra rationem, quòd Deus semetipsum nobis totum daret, & quòd cor nostrum & amor foret divisus*, ait Catechismus Senonensis lect. 5. atque, ut Bernardus ait Serm. 20. in Cantica, *si totum me debeo pro me facto, quid addam jam pro refecto, & refecto hoc modo? Non enim tam facilè refectus, quàm factus. Siquidem qui me tantùm & semel dicendo fecit, in reficiendo profectò & dixit multa, & gessit mira, & pertulit dura; nec tantùm dura, sed & indigna... In primo opere me mihi dedit; in secundo se. Datus ergo, & redditus, me pro me debeo, & bis debeo. Quid Deo retribuam pro se? Nam etiamsi me millies rependere possem, quid sum ego ad Deum?* Proinde si titulo creationis homo Deum diligere tenetur *ex omni quod est, quod scit, quod potest* (ut ibidem Bernardus ait) multò magis titulo redemptionis, talisque & tantæ redemptionis. *Unum est quod me plus his omnibus* (aliis beneficiis) *accendit, urget, movet & promovet ad te in omnibus diligendum* (ait Author lib. de dilig. Deo apud August. to. 6.); *super omnia, inquam, amabilem te mihi reddit, ô bone Jesu, ignominiosissima & amara mors, quam sustinuisti, opus nostræ redemptionis. Hoc solum omninò totam vitam nostram, totum laborem nostrum, totum obsequium nostrum, amorem denique nostrum facilè sibi vindicat totum. Totus eram in morte* (ait ibidem Author Soliloq. c. 18.) *totum me resuscitasti..... Totum me liberasti, ut totum me possideres. Totum me refecisti, ut totum me rehaberes.... Igitur.... vivat, jam non mihi, sed tibi, tota vita mea.* Vide quæ dixi lib. 6. c. 7. per totum.

Decima ratio: per opus redemptionis, nos 226
sibi totos, velut servos emptitios, Redemptor acquisivit, juxta illud 1. Cor. 6. *Non estis vestri: empti enim estis pretio magno.* Quemadmodùm ergo servus emptitius, modico licèt emptus pretio, nullo momento sibi vivere debet, sed Domino, seu emptori suo: à fortiori nos, *tanto pretio empti*, nullo momento nobis vivere debemus, sed Domino & Redemptori nostro, prout Apostolus 2. Cor. 5. absolutè, & sine ullius momenti, temporis vel operationis exceptione concludit, dicens: *Pro omnibus mortuus est Christus, ut qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est.* Et Rom. 14. *Nemo nostrùm sibi vivit, & nemo sibi moritur*, nemo sibi manducat, nemo sibi bibit, nemo sibi quidquam aliud facit. *Sive enim vivimus*, sive manducamus, sive bibimus, sive aliud quid facimus, *Domino vivimus; sive morimur, Domino morimur*, Domino manducamus, &c. *Sive ergo vivimus, sive morimur*, sive manducamus, &c. *Domini sumus. In hoc enim Christus & mortuus est, & resurrexit, ut & mortuorum, & viventium*, & manducantium, & aliud quodcumque facientium *sit Dominator*, sicut in vita & morte, sic in omni nostra operatione. Et 1. Thessal. 5. *Christus mortuus est pro nobis, ut sive vigilemus, sive dormiamus*, (id est, in omni quod facimus) *simul cum ipso* (id est, vitâ ipsius) *vivamus.*

Undecima ratio: sicut ad hoc Christus in- 227
carnatus & mortuus est, ut nos sibi totaliter acquireret; sic & ad hoc divinissimum amoris seu Eucharistiæ Sacramentum instituit, ut scilicet ipsi totaliter, & propter ipsum viveremus, prout in Evangelio ipse testatur, dicens: *Sicut.... vivo propter Patrem: & qui manducat me, & ipse vivet propter me.* Joan. 6. Christus autem omni momento & operatione vivit propter Patrem. Igitur & Christum manducans, omni momento & operatione vivere debet propter Christum; utpote qui simpliciter,

& absque limitatione & exceptione ulla dixit: *& ipse vivet propter me.* Vide lib. 6. a. 81.

228 Duodecima ratio: quidquid benè facimus, id totum Deus per gratiam Redemptoris facit ut faciamus, ut posteà videbitur. Id ergo totum in laudem & gloriam Dei, ac Redemptoris nostri, facere tenemur. Utpote ad cujus laudem, & gloriam, & propter cujus amorem facere tenemur omne bonum, quod in nobis per Redemptoris gratiam operatur, uti cum Zosimo tradit Cœlestinus Papa epist. ad Gall. Episc. c. 8. dicens, *quòd omnia studia, & omnia opera ac merita Sanctorum ad Dei gloriam laudemque referenda sint: quia nemo ei aliunde placet, nisi ex eo quod ipse donaverit. In quam nos sententiam dirigit beatæ recordationis Papæ Zosimi regularis authoritas, cùm scribens ad totius Orbis Episcopos, ait: Omnia bona ad Authorem suum referenda sunt, unde nascuntur.* Quod & Apostolus docet Coloss. 3. & 1. Thessalon. 5. uti vidimus n. 222. Et Augustinus relatus n. 216. Qui etiam serm. 12. in Psal. 118. ait: *Laus homini justo quantacumque provenerit, non ibi esse debet finis boni, sed etiam ipsa referenda est ad laudem Dei, propter quem bona faciunt verè boni; quoniam non à seipsis, sed ab illo fiunt boni.*

CAPUT XXI.

Argumentum XVIII. ex aliis octo rationibus, petitis ex titulo vocationis ad Christianismum.

229 RAtiones illas lib. 6. c. 8. deduximus. Ideò breviter hîc eas percurremus. Fundantur autem omnes in eo quòd Christianus, omni momento quo deliberatè agit, agere debeat propter finem proprium Christiani; sicut homo, omni momento quo deliberatè agit, agere debet propter finem proprium hominis. Finis autem proprius Christiani, Christus est, ut ibidem ex Augustino & Prospero ostensum est. Omni proinde momento Christianus agere debet propter Christum, & dignè Evangelio, secundùm illud Ephes. 1. *Ambulate dignè vocatione, quâ vocati estis.* Et ad Philipp. 1. *Dignè Evangelio conversamini.* Hæc proinde sit decima-tertia ratio.

230 Atque ex ipsa sequitur decima-quarta, quòd cùm Christianus omnis sit peculium Christi, & populus acquisitionis, cujus vitam totam, & non aliqua dumtaxat momenta illius, Christus sanguine suo acquisivit, sicut vitam ipsius totam, & non solùm aliqua momenta illius redemit, usque adeò desiit sui juris esse, transiitque in jus Christi, ut totam vitam suam, & non solùm aliqua momenta illius, in laudem, obsequium & amorem Christi debeat impendere; atque adeò omnes deliberatos actus suos in ipsum referre.

231 Sequitur & decima-quinta ratio, quòd cùm Christianus omnis sit membrum Christi, omni momento vivere debeat vitâ capitis sui; adeòque in gloriam ipsius, *crescendo in illo per omnia... in charitate*, ut ait Apostolus ad Ephes. 4.

Sequitur & decima-sexta, quòd cùm Chri- 232
stianus omnis sit Sponsa Christi, omni momento vivere debeat ex amore Christi.

Et decima-septima, quòd cùm Christianus 233
omnis sit templum Dei, profanis se usibus numquam applicare possit, sed solis Dei laudibus & obsequiis, vel actionibus in laudem & obsequium Dei relatis.

Et decima-octava, quòd cùm Christianus 234
omnis sit palmes Christi, in ipso radicatus, soli ipsi ferre debet fructum pietatis & dilectionis.

Et decima-nona, quòd cùm Christianus om- 235
nis sit vocatione & professione sanctus, debet *in omni conversatione* (in omni proinde operatione) *esse sanctus*, 1. Petri 1. in omni proin- 24
de operatione Dei amator, nihil nisi Deum, vel propter Deum amando. Cùm in hoc sanctitas consistat.

His addi potest vigesima ratio, quòd Chri- 236
stianus omnis sit hîc peregrinus & hospes, non habens hîc civitatem permanentem, sed futuram inquirens. Nullam proinde hujus mundi creaturam amare debeat amore mansorio, sed transitorio, nullâque mundi creatura frui, sed uti, sicut peregrinus utitur rebus diversorii sui, secundùm quod Augustinus dicit tr. 40. in Joan. *Erit tibi nummus instrumentum peregrinationis, quo utaris ad necessitatem, non quo fruaris ad delectationem... Iter agis, stabulum est hæc vita. Utere nummo, quomodò viator in stabulo utitur mensâ, calice, urceo, lectulo, dimissurus, non permansurus.* Ideò Apostolus dicit: *Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* Et iterùm: *Non respicientes quæ videntur, sed quæ non videntur.*

CAPUT XXII.

Argumentum XIX. ex absurdis consectariis, in quæ prolapsi sunt assertam negantes obligationem.

SIquidem ex ipsis aliqui docent, propter se 237
amari posse pecuniam, temporales honores, sensuum voluptates, fastum naturalem, &c. licitum proinde operari præcisè ad acquirendam pecuniam, temporalem honorem, edere, bibere, conjuge uti, præcisè ob delectationem cibi, potûs, conjugalis usûs, &c. Quod quàm alienum sit à Scriptura, traditione, ratione, vide lib. præcedenti cap. 7. 8. 9. 10.

Alii (ut Escobar tr. 1. exam. 8. n. 5.) va- 238
num ornatum mulierum à mortali, & subinde etiam à veniali excusant, *si fiat, non malo fine, sed ob naturalem fastûs inclinationem.*

Alii (ut Tamburinus l. 5. in Decal. c. 1. 239
art. 3. n. 21.) licitum putant filio desiderium mortis patris, ad fruendum hæreditate ipsius, licitumque subdito desiderium mortis prælati,

ti, ut prælaturæ ipse succedat. Ibi namque Tamburinus, propositâ quæstione : *an possit filius mortem patris optare, vel de illa gaudere, non ut malum patris (hoc enim esset admodùm execrandum) sed ut ipse filius paternâ hæreditate fruatur?* Item : *possitne subditus Prælati sui mortem cupere, ut prælaturæ ipse succedat?* Respondet 1°. *Si solùm desideres ejusmodi effectus, hæreditatem... prælaturam, facilis est responsio : licitè enim hæc optas.* 2°. *Si prædicta desideres sub conditione, facilis est responsio, licitè posse.* 3°. Si absolutè desideres in hunc modum, *cupio mortem patris, non ut malum patris, sed ut bonum meum, seu ut causam boni mei, Bonacina docet id illicitum.* Sed ipsi Castropalaum opponit, & subdit : *ex quibus vides opinionem Castropalai satis probabilem esse.*

240 Alii (ut Escobar tr. 1. exam. 7. n. 48.) censent, quòd justa causa occidendi hominem, propter alapam, sit intentio recuperandi honorem, *ostendendo signa excellentiæ, & existimationem apud homines capiendo.* Provocato etiam ad duellum, justam sistendi se provocanti causam censet Hurtado (apud Dianam p. 5. tr. 14. resol. 99.) *ne gallina ab exercitu existimetur, & non vir.*

241 Alii justam causam putant, in eleëmosynam non erogandi pecuniam statui præsenti superfluam, atque adeò eximendi se ab obligatione faciendi eleëmosynam de superfluo; justam (inquam) ad id causam putant intentionem asservandi dictam pecuniam, ad suam vel suorum exaltationem, solâ pecuniæ vi comparandam.

242 Aliis (ut Sanchez l. 1. oper. moral. c. 6. n. 16.) videtur quòd ad offerendum se conspectui viri, à quo se turpiter scit amari, justa mulieri causa sit, intentio utendi jure libertatis *egrediendi domo, standi ad ostium, vel fenestram, & discurrendi per civitatem*, absque animo provocandi ipsum ad turpem istum amorem.

243 Aliis, & quidem multis, emolumentum temporale, vel commodum non parvum, justa videtur causa non deferendi proximam peccati mortalis occasionem.

244 Nec absque omni fundamento taliter opinati sunt, semel dato, quòd cælestem intentionem omnibus deliberatis actibus nostris adjungere non teneamur, sed carnali vel temporali intentione contenti esse possimus. Quâ non est cur subinde contenti esse non possimus, si creaturas propter se finaliter amare possimus, uti ostensum est l. 4. n. 14. Et lib. 7. n. 76. & seqq.

245 In quæ verò absurda prolapsi sint negantes obligationem semper amandi Deum, actu vel virtute, vide lib. 6. n. 49.

CAPUT XXIII.

Justa expostulatio veterum Patrum, Sanctorum novissimorum, Cardinalium, Archiepiscoporum, Episcoporum, Magistrorum spiritualium, meliorum Theologorum, adversus Neotericos illos, qui asserere non verentur, in Bajo damnatam esse doctrinam quæ tradit obligationem referendi omnes actus nostros deliberatos in Deum.

ITane, filii, nos Bajani sumus, qui lumina 246
fuimus Civitatis Dei, qui vitâ ad divinas regulas optimè gestâ, debellatisque temporum nostrorum erroribus, de iis Ecclesiam fecimus triumphare? Quæ est ista temeritas, & imprudentia vestra, quâ audetis nos hostiliter insectari, quos debuistis fideliter imitari? Quid est quòd traditionem nostram, de referendis in Deum, finem ultimum, omnibus humanis actibus, tantâ animositate impetitis, nullâque sobriâ consideratione pulsatis, velut damnatam à Pontificibus Romanis? Doctrina ista est divina, est evangelica, est apostolica, est christiana. Eam uti talem à nobis intellectam, à nobis traditam fuisse, oracula nostra suprà enarrata testantur. Si cernitis, cernite, & tandem aliquando tacete, totque & tam venerandis oraculis præjudicantem animositatem vestram submittite.

Vobisne permissum est, divinas, evange- 247
licas, apostolicas Scripturas contra eum sensum quo eas omnes vel ferè omnes intellexi-mus, & exposuimus, intelligere, exponereque? An non hoc Romana inhibet Ecclesia in Concilio Tridentino sess. 6.? Aliumne sensum, quàm à nobis communiter traditum, Romana sequitur Ecclesia? Quâ igitur confidentiâ dicere audetis, communem illum sensum nostrum, alienum esse à sensu Ecclesiæ Romanæ, cujus nos defensores fuimus, & rectores? Quâ fronte, imò quâ temeritate jactatis, sensum illum nostrum Bajanum esse, Jansenianum esse, sive in Bajo Janseniove damnatum? Videte, qui, & quibus, filii utique Patribus, tam gravem, tamque nefariam irrogatis injuriam. Luce clariora sunt testimonia nostra. Ab Ecclesiæ Romanæ more, Romanorumque Pontificum mente prorsus alienum est, improbare doctrinam, quam communi nos calculo censemus esse divinam, evangelicam, apostolicam, christianam, id est, in divinis, evangelicis, apostolicis Scripturis stabilitam, & ideò christianam; utpote demonstratam ex ipsomet fine, quem christiana religio docet, ex fine utique creationis, redemptionis, & vocationis hominum ad Christianismum, qui est vivere Deo, non sibi.

Nec solùm filii Patribus, sed & Conven- 248
tui Patrum, infertis injuriam, quorum multitudo non est multitudo popularis; siquidem non solùm filii, sed & Patres Ecclesiæ sunt. Ex quorum numero plures sunt Romani Pontifices, Zosimus, Cœlestinus, Leo, Gregorius, de quibus prædictum est : *Pro Patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram.* Ex eodem Cor-

ventu sunt Ambrosius, Basilius, Hieronymus, Augustinus, Prosper, Fulgentius, Bernardus, torque alii suprà laudati, quorum vos movere debuit tanta consensio, ne doctrinam ab ipsis traditam velut Bajanam traduceretis. In Ecclesia Catholica doctrinæ sanæ studiis claruerunt, spiritualibus armis muniti, & accincti, strenua contra hæreticos bella gesserunt, perfuncti fideliter suæ dispensationis laboribus, in pacis gremio dormierunt. Eorum doctrinam Ecclesia in Conciliis suis semper secuta fuit, suosque ex ea Canones construxit. Quæ est ergo imperitia vestra, quòd eam vos ab Ecclesia proscriptam dicitis? In eo utique non nobis dumtaxat, sed & ipsi Ecclesiæ injurii estis, non sine hæreticorum scandalo, quorum sacrilegæ concinitis audaciæ, quâ Romanam calumniantur Ecclesiam, quasi ipsa suis, seu Romanorum Pontificum, Generaliumque Inquisitorum censuris, defecerit ab expressis S. Augustini, aliorumque veterum Patrum sententiis ad opiniones novas.

249 Desinat igitur damnatus Casuistarum Apologista, desinat Sabranus, desinat Arsdekinus erroneam asserere doctrinam, quâ Christianis omnibus præceptum asseritur, ut actus omnes suos ad Dei gloriam actu vel virtute referant. Hanc quippe istius Apologistæ propositionem Ecclesia Senonensis & Parisiensis meritò censuit *temerariam*, *falsam*, *Patribus*, *S. Thomæ*, *& clarissimis Theologiæ Doctoribus injuriosam*, *qui in his Pauli verbis*, *Omnia vestra in charitate fiant*, *& omnia in gloriam Dei facite*, *verum præceptum semper agnoverunt*, *&c.*

250 Quòd autem propositio illa non solùm injuriosa sit sanctis Patribus, sed & S. Thomæ, & Magistris spiritualibus in Ecclesia probatissimis, pluribusque Cardinalibus, Archiepiscopis, Episcopis, melioribus Theologis, invictè demonstratum est capitibus præcedentibus, ubi etiam probatissimos Magistros spirituales, Thomam à Kempis, Dionysium Carthusianum, S. Ignatium Societatis Fundatorem, S. Thomam Villanovanum, Ludovicum Granatensem, pro eâdem obligatione produximus. Denique pro ea meliores Theologos stare Catharinus & Salmeron suprà laudati testantur, de melioribusque haud dubiè Theologis loquitur pientissimus, pariterque sapientissimus Cardinalis Bona, dum p. 1. princip. vit. christ. art. 29. sic ait: *Theologi*, *licèt unanimi consensu asserant quasdam actiones humanas* (secundùm speciem) *nec bonas nec malas esse*, *quales sunt ambulare*, *comedere*, *dormire*; *docent tamen eum peccare*, *qui reipsâ dormit*, *edit*, *ambulat*, *& hæc non refert ad ultimum finem.*

CAPUT XXIV.

Justa expostulatio Christianæ Religionis adversus eosdem.

251 Quomodò non Christiana Religio justè expostulet adversùs vos, qui damnatam & erroneam temerario ausu asseritis obligationem, quam ex principiis vitæ christianæ, Christianique hominis fine, S. Bernardus, S. Thomas Villanovanus, S. Ignatius, aliique Sancti demonstrant? ex eo utique quòd illi omnem debeamus amorem, qui nobis amandi præstitit voluntatem, quòdque Christianus, qui nullo momento suus est, nullo momento sibi vel ulli creaturæ vivere debeat, sed ei cujus totus est per creationem, redemptionem, vocationem; ad quem proinde omni momento referre debeat vitam suam, omnesque & singulos actus suos deliberatos?

Et quid rationibus istis magis evidens, quid 252
magis christianum? Nulla creatura habet esse finaliter propter se; sed propter Deum, qui *universa propter semetipsum operatus est.* Nulla proinde creatura bona est, & amabilis propter se; sed propter Deum, propter quem habet esse. Nulla ergo creatura ordinatè amatur finaliter propter se; sed propter Deum.

Nulla creatura, in ordine rerum, rationem habet finis nostri, etiam negativè ultimi, 253
sed medii dumtaxat ad Deum, finem nostrum ultimum. Nulla ergo creatura, in ordine amoris, rationem habere potest finis amoris nostri, etiam negativè ultimi; sed rationem dumtaxat medii, seu veluti ad Deum, ut docent Magistri spirituales, & christiana ratio, quæ dictat, quòd talis esse debeat ordo amoris, qualis est ordo rerum in bonitate & amabilitate. Hinc autem manifestè conficitur, nullam creaturam benè & ordinatè amari propter se, tamquam finem, etiam negativè ultimum; sed propter Deum dumtaxat, uti docent Sancti, Magistri spirituales, melioresque Theologi. Et rationem dat Augustinus l. 18. de Civit. c. 12. quia bonum quodcumque *benè amatur*, *quando amatur ordine custodito*; *malè autem*, *ordine perturbato.*

Ecce quomodò principiis cælo terràque im- 254
mobilioribus nititur nostra, seu Sanctorum potiùs de operibus in Deum referendis doctrina. Quam proinde in Bajo damnatam temerè asserit quisquis asserit, ut constat ex dictis Prolegomeno 7.

Dolendum certè in ea nos esse temporum 255
calamitate, ut ab iis, quibus laxior placet Ethica, tam sancta nigro pulvere conspergatur doctrina, quam nec à Pio V. nec ab Alexandro VIII. proscriptam esse abundè monstratum est ibidem.

Et abundantiùs ostenditur ex eo quòd ii qui 256
eam per Bullam Pii V. damnatam prætendunt, non solidis, sed solis sophisticis argumentis, id ex ea deducant. Quæ in materia & forma peccare ipsimet animadverterent, nisi præoccupati animi præjudiciis laborarent.

Si enim, depositis tantisper præjudiciis, Pii 257
V. Bullam expenderent, duo in illa animadverterent. Primum est, quòd in fine Bullæ Pontifex expressè declaraverit, aliquas ex damnatis ibi propositionibus aliquo pacto sustineri

ſtineri poſſe, in ſenſu utique, in Eccleſia non peregrino, quo eas ſancti Doctores, melioreſque Theologi docent.

258 Alterum eſt, nullam in tota illa Bulla Baii mentionem fieri, nec Pium V. uſquam ibi dicere, vel decidere, eas, quas ibi damnat, propoſitiones eſſe Michaëlis Baii, vel in ſenſu ipſius eas à ſe damnari. Neque enim dicit, *in ſenſu* à Bajo, vel aliquo ſingulari Aſſertore, *ſed in ſenſu ab Aſſertoribus intento.*

259 Unde in materia peccat hoc v. g. argumentum adverſariorum: Pius V. damnavit hanc propoſitionem v. g. 38. *Omnis amor creaturæ rationalis, eſt vitioſa cupiditas, quâ mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur; aut laudabilis illa charitas, quâ per Spiritum ſanctum in corde diffuſâ Deus amatur.* Atqui Bajus eſt Aſſertor illius, eamque damnavit in ſenſu Aſſertoris. Ergo eam damnavit in ſenſu Baii. Peccat (inquam) in materia: tum quia falſum eſt à Pontifice deciſum eſſe, quòd iſta propoſitio ſit Baii; quam ſuam eſſe Bajus ipſe negat. Tum quia Bulla non dicit, *in ſenſu Aſſertoris*, ſed *in ſenſu Aſſertorum*, ut proximè dixi.

260 Peccat etiam in forma, dum ſic proponi ſolet: *Pius V. propoſitionem illam damnavit in ſenſu ab Aſſertoribus intento.* Bajus eſt Aſſertor illius. Eam igitur damnavit in ſenſu Baii. Perinde namque eſt ac ſi quis arguetet ſic: Pius V. illam damnavit in ſenſu ab Aſſertoribus intento. Auguſtinus, vel Leo Papa eſt Aſſertor illius. Eam igitur damnavit in ſenſu ab Auguſtino, vel Leone Papa intento. Quemadmodùm in forma ideò peccat hoc argumentum, quia in eo medium non diſtribuitur; ita & illud. Neque enim major vera eſt, in ſenſu univerſali: cùm Pius V. non damnaverit hanc propoſitionem in ſenſu à quibuſcumque Aſſertoribus intento, ſed in ſenſu particulari, ſive in ſenſu ab aliquibus Aſſertoribus intento. Atque ita ſenſus majoris propoſitionis eſt: *Aliqui Aſſertores iſtius propoſitionis intenderunt ſenſum à Pio V. damnatum.* Bajus eſt Aſſertor illius. Ergo Bajus intendit ſenſum damnatum. Quo in ſyllogiſmo evidens eſt medium non diſtribui.

261 Similiter in forma peccat hoc argumentum, Novioribus quibuſdam familiare: *Iſta propoſitio damnata eſt in ſenſu Baii. Vos tenetis ſenſum Baii. Ergo tenetis ſenſum damnatum.* Quamdiù enim legitimè non oſtenditur, propoſitionem eſſe damnatam in omni ſenſu Baii (qui utique eamdem propoſitionem in duplici ſenſu intelligere potuit, quorum unus, non alter damnatus ſit) ſenſus majoris eſt: *Iſta propoſitio damnata eſt in aliquo ſenſu Baii.* Sub qua majore ſubſumendo *vos tenetis aliquem ſenſum Baii*; rurſus evidens eſt medium non diſtribui, ſed particulare eſſe; nihilque proinde ex puris illis particularibus concludi poſſe. Ignoſcat Lector quòd tam operosè de hac ſummi momenti quæſtione egimus, totque pro ea argumenta congeſſimus, eadem quandoque ſub variis expreſſionibus repetendo. Ad id namque nimia contradicentium importunitas compulit, quos pudor non cohibet à revocanda in dubium obligatione apud Majores noſtros certiſſima.

CAPUT XXV.

Diluuntur argumenta, quæ contra ſanctiſſimam de relatione operum doctrinam objiciuntur ex Bulla Pii V. Decretoque Alexandri VIII.

AUthor reſponſionis ad epiſtolam perillu- 262
ſtris Domini Denis ad ampliſſimum Dominum, adverſus hanc ipſius propoſitionem, *Condemnat lex æterna quidquid ex cupiditate fit, & conſequenter quidquid non ex Dei dilectione.* Objicit 1°. Vel ego bardus ſum, aut hæc ſententia damnata fuit in Bajo, in illa propoſitione ordine 38. *Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitioſa eſt cupiditas, quâ mundus diligitur; aut laudabilis illa charitas, quâ per Spiritum ſanctum in corde diffuſâ Deus amatur.* Cui ferè identica eſt iſta alia, ab Alexandro VIII. inter 31. confixa: *Omnis actio deliberata eſt Dei dilectio, vel mundi. Si Dei, charitas Patris eſt. Si mundi, concupiſcentia carnis eſt, hoc eſt, mala eſt.* Reſpondeo 1°. objicientem potiùs eſſe bardum, quàm Bajana ſit propoſitio, quæ dicit, lege æternâ condemnari, quidquid fit ex cupiditate, generatim ſumpta, id eſt, ex amore creaturæ non propter Deum, quatenùs non fit propter Deum, licèt ſecundùm ſe, ſive ſecundùm ſpeciem & objectum ſuum, finemque proximum, poſſit eſſe bonum, legeque æternâ ut ſic non condemnatum. Hæc namque propoſitio eſt ipſiſſima doctrina Sanctorum, quæ dicit nihil amandum, nec faciendum, niſi propter Deum. Quam divinam, evangelicam, apoſtolicam eſſe demonſtravimus. Et quis ſapiens non dicat, objicientem potiùs eſſe bardum, quàm Bajana, ſeu in Bajo damnata ſit divina, evangelica, apoſtolica doctrina? potiùs quàm Bajani Sancti paſſim omnes? Bajani Magiſtri ſpirituales, in Eccleſia probatiſſimi? Bajani Theologi meliores? Bajanus S. Ignatius Societatis Fundator, totque alii inſignes ejuſdem Societatis Theologi, quos ſuprà laudavimus? Fateatur ergo objiciens bardum ſe potiùs eſſe, quàm Bajanus ſit Fundator ſuus.

Reſpondeo 2°. propoſitionem illam, *Con-* 263
demnat lex æterna, &c. à Romana Inquiſitione, in examine Theſeos eruditiſſimi Licentiati Denis, non fuiſſe judicatam Bajanam, ſive in Bajo damnatam; ſed inoffenſo pede poſſe ſuſtineri, ut viſum eſt Prolegom. 7. Et meritò, quia ſenſus ipſius toto cælo differt à propoſitione illa 38. inter damnatas à Pio V. ſenſus namque damnatæ illius propoſitionis eſt in Eccleſia peregrinus; ſenſus verò iſtius alterius propoſitionis in Eccleſia receptiſſimus eſt, utpote ſenſus communis Sanctorum, probatorumque in Eccleſia Theologorum. Damnata propoſitio 38. non admittit medium inter

cupiditatem & charitatem perfectam, propriamque juſtorum; inter quas medium admittit iſta altera propoſitio. Propoſitio damnata tam cupiditatem quàm charitatem ſtrictè, ſpeciatim & famosè accipit; altera verò utramque latè accipit, & generatim; cupiditatem utique, pro quocumque amore, ſive mundi, ſive cujuſcumque creaturæ, non propter Deum; charitatem verò, pro quocumque amore Dei propter ſe, vel creaturæ propter Deum. Damnata propoſitio ſic culpat opera quæcumque non fiunt ex charitate, ut Aſſertores illius ne quidem admittant ea poſſe eſſe bona ex objecto, ſeu officio. Contrarium verò profitentur Aſſertores iſtius alterius propoſitionis.

264 Nequis verò arbitretur diſcrimina iſta à nobis gratis aſſeri, legat ea quæ diximus Prolegom. 6. & 7. Legat & articulos, quos hac de re Facultas Lovanienſis anno 1677. per Deputatos ſuos Sanctiſſimo D. N. Innocentio XI. obtulit examinandos, explicationemque articuli, de quo aliqui ſcrupulum movebant, *Omne opus, ut plenè bonum ſit, & ne venialiter quidem in eo delinquatur, debet ex tali* (id eſt, imperfecta & amplè accepta) *charitate procedere, &c.* Videbitque nihil peregrinum, nihil exoticum, nihil niſi in Eccleſia receptum ab ipſa admitti. Videbit & triplex illud diſcrimen, inter articulum iſtum Lovanienſium, & propoſitionem trigeſimam-octavam, quam Pius V. & Alexander VIII. ideò meritò damnavit, quia Aſſertores illius eam intellexerunt in triplici illo ſenſu exotico & peregrino.

265 Idque quilibet non præoccupatus facilè advertere poteſt, ſi præ oculis habeat id quod Prolegomeno 6. demonſtravi, quodque Suarez & Vaſquez dudum obſervarunt, peregrinum ſenſum propoſitionum, in Bulla Pii V. proſcriptarum, vel colligendum ex ipſis propoſitionibus ſecundùm ſe ſpectatis, ſi ſic ſenſum reddant peregrinum; ſin minùs ex propoſitionum illarum collatione cum aliis, in eadem Bulla damnatis. Si enim ex collatione illa ſenſus reſultet exoticus & peregrinus, ſive eum Bajus intenderit, ſive non; ille eſt quem Bulla damnat, in qua Pius V. (ut antè dixi) Bajum non nominat, neque eas, quas ibi damnat, propoſitiones ſe damnare dicit in ſenſu à Bajo intento, vel ex libris ipſius excerpto, *ſed in ſenſu ab Aſſertoribus intento*, ab Aſſertoribus utique totius doctrinæ ibi damnatæ.

266 Partim verò ex ipſa propoſitione trigeſimaoctava ſecundùm ſe, partim ex collatione ipſius cum propoſitionibus 31. 32. 35. 40. 61. 62. 63. 64. 69. 70. & 71. reſultat triplex ille ſenſus peregrinus, triplexque proinde diſcrimen illius propoſitionis à doctrina Sanctorum, meliorumque Theologorum, quam Lovanienſes ſequuntur. Siquidem verba iſta propoſitionis trigeſimæ-octavæ, *Vitioſa cupiditas, quâ mundus diligitur, qua à Joanne prohibetur*, ſonant cupiditatem preſſè & ſpeciatim acceptam; ſicut & ſequentia: *Laudabilis illa charitas, quâ per Spiritum ſanctum in corde diffusâ*, ſignificant charitatem perfectam, famosè dictam, propriamque juſtorum. Aſſertores quippe illius pro eodem acceperunt, *Spiritum ſanctum cor inhabitare, & Spiritum ſanctum in eo charitatem diffundere.*

Hinc eſt enim quòd propoſit. 63. rejiciunt 267
diſtinctionem *duplicis juſtitiæ; alterius per Spiritum charitatis inhabitantem; alterius quæ ſit ex inſpiratione Spiritûs ſancti, cor ad pœnitentiam excitantis, ſed nondum cor inhabitantis.*

Quòdque veri nominis charitatem non ad- 268
mittant, niſi in juſtis, ſeu iis qui verè juſtificantur, & palmes vivus in Chriſto efficiuntur; nec aliam niſi perfectam, multiplicitèr oſtenditur.

1°. Ex eo quòd id conſequens ſit ex do- 269
ctrina ipſorum, non admittente juſtitiam, niſi perfectam, per Spiritum ſanctum inhabitantem, uti proximè dixi.

2°. Ex eo quòd propoſitione 61. explo- 270
dant illam Doctorum diſtinctionem, *divina legis mandata bifariàm impleri; altero modo quantùm ad præceptorum operum ſubſtantiam tantùm, altero quantùm ad certum quemdam modum*, ſecundùm quem opera meritoria ſint regni cælorum. Sicut propoſitione 62. rejiciunt diſtinctionem, *quâ opus dicitur bifariam bonum: vel quia ex objecto & circumſtantiis rectum eſt, & bonum (quod moraliter bonum appellare conſueverunt) vel quia eſt meritorium regni æterni, ex eo quòd ſit à vivo Chriſti membro per ſpiritum charitatis.* Nec proinde admittunt opera moraliter bona in non vivis Chriſti membris per ſpiritum charitatis. Nec propoſitione 63. & 64. admittunt juſtitiam aut vivificationem, niſi perfectam per Spiritum ſanctum inhabitantem, & palmitem vivum in Chriſto efficientem. Sicut ergo mandatorum impletionem, & opera moraliter bona, ſic charitatem non admittunt niſi in vivis Chriſti membris, ſeu verè juſtificatis. Et ſicut non admittunt juſtitiam & vivificationem imperfectam, ſolùmque inchoatam; ita nec charitatem.

3°. Ex eo quòd propoſitione 69. dicant, 271
juſtificationem impii fieri formaliter per obedientiam legis; non autem per occultam communicationem & inſpirationem gratiæ, &c. Et propoſit. 16. *Non eſt vera legis obedientia, quæ ſit ſine charitate.* Ex utraque verò manifeſtum eſt, quòd veram legis obedientiam, & veram charitatem non admittant in peccatore nondum juſtificato. Nec mirum, quia de tali peccatore propoſitione 38. dicunt; *Omne quod agit peccator, vel ſervus peccati, peccatum eſt.* Et propoſitione 40. *In omnibus actibus ſuis peccator ſervit dominanti cupiditati.*

4°. Ex eo quòd illam etiam charitatem 272
perfectam cenſeant, quam propoſitione 31. 32. 33. ponunt in catechumenis & pœnitentibus, ſine remiſſione peccatorum. Siquidem propoſitio ipſorum 31. ſic habet: *Charitas*

perfecta, & sincera, quæ est ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, tam in catechumenis, quàm in pœnitentibus, potest esse sine remissione peccatorum. Trigesima verò secunda sic habet: *Charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum.* Trigesima-tertia: *Catechumenus justè, rectè & sanctè vivit, ac legem implet per charitatem, ante obtentam remissionem peccatorum, quæ in Baptismi lavacro demùm percipitur.* Nam usque adeò erraverunt, ut quamvis faterentur peccatorem per charitatem illam verè justificari, vivumque Christi membrum effici; istam tamen justificationem propositione illâ 31. 32. & 33. censuerint non esse conjunctam cum remissione peccatorum, ante actualem Sacramenti susceptionem. Unde etiam propositione 70. dixerunt, *charitatem perfectam posse consistere cum reatu æternæ damnationis.*

Et propositione 71. *per contritionem, etiam cum charitate perfecta, & cum voto suscipiendi Sacramentum conjunctam, non remitti crimen extra casum necessitatis, aut Martyrii, sine actuali susceptione Sacramenti.*

273 Ex his omnibus, ad invicem collatis, evidenter innotescit immane discrimen inter sensum Lovanienſium, exoticosque ac peregrinos sensus Assertorum propositionis trigesimæoctavæ à Pio V. damnatæ. Et idem est de propositione septima inter 31. damnatas ab Alexandro VIII. utpote qui eam haud dubiè damnavit in eodem sensu, quo illam trigesimamoctavam Pius V. damnavit.

274 Objicies 2°. Si vera est nostra, seu Sanctorum, de relatione operum doctrina, sequitur, omnia infidelium opera essent peccata, quæ est vigesima-quinta propositio ab eodem Pio damnata. Imò *necesse esset, infidelem in omni opere peccare*, quæ est octava damnata ab Alexandro VIII. Etenim infideles numquam operantur ex Dei dilectione, neque ex ea operari possunt, quia non habent fidem, quæ per dilectionem operatur. Unde rursus sequitur propositio undecima ab eodem Alexandro VIII. proscripta: *Omne quod non est ex fide christiana, quæ per dilectionem operatur, peccatum est.*

Respondeo negando sequelam. Quia (ut optimè Doctor Claës in Ethica sua p. 1. c. 35.) cur peccassent Platonici, opus suum juxta suæ Scholæ doctrinam in Deum referendo? Nam hunc Philosophis notum fuisse Paulus testatur Rom. 1. Et ad eum omnia referenda Platonici cum Philosophis Italicis, Megaræis, & pluribus aliis asseruere. 2°. Cur peccassent ii, de quibus Plato ait, *cùm omnes, qui mentis quodammodò compotes sint*, in operis cujuslibet, vel magni, vel parvi principio, invocare Deum soleant? Item alii, qui sive juxta præceptum Epicteti, in quovis incœpto petunt à Deo duci, sive (juxta Arrianum) in quovis opere Deum laudant, & gratias agunt? An orare, gratias agere, invocare Deum, peccare est?

3°. Dantur etiam in infidelibus, actus moraliter boni, boni utique ex objecto, sive ex officio, & fine proximo, ut nudum operire, eleëmosynam dare, &c. Nec actus isti ideò peccata sunt, quia in infidelibus reperiuntur, vel ab ipsis ad Deum non referuntur; sed solus debitæ relationis defectus in culpa est, vel etiam complexum ex actu & defectu illo, uti sæpiùs dixi. 4°. Naturalis amor parentum, filiorum, aut honestatis & justitiæ (quam etiam improbi diligunt) nec est charitas patris, nec concupiscentia carnis. 5°. Ex his omnibus constat, omne quod non est ex fide christiana per dilectionem operante, peccatum non esse, contrariumque ab Alexandro VIII. meritò damnatum esse.

Objicies 3°. Saltem ex doctrina illa se- 275
quitur, omnia peccatorum opera esse peccata, utpote ex cupiditate procedentia, non ex charitate.

Respondeo negando sequelam; multa namque opera ex objecto & circumstantia bona, nulla proinde ex parte peccaminosa, faciunt peccatores, maximè dum ex inspiratione Spiritûs sancti, cor ad pœnitentiam excitantis, sed nondum inhabitantis, credunt, sperant, Deum diligere incipiunt, ex inchoataque illa dilectione moventur adversus peccata per odium & detestationem, &c.

Objicies 4°. Si vera est doctrina nostra: er- 276
go *reverà peccat, qui odio habet peccatum, merè ob ejus turpitudinem, & disconvenientiam cum natura, sine ullo ad Deum offensum respectu*: Quæ est propositio nona inter damnatas ab Alexandro VIII. Ergo etiam *attritio, quæ ex gehennæ & pœnarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiæ, non bonus motus, & supernaturalis.* Quæ est decima-quinta inter damnatas ab eodem.

Respondeo 1°. negando primam consequentiam in sensu Alexandri VIII. quasi odio habens peccatum, merè ob ejus turpitudinem, ideò peccet, quia respectus seu relatio ad Deum offensum non intrat actum istius odii, & quasi peccaminosus sit omnis actus, quem relatio ad Deum non intrat. Hoc namque omninò damnabile est, meritòque damnatum, propter tria. 1°. Quia 277
peccatum, etiam merè ob suam turpitudinem, absque intrinseco ad Deum offensum respectu, reverà est odio dignum. Illud ergo taliter odio habens, non peccat, quia taliter odio habet. Nemo quippe peccat ex eo quòd exerceat actum ex se, & in se intrinsecè bonum, ad Deumque referibilem... Istud verò odium ex se, & in se, intrinsecè, sive secundùm substantiam & speciem suam, bonum est, ad Deumque referibile. Nec odium istud ob defectum relationis fit in se malum, sed ei in individuo jungitur circumstantia mala, ratione cujus complexum ex utroque malum est.

2°. Etiamsi respectus ad Deum offensum 278
non intret actum istius odii, actus equidem

istius odii ad Deum referri potest per alium actum (charitatis utique, seu Dei propter se dilectionis) quod dum fit, per priorem actum odio habens peccatum præcisè ob ejus turpitudinem, ne quidem peccat ex defectu relationis in Deum ; cùm necesse non sit actum quemcumque in Deum referre per ipsummet, sed satis sit quòd referatur per alium actum.

279 3°. Peccati turpitudo Angelis, & protoparentibus, ante lapsum meritò displicuit, sine ullo respectu ad Deum offensum, utpote qui offensus nondum erat : & adhuc hodie peccatum sic displicere potest, non ex pœnitentiæ virtute, sed ex sola charitate, non respiciendo ad Deum offensum ; sed solùm ad Deum cui peccati displicet turpitudo. Quo casu nemo dixerit eum peccare, cui sic peccatum displicuerit. Et cur peccaret anima castissima, cui luxuria displiceret ob suam fœditatem, Deo displicentem ?

280 Respondeo 2°. negando secundam consequentiam. Quia eo haud dubiè sensu attritio illa est bonus motus, quo gehennæ & pœnarum metus servilis est bonus metus. Itaque quemadmodùm servilis gehennæ & pœnarum metus, in se & secundùm se bonus est, etiamsi servilitas, ipsi extrinsecè adjuncta, mala sit ; sic attritio servilis in se & secundùm se bona est, etiamsi servilitas, sive benevoli amoris Dei defectus malus sit. Videri potest S. Thomas id optimè declarans 2. 2. q. 19. a. 4. his verbis : *Timor servilis ex parte servilitatis habet quòd sit malus*, non in se, sed in adjuncta extrinsecè circumstantia mala. Quia scilicet *prædicta servilitas non pertinet ad speciem timoris servilis ; sicut nec informitas ad speciem fidei informis. Species enim moralis habitûs vel actûs, ex objecto accipitur. Objectum autem timoris servilis est pœna. Cui accidit, quòd bonum, cui contrariatur pœna, ametur tamquam finis*, positivè, vel negativè ultimus, in ipso sistendo, ipsumque finaliter propter se, non propter Deum amando.

281 Ex quibus Steyartius in novitate utrimque repressa nota 10. meritò colligit, nihil sive ex Decreto Alexandri VIII. sive ex aliis aliorum SS. Pontificum Decretis, hactenùs emanatis, concludi contra Lovanienſium doctrinam, de obligatione referendi omnes actus deliberatos in Deum propter se dilectum. *Doctrinam* (inquit) *Scholæ nostræ super ea re coram Apostolica Sede candidè exposuimus. Censuram illius avidè depoposcimus. Nulla secuta est, licèt eadem doctrina nostra, cum articulis nunc* per Alexandrum VIII. *damnatis, esset in eodem scripto delata. Damnamus damnata : quibus autem S. Sedes adhuc tam studiosè parcit, quid alii quidam ea fugillant ?*

CAPUT XXVI.

Argumenta reliqua dissolvuntur.

282 Objicies 5°. Nostram de relatione operum doctrinam docuit Bajus, docuit Jansenius ; imò docuerunt hæretici, ut Calvinus l. 3. Institut. c. 10. art. 3. ubi peccasse dicit Catones, Scipiones, Fabritios in actibus suis, etiam illustrioribus, quia, fide destituti, *non ad eum finem retulerunt, ad quem referre debuerunt*. Et in Antid. ad sess. 6. Trident. c. 25. *Dei* (inquit) *judicio nihil est sincerum, nec probum, nisi quod ex perfecto ejus amore manat.*

Respondeo : eam docuerit vel non docuerit Bajus, docuerit vel non docuerit Jansenius, certè si sensu divinorum Eloquiorum, si sensu Sanctorum, meliorumque Theologorum docuit, non ideò falsum est quia docuit. Quia *verum à quocumque dicatur, à Spiritu sancto est*, ut S. Thomas dicit post S. Ambrosium in epist. ad Rom. c. 12. ubi sic : *Quidquid verum à quocumque dicitur, à Spiritu sancto dicitur*. Neque ideò neganda Personarum divinarum Trinitas, quia eam Calvinus confessus est ; uti nec realis Christi in Sacramento Eucharistico præsentia, quia eam Lutherus admisit. Puerilis proinde & invidiosa est illa tam familiaris nonnullorum Novaturientium objectio : Ita Bajus, ita Jansenius, nisi legitimè probent, in quæstione de qua agitur, Bajum & Jansenium errasse. Neque enim in omnibus ideò errarunt, quia in aliquibus condemnata est doctrina ipsorum. Quia, ut sapienter advertit piissimus Contensonius Theol. ment. & cord. to. 3. dissert. 6. c. 1. specul. 1. q. 6. " iniquum est, & planè " tyrannicum, velle aliquem Authorem, ob " aliquot propositiones damnatum, in aliis om- " nibus reprobare, & eos qui cum ipsis in non " damnatis propositionibus sentiunt, damnata- " rum propositionum reos facere, populoque " imperito odiosos reddere. " Damnata proinde damnamus ; sed non ideò vera, à quocumque dicta, respuimus ; nec Evangelista respuendum censuit Caïphæ dictum, *Expedit unum mori pro populo*, quia à Caïpha dictum ; verùm *cùm esset* (inquit) *Pontifex anni illius, prophetavit.*

283 Cæterùm (ut cum eodem Contensonio prosequar) in his facti quæstionibus non vacat immorari, nec discutere, an Sanctorum, meliorumque Theologorum sensu Bajus & Jansenius philosophati sint, an diverso ? Ut enim Augustinus epist. 80. *Ecclesia Christi non litigiosis opinionibus fingitur, sed divinis attestationibus comprobatur. Neque enim, quod sine injuria innocentiæ illius dixerim, si peccavit Cæcilianus* (Bajus, Jansenius) *ideò hæreditatem suam perdidit Christus. Facile est homini seu vera, seu falsa de altero homine credere ; sed sceleratæ impudentiæ est, propter crimina hominis, quæ Orbi terrarum non possis ostendere, communionem Orbis terrarum velle damnare. Utrùm Cæcilianus à traditoribus divinorum Codicum fuerit ordinatus* (utrùm hac in re Bajus vel Jansenius à sententia recesserit Sanctorum) *nescio, ab inimicis ejus audivi. Non mihi de lege Dei,.. non de Christi*, vel

Vicarii ejus *oraculo recitatur*. Uni Ecclesiæ Romanæ adhæreo, doctrinæ Sanctorum meliorumque Theologorum insisto; quid Bajus vel Jansenius senserit parum curo.

284 Ad Calvinum quod attinet, relationem ad Deum ex perfecto ejus amore requisisse constat ex objectis verbis ipsius. Nos autem cum Facultate Lovaniensi dicimus, quòd *ista relatio fieri non debet per charitatem perfectam, sufficit eam fieri per charitatem imperfectam*, quam in ipsis quoque peccatoribus Concilii Tridentini Patres agnoverunt, prout alibi ostendimus.

285 Objicies 6°. In hoc statu distractionis & miseriæ moraliter impossibile est omnes actus nostros deliberatos referre in Deum, seu facere propter Deum, Deumque proinde in omni actu nostro deliberato diligere.

Respondeo, omnes actus nostros deliberatos referre in Deum ex dilectione actuali, id est, ex dilectione super quam fiat actualis reflexio, esse moraliter impossibile. Reverà namque continua ista in omnibus actibus nostris reflexio, in hoc statu distractionis & miseriæ est moraliter impossibilis. Sed non est moraliter impossibile ex dilectione virtuali omnes actus nostros in Deum referre. Aliàs id non solùm non esset præcepti, sed neque consilii (quod de re impossibili esse non potest, magis quàm præceptum.) Hoc autem patet esse falsum, & sacris Oraculis, Theologorumque & Sanctorum omnium sententiæ contrarium.

286 Videri potest Theologorum Princeps Aquinas in qq. disput. q. un. de charit. a. 11. ad 2. ubi objectionem illam eodem quo nos modo dissolvit, dicens, quòd *omnia actu referre in Deum, non est possibile in hac vita, sicut non est possibile, quòd semper de Deo cogitemus: sed quòd omnia virtute referantur in Deum, hoc pertinet ad perfectionem charitatis, ad quam omnes tenentur.* Hoc etiam possibile esse, ipse etiam S. Bonaventura fatetur in 2. dist. 41. a. 4. q. 3. *Admonet Apostolus... quòd quodlibet opus nostrum referamus in Deum. Et de quolibet divisim possumus facere* (sicut quodlibet veniale divisim vitare) *& utile est nobis, & expediens si faciamus. Nullum enim est opus deliberatum quod à nobis fiat, quod quidem non possimus facere propter Deum.* Sicut & S. Franciscus Salesius l. 1. de amore Dei c. 14. *Purificemus igitur, ô Theotime, quantùm poterimus, omnes intentiones nostras, &, quandoquidem possumus* (nota) *effundere super omnes virtutum actus motivum sacrum divini amoris, cur id non facimus, &c.*

287 Objicies 7°. Tam impossibile est Deum in omnibus actibus nostris diligere, quàm ab omnibus venialibus abstinere.

Respondeo: sicut impossibile non est abstinere ab omnibus venialibus divisim; ita nec Deum diligere in omnibus actibus nostris deliberatis divisim. Nec hoc modo magis impossibile est Deum in omnibus diligere, quàm diligere Deum ex toto corde, ex tota anima, &c. Quod possumus omni momento vitæ nostræ divisim, sicut & servare ista alia mandata: *Declina à malo. Post concupiscentias tuas non eas, &c.*

Objicies 8°. Saltem præceptum istud nimis austerum est & rigorosum. Cui enim tale non videatur præceptum, quod sola beatissima Virgo usquequaque servavit. 288

Respondeo negando antecedens: neque enim tale visum est Sanctis, cælesti afflatis lumine, nec Scholæ Angelo, nec melioribus Theologis, suprà laudatis. Et ut S. Augustinus serm. 47. de divers. ait: *Non est durum, nec grave*, quod Deus imperat, qui adjuvat, ut fiat quod imperat. Et S. Thomas Villanovanus Serm. 1. in Domin. 17. post Pentecosten: *Præcipis Domine.... ut amem te in omnibus.... postquam à te factus sum, & tanto pretio redemptus.... O suave nimis, & dulcissimum præceptum.... Attendite fratres mei, attendite & videte, qualia præcepta nobis injungit Deus noster, non aspera, non difficilia, non gravia, non importabilia. Non quidem jugulare filios, ut olim crudelissimi dæmones idolorum cultoribus præcipiebant; non lacerare carnes verberibus, non pedibus nudis super ferreos tribulos ambulare. Sed quid.... Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua... Nihil aliud à vobis requiro. Solum amorem flagito, hoc solo pro tot beneficiis & donis contentus. Audistis umquam aliquid clementius aut benignius?* Vide reliqua quæ sequuntur ibidem, & videbis nimis durum esse cor, cui durum & rigorosum videtur dictum præceptum.

Nec refert quòd sola beatissima Virgo illud usquequaque servaverit. Quia sola etiam usquequaque servavit præcepta ista: *Declina à malo. Post concupiscentias tuas non eas. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, &c. Non ideò tamen nimis austera sunt & rigorosa. Pudor certè est Theologis Christianis impossibile vel nimis durum & austerum videri præceptum omnia referendi in Deum, cùm id nec impossibile, nec durum visum fuerit Philosophis Ethnicis. Pudor (inquam) à Christianis minùs quàm ab Ethnicis Dei amorem commendari. Quomodò illi possunt absque rubore hanc Ethnici Platonis (in Timeo) vocem audire, quâ testatur quòd *omnes qui mentis quoquo modo compotes sunt, in operis cujuslibet, vel magni, vel parvi principio, invocare Deum soleant?* Et istam Arriani, Epicteti discipuli: *Si sani essemus, quid nobis aliud agendum erat, & publicè, & privatim, quàm Numen celebrandum, & laudandum, & grates persolvenda? Nonne & inter fodiendum, & arandum, & edendum, hymnus hic cantandus erat Deo: Magnus est Deus, qui nobis instrumenta præbuerit hæc, quibus terram excolamus. Magnus est Deus, qui manus dederit, qui deglutiendi vim, qui ventrem, qui effecerit ut latenter crescamus, ut dormientes respiremus.... Quòd si luscinia essem, luscinia officio fungerer, si olor, oloris. Nunc rationis cùm particeps sim,* 289

Deus mihi celebrandus est, hoc meum munus est, hoc exequor, neque stationem hanc deseram, quoad licuerit. An decet Christianum, filium amoris, & legem amoris profitentem, quovis in opere & incœpto minùs ad Deum respicere, minùs ipsum laudare & glorificare, quàm præcipiunt Ethnici? At (inquis) hoc factu difficile est, & arduum? Hoc sibi objicit Augustinus l. 6. de Musica c. 14. & respondet: *Quid ergo facile est? An amare colores, & voces, & placentas, & rosas, & corpora leniter mollia? Hæccine amare facile est animæ.... Deum verò amare difficile est?.... Quod si ita est, cur* ergo dictum est: *jugum enim meum leve est... Laboriosior est hujus mundi amor.* Cur ita? quia, ut ait serm. 22. de verb. Apost. divini amoris *sarcina non est pondus onerati*, sicut est amor mundi. *Sed alæ volaturi. Habent enim & aves pennarum suarum sarcinas, & quid dicimus? Portant illas, & portantur; portant illas in terra, portantur ab illis in cælo. Tu si.... dicas, miseram istam aviculam onerant pennæ, & detrahas onus hoc: in terra remanebit, cui subvenire voluisti.* Perinde faciunt Adversarii: Miseram animam (inquiunt) onerat tam frequens amor Dei, satis est amare singulis annis, aut semel in fine vitæ. Imò verò laboriosius est (inquit Augustinus) toto reliquo tempore diligere mundum. Quia Deum jucundiùs diligit, animæ pacem faciliùs invenit, mandata Dei faciliùs implet, qui Deum frequentiùs & ferventiùs diligit, quàm qui rarò & absque fervore. Adversarii proindè jugum Dei potiùs difficile reddunt quàm nos. Amor mundi, pecuniarum, honorum, voluptatum sensibilium, nonne difficilem valdè reddit divinæ legis observantiam? An non ideò Christus dixit, facilius esse camelo per foramen acus transire, quàm divitem intrare in regnum cælorum? Quid opus plura addere? si mercatori, pecunias pro fine ultimo amanti, difficile non est à manè in vesperam sollicitum esse de pecuniis comparandis, eòque referre quidquid facit; cur homini Christiano, Deum velut finem suum ultimum amanti, difficile est à manè in vesperam sollicitum esse de Deo comparando, ad Deumque referre quidquid facit?

290 Objicies 9°. Præceptum referendi omnes actus deliberatos in Deum est affirmativum. Ergo non obligat pro semper.

Respondeo 1°. esse affirmativum, virtute continet negativum istud, Non dividas cor tuum. Non diligas nisi Deum, vel propter Deum. Nullam creaturam diligas finaliter propter se.

291 Respondeo 2°. non obligare pro semper absolutè, sed pro semper quando deliberatè agimus, sicut ista præcepta, *Omnis sermo vester sit verus, omne juramentum vestrum fiat in veritate, justitia & judicio. Omnia vestra honestè fiant*, &c. solùm obligant pro semper, quando sermonem vel juramentum deliberatè proferimus, quando deliberatè agimus, &c.

Respondeo 3°. non obligare pro semper 292
ad referendum actu quodcumque facimus, sed actu vel virtute. Quia Apostolus, dicendo, *Omnia in gloriam Dei facite*, nullam actionem deliberatam excepit. Si autem non obligaret pro semper, modo dicto, multæ forent deliberatæ actiones exceptæ, quas non teneremur in Deum referre. Et sic non teneremur omnia in gloriam Dei facere. Cujus contrarium Apostolus contestatur.

Objicies 10°. cum Authore speciminum 293
doctrinæ Theologicæ per Belgium manantis p. 3. c. 2. §. 4. & 5. Si homo teneretur ex amore Dei facere quodcumque deliberatè facit, teneretur ex amore Dei eligere quodcumque deliberatè eligit; adeòque peccaret in omni electione deliberatè facta non ex amore Dei. Sed hoc dici non potest; utpote ex quo sequeretur quòd peccaret, quisquis deliberatè eligeret minùs bonum præ magis bono, v. g. statum matrimonialem præ virginali (quo dato, nulla jam darentur consilia evangelica, sed omnia forent præcepta): neque enim minùs bonum præ magis bono scienter eligi potest ex Dei propter se amore; utpote qui movere non potest ad hoc ut velis minùs placere Deo. In hoc argumento adeò confidit laudatus Author, ut sibi videatur triumphare. Sed inaniter. Nam respondeo negando minorem. Ad ejus probationem nego sequelam, quando Deus non vocat ad majus bonum; sed bonâ fide, post debitam consultationem, orationemque, quis credit se v. g. ad statum ex se minùs bonum potiùs vocari, quàm ad magis bonum. Neque enim Deus ab unoquoque exigit electionem statûs ex se magis boni; sed ab uno electionem matrimonii, ab alio electionem continentiæ, &c. secundùm sapientissimum ordinem divinæ suæ providentiæ, 29
quæ unum ad majora, alium ad minora vocat, & unicuique dona sua distribuit prout vult.

Nec dubium, quin ad minora vocatus, ea 294
eligere queat ex Dei propter se amore, memor parvitatis suæ, quòdque non omnia possimus omnes; atque ex Dei propter se amore eligi possit omne quod eligi potest ex Dei vocatione, qui non vocat omnes ad majora, v. g. ad martyrium, ad religionem, &c. nec vult ut quilibet in occasione tyranno se sistat, pro Christo occidendum; imò discipulis suis præcepit, de civitate fugere in civitatem, donec aut mortis definitum tempus superveniret, aut definitor temporis Deus ipsis hoc ipsum significaret, vel persecutores inhibens, vel persecutoribus ipsos tradens, uti S. Athanasius ait in Apologia de fuga sua.

Non itaque sequi debemus occurrentes om- 295
nes circa majora bona pias cogitationes; imò plerùmque debemus non sequi. Quia ea plerùmque suggerit satanas, se transformans in Angelum lucis. Probandi proinde spiritus, si ex Deo sint.

Quando autem per internam divini Spiritûs 296
inspi-

inſpirationem ſatis innoteſcit divina voluntas, quâ quis ad opera conſilii, vel ad æmulanda chariſmata meliora vocatur, iſtis in circumſtantiis practicè vix aut ne vix quidem contingit, electionem minoris boni, præ magis bono, ad quod ſe quiſpiam vocari cognoſcit, eſſe ſine peccato. Tum enim minoris boni electio non fit ex fine, & modo debito, ſed vel ex negligentia, vel ex cupiditate. Ex negligentia, dum à majori bono, contra divinam vocationem & inſpirationem, recedit, quia terrent terrentia, v. g. quia timet ſe incommodare; ex cupiditate, dum ab eo recedit, quia abblandiuntur blandientia, quia videlicet ducitur amore propriæ voluptatis, vel ſatisfactionis. Quorum neuter eſt finis debitus. Quidquid enim homo deliberatè facit, vel omittit, facere vel omittere debet finaliter propter Deum. Tunc autem majoris boni electionem non omittit propter Deum, ſed propter ſeipſum.

297 Simile eſt in eo, qui ſciens & volens facit aliquid contra Regulam vel Conſtitutiones ſui Ordinis, de ſe non obligantes ſub culpa. De quo Suarez to. 4. de relig. lib. 1. c. 3. ſapienter advertit, practicè vix contingere, quòd talis non peccet, non propter obligationem Regulæ, vel Conſtitutionum ſub culpa, ſed propter irrationabilem volendi vel nolendi modum in individuo, prout monent Conſtitutiones noſtræ, à Sede Apoſtolica approbatæ, p. 4. c. 18. n. 5. his verbis; *Quamvis noſtræ Conſtitutiones ex ſe non obligent ad culpam.... advertant tamen noſtri fratres, vix in praxi fieri poſſe, ut quis eas ſciens & lubens ſine culpa tranſgrediatur.... propter difficultatem honeſtatis inducendæ in actionem prohibitam. Nam prohibitio facit, ut actio ut ſic non poſſit eſſe bona, cum integritate omnium circumſtantiarum, &c.*

298 Ideò pius Contenſon to. 3. Theol. ment. & cord. diſſert. 5. c. 1. ſpecul. 3. dicit *quòd à ſe probari non poteſt eorum laxiſſima ſententia, quæ affirmat, nihil peccare eos, qui ſacros inſpirationum motus vel negligunt, vel repellunt.... Nam juxta communem chriſtianæ pietatis ſenſum, quotquot non ſunt ſolidæ virtutis experies, de divinarum inſpirationum neglectu & repulſa humiliter ſe accuſant, non ſecùs ac de infidelitate ſpirituali, quâ Deo ad majora vocanti non reſpondent. Quia nimirùm ſciunt, Deum hujuſmodi repulſam interdum non leviter punire, dum eos cadere ſinit, qui progredi non nituntur, & ab illicitis & lethalibus rapi, qui ſemper permiſſis indulgent. Enim-verò tamdiù non relabimur, quamdiù ad priora contendimus. At ubi cœperimus ſtare, deſcendimus, noſtrumque non progredi, reverti eſt.*

299 Objicies 11°. Si homo ex Dei propter ſe amore facere teneretur quodcumque facit, nullus eſſet veræ virtutis actus, qui non eſſet amor Dei propter ſe, ſeu qui non eſſet actus elicitus à charitate; nulla proinde vera virtus, à charitate diſtincta.

Reſpondeo negando ſequelam, eò quòd virtutes, & actus virtutum à propriis ſpecificentur objectis, proprioque fine proximo, non à remoto, ſeu ultimo, ad quem per charitatem referuntur illi etiam virtutum actus, qui non eliciuntur, ſed imperantur dumtaxat à charitate. Qua de re plura infrà.

Objicies 12°. Si peccaret, quiſquis ſcien- 300
ter omitteret actum deliberatum referre in Deum, peccaret mortaliter, utpote contra primum maximumque mandatum, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde*, &c.

Reſpondeo negando ſequelam. Quia, ut oſtendi l. 6. c. 17. quodcumque primo illo mandato præcipitur, non præcipitur ſub mortali, ſed aliquid ſub veniali; ſub quo dumtaxat præcipitur nullam creaturam amare propter ſe, velut finem negativè ultimum, modò Deus ſemper ametur tamquam finis poſitivè ultimus.

CAPUT XXVII.

Actualis relatio actuum noſtrorum haud requiritur; ſed ſufficit virtualis: cujus natura explicatur.

NEceſſariam non eſſe relationem actualem, 301
ſed ſufficere virtualem docet S. Thomas ſuprà n... eò quòd impoſſibile ſit de Deo ſemper actu cogitare, ac per conſequens Deum ſemper actu amare, ita ut ſuper eo ſemper fiat actualis reflexio. Hoc enim Deus non mandat ad meritum, ſed promittit in præmium, ut S. Bernardus ait Serm. 50. in Cant.

In quo verè conſiſtat relatio illa, ſeu inten- 302
tio virtualis, facile non eſt explicatu. Tametſi omnes conveniant in tribus ad eam requiſitis, videlicet 1°. quòd præceſſerit intentio actualis: 2°. quòd hæc non fuerit revocata: 3°. quòd adhuc perſeveret in aliquo effectu ſuo, qui continuetur ex vi ipſius. Iſtud tertium eſt, in cujus explicatione non modica eſt difficultas.

S. Bonaventura in 2. diſt. 41. a. 1. q. 3. 303
aliquid ei lucis affert, dum ait, intentionem, quâ quis initio ſeſe applicuit operi, virtute permanere, quamdiù opus durat, dummodò mutata non fuerit, v. g. ſi ſtudio me applicuerim ex intentione divinæ gloriæ, intentio virtute permanere cenſetur, quamdiù ſtudium meum durat, etiamſi de ea, in ſtudii decurſu, ampliùs non cogitem.

Similiter dum operi inchoato ex intentione 304
divinæ gloriæ, opera alia ſuccedunt, ſibi invicem taliter connexa, ut alia ex aliis profluant, & omnia oriantur ex primo, intentio primi operis (ait S. Bonaventura) virtute cenſetur permanere in omnibus iſtis operibus ſubſequentibus, etiamſi de iſta ampliùs non cogitetur. Quemadmodùm dum Medicus ex intentione ſanandi infirmum, proficiſcitur ad colligendum herbas, eaſque deinde colligit, collectas miſcet, exinde liquorem exprimit, atque hinc medicinam conficit, con-

fectamque applicat, omnia ista fieri censentur ex vi intentionis primitùs conceptæ sanandi infirmum, & ista intentio censetur virtute permanere in omnibus operibus istis taliter succedentibus.

305 Si tamen alia interponantur opera inconnexa, quæ non oriantur ex primo, primi operis intentio in aliis istis perseverare non censetur; atque ideò renovanda est.

306 Juvabit ipsummet Seraphicum audire Doctorem, cum hac tamen præcautione, quòd dum habitualem nominat intentionem, per eam, phrasi sui temporis intelligit virtualem, prout contextus ipsius & explicatio manifestum facit. Sic itaque habet: *Notandum est, ad hoc quòd aliqua actio sit meritoria, non oportet quòd semper quis eam actualiter referat in Deum; sed sufficit relatio habitualis. Habitualem autem intentionem dico, non quia habeat charitatem, per quam sit habilis ad referendum; sed quia in primordio operationis illius, vel alterius, ad quam illa se habet consequenter, intentionem habet ad Deum directam. Unde si aliquis intendat dare centum marcas, & incipit dare, & cogitat de Deo in prima marca, & in aliis non cogitat, nihilominùs omnes dationes illæ sunt ei meritoriæ & fructuosæ. Si autem opus alterius generis inciperet, oporteret quòd intentio renovaretur, ad hoc ut opus esset meritorium.*

307 Hactenùs S. Bonaventura. Et optimè quidem; eique concinit communis sententia Doctorum. Sed miror Seraphicum Doctorem inde concludere, Religiosos, *qui in principio ex charitate devoverunt portare Religionis pondus, quidquid faciunt, quod ad suæ Religionis observantiam spectat, ex prima intentione esse eis meritorium ad salutem, nisi fortè, quod absit, contraria intentio superveniat.* Quamvis enim contraria intentio non superveniat, si tamen alterius generis opera disparata, & cum operibus Religionis inconnexa superveniant, intentio renovanda est, ut proximè dixit. Et idem est dum à primitiva illa intentione voluntariè quis distrahitur, &c. Unde ibidem rejicit eorum opinionem, tamquam doctrinæ Sanctorum repugnantem, qui ad meritum sufficere dicunt intentionem in principio anni, vel mensis, vel septimanæ, vel diei conceptam, omnia faciendi propter Deum; si enim *hoc dicatur* (inquit) *valdè ampliatur & largatur via salutis; & in hoc authoritatibus Sanctorum obviatur, qui dicunt, eam esse valdè artam.*

308 Ideò probare non possum opinionem Valentiæ & Henriquez (quos refert sequiturque Mascarenhas tr. 1. de Sacram. n. 123.) aientium, Sacerdotem, qui in Sacerdotalis Ordinis susceptione intentionem habuit consecrandi quoties celebraret, post multos annos validè consecrare ex vi primæ illius intentionis, quam habuit, dum Sacerdotio initiaretur. Neque enim primordialis illa intentio virtualiter, absque interruptione, censeri potest perseverare per multos menses & annos. Cùm certissimum sit, innumeras actiones, prorsus disparatas, inconnexas, & impertinentes interponi, in quibus manifestum est, primordialem illam intentionem virtualiter non permanere, velut in effectibus moraliter & humano modo ab ipsa profluentibus. Manifestum proinde est, eam per actiones illas moraliter interrumpi; sicut & per somnum, ebrietatem, aliaque ejusmodi intercidentia. Et in quo (amabo) dum intercidunt, prima intentio illa virtualiter perseverat? In quo continuatur? Nihil est assignabile.

Factâ verò semel morali interruptione, seu 309
discontinuatione, certum est intentionem renovandam esse, ut moraliter possit influere. Cùm intentio primitùs concepta, per moralem illam interruptionem, moraliter esse desierit, tam virtute, quàm actu, ut tradit Seraphicus Doctor suprà.

Hinc consectarium videtur, intentionem 310
manè conceptam faciendi omnes istius diei actiones ad majorem Dei gloriam, minimè sufficere ad hoc ut omnes meritoriæ sint, ex vi matutinæ illius intentionis præcisè, nisi fuerit renovata. Neque enim in omnes diei actiones moraliter influere censetur, quando non sic omnes connexæ sunt, ut secunda ex prima, tertia ex secunda, quarta ex tertia, &c. profluat, ita ut omnes actionum illarum effectus mediatè vel immediatè ex una eademque illa intentione moraliter profluere censeantur. Quod profectò moraliter vix aut rarò contingit, ob varias intercurrentes actiones, moraliter disparatas, atque adeò inconnexas.

Et verò, si post matutinam intentionem, 311
omnia propter Deum faciendi, primò me applicem orationi, post orationem studio (nullâ ampliùs occurrente cogitatione studendi propter Deum) post studium labori manuali, post laborem prandio, exinde conversationi, post iterùm studio, &c. non apparet quomodò moraliter ex se invicem procedant actiones istæ disparatæ; nec quomodò secunda procedat ex prima, tertia ex secunda, & sic deinceps, ita ut omnes procedere censeantur ex vi primæ intentionis, manè conceptæ, mediante primâ actione, per ipsam immediatè imperatâ.

Hoc quidem appareret, si prima actio, 312
per ipsam imperata, post se inferret velutque traheret secundam, secunda tertiam, &c. Sed si ex una parte non sit talis consecutio inter actiones, ex alia parte finis matutinæ intentionis per intellectum ampliùs non proponatur voluntati, nec ulla ipsius ampliùs occurrat cogitatio, sed hîc & nunc voluntati solùm occurrant fines quos natura suggerit, v. g. studendi ad addiscendum, laborandi ad tempus transigendum, &c. voluntas hîc & nunc agere non censetur ex matutino illo fine, sed ex fine & motivo hîc & nunc occurrente.

Quia tamen intentio distinguitur ab atten- 313
tione, & D. Anselmus in lib. de concord.

grat.

grat. & lib. arb. docet, tria in voluntate esse distinguenda, *instrumentum volendi* (id est, volendi potentiam) *affectionem hujus instrumenti*, & *usum ejus*. Aitque, quòd *affectio hujus instrumenti est quando sic afficitur instrumentum ad volendum aliquid, etiam quando ille qui vult non cogitat, ut nihilominus si veniat in memoriam, statim illud velit. Usus autem instrumenti, est quem non habemus, nisi cùm cogitamus rem quam volumus.* Hinc videtur nobis admodùm probabile, intentionem virtualem esse ipsammet actualem in fundo voluntatis nostræ permanentem, etiam dum ad illam non fit reflexio. Quia non satis apparet quomodò meliùs explicari queat, & quomodò amor alicujus finis qui jam esse desiit; possit imperare, producere, & in finem amatum opus referre. Quod enim non est, non operatur. Nec satis concipi potest quid sit illa virtus, seu vis ex præcedenti actuali relicta, nisi sit actuale aliquid, arcanus scilicet affectus adhuc permanens, quem Anselmus vocat affectionem instrumenti, adhuc existens quando de ea reflexè non cogitamus. Esse quippe in nobis plerosque affectus absque reflexione continuatos, pluribus exemplis proximè declarabitur. Fatemur ergo non requiri intentionem seu relationem actualem, ad quam fiat reflexio; nec sufficere habitualem, qualis est etiam in dormiente qui ante somnum habuit actualem, sed per somnum interruptam. Multò minùs sufficere habitualem illam quæ consistit in solo habitu amoris in finem suum; utpote quem habens frequenter refert actus suos in finem illi oppositum. Neque enim justus semper operatur ex habitu charitatis, nec peccator ex habitu cupiditatis. Nec sufficit solo intellectu, imaginatione vel ore dicere quòd actus tuos referas in Deum; sed id intimo cordis affectu præstandum. Probabile tamen est quod dicit Alexander de Ales, matutinam intentionem, de qua suprà, tamdiù moraliter permanere, & influere, quamdiù nec interrumpitur per somnum, ebrietatem, &c. nec voluntariè revocatur; sed voluntas sic affecta permanet, ut ab ea se voluntariè distrahi non patiatur; imò arcanam illam (etiam inter involuntarias distractiones) sic retineat affectionem (velut arcanum quemdam cordis impulsum) ut in se revocata, & interrogata cur hîc & nunc operetur, statim hoc quasi repositum audiat in intimo cordis sui, *propter Deum, sicut manè proposui.* Quod faciliùs fieri intelligitur, quando certo ordine, secundùm diversas diei partes, actiones suas disponere solet, & initio diei eas sibi proponit cum intentione eas tali ordine propter Deum faciendi. Partim namque in isto ordine, partim in arcano illo impulsu, affectioneque voluntatis, matutina intentio tunc censetur moraliter permanere & influere, non obstante involuntariâ ab ea distractione, seu incogitantiâ; quæ licèt impediat attentionem, & intentionem in actu reflexo; intentionem non impedit in actu exercito.

Nec certè dubium, plurimos in nobis esse arcanos affectus, ad quos non reflectimus. 314
Nam & seipsam mens humana continuè amat, licèt ad id non reflectat. Et quot sponsæ sponsos suos continuè diligunt, etiamsi de ipsis continuè reflexè non cogitent? Quàm multi exules ad patriam, captivi ad libertatem, avari ad pecuniam, ambitiosi ad honorem, libidinosi ad voluptatem continuè aspirant, licèt de istis continuè non cogitent?

Nec affectus dumtaxat in nobis sunt, de quibus reflexè non cogitamus, sed & cogitationes ipsæ, seu cognitiones, secundùm Augustinum l. 14. de Trinit. c. 10. de humana mente dicentem: *Post cognitionem sui, seipsam velut in memoria sua constitutam videt, quasi ibi non fuerit antequam seipsam cognosceret: cùm profectò ex quo esse cœpit, numquam sui meminisse, numquam se intelligere, numquam se amare destiterit.* 315

Hinc admonemur (ait c. 7.) *esse nobis in abdito mentis quarumdam rerum quasdam notitias, & tunc quodammodò procedere in medium, atque in conspectu mentis velut apertiùs constitui, quando cogitantur. Tunc enim seipsam mens & meminisse, & intelligere, & amare invenit etiam unde non cogitabat, quando aliud cogitabat.* 316

Omnibus tamen benè perpensis, nihil à nobis fieri videtur voluntariè, sine proportionata cognitione, quamvis hoc non advertamus, quia non reflectimus. Neque enim v. g. exercitatissimus Citharœdus instrumentum musicum ordinatissimè pulsans, dum cum amico identidem confabulatur, sic ut ad instrumentum vix attendere videatur, ideò est absque omni cogitatione ejus quod facit. Cùm sine omni artis directione (sine omni proinde cogitatione) instrumentum ordinatè non pulset; quandoquidem digiti ipsius ex seipsis non dirigantur, nec cum tanta ordinatione moveantur, nisi ex directione artis. Idem considerari potest in ambulante per viam, per quam per singulos dies ambulare solet. Neque enim ambulat sine ulla cognitione dirigente, tametsi de ea reflexè non cogitet, ideòque cognitione se dirigi non putet. Istius quippe cognitionis tunc experitur necessitatem, si inter ambulandum, oculos clauserit. Tunc enim difficultatem statim sentit, necessitatemque cognitionis dirigentis gressus suos. 317

Hinc justus, qui spiritu Dei agitur, & charitatem habet, quæ in ipso otiosa non est; imò (secundùm Angelicum Doctorem) omnia opera ipsius non mala dirigit, & ordinat ad Deum; piè credere potest se moraliter perseverare in matutina intentione, non obstante actionum diversitate, longâque distractione, si nec revocaverit intentionem illam, nec interposuerit actionem cum ea incompatibilem, nec ab ea permiserit se voluntariè distrahi, seque, dum reflectit, sentiat in arcano mentis ita manere affectum, ut interrogatus, num in matutina illa intentione perse- 318

veret, sincerè dicat, sibi in conscientia videri quòd sic.

319 Quia tamen res ista nonnihil ambigua est, sæpèque contingit matutinam intentionem mutari, intentionique charitatis intentionem succedere cupiditatis, non solùm dum actioni actio succedit, sed & in ejusdem actionis progressu; ita ut una eademque actio ex charitate inchoata, ex cupiditate non rarò continuetur, unumque & idem opus, bonâ cœptum intentione, malâ finiatur (ut D. Gregorius docet l. 25. Moral. c. 16.) propterea Estius sapienter monet, intentionem frequenter iterandam, præsertim dum actio disparata succedit. Cùmque naturæ seipsam semper & ubique quærentis fraudes & doli subtilissimi sint, omnes animi recessus scrutandi sunt, sollicitèque cavendum, ne in principio, medio & fine actionum nostrarum aliqua se immisceat illecebra proprii amoris; ne etiam quod cum fervore incœptum est, tepescat, & cùm tepescere cœperit, omninò frigescat, prorsusque extinguatur, nisi crebriùs flamma renoveturr.

320 Nec piis hominibus, etiam mechanicis, difficilis est ista renovatio, utpote quæ momento fieri potest. Vel 1°. solùm proferendo nomen *Jesu*, vel *amen* ex condicto matutino, quo statuerint intentionem toties renovare, quoties illud protulerint. Vel 2°. dicendo in principio actionis, *sanctificetur nomen tuum.* Vel 3°. devotè dicendo *in nomine Patris, & Filii, &c.* cùm verba ista significent Deum in ratione principii & finis actuum nostrorum. Sic enim Apostolus intelligit ad Colossi. 3. cùm ait: *Quodcumque facitis... omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi.* Et ideò usus signi crucis in Ecclesia primitiva frequentissimus fuit, ante quemlibet actum: *Ante omnem progressum, atque promotum* (ait Tertullianus lib. de coron. milit. c. 3.) *ad omnem aditum, atque exitum, ad vestitum, ad calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quocumque nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terimus.* Idque etiam Hieronymus commendat epist. 22. c. 16. *Ad omnem actum, & ad omnem incessum, manus pingat crucem.* Vel 4°. mechanici, toto die labori manuum incumbentes, laborem suum in Deum referre facilè possunt, laborando ex sincera intentione conformandi se ordini divinæ Providentiæ, quæ ipsos constituit in necessitate se familiamque suam sustentandi per laborem.

CAPUT XXVIII.

Necessaria non est relatio omnium actuum nostrorum per amorem Dei super omnia; neque per charitatem perfectam; sufficit quòd fiat per imperfectam, quæ etiam in peccatoribus reperitur.

321 EX dictis lib. 6. c. 21. constat, quòd non omnis amor Dei propter se, sit charitas perfecta. Quod & constat ex variis gradibus charitatis ibidem c. 22. enarratis, quorum aliqui in ipsis quoque infidelibus esse possunt. Et constabit amplius ex dicendis to. 3. l. 5.

Hinc porrò conficitur, nec amorem Dei 322
super omnia, nec perfectum amorem Dei necessarium esse ad satisfaciendum præcepto, *Omnia in gloriam Dei facite.* Cùm ad hoc sufficiat amor Dei propter se.

Neque primum maximumque mandatum, 323
quatenùs prohibet mansorios creaturarum amorculos, atque adeò præcipit nullam creaturam amare nisi propter Deum, obligat ad Deum in omnibus actibus nostris amandum super omnia, vel amore perfecto; sed solùm ad non amandum creaturam nisi propter Deum. Quod fit per amorem Dei, etiam imperfectum, & non super omnia. Vide lib. 6. cap. 17.

CAPUT XXIX.

Charitas generaliter dicta, per quam omnia opera nostra in Deum referenda sunt, à Deo est per gratiam actualem, non ab homine per naturam.

HÆc assertio fusè à nobis ex divinis Ora- 324
culis, sanctis Patribus, & rationibus Theologicis demonstrabitur libro 9. sequenti, ubi de gratia tractabimus, quatenùs uno ex generalibus morum principiis, ad malum declinandum, bonumque faciendum necessariis.

CAPUT XXX.

Ex doctrina lib. 5. 6. 7. & 8. stabilita, perspicuisque utriusque Testamenti, & Sanctorum testimoniis comprobata, atque valido rationum Theologicarum præsidio roborata, quòd Deus solus esse queat finis, etiam negativè ultimus, omnis amoris ordinati, cæteraque omnia ad ipsum propter se dilectum referenda sint per charitatem, saltem generaliter dictam, quæ à Deo sit per gratiam actualem: quatuor famosa Corollaria derivantur. Primum, quòd omnis actus moraliter bonus, debitisque omnibus circumstantiis, tam ex parte operis, quàm ex parte operantis vestitus, meritorius sit, saltem de congruo, nullus steriliter bonus.

DE congruo (inquam) quia ex proposi- 325
tionibus 62. & 63. damnatis à Pio V. constat, actus moraliter bonos, debitisque omnibus circumstantiis vestitos, per gratiam sancti Spiritûs nondum inhabitantis, fieri à peccatoribus, per eaque ipsos ad justificationem disponi. Sola verò opera justorum, facta à vivo Christi membro, per gratiam sancti Spiritûs inhabitantis, de condigno meritoria sunt.

Omnem porrò actum moraliter bonum, 326

debitisque omnibus circumstantiis vestitum, meritorium esse, saltem de congruo, manifestè consequitur ex hactenùs dictis. Omnis quippe actus ejusmodi à Deo est per gratiam, ut constat ex Conciliis, sanctis Pontificibus & Patribus libro seq. referendis. Omnis verò actus bonus, qui à Deo est per gratiam, meritorius est, saltem de congruo, ut omnes Theologi fatentur.

327 Istamque Sanctorum esse Theologiam probatur 1°. ex D. Basilio in Psal. 29. dicente, quòd *una quælibet actio, aut ad inferiora nos per peccatum deducit*; vel (si usquequaque bona sit) *habiles ad Deum accedendi, ad Deum tollit.* Omnis verò actio, nos ad Deum tollens, sine dubio meritoria est, saltem de congruo.

328 Idem conficitur ex Fulgentio l. 1. de verit. prædest. c. 18. dicente: *Omne quod non est ex fide, peccatum est, & sine fide impossibile est placere Deo. Qui autem Deo non placet, procul dubio displicet.* Quasi dicat: omne quod humano modo agitur, vel est, vel non est ex fide. Si est, Deo placet, adeòque non est sine retributione. Si non est, Deo displicet, & in quantum displicet, pœnâ dignum est.

329 Item ex D. Paulino, seu Authore epistolæ ad Celantiam: *Omne quod agimus, omne quod loquimur, aut de lata, aut de angusta via est.* Si de lata, ducit ad perditionem, proximè vel remotè. Si de angusta, ducit ad salutem.

330 Item ex D. Gregorio l. 26. Moral. c. 13. *Non enim ante oculos Dei vacuæ transvolant cogitationes nostræ, & nulla momenta temporis per animum transeunt sine statu retributionis.*

331 Secundò idipsum probatur, quia juxta Augustinum, aliosque communiter Patres, nullus est actus omni ex parte bonus, debitisque omnibus circumstantiis vestitus, nisi in Deum relatus, per veri nominis charitatem, saltem generaliter dictam, id est, verum, sincerumque Dei propter se amorem. Omnis verò actus bonus, taliter in Deum relatus, salutaris est, seu proficuus ad salutem. Cùm charitas veri nominis nequeat non esse salutaris. Neque enim potest non esse ex gratia, ut vidimus cap. 29.

332 Tertiò, Augustinus id manifestè docet omnibus locis, quibus nullum ejusmodi actum agnoscit, nisi qui aliquo modo est ex fide per charitatem operante. Fides autem & charitas, secundùm Augustinum, steriles esse non possunt.

333 Quartò, idem Augustinus idipsum expressissimè tradit l. 4. contra Julianum c. 3. ubi non solùm constanter asserit, nullos dari actus steriliter bonos, nullam veram justitiam sterilem, nullas veras virtutes steriles; sed & mirum quantùm insurgit in Julianum ea in re ipsi contradicentem, ut videbimus libro sequenti. Et ratio tantæ aversionis ipsius ab hujusmodi actibus & virtutibus, est, quia Pelagiana subtilitas & astutia ideò excogitavit induxitque genus quoddam actuum, naturaliter bonorum, ad vitam æternam sterilium, ut colorem aliquem haberet adstruendi aliquod in natura initium, seu dispositionem ad gratiam. Ita præsertim Julianus apud Augustinum loco citato, ubi (cum Semipelagianis, proximè referendis) istud commentum iisdem fundamentis stabilire conatur quæ Noviores etiamnum allegant, qui actus naturali bonitate steriliter bonos hodie admittunt. Quòd utique natura à Deo creata, arbor bona sit, potens proinde fructus efficere bonos. Quòd extincta non sit tota vis naturæ; nec proinde extincta facultas efficiendi opera sibi proportionata, saltem facilia, v. g. colendi parentes, afflictis compatiendi, &c. Quòd denique in infidelibus, omni gratiâ destitutis, veræ non defuerint virtutes, ut virginitas in Vestalibus, fortitudo in Fabritiis, Camillis, &c. ut videre est loco citato. Ubi Augustinus Juliani detegit vafritiem, callidamque machinationem, quâ genus istud actuum naturaliter honestorum comminiscebatur, ut initium aliquod, seu dispositionem in natura poneret ad gratiam: *Vis intelligi, hominem per se incipere, sine gratia.... in quo enim vis hominem, sicut loqueris, ad aliquid generosi cordis stimulis incitari, in hoc eum non vis in Domino, sed in libero arbitrio gloriari, ac sic priorem dare, ut retribuatur illi.* Eamdem Semipelagianorum inventionem Hilarius refert in epist. ad Aug. præfixa libro de prædest. Sanct. *Nullam ita depravatam voluntatem, vel extinctam putant, ut non debeat, vel possit velle sanari.*

Sic itaque asseruerunt genus illud actuum 334
naturaliter bonorum, ad vitam æternam sterilium, ut, eo posito, aliquo colore inferre possent, aliquam in natura dispositionem, licèt improportionatam, ad gratiam; quæ proinde aliquo modo daretur secundùm merita. Ideò Augustinus de prædest. Sanct. c. 2. *Videte* (inquit) *si aliud agitur isto modo, nisi ut gratia Dei secundùm merita nostra detur quolibet modo.* Ideò dicit, *quolibet modo*: quia hæretici solliciti esse non solent de modo, dummodò errorem suum tueri possint, quolibet demùm modo.

Nec certè, posito illo genere actuum na- 335
turaliter bonorum, naturali v. g. Dei propter se dilectione, prorsus infundata fuisset ipsorum argutia, homines, per ejusmodi actus, quodam modo ad gratiam disponi, dareque aliquam Deo occasionem ei aliquo modo retribuendi, & hominem, saltem hoc sensu, licèt imperfecto & improportionato, gratiam promereri. Ob rationem n. 333. allatam.

Vidit proinde aquilinis oculis suis conse- 336
quentiam istam Augustinus, nec eam negavit fundatam; imò fundatam agnovit lib. 4. contra Julian. c. 3. quia *absit* (inquit) *ut Deus bonus, à quo securis paratur arboribus non facientibus fructum, excidat, & in ignem mittat arbores bonas*, &c. Quippe *arbores bo-*

ne sunt, quarum fructus boni sunt, & debent Deo placere. Propterea ergo totis viribus impugnavit genus illud operum naturaliter bonorum, ne colorem, aut verisimilitudinem consequens istud haberet. Propterea (inquam) totis viribus insectatus est actus steriliter bonos, quos Julianus comminiscebatur. Nec potuit non insectari, salvo principio suo (quod ut certum statuit) de necessitate gratiæ, tam ad singulos actus bonos, quàm ad vitandum, ne aliqua ex parte peccemus, in omni eo quod facimus. Quam gratiæ necessitatem statuit in locis Prolegom. 6. c. 19. relatis, necnon iis quæ libro sequenti proferentur.

337 Augustino jungamus fidelem discipulum Aquinatem, qui in 1. dist. 1. q. 3. ad 3. dicit quòd *nullus actus, procedens à ratione deliberante, est indifferens. Quia si refertur in Deum, supposità gratiâ, meritorius est.* Si autem non refertur, peccaminosus est.

338 Et 1. 2. q. 21. a. 4. ex professo tractans quæstionem: *utrùm actus humanus, in quantum est bonus vel malus, habeat rationem meriti, vel demeriti apud Deum?* In argumento *Sed contrà imprimis arguit sic: dicitur Eccles. ult. cuncta quæ fiunt, adducet Deus in judicium, sive bonum sive malum. Sed judicium importat retributionem, respectu cujus meritum vel demeritum dicitur. Ergo omnis actus bonus, vel malus, habet rationem meriti vel demeriti apud Deum.* Deinde in corp. dicit quòd *actus alicujus hominis habet rationem meriti, secundùm quod ordinatur in Deum.* Omnis verò actus bonus, debitisque omnibus circumstantiis vestitus, secundùm ipsum, ordinatur in Deum, *Est enim debitum, ut ad finem ultimum omnes actus nostri referantur.* Et ad 3. *Totum quod homo est, & quod potest, & habet, ordinandum est ad Deum. Et ideò omnis actus hominis bonus, vel malus, habet rationem meriti*, si bonus; *vel demeriti apud Deum*, si sit malus, *quantum est ex ipsâ ratione actûs*, id est, quantum est ex parte operis, præscindendo à statu operantis, qui debet esse in statu gratiæ gratum facientis, ad meritum condignum, seu simpliciter dictum. De quo proinde merito intelligendus est S. Doctor, siquando contrarius videatur.

339 Præterea S. Doctor idipsum apertè insinuat ibidem q. 114. a. 4. dum ait quòd *meritum vitæ æternæ primò pertinet ad charitatem, ad alias autem virtutes secundariò, secundùm quod earum actus à charitate imperantur.* Sic enim argumentor: Omnis actus omni ex parte bonus, vel est charitatis actus, vel à charitate imperatus (juxta S. Doctorem, non admittentem actum omni ex parte bonum, nisi relatum in Deum, quod secundùm ipsum *pertinet ad charitatem.*) Sed omnis actus charitatis, vel à charitate imperatus, quantum est ex parte actûs, meritorius est. Cùm meritum ex parte actûs primò pertineat ad charitatem, ad alias autem virtutes, secundùm quod earum actus à charitate imperantur.

Denique 2. 2. q. 104. a. 3. dicit, quòd *quæcumque virtutum opera ex hoc sunt meritoria apud Deum, quòd fiunt ut obediatur voluntati divinæ.* Quæcumque verò fiunt propter Deum (uti fiunt omnes actus boni, in Deum relati) fiunt, vel formaliter, vel virtualiter, ut obediatur voluntati divinæ. Cùm ex charitate fiant, quæ omnia facit, quia placita sunt Deo. 340

CAPUT XXXI.

Corollarium secundum. Nulla est voluntas, omni ex parte bona, ad debitumque finem ultimum ordinata, sine charitate, saltem generaliter dicta, & imperfecta, ut Sanctorum habet Theologia.

VOluntas quippe omni ex parte bona, ad Deumque finem ultimum rectè ordinata, formaliter vel fontaliter est amor ordinatus. Omnis verò amor ordinatus, vel est Dei propter se, vel creaturæ propter Deum; adeòque vel charitas, vel procedens ex charitate, saltem imperfecta, & generaliter dicta, ut constat ex dictis lib. 3. 5. 6. & 7. 341

Hanc autem Sanctorum esse doctrinam, ostenditur 1°. ex Augustino l. 14. de Civit. Dei c. 7. ubi sic: *Bona voluntas usitatiùs in Scripturis charitas appellatur.* De gratia Chr. c. 21. *Quasi verò aliud sit bona voluntas, quàm charitas.* In Psal. 36. *Ipsa est charitas, quæ dicitur bona voluntas.* Homil. 8. inter 50. *Bona enim voluntas est ipsa charitas.* Lib. 3. oper. imperf. in Julian. c. 108. Pelagianos urgens, *ut inter divinæ gratiæ species ponant dilectionem, quam non ex nobis, sed ex Deo esse Scriptura testatur:* de ista dilectione dicit, quòd *sine ea nullius est bona voluntas, & cum ea nullius est nisi bona voluntas.* Dilectio verò, quam non ex nobis, sed ex Deo esse Scriptura testatur, charitas est, secundùm illud 1. Joan. *Charitas ex Deo est.* Et ipse Augustinus loco citato de Civit. fatetur, *Scripturas Religionis nostræ... non aliud dicere amorem, aliud dilectionem vel charitatem.* Ipsumque locis relatis (quibus similia habet in Psalm. 9. & l. 2. ad Bonifac. c. 9. & alibi sæpè) veri nominis charitatem intelligere, constabit ex dicendis cap. 35. atque insuper constat ex eo quòd lib. 12. de Civit. c. 9. bonam voluntatem confundat cum casto Dei amore (id est Dei propter se amore, ut sexcentis locis exponit.) Deus, inquit, Angelos *cum bona voluntate, id est cum amore casto, quo illi adhærent, creavit... Unde sine bona voluntate, hoc est Dei amore, numquam* sanctos Angelos *fuisse credendum est.*

2°. Ex Prospero lib. contra Collat. c. 22. aiente, quòd *nullus est bonæ voluntatis motus, nisi quem creavit diffusa per Spiritum sanctum charitatis afflatus.* 343

3°. Ex Chrysologo serm. de S. Laurentio, *Non deest charitas, si non desit bona voluntas: ipsa enim ardens voluntas, dicitur charitas.* 344

4°. Ex Cæsario Arelat. homil. 2. de eleë- 345

mos. *Bona voluntas, ipsa est charitas.*

346 5°. Ex Jona Episcopo Aurelian. in Spicilegio Dackerii to. 5. ubi agens de institutione Regis, *Cum charitate* (inquit) *cuncta sunt bona; sine charitate verò nulla haberi possunt.... Charitate carens.... non est bonæ voluntatis. Definitio quippe charitatis est (ut Doctores nostri tradunt) bona voluntas.* Ex quo testimonio vides hanc esse vulgatam veterum Patrum, Doctorumque sententiam.

347 6°. Ex Bernardo serm. 1. in festo Pentecost. *Ut benè faciant.... affici ad bonum necesse est, ab eo utique Spiritu, qui adjuvat infirmitatem nostram, & per quem in cordibus nostris diffunditur charitas, quæ est bona voluntas.*

348 7°. Ex D. Aëlredo, qui similia habet in spec. charit. l. 2. c. 18. Et lib. 3. c. 7. Et in compend. spec. c. 15. & 16. Similia quoque habentur in lib. de amore c. 7. inter opera Bernardi.

CAPUT XXXII.

Corollarium tertium. Nullum est opus undequaque bonum, debitisque omnibus circumstantiis vestitum, sine charitate ut suprà, uti communis est traditio Sanctorum.

349 QUia nullum est opus, undequaque bonum, debitisque omnibus circumstantiis vestitum, nisi quod ex amore ordinato procedit, referturque in Deum propter se dilectum. Quod sine charitate non fieri constat ex superioribus, per seque est manifestum.

350 Nec ista nova est assertio, sed perspicua Augustini, aliorumque veterum Patrum traditio. 1°. Quia Augustinus lib. de grat. & lib. arb. c. 18. *Quidquid* (inquit) *se putaverit homo facere bene, si fiat sine charitate, nullo modo fit benè.* L. de grat. Chr. c. 26. *Quid boni faceremus, nisi diligeremus? Ubi non est dilectio, nullum bonum imputatur, nec rectè bonum opus vocatur.* L. de spir. & lit. c. 14. *Non enim fructus est bonus, qui de charitatis radice non surgit.* L. 1. serm. Dom. in mont. c. 5. *Ubi charitas non est, non potest esse justitia.* In Psal. 67. *Ea sola bona opera dicenda sunt, quæ fiunt per dilectionem Dei.* In Psal. 89. *Omnia bona opera nostra, unum opus est charitatis.... hinc enim recta sunt opera, cùm ad hunc unum finem diriguntur.* In Psal. 118. serm. 15. *Quando fine charitatis sit mandatum, tunc fit verè opus bonum.* Serm. 175. de verb. Apost. Ephes. 3. c. 4. & Epist. 106. *Charitas sola benè operatur.* L. 2. de diversi. qq. ad Simplician. q. 1. *Donis Dei non benè utitur, nisi charitas.* Enchirid. c. 121. *Quod ita fit vel timore pœnæ, vel aliquâ intentione carnali, ut non referatur ad illam charitatem, quam diffundit Spiritus sanctus in cordibus nostris, nondum fit quemadmodùm fieri oportet, quamvis fieri videatur.... Quæcumque ergo mandat Deus, & quæcumque non jubentur, sed spirituali consilio moneretur.... tunc rectè fiunt, cùm referuntur ad diligendum Deum, & proximum propter Deum.* L. de fid. & operib. c. 7. *Quidquid homo velut* rectè *fecerit, nisi ad pietatem, quæ ad Deum est, referatur* (id est, ad dilectionem Dei: quia diligere Deum ex toto corde... *hæc recta pietas*, ait l. 10. de Civit. c. 3.) *rectum dici non oportet.* Epist. 105. *Charitas, sine qua nemo benè vivit.* L. 4. contra Julianum c. 3. *Qui non facit opera bona, intentione fidei bonæ, hoc est ejus quæ per dilectionem operatur, totum quasi corpus, quod illis, veluti membris, operibus constat, tenebrosum est, hoc est, plenum nigredine peccatorum.* Et infrà: *Sine amore Creatoris nullis quisquam benè utitur creaturis.*

2°. Quia idem Augustinus sexcentis lo- 351
cis dicit, opera bona, quæ ex charitate non fiunt, non fieri *sicut oportet*, non agi *sicut agenda sunt*, &c. Cùm ea facere sicut oportet, vel sicut agenda sunt, sit ea ex charitate facere, prout expressè dicit in lib. de corrept. & grat. c. 2. ubi explicans, quid sit opus præceptum agere sicut agendum est, *id agunt* (inquit) *sicut agendum est, id est, cum dilectione & delectatione justitiæ.* Quod duabus post lineis magis explicat, dicens: *id est, ex charitate faciendo.* Et ratio est, quia facere sicut oportet, est facere benè, est facere rectè, est facere verè seu veraciter, &c. Quæ verò non fiunt ex charitate, non fiunt rectè, non fiunt benè, non fiunt veraciter, uti tradit in testimoniis numero præcedenti relatis ex lib. de grat. & lib. arb. c. 18. Epist. 105. & 106. Serm. 15. in Psal. 118. 4. contra Julian. 3. Necnon lib. 2. ad Bonifac. c. 9. ibi: *Quando non amore justitiæ fit bonum, nondum benè fit bonum.* Lib. 21. de Civit. c. 16. *Neque id veraciter atque sinceriter fit, nisi veræ delectatione justitiæ.* L. de bono persever. c. 16. *Charitas, quâ unâ Deo veraciter obeditur.* Et Enchirid. 121. *Tunc rectè fiunt, cùm referuntur ad dilectionem Dei, &c.*

Ex quibus phrasibus, ad invicem collatis, 352
tria colligimus. Primum est, hæc esse sinonyma apud Augustinum: *Opus factum sicut oportet*, vel *sicut agendum* est, *opus benè factum, opus rectè factum, opus usquequaque bonum, opus debitis circumstantiis omnibus vestitum, &c.*

Secundum est, omne opus benè factum, sive usquequaque bonum (secundùm Augustinum) esse opus *veræ pietatis*, opus *ad veram pietatem pertinens, opus, quo piè & benè vivimus, &c.*

Tertium est, opus non factum ex charitate, non ideò, secundùm Augustinum, non esse factum sicut oportet, quia non est proficuum ad salutem, quia non meritorium, &c. imò ideò non esse meritorium & proficuum ad salutem, quia non factum sicut oportet, non rectè factum, non usquequaque bonum, &c. Omne namque opus rectè factum (secundùm Augustinum cap. 30. relatum) proficuum est ad salutem, meritoriumque: Nulla quippe opera rectè facta, sive usque-

quaque bona Auguſtinus admittit, quæ meritoria non ſint, ſaltem de congruo, ſed ad ſalutem ſterilia ſint, ut ibidem oſtendimus.

353 3°. Scriptura, Concilia, Pontifices, Patres (quorum teſtimonia habes Prolegom. 6. cap. ...) ad omne opus uſquequaque bonum, non aliâ ratione gratiæ requirunt auxilium, niſi quia omne ejuſmodi opus vel elici, vel imperari debet à charitate, ad quam gratiæ auxilium Scriptura, Concilia, Pontifices, Patres requirunt, uti demonſtrabimus libro ſequenti.

354 4°. Ratio propter quam Hieronymus, Auguſtinus, Proſper, Gregorius, Beda, Bernardus (relati eod. Prolegom. 6. cap. ult.) ad omne opus uſquequaque bonum, requirunt fidem, ſaltem inchoatam, eſt quia ad omne opus uſquequaque bonum requirunt charitatem. Ut enim Auguſtinus præfat. in Pſal. 31. *Bonum opus intentio facit; intentionem autem fides dirigit.* Quæ fides? *quæ per dilectionem operatur*, uti Auguſtinum l. 4. contra Julian. c. 3. explicantem audivimus.

355 5°. Nullum eſſe opus uſquequaque bonum, niſi in Deum propter ſe dilectum relatum, communis eſt traditio Sanctorum, uti vidimus cap. 8. Nullum igitur eſſe opus uſquequaque bonum, niſi ex charitate factum, communis eſt traditio Sanctorum.

356 Enim-verò præter relatos, ſic (cum Auguſtino) tradunt Chryſoſtomus in cap. 10. epiſt. ad Hebr. Homil. 19. *Ex dilectione bona opera fiunt.... Nihil namque bonum eſt, quod non per charitatem fiat.* Et Serm. de charitate quæ cuncta dirigit: *Nihil eſt boni & honeſti, quin ortum ex charitate ducat.*

357 Bernardus de interiori domo c. 8. *Quidquid homo facit, bonum eſſe non poteſt, niſi ex bona voluntate procedat*, id eſt, ex charitate, cum qua bonam voluntatem confundit ſuprà n. 347. Et l. de amore c. 8. *Philoſophi hujus mundi juſtitiam coluerunt, & affectu amoris, & affectu operis, in tantum ut diceretur de eis, ab eis, oderunt peccare boni virtutis amore. Sed convincuntur juſtitiam non amaſſe, qui non amaverunt te, à quo fons & origo, & in quem finis & recurſus veræ juſtitiæ, & ſine quo omnes juſtitiæ hominum ſicut pannus menſtruatæ. Non enim habebant fidem, quæ per dilectionem operatur, licèt affectatum quemdam amorem, & opera quædam haberent honeſtatis. Quæ quia ex fonte veræ juſtitiæ non prodibant, nec in veræ juſtitiæ fontem ibant, tantò deſperatiùs, quantò fortiùs extra viam currebant.* Et opuſc. de charit. c. 12. *Omnia juſtitiæ opera referuntur ad illam charitatem.... & ab ipſa, tamquam fructus ab arbore, pendent. Sicut enim fructus ſuum à palmite recipit alimentum.... ſic boni operis fructus à charitate ſuum recipit initium & progreſſum.*

358 S. Aëlredus l. 1. ſpec. charit. c. 32. *Charitas eſt radix, ex qua omnia bona opera, ut bona ſint, oriuntur.*

359 S. Thomas 2. 2. q. 23. a. 7. ad 1. *Sine charitate poteſt quidem eſſe aliquis actus bonus ex genere, non tamen perfectè* (id eſt uſquequaque) *bonus: quia deeſt debita ordinatio ad ultimum finem.* Ideòque veſtitus non eſt circumſtantiis omnibus debitis ex parte operantis.

Cum his Eminentiſſ. D. Cardinalis Bona in 360
princip. vit. chriſt. p. 1. §. 28. *Quidquid boni ſit ab homine, quod non ſit propter Deum*, adeòque ex Dei propter ſe amore, *etſi officio videatur bonum, deficiente tamen recto fine, malum eſt*; id eſt, malè factum.

CAPUT XXXIII.

Corollarium quartum. Tametſi ſine charitate dentur virtutes Philoſophicæ, ſive latiùs & ſecundùm quid ſumptæ pro habitibus inclinantibus ad actus ex objecto, ſeu officio, & ſine proximo bonos; ſine charitate tamen generatim accepta, ſaltem imperfecta, nullam virtutem chriſtianam, ſeu ſtrictè ſumptam, completæque virtutis, tam ex parte objecti, finiſque proximi, quàm ex parte debiti finis ultimi, rationem habentem, Sanctorum agnoſcit Theologia, præſertim Auguſtini & Aquinatis.

Quia ubi nulla intervenit charitas, ſaltem 361
generaliter dicta, id quod in virtute amatur tamquam finis, ſaltem negativè ultimus, non eſt Deus, ſed creatura. Hoc autem ſine aliqua inordinatione non fit ſecundùm Theologiam Sanctorum; utpote ſecundùm quam ſolus Deus eſſe poteſt finis, etiam negativè ultimus amoris uſquequaque ordinati, ut conſtat ex dictis l. 5. 6. 7. cap. 5. & præſenti lib. 8. cap. 8. & 9.

Quòdque nulla virtus, ſine dicta charita- 362
te, ſecundùm Theologiam Auguſtini, rationem habeat completæ virtutis, ſive ad debitum finem ultimum relatæ, probatur imprimis ex libro ipſius de patientia c. 17. *Fortitudinem gentium mundana cupiditas; fortitudinem Chriſtianorum Dei charitas facit.* Quod totidem verbis repetit Arauſicanum II. can. 17. Si Chriſtianorum fortitudinem Dei charitas facit, facit & cæteras Chriſtianorum virtutes, juſtitiam, temperantiam, &c. Cùm eadem ſit quoad hoc ratio cæterarum, & ipſemet Auguſtinus quod ibi de fortitudine dixit, alibi dicat de pudicitia, continentia, &c. Siquidem lib. 1. de nupt. & concupiſc. c. 4. ait, *pudicum non veraciter dici, qui non propter Deum verum, fidem connubii ſervat uxori.* Et ibidem, ad veram continentiam conjugalem, contentus non eſt intentione, quâ conjuges *nonniſi procreandorum liberorum causâ concumbunt*; ſed exigit intentionem liberos Deo procreandi, ſive, ut ipſe loquitur, *generandi regenerandos, ut qui ex eis ſæculi filii naſcuntur, in Dei filios renaſcantur. Hæc enim eſt* (inquit l. 4. contra Julian. c. 1.) *& eſſe debet piorum conjugum intentio, ut regenerationi generatio præparetur.*

Qua

363 Qua in re Augustino concinit (ut solet) Aquinas supplem. q. 49. a. 5. ubi cùm dixisset, quòd *duobus solis modis conjuges absque omni peccato conveniunt, scilicet causâ procreandæ prolis, & debiti reddendi* : Ad 1. addit, quòd non sufficit intendere prolem, sed oportet quòd *proles suscepta ulteriùs ordinetur in Deum .... Aliàs staretur in creatura, quod sine peccato esse non potest.* Qui etiam lect. 3. in epist. ad Galat. c. 3. proportionaliter loquitur de justitia, seu justitiæ debito : *Si reddas tibi vel proximo quod debes, & hoc non facis propter Deum, magis es perversus, quàm justus : cùm ponas finem*, saltem negativè ultimum, actûs tui *in homine.*

364 Idem de obedientia docet Augustinus de bono persev. c. 10. *Eâ unâ* (charitate) *Deo veraciter obeditur.* Idipsum frequenter inculcat aliis locis Prolegom. 6. cap. 8. relatis.

365 Præterea, *cùm ad suum non referuntur Authorem dona Dei* (*intentione* scilicet *fidei bonæ*, hoc est *ejus quæ per dilectionem operatur*, ut eo ipso loco explicat) *hoc ipso mali, his utentes, efficiuntur injusti.* Aug. l. 4. contra Julian. c. 3. Atqui virtutes, dona sunt Dei. Igitur hoc ipso quòd ad suum non referuntur Authorem intentione fidei, per dilectionem operantis, his utentes efficiuntur injusti.

366 Tertiò, *Absit* (inquit Aug. ibidem) *ut virtutes cuiquam serviant nisi illi, vel propter illum, cui dicimus : Deus virtutum converte nos. Proinde virtutes, quæ carnalibus delectationibus, vel quibuscumque commodis & emolumentis temporalibus serviunt, veræ prorsus esse non possunt. Quæ autem nulli rei serviunt, nec ipsæ veræ sunt. Veræ quippe virtutes Deo serviunt in hominibus, à quo donantur hominibus*, &c. Hisce verbis Augustinus declarat, veras virtutes, sicut Deum habent Authorem & principium, à quo donantur hominibus, sic debere servire Deo ut fini, ad quem ab hominibus referantur, & propter quem exerceantur ; ita ut vel ipsi servire debeant, velut fini proximo ; vel, si alium habeant proximum finem, proximus ille finis non intendatur finaliter nisi propter Deum.

367 Hoc enim genuinè significant verba ista : *Absit ut vera virtus cuiquam serviat, nisi illi, vel propter illum*, &c. id est, absit ut vera virtus alteri serviat, tamquam fini, nisi Deo, qui vel sit finis proximus illius, vel saltem ultimus, ad quem finaliter referatur, & propter quem finaliter intendatur. Si enim alium habeat finem in quo operans finaliter conquiescat, isti alteri servit, non Deo. Medium quippe servit fini, propter quem finaliter intenditur, uti ostendimus lib. 5. c. 8. & Augustinus loco citato declarat exemplo virtutis justitiæ, quæ dum intenditur propter finem avaritiæ, desinit esse vera virtus justitiæ, quia servit avaritiæ : *Te* (Juliane) *tanta absurditas sequitur, ut veram cogaris appellare justitiam, cujus dominam fateris avaritiam. Siquidem manus abstinere ab alieno, si officium cogites, potest videri esse justitia. Sed cùm quæritur, quare fiat ? & respondetur, ne plus pecuniæ litibus pereat : quomodò jam hoc factum verè poterit esse justitiæ, cùm serviat avaritiæ ?* Ideò etiam ibidem prorsus negat, veras esse posse virtutes, *quæ carnalibus delectationibus, vel quibuscumque commodis & emolumentis temporalibus serviunt.* Sed quænam (amabo) virtutes, carnalibus serviunt delectationibus, vel commodis temporalibus ? solæ utique illæ, quæ propter carnales fiunt delectationes, temporalesve commoditates. Similiter ergo solæ illæ virtutes (Augustini sensu) Deo serviunt, quæ propter Deum fiunt, sive quæ propter Deum finaliter intenduntur. Cùm igitur solas eas virtutes Augustinus veras esse censeat, quæ Deo serviunt ; solas eas virtutes censet esse veras, quæ propter Deum fiunt, tamquam finem, propter quem finaliter intenduntur.

De quo nullum dubitandi locum relinquit, 368
sed disertis verbis ipsemet exprimit l. 5. de Civit. c. 12. dicens : *Neque enim est vera virtus, nisi quæ ad eum finem tendit, quo melius non est.* Et l. 19. c. 20. *Non est vera sapientia, quæ intentionem suam, in his quæ prudenter discernit, gerit fortiter, cohibet temperanter, justèque distribuit, non in illum finem dirigit, ubi erit Deus omnia in omnibus.* Vult ergo vera sapientia, prudentiam, fortitudinem, temperantiam, justitiam, in Deum, velut in finem, dirigi. At *quidquid fit ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera sapientia præcipit, etsi officio videatur bonum, ipso non recto fine peccatum est.* L. 4. contra Julian. cap. 3. Ideò ergo libro illo 19. de Civit. c. 28. concludit : *Virtutes, quas sibi habere videtur humana mens, per quas imperat corpori & vitiis.... nisi ad Deum* (propter se finaliter dilectum) *retulerit.... vitia sunt.* Non quòd ob defectum istius relationis in se & secundùm se intrinsecè vitientur (in se namque & secundùm se, sive secundùm officium suum, finemque proximum inculpatæ sunt) sed extrinsecè, in adjuncta sibi in individuo circumstantia mala ex parte operantis, relationem istam culpabiliter omittentis.

Dixi, nisi ad Deum *propter se dilectum* re- 369
tulerit. Tum quia Augustini contextus id manifestum facit. Subjungit enim, quòd *licèt à quibusdam tunc veræ & honestæ putentur esse virtutes, cùm ad seipsas referuntur*, id est, propter seipsas amantur, *nec propter aliud expetuntur.... etiam tunc.... non virtutes, sed vitia sunt.* Ne igitur vitia sint, sensu dicto, vult illas propter Deum, non propter se, finaliter amari & expeti. Tum quia hoc ipso quòd Augustinus vult, veras virtutes referri in Deum, velut in *finem qui*, vult eas referri in Deum, velut finale bonum *propter quod* : cùm *finis qui* idem sit cum fine *propter quem*, & l. 8. de Civit. c. 8. finem, seu finale bonum, confundat cum bono propter se appetendo, dicens : *finale*, id est, *propter seipsum appetendum.*

370 Quartò, idipsum manifestè confirmant alia Augustini testimonia l. 7. c. 5. relata, quibus docet, *voluntariam paupertatem*, *continentiam*, *justitiam*, &c. cælesti authoritate persuaderi, *non tantùm propter istam vitam honestissimè agendam... verùm etiam propter adipiscendam sempiternam salutem*, id est Deum, prout ipsemet explicat suprà l. 6. n.... Docet item, quòd omnis prudentia, fortitudo, temperantia, justitia Principis, ad solum temporale proximi bonum relata, *ut scilicet ii, quibus vis ut benè sit, salvi sint corpore, & ab omni cujusquam improbitate tuti, atque pacati*, non sint *veræ virtutes*; sed tunc demùm, *si virtutes* illas, à quo acceperis *sentiens... eas ad ipsius cultum.... conferas*. Eas proinde solas veras censet esse virtutes, sive completæ virtutis rationem habentes, quæ propter Deum, adeòque ex charitate fiunt, ad ipsiusque cultum & honorem referuntur, sive, quod idem est, ad fidem quæ per dilectionem operatur. Ut enim ait l. 13. de Civit. c. 20. *Virtutes, quibus prudenter, fortiter, temperanter, justèque vivitur, omnes referantur ad eamdem fidem* (*quæ per dilectionem operatur*, ut immediatè præmisit) *non enim aliter poterunt veræ esse virtutes*.

371 Quintò, idem pari perspicuitate demonstrat definitio, quâ Augustinus virtutem definit, aliud non esse, nisi Dei amorem. Epist. 29. *Ut generaliter breviterque definiam, quam de virtute habeam notionem.... virtus est charitas, quâ id quod diligendum est diligitur*, Deus utique, ut proximè videbitur. Epist. 52. *In hac vita vera virtus non est, nisi diligere quod diligendum est. Quid autem eligamus, quod præcipuè diligamus, nisi quo nihil melius invenimus? hoc Deus est.* L. de morib. Eccles. c. 15. *Nihil omninò esse virtutem affirmaverim, nisi summum amorem Dei* (id est, amorem Dei propter se, qui summus est summitate motivi) *namque illud quod quadripartita dicitur virtus, ex ipsius amoris vario quodam affectu, quantum intelligo, dicitur. Itaque illas quatuor virtutes sic definire non dubitem, ut temperantia sit amor integrum se præbens ei quod amatur. Fortitudo, amor facilè tolerans omnia propter quod amatur. Justitia, amor soli amato serviens, & propterea rectè dominans. Prudentia, amor ea quibus adjuvatur, ab eis quibus impeditur, eligens. Sed hunc amorem, non cujuslibet, sed Dei esse dixerim, id est, summi boni.... Quare definire etiam sic libet, ut temperantiam dicamus esse amorem Dei, sese integrum incorruptumque servantem. Fortitudinem, amorem omnia propter Deum facilè perferentem. Justitiam, amorem Deo tantùm servientem, & ob hoc benè imperantem cæteris, quæ homini subjecta sunt. Prudentiam, amorem benè discernentem ea quibus adjuvetur in Deum, ab iis quibus impediri potest.*

372 Sextò, sicut quatuor virtutes Cardinales Augustinus jam dixit esse quadruplicem Dei propter se amorem (expressè namque fortitudinem v. g. definivit, *amorem omnia propter Deum facilè perferentem*, &c.) vel amorem unum, in quatuor officia distributum: idem pariformiter intelligi vult de virtute religionis, quòd utique sit *amor debitum Deo cultum reddens*, amor utique charitatis; *unde* enim *ille colitur, nisi charitate?* ait epist. 29. *Non colitur, nisi amando*, epist. 120. *Quis cultus ejus, nisi amor eius?* l. 12. de Trinit. c. 14. *Hoc enim colitur, quod diligitur*, in Psal. 77.

Supersunt virtutes Theologicæ, fides & 373
spes: quia charitatem sine charitate non esse, per se perspicuum est. *Fides* quidem, *juxta Apostolum, sine charitate*, famosè dicta, seu propria justorum, *esse potest*, inquit Augustinus l. 15. de Trinit. cap. 18. sed (juxta eumdem Augustinum) non sine charitate, generaliter dicta, quæ etiam in peccatoribus reperitur. Cùm esse nequeat sine pio affectu in primam Veritatem. Qui pius affectus haud dubiè est bona voluntas, adeòque charitas, saltem generaliter dicta, juxta Augustinum cap. 31. citatum. Unde fidem Christianorum à fide dæmoniorum epist. 105. & frequenter alibi distinguit, in eo quòd Christiani credant amando, dæmones timendo. Atque ex Augustino Concilium Arausicanum II. can. 7. definit, *neminem posse consentire evangelicæ prædicationi, absque illuminatione & inspiratione Spiritûs sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo & credendo veritati.* Quam suavitatem Augustinus sexcentis locis docet nihil aliud esse nisi charitatem.

Spem denique christianam sine charitate ge- 374
neraliter dicta esse non posse docet Enchirid. c. 3. *Spes sine amore esse non potest.... propter quod Apostolus fidem, quæ per dilectionem operatur, approbat*, &c. Quibus posterioribus verbis sicut sermo est de dilectione charitatis; ita & prioribus de amore charitatis. Quod & sequitur ex suprà tradita ab ipso definitione virtutis in genere, virtutumque Cardinalium in specie.

Itaque (secundùm Augustinum) nemo cre- 375
dit fide christianâ, à fide dæmonum distinctâ, nisi pio affectu in divinam feratur Veritatem; nemo quoque bonum divinum sperat, sive certa cum fiducia expectat, nisi illud amet ut finem, propter quem possidendum creatus est. Unde proportionaliter ad id quod Augustinus de aliis dicit virtutibus, fides christiana sic describi potest: Fides est amor Dei tamquam primæ Veritatis, & propter ipsam primam Veritatem imperans intellectui, ut credat articulis obscurè revelatis. Spes est amor Dei velut summi boni nostri, propter promissum ipsius certa cum fiducia expectans futuram ipsius possessionem. Charitas est amor Dei ut in se summi boni.

Hinc fides est amor glorificans Deum ut pri- 376
mam Veritatem; spes, amor glorificans Deum ut summum bonum nostrum; charitas, amor glorificans Deum ut in se absolutè summum bonum, summèque in se amabile.

Hæc

377 Hæc itaque est Augustini de virtutibus doctrina, secundùm quam omnis virtus vel formaliter, vel fontaliter est amor Dei, seu charitas generaliter, non specialiter pro tertia virtute theologica, sed generaliter accepta pro quocumque amore Dei propter se, sive propter quodcumque divinum attributum. Quomodò proinde accepta charitas sic ad cæteras se habet virtutes, sicut amor ad cæteros animæ affectus. Quemadmodùm enim cæteri affectus animæ ex dictis lib. 5. vel profluunt ex amore, vel sunt amor varia se in officia dividens, varioſque veluti vultus induens; sic reliquæ virtutes vel ex charitate procedunt, vel sunt charitas in varia se dividens officia, seu varios effectus, prout ipsemet Apostolus innuit 1. Cor. 13. dicendo quòd *charitas patiens est, benigna est; charitas non æmulatur, non agit perperàm, non inflatur, non est ambitiosa.... omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.*

CAPUT XXXIV.

Augustinianæ illi doctrinæ reliquorum Patrum chorus concinit. Concinit & Aquinas.

378 COncinunt imprimis omnes Prolegom. 6. cap. ult. relati, qui docent sine fide, saltem inchoata, nullam veram esse virtutem. Quia haud dubiè loquuntur de fide per charitatem operante, per quam virtutes debitum habeant ordinem in Deum, velut finem ultimum; propter se proinde dilectum.

379 2°. Omnes qui charitatem requirunt ad bonam voluntatem. Quos relatos habes c. 31.

380 3°. Omnes qui charitatem exigunt ad quodcumque opus undequaque bonum. Quos protulimus cap. 32.

381 4°. Omnes cap. 8. & seqq. denso agmine exhibiti pro obligatione referendi omnes actus & affectus nostros in Deum propter se dilectum.

382 5°. Concinit nominatim Leo Papa serm. 47. in Quadrag. *Nudæ sunt omnes sine charitate virtutes, nec potest dici in qualibet morum excellentia fructuosum, quod non dilectionis partus ediderit.*

Gregorius Homil. 27. in Evang. virtutes & multas esse dicit, per diversitatem operis, & unam in radice charitatis (sicut multa præcepta unum præceptum) sine qua non habent aliquid viriditatis, id est, non habent completam rationem veræ virtutis: *Cùm cuncta sacra Eloquia Dominica sint plena præceptis; quid est quod de dilectione, quasi de singulari mandato, Dominus dicit: Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem? Nisi quia omne mandatum de sola dilectione est, & omnia unum præceptum sunt? Quia quidquid præcipitur, in sola charitate solidatur. Ut enim multi arboris rami ex una radice prodeunt; sic multæ virtutes ex una charitate generantur. Nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, si non manet in radice charitatis. Præcepta ergo Dominica & multa sunt & unum: multa per diversitatem operis, unum in radice dilectionis.*

Bernardus lib. de doctr. pueror. *Necesse est* 383
ut ipsa obedientia, charitatis affectu fiat.... Nulla quippe vera obedientia est, nisi in ea charitas fulgeat, quæ virtutes omnes transcendit. Serm. 3. de diverſ. qui est de obedientia, patientia, & sapientia: *Insipida Deo & insulsa quodammodò nostra obedientia, seu etiam patientia est, nisi omnium quæ agimus, ipse sit causa* (finalis: sequitur enim) quia & quidquid facimus, jubemur facere *in gloriam Dei.* Sermone verò 2. de diverſ. (qui est de miseria humana) dixerat: *Totum est vanitas, totum stultitia, totum dementia, quidquid facis in hoc mundo, præter id solum, quod in Deum, & propter Deum, & ad honorem Dei facis.* Opusc. de charit. c. 2. *Charitas non tam virtus potens, quàm virtutum potentia dicenda est: eo quòd ab illa omnes aliæ virtutes accipiant, ut veræ virtutes sint.* Et c. 10. *Sine charitate nihil est virtus, & ipsa unicuique virtutum exhibet ut sit virtus.*

Aëlredus, Rhievallensis Abbas, D. Ber- 384
nardi discipulus, spec. charit. l. 1. c. 10. *Neque enim virtus dicenda est, quam radix ista charitatis non protulerit.* Cap. 31. *Ut aliæ virtutes, virtutes sint, charitas sit oportet in omnibus.... Nec fides virtus est, nisi per dilectionem operetur; nec spes, nisi quod speratur, ametur.* Cap. 33. *Quidquid de radice charitatis non pullulaverit, à virtutum fructibus sequestrandum nostri Philosophi censuerunt.*

Petrus Blesensis lib. de charit. Dei & pro- 385
ximi c. 11. cui titulus: *Quòd omnes virtutes ex charitate sint: Cùm* (inquit) *cæteræ virtutes vicem vehiculi, vel viatici gerant ad requiem sempiternam, omnes in charitate requiescunt. Illud denique admiratione dignum est, quòd sine charitate nihil est virtus, & ipsa unicuique virtuti exhibet ut sit virtus.... Nec fides virtus est, nisi per dilectionem operetur; nec spes virtus est, nisi quod speratur, ametur. Rursum si velis virtutum naturam æstimare subtiliùs: quid est temperantia, nisi amor quem nulla voluptas illicit? Quid est prudentia, nisi amor quem error non seducit? Quid est fortitudo, nisi amor qui nulli adversitati succumbit? Quid denique justitia, nisi amor qui, quod suum est, unicuique distribuit.*

D. Laurentius Justinianus in ligno vit. de 386
charit c. 3. *Sine charitate cæteræ non reputantur esse virtutes.*

D. Bonaventura in 3. dist. 23. a. 1. q. 1. 387
Hoc solum fit rectâ intentione, quod fit ad honorem & gloriam Dei. Sine verò rectâ intentione, nullus actus virtutis rectè incedit.

Sed quid de Aquinate? Prorsus & ipse 388
Augustino concinit suprà n. 362. & omnibus locis quibus cap. 9. asserit omnes deliberatos actus nostros in Deum ex charitate referendos.

Concinit & opusc. 16. aliàs 61. de human. Chr.

c. 3. ubi docet Deum *amandum ut finem; virtutem, ut ad finem*, probatque hanc Augustini sententiam : Virtutes si propter se appetantur, nec ad aliud referantur (ad Deum scilicet *ut ad finem*, prout antè dixit) *inflatæ sunt; & ideò non jam virtutes*, &c.

389 1. 2. q. 65. a. 4. circa quæstionem : *An fides & spes possint esse sine charitate* ? discurrit sic : *Fides & spes, sicut & virtutes morales, dupliciter considerari possunt. Uno modo secundùm inchoationem quamdam. Alio modo secundùm perfectum* (id est completum, ut sequentia manifestant) *esse virtutis.* Cùm enim virtus ordinetur ad bonum opus agendum, *virtus quidem perfecta* (id est completa, tam scilicet ex parte finis ultimi, quàm ex parte officii, & finis proximi) *dicitur ex hoc quod potest in opus perfectè* (seu completè) *bonum : quod quidem est, dum non solùm bonum est quod fit; sed etiam benè fit. Alioquin, si bonum sit, non autem benè fiat, non erit perfectè bonum* (manifestè ergo, per ly *perfectè bonum*, intelligit completè bonum. Manifestum est enim, quòd nisi bonum benè fiat, non est completè bonum, nec ei completa virtutis ratio competit).... *Sic igitur fides & spes sine charitate possunt quidem aliqualiter esse; perfecta autem virtutis* (id est, debitas omnes circumstantias habentis) *rationem sine charitate non habent. Cùm enim opus fidei sit credere Deo; credere autem sit alicui propriâ voluntate assentire; si non debito modo velit, non erit fidei opus perfectum* (quia non erit opus bonum benè factum); *quòd autem debito modo velit, hoc est per charitatem. Omnis enim rectus motus voluntatis, ex recto amore procedit, ut Augustinus dicit 14. Civit. 9.... Et ideò fides & spes possunt esse sine charitate; sed sine charitate, propriè loquendo, virtutes non sunt. Nam ad rationem virtutis pertinet, ut non solùm secundùm ipsam aliquid bonum operemur; sed etiam benè, ut dicitur in 2. Ethic. c. 6.*

390 2. 2. q. 23. a. 7. ad quæstionem : *An sine charitate possit esse aliqua vera virtus* ? in argumento *Sed contra* arguit ex Apostolo 1. Cor. 13. nullam virtutem prodesse sine charitate. *Sed virtus vera multùm prodest*, ut probat ex Sap. 8. *Ergo sine charitate vera virtus esse non potest.*

In corp. verò articuli, posteaquam dixit, quòd *virtus ordinatur ad bonum.* Illudque esse *duplex. Unum quidem ultimum & universale*, seu principale, quod est ultimus finis. *Aliud proximum & particulare.* Concludit sic : *Sic ergo patet, quòd vera virtus simpliciter est illa quæ ordinat ad principale bonum hominis, sicut etiam Philosophus in octavo Ethicorum dicit, quòd virtus est dispositio perfecti ad optimum. Et sic nulla vera virtus potest esse sine charitate. Sed si accipiatur virtus, secundùm quod est in ordine ad aliquem finem particularem, sive ad aliquod particulare bonum.... si illud bonum particulare sit verum bonum.... erit quidem vera virtus, sed imperfecta, nisi referatur ad finale & perfectum bonum. Et secundùm hoc simpliciter vera virtus sine charitate esse non potest*, sed secundùm quid dumtaxat, & cum defectu alicujus circumstantiæ debitæ, debitique agendi modi. Unde ad 1. *Sine charitate potest quidem esse aliquis actus bonus ex suo genere; non tamen perfectè*, seu omni ex parte, *bonus : quia deest debita* (nota benè) *ordinatio ad ultimum finem.* Et ad 2. *Cùm finis se habeat in agibilibus, sicut principium in speculabilibus, sicut non potest esse simpliciter vera scientia, si desit recta æstimatio de primo & indemonstrabili principio; ita non potest esse simpliciter vera justitia, vera castitas, si desit ordinatio debita ad finem, quæ est per charitatem.*

Et q. 44. a. 4. *Requiritur ad actum virtutis,* 391
non solùm quòd cadat super debitam materiam; sed etiam quòd vestiatur debitis circumstantiis.... Deus autem est diligendus sicut finis ultimus, ad quem omnia sunt referenda.

Fundatissima proinde est in Theologia San- 392
ctorum, doctrina Eminentiss. D. Cardinalis Bona princip. vit. christ. p. 1. §. 29. *Omnia opera ad Deum ejusque gloriam referenda esse, ut veræ virtutis rationem consequantur.* Et p. 2. §. 38. *Virtutem nihil aliud esse quàm ordinem amoris.... Viri sapientissimi definierunt. Sunt quidem & alii affectus; sed omnes ex amore, velut ex fonte procedunt; &, si est ordo in amore, omnes affectus ordinati sunt; si non est ordo in amore, in ipsis quoque nullus ordo.... Non enim est virtus in hac vita, nisi ordinatè diligere quod diligendum est. Id eligere, prudentia est. Nullis inde molestiis averti, fortitudo est. Nullis illecebris, temperantia est. Nullâ superbiâ, justitia est.... Tenet autem anima & servat ordinem amoris, si totis viribus diligat... Deum... Nemo seipsum, servato ordine, rectè amat, nisi Deum diligendo.... Nemo igitur se diligere debet propter se, sed propter Deum... Proximum verò.... sicut seipsum, totam sui & illius dilectionem in Deum referens.... Deus pro omnibus & super omnia diligendus.... reliqua verò* (etiam proinde virtutes) *in ipso & propter ipsum, ut amor noster ordinatus sit*, sine quo nulla est vera virtus.

CAPUT XXXV.

Manifestè ostenditur, charitatem, sine qua nullam virtutem, debitis omnibus circumstantiis ornatam, Augustinus agnoscit, ex mente ipsius, esse veri nominis charitatem, id est, Dei propter se amorem; non verò solam charitatem latissimè sumptam pro amore boni in communi, vel pro amore honestatis aut justitiæ, aut virtutis creatæ.

VAsquez, Ripalda, Arriaga, aliique No- 393
viores, uno verbo satisfacere se putant argumentis, quibus ex Augustino probavimus, sine charitate nullam esse virtutem, debitis omnibus circumstantiis ornatam, ipsum uti-

que exponendo de charitate quâdam impropriè dicta, latissimèque sumpta pro amore boni in communi, vel amore creatæ honestatis, justitiæ, vel cujuscumque virtutis. Quam expositionem putant fundatam in Augustino lib. 2. ad Bonifacium cap. 9. charitatem confundente cum boni cupiditate : *Quid est boni cupiditas, nisi charitas?* Qui & alibi charitatem confundit cum amore justitiæ.

394 Verum-enimverò perspicuis argumentis ostendi videtur, quòd illa ipsorum expositio, nihil sit nisi merus fucus, nihil nisi adulter sensus, nihil nisi elusio manifesta.

1°. Quia amor ille boni in communi non est amor Dei, sed finaliter hærens in creatura, ut ostensum est lib. 3. c. 5. per seque conspicuum est, per amorem boni intelligendo amorem creatæ honestatis & justitiæ. Et ut non sit amor finaliter hærens in creatura, ut fine qui, sed in bono præscindente à creato & increato; equidem est amor hærens finaliter in aliquo quod non est Deus. Ad virtutem autem, numeris omnibus absolutam, Augustinus usque adeò requirit amorem Dei, ut omnem finaliter hærentem in creatura, vel in aliquo quod non est Deus, improbet, cupiditatemque esse censeat, ut vidimus lib. 7. c....

395 2°. Ad virtutem numeris omnibus absolutam, Augustinus non requirit amorem boni utcumque, sed summi boni, ut constat ex dictis cap. 33. n. 360. 361. 363. 364. 365. 368. Amor verò boni in communi, non est amor summi boni; cùm bonum in communi, non sit summum, sed summo infimoque commune.

396 3°. Ad virtutem numeris omnibus absolutam, sicut & ad amorem ordinatum, opusque undequaque bonum, debitèque circumstantionatum, Augustinus requirit charitatem, per quam referatur in Deum, tamquam ultimum finem. Sed amor boni in communi, nec seipso refertur in Deum, tamquam finem ultimum, nec cujusque virtutis opus per ipsum taliter refertur in Deum, ut probabitur capite sequenti. Igitur amor boni in communi, non est charitas quam Augustinus requirit, &c.

397 4°. Hallucinatio laudatorum Recentiorum manifestè se prodit ipsomet objecto Augustini loco, in quo se fundant, scilicet 2. ad Bonifac. 9. ubi dicit : *Quid enim est boni cupiditas, nisi charitas?* Si enim locum istum in Augustino legissent, si scopum & contextum Augustini, animo à præjudiciis libero perpendissent, per charitatem ibi, numquam boni in communi, vel justitiæ in communi, neque etiam creatæ justitiæ cupiditatem intellexissent. Utpote ad quam gratia non requiritur, prout ex Augustini mente requiritur ad charitatem, de qua ibi loquitur; uti manifestum est ex contextu, scopoque Augustini, ibi disputantis contra Pelagianos, negantes absolutam gratiæ necessitatem ad benè volendum, & benè operandum, ad quorum confutationem postquam Augustinus dixisset : *Multa Deus facit in homine bona, quæ non facit homo; nulla verò facit homo, quæ non facit Deus* (per gratiam utique, de qua sola contra Pelagianos ibi disputat) *ut faciat homo*; mox id probat hunc in modum : *Quid enim est boni cupiditas, nisi charitas? de qua Joannes Apostolus sine ambiguitate loquitur, Charitas ex Deo est. Nec initium ejus ex nobis, & perfectio ejus ex Deo; sed, si charitas ex Deo, tota nobis ex Deo est.* Nam (inquit) *propter charitatem illam dicebat etiam Psaltes, Misericordia ejus præveniet me.* Item, *quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis.* Ex quo contextu manifestum est, universalem hanc propositionem : *Nullum bonum facit homo, quod, per gratiam suam, non facit Deus ut faciat homo* : ab Augustino probari hoc argumento : Nullum bonum facit homo, sine cupiditate boni. Sed omnis cupiditas boni est à Deo per gratiam. Quia omnis cupiditas boni est charitas. Omnis autem charitas, tam inchoata, quàm perfecta, est à Deo per gratiam, juxta illud : *Charitas ex Deo est* : maximè cùm de ea etiam procedat illud, *Misericordia ejus præveniet me.* Item, *quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis.*

Taliter propositum, intellectumque Augu- 398
stini contra Pelagianos argumentum, non solùm invictum est, sed & Pelagianos vincit. Intellectum verò de cupiditate boni in communi, vel de amore creatæ honestatis & justitiæ, ibi sistendo, non solùm Pelagianos non vincit, sed illud in Augustinum retorquendo, Augustinum propriis armis vincunt Pelagiani. Si enim ad benè velle & operari, Augustinus nullam aliam charitatem requirit, nisi illam amplissimè dictam, quæ nihil aliud sit quàm cupiditas boni in communi, vel amor creatæ honestatis & justitiæ : cùm amor iste & cupiditas (omnium confessione) sit homini naturalis (*non enim usque adeo in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea velut extrema lineamenta remanserint*, inquit Augustinus de spiritu & lit. c. 28.) nec sit à Deo ut Authore gratiæ, sed ut Authore naturæ; in Augustinum, Augustini argumentum sic retorquebunt Pelagiani : Ad benè velle & operari nullam aliam tu ipse charitatem requiris, nisi quæ sit cupiditas boni in communi, vel amor creatæ honestatis & justitiæ. Sed amor iste & cupiditas non superat naturæ vires, nec à Deo est ut Authore gratiæ, sed ut Authore naturæ : ergo benè velle & operari non superat naturæ vires, &c. nec proinde ad omne opus bonum necessaria est gratia, sicque vincitur à Pelagianis, non vincit Pelagianos Augustinus, prout Augustinus ipse fatetur lib. de grat. & lib. arb. c. 18. ubi (sicut & sexcentis aliis locis) eodem, quo suprà, argumento Pelagianos impetens : *Quidquid* (inquit) *se putaverit homo facere benè, si fiat sine charitate, nullo modo sit benè.* Sed charitas non est ab hominibus per naturam,

sed à Deo per gratiam : *unde* enim *est in hominibus charitas Dei & proximi, nisi ex ipso Deo?* fatetur à Pelagianis se victum, si hoc non est verum : *nam si non ex Deo, sed ex hominibus, vicerunt Pelagiani; si autem ex Deo, vicimus Pelagianos. Sedeat ergo inter nos Judex Apostolus Joannes, & dicat : Charitas ex Deo est.... non itaque ex nobis, sed ex Deo est.*

399 Et hinc 5°. sic argumentor : Charitas quam Augustinus requirit ad omnem voluntatem bonam, & ad omne opus bonum, debitis omnibus circumstantiis vestitum, haud dubiè est illa charitas, de qua loco proximè relato dicit : *Quidquid se putaverit homo facere benè, si fiat sine charitate, nullo modo fit benè.* Sed hæc est veri nominis charitas, seu amor Dei propter se; non verò sola illa cupiditas boni in communi, vel amor honestatis, justitiæve creatæ. Si enim hunc solùm amorem, cupiditatemque intelligeret, & non veri nominis charitatem, &c. illo Joannis Apostoli (de veri nominis charitate loquentis) testimonio, similibusve aliis, de Pelagianis victor non esset Augustinus (nec Ecclesia per Augustinum) sed (ipsomet fatente) à Pelagianis victus, ut proximè vidimus. At hoc est contra Ecclesiæ Catholicæ sensum, quæ in conflictu illo cum Pelagianis Augustino victoriam hactenùs detulit, testeque Prospero, Augustini ductu, Pelagianos ipsa, seu (ut Prosperi verbis utar) Catholica acies devicit.

400 6°. Charitas (de qua Augustinus proximè dixit : *Quidquid se putaverit homo facere benè, si fiat sine charitate, nullo modo fit benè*, quamque proinde requirit in omni opere bono) est charitas, quam capite 17. immediatè describit, cujusque encomia, præceptaque magnifica profert ibidem, ut perspicuum est omni textum legenti; cùm statim post encomia illa, præceptaque, cap. 17. commemorata, sic caput 17. incipiat : *Hæc omnia præcepta dilectionis*, id est, charitatis, *quæ talia ac tanta sunt, ut quidquid se putaverit homo facere benè, si fiat sine charitate, nullo modo fiat benè.* Sed magnifica illa præcepta, encomiaque sunt charitatis verè ac propriè dictæ, seu amoris Dei propter se; non verò illius impropriè dictæ, quæ nihil aliud sit quàm cupiditas boni in communi. Sunt enim illius charitatis, in cujus commendationem cap. illo 17. profert illud Rom. 8. *Quis nos separabit à charitate Christi.* Et illud 1. Cor. 12. *Adhuc supereminentiorem viam vobis demonstro : si linguis hominum*, & cætera quæ ibi sequuntur. Et illud Colosс. 3. *Super omnia autem hæc* (utique supra reliquas virtutes, ibi memoratas) *charitatem habete, quod est vinculum perfectionis.* Et illud 1. Timoth. 1. *Finis præcepti est charitas de corde puro.* De qua & Augustinus ibidem subjungit, primum maximumque mandatum, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Et secundum simile huic, *Diliges proximum tuum*, &c. At omnia ista præcepta & encomia sunt veri nominis charitatis, amoris utique Dei propter se, & proximi propter Deum, nec id ullâ potest tergiversatione negari. Ergo.

7°. Charitatem illam ad omne opus, benè factum, requirit Augustinus, quæ est gratia novi Testamenti. Sed charitas, quæ est gratia novi Testamenti, est amor Dei propter se, sive amor Dei filialis; non amor boni in communi, vel creatæ honestatis dumtaxat. Ergo. Major patet ex ipsomet Augustino q. 15. super Deuteron. dicente : *Cùm verè fit opus legis, charitate fit, non timore; quæ charitas gratia est novi Testamenti.* Probatur minor, quia charitas, quæ est gratia novi Testamenti, illa est, de qua Christus ait : *Ignem veni mittere in terram.* De qua quoque ipse Augustinus frequenter ait, quòd distinctionem faciat novi Testamenti à vetere. Quam certo certius est non esse solum amorem boni in communi, &c. sed amorem filialem, seu Dei propter se, quo filii clamant, *Abba Pater*, prout Augustinus ex Apostolo dicit l. de spir. & lit. c. 32. ubi propterea à c. 17. frequenter repetit, charitatem, quæ gratia est novi Testamenti, illam esse inscriptionem legis, in cordibus nostris, quam Hieremias c. 31. prophetavit, tamquam propriam novi Testamenti, & gratiæ Christi, dicens : *Dabo legem meam in visceribus eorum*, &c. Quod quidem (interprete Augustino) fit per *charitatem, quæ diffunditur in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui datus est nobis*; charitatem utique quæ *plenitudo legis est*, ut ibidem subjungit. Hæc autem nullus sanæ mentis distorquere potest ad charitatem, quæ non sit veri nominis charitas, sed sola boni in communi cupiditas. 401

8°. Charitas, quam Augustinus requirit in omni bona voluntate, in omni virtute, in omni opere benè facto, &c. est amor Dei propter se. Igitur est veri nominis charitas; non illa impropria dumtaxat. Consequentia evidens est; impropria quippe illa charitas, seu amor boni in communi præcisè, non est amor Dei propter se. Antecedens perspicuè tradit Augustinus omnibus locis, quibus Dei propter se amorem requirit ad quodcumque præcepti vel consilii opus, rectè factum, ut Enchiridii c. 121. *Præcepti finis est charitas, id est, ad charitatem refertur omne præceptum.... Quæcumque ergo mandat Deus, ex quibus unum est, Non mœchaberis; & quæcumque non jubentur, sed spirituali consilio monentur, ex quibus unum est, Bonum est homini mulierem non tangere : tunc rectè fiunt, cùm referuntur ad diligendum Deum, & proximum propter Deum.* L. 5. contra Julian. c. 3. *Hoc totum rectè fit, quando fit propter ipsum, id est, quando gratis amatur ipse.* Id est, *quia ipse est bonus*, in fine Psal. 79. Id est, *non nisi propter Deum*, serm. 11. in Psal. 118. Et quid est rectè facere, nisi facere recto corde? *tunc* autem *rectum cor coram Deo est, quando propter Deum quærit Deum,* 402

in Psal. 77. Idem antecedens verbis perspicuis tradit Augustinus l. 1. de morib. Eccles. c. 15. ubi dicit, *nihil aliud esse virtutem, nisi summum amorem Dei*, qualis non est solus amor boni in communi, nec alius amor nisi Dei propter se. Ad quod sine ambiguitate significandum, ab illa definitione virtutis in genere descendens ad definitionem singularum virtutum Cardinalium in specie, fortitudinem v. g. definit *amorem omnia propter Deum facilè perferentem.* Nec minùs perspicuè idem antecedens tradit ibidem c. 25. cùm ait, quòd *nihil aliud est bene vivere, quàm toto corde, totâ animâ, totâ mente Deum diligere.* Quod procul dubio est Deum propter se diligere, uti expressè declarat l. 1. de doctr. christ. c. 22. Deinde quisquis Augustinum in Augustino legerit, videbit illam ipsam, non aliam charitatem ab ipso requiri ad omne opus bonum, ad omnemque bonam voluntatem, quam præcipi dicit per omnem sacram Scripturam (cùm omnis bonæ voluntatis, operisque rectè facti regula haud dubiè contineatur in Scriptura sacra.) At hæc, secundùm Augustinum, est veri nominis charitas, seu amor Dei propter se. Cùm enim lib. 3. de doct. christ. c. 10. dixisset, quòd *non præcipit Scriptura nisi charitatem, nec culpat nisi cupiditatem*, charitatem illam mox definit: *Charitatem voco, motum animi ad fruendum Deo propter ipsum, & se ac proximo propter Deum.*

403 9°. Denique glossa illa Recentiorum eo ipso rejicienda est, quo distorta, sine manifestoque ad id Augustini textu, distorquens innumera Augustini, imò & Scripturarum (ab Augustino productarum) de charitate testimonia, à sensu proprio ad figuratum, & improprium: cùm sola boni in communi cupiditas non sit propriè dicta charitas, sed impropriè & figuratè dumtaxat. Id autem est contra legitimam S. Scripturæ & SS. Patrum interpretandorum regulam Prolegom. 3. c. 14. stabilitam: si enim sic interpretari liceret, nihil fixum esset in Scripturis, nihil in Patribus, dum eorum testimonia, nullam figuram sonantia, à sensu proprio ad improprium, pro cerebro suo facilè quisque distorqueret. Quod quidem Augustinus l. 3. de doct. christ. c. 15. maximè prohibet, ubi de charitate agitur. Ibi namque vel ipsas figuratas locutiones tamdiù considerari jubet, donec ad significandam veri nominis charitatem interpretatio deducatur, prohibetque figuratam haberi locutionem, dum propriè sonat charitatem: *Servabitur in locutionibus figuratis hæc regula, ut tamdiù versetur diligenti consideratione quod legitur, donec ad regnum charitatis interpretatio perducatur. Si autem hoc jam propriè sonat, nulla putetur figurata locutio.* Et l. 1. c. 35. & 36. *Omnium.... summa est ut intelligatur legis, & omnium divinarum Scripturarum plenitudo & finis esse dilectio rei, quâ fruendum est, & rei qua nobiscum eâ frui potest, quia, ut se quisque diligat, præcepto opus non est.... Quisquis igitur divinas Scripturas, vel quamlibet earum partem, intellexisse sibi videtur, ita ut eo intellectu non ædificet genuinam istam charitatem Dei & proximi, nondum intellexit. Quisquis verò talem inde sententiam duxerit, ut hanc ædificandæ charitati sit utilis, nec tamen hoc dixerit, quod ille quem legit eo loco senserit probabitur, non perniciosè fallitur.... ita fallitur, ac si quisquam errore deserens viam, eò tamen per agrum pergat, quò etiam via illa perducit.*

CAPUT XXXVI.

Solvuntur objectiones Recentiorum, illaque imprimis objectio validè retunditur, quâ prætendunt, omne virtutis officium seipso referri in Deum.

OBjicies 1°. Augustinus non alia de causa in omni virtute numeris omnibus absoluta requirit charitatem, nisi ut per ipsam virtus referatur in Deum, tamquam finem ultimum. Sed ad hoc necessaria non est charitas veri nominis: cùm ad hoc sufficiat amor cujuscumque virtutis. Omnis quippe virtus, seu potius officium virtutis, ex se, sive ex natura sua refertur in Deum: cùm sit secundùm Dei voluntatem. 404

Respondeo negando minorem: quia, licèt cujuslibet virtutis officium ex se, sive ex natura sua, referibile sit in Deum tamquam finem ultimum; de facto tamen ad Deum tamquam finem ultimum, ex se, sive ex natura sua non refertur.

1°. Quia non est cur omne moraliter ex officio bonum, licèt sit secundùm Dei voluntatem, ex se magis referatur in Deum, quàm omne physicè bonum, v. g. cibi necessarii sumptio, quæ licèt sit secundùm Dei voluntatem, ex se tamen in Deum non refertur, sed necesse est ut ab operante referatur: non eò ipso proinde quo fit bonum à Deo volitum, bonum istud de facto refertur in Deum, ut finem ultimum. Cùm Deus non velit fieri bonum quomodocumque, sed velit illud benè fieri, utique propter Deum ipsum, tamquam finem; quod pertinet ad charitatem: nec omnis qui materialiter facit bonum à Deo volitum, faciat illud modo à Deo volito, nec quatenùs est à Deo volitum, sive propter Dei voluntatem; quod etiam pertinet ad charitatem.

2°. Quia referre opus virtutis in Deum, tamquam finem ultimum, est facere illud propter Deum, tamquam finem ultimum. Sed facere aliquid propter Deum, est officium charitatis veri nominis, non cujuslibet virtutis. Ergo. Major est certa: cùm opus virtutis referre in Deum, tamquam finem ultimum, sit illud sic facere, ut Deus sit finis ultimus illius: finis verò alicujus, est, cujus gratiâ, sive propter quod fit aliquid. Et revera opus quodcumque virtutis sic referri debet in Deum, secundùm Augustinum, ut fiat propter Deum, 405

ut patet tum ex dictis capite 35. tum ex omnibus testimoniis suprà relatis, quibus docet, omnes actus nostros referendos esse in Deum propter se dilectum; tum denique ex omnibus testimoniis pariter relatis quibus docet nihil, quod Deus non sit, ordinatè amari, nisi finaliter propter Deum: cùm omne quod fit, ex amore aliquo fiat, nihil ordinatè fit, nisi finaliter propter Deum. Quòd autem facere aliquid propter Deum, officium sit charitatis veri nominis, tradit Augustinus in lib. de moribus Ecclesiæ c. 9. dicens: *Scriptum est quia propter te afficimur totâ die.... Charitas verò ipsa non potuit significari expressius, quàm quòd dictum est, propter te*, ubi Augustinum loqui de charitate veri nominis manifestum est ex contextu. Loquitur enim de charitate, significata per primum, maximumque mandatum, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, &c. & per illud Apostoli, *Diligentibus Deum omnia procedunt in bonum.* Et istud, *Quis nos separabit à charitate Christi*, &c. Quæ sacra testimonia ibidem profert Augustinus.

406 3°. Juxta Augustinum 4. contra Julian. 3. distinguendum est inter officium finemque virtutis: *Noveris itaque non officius, sed finibus à vitiis discernendas esse virtutes. Officium autem est quod faciendum est; finis verò, propter quod faciendum est.* Non esset verò distinguendum, si officium, seu propria honestas cujuslibet virtutis, vel esset ipse finis debitus cujuslibet virtutis, vel ipsa relatio cujuslibet virtutis in debitum finem.

407 4°. Si quantumlibet virtutum officia seipsis referrentur in Deum, officium virtutis sufficeret ad virtutem numeris omnibus absolutam, sicut & ad distinctionem virtutis à vitio. Eo ipso namque virtutes à vitiis discernerentur finibus, quo officiis. Eo ipso etiam quo aliquid foret bonum ex officio, sine alia relatione, foret bonum ex fine ultimo. Ex quo tandem fieret, quòd eo ipso quo officia bona fierent, ex parte finis benè fierent (cùm bona ex parte finis benè fiant, hoc ipso quo propter debitum finem fiunt, sive hoc ipso quo referuntur in Deum, tamquam finem ultimum.) Atqui omnia hæc apertè falsa sunt, Augustinianæque doctrinæ diametraliter adversa; imò & experientiæ, quâ constat frequenter contingere, quòd opera ex officio bona non solùm non referantur in Deum, finem ultimum; verùm etiam referantur in finem vanum, v. g. vanam complacentiam, vanam gloriam, &c.

408 5°. S. Augustinus, S. Thomas, & alii sexcentis locis admittunt officia virtutum, sine debita relatione in Deum, finem ultimum. S. Thomas utique 2. 2. q. 23. a. 7. ubi sic: *Liberatio patriæ, in actu fortitudinis, vel quid simile, erit quidem vera virtus* (non simpliciter, sed secundùm quid, quoad officium scilicet, non quoad finem ultimum virtutis, ut constat ex verbis sequentibus) *sed imperfecta sine charitate: quia deficit ordinatio in verum ultimum finem, & hac ratione non est vera virtus simpliciter sine charitate.* Idem admittit in redditione debiti l. 3. in cap. 3. ad Galat. *Si reddas tibi vel proximo quod debes, & hoc non facis propter Deum* (non igitur eo ipso fit propter Deum, quo fit istius virtutis officium) *magis es perversus quàm justus.* Idem in officio continentiæ conjugalis, quo conjuges miscentur non amore voluptatis, sed amore prolis, supplem. q. 49. a. 5. ad 1. ubi subscribit Augustino proximè referendo. Vide infrà n. 412.

S. Augustinus verò eadem officia sine debita in Deum relatione admittit in locis pro- 409
ferendis in responsione ad 4. objectionem, dum ibi contendit, ad veram continentiam non sufficere officium continentiæ, quo *conjux conjugis carne utitur, non in voluptate libidinis, sed in voluntate propaginis*; sed ulteriùs requiri piam in Deum relationem, quâ filii secundùm carnem gignendi sic intendantur, *ut regenerationi generatio præparetur*, sive *in Dei filios renascantur*, atque adeò ex Dei amore intendantur, uti requirit S. Thomas loco noviſſimè relato. Deinde eadem officia sine debita in Deum relatione, manifestè admittit 19. Civit. 25. dum ibi admittit *virtutes* quæ *ad seipsas referuntur, nec propter aliud expetuntur.* Ibidem etiam manifestè supponit earum officia non semper ad Deum referri, cùm ait: *Virtutes.... per quas humana mens imperat corpori & vitiis.... nisi ad Deum retulerit... vitia sunt*, &c. Tametsi non aliam ob causam eas ibi culpet, nisi quia *ad seipsas referuntur, nec propter aliud expetuntur.* Vide suprà n. 365. Idem manifestè supponit in verbis n. 370. relatis, dum secernit virtutes quæ fiunt *propter istam vitam honestissimè agendam*, ab iis quæ fiunt *propter adipiscendam sempiternam felicitatem*, sive propter Deum ultimum finem, aitque quòd cælestis authoritas persuadet eas fieri debere *non tantùm propter* priorem finem, *verùm etiam propter* posteriorem. Necnon in verbis ibidem relatis ex epist. 52. dum ait, quòd prudentia, fortitudo, temperantia, justitia, si solùm referantur ad hoc, *ut hi quibus vis ut benè sit, salvi sint corpore, & ab omni cujusquam improbitate tuti, atque pacati.... non erunt virtutes.... si autem virtutes illas à quo acceperis sentiens.... ad ipsius cultum conferas.... veræ illæ virtutes erunt.* Idem denique manifestè supponit l. 4. contra Julian. c. 3. (ut alia sexcenta loca præteream) dum ait: *Cùm itaque facit homo aliquid, ubi peccare non videtur* (id est, dum facit opus ex officio bonum, ut manifestum est ex contextu) *si non propter hoc facit, propter quod facere debet* (ergo supponit id contingere) utique propter Deum, finem ultimum, (prout etiam contextus manifestat) *peccare convincitur.* Dum etiam ibidem expressè docet, opera ex officio bona peccaminosa esse, in quantum ad Deum non relata, dum fiunt absque ullâ omninò fide (quod haud dubiè falsum esset, si opera ex hoc ipso quo sunt

ex

ex officio bona, seipsis in Deum referuntur.) Hanc quippe Juliani objectionem: *Si Gentilis nudum operuerit, numquid quia non est ex fide, peccatum est?* sic solvit: *Prorsus in quantum non est ex fide, peccatum est. Non quia per seipsum factum, quod est nudum operire, peccatum est* (cùm sit ex officio bonum) *sed de tali opere non in Domino gloriari* (id est, in gloriam Dei illud non referre, ad quam relationem in Præfatione in Psal. 31. & alibi requirit fidem saltem inchoatam) *solus impius negat esse peccatum. Quod ut intelligas, quamvis jam satis inde fuerit disputatum; tamen quia magna res est, adhuc paulisper auscultа. Ecce eadem commemoro, quæ ipse posuisti: Si Gentilis qui non vivit ex fide, nudum operuerit, periclitantem liberaverit, ægri vulnera foverit, divitias honestæ amicitiæ impenderit, ad testimonium falsum nec tormentis potuerit impelli. Quæro abs te, utrùm hæc bona opera benè facit? dicturus es, & bona facit, & benè.* Sed ei contradicit, fortiterque resistit Augustinus, loquendo de operibus illis ad malum finem relatis (utpote quæ Julianus numquam dixit benè fieri) igitur & resistit & contradicit, loquendo de operibus illis, etiam præcisè quatenùs in Deum non relatis. Non igitur censuit ea hoc ipso referri in Deum, tamquam finem ultimum, quo sunt opera, seu officia virtutum, etiam absque relatione in finem malum. Imò oppositum manifestè supposuit, dum toto illo capite hanc contra Julianum rationem toties ingeminavit, opera illa hoc ipso malè fieri, *quo non fiunt intentione fidei bonæ, hoc est ejus quæ per dilectionem operatur.* Hoc ipso quòd *ad suum non referuntur Authorem dona Dei*, &c. Hoc ipso quo fiunt *sine amore Creatoris*, &c. Vide hoc argumentum fusiùs deductum infrà, cap....

410 6°. Denique ad voluntatem undequaque bonam, opusque virtutis numeris omnibus absolutum, sive debitis omnibus circumstantiis ornatum, Augustinus tam constanter asserit liberum non sufficere arbitrium, sed necessarium esse gratiæ auxilium, ut in eo ponat summam suæ contra Pelagianos victoriæ, fassus alioqui se à Pelagianis victum, ut videbimus libro sequenti. Sed si censuisset omne cujuscumque virtutis officium seipso referri in Deum, ad opus virtutis numeris omnibus absolutum, tam constanter non asseruisset, necessarium esse gratiæ auxilium; cùm officia moralium virtutum multa, sine gratiæ auxilio, multi, etiam Ethnici, faciant, ut fatetur l. de spir. & lit. c. 28. dicens: *Non enim usque adeò in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea velut extrema lineamenta remanserint, ut meritò dici possit, etiam in ipsa impietate vitæ suæ facere aliqua legis, vel sapere.*

CAPUT XXXVII.

Solvuntur reliquæ objectiones.

411 OBjicies 2°. Dum Augustinus dicit opus virtutis tunc benè fieri, dum fit ex charitate, facere ex charitate, secundùm ipsum, idem est, quod facere ex dilectione legis. Sed facere ex dilectione legis, nihil aliud est quàm facere ex dilectione virtutis. Ergo. Respondeo distinguendo majorem: facere ex charitate, secundùm ipsum, idem est quod facere ex dilectione legis humanæ, quæ Deus non est, sic nego: idem est quod facere ex dilectione legis divinæ, quæ Deus est, sic concedo majorem. Sed hoc sensu nego minorem. Unde nec ille, Augustini sensu, ex charitate agit, qui agit ex amore conformitatis cum ratione humana præcisè, nisi amet conformitatem cum ratione, vel lege humana, formaliter ut hæc signum est rationis, legis, voluntatisque divinæ.

Objicies 3°. Augustinus l. 4. contra Julia- 412
num c. 3. cùm dixisset: *Sine amore Creatoris nullus benè utitur creaturis*, hunc Creatoris amorem, in pudicitia conjugali v. g. mox explicat per intentionem, quâ conjuges miscentur non voluptate libidinis, sed voluntate propaginis: id ergo non intelligit de veri nominis charitate. Consequentia patet, probatur antecedens ex verbis ipsius; ait enim: *Hoc ergo amore opus est, ut bonum beatificum sit & pudicitia conjugalis, ut sit ejus intentio, quando utitur conjugis carne, non in voluptate libidinis, sed in voluntate propaginis.*

Respondeo negando consequentiam; amorem quippe Creatoris, quo opus esse dicit ad pudicitiam conjugalem, esse Dei propter se amorem, constat ex principio istius capitis, ubi sic: *Ego dixi, pudicum non veraciter dici, qui non propter Deum verum, fidem connubii servat uxori.* Constat item ex reliquo processu ejusdem capitis, libro sequenti exhibendo. Deinde loco objecto dicit quidem, opus esse amore Creatoris, ut intentio conjugum non sit in voluptate libidinis, sed in voluntate propaginis; sed non dicit amorem illum Creatoris præcisè consistere in voluntate propaginis; imò oppositum patenter insinuat, partim dum ait opus esse amore Creatoris, qui *non est nisi à Deo* per gratiam, quâ opus non est ad exercendam copulam conjugalem merè ad habendam propaginem. Partim dum ibidem cap. 1. l. 1. de nuptiis & concupisc. c. 4. contentus non est intentione propaginis utcumque, sive intentione generandæ prolis; sed requirit intentionem generandi illam Deo, sive *ut regenerationi generatio præparetur*, sive *ut qui ex eis sæculi filii nascuntur, in Dei filios renascantur, ut ex membris primi hominis, in membra transferantur Christi*, &c. prout n. 361. vidimus.

Objicies 4°. Si ad virtutem numeris om- 413
nibus absolutam requireretur charitas veri nominis, sequeretur veram esse propositionem à Pio V. Gregorio XIII. & Urbano VIII. damnatam. *Non est vera obedientia quæ fit sine charitate.*

Respondeo negando sequelam: quia ex dictis Prolegom. 6. cap. 9. certissimum est pro-

positionem illam non esse damnatam in sensu Augustini, aliorumque probatorum Ecclesiæ Patrum, quem suprà exposuimus; sed in alio sensu, in Ecclesia peregrino, à damnatarum illarum propositionum Assertoribus intento: intellectam utique de charitate famosè dicta, quæ est per Spiritum sanctum inhabitantem, vel intellectam de obedientia vera, quoad substantiam; quasi verò sine veri nominis charitate, nulla foret obedientia vera quoad substantiam rei præceptæ. Quorum utrumque falsissimum est, meritòque damnatum. Vide dicta loco citato.

414 Objicies 5°. Saltem sequeretur veram esse propositionem sequentem, ab Alexandro VIII. damnatam: *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides, & etiamsi videantur credere, non est fides divina, sed humana.*

Respondeo negando sequelam: quia propositio ista damnata est, vel quatenùs asserit, non dari fidem informem (quod est contra Apostolum 1. Cor. 13. & contra Tridentinum sess. 6. can. 28.) vel quatenùs, ultra pium affectum erga primam Veritatem, ad fidem christianam requirit amorem aliquem distinctum, per quem referatur in Deum; cùm tamen singulæ virtutes Theologicæ seipsis in Deum satis referantur. Non autem damnata est quatenùs pium illum erga primam Veritatem affectum requirit; utpote quem omnes Theologi requirunt.

415 Objicies 6°. Sequeretur nullam esse veram virtutem, nisi charitatem.

Respondeo negando sequelam: tum quia aliud est, quòd nulla sit vera virtus sine charitate; aliud, quòd nulla sit vera virtus, nisi charitas; quemadmodùm aliud est, quòd nulla fides sit formata sine charitate; aliud, quòd nulla sit fides formata, nisi charitas. Tum quia adhuc subsistit discrimen virtutum inter se penes propria officia, particularesque fines proximos. Quod quia per se satis notum est de virtutibus moralibus, solùm opus id breviter ostendere de theologicis.

Adhuc ergo discrimen est inter fidem, spem, & charitatem, quòd utique fides essentialiter respiciat Deum, ut obscurè propositum; spes, ut objectum absens; à quibus imperfectionibus aliena est major horum charitas; quæ propterea *non evacuatur* (uti fides & spes) imò perficitur, dum objectum est præsens, clarèque & intuitivè propositum. Discrimen hoc tradit Augustinus in Psal. 91. hisce verbis: *Charitas, quæ tertia nobis adjungitur ad fidem & spem, major est supra fidem & spem: quia fides rerum est quæ non videntur; erit autem species, cùm visæ fuerint. Et spes rei est quæ non tenetur, quæ, adveniente ipsâ re, non erit jam spes: quia tenebimus, non sperabimus. Charitas autem non novit nisi crescere magis magisque. Si enim amamus quem non videmus, quomodò amaturi sumus, cùm viderimus.* 416

Alterum discrimen fidei & spei à charitate, est quòd nec fides, nec spes sit formaliter amor, uti est charitas. Fides namque est virtus quâ firmiter assentimur revelatis, quatenùs à Deo revelata sunt. Spes est virtus, quâ certa cum fiducia expectamus Deum, ut à nobis possidendum, per media quidem ardua, possibilia tamen per auxiliatricem Dei omnipotentiam, gratiamque Redemptoris, quibus innixa mens, erigit se ad possessionem illam expectandam. 417

Tertium discrimen addunt nonnulli, quòd utique fides respiciat Deum in ratione primæ Veritatis; spes, in ratione futuræ nostræ felicitatis; charitas, in ratione summæ in se bonitatis. Unde dicunt quòd fides est amor, vel oritur ex amore glorificante Deum in ratione primæ Veritatis: Spes, amor glorificans Deum in ratione summæ nostræ felicitatis: Charitas, amor glorificans Deum in ratione summæ in se bonitatis; imò in ratione omnis bonitatis: ita ut fides præferat Deum omni alteri veritati; spes, omni alteri felicitati; charitas, omni alteri bonitati. Sed hæc limâ indigent, ideòque discutientur to. seq. ubi de spe. 418

LIBER NONUS.

AMOR GRATIOSUS,

Sive

De gratia ad amorem ordinatum necessaria.

SI *inspiratio dilectionis, ut cognita sancto amore faciamus, propriè gratia est*, uti Augustinus dicit l. 4. ad Bonifacium c. 5. gratiâ nihil amabilius, quia nihil jucundius. Quid enim debet esse jucundius vel infirmis gratiâ, quâ sanantur? vel pigris gratiâ, quâ excitantur? vel nolentibus gratiâ, quâ juvantur, ut volentes & amantes fiant? ait idem Augustinus epist. 105. Quid non amabile gratia præstat? malis præstat ut boni sint; bonis, ut meliores sint; melioribus, ut perfecti sint; perfectis, ut perseverantes sint; perseverantibus, ut salvi sint & beati. O beatissima gratia (ait Thomas à Kempis l. 3. de Imit. Christ. c. 55.) quæ pauperem spiritu, virtutibus divitem facis, humilem corde reddis, veni, descende ad me, reple me manè misericordiâ tuâ,

tuâ, ne deficiat præ lassitudine & ariditate mentis anima mea. Cunctis hostibus potentior es, & sapientior universis sapientibus. Magistra es veritatis, doctrix disciplinæ, lumen cordis, solamen pressuræ, fugatrix tristitiæ, ablatrix timoris, nutrix devotionis, &c.

Cùm igitur omnia nobis bona veniant cum illa, illam solam quæramus, illam assiduis gemitibus ab amantissimo Salvatore postulemus, per quem fit ut gratiam impetremus. Fiduciam habeamus in merito sanguinis & passionis ipsius. Filius Dei pro nobis mortuus est (inquit Aug.) securus esto, accepturum te vitam ipsius, qui pignus habes mortem ipsius. Quam vitam tibi servat justificato, qui suam mortem donavit & impio? Quàm certâ, & quàm firmâ promissione servat justis vitam suam, qui donavit injustis mortem suam? Impium te quæsivit, ut redimeret; redemptum deseret, ut perdat? Mala vestra pertuli; bona mea non reddam? Fons vitæ mortuus est propter nos; negabit vitam suam, qui pro nobis erogavit mortem suam?

CAPUT I.

Gratiæ notio, seu descriptio, notitiæque ipsius utilitas ac necessitas in moralibus.

1 SApienter Estius in 2. dist. 26. §. 1. observat, gratiam intelligi posse vel ex parte Dei, vel ex parte nostra, id est, vel prout in Deo est, vel prout in nobis. Prout in Deo, est gratuita Dei misericordia, liberalitas & voluntas, per quam donum aliquod creaturæ rationali gratis confertur, vel Deus in ea operatur ad salutem. Loquitur ad hunc modum de gratia Augustinus (prosequitur Estius) epist. 106. ad Paulinum, & alibi, cùm dicit gratiam præcedere voluntatem hominis. Quia nimirùm prior est Dei voluntas, quâ homini benè vult, quàm voluntas hominis accipiens Dei beneficium, juxta illud, *Misericordia Dei præveniet me.* Consimili sensu dicit l. de grat. & lib. arb. c. 6. gratiam se interdùm subtrahere: quia videlicet Deus suam gratuitam operationem subtrahit. Est autem hæc acceptio gratiæ frequens etiam apud Scholasticos, ut quoties dicunt, gratiam Dei hæc aut illa bona in nobis operari. De ea S. Thomas de verit. q. 24. a. 14. dicit: *Quamvis communiter loquentes utuntur nomine gratiæ pro dono habituali justificante; generalius tamen gratiam intelligi posse misericordiam Dei, per quam interius motum mentis operatur, & exteriora ordinat ad hominis salutem; & sic nullum bonum facere posse hominem sine gratia Dei.*

2 Gratia prout in nobis, est donum, seu beneficium, nobis per misericordiam Dei gratis collatum ad salutem, sive donum istud sit interius, v. g. gratia sanctificans, habitus virtutum, pia cogitatio, pius affectus; sive sit exterius, cujusmodi est prædicatio verbi divini, miracula, exempla, Sacramenta; sive etiam donum illud sit entitativè supernaturale, sive non. Ad veram quippe Christi gratiam attendenda non est entitas doni, secundùm se præcisè considerata, sed secundùm quod subsistat gratuitæ misericordiæ Dei, per Christi merita ordinanti illud ad salutem. Cùm ordo iste supernaturalis sit. Unde varia dona, secundùm se præcisè naturalia, quatenùs à divina misericordia gratis ad salutem ordinata, veræ gratiæ sunt, ipsi etiam morbi, adversitates, correptiones, occasionum peccandi subtractiones, &c. juxta Augustinum, sanctum Thomam, aliosque sanctos Doctores.

Porrò de gratia, hoc in opere, agere non intendimus, quoad profundiores & scitu non necessarias quæstiones (de quibus agere vetant Pontificiæ Constitutiones) imò de gratia prorsus non egissemus, nisi à vera de gratia doctrina, christianæ vitæ directionem, solidamque variarum magni momenti quæstionum moralium resolutionem pendere animadvertissemus; nisi etiam necessitas propriæ, aliorumque virorum integerrimorum defensionis adversus quorumdam calumnias, ad id coëgisset. Ipsi namque æquissima summorum Pontificum Decreta id vetantia non veriti, Theologos gratiæ per se efficacis ad singulos pietatis actus necessitatem propugnantes, si molliora quædam Sodalium suorum opinamenta quàmlibet modestè refellant, tum voce, tum scripto, tum publicis thesibus, libellisque, velut Calvinistas & Jansenistas, traducere non cessant, non sine fidelium scandalo, injuriâque Augustinianæ Thomisticæque doctrinæ. Testes hujus facti sunt Theses anno 1698. à PP. Jesuitis Coloniæ defensæ, in quibus n. 29. *præclarum gratiæ in seipsa efficacis Ducem Calvinum asserebant*, aliaque ejusmodi, quibus adeò commota fuit Facultas Theologica Colonienſis, ut ad instantiam ipsius Illustrissimus D. Nuntius Colonienſis, ipso die quo Theses defendebantur, sub pœna excommunicationis Præsidem è Cathedra descendere, atque à defensione desistere præceperit. Testis quoque libellus inscriptus, *Problema Ecclesiasticum*, quo vel ipse Eminentiss. D. Cardinalis Noaillius, Archiepiscopus Parisiensis, ob assertam gratiæ per seipsam efficacis ad singulos actus necessitatem, palàm traductus fuit velut Jansenistarum caput. Plura hac de re vide infrà cap. 26. Istius tamen necessitatis notitia fundamentum est christianæ humilitatis; atque inde probatur necessitas continuæ orationis; Christiani insuper docentur in solo Deo salutis suæ spem collocare; sicut & peccatores non desperare post lapsum, quantalibet consuetudine firmatum: cùm ipsis equidem impossibilis non sit emendatio, sed possibilis per gratiam ex Dei misericordia per Christum obtinendam, si eam petant quomodò & quantùm res tanta petenda est. Denique quantùm

vera de gratia Christi doctrina moribus prosit, ex dicendis c. 22. ac seqq. apparebit.

CAPUT II.

Gratiæ divisio.

3 GRatia dividitur 1°. in gratis datam, & gratum facientem. 2°. in interiorem & exteriorem. 3°. in gratiam Conditoris & gratiam Redemptoris. 4°. in habitualem & actualem.

4 Gratia gratis data, est illa quæ primariò & per se non datur ad salutem recipientis, sed ad salutem aliorum, ut gratia sanitatum, donum linguarum, miraculorum, &c. Hujusmodi gratiæ impiis subinde conceduntur, ut Caïphæ spiritus prophetiæ, gratia miraculorum Judæ proditori.

5 Gratia gratum faciens à S. Thoma 1. 2. q. 11. a. 1. confunditur cum habituali, de qua n. 9..

6 Gratia interior, est misericordia Dei, per quam interiùs hominem juvat, in iis quæ ad pietatem pertinent, sive per habitus infusos, sive per auxilia actualia.

7 Gratia exterior, est eadem misericordia, per quam exteriùs hominem juvat, sive ad efficiendos pietatis actus, sive ad cavenda peccata, per externam utique protectionem, per exempla, exhortationes, occasionum subtractiones, &c.

8 Gratia Conditoris, illa est, quam in conditione sua sancti Angeli & primus homo à Deo, non per Christum, acceperunt. Gratia Salvatoris est, quæ nobis per Christi Redemptoris merita confertur.

Gratia habitualis est qualitas, seu habitus supernaturalis infusus, per quem homo formaliter sanctificatur, deque impio justus, Dei amicus, divinæque naturæ consors, seu filius adoptivus constituitur. Cum charitate habituali probabiliter identificatur; qua in re tametsi Thomistæ non conveniant; ab ea tamen inseparabilem esse Theologi omnes conveniunt.

Gratia actualis interior, dupliciter considerari potest, prout in Deo, & prout in nobis. Prout in Deo, est misericordia Dei, quatenùs gratis in nobis pium mentis motum interiùs operatur. Ita S. Thomas q. 24. de verit. a. 14. Prout in nobis, est motus interior, quo anima movetur à Deo ad aliquid pium & salutare cognoscendum, vel volendum, vel agendum, ait idem S. Doctor 1. 2. q. 110. a. 2. in corp. Unde *non est qualitas* (inquit) *sed motus quidam animæ. Actus enim moventis in moto est motus*, ut dicitur in 3. Physic. Si non est qualitas, sed motus: ergo non est vis seu virtus agendi, nec principium actûs secundi (hoc enim soli gratiæ habituali S. Doctor concedit ibidem) non est ergo virtus potentiæ superaddita, seu vis activa complens & perficiens potentiam in actu primo, ut exire possit in actum secundum, prout aliqui volunt. Si enim talis esset, profectò qualitas esset motiva, non motus ipse; utpote per quem potentia non constituitur motiva in actu primo, sed mota vel movens se in actu secundo.

Enimverò gratia actualis interior, utpote 10
consistens partim in piis illustrationibus intellectûs, partim in piis motibus seu affectionibus voluntatis, quibus mens in actu secundo cognoscit, vult & agit quidpiam salutare, non tenet se ex parte actûs primi, sed ex parte actûs secundi. Nec à S. Thoma vocatur principium exterius actionum humanarum, prout est in nobis; sed prout in Deo, quomodò est Deus ipse, seu misericordia Dei, &c.

Gratia actualis exterior, est misericordia 11
Dei, quatenùs exteriora nostra ordinat ad salutem nostram. Vel ipsa exteriora, quatenùs per gratuitam Dei misericordiam ad salutem nostram ordinata. Ita S. Doctor art. 14. citato.

CAPUT III.

Gratiæ actualis subdivisio in operantem & cooperantem, sive in excitantem & adjuvantem, vel prævenientem.

GRatia operans (secundùm Augustinum 12
l. de grat. & lib. arb. c. 17.) est illa, per quam Deus, ut velimus, operatur incipiens. Cooperans, per quam volentibus cooperatur perficiens. Verba ipsius sunt: *Cooperando Deus in nobis perficit, quod operando incœpit. Quia ipse, ut velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens.* Dicitur proinde gratia operans respectivè ad primum motum quo voluntas converti incipit; cooperans respectivè ad motum quo voluntas jam plenè vult bonum, quod per primum illum motum solùm velle incipiebat; qui motus ut plurimùm est imperfectus, seu voluntas imperfecta, parva, non plena, & secundùm aliquos non semper libera, sed plerùmque indeliberata. Quod secundùm ipsos Augustinus innuit addens ibidem: *Ut ergo velimus, sine nobis* (liberè concurrentibus) *operatur*; *cùm autem volumus, & sic volumus ut faciamus* (id est, cùm plenè volumus) *nobiscum cooperatur*, nobiscum utique liberè Deo consentientibus. Ita etiam (inquiunt) S. Thomas 1. 2. q. 111. a. 2. *In illo effectu, in quo mens nostra est mota à Deo, & non movens* (se liberè) *solus autem Deus liberè movens, operatio Deo attribuitur. Et secundùm hoc gratia dicitur operans. In illo autem effectu, in quo mens nostra & movet se* (liberè) *& movetur à Deo, operatio non solùm attribuitur Deo, sed etiam animæ. Et secundùm hoc gratia dicitur cooperans. Est autem in nobis duplex actus: primus quidem interior voluntatis; & quantùm ad istum actum, voluntas se habet ut mota; Deus autem ut movens, & præsertim cùm voluntas incipit bonum velle, quæ priùs malum volebat. Et ideò secundùm quod Deus movet humanam mentem ad hunc actum, dicitur gratia operans. Alius autem actus est exterior, qui cùm à voluntate imperetur, conse-*

quens est ut ad hunc actum operatio attribuatur voluntati. Et quia etiam ad hunc actum Deus nos adjuvat (Deus enim facit ut eum voluntas imperet) *& interiùs confirmando* adaugendoque *voluntatem* ut ad actum perveniat, *& exteriùs facultatem operandi* (imò ipsam quoque operationem præbendo, juxta illud, operatur in vobis velle & perficere) *respectu hujusmodi actûs dicitur gratia cooperans.* Similiter Gregorius l. 26. Moral. c. 11. *Superna pietas priùs agit in nobis sine nobis, ut, subsequente libero arbitrio, bonum, quod jam appetimus, agat nobiscum.* Verùm nec S. Gregorius, nec S. Thomas, nec S. Augustinus locis citatis docent gratiæ operantis effectum esse velle indeliberatum, & non liberum. Nec de tali velle Augustinus loquitur libro de gratia & lib. arb. c. 15. Imò toto eo libro velle nunquam accipit nisi pro velle libero, ut benè probat D. Nicole Instruct. 2. de Symbolo p. 2. sect. 5. c. 8. & 12. Quando ergo dicit: *Ut velimus sine nobis operatur*, loquitur de velle, quod per suam misericordiam Deus in nobis operatur, absque ullo præcedenti bono velle nostro. Unde gratia operans, juxta Augustinum, Gregorium & S. Thomam, est illa per quam Deus inspirat nobis liberum sui amorem, debilem vel fortem, imperfectum vel perfectum, absque ullo prævio bono velle nostro. Gratia verò cooperans est omnis illa, quam per misericordiam suam nobis confert, postquam in nobis operatus est primam voluntatem bonam.

13 Ex eo verò quòd primus motus bonæ voluntatis, quem Deus in nobis sine nobis operatur, ut plurimùm sit voluntas parva, infirma, imperfecta, & talis ut ea voluntas non plenè velit, non ex toto velit, non plenâ voluntate velit, consequens est quòd licèt aliquas vires & aliquod posse tribuat in ordine ad plenè volendum, non tribuat tamen posse validum & plenum, nisi voluntas augeatur, perficiaturque, sic ut ex parva fiat magna; ex infirma, robusta; ex semiplena, plena & integra: hinc est quòd Augustinus l. de grat. & lib. arb. c. 15. gratiæ operanti tribuat quòd per hanc fit, ut sit homo bonæ voluntatis, qui priùs fuit voluntatis malæ. Gratiæ verò cooperanti, quòd per hanc fit, ut ipsa bona voluntas, quæ jam esse cœpit, augeatur, & tam magna fiat, ut possit implere divina mandata quæ voluerit, cùm valdè perfectèque voluerit.

14 Gratia prævenians & excitans cum operante; gratia subsequens & adjuvans cum cooperante subinde confunditur, tametsi alia & alia sit gratiarum istarum consideratio, diversusque respectus. Sunt enim nomina ista respectiva. Et gratia quidem prævenians dicitur, non quòd gratiam aliam, sed quia voluntatem præveniat, quatenùs scilicet ipsam, velut somno sopitam, vel in infidelitate seu peccato jacentem, excitat ad bonum, v. g. ad fidem, vel ad conversionem, immittendo aliquod inchoatum salutis desiderium conscientiæ, stimulos, peccati horrorem, rectitudinis seu justitiæ amorem. Et hinc prævenions ideò dicitur, quòd omnem, etiam primum bonæ voluntatis motum præveniat.

Subsequens verò ideò talis dicitur, quòd 15
semina bonæ voluntatis, jam inchoata, sive bonam voluntatem, jam excitatam, subsequendo foveat, roboret, & in tantum augeat, ut plenè, sive ex toto velit, quod antè nonnisi imperfectè, & semiplenè volebat. Pulchrè S. Fulgentius l. 1. ad Monim. c. 11. *Prævenit impium, ut fiat justus; subsequitur justum, ne fiat impius. Prævenit cæcum, ut lumen quod non invenit, donet; subsequitur videntem, ut lumen quod contulit, servet. Prævenit elisum, ut surgat; subsequitur elevatum, ne cadat. Prævenit, donans homini bonam voluntatem; subsequitur benè volentem, operando in illo boni operis facultatem,* &c.

Gratia excitans inde dicitur, quòd volun- 16
tatem in malo sopitam velut à somno excitet. Quomodò excitat? *suadendo exhortationibus,* (ait Author libri de vocat. Gent. l. 2. c. 26.) *movendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inspirando consilium, cor ipsum illuminando, & fidei, seu melioris vitæ affectionibus imbuendo, ut sic excitatus homo, abjicere incipiat opera tenebrarum, induereque arma lucis.*

CAPUT IV.

Altera gratiæ subdivisio, in sufficientem & efficacem.

GRatia sufficiens, si vim nominis atten- 17
das, illa est, præter quam alia non requiritur ad effectum, ad quem sufficiens dicitur. Sufficiens namque generatim dicitur, præter quod aliud non requiritur, dividiturque in sufficiens absolutè, & sufficiens secundùm quid, sive in certo genere. Sufficiens absolutè, illud est, præter quod nihil omninò ad certum effectum consequendum requiritur. Sufficiens secundùm quid, est illud, præter quod nihil aliud requiritur in isto genere ad quod sufficiens dicitur. Sic (inquit Alvarez disp. 76. n. 3.) dici potest gratiam exteriùs excitantem, sufficientem esse ad salutem in genere suo, videlicet in ratione prædicationis, vel alterius suasionis & excitationis externæ. Quia talis esse potest, ut ex parte illius nihil ampliùs requiratur ad credendum, vel ad piè operandum, & vitam æternam consequendam.

Utrovis isto modo gratia aliqua dici potest 18
sufficiens. Est enim absolutè sufficiens ad agere, si præter illam alia non requiratur ad agere. Est etiam absolutè sufficiens ad posse, si præter eam alia non requiratur ad posse. Si verò absolutè sufficiens non sit ad posse completum & proximum, sed ad tale posse alia requiratur, solùm est sufficiens secundùm quid, non absolutè.

19 Sic intelligendo, nulla gratia in hoc ſtatu naturæ corruptæ, cenſenda eſt abſolutè ſufficiens ad agere, niſi ſola gratia efficax. Quia præter gratiam ſufficientem, diſtinctam ab efficaci, alia (ſcilicet efficax) requiritur ad agere, ad illúdque ſola abſolutè ſufficit, ut fatetur Alvarez diſp. 79. Si tamen gratia ſufficiens non dicatur talis reſpectivè ad ipſam actionem, ſed reſpectivè ad ſolam agendi poteſtatem, nihil prohibet, præter gratiam efficacem, quæ dat agere, admittere ſufficientem, quæ tribuit agendi poteſtatem, quæque proinde ſufficit ad poſſe.

20 Et ideò retineri poteſt diviſio gratiæ, in ſufficientem & efficacem. Si enim gratia, quæ ſic dividitur, ſit gratia in genere, prout communis eſt ad actualem & habitualem, S. Thomas admittit, gratiam habitualem in juſtis eſſe ſufficientem ad poſſe ſupernaturaliter operari, tametſi præter eam, ad actualem operationem gratiam requirat efficacem. Siquidem 1. 2. q. 109. a. 9. S. Doctor ait, quòd per gratiam habitualem natura humana corrupta ſanetur, & etiam ſanata elevetur ad opera meritoria vitæ æternæ. Et ſecundùm hoc q. 106. a. 2. dicit, quòd *lex nova, quantum eſt de ſe, ſufficiens auxilium dat ad non peccandum*, quatenùs ſcilicet gratiam præſtat habitualem, alioſque (ab ipſa inſeparabiles) virtutum habitus infuſos, per quos homo facultatem habet operandi, prout diſertè exprimit lect. 3. in cap. 3. ad Epheſ. *Auxilium Dei duplex eſt, unum quidem facultas exequendi; aliud ipſa operatio, ſive actualitas. Facultatem autem dat Deus, infundendo virtutem, & gratiam, per quas efficitur homo potens, & aptus ad operandum. Sed ipſam operationem confert, in quantum operatur in nobis interiùs movendo per gratiam efficacem*, per quam Deus operatur in nobis velle & perficere, prout Apoſtolus dicit ad Philipp. 2.

21 Si etiam gratia actualis conſideretur, quatenùs communis eſt ad eam quæ data fuit in ſtatu naturæ integræ, & ad eam quæ datur in ſtatu naturæ corruptæ; non malè dividitur in ſufficientem, quæ dat poſſe; & efficacem, quæ dat agere. Siquidem, in ordine ad perſeverandum in innocentia, Adamus gratiam habuit ſufficientem, non efficacem per quam hodie perſeverant, quicumque perſeverant; ſive (ut Auguſtinus loquitur in l. de corrept. & grat.) habuit auxilium quo potuit perſeverare; non quo perſeveravit. Non enim perſeveravit.

22 Ingenuè tamen fateor, quòd dum Auguſtinus, aliique Patres, de gratia loquentes, utuntur verbo ſufficit, eo non deſignent ſufficientiam ad poſſe, ſed ad agere, ſolum illud auxilium ſufficere dicentes, præter quod nullum aliud neceſſarium ſit ad actualem operationem. Id enim mihi perſuadent argumenta ſequentia.

23 1°. Quia ſola magna, non parva voluntas; ſola magna, non parva charitas; ſola plena, non ſemiplena voluntas; ſola proinde gratia efficax (cujus effectus eſt plena, & magna voluntas & charitas) ab Auguſtino ſufficere dicitur l. de grat. & lib. arb. c. 15. & 16. Et epiſt. 143. In primo namque loco, *Qui voluerit* (inquit) *& non potuerit, nondum ſe plene velle cognoſcat, & oret, ut habeat tantam voluntatem, quanta ſufficit ad implenda mandata.* In ſecundo: *Certum eſt nos mandata ſervare, ſi volumus; ſed quia præparatur voluntas à Domino, ab illo petendum eſt, ut tantùm velimus, quantùm ſufficit ut volendo faciamus.* In tertio, de eo qui continentiam à Deo ferventer poſtulabat: *Tantas* (inquit) *voluntatis vires, tantum dilectionis ardorem volebat accipere à Spiritu ſapientiæ, qui ſufficeret ad implendam magnitudinem continentiæ.*

24 2°. Quia parvam, imbecillem, ſemiplenamque voluntatem (quæ effectus eſt gratiæ excitantis, quam Thomiſtæ ſufficientem vocant) ad benè agendum ſufficere negat ſerm. 3. de verb. Apoſt. *Volo ut velis; ſed non ſufficit ut velis* (ſemiplenè & imperfectè) *adjuvandus es ut plenè velis, & impleas quod velis.* Et epiſt. 208. *Ut non intremus in tentationem, ſi voluntas ſufficeret, non oraremus; quæ tamen ſi deeſſet, nec orare poſſemus. Adſit ergo ut velimus; oremus autem ut valeamus quod voluerimus.*

25 3°. Quia l. de corrept. & grat. c. 11. liberum arbitrium ideò ſibi ſufficere dicit ad malum, quia ad illud actu operandum, nihil requiritur præter ipſum: *Liberum arbitrium ad malum ſufficit; ad bonum autem nihil eſt, niſi adjuvetur ab omnipotente bono.* Similiter Fulgentius l. 2. de verit. prædeſt. & grat. c. 7. *Ut deficiat voluntas, poteſt ſibi ſola ſufficere; ut proficiat verò, non: quia indiget ſemper divinæ miſerationis auxilio.* Capite verò 4. dixerat, voluntatem lapſam nec ſibi ſufficere ad ſurgendum, ſed ad id ipſi neceſſarium eſſe auxilium gratiæ prævenientis, quod licèt ad perſeverandum ſit Thomiſticè ſufficiens; ideò tamen abſolutè non ſufficit, quia ad perſeverandum (præter illud) abſolutè neceſſarium eſt auxilium gratiæ ſubſequentis: *Voluntas non ſuâ virtute, ſed Dei prævenientis operatione conſurgit; & poſtquam ſurrexit, ut non cadat, ſola ſibi non poteſt ſufficere; ſed ſicut ad ſurgendum beneficio miſericordiæ prævenientis erigitur; ſic ad perſeverandum miſericordiæ ſubſequentis juvamine cuſtoditur.*

26 4°. Quia illa gratia, ſenſu ſanctorum Patrum, non eſt ſufficiens ad poſſe, cum qua, ſenſu ipſorum, benè velle non poſſumus, nec benè agere. Atqui benè velle, & benè agere, ſenſu ſanctorum Patrum, non poſſumus, cum ſola gratia Thomiſticè ſufficiente, ſed cum ſola gratia efficace. Siquidem Auguſtinus de grat. Chriſt. c. 29. loquens de gratia quæ dat agere, adeòque de efficaci, dicit, illam eamdem gratiam ſic eſſe confitendam ab

eo qui vult veraciter confiteri, *ut omninò nihil boni sine illa, quod ad pietatem pertinet, veramque justitiam, fieri posse non dubitet.* Et epist. 143. *Proprium arbitrium, nisi Dei gratiâ juvetur, nec ipsa bona voluntas esse in homine potest. Deus est enim qui operatur in nobis & velle, & operari, pro bona voluntate.* Quæ postrema Apostoli verba de gratia efficaci haud dubiè intelliguntur. Et in opere imperf. contra Julian. c. 97. *Cùm displicet tibi, hominem non posse bonum velle, nisi adjuvetur ab eo qui malum non potest velle; nonne respicis ei te contradicere, qui dixit: Sine me nihil potestis facere.* Et.... *Deus est qui operatur in vobis & velle?* Concinit Fulgentius de Incarnat. & grat. c. 21. *Deus, qui voluntatem præparat, ipse donat; quam si Deus per gratiam suam homini non dederit* (non dat autem nisi per efficacem) *numquam potest homo in Deum velle credere: quia ipsam voluntatem gratia non invenit, sed operatur in homine.* Concinit & S. Thomas, qui multoties accipit auxilium sufficiens pro efficaci, ut testatur, atque ex pluribus ipsius testimoniis, iisque satis manifestis, ostendit Thomas de Lemos in Panoplia grat. to. 4. l. 4. p. 2. tr. 3. c. 1.

27 Et ideò c. 2. *Aliqui* (inquit) *ex discipulis S. Thomæ, in ista materia satis periti, arbitrantur minùs congruè auxilium illud, quod distinguitur contra efficax, vocari sufficiens; sed appellandum, vel auxilium generale in ordine gratiæ, vel communem vocationem, vel auxilium sine quo non potest homo rectè operari salutis opera, & cum quo benè operari potest si velit. Fundamentum illorum est, quia istæ voces, nunc relatæ, & antiquiores sunt, & à sanctis Patribus traditæ, & quæ multò melius, & sine inconvenienti auxilium illud, quod distinguunt contra efficax, exponunt, quàm vox sufficiens, illi auxilio applicata, quæ suas patitur difficultates. Cùm potissimè S. Thomas auxilium sufficiens accipiat pro efficaci.* Quâ opinione relatâ subjungit Lemos: *Cum istis Authoribus facilè convenirem, nisi Scholasticis pluribus contradiceretur.... Si enim non ita communiter reciperetur gratia sufficiens, ut ab efficaci distincta, mihi placeret illis vocibus relatis utendum, propter rationes relatas. At postquam tot antiquiores Scholastici, inter quos sunt Cajetanus, Ferrariensis, & plures alii, illâ voce,* AUXILIUM SUFFICIENS, *utuntur, videtur loquendum esse cum pluribus;* valdè tamen providendo, ne nomine isto Molinistæ abutantur, ad evertendam gratiæ per se efficacis necessitatem, qualem divinæ Scripturæ, Concilia, Pontifices, Patres asserunt. Gratiæ namque sufficientis, ab efficaci distinctæ, nomen ideò fortasse nec Pontifices, nec Concilia, nec Patres usurpant, quia minùs proprium est, vulgòque ab imperitis & popularibus pro ea gratia significanda accipitur, præter quam nulla alia necessaria sit ad agere.

28 Et ideò Facultas Lovanienſis in justificatione Censuræ suæ c. 12. & 13. gratiæ sufficientis nomen soli tribuit gratiæ efficaci, aiens, *illud qualecumque subsidium quod aliquando subministrari dicitur iis qui neque credunt, neque convertuntur ad Dominum, non fuisse sufficiens ad fidem, aut conversionem. Quippe gratia ad conversionem sufficiens, ipsa convertit. Quæ verò non convertit, non sufficit. Et quamdiu voluntas nondum sic affecta est, ut velit, sed adhuc resistit.... nondum sufficienter est à Domino præparata.* Nec de Patribus unus adferri potest, à quo vel ea gratia ad agendum sufficere dicatur, præter quam alia ad agendum requiritur; vel aliqua gratia sufficere dicatur ad posse, quæ non sufficit ad agere: nullum certè à se inveniri potuisse testatur Cardinalis de Lauræa opusc. 3. c. 18. n. 401.

Propterea etiam Facultati Lovanienſi sub- 29
scribit Facultas Duacensis in Censura assertionis 2. 3. &c. Subscribit & Estius, istius Facultatis Cancellarius, ex hisce sacris textibus, *Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet.... Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum,* &c. concludens, non omnibus dari auxilium simpliciter ex parte Dei sufficiens ad hoc ut veniat ad Christum. Quia non omnes ad Christum veniunt, neque omnes à Patre trahuntur. Nec dissentit Cajetanus, uti nec ipsum referens Medina in 1. 2. q. 109. a. 10. sic loquens: *Optimè respondet Cajetanus, quòd dupliciter aliqua res potest esse sufficiens ad aliquem actum; uno modo simpliciter sufficiens, quod accidit quando ipsa res sola, sine adminiculo alterius, potest absolutè operationem producere. Alio modo potest dici sufficiens, non simpliciter, sed in suo genere. Verbi gratiâ visus, sive oculus sanus, in genere potentiæ est sufficiens ad videndum; & qui visum habet, dicitur posse videre. Est tamen sufficiens ut potentia, non simpliciter. Nam sine objecto atque lumine non potest videre. Ita habens gratiam, & habitus virtutum, potens est perseverare; tametsi egeat auxilio gratiæ efficacis, tum ad operandum, tum ad perseverandum. Nec quoad rem alios dissentire puto Thomistas.*

Cæterùm cum Thomistis de nomine gratiæ 30
sufficientis non est litigandum; tametsi ad vitandam æquivocationem, cavendumque sensum Molinisticum, nomen istud in Scholis consultiùs fuisset omissum, uti fatetur Lemos loco citato. Eò quòd utique fallaci isto nomine in populi animos facilè se insinuent, qui gratiæ per se efficacis necessitati contradicunt.

Quia tamen nunc res integra non est (eò 31
quòd istius nominis usus nunc invaluerit in Scholis) retineri potest divisio gratiæ in sufficientem & efficacem, uti dixi n. 20. & 21. Tametsi enim prorsus projicienda sit gratia Molinisticè sufficiens (id est, quæ sic dat posse, ut præter ipsam alia necessaria non sit ad velle & agere) admitti potest gratia Thomisticè sufficiens; sufficiens utique, non simpliciter & absolutè (ob ea quæ dixi à n. 20. ad 30.) sed sufficiens secundùm quid, & in genere suo; sufficiens scilicet ad posse, non ad

agere. Nam (præter dicta n. 20. & 21.) gratia actualis dupliciter accipi potest, prout in nobis, & prout in Deo, uti dictum est n. 1. Gratia actualis prout in nobis, licèt non det posse per modum qualitatis, seu facultatis potentiæ naturali superadditæ (ob ea quæ ex S. Thoma dixi n. 12. 13. 14.) dat tamen aliquod posse, per modum gratiæ excitantis, dando non quidem voluntatem plenam & perfectam, sed tamen aliquod initium ipsius, licèt imperfectum, nec sufficiens ad plenè velle & agere; propter quod sic tribuit voluntatem sufficientem ad posse, ut non tribuat voluntatem sufficientem ad agere; eò quòd ipsi resistat concupiscentia validior, ad quam vincendam validior requiritur gratia, quæ, ipsam suâ efficaciâ vincendo, det agere.

32 Gratia actualis prout in Deo, utpote Deus ipse, sive Dei misericordia, dilectio & omnipotentia, sic gratuitò operans in nobis velle imperfectum, ut parata sit operari velle perfectum, cessante in nobis obice validioris ex adverso concupiscentiæ, seu alterius indispositionis ex parte nostra: facilè intelligitur quòd sit gratia sufficiens ad posse. Voluntas quippe nostra, per Dei misericordiam taliter paratam sufficienter elevatur ad posse in actu primo producere effectus, in ordine ad quos gratia dicitur sufficiens: quia, ut id possit, potentia naturalis ipsius compleri non debet per potentiam aliquam sibi formaliter intrinsecè superadditam (uti contra Thomistas nonnullos ostendi to. 1. de Deo dist. 7. q. 2. a. 3.) sed sufficit quòd compleatur per extrinsecam Dei misericordiam & omnipotentiam sibi assistentem, & assistendo paratam actus illos in ipsa & cum ipsa efficere, prout ibidem sufficienter explicatum est.

33 Nec tamen illa Dei misericordia, in qua consistit gratia actualis prout in Deo, est unquam sterilis, sed semper efficit aliquos in nobis actus, saltem imperfectos, scilicet illustrationes intellectûs, piasque affectiones voluntatis, ut constat ex definitione, quâ à S. Thoma q. 24. de verit. a. 14. definitur, *misericordia Dei, per quam interiùs motum mentis operatur.* Enimverò gratuita est quædam Dei erga nos dilectio; de qua 1. 2. q. 110. a. 1. S. Doctor ait, quòd cùm diligere sit velle alteri bonum, Deique voluntas sit rerum causa; certum est gratiam, seu dilectionem Dei, semper aliquid (nempe id quod absolutè vult) in anima ejus quem diligit, operari.

34 Nihilominùs *omnis gratia actualis non ideò dicenda est simpliciter efficax, sed secundùm quid dumtaxat* (inquit Alvarez disp. 84. n. 9.) *quia quando actus supernaturales sunt imperfecti, & ex natura sua ordinantur ad alios actus, sicut cogitare, desiderare & petere, tunc auxilium quod dicitur efficax comparatione horum actuum, non debet dici efficax simpliciter, sed secundum quid, ut disput. 80. dictum est. Cæterum quando actus sunt perfecti in suo genere, sicut sunt fidei & charitatis, tunc auxilium quod est efficax respectu horum actuum, debet simpliciter & absolutè dici efficax.*

Tametsi ergo omnis gratia actualis sit efficax in ordine ad actus imperfectos; se solâ tamen frequenter est inefficax, solùmque sufficiens in ordine ad actus perfectos fidei, charitatis, conversionis, &c. ad quos actus illi imperfecti ex natura sua ordinantur. Et ideò interiori gratiæ, ad conversionem perfectam nos invitanti, heu! frequenter nimis in hoc statu naturæ corruptæ resistitur, uti sæpissimè divina Scriptura & Patres contestantur, atque Innocentius X. meritò definivit. Toties namque ipsi resistitur, quoties opus bonum, ad quod excitat, reipsà non impletur, concupiscentiæque (validiori delectatione voluntatem à bono opere retrahenti) consentitur. Quod non solùm accidit peccatoribus, sed ipsis etiam justis, imperfectè solùm ac semiplenè bonum opus volentibus, & ad illud nonnisi imperfectè & tepidè conantibus. Quibus idcircò gratia simpliciter efficax necessaria est ad plenè & perfectè volendum & conandum. 35

Si quæras, an gratia actualis, seu excitans, sic explicata, vera sit Christi gratia? 36

Respondeo 1°. veram esse Christi gratiam; utpote ex Christi meritis collatam. Nihil enim proficuum ad salutem in statu naturæ lapsæ nobis confertur nisi ex meritis Redemptoris, nec est aliud nomen in quo oporteat nos salvos fieri.

Respondeo 2°. esse etiam veram gratiam medicinalem. Quamvis enim infirmi hominis non perficiat, incipit tamen sanitatem. 37

Respondeo 3°. eandem gratiam, quatenùs inefficax est, non esse illam Christi gratiam, de qua Augustinus contra Pelagianos disputavit; utpote contra quos de gratia inefficaci, quà tali, disputasse non legitur; sed de efficaci dumtaxat. 38

CAPUT V.

Gratiæ Thomisticè sufficientis natura uberiùs explicatur.

AD uberiorem ipsius explicationem, observandum 1°. gratiam sufficientem, prout ab efficaci secernitur, maximam habere latitudinem, varioque gradus & effectus, alios aliis perfectiores, imperfectioresque, donec ad ultimum, seu principalem finalemque perveniatur, ad quem gratia excitans, quam sufficientem Thomistæ appellant, ex natura sua, voluntateque Dei antecedente ordinatur. Quemadmodùm enim varii sunt gradus effectusque voluntatis; sic & gratiæ. Est enim velle perfectum, est imperfectum. Ad illud necessaria est gratia efficax; ad istud sufficit gratia excitans & sufficiens. 39

Porrò velle istud imperfectum varios etiam gradus habet; quorum imperfectissimus est prima tenuissimaque boni complacentia, quæ primus effectus est roris cælestis, quo Deus 40

nun-

nunquam irrigat cor hominis, nisi, primum saltem istum complacentiæ motum in ipso efficiat. Enimverò primus gratiarum imperfectarum, seu excitantium sufficientiumque (quæ respectivè ad actus perfectos inefficaces dicuntur) effectus est, saltem debilem motum mentis efficere erga bonum, imperfectamque voluntatem, usque dum gratia efficax plenam perfectamque de voluntatis & concupiscentiæ resistentia victoriam reportet. Interea verò quot non fiunt piæ excitationes in homine peccatore? quot resistentiæ? quot imperfectæ victoriæ, dum voluntas bona, quæ esse incœpit, nondum idonea est perfectè superare priorem, vetustate roboratam? *Ita duæ voluntates* (ait Augustinus l. 8. Confess. c. 8.) *una vetus, altera nova; illa carnalis, ista spiritualis, confligunt inter se, dum sarcinâ sæculi, velut somno assilet, dulciter premitur peccator, & cogitationes, quibus meditatur in Deo, similes sunt conatibus expergisci volentium; qui tamen, superati soporis altitudine, remerguntur.* Cùm deliberant dare se Deo, *ipsi sunt qui volunt, ipsi qui nolunt* (pergit Aug. c. 10.) *nec plenè volunt, nec plenè nolunt, donec abrumpatur totum quo ipsos ligatus tenet sæculum.* Quod profectò ordinariè nec subitò fit, nec parvo tempore (maximè si peccator consuetudinarius sit) sed paulatim, gradatim, & post multos longosque conflictus inter naturam & gratiam, inter veterem hominem & novum, inter cupiditatem & charitatem, inter carnem & spiritum, prout expertus est Augustinus, quotidièque peccatores experiuntur. *O quantis clamoribus introrsus* (ait S. Laurentius Justinianus l. 2. de spirit. resurrect. animæ) *quantisve exhortationibus sacris excitatur peccator, antequam de morte seu somno delictorum evigilet! sed vigil effectus, ô quot blanditiis, quot rationibus, quot promissionibus, quot exemplis, quot pulsatur terroribus & flagellis, priusquam peccandi voluntatem abjiciat, & sincero animo, atque deliberatione constanti, totus divino mancipetur obsequio! nec immeritò: tot quippe funibus tenetur adstrictus, quot sceleribus prægravatur; tantisque spiritualibus compeditus est vinculis, quanto caducis rebus immoderato inhæret affectu. Captivatur consuetudine delinquendi, retrahitur à sensualitate, quæ pœnitentiæ jugo colla subjicere recusat, repellitur suasionibus dæmonum, visibilium detinetur amore, amicorum & affinium detinetur blanditiis. Quis tot & tanta vincula momento tota disrumpat?*

41 Deus quidem momento id potest, nec ipsi difficile est subitò honestare pauperem, atque ad plenam conversionem quàmlibet magnum & inveteratum perducere peccatorem. Verùm, ut sapienter advertit piissimus Cardinalis Aguirius dissert. 8. in can. 11. & 12. Concil. Tolet. III. „juxta cursum ordinarium, ea insignia & præ„stantissima dona non largitur subitò, sed gra„datim, ac mediâ impetratione factâ per ope„ra pœnalia, in oratione, jejunio, eleëmosy„na, & fletu, & planctu, aliisque mortificationibus corporis & animæ, per quos actus, « divino auxilio exhibitos, impetrat peccator « majora & uberiora auxilia ad dilectionem Dei, « & contritionem, in eo gradu doloris ac detestationis de peccatis, ut simul cum Sacramento Pœnitentiæ in re susceptо, aut ejus voto in « perfecta contritione clauso, sufficiat ad im« petrandam peccatorum veniam.“ Idipsum observat Cardinalis Denhoffius in Instruct. Pastor. §. 9. Edit. Lovan. pag. 227. his verbis: Cùm animi statum, quo cum Deo recon« ciliari possint, non soleant exiguo tempore at« tingere, qui longâ peccandi consuetudine de« tinentur. Hinc oportet ut sese præparent pre« cibus, humilibus ac piis operibus, & repeti« tis actibus virtutum, quæ vitiis dominanti« bus adversantur. Quia.... magnus peccator, « magnâ misericordiâ opus habet, ut D. Ber« nardus serm. de tripl. misericord. dicit: Hanc « autem misericordiam magnam non largitur « Deus magnis peccatoribus sine præcedenti lu« ctu gemituque, nec sine multa pœnitentiæ « exercitatione, flagitante hanc œconomiam ju« stitiâ Dei, ut à Tridentino Concilio sumus « edocti, dicente: *Ad quam novitatem & in« tegritatem, per Sacramentum pœnitentiæ, sine « magnis nostris fletibus & laboribus, divinâ id « exigente justitiâ, pervenire nequaquam possu« mus.* Sess. 14. c. 2. de pœnit. Et sanè ratio« ni prorsus est consentaneum, ut ad impetran« da à Deo magnæ misericordiæ beneficia, cu« jusmodi sunt copiosa gratiæ opitulantis auxi« lia, quibus omninò & peculiariter opus est « ad conversionem peccatoris, qui diutinâ vi« tiorum consuetudine languescit, longè major « etiam præcedat apparatus pœnitentiæ, quàm « siquis nuper admodùm in crimen aliquod in« fortunio sit prolapsus. «

At præter divinam justitiam, quæ id po- «42
stulat, ipsa quoque vitia, consuetudine ad« hærentia, quæ vehementer ad peccatum sti« mulant, aliquo planè temporis spatio oppug« nanda sunt ante absolutionem, ut Sacerdos, « dum eam impendit pœnitenti, sit morali mo« do certus hunc esse ab illis satis liberatum; « quod tum demùm credere potest, cùm vide« rit frequentiam delictorum, ex consuetudi« ne profluentium, per præcedentia pœnitentiæ « exercitia, ad hanc rem idonea, notabiliter « esse diminutam, &c.“ Ipsimet Sapientes Gentilitatis natutali lumine agnoverunt, communique consensu tradiderunt, non transiri à peccato ad virtutem, ab amore mundi ad amorem Dei, ut finis ultimi, repentè; sed per gradus ac pedetentim, ordinariè loquendo. Idque scire multum interest. Hìc enim verissimum est vulgatum axioma: *Multi ad sapientiam* (dic tu ad amorem Dei super omnia) *pervenissent, nisi putassent se pervenisse.* Res magna & sublimis est amor Dei super omnia. Ad amorem verò tam sublimem, nec uno saltu, nec subitò pervenire solet peccator, qui hactenùs amore contrario plenus fuit. Quia, ut Arrianus dicit in suo Epicteto

l. 1. c. 15. *nihil magnum fit subitò; cùm ne uva quidem aut ficus. Si mihi nunc dicas, te velle ficum, respondebo, tempore esse opus: sine imprimis ut floreat, post fructum producat, denique matureſcat. Ficûs ergo fructus cùm subitò, unoque tempore non perficiatur, animi humani fructum adeò brevi & facilè comparabis?* Similiter Simplicius in Epictet. *Rectè.... monet* (Epictetus) *à parvis, atque adeò minimis esse incipiendum, ne, ut in Proverbio dicitur, figlinam à dolio auspicemur. Nam qui majora initio suscipit, facilè succumbit, frustratur, fractis viribus fit imbecillior, desperat. Qui verò à minimis incipit, semel utique fit aliquando robustior, fidentior, & melior, quàm aliquando fuit. Nam* (ut subjungit) *curatori animorum id curæ esse debet.... ut ipse malus habitus, & prava consuetudo destruatur.* Quod subitò fieri non solet. Cicero orat. pro Sulla: *Neque enim potest quisquam nostrûm subitò fingi, neque cujusquam repentè vita mutari, aut natura converti.* Plutarchus l. 1. Moral. de profect. virt. *Non enim aliquis sapiens fieri potest, quanta esse potest maxima vitiositate in virtutis habitum omni accessione majorem puncto temporis mutatâ: quam (dico) vitiositatem non temporis aliquo spatio abjecerit, sed subitò totam simul exuerit. Nosti verò hoc qui fieri affirmant* (Stoïci) *quantis seipsos implicent molestiis, ac quàm difficiles agitent quæstiones: quânam fiat ratione quòd non animadvertit aliquis etiamnum sapientem se factum.... eò quòd longo temporis decursu paulatim addendis aliis, aliis detrahendis, ad virtutem progressus fecit, & quasi viam sensim carpendo ad virtutem pervenit.... Mihi quidem videtur facilius homo, si instar Cænei ex voto vir de muliere fieret, transformationem sui ignoraturus, quàm ut non sentiat aliquis mutationem sui è timido, stulto, atque incontinente, fortis, prudens, temperansque redactus, momentoque temporis è belluina in divinam vivendi rationem translatus.... Nos autem cùm in omni vitiorum genere, maximè autem inordinato, ac confuso animi statu gradus quosdam quantitatis inesse videamus* (unde etiam est discrimen profectuum) *pravitate instar umbræ dilabente, dum ratio animum sensim illustrat, atque expurgat, non putamus mutationis sensionem nullâ ratione æstimari.* Ecce quomodò antiquissimæ Philosophiæ sensus fuit, quòd mutatio animi à vitio ad virtutem uno saltu non fiat.

43 Enimverò gratia, seu gratiæ Author, ordinariè imitatur naturam, ita ut in ordine gratiæ procedere soleat, sicut in ordine naturæ. Verissimum namque est axioma: *Gratia imitatur naturam.* Cùm ad id significandum Christus à similitudine rerum naturalium, sensibiliumque nos manuducere soleat ad cognitionem rerum supernaturalium, spiritualiumque. Atqui Deus in ordine naturæ momento res perducere non solet ad suam integritatem, maturitatemque, sed sensim ac pedetentim. Dies namque suum habet diluculum, auroram, incrementum, priusquam meridianæ lucis plenitudinem attingat. Nec homo in prima sui conceptione suam consequitur perfectionem; sed primùm concipitur, deinde paulatim magis ac magis formatur. Nec corporaliter infirmus à maligno humore in corpore prædominante subitò purgari solet, sed paulatim. Nec semen, mox ut terræ committitur, crescit in arborem; nec in spicam; minùs in plenum frumentum. Plena verò conversio magni peccatoris, divinus est dies. Suum ergo (sicut dies naturalis) ordinariè habet diluculum, auroram, incrementum, antequam consequatur plenitudinem. Peccator quoque conversus, est homo de terreno cælestis, de animali spiritualis, de servo iniquitatis & cupiditatis, justitiæ servus & charitatis. Ordinariè ergo primùm etiam concipitur, deinde paulatim formatur & perficitur, ut homo naturalis. Præterea peccator, ob prædominantem in se malignum cupiditatis humorem, est spiritualiter infirmus, qui ab humore isto prædominante subitò non magis purgari solet, quàm corporaliter infirmus. Gratia etiam conversionis est spirituale quoddam semen, per quod formatur in anima regnum Dei: istâ namque similitudine Marci 4. Salvator utitur, ad significandum modum, quo regnum Dei, seu plena conversio, formatur in nobis, prout sancti Patres docent. At verò regnum Dei, seu plena conversio, in nobis plenè & integrè formari non solet simul & semel, sed paulatim & particulatim. Audiatur Salvator ibidem v. 26. & seqq. dicens: *Simile est regnum Dei, quemadmodùm si homo jaciat semen in terram, & dormiat, & exurgat nocte & die, & semen germinet, & increscat, dum nescit ille: ultrò enim terra fructificat*, non statim plenum frumentum, sed *primùm herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica.* Unde S. Prosper, 44
vel (ut aliis placet) Julianus Pomerius l. 2. de vocat. Gent. c. 11. *Sicut in germinibus herbarum, atque lignorum, quæ terra producit, non una species, nec unum in omnibus genus est, sed singula quæque in sui seminis forma, & in suæ stirpis qualitate gignuntur, plenum autem decorem non statim ut eduntur, accipiunt, sed certis & ordinatis provehuntur augmentis, donec ad perfectam sui habitûs quantitatem per succedentia sibi incrementa perveniant: ita & semina charismatum, plantaque virtutum, non in omni agro cordis humani totum hoc pariter, quod sunt futura, nascuntur; nec facilè reperitur in exordio maturitas, & in inchoatione perfectio. Exerit quidem frequenter potens & misericors Deus mirabiles istos suæ operationis effectus, & quibusdam mentibus, non expectatâ profectuum morâ, totum simul quidquid collaturus est invehit.... Multò tamen crebrior, multòque numerosior pars illa hominum est, cui particulatim quidquid superna largitas donat, accrescit, ut conferendorum muperum causa de his etiam quæ sunt collata patiantur,*

tiantur. Quidam acceptâ fide, diffidentiâ non carent.... Quidam quod credunt, non intelligunt, & multi eorum in suæ simplicitatis modulo detinentur. Multi verò citò intellectûs lumen accipiunt. Ipsa autem intelligentia non in omnibus eundem habet vigorem.... Et plurimi, cùm fide & intellectu videantur ornati, laborant tamen indigentiâ charitatis, & his quæ fide & intellectu vident, nequeunt inhærere, quoniam perseverari in eo non potest, quod non toto corde diligitur. Donum charitatis non semper ejusmodi est, ut quidquid ad plenitudinem ipsius pertinet, simul à percipiente sumatur. Est enim amor qui potest ab amore superari, & sæpè dilectio Dei ex mundi dilectione marcescit, &c.

45 Quòdque, ut in pluribus, Deus non subitò, sed paulatim in conversione magni peccatoris per gratiam suam procedat ab imperfecto ad perfectum, sicut procedere solet in ordine naturæ, docet etiam S. Thomas 1. 2. q. 113. a. 10. his verbis: *Communis & consuetus cursus justificationis est, ut Deo movente interius animam, homo convertatur ad Deum, primò quidem conversione imperfectâ, ut postmodùm ad perfectam deveniat. Quia charitas inchoata meretur augeri, ut aucta mereatur perfici*, sicut Augustinus dicit tr. 5. in epist. Joan. Et 2. 2. q. 14. a. 4. ad 1. dicit, quòd *tam in bono, quam in malo, ut in pluribus, proceditur ab imperfecto ad perfectum.* Unde in priore loco justificationem impii tunc miraculosam censet, & præter solitum & consuetum ordinem causandi effectum, cùm conversio ipsius statim quamdam perfectionem justitiæ assequitur, sicut fuit in conversione Pauli, & sicut (ut antè dixerat) miraculosa est sanatio infirmi, cùm aliquis infirmus sanitatem perfectam assequitur subitò, præter solitum cursum sanationis.

46 Et ratio est, quia ad perfectam conversionem Deus ordinariè non movet, nisi per gratiam suam peccatorem priùs per varias dispositiones ad eam præparando, uti docet Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 6. A fide namque vel timore conversio illa capere solet exordium, promovetur spe, perficitur dilectione, peccatique detestatione inde profluente.

47 Ad solidum verò timorem concipiendum, ordinariè multâ opus est consideratione novissimorum, tam attentâque mortis, judicii & inferni meditatione, ut hisce considerationibus mens tota penetretur. Tam facilè verò non penetratur peccator, qui cupiditatibus suis immersus, ista nonnisi leviter ac momentaneè recogitat, uti fieri solet. Nec anima, in hoc corruptionis statu, multùm affici solet cogitationibus momentaneis, ad prorsus abjiciendas res, quas multùm deperit. Nec facilè penetratur timore æternorum suppliciorum, temporalibus cupiditatibus velut absorpta. Facilè econtrà sibi persuadet, mortem, divina judicia, suppliciaque æterna, à se esse remotissima, istâque persuasione fascinata, conversionem suam in dies differt, de divina præsumens bonitate. Quam præsumptionem non parùm promovet sententia Molinistica, quæ peccatoribus omnibus, quàmlibet magnis & inveteratis, gratiam tribuit, quâ converti possunt etiam potentiâ consequente, ubi & quando voluerint.

Nec spei motivo admodùm percellitur homo carni immersus, nec spem firmam facilè concipit, dum ad id quod sperat se pervenire non posse cognoscit, nisi per media, quæ sibi nimis amara videntur & difficilia. Et ideò ordinariè nonnisi sensim ac pedetentim ad spem firmam perduci solet, per multam utique longamque misericordiæ & gratiæ Dei considerationem. 48

Tandem dilectio Dei ex toto corde non acquiritur, nisi mens penitùs à contrariis affectibus avocetur; ad quod opus est seriâ recogitatione vanitatis pernicioſitatisque affectuum istorum; opus etiam præliis & colluctationibus magnis, inter cupiditatem, charitatemque, antequam charitas victrix sit cupiditatis, à qua proximè vincebatur. In principio verò charitas in peccatore (in quo cupiditas prædominatur) esse solet debilis; & antequam tanta fiat, ut ipsa prædominetur, mens tundenda & retundenda est multis & magnis piarum cogitationum ictibus, excitanda desideriis spiritualibus, fovenda carnalium desideriorum compressione, occasionumque fugâ, piis roboranda exercitiis, mortificationibus, orationibus, quibus tandem impetretur delectatio victrix, tantâque Dei ac justitiæ dulcedine anima perfundatur, ut tandem amarum ipsi sapiat, quod proximè dulcissimum sapiebat, jamque cruciet in mente, quod oblectabat in corpore; ita ut toto corde odio habeat ac detestetur, quod antè deperibat. Ad id verò immutandus est totus animæ fundus, transeundumque totaliter ab uno extremo in alterum. Quod fieri non solet absque medio, nec absque conflictu magno, & tempore non modico. 49

Atque hinc facilè quisque videt, qui oculos præconceptâ opinione fascinatos non habet, 1°. ad tot, tantos, & tam varios animi motus longam intervenire seriem piarum illustrationum, affectionumque, atque adeò gratiarum ad eas excitantium; in qua aliæ aliis perfectiores sunt, actuique ultimo, seu plenæ totalique conversioni viciniores. 2°. in tam longa serie non omnes gratias potentiam tribuere proximam ad actum istum ultimum; sed tantò remotiorem, quantò effectus, seu actus, ad quem immediatè excitant, ab actu isto ultimo remotior est; tantò etiam propinquiorem, quantò immediatus effectus ipsarum ad dictum actum ultimum propinquiùs accedit. 50

Observandum 2°. omnes gratias illas ex natura rei, atque ex voluntate antecedente Dei (cujus effectus est ipse ordo in finem salutis, & promoventia in finem illum, om- 51

nibus communiter propoſita, ait S. Thomas in 1. diſt. 46. a. 1.) ad gratiam ultimam perfectamque, ad ultimum proinde perfectumque actum ordinari, ſicut imperfectum naturâ ſuâ ordinatur ad perfectum, v. g. conceptio ad partum, diſpoſitiones ad formæ introductionem, inchoatio charitatis ad ipſius augmentum & perfectionem.

52 Per conſequens obſervandum 3°. omnes gratias illas ſic inter ſe connecti, ut niſi earum ordo culpâ hominis interturbetur, curſuſque ſiſtatur, quiſquis primam accipit, accepturus ſit ſequentes. Ex quo fit 1°. quòd verè dici queat, Deum in prima illa gratia cæteras offerre, imò dare incipere, ſic ut paratus ſit perficere quod incœpit, niſi culpa hominis obſtet. 2°. quòd quiſquis primam habet, in poteſtate ſua cæteras habeat; ideòque plenè credere, ſperare, diligere, convertique poſſit. Eò quòd Deus (uti proximè dixi) quod incœpit per gratiam ſufficientem, ſeu excitantem, perfecturus ſit per efficacem, niſi in homine inveniat obicem. 3°. quòd homo gratiam habens ſufficientem, non habeat efficacem, ex defectu hominis provenit, non ex defectu Dei, ut docent, cum divina Scriptura, Concilium Tridentinum, & SS. Patres.

53 Siquidem Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. c. 13. dicit, quòd juſtificati omnes, qui gratiam habent ſufficientem ad perſeverandum, in Dei auxilio firmiſſimam ſpem collocare debent: *Deus enim, niſi ipſi illius gratiæ defuerint, ſicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle, & perficere, ut Apoſtolus dicit ad Philipp.* c. 1. v. 6. & cap. 2. v. 13. Quæ Tridentini ratio, Apoſtolique ſententia non ſolùm procedit de gratia efficaci ad perſeverandum, ſed & ad quamcumque piam actionem; ad quam juſti gratiam habentes ſufficientem, habituri ſunt efficacem, niſi in ipſis aliquid obſtet: quia Deus, quantùm eſt ex ſe, paratus eſt perficere quod incœpit, operando velle & perficere.

54 Unde Auguſtinus l. 2. de peccat. merit. c. 17. de gratia loquens adjuvante, ſeu efficaci, *Ut innoteſcat* (inquit) *quod latebat, & ſuave fiat quod non delectabat, gratia Dei eſt, quæ hominum adjuvat voluntates, quâ ut non adjuventur, in ipſis itidem cauſa eſt.* Et inducto paulò poſt prophetico teſtimonio Hierem. 10. *Scio, Domine, quia non eſt in homine via ejus, nec viri eſt ut ambulet, & dirigat greſſus ſuos*, explicans verba immediatè ſequentia: „ Corripe me, Domine, verumtamen in judicio, & non in furore tuo; „ *tamquam diceret* (inquit) *Scio, Domine, ad correptionem, adeòque ad culpam meam pertinere, quòd minùs à te adjuver.* Author quoque librorum de vocat. Gent. l. 2. c. 26. de eo quem Deus vocat, adjuvatque, dicit quòd *de ſua habet mutabilitate, ſi deficit; de gratiæ opitulatione, ſi proficit.* Et Anſelmus l. de caſu diab. c. 3. dicit, quòd diabolo gratiam Deus non conceſſit, quia accipere ipſe non voluit. Denique pluribus omiſſis, S. Thomas 1. 2. q. 112. a. 3. ad 2. *Defectus gratiæ prima cauſa eſt ex nobis; ſed collationis gratiæ prima cauſa eſt ex Deo, ſecundùm illud Oſee: Perditio tua ex te, tantummodò in me auxilium tuum.* Et 2. 2. q. 2. a. 5. ad 2. *Auxilium gratiæ, cum quo homo poteſt Deum diligere, & credere.... quibus non datur, ex juſtitia non datur, in pœnam præcedentis, aut ſaltem originalis peccati, ut Auguſtinus dicit.* Enimverò, ut idem S. Doctor ait l. 3. contra Gent. c. 159. *Deus, quantùm in ſe eſt, paratus eſt omnibus gratiam dare (vult enim omnes ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, ut dicitur 1. Timoth. 2.) ſed illi ſoli gratiâ privantur, qui in ſeipſis gratiæ impedimentum præſtant: ſicut ſole mundum illuminante, in culpam imputatur ei qui oculos claudit, ſi ex hoc aliquod malum ſequatur, licèt videre non poſſit, niſi lumine ſolis ſit præventus.* Et q. 3. de malo: *Ex indiſpoſitione hominis provenit, ut motio primi moventis non ſit perfecta, ita ut perfectam operationem producat. Quæ indiſpoſitio vel eſt præcedens peccatum, vel eſt error, ignorantia, vel ſaltem inadvertentia*, propter quorum aliquod motio Dei moventis ſufficienter ad bonum non ſit ita efficax, ut perfectam in homine operationem producat. Quæ omnia ex culpa hominis ſunt.

Triplex nihilominùs circa hoc difficultas eſſe 55
videtur. Prima in Angelis, qui ceciderunt. Secunda in primo homine, qui pariter cecidit. Tertia in homine ab infantia baptizato, primùm poſteà peccante. Neque enim facile eſt in ipſis primam aſſignare culpam, propter quam ipſis negata fuerit gratia perſeverantiæ. Quam tamen Angelis, & primo homini, & baptizato illi, ob culpam eſſe negatam, ſequitur ex dictis, docetque S. Thomas in 2. diſt. 5. innuitque Tridentinum ſuprà, ſicut & Auguſtinus, tam in locis commemoratis, quàm in l. de corrept. & grat. & in l. de dono perſev. Quo utroque loco dicit, quòd Angelus & homo ſuâ culpâ ceciderint, quòdque ſi voluiſſent, ſtetiſſent; & ideò non ſteterint, quia noluerunt; denique quòd ſi auxilium ſine quo non, ipſis ſine ſua culpa ſubtractum fuiſſet, ſuâ culpâ non cecidiſſent. Gratia ergo neceſſaria ipſis ſine culpa ſua ſubtracta non fuit. Idque etiam diſertè docet S. Anſelmus loco citato.

Ad primam & ſecundam difficultatem reſpondeo, gratiam actualem, in ſtatu naturæ 56
integræ, libero Angeli, & primi hominis arbitrio ſubjectam fuiſſe, ſecundùm Auguſtinum; neque enim fuit auxilium quo, ſed ſine quo non; non proinde ex ſe efficax, ſed ex determinatione voluntatis angelicæ & humanæ. Et hinc non difficulter aſſignatur prima cauſa non perſeverantiæ ipſorum: cùm ipſiſſima fuerit voluntas ipſorum. Scio aliter reſpondere Thomiſtas, ſcilicet Angelis lapſis gratiam perſeverantiæ negatam fuiſſe ob nimium affectum erga propriam excellentiam; Ada- 57

mo verò ob nimium affectum erga uxorem suam, antequam vel Angelus, vel Adamus peccatum suum consummaret, consummandoque mortaliter peccaret; & sic peccando gratiam amitteret. Quia per nimium affectum istum uterque se subtraxit ab ordine debito ad gratiam efficacem perseverantiæ recipiendam, quam Deus utrique dare cœperat, ipsos in gratia creando, dandoque ipsis gratiam sufficientem, sive auxilium sine quo non, quo in ea possent perseverare. Gratiam ergo efficacem perseverantiæ, quam ipsis dare cœperat, ante culpam non negavit; sed, posteaquam ei impedimentum suo illo affectu nimio præstiterunt, Deus quod incœperat non perfecit. In nimio proinde affectu illo, & Angeli, & hominis culpa incœpit, & istud culpæ initium causa fuit, quòd nec Angelus, nec homo consideravit quod considerare debuit. Ex qua tandem culpabili inconsideratione uterque processit ad peccatum suum consummatum, Angelus se ad se velut ad finem positivè ultimum convertendo; Adamus de ligno vetito comedendo. Quod totum (secundùm ipsos) isto contigit ordine.

Primò, Deus utrumque in gratia creavit, 57
& gratiam utrique sufficientem ad perseverandum conferendo, gratiam ad id efficacem in ea dare incœpit. Secundò, uterque, ex nimio affectu antè dicto, initiativè se culpabilem reddidit, deficereque incœpit. Tertiò, propter culpabilem istum defectum gratiæ efficacis (quam dare cœperat) complementum Deus utrique denegavit. Quartò, uterque, gratiâ efficaci justè privatus, non considera-vit, quod considerare debuit; nimium utique affectum istum esse obstaculum gratiæ ad perseverandum necessariæ; quod obstaculum eodem præcepto uterque cavere tenebatur, quo Angelus tenebatur in Deum se convertere, & Adamus de ligno vetito non edere. Quintò denique ex nimio illo affectu, inconsideratione-que, uterque processit ad peccatum suum consummatum, ad se utique convertendum ad seipsum, velut ad finem, & ad esum ligni vetiti. Ita utramque difficultatem expedire conatur Lemos to. 4. l. 4. p. 2. tr. 3. n. 89. 90. 91. & seqq. Verùm superest difficultas, qua de causa primo homini & Angelo negata fuerit gratia efficax, ad vitandum nimium affectum suprà dictum; quem cùm nulla culpa præcesserit, sine culpa præcedente secundùm Thomistas, subtracta fuisse videtur. Nec video quomodò evacuari queat difficultas ista, nisi insistendo doctrinæ S. Augustini in l. de corrept. & grat. secundùm quam gratia efficax, isto in statu, necessaria non fuit, sed sola gratia sufficiens, quâ uti noluerunt, ad affectum illum vitandum. Nisi hoc dicatur, dicendum erit Deum solâ suâ voluntate, absque prævia ipsorum, gratiam necessariam ipsis subtraxisse. Quod nec Augustinianæ doctrinæ consonum videtur, nec Angelicæ.

58 Ad tertiam difficultatem respondeo, ni-

mium etiam affectum erga sensibilia bona, à quo pueri baptizati non averruntur per christianam parentum educationem, posse esse causam negatæ ipsis gratiæ efficacis ad perseverandum in innocentia baptismali. 2°. peccatum originale esse primam causam & radicem istius denegationis, licet respectivè ad eos quibus est dimissum, nullo modo permaneat quoad reatum. Sic enim docent sancti Patres, Theologique graviſſimi, uti videbitur cap. 25. ubi difficultatem istam pro modulo explanabimus.

Observandum 4°. quòd licèt (ut n. 52. 59.
dixi) quisquis primam habet gratiam sufficientem, v. g. tenuissimam boni complacentiam, malique displicentiam, cæteras, ipsam quoque efficacem, in sua habeat potestate, modo ibi dicto; non ideò tamen peccator per solam illam quam habet, primam gratiam, habet potentiam ultimò completam, proximèque expeditam ad actum ultimum, v. g. ad plenam conversionem; utpote ad quam plures aliæ gratiæ adhuc ipsi desunt, per quas boni complacentia, malique displicentia augeatur, promoveatur, perficiaturque usque ad plenum peccati odium, detestationemque; tametsi potentia ipsius tantò propiùs ad completam accedat, quantò magis promovetur per gratias illas ulteriores, & ulteriores; quarum tota series ad ultimum illum actum ordinatur.

Observandum 5°. quòd licèt peccator, per 60
solam illam primam gratiam, non habeat potentiam (etiam in actu primo) completam, proximèque expeditam ad actum illum ultimum; eam tamen habere potest, quia à Deo recipere potest gratias illas ulteriores, & ulteriores, per quas potentia ipsius in actu primo compleatur. Cùm Deus voluntate antecedente paratus sit eas conferre omni homini, iis obicem non ponenti.

Observandum 6°. nullam gratiam purè 61
sufficientem ad actum illum ultimum tribuere potentiam consequentem (seu, ut Augustinus loquitur, possibilitatem cum effectu) sed potentiam antecedentem dumtaxat & in actu primo. Quia potentia consequens est per solam gratiam efficacem, ut constat ex innumeris sacris textibus, Sanctorumque testimoniis, quibus edocemur nihil nos facere, sive nullum à nobis actum pium effici posse absque gratia efficaci, potentia utique conjuncta vel conjungenda cum effectu.

Non ideò tamen præceptorum observantia 63
impossibilis est homini, gratiâ efficaci destituto; utpote qui licèt ea servare nequeat potentiâ consequente, potest potentiâ antecedente. Atque ita homo, gratiâ sufficiente instructus, absque efficaci, & potest, & non potest mandata servare. Potest potentiâ antecedenti: quia non deest ipsi gratia proximè vel remotè sufficiens ad tale posse. Non potest potentiâ consequenti: quia deest ipsi gratia efficax, sine qua potentia antecedens esse non potest conjuncta cum effectu.

Si dicas, potentiam illam antecedentem, 64

homini gratiâ efficace destituto haud magis proficuam esse, quàm homini in tenebris constituto, proficua sit integra illæsaque videndi potentia.

Respondeo 1°. inter ista comparationem aliquam esse, non omnimodam. Quia potentia antecedens hominis in actu primo complèri potest per gratiam Thomisticè sufficientem; non potentia visiva per lucem, utpote non necessariam ex parte potentiæ visivæ, etiam in actu primo completæ, sed vel ex parte visionis, vel ex parte objecti, vel ex parte medii dumtaxat.

64 Respondeo 2°. nec ipsam videndi potentiam illæsam, integramque, homini in tenebris constituto inutilem esse; sed haud dubiè magis proficuam, quàm si foret cæcus, vel in oculo læsus. Cùm proficua sit ad posse videre, etiam potentiâ consequente, sive conjungendâ cum actu, dum lux advenerit.

65 Respondeo 3°. de gratia sufficiente, absque efficaci, dici posse, quod Apostolus dicit de lege absque gratia; aliquo utique sensu nihil prodesse (quatenùs non dat potentiam consequentem ad observantiam sui) tametsi alio sensu plures ipsius utilitates idem Apostolus enumeret.

CAPUT VI.

In hoc statu naturæ corruptæ, nullum actum usquequaque bonum, sive benè, cumque debitis omnibus circumstantiis factum, homo efficere potest, absque auxilio gratiæ actualis.

66 Assertionem hanc (cum SS. Patribus paulò post referendis) insignes Theologi tradunt, S. Thomas c. 8. exhibendus, Gerson, Dionysius Carthusianus, Gregorius Ariminensis, Alphonsus à Castro, Prolegom. 6. n. 166. laudati. Roffensis contra art. 36. Lutheri. Molanus Theol. pract. tr. 3. c. 4. n. 5. Capreolus in 2. dist. 28. q. 1. a. 1. & 3. Thomas de Lemos in Panoplia grat. to. 3. l. 3. p. 2. tr. 2. cap. 9. Alvarez l. 6. de auxil. disp. 50. Contenson to. 5. dissert. 2. c. 1. specul. 2. (dicens hanc esse veterum Thomistarum sententiam.) Cardinalis Bona in princip. vit. christ. p. 1. §. 3. Franciscus à S. Augustino de Macedo in cortina S. Aug. Mathias Hauseur in Anatomia oper. S. Aug. ad librum 4. ipsius contra Julian. c. 3. Carolus Joseph Tricassinus, Capucinus, lib. de grat. omnib. & singul. data p. 2. sect. 2. §. 5. 6. 7. 8. & 9. Qui tres postremi in versandis perpendendisque Augustini operibus plurimùm sese insudasse, annosque multos insumpsisse testantur. Denique Navarrus in Manuali c. 27. n. 290. sic loquitur: *Opinio, quæ videtur esse S. Augustini, & aliorum Antiquorum, quam sequitur Gregorius Ariminensis, & in quam inclinat S. Thomas 1. 2. q. 109. a. 6. & S. Bonaventura in 2. dist. 28. quamque munit ibi Major 24. argumentis, tenet neminem posse, solo arbitrio, & concursu Dei generali, sine auxilio ejus speciali, etiam moraliter tantùm, benè operari.*

Probatur 1°. ex Scripturis, Conciliis & 67
Patribus, quibus cap. 13. monstrabimus, omnem Dei propter se amorem, etiam imperfectum, à Deo esse per gratiam. Atqui sine Dei propter se amore, saltem imperfecto, nullus actus est usquequaque bonus, uti probavimus in superioribus libris.

2°. Ex testimoniis divinæ Scripturæ, ve- 68
terumque Patrum, Origenis, Chrysostomi, Leonis Papæ, Bonifacii Papæ, Augustini, Prosperi, Juliani Pomerii, Gregorii, Remigii, Bedæ, Rabani, Bernardi, quibus Prolegomeno 6. c. 15. §. 4. & 5. ostendimus nullum dari actum usquequaque bonum, seu benè factum, sine aliquo saltem fidei, seu gratiæ actualis crepusculo.

3°. Ex sacris testimoniis sequentibus, *Si-* 69
ne me nihil potestis facere. Joan. 15. *Quid habes quod non accepisti?* 1. Cor. 4. *Nemo potest (piè) dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto.* Ibidem c. 12. *Non sumus sufficientes (piè) cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est.* 2. Cor. 3. *Deus est qui operatur in vobis velle & operari pro bona voluntate.* Philipp. 3. Quæ testimonia communis traditio Sanctorum sic intelligit, ut nihil vel minimum (sive enim parum, sive multum, sine illo fieri non posse dicit Augustinus, sine quo nihil fieri potest) benè fieri, vel cogitari possit, sine Christi gratia; nihil (inquam) usquequaque bonum, nihil debitis omnibus circumstantiis ornatum. Quomodò testimonia illis cum SS. Patribus, vel ipsa intelligunt Concilia, & Pontifices, uti vidimus eodem Prolegom. 6. c. 12.

4°. Ex Concilio Arausicano II. c. 9. in quo 70
videtur hæc veritas definita (ait Lemos loco citato) ibi namque definitur, quòd *quoties bona agimus, Deus in nobis & nobiscum operatur.* Et cap. 20. additur quòd *nulla facit homo bona, quæ non Deus præstet ut faciat homo.* Et cap. 25. *Secundùm suprascriptas sanctarum Scripturarum sententias, vel antiquorum Patrum definitiones, hoc (Deo propitiante) & prædicare debemus, & credere, quòd per peccatum primi hominis ita inclinatum & attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus postea aut diligere Deum sicut oportet, vel credere in Deum, vel operari propter Deum quod bonum est possit, nisi gratia eum & misericordia divina præcesserit.* Si nullus operati propter Deum quod bonum est possit, nisi gratia eum præcesserit; nullus ergo benè operari potest. Nullus enim benè operatur, nisi propter Deum operetur, prout libris superioribus demonstravimus.

5°. Ex communi Ecclesiæ sensu, canen- 71
tis in Festo Pentecostes: *Sine tuo Numine nihil est in homine, nihil est innoxium.*

6°. Ex communi Patrum definitione, 72
de qua testimonium perhibet Arausicanum proximè laudatum; sicut & Martyr Roffen-

sis loco relato dicens : *Hoc dixi propter Patres, quorum sententiam sequi malui .... Patres enim asserunt, neminem posse quidquam boni benè facere, sine speciali Dei auxilio, nec sufficere generalem illum influxum.* Atque hanc imprimis Augustini sententiam esse, perspicuum est ex testimoniis expressissimis ipsius Prolegom. 6. c. 12. exhibitis, ubi pariter consentientia habes testimonia Ambrosii, Hieronymi, Prosperi, Gregorii Magni, sanctorum Patrum in Sardinia exulum, &c. Quibus adjungere lubet testimonium extaticæ Virginis S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis lib. 6. divin. intelligentiar. cap. 13. dicentis, quòd *nemo absque Spiritûs sancti gratia potest bonum aliquod agere.*

73 7°. Ex judicio S. Congregationis de Auxiliis de die 8. Julii 1602. quo propositionem hanc Molinæ : *Cum solo concursu generali Dei, absque alio dono vel auxilio gratiæ, potest homo efficere opus bonum morale, quod sini naturali hominis accommodatum, atque comparatione illius sit verè bonum, & virtutis opus; non tamen quod fini supernaturali sit accommodatum, quodque comparatione illius bonum simpliciter ac virtutis opus dici queat.* Hanc (inquam) propositionem S. Congregatio, auditis partibus in judicio contradictorio, censuit esse omninò contrariam expressæ doctrinæ S. Augustini; neque excusari aliquo modo posse ab errore, non obstantibus ex adverso productis à Patribus Societatis, scripto & voce, prout videre est in Historia Congregat. de Auxil. l. 3. c. 9. Et in Appendice illius §. 13. ubi inter Canones doctrinæ damnandæ, à Consultoribus, jubente Paulo V. ultimò recognitos, refertur iste : *Dicere quòd in statu naturæ lapsæ homo cum solo concursu Dei generali, absque alio dono vel auxilio gratiæ, possit efficere opus bonum morale, quod fini naturali hominis accommodatum, atque comparatione illius sit verè bonum, veræque virtutis opus, referendo illud in Deum naturaliter cognitum: id doctrinæ illi contradicit, quâ contra reliquias Pelagianismi olim (in Arausicano) definitum est, quòd, post peccatum primi hominis, nullus operari propter Deum, quod bonum est, possit, nisi gratia eum & misericordia divina prævenerit. Ex qua tamen doctrina nequaquam sequitur, quòd omne opus, quod sine speciali gratia fit ab homine, etiam infideli, sit peccatum.*

74 8°. Vel præsens assertio nostra vera est, in sacrisque Litteris & Traditione benè fundata; vel vera non est Augustini de Pelagianis victoria, nec suis ipsos argumentis contrivit. Atqui hoc posterius contra communem est totius Ecclesiæ sensum. Prius ergo dicendum. Probatur major, quia Augustinus pulcherrimam totius suæ contra Pelagianos doctrinæ harmoniam in duobus fundavit principiis, velut in Scriptura & Traditione fundatis, partim utique in eo quòd omne opus usquequaque bonum, nullâque debitâ circumstantiâ destitutum, esse debeat ex aliqua saltem imperfecta charitate, saltem generaliter accepta pro Dei propter se dilectione; partim in eo quòd charitas ista, seu Dei propter se dilectio, à Deo sit per gratiam, non ex hominibus per naturam, ut perspicuum est percurrenti libros quos contra Pelagianos scripsit, prolixioremque disputationem, quâ gratiæ ad omnes & singulos actus bonos, ad debitumque finem ultimum relatos necessitatem, adversus Julianum probat, in suis contra eum libris. Videatur caput 18. libri de grat. & lib. arb. ubi utrumque illud principium assumit. Prius quidem hisce verbis : *Quidquid se putaverit homo facere benè, si fiat sine charitate, nullo modo fit benè.* Posterius, verbis sequentibus : *Unde est in hominibus charitas Dei, & proximi, nisi ex ipso Deo? Nam si non ex Deo, sed ex hominibus, vicerunt Pelagiani. Si autem ex Deo, vicimus Pelagianos. Sedeat ergo inter nos Judex Apostolus Joannes, eos confundens, & dicens, quia dilectio ex Deo est. Non itaque ex nobis, sed ex Deo.*

Et reverà duobus illis principiis tres capitales Pelagianorum contrivit errores, in eo consistentes, primò, quòd gratiæ negarent necessitatem ad benè operandum, sive ad singulos actus benè factos. Secundò, quòd vellent gratiam secundùm merita nostra dari. Tertiò, quòd pro vera Christi gratia, non veram substituerent, gratiam constituentes, vel in libero arbitrio, vel in lege atque doctrina, vel in interna mentis illuminatione, non in charitatis inspiratione, in qua veram Christi gratiam collocat Augustinus l. 4. ad Bonifac. c. 5. dicens, Pelagianos non admittere *inspirationem dilectionis, ut cognita sancto amore faciamus, quæ propriè gratia est.* 75

Tres istos capitales errores duobus illis Augustini principiis funditùs everti certissimum est. Si enim nullum opus bonum benè fieri, nec proinde usquequaque bonum esse queat, absque Dei propter se dilectione, & hæc in nobis esse nequeat, nisi ex vera illa Christi gratia : igitur 1°. nullum est opus usquequaque bonum, nisi ex gratia. 2°. nullum meritum, nisi ex gratia : quam proinde nulla præcedunt merita. 3°. vera Christi gratia, neque est solum liberum arbitrium; neque lex, atque doctrina; neque sola mentis, seu intellectûs illuminatio; sed divinæ dilectionis inspiratio, uti S. Augustinus non solùm docet loco citato, sed & l. de grat. Christi c. 3. dicens, quòd Deus *veram gratiam largitur, dum dilectionem inspirat.* Unde cap. 26. eam Christi gratiam vocat, *quâ charitas diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum.* Cap. 33. eam vocat *spiritum charitatis.* Cap. 35. *inspirationem flagrantissimæ & luminosissimæ charitatis.* Loco citato ad Bonifac. *inspirationem dilectionis.* De correpț. & grat. c. 2. *inspirationem bonæ voluntatis*, &c. 76

Quòdque error capitalis Pelagianorum, negans gratiæ ad singulos actus necessitatem, 77

uno isto non vincatur principio, *charitas ex Deo est per gratiam*, nisi alterum subsumendo principium, *sine charitate, nullus est actus benè factus:* ex eo constat, quòd si aliquis actus benè factus, absque omni charitate esse posset, ex eo quòd charitas ex Deo sit, confici non posset gratiæ necessitas ad singulos actus benè factos.

78 Ad hoc proinde necessaria est utriusque principii conjunctio. Et ideò Augustinus, contra Pelagianos disputans, tam operosè inculcavit, nulla esse opera bona benè facta ante fidem, saltem inchoatam. Eò quòd utique intentio bona, ad quam necessaria est fides & charitas, ad opus quodcumque benè factum requisita sit: ut enim ait in Præfat. Psal. 31. *Bonum opus intentio facit; intentionem fides dirigit*, fides utique quæ *per dilectionem operatur. Ea* quippe *sola sunt opera bona, quæ fiunt per dilectionem Dei. Hanc autem necesse est ut antecedat fides.* Enarrat. in Psal. 67.

79 Hinc etiam epist. 105. contra eosdem Pelagianos demonstrat, nulla opera usquequaque bona præcedere gratiam. Quia nulla præcedunt fidem, *unde omnis justitia sumit initium.... Fides verò gratiæ donum est.... Opera quidem bona fiunt ab homine. Sed fides fit in homine, sine qua illa à nullo fiunt homine. Omne enim quod non est ex fide, peccatum est.* Ideò verò fidem tam operosè dicit necessariam ad quodcumque opus benè factum, quia necessaria est ad dilectionem, *sine qua* (ut ibidem ait) *nemo benè vivit.... Hanc enim fidem Apostolus definit, dicens, quòd neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides quæ per dilectionem operatur.*

80 Similiter epist. 106. c. 2. probat, *nihil pietatis atque justitiæ sive in opere, sive in voluntate, absque gratia esse posse: quoniam fides, quæ per dilectionem operatur, nihil operaretur, nisi dilectio Dei diffunderetur in cordibus nostris per Spiritum sanctum.... Nec ipsa fides esset in nobis, nisi Deus unicuique partiretur mensuram fidei.* Et c. 3. *Habeant fidem, quâ impetrent charitatem, quæ sola verè benè operatur.... Charitas autem usque adeò donum Dei est, ut Deus dicatur.*

81 Sed quia Augustinus nullibi luculentiùs assertionis nostræ veritatem ostendit, quàm l. 4. contra Julian. c. 3. lubet caput istud enucleatiùs perpendere.

CAPUT VII.

Nullum in hoc statu esse actum usquequaque bonum, nisi ex gratia & charitate sit, saltem generaliter accepta, uberiùs ostenditur ex Augustino l. 4. contra Julianum c. 3.

82 IN prolixa disputatione, quam ibi contra Julianum, Pelagianorum Coriphæum, Augustinus instituit, observanda primò est disputationis occasio. Secundò, argumenta Juliani. Tertiò, responsiones Augustini. Quartò, Augustini contra Julianum argumenta. Quintò, exceptiones seu responsiones Juliani, earumque confutatio per Augustinum. Sextò, totius disputationis conclusio, quam Augustinus facit, reducendo eam ad duo suprà enarrata principia sua, unde disputationis orta est occasio. Quæ omnia quisquis seriâ mente, atque à præjudiciis liberâ perpenderit, eaque ad invicem contulerit, de Augustini mente, pro assertionis nostræ veritate, rationabiliter non poterit dubitare; quemadmodùm nec de insufficientia glossarum, quibus Recentiores nonnulli Augustinum exponunt, non ut sapit, sed ut ipsi sapiunt; nec sua ad amussim Augustini accommodantes opinamenta, sed Augustini amussim ad opinamenta sua.

§. I.

Disputationis occasio.

IN principio itaque laudati c. 3. occasionem 83
memorat Augustinus prolixæ illius disputationis, dum eam ortam dicit ex duobus principiis num. 74. memoratis, quibus tres capitales impetit Pelagianorum errores n. 75. descriptos. Cùm enim principia illa statuisset l. 1. de nupt. & concupisc. primum cap. 3. ubi dixerat, *donum Dei esse etiam pudicitiam conjugalem.* Et c. 4. *Cùm faciunt homines sine fide* (id est, absque auxilio gratiæ) *quæ videntur ad pudicitiam conjugalem pertinere.... non peccata coërcentur, sed aliis peccatis alia peccata vincuntur.* Alterum verbis immediatè sequentibus: *Absit pudicum veraciter dici, qui non propter Deum verum* (adeòque non ex vero Dei propter se amore, qui non est absque auxilio gratiæ) *fidem connubii servat uxori.* Julianus, videns duobus illis principiis Pelagianismi sui capitalia fundamenta prorsus everti, adversus duos Augustini libros de nupt. & concupisc. sex vulgavit libros, quibus Augustinus occurrit quatuor suis adversus Julianum libris.

§. II.

Argumenta Juliani.

AUgustinus igitur l. 4. contra Julianum c. 84
3. duas illas propositiones prolixâ stabilit disputatione, in cujus exordio (post commemoratam disputationis occasionem, ut suprà) duo ponit argumenta Juliani, contra duas illas propositiones, atque adeò contra veritatem præsentis assertionis. Quorum quidem argumentorum primum petitur ab exemplo infidelium: *Soletis* (inquit) *negantes Dei dona esse virtutes, quibus rectè vivitur.... hoc uti argumento, quòd eas nonnunquam habeant infideles.* Et infrà: *Exempla nobis opponitis impiorum, qui solis libertatis ingenitæ viribus, & misericordes, & modesti, & casti inveniuntur, & sobrii.* Alterum petitur ex textu Apostoli Rom. 2. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt.*

§. III.

§. III.

Responsiones Augustini.

85 AD primum respondet Augustinus, negando, in impiis, seu infidelibus, sine ullo gratiæ dono, veras esse virtutes, contrariumque probat argumentis §. sequenti subjiciendis. Unde postquam dixisset: *Sed exempla nobis opponitis impiorum, qui, solis libertatis ingenitæ viribus, & misericordes & modesti, &c.* sic subjungit: *Quantò satiùs hæc ipsa in eis dona Dei fatereris.... quantò tolerabiliùs illas, quas dicis in ipsis esse virtutes, divino muneri potiùs, quàm eorum tribueres voluntati.* Ubi (inquit R. P. Hauseur ubi suprà) admittit potiùs aliquam Dei gratiam in infidelibus, ad quasdam virtutes, & opera virtutum, quàm veras virtutes & eorum opera, rectè facta ex solis naturæ viribus.

Ad secundum respondet, quòd ideò dicuntur sine lege, naturaliter quæ legis sunt facere, quia ex gentibus venerunt, non ex circumcisione, & propterea naturaliter, quia, ut crederent, ipsa in eis est per gratiam correcta natura, quasi dicat quòd ly *naturaliter*, ibi accipitur, prout idem est quod per naturam gratiâ correctam; non idem quod per solas naturæ vires. Quod ne gratis dixisse videatur, varia profert contra Julianum argumenta, quibus ostendit, quòd, sine ulla gratia, & fide, saltem inchoata, infideles nulla faciunt opera omni ex parte bona, nullasque proinde veras habent virtutes.

§. IV.

Augustini contra Julianum argumenta.

86 PRimum petit ex eo, quòd omnis actus, omni ex parte bonus, sive omnis actus virtutis veræ, id est, numeris omnibus absolutæ, sit justitia quædam actualis, per quam operans denominatur justus, justitiâ utique actuali. Sed *absit* (inquit Augustinus) *ut in eo sit vera virtus, nisi fuerit justus. Absit autem ut sit justus verè, nisi vivat ex fide... quia justus ex fide vivit.* Nullus autem destitutus omni gratiâ, vivit ex fide, etiam inchoatâ.

87 Secundum argumentum: *Sicut* (Galat. 2.) *si per legem justitia: ergo Christus gratis mortuus est. Ita si per naturam voluntatemque qualiscumque justitia: ergo gratis Christus mortuus est. Porrò si veram justitiam per naturam voluntatemque non habent impii, profectò nec alias virtutes*, &c.

88 Tertium argumentum: quia *cùm non ad suum referuntur Authorem dona Dei, hoc ipso mali, his utentes, efficiuntur injusti.* Siquas proinde, sine ista relatione, virtutes habent, veras non habent; ac per hoc nec continentia, sive pudicitia, vera virtus est impiorum.

89 Quartum argumentum: quia *ideò veras virtutes habemus, quia verum est propter quod facimus* (id est, ad verum finem nostrum ultimum illas referimus; sic enim in verbis immediatè sequentibus seipsum explicat Augustinus) *id est, hoc naturæ nostræ consentaneum est ad salutem, & veram felicitatem. Non enim absurdè virtus definita est: animi habitus naturæ modo atque rationi conveniens. Sed quid sit consentaneum liberandæ ac beatificandæ naturæ mortalium, nescierunt.... Sed vera beatitudo præstari hominibus non potest, nisi per Jesum Christum, & hunc crucifixum.... Si ergo ad consequendam veram beatitudinem.... nihil prosunt homini virtutes, nullo modo veræ possunt esse virtutes*: nec proinde veræ esse possunt, sine dono gratiæ, sine quo ad veram beatitudinem non possunt esse proficuæ.

Quintum argumentum petit ex his Apostoli verbis Rom. 14. *Omne quod non est ex fide, peccatum est.* Et Hebr. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo.* Ex quibus infert: *Isti ergo qui naturali lege sunt justi, aut placent Deo, & ex fide placent. Et ex qua, nisi Christi? .... aut si fidem non habent Christi* (saltem inchoatam) *profectò nec justi sunt, nec Deo placent. Imò Deo displicent; utpote hoc peccantes, quòd homines sine fide, non ad eum finem ista opera retulerunt* (quibus utique opus legis hactenùs observarunt, ut aliis non facerent, quod perpeti nollent) *ad quem referre debuerunt.* 90

Sextum argumentum petit ex Matth. 7. *Non potest arbor mala fructus bonos facere*, ubi per arborem, Augustinus intelligit voluntatem. Voluntas autem hominis infidelis, omni gratiâ destituti, non est voluntas bona, nec proinde arbor bona (quia, ut ait in locis referendis, sine charitate, atque adeò sine gratia, non est voluntas bona. Et, ut hîc ait: *absit ut sit, vel dicatur voluntas bona, quæ.... non in Domino gloriatur*) ac per consequens est voluntas mala, & arbor mala. Non igitur potest fructus bonos, id est, opera omni ex parte bona facere. 91

Septimum argumentum continetur in verbis proximè relatis: *Absit ut sit, vel dicatur voluntas bona, quæ in aliis, vel in seipsa, non in Domino gloriatur.* Quibus insinuat voluntatem eo ipso gloriari in creatura, quo non gloriatur in Domino: quia scilicet gloriam finis, saltem negativè ultimi, creaturæ, non Deo tribuit, hoc ipso quo eam habet pro fine, saltem negativè ultimo. Ob ea quæ dixi lib. 5. & 8. Voluntas autem, quæ gloriatur in creatura, est voluntas mala: ergo fructus ejus est malus: non enim est fructus bonus, nisi bonâ factus fuerit voluntate. 92

Octavum argumentum, illudque fundamentale, sic conficit, per rationem à priori: *Noveris, non officiis, sed finibus, à vitiis discernendus esse virtutes. Officium autem est quod faciendum est; finis autem, propter quod faciendum est: unde officium servit fini, propter quem fit.* Atqui veræ virtutes nulli alteri servire finaliter possunt, nisi Deo. Nullum igitur finem habere possunt, propter quem fina- 93

liter fiant, nisi Deum: atque adeò vera est propositio, undè orta est præsens disputatio: *Absit pudicum veraciter dici, qui non propter Deum verum, fidem connubii servat uxori.* Ex cujus veritate sequitur & veritas alterius; donum Dei esse pudicitiam conjugalem. Ut enim virtutis opus fiat propter Deum, requiritur gratiæ donum. Quòd autem veræ virtutes nulli alteri servire finaliter possint, nisi Deo, in præsenti capite his exprimit verbis: *Absit ut virtutes vera cuiquam serviant, nisi illi, vel propter illum, cui dicimus* (Psal. 59.) *Deus virtutum converte nos.* Absit proinde ut propter alium finem ultimatè fiant, quàm propter Deum. Quia *quidquid boni fit ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera sapientia præcipit, etsi officio videatur bonum, ipso non recto fine, peccatum est.* Vera autem sapientia præcipit officium virtutis fieri propter Deum: *cùm enim non ad suum referuntur Authorem dona Dei, hoc ipso mali, his utentes, efficiuntur iniqui.* Et ideò argumento octavo dicit, *veras virtutes soli Deo servire posse.* Et in fine capitis 3. (quòd præsentialiter expendimus) ait, quòd *sine amore Creatoris, nullis quisquam bene utitur creaturis.* Totoque eodem capite, Julianum reprehendit, negantem, officia bona ab infidelibus malè fieri, ex hoc quòd non fiant propter Deum. Quod cùm Julianus nunquam negaverit de officiis bonis, factis propter idolum, vel alium finem pravum, ly *non propter Deum*, Augustinus per Miosim non accipit, ut idem sit quod propter idolum, &c.

94 Et confirmatur, quia vera sapientia haud dubiè præcipit, officium virtutis benè seu rectè fieri (cùm scriptum sit, *justè quod justum est persequêris.*) At officium virtutis, seu bonum benè, seu rectè fieri, est illud fieri propter Deum. Tum quia est illud fieri intentione fidei bonæ, quæ per dilectionem operatur, ut hîc sub finem ait ex verbis Domini, Marci 6. *Si oculus tuus nequam est*, &c. probans eum, *qui non facit opera bona, intentione fidei bonæ, quæ per dilectionem operatur, totum corpus quod illis, velut membris, operibus constat, tenebrosum esse, hoc est, plenum nigredine peccatorum.* Tum quia in sequenti lib. 5. contra Julianum c. 3. dicit, officium virtutis tunc rectè fieri, cùm fit propter Deum, sive ex gratuito amore ipsius: *Hoc totum rectè fit, quando fit propter ipsum, id est, quando gratis amatur ipse*; qualis amor nobis esse non potest, nisi ex ipso. Tum denique quia id apertè declarat in lib. de gratia & lib. arb. c. 18. cùm ait: *Quidquid se putaverit homo facere benè, si fiat sine charitate, nullo modo fit benè*; sicut & omnibus aliis locis relatis, & referendis, quibus ad omne opus bonum, benè factum, charitatem requirit: charitas enim propter Deum operatur, quidquid operatur.

§. V.

Tres exceptiones, seu instantiæ Juliani, contra superiora argumenta, earumque confutatio per Augustinum.

EAs Augustinus proponit, primam sic: *Si gentilis* (inquit) *nudum operuerit, numquid quia non ex fide, nec proinde propter Deum, peccatum est?* Secundam sic: *Misericors voluntas bona est*; quasi dicat, ad bonam voluntatem sufficit affectus virtutis, v. g. misericordiæ; proinde necessaria non est relatio ipsius in Deum. Tertiam sic: *Ego sterliter bonos dixi homines, qui non propter Deum faciendo bonum, non ab eo vitam consequuntur æternam.* 95

Primam exceptionem sic dissolvit Augustinus: prorsus *in quantum non ex fide, peccatum est: non quia per seipsum factum, quod est nudum operire, peccatum est. Sed de tali opere, non in Domino gloriari, solus impius negat esse peccatum. Quod ut intelligas, quamvis jam satis inde fuerit disputatum; tamen quia magna res est, adhuc paulisper ausculta. Ecce eadem commemoro, quæ ipse posuisti: Si gentilis, qui non vivit ex fide, nudum operuerit, periclitantem liberaverit, ægri vulnera foverit, divitias honestæ amicitiæ impenderit, ad testimonium falsum nec tormentis potuerit impelli. Quæro abs te, utrùm hæc bona opera benè faciat, an malè? Si enim malè, negare eum non potes peccare..... Dicturus es, & bona facit, & benè. Fructus ergo bonos facit arbor mala* (*contra illud Matth. 7.* "Non potest arbor mala fructus bonos facere") *voluntas quippe, sine fide & gratia, est voluntas mala* (adeòque arbor mala) utpote non referens ista opera bona ad suum Authorem, sive ad eum finem, ad quem referre debet, ut Augustinus suprà dicit in quinto argumento. Et, quia est fide & gratiâ destituta, non gloriatur in Domino, sed in creatura, ut innuit in septimo argumento: *Absit autem, ut sit vel dicatur voluntas bona, quæ in aliis, vel in seipsa, non in Domino glorietur*, ut dicit ibidem. 96

Secundam exceptionem dissolvit sic: *Rectè istud diceretur, si quemadmodùm fides Christi, quæ per dilectionem operatur, semper est bona; ita misericordia semper esset bona. Si autem reperitur & misericordia mala* (*quâ persona pauperis accipitur in judicio*, quod prohibetur Exodi 23.) *attentiùs cogita, ne fortè misericordia bona non sit, nisi quæ hujus bonæ fidei fuerit* (quæ scilicet per dilectionem operatur, ut proximè dixit, quæque proinde sit propter Deum.) *Nam quamvis ipsa per seipsam naturali compassione, opus sit bonum, etiam isto bono malè utitur, qui infideliter utitur*, id est, sine fide per dilectionem operante, quâ id faciat propter Deum. 97

Tertiam exceptionem mirum quantùm repellit Augustinus: virtutes sterliter bonas, operaque undique bona, ad vitam æternam nihil proficua, velut insana figmenta, prorsus rejiciens. *Dici non potest* (inquit) *quantùm te fallat ista opinio, quâ dixisti, omnes virtutes, affectus esse, per quos, aut fructuosè, aut* 98

aut ſteriliter boni ſumus. Fieri autem non poteſt, ut ſteriliter boni ſimus; ſed boni non ſumus, quidquid ſteriliter ſumus. Arbor enim bona, bonos fructus facit. Abſit autem ut Deus, à quo ſecuris paratur arboribus non facientibus fructum, excidat, & in ignem mittat arbores bonas. Nullo igitur modo homines ſunt ſteriliter boni. Si nullo modo, nullus eſt locus diſtinctioni, nullus reſtrictioni, nullus evaſioni.

99 Pergit Auguſtinus, rurſuſque Julianum caſtigat, ſubjungens: *Quomodò igitur non aut jocaris in his diſputationibus, aut deliras, qui ſterilium fructus arborum laudas? qui utique aut nulli ſunt, aut ſi mali ſunt, laudandi non ſunt; aut ſi fructus boni ſunt, profectò ſteriles arbores non ſunt* (hæc notent, qui dicunt, nullo quidem modo homines eſſe ſteriliter bonos, nec arbores ſteriliter bonas, eſſe tamen aliquos fructus ſteriliter bonos) *imò & bonæ ſunt, quarum fructus boni ſunt, & debent Deo placere, cui bonæ arbores non poſſunt niſi placere; falſumque erit quod ſcriptum eſt:* „ Sine fide impoſſibile eſt placere Deo. „

100 *Sed reſponſurus es (quid niſi vana?) ego (inquis) ſteriliter bonos dixi homines, qui, non propter Deum faciendo bona quæ faciunt, non ab eo vitam conſequuntur æternam. Juſtus ergo Deus, & bonus, bonos eſt in mortem miſſurus æternam?* (in quam miſſurus eſt omnes, qui vitam non conſequentur æternam: cùm non detur ſtatus medius) *piget jam dicere, quàm multa te ſequantur inſana, talia ſentientem, talia dicentem.*

101 Nulla igitur opera ſteriliter bona, benè facta, Auguſtini agnoſcit Theologia, nullam veram juſtitiam ſterilem. Ut enim ſuprà dixerat; *per quod vera juſtitia, per hoc etiam regnum Dei. Deus namque ipſe, quod abſit, erit injuſtus, ſi ad ejus regnum verus non perducitur juſtus.* Nullas denique virtutes agnoſcit veras, & tamen ſteriles: *ſi ergo ad conſequendam veram beatitudinem.... nihil proſunt homini virtutes, nullo modo veræ poſſunt eſſe virtutes.* Quod & ampliùs patet ex dictis in quarto argumento. Quæ ſi, depoſito tantiſper præjudicio, notaſſent illi, de quibus ſuprà, non ſolùm non admiſiſſent homines ſteriliter bonos, nec arbores ſteriliter bonas, ſed nec virtutum opera ſteriliter bona.

§. VI.

Totius diſputationis concluſio.

102 PRolixam ſuper præmiſſis diſputationem, tandem Auguſtinus concludit, totam diſputationem reducendo ad duo ſupradicta principia, ſive ad duas propoſitiones, quæ illi dederunt occaſionem. Cùm enim Julianum finaliter impugnaſſet ad hominem, ſive ex propria ipſius conceſſione, dicens: *Aut certè, quoniam ſaltem concedis, opera infidelium, quæ tibi eorum videntur bona, non tamen eos ad ſalutem ſempiternam regnumque perducere* (eò quòd utique non faciant ea propter Deum, ut ſuprà) *ſcito nos illud bonum hominum dicere, illam voluntatem bonam, illud opus bonum, ſine Dei gratia.... nemini poſſe conferri, per quod homo ſolum poteſt ad æternum Dei donum regnumque perduci. Omnia proinde cætera* (per quæ utique perduci nequit ad regnum Dei) *quæ videntur inter homines habere aliquid laudis, videantur tibi* (Juliane) *virtutes veræ, videantur opera bona, & ſine ullo facta peccato. Quod ad me pertinet, hoc ſcio* (nota benè) *quia non ea facit voluntas bona* (id eſt, intentio bona, ſine qua non eſt voluntas bona, ut ſuprà Auguſtinus expreſſit:) *voluntas quippe infidelis & impia* (id eſt, omni fide & pietate carens) *non eſt bona* (quia debitum non intendit finem.) *Dicantur ſecundùm te hujuſmodi voluntates, arbores bonæ: ſufficit quòd apud Deum ſteriles ſint, ac per hoc non bonæ* (bonæ quippe apud Deum, non poſſunt apud Deum ſteriles eſſe, ut ſuprà oſtendit) *ſint inter homines fructuoſæ, inter quos ſunt & bonæ, te authore, te laudatore, ſi vis etiam plantatore: dum tamen velis nolis obtineam, quòd amor mundi... amorque fruendi quibuſcumque creaturis, ſine amore Creatoris, non eſt à Deo* (à quo eſt omne bonum;) *amor autem Dei, quo pervenitur ad Deum, non eſt niſi à Deo, per Jeſum Chriſtum, cum Spiritu ſancto; per hunc amorem Creatoris benè quiſque utitur creaturis. Hoc ergo amore opus eſt, ut bonum beatificum ſit, & pudicitia conjugalis* (in caſu dicto de nuptiis, & concupiſcentia, unde diſputationis occaſio eſt nata) *ut ſit ejus intentio, quando utitur conjugis carne, non in voluptate libidinis, ſed in voluntate propaginis*, Deo ſcilicet, ſive propter Deum generandæ, prout ad veram pudicitiam conjugalem neceſſarium eſſe dixit in eodem loco de nuptiis, & in proceſſu præſentis diſputationis.

Ecce ergo concludit Auguſtinus, opus eſſe 103
amore Creatoris (qui non eſt niſi à Deo per Jeſum Chriſtum) ad hoc ut ſit vera pudicitia conjugalis, uſuſque carnis conjugis referatur ad finem debitum, ſive fiat propter Deum. Concludit proinde neceſſariam eſſe charitatem, quæ à Deo ſit, per veram Jeſu Chriſti gratiam, ad hoc ut uſus ille (& conſequenter omnis alius actus, ad quem hujus occaſione ſe extendit) referatur ad finem debitum, in eoque caveatur omne peccatum. Quia, ut paulò antè dixit, alioqui non ea facit voluntas bona: voluntas quippe, omni gratiâ & charitate, quâ pervenitur ad Deum, deſtituta, non eſt bona, pro quo plura ejuſdem teſtimonia habes libro præcedenti cap. 30.

Non itaque per verba illa *: aut certè, quoniam ſaltem concedis*, &c. Auguſtinus concedit 104
duplex genus operum bonorum, quorum alia vitæ æternæ meritoria ſint, alia non ſint, ut Recentiores quidam opinati ſunt: cùm oppoſitum evidens ſit ex ſubſequentibus verbis ipſius, quæ ſuprà retulimus: *Omnia proinde cætera* (ad ſalutem non conducentia) *quæ videntur inter homines habere aliquid laudis, videantur tibi*

virtutes veræ, videantur opera bona, & sine ullo facta peccato. Quod ad me pertinet, hoc scio, quia non ea facit voluntas bona.

105 Augustinus etiam per eadem illa verba censeri non potest (ut censet Estius) ea correxisse, vel modificasse, quæ superiùs tam prolixè disputavit, quasi, per verba illa, innuere voluerit, satis esse ad causam Catholicam, cujus susceperat defensionem, si obtineret ejus generis bona, ab infidelibus sine fide fieri non posse, quæ meritoria sint vitæ æternæ. Hoc (inquam) censeri non potest, in eoque veritatem non attigisse doleo tantum virum. Tum quia, si ita esset, post tam prolixam disputationem, Augustinus id unum obtinere niteretur à Juliano, quod inter disputandum sibi concessum dixerat ab eo, nimirùm opera infidelium, eos ad vitam æternam non perducere, sed in ordine ad vitam æternam consequendam sterilia esse. Hoc autem dici nequit de tanto Doctore. Ridiculum quippe fuisset, post tanta molimina nihil ampliùs ab ipso postulare, nisi ut concederet, quod sciebat sibi ab eo antè concessum esse: nimisque incredibile est, quinque ingentes paginas in disputando contra Julianum, ab Augustino impensas, acerrimisque argumentis impletas fuisse, ut tandem omnia illa, vel pro non dictis, vel pro inefficaciter dictis, & minimè convincentibus haberet, fatereturque Julianum non teneri iis manum dare, sed posse, salvâ causâ Catholicâ, iis contraria sentire, admissisque operibus steriliter bonis, superiorum argumentorum vim effugere. Quasi anteà cum ipso, oppositum contendendo, non tam seriò, quàm joco egisset, vel certè solùm problematicè disputasset, velut in re non admodùm necessaria ad finem disputationis, quæ vertebatur inter Augustinum & Julianum, dummodò id à Juliano obtineret, quod ultrò concedebat, pro quo proinde tam prolixè disputandum non erat, ejus generis bona ab infidelibus non posse fieri, quæ meritoria sint cælestis regni. At non ita censuit Augustinus, nec joco, sed valdè seriò cum Juliano egit, qui Julianum ea in re jocantem tam acriter increpavit, dicens: *Non planè risum, sed fletum potiùs intelligentibus vester commovet risus, sicut mentibus amicorum sanorum fletum risus commovet phreneticorum.*

106 Nec verò quæstionem hanc problematicam esse putavit, sed pertinentem ad orthodoxam de gratia doctrinam; utpote ad quam pertinere censuit assertam à se necessitatem gratiæ ad omnes & singulos actus, omni ex parte bonos. Quod quidem tam persuasum habuit, ut negatâ illâ necessitate, evacuari crediderit prima fundamenta fidei, mortem scilicet, & passionem Christi: *Si enim* (inquit) *per naturam voluntatemque qualiscumque justitia: ergo gratis Christus mortuus est.* Et paulò post, cùm Julianus, exemplo Gentilium, qui naturaliter quæ legis sunt faciunt (de quibus Rom. 2.) contenderet, alienos à fide Christi, solis naturæ viribus, veram posse habere justitiam, quam tamen sterilem fatebatur, vehementer ipsum redarguit Augustinus, his verbis: *Ubi quidem dogma vestrum, quo estis inimici gratiæ Dei, quæ datur per Jesum Christum.... evidentiùs expressisti, introducens hominum genus, quod Deo placere possit, sine Christi fide, lege naturæ. Hoc est undè vos maximè Christiana detestatur Ecclesia.*

Quid ergo concluserit Augustinus, verbis illis, *aut certè quoniam saltem concedis*, &c.? 107 utique ex confessione Juliani, concedentis opera infidelium sine gratia facta, ad salutem non esse proficua, concluserit, opera illa non esse omni ex parte bona, nisi apparenter, & coram hominibus; non autem verè, & coram Deo: eò quòd non ea faciat voluntas verè bona, sive amor Dei, qui est à Deo per Jesum Christum (sine quo amore nemo benè utitur creaturis) sed ea cupiditas faciat, sive amor hærens finaliter in creatura, qui (utpote inordinatus) non est à Deo, nec proinde causare potest actum omni ex parte bonum, seu ordinatum.

Conclusio itaque Augustini est, ad actum 108 omni ex parte bonum, necessarium esse Creatoris amorem, quo fiat propter ipsum, ac proinde necessariam esse gratiam per Jesum Christum. Id enim manifestum faciunt & disputationis occasio, & responsiones Augustini ad argumenta Juliani, & contra Julianum argumenta Augustini, & confutatio exceptionum Juliani, totius denique disputationis conclusio, ad duoque supradicta principia reductio, quibus nostra continetur assertio.

CAPUT VIII.

Dissipantur nebulæ trium glossarum, quibus Recentiores conantur obscurare claritatem Augustinianorum testimoniorum.

109 R. A. P. Hauseur, Provinciæ Flandriæ Ordinis Minorum Recollectorum olim Provincialis, loco suprà relato, benè advertit, quòd Recentiores quidam seipsos potiùs leviter expediunt, quàm Augustinum legitimè exponunt, dum clarissima ipsius testimonia, pro necessaria ad omnes & singulos actus, omni ex parte bonos, gratia, seu fide inchoata, sine qua opus quodcumque factum, saltem extrinsecè, & in adjuncto individualiter defectu debiti finis ultimi, sit peccatum. Dum (inquam) hujusmodi testimonia glossant vel 1°. sic ut per opera, facta sine fide, per Miosim, sensumque improprium, & figuratum, intelligat opera facta ex infidelitate, sive relata ad cultum idoli, ita ut negativæ omnes locutiones, quibus v. g. Apostolus dicit: *Omne quod non est ex fide, peccatum est*, vel quibus Augustinus dicit, de bono opere, non in Domino gloriari, vel illud ad Deum non referre, peccatum sit, positivè exponendæ sint hoc modo intelligendo: omne quod

est ex infidelitate, peccatum est. De bono opere gloriari in dæmoniis, vel in hominibus, vel in seipso, more Stoïcorum, illudque referre ad finem pravum, est peccatum. Vel 2°. eas quidem negativè intelligendo, ut propriè sonant, sed per peccatum intelligendo peccatum impropriè, non propriè acceptum, utique pro actu inutili ad vitam æternam. Vel 3°. intelligendo eas de peccato propriè dicto, non sic ut omnes absolutè actus ad Deum non relati, vel sine gratia facti, verè & propriè peccata sint, sed omnes regulariter & ut plurimùm. Verum-enimverò nulla ex glossis illis legitima est, nulla Apostolum vel Augustinum exponit, prout Apostolus vel Augustinus sapit, sed prout glossatores illi sapiunt.

§. I.

Ostenditur illegitimitas primæ glossæ.

110 PRima itaque glossa rejicitur 1°. quia sic interpretari Apostolicum istud, *Omne quod non est ex fide, peccatum est*, per Miosim utique, seu figuram, & improprietatem, similiter etiam per Miosim & improprietatem interpretari tot & tam perspicua Augustini testimonia, est contra regulas legitimæ interpretationis, à S. Augustino & aliis Patribus traditas, & à nobis Prolegom. 3. c. 14. stabilitas. Ut enim ibi Tertullianus: *Omnia periclitabuntur aliter accipi quàm sint.... si aliter quàm sint cognominentur.* Atqui longè aliud est, *non agere ex fide*, quàm agere ex infidelitate. Aliud, *non in Domino gloriari*; aliud, gloriari in idolo. Aliud, *non referre actum bonum in Deum*; aliud, *referre illum in finem pravum.* Aliter ergo accipitur quàm est, aliter cognominatur, seu exprimitur quàm est, dum sic accipitur; nec fixum quidquam erit in Scripturis & Patribus, si liceat tam perspicua testimonia Scripturarum & Patrum, à sensu proprio & litterali, absque evidenti necessitate, detorquere ad improprium & figuratum; taliterque detorquentes culpat Augustinus l. 3. de doct. christ. c. 10. ubi S. Doctor tradit quidem hanc regulam: *Quidquid in sermone divino, neque ad morum honestatem, neque ad fidei veritatem propriè referri potest, figuratum esse cognoscas.* At certo certius est, proprium sensum Apostolici testimonii, *Omne quod non est ex fide, peccatum est*, nihil contra fidei veritatem continere, nihil contra morum honestatem. Cùmque aliunde proprius ille sensus faciat ad amplificandum regnum charitatis, destruendumque regnum cupiditatis, retinendus est, nec putanda locutio figurata, ut idem S. Doctor ait c. 11. & 15. Denique hîc quoque applicanda est regula, quam subjungit c. 16. *Si præceptiva locutio est, aut flagitium, aut facinus vetans..... non est figurata.* Si enim figurata censeri non debeat locutio, flagitium aut facinus vetans: ergo nec figurata censeri debet locutio, flagitium vel peccatum aliquid esse declarans, uti declarant Apostolus & Augustinus, in testimoniis adductis.

2°. Apostolus in sensu proprio & litterali dixit: *Sine fide impossibile est placere Deo.* Ergo in sensu proprio & litterali pariter dixit: *Omne quod non est ex fide, peccatum est.* Antecedens admittitur ab omnibus, estque certissima Ecclesiæ doctrina, quòd, dum Apostolus dixit: *Sine fide impossibile est placere Deo*, ampliùs voluit quàm quòd impossibile sit ex infidelitate placere Deo. Consequentia probatur: tum quia eadem ratio & regula, quæ cogit in proprio sensu priorem accipere propositionem, cogit & posteriorem. Tum quia nec fidei veritas, nec morum honestas cogit tam dispari sensu duo illa Apostoli intelligere testimonia, ut unum propriè, impropriè alterum intelligatur; cùm utrumque pariter intellexerit Augustinus, dum uno eodemque loco, ad unum eundemque scopum, sive ad eandem assertionem stabiliendam, utrumque testimonium usurpavit, ad probandam utique gratiæ necessitatem in omni actu, omni ex parte bono, nullaque ex parte peccaminoso. 111

3°. Si Augustinus, sine fide, saltem inchoata, id est, sine ulla gratia, admitteret virtutem ad debitum finem relatam, sine ea consequenter admitteret virtutem ad malum finem non relatam, sicque duobus Juliani succumberet argumentis §. 2. relatis; quorum priori prætendit veras in infidelibus dari virtutes, solis naturæ viribus; posteriori ex Rom. 2. prætendit Gentes naturaliter, id est, sine ulla gratia, facere quæ legis sunt. Non succumbit autem; sed utrique fortiter obsistit, ut vidimus §. 3. Ergo. 112

4°. Testimonia omniâ, eaque tam multiplicia, tamque perspicua, Prolegom. 6. cap. 19. & 21. relata, quibus Augustinus docet, liberum arbitrium, in hoc corruptionis statu, non esse sufficiens ad ullum actum omni ex parte bonum, nullaque ex parte peccaminosum. Omnia item, quibus ibidem c. 14. & hîc à capite 6. docet nullum esse actum omni ex parte bonum, nullam voluntatem bonam, nullam virtutem numeris omnibus absolutam, sine veri nominis charitate. Omnia denique, quibus c. 6. & 7. ad omnem actum debitis omnibus circumstantiis vestitum, requirit veram Christi gratiam. Omnia (inquam) hæc simul juncta, atque ad invicem collata, prorsus evincunt, Augustinum propriè & ad litteram intelligere Apostolicum istud: *Omne quod non est ex fide, peccatum est*; proprièque & ad litteram velle, non solùm omnem actum deliberatum ad malum finem relatum, sed & omnem non relatum ad Deum propter se dilectum, ex defectu debiti finis, esse (non quidem in se, sed in adjuncto illo defectu) peccatum, nec actum ullum sine gratia rectè fieri, sive ad debitum finem referri. Quæ tam obstirmata est Augustini sententia, ut capite præcedenti argumento secundo concludat: *Si* 113

per naturam voluntatemque qualiscumque justitia : ergo gratis Christus mortuus est. Nec patienter audire velit Julianum, sterilem admittentem virtutem, operaque bona, benè facta, quæ tamen, quia non propter Deum facta, ad vitam æternam minimè sint proficua.

114 5°. Augustinus contra Julianum frustrà tot argumentis contenderet, officia virtutum, non relata in Deum, non facta propter Deum, non facta ex fide per dilectionem operante, &c. in adjuncto defectu debiti finis esse peccata, si per officia non relata in Deum, &c. intelligeret officia relata in idolum, facta propter idolum, facta ex infidelitate, &c. Nunquam enim Julianus negavit, peccare eos, qui officia, alioqui bona, faciunt ex affectu infidelitatis & idololatriæ, referendo in idolum, & faciendo propter idolum, faciendo ex infidelitate, &c. nec ullus proferri potest locus, ubi rem tam palpabilem negaverit, nec sine sufficienti probatione id cuiquam affingendum.

115 Nec certè necessarium erat ut id assereret, ad tuendum errorem suum : cùm haberet intentum suum, obtentis sine gratia virtutibus, ad finem pravum non relatis, si semel Augustinus concessisset, id ad rationem veræ virtutis esse satis. Sed nunquam id ab Augustino potuit obtinere. Quin constanter adversus ipsum semper Augustinus sustinuit, ad veram virtutem, necessariam esse relationem ipsius in Deum, sive ut fiat propter Deum. Inde enim disputatio est orta, in eoque Augustinus perstitit disputatione totâ, ut constat ex dictis capite præcedenti, signanter §. 4. in argumento octavo.

§. II.

Ostenditur illegitimitas secundæ glossæ.

116 SEcunda etiam glossa manifestè ostenditur esse illegitima 1°. iisdem ferè argumentis, quibus prima, præsertim primo & secundo, quibus ostensum est Apostolum & Augustinum exponendos in sensu proprio & litterali, atque adeò de peccato propriè dicto.

117 2°. Apostolus (in quo se fundat Augustinus) cùm ait : *Omne quod non est ex fide, peccatum est*, loquitur de peccato propriè dicto. Ergo & Augustinus, in eo dicto se fundans. Consequentia est perspicua. Antecedens probatur ex contextu : loquitur enim de peccato, quod causa est damnationis (quam non causat nisi peccatum propriè dictum) quandoquidem præmiserit : *Qui autem discernit, si manducaverit, damnatus est.* Quam ob causam? sequitur & dicit : *Quia non ex fide : omne autem quod non est ex fide, peccatum est.*

118 3°. Peccatum, quod verè est contra legem Dei æternam, peccatum est propriè dictum. Sed illud de quo loquitur Augustinus, verè est contra legem Dei æternam, utique contra præceptum veræ sapientiæ, præcipientis omnia fieri propter Deum. Ista quippe est ratio fundamentalis, ex qua Augustinus concludit, sine ulla fide & gratia nihil fieri posse, quod aliqua ex parte, saltem ex defectu debiti finis non sit peccatum.

4°. Si Augustinus non loqueretur de pec- 119
cato propriè dicto, sed solùm de virtute vel opere non conducente ad vitam æternam, haud contradiceret Juliano, sed ei consentiret, talem virtutem & opera concedenti; virtutem (inquam) seu virtutum opera benè facta, quæ tamen infideles, propter Deum non faciendo, non ab eo vitam consequuntur æternam, prout Julianum capite præcedenti dicentem audivimus.

5°. In operibus infidelium, ex officio bo- 120
nis, Augustinus lib. 1. de nuptiis & concupiscentia (unde disputationis occasio ex sæpè dictis processit) sic distinguit inter id quod bonum est, & id quod est peccatum, ut istud à Deo esse neget, illud verò à Deo esse affirmet. Loquens enim de pudicitia conjugali, qualis in ipsis sine fide & gratia invenitur, dicit eam secundùm se, Dei esse donum; infideles tamen eo malè uti, illud non referendo ad cultum ejus, à quo acceperunt, malumque usum istum, seu debitæ relationis omissionem esse peccatum, cujus Deus Author non est, sed ipsi : *Quis audeat* (inquit) *dicere donum Dei esse peccatum? anima enim, & corpus, & quæcumque bona animæ & corporis naturaliter insunt, etiam in peccatoribus, dona Dei sunt, quoniam Deus, non ipsi, ea fecerunt. De his autem quæ faciunt dictum est : Omne quod non est ex fide, peccatum est.* Non sic autem in illis distingueret, inter id quod bonum, & id quod peccatum est, ut istud à Deo esse negaret, illud verò à Deo esse affir- 12
maret, nisi de peccato propriè dicto id intelligeret. Nunquam enim sic distinguit loquendo de bonis naturalibus animæ & corpotis, quà naturalibus præcisè. Nunquam ea negat, ut talia, esse à Deo, quamvis, ut talia, ad vitam æternam non sint conducentia, sensuque proinde adversariorum peccata sint impropriè dicta.

6°. Supradictis operibus, ex hoc quòd 121
non sint ex fide, seu gratiâ, nec proinde propter Deum facta, Augustinus ea tribuit epitheta, quæ non conveniunt nisi peccatis propriè dictis. Primò namque dicit, homines in die judicii propterea puniendos, propterèaque malos esse ac impios, l. 4. contra Julianum c. 3. *Ad hoc eos in die judicii cogitationes sua defendent, ut tolerabilius puniantur, quia naturaliter, quæ legis sunt, ut cumque fecerunt* (quoad substantiam ut sequitur) *scriptum habentes in cordibus suis opus legis, hactenus ut aliis non facerent, quod perpeti nollent; hoc tamen peccantes, quòd homines sine fide non ad eum finem ista opera retulerunt, ad quem referre debuerunt. Minùs enim Fabritius* (laudatissimus inter infideles) *quam Catilina* (inter ipsos flagitiosissimus) *punietur* (punietur tamen) *non quia ille bonus* (per opera illa) *sed quia*

iste magis malus (uterque ergo malus, & verâ quidem malitiâ, quâ haud dubiè malus fuit Catilina) & minùs impius, quàm Catilina, Fabritius (verè tamen impius; alioqui non verè minùs impius) *non veras virtutes habendo, sed à veris non plurimùm deviando*, verè tamen deviando. Atqui nullus est in die judicii puniendus, nullus malus & impius, nullus verè à vera virtute devius, propter opera verè bona, ex hoc solùm quòd ad vitam æternam non sint conducentia. Ergo.

122 Secundò, dicit opera illa ab infidelibus malè fieri, quòdque *de illis non in Domino gloriari* (id est, ad Dei gloriam illa non referre) *solus impius negat esse peccatum*: reprehenditque Julianum, negantem opera illa malè fieri, ex hoc quòd non fierent propter Deum; tametsi Julianus non negaverit, imò expressè concesserit, ob defectum istum relationis in Deum, opera illa malè fieri sensu adversariorum, id est, steriliter, seu infructuosè ad vitam æternam.

123 Tertiò, ibidem addit, homines infideles, ob illa opera, non esse steriliter bonos, sed malos. Loquitur ergo de malitia propriè dicta, sive condistincta à sterilitate illa. Consequentia patet, aliàs enim idem eodem modo affirmaret & negaret. Probatur antecedens, quamvis enim fateatur, ipsos minùs esse malos, quàm forent, si opera non ex officio bona, sed ex officio mala facerent; ait tamen, quòd *nullo modo homines sunt steriliter boni*; sed qui boni non sunt, possunt esse alii aliis minùs mali, tametsi non possint non esse mali; mali quippe sunt, sive qui magis, sive qui minùs mali sunt.

124 Quartò, ait, homines per opera illa, seu per non relationem eorum ad Deum, fieri injustos: *Cùm non ad suum referuntur Authorem dona Dei, hoc ipso mali, his utentes, efficiuntur injusti.* Item, *totum corpus ejusmodi operum tenebrosum esse, hoc est, plenum nigredine peccatorum.* Quòdque Deus arbores, facientes ejusmodi fructus, non potest diligere; imò si tales permanserint, disponit excidere. Denique c. 6. subjungit, homines, ob malum usum, intervenientem in operibus illis, ex defectu relationis in Deum, esse reos, non quidem reos ex opere bono, sed ex opere malo, quo malè utuntur bonis. At nemo reus apud Deum, ex hoc solùm quod steriliter bonus, si sine peccato propriè dicto possit quispiam esse talis. Denique Deus (de quo scriptum est, diligis omnia quæ sunt) diligit omnia, quæ verè bona sunt, tametsi naturalia dumtaxat, ac per hoc ad vitam æternam non proficua; ac proinde diligit arbores facientes ejusmodi fructus bonos, etiam quà tales. Neque ex operibus verè bonis, tametsi sterilibus, quisquam efficitur injustus, nec ob ea à Domino excidendus, sive puniendus, ut patet. Ob hæc igitur, aliaque ejusmodi, secunda illa glossa nequit sustineri.

§. III.

Tertia glossa repellitur.

TErtia denique glossa illegitima est 1°. quia 125
à generalibus sacræ Scripturæ dogmatibus haud licet nobis privatâ excipere authoritate, nec generalia illa dogmata coarctare, sive ex generalibus particularia facere. Et idem est proportionaliter de generalibus dogmatibus SS. Patrum, ut constat ex dictis Prolegom. 3. cap. 12. Hoc autem faciunt, qui sic glossant. Dum enim Apostolus & Augustinus simpliciter & absolutè dicunt, *omne, omnia*, &c. glossatores illi dicunt, *non omne*, eo ipso quo dicunt, Apostolica Augustinianaque dicta non procedere sine exceptione. Igitur eo ipso generalia Apostoli & Augustini dicta coarctant, sive ex generalibus particularia faciunt. Neque enim generaliter, sed particulariter verum est, omnes homines currere, hoc ipso quòd verum est aliquos non currere, sive hoc ipso quòd non omnes in numero currentium comprehenduntur, sed aliqui ab eo numero excipiuntur.

2°. Argumenta Augustini glossam istam 126
evidenter excludunt, tam scilicet ea quæ capite præcedenti §. 4. quàm quæ libris superioribus protulimus. Probant enim omnem absolutè actum, omni ex parte bonum, effici debere propter Deum, atque adeò ex charitate (ut ex superioribus constat) infrà verò demonstrabitur, omnem charitatem, sive magnam, sive parvam, sive inchoatam, sive provectam, &c. à Deo esse per gratiam, nullam ex hominibus per naturam. Quod quidem necesse est generaliter ac sine exceptione verum esse, ad præcludendum ostium hæresis Pelagianæ, ac Semipelagianæ; sicut & ad inconcussam veritatem Augustinianæ de Pelagianis, Semipelagianisque victoriæ. Si enim aliqua, licèt rara opera, sine charitate, esse queant omni ex parte bona, jam habent Pelagiani, Semipelagianique quod respondeant argumentis Augustini. Inveniunt quippe ex parte hominis initium aliquod bonæ voluntatis, inveniunt opera aliqua usquequaque bona, ante fidem & gratiam, per quæ ostendunt, generalem non esse ad omnes & singulos actus usquequaque bonos gratiæ necessitatem, nec sine exceptione vera esse, quæ Augustinus contra ipsos allegat sacra dogmata, *Sine me nihil potestis facere. Quid habes, quod non accepisti? Charitas ex Deo est*, & similia. Habent etiam fundamentum dicendi, gratiam secundùm merita nostra dari, ut patebit infrà.

3°. Si glossam illam Augustinus admitte- 127
ret, omnes Juliani exceptiones, præcedenti §. 5. non repelleret; uti nec qualescumque alias Pelagianorum, Semipelagianorumque exceptiones alibi repellit. Usque adeò verò repellit, ut ne exceptionem quidem illam patienter audiat, quâ Julianus, ex solis liberi arbitrii viribus, aliquod virtutis opus, ad vi-

tam æternam non proficuum agnoscit, ut §. illo 5. vidimus.

CAPUT VIII.

Augustino concinens Doctor Angelicus, nullum & ipse opus undique bonum, ad debitumque finem ultimum relatum, sine gratia agnoscit.

128 HAnc beato Thomæ sententiam tribuit egregius ipsius Defensor, Thomistarumque Princeps Capreolus in 2. dist. 28. veteribusque Thomistis assignat Contenson to. 5. dissert. 2. c. 1. specul. 2. in principio. In eamque S. Doctorem inclinare notavit Navarrus in Manuali c. 27. n. 290. Enimverò eam revera D. Thomæ sententiam esse, probatur duplici genere testimoniorum ipsius. Tum scilicet eorum, in quibus specialiter agitur de intentione omnibus in operibus nostris requisita. Tum eorum, in quibus S. Doctor, ad omne opus debitè circumstantionatum, gratiæ requirit auxilium.

129 Probatur itaque primò, quia *cælestis intentio debet omnibus operibus nostris adjungi*, 1. 2. q. 102. a. 6. ad 7. Sed cælestis intentio non est sine gratia: nusquam enim intentio merè humana, & naturalis, à S. Thoma (vel aliis Patribus) vocatur *intentio cælestis*, uti nec vocatio, conversatio, & vita purè humana, vocatio, conversatio, & vita cælestis; sed sicut vocatio cælestis illa est, quæ est ex cælesti gratia, S. Th. lect. 1. in cap. 1. ad Hebr. ad illa verba: *vocationis cælestis participes*: ita similiter, &c.

130 Secundò, nullus motus, seu conversio voluntatis in Deum, juxta S. Doctorem, est sine gratia Dei. Sed nullum opus, debitè circumstantionatum, juxta S. Doctorem, sine conversione voluntatis in Deum. Ergo nullum opus, &c. est sine gratia Dei. Minorem S. Doctor tradit omnibus locis libro præcedenti relatis, quibus ad omne opus debitè circumstantionatum postulat relationem actualem vel virtualem in Deum; quam constat non esse sine motu seu conversione voluntatis in Deum. Majorem tradit 1. p. q. 62. a. 2. ad 3. ubi omnem motum voluntatis in Deum dividit in triplicem, & ad omnem requirit gratiam: *Quilibet motus voluntatis in Deum potest dici conversio in ipsum. Et ideò triplex est conversio in Deum. Una quidem per dilectionm perfectam, quæ est creaturæ, jam Deo fruentis. Et ad hanc conversionem requiritur gratia consummata. Alia conversio est, quæ est meritum beatitudinis. Et ad hanc requiritur habitualis gratia, quæ est merendi principium. Tertia conversio est, per quam aliquis præparat se ad gratiam. Et ad hanc non exigitur aliqua habitualis gratia, sed operatio Dei, ad se animam convertentis, secundùm illud Thren. ult.* „ Converte nos Domine ad te, & convertemur. „ Nullus tam accurati Doctoris venerator, ipsi defectuosæ divisionis notam inuret: neque enim defectuosè dividere solet, vel definire. Nullus ergo venerator ipsius inficiabitur, omnem motum voluntatis in Deum sub triplici illo contineri. Sed nullus etiam inficiari potest, ad triplicem illum motum gratiam à S. Doctore requiri, etiam ad tertium, ad quem requirit operationem Dei ad se animam convertentis. Tum quia fide certum est, operationem Dei ad se animam convertentis, cujus ope homo se præparat ad gratiam, esse ipsummet gratiæ auxilium, vel non esse sine illo. Dicere enim quòd homo sine gratiæ auxilio se præparare possit ad gratiam, pertinet ad hæresim Pelagianam, juxta S. Doctorem infrà n... Tum quia ad tertium illum motum, seu conversionem voluntatis in Deum, S. Doctor illam requirit operationem Dei ad se animam convertentis, de qua Thren. ult. *Converte nos Domine ad te, & convertemur:* sacrum verò istud testimonium, secundùm omnium sanctorum Patrum intelligentiam, de convertente Deo hominem ad se per suæ gratiæ auxilium manifestè procedit (ait insignissimus Angelici Doctoris discipulus, Thomas de Lemos in Panoplia gratiæ to. 3. l. 3. p. 2. tr. 2. n. 124.) imò S. Concilium Tridentinum sess. 6. de justificat. c. 5. in fine testimonium illud de vero adjutorio gratiæ intelligit, cùm sic dicit: *Cùm dicitur: Convertimini ad me, & ego convertar ad vos, libertatis nostræ admonemur. Cùm respondemus: Converte nos Domine, & convertemur, Dei nos gratiâ præveniri fatemur.*

131 Tertiò, omne opus deliberatum, in Deum referibile, & ad ipsum debitè relatum, est opus per quod homo non ponit obstaculum gratiæ. Sed omne opus deliberatum, per quod homo non ponit obstaculum gratiæ, ex gratia procedit. Ergo omne opus deliberatum, in Deum referibile, & ad ipsum debitè relatum, ex gratia procedit. Est syllogismus in forma, cujus major est certissima; cùm omne opus hujusmodi, sit opus moraliter bonum, debitis omnibus circumstantiis ornatum: per nullum verò opus moraliter bonum, debitis omnibus circumstantiis ornatum, homo ponit obstaculum gratiæ, sed per solum peccatum. Minor est S. Thomæ lect. 3. in cap. 12. ad Hebræos: *Hoc ipsum quòd aliquis non ponit obstaculum gratiæ, ex gratia procedit.* Quæ propositio indefinita, utpote dogmatica, æquivalet huic universali: *Omne opus deliberatum, quo quispiam non ponit obstaculum gratiæ, ex gratia procedit.* Quemadmodùm dogmatica ista: *Hoc ipsum quod aliquis se præparat ad gratiam, ex gratia procedit*, æquipollet universali isti: *Omne opus deliberatum, quo quispiam se præparat ad gratiam, ex gratia procedit.*

132 Quartò, cogitatio boni, practicè practica, debitèque circumstantionata, ad quam utique sequitur amor boni, debitis circumstantiis ornatus, *non potest esse in nobis sine divino auxilio,*

lio, potest tamen esse sine gratiæ habitualis dono, in 2. dist. 29. q. un. a. 2. ad 2. ergo nec volitio & operatio boni debitè circumstantionata, in nobis esse potest sine divino auxilio, &c. Consequentia optima est : cùm plus sit velle operarique bonum, cum debitis circumstantiis, quàm illud cogitare ; nec quisquam velit & faciat bonum, debitè circumstantionatum, sine cogitatione illius, &c. Antecedens desumptum est ex S. Doctore, per divinum auxilium non intelligente solum generalem concursum, sed gratiæ actualis auxilium. Tum quia id significat antithesis, quam facit inter divinum auxilium, & gratiæ habitualis donum. Tum quia in disputatis q. 27. de gratia a. 5. bonas cogitationes, sicut & sanctas affectiones recenset inter effectus gratiæ, saltem actualis. Tum denique, quia ex suo illo principio, quòd cogitatio boni in nobis esse nequeat sine divino auxilio, variis in locis Pelagianos impugnat, dicentes, quòd inchoatio boni operis est ex nobis, sed perfectio ex Deo, ut videre est lect. 1. in cap. 3. secundæ ad Cor. & lect. 1. in cap. 1. Philipp. ubi sic : *Sed hoc* (dictum) *non est verum, quia principium boni operis in nobis est cogitare de bono, & hoc ipsum est à Deo.* 2. Cor. 3. *Non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, &c.* Per hoc autem frustrà impugnaret Pelagianos, si hoc intelligeret de cogitatione quæ sit à Deo per solum generalem concursum, non per gratiæ auxilium. Cùm Pelagiani non negarint cogitationem voluntatemque & operationem boni à Deo esse per generalem concursum.

133 Quintò, quia 1. 2. q. 109. a. 2. (cui titulus : *Utrùm homo possit velle & facere bonum absque gratia*) post distinctos duos status naturæ humanæ, naturæ scilicet integræ, & corruptæ, dicit, quòd *secundùm utrumque statum natura humana indiget auxilio divino ad faciendum vel volendum quodcumque bonum, sicut primo movente.* Et infrà : *In utroque statu indiget homo auxilio divino, ut ab ipso moveatur ad benè agendum.* Et a. 3. idem auxilium Dei moventis rursus requirit ad diligendum Deum naturaliter super omnia, etiam in statu naturæ integræ. Atqui per istud Dei moventis auxilium S. Doctor intelligit auxilium gratiæ, non quidem habitualis, sed actualis. Igitur, juxta S. Doctorem, in utroque statu, sic gratiæ actualis indiget auxilio, ut sine eo non possit benè agere, nec velle bonum, quodcumque illud sit, sive magnum, sive parvum, &c. Nisi enim a. 2. sic intelligeret ly *quodcumque bonum*, non satisfaceret quæstioni, *Utrùm homo possit velle & facere bonum absque gratia :* neque enim ibi quærit, an possit facere aut velle bonum aliquod arduum & difficile, sed an possit facere aut velle bonum in genere, abstrahendo à quocumque. Quòd autem per Dei moventis auxilium S. Doctor intelligat gratiæ auxilium, probatur : tum quia alioqui non solveret quæstionem, utpote quæ expresè procedit de gratia. Tum quia illud auxilium intelligit a. 2. quod intelligit a. 6. & 9. & sequenti q. 111. a. 2. & q. 112. a. 2. utpote in quibus omnibus expresè se remittit ad citatæ q. 109. a. 2. dicendo, *sicut suprà dictum est*, citatque ad marginem in omnibus istis locis q. 109. a. 2. Atqui omnibus istis locis intelligit auxilium gratiæ actualis. Ergo & q. 109. a. 2. quem modò versamus.

Probatur minor 1°. quoad q. 109. a. 2. 134
ibi enim sic ait : *Ad hoc quòd præparet se homo ad susceptionem hujus doni* (habitualis gratiæ) *non oportet præsupponere aliquod aliud donum habituale in anima ; sed oportet præsupponi aliquod auxilium gratuitum Dei, interiùs animam moventis*, sive inspirantis bonum propositum. *His enim duobus modis, indigemus auxilio divino, ut suprà dictum est*, utique a. 2. quem in margine citat. Unde efficaciter arguo sic : Idem auxilium Dei moventis sanctus Doctor requirit a. 2. quod requirit a. 6. ad hoc ut homo se præparet ad consequendum gratiæ habitualis donum. Sed ad hoc ut homo se præparet ad consequendum gratiæ habitualis donum, certissimè requirit auxilium gratiæ actualis propriè dictæ (oppositum enim infrà n. 151. pertinere dicit ad errorem Pelagianum.) Igitur a. 2. requirit auxilium gratiæ actualis propriè dictæ.

Probatur minor 2°. quoad q. 109. a. 9. 135
quia S. Doctor ibi quærens, utrùm ille qui jam consecutus est gratiam habitualem, possit per seipsum operari bonum & vitare peccatum absque auxilio gratiæ ? (nota ly *vitare peccatum*, ne existimes, ibi solùm agere de opere bono, quatenùs meritorio) respondet sic : *Dicendum, quòd sicut suprà dictum est* (citat articulum 2. de quo antè) *homo ad rectè vivendum dupliciter auxilio Dei indiget. Uno quidem modo, quantùm ad aliquod habituale donum, per quod natura corrupta sanetur, & etiam sanata elevetur ad opera meritoria vitæ æternæ, quæ excedunt proportionem naturæ. Alio modo homo indiget auxilio gratiæ, ut à Deo moveatur ad agendum* (igitur a. 2. per auxilium Dei moventis, intelligit auxilium gratiæ, sive auxilium Dei moventis per gratiam.) *Quantùm igitur ad primum auxilii modum, homo in gratiæ existens non indiget alio auxilio gratiæ, quasi aliquo alio habitu infuso ; indiget tamen auxilio gratiæ secundùm alium modum, ut scilicet à Deo moveatur ad rectè agendum.* Unde rursus efficaciter arguo sic : Justus, in gratia existens, sibi non sufficit ad rectè agendum ; sed ad hoc ipsi necessarium est gratiæ actualis auxilium. Multò igitur minùs peccator, extra gratiam existens, sibi sufficit ad rectè agendum ; sed ad hoc ipsi à fortiori necessarium est gratiæ actualis auxilium.

Probatur minor 3°. quoad q. 111. a. 2. 136
quia S. Doctor ibi quærens, utrùm gratia convenienter dividatur per operantem, &

cooperantem, respondet sic: *Dicendum quòd sicut suprà dictum est* (citat rursus articulum 2. q. 109.) *gratia dupliciter potest intelligi. Uno modo divinum auxilium, quo nos movet ad benè volendum & agendum. Alio modo habituale donum..... Utroque autem modo gratia dicta* (id est, de qua dictum est articulo illo secundo) *convenienter dividitur in operantem & cooperantem.* Et hinc 3°. efficaciter arguo sic: Gratia, quam S. Doctor hîc dividit in operantem & cooperantem, est gratia propriè dicta. Sed gratia (quam hîc dividit in operantem & cooperantem) est gratia, tam actualis (quam vocat divinum auxilium, quo nos movet ad benè volendum & agendum) quàm habitualis, de quarum utraque egit q. 109. a. 2. Ergo utraque gratia, de qua egit isto articulo secundo, tam scilicet habitualis, quàm actualis (quam ibi vocat auxilium Dei moventis, &c.) est gratia propriè dicta.

137 Probatur minor 4°. quoad q. 112. a. 2. quia ibi S. Doctor, ad quæstionem, *utrùm requiratur aliqua præparatio & dispositio ad gratiam ex parte hominis*, respondet ut sequitur: *Dicendum quòd sicut suprà dictum est* (citat semper q. 109. a. 2.) *gratia dicitur dupliciter, quandoque quidem ipsum habituale donum Dei, quandoque auxilium Dei moventis ad bonum. Primo igitur modo accipiendo gratiam, prærequiritur ad gratiam, aliqua gratiæ præparatio.... Sed si loquamur de gratia, secundùm quod significat auxilium Dei moventis ad bonum, sic nulla præparatio requiritur ex parte hominis.... sed potiùs quæcumque præparatio in homine esse potest, est ex auxilio Dei moventis ad bonum..... Et secundùm hoc dicitur à Deo voluntas hominis præparari.* Unde jam 4°. efficaciter arguo sic: Gratia, sumpta pro auxilio Dei moventis ad bonum, ex qua est præparatio, &c. certissimè est illa, de qua S. Doctor egit q. 109. a. 2. (Expressè enim dicit, *sicut suprà dictum est*, ad eum se in margine remittendo.) Igitur gratia, sumpta pro auxilio Dei moventis ad bonum, de qua S. Doctor egit q. 109. a. 2. certissimè est gratia actualis propriè dicta.

138 Sextò, assertio nostra probatur alio argumento, desumpto ex ejusdem q. 109. a. 6. suprà citato, ubi, cùm S. Thomas dixisset, gratiam actualem (quam vocat auxilium gratuitum Dei interiùs animam moventis, sive inspirantis bonum) necessariam esse ad hoc quòd homo se præparet ad gratiam. Id probat sequenti argumento: *Necesse est enim* (*cùm omne agens agat propter finem*) *quòd omnis causa convertat suos effectus in suum finem. Et ideo, cùm secundùm ordinem agentium sit ordo finium, necesse est quòd ad ultimum finem convertatur homo per motionem primi moventis.... Sic igitur, cùm Deus sit primum movens simpliciter, ex ejus motione est, quòd omnia in ipsum convertantur, secundùm communem intentionem boni. Et ideò quòd homo convertatur ad Deum, hoc non potest esse, nisi Deo ipsum convertente. Hoc autem est præparare se ad gratiam, quasi ad Deum converti: sicut ille qui habet oculum aversum à lumine solis, per hoc se præparat ad recipiendum lumen solis, quòd oculos suos convertat versus solem.* Ex his verbis sic argumentor: Quisquis benè agit, convertit intentionem suam ad Deum ultimum finem, juxta S. Doctorem sæpiùs relatum, & infrà pluribus referendum. Sed quòd homo convertat intentionem suam ad Deum ultimum finem, hoc non potest esse, nisi Deo per gratiam suam ipsum convertente, ut manifestum est ex allato discursu S. Doctoris: quisquis enim convertit intentionem suam ad Deum, convertitur ad Deum: cùm mente convertatur ad Deum, quisquis vertit oculum mentis, id est intentionem, versus Deum; sicut corpore convertitur ad solem, quisquis vertit oculum corporis versus solem. Ergo quòd homo benè agat, hoc non potest esse, nisi Deo per gratiam ipsum convertente. Per gratiam suam (inquam:) cùm enim conversio ad Deum, de qua S. Doctor ibi agit, sit ad gratiam præparatio, non potest esse nisi per gratiam propriè dictam. Ad quod significandum in argumento *Sed contra*, allegat illud Joan. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum.* Et ad 1. allegat illud Hierem. 31. *Converte me, & convertar.* Et illud Thren. ult. *Converte nos Domine ad te, & convertemur.* Vide suprà n. 130.

Septimò, ex eo quòd eâdem q. 109. a. 8. 139
ad 3. & 2. 2. q. 136. a. 3. ad 2. apertè requirat auxilium gratiæ ad volitionem & operationem boni, etiamsi solùm sit bonum politicæ virtutis. In priori namque loco, sic ait: *Nunc quodcumque vult homo, datur ei; sed hoc quòd bonum velit, habet ex auxilio gratiæ.* In posteriori verò loco: *Bonum politicæ virtutis commensuratum est naturæ humanæ: & ideò absque auxilio gratiæ gratum facientis, potest voluntas humana in illud tendere; licèt non absque auxilio gratiæ Dei.*

Octavò, ex q. 24. verit. a. 14. ubi ad 140
quæstionem, *utrùm liberum arbitrium possit in bonum sine gratia*, postquam in principio corporis dixit, sine gratia gratum faciente, liberum arbitrium non posse facere opus meritorium vitæ æternæ; sub finem corporis, nullâ factâ ampliùs meriti mentione, addit: *Si gratiam Dei velimus dicere, non aliquod habituale donum* (quod semper requirit ad opus simpliciter meritorium) *sed ipsam misericordiam Dei, per quam interiùs motum mentis operatur, & exteriora ordinat ad hominum salutem; sic etiam nec ullum opus bonum homo potest facere sine gratia Dei.* Hic locus omninò videtur peremptorius: expressis namque terminis ibi S. Doctor ait, quòd nullum opus bonum homo potest facere sine gratia Dei: nec hoc dicit de solo opere meritorio (de quo quæstionem resolverat in principio corporis, ubi ad illud gratiam habitualem requisierat) loquitur ergo de opere bono benè facto in uni-

universum. Dumque ad illud requirit *misericordiam Dei, per quam interiùs motum mentis operatur, & exteriora ordinat ad hominum salutem*, his verbis describit gratiam actualem propriè dictam, ab habituali condistinctam. Quandocumque enim Deus misericorditer in nobis motum mentis operatur, & exteriora ordinat ad salutem nostram, operatur ex gratia actuali propriè dicta, sive ut author gratiæ & salutis. Unde ibidem articulo 15. immediatè sequenti, gratiam actualem, sine qua homo se præparare nequit ad habitualem, non aliter describit, nisi eam vocando divinam providentiam, quâ misericorditer homo ad bonum dirigatur, id est, inducatur exterioribus occasionibus, vel aliquo interiori instinctu, secundùm quem Deus in mentibus hominum operatur, vel utroque modo.

141 Nonò, ex 2. sent. d. 28. a. 1. ubi similiter ad quæstionem, *utrùm homo possit facere aliquod bonum sine gratia*, in corpore dicit, quòd homo *per se*, seu per liberum arbitrium, facere possit opera non meritoria sine habitu gratiæ (quem ad opera simpliciter meritoria semper requirit) sic tamen ut ly *per se* non excludat divinam causalitatem, *secundùm quod ipse Deus in omnibus operatur universalis causa boni, per divinam causalitatem, juxta illud Isaiæ 6. Omnia opera nostra operatus es in nobis Domne.* Ubi quamvis gratiam actualem explicet per motionem generalem, quâ Deus movet creaturas omnes ad agendum (quia reverà in aliquo convenit cum generali illa motione;) ex materia tamen subjecta, seu quæstione quam tractat, necnon ex Scripturæ textibus quos allegat, atque ex objectionibus, in quarum responsione eodem utitur modo loquendi, manifestè apparet, motionem illam generalem ab ipso non generaliter, sed specialiter accipi, ita ut hîc *intelligentia dictorum ex causis assumenda sit dicendi.*

142 Id enim imprimis exigit materia subjecta, seu quæstio ab ipso versata; cui alioquin non satisfaceret, sed perinde faceret, ac si quærenti, num vera gratia necessaria sit ad omnes actus bonos, præcisè responderet, concursum generalem necessarium esse ad omnes actus bonos.

143 Deinde id postulant sacra testimonia quibus respondet ad 1. & 2. scilicet Joan. 15. *Sine me nihil potestis facere.* 2. Cor. 3. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis.* Ad quæ dum respondet, quòd *gratia dupliciter dicitur, uno modo, donum gratuitum: alio modo, ipse Deus gratis dans. Quòdque nihil bòni potest facere homo sine gratia Dei, secundùm quod gratia intelligitur ipse Deus dans.* Et sic intelligendum utrumque illud sacrum testimonium. Hâc suâ responsione dat satis intelligi, se agere de propriè dicta gratia actuali (de qua eadem sacra testimonia expresè interpretatur lect. 1. in 2. Cor. 3. & lect. 1. in cap. 1. ad Philipp.) & non solùm de motione, seu concursu generali. Aliàs faveret Pelagianis, enervando argumentum, quod Ecclesia & Patres adversus ipsos ex duobus istis sacris testimoniis depromunt.

Denique nisi ita esset, responsio ipsius ad 3. non satisfaceret objectioni petitæ ex dicto illo Augustini: *Non potest homo aliquod bonum velle, nisi juvetur ab eo qui malum non potest velle.* L. 1. ad Bonif. c. 3. Ad hoc enim respondet, exponendo dictum istud de adjutorio, quo Deus adjuvat nos *interiùs operando in ipsa voluntate, sicut in re qualibet operatur, etiam exteriùs occasiones & auxilia præbendo ad benè agendum.* Nisi enim per adjutorium illud, quo Deus adjuvat nos *interiùs operando*, &c. intelligeret gratiam actualem propriè dictam, Augustiniano illi testimonio non satisfaceret, utpote contra Pelagianos certissimè procedenti de vero gratiæ auxilio, non de generali concursu Dei, quem non negarunt Pelagiani. 144

Decimò, assertio probatur ex 4. sent. dist. 17. q. 1. a. 2. quæstiunc. 2. ubi dicit, quòd sine gratia gratum faciente non potest rectè à mortalibus vita duci, secundùm quod ly *rectè* importat rectitudinem *ad finem ultimum*, rectitudinem utique nedum operis, sed operantis, quæ non est nisi per gratiam gratum facientem; *potest tamen etiam sine ea rectè aliquid agi, rectitudine quam habet actus ex materia & circumstantiis & fine debito; sed non sine gratia, quæ dicitur gratuita Dei voluntas*, id est, non sine gratia actuali. Sine ea igitur non admittit opus undequaque rectum, rectitudine operis. 145

Undecimò probatur ex quodlibeto 1. q. 2. a. 7. ubi sic: *Nullus potest se ad gratiam præparare, nec aliquid boni facere, nisi per divinum auxilium.* Ubi sicut ly *divinum auxilium*, in præparante se ad gratiam, gratiæ designat auxilium; ita & in faciente aliquod bonum. 146

Duodecimò tandem probatur ex omnibus Angelicis testimoniis libro præcedenti relatis, quibus S. Doctor ad omne opus bonum, benè factum, requirit charitatem, per quam referatur in Deum finem ultimum. Ad omnem enim actum charitatis, seu Dei propter se dilectionis, gratiæ actualis auxilium S. Doctor requirit, uti videbimus cap. 15. 147

CAPUT IX.

Ad efficacem solutionem contrariorum argumentorum, variarum phrasium S. Doctoris intelligentia præmittitur.

ARgumenta pro assertione nostra capite præcedenti deducta, adeò efficacia videntur, ut mirum sit doctissimum Gonetum, ac alios plerosque Recentiores Thomistas, eidem assertioni non consentire, consensuros haud dubiè, nisi decepti fuissent sinistrâ intelligentiâ nonnullarum phrasium S. Doctoris, quæ tempore ipsius sensum habebant alium prorsus à sensu Modernorum. Si enim adver- 148

tissent ad sensum phrasium illarum, tempore ipsius usitatum, nihil in illis deprehendissent superiori nostræ assertioni contrarium.

149 Primò namque phrasis ista : *Homo sine gratia, vel sine dono naturalibus superaddito, efficere potest actus moraliter bonos*, alium tempore S. Thomæ sensum habebat, quàm hodie. Sensu quippe hodierno necessitatem excludit gratiæ, tam actualis quàm habitualis ; sensu verò tempore S. Thomæ usitato, solùm excludit necessitatem gratiæ habitualis. Quia tempore S. Thomæ, nomine gratiæ simpliciter, & sine addito, sicut & nomine *doni naturalibus superadditi*, communi sensu & usu, sola gratia habitualis intelligebatur, uti S. Doctor expressè monet q. 24. de libero arbitrio a. 14. dicens : *Communiter loquentes utuntur nomine gratiæ pro aliquo dono habituali justificante.* Et in 2. dist. 26. q. 1. a. 6. ad 1. *Nos hic loquimur de gratia, prout est primum donum gratam faciens animam.* Unde 1. 2. q. 110. agens de gratia quantùm ad ejus essentiam, dum a. 1. quærit, *utrùm gratia ponat aliquid in anima* ; a. 2. *utrùm gratia sit qualitas animæ* ; a. 3. *utrum gratia sit virtus* ; a. 4. *utrùm gratia sit in essentia animæ, sicut in subjecto.* Omnia ista quærit, resolvitque de sola gratia habituali, ut ibi videre est. Similiter q. 112. agens de causa gratiæ, sine addito, per eam intelligit habitualem, seu justificantem, prout videre est per omnes articulos, eorumque resolutiones. Siquidem a. 1. *utrùm Deus sit causa gratiæ*, dicit quòd sic : quia necesse est quòd solus Deus deificet, communicando consortium divinæ naturæ, quod fit per gratiam. a. 2. *utrùm requiratur aliqua præparatio & dispositio ad gratiam ex parte hominis* ? loca Scripturæ affirmantia intelligit de sola gratia habituali. a. 3. *utrùm necessariò detur gratia se præparanti ad gratiam*, de sola gratia habituali quæstio & resolutio procedit, ut patet ex textu. Idem manifestum est, dum a. 4. quærit, *utrùm gratia sit æqualis in omnibus.* Et a. 5. *utrùm possit aliquis scire se habere gratiam.* Sicut & q. 113. & 114. dum agit de effectibus gratiæ, scilicet justificatione & merito, ut ibi videre est. Et de justificatione, per se patet, effectum esse solius gratiæ justificantis. De merito, considera quæ habet q. 114. a. 4. *utrùm gratia sit principium meriti.* a. 5. *utrum homo possit sibi mereri primam gratiam.* a. 6. *utrùm alteri possit mereri primam gratiam :* Videbis enim nomine gratiæ simpliciter dictæ, in resolutionibus articulorum illorum, solam ab ipso intelligi gratiam habitualem. Idem observare est in 2. dist. 26. q. 1. a. 1. 2. 3. 4. & 6. Et (omissis aliis locis) d. 27. a. 4. *utrùm quis possit mereri gratiam.* a. 5. *utrùm augmentum gratiæ.* a. 6. *utrùm mereri possit alteri primam gratiam*, &c.

150 Nec mirum, quòd per gratiam simpliciter dictam S. Doctor intelligere soleat habitualem : cùm etiam per charitatem simpliciter dictam, per fidem, per justitiam, per prudentiam, uno verbo per virtutem simpliciter dictam, soleat intelligere charitatem, fidem, justitiam, prudentiam, virtutem habitualem, ut passim in ipso videre est, specialiter 2. 2. q. 4. per totam q. 23. a. 2. 3. 4. 5. q. 24. a. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 10. 11. 12. &c.

Secundò, phrases istæ : *actus bonus naturaliter factus : actus non excedens vires naturæ : bonum naturæ proportionatum : dilectio naturalis*, &c. alium habent sensum in S. Thoma, quam modò habent. Neque enim in S. Thoma significant actum, dilectionem, bonum, &c. factum sine gratia actuali, sed sine adjutorio habitûs supernaturalis naturæ superaddito. Quod 151

Probatur 1°. quia opera illa vocat naturalia, seu non excedentia facultatem & vires naturæ, quæ hominem præparant, disponuntque ad gratiam sanctificantem. Sed opera quæ hominem præparant ad gratiam sanctificantem, juxta S. Doctorem, non fiunt sine gratia actuali. Ergo. Minor constat ex quodliber. 1. q. 2. a. 7. ubi sic : *Ad errorem Pelagianorum pertinet dicere, quòd homo possit se ad gratiam præparare absque auxilio gratiæ divinæ ; Et est contra Apostolum ad Philipp. 1. Qui cœpit in vobis opus bonum, &c.* Major verò constat ex iis quæ ait in 2. d. 28. a. 4. *Non oportet ut actus, quibus homo se ad gratiam habendam præparat, sint naturam humanam excedentes.... Actus virtutum naturalium se habent ut dispositiones ad gratiam.... Ad gratiam gratum facientem habendam, ex solo libero arbitrio se homo potest præparare.* Et ad 4. *Ad fidem habendam aliquis se præparare potest per id quod in naturali ratione est.*

Probatur 2°. quia dilectionem cum influ- 152
xu gratiæ actualis factam, operaque bona ex tali dilectione facta, vocat *dilectionem naturalem, bonum naturæ proportionatum*, seu *non excedens humanæ naturæ facultatem.* qq. disput. q. 24. de lib. arb. a. 14. *Est duplex bonum ; quoddam quod est humanæ naturæ proportionatum : quoddam verò quod excedit humanæ naturæ facultatem.... ut puta iste actus, qui est dare eleëmosynam, est bonum proportionatum viribus humanis, secundùm quod ex quadam naturali dilectione vel benignitate homo ad hoc movetur. Excedit autem humanæ naturæ facultatem, secundùm quod ad hoc homo inducitur ex charitate, quæ mentem hominis unit Deo.* Ibi S. Doctor solam eleëmosynam factam ex charitate, quæ mentem unit Deo, atque adeò factam ex charitate habituali, dicit excedere humanæ naturæ facultatem, & consequenter eleëmosynam factam non ex charitate habituali, censet non excedere facultatem naturæ humanæ, vocatque eleëmosynam factam ex dilectione naturali. De hujusmodi tamen bonis factis ex dilectione naturali, quæque S. Doctor distinguit ab iis quæ naturæ humanæ facultatem excedunt, idem S. Doctor expressè subjungit, quòd *quamvis hujusmodi bona possit homo facere sine gratia gratum faciente ; non tamen potest ea facere sine Deo*, per gratiam actualem

influente (ut in verbis subjiciendis explicat) per quam scilicet in voluntate hominis *interiùs operatur, ut Augustinus dicit in lib. de grat. & lib. arb. ostendens multipliciter Deum operari in cordibus hominum.... Undesi gratiam Dei velimus dicere, non aliquod habituale donum; sed ipsam misericordiam Dei, per quam interiùs motum mentis operatur, & exteriora ordinat ad hominum salutem; sic etiam nec ullum bonum homo facere potest sine gratia Dei.*

153 Similiter 1. 2. q. 109. a. 2. in corpore, naturalem vocat dilectionem Dei super omnia, in statu naturæ integræ, addens quòd ad eam homo non indigebat dono gratiæ superaddito naturalibus bonis, tametsi fateatur ad eam indiguisse auxilio gratiæ actualis: *Homo in statu naturæ integræ, non indigebat dono gratiæ superaddito naturalibus bonis ad diligendum Deum naturaliter super omnia; licèt indigeret auxilio Dei ad hoc ipsum moventis*, per gratiam scilicet actualem, ut ex S. Doctore perspicuè ostensum est.

154 Similiter in 2. dist. 3. q. 3. ad 1. actum charitatis, per quem homo se præparat ad charitatem habitualem, quique proinde tam in Angelo, quàm in homine, tam in statu naturæ integræ (ut proximè vidimus) quàm in statu naturæ lapsæ, procedit ex gratia actuali, vocat *dilectionem naturalem, ex ipso naturæ bono* procedentem: cùm enim sibi objecisset, quòd diligere Deum super omnia, sive plusquàm se, & omnia alia, sit actus charitatis, qui charitatem non habentis esse non potest. Respondet, quòd *actus charitatis potest dici dupliciter, vel qui est ex charitate habituali, & hic non est nisi in habente charitatem. Vel qui est ad charitatem* (habitualem) *non sicut meritorius, vel generativus, sed sicut præparativus: & sic actus charitatis ante habitum charitatis haberi potest. Vel potest dici, quòd in amicitia charitatis* (id est, in actu charitatis, qui est ex habitu charitatis) *movetur animus ad diligendum Deum ex similitudine gratiæ, sed in dilectione naturæ ex bono naturæ.* Ubi perspicuum est in postremis verbis à S. Doctore vocari dilectionem naturalem, ad quam animus movetur ex ipso bono naturæ, quam immediatè antè vocaverat actum charitatis *qui est ad charitatem.... sicut præparativus*, in qua proinde intervenit gratiæ actualis influxus. Denique in 2. d. 28. q. 1. dicit quòd bonum opus, antecedens virtutem infusam, adeòque gratiam habitualem, ad eamque disponens, *naturalem perfectionem non excedit*, tametsi ad virtutem infusam, gratiamque habitualem disponere nequeat, nisi ex gratia actuali procedat. Et rursum a. 4. dicit quòd *non oportet ut actus, quibus homo se ad gratiam habendam præparat, sint naturam humanam excedentes.* Et 2. 2. q. 8. a. 16. *ex bono naturæ desiderio procedere* dicit *orationem peccatoris.... observatis quatuor conditionibus, ut scilicet pro se petat, necessaria ad salutem, piè & perseveranter*; cujusmodi profectò oratio, non sit nisi per gratiam actualem.

Tertiò denique phrases sequentes: *Ex solo libero arbitrio: per pura naturalia: solo lumine rationis naturalis*, &c. apud S. Thomam non significant idem quod sine gratia actuali, sed idem quod sine gratia habituali voluntatis, vel intellectûs; nec excludunt operationem Dei, per gratiam actualem intùs operantis; sed solùm principium activum creatum, naturalibus superadditum. Quod præter antè dicta, 155

Probatur 1°. ex 2. d. 27. q. 1. a. 4. ubi ad quæstionem *utrùm aliquis possit mereri gratiam?* respondet: *Donum gratiæ nullo modo sub merito cadere potest ejus, qui in puris naturalibus est; sed tamen opera bona ante donum gratiæ* (habitualis) *facta, præmio suo sibi proportionato non carent: causant enim quamdam habilitatem ad gratiam, pro quanto ea facientes habent aliquam dispositionem ad recipiendum, ex quo dicuntur quodammodò ex congruo gratiam promereri*, ut ait ad 4. vel pro quanto opera illa meritò dicuntur *dispositiones remotæ ad gratiam*, ut ait ad 5. At certissimum est, hoc à S. Doctore non dici de operibus factis in *puris naturalibus*, absque influxu gratiæ actualis: cùm pertineat ad errorem Pelagianorum, Semipelagianorumque.

2°. ex articulo sexto ejusdem quæstionis 156 ad 4. ubi agens de opere, quo peccator disponitur ad primam gratiam habitualem, discutiensque, an opus alienum hominis justi plus ad hoc ipsi prosit, an verò proprium ipsius peccatoris?

Respondet, plus prodesse *opus alienum informatum gratiâ..... quàm opus proprium, quod ex puris naturalibus causatur.* In quibus postremis verbis certum est S. Doctorem intelligere opus proprium causatum ex gratia actuali. Tum quia eo solo peccator disponitur ad gratiam habitualem. Tum quia alioqui tantus Doctor nec satisfaceret quæstioni quam discutit, nec objectioni ad quam respondet; quarum utraque postulat, ut respondeat quantùm peccator sibi in illo statu, in ordine ad primam gratiam habitualem, prodesse queat, agendo meliori modo, quo in illo statu potest; atque adeò agendo cum influxu gratiæ actualis.

3°. ex 2. d. 28. q. 1. a. 4. ubi dicit, quòd 157 *ad gratiam gratum facientem habendam ex solo libero arbitrio se homo potest præparare.* Vel etiam *per id quod in ratione naturali est*, ut ait ad 4.

4°. ex 2. d. 29. q. 1. a. 2. ubi relatis tribus opi- 158 nionibus de gratia primi hominis ante peccatum: quarum prima dicit, quòd *in primo statu gratiam* (habitualem) *non habuit.* Secunda, quòd *in principio creationis suæ sine gratia* (habituali) *creatus in naturalibus tantum.... ante peccatum gratiam consecutus est.* Tertia, quòd *in principio creationis suæ in gratia creatus est.* His (inquam) relatis, subjungit: *Quæ harum opinionum verior sit, multùm efficaci ra-*

tione probari non potest; sicut nec aliquid eorum, quæ ex voluntate Dei sola dependent. Hoc tamen probabilius est, ut, cùm homo fuerit creatus in naturalibus integris, quæ otiosa esse non poterant, quòd in primo instanti creationis ad Deum conversus, gratiam consecutus sit. Ubi S. Doctor æquivalenter discurrit sic: *Si homo creatus fuerit in naturalibus, hæc integra fuerunt, non corrupta. Si integra: ergo otiosa esse non potuerunt. Ergo homo, in primo instanti creationis, fuit ad Deum conversus. Ergo, in primo illo instanti, gratiam* (habitualem, de qua ipsi quæstio) *consecutus est.* Quod ultimum profectò consequens non foret, si in primo instanti, ad Deum conversus fuisset in naturalibus puris, sensu Modernorum, id est, sine ulla gratia, etiam actuali. Igitur ly *in naturalibus*, vel etiam *in puris naturalibus*, apud S. Doctorem, solam excludit gratiam habitualem, non actualem.

159 5°. Id totum manifestum evadit ex eo quòd tota olim Schola, primariique illius Principes, Albertus Magnus, Alensis, S. Thomas, S. Bonaventura, Guilielmus Parisiensis, Altisiodorensis, Scotus, Bachonius noster, S. Antoninus, Ariminensis, & omnes passim Doctores (ut ostendi to. 1. de Deo distinct. 11. q. 2. a. 2.) per trecentos & ampliùs annos usurpaverint hunc loquendi modum: *Homo, per opera bona, elicita solis naturæ viribus*, vel elicita *ex naturalibus, suppositâ influentiâ generali, de congruo meretur primam gratiam habitualem*, vel *ad eam se præparat, disponit*, &c. Nec tamen sic locuti sunt sensu Pelagianorum, Semipelagianorumque, excludendò gratiam actualem (cùm probabile non sit, totam Scholam, tanto tempore, Pelagianam, Semipelagianamve fuisse) sed solùm habitualem.

160 Itaque sicut per gratiam, simpliciter & absolutè, veteres Scholastici habitualem intellexerunt; sic per principium supernaturale, donumque naturalibus superadditum, intellexerunt habituale. Non mirum proinde quòd actus, cum solâ gratia actuali, sine ullo habitu supernaturali factos, propriè & in rigore terminorum, fieri dixerunt *per solum liberum arbitrium, per pura naturalia, per solas naturæ vires.* Quia tametsi non fierent absque auxilio gratiæ, solum equidem liberum arbitrium, per sola naturalia, per solas naturæ vires, absque alio comprincipio intrinsecè superaddito (etsi non absque Deo per gratiam actualem influente) actus illos efficit: neque enim gratia actualis est eorum causa, vel principium, sed actio & causalitas; nec propriè agit & efficit, sed abusivè, secundùm quod S. Thomas ait q. 2. de malo a. 11. ad 7. *Actus non propriè dicitur agere, sed abusivè; quia est quo agens agit.* Solum itaque liberum arbitrium, non obstante influxu gratiæ actualis, propriè dicitur agere, seu efficere actus illos; & Deus, tamquam principium extrinsecum; non verò ullum principium intrinsecum, à libero arbitrio distinctum. Atque ita, propriè & in rigore, homo dicitur per solum liberum arbitrium, per puraque naturalia, intrinsecè potens facere id, ad quod efficiendum non indiget aliis viribus, aliâ virtute, aliâ potentiâ intrinsecâ, sed solâ gratiâ actuali, quæ non habet rationem potentiæ, nec virtutis, nec virium superadditarum, sed actionis & causalitatis, ut dixi; nec constituit liberum arbitrium potens, sed agens. Eo verò sensu, quo, per sola naturalia, vel per solum liberum arbitrium, homo propriè dicitur potens agere; eodem propriè dicitur agere.

CAPUT X.

Efficaciter occurritur argumentis, quæ ex Angelico Doctore objiciuntur.

OBjicies 1°. Angelica testimonia, quibus 161
S. Doctor ait, hominem posse benè moraliter operari per naturæ bonum, sine gratia, sine dono naturalibus superaddito, solis naturæ viribus, solo liberò arbitrio, solo lumine rationis naturalis, &c.

Respondeo, per hujusmodi phrases, solùm excludere gratiæ habitualis, non actualis necessitatem, ut constat tum ex dictis cap. præcedenti, tum ex locis quibus cap. 8. gratiæ actualis auxilium requirit ad omne opus benè factum, illud etiam quod vocat naturæ viribus proportionatum.

Objicies 2°. S. Doctor 1. p. q. 60. & in 162
disput. q. 22. de boni appetitu & voluntate, videtur in hominibus & Angelis admittere naturalem amorem Dei super omnia, qui non sit ex gratia.

Respondeo, amorem naturalem apud S. Thomam esse duplicem, unum inditum qui opponitur electivo, estque inseparabilis à natura, & manet in ipsis dæmonibus & damnatis. Et de isto agit utroque illo loco, ut videre est in contextu prioris loci, & in posteriori loco a. 2. ad 2. Alium electivum, seu electivè liberum, & istum sicubi vocat naturalem, ut opponitur supernaturali; non ideò talem vocat, quòd fieri queat absque ulla prorsus gratia; sed quòd fieri queat absque gratia habituali. Nam (præter dicta n. 161.) q. 23. de volunt. Dei a. 7. ad 8. Dei dilectionem ex gratiâ actuali, non habituali procedentem, naturalem vocat, dicens: *Non tenemur ad aliquid faciendum ex charitate* (habituali) *sed ad faciendum aliquid ex dilectione naturali* (Dei) *sine qua ad minus, quidquid fit, malè fit. Dico dilectionem naturalem, illam, ad quam aliquis per principia naturalia pervenire potest* (absque concursu comprincipii supernaturalis creati) *quæ invenitur.... in virtutibus politicis.* De quibus 2. 2. q. 138. a. 3. ad 2. *Bonum politicæ virtutis commensuratum est naturæ humanæ; & ideò absque auxilio gratia gratum facientis potest voluntas in illud tendere; licèt non absque auxilio gratiæ Dei.*

Objicies 3°. S. Doctor in 2. dist. 40. q. 1. a. 5. 163

dicit, quòd *in non habente gratiam potest aliquis actus esse deliberatus, qui nec sit meritorius, nec demeritorius; tamen est bonus.* Talis verò actus in non habente gratiam esse non posset, si omnis actus bonus non habentis gratiam habitualem, juxta S. Doctorem, ex gratia actuali procederet. Cùm omnis actus, ex gratia actuali procedens, meritorius sit, non solùm præmii temporalis, sed & æterni. Quales non sunt actus hominis infidelis non habentis gratiam. De quibus ibidem dist. 41. q. 1. a. 2. ad 3. dicit, quòd *Deo placent; non tamen sicut remunerabiles præmio æterno.*

Respondeo negando minorem. Quia per actum meritorium, simpliciter & absolutè, S. Doctor constanter intelligit meritorium de condigno; adeòque procedentem ex charitate & gratia habituali. Ad illum proinde sanctus Doctor plus requirit, quàm procedere ex gratia actuali. Ut enim ait 1. 2. q. 112. a. 2. ad 1. *Præparatio gratiæ imperfecta, quæ aliquando præcedit donum gratiæ gratum facientis, tametsi fit à Deo movente* (per gratiam actualem) .... *non sufficit ad meritum*, simpliciter & absolutè dictum, *nondum homine per gratiam justificato:* quia nullum meritum simpliciter potest esse nisi ex gratia justificante, ut proximè dixit, & de qua loquitur q. 114. a. 2. ad quem se remittit. Et 2. 2. q. 85. a. 15. *Oratio, sine gratia gratum faciente, meritoria non est; sicut nec aliquis alius actus virtuosus.* Quia, ut ait in 2. dist. 27. q. 1. a. 5. ad 3. *ante infusionem gratiæ homo nondum est particeps divini esse. Unde actus ipsius sunt omninò improportionati ad merendum aliquod divinum, quod facultatem naturæ excedat; sed per gratiam infusam constituitur in esse divino. Unde jam actus ejus proportionati efficiuntur ad promerendum augmentum vel perfectionem gratiæ.* Et dist. 29. q. 1. a. 4. in corp. *Meritum non consistit in actu quolibet; sed in eo qui per habitum gratiæ informatur.*

164 Sic ergo patet quomodò in non habente gratiam habitualem dentur actus boni, ex gratia actuali procedentes, qui tamen non sint simpliciter meritorii: quia de condigno meritorii non sunt. Patet etiam quomodò in infidelibus sint actus Deo placentes, ex gratiaque etiam actuali procedentes, non tamen de condigno remunerabiles præmio æterno.

165 Objicies 4°. *In infidelibus remanet aliqua veri cognitio* (ait S. Doctor 2. 2. q. 10. a. 4. ad 3.) *per quam facere possunt aliquid de genere bonorum*, etiam sine gratia. Quia *cognitio naturalis de Deo potest dirigere in Deum, sic ut vitetur peccatum.* 2. ad Annibaldum dist. 42. q. un. a. 1. ad 2.

Respondeo quòd cùm infideles per naturalem de Deo cognitionem faciunt aliquod de genere bonorum, faciunt quidem absque gratia habituali, sed non absque actuali. Cùm per ejusmodi actus gratiæ obstaculum non ponant. Hoc ipsum verò quòd aliquis non ponit obstaculum, ex gratia procedit, lect. 3. in cap. 12. ad Hebr. Imò per ejusmodi actus se ad gratiam præparant, ut docet in 4. dist. 17. q. 1. a. 2. ad 4. his verbis: *Finis ultimus, scilicet Deus, potest esse in intentione ejus qui fidem non habet per generalem, vel naturalem cognitionem quam de Deo habet. Unde etiam ille qui fidem non habet, potest se ad fidem habendam præparare, & ad gratiam, si secundùm suam cognitionem peccatum displiceat, & in Deum affectus ejus feratur.* Præparatio verò ad gratiam non est sine gratia actuali, ut fides docet. Et dist. 28. q. 1. a. 4. ad 4. *Ad fidem habendam aliquis se præparare potest per id quod in naturali cognitione est.*

Objicies 5°. S. Doctor 1. 2. q. 109. a. 2. 166
docet, quòd *quia natura humana per peccatum non est totaliter corrupta, ut scilicet toto bono naturæ privetur, potest quidem, etiam in statu naturæ corruptæ, per virtutem suæ naturæ, aliquod bonum particulare agere (sicut ædificare domos, plantare vineas,) non tamen totum bonum sibi connaturale, ita ut in nullo deficiat.*

Respondeo 1°. ex eo quòd homo possit ædificare domos, plantare vineas, ad summum consequi, posse dari sine gratia bonos architectos, & bonos vinitores (inquit Contenson) sed non bonos benè moraliter operantes, sic ut in nulla circumstantia deficiant. Neque oppositum hujus conficitur ex eo quòd natura humana per peccatum non sit totaliter corrupta; utpote ex quo sequitur quidem quòd sola, sine gratiæ actualis influxu, facere possit aliqua opera ex objecto & fine proximo bona, ea scilicet quæ naturæ sunt proportionata; non autem quòd sine gratiæ actualis influxu facere possit bona, tam ex objecto sineque proximo, quàm ex omnibus circumstantiis bona. Nec hoc ibi, vel alibi, S. Doctor asserit.

Respondeo 2°. quòd bonum naturæ, non 167
totaliter corruptum, per quod S. Doctor ait nos posse facere aliqua bona proportionata naturæ, non excludit gratiæ necessitatem, ad illa cum omnibus circumstantiis debitis facienda, prout ipsemet docet q. 24. de lib. arb. a. 14. in corp. his verbis: *Illud bonum, quod est naturæ humanæ proportionatum, potest homo per liberum arbitrium explere. Unde dicit Aug. quòd homo per liberum arbitrium potest agros colere, domos ædificare, & alia plura bona facere sine gratia operante. Quamvis autem ejusmodi bona possit ea facere sine gratia gratum faciente* (nota benè) *non tamen potest ea facere sine Deo* per gratiam actualem influente. Sequitur enim, quòd *omnes exteriores motus à divina providentia moderantur, secundùm quod ipse judicat aliquem esse excitandum ad bonum his vel illis actionibus. Unde si gratiam Dei velimus dicere, non aliquod habituale donum, sed ipsam misericordiam Dei, per quam interius motum mentis operatur, & exteriora ordinat ad salutem hominis; sic nec ullum bonum homo potest facere sine gratia Dei.*

168 Enimverò S. Thomas, per *bonum naturæ*, quod ait non esse totaliter corruptum, intelligit naturalem inclinationem ad virtutem, ut expressè dicit 1. 2. q. 85. a. 2. *Bonum naturæ, quod per peccatum diminuitur, non ex toto tollitur, est naturalis inclinatio ad virtutem, quæ quidem convenit homini, ex hoc ipso quòd rationalis est. Ex hoc enim habet, quòd secundùm rationem operetur, quod est agere secundùm virtutem. Per peccatum autem non potest totaliter ab homine tolli quòd sit rationalis. Quia jam non esset capax peccati.* Proinde fatemur quòd *etiam in damnatis manet naturalis inclinatio illa* (ait S. Doctor ibidem ad 3.) alioquin non esset in eis *remorsus conscientiæ*. Verùm illa naturalis ad virtutem inclinatio, naturæque bonum, sine gratia non exit in actum omni ex parte bonum. Et ideò S. Doctor subjungit: *Sed quòd in damnatis non reducatur in actum, contingit quia deest gratia, secundùm divinam justitiam.* Et q. 2. de malo a. 12. ad 6. *Impossibilitas ad gratiam, quæ est in damnatis, non est ex totali subtractione habilitatis naturalis ad bonum; sed ex obstinatione voluntatis in malo, & ex immobilitate divinæ sententiæ, ne illis in perpetuum gratia apponatur.*

169 Aliud ergo est quòd natura corrupta habeat inclinationem, vel etiam potentiam & virtutem ad bonum benè faciendum; aliud, quòd ad id habeat sufficientiam. Quam homo ideò non habet in statu naturæ corruptæ, quia, ut docet 1. 2. q. 109. a. 3. *homo in statu naturæ corruptæ, secundùm appetitum voluntatis rationalis..... propter corruptionem naturæ, sequitur bonum privatum, nisi sanetur per gratiam.*

170 Instabis: si hæc vera sint, cur solum naturæ bonum, solamque naturæ virtutem S. Doctor, loco objecto allegat; cùm insuper gratiam requirat? 2°. cur pro fundamento allegat, quòd per peccatum bonum naturæ non sit totaliter corruptum? 3°. cur docet, quòd homo non possit totum bonum naturæ suæ proportionatum, sed aliquod vel aliqua dumtaxat; cùm totum possit cum gratia?

171 Ad 1. respondeo rationem esse, quia solum naturæ bonum, seu naturæ virtus, in actus illos bonos influit per modum principii intrinseci; non autem gratia actualis, quæ, juxta S. Doctorem, non est principium seu causa efficiens, nec qualitas, sed motio Dei ad bonum; adeòque purus modus.

172 Ad 2. respondeo rationem esse, quia si bonum naturæ totaliter foret destructum, homo, absque auxilio gratiæ, ne quidem facere posset ullum opus ex officio, sive ex specie bonum; imò nec ullum actum in individuo bonum, cum gratiæ auxilio. Deinde si naturæ bonum foret totaliter corruptum, ad actum bonum necessaria foret gratia habitualis. Cùm ad actum bonum necessaria sit inclinatio intrinseca ad virtutem; utpote sine qua actus esse non posset voluntarius, nec à principio intrinseco, donec alia ipsi daretur natura, seu habitus, qui altera natura dici solet.

173 Accedit quòd inclinatio naturalis in bonum, necessaria ad bonum voluntarium, esse nequeat ex toto destructa per peccatum, nisi per introductionem contrariæ inclinationis (secundùm quod S. Doctor ait 1. 2. q. 85. a. 1. *Oportet, quòd ex hoc quòd aliquid inclinatur ad unum contrarium, diminuatur inclinatio ejus ad aliud*) & ideò sublatâ totaliter inclinatione voluntatis ad bonum, bonum esset contra propriam inclinationem ipsius, atque adeò contra naturam; non autem secundùm ullam ipsius naturam & inclinationem. Nullo ergo modo esset ab intrinseco. Ut autem S. Doctor q. un. de charit. a. 1. dicit: *Sicut naturales actiones & motus à quodam principio intrinseco procedunt, quod est natura; ita & actiones voluntariæ oportet quòd à principio intrinseco procedant.... Nam sicut inclinatio naturalis in rebus naturalibus, appetitus naturalis nominatur; ita in rationabilibus, inclinatio apprehensionem intellectus sequens, actus voluntatis est. Possibile autem est, quòd res naturalis ab aliquo exteriore agente ad aliquid moveatur, non à principio intrinseco, puta cùm lapis projicitur sursùm; sed quòd talis motus, vel actio, non à principio intrinseco procedens, naturalis sit, hoc omninò est impossibile: quia in se contradictionem implicat.... Potest quidem Deus lapidi dare virtutem, ex qua, sicut ex principio extrinseco, sursum naturaliter moveatur; non autem ut iste motus sit ei naturalis, nisi ei alia natura detur. Et similiter non potest hoc divinitùs fieri, ut aliquis motus hominis, vel interior, vel exterior, qui sit à principio merè extrinseco, sit ei voluntarius.*

174 Ad 3. respondeo, hominem cum sola gratia actuali, sine habituali, facere non posse totum bonum sibi connaturale, sive implere mandata omnia legis naturæ, ita ut numquam peccet contra aliquod illorum. Hoc enim non posse, S. Doctor tradit ibidem a. 4. &. 8.

175 Objicies 6°. Ex dictis sequeretur S. Doctorem Assertorem esse propositionis vigesimæ-septimæ per Bullam Pii V. damnatæ: *Liberum arbitrium, sine gratia Dei, nonnisi ad peccandum valet.*

Respondeo negando sequelam, 1°. quia liberum arbitrium, sine gratia Dei, eo ipso valet ad non peccatum, quo valet ad opus ex se non peccaminosum, sive ex officio & fine proximo bonum, nec ad malum finem relatum. Cùm opus hujusmodi, quà tale, non sit peccatum.

176 2°. quia propositio illa damnata est sensu Assertorum, qui volebant liberum arbitrium, sine gratia Dei, per Spiritum sanctum inhabitantem, non valere ad ullum opus, in aliquo non peccaminosum. A quo sensu prorsus alienus est S. Doctor. Vide dicta Prolegom. 6. cap....

177 Objicies 7°. S. Thomas, dum ad omne opus bonum, benè factum, requirere videtur gratiam actualem, per eam intelligit concursum generalem, vel gratiam actualem latè, non

non strictè dictam ; eam quippe vocat Dei motionem, Dei causalitatem, Dei operationem in anima, &c. Quæ verba generaliora sunt, & magis latè patentia, quàm sit gratia actualis strictè & specialiter dicta.

Respondeo negando antecedens, pro utraque parte. Quia tametsi nomina ista, secundùm se præcisè generaliora sint, quàm gratia actualis strictè & specialiter dicta; ex circumstantia tamen contextûs, & subjecta materia particularium operum, de quibus agit, à S. Doctore intelliguntur de gratia actuali strictè & specialiter dicta. Idque maximè apparet, dum ait, quòd homo Dei motione, operatione & causalitate indiget, ut se ad gratiam præparet: cùm de fide sit, hoc fieri non posse cum solo concursu generali, quo etiam influit in materiale peccati.

Et ideò vel ipse S. Doctor causalitatem illam, motionem, & operationem Dei, sæpè vocat auxilium divinum, divinam voluntatem, misericordiam, auxilium gratuitum, auxilium gratiæ, &c. Quibus nominibus numquam designat concursum generalem; utpote debitum, non gratuitum.

178 Idque ampliùs ostenditur 1°. ex disput. q. 27. de grat. a. 6. ad 3. *Quantumcumque homo habeat habitum gratiæ, semper tamen indiget divinâ operatione, quâ in nobis operatur, modis prædictis, & hoc propter infirmitatem naturæ nostræ, & multitudinem impedimentorum; quæ quidem non erant in statu naturæ conditæ. Unde magis tunc poterat stare per seipsum, quàm nunc possint habentes gratiam* (habitualem) *non quidem propter defectum gratiæ* (dictæ) *sed propter infirmitatem naturæ; quamvis etiam tunc indigerent divinâ providentiâ eos dirigente & adjuvante.* Ubi per divinam operationem, quâ in nobis operatur, per divinam providentiam dirigentem & adjuvantem, &c. gratiam intelligit actualem, strictè & specialiter dictam, ut patet ex eo quod subdit: *Et ideò habens gratiam* (habitualem) *necesse habet petere auxilium divinum, quod ad gratiam cooperantem pertinet.*

179 2°. ex 2. dist. 28. q. 1. a. 1. ubi gratiam actualem ad omne opus bonum necessariam, vocat *divinam causalitatem, secundùm quod Deus in omnibus operatur universalis causa boni, juxta illud: Omnia opera nostra operatus es in nobis.* De eaque gratia ad 1. & 2. exponit sacra testimonia contra Pelagianos objici solita: *Sine me nihil potestis facere. Non sumus sufficientes aliquid cogitare à nobis, quasi ex nobis*, &c. Sicut & ad 3. illud Augustini: *Non potest homo aliquod bonum velle, nisi juvetur à Deo, utique* (inquit) *interiùs operando in ipsa voluntate, sicut in re qualibet operatur, etiam exteriùs occasiones & auxilia præbendo ad benè agendum.* Quod nisi de gratia actuali strictè dicta intelligeret, objectionibus illis non satisfaceret, intelligendoque de solo concursu generali, aliam gratiam necessariam non concederet, nisi quam concedebant Pelagiani.

3°. ex q. 24. de lib. arb. a. 12. 14. & 15. 180
ad 1. ubi divinum auxilium, interioremque Dei operationem exigit ad operandum bonum, vitandumque mortale peccatum, per illamque & illud gratiam actualem strictè dictam haud dubiè intelligit, prout evidenter indicat verbis istis: *Unde si gratiam Dei velimus dicere... misericordiam Dei, per quam interiùs motum mentis operatur, & exteriora ordinat ad hominum salutem, nullum bonum homo potest facere sine gratia Dei*, de qua a. 15. ad 1. & 2. intelligit auxilium divinum, quod à Deo petimus Thren. 3. *Converte nos Domine ad te.* Et 2. Machab. 1. *Adaperiat Deus cor vestrum*, &c.

4°. ex 1. 2. q. 109. a. 8. ad 3. *Quodcumque* 181
vult homo, datur ei; sed hoc quòd bonum velit, habet ex auxilio gratiæ. Ubi, quæso, concursum generalem S. Doctor vocat *auxilium gratiæ?*

5°. Quæcumque ex S. Doctore protulimus 182
cap. 8. manifestè ostendunt ipsum loqui de gratia actuali propriè, strictè, & specialiter dicta, dum eam requirit ad volendum & operandum bonum quodcumque benè factum.

6°. S. Doctor 1. 2. q. 109. a. 7. & 9. q. 110. 183
a. 2. q. 112. a. 2. aliisque locis plurimis gratiam propriè & strictè dictam in duo tantùm membra dividit, habitualem & actualem, nec actualem, seu motionem Dei, ad bonum necessariam, unquam dividit in strictè & latè dictam. Igitur distinctio illa adversariorum prorsus infundata est in S. Doctore; utpote qui gratiæ latè sumptæ ne mentionem quidem facit in circumstantiis, in quibus secundùm ipsos de ea loquitur; imò qui eam iis ubique terminis describit, quibus strictè sumptam describit.

Instabis: saltem Angelicus Doctor ad actum 184
quemcumque benè factum gratiam non requirit specialem, id est, entitativè supernaturalem: cùm gratiam subinde tam largè accipiat, ut etiam naturalia dona, quatenùs gratis data, gratiam vocet.

Respondeo, negando antecedens. Quia naturæ corruptæ vires non sufficiunt ad operandum propter Deum. Quod S. Thomas postulat ad actum quemcumque benè factum, tametsi verum sit quòd inter gratias speciales subinde numeret dona vel beneficia quædam entitativè naturalia, cujusmodi sunt morbi, jacturæ temporalium, adversitates, correptiones, aliorum mortes subitaneæ, & infelices, &c. quatenùs scilicet divinæ substant providentiæ, misericordiæque, ea disponenti ad salutem alicujus, vel ad impediendum ipsius peccatum.

Neque enim ad dignoscendam gratiam specialem solùm attendenda est entitas doni, vel beneficii, secundùm se præcisè considerata; sed donum ipsum considerandum est, ut substat intentioni donantis, per illudque dantis homini occasionem salutis, &c.

Enimverò quidquid homini à Deo datur, 185
vel procuratur, ex intentione promovendi salutem, vel impediendi peccatum ipsius, qua-

tenùs ex ista profluit intentione, vel saltem complexum ex dono illo divino, divinaque ista intentione, usque adeò gratia est Dei specialis, ut de ea dici meritò possit, *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei*, nec de ea homo gloriari possit, nec dicere, ego me discerno, non gratia Dei: ut de ea quoque Augustinus meritò dicat, *Ego gratiæ tuæ deputo quæcumque non feci peccata.*

186 Urgebis: omnis gratia specialis est gratia Christi, sive ex Christi meritis collata. Talis verò non est gratia, ad singulos actus benè factos necessaria.

Respondeo negando minorem. 1°. quia conducit ad justificationem & salutem. 2°. usque adeò misericorditer datur, ut pro ea oporteat orare. 3°. multa beneficia, etiam entitativè naturalia, quatenùs ex speciali Dei misericordia & intentione ad salutem hominis conferuntur, ex Christi meritis conceduntur, v. g. externæ protectiones, moderatio, vel remotio tentationum, occasionumque, quæ inducerent in opus malum, vel impedirent bonum; conjunctio causarum adjuvantium opus bonum, cum gratiis internis intellectûs & voluntatis. Omnia quippe ista, simul juncta, plerùmque efficiunt, ut ex duobus æqualiter internè præventis, unus præ alio convertatur, vel salvetur, unus præ alio victor sit tentationis, &c. absque eo quòd ille præ isto gloriari possit, seque ab ipso discernere, vel dicere, *quòd præ ipso convertar, vel victor sim tentationis, non miserentis est Dei, sed voluntatis meæ volentis & currentis.* Cùm absque dicta speciali misericordia, omnia in salutem ipsius taliter disponente, præ alio non converteretur. 4°. denique Dei amorem (necessarium ad actum quemcumque benè factum) nisi Deus ipse non donat, nec aliter nisi per... Jesum Christum, ut Augustinus dicit l. 21. de Civit. Dei c. 16. Ex Dei verò propter se amore homo tenetur facere quidquid facit: quia, ut S. Thomas ait 2.2.q.27. a. 5. *ex toto posse suo homo debet diligere Deum*, & QUIDQUID HABET AD DEI AMOREM ORDINARE, *secundùm illud Deuteron. 6. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.*

CAPUT XI.

Satisfit aliis objectionibus Recentiorum, prætendentium admittendos actus usquequaque bonos, seu benè factos, absque auxilio gratiæ.

187 OBjicies 1°. sequentes propositiones in Bulla Pii V. damnatas: *Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, quod ex solis naturæ viribus ortum ducit, agnoscit. Nonnisi Pelagiano errore admitti potest usus aliquis arbitrii bonus, sive non malus; & gratiæ Christi injuriam facit, qui ita sentit & docet.*

Respondeo: si propositiones istæ damnatæ sint ob doctrinam (non ob solam censuram, uti ob eam solam damnatas esse censent Toletus, Bellarminus, Vasquez, Turrianus, Suarez, &c. se fundantes in eo quòd nonnullæ ex damnatis in ea Bullæ propositionibus solùm damnatæ sint vèlut *scandalosæ, & in pias aures offensionem immittentes*; quam offensionem & scandalum causant acriores plerùmque censuræ opinionum, quas probati Catholici docent) damnatæ non sunt in sensu quo assertio nostra traditur à Conciliis, Patribus, Theologisque probatissimis; sed in sensu peregrino à totius doctrinæ in Bulla Piana damnatæ Assertoribus intento, quo utique vel voluerunt sine gratia nullum effici posse actum in se moraliter bonum, vel nihil nisi malum effici posse sine gratia Spiritûs sancti inhabitantis, uti constat ex dictis Prolegom. 6. cap. 12. 13. 14. 15.

Objicies 2°. Quando Concilia & Patres 188
asserunt, nullum actum benè fieri posse absque auxilio gratiæ, plerùmque addunt *sicut oportet* (ad justificationem utique & salutem) vel *sicut oportet ad meritum* gratiæ & gloriæ. Supponunt ergo nonnullos actus bonos absque auxilio gratiæ effici posse non sicut oportet ad meritum, ad justificationem, &c.

Respondeo: dum addunt *sicut oportet*, ly *sicut oportet*, idem est ac cum debitis circumstantiis; ita scilicet ut actus bonus benè fiat, sive propter Deum, uti revera oportet. Sic enim Augustinus mille explicat locis, signanter Enchiridii c. 121. & de corrept. & grat. c. 2. *Quando id agunt sicut agendum est, id est, cum dilectione & delectatione justitiæ, sive ex charitate faciendo*, uti quatuor post lineis explicat. *Quidquid* enim *benè amas, charitate amas*, inquit serm. 23. de verbis 24. Psalmi 72. Et ideò quidquid benè agitur & amatur, salubriter agitur, sive meritoriè (saltem de congruo) utiliterque ad justificationem & salutem, etiamsi non fiat ex motivo fidei & pietatis ex objecto supernaturalis, uti S. Congregatio de Auxiliis expressè declaravit, verbis Prolegom. 6. n. 138. 139. 140. 142. productis, in ipsisque S. Scriptura & Conciliis satis idipsum insinuatur, uti dicitur in Idæa Bullæ Pauli V. relata ibidem, hisce verbis: *In iis definitionibus per id quod exprimitur*, sicut oportet, *sive* ut expedit, *hoc intelligendum est, quod est cum circumstantiis debitis ab homine adhiberi.* Quia tam in doctrina à SS. Patribus definita & tradita, quàm in ipsa Scriptura sacra, actus qui fiunt sicut oportet, per ejusmodi circumstantias describuntur. *Siquidem tales actus sunt, verbum auditus Dei* (*ut Scriptura loquitur*) *accipere, non ut verbum hominum, sed sicut est verè verbum Dei.... operari propter Deum quod bonum est, diligere Deum propter seipsum; hominem verò, sive alium, propter Deum. Quapropter iis definitionibus adversatur, dicere, quòd possit homo actus sic descriptos operari, aut velle operari, sine gratia Dei, etiamsi intelligatur tunc non fore supernaturales, sed naturales actus.*

Objicies 3°. Augustinus l. de spir. & litt. 189
c. 28.

c. 28. de Gentilibus ad fidem conversis dicit, quòd *vis illa naturæ inerat eis, quâ legitimum aliquid anima rationalis & sentit, & facit.* Quòdque habent *quædam opera pia in vita impia.*

Respondeo Augustinum in ipsis agnoscere quidem opera quædam bona ex officio, & fine proximo, sed non bona ex omnibus debitis circumstantiis, nisi referantur ad Deum propter se dilectum. Quam dilectionem ubique negat ab homine esse per naturam; nec universim in Gentilibus, ad fidem plenè nedum conversis, negat esse per gratiam.

190 Objicies 4°. Idem Augustinus epist. 130. Polemonis laudat continentiam, licèt ipsi proficuam tantùm ad præsentis vitæ statum, non ad futuræ immortalitatem. Aliorum alibi Gentilium laudat pudicitiam conjugalem. De Romanorum quoque virtutibus epist. 5. ad Marcellum dicit, quòd tametsi non habuerint veram pietatem erga Deum verum, habuerint tamen sui generis probitatem.

Respondeo Polemonis continentiam secundùm quid fuisse ex se moraliter bonam, ex objecto scilicet, sineque proximo bono, atque adeò ex se secundùm quid laudabilem, non simpliciter & usquequaque, ob defectum relationis ad debitum finem ultimum. Ob quem defectum proficua non fuit ad futuræ vitæ immortalitatem, sed ad præsentis vitæ statum dumtaxat.

191 De pudicitia verò conjugali Gentilium l. 1. de nupt. & concupisc. c. 3. sic Augustinus ipse discurrit: *Quid ergo dicemus, quando & in quibusdam impiis invenitur pudicitia conjugalis? Utrùm eo peccare dicendi sunt, quòd dono Dei malè utantur, non id referentes ad cultum ejus à quo acceperunt? .... Cùm igitur faciunt hæc homines sine fide, quæ videntur ad conjugalem pudicitiam pertinere, sive hominibus placere quærentes, vel sibi, vel aliis, sive in his rebus quas vitiosè concupiscunt, humanas molestias devitantes, sive dæmonibus servientes; non peccata coërcentur, sed aliis peccatis alia peccata vincuntur. Absit ergo* (simpliciter loquendo) *pudicum veraciter dici, qui non propter Deum verum, fidem connubii servat uxori.* Et c. 4. *Qui non hac intentione, hac voluntate, hoc fine generant filios, ut eos ex membris hominis primi in membra transferant Christi, sed infideles parentes de infideli prole gloriantur, non est in eis vera pudicitia conjugalis..... Vera igitur pudicitia conjugalis..... dicenda non est, nisi quæ veræ fidei mancipatur.*

192 Romanorum denique virtutes, saltem ut plurimùm defecerunt à plena & simpliciter dicta ratione virtutis, ob defectum debitæ relationis ad Deum finem ultimum. Quia (ut Augustinus dicit l. 5. de Civit. Dei c. 15.) *Laudis aviditas, & cupido gloriæ multa illa miranda fecit, laudabilia scilicet, atque gloriosa secundùm hominum æstimationem: Amore igitur primitùs libertatis, posì etiam dominatio-*

nis, & cupiditate laudis & gloriæ, multa magna fecerunt. Nec pro iis mercedem aliam acceperunt, nisi humanam gloriam, quam intendebant.

Objicies 5°. Si homo lapsus nullos absque 193
gratia Christi facere posset actus usquequaque bonos, gratiâ Christi privatus non esset liber ad benè vel malè agendum.

Respondeo negando sequelam. Quamvis enim benè agere non possit per gratiam habitam in actu, potest per gratiam habitam in potentia, sive quam à Deo per Christi merita recipere potest, & Deus per misericordiam (cujus adhuc est capax) ipsi tribuere.

Cæterarum objectionum solutionem habes 194
Prolegomeno 6. cap. 8. 12. 13. 14. & 15. citato etiam cap. 13. Probata habes duo inconvenientia, ex sententia adversariorum consectaria. Primum est, quòd ex solis naturæ viribus, causa daretur prædestinationis, gratiæque efficacis, saltem per modum removentis prohibens. Alterum, quòd gratia efficax, non tam ex parte Dei, quàm ex parte hominis, efficaciam haberet. Vide ibi.

CAPUT XII.

Refelluntur variæ Ludovici Molinæ hisce de materiis propositiones, liberum arbitrium plus justo efferentes, gratiamque deprimentes, quas S. Congregatio de Auxiliis, divinæ Scripturæ, Conciliis, & S. Augustini doctrinæ censuit adversantes.

DUm sacræ istius Congregationis sententias 195
refero, non ex Actis, sed ex Historia Congregationum illarum refero, quam nuper edidit clarissimus vir Augustinus Le Blanc S. Theologiæ Doctor; solùmque refero ut historicè, non ut authenticè veras; id est, non ut solemnitatem jure requisitam, solemnem utique S. Pontificis approbationem, supremâque authoritate ipsius factam promulgationem habentes (quod scio esse vetitum, & absit ut contrafaciam) sed velut sententias à S. Congregatione verè enarratas: quibus ad vim sententiarum Pontificiarum deest quidem, sed sola deest solemnis illa approbatio promulgatioque. Refero (inquam) ex laudata Historia, ex certissimis verbis, Scriniis & Tabulariis, aliisque documentis, ac Scriptoribus fide dignis, contra erectos à Molinistis vanos triumphos, vulgatasque fabulas, justæ defensionis (quam jura omnia permittunt) liberandæque veritatis studio conscripta, fide tam sincerâ, ut Author in Præfatione §. 12. dicere non dubitet: *Si quis Historiam hanc meam impugnare velit, per me licet: meminerit tamen, quisquis id attentabit, ex probatis documentis, ac istarum præsertim Congregationum Tabulariis mecum agendum esse.... stultitiæ quippe genus esse puto, velle de rebus historicis aliter, quàm ex illarum documentis pronuntiare ac definire.* Documentorum verò hujus Historiæ veritatem ob id

unum negare velle, quòd Congregationum Acta vulgare, iisque (velut authenticis) fidem adhibere, vel ea velut authentica allegare, Innocentii X. Decreto vetitum sit; perinde foret (inquit) ac Romam à Remo & Romulo fundatam inficiari, si Historiæ omnes id enarrantes, aliquo Principis Decreto prohiberentur. Quandoquidem nullâ Principum lege fieri queat, ut quod in Congregationibus illis judicatum fuit, judicatumque fuisse, tam ex Actorum, licèt non authenticorum, Tabulariis, quàm ex tot aliunde Testium (qui de Auxiliorum controversiis multa vulgarunt) fide, atque ex communi etiam fama, rerumque actarum conservata memoria constat, judicatum non fuerit; & quod Secretariorum Commentariis Originalibus, Romæ in Bibliotheca Angelica extantibus, insertum est, insertumque ab omnibus videri potest, insertum non sit: quod enim factum est, infectum fieri nequit. Nec Commentariis illis Innocentius X. detraxit veritatem, dum detraxit authenticam, prout innumeris exemplis ab omnibus receptis, ibidem laudatus probat Historicus. Ad Molinam itaque veniamus, qui profectò liberi arbitrii vires justo plus extulit, cùm dixit

196 Primò, quòd liberum hominis lapsi arbitrium per peccatum primi hominis in naturalibus non sit læsum & vulneratum, sed in eo statu in quo fuisset in statu naturæ puræ. In Concord. q. 14. a. 13. disp. 3.

197 Secundò, quòd homo lapsus, solis naturæ viribus, cum concursu generali Dei, efficere possit opus moraliter bonum, fini naturali hominis accommodatum, comparatione istius finis verè bonum, ac virtutis opus, cum omnibus debitis circumstantiis. Ibid. disp. 5.

198 Tertiò, quòd solis naturæ viribus, cum dicto concursu, efficere possit actus ad justificationem necessarios, quoad eorum substantiam, actus nimirùm credendi, sperandi, diligendi, pœnitendi, licèt non ut oportet ad justificationem. Ibid. disp. 7.

199 Quartò, quòd propositis & explicatis iis quæ credenda sunt, in quorum cognitionem solo lumine naturali non possimus devenire, propositis etiam argumentis communiter adferri solitis, ad persuadendum ea esse revelata à Deo, accedente insuper vocatione ad fidem per Concionatores, seu alios Ecclesiæ Ministros, in facultate liberi arbitrii sit, cum solo concursu generali Dei, articulis taliter propositis assentiri, tamquam à Deo revelatis, assensu merè naturali, qui tamen satis non sit ad justificationem. Ibid. §. *ut ergo* & §. *affirmans pars.*

Quintò, cùm quis edoctus fuerit, supernaturalem assensum ad salutem esse necessarium, viribus naturalibus potest optare ita credere, atque etiam conari ex dono & auxilio supernaturali assentiri, potest etiam desiderare & petere gratiæ divinæ adjutorium, & ad illud recipiendum satagere se disponere. Disput. 9. 14. 42. & 43.

Sextò, quòd in statu naturæ lapsæ, cum solo 200
concursu generali Dei, dum rationis judicium non omninò absorbetur, cuicumque gravi tentationi magnæque difficultati, in quocumque temporis momento, potest homo ex viribus naturæ resistere. Disput. 19. memb. 2.

Septimò, quòd potest homo impius & pec- 201
cator, cum solo concursu generali Dei, per solas naturæ vires elicere dilectionem Dei super omnia, & contritionem de omnibus peccatis, cum proposito servandi omnia mandata. Disput. 9. memb. 1. §. 1. & memb. 5. §. *post hanc* & seq.

Octavò, quòd quotiescumque liberum 202
arbitrium, ex suis viribus naturalibus, conatur facere quod in se est ad faciendum aliquem actum, ex iis qui pertinent ad justificationem & salutem, Deus certâ lege dat gratiam, ut eum faciat prout oportet ad salutem. Disput. 10. in princip.

Nonò, quòd secundùm communem cur- 203
sum Deus exigit nostros conatus, & oblatâ sibi à nobis aptâ occasione confert specialia gratiæ auxilia, interdum tamen illis prævenit excitatque torpens liberum arbitrium. Disp. 9. §. *quod hæc*, & §. *patet tertiò*. Et disp. 10. ibi, *planè sine ulla intermissione*. Et disput. 14. memb. 8. §. *post hanc*, ibi, *quoniam verò facienti*.

Decimò, quòd Deus quodammodò occa- 204
siones quærit, & expectat, ut datio & largitio suæ gratiæ rationabilis videatur. Disp. 9. §. *patet tertiò*, & §. *quamvis hæc*. Et disp. 10. §. 1.

Undecimò, quòd quamdiù sumus in via, 205
salus, & potestas, ut filii Dei simus, est posita in manu arbitrii nostri, eâ ratione, quia si ex solis viribus naturæ fecerimus totum quod in nobis est, gratiam infallibiliter consequemur, ex certa lege, per Christum & Deum Patrem statuta, tunc dandi gratiam, per quam operemur ut oportet ad salutem. Disp. 10.

Duodecimò, quòd ante receptionem gratiæ 206
servanda est lans libero arbitrio. Disp. 9. Hanc verò laudem in eo constituit, quòd ante gratiæ receptionem, ex facultate naturæ, frequenter eliciat actus supernaturales ex parte objecti, naturales ex parte principii, credendi utique divina mysteria, desiderandi, petendi, & quærendi Dei gratiam, seu misericordiam. Quos actus gratia, ex lege à Deo constituta, infallibiliter consequatur.

Decimò-tertiò, quòd propter bona opera na- 207
turalia datur gratia. Q. 23. a. 4. disp. 1. memb. 9. §. *illud addendum*, junctâ disp. 10. §. *illud etiam*. Et disp. 44. §. *quoad primum*. Dicit enim *propter eleëmosynas, & alia opera moraliter bona, facta ab existente in lethali peccato*, ante receptum gratiæ auxilium (uti Lemos ostendit in Panoplia l. 4. p. 1. tr. 6. n. 181. & seqq.) *consuevisse Deum opitulari citiùs, ac magis uni quam alteri, ut à peccato resurgat, eâque ratione hujusmodi opera non immeritò appellari dispositiones remotas ad gratiam*. Item, quòd *gratiæ auxilia & dona confert Deus prop-*

ter aliquem bonum usum liberi arbitrii antecedentem gratiæ collationem. Item, quòd *est rationi valdè consonum, ut propter illum bonum usum* (liberi arbitrii) *detur gratia.* Item, quòd *magis indignus, ut supernaturaliter adjuvetur.... is est, qui sinistrâ intentione, quàm qui paratus est obedire veritati..... ad audiendum verbum Dei accedit; rationique valdè consentaneum est, ut* propterea *hunc potiùs quàm illum misericorditer adjuvet Deus.* Denique q. 23. disp. 2. memb. 9. §. *postremò*, dicit, quòd *voluntas Dei æterna, quâ adultis ea media conferre statuit, quibus in beatitudinem perveniunt, tanquam à conditione sine qua non..... ex eo fuit dependens, quòd adulti ipsi eo modo pro sua innata libertate usuri erant suo arbitrio, ut ad eam pervenirent.* Unde, quamvis dicat gratiam non dari propter opera moraliter bona, naturæ viribus facta, tanquam propter merita; concedit tamen eam dari propter illa tamquam *conditionem sine qua non*, tamquam *aptam occasionem*, tamquam *remotam dispositionem*, tamquam removentia *majorem indignitatem*, & tamquam conducentia ad hoc ut rationi valdè consentaneum sit, ut eum qui bona illa opera bonâ intentione fecit, per gratiam suam Deus potiùs adjuvet, quàm qui *sinistrâ intentione.*

208 Decimò-quartò dicit, quòd efficaciam divini auxilii quidam censent tribuendam non esse libero arbitrio, quasi ex eo auxilium efficax habeat quòd sit efficax; sed tribuendam esse ipsi auxilio, sic ut ex modo divinæ motionis, atque ex Deo ipso habeat quòd sit efficax. Certè non dubitarem sententiam hanc erroremin fide appellare: etenim, eâ datâ, non video quâ ratione libertas arbitrii nostri possit consistere. Q. 23. a. 4. & 5. disput. 1. memb. 6. §. *nonnulli* & §. *certè.*

209 Decimò-quintò, quòd si arbitrium nostrum ab efficacia auxilii divini habeat quòd consentiat Deo vocanti, certè non ab innata & propria libertate id pendet, sed à qualitate auxilii & motionis divinæ; atque adeò neque est quòd illi cedat in laudem & meritum. Quin potiùs perit omninò libertas arbitrii ad salutem. Ibidem §. *certè.* §. *præterea.* §. *item.*

210 Decimò-sextò, quòd ad donum perseverantiæ nihil aliud requiritur, quàm gratia habitualis, & auxilium sufficiens. Ibid. memb. ult. §. *secundum est.* Et disp. 14. memb. 3. §. *quarto.*

211 Decimò-septimò, quòd parvuli reprobati, amissis solis gratuitis donis, in reliquis perinde se habebunt, ac si in solis naturalibus essent constituti. Imò post diem judicii, cùm ipsorum animæ suis fuerint corporibus restitutæ, ab omnibus molestiis & ærumnis, quibus in hac vita subjacemus, supernaturaliter liberabuntur, melioremque in naturalibus vitam, à vitio omni mentis & corporis immunem, in perpetuas æternitates ducent, quàm ullus unquam mortalium duxerit. Q. 23. a. 4. & 5. disp. 1. memb. 9.

212 Decimò-octavò, quòd admodùm probabile est, animam Christi, & B. Virginis, eâ ratione fuisse prædestinatas in tantam dignitatem, quia prævidit Deus illas pro sua innatâ libertate benè usuras suo arbitrio. Ibid. memb. 11. §. *illud etiam.*

213 Ad nova ista Molinæ placita refellenda, iisque opponenda S. Congregationis de Auxiliis refutatoria judicia compellunt Jesuitæ Remenses, Colonienses, Rothomagenses, Anglo-Leodienses, &c. dum Molinæ suo (velut victori & triumphatori) applaudere non cessant in thesibus suis buccinantes: *Ludovici Molinæ eruditum de auxiliis partum, positum in fornace examinis Pontificii, & sæpiùs igne probatum, deprehensum esse aurum omnibus numeris purgatissimum.* Inanem quidem triumphum solemni ad Academiam Remensem Decreto 15. Julii 1697. repressit Illustrissimus Remensium Archiepiscopus, Carolus Mauritius le Tellier, inter cætera dicens: *Equidem Clemente VIII. ad superos vocato, Paulus V.... meditatum judicium in suspenso posuit, & in commodiorem tempestatem, promulgandum consultò distulit. At nemo inde, citra temeritatis notam, propterea colliget, probatum idcircò fuisse librum illum, de quo tamdiù fuerat deliberatum. Post tam diligentem motæ litis tractationem, silentium Romanorum Pontificum approbationis loco jactare velle, hominum est nimis audacium..... Quare..... ferre nullatenùs possumus, eam immoderatis laudibus doctrinam efferri, quæ ex ipsa sui origine sinistræ ut minimùm suspicionis labem incurrit. Quod & ex antè dictis* (ex eo utique quòd certo certius esse dixerat, *Molina opiniones Clementi VIII. & Paulo V. & novas, & sanctis Patribus repugnantes visas esse, ac potissimùm Augustino*) *& ex probatissimorum hujus ætatis Scriptorum suffragio perspicuum est; maximè verò ex Carainalis Baronii* (*cujus acre judicium magni apud omnes ponderis est*) *epistola*, anno 1603. ad Viennensem Archiepiscopum data, *in qua significat, statim ab initio se Molinæ libros non sine stomacho legisse, in quibus nihil potentius præ se fert, quàm S. Augustino adversari..... Addit Baronius, eò usque temeritatis venisse Theologum illum, ut Augustinum oscitantiæ redarguat, seque in illis disputationibus vigilantiorem perspicacioremque jactet. Quis possit talia loquentem absque nausea tolerare? Subjungit præterea, se ad quinquaginta & ampliùs propositiones notasse verba, phrases, erroribus Pelagianorum sive Semipelagianorum affines. Tantùm igitur abest, ut Molinæ doctrinam velut Ecclesiæ approbatione dignam excipere liceat; quin potiùs illum ipsum, velut virum propriis figmentis cæterorum Novatorum more delectatum, habere necesse est, ejusque doctrinam infaustâ novitatis & audaciæ labe ab ipso sui Authore notatam exsibilare.*

214 Sed inanem Molinistarum triumphum nihil æquè reprimit, quàm suprà exhibita Molinani auri specimina, judiciumque S. Congrega-

tionis de iis jussu Clementis VIII. & Pauli V. subsecutum, tametsi solemni S. Pontificis approbatione & promulgatione ultimam juris formalitatem necdum consecutum. Molinismus ergo falsissimè dicitur cum honore ex tot disputationum fluctibus emersisse: cùm in speciminibus ipsius suprà exhibitis, & in aliis plerisque à Censoribus à sua Sanctitate commissis reprobatus fuerit, velut Scripturæ, Conciliis, Patribus, & maximè Augustino contrarius.

215 De primo namque specimine, seu Molinæ dicto, in Canonibus doctrinæ damnandæ, jubente Paulo V. à Consultoribus ultimò elaboratis, sic habetur: *Dicere quòd in statu naturæ lapsæ vires naturales liberi arbitrii eadem prorsus, seu tales secundùm se in nobis remanserint, quales illas essemus habituri, si homo fuisset conditus in statu merè naturali, ad finem tantùm naturalem; quasi peccatum primi hominis nonnisi in supernaturalibus nocuisset ejus posteris: adversatur doctrinæ in Ecclesia, tum olim contra Pelagianos, eorumque reliquias definitæ, ac defensæ; tum novissimè in Concilio Tridentino confirmatæ, quando agendo de vi naturæ, expressè tradit, liberum arbitrium viribus esse attenuatum & inclinatum.* Illum profectò Molinæ sermonem à Scriptura, Conciliis, Patribus omnibus prorsus exorbitare demonstrat Lemos in Panoplia to. 1. p. 2. tr. 1. per totum.

216 De secundo, die 20. Martii 1602. Congregatio censuit, illam *Molinæ propositionem esse omninò contrariam expressæ doctrinæ S. Augustini, neque excusari aliquo modo posse ab errore:* Quia (uti Censores dicunt in Canonibus doctrinæ damnandæ) *doctrinæ illi contradicit, quâ contra reliquias Pelagianismi olim* (in Concil. Arausic. II. can. 25.) *definitum est, quòd post peccatum primi hominis, nullus operari propter Deum quod bonum est possit, nisi gratia eum, & misericordia divina prævenerit.* Idque die 8. Julii 1602. & die 1. Martii 1604. confirmavit.

217 De tertio, die 3. Januarii 1598. censuit, quòd illa *Molinæ sententia Catholicæ veritati parum est consentanea, & cum Pelagii errore, qui liberum arbitrium ponebat esse causam assensûs fidei, maximè convenit.*

218 De quarto, die 1. Februarii 1601. censuit cum Bellarmino, esse *unum ex erroribus Pelagianorum*, in eoque fuisse etiam Cassianum & Faustum Regiensem.

219 De quinto, die 3. ejusdem mensis & anni, ista fuit Congregationis Censura: *D. Card. Bellarminus l. 2. de grat. & lib. arb. c. 1. dicit hanc sententiam esse Pelagianam, & de reliquiis Pelagianorum. Idem asserit S. Prosper in epist. ad S. Augustinum, & l. contra Collat. c. 4. Et epist. ad Ruffinum paulò post principium. Denique S. Augustinus l. 4. contra Julian. Pelagianum c. 8. eamdem sententiam impugnat, tamquam fidei adversam.*

220 De sexto, die 6. Februarii 1598. censuit, *adversari Patrum vetustissimorum doctrinæ, Conciliorum & SS. Pontificum Decretis, & apertis sanctæ Scripturæ testimoniis.* Et die 3. Septemb. 1602. *esse contra veram & Catholicam doctrinam, contra Pelagianos & Semipelagianos ab Augustino pluribus in locis ex divinis Scripturis confirmatam.* Quod & confirmavit 17. Decembris ejusdem anni.

De septimo, eadem die & anno sic statuit. 221
Censemus præfatas propositiones, quibus Molina sustinet, hominem viribus naturæ posse diligere Deum super omnia quoad substantiam actûs, esse Pelagianas, vel de Pelagianorum reliquiis; & idcirco retinentes sanctissimas Conciliorum definitiones, & Patrum sententias, ac doctrinam religiosè venerantes, illas omninò improbandas & rejiciendas esse existimamus. Et die 26. Februarii 1601. *de hac Molinæ propositione: Potest homo solis viribus naturalibus liberi arbitrii, & concursu generali Dei, elicere actum absolutum merè naturalem dilectionis Dei super omnia, qui ad justificationem nequaquam sufficiat. Hæc* (inquit) *fuit sententia Cassiani, quam impugnat S. Prosper l. contra Collat. c. 27. & 30. Et l. de ingratis significat relabi in eorum errorem, qui negabant per peccatum originale fuisse læsum & vulneratum liberum arbitrium,* Pelagianos intelligens. *Eamdem impugnat S. Augustinus l. 2. ad Bonifac. contra duas epist. Pelag. c. 8. & 10. & alibi. Quam etiam condemnat Concilium Milevitanum can. 4. Arausicanum II. can. 25. & Tridentinum sess. 6. c. 6. Hinc D. Card. Bellarminus l. 6. de grat. & lib. arb. c. 7. impugnat hanc Molinæ propositionem ex Scripturis divinis, & Decretis Conciliorum, & doctrina S. Augustini, probatque ex illa colligi potissimùm errores Pelagii.* In qua Censura, post expensas rationes à Patribus Jesuitis in Molinæ defensionem allegatas, persistendum censuit 10. Maii 1601. Et die 20. Augusti 1602. dixit, *non posse hominem in statu naturæ lapsæ, sine speciali divinæ gratiæ adjutorio, diligere Deum, neque ut Authorem naturæ, neque ut largitorem gratiæ & gloriæ, neque perfectè, neque imperfectè. Et hanc sententiam S. Augustini esse doctrinam Ecclesiæ, atque ab illa omninò defecisse Molinam.* Et rursus die 10. Decembris 1602. pronuntiavit, *hanc conclusionem, Homo ex solis viribus naturæ potest diligere Deum super omnia, esse Pelagianam absolutè prolatam, sive intelligatur de dilectione Dei ut Author est bonorum supernaturalium, sive ut Author naturæ, sive de perfecta, sive de imperfecta & inchoata dilectione Dei.*

De octavo, postquam illud semel, iterùm 222
ac tertiò studiosissimè discussit, die 1. Octobris 1602. coram Clemente VIII. in judicio contradictorio pronuntiavit, *omninò adversari doctrinæ, quam, contra Pelagianos & Semipelagianos, ex divinis Scripturis Augustinus in suis libris sæpè comprobavit.*

De nono, die 10. Decembris 1602. censuit, 223
hanc sententiam eamdem omninò esse cum illa Cassiani, quam Ecclesia damnavit, ut constat ex collatione utriusque ad invicem, expensis il-

lis quæ Cassianus docuit Collat. 13. c. 12. 13. & 17. hoc solo excepto, quòd Molina ita abstinuit à verbo expectat, ut usus fuerit verbo exigat, quod majorem habet emphasim. Quæ cùm adversentur expressè definitionibus Concilii Arausicani II. can. 4. 5. & 8. & Catholicæ atque Orthodoxæ doctrinæ Concilii Tridentini sess. 6. c. 5. constanter resolvit Congregatio, Molinam hac in re (cum Cassiano & Semipelagianis) à doctrina Ecclesiæ defeciſſe, uti videre est in Actis Secretarii, inquit Historia Congregat. de Auxil. l. 3. c. 16. pag. 444. *Die etiam 23. Aprilis 1604. censuit Pelagianum esse, asserere cum Molina, quòd Deus regulariter exigat ab homine, quòd priùs faciat quod in se est, ut ei fidem & gratiam largiatur.*

224 De decimo, die 17. Decembris 1602. *post longam discussionem, & maturam consultationem, censuerunt omnes* (uno excepto) *consentire Molinam in ea propositione cum Cassiano, in eo sensu, in quo à Concilio Arausicano II. can. 4. & 8. tamquam Pelagiana fuit damnata.*

225 De undecimo, die 17. Februarii 1604. resolvit Congregatio, illam propositionem *esse doctrinæ Augustini omninò contrariam, & Pelagii dogmati maximè consonam. Sic enim & initium justificationis esset ex nobis, & liberum arbitrium hominis lapsi tam potens esset ad procurandam salutem, saltem radicaliter, quàm est ad peccandum. Molinam itaque, non in sensu Catholico, sed in Pelagiano asseruisse illam propositionem.*

226 De duodecimo, die 21. Januarii 1603. resolvit propositionem illam Molinæ convenire cum damnata Cassiani sententia. Quia Molina hanc liberi arbitrii laudem in eo constituit, quòd antequam per gratiæ adjutorium excitetur, & adjuvetur, ex facultate naturæ credat divina mysteria, desideret, petat & quærat Dei misericordiam. Vide etiam Censuram de 15. Februarii 1601. quâ illi Molinæ assertioni Congregatio applicuit illud Prosperi contra Collatorem cap. 36. *Exiguâ conclusione penè totum Pelagianum dogma confirmas.*

227 De decimo-tertio, die 15. Aprilis 1603. expensis omnibus rationibus, quas PP. Societatis produxerunt in defensionem Molinæ, illis non obstantibus Congregatio censuit, Molinam cum Cassiano consentire, tam in prædicta assertione, quàm in illius temperamento, neque ullo modo excusari posse ab errore Pelagii, ex iis quæ in Appendice addidit (in Edit. Antuerp.) sed majorem inde illi inuri notam Pelagianismi.

228 De decimo-quarto, die 5. Julii 1601. Congregatio censuit esse damnandum, & reverà in damnationis illius sententiam venit.

229 De decimo-quinto, die 9. Aprilis 1601. censuit, eadem argumentatione usos Pelagianos, ut videre est apud Augustinum l. de corrept. & grat. c. 3. 4. 6. quos ita in eodem libro S. Doctor impugnavit, & expugnavit, ut rationem & argumentationem istam.... nullius prorsus ponderis esse ostenderit, & propositionem ipsam, tamquam divinis oraculis contrariam, efficaciter redarguerit locis citatis, & cap. etiam 6. 7. & 8. Quam Censuram die 12. Julii 1601. relatis & ponderatis Jesuitarum momentis, confirmavit.

De decimo-sexto, censuit, Molinam sen- 230
tire cum Cassiano in ea propositione, & adversari sententiæ S. Augustini, & aliorum Patrum, qui contra Pelagianos & Semipelagianos scripserunt, Summorumque Pontificum & sanctorum Conciliorum definitionibus.

De decimo-septimo, in Canonibus doctri- 231
næ damnandæ censuerunt, temerarium esse, nimiùmque accedens ad illum ab Ecclesia Dei errorem semper habitum, adeòque in Pelagiano & Cœlestiano dogmate condemnatum, quo dicebantur parvuli, etiamsi non baptizentur, adeòque excluſi maneant à regno cælorum, æternam ac beatam quandam vitam, sed extra cælum habere. Istam etiam Molinæ assertionem hæreticam censet Bellarminus l. 6. de statu peccati c. 2. Et velut Pelagianam damnat Augustinus l. 1. ad Bonifac. c. 22. l. 1. de peccat. merit. & remiss. c. 26. l. 2. de anima & ejus orig. c. 12. epist. 106. & alibi. Non semel videri potest Lemos in Panoplia to. 1. p. 2. tr. 1. c. 22. & 23.

De decimo-octavo, idem Lemos to. 2. tr. 232
5. c. 10. ostendit, illam Molinæ propositionem parùm in fide esse tutam, eâque usum Arium ad perfidiam suam defendendam. Eadem usum quoque Nestorium, constat ex commonitorio S. Cyrilli, dato Possidonio, cùm Romam mitteretur propter Nestorii negotium. Extat commonitorium istud to. 1. novæ Collect. Concilior. Balusii. Illi certè assertioni manifestè contradicit Augustinus lib. de prædest. Sanct. c. 5. *Homo Christus Jesus..... ut hoc esset..... quod ejus qualecumque bonum præcessit? quid egit antè..... ut ad tantam excellentiam perveniret*, &c.

Notandum etiam quòd Congregatio XIII. 233
de Auxiliis die 12. Martii 1601. examinatâ istâ propositione (quam Molina tradit in sua Concordia q. 14. a. 13. disp. 4. memb. 1.) *Negari non potest complurium esse Scholasticorum sententiam, liberum nostrum arbitrium, cum solo concursu generali Dei, elicere posse, non solùm actum attritionis naturalem, id est, dolorem de peccatis naturalem ex Dei timore, cum proposito ampliùs non peccandi lethaliter; sed etiam actum contritionis naturalem, qui idem propositum non peccandi ampliùs lethaliter includat.* Hanc de ea fecerit censuram: " Si " quæ Cassianus docuit (ut refert Prosper con- "
tra Collatorem c. 8. 17. & 22.) cum superio- "
ribus conferantur, & quæ Hilarius in epist. "
ad S. Augustinum de erroribus Massilienſium "
scribit, expendantur, apparebit Molinam ex "
illis conflasse assertionem suam, & ejus ratio- "
nem, quam non parùm accedere ad Pelagia- "
num dogma significavit S. Prosper l. de in- "
grat. c. 4. & 5. Et ad Capitul. Gallor. respons. "
6. Et l. contra Collat. c. 8. 22. & 23. ita Cas- "

„ siani sententiam evertit, ut Molinæ propositio-
„ nem expugnasse etiam videatur; quam adver-
„ sari doctrinæ Tridentini haud obscurè colli-
„ gitur ex sess. 14. c. 4. „ In qua Censura Congre-
gatio vigesima-octava perstitit die 17. Maii 1601. perpensis omnibus rationibus à PP. Jesuitis in defensionem ipsius adductis. Die verò 6. Augusti 1602. auditis partibus, in judicio contradictorio, resolvit Congregatio, fuisse expressam sententiam Molinæ, ab ipso ex professo traditam, quòd homo in statu naturæ corruptæ possit, ex solis viribus naturalibus, absque ullo gratiæ divinæ speciali adjutorio, dolere de peccatis, cum proposito absoluto ampliùs non peccandi lethaliter, non solùm ex timore gehennæ, sed etiam ex consideratione bonitatis divinæ, & amore ipsius Dei super omnia. Quam sententiam adversari doctrinæ S. Augustini, & Ecclesiæ Catholicæ definitionibus, potissimùm in Concilio Arausicano, & in Tridentino editis, ex multis conclusum est. Die etiam 10. Junii 1603. eamdem Molinæ propositionem censuit adversari Decreto sacri Concilii Tridentini.

CAPUT XIII.

Ex Scriptura, Conciliis & Patribus demonstratur, solidam esse Conventûs Generalis Cleri Gallicani, anno 1700. in Palatio Regio San-Germano congregati, judicium de illa Molinæ propositione: Facienti quod in se est, viribus naturæ, Deus non denegat gratiam, *deque pacto inter Christum & Patrem desuper inito.*

234 „ QUotiescumque (inquit Molina q. 14. a. 13. disp. 10.) liberum arbitrium ex suis „ viribus naturalibus conatur, præstòve est ad „ conandum totum quod ex sese potest, tam „ circa ea quæ fides habet addiscenda & ample- „ ctenda, quàm circa dolorem de peccatis, „ attritionem, contritionem, in eaque inclusam „ spem & dilectionem „ ac justificationem, à „ Deo confertur gratia præveniens auxiliavè, „ quibus id faciat ut oportet ad salutem. Non „ quasi eo conatu dignus efficiatur talibus auxi- „ liis, ullâve ratione ea promereatur: sed quo- „ niam id obtinuit nobis Christus, atque inter „ leges, quas tam ipse, quàm Pater æternus sta- „ tuerunt, una eaque rationi maximè consenta- „ nea fuit, ut quoties ex nostris viribus conare- „ mur facere quod in nobis est, præstò nobis „ essent auxilia gratiæ, quibus ea ut oporter ad „ salutem efficeremus. „ *Hæ duæ propositiones* (ait Clerus Gallicanus, nam ista duas complectitur) *quâ parte causam discernendi inter justos & injustos in opera merè naturalia referunt, Semipelagianismum instaurant, mutatis tantùm vocibus. Pactum autem quod inter Deum & Christum asseritur, commentum est temerarium, erroneum, nec solùm tacente, sed etiam adversante Scripturâ, & SS. Patrum traditione, prolatum.*

Nec absque fundamento sic censuit Clerus 235
Gallicanus: quemadmodùm enim capitalis error Semipelagianorum in eo positus fuit, quòd dicerent gratiam prævenientem nativis liberi arbitrii conatibus præveniri, ut videre est in Cassiano apud Prosperum l. contra Collat. c. 6. 13. & 39. & in Fausto l. 1. de grat. & hum. ment. arb. c. 12. & 17. sic in allata propositione Molinæ positum est totum fundamentum Molinismi; ad eam quippe cætera quæ in libro Concordiæ continentur, sicut ad caput referuntur, prout ostendit Lemos to. 4. l. 4. tr. 6. c. 5. ubi & illud sapienter monet, sanctos Patres, qui Pelagianismum Semipelagianismumque expugnarunt, ad nostram eruditionem scriptum reliquisse, in hac materia & causa, ad sola verba attendendum non esse, sed ad doctrinam ipsam, quibuscumque verbis proponatur, & ad finem quò tendit (sive istis, sive illis verbis occultetur) ad principia, ad conclusiones, & ad illa quæ evidenter vel in illa continentur, vel ex ea deducuntur, quantumvis ea verbis ore tenus negentur. Familiare 236
quippe est hujus materiæ tractatoribus, à tritis Sanctorum semitis declinantibus, aliud verbis, aliud reipsâ constituere. Unde quia Christianæ aures non ferunt dicentes, gratiam Dei secundùm merita nostra dari, Cassianus & Faustus sic dixerunt gratiam nativis liberi arbitrii conatibus præveniri, ut tamen conatibus illis verbo tenus denegarint rationem meriti. Videri potest Cassianus l. 12. de Instit. Cœnob. c. 14. ubi rationem meriti negat in fide, & oratione gratiam præcedente, tamque ibi, quàm alibi frequenter repetit, per conatus nostros non præjudicari rationi gratiæ. Et Collat. 13. solùm dicit esse *colorem* gratiæ conferendæ, & talem quidem, ut eo non obstante *gratiam Dei semper gratuitam perseverare* protestetur. Enimverò (ut benè Augustinus) dummodò hæretici errorem suum tueri possint quoquo modo, parùm curant quo modo; dummodò proinde Massilienses quocumque demùm modo tueri possint errorem suum, à Concilio Arausicano II. damnatum, quo salutis exordium, ac ipsa justificationis prima radix nativis liberi arbitrii viribus adscribitur, gratiaque nativis liberi arbitrii viribus prævenitur, non contendent de modo, an scilicet nativus liberi arbitrii conatus præcedat per modum meriti, an per modum dispositionis, an per modum conditionis sine qua non, an per modum occasionis, an per modum removentis prohibens, an alio quocumque modo. Ipsis namque satis est, quòd aliquod bonæ voluntatis initium, qualicumque modo, Dei gratiam, Deique propositum præveniat. Unde apud Hilarium (in epist. ad Augustinum) non recusant admittere efficax Dei propositum, dummodò illud præveniat prævisum saltem qualecumque initium voluntatis.

Quòd ergo Semipelagianismus per illam du- 237
plicem Molinæ propositionem instauretur, uti censet Conventus Generalis Cleri Gallicani,

&

& ante ipsum censuit Congregatio de Auxiliis 1. Octobris 1602. probatur primò, quia secundùm propositionem illam priùs est hominis conatus, posteà verò gratia Dei subsequitur, prout dicta Congregatio partim ex illa ipsa propositione, partim ex pluribus aliis Concordiæ locis cum ipsa collatis, & diligenter expensis censuit, perspicuèque exprimit Molina disp. 9. §. *quod hæc*, cùm ait: *Etenim quamvis Deus illam* (primam gratiam prævenientem) *non conferat propter ea quæ antecedunt; nisi illa antecedant, conferre ea non solet.* Confer quæ dicit suprà n. 203. 204. 206. Atqui propositio, quæ dicit, gratiam non præcedere, sed subsequi bonum conatum hominis, v. g. fidem, spem, dilectionem, orationem, &c. Semipelagianismum instaurat: cùm ex ea sponte fluant capitales isti Semipelagianorum errores, invocatione humanâ gratiam Dei posse conferri; opera nostra bona præcedere, ac deinde gratiam sequi; in bono opere nos incipere, & posteà per Dei misericordiam adjuvari, &c. Quos errores ex divinis Scripturis Concilium Arausicanum II. damnavit per Canones sequentes.

238 Can. 3. *Si quis invocatione humanâ gratiam Dei dicit posse conferri; non autem ipsam gratiam facere ut invocetur à nobis* (quod profectò non fit dum invocatio gratiam præcedit) *contradicit Isaiæ Propheta, vel Apostolo idem dicenti: Inventus sum à non quærentibus me; palàm apparui his qui me non interrogabant. Isa. 63. Rom. 10.*

239 Can. 4. *Si quis, ut à peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare contendit* (quam expectare solet, si gratiam conferre non soleat, nisi illa antecedat. Vide suprà n. 203. 204.) *non autem, ut etiam purgari velimus, per S. Spiritûs infusionem & operationem in nobis fieri confitetur* (quod etiam non fit dum voluntas, quâ purgari volumus, S. Spiritûs infusionem & operationem antecedit) *resistit ipsi Spiritui sancto, per Salomonem dicenti, Præparatur voluntas à Domino. Prov. 10. Et Apostolo salubriter prædicanti: Deus est qui operatur in vobis & velle & perficere, pro bona voluntate. Philipp. 2.*

240 Can. 5. *Si quis, sicut augmentum, ita etiam initium fidei.... non per gratiæ donum, sed naturaliter nobis inesse dicit* (uti dicit Molina suprà n. 198. 199.) *Apostolicis dogmatibus adversarius probatur, B. Paulo dicente: Confidimus quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Domini nostri Jesu Christi. Philipp. 1.*

241 Can. 6. *Si quis sine gratia Dei, credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, petentibus, pulsantibus nobis misericordiam Dei dicit conferri divinitùs* (& hoc dicit Molina suprà n. 202. 203. 204. 205. 206. 207.) *non autem ut credamus, velimus, vel hæc omnia sicut oportet agere valeamus* (id est, cum debitis circumstantiis) *per infusionem & inspirationem sancti Spiritûs in nobis fieri confitetur* (sed antecedenter ad ipsam, uti Molina dicit) *aut humilitati, aut obedientiæ subjungit gratiæ adjutorium* (uti Molina subjungit, dum humiliratem aut obedientiam humanam antecedere dicit gratiæ adjutorium) *nec, ut obedientes & humiles simus, ipsius gratiæ donum esse consentit* (uti non consentit Molina de obedientia & humilitate gratiæ donum antecedente) *resistit Apostolo dicenti: Quid habes quod non accepisti? 1. Cor. c. 4.* Et, *gratiâ Dei sum id quod sum.* Ibidem 15.

Can. 8. *Si quis alios misericordiâ, alios verò per liberum arbitrium..... ad gratiam Baptismi posse venire contendit* (uti contendit Molina, qui judicio S. Congregationis de Auxil. de die 10. Decemb. 1602. *duos ordines constituit eorum qui ab infidelitate ad fidem, vel ab impietate ad pietatem vocantur à Deo, ita ut alii secundùm communem modum veniendi ad Christum conatibus propriis arbitrii ex sola facultate naturæ gratiam divinam præveniant; alii verò* (*quorum torpens liberum arbitrium prospicit*) *specialibus auxiliis præveniantur à Deo.* Ita enim formaliter asseruisse Molinam constat ex disp. 9. §. *quod hæc*, ibi, *etenim quamvis.* Et §. *patet tertiò.* Item ex disp. 10. ibi, *planè sine ulla intermissione.* Et ex disp. 14. memb. 5. §. *post hanc*, ibi, *quoniam verò facienti*, &c.) *à recta fide probatur alienus. Is enim non omnium liberum arbitrium per peccatum primi hominis asserit infirmatum, aut certè ita læsum putat, ut tamen quidam valeant sine revelatione* (id est gratia) *mysterium salutis æternæ per semetipsos conquirere. Quod quàm Evangelio sit contrarium, ipse Dominus probat, qui non aliquos, sed neminem ad se posse venire testatur, nisi quem Pater attraxerit.* Joan. 6. 242

Can. 9. *Divini est muneris, cùm & rectè cogitamus, & pedes nostros à falsitate & injustitia tenemus. Quoties enim bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum, ut operemur, operatur.* Philipp. 2. Huic Canoni Molinam contradicere perspicuum est ex dictis. 243

Can. 18. *Debetur merces bonis operibus, si fiant; sed gratia, quæ non debetur, præcedit ut fiant.* At verò secundùm Molinam bona opera nativis arbitrii viribus facta præcedunt, & gratia subsequitur. 244

Can. 20. *Multa in homine bona fiunt, quæ non facit homo; nulla verò facit homo bona, quæ non Deus præstet ut faciat homo.* Et can. 22. *Nemo habet de suo, nisi mendacium & peccatum. Ac sic* (ut can. 25.) *secundùm suprascriptas sanctarum Scripturarum sententias, vel antiquorum Patrum definitiones, hoc* (*Deo propitiante & prædicante*) *debemus & credere, quòd per peccatum primi hominis ita inclinatum & attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus posteà, aut diligere Deum, sicut oportet, aut credere in Deum, aut operari propter Deum quòd bonum est possit, nisi gratia eum & misericordia divina prævenerit..... Hoc etiam salubriter profitemur, & credimus, quòd in om-* 245

ni opere bono nos non incipimus, & posteà per Dei misericordiam adjuvamur; sed ipse nobis, nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem, & amorem sui priùs inspirat, ut & Baptismi Sacramenta fideliter requiramus, &, post Baptismum, cum ipsius adjutorio ea quæ sibi sunt placita implere possimus. Multa verò facit homo bona (secundùm Molinam) quæ non Deus præstat ut faciat homo, scilicet fidem, spem, Dei dilectionem, attritionem, contritionem, bonam voluntatem, bona desideria, orationem, quibus Dei gratiam & misericordiam exoptat, quærit, invocat. Falsum proinde, quòd nemo habet de suo nisi mendacium & peccatum. Falsum, quòd per peccatum primi hominis ita inclinatum & attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut sine gratia præveniente Deum diligere, aut credere in Deum, aut bonum propter Deum operari non possit. Falsum denique, nos in bono opere non incipere, & posteà per Dei misericordiam adjuvari. Cùm secundùm communem cursum Deus (in sententia Molinæ) exigat conatus nostros naturales, eosque, velut occasiones aptas expectet, ut datio & largitio gratiæ suæ rationabilis videatur, priùsque per naturæ vires facientibus quod in se est, Deus posteà conferat gratiæ adjutorium, ut constat ex dictis n. 202. 203. 204. 205. 206. 207. constabitque magis ex dicendis.

246 Quot ergo Massilienses errores istis Canonibus damnantur, tot in Molinæ axiomate, *facienti quod in se est*, &c. Molinisticè intellecto, contineri probantur. Cùm probatum sit, uno illo axiomate errores Massilienses omnes recensitis Canonibus damnatos contineri.

247 Propterea axioma illud nedum allatis Scripturis, Conciliisque Arausicani Canonibus, doctrinæque S. Augustini, iisdem Canonibus (utpote ex Augustino desumptis) expressæ, sed & Tridentino adversatur, sess. 6. c. 5. definienti, *justificationis exordium in adultis à Dei per Jesum Christum præveniente gratia sumendum esse*, hoc est ab ejus vocatione, quâ nullis eorum existentibus meritis vocantur. Quia secundùm axioma illud, aliasque Molinæ propositiones à n. 197. ad 208. relatas, sumitur ab actibus fidei, spei, dilectionis, attritionis, contritionis, aliisque operibus bonis, quæ per solas naturæ vires sic fiunt, ut opera illa gratia infallibiliter subsequatur. Ideò enim quoties homo nativis viribus facit quod in se est, ut opera illa faciat, ex certa lege gratiam conferri dicit, ut eâ ratione, dum sumus in via, semper in manu nostra sit salus nostra posita, uti expressè dicit disp. 10. Id verò quod salutem nostram ponit in manu seu potestate nostra, ponit & justificationem, velut ad eam conducentem. Est ergo justificationis exordium. Quomodò enim non est salutis & justificationis exordium, id quod ad salutem & justificationem ita conducit, ut eam ponat in manu nostra? Hæc tamen sicut & sequentia, à nobis argumentando, non censurando sint dicta.

Scio Molinistas dicere 1°. solum opus bonum, factum ut oportet ad justificationem & salutem, esse justificationis exordium. 2°. hominem illis operibus, utpote non commensuratis, seu proportionatis, gratiam non mereri. 3°. nec se illis ad gratiam propriè disponere. 4°. imò ea ne quidem esse conditionem sine qua non ad gratiam obtinendam. 5°. gratiam non conferri propter illa, sed propter Christi merita. 6°. nec conferri ex debito, sed ex pura Dei misericordia & liberalitate. Et propterea in operibus illis non esse justificationis & salutis exordium. 248

Verùm-enimverò, si hisce vel similibus præ- 249
textibus ab erroribus, in Arausicano & Tridentino damnatis, excusari posset Molinæ doctrina, excusari similiter posset doctrina Massilienſium. Vel enim unicus, vel certè præcipuus ipsis scopus erat, salutem & justificationem in liberi arbitrii sic ponere potestate, ut præstò esset Deus, occasione sibi tantummodò à nobis oblatâ, ad hæc omnia conferenda, prout Cassianus loquitur l. 12. de Institut. Cœnob. c. 14. Quo uno sibi concesso, facilè consensissent, istos liberi arbitrii conatus nec esse commensuratos ut oportet, seu gratiæ proportionatos, nec propriè merita gratiæ, nec dispositiones, vel conditiones ad illam, nec gratiam illis ex merito reddi, nec conferri propter illos, sed propter Christi merita, atque ex pura Dei misericordia, uti vidimus n. 236. Si ergo artibus illis, seu prætextibus, eludi à Molinistis possint suprà allegata divinæ Scripturæ & Traditionis testimonia, eludi quoque à Massilienſibus poterunt; imò vel ipsi Pelagiani in Molinæ Systema facilè consensissent, à meritique vocabulo prorsus abstinuissent, prout reverà abstinuerunt ab eo tempore quo Pelagius in Concilio Diospolitano ejurare jussus est propositionem, quæ dicit, *gratiam secundùm merita nostra dari.* Cùm nihil aliud principaliter intenderent (ait Lemos ubi suprà l. 4. tr. 6. n. 288.) nisi quòd facienti homini quod in se est ex solis naturæ viribus, gratia infallibiliter daretur, ut sic salus esset in hominis potestate, quomodolibet eam homo obtineret, sive ex merito suo, sive ex merito Christi, sive quolibet alio modo. Profectò quomodolibet id eis concederetur, suum principale obtinerent intentum, nec de hac re aliqua ipsorum cum Catholicis controversia maneret.

Meritò proinde Illustrissimus Remensium 250
Archiepiscopus, in Decreto suprà relato, observat, Pelagianos à Molina vix nisi verbis quoad rem præsentem disconvenisse, quòdque sua verba cum Molinæ verbis facilè composuissent, tacitâque meriti voce, ac datâ Molinæ dexterâ, gratiam Christi, sin minùs nativis conatibus virtutibusque promeritam, iisdem saltem indivulsam, & humanæ industriæ pedissequam prædicassent, si sic ab Ecclesia

sese

sese suscipiendos speraſſent. Verùm etsi Pelagiani, verbis ita paululùm immutatis, in Moliniſtarum caſtra veniſſent ; non illos idcircò Leo Magnus, non illos sui temporis Eccleſia ſuſcepiſſet. Quas etenim Eccleſia dotes poſtularet, ut Pelagianiſmi notam quis effugeret, ab Leone Magno (epiſt. 86. ad Nicetam Aquil. Epiſcop.) diſcere licet : *Niſi gratis detur* (inquit ille) *non eſt gratia, ſed merces retributioque meritorum, dicente B. Apoſtolo : Gratiâ ſalvati eſtis per fidem ; & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt ; non ex operibus, ne fortè quis extollatur.* Cùm itaque gratiam gratis datam fateri neceſſe ſit, hoc eſt Dei miſericordiâ collatam, non nativis liberi arbitrii conatibus, unde gloriari homo poſſet, obtentam : quiſquis gratiam Dei, quovis quæſito diverticulo, humanis conatibus, virtutibuſve naturalibus certò dari profitetur, Apoſtolo, Auguſtino ejus interpreti fideliſſimo, Leoni Magno, ac toti demùm Eccleſiæ contradicit. *Gratiam Dei ſic confiteatur, qui vult veraciter confiteri* (ait Auguſtinus l. de grat. Chr. c. 26.) *ut omninò nihil boni ſine illa, quod ad pietatem pertinet, veramque juſtitiam, fieri poſſe non dubitet.* Atque hinc

251 Secundò probatur, ſaltem Semipelagianiſmum per illud axioma inſtaurari, quia in eo Semipelagiani, imò & Pelagiani errarunt, quòd tantam, tamque generalem naturæ per peccatum Protoparentis corruptionem non agnoverint, ut ſine gratia homo de ſuo nihil haberet, niſi mendacium & peccatum, uti definit Concilium Arauſicanum can. 22. „ Ita „ ut fidei dogma ſit „ (proſequitur Illuſtriſſimus Remenſis) „ univerſa ſauciati hominis „ deſideria, cogitationes, affectus, opera, ſponte ſua in malum ruere, niſi divinæ gratiæ adjutorio ſauciatus homo reparetur. Nec eſſe „ nos ſufficientes (ut Apoſtolus loquitur) cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis (cogitatione utique piâ.) De fide etiam, abſente „ gratiâ, omnes declinaſſe, ſimul inutiles factos „ eſſe, non eſſe qui faciat bonum (debitis cum „ circumſtantiis) non eſſe uſque ad unum.... „ Quâ ergo nunc fronte, niſi Pelagianâ, vel „ Semipelagianâ, dicat aliquis (cum Molina) „ hominem.... ſic corruptum.... nativis ad juſtificationem & ſalutem viribus adeò feliciter „ eniti, atque conari, ut ex certa lege ſuper„ naturalis gratia conſequatur? *Ergone* (clamaret attonitus Auguſtinus, ſi attritas illas jam „ pridem fanaticas opinationes ætate noſtrâ recoqui cerneret) „ *ut perveniatur ad adjutorium Dei, ad Deum curritur ſine adjutorio Dei?* Et hoc in tanta corruptione? in qua naturæ quidem bonum totaliter non eſt corruptum, nec imago Dei totaliter detrita, & adeò homo adhuc ex ſe poteſt efficere opus aliquod ex ſpecie & objecto bonum, & cum gratiæ adjutorio etiam in individuo, ſive uſquequaque bonum (quod non poſſet, ſi naturæ bonum totaliter eſſet corruptum, Deique imago totaliter detrita) quia tamen valdè eſt imperfectum, attritum & ſauciatum, ex ſe (ſine gratiæ adjutorio) efficere non poteſt opus perfectè, ſive uſquequaque bonum, ſed bonum imperfectum, ſive aliqua ex circumſtantia defectuoſum dumtaxat. Quia, ob naturæ corruptionem, ſemper illud refert ad bonum privatum (cùm referre deberet ad Deum finem ultimum) niſi ſanetur per gratiam, ut (cum SS. Patribus) docet S. Thomas 1. 2. q. 109. a. 2. Et iſta eſt cauſa propter quam, inter Canones doctrinæ damnandæ, Conſultores à Paulo V. deputati cenſuerunt, quòd, *dicere, quòd in ſtatu naturæ lapſæ homo.... abſque auxilio gratiæ poſſit efficere opus bonum morale, quod ſini naturali hominis accommodatum, atque comparatione illius ſit verè bonum, veraque virtutis opus, referendo illud in Deum naturaliter cognitum : id doctrinæ illi contradicit, quâ contra reliquias Pelagianiſmi olim definitum eſt, quòd, poſt peccatum primi hominis, nullus operari propter Deum quod bonum eſt poſſit, niſi gratia eum & miſericordia divina prævenerit.*

Tertiò, idipſum probatur, quia nedum Se- 252
mipelagianiſmum, ſed & Pelagianiſmum, Magni Leonis & S. Proſperi judicio, dictus Moliniſmus inſtaurat. Quia dicere, quòd facienti quod in ſe eſt, ſolis naturæ viribus, ſive humanâ induſtriâ, bonum volenti & facienti, gratia ex certa lege conferatur, reipsà eſt dicere, naturam humanam nullo peccati originalis vulnere eſſe ſauciatam. Quod eſt Pelagianum. Enimverò eſt dicere, gratiam per naturalem induſtriam præveniri. At verò dicere, gratiam per naturalem induſtriam præveniri, reverà eſt dicere naturam humanam nullo peccati originalis vulnere ſauciatam eſſe. Sic enim Magnus Pontifex Leo declarat epiſt. cit. ad Nicetam Aquil. Epiſc. clariſſimis hiſce verbis : *Gratia, unicuique principium juſtitiæ, & bonorum fons, & origo meritorum eſt. Sed ab iſtis ideò per naturalem induſtriam dicitur prævenire, ut quæ ante gratiam proprio data ſit ſtudio, nullo videatur peccati originalis vulnere ſauciata.* Eſtque haud dubiè fundatum iſtud tanti 253
Pontificis judicium. Cùm gratia omnibus detur, in quibus nullum eſt gratiæ impedimentum, prout indubitatum eſt apud S. Auguſtinum in ſuis libris contra Pelagianos, & S. Thomam 3. contra Gent. c. 159. & 160. Cùm igitur nullum aliud ſit gratiæ impedimentum, niſi peccatum; dicere, quòd facienti juſtitiam ex ſola natura detur gratia, eſt dicere talem hominem eſſe abſque impedimento gratiæ; adeòque abſque peccato, etiam originali, ſi talis homo faciat juſtitiam antequam peccatum actuale commiſerit. Unde S. Thomas cap. 160. citato : *Quod dictum eſt* (inquit) *in poteſtate liberi arbitrii eſſe, ne impedimentum gratiæ præſtet, competit his in quibus naturalis potentia integra fuerit.* Non proinde his in quibus eſt ſauciata per originale peccatum. Propterea etiam S. Proſper l. 1. contra Collat. c. 27. infert, à Semipelagianis reipsà negari pecca-

tum originale (licèt voce tenùs illud confiterentur) infert (inquam) ex eo quòd in hominibus, post Adæ peccatum, admitterent virtutum semina naturaliter existentia, taliter utique sana & integra, ut prodire possent in actus verè bonos & virtuosos, absque auxilio gratiæ: *Si dubitari non potest inesse omni animæ naturaliter virtutum semina, beneficio Creatoris inserta, solus Adam prævaricatus est, & in peccato ejus nemo peccavit, & in nullis iniquitatibus concepti sumus.... non fuimus naturâ filii iræ, nec fuimus sub potestate tenebrarum*, &c. Idem infert cap. 40. Et in carmine de ingratis dicit, eos *qui dicunt nullo peccati vulnere læsum naturale bonum.... verbis commentum Pelagianum respuere, & solâ damnatos plectere voce. Cùm paucis squalidâ sublatis de cute nervis, intima viperei foveantur viscera sensus.* Quibus verbis manifestè asserit, eos reipsà negare peccatum originale, qui licèt verbis illud admittant, negant tamen liberum arbitrium per illud in suis naturalibus esse læsum; imò prædicant eò usque esse sanum, ut absque gratiæ auxilio efficere queat actus verè bonos, eosque efficiendo gratiam
254 ad salutem necessariam adipisci. Nec certè peccatum originale negassent Pelagiani, si eo admisso credidissent liberum arbitrium, quoad naturalia, modo dicto, sanum & illæsum posse permanere. Nam, uti sapienter Illustrissimus Remensis ubi suprà, „ quid circa pec„ cati originalis dogma veteres illos hæreticos „ offendebat? Non certè quòd pueros pro re„ gno cælorum adipiscendo baptizandos Eccle„ sia crederet. Explicatius eis Evangelium hoc „ in capite videbatur, quàm ut in dubium ver„ ti posset. Imò nec peccatum originale, suo „ tamen arbitratu expositum, fateri Pelagius de„ trectavit in Synodo Diospolitana, ac velut im„ pactam sibi calumniam propulsavit, quod il„ li à nonnullis exprobrabatur quòd (juxta ip„ sum) infantes, etiamsi non baptizentur, vi„ tam æternam habere possint. Errorem hunc, „ ejusque Sectatores, liberè condemnavit. Te„ ste quoque Augustino l. 1. oper. imperf. con„ tra Jul. n. 96. Cùm ipsi fuisset objectum, „ quòd diceret, infantes nuper natos in eo sta„ tu esse, in quo Adam fuit ante peccatum, ne„ gavit se dicere, idque damnavit. Quâ itaque „ parte Pelagiani à Catholicis discedebant? Et „ quid reipsà postulabant? Ut in singulis adul„ tis, Adæ posteris, sufficientes naturæ vires ad„ mitterentur, quibus gratias omnes (mereri „ quidem ne dicamus, quandoquidem..... ver„ bum offendit) adipisci possent, quoties libe„ rum arbitrium ex suis viribus naturalibus co„ natur; præstòve est ad conandum..... idque „ certò & indivulsè. Sic enim, post tot erecta „ ab Augustino, & Gentium Apostolo divinæ „ gratiæ trophæa, liberum arbitrium ambitio„ siùs triumpharet, ac, reluctantibus licèt Scrip„ turatum, & Traditionis oraculis, salus homi„ nis..... non à Deo pro arbitrio miserante, sed „ ab homine propriis conatibus volente ac con„ currente penderet, ita ut semper in manu li„ beri arbitrii posita esset salus nostra, uti Mo„ lina censet. Quoad infantes verò, Pelagianis, „ nimis pro more suo humanis & indulgentibus, „ dura nimis & inhumana videbatur opinio, „ quam Ecclesia, duce ac vindice Augustino, „ tuebatur, parvulos non modò vitiatam ex „ Adam originem ducere, nulloque vel mini„ mo conatu seipsis eniti posse, sed & illos æter„ nùm damnatum iri, nisi sacris fontibus expia„ ti, in Christo renascerentur. Augustinum, „ cæterosque Catholicos traducebant ut iniquos „ divinæ bonitatis hostes, crudeles, barbaros, „ Manichæos, pro sua in humanum genus mi„ seratione vòcitabant..... Quisquis controver„ sias illas penitiùs & intimiùs attigerit, eò uni„ versa principaliter saltem recidisse, nullo ne„ gotio fatebitur. Si Pelagianis dedisset Ecclesia, „ & adultis numquam deesse sufficientes natu„ ræ vires ad gratiam, & eâ mediante salutem „ adipiscendam, & parvulos minimè tinctos æter„ nis miseriis nullatenùs esse addicendos, imò „ naturali, ut aiunt, felicitate esse potituros: „ sua satis sorte contenti, gradum sine dubio re„ tulissent. Ast nulla unquam Ecclesiæ, vel Au„ gustino, ubi fidei summa vertebatur, compo„ sitio probata est. Unus Molina istud mitioris „ Concordiæ genus commentus est, Catholicis „ non minùs exosum, quàm Pelagianis accep„ tum; ... utpote qui ulteriùs de peccato origina„ li cum Ecclesia & Augustino non contendis„ sent, id unum obtinentes, quod, iniquâ, & „ Molinianæ germanâ miseratione commoti, „ sibi finxerant, non ea peccatum Adæ vulnera „ posteris intulisse, quibus sauciatos se Catholi„ ci profitentur; & ingemiscunt: peccatum quip„ pe primi parentis (Molina judice in Concord. „ q. 14. a. 13. disp. 3.) solùm in gratuitis nobis „ nocuit, & ob id naturalia, in nobis & An„ gelis, post peccatum integra remanserunt, qua„ lia essent suâpte naturâ, si nullo dono super„ naturali fuissent affecta. Idque nobis obtinuit „ Christus, ob sua merita (inquit disp. 10.).... „ ut quoties ex nostris viribus naturalibus cona„ remur facere quod in nobis est, præstò nobis „ essent auxilia gratiæ, quibus ea ut oportet ad „ salutem efficeremus; ita ut eâ ratione, dum „ sumus in via, semper in manu arbitrii posita „ sit salus nostra. Parvuli quoque reprobati, „ perinde se habebunt (inquit q. 23. a. 4. & 5. „ memb. 8.) ac si in solis naturalibus fuissent „ constituti. Imò post diem judicii.... ab om„ nibus molestiis & ærumnis, quibus in hac mor„ tali vita subjacemus, supernaturaliter libera„ buntur, melioremque in naturalibus vitam, „ vitio omni mentis & corporis immunem, in „ perpetuas æternitates ducent, quàm ullus un„ quam mortalium duxerit. Quid ergo? (quæ„ rit idem Illustrissimus) ad easne de peccato „ originali conditiones cum Molina descendere „ Pelagius detrectasset? Heu miseros Pelagianos, „ tali Magistro atque Doctore destitutos! Quàm „ feliciter (institutore Molina) definitiones ec„ clesiasticas elusissent! „ Hactenus Illustrissi-

mus Archiepiscopus Remensis.

255 Quartò sic arguere licet : hoc ipso quòd Molina asserit, liberum hominis arbitrium ex suis naturalibus sic efficere posse opera bona, v. g. credere, sperare, diligere, de peccatis dolere, &c. ut ea faciendo gratia ex certa lege conferatur, & salus posita sit in manu arbitrii ipsius; hoc ipso (inquam) ea facit ut oportet ad salutem consequendam. At verò asserere, quòd homo ex suis naturalibus operari possit, ut oportet ad salutem, Pelagianum est, atque Semipelagianum, & ut tale à Concilio Arausicano & Tridentino damnatum. Ergo, &c. Minor est extra controversum. Probatur major: quia quisquis sic operatur, ut hoc ipso quòd sic operatur, gratia ad salutem necessaria ipsi certâ lege conferatur, ac per hoc habeat salutem in manu sua, operatur ut oportet ad salutem. Omne enim illud quod certam habet connexionem cum gratia & salute, salutemque ponit in manu hominis, fit prout oportet ad salutem. Omnis verò operatio bona (benè facta) v. g. credendi, sperandi, diligendi, &c. certam habet connexionem cum gratia, ponitque salutem in manu hominis. Siquidem omne illud, cui salus & gratia inseparabiliter, sive ex certa lege conjungitur, certam habet connexionem cum salute & gratia, tametsi non sit aliquid ex se supernaturale & proportionatum, neque ex se, sive ex valore suo intrinseco, vel dignitate, habeat illam cum gratia connexionem, sed solùm ex lege Dei extrinseca. Neque enim Semipelagiani dixerunt opera naturaliter bona ex se, sive ex intrinseco suo valore ac dignitate habere connexionem cum gratia & salute, sed ex lege misericordiaque Dei extrinseca; & nihilominùs damnati sunt, tamquam asserentes, hominem ex suis naturalibus operari posse prout oportet ad salutem. Et meritò damnati : quia licèt opera illa naturaliter bona, nullam ex seipsis habeant cum gratia & salute connexionem, seu proportionem, eam tamen habent ex certa illa lege Dei, utpote quæ in misericordia Dei, & meritis Christi fundata (ut Molina dicit) in operibus, quæ aliàs cum gratia proportionata & connexa non essent, connexionem illam & proportionem facit; eò quòd sic Legislator ordinare voluerit.

256 Quintò, Molinæ propositionem, aientem, certò dari gratiam facienti quod in se est, solis naturæ viribus, Suarez l. 3. de Auxil. c. 2. n. 6. §. *non sic*, dicit, *habere Catholicum sensum*, eò quòd *in potestate hominis esse debeat*, per naturæ vires *habere gratiam, etiam quoad primum auxilium. Quia alioquin non apparet quomodò sit in potestate hominis salutem obtinere, si non est in potestate illius eam inchoare.* Manifestè ergo dicit, facientem quod in se est, solis naturæ viribus, salutem suam inchoare, eamque in potestate sua naturali ponere. Manifestè ergo salutis exordium ex nobis illam inchoantibus esse dicit, contra apertam definitionem Concilii Arausicani can. 25. & Tridentini sess. 6. c. 5. ibi : *Declarat præterea ipsius justificationis exordium in adultis à Dei per Christum Jesum præveniente gratiâ sumendum esse, id est, ab ejus vocatione, quâ nullis eorum existentibus meritis vocantur.* Ubi Tridentinum pro eodem sumit exordium justificationis ex nobis esse, & meritum gratiæ ex nobis esse. Cùm ideò definiat, gratiam nobis sine ullis meritis nostris dari, quia exordium justificationis ex nobis non est, sed à gratia Dei per Jesum Christum. Per consequens definit, quòd si exordium justificationis seu salutis esset ex nobis, gratiæ meritum esset ex nobis. Quod reverà consequens esse ex Molinastico axiomate, docent SS. Patres, Augustinus, Prosper, Fulgentius, prout sequenti capite demonstrabimus.

Non sum nescius à Suarezio præfatam suam 257
assertionem sic exponi, quòd faciens quod in se est, solis naturæ viribus, positivè non inchoet salutem suam, sed per modum removentis prohibens dumtaxat. Verùm Concilia indefinitè damnant assertionem, quæ salutis & justificationis exordium, seu inchoationem, sumit ex nobis; per consequens damnant assertionem, quæ eam quomodolibet ex nobis sumit. Deinde homo, sive infidelis, sive peccator, à se removere non potest prohibens gratiam, sive gratiæ impedimentum, nisi à se removeat peccatum, vel originale, vel actuale, vel utrumque simul : cùm solum peccatum sit gratiæ impedimentum. Dicere verò, quòd infidelis, vel peccator, solis naturæ viribus, à se removere possit peccatum, certissimè est hæreticum. Quia est dicere, quòd peccator solis naturæ viribus justificari possit (peccatum enim non removetur nisi per gratiam justificantem;) istud verò dicere, certissimè est Pelagianum.

Sextò, si facienti quod in se est, solis na- 258
turæ viribus, gratia detur ex certa lege, rationi maximè consentanea (uti Molina dicit) sequitur gratiam non esse gratiam : quia datur ex merito bonorum operum naturalium. *Si enim gratia* (inquit Apostolus) *jam non ex operibus; alioquin gratia jam non est gratia.* Sequela probatur, tum quia Molina ipse fatetur, gratiam dari propter illa opera, prout ostendimus n. 207. Ergo, quantùmlibet verbis neget se rationem meriti ponere in operibus illis, reipsà ponit, dum propter illa gratiam conferri dicit. *Quomodò enim* (ait Prosper contra Collat. c. 6.) *non advertis te in illud damnatum incidere, quod velis nolis convinceris dicere, gratiam Dei secundùm merita nostra dari, cùm aliquid præcedere boni operis ex ipsis hominibus, propter quod gratiam consequantur, affirmas?* Tum quia qui ex se inchoat salutem, ab Authore salutis meretur adjuvari, saltem de congruo, & secundùm pietatem (uti Massilienses dicebant) ut inchoationem illam perficiat. Atqui homo ex se taliter faciens quod in se est, ut hoc ipso

gratia ipsi certâ lege conferatur, ex se suam inchoat salutem, ut Suarez fatetur suprà n. 256. & ratio est quia hoc quod est ex se facere quod in se est, habet ordinem & connexionem cum salute, nec dici potest ad eam non conducere : cùm ad ipsum gratia, & per gratiam salus certâ lege consequatur. Per consequens fit prout oportet ad salutem, uti vidimus n. 255. Ergo ex se faciens quod in se est, per hoc inchoat salutem suam. Tum denique quia ipsemet Molina id satis apertè significat, dum ait, legem de gratia danda homini, ex se facienti quod in se est, esse rationi maximè consentaneam. Ut quid enim rationi maximè consentanea est lex dandi gratiam facienti ex se quod in se est, potiùs quàm id non facienti, nisi quia ratio postulat, & congruum est, ut id facienti potiùs quàm non facienti gratia ex merito Christi conferatur ? Non est ergo, nisi quia præ non faciente id de congruo meretur, prout ipsemet rursum satis apertè dicit, dum q. 23. a. 4. & 5. disp. 1. memb. 2. §. *illud addendum* dicit, quòd *est rationi valdè consentaneum, ut propter illum bonum usum* (virium suarum naturalium) *detur gratia.* Et disp. 9. *Rationi valdè consentaneum est, ut hunc potiùs, qui paratus obedire veritati ad audiendum verbum Dei, quàm illum qui sinistrâ intentione accedit, misericorditer adjuvet Deus.* Videri potest Lemos l. 4. tr. 6. c. 7. 14. & 17. Igitur Molinismus, omni ex latere, videtur esse Semipelagianismus instauratus, uti post Congregationem de Auxiliis censet Generalis Cleri Gallicani Conventus, & ampliùs ostendit Natalis Alexander in Paralipomenis Moralibus pag. 368. & seqq. edit. anni 1701. ubi dicit, recentiores Theologos hanc propositionem propugnantes : *Facienti quod in se est solis viribus naturæ Deus non denegat gratiam*, Semipelagianam hæresim instaurare, quibuscumque fucis eam adornent (quod ideò addit, quia Lemos c. 20. observat, nunquam Antiquiores tot sophismata & cavillationes inventisse, ad suum dogma cooperiendum & defendendum, sicut his temporibus fieri videmus.) *Ex ea siquidem opinione sequitur evidenter, opera merè naturalia justos ab injustis discernere.... gratiam dari ex operibus.... gratiam Dei dari sine gratiæ auxilio conantibus, desiderantibus, petentibus, &c. Quod à Concilio Arausic. II. proscriptum est ut Semipelagianum. 2°. propositionem supradictam per S. Augustini principia contra Pelagianos & Semipelagianos posita funditùs everti, illud imprimis discrimen, Catholicos inter & Pelagianos constitutum, quòd Catholici eam gratiam confiteri deberent, quæ non subsequitur, sed antecedit hominis voluntatem, id est, quæ non datur quia volumus ; Pelagiani autem & Semipelagiani eam gratiam dumtaxat agnoscerent, quæ subsequitur hominis voluntatem, & datur quia volumus. 3°. illam Recentiorum sententiam Christi meritis abuti ad evacuanda Christi merita, sicut & veram Christi gratiam, dum asserit (quod auditu etiam horrendum est, utpote blasphemum) Christum meritis suis à Patre obtinuisse, & cum Patre pactum iniisse, ut gratia daretur conanti & operanti quantùm in se est viribus naturæ ; adeòque ut Christi gratia jam non sit gratia, sed naturæ conatibus & operibus debita.*

Non excusatur ergo ab errore illa sententia, 259
dicendo, quòd facienti quod in se est naturæ viribus gratia detur ex Christi merito ; imò in infinitum, si fieri potest, per hoc aggravatur error quem continet (inquit Lemos c. 16.) dum *novo absurditatis genere, prætextu meriti Christi dogma Pelagianum fundare conatur. Novo* (inquit) *absurditatis genere, quia nec Pelagius, Cælestius, aut Julianus, nec Faustus, aut Cassianus, aut aliquis alius ex prioribus Pelagianis, aut Semipelagianis, talem sibi paravit excusationem.... videntes id nullâ ratione dici posse.... si enim viderent hac se ratione posse salvari.... illud sine dubio prætenderent, eoque prætextu.... omnem in universum doctrinam suam stabilirent.... hoc enim prætextu quis non videat, totum Pelagianorum dogma (in hoc positum quòd voluntas nostra præcedat, & gratia subsequatur, ut Augustinus dicit epist. 107.) salvum consistere, & impunè divulgari ? Quis non videat, per hunc novum excusandi modum tutè posse defendi, quòd in omni opere bono homo priùs incipiat, & Deus posteà sequendo perficiat, quæ ipsissima est Pelagianorum sententia ? Quis non attendat, hâc novâ viâ catholicè posse sustineri, quòd ex nobis sint initia, quibus, ea adjuvando, se inserat Deus, quæ fuit illa Cassiani & Fausti reprobata sententia ? Nam facile est omnia ista salvare, atque defendere, dicendo, Christum meruisse, & cum Patre, ob meritum suum, legem statuisse, ut sic Deus incipientem per suam naturam, adjuvet donis gratiæ*, &c. Hactenùs Lemos.

CAPUT XIV.

Ex sanctis Patribus, Augustino, Prospero, Fulgentio, Bernardo, demonstratur, quòd si bona voluntas hominis gratiam præcedat, gratiam mereatur ; gratia proinde ex merito detur, ut dicunt Pelagiani.

EX dicendis hoc capite luce meridianâ cla- 260
rius apparebit, prorsus improbandam esse opinionem, non semel à nobis impugnatam, quæ admittit naturales actus moraliter usquequaque bonos, sed ad salutem steriles, & nullo modo meritorios ; atque adeò duplex virtutum genus ; alterum earum, quæ saluti & justificationi deserviant ; alterum illarum quæ ad salutem steriles sint (cujusmodi actus & virtutes, ad salutem steriles, monstri penè instar habendas Illustrissimus Remensis in Decreto sæpiùs laudato asserit) prorsus (inquam) improbandam, velut adulterinam (ut idem Illustrissimus loquitur) & apud filios regni re-

probatam pecuniam, Augustinianæ contra Pelagianos & Semipelagianos doctrinæ prorsus adversantem.

261 Siquidem, præter ea quæ ex Augustino adversus Julianum produximus cap. 7. §. 5. n. 98. l. 4. contra eundem c. 8. cùm dixisset Julianus, aliquid studii à Deo expectari ab humana voluntate, petente, quærente, pulsante, juxta illud : *Petite & accipietis, quærite & invenietis*, &c. Subjungit Augustinus : *Ibi vos, ut video, ponere jam cœpistis merita gratiam præcedentia, quod est petere, quærere, pulsare, ut his meritis debita illa reddatur ; ac sic gratia inaniter nuncupetur, tamquam gratia nullæ præcesserit.... ut beatificum bonum peteretur à Deo, ut quæreretur Deus, ut pulsaretur ad Deum, frustràque sit scriptum* : „ Misericordia ejus prævenit me. „ Non diceret autem, Julianum posuisse merita gratiam præcedentia in dicta petitione, quæsitione, pulsatione, si credidisset eam potuisse solis naturæ viribus benè fieri absque ullo gratiæ merito.

262 Deinde l. 2. contra duas epist. Pelag. c. 8. probat, eos qui dicunt, sine gratia hominem posse habere boni, sed imperfecti cupiditatem, eo ipso dicere, gratiam secundùm merita dari (quod in Oriente Pelagius, ecclesiasticis gestis damnari timendo, damnavit.) *Si* enim *sine gratia per nos incipit cupiditas boni, ipsum cœptum erit meritum, cui tamquam ex debito gratiæ veniat adjutorium; & sic gratia non gratis donabitur, sed secundùm meritum nostrum dabitur.*

263 Denique l. de prædest. Sanct. c. 2. agens contra Cassianum & Faustum (qui sicut acceperat ex litteris Prosperi & Hilarii, contendebant, hominem ex se assentiri certò revelatis, ut à Deo revelatis, ex se per consequens incipere credere ; expressè tamen negabant, in illo credendi actu meritum gratiæ) demonstrat ipsos illo in actu reipsà gratiæ meritum constituere. *Quis enim dicat, eum qui jam cœpit credere, ab illo in quem credidit nihil meruisse? Unde fit ut jam merenti cætera dicantur reddi retributione divinâ, ac per hoc gratiam Dei secundùm merita nostra dari.* Et infrà : *Videte, si aliud agitur isto modo, nisi ut gratia Dei secundum merita nostra detur quolibet modo, ac sic gratia non sit gratia.*

264 Pari cum Augustino claritate S. Prosper l. contra Collat. c. 6. Cassianum impugnans, voce quidem negantem meritum, in hoc quod est ex viribus naturæ petere, quærere, atque pulsare, nec expressè dicentem quòd gratiam Deus tribuat propter bona ista opera, sed solùm, quòd Deus eam det petentibus, quærentibus, pulsantibus; arguit, quòd convincatur in utrumque incidere, cùm dicit gratiam dari ex se, sine gratia petentibus, quærentibus, pulsantibus : *Quomodò non advertis, te in illud damnatum incidere, quod velis nolis convinceris dicere, gratiam Dei secundùm merita nostra dari, cùm aliquid præcedere boni operis ex ipsis hominibus, propter quod gratiam consequantur, affirmas?* ly *propter quod* non addiderat Cassianus, nec meritum affirmaverat, imò negaverat ; sed utrumque ex sola boni operis præcedentia infert Prosper, ob hanc rationem, quam verbis proximè sequentibus adjungit : *Non enim nullius meriti haberi potest petentis fides, quærentis pietas, pulsantis instantia*, præcipuè cùm omnes ejusmodi (qui utique petunt, quærunt, pulsant) & accipere, & invenire, & intrare dicantur in Evangelio.

Præterea ibidem c. 16. cùm Cassianus dixis- 265
set : *Cùm viderit nos Deus ad bonum velle deflectere, occurrit, dirigit, atque confortat*; sic ipsum arguit Prosper : *Quis non videat, quòd hæc doctrina meritum libero assignet arbitrio, quo præveniatur gratia.... quæ definitio in Episcoporum Palestinæ Synodo, etiam à Pelagio anathemate damnata est.*

Et in respons. ad tertium oppositum à Ge- 266
nuensibus : *Si consideremus Pelagianæ argumenta perfidiæ, quid magis nititur obtinere, quàm ut videatur gratia Dei secundùm merita nostra dari.... Hanc perversitatem omninò incurrit, qui fidem ad Dei munera non putat pertinere*, id est, qui putat hominem ex se, sine gratiæ adjutorio, posse credere, sive fidei articulis ab Ecclesia propositis, ut à Deo revelatis assentiri, uti putat Molina. Si autem hanc perversitatem incurrit, qui putat hominem ex se, sine gratiæ adjutorio, posse credere; eamdem (eamdem ob rationem) incurrit, qui putat hominem ex se, sine gratiæ adjutorio, posse Deum diligere, bonum aliquod propter Deum operari, Deum orare, &c.

Similiter S. Fulgentius l. de Incarn. & grat. 267
D. N. J. C. posteaquam cap. 16. dixit : *Quomodò de possibilitate solius liberi arbitrii (si non præveniatur adjutorio gratiæ Dei....) quantulumcumque sibi bonæ voluntatis & operis exordium repromittit, quæ nec sana potuit Dei servare mandatum*, &c. Cap. 17. *Proinde siquis dixerit : meum est velle credere, Dei autem gratiæ est adjuvare, mutet dictorum ordinem.... nec quod posterius est in priori loco, nec quod prius est in loco posteriori constituat. Malè enim gratiam Dei suæ voluntati postponit : cùm ista bona esse non possit, si illa defuerit. Non enim dicat : meum est velle credere, Dei autem gratiæ adjuvare ; sed dicat : gratiæ Dei est adjuvare, ut sit meum velle credere. Tunc enim verè rectèque ait ejus esse, hoc velle, cùm eum gratia præveniens cœperit adjuvare.* Cap. 18. dicit, quòd si bona voluntas, vel bonum opus, v. g. velle credere, gratiam præcedat, gratia non est gratia, quia datur ex merito : *Si verò, secundùm opinionem illorum, nostrum est velle credere, priusquàm nos Dei gratia incipiat adjuvare, injustè gratia dicitur, quia non gratis datur homini, sed bonæ retribuitur voluntati. Hanc* enim, *sicut illi volunt, gratia in nobis invenit, quam ipsa non dedit. Imò si sic est, nos priores voluntatem damus Deo, atque ita gratiam non miseratione tribuentis, sed æquitate Dei retribuentis accepimus.*

267 Bernardus quoque serm. 67. in Cantica: *Dilectus meus mihi*, subaudiamus *intendit*, *& ego illi: quamquam tamen nec solus ego id senserim*, *nec primus*; cùm Propheta ante me dixerit: „ Expectans expectavi Dominum, & intendit mihi.... „ *Idem omninò sensus*, *eadem penè verba apud Prophetam*, *quæ apud sponsam*, *sed.... sponsa rectiùs locuta est*, *& non prætendens meritum*, *& se præventam dilecti gratiâ confitens: alioquin.... si quid habuerit*, *quod non sit ex gratiæ*, *non est quò gratia intret*, *ubi jam meritum occupavit.... Nam si quid boni de proprio inest*, *in quantum est*, *gratiam illi concedere necesse est.*

268 His conformiter S. Congregatio de Auxiliis die 24. Junii 1603. (prout istarum Congregationum Historicus narrat l. 3. c. 24.) ad hoc dubium, sibi pro discutiendis Molinistarum cavillationibus propositum: „ An bona opera nostra moralia, nedum bona ex genere & objecto, ac ex officio, & nedum semotâ omni malâ circumstantiâ, sed econtrà vestita omnibus bonis circumstantiis, non dicantur bona, nec secundùm Deum Authorem naturæ & gratiæ, nec ad pietatem pertinere „ (meritoria proinde & proficua ad salutem) „ nisi sint facta ex motivo fidei, & pietatis supernaturalis, quamvis facta sint suppositâ fide, & intuitu & consideratione justitiæ Dei scelera punientis, & beneficiorum Dei miserentis, & tam copiosè præmiantis, & præsertim consideratione beneficii effusionis proprii sanguinis in cruce pro nobis?

269 Ad hoc (inquam) dubium S. Congregatio respondit, *ejusmodi opera esse opera pia*, *pertinentia ad Deum Authorem naturæ & gratiæ*, *etiamsi non essent facta ex motivo fidei & pietatis supernaturalis*; *& hanc esse expressam doctrinam S. Augustini*, *& Conciliorum.* Unde deduxit, *Molinæ doctrinam de hujusmodi actibus nullo modo vindicari posse à nota Pelagianismi. Nam Pelagius in epist. ad Demetriadem virginem (ut refert S. Augustinus l. de grat. Chr. c. 27. & deinceps) & Julianus Pelagianus peculiariter errarunt*, *asserentes*, *posse hominem ex bono naturæ*, *sine ullo speciali divinæ gratiæ auxilio*, *veras virtutes comparare*, *& ex illis benè operari*, *& rectè vivere: quod etiam docuit Cassianus cum Semipelagianis*, *qui quamvis addidissent*, *hujusmodi opera ad salutem non pertinere*, *neque hominem perducere ad regnum cælorum*; *impugnati tamen ex professo fuerunt à S. Augustino*, *ut constat ex cap. 3. libri 4. contra Julianum Pelag. Quem etiam errorem S. Prosper oppugnavit in l. contra Collat. c. 27.*

270 Die etiam 1. Maii 1604. eadem Congregatio resolvit, *actus credendi*, *diligendi*, *pœnitendi*, *tentationes superandi*, *elicitos propter Deum*, *& cum omnibus bonis circumstantiis*, *esse actus prout oportet*; *atque adeò elici non posse sine Spiritûs sancti gratia. Et idcircò Molinam errasse*, *asserendo posse hominem ex sola facultate naturæ credere*, *sperare*, *diligere.*

Et rursus die 8. ejusdem mensis & anni, ad quæstionem coram Clemente VIII. tractatam: " in quo differant motivum pietatis " christianæ, & motivum quòd actus fiant in- " tuitu & contemplatione bonitatis, & justitiæ " Dei, cùm ii actus fiant ex timore & amore " Dei, etiam super omnia? " Congregatio respondit: *idem esse*, *actus fieri ex motivo pietatis christianæ*, *& fieri intuitu bonitatis divinæ*, *& contemplatione beneficiorum*, *quæ Deus in nos contulit*, *usque ad effusionem sanguinis Filii sui in cruce pro nobis. Atque adeò hujusmodi actus esse actus pios sicut oportet*, *ac propterea elici non posse ex solis viribus naturæ: quocumque enim modo proponatur bonitas divina*, *sub ratione diligibilitatis*, *sive per lumen naturæ*, *sive per lumen fidei*, *omninò tenendum est*, *esse motivum pietatis.* Vide laudatam Historiam cap. 34.

271 Et ideò inter Canones doctrinæ damnandæ, jussu Pauli V. ab eadem Congregatione, seu ejus Secretariis elaboratos, & à Congregatione recognitos, atque à Pontifice probatos, duo sequentes extant in Appendice ejusdem Historiæ pag. 203. *Dicere quòd*, *in statu naturæ lapsæ*, *homo*, *cum solo concursu Dei generali*, *absque alio dono vel auxilio gratiæ*, *possit efficere opus bonum morale*, *quod fini naturali hominis sit accommodatum*, *atque comparatione illius sit verè bonum*, *veræque virtutis opus*, *referendo illud in Deum naturaliter cognitum: id doctrinæ illi contradicit*, *quâ (in Concilio Arausicano II. can. 25.) contra reliquias Pelagianismi olim definitum est*, *quòd post peccatum primi hominis nullus operari propter Deum quod bonum est possit*, *nisi gratia eum & misericordia divina prævenerit. Ex qua tamen doctrina nequaquam sequitur*, *quòd omne opus bonum*, *quod absque speciali gratia fit ab homine*, *etiam infideli*, *sit peccatum.* Item: *Qui dixerit similiter posse hominem elicere actum absolutum dilectionis Dei super omnia*, *placendi Deo in omnibus*, *& propositum servandi omnia mandata naturalia*, *obligantia sub peccato lethali*, *errat.*

272 In Idæa quoque Bullæ Pauli V. (quæ videri potest in eadem Appendice pag. 214. & seqq.) cap. 3. sic legitur: *Cùm in Ecclesiasticis definitionibus damnatum sit*, *per naturæ vigorem hominem posse aliquid*, *quod ad salutem pertinet*, *cogitare ut expedit*, *absque illuminatione & inspiratione Spiritûs sancti: ac rursus sine Spiritûs sancti inspiratione atque adjutorio hominem credere*, *sperare*, *diligere*, *aut pœnitere posse sicut oportet ut ei justificationis gratia conferatur*; *in iis definitionibus* (attendant Molinæ sequaces) *per id quod exprimitur* sicut oportet, *sive* ut expedit, *hoc intelligendum esse*, *quod est cum circumstantiis debitis ab homine adhiberi in commemoratis actibus*, *satis insinuatur*, *tam in doctrina à SS. Patribus definita*, *quam in ipsa Scriptura sacra*, &c. ut suprà num. 188.

273 Ecce quàm exacti fuerunt summi Pontifices, Clemens VIII. & Paulus V. Consultoresque ab ipsis deputati, in præcludenda janua omnibus Molinistarum cavillationibus,

bus, elusionibusque Ecclesiasticarum definitionum, ut legitimam Ecclesiæ doctrinam proponerent; adulterinam verò, & ab Ecclesia reprobatam eliminarent. Quisquis ergo vult à Pelagianorum Semipelagianorumque erroribus abesse, dicere caveat, per naturæ vigorem posse hominem, in statu naturæ lapsæ, absque auxilio divinæ gratiæ, efficere actus bonos cum omnibus debitis circumstantiis, ne cogatur contra Ecclesiasticas definitiones admittere quòd absque auxilio gratiæ possit agere sicut oportet, gratiamque absque gratia
274 promereri. Ad quod præcavendum Augustinus epist. 107. ad Vitalem, ad ista verba Psal. 36. *A Domino gressus hominis dirigentur, & viam ejus volet*, observat, Psalmistam *non dixisse, & viam ejus discet, aut tenebit, aut ambulabit, aut aliquid hujusmodi, quod posses dicere à Domino quidem dari, sed homini jam volenti; ut scilicet beneficium Dei, quo gressus hominis dirigit, ut viam ejus discat, teneat, gradiatur, suâ homo voluntate præcedat, & hoc Dei donum præcedente suâ voluntate mereatur. Sed ideò dixit: A Domino gressus hominis dirigentur, & viam ejus volet, ut intelligeremus ipsam voluntatem bonam, quâ incipimus velle credere (quoniam Dei via quid est nisi fides recta?) illius esse donum, qui gressus nostros propterea dirigit primitùs, ut velimus. Non enim ait Scriptura: A Domino gressus hominis dirigentur, quia viam ejus voluit; sed dirigentur (inquit) & volet. Non igitur quia voluit, dirigentur; sed quia diriguntur, volet.* Et l. 4. contra duas epist. Pelag. c. 6. expendens illud Ezech. 36. 22. *Hæc dicit Dominus: Ego facio, non propter vos, domus Israël, sed propter nomen meum sanctum..... & dabo vobis cor novum.... & faciam ut in justificationibus meis ambuletis, &c.* sic loquitur: *Quid remansit pelli morticinæ, unde possit inflari? .... Quid ei remansit, quando quidquid dixerit se fecisse, ut eo præcedente hominis merito, ab homine exorto, Deus subsequenter faciat quo dignus est homo: respondebitur, reclamabitur, contradicetur:* „ Ego facio, sed propter nomen meum sanctum, non propter vos, ego facio. „ *Nihil sic evertit Pelagianos dicentes, gratiam Dei secundùm merita nostra dari..... Nihil sic evertit hominum præsumptionem, dicentium, nos facimus, ut mereamur, cum quibus faciat Deus..... Quid enim potestis facere boni, de corde non bono? Ut autem habeatis cor bonum,* „ dabo „ (inquit) „ vobis cor novum.... *Nunquid potestis dicere, priùs ambulavimus in justificationibus ejus..... ut digni essemus quibus gratiam suam daret? Quid enim boni faceretis homines mali? & quomodò ista bona faceretis, nisi boni essetis? Ut autem homines sint boni, quis facit, nisi qui dixit:* „ Et visitabo eos, ut eos bonos faciam „ ..... *Hæc est gratia Dei bonos faciens nos, hæc misericordia ejus prævenientes nos.*
275 Ad cujus manifestationem, facienti quod in se est ex solis naturæ viribus gratia subinde non datur; flagitiosissimo econtrà subinde misericorditer datur. *Unde enim sit* (ait Augustinus l. 1. de peccat. merit. & remiss. c. 22.) *ut homo ab ineunte pueritia modestior, ingeniosior, temperantior, ex magna parte libidinum victor, qui oderit avaritiam, luxuriam detestetur, atque ad virtutes cæteras provectior aptiorque consurgat; & tamen eo loco sit, ubi ei prædicari gratia Christiana non possit? Quomodò enim invocabunt in quem non crediderunt? aut quomodò credent ei quem non audierunt, &c.? Alius autem, tardus ingenio, libidinibus deditus, flagitiis & facinoribus coopertus, ita gubernetur ut audiat, credat, baptizetur, rapiatur, aut, si detentus hìc fuerit, laudabiliter hìc vivat? Ubi duo isti tam diversa merita contraxerunt.....? Quid hinc respondeant, omninò non video, qui volentes humanis conjecturis justitiam Dei defendere, & ignorantes altitudinem gratiæ, fabulas improbabiles texuerant.*

CAPUT XV.

Si nullus actus usquequaque bonus, prout hactenùs probatum est; consequenter nulla Dei propter se dilectio, etiam imperfecta, etiam Dei ut Authoris naturæ, ab homine lapso esse potest per naturam; sed necesse est ut Deus eam in ipso operetur per gratiam.

Assertionem hanc, velut in Scripturis, Conciliis, & Augustino certam, seu indubitatam tradit Bellarminus l. 6. de grat. & lib. arb. cap. 7. hisce verbis: *Existimamus non posse Deum sine ope ipsius diligi, neque ut Authorem naturæ, neque ut largiorem gratiæ & gloriæ, neque perfectè, neque imperfectè, ullo modo. Atque hanc non dubitamus sententiam esse S. Augustini, imò etiam Scripturarum & Conciliorum, quidquid aliqui minùs considerate in hac parte scripserint,* scilicet Molinistæ. 276

§. I.

Duæ priores probationes assertionis ex Scripturâ & Conciliis.

Tametsi assertionis veritas ex dictis perspicua sit, lubet nihilominùs ipsam uberiùs probare. 277

Primò ex divinis Scripturis, passim contestantibus, veram Dei dilectionem (qualis est omnis dilectio Dei propter se) esse Dei donum: *Ego* (sapientia divina) *mater pulchræ dilectionis.* Eccli. 24. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum.* Rom. 5. *Charitas ex Deo est.* 1. Joan. 4. Quæ profectò testimonia ad probandum intentum efficacia censent *SS.* Patres, præsertim Augustinus: cùm ex iis, duobus maximè postremis, contra Pelagianos demonstrent, nullam Dei propter se dilectionem ex nobis esse per liberum arbitrium, sed ex Deo per gratiam. 278

Nec verò restringi possunt 1°. ad solam dilectionem Dei ut Authoris supernaturalis. Nec 279

2°. ad solam dilectionem salutarem. Nec 3°. ad solam dilectionem perfectam. Nec 4°. ad solam dilectionem, quæ sit ex habitu infuso. Neque enim fas est generalia divinæ Scripturæ effata restringere, seu quomodocumque limitare, sine authoritate ipsiusmet Scripturæ, vel Ecclesiæ. Neque Pelagiani, per sacra illa Eloquia, à S. Augustino, sicut & ab Ecclesia cum S. Augustino impugnati, unquam negarunt gratiæ necessitatem ad diligendum Deum ut Authorem supernaturalem: cùm hoc apertè sit contra ipsammet Philosophiam, in qua acutissimi versatissimique fuerunt.

280 Non negarunt etiam gratiæ necessitatem ad Deum propter se diligendum dilectione salutari, seu proficuâ ad vitam æternam; sed ad eam sterili dumtaxat, ut de Juliano constat ex dictis cap. 7. §. 5. Nec secundùm veritatem admitti potest vera Dei propter se dilectio non salutaris. Ob ea quæ tam ibi dicta sunt, quàm cap. 11. n. 188. Et cap. 14. per totum. Nec certè ulla in sacris Eloquiis, Conciliis, vel Patribus, Dei propter se dilectio commemoratur, quæ proficua non sit ad salutem. Enimverò *quomodò bonum non facimus, quod ad pietatem pertinet, veramque justitiam* (uti mox exponit Augustinus l. de grat. Chr. c. 37.) quodque proinde pertinet ad salutem, *si diligamus?*

281 Unde Congregatio de Auxiliis resolvit, actus fidei, spei, dilectionis Dei, & pœnitentiæ, quos naturæ viribus elicitos Molina posuit, esse salutares, sive factos ut oportet ad salutem, ut visum est cap. præcedenti n. 269. 270. & 271. Idque non obstante quòd actus illi non essent commensurati, seu proportionati cum gratia & salute. Ea proinde in re nihilo melius Pelagianis Molina sensisse videtur; tametsi enim, ob defectum commensurationis, salutares non esse verbo protestatus fuerit, protestationi isti facto contradixit, prout eadem Congregatio censuit. Neque Pelagiani adeò bardi fuerunt, ut naturam gratiæ commensuratam esse existimaverint. Et tametsi actus illos nullius meriti esse Molina dixerit, idem de actibus virtutum moralium dixit Julianus. Oppositum tamen ex principiis ipsius (quæ ipsi cum Molina communia sunt) Augustinus deduxit, uti ostendimus laudato c. 7. n. 98. 99. & 100. Oppositum etiam constat ex dictis cap. 14.

282 Tertiò, Pelagiani nunquam dixerunt, naturam sufficere ad diligendum Deum ex habitu, per Spiritum sanctum infuso, nec dicere potuerunt absque patente in terminis contradictione. Eo tamen non obstante condemnati sunt.

283 Quartò, nunquam etiam Pelagiani dixerunt, ad diligendum quidem Deum propter se dilectione perfectâ, necessarium esse divinæ gratiæ auxilium; secus ad Deum propter se diligendum dilectione imperfectâ. Nec hoc dixisse, ex ipsorum scriptis, vel Patribus (eorum debellatoribus) evinci potest. Nec hoc ipsis absque cogente probatione est tribuendum: cùm ratio evincat contrarium. Cujus enim rei perfectio à Deo est per gratiam, ipsius quoque inchoatio à Deo est per gratiam. Et quemadmodùm ex eo quòd fides (juxta divinam Scripturam) à Deo est per gratiam, consequens est ipsum quoque fidei initium à Deo esse per gratiam: sic ex eo quòd charitas, seu Dei propter se dilectio (juxta divinam Scripturam) à Deo sit per gratiam, consequens quoque est, ipsum etiam charitatis, seu Dei propter se dilectionis initium, à Deo esse per gratiam. *Neque enim initium ejus ex nobis, & perfectio ejus ex Deo* (inquit Augustinus lib. 2. ad Bonifacium c. 9.) *sed si charitas ex Deo est, tota nobis ex Deo est. Avertat enim Deus hanc amentiam, ut in ejus donis nos priores faciamus, posteriorem ipsum* (uti facit Molina) *quoniam misericordia ejus præveniet me.*

Secundò, assertio probatur ex Conciliis: 284
ut enim Milevitanum ait can. 4. *Utrumque Dei donum est, & scire quid facere debeamus, & diligere ut faciamus.* Similiter Arausicanum II. can. 25. *Prorsus Dei donum est diligere Deum. Ipse enim ut dilig eretur dedit, qui non dilectus diligit. Ipse, nullis præcedentibus meritis, & fidem, & amorem sui prius inspirat, ut & Baptismi Sacramentum fideliter requiramus.* Et Tridentinum sess. 6. c. 6. Peccatores *excitati divinâ gratiâ..... Deum..... tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt.*

§. II.

Tertia probatio ex Patribus.

AUgustinus namque epist. 107. ad Vitalem: *Liberum* (inquit) *arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus.* Lib. 5. in Julian c. 3. *Amor, quo aliquid fit propter Deum, id est, quo gratis amatur ipse, in nobis esse non potest nisi ex Deo.* Lib. de patientia c. 25. *Voluntas bona, quâ diligitur Deus, in homine esse non potest, nisi in quo Deus operatur & velle.* Serm. 2. de divers. c. 1. *Quære, unde homini diligere Deum? nec invenies omninò, nisi quia prior illum dilexit Deus.* L. 15. de Trin. c. 17. *Non habet homo unde Deum diligat, nisi ex Deo.* De corrept. & grat. c. 6. *Charitas sine dubio ex Deo est.* De grat. & lib. arb. c. 17. *Quis istam, etsi parvam, dare cœperat charitatem, nisi ille qui præparat voluntatem, & cooperando perficit, quod operando incipit?* L. 2. ad Bonifac. c. 9. *Quid enim est boni cupiditas, nisi charitas, de qua Joannes Apostolus sine ambiguitate loquitur dicens: Charitas ex Deo est? nec initium ejus ex nobis, perfectio ejus ex Deo; sed si charitas ex Deo est, tota nobis ex Deo est.* Idque Augustinus tam constanter tradidit, ut in eo summam posuerit sui contra Pelagianos certaminis: *Si enim charitas non est ex Deo* (inquit l. de grat. & lib. arb. c. 18.) *sed ex hominibus, vicerunt Pelagiani. Si autem ex Deo, vicimus Pelagianos.* Vide suprà Prolegomeno 6. c. 11.

Augu-

286 Augustino concinit Prosper l. 1. contra Collat. c. 30. ubi Cassianum de initiali dilectione Dei, ut Authoris naturæ, contradicentem sic refellit: *Tanta est secundùm istum arbitrii vel incolumitas, vel facultas, ut charitatem..... non ex Dei munere, sed ex sola habeat voluntate. Quid ergo in anima à suo ædificatore parabitur, aut quâ largitate gratiæ fiet ornatior, si illa sunt ei propria, sine quibus cætera non possunt prodesse donata? Sed Apostolus, qui profitetur sine charitate..... non ipsam sæviss imorum suppliciorum prodesse tolerantiam, unde habeatur charitas, non tacet..... Charitas (inquit) Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum..... Cognoscat ergo humana infirmitas, quod de quibuslibet bonis rectè dicitur, multò rectiùs sibi dici de eo, sine quo bona cuncta non prosunt: Quid enim habes, quod non accepisti?*

287 Concinit & Gregorius Magnus l. 33. Moral. c. 25. *Si nostra dilectio Deum prævenit, ubi est quod Joannes Apostolus dicit: Non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos?*

288 Concinunt & reliqui Patres, Ambrosius, Hieronymus, Fulgentius, Bernardus. Quorum pro nunc testimonia omitto, ut veniam ad sanctum Thomam, qui 1. 2. q. 109. a. 3. dicit, quòd *in statu naturæ corruptæ..... voluntas rationalis, propter corruptionem naturæ, sequitur bonum privatum, nisi sanetur per gratiam.* Ex quo sic arguere licet: natura corrupta, sibi relicta, sequitur bonum privatum. Atqui natura humana, Deum propter se diligens, non sequitur bonum privatum. Ergo natura humana, Deum propter se diligens, non est natura corrupta, sibi relicta.

289 Unde ex eo quòd voluntas rationalis, propter corruptionem naturæ sequitur bonum privatum, nisi sanetur per gratiam, S. Doctor ibi concludit, & benè concludit, quod *ad diligendum Deum naturaliter* (id est ut Authorem naturæ) *super omnia..... in statu naturæ corruptæ, indiget homo auxilio gratiæ naturam sanantis.* Igitur ex eodem antecedente rectè etiam concluditur, quòd ad diligendum Deum, ut Authorem naturæ, propter se, in statu naturæ corruptæ, homo indiget auxilio gratiæ naturam sanantis. Si enim homo corruptus, sine auxilio gratiæ sanantis, non potest diligere Deum super omnia, ob Angelicam illam rationem; hoc ideò est, quia diligere Deum super omnia, est diligere Deum propter se; quod homo corruptus facere non potest, quamdiù non elevat se supra bonum privatum.

290 Deinde *quòd homo convertatur ad Deum, hoc non potest esse, nisi Deo ipsum per gratiam convertente*, ait S. Doctor ibidem a. 6. Sed amando Deum propter se, homo convertitur ad Deum. Hoc ergo non potest, nisi Deo per gratiam ipsum convertente. Per gratiam (inquam) de gratia namque ibi agit, de gratia quoque procedunt Oracula sacra, quæ ibi profert.

Denique 2. 2. q. 2. a. 5. ad 1. dicit, quòd *ad multa tenetur homo, ad quæ non potest sine gratia reparante, sicut ad diligendum Deum, & proximum, & similiter ad credendum articulos fidei.* Ad quæ verba Thomas de Lemos to. 3. l. 3. p. 2. tr. 2. n. 374. observat, S. Doctorem ibi prius exemplum ponere de his quæ pertinent ad legem naturæ; posterius de his quæ pertinent ad fidem; adeòque loqui de dilectione Dei ut Authoris naturæ; utpote quam enumerat ante fidem. 291

§. III.

Quarta probatio à multiplici ratione Theologica.

PRima ratio est illa quam S. Thomas suprà n. 215. petit ex corruptione naturæ, quæ (juxta doctrinam Sanctorum) in eo potissimùm sita est, quòd homo, sibi relictus, totus ad seipsum ultimatè conversus sit, omniaque quæ vult & agit, velit agatque propter seipsum, etiam tunc dum sibi videtur quòd feratur in Deum. Quia se equidem pro fine semper habet, nec unquam Deum propter Deum finaliter amat, sed semper in seipsum finaliter relabitur, quodque sibi videtur amare propter Deum, finaliter amat propter commodum, privatumque bonum suum; amore proinde non casto, nec gratuito benevolentiæ, sed non casto concupiscentiæ. Hoc est enim quod sibi vult S. Thomas, dum loco citato ait, quòd in statu naturæ corruptæ, voluntas rationalis, propter corruptionem naturæ, sequitur bonum privatum, nisi sanetur per gratiam: Hoc est etiam quod ante S. Thomam tradiderunt Augustinus, Prosper, Bernardus, Albertus Magnus, &c. 292

Augustinus namque serm. 7. de verb. Dom. *Si recedat* (inquit) *spiritus Dei, pondere suo spiritus hominis revolvitur in carnem.... redit ad concupiscentias carnales.* 293

Patres etiam Concilii Carthaginensis (apud Augustinum epist. 90.) aiunt, gratiam medicinalem Christi (quâ natura nostra sanatur) hisce Apostoli verbis significari: *Condelector legi Dei secundùm interiorem hominem.* Rom. 7. Quasi dicant, quòd delectatio ista (quæ ipsamet est Dei, seu divinæ legis propter se dilectio) effectus sit, non naturæ, sed gratiæ medicinalis, naturam sanantis. 294

Prosper in Carm. de ingrat. canit, quòd homo corruptus *non oculos extollere in altum sponte potest*, amando scilicet Deum propter se. 295

Bernardus serm. 1. de SS. Petro & Paulo: *Solitarius levat se super se, quia non respicit finaliter ad se* (sicut respicit, dum non levat se super se) *sed ad illum qui est supra se.* 296

Albertus Magnus l. de Paradiso animæ c. 1. *Amor naturalis semper se supra seipsum reflectit, & proprium suum commodum quærit.* 297

Laudatis Sanctis subscribunt insignes Theologi Mystici, Taulerus, Thomas à Kempis, Cardinalis Bona, &c. 298

Siquidem Taulerus serm. 2. in Dominicas

Quadtageſ. didit ; quòd amor *naturalis ſeipſum jugiter ſpectat & amat.*

299 Thomas à Kempis l. 3. Imit. Chriſt. c. 54. *Natura ſe ſemper pro fine habet : gratia.... omnia purè propter Deum agit, in quo & finaliter requieſcit.*

300 Cardinalis Bona in princip. vit. chriſt. p. 1. §. 3. *Homo ſibi relictus amoris ſui pondere ad ſeipſum convertitur, ſibique ſoli incubat, in ſe tamquam in centro requieſcit.* Et §. 10. *Natura corrupta divinis rationibus ac puræ intentioni repugnat, & ad ſe omnia refert.*

301 Enimverò illa fuit impiæ rebellionis juſtiſſima pœna, ut qui propriâ voluntate in ſuperbiam elatus, Deum deſeruit, ab eo deſertus ſit ; & qui libero arbitrio benè uti noluit, cùm potuit, *ita inclinatum & attenuatum jam habeat liberum arbitrium, ut nullus jam aut diligere Deum ſicut oportet, aut operari propter Deum quod bonum eſt poſſit, niſi gratia eum & miſericordia divina prævenerit*, uti Concilium Arauſicanum II. definit can. 25.

302 Secunda ratio : per amorem Dei propter ſe homo ſe convertit ad Deum. Sed *liberum arbitrium ad Deum converti non poteſt, niſi Deo ipſum ad ſe convertente, ſecundùm illud Hierem. 31. Converte me, & convertar. Et Thren. ult. Converte nos Domine, & convertemur.* S. Thomas 1. 2. q. 109. a. 8. certiſſimè loquens de converſione per gratiam ; ſic enim Sancti omnes intelligunt ſacros illos textus. Probatur major : quemadmodùm enim homo ſe corporaliter convertit ad ſolem, dum faciem & oculos corporis ſui per intuitum ad ſolem dirigit ; ita ſpiritualiter ſe convertit ad Deum, dum faciem & oculos cordis ſui per amorem ad Deum dirigit.

303 Tertia ratio : per amorem Dei propter ſe homo ſe diſponit ad gratiam, ſecundùm illud Joan. 14. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo.* Sed de fide eſt, quòd per ſolas naturæ vires homo ſe diſponere nequeat ad gratiam.

304 Quarta ratio : ſi per ſolas naturæ vires homo Deum propter ſe diligere poſſet, gratiam ſine gratia aliquo modo promereri poſſet. Sed hoc eſt Pelagianum. Ergo probatur major, tum quia Deo placita non eſſe non poſſet Dei propter ſe dilectio ; nec ipſi placita non eſſe opera verè bona, propter ipſum ſincerè dilectum facta. Quoniam *opera verè bona neceſſe eſt Deo placere.* Auguſtinus l. 4. contra Julian. c. 8. Deus autem, cujus natura bonitas, non poteſt non retribuere facientibus quod eſt placitum ante ſe, nec poteſt non diligere caſtè diligentes ſe ; cùm ſcriptum ſit, *ego diligentes me diligo.* Dei verò erga hominem dilectio ſterilis eſſe non poteſt, ſeu abſque fructu. Et ideò *ſi opera quæ operamur, circa proximorum neceſſitates, diligendo faciamus, æterna eſt ipſa dilectio, eique æterna parata eſt retributio.* Auguſtinus ſerm. 23. in Pſal. 118.

305 Tum quia vera charitas, ſeu Dei propter ſe dilectio, nullius meriti eſſe non poteſt, magis quàm vera fides ; de qua Auguſtinus in l. de prædeſt. Sanct. c. 2. *Quis dicat eum, qui jam cœpit credere, ab illo in quem credidit nihil mereri ?*

Quinta ratio : amor Dei propter ſe, opus 306
eſt veræ pietatis (ſiquidem *pietas eſt cultus Dei, & non colitur ille niſi amando*, ut Auguſtinus dicit) eſt opus benè factum, &c. Nullum verò opus benè factum, nullum opus veræ pietatis fieri poteſt abſque gratia, uti ſæpiùs reſolviſſe S. Congregationem de Auxiliis cap. 12. oſtenſum eſt. Et reverà *ſi quod pertinet ad religionem, atque pietatem, non ſimus idonei cogitare.... ex nobiſmetipſis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt* (inquit Auguſtinus de prædeſt. Sanct. c. 2.) *profectò non ſumus idonei facere aliquid ejuſmodi, & nemo ſibi ſufficit ad incipiendum, vel perficiendum quodcumque ejuſmodi opus bonum ; ſed in omni ejuſmodi opere bono & incipiendo, & perficiendo, ſufficientia noſtra ex Deo eſt.*

Et confirmatur, quia fide certum eſt nul- 307
lum opus ſalutare ſolis naturæ viribus fieri poſſe. Atqui omne opus veræ pietatis, & benè factum, eſt ſalutare, factumque ſicut oportet, prout Auguſtinus n. 188. laudatus tradit, & S. Congregatio de Auxiliis ſæpiùs expreſſè declaravit ibidem. Quarum declarationum licèt ſuſpenſa ſit ſolemnis promulgatio ; ſperatur tamen aliquando facienda : quia à Summo Pontifice promiſſa. Nolim tamen, propter eas, Moliniſtarum opinionibus cenſuram inurere, ut ſuprà dixi, ſciens id à Paulo V. vetitum eſſe, donec S. Sedi viſum fuerit declarationes illas promulgare, cujus judicio omnia à me ſcripta & ſcribenda prorſus ſubmitto.

CAPUT XIV.

Specialiter refellitur opinio Molinæ, & Moliniſtarum, aientium, hominem corruptum, ſolis naturæ viribus poſſe Deum, ut naturæ Authorem, ſuper omnia diligere.

Refellitur (inquam) 1°. per ſacras au- 308
thoritates, Theologicaſque rationes capite præcedenti exhibitas.

2°. Per varias declarationes S. Congregationis de Auxiliis cap. 12. productas.

3°. Ex graviſſimis abſurdis, quæ ex Mo- 309
liniſtica ſententia conſequuntur, poſſe utique hominem, ſolis naturæ viribus, ex Dei ſuper omnia amore peccatum, tamquam Dei offenſam, divinæ bonitati oppoſitam deteſtari, atque odio habere ſuper omnia. Quod profectò 310
dici non poteſt : aliàs per ejuſmodi odium, & deteſtationem, ſolis naturæ viribus elicitam, Deo poſſet reconciliari. Quod eſt contra fidem. Probatur tamen ſequela, quia ad reconciliationem peccatoris cum Deo, neceſſe non eſt quòd peccatum ipſi diſpliceat, ut eſt offenſa Dei, tamquam Authoris gratiæ & gloriæ. Neque enim Concilia & Patres id requirunt, ſed præcisè diſplicentiam de peccato, ut eſt offenſa Dei ; nec addunt Deum in iſta diſplicentia conſiderandum ut Authorem

gratiæ & gloriæ. Nec id additur in formulis contritionis, quæ passim extant in piis libellis; quos Ecclesiæ Prælati, & Pastores, corrigere tenerentur, si consideratio ista foret necessaria. Communis ergo Prælatorum & Pastorum sensus est, necessariam non esse; communis item sensus fidelium; utpote quibus certò persuasum est, ad reconciliationem cum Deo, sufficere dolorem de peccatis, quatenùs sunt offensa Dei, super omnia amabilis, seu quatenùs offensa sunt infinitæ bonitatis, infinitæ majestatis, &c. Deus verò, etiam ut Author naturæ, seu naturalium bonorum, est super omnia amabilis, infinitæ bonitatis, infinitæ majestatis, &c.

311 4°. Si solis naturæ viribus Deum propter se super omnia homo diligere possit, totam naturæ legem iisdem viribus implere poterit. Nam & proximum propter Deum diligere poterit. Qui autem Deum super omnia, & proximum propter Deum diligit, legem implet. *In his* enim *duobus mandatis universa lex pendet & Prophetæ.* At si naturæ lex universa solis naturæ viribus impleri possit, Christus gratis mortuus est: neque enim mors Christi necessaria fuit, nisi ad promerendam gratiam quâ lex impleretur.

312 Non ignoro, Molinistas quosdam docere quidem, quòd universa lex naturæ solis naturæ viribus impleri possit, sed hoc in absentia gravium tentationum. Verùm imprimis Molina docet, graves tentationes solis liberi arbitrii viribus superari posse, ut vidimus n. 195. & 196. Et reverà hoc doctrinæ ipsius postulat consequentia. Si enim possit homo solis liberi arbitrii viribus Deum super omnia diligere, prædominantem mundi, eorumque quæ in mundo sunt, cupiditatem istâ Dei dilectione poterit superare; utpote quæ verè esse nequit super omnia, nisi sit prædominans; nec verè prædominari potest, nisi victâ cum suis tentationibus mundi, eorumque quæ in mundo sunt cupiditate. Quâ victâ, mundi, & eorum quæ in mundo sunt tentationes vincuntur, nihilque in reliquis præceptis naturalibus arduum supereſt. Utpote quæ non ob aliud ardua videntur, nisi ex hoc quòd per amorem prædominantem non adhæreatur Deo, sed per cupiditatem mundo, seu iis quæ adversantur Deo. Victâ proinde per prædominantem Dei amorem cupiditate, cessat arduitas, secundùm illud Augustini l. 3. de doctr. christ. c. 18. *Non est in carendo difficultas, nisi cùm est in habendo cupiditas.* Denique tentatio gravis validior non est, quàm cupiditas prædominans. Si ergo ista amore Dei super omnia naturali vinci queat; potest & illa.

313 5°. Si solis naturæ viribus Deum propter se homo diligere possit, tam affectivè, quàm effectivè super omnia, tam scilicet quoad affectum quàm quoad effectum, seu observantiam omnium præceptorum naturalium, uti fieri posse expressè docent plures Molinistæ, & cum ipsis Bonæ-Spei de grat. disp. 4. dub. 4. n. 93. (id tamen intelligens pro tempore brevi, & absente tentatione gravi) ponatur hypothesis, quòd aliquis, qui cùm de Deo ut Authore gratiæ & gloriæ nihil audierit, Deum ut Authorem naturæ propter se super omnia modo dicto diligat, omniaque præcepta naturalia sibi nota observet, justitiamque perficiat brevi illo tempore, eodemque tempore moriatur; iste de vita æterna securus esse debebit, juxta Augustinum l. de nat. & grat. c. 2. dicentem: *Natura humani generis, ex illius unius prævaricatoris carne procreata, si potest sibi sufficere ad implendam legem, perficiendamque justitiam, de præmio debet esse secura, hoc est de vita æterna, etiamsi in aliqua gente.... fides eam latuit sanguinis Christi. Non enim injustus Deus, qui justos fraudet mercede justitiæ, si eis non est annuntiatum Sacramentum divinitatis & humanitatis Christi, quod manifestatum est in carne. Enimverò quid faciet humana natura.... quæ vel ante non audierat hoc futurum, vel adhuc non comperit factum, nisi credendo in eum, qui fecit cælum & terram* (id est, ut Authorem naturæ) *à quo & se factam naturaliter sentit, & rectè vivendo ejus impleat voluntatem, nullâ fide passionis Christi & resurrectionis imbuta? Quod si fieri potuit, aut potest, hoc & ego dico, quod de lege dixit Apostolus: Ergo Christus gratis mortuus est. Si enim hoc ille dixit de lege, quam accepit gens una Judæorum; quantò justiùs dicitur de lege naturæ, quam accepit universum genus humanum: si per naturam justitia, ergo Christus gratis mortuus est.*

314 6°. Vel ille, qui solis naturæ viribus Deum super omnia quoad affectum & effectum, absente gravi tentatione, brevi tempore dilexisset, in istaque dilectione statim mortuus esset, salvaretur, vel non? Neutrum dici potest. Non primum: aliàs salvari quis posset solis naturæ viribus. Quod est Pelagianum. Nec secundum: aliàs de præcepto, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, &c. Christus Luc. 10. verè non dixisset: *Hoc fac & vives.* Dicendum ergo, hypothesim illam, pro hoc naturæ corruptæ statu, impossibilem esse; longèque magis impossibile, quod Molina (apud Thomam de Lemos in Panoplia to. 3. l. 3. p. 2. tr. 2. c. 18. n. 256. & c. 31. n. 479.) docet, quòd præexistente in peccatore lumine fidei, quo homo cognosceret bona gratiæ à Deo accepta, voluntas ipsius, absque auxilio gratiæ, dolere posset de peccatis, ut sunt offensa Dei, gratiæ Authoris, Deumque, gratiæ Authorem, super omnia diligere. Quæ doctrina quàm falsa sit, & inaudita (ait Lemos) inferiùs erit accuratiùs examinandum. Vide ipsum c. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. Vide etiam declarationes S. Congregationis de Auxiliis suprà cap. 12.

CAPUT XV.

Solvuntur objectiones.

315 OBjicit 1°. subtilis Recentior, quæcumque ex Augustino contra Pelagianos dis-

putante protulimus testimonia, nihil probant contra amorem Dei propter se naturalem. Quandocumque enim, in pugna contra Pelagianos, gratiam exigit ad diligendum Deum propter se, vel ad opera bona; quoties item invehitur in Julianum, admittentem virtutes steriles, operaque steriliter bona, loquitur de gratia perseverantiæ, bonumque & virtuosum in summo accipit rigore, pro bono & virtuoso perseveranter, sive vi suâ, mediâ perseverantiâ, de facto perducente ad vitam æternam. Nunquam enim Augustinus, extra illam pugnam (in qua ipsi cum Pelagianis quæstio de sola fuit gratia perseverantiæ) negavit opera, ex Dei propter se dilectione facta, posse esse sterilia, id est, non perducentia ad vitam æternam de facto consequendam. In pugna verò illa solum illum Dei propter se amorem, actusque ex illo profectos contendit esse veros, solas etiam illas virtutes esse veras, quorum & quarum vi ad vitam æternam de facto perducimur. Ad quam quia de facto nunquam perducuntur, qui in illis non perseverant, ut reprobi, nullas in ipsis veras virtutes, nullam veram Dei dilectionem, nullos actus verè bonos, in pugna contra Pelagianos Augustinus agnovit; licèt extra pugnam illam agnoverit, etiam solis naturæ viribus. Sic ingeniosus ille Recentior de grat. disput. 3. n. 169. & disput. 4. n. 58. & 100.

316 Respondeo, nihil horum sustineri posse. 1°. Quia tota illa objectio glossam continet singularem, tribuitque Augustino (contra Pelagianos disputanti) sensum in Ecclesia peregrinum, imò erroneum. Quia reverà error est asserere, quòd in reprobis, defectu perseverantiæ, nullum sit opus verè bonum, nulla vera Dei propter se dilectio, nulla vera virtus, ne illo quidem tempore, quo de peccatis dolent ex sincero Dei propter se super omnia amore, divinaque mandata & consilia ex eodem observant amore, seseque exercent in operibus pœnitentiæ, misericordiæ, pietatis, castitatis, &c. A quo insulso errore certo certiùs alieniſſimus fuit, etiam in pugna illa, eximius hæreseon errorumque debellator, nec probabile est ipsum commento tam exotico usum in pugna contra Pelagianos.

317 2°. Quia Augustinus, contra Julianum Pelagianum disputans, pluribus argumentis probat, hominem peccare peccato propriè dicto, in omni opere non benè facto; prorsusque à veritate alienum est, quod laudatus Recentior ait, eo solo sensu opera illa ab Augustino vocari peccata, quatenùs sunt opera ad vitam æternam vi suâ de facto (defectu perseverantiæ) non perducentia, ut videbimus cap.... At nefas est vel cogitare, quòd Augustinus, contra Pelagianos disputans, reprobos asseruerit, defectu perseverantiæ, peccare peccato propriè dicto, omnibus in operibus suis, etiam ex Dei propter se amore factis, etiam de peccatis ex eodem amore dolendo, opera virtutum exercendo, mandata servando, &c.

3°. Contextus serieſque disputationis Augustini contra Julianum (præsertim lib. 4. contra eumdem c. 3.) amatorem quemcumque veritatis, osoremque cavillationis, de illius glossæ falsitate convincit, manifestèque ostendit, Augustinum, in suis contra Julianum libris, de peccato non arguere conjugalem actum, v. g. factum causâ voluptatis, cæterosque actus, etiam ex officio bonos, in Deum non relatos, & absque ulla omninò fide gratiaque exercitos, ob solum perseverantiæ defectum, sed ob defectum fidei, debitæque intentionis. Cùm istius, non illius defectûs faciat mentionem, sacraque testimonia, quæ ad id allegat, procedant de solo fidei ac debitæ intentionis defectu, nec eorum vel unum de perseverantia loquatur, uti nec de defectu ipsius. 318

Enimverò Augustinus se fundat in testimonio Apostoli: *Omne quod non est ex fide, peccatum est.* Et in testimonio Salvatoris: *Si oculus tuus fuerit nequam, &c.* Quibus in testimoniis certissimum est mentionem esse de fidei & intentionis defectu; non de defectu perseverantiæ. 319

4°. Ingenioſi illius Recentioris fundamentum prorsus est nullum. Quippe unicè se fundat in eo quòd putet, inter Augustinum, Pelagianosque, & Semipelagianos, disputationem non fuisse, nisi de operibus perseveranter bonis, gratiâ perseverantiæ, istiusque ad illa necessitate. At contrarium certissimum est, ab omnibusque hactenùs Catholicis adeò constanter traditum, ut opinio illa planè sit singularis, nec videatur posse sustineri. 320

Si enim de sola gratia perseverantiæ Augustinus contra ipsos disputasset, consectarium foret, ex iis quæ Augustinus contra Pelagianos Semipelagianosque disputavit, Conciliaque & Pontifices, cum eodem Augustino, adversus eosdem declararunt, definieruntque, nihil aliud constare, nisi quòd gratia perseverantiæ ad opera perseveranter bona necessaria sit, quòdque gratia ista ex meritis non detur. At hoc est contra sensum totius Ecclesiæ, omniumque Catholicorum Doctorum, qui ex disputationibus, declarationibus, & definitionibus illis, sacrisque testimoniis per Augustinum allegatis, probant (velut fide certam) gratiæ necessitatem, nedum ad actus perseveranter bonos, sed & ad initium fidei, & ad quoscumque actus veræ pietatis, etiam in reprobis. Videri possunt quæ hac de re obiter dixi to. 1. de Deo distinct. 1. n. 398. 321

Objicit 2°. Omninò possibilis est aliquis amor Dei naturalis super omnia, saltem quoad affectum: cùm S. Thomas 1. 2. q. 109. a. 3. dicat, quòd *homo in statu naturæ integræ non indigebat dono gratiæ bonis naturalibus superaddito, ad Deum super omnia naturaliter diligendum*, licèt Dei ad hoc eum moventis auxilio indigeret. Ergo non est cur homo, in statu naturæ lapsæ, Deum naturaliter super omnia brevi tempore amare non possit. 322

Respondeo negando consequentiam cum

S. Thoma ibidem immediatè subjungente: quòd *in statu naturæ corruptæ indiget homo etiam ad hoc auxilio gratiæ naturam sanantis.* Negat proinde S. Doctor amorem Dei super omnia esse homini possibilem in statu naturæ corruptæ, absque auxilio gratiæ naturam sanantis, tametsi ei possibilis fuerit in statu integræ, imò etiam fortè in statu naturæ puræ, uti tradit in ejusdem articuli argumento *Sed contrà*, nec illud refutat, ut solet, quando argumentum *Sed contrà* adversatur conclusioni articuli.

323 Nec S. Doctor glossari potest de dilectione Dei ut Authoris gratiæ & gloriæ. Cùm ut sic absque gratia nec in statu naturæ puræ, nec in statu naturæ integræ diligi potuerit. Loquitur proinde de amore Dei ut Authoris naturæ, dum absque auxilio gratiæ naturam sanantis possibilem negat in statu naturæ lapsæ, concedens tamen possibilem in statu naturæ puræ & integræ.

324 Objicit 3°. Hoc dictamen, Deus est summum bonum, ergo est super omnia diligendus, naturale est cuilibet intellectui. Ergo dilectio illi correspondens naturalis est cuilibet voluntati. Quidquid enim intellectui naturale est in cognoscendo, voluntati naturale est in appetendo. Respondeo 1°. cum Bellarmino ubi suprà c. 8. negando antecedens, intellectum de dictamine practicè practico, ad pium erga Deum affectum hîc & nunc immediatè movente. Hoc enim sensu Apostolus ait, quòd *non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est.* 2. Cor. 3. Et Milevitanum suprà n. 284. *Donum Dei est, scire quid facere debeamus...* Et Fulgentius l. 1. de verit. prædest. & grat. gratiæ tribuit cognitionem, quâ Deus *sic cognoscitur, ut ametur.*

325 Respondeo 2°. negando consequentiam. Ad ejus probationem nego assumptum, quia, ut S. Thomas sapienter observat 1. 2. q. 109. a. 2. ad 3. *magis est natura humana corrupta per peccatum, quantùm ad appetitum boni, quàm quantùm ad cognitionem veri.* Et, ut S. Bernardus ait in lib. de grat. & lib. arb. *non est ejusdem facilitatis, scire quid faciendum sit, & facere*, mori v. g. potiùs quàm mentiri, etiamsi naturaliter sciamus moriendum potiùs quàm mentiendum. Denique, ut S. Franciscus Salesius ait l. 1. de amore c. 17. peccatum *longè magis debilitavit voluntatem humanam, quam obscuraverit intellectum.* Et ideò *animæ nostræ.... majorem habent claritatem in intellectu, ad videndum quantùm sit divinitas amabilis, quàm vires in voluntate ad illam amandum.*

326 Objicit 4°. Lex naturalis, de Deo super omnia diligendo, obligat etiam in statu naturæ lapsæ. Non obligat verò ad amorem impossibilem. Igitur amor ille naturaliter possibilis est in statu naturæ lapsæ. Aliàs ipsum naturæ Author non exigeret: quia, ut talis, nunquam exigit plusquàm concedit.

Respondeo argumentum ducere in præcipitium: quia hominem, in statu naturæ corruptæ, Deus, ut naturæ Author, obligat ad totam naturæ legem servandam, & perseveranter servandam, tametsi eam sine gratia perseveranter servare nequeat, ut Catholici docent contra Pelagianos. Ad argumentum ergo neganda est consequentia: quòd enim amor ille possibilis non sit naturæ corruptæ, absque auxilio gratiæ naturam sanantis, ex ipsius corruptione provenit, cujus Author non est Deus. Et quamvis amor ille homini corrupto possibilis non sit per naturam, possibilis est per gratiam; & ideò non est simpliciter impossibilis, optimèque S. Thomas 2. 2. q. 2. a. 5. ad 1. dicit, quòd licèt homo ad impossibile non teneatur, *ad multa tenetur homo, ad quæ non potest sine gratiæ auxilio, sicut ad diligendum Deum, &c. sed tamen hoc potest cum auxilio gratiæ.*

Objicit 5°. Possumus amore naturali amare parentes, plusquàm cæteros qui parentes non sunt. Igitur & Deum, plusquàm cætera quæ Deus non sunt, & in quo majorem amabilitatem intellectus naturali lumine ostendit voluntati, quàm in ulla creatura. 327

Respondeo negando consequentiam: quia natura corrupta, suæ corruptionis pondere, magis fertur in amorem sensibilium, quàm insensibilium, Deique amorem semper reflectit in bonum suum privatum, nisi sanetur per gratiam. Quia seipsam semper pro fine habet. Et ideò probabile est quòd, sibi relicta, ipsorum quoque parentum amorem semper reflectat in bonum suum privatum, bonum ipsorum reputans ut proprium. Et idem de amore purè naturali amicorum.

Legimus quidem nonnullos infideles, alterum pro altero, vel pro patriæ salute, mortem oppetiisse. Sed hoc, quia sibi proposuerunt suam sibi vitam injucundam fore, sine vita amici; vel fore ingloriam, si eam non impenderent pro patriæ salute: atque ita suam sibi vitam proposuerunt, tamquam malum sibi majus morte suâ, sine societate talis amici, vel sine gloria liberatæ quantùm in se erat patriæ. 328

Objicit 6°. Si amor Dei naturalis super omnia, absque auxilio gratiæ, possibilis non esset, omnia infidelium opera forent peccata. Quia non facta ex amore Dei super omnia, uti fieri debent in sententia nostra. Ipsos etiam Deus ad impossibile obligaret, ad ipsum scilicet amandum super omnia. Quod ipsis possibile non est, utpote privatis gratiâ ad id necessariâ. 329

Respondeo negando utramque sequelam, utpote fundatam in falso supposito; falsum est enim, quòd omnia opera in sententia nostra fieri debeant ex amore Dei super omnia: cùm satis sit quòd fiant ex Dei propter se amore, etiam non super omnia. Falsum quoque quòd infideles in universum privati sint gratiâ, ad Dei propter se amorem necessariâ. Falsum de-

nique, ipsos obligari ad impossibile, dum obligantur ad Dei amorem, ad quem hîc & nunc gratiam necessariam non habent, in pœnam præcedentis peccati, saltem originalis. Quia, ut non obligentur ad impossibile, sufficit quòd amor Dei sit ipsis possibilis per gratiam, quam licèt non habeant de facto, habent tamen in potentia, quatenùs eam à Deo habere possunt per meritum passionis Christi, prout infrà pluribus ostendetur.

330. Objicit 7°. damnatam à Pio V. propositionem: *Distinctio illa duplicis amoris, naturalis scilicet, quo Deus amatur ut Author naturæ; & gratuiti, quo Deus amatur ut beatificator, vana est, & commentitia, & ad illudendum sacris literis, & plurimis veterum testimoniis excogitata.* Sed vana est objectio. Quia, ut rectè Generalis Dominicanorum in Congregatione de Auxiliis (apud Authorem Historiæ Congreg. de Auxil. l. 3. c. 12.) respondit: *Tametsi distinctionem illam duplicis amoris Pius V. & Gregorius XIII. improbari voluerint; de viribus tamen liberi arbitrii in actibus amoris naturalis eliciendis nihil decreverunt.* Et verò nihil obstat agnosci amorem Dei propter se naturalem ex parte objecti, qui tamen ex Deo sit, atque ita supernaturalis ex parte principii. Atque hoc pacto cum sacris Litteris, Conciliis, & sanctorum Patrum veneranda Traditione, Summorum Pontificum Constitutiones facilè conciliantur: cujus conciliationis necessitatem Catholici omnes fateri tenentur.

331. Objicies 8°. Dei super omnia dilectio est homini naturalis. Cùm voluntas hominis naturaliter inclinetur in bonum; & magis in majus bonum; & maximè in maximum.

Respondeo Dei propter se super omnia amorem, ex parte principii, non esse naturalem homini in statu naturæ corruptæ, sed in statu naturæ puræ, vel integræ ad summum. Neque (dato, non concesso, quòd voluntas hominis, etiam corrupti, naturaliter inclinetur ad Deum propter se amandum) consequens est quòd ad id vires habeat sufficientes. Cùm aliud sit inclinatio, aliud sufficientia voluntatis. Nec ubicumque est ad aliquid inclinatio naturalis, ibi sunt vires ad illud sufficientes. Anima quippe separata naturaliter inclinatur ad reunionem cum corpore; ad quam tamen vires non habet sufficientes. Cor hominis naturaliter inclinatur ad requiescendum in Deo; in quo tamen requiescere non potest nisi per gratiam.

CAPUT XVI.

Ad actum quemcumque dilectionis Dei propter se, sicut & ad alium quemcumque debitis cum circumstantiis factum, necessaria est gratia per se efficax; non sufficit gratia Molinisticè sufficiens.

§. I.

Proferuntur divinæ Scripturæ testimonia de necessitate divinæ gratiæ ad actum quemcumque, debitis cum circumstantiis factum.

PRimò namque Hierem. 30. Dominus ait: 332
Applicabo eum, & accedet ad me. Quis enim iste est, qui applicet cor suum ut appropinquet mihi? Atqui per omnem actum dilectionis Dei propter se, per omnem quoque actum cum debitis factum circumstantiis, homo appropinquat Deo.

Secundò, Joan. 6. *Nemo potest venire ad* 333
me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum. Per omnem verò actum, proximè dictum, homo venit ad Christum.

Tertiò, Joan. 15. *Sine me nihil potestis fa-* 334
cere. 1. Cor. 4. *Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* 2. Cor. 3. *Non quia idonei sumus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est.* Rom. 9. *Non est volentis* (benè velle, ut exponit S. Thomas) *neque currentis* (benè currere) *sed miserentis Dei.* Philipp. 2. *Deus est qui operatur in vobis & velle, & perficere, pro bona voluntate.*

§. II.

Testimonia Conciliorum ad idem.

IMprimis Concilium Africanum 214. Epis- 335
coporum in epist. ad Zozimum (quam refert D. Prosper contra Collat. c. 10.) *Pelagio* (inquit) *& Cælestio damnatis, apertissimâ confessione fatendum est, gratiâ Dei per Jesum Christum, non solùm ad cognoscendam, verùm etiam ad faciendam justitiam, nos per singulos actus adjuvari, ita ut sine illa nihil veræ sanctæque pietatis habere, cogitare, dicere, agere valeamus.* Omnem verò actum, cum debitis omnibus circumstantiis factum, esse veræ sanctæque pietatis actum, S. Augustinus docet, & S. Congregatio sæpiùs resolvit, uti suprà demonstravimus.

Similiter Concilium Sardiniense, sub ini- 336
tium sæculi sexti, in insigni epistola contra Semipelagianos à sanctis Episcopis pro fide exulibus conscripta: *Sine gratia liberum arbitrium nihil boni potest, sicut homo sine luce nihil potest videre. Ante largitatem quippe gratiæ est in homine liberum arbitrium; sed non bonum, quia non illuminatum. Proinde nisi gratia detur, bonum ipsum arbitrium non habetur. Sic namque est liberum arbitrium absque dono gratiæ, sicut est oculus sine luce. Nam & oculus ad videndum factus est; sed nisi lumen acceperit, non videbit. Sicut ergo corporis oculus semper indiget lumen accipere, ut ipsum possit aspicere; sic & libero arbitrio hominis nulla potest gratia suffragari cognitio, nisi detur ipsius gratiæ spiritualis infusio.*

Et Concilium Arausicanum II. can. 9. *Di-* 337
vini est muneris, cùm & rectè cogitamus, & pedes nostros à falsitate & injustitia detinemus. Quoties enim bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum ut operemur operatur. Et can. 20. *Nulla*

la facit homo bona, quæ non Deus præstet, ut faciat homo. Can. 22. *Nemo habet de suo, nisi mendacium & peccatum. Si quid autem habet homo veritatis atque justitiæ, ab illo fonte est quem debemus sentire in hac eremo.* Verba Canonis 25. habes suprà cap. 11.

§. III.

Testimonia Summorum Pontificum.

338 SAnctorum omnium istam esse traditionem Innocentius I. in epist. ad Africanos Patres hisce verbis testatur: *Omnes Sancti nihil se sine hoc* (adjutorio Dei) *agere posse testantur.* Zosimus epist. ad totius Orbis Episcopos: *Quod ergo tempus intervenit, quo ejus non egeamus auxilio? In omnibus igitur actibus, causisque, cogitationibus & motionibus, adjutor & protector orandus est. Superbum est enim, ut quidquam sibi humana natura præsumat, clamante Apostolo:* „ Gratiâ Dei sum id quod sum.... Non ego sed gratia Dei mecum. „ Cœlestinus I. epist. ad Episcop. Gall. c. 6. *Ita Deus in cordibus hominum, atque in ipso libero operatur arbitrio, ut sancta cogitatio, pium consilium, omnisque motus bonæ voluntatis ex Deo sit. Quia per illum aliquid boni possumus, sine quo nihil possumus.* Et cap. 9. *His ergo ecclesiasticis regulis, & ex divina sumptis authoritate documentis, ita adjuvante Domino confirmati sumus, ut omnium bonorum affectuum, atque operum, & omnium studiorum, omniumque virtutum, quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum profiteamur Authorem, & ab ipsius gratia omnia hominis merita præveniri, per quem fit ut aliquid boni velle incipiamus, & facere.* Leo I. serm. 8. de Epiphania: *Dicente Discipulis suis Domino, sine me nihil potestis facere, dubium non est, hominem, bona agentem, à Deo habere & effectum operis, & initium voluntatis. Unde & Apostolus:* „ Deus est qui operatur in vobis & velle, & operari, &c. „

339 Cum his Clemens VIII. in suo de gratia Scripto, Congregationi de Auxiliis exhibito, *Dei gratia necessaria est ad singulos actus.*

§. IV.

Testimonia S. Augustini.

340 PLurima ad idem Augustini, aliorumque Sanctorum testimonia dedimus Prolegomeno 6. cap. 15. Quæ necesse non est hîc repetere, postquam n. 338. vidimus, Innocentium I. dicentem Sanctos omnes idipsum testari. Præterire tamen non licet illud, quo Augustinus testatur assertionem nostram ad fidem pertinere: quia Ecclesiæ Catholicæ de gratia, gratiæque necessitate sensum ex Augustino nos oportet addiscere, prout Innocentius, Sixtus, & Cœlestinus professi sunt, & Hormisdas disertis verbis attestatus est.

341 Augustinus ergo epist. 106. ad Paulinum: *Gratia* (inquit) *Dei per Jesum Christum.... ad non peccandum, rectèque vivendum, eos qui jam uti possunt libero voluntatis arbitrio sic adjuvat, ut nisi adjuvet, nihil pietatis atque justitiæ, sive in opere, sive etiam in ipsa voluntate habere possimus.... Quis enim te discernit? Ubi si dixerit homo, discernit me fides mea, voluntas mea, bonum opus meum, respondetur ei, quid enim habes quod non accepisti? Ita fides vera, & Catholica tenet semper Ecclesia.* Quòd igitur nihil boni (cum debitis utique circumstantiis) sine gratia Christi fieri queat, ad fidem Catholicam pertinere dicit Augustinus. Unde l. de grat. Christ. c. 47. *S. Pelagius consenserit nobis, non solam possibilitatem in homine.... sed ipsam quoque voluntatem & actionem, id est, ut benè velimus, & benè agamus.... divinitùs adjuvari, & sic adjuvari, ut sine illo adjutorio nihil boni benè velimus & agamus, eamque esse gratiam Dei per Jesum Christum.. nihil de adjutorio gratiæ Dei inter nos controversiæ relinquetur.*

§. V.

Gratiam Molinisticè sufficientem ad actum divinæ dilectionis, aliumque quemcumque, cum debitis factum circumstantiis, non sufficere; sed gratiam per se efficacem necessariam esse, ex divina Scriptura demonstratur.

GRatiæ per se efficacis ad memoratos actus necessitatem, gratiæque proinde Molinisticè sufficientis insufficientiam, in sexto suo de gratia Scripto, Congregationi de Auxiliis exhibito, perspicuè tradidit Clemens VIII. Postquam enim §. 4. dixit: *Secundùm S. Augustinum datur gratia efficax, imò efficacissima, nec tamen per eam læditur libertas liberi arbitrii.* Et §. 5. *Hæc gratia habet suam efficaciam ab omnipotentia Dei, & à dominio, quod summa divina Majestas habet in voluntates hominum, sicut in cætera quæ sub cælo sunt.* Et §. 9. *Hæc gratia efficax, secundùm S. Augustinum, est prævia, non pedissequa. Datur enim non quia volumus, sed ut velimus. Atque adeò per ipsam efficit Deus, nedum ut operemur, sed etiam ut velimus.* §. 13. dicit quòd *hæc Dei gratia necessaria est ad singulos actus.* Sacra verò Congregatio 21. Septembris 1605. in judicio contradictorio resolvit, isto in Scripto *contineri formalem doctrinam S. Augustini.* Die etiam 15. Octobris sequentis resolvit, *Deum suâ gratiâ efficaci non solum movere voluntatem ad actus liberos bonos, interiùs suadendo, invitando, excitando, vel aliter moraliter attrahendo, sed etiam verè & activè propriè, hoc est verâ, reali, & in hoc sensu physicâ motione agere in voluntatem, salvâ ejus libertate, illam ita efficaciter præmovendo, ut ipsa sub tali efficaci Dei præmotione certò & infallibiliter, liberè tamen, seipsam determinet ad consensum; & in hoc sensu convenienter dici à Scholasticis recentioribus, talem gratiam physicè prædeterminare.* In qua sententia perstitit 29. Novembris ejusdem anni 1605. & 3. Januarii 1606. non obstantibus ex 342

adverso productis à Patribus Societatis. Et in eadem rursum perstitit 1. Februarii & 1. Martii proximè sequentis. Unde in Bulla jussu Pauli V. à Consultoribus delineata (cui id unum deest, ut Pontificis jussu solemniter promulgetur) sic legitur: *Auxilia gratiæ Dei, & quidem efficacis, sunt adeò ad salutem necessaria, ut oporteat confiteri, de hac gratia verum esse, quod in SS. Patrum definitionibus traditur, atque declaratur, gratiam Dei.... nos per singulos actus adjuvare, ita ut sine illa nihil veræ sanctæque pietatis habere, cogitare, dicere, & agere valeamus.* Et cap. 8. *Quòd auxilia Dei sint efficacia, id ita referendum est in omnipotentiam voluntatis Dei, quâ, (prout Scriptura testatur) omnia quæcumque voluit Dominus fecit, ut in illo agnoscere oporteat dominium ejusmodi in voluntates hominum, etiam ut sunt liberæ, quo eas, & quidem magis, habens in potestate sua, quàm ipsi suas, quo voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, quantumvis aversas & adversas sic mutet, flectat, convertat, transferat, firmet ac stabiliat, ut juxta hoc quod de divina Sapientia prædicat Scriptura sacra, attingat à fine usque ad finem fortiter, & disponat omnia suaviter Deus, & per potentiam suam in voluntatibus, & per voluntates hominum operando, certò & infallibiliter efficiat illas facere quod vult per eas fieri.* Et cap. 9. *Quòd dentur hominibus auxilia efficacis gratiæ, est ex proposito voluntatis Dei, id est, ex decreto, quo Deus, quos vult ipse, quando & ubi, assentiri & cooperari, absolutè prædefinivit assensuros & cooperaturos, & in quo iisdem auxilia talia præparat & præordinat, ex quorum efficacia certum est & infallibile quòd assentientur & cooperabuntur.* Istud porrò propositum divinæ voluntatis non innititur scientiæ mediæ, antecedenti omne decretum divinæ voluntatis. Nam, *quòd in Deo ante omnem liberum actum suæ voluntatis, ideòque ante decretum quo prædeterminat hominem consensurum, ponatur à quibusdam scientia (ab ipsis media, vel alio quocumque nomine appellata) quâ decretum istud sive excludendo, sive præveniendo, comminiscuntur Deum præscire consensum hominis futurum sub hujusmodi conditione in objecto, si homo constituatur in certo quodam ordine rerum, auxiliorum, & circumstantiarum, ex infinitis illis ordinibus, qui per divinam omnipotentiam esse possent, & quòd consensus hominis, in quocumque ordine constituti, putetur futurus, non ex efficacia decreti, & auxiliantis gratiæ Dei, sed pro innata libertate voluntatis humanæ; positio ista & opinio aliena est à vero sensu doctrinæ, quâ de præscientia propositi, & beneficio gratiæ Dei, in Ecclesia Christi approbatum, definitum, & hactenùs receptum est, quòd in Deo licet dividi præscientia à proposito temporali distinctione non possit, præscientia tamen quodam ordine sit subnixa proposito, quo in sua prædestinatione Deus ea præscivit, quæ fuerat ipse facturus: quia etsi faciunt homines bona quæ pertinent ad colendum Deum, tamen ipse facit ut illi faciant; & quòd ita Deus in cordibus hominum atque in ipso libero operetur arbitrio, ut omnis motus bonæ voluntatis sit à Deo. Etenim juxta hanc doctrinam, ad hoc ut Deus præsciat quæ facturi sumus, aut essemus bona, ad salutem nostram pertinentia, sicut agnoscimus quòd ipse ea faciat, aut faceret, nos faciendo facere; sic & agnoscere oportet, illum suo decreto idipsum prædefinire. Atque adeò usus beneficiorum gratiæ sic est in Deum referendus, ut quòd homo iis beneficiis utatur, aut uteretur, sit & esset ex efficaci operatione ipsius gratiæ, discernentis utentem a non utente, salvâ in utroque arbitrii sui libertate.*

343 Inter propositiones quoque erroneas, jussu Pontificis à PP. Secretariis digestas, & à reliquis Consultoribus ultimò recognitas (tametsi nedum solemniter promulgatas) decima-nona est ista: *Si auxilia gratiæ Dei non ita subduntur humanæ voluntati, ut à libero consensu & cooperatione liberi arbitrii habeant quòd efficacia sint, libertas humana conciliari non potest cum illorum efficacia in actibus ad salutem pertinentibus.* Vigesima: *Si liberum nostrum arbitrium ab efficacia divini auxilii habeat quòd consentiat & cooperetur, perit libertas, quâ potest homo inspirationem Spiritûs sancti cor tangentis abjicere, & Deo excitanti atque vocanti dissentire si velit.* Vigesima-prima: *Ex sola arbitrii humani libertate provenit, quòd ex duobus æquali auxilio interiùs à Deo vocatis, unus convertatur, altero in peccato permanente.* Vigesima-tertia: *Qui præventus à Deo consentit, non accipit aliam potentiorem gratiam prævenientem, quàm si non consentiret; sed hac tantum consideratione majus donum seu beneficium recipit, quia gratia illi datur in talibus circumstantiis, in quibus Deus prævidit futurum, ut pro sua innata libertate consentiret.* Vigesima-quarta: *Auxilium gratiæ esse efficax, idem est quod esse ita congruum, seu contemperatum ingenio, complexioni, & conditioni naturali hominis, aliisque exterioribus circumstantiis, ut is pro innata sibi libertate eidem consentiat.* Vigesima-sexta: *Si Deus per gratiam suam efficacem verè & activè propriè, hoc est, verâ & reali actione ita præmoveret voluntatem humanam, ut eam inclinaret & applicaret ad actus pietatis liberos, tolleret ejus libertatem.* Vigesima-septima: *Deus suâ gratiâ præveniente, quantumvis efficaci, non sic interiùs vocat, ut propriè efficiat hominem consentire, sed ab ipso expectat consensum.* Vigesima-octava: *Auxilium, quo Deus efficienter influendo, ad actus salutares producendos, liberum hominis arbitrium adjuvat, non est influxus in ipsum arbitrium, ut in causam, sed simul cum arbitrio in ipsos actus.* Trigesima-prima: *Ad conciliandam libertatem humanæ voluntatis, in actibus ad salutem pertinentibus, cum certitudine divinæ præscientiæ, providentiæ & prædestinationis in Deo, ante omnem liberum actum suæ divinæ voluntatis, ponenda est scientia, ab aliquibus media appellata, quâ certò & infallibiliter cognoverit, in quam partem cujusque hominis arbitrium pro sua libertate se es-*

S. Prosper epist. ad Aug.
S. Aug. de prædest. SS. c. 10.
Cœlest. I. epist. ad Epis. Gall.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

set flexurum, ex hypothesi quòd illud in hoc vel illo ordine rerum, circumstantiarum & auxiliorum collocare vellet. Trigesima-secunda : *Cum libertate humani arbitrii non potest consistere, quòd Deus antecedenter ad scientiam de consensu hominis futuro, prædefiniat absolutè, ut is divinæ vocationi seu excitationi consentiat.* Trigesima-tertia : *Certitudo, quâ Deus infallibiliter præscit, hominem prævenienti suæ gratiæ consensurum & cooperaturum, non innititur decreto absoluto, quo ipse prædefiniat quòd consentiat & cooperetur; sed in usu auxiliorum gratiæ pro innata libertate hominis futuro.* Trigesima-quinta : *Prædestinationis divinæ certitudo non est ex virtute beneficiorum, quibus, prout veniunt à Deo, certissimè liberantur, sed ex præscientia Dei conditionata de usu eorumdem beneficiorum futuro, pro innata utentium libertate.* Omnes hasce propositiones S. Congregatio erroneas censuit, ut videre licet inter propositiones erroneas, à Patribus Secretariis digestas, & à reliquis Consultoribus ultimò recognitas, atque à S. Pontifice approbatas, in Append. Hist. Congreg. de Auxil. pag. 236. & seqq.

346 Superest ut assertionem nostram, hisce declarationibus manifestè traditam, seu istarum potiùs declarationum veritatem ex Scripturis, Conciliis, & Patribus comprobemus; quibus utique docemur, quòd gratia nos applicat ad actus bonos, nos agere facit, per eamque Deus nostro dominatur arbitrio, illudque determinat. Si enim gratia ex se ista facit, sive Deus per gratiam, manifestum est gratiam ex se esse efficacem. Recolendum itaque propheticum Oraculum ex Hieremia n. 332. exhibitum, secundùm quod gratia nos applicat ad actus bonos, quibus ad Deum accedimus, nec est qui ad eos applicet cor suum, nisi applicatus à Deo. Atqui gratia nos applicans ad actus bonos, est gratia efficax. Si ergo nos non applicamus ad actus bonos per nosipsos, sed ad eos applicamur per gratiam efficacem, profectò non est voluntas nostra, quæ gratiam applicat seu determinat ad actus bonos, sed gratia efficax quæ applicat voluntatem. Efficacia proinde gratiæ à Deo est, non à voluntate nostra.

347 Recolendum 2°. quod Dominus ait Joan. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Cur enim Christus non dicit *duxerit*, sed *traxerit*, nisi *ut illic non intelligamus aliquo modo præcessisse voluntatem? Quis enim trahitur, si jam volebat* (ait Augustinus l. 1. ad Bonifac. c. 19.) *& tamen nemo venit nisi velit. Trahitur ergo miris modis ut velit, ab illo qui novit intus in ipsis hominum cordibus operari, non ut homines nolentes credant, sed ut volentes ex nolentibus fiant.* Vi ergo atque efficaciâ gratiæ, non liberi arbitrii, fit ista tractio, quâ fit ut homo ad volendum & operandum quodammodò compellatur, eo utique sensu, quo Luc. 14. dicitur, *Compelle eos intrare.* Quo etiam Ecclesia canit, *Ad te nostras rebelles compelle propitius voluntates.*

3°. Sanctus Augustinus assertionem no- 348
stram probat ex Apostolo Rom. 9. dicente : *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei.* Quod non esset verum, si gratia, quæ facit benè velle, & benè currere, efficaciam non haberet ex se, ut venit à Deo, sed ex libero voluntatis arbitrio. Sic enim tam volentis & currentis esset, quòd benè velit & currat, quàm militis quòd benè pugnet, dum à seipso benè pugnandi efficaciam habet, non à Duce. Unde Augustinus Enchirid. 32. *Quomodò non volentis, nec currentis, sed miserentis est Dei, nisi quia & ipsa voluntas, sicut scriptum est, à Domino præparatur? Deus est enim qui facit nos velle & operari, non voluntas hominis quæ facit gratiam operari : cùm scriptum sit, Deus qui operatur in nobis velle & perficere. Alioquin si propterea dictum est : non volentis, nec currentis, sed miserentis est Dei; quia ex utroque fit, id est, ex voluntate hominis, & misericordia Dei,* eò quòd utique *non sufficit sola voluntas hominis, si non sit etiam misericordia Dei. Non ergo sufficit & sola misericordia Dei, si non sit etiam voluntas hominis. Ac per hoc si rectè dictum est : non volentis hominis, sed miserentis est Dei, quia id voluntas hominis sola non implet; cur non & è contrario rectè dicitur : non miserentis est Dei, sed volentis est hominis, quia id misericordia Dei sola non implet? Porrò si nullus dicere Christianus audebit : non miserentis est Dei, sed volentis est hominis, ne Apostolo apertissimè contradicat; restat ut propterea rectè dictum intelligatur : non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, ut totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam & præparat adjuvandam, & adjuvat præparatam.* Efficacia ergo gratiæ totaliter ipsi est à Deo, sive ab omnipotentia ipsius, & nullo modo à voluntate hominis. Quomodò enim totum Deo datur in gratiæ efficacia, si gratiæ Deus non det efficaciam, sed voluntas hominis per suam determinationem? Victoria certè tota non tribuitur Duci, sed militibus, si à militibus pugna reddatur efficax ad victoriam, non à Duce. Jungenda sunt Augustini verba l. 2. qq. ad Simplicianum q. 2. ibi namque omnes Moliniştarum ad eum Apostoli locum cavillationes præcludit, dicens : *Illa verba si diligenter attendas* : " Igitur non est volentis, ne- "
que currentis, &c. " *non hoc propterea tantùm Apostolus dixisse videbitur, quòd adjutorio Dei ad id quod volumus præveniamur* (uti Moliniştæ putant) *sed etiam illâ intentione, quâ & alio loco dicit* : " Cum timore & tremore "
salutem vestram operamini; Deus est enim, "
&c. " *Ubi satis ostendit, etiam ipsam bonam voluntatem in nobis operante Deo fieri. Nam si propterea solùm dictum est* : " Non volentis, "
neque currentis, &c. " *quia voluntas hominis sola non sufficit, ut justè & rectè vivamus, nisi adjuvemur misericordiâ Dei; potest & hoc*

modò dici : igitur non miserentis est Dei, sed volentis est hominis, quia misericordia Dei sola non sufficit, nisi consensus nostræ voluntatis addatur. At illud manifestum est frustrà nos velle, nisi Deus misereatur. Illud autem nescio quomodò dicatur, frustrà Deum misereri, nisi nos velimus. Si enim Deus miseretur, etiam volumus. Ad eamdem quippe misericordiam pertinet ut velimus. Deus enim est qui operatur in nobis & velle, & operari.... Non potest effectus misericordiæ Dei esse in hominis potestate, ut frustrà ille misereatur, si homo velit.

349 Quartò, idem S. Augustinus ad idem probandum utitur istis aliis ejusdem Apostoli verbis 1. Cor. 4. (quibus l. de prædestinat. Sanct. c. 3. fatetur se ereptum ab errore, in quo paulò post Baptismum suum fuit.) *Quis te discernit? Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Istis verbis Apostolus significat, gratiam esse, quæ nos in hoc statu naturæ lapsæ discernit, non liberum arbitrium nostrum; gratiæque, non libero arbitrio, bonum opus tribuendum. Sed liberum arbitrium, non gratia, nos discerneret, ipsique bonum opus tribuendum foret, si liberum arbitrium gratiam, non gratia liberum arbitrium ad opus bonum determinaret. Hoc enim dato fieri posset, quòd è duobus æquali omninò gratiâ exteriùs interiùsque præventis, alter crederet, alter non crederet; alter ageret, alter non ageret; alter perseveraret, alter non perseveraret : quia scilicet alter per liberum arbitrium se & gratiam ad credendum, agendum, perseverandum determinaret, alter non determinaret. Sed tunc credens, agens, perseverans, à non credente, non agente, non perseverante seipsum discerneret, fidesque, actio & perseverantia libero arbitrio ipsius tribueretur, non gratiæ; neque enim credens, agens, perseverans, majorem, sed æqualem omninò exteriùs interiùsque gratiam accepisset quam alter, totumque discrimen ex eo proveniret, quòd se & gratiam suam ad bonum usum determinasset, determinandoque gratiam suam efficacem fecisset, non alter. Nec inconveniens istud vitari potest, nisi dicendo quòd nihil in bono opere faciat homo, quod per gratiam ex se efficacem, Deus in homine non faciat, ut faciat homo, quòdque proinde homo non faciat ut gratia efficax sit, se & gratiam ad bonum usum determinando; sed Deus per gratiæ suæ efficaciam faciat, ut homo se ad bonum gratiæ usum determinet, idque efficaciter velit & operetur.

350 Manifestum id facit sententia S. Augustini de bono usu gratiæ in statu naturæ integræ. Quia namque gratia istius statûs secundùm ipsum ex se efficax non erat, sed proximè sufficiens dumtaxat (uti fatentur Molinæ sequaces) bonum illius usum Augustinus l. de corrept. & grat. c. 11. & l. de dono persev. c. 7. libero tribuit arbitrio : ita ut dum ex duobus Angelis, eâdem gratiâ proximè sufficiente donatis, unus in bono stetit, alter non stetit; unus per liberum arbitrium stetisse, alter non stetisse ab Augustino dicatur; seque proinde ab altero per liberum arbitrium discrevisse. Cùm ergo id dici nequeat in statu naturæ lapsæ, consequens est gratiam, in hoc statu necessariam ad benè operandum, non esse ex se sufficientem dumtaxat, verùm ex se efficacem. Nunquam enim Augustinus de hominibus in statu naturæ lapsæ dicit, quod citato c. 11. de Angelis dicit : *Angeli sancti, cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt.* Nunquam dicit eos qui perseverant, per liberum arbitrium perseverare, quasi in eorum perseverantia demonstretur, quid liberum valeat arbitrium : imò dicit quòd in ea demonstretur, quid valeat gratiæ beneficium. Non sic verò de Angelis loquitur; imò dicit, quòd in Angelis *monstratum sit, quid liberum arbitrium valeat.* Quod de ipsis non diceret, si per gratiam seipsâ efficacem perseverassent. Unde hac in re discrimen hoc cap. 10. statuit dicens, *Deum.... sic ordinasse Angelorum & hominum vitam, ut in ea prius ostenderet, quid posset eorum liberum arbitrium; deinde quid posset gratiæ suæ beneficium.* Ad primum verò ostendendum, dicit, quòd *Angeli quidam.... per liberum arbitrium à Domino Deo refugæ facti sunt.... cæteri autem per ipsum liberum arbitrium in veritate steterunt.* Ad secundum ostendendum cap. 11. *Hæc prima est* (inquit) *gratia, quæ data est primo Adam; sed hac potentior est in secundo Adam. Prima est enim, quâ fit ut habeat homo justitiam si velit : secunda ergo plus potest, quâ etiam fit ut velit... Nec illa quidem parva erat, quâ demonstrata est etiam potentia liberi arbitrii.... hæc autem tanto major est, ut parum sit homini.... non posse sine illa vel apprehendere bonum, vel permanere in bono si velit, nisi etiam efficiatur ut velit.* Denique ista de causa merita primi hominis Augustinus l. de prædest. Sanct. c. 15. vocat humana merita, dicens : *Humana hîc merita conticescant, quæ perierunt per Adam;* merita verò secundi hominis non sic (ea namque per Adam periisse dicit) sed merita gratiæ vocat.

Quintò, ad probandam gratiæ ex seipsa 351
efficaciam, S. Augustinus allegat celebrem illum locum Apostoli ad Philipp. 2. *Cum metu & tremore vestram salutem operamini : Deus est enim qui operatur velle, & perficere, pro bona voluntate.* Ubi reflectendum ad rationem propter quam cum metu & tremore operandam dicit salutem : *Deus est enim qui operatur velle, & perficere, pro bona voluntate,* id est, pro beneplacito suo. Quasi dicat : ideò vos hortor, ut cum metu & tremore salutem vestram operemini, quia cùm velle & perficere vos non operemini per liberum arbitrium vestrum, sed Deus per gratiam suam, vobis timendum, & valdè timendum est, ne per peccata & negligentias vestras obstaculum ponatis divinæ gratiæ, per quod causa sitis, cur

illa in vobis bona Deus operari desinat, juxta illud Psalm. 2. *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore, nequando irascatur Dominus, & pereatis de via justa.* Ideò verba illa Apostoli in proprio & obvio sensu, S. Augustinus, S. Thomas, aliique Patres, Græci & Latini, semper intellexerunt, teste Estio ad citatum Apostoli locum. Non proinde in sensu Molinistico. Quæ enim tanta causa timendi & tremendi, si Deus omnibus, & semper, quando indigent, & secundùm quod indigent, gratiam proximè sufficientem largiatur, saltem ad orandum, quâ mediante, in ipsorum potestate sit obtinere proximè sufficientem ad operandum, & perseverandum; salus proinde hoc pacto sit in manica ipsorum? Eo certè dato, adeò timendæ non sunt negligentiæ & peccata, utpote quibus non obstantibus, semper Deus gratiam illam dabit per quam operabuntur salutem suam, quandocumque ipsis placuerit eam ad usum applicare, seu determinare. Quod si verum est, quomodò vera sunt verba Apostoli? Quomodò econtrà verum non est dicere, liberum arbitrium est, quod operatur in vobis & velle, & perficere, pro innata sua libertate? Ut enim gratia præ libero arbitrio, in nobis operetur & velle, & perficere, gratia ex se esse non potest æquè indifferens, quàm liberum arbitrium; aliàs relinqueret liberum arbitrium æquè potens componere cum gratia non velle & operari, quàm velle & operari. Quomodò ergo gratia præ libero arbitrio operaretur in nobis velle & perficere? Quomodò item verum, quod Dominus per Ezechielem c. 11. v. 19. filiis novi Testamenti promisit: *Dabo eis cor unum, & spiritum novum.... & auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum?* Neque enim gratia dat *cor unum, spiritum novum, cor carneum*, si ex se intrinsecè indifferens est ad dandum & non dandum; & si penes arbitrium est cum gratia illa componere cor non unum, spiritum non novum, cor non carneum? Denique per eundem cap. 36. filiis novi Testamenti Dominus promisit gratiam, quæ faceret nos benè operari; *Faciam ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea custodiatis & operemini.* Gratia verò quæ hoc facit, est gratia determinans liberum arbitrium, non ab ipso determinata.

§. VI.

Eadem gratiæ per se efficacis necessitas probatur ex Conciliis, Ecclesiæque precibus.

352 NIhil quippe frequentius in Conciliis, præsertim in Arausicano II. legitur, quàm quòd Deus, ut à peccato purgemur, voluntatem nostram non expectet, sed per Spiritûs sancti infusionem & operationem, hoc in nobis efficiat. Non sic autem efficeret, sed voluntatem nostram expectaret, si gratia ipsius sic intrinsecè foret indifferens, ut penes arbitrium nostrum foret, cum ea vel consensum componere, vel dissensum. Neque enim bonam voluntatem, quâ à peccato purgamur, in nobis efficit per gratiam, cum qua arbitrium æquè componere potest non facere, quàm facere. Et ideò idem Concilium can. 15. mutationem peccatoris ab iniquitate ad justitiam, docet sic fieri per gratiam Dei, ut ista mutatio sit *mutatio dexteræ Excelsi.* Docet igitur fieri per gratiam, cujus efficacia non proveniat à determinatione arbitrii, sed à dextera, seu omnipotenti manu Dei excelsi.

Eamdem necessitatem Augustinus probat ex 353
precibus Ecclesiæ, utpote quæ vim maximam habent ad hoc, ut ex ipsis cognoscatur, quid de gratia nos oporteat credere. Nam, ut Cœlestinus Papa dicit in epist. ad Episc. Gall. *Legem credendi lex statuit supplicandi. Itaque obsecrationum sacerdotalium Sacramenta respiciamus, quæ ab Apostolis tradita, in toto mundo, atque in omni Catholica Ecclesia uniformiter celebrantur.... Cùm præsules, mandatâ sibi legatione fungentes, apud divinam clementiam humani generis agunt causam, totâ secum Ecclesiâ congemiscente, postulant & precantur*, ut infidelibus donetur fides; ut idololatræ à suis liberentur erroribus; ut gratiæ suæ munere ab omnibus sibi gradibus fideliter serviatur; ut Ecclesia stabili fide in confessione sui nominis perseveret; ut augeat fidem & intellectum Catechumenis; ut auferat velamen de cordibus Judæorum. Hæc omnia postulant in die Parasceves. Sabbatho verò ante Domin. Passionis, in Secreta, rogant ut Deus *ad se nostras, etiam rebelles, compellat voluntates.* Non igitur Ecclesia credit semper ad ista haberi gratiam dantem posse completum (uti Molinistæ volunt, in tantum, ut sine ista potentia negent adesse libertatem) quia ut Augustinus in opere imperfecto ait: *Si ita esset in potestate, quomodò fuit ante peccatum, priusquàm esset natura humana vitiata, non utique poscereturorando, sed agendo potiùs teneretur.* Nam *quid stultius* (ait l. de nat. & grat. c. 18.) *quàm orare ut facias, quod in potestate habeas?* Accedit, quòd Ecclesia petat à Deo actum bonum, & non solùm possibilitatem ipsius. Non ergo petit gratiam ex se indifferentem ad positionem actûs vel non actûs; sed gratiam ex se dantem actum; ex se proinde efficacem. Argumentum istud adeò convincens visum est Augustino, ut initio capitis 7. de dono persev. dicat: *Si alia documenta non essent.... hæc oratio nobis ad causam gratiæ, quam defendimus, sola sufficeret: quia nihil nobis reliquit, in quo tamquam in nostro gloriemur.*

Unde & simili argumento Molinæ Defen- 354
sores impugnavit Thomas de Lemos in Congregatione de Auxiliis die 10. Januarii 1606. coram Paulo V. dicens: *Deum oramus ut rebelles voluntates ad se compellat: non ergo tantùm oramus, ut voluntates congruis tantùm excitationibus vocet; utpote quæ vim non habent compellendi voluntates rebelles.*

Cùmque dicerent Molinistæ, Deum mo- 355

vere interiùs, eo tempore, iisque circumstantiis, quibus scit hominem consensurum, & hoc esse majus gratiæ beneficium, quàm si vocaret alio tempore, quo scit hominem non consensurum; & hoc majus beneficium à Deo Ecclesiam postulare. Istud effugium Lemosius ibidem validè præclusit, hisce verbis: *Hoc majus beneficium, qualecumque illud sit, non est illud beneficium gratiæ, quo Deus verè homines convertit; quod tamen petit Ecclesia in orationibus suis. Quia tunc præsciret Deus hominem, non ex efficacia gratiæ, sed ex seipso consensurum, & ex illa naturali sua dispositione suprà impugnata; redderetque sibi vocationem congruam & efficacem, & seipsum efficaciter converteret. Unde nec Ecclesia verè postularet, quòd Deus homines converteret; sed quòd daret illud auxilium, cum quo præsciret homines ex se convertendos esse. Imò hoc majus beneficium, quod dicunt, numquam fuit negatum à Pelagianis; nec enim aliquando ipsi negarunt, majus esse beneficium gratiæ præmovere hominem interiùs, proponendo objectum eo tempore, quo præscitur homo consensurus, quàm alio tempore, quo præscitur non consensurus; sed hoc expressè dixerunt Cassianus & Faustus, ultimi illius temporis Pelagiani: & tamen S. Augustinus in l. de dono perseverantiæ c. 8. ipsis resistit, ut manifestaret illos per hoc quod vocabant majus beneficium gratiæ, non admittere illud beneficium, quod Ecclesia petit in orationibus suis, &c.*

§. VII.

Probatur quoque ex S. Augustino, & aliis Patribus.

356 PRimò namque, secundùm Augustinum, gratia habet suam efficaciam ab omnipotentia Dei, & à dominio, quod summa divina Majestas habet in voluntates hominum, sicut in cætera omnia quæ sub cælo sunt, uti sapienter observavit Clemens VIII. in summatio paragraphi 5. Scripti suprà laudati. Enimverò, ut Augustinus ait de corrept. & grat. c. 20. *Scriptura divina si diligenter inspiciatur, ostendit.... bonas hominum voluntates, quas ipse facit ex malis.... ita esse in Dei potestate, ut eas quò voluerit, quando voluerit, faciat inclinari.* Efficaciam ergo gratiæ evidenter reducit ad omnipotentiam Dei, facientis, in quibus vult circumstantiis, bonas voluntates ex malis.

357 Secundò, ibidem c. 5. Augustinus dicit *Deum... quem vult, etiam nullo hominum corripiente, corrigere, & ad dolorem salubrem pœnitentiæ occultissimâ & potentissimâ medicinæ suæ potestate reducere.* Apertis ergo verbis gratiæ medicinalis efficaciam reducit ad omnipotentem istius gratiæ vim & potestatem.

358 Tertiò, ibidem cap. 14. dicit, quòd dum homines in viam justitiæ veniunt, vel redeunt, Deus *per gratiam suam operatur in cordibus eorum salutem.... cui volenti salvum facere, nullum hominis resistit arbitrium. Sic enim velle & nolle in volentis & nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem.* Expressa igitur est Augustini sententia, quòd gratia, ad convertendum corda hominum, efficaciam habeat ex Dei omnipotentia; utpote ad quam solam recurrit, cùm de gratiæ hujus statûs loquitur efficacia, nusquam ad liberum hominis arbitrium.

Quartò, ibidem c. 12. dicit, quòd justis 359
in hoc corruptæ naturæ statu, Deus *non solùm dat adjutorium, quale dedit primo homini, sine quò non possint perseverare, si velint; sed in eis etiam operatur & velle, ut.... perseverandi eis possibilitas & voluntas divinæ gratiæ largitate donetur. Tantùm quippe Spiritu sanctò accenditur voluntas eorum, ut ideò possint, quia sic volunt; ideò sic velint, quia Deus operatur ut velint. Nam si in tantâ infirmitate vitæ hujus.... ipsis sub adjutorio Dei, sine quo perseverare non possent, relinqueretur voluntas sua, ut in adjutorio Dei, sine quo perseverare non possent, manerent* si vellent (uti relicta fuit in statu naturæ integræ) *nec Deus in eis* (per gratiæ suæ virtutem) *operaretur ut vellent, inter tot & tantas tentationes infirmitate suâ voluntas ipsa succumberet.... subventum est igitur infirmitati humanæ, ut divinâ gratiâ indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur. Et ideò.... voluntas hominis invalida..... in bono..... perseveraret per virtutem Dei.* Divinâ ergo gratiâ indeclinabiliter & insuperabiliter non agitur, per virtutem vel consensum liberi arbitrii, sed *per virtutem Dei.*

Unde rursus c. 14. de iis loquens, qui con- 360
stituerunt David Regem: *Dominus* (inquit) *omnipotens adduxit istos, ut eum Regem constituerent. Et quomodò adduxit? intùs egit, corda tenuit, corda movit, eòsque voluntatibus eorum, quas ipse in illis operatus est, traxit. Si ergo, cùm voluerit Reges in terra Deus constituere, magis habet in potestate voluntates hominum, quàm ipsi suas; quis alius facit ut salubris sit correptio, & fiat in correpti corde correctio, ut cælesti constituatur in regno?* Et hoc ergo *omnipotens* facit, per eam potestatem, quâ magis habet in potestate dominioque suo voluntates hominum, quàm ipsi suas.

Quintò, l. de grat. & lib. arb. c. 14. *Si* 361
fides non datur à Deo, propter quid ergo pro eis qui nolunt credere oramus ut credant? Quod profectò faceremus inaniter, nisi certissimè crederemus, etiam perversas & fidei contrarias voluntates OMNIPOTENTEM DEUM *ad credendum posse convertere.* Oramus ergo Deum, ut id faciat per omnipotentiam gratiæ suæ.

Sextò, l. 1. ad Bonif. c. 2. *Cor Regis....* 362
occultissimâ & efficacissimâ potestate convertit Deus, & transtulit ab indignatione ad lenitatem.

Septimò, l. de grat. & lib. arb. c. 21. *Agit* 363
omnipotens Deus in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum. Et rursus ibidem: *Quomodò virtus Dei alios juvat in bello, dando eis fiduciam, alios immisso timore vertit in fu-*

gam ; nisi quia ille , qui in cælo & terra omnia quæcumque voluit fecit , etiam in cordibus hominum quod vult operatur ? Cur ita ? *quia Deus dominatur & voluntatibus hominum* (ait c. 20.) *& quos vult in formidinem convertit , &c.*

364 Octavò, epist. 107. docet quòd Deus propter potentissimam gratiæ suæ efficaciam non expectet voluntates hominum , ut eas de nolentibus volentes faciat : *Quomodò Deus expectat voluntates hominum , cum gratias ei..... agamus de iis , quibus , ei non credentibus , & ejus doctrinam impiâ voluntate persequentibus , misericordiam prærogavit , eosque ad seipsum* OMNIPOTENTISSIMA FACILITATE *convertit , ac volentes ex nolentibus fecit..... ut quid tantò magis eum magnificamus , quantò magis nolebant credere..... si gratiâ divinâ voluntas in melius non mutatur humana* , sed humani arbitrii consensu , ad quem voluntas hominis non determinetur à gratia , sed à seipsa ?

365 Nonò, bona , quæ per gratiam efficacem in nobis fiunt, fiunt *comitante , non ducente ; pedissequâ , non prævià voluntate* , ait Augustinus epist. 106. Ergo gratia non redditur efficax per consensum seu determinationem voluntatis nostræ. Aliàs prior esset consensus determinatioque voluntatis nostræ , quàm gratiæ efficacia ; adeòque gratia , quatenùs efficax , istius consensûs pedissequa esset , non prævia.

366 Decimò , Augustinus ubique contra Pelagianos contestatur , voluntatis consensum efficaci Dei gratiâ præveniri , uti partim vidimus n. 261. partim videre est l. 4. ad Bonifac. c. 6. ubi dicit , oportere ut hæretici confiteantur , *etiam ipsum bonum propositum , quod consequens adjuvat gratia , non esse potuisse in homine , si non præcederet. Quomodò enim est hominis bonum propositum sine miserente* priùs *Domino* , per gratiam efficacem ? sequitur enim : *Cum ipsa sit bona voluntas quæ præparatur à Domino. Reluctanti enim* (addit ibidem) *priùs adjuvatur divinæ vocationis ipsâ Dei gratiâ* (efficaci) *procuratur ; ac deinde in illo , jam non reluctante , Spiritus veritatis accenditur.* Quippe *in omnibus quæ quisque agit propter Deum , misericordia ejus* per gratiam efficacem *prævenit eum : quoniam* (ut ait l. de dono persever. c. 6.) *prævenit voluntatem* , seu consensum determinationemque ipsius. *Misericordia* (inquam) *ejus* per gratiam efficacem *prævenit eam* , non per Molinisticè sufficientem tantùm ; utpote per quam bona voluntas non præparatur , sive non datur à Domino. Sic autem , juxta Augustinum , voluntas præparatur à Domino , ut non solùm det volendi & agendi possibilitatem , sed ipsam etiam bonam voluntatem & actionem. Et ideò gratiam in hoc statu naturæ lapsæ ubique vocat adjutorium quo ipsa actio donatur ; & infallibiliter donatur , prout constat ex dictis n. 359. Gratia verò solùm Molinisticè sufficiens non est adjutorium quo ipsa actio infallibiliter donatur. Quia cum adjutorio , quo ipsa actio infallibiliter donatur , non componitur non actio. Cum gratia verò solùm Molinisticè sufficiente ad agendum componitur non actio , secundùm Molinistas. Sæpissimè enim non convertitur (secundùm ipsos) qui gratiam habet complerè sufficientem ad suam conversionem. Imò sæpissimè fit , ut è duobus æquali entitativè conversionis gratiâ præventis , unus convertatur , alter non convertatur ; sæpissimè etiam fit , ut è duobus inæquali gratiâ sufficiente præventis , ille convertatur , qui minori gratiâ præventus est ; ille verò non convertatur , qui præventus est majori. Quia scilicet illi placet , isti non placet gratiam suam efficacem reddere , ad agendumque determinare. Quod si verum est , quomodò conversio donatur à Domino ? Et *cur* conversio *poscitur à Deo , si non datur à Deo* (inquit Augustinus ibidem cap. 2.) *an & ista irrisoria petitio est , cùm id à Deo petitur , quod scitur ipsum non dare , sed , ipso etiam non donante , esse in hominis potestate* ? Per solam itaque gratiam ex se , ut venit à Deo , efficacem , conversio datur à Deo , non per solam gratiam Molinisticè sufficientem , per quam sola datur conversionis possibilitas , non conversio ipsa. Est enim adjutorium sine quo conversio non fit , non quo fit : sicut adjutorium navis , luminis , alimentorum , est adjutorium sine quo navigare , videre , vivere non possumus ; non quo fit ut navigemus , videamus , vivamus. Cur ? quia non facit ut eo utamur , vel uti velimus , sed ut uti possimus. Et ideò qui dedit alteri navim , lumen , alimenta , non ideò dici potest ipsi dedisse navigationem , visionem , vitam , etiamsi navim iis dedisset in circumstantiis , quibus prævidisset ipsum navi usurum ad navigandum ; imò nec id dici posset , etiamsi supponeretur præter navim ipsi dedisse cætera necessaria ad posse navigare. In casu etiam quo ista omnia duobus dedisset hominibus , quorum unum navi usurum , alterum non usurum prævidisset , non ideò censeretur uni potiùs quam alteri navigationem dedisse , vel plus uni dedisse quàm alteri. Nec unus præ altero gratias ipsi agere deberet de bono illo usu , sed ipsi dicere posset , gratias ago de data navigandi potestate , non de data navigatione , quæ ex determinatione mea secuta fuit , non ex potestate à te data. Sic ergo Deo peccator gratias agere deberet de data conversionis possibilitate , non de data conversione ; utpote non secuta ex data sibi à Deo ad eam potestate , sed ex sua determinatione , quâ seipsum , & datam sibi gratiam sufficientem ad agendum determinasset. Determinando proinde plus sibi dedisset , quàm à Deo accepisset , ut Augustinus arguit in Psal. 58. quia plus est conversio ipsa , quàm possibilitas illius.

Denique eamdem de gratia per se efficaci 367
doctrinam duplici ratione probavit Augustinus. Prima est , quòd à nobis , non à Deo , vitam sanctam , & gloriam expectaremus :

quia à nobis, non à Deo expectare debemus bonum gratiæ usum; utpote ad quem gratia nos non determinaret, sed ipsi nosipsos, & gratiam determinaremus. Et quamvis ad eum Deus per gratiam suam deberet concurrere, sicut concurrere debet ad actus naturales, v. g. ad ambulationem, per concursum naturalem; equidem sicut à nobis, sive à determinatione nostra, concursûs illius naturalis (nobis à Deo præparati) usum expectamus; ideòque nobis ambulatio tribuitur, non obstante quòd ad eam sine parato illo concursu sufficientes non simus: sic à nobis, sive à determinatione nostra, bonum gratiæ illius, Molinisticè sufficientis, usum expectaremus, non obstante quòd ad eum sine parata illa gratia sufficientes non essemus; ideòque bonus ille usus nobis tribueretur.

Altera ratio est, quòd si Deus non det gratiam seipsâ efficacem, sed sufficientem dumtaxat (quæ solùm dat possibilitatem, non actum) & à nobis, non à Deo, esse debeat determinatio ad actum, nobis tribueretur principium boni operis. Sic enim Augustinus arguit l. 2. de peccat. meritis & remiss. *Si nobis libera quædam voluntas ex Deo est, quæ adhuc potest esse vel bona, vel mala; bona verò voluntas ex nobis est: melius est id quod à nobis, quàm quod ab illo est. Quod si absurdissimè dicitur, oportet fateamur, etiam bonam voluntatem nos divinitus adipisci.* Eam igitur à nobis sive à determinatione nostra expectare nos non oportet, sed à solo Deo; *in quo solo* proinde *gloriandum, quando nostrum nihil sit*, uti etiam Concilia docent, & SS. Patres, nominatim S. Cyprianus, ex ipsoque frequenter id repetit Augustinus.

368 Ista proinde de gratia per seipsam efficaci doctrina, Augustini certissimè doctrina est; eamque post S. Augustinum secuti sunt uno consensu Patres omnes, nominatim S. Prosper Carm. de ingrat. c. 14. ubi docet, *virtute Dei conversa esse malorum corda, quibus recti nihil unquam insederat. ... vincente obstantes animos pietate; quòdque gratia sola mutat intùs mentem atque reformat. ... virtute creandi.* Ubi dum (post Apostolum Ephes. 2. aientem: *Ipsius enim factura sumus, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus*) dum (inquam) post Apostolum dicit, *virtute creandi*, perspicuè insinuat, quòd gratiæ virtus efficaciam suam ex se habeat, ut venit à Deo, independenter à libero arbitrio, nihilque ex parte liberi arbitrii expectet, vel præsupponat, ad hoc ut efficax sit, sive in nobis efficiat bonas voluntates, bonasque operationes. *Creatio* namque nihil præsupponit in creato, nihilque ex parte ipsius expectat, sed per ipsam Deus ex nihilo facit, quod per ipsam creat. Unde Hugo Cardinalis in illud Psal. 50. *Cor mundum crea in me Deus: Crea* (inquit) *quasi ex nihilo.* Hoc enim propriè & ad litteram significat creatio. Cùm igitur Deus per gratiæ suæ virtutem efficaciamque, creet nos in operibus bonis, efficacia ista nihil præsupponit ex parte nostra, neque expectat consensum nostrum, sed quasi ex nihilo facit. Et ideò gratia à Prospero cap. 19. rursum vocatur *operum creatrix*, virtute utique suâ, quâ sibi quas vult voluntates subdit, prout ipse, vel Julianus Pomerius dicit l. 1. vocat. Gent. c. 25.

Ista est Augustini doctrina, quam probarunt triginta Summi Pontifices, Innocentius I. Zosimus, Bonifacius, Cœlestinus I. Sixtus III. Leo Magnus, Gelasius, Symmacus, Hormisdas, Felix IV. Bonifacius II. Joannes II. Gregorius Magnus, Joannes IV. Adrianus I. Nicolaus I. Innocentius III. Innocentius IV. Innocentius V. Pius II. Martinus V. Sixtus IV. Sixtus V. Pius IV. Pius V. Clemens VIII. Paulus V. Innocentius X. Alexander VII. Innocentius XI. Innocentius XII. 369

Ista est doctrina, quam ante Augustinum Paulus tradidit Apostolus, tradiderunt & Cyprianus, Ambrosius, Nazianzenus, Basilius (quorum testimonia videri possunt in lib. cui titulus: *Ecclesiæ Romanæ traditio de prædest. Sanctor. deque gratia efficaci*) quæque proinde *Catholicorum Patrum Apostolicis Institutionibus tradita permanet in Ecclesiis* (inquit B. Fulgentius l. 2. de verit. prædest. c. 18.) *quam Græci Latinique Pontifices, sancti Spiritûs infusione firmati, uno atque indissolubili semper tenuere consensu*; ut proinde meritò Hieronymus, epist. ad Augustinum, ipsum *antiquæ fidei Conditorem* appellet. 370

Ista denique est doctrina, quâ fatum induci, liberumque arbitrium everti, Augustino, aliisque Catholicis disputatoribus, Augustini doctrinam propugnantibus, Pelagiani, & post ipsos Semipelagiani calumniati sunt, atque etiamnum Molinistæ calumniantur. Quod profectò nec Pelagianis nec Semipelagianis unquam venisset in mentem, si Augustinus aliam gratiam efficacem non tradidisset, quàm Molina; si (inquam) gratiam non tradidisset per se efficacem, cujus cum libero arbitrio conciliationem l. de grat. Christ. c. 47. fassus est humano ingenio non parum difficilem (quod Molinistæ nunquam fassi sunt de gratia sua) per eam tamen fatum, seu necessitatem, libertatis inimicam, non induci, idem sanctus Doctor ostendit l. 1. ad Bonifacium c. 10. l. 2. c. 5. l. 4. c. 9. & frequenter alibi. 371

Et propterea Augustini de gratiæ per se efficacis necessitate doctrinam, cum Prospero suprà laudato, secuti sunt S. Fulgentius, Ferrandus Diaconus, Primasius, Venantius, Fortunatus, Magnus Cassiodorus, Isidorus Hispalensis, Beda, Alcuinus, Paschasius Radbertus, Aymo, Amolo Archiepiscopus Lugdunensis, Remigius Lugdunensis & ipse Archiepiscopus, Magnus Florus, Prudentius, Lupus Ferrerius, Ratramus, Lupus Servatus, Anselmus, Bernardus, Gilbertus Abbas, Aëlredus, Petrus Cellensis, Hugo & Richardus à S. Victore, S. Thomas, S. Bonaventura, S. Vin- 372

S. Vincentius Ferrerius, Dionysius Carthusianus, Joannes Gerson, Thomas à Kempis, Cardinalis Bellullus, Cardinalis Baronius, Cardinalis Bellarminus, Cardinalis Perronius, &c. uti videre est in traditione Ecclesiæ suprà memorata to. 1. p. 3. Secuta pariter fuit Congregatio de Auxiliis, contrariam opinionem erroneam censens, prout ostendimus n. 270. licèt ab ea censura nos abstineamus. Atque etiamnum sequuntur celebriores Academiæ, Parisiensis, Lovanienſis, Salmanticensis, Vallisoletana, Duacensis, &c. Denique longè communiorem esse solemniorum Doctorum, Religiosorumque Ordinum sententiam, Hennebellus, Doctor Lovanienſis, demonstrat in Thesibus suis Historico-Theologicis, præsertim secundâ, tertiâ, quartâ, quintâ, sextâ, & septimâ.

§. VIII.

Molinistarum argumenta levioris armaturæ esse ostenduntur.

373 OBjiciunt ipsi 1°. Tridentinum sess. 6. can. 4. ubi definit liberum arbitrium, à Deo motum & excitatum, Deo moventi & excitanti dissentire posse.

Respondeo in sententia Augustini id esse verissimum; tametsi enim dissensus componi nequeat cum gratia per se efficaci, dissentiendi potentia cum ea componi potest.

374 Objiciunt 2°. Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ aliquando resistitur, secundùm Innocentii X. Constitutionem.

Respondeo Innocentium X. id non definiisse de gratia simpliciter & absolutè efficaci; sed de gratia excitante & inefficaci, cui verissimum est sæpè resisti.

375 Objiciunt 3°. Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ, requiritur libertas à necessitate; quam inducit gratia per se efficax, si componi nequeat cum dissensu.

Respondeo, quamvis gratia per se efficax componi nequeat cum dissensu (utpote voluntatem infallibiliter determinans ad non dissentiendum) quia tamen componitur cum potentia dissentiendi, non inducit necessitatem. Vide quæ dixi to. 1. de Deo distinct. 8. q. 5. a. 7. distinct. 9. q. 3. a. 3. distinct. 10. a. 1. & distinct. 11. q. 2. a. 7. n. 252. & seqq. Vide etiam quæ dixi suprà l. 2. c. 10.

376 Objiciunt 4°. Consentire divinæ vocationi, vel ei dissentire, propriæ voluntatis est, inquit Augustinus.

Respondeo, id propriæ voluntatis sic esse, ut ad consentiendum divinæ vocationi necessaria sit gratia per se efficax, uti demonstrant allata Scripturæ, Conciliorum, & Augustini testimonia.

376 Objiciunt 5°. Si voluntas componere nequeat dissensum cum gratia efficaci, tollitur libertas, vanæ & inutiles sunt exhortationes & correptiones, nec laude & præmio digni qui consentiunt.

Respondeo, ista Augustino objecta fuisse ab Adrumetinis & Massilienſibus, solutaque ab ipso in l. de corrept. & grat. &c. Quod argumento est Augustini doctrinam eam esse pro qua contendimus; Molinisticam verò eamdem esse quæ Massilienſium fuit.

Objiciunt 6°. Explicari non potest, in quo 378
consistat intrinseca gratiæ efficacia.

Respondeo, ab exacta istius difficultatis enodatione consultò nos abstinere ex prona ac religiosa obedientia, debita Constitutionibus Summorum Pontificum, ea de re scribere vetantium. Ex dictis tamen laudato tomo 1. utcumque intelligi posse, gratiam efficacem esse misericordiam, quâ Deus cælestem in nobis operatur suavitatem, bonamque voluntatem, tam fortem ac plenam, ut terrenam quamcumque delectationem, concupiscentiamque hîc & nunc contrariam vincat, ac superet, taliterque vincat, ut quamvis bona illa voluntas suavitasque, secundùm se præcisè considerata, per fortiores in contrarium delectationes concupiscentiasque (quas homo in fundo naturæ suæ corruptæ excitare potest) superari possit, atque supprimi; superari tamen hîc & nunc non possit, potentiâ consequente, sive conjunctâ cum effectu, considerata quatenùs subsistat speciali gubernationi protectionique Dei, innatæ concupiscentiæ fomitem comprimentis, diaboli laqueos dissipantis, nec ipsi permittentis tantùm tentare, ut superet; peccati etiam occasiones, mundique & carnis illecebras avertentis, causasque omnes, quæ cælestem suavitatem illam supprimere, debilitareve possent, sic moderantis, ut ex iis nulla sit quæ eam supprimat, vel debilitet, nulla quæ talem in homine delectationem terrenam excitet, quam cælestis suavitas illa non superet. Videri potest Augustinus Serm. 99. c. 6. aliàs Homil. 23. ex 50. ubi de speciali illa protectione Dei pulchrè disserit. Nec pigebit videre D. Nicole in Instructione sua Theologica secunda super Symbol. p. 2. sect. 5. cap. 9. ubi & ipse rem hanc pulchrè explicat.

Illa porrò Dei protectio, utpote externa, 379
nullam internam infert necessitatem. Tametsi enim cælestis suavitas, sub illa, magis delectet, & (ut Augustinus dicit) id *quod magis delectat, illud sequamur necesse* sit, quamdiù scilicet magis delectat: homo ex se efficere in se potest, ut, in fundo naturæ suæ corruptæ, aliquid cælesti suavitati contrarium exurgat, quod magis delectet: quandoquidem specialis protectio Dei, gubernatioque, de qua antè, intrinsecam arbitrii potestatem non auferat, nec naturæ corruptionem; sed solùm provideat, ne in actum talem prorumpat, quem suavitas cælestis non superet.

CAPUT XVII.

Doctrina de gratia per se efficaci, quam cum Sanctis propugnamus, ducit ad virtutes; Mo-

liniſtica verò de gratia purè ſufficienti ab iis abducit.

380 EX dicendis hoc capite cordatus Lector apertè videbit, in hac Sanctorum de moribus Theologia prætermitti non potuiſſe doctrinam de gratia: neque enim purè ſpeculativa eſt, prout aliquibus videtur; imò cognitio veræ de gratia doctrinæ neceſſaria eſt ad morum directionem: quia magnum in ea momentum ſitum eſt ad mores Chriſtianos. Quapropter completa de moribus doctrina tradi non poteſt, omninò prætermittendo doctrinam de gratia. Si enim vera de gratia doctrina ducit ad virtutes, ducit ad mores: ſi à virtutibus abducat doctrina de ea falſa, à moribus Chriſtiano dignis abducit, ut per ſe eſt manifeſtum. Summi proinde momenti eſt noſſe veram de gratia doctrinam. Porrò veram eſſe de gratia doctrinam, quæ ad virtutes, adeòque & ad mores Chriſtianos ducit; falſam econtrà, quæ ab iis abducit, Chriſtianus Theologus dubitare non poteſt: quia Chriſtiana veritas à virtutibus abducere non poteſt. Si ergo doctrina de gratia per ſe efficaci ad virtutes ducit; ab iis verò abducat oppoſita Moliniſtarum doctrina; huic illa certiſſimè præferenda eſt tanquam unicè vera. Porrò quòd aſſerta de gratia per ſe efficaci doctrina ducat ad virtutes; oppoſita verò ab iis abducat, poſt Vianæum, Huygenium, Hennebellum, alioſque Theologos Lovanienſes, clarè, breviter ac ſolidè demonſtrat eruditiſſimus Author Inſtitutionum Theologicarum ad Tirones, Inſtitutione 2. cap. 3. Cujus verbis uti non erubeſcam: quia clarioribus ac ſolidioribus expreſſionibus id demonſtrare non poſſum. Majoris verò claritatis gratiâ præſens caput in plures §. §. dividemus, per ſingulaſque virtutes diſcurrendo cum laudato eruditiſſimo Scriptore intentum demonſtrabimus.

§. I.

Doctrina de gratia per ſe efficaci ducit ad humilitatem; Moliniſtica verò de gratia ſufficienti ab ea abducit.

381 „ HUmilitas (ait laudatus Author) ex S. Bernardo ſic definitur: *Virtus, quâ homo ex* „ *veriſſima ſui cognitione ſibiipſi vileſcit.* Veriſſi- „ ma autem ſui cognitio ſic deſcribi poteſt ex „ Apoſtolo: Cognitio, quâ quis exiſtimat ſe ex „ ſeipſo nihil eſſe, nihil poſſe, nihil mereri; & „ ſi ſit, ſi poſſit, ſi mereatur aliquid, id totum „ accepiſſe à Deo. Nam hæc quatuor ad veram „ ſui cognitionem variis locis Apoſtolus requi- „ rit.

„ Primum quidem, dum Galat. 6. ait: *Siquis* „ *exiſtimat ſe eſſe aliquid, cum nihil ſit, ipſe ſe* „ *ſeducit.*

„ Secundum verò 2. Cor. 3. his verbis: *Non quòd* „ *ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi* „ *ex nobis; ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.*

„ Tertium Epheſ. 2. his: *Gratiâ enim eſtis ſal-* „ *vati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim* „ *donum eſt: non ex operibus, ut ne quis glorie-* „ *tur. Ipſius enim ſumus factura, creati in Chri-* „ *ſto Jeſu in operibus bonis, quæ præparavit Deus* „ *ut in illis ambulemus.* „

Quartum denique 1. Cor. 4. his: *Quis enim* „ *te diſcernit? Quid autem habes, quod non ac-* „ *cepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi* „ *non acceperis?* Porrò quatuor hæc conſequuntur ex doctrina de gratia per ſe efficaci. Si „ enim juxta doctrinam illam debeat gratia per „ ſe efficax omnem motum, voluntatem & actio- „ nem, quibus ad ſalutem tendimus, operari „ in nobis; ſequitur profectò, nos ex nobiſip- „ ſis in negotio ſalutis eſſe nihil, poſſe nihil, „ mereri nihil, habere nihil quod non accepe- „ rimus. „

Nam ſi in negotio ſalutis noſtræ ex nobiſ- „ ipſis eſſemus, poſſemus, mereremur, aut ha- „ beremus aliquid; jam verum non eſſet, quòd „ omnem motum, voluntatem & actionem, qui- „ bus ad ſalutem tendimus, operari in nobis de- „ beat gratia per ſe efficax: neque enim opera- „ retur id, quod ex nobiſipſis, in negotio ſalu- „ tis, eſſemus, poſſemus, mereremur, aut ha- „ beremus. Atque hinc ulteriùs ſequitur, neque „ poſſe nos ex nobiſipſis æternam damnationem „ evadere; neque mereri ex nobiſipſis gratiam, „ quâ Deus nos ab illa eripiat: adeòque ſemper „ nobis in æternæ damnationis reatu manen- „ dum, niſi Deus infirmis & indignis per ſuam „ omnipotentiam & miſericordiam ſuccurrat. „

Hæc ſui cognitio, quæ in intellectu eſt, „ ducit ad humilitatem in affectu, quâ homo „ ſibiipſi vileſcit. Quomodò enim non ſibiipſi vi- „ leſcat, qui ſeipſum non aliter cognoſcit, quàm „ ut hominem, qui ex ſeipſo ad ſalutem nihil „ ſit, nihil poſſit, nihil mereatur, nihil habeat? „ atque inſuper ex ſeipſo dignus ſit damnatione „ æternâ, omni autem gratiâ indignus? Quo- „ modò non dicat cum Propheta Thren. 3. *Ego* „ *vir videns paupertatem meam?* Et cum Apo- „ ſtolo 1. Cor. 12. *Nihil ſum.* Ac rurſus Epheſ. „ 2. *Eramus naturâ filii iræ, ſicut & cæteri?* „

At contrà, doctrina de gratia Moliniſticè „ ſufficienti ducit ad ſuperbiam. Superbia enim „ humilitati, de qua jam egimus, oppoſita deſ- „ cribi poteſt: *Vitium, quo quis ex falſa ſui co-* „ *gnitione ſeipſum eſtimat.* Falſa autem ſui co- „ gnitio, veræ ſui cognitioni oppoſita, eſt quâ „ quis exiſtimat ſe, ex libero ſuo arbitrio, eſſe, „ poſſe, mereri, aut habere aliquid. Hanc verò „ ſui cognitionem, adeòque & ſuperbiam, in- „ generat doctrina de gratia Moliniſticè ſuffi- „ cienti. Siquidem ſi gratia, in hoc ſtatu natu- „ ræ lapſæ, ſit tantùm Moliniſticè ſufficiens; „ totum negotium ſalutis non tam adſcribendum „ erit gratiæ, quàm libero arbitrio. Id quod ma- „ nifeſtè patet in duobus, qui ſupponuntur æ- „ quali omninò gratiâ interiùs exteriùſque à Deo „ præventi; ſed quorum alter per liberum arbi- „ trium, ab initio ſalutis uſque ad finem, gra- „ tiam ad agendum determinat; alter verò non „ determinat. Cùm enim, eo poſito, gratia ex „

parte

„ parte Dei in utroque omninò æqualis sit, ne-
„ cesse est, siquod inter eos discrimen intercedat, id ex libero arbitrio contingere. Sic si
„ uterque æqualem omninò à Deo gratiam habeat, Molinisticè sufficientem ad credendum,
„ ad Deum diligendum, ad perseverandum; & tamen alter credat, Deum diligat, & perse-
„ veret; alter verò non credat, non diligat, non perseveret: poterit is qui credit, diligit, & perseverat, verè dicere, ideò se credere, dili-
„ gere, & perseverare præ altero, quia præ altero gratiam per liberum suum arbitrium ad
„ credendum, ad diligendum, & perseverandum determinavit. Proinde & de seipso sen-
„ tire, non tantùm quòd in negotio salutis suæ ex seipso sit, possit, mereatur & habeat aliquid; sed etiam quòd totum salutis suæ negotium, hoc est initium, progressus & finis, præcipuè à seipso sit: utpote qui à Deo non acceperit nisi credendi, diligendi, & perseverandi possibilitatem; à seipso verò ipsum credere, diligere, & perseverare. Hoc autem de seipso sentire, superbire est, & non in Domino, sed in seipso gloriari.

§. II.

Doctrina de gratia per se efficaci ducit ad spem; de gratia verò Molinisticè sufficienti, potiùs ad desperationem.

382 „ DUas simul virtutes frequentissimè nobis commendant sacræ Litteræ, spem & timorem: quarum altera si ab altera separetur; „ aut nimiâ pusillanimitate nos dejici, ac desperare; aut nimiâ præsumptione nos efferri ne-
„ cesse est. Dejici quidem, ac desperare, si solus sit timor absque spe: præsumptione autem
„ efferri, si sola sit spes absque timore.

„ Spem in nobis excitat divinæ omnipotentiæ ac misericordiæ, per Christi merita nobis im-
„ pertiendæ consideratio. Utriusque autem considerationem, adeòque & spem, excitat doctrina de gratia per se efficaci.

„ Ac imprimis considerationem excitat divinæ omnipotentiæ: quia omnipotenti Dei volun-
„ tati adscribit, quòd gratia in nobis operetur velle, & perficere: omnipotenti autem Dei voluntati nihil resistit. Proinde quantumvis magna sit nostra ad bonum impotentia, quantumvis magna voluntatis nostræ propensio ad malum, quantumvis gratiæ reluctetur pondus concupiscentiæ: scimus his omnibus potentiorem esse gratiam, & Deum omnipotentem, qui *fecit omnia quæcumque voluit in cælo & in terra*, per eam in nobis operaturum, quidquid in nobis operari absolutè & efficaciter voluerit. Hujus gratiæ spe nixus Apostolus, dicebat Philipp. 4. *Omnia possum in eo qui me confortat.* Et Rom. 8. *Certus sum enim, quia neque mors, neque vita.... poterit nos separare à charitate Dei.* Et ante Apostolum Propheta Ps. 26. *Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanæ* (ait Augustinus de cor. & grat. c. 12.) *ut divinâ gratiâ indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur; & ideò, quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adversitate aliquâ vinceretur.*

Ad spem similiter excitat ista doctrina per considerationem divinæ misericordiæ. Nam docet, gratiam per se efficacem dari à Deo, propter Christum, misericorditer; adeòque nostris meritis opus non esse, quibus eam obtinere debeamus; sed dari etiam maximè immerentibus & indignis. Proinde quamvis nulla habeamus merita, quibus gratiâ digni simus; imò multa habeamus demerita, quibus eâ simus indigni: est tamen quòd confidamus, Deum infinitè misericordem, eam nobis propter Christi merita largiturum. Unde Apostolus 1. Tim. 1. exemplo suo omnes ad spem excitans: *Gratias* (inquit) *ago ei qui me confortavit.... qui priùs blasphemus fui, & persecutor, & contumeliosus: sed misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate. Superabundavit autem gratia Domini nostri, cum fide & dilectione, quæ est in Christo Jesu.... Sed ideò misericordiam consecutus sum: ut in me primò ostenderet Christus Jesus omnem patientiam, ad informationem eorum, qui crediturí sunt illi in vitam æternam.* Nam etsi, ut ego, omni prorsus misericordiâ & gratiâ indigni sunt; ex misericordia tamen & gratia, quam ego persecutor, blasphemus, & contumeliosus consecutus sum, poterunt & ipsi spem obtinendi misericordiam & gratiam concipere.

Sed ut doctrina de gratia per se efficaci ad spem; ita de gratia sufficienti Molinisticè ad pusillanimitatem & desperationem inclinat. Si enim à libero arbitrio ad agendum bonum determinanda sit gratia; quis speret se inter tot tantaque obstacula id facturum? Tanta siquidem est virium ad bonum infirmitas, tanta voluntatis propensio ad malum, tantum, quo deprimitur, pondus concupiscentiæ, ut si in alterutram partem determinatio relicta sit libero arbitrio, prorsus desperandum videatur. *Nam si in tanta infirmitate vitæ hujus* (ait Augustinus ubi suprà) *ipsis relinqueretur voluntas sua, ut in adjutorio Dei, sine quo perseverare non possent, manerent si vellent, nec Deus in eis operaretur ut vellent, inter tot & tantas tentationes infirmitate suâ voluntas ipsa succumberet: & ideò perseverare non possent, quia deficientes infirmitate, nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis ut possent.*

§. III.

Doctrina de gratia per se efficaci ad salutarem timorem; de Molinisticè sufficienti, ad præsumptionem inducit.

Sicut spes ex consideratione divinæ omnipotentiæ & misericordiæ; ita timor salutaris ex consideratione humanæ infirmitatis & indignitatis nascitur. Infirmitatis autem & in- 383

» dignitatis noſtræ nos admonet doctrina de gra-
» tia per ſe efficaci ; & admonendo ad timo-
» rem ſalutarem compellit.

» Admonet nos infirmitatis noſtræ : quia do-
» cet adeò in hoc ſtatu naturæ lapſæ infirmum
» eſſe liberum arbitrium, ut ſe ad nullum actum
» ſalutarem determinare valeat, niſi ipſum à gratia
» per ſe efficaci determinetur. Ita ut quantumvis
» magna forent auxilia, tum exteriora, tum inte-
» riora, quæ ad agendum excitarent ; nunquam
» tamen ageret voluntas, niſi accederet auxilium
» per ſe efficax, quo determinaretur ad agendum.
» *Nam*, ut ex Auguſtino jam dictum eſt, *ſi in tanta*
» *infirmitate vitæ hujus, ipſis relinqueretur vo-*
» *luntas ſua.... nec Deus in eis operaretur ut vel-*
» *lent, inter tot & tantas tentationes infirmitate*
» *ſuâ voluntas ipſa ſuccumberet.* Atque hæc pri-
» ma timoris ſalutaris cauſa eſt.

» Admonet etiam nos indignitatis noſtræ : quia
» juxta illam (Philip. 2.) *Deus eſt qui operatur in*
» *nobis velle & perficere* ; non pro noſtris meritis,
» ſed *pro bona voluntate*, id eſt, pro ſuo bene-
» placito : cùm neminem gratia ex ſeipſo dig-
» num inveniat. Atque hæc altera cauſa timo-
» ris, ipſo Apoſtolo ibid. monente : *Cum metu*
» *& tremore ſalutem veſtram operamini.* Cur ?
» *Deus eſt enim, qui operatur in nobis velle &*
» *perficere, pro bona voluntate.*

» At oppoſitam timori præſumptionem gig-
» nere nata eſt ſententia oppoſita. Docet enim
» hæc, gratiam Moliniſticè ſufficientem, ur-
» gente præcepto, adeſſe omnibus, etiam ob-
» duratiſſimis & excæcatiſſimis, quam pro ſolo
» liberi arbitrii nutu determinare poſſint ad a-
» ctum. Unde ſequitur, neque peccatoribus ti-
» mendum eſſe, ne non convertantur, cùm
» ipſis libuerit ; neque juſtis, ne non perſeve-
» rent : cùm illi quidem gratiam, quam habent,
» determinare poſſint ad converſionem ; hi ve-
» rò ad perſeverantiam.

» Neque illis metuendum, ne gratiâ iſtâ in-
» dignos ſe reddant : nam adeò illam Deus de-
» negare non poteſt, ut, ſi deneget, urgente præ-
» cepto, non poſſit ſub peccato ad implendum
» præceptum (ut ipſi putant) obligare : deeſſet
» enim juxta ipſos ad peccandum libertas.

» Nec refert quòd dicant, non adeſſe ſemper
» omnibus gratiam ſufficientem proximè, ſed
» ſæpè tantùm adeſſe ſufficientem remotè. Quia
» quantumvis remotè ſufficiens ſit gratia, quæ
» adeſt ; pendet ſemper juxta ipſos à libero
» arbitrio, per hanc acquirere aliam & aliam
» propinquiùs uſque & uſque ſufficientem, do-
» nec tandem accipiatur ea quæ eſt ſufficiens
» proximè, quamque pro nutu ſuo liberum arbi-
» trium ad præceptum implendum determinabit.

§. IV.

*Doctrina de gratia per ſe efficaci excitat ad oratio-
nem, & gratitudinem ; de Moliniſticè ſufficienti, ad orationis neglectum, & ingra-
titudinem.*

384 » ORatio ex humili ſuæ infirmitatis & indi-
» gnitatis agnitione, ex ſpe, omnipoten-
tiæ & miſericordiæ divinæ innixa, atque ex «
ſalutari timore naſcitur. «

Primò ex humili agnitione ſuæ infirmitatis : «
quia dum quis humiliter agnoſcit ſe ex ſeipſo «
nihil poſſe, atque in peccata ac damnationem «
æternam lapſurum, ſi ſibi relinquatur ; compel- «
litur per orationem confugere ad Deum, ut «
omnipotenti ipſius gratiâ fiat, quod ipſe ſe ex «
ſeipſo facere non poſſe confitetur. «

Hinc illi gemitus Prophetæ Pſ. 3. *Domine,* «
quid multiplicati ſunt qui tribulant me ? Mul- «
ti inſurgunt adverſum me.... Tu autem, Do- «
mine, ſuſceptor meus es. Pſ. 7. *Domine Deus* «
meus, in te ſperavi : ſalvum me fac ex omni- «
bus perſequentibus me, & libera me. Nequan- «
do rapiat ut leo animam meam, dum non eſt «
qui redimat, neque qui ſalvum faciat, &c. Pſ. «
45. *Deus noſter refugium & virtus,* &c. Pſ. «
53. *Deus in nomine tuo ſalvum me fac,* &c. «
Pſ. 63. *Exaudi Deus orationem meam cùm de-* «
precor ; à timore inimici eripe animam meam, «
&c. Pſ. 68. *Salvum me fac Deus, quoniam* «
intraverunt aquæ uſque ad animam meam, &c. «
Hujuſmodi orationibus, quibus ex infirmita- «
tis ſuæ agnitione ad Deum recurrit Propheta, «
pleni ſunt Pſalmi. «

Secundò ex humili agnitione ſuæ indignita- «
tis : quia dum quis humiliter agnoſcit, ſe ex «
ſeipſo omni gratiâ indignum eſſe, ſatis videt «
ſibi non ſupereſſe aliud, quàm ut ad miſeri- «
cordiam Dei per orationem recurrat. Unde «
rurſus tot gemitus Prophetæ, Dei miſericor- «
diam implorantis Pſ. 6. *Salvum me fac prop-* «
ter miſericordiam tuam... Pſ. 24. *Reſpice in me,* «
& miſerere mei, quia iniquus & pauper ſum «
ego. Pſ. 50. *Miſerere mei, Deus, ſecundùm* «
magnam miſericordiam tuam. Hujuſmodi pre- «
ces non aliunde quàm ex indignitatis propriæ «
agnitione naſcuntur. «

Tertiò ex ſpe, divinæ omnipotentiæ & mi- «
ſericordiæ innixa : quia dum confidimus in- «
firmitatem noſtram adjuvandam per Dei om- «
nipotentiam, indignitatem verò per ipſius mi- «
ſericordiam : ex fiducia illa impellimur ad oran- «
dum ; tantòque magis impellimur, quantò «
fiducia illa major eſt. Unde rurſus Propheta «
Pſ. 7. *Domine Deus meus in te ſperavi : ſal-* «
vum me fac ex omnibus perſequentibus me, & «
libera me. Pſ. 30. *In te, Domine, ſperavi,* «
non confundar in æternum, in juſtitia tua libe- «
ra me. Pſ. 37. *Quoniam in te, Domine, ſpe-* «
ravi, tu exaudies me, Domine Deus meus. Ni- «
hil iterùm hiſce orationibus frequentius in «
Pſalmis. «

Quartò ex ſalutari timore : dum enim quis «
infirmitatis & indignitatis ſuæ ſibi conſcius, «
meritò timet, ne ſibi juſto Dei judicio reli- «
ctus pereat ; non poteſt non per orationem «
ad Deum clamare ut ſalvetur. Hinc iterùm «
Propheta Pſ. 52. *Cor meum conturbatum eſt* «
in me, & formido mortis cecidit ſuper me. Ti- «
mor & tremor venerunt ſuper me, & contexe- «
runt me tenebræ. Et dixi : Quis dabit mihi pen- «
nas.... Expectabam eum qui ſalvum me fecit, «

„ &c. Ps. 63. *A timore inimici eripe animam* „ *meam*, &c. Ps. 114. *Circumdederunt me do-* „ *lores mortis, & pericula inferni invenerunt me.* „ *Tribulationem & dolorem inveni, & nomen Do-* „ *mini invocavi.*

„ Ex his satis intelligitur, quatuor veluti ora- „ tionis fontes esse, humilem infirmitatis & in- „ dignitatis suæ agnitionem, spem Deo omni- „ potente & misericorde nixam, & salutarem „ timorem: quæ cùm ultrò velut fluant ex doctri- „ na de gratia per se efficaci; hanc etiam velut ora- „ tionis fontem esse consequitur.

„ Ad neglectum potiùs orationis inducit do- „ ctrina de gratia Molinisticè sufficienti. Hæc „ enim cùm non tam jubeat hominem infirmi- „ tatem suam & indignitatem agnoscere, in Deo „ spem & fiduciam collocare, & sibi à seipso ti- „ mere, quàm ei potiùs persuadeat contraria om- „ nia: sequitur, non tam orationem, quàm oratio- „ nis neglectum ex illa oriri. Quid enim oret „ pro acquirenda gratia, qui jam credit adesse „ sibi gratiam sufficientem, quam dum volue- „ rit, pro nutu arbitrii sui determinabit ad actum; „ & reddet efficacem? Quid oret, ne in futu- „ rum sibi gratia negetur, aut propter indigni- „ tatem ac demerita sua subtrahatur, qui cre- „ dit nunquam eam sic negari aut subtrahi pos- „ se, quin semper ei relinqui debeat aliqua sal- „ tem remotè sufficiens, quâ si pro nutu arbi- „ trii sui uti voluerit, acquiret sufficientem pro- „ximè; quâ rursus, si volet, præcepta Dei „ implebit, perseverabit, salvabitur? Quid oret, „ ut Deus per omnipotentem gratiam suam ope- „ retur in ipso voluntatem, actionem, perse- „ verantiam, salutem, qui credit à Deo non da- „ ri nisi voluntatis, actionis, perseverantiæ, sa- „ lutis possibilitatem; ipsum autem velle, age- „ re, perseverare, salvari, à libero arbitrio?

„ Cæterùm ut ad orationem, ita etiam ad gra- „ titudinem ducit doctrina de gratia per se effi- „ caci. Gratia enim per se efficax nulli debetur; „ sed quibus datur, datur misericorditer; qui- „ bus negatur, justè negatur. Proinde qui il- „ lam accipit, debet pro indebito sibi dono ac „ gratia gratus esse, idque eò magis, quòd vi- „ deat tot aliis, quibuscum sibi causa commu- „ nis est, eandem gratiam negari. *Gratis* (in- „ quit Augustinus de don. pers. c. 8.) *ab eo* „ *datur gratia, & justo ejus in aliis judicio de-* „ *monstratur, quid in eis, quibus datur, confe-* „ *rat gratia. Non itaque simus ingrati, quòd in* „ *laudem gloriæ gratiæ suæ tam multos liberat mi-* „ *sericors Deus de tam debita perditione, ut si* „ *inde neminem liberaret, non esset injustus.*

„ Sed ut ad orationis neglectum, ita etiam „ ad ingratitudinem ducit doctrina de gratia suf- „ ficienti Molinisticè. Neque enim sive pro ipsa „ gratia, sive pro gratiæ effectu, gratitudo ma- „ gnopere exhibenda est.

„ Non pro gratia: quia hæc debetur, si velit „ Deus hominem ad implendum præceptum, „ quod sine gratia impleri non potest, obliga- „ re: cùm alioquin ad illud implendum liber „ non esset.

Non pro gratiæ effectu: quia hîc non gra- « tiæ, sed libero arbitrio gratiam ad effectum « determinanti, potissimùm adscribendus est. «

§. V.

Doctrina de gratia per se efficaci accendit charitatem erga Deum; eam verò frigidiorem reddit doctrina de gratia Molinisticè sufficienti.

CHaritatem erga Deum in nobis accendunt 385
hæ considerationes: Quòd dilexerit nos « ab æterno: quòd priùs: quòd tunc cùm ad- « huc peccatores & inimici ejus essemus; adeò- « que non dilectione ipsius, sed odio æterno « digni: quòd nos dilexerit præ aliis. Hæc au- « tem omnia singulari modo ob oculos ponit « doctrina de gratia per se efficaci. Nam 1°. « ideò Deus nobis in tempore dat gratiam per « se efficacem, quia ab æterno dilexit nos, & « ex dilectione ista gratiam in tempore dare de- « crevit. Unde Apostolus Ephes. 1. *Benedictus* « *Deus, & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui* « *benedixit nos.... sicut elegit nos in ipso ante mun-* « *di constitutionem, ut essemus sancti & immacu-* « *lati in conspectu ejus in charitate.* 2°. Dat no- « bis Deus gratiam per se efficacem in tempore, « non quòd priùs ipsum dilexerimus, sed quòd « prior ipse dilexerit nos: *In hoc* (inquit Joan- « nes 1. Joan. 4.) *est charitas: non quasi nos di-* « *lexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dile-* « *xit nos.* 3°. Dat gratiam istam Deus peccato- « ribus adhuc, & inimicis, adeòque non gra- « tiâ, sed odio æterno dignis. Rom. 5. *Com-* « *mendat autem charitatem suam Deus in nobis,* « *quoniam cùm adhuc peccatores essemus, secun-* « *dùm tempus Christus pro nobis mortuus est.* 4°. « Dat gratiam istam Deus misericorditer nobis « præ aliis, quibus illam justè negat. Nam *cujus* « *vult miseretur, & quem vult indurat.... ut* « *ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericor-* « *diæ, quæ præparavit in gloriam.* Rom. 9. «

Verùm hæc locum non habent in doctrina de « gratia Molinisticè sufficienti. «

Non primum: neque enim ideò dat Deus in « tempore gratiam Molinisticè sufficientem, quia « ab æterno speciatim dilexit eos, quibus illam dat: « cùm det etiam iis quos sic non diligit; sed po- « tiùs ideò dare dicendus est, quòd alioquin libe- « ri non essent ad merendum & demerendum. «

Non secundum: quia qui cum gratia Mo- « linisticè sufficienti benè operantur, non priùs « à Deo dilecti sunt, quàm eos cum gratia ista « benè operaturos præviderit; adeòque non tam « Deus ipsos, quàm ipsi Deum priùs dilexerunt. «

Non tertium: quia non gratia Molinisticè « sufficiens, quam Deus dat; sed liberum arbi- « trium, quod reddit gratiam illam efficacem, « ex peccatoribus & Dei inimicis, justos & Dei « amicos efficit. «

Non quartum: quia Deus ex parte sua gra- « tiam Molinisticè sufficientem dat omnibus. « Quòd verò hic præ illo cum ista gratia ope- « retur, libero arbitrio tribuendum est. «

§. VI.

Doctrina de gratia per se efficaci singularem erga Salvatorem nostrum Jesum Christum pietatem excitat; non item doctrina de gratia Molinisticè sufficienti.

386 Doctrina de gratia per se efficaci habet, quòd homo post lapsum potuisset justo Dei judicio omni gratiâ destitui. Quòd Christus ei gratiam, per mortem & sanguinem suum promeruerit tunc, cùm adhuc peccator esset, Dei inimicus, & gratiâ indignus. Quòd nonnisi propter Christi merita, & per Christum, gratia illi detur. Ex hac doctrina sequitur 1°. quòd singularis esse debeat amor & gratitudo Christianorum erga Jesum Christum: cùm sine ipso omni gratiâ destituendi, & æternùm perituri fuissent. Hâc consideratione ad Jesu Christi amorem frequenter se & fideles excitabat Apostolus, ut dum Gal. 1. ait: *Qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, ut eriperet nos de sæculo nequam.* Ibid. c. 2.... *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Ephes. 2. *Eramus naturâ filii iræ, sicut & cæteri. Deus autem qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, quâ dilexit nos, & cùm essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo, cujus gratiâ estis salvati.* Colos. 1. *In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus.* Apoc. 1. *Qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo.*

2°. Quòd per Jesum Christum remissio peccatorum à Deo petenda sit. Rom. 3. *Omnes enim peccaverunt, & egent gloriâ Dei, justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius.* 1. Joan. 2. *Filioli mei, hæc scribo vobis, ut non peccetis. Sed & siquis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum. Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris.*

3°. Quòd per Jesum Christum petenda sit gratia, & vita æterna. Rom. 5. *Per quem & habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus, & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei.* Hebr. 10. *Habentes itaque, fratres, fiduciam in introitu Sanctorum in sanguine Christi, quam initiavit nobis viam novam & viventem per velamen, id est, carnem suam, & Sacerdotem magnum super domum Dei, accedamus cum vero corde,* &c.

4°. Quòd per Jesum Christum Deo, pro acceptis gratiis, grates semper agendæ sint. Unde Apostolus Ephes. 5. *Gratias agentes semper pro omnibus, in nomine Domini nostri Jesu Christi, Deo & Patri.* Et Colos. 9. *Omne quodcumque facitis, in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi, gratias agentes Deo, & Patri per ipsum.*

At non item hæc sequuntur ex doctrina de gratia sufficiente Molinisticè. Quod enim beneficium tantopere nobis præstitit Jesus Christus, si etiam absque illo homo, in hoc statu naturæ lapsæ, aut habuisset gratiam Molinisticè sufficientem; aut, si non habuisset, peccare ac demereri non potuisset? Proinde quem illi amorem, aut gratitudinem magnopere debet homo lapsus pro gratia ista?

Præterea, si semper adsit gratia Molinisticè sufficiens, urgente saltem præcepto, non est quòd ea per Christum petatur: nisi fortè ut adsit amplior & propinquior.

Postremò, si gratia ad conversionem vel ad perseverantiam sufficiens à libero arbitrio ad ipsam conversionem vel perseverantiam determinetur, seu efficax reddatur, quid tantopere opus est ut vel peccator per Christum petat conversionem, & peccatorum remissionem, vel justus perseverantiam, & vitam æternam?

§. VII.

Doctrina de gratia per se efficaci provocat ad charitatem proximi, aliasque virtutes; non item doctrina de gratia Molinisticè sufficienti.

387 Ex doctrina de gratia per se efficaci maximè, ut jam dictum est, elucet Dei & Christi charitas erga nos. Ex ea enim discimus, quòd Deus ab æterno ex gratuita erga nos dilectione, & ex mera misericordia, absque ullis nostris meritis prævisis, gratiam per se efficacem dare nobis propter Christum decreverit, & in tempore Filium suum unigenitum miserit in mundum, qui per mortem & sanguinem suum eam nobis gratiam mereretur. *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores essemus, secundùm tempus pro nobis Christus mortuus est.* Rom. 5.

Jam verò si sic Deus & Jesus Christus dilexit nos; debemus & nos proximum diligere, atque ex dilectione illi impendere quidquid in nobis est, quo ad salutem æternam promoveatur. *Estote ergo imitatores Dei sicut filii charissimi* (ait Apostolus Ephes. 5.) *& ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis...* Et Joannes Apostolus 1. Joan. 4. *In hoc est charitas: non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, & misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris. Charissimi, si sic Deus dilexit nos: & nos debemus alterutrum diligere.*

Ex eadem doctrina patet misericordia Dei & Jesu Christi erga nos. Quia gratia per se efficax datur miseris & indignis, adeòque misericorditer. Patet mansuetudo, bonitas, benignitas: quia datur iram Dei, & odium æternum merentibus, &c. Debemus ergo & nos hasce virtutes erga proximum exercere.

Singulariter verò ad virtutes illas exercendum doctrina de gratia per se efficaci excitabit, si consideremus, non nobis, sed gratiæ illi adscribendum, quòd proximo nostro meliores, aut minùs peccatores simus: non magis nobis, quàm illi, gratiam deberi; quin & illi dari eam potuisse, & nobis negari. Sic

„ enim intelligemus, non esse quòd illi irascamur, aut malè velimus: cùm nos illo pejores ac miserabiliores essemus, nisi nos præ illo Dei gratia præveniret. Unde Apostolus Gal. 6. *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne & tu tenteris.* Ubi ex suiipsius consideratione mansuetudinem erga proximum excitandam monet.

„ Sed non similiter charitas erga proximum, „ aliæve circa ipsum virtutes discuntur ex doctrina de gratia Molinisticè sufficienti. Neque „ enim in ea sic commendatur charitas, misericordia, bonitas Dei & Jesu Christi erga nos, „ sicut in doctrina de gratia per se efficaci; adeòque nec sic ad charitatem, misericordiam, bonitatem erga proximum invitat. Præterea, si „ gratiam Molinisticè sufficientem ex parte Dei „ habeant omnes, & in libero arbitrio positum „ sit, eam ad actum determinare, atque efficacem reddere; nullâ sanè commiseratione, „ nullâ mansuetudine, nullâ bonitate dignus est; „ sed cum indignatione, cum ira, cum duritie increpandus ac repellendus, qui gratiam „ non determinavit, nec efficacem reddidit: „ utpote qui ex parte Dei habuerit necessaria omnia ad agendum, & tamen agere noluerit; „ ubi plures alii, qui majorem à Deo gratiam „ non acceperant, egerunt.

§. VIII.

Doctrina de gratia per se efficaci ducit ad fugam peccati & pœnitentiam; de gratia sufficienti Molinisticè non item.

388 „ QUi docent gratiam in hoc statu naturæ „ lapsæ per se efficacem esse, simul dicunt „ eam sæpè propter peccata negari. Hinc sequitur sollicitè cavendum esse, ne peccatum aliquod committatur, aut, siquod commissum „ fuerit, mox curandum ut per pœnitentiam „ deleatur. Enimverò quis scit, an fortè propter peccatum, quod jam antè commissum est, „ & per pœnitentiam non deletur, Deus in posterum negaturus non sit gratiam per se efficacem, ad pœnitentiam agendum necessariam? Quod si incertum sit; debet profectò „ qui saluti suæ consulere vult, peccatum, & „ peccati occasiones studiosè vitare; peccata „ autem commissa ampliùs ac ampliùs per pœnitentiam delere.

„ At qui docent gratiam, in hoc statu naturæ lapsæ, esse Molinisticè sufficientem, unà dicunt, eam omnibus, urgente saltem præcepto, „ adesse. Ex quo sequitur, timendum non esse ne „ desit, dum urgebit præceptum agendi pœnitentiam: adeòque, ob istum saltem timorem, nec à peccato, quod jam committere „ lubet, abstinendum esse; nec peccata, quæ „ jam commissa sunt, per pœnitentiam expianda. Omni quippe tempore, dum lubebit (urgente præcepto) pœnitentiam agere, gratia „ Molinisticè sufficiens ex parte Dei aderit, quam pro nutu suo ipse ad actum determinabit. “

§. IX.

Doctrina de gratia per se efficaci omnes excitat ad officium suum sedulò obeundum; ad torporem verò inclinat doctrina de gratia Molinisticè sufficiente.

JUxta doctrinam de gratia per se efficaci, 389
Deus est qui operatur in nobis velle, & perficere; ac per consequens, nullum est officium, quantumvis arduum, & vires nostras excedens, quod confidere non possimus ritè nos obituros, si ad illud Deus vocaverit.

Nullum est inter officia omnia tam arduum, tamque excellens, quàm officium Ministrorum ac Pastorum Ecclesiæ, qui verbo, exemplo, & orationis ac bonæ vitæ merito debeant se & alios salvare. Sed & hoc munus magnis animis obeundum, dum cogitatur, Deum esse, qui omnipotenti suâ gratiâ, & verbum, & exemplum, & orationem, & bonam vitam, & salutem nostram, & alienam operatur. *Nolite cogitare, quomodò aut quid loquamini* (ait Christus Matth. 10.) *dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis, qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Et Joan. 15. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos ut eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat.* Petrus verò ad omnes fideles 1. Petr. 4. *Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei. Siquis loquitur, quasi sermones Dei. Siquis ministrat, tanquam ex virtute quam administrat Deus*, &c.

Dixi, si ad istud Deus vocaverit. Nam si ad officium aliquod non vocaverit Deus, sed seipsum quis ingesserit; quamtumvis illud facile sit, & dotes illius qui se ingessit, non videatur excedere: quomodò tamen (nisi correcto fortè vocationis vitio) confidat se ritè illud obiturum, qui, ingerendo se, meruerit destitui gratiâ, sine qua ritè illud obire non possit? At siquis, nonnisi Deo vocante, munus aliquod susceperit, cogitare is potest, quod 1. ad Thessalonicenses 5. scribit Apostolus: *Fidelis est qui vocavit vos, qui etiam faciet.*

Verùm quibus animis officium suum obire poterunt, qui sequuntur doctrinam de gratia Molinisticè sufficienti? Si enim infirmitatis & corruptionis suæ benè sibi conscii sint, nunc motus superbiæ, nunc avaritiæ, nunc alterius concupiscentiæ in officio suo obeundo experientur. Si verò credant ad eos superandum dari sibi tantùm gratiam sufficientem Molinisticè, quam ipsi debeant per vires liberi arbitrii ad actum determinare; quo animo se rem, naturæ corruptæ tam arduam, ritè facturos esse confidant? Rursus, si cogitent se ad officii sui munia implenda non habere gra-

„ tiam, nisi Molinisticè sufficientem, quæ tantùm dat posse implere ; ipsum verò implere „ petendum esse à libero arbitrio : quomodò „ non desperent se, ut par est, ea impleturos? „ Præcipuè si expendant, quàm arduum sit homini corruptò explere vel sola officia homi„ nis Christiani, in Evangelio præscripta : *Diligere Deum ex toto corde. Diligere proximum „ sicut seipsum. Renuntiare omnibus quæ possidemus. Amare Christum plusquàm patrem & matrem. Tollere crucem suam, & Christum sequi. „ Esse pauperem spiritu, humilem, mitem, semper orare, & nunquam deficere,* &c. Quæ si„ quis cum sola gratia Molinisticè sufficienti impleturum se magnopere confidat, eum necesse „ est aut suæ sibi infirmitatis conscium non esse, „ aut de arbitrii sui viribus superbè præsidentem.

„ Plura possent ex utraque doctrina consecta„ ria deduci ; sed ex his non difficile erit cætera colligere. „ Hactenùs vir ille doctissimus.

CAPUT XVIII.

Quemadmodùm varii sunt gradus charitatis, seu divinæ dilectionis ; ita & gratiæ : cùm gratia, utpote cælestis suavitas, vel sit ipsa divina dilectio, seu inspiratio illius (uti frequenter Augustinus dicit) vel certè non sit sine illa.

391 PRimus gradus, secundùm aliquos, est velle indeliberatum, seu quasi motus primò primus dilectionis Dei. Ad reprimendos quippe indeliberatos concupiscentiæ motus, qui ex naturæ corruptione in nobis exurgunt, gratia increata, secundùm ipsos, cælestes delectationes indeliberatas inspirat, & in nobis, sine nobis liberè cooperantibus operatur. Meliùs diceretur, primum gratiæ gradum esse cogitationem bonam, quam divina misericordia in nobis excitat in ordine ad bonum velle, de quo in secundo gradu. Vide quæ dixi cap. 3. num. 12.

392 Secundus gradus est, velle deliberatum quidem, sed imperfectum, & non ad eam plenitudinem productum, ut homo plenè, fortiter, perfectè, atque efficaciter velit ; sed inefficaciter & imperfectè, ita ut velleïtas potiùs sit, quàm voluntas absoluta, & simpliciter dicta. Unde nec per eam cordis durities emollitur, nec cor convertitur, quia nondum ad id idonea, juxta illud Augustini l. 8. Confess. c. 15. *Voluntas nova, quæ mihi esse cœperat, ut te gratis colerem.... nondum erat idonea ad superandam priorem vetustate roboratam.*

393 Et hujusmodi est gratia interior, cui sæpè resistitur. Quia ejusmodi voluntas bona, cælitùs inspirata, fortiori in contrarium concupiscentiâ superatur. In hoc gradu diù mansit Augustinus : quia nova voluntas, cælitùs inspirata, debuit paulatim magis & magis perfici, ut fieret idonea ad superandam priorem vetustate roboratam.

394 Tertius gradus est, velle eò usque perfectum & plenum, ut eo quis absolutè, efficaciter & ex toto velit. Cujusmodi gratiâ solâ peccatoris durities penitùs emollitur, & cor ipsius ex toto convertitur.

Quartus gradus est, velle perseveranter per- 395
fectum, quo scilicet quis in accepta gratia, bonaque voluntate, usque in finem perseverat, sic saltem ut à justitia finaliter non excidat.

Et ista est gratia solis electis propria, quæ 396
à Tridentino sess. 6. can. 16. vocatur *magnum perseverantiæ donum*, quod quidem aliunde haberi non potest, nisi ab eo, qui (ut cum Apostolo Rom. 14. idem Tridentinum ait ibidem cap. 13.) *potens est eum qui stat statuere, ut perseveranter stet, & eum qui cadit restituere.* Quibuscumque verò donum istud à Deo datur, ex pura misericordia datur ; quibus autem non datur, ex justitia non datur. Ne quidem enim justus ex quibuscumque operibus, illud promereri potest, magis quàm suam prædestinationem ; quam purè gratuitam esse, constans est Apostoli Pauli, Augustini, aliorumque sanctorum Doctorum sententia, to. 1. de Deo distinct. 11. q. 2. a. 6. & 7. à nobis fusè stabilita. Perseverantiæ namque donum est effectus istius gratuitæ prædestinationis ; utpote quæ à S. Augustino definitur : *Præscientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur.*

Quintus gradus est, velle tam perfectum, 397
ut nulli ampliùs mutationi, nec interruptioni, ne quidem per peccatum veniale, vel per distractionem, sit obnoxium. Quæ quidem gratia nulli in hac vita (nisi Christo & beatissimæ Virgini) communicata fuit ; & ideò (ipsis exceptis) propria est beatorum.

CAPUT XIX.

In statu naturæ lapsæ non datur gratia Molinisticè sufficiens, taliter complectens omnia necessaria ad benè velle, & benè operari, ut præter eam ex parte Dei nulla alia gratia ad benè velle, & benè operari necessaria sit.

SIbi imputent Molinæ sequaces, quòd no- 398
vitium ipsorum de gratia systema tot ex capitibus hîc refellamus. Quia nos ipsi compellunt, dum ex ipsis aliqui tam contentiosè gratiam suam Molinisticam obtrudunt, ut assertionem hanc : *Datur in statu naturæ lapsæ gratia purè sufficiens*, dicere audeant *esse de fide.* Ita nominatim Jesuitæ Anglo-Leodienses, uti demonstrat eruditissimus Denuntiator doctrinæ ipsorum, denuntiatione 6. & 8. Quid verò Honoratus Fabri in Apologet. Soc. p. 1. pag. 251. Edit. Lugdun. ? *Gratiâ* (inquit) *verè ac plenè sufficienti nemo caret, dum peccat. Aliquin non peccare non posset. Et hoc de fide est.*

Verùm-enimverò qui novum hunc fidei, 399
non Catholicæ, sed Molinisticæ articulum procudunt, nec solidè illum probant ex verbo Dei scripto, vel tradito, nec illum à Semi-

pela-

pelagianorum doctrina satis discernunt; prout idem Denuntiator demonstrat ibidem. Et reverà iisdem ex verbo Dei scripto & tradito testimoniis, iisdem proinde fidei principiis adversari videtur propositio illa, *Datur in statu naturæ lapsæ, gratia purè sufficiens, Molinisticè intellecta*, quibus adversatur Semipelagianorum doctrina.

400 Siquidem gratia Molinistica, purè sufficiens, secundùm Molinistas, est intrinsecè indifferens ad inferendum liberum voluntatis consensum, vel non inferendum, ita ut penes arbitrium sit, cum ipsa componere consensum, vel dissensum. Neque enim ipsa est, quæ arbitrium determinat ad consensum, sed ab arbitrio determinatur, ipsiusque adeò determinationem expectat, ut consensum inferat, sive ut habeat effectum. Docent etiam, pro arbitrii determinatione fieri posse, ut gratia, quæ effectum habet, illum non habeat, & quæ non habet, illum habeat. Potest enim (inquiunt) quilibet gratiam suam facere efficacem in actu secundo, ipsam ad effectum determinando; fieri etiam potest, ut è duobus, gratiâ entitativè æquali præventis, unus consentiat & convertatur, alter dissentiat & non convertatur; unus tentationi succumbat, alter resistat efficaciter; etiamsi ambo supponantur non solùm æquali prorsus gratiâ, sed & eâdem animi & corporis dispositione instructi, & eâdem pariter tentatione pulsati. Docent denique fieri posse, ut adultus justificatus, gratiam sufficientem habens ad perseverandum, cum ea componat non perseverantiam. Verba ipsorum formalissima exhibet laudatus Denuntiator denuntiat. 6.

401 Verùm doctrina ista adversatur principiis fidei, divinæ utique Scripturæ, & Traditioni, prout evincere videntur testimonia à n. 346. ad n. 373. prolata; adversatur (inquam) illi de gratia doctrinæ, quam Spiritus sanctus, quam Apostolus Paulus, quam Augustinus, quam cum Augustino Summi Pontifices, Concilia, Patres tradunt. Nam, ut benè arguit Denuntiator loco citato, Apostolus Rom. 9. dicit, quòd *non est volentis, neque currentis*, quòd benè velit & currat, *sed miserentis Dei*. At si fieri possit, ut è duobus æquali ut suprà gratiâ præventis, unus consentiat, alter dissentiat; unus benè velit & currat, alter non; unus convertatur, alter non convertatur; unus tentationi succumbat, alter resistat; unus perseveret, alter non perseveret: igitur consensus, bona voluntas, bonus cursus, conversio, resistentia, perseverantia, non misericordiæ Dei erit; utpote qui dando homini totum auxilium, quod ex parte sua requiritur ad consensum, bonam voluntatem, bonum cursum, conversionem, resistentiam, perseverantiam, solùm ipsi dat potentiam proximam ad consentiendum, benè volendum, benè currendum, &c. non autem consensum ipsum, &c. Neque enim auxilium istud facit quòd homo consentiat, benè velit, benè currat, &c. nec tollit indifferentiam hominis ad ista, neque ex seipso habet efficaciam, sed illam accipit ab hominis voluntate, seipsam & auxilium illud determinante, ac per hoc, auxilium illud efficax reddente, cùm posset illud inefficax reddere. Quod si verum est, potiùs est volentis & currentis hominis, quòd benè velit & currat, quàm Dei miserentis, seu auxilium illud misericorditer conferentis; utpote qui frustrà seu absque effectu illud confert, nisi per humanæ voluntatis determinationem efficax reddatur. *Illud autem nescio quomodò dicatur* (inquit Augustinus l. 1. ad Simplic. q. 2.).... *Quia non potest effectus misericordiæ Dei esse in hominis potestate, ut frustrà ille misereatur, si homo velit.* Aliàs contradicitur Apostolo dicenti, *non volentis*, &c.

Rursus: *Quis te discernit?* (rogat alibi Apo- 402
stolus) *Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* At rursus, si fieri possit, ut è duobus, æquali (ut antè) gratiâ interiùs exteriùsque præventis, unus consentiat, alter dissentiat; unus convertatur, alter non convertatur; unus tentationi succumbat, alter resistat: quidni is qui consenserit, qui conversus fuerit, qui restiterit, respondeat Apostolo: *Ego discrevi me ab altero, qui æquali entitativè gratiâ præventus, non consensit, non est conversus, non restitit. Cùm enim ex parte Dei haberemus auxilium entitativè æquale, ego pro meo arbitrio, non determinatus ab illo Dei auxilio, sed ipsum, & me ad consensum determinando, reddidi illud absque alio auxilio efficax*; alter verò pro arbitrio suo, quo noluit illud, nec seipsum ad consensum determinate, reddidit illud inefficax: ut meritò mihi gloriari liceat, habere me aliquid, quod non accepi. Habeo scilicet determinationem divini auxilii ad actum, cujus causa determinans non est ipsum divinum auxilium, sed liberum meum arbitrium; quam proinde accepi à libero meo arbitrio (ut causâ determinante) non ab auxilio divino: si enim auxilium istud non determinassem, una mecum mansisset indeterminatum, & sine effectu. Et si mei & ipsius determinationem accepissem ab auxilio divino, accepisset eam pariter alter, qui æquale entitativè auxilium à Deo accepit. Cùm ergo eam ipse non acceperit, profectò manifestum est, nec me illam ab auxilio divino accepisse; cùm nihilo plus auxilii acceperim quàm ipse. Superest itaque ut eam acceperim à libero meo arbitrio, quo auxilium istud, intrinsecè & ex se indifferens, ad actum determinavi, atque efficax reddidi.

Non sic gloriabatur Apostolus, dum 1. Cor. 403
15. gloriabatur se abundantiùs Apostolis omnibus laborasse; sed dicebat: *Gratiâ Dei sum id quod sum, & gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantiùs illis omnibus laboravi; non ego autem, sed gratia Dei mecum.* Dicere debuisset (juxta Molinistas) libero arbitrio

ſum id quod ſum, & liberum arbitrium in me vacuum non fuit, ſed abundantiùs illis omnibus laboravi. Non gratia autem, ſed ego cum gratia. Si enim liberum arbitrium, gratiam ex ſe indifferentem abſque alia gratia reddat efficacem, atque ad actum determinet; non verò gratia ad illum determinet liberum arbitrium: profectò non gratia cauſa fuit quòd Paulus laboraverit; quippe quæ illum ad laborandum non determinavit; ſed Paulus cauſa fuit, quòd gratia cum illo ad laborandum concurretit.

404 Nihil ergo à gratia, quam prædicavit Paulus, remotius, quàm gratia, quam prædicant, & de fide eſſe aſſerunt Moliniſtæ. At quàm à Paulina remota eſt, tam propè accedere videtur ad gratiam, quam olim (adverſus Auguſtinum) defendebant Semipelagiani; quod è variis illius characteribus eluceſcet.

405 Primus Semipelagianorum error fuit, initium ſalutis eſſe à libero arbitrio, ut in epiſtola ad Auguſtinum teſtatur Proſper.... *Cùm duo ſint, quæ humanam operantur ſalutem, Dei ſcilicet gratia, & hominis obedientia, priorem volunt obedientiam eſſe, quàm gratiam, ut initium ſalutis ex eo ſit qui ſalvatur, non ex eo credendum ſit ſtare qui ſalvat.* Atqui hæc ipſiſſima eſſe videtur Moliniſtarum doctrina. Nam ſimiliter duo juxta ipſos ſunt, quæ humanam operantur ſalutem, Dei ſcilicet gratia, & hominis liberum arbitrium. Gratia, juxta eoſdem, ex ſe & intrinſecè indifferens eſt, & penes liberum arbitrium relinquit, cum ipſa conſenſum, vel diſſenſum componere; liberum verò arbitrium gratiam ad agendum determinat. Porrò determinatio iſta initium ſalutis eſt: cùm ante eam nullum ſit ſalutis initium, ſed ab ea eſſe incipiat. Nam ante determinationem illam nullum actum ſalutarem liberum arbitrium cum gratia, juxta ipſos, operatur. Proinde initium ſalutis ex libero arbitrio eſt hominis qui ſalvatur, non ex Deo qui ſalvat. Pone v. g. hominem peccatorem accepiſſe omnes illuſtrationes ex parte intellectûs, & omnes pios motus indeliberatos ex parte voluntatis, adeòque omnem gratiam ſufficientem in illis conſiſtentem, quæ juxta ipſos ad converſionem ex parte Dei neceſſaria eſt. Quæro, an fieri poſſit, juxta eorum doctrinam, ut peccator iſte, omni illâ gratiâ inſtructus, ne minimum quidem habeat liberum ſalutis initium? Fieri poteſt omninò: nam penes arbitrium eſt, cum illuſtrationibus illis & motibus diſſenſum componere. Si ita eſt, jam initium ſalutis non eſt à gratia. Omnis enim gratia ex parte Dei neceſſaria jam habetur, nec tamen habetur adhuc converſionis, nec proinde ſalutis initium. At quando habebitur? Tunc demùm, cùm viſum fuerit libero arbitrio gratiam ad agendum determinare, cum eaque conſenſum componere. Atqui certum eſt determinationem eſſe ex libero arbitrio, tamquam cauſa determinante, non ex gratia. Ergo certum eſt converſionis initium non gratiæ, ſed libero arbitrio adſcribi oportere; tametſi enim ad illud concurrat gratia, determinativè non concurrit, ſed conſecutivè ad arbitrii determinationem.

Et hinc ſubſequi videtur ſecundus Semipe- 406
lagianorum error, quòd voluntas hominis divinæ gratiæ ſibi pariat opem, non gratia ſibi humanam ſubjiciat voluntatem, ut ibidem S. Proſper ait. Cùm voluntas hominis (juxta Molinam) divinæ gratiæ ſibi pariat opem, viribus ſuis naturalibus conando quantùm in ſe eſt; gratiam verò ad agendum determinando, eam ſibi ſubjiciat in ordine ad uſum, ſive effectum. Determinans quippe ſibi ſubjicit determinatum in ordine ad effectum, ſi abſque effectu maneret, abſque ipſius determinatione; uti (ſecundùm Moliniſtas) maneret gratia, niſi à voluntate determinaretur; nec enim ſuiipſius, nec voluntatis eſt determinativa.

Sequi videtur & tertius error ipſorum, quòd 407
Deus, ſeu gratia Dei, noſtram expectet voluntatem, ſeu ipſius determinationem, ut efficax ſit. Neque enim efficax eſt, ſed inefficax manet, (ſecundùm Moliniſtas) niſi à voluntate noſtra ad agendum determinetur. Manifeſtum eſt ergo, voluntatem noſtram, ſeu ipſius determinationem, à Dei gratia ad agendum expectari. Agit enim Dei gratia, ſi voluntati placuerit ipſam determinare; non agit, ſi ei hoc non placuerit.

Sequi videtur & quartus error, quòd gra- 408
tia Dei humanas ſic præveniat voluntates, eas ad actus meritorios excitando, ut illis ſubdatur, actus illos velut comes vel pediſſequa efficiendo: *Gratiam Dei, quam Semipelagiani comitem, non præviam volunt humanorum eſſe meritorum, illis voluntatibus ſubdunt* (inquit Proſper) *quas ab ea non negant eſſe præventas.* Manifeſtum eſt enim, quòd, in ordine ad efficiendum actus meritorios, prævia ſit humana voluntas, quæ gratiam ad eos efficiendos determinat; comes autem, ſeu pediſſequa gratia, quæ determinatur. Nec dubium, quin gratia, in ordine ad operandum, ei cauſæ ſubdatur, quæ facit eam operari; gratia verò ex ſe indifferens, ſicut ad operandum non determinat voluntatem, ſed ab ipſa determinatur; ſic operari non facit voluntatem, ſed voleutas gratiam.

Sequi videtur & quintus error, quòd cum 409
gratia perſeverantiæ ſtet non perſeverare. Quia in eo Moliniſtæ cum Maſſilienſibus conveniunt, quòd ipſa etiam gratia perſeverantiæ ex ſe indifferens ſit, & penes arbitrium relinquat, perſeverantiam, & non perſeverantiam componere. Atque hinc

Conſectarius videtur ſextus error, quòd gra- 410
tia perſeverantiæ talis non ſit quâ perſeverantia ipſa donetur, ſed perſeverandi poſſibilitas dumtaxat. Neque enim perſeverantia ipſa donatur à Deo ſolùm donante gratiam cum qua homo tam componere poſſit non perſeverantiam, quàm perſeverantiam, tamque poſſit

gratiam

gratiam illam inefficacem reddere, quàm efficacem. Jam verò *cur perseverantia poscitur à Deo* (quærit Augustinus de dono persever. c. 2.) *si non datur à Deo? An & ista irrisoria petitio est, cùm id à Deo petitur, quod scitur ipsum non dare; sed, ipso etiam non donante, esse in hominis potestate?.... An ab illo perseverantia ista fortè non poscitur? Jam hoc qui docet, non meis disputationibus refellendus, sed Sanctorum orationibus revocandus est.*

411 Denique ex his omnibus consequi videtur error septimus, utique quòd in agendo bono partes præcipuæ hominis sint, minùs præcipuæ Dei. Ita resolvit Congregatio 58. de Auxil. 27. Julii 1604. *In via* utique *Molinæ, præponderare liberum arbitrium: cùm tamen secundùm Augustinum, & veritatem Catholicam, præponderet gratia.* Ita etiam Faustum (Semipelagianorum Coriphæum) reipsà docuisse, solis autem verbis negasse, Lemosius testatur to. 1. tr. 5. c. 15. Cujus hac in re vestigiis inhærentes Molinæ sequaces, dictis erroribus contraria verbis asserunt; verùm, re penitiùs attentâ, in errores illos se conjicere videntur, dum gratiam ab effectu dumtaxat, sive ex voluntatis determinatione & consensu efficacem esse contendunt, uti coram Clemente VIII. die 21. Januarii 1605. Congregatione 67. de Auxiliis Lemosius ostendit. Enimverò quis in dubium revocare potest, partes præcipuas illius esse causæ, quæ alteram applicat determinatque ad agendum; minùs præcipuas illius, quæ determinatur & applicatur? Quis item in dubium revocare potest, illi causæ effectum magis principaliter tribuendum, quæ realiter & physicè facit, ut eum faciamus, quàm ei quæ solùm metaphoricè seu excitativè id facit? Suarez verò, Molinistarum Princeps, apud Alvarem l. 3. de Auxil. c. 2. 5. & 13. & l. 1. de concursu Dei cum volunt. c. 15. fatetur, quòd gratia Dei solùm metaphoricè seu excitativè facit ut faciamus; voluntas verò humana realiter & physicè. Molinæ proinde sequacibus accommodari potest id quod Augustinus l. de grat. Christ. c. 2. contra Pelagianos dicit: *Eos quisquis audit, & sensum eorum ignorat, quem in eorum libris atque scriptis satis manifestè ostendunt, hoc putat eos dicere quod veritas habet. Quisquis autem quid in suis libris apertiùs dicant diligentiùs advertit, non solùm debet habere ista verba suspecta, sed manifestè deprehendet hoc solùm verbis proferre, totum autem contrarium sensu & sententiâ firmare.*

412 Nec longiùs repetenda est probatio. Contra errorem sextum aiunt ipsi perseverantiam ipsam, non ipsius possibilitatem dumtaxat, à Deo donari (à Deo proinde poscendam) etiamsi non donetur per gratiam ex se efficacem, sed sufficientem dumtaxat: quia datur per gratiam sufficientem, quæ sit instrumentum infallibile respectu Dei specialiter miserentis, per hoc quòd ex voluntate benevola, cum absoluta voluntate habendi effectum, detur in iis circumstantiis, in quibus per scientiam mediam prævidetur infallibiliter habitura effectum, si detur.

At dum speciosis verbis illis dicere videntur 314
perseverantiam à Deo donari, reipsà contrarium dicunt. Si enim perseverantia à Deo non donetur per gratiam ex se efficacem; donari certè non potest per gratiam ex se inefficacem, seu ad habendum vel non habendum effectum indifferentem, qualis est gratia Molinisticè dumtaxat sufficiens. Cùm enim perseverantia non sequatur ex vi ipsius, sed perseverantiæ possibilitas dumtaxat, perseverantia non donatur ex vi ipsius, sed possibilitas sola perseverantiæ. Nec verum est quòd perseverantia sequatur ex vi ipsius, quatenùs est instrumentum infallibile respectu Dei specialiter miserentis, atque ex speciali misericordia, voluntateque benevola absolutè habendi effectum gratiam illam dantis, iis in circumstantiis, in quibus per scientiam mediam prævidetur infallibiliter habitura effectum.

Sunt namque ista phalerata verba, sine veri- 414
tate: neque enim verum est, perseverantiam sequi ex vi gratiæ sufficientis, licèt ex se inefficacis & indifferentis, quatenùs ex speciali Dei misericordia, benevolaque voluntate habendi effectum, in iis datur circumstantiis, in quibus per scientiam mediam præscitur infallibiliter habitura effectum. Ad populum (quæso) phaleras istas. Neque enim Deus præscire potest perseverantiam hominis secuturam ex vi gratiæ in illis circumstantiis dandæ, nisi gratia illis in circumstantiis danda ex se vim habeat perseverantiam illis in circumstantiis inferendi. Quam ex se profectò non habet gratia ex se solùm sufficiens; ex se proinde extra circumstantias illas inefficax & indifferens; nisi illam accipiat vel à circumstantiis illis, vel à libero hominis arbitrio. Atqui certo certius est, quòd vim illam non accipiat à dictis circumstantiis; utpote à quibus gratia non determinatur, uti Molinistæ fatentur. Certo ergo certius est quòd vim inferendi perseverantiam à solo accipiat hominis arbitrio. Unde & fatentur fieri posse, ut eadem gratia, duobus hominibus, animo & corpore æqualiter dispositis, iisdem in circumstantiis collata, in uno operatura sit perseverantiam: quia libero arbitrio ipsius placebit eam ad hoc determinare; in altero eam non sit operatura: quia ad hoc ipsi non placebit eam determinare. Ergo à primo ad ultimum certo certius est Deum præscire non posse perseverantiam in circumstantiis illis secuturam ex vi gratiæ sufficientis, illis in circumstantiis dandæ, sed ex vi seu determinatione liberi arbitrii; secuturam proinde non donante eam homini Deo, sed donante eam sibi libero suo arbitrio. Enimverò quidquid Deus præscit infallibiliter homini futurum se donante, præscit ei futurum se prædestinante. Quidquid autem Deus præscit infallibiliter futurum se prædestinante, sive in vim suæ

prædestinationis, non præscit per scientiam mediam; utpote quæ omnem Dei prædestinationem antecedit. Quidquid igitur Molinæ sequaces dicunt ad infringendam vim argumenti nostri, verba sunt & voces, phaleræ sunt, figmenta sunt, uti ampliùs demonstravimus to. 1. de Deo, agentes contra scientiam mediam. Quòd autem quidquid Deus præscit infallibiliter homini futurum se donante, præsciat infallibiliter ei futurum se prædestinante, sive præscientiâ subnixâ prædestinationi, perspicua est Augustini doctrina, in l. de prædest Sanct. c. 9. ubi agens de præscita à Deo hominum aliquorum fide, sub conditione de futuro, quòd ipsis Christus prædicaretur: quærit, utrùm prædicato sibi Christo, à *seipsis habituri essent fidem*; *an Deo donante sumpturi? id est, utrùm tantummodò eos præsciverit, an etiam prædestinaverit credituros?* Si ergo tantummodò præscierit, præscientiâ utique non fundatâ in prædestinatione (qualis est scientia media) præscivit eos habituros fidem à seipsis, non Deo donante sumpturos. Quia, ut ait c. 20. illa quæ Deus præscit se donante facienda, prædestinatione præscit: *prædestinatione* quippe *Deus ea præscivit, quæ fuerat ipse facturus.* Et secundùm ipsum in l. de dono persev. c. 17. legitima est consequentia ista: Deus hunc bonum in nobis gratiæ usum præscivit futurum ex vi gratiæ: ergo prædestinavit. Et contrà: hic bonus gratiæ usus non est prædestinatus: ergo nec præscitus, tamquam utique futurus ex vi gratiæ, sive ex Dei dono. Verba Augustini sunt: *An fortè nec ipsa dicunt prædestinata? Ergo nec dantur à Deo, nec ea se daturum esse præscivit. Quòd si & dantur, & ea se daturum esse præscivit; profectò & prædestinavit. Sicut ergo..... Dei dona esse confitentur, eaque ab illo esse præcognita; prædestinata negare non possunt.* Atqui secundùm Molinistas prædestinata non sunt, quæ per scientiam mediam futura præsciuntur, sed futura præsciuntur independenter à prædestinationis decreto. Ergo futura non præsciuntur ex Dei dono, sed ex libero arbitrio. Enimverò quomodò præsciri possunt, futura ex Dei dono, quæ solùm præsciuntur futura sub conditione de danda gratia ex se indifferente ad eorum futuritionem, vel non futuritionem, nec ad eorum futuritionem, etiam in illis circumstantiis determinanda à seipsa, nec à Deo, sed à solo libero hominis arbitrio? Ejusmodi fabulas divendant nugivenduli, non viri docti.

415 Unde cùm viris doctis abundet Societas, dolendum multùmque dolendum ipsi placere novitia Molinæ commenta, proximè refutata, eaque à nonnullis è Societate Theologis sic efferri, quasi novus ille Dogmatistes in Congregatione de Auxiliis victor evaserit, novitiaque doctrina ipsius deprehensa fuerit aurum omnibus numeris purgatissimum. Quàm enim hoc à veritate sit alienum, constat ex dictis cap. 12. & 13.

Molinismus ergo falsissimè dicitur cum honore ex tot disputationum fluctibus emersisse. Reverà enim inglorius emersit, quia à Censoribus à Sua Sanctitate commissis condemnatus; tametsi Sua Sanctitas condemnationis sententiam promulgare, eique proinde ultimam formalitatem jure requisitam dare nondum judicaverit opportunum. 416

Nec dicas 1°. quòd Molinæ doctrinam Romani Pontifices post tam accuratum examen doceri non paterentur, nisi sana foret & Catholica. 2°. Nemini notum non esse, reum, si in judicium vocatus, auditis utrimque partibus, Judicis sententiâ liber remittatur, causam vicisse, & omnium calculis insontem haberi. 417

Ad primum namque respondeo Molinæ doctrinam nullo positivo decreto permissam esse, sed toleratam dumtaxat, sublatâ ad obviandum scandalis potestate alterutram sententiam censurâ notandi, donec condemnationis sententiam à S. Congregatione conceptam, promulgare Sanctitati Suæ visum fuerit. 418

Ad secundum respondeo ineptam esse comparationem. Neque enim Molina comparandus est reo, qui in judicium vocatus, auditis utrimque partibus, Judicis sententiâ liber remittitur; sed cum reo, qui in judicium vocatus, auditis utrimque partibus, condemnatus est (uti Molina à S. Congregatione reverâ est condemnatus) licèt dilatâ tantisper pronuntiatione sententiæ, nondum sit suspensus. Rem enim sic se habere celeberrima Congregationum de Auxiliis Historia manifestè demonstrat. 419

Desinant proinde Molinæ sequaces fabulas improbabiles texere, desinant à Deo non revelatum novæ fidei articulum comminisci, dicendo: *Dari in statu naturæ lapsæ gratiam sufficientem, est de fide.* 420

Ecquæ enim sunt fundamenta istius novitiæ fidei? Hæc (inquiunt) sacræ Scripturæ loca Isa. 5. *Quid est quod ultrà debui facere vineæ meæ, & non feci?.... & fecit labruscas.* Proverb. 1. *Vocavi, & renuistis.* Matth. 11. *Si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in te, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.* Matth. 23. *Quoties volui congregare filios tuos sub alas, & noluisti?* Actor. 7. *Vos semper Spiritui Sancto resistitis.* Ex istis locis Molinistæ inferunt, de fide esse, dari in hoc statu gratiam sufficientem ad effectum, quæ tamen illo careat. 421

Verùm hoc non benè inferunt ex primo loco: quia ex hoc quòd Deus vineæ suæ fecerit quidquid debuit, non sequitur ei dedisse gratiam sufficientem: quia eam non debuit, nec debitam esse asseri potest absque errore. Si enim debita, non est gratia. Quia tamen culpâ ipsorum Deus ipsis gratiam subtraxit, liberâque voluntate mali manserunt post tot be- 422

neficia, ipsis justè exprobrata fuit malitia sua.

422 Non etiam ex secundo, neque ex quarto. Non enim Deus dicit, se vocasse, vel congregare voluisse per gratiam purè sufficientem. Tertio loco dicitur quidem, in Corozain & Bethsaida factas fuisse virtutes, id est, signa & miracula; sed non datam gratiam purè sufficientem. Nec id benè infertur ex quinto loco: Neque enim omnis gratia, cui resistitur, est sufficiens: quia resistitur gratiæ excitanti, licèt insufficienti. Imò (secundùm Thomistas) omnis gratia est efficax, respectu alicujus effectûs; resistitur proinde etiam gratiæ efficaci; non quidem quoad effectum proximum, quem Deus per eam absolutâ voluntate intendit (qui est excitare voluntatem ad effectum, ad quem per antecedentem Dei voluntatem destinatur) sed quoad remotum, ad quem tendit per voluntatem istam Dei antecedentem.

423 Nullo igitur Scripturæ sacræ testimonio novus ille fidei articulus nititur. Nullâ etiam Traditione. Tametsi enim semper fuerit Traditio Patrum, ipsiusque etiam Ecclesiæ, dari aliquam gratiam, quæ careat effectu remoto, ad quem tendit voluntate Dei antecedente; nunquam Ecclesia, nunquam Patres tradiderunt, dari gratiam, quæ careat effectu proximo, quem Deus absolutâ voluntate intendit, & ad quem gratia usque adeò sufficiens sit, ut ex parte Dei habeat omnia ad eum ponendum necessaria. Nunquam proinde Ecclesia, nunquam Traditio dari docuit gratiam Molinisticè sufficientem.

CAPUT XX.

In statu naturæ lapsæ non datur omnibus, etiam adultis, gratia sufficiens, etiam urgente præcepto; sed eâ aliqui, justo Dei judicio, ad aliquod vitæ tempus privantur, nec istud est dogma novum, vel Jansenianum; imò oppositum potiori jure videri posset Semipelagianum, nisi a censura abstinendum suaderet obedientia erga Pauli V. Decretum.

424 Ista quæstio (sicut & præcedentes) scitu necessaria est in ordine ad mores. Itaque Fausti Regiensis l. 1. de grat. & lib. arb. c. 3. & 4. aliorumque Semipelagianorum (apud S. Prosper. epist. ad Augustinum) hæc erat definitio ac professio, gratiam utique sufficientem, quam homo pro arbitrio suo efficacem reddere posset, vel inefficacem, nulli adulto subtrahi, sed sic omnibus communicari;

Ut cunctos vocet illa quidem, invitetque, nec ullum
Præteriens, studeat communem afferre salutem
Omnibus, & totum peccato absolvere mundum.

Et rursus:

..... *Quæ se non subtrahat ulli,*
Sed cupidos recti juvet, illustretque volentes.

Sic refert S. Prosper carm. de ingratis. Certum proinde est, quòd gratia adultis omnibus data, secundùm Semipelagianos, seipsâ non erat efficax, sed sufficiens, ita ut cupidos recti juvaret, illustraretque volentes, sed suâ vi efficaciâque recti cupidos & volentes non efficeret. Quomodò ab ista Semipelagianorum opinione secernatur opinio Molinistarum, fateor me non satis videre. Nam idem cum Fausto, iisdemque argumentis sustinent, omnibus utique ratione utentibus, etiam obduratissimis, in reprobumque sensum traditis, dari à Deo gratiam vel proximè (ut ex ipsis plerique) vel remotè (ut alii) sufficientem. Non video etiam, quomodò suâ illâ opinione totum justificationis & salutis negotium, à peccatoris cujuscumque, quàmlibet obdurati, arbitrio non suspendant: Cùm per gratiam remotè, seu mediatè sufficientem, eam intelligant, quâ quisque certò obtenturus est proximè & immediatè plenè sufficientem, si eam reddere voluerit efficacem. Ponamus enim alicui obduratissimo peccatori solùm concedi gratiam Molinisticè sufficientem ad eliciendum tenuissimum conversionis desiderium: pendebit ab ipsius arbitrio eam reddere efficacem, desiderium istud absque alia gratia, dum placuerit, eliciendo. Per bonum verò istius gratiæ usum ulteriorem obtinebit gratiam sufficientem, v. g. ad orandum. Quâ rursus pro arbitrio suo benè utendo, gratiam certò acquiret plenè & proximè sufficientem ad conversionem justificationemque. Et istam per arbitrium suum reddendo efficacem, gratiam certò obtinebit sufficientem ad perseverandum. Quâ si tandem benè uti pro sua libertate voluerit, salvabitur. Ergo concessâ omnibus gratiâ vel remotissimè sufficiente Molinisticâ, totum salutis negotium à peccatoris cujuscumque beneplacito quoad efficaciam dependebit, & sic dependebit, ut primæ partes, eo in negotio, libero hominis competant arbitrio. Quandoquidem ubi ad eamdem actionem multa concurrunt, actio illi potissimùm tribuatur, quod cætera applicat, efficaciaque reddit, ut v. g. victoria de hoste militi, in pugna benè utenti gladio bono, ad benè pugnandum necessario: quia ipse est qui gladium applicat, efficacemque reddit. Quo exemplo Augustinus utitur...

Quòd ergo adultis omnibus universim non 425
detur gratia sufficiens, sed aliqui peccatores, maximè excæcati & obdurati, omni gratiâ interiori, etiam instante præcepto, ad certum vitæ tempus, justo Dei judicio subinde priventur, communis est Theologia Sanctorum, uti posteà videbitur, eamque sequuntur eruditi Theologi non pauci, S. Thomas infrà exhibendus, Henricus quodlib. 8. q. 1. Gregorius in 1. dist. 46. Abulensis in cap. 4. Exodi q. 12. Et in cap. 2. Deuteronom. q. 10. Adrianus VI. q. 3. de pœnit. in solut. argum. Cajetanus jentaculo 8. q. 1. Et in cap. 19. Joan. ad illa verba, *non poterant credere*. Facultas Theologica Lovanienſis in Censura anni 1587. Et in justificatione ipsius. Facultas Duacensis in Censura anni 1588. contra Lessium & Hamelium. Thomas de Lemos in Panoplia grat. to. 4. l. 4. p. 2. c. 10. 11. 12. 13. 14. 15. Alvarez in Congregatione 43. de Auxil. coram Clemente

VIII. Contenſon. to. 5. diſſert. c. 2. q. 1. aliique non pauci, ita ut certiſſimè errent, qui contrariam opinionem eſſe putant de fide. Quia *ſummam fidei non ſpectat quæſtio, utrùm excæcatis & obduratis gratia omnis interior, etiam ſufficiens, à Deo denegetur*, uti ſapienter obſervat Natalis Alexander in Paralipom. Moral. lib. pag. 358. Non eſt igitur dogma iſtud novum, nec Janſenianum: utpote à celeberrimis Doctoribus & Catholicis Univerſitatibus, diù ante Janſenium traditum, ſicut & uno conſenſu à Patribus infrà referendis.

426 Unde cùm Germanus Becheferius, S. Th. è Societate Profeſſor, in Theſibus propugnatis in Collegio ſuo Pariſienſi 14. Decemb. 1699. poſitione 8. dixiſſet: Errare illos qui aiunt, peccatores nonnullos ita deſeri à Deo, ut ab interiore illius luce penitùs ſecludantur, tametſi peccatori planè obcæcato & obdurato peccata nihilominùs imputentur: tanta ex iſta poſitione exorta eſt offenſio, ut eam Sorbonæ Doctores benè multi, ab Illuſtriſſimo D. Noaillio, Pariſienſi Archiepiſcopo, ſententiam rogati, configendam cenſuerint. Quod ne fieret, Becheferius; ad ſedandam offenſionem, declinandamque cenſuram imminentem, ſequentem declarationem (offerente Rectore Collegii, præbenteque Rectore Novitiatûs) eidem Illuſtriſſimo, nunc Eminentiſſimo compulſus fuerit præſtare: *Primùm profiteor, nunquam in ea me ſententia fuiſſe, ut crederem, eos qui vocantur excæcati & indurati, non peccare ampliùs, vel ſua illis peccata minimè imputari à Deo; imò me ſemper tenuiſſe, & nunc etiam tenere, ex Scriptura & Patribus certò conſtare, quòd peccent, & quòd peccata illis imputentur. Profiteor inſuper, quantumvis mihi perſuaſum ſit, obduratos nequaquam omni carere interiori gratiâ, quæ ad implenda præcepta ſufficiat; haud propterea voluiſſe me ullâ cenſurâ notare illos, qui nec pauci ſunt, nec infimi nominis, Theologos è Catholicis, quos contraria in opinione, æquè in Eccleſia permiſſa, verſari certum eſt: neque, cùm in prædicta poſitione dixi, errare illos, aliud à me intellectum eſſe, quàm quòd fallantur.*

427 Ingentis enimverò temeritatis eſſet, ſententiam illam damnati erroris, vel Janſenianæ novitatis cenſurâ notare, quæ aſſerit vel infideles aliquos, vel peccatores obcæcatos & induratos, omni internâ mentis illuſtratione, voluntatiſque excitatione (in quibus gratiam ſuam ſufficientem Moliniſtæ conſtituunt) ad certum vitæ tempus, etiam urgente præcepto, ſubinde juſto Dei judicio deſtitui: cùm ſolidum habeat in Scriptura fundamentum, ſitque communis doctrina ſanctorum Patrum; eamque Auguſtini, Proſperi & Fulgentii eſſe, liberaliſſimus gratiarum ſufficientium diſtributor Vaſquez fatetur in 1. p. diſp. 97. c. 3. Theophylus quoque Raynaudus in cenſura inofficioſæ cenſuræ n. 21. dicit, quòd S. Auguſtinus in expoſitione quarumdam propoſitionum ex epiſt. ad Rom. c. 12. apertè in ea eſt ſententia, quòdque etiam Author libri de prædeſt. & grat. apud Auguſtinum in appendice tomi 7. (quem librum probare ipſe nititur eſſe D. Fulgentii) cap. 14. & 15. Pharaoni indurato negat vocationem & miſericordiam intrinſecam (ad quam ſpectat auxilium ſufficiens) ſolam ipſi concedens vocationem per flagella extrinſeca. Additque Theophylus Raynaudus, quòd in eamdem ſententiam conceſſerunt S. Gregorius l. 11. Moral. c. 5. & l. 31. c. 11. S. Iſidorus l. 2. de ſummo bono c. 15. Anſelmus in cap. 12. Matth. vel potiùs Petrus Babylonius, verus (ut ipſe putat) ejus operis Author, & S. Thomas 2. 2. q. 2. a. 5. ad 1. Plures alios SS. Patres, Baſilium, Chryſoſtomum, Cyrillum, Hieronymum, Iſidorum Peluſiotam, Damaſcenum, &c. unà cum Auguſtino, Proſpero, Fulgentio & Patribus in Sardinia exulibus dabimus cap. 21. & 22.

CAPUT XXI.

Gratiam ſufficientem, in ſtatu naturæ lapſæ, omnibus non dari, ex Scriptura & Patribus oſtenditur.

VEtè verè Scriptores, omnibus omninò gratiam ſufficientem dari ſuſtinentes, non ſatis conſiderant veritatem hanc certiſſimam, miſericordiæ Dei eſſe, quòd non omnes, in primo Adam lapſi, nunc generatim omni gratiæ auxilio deſtituamur. Nulla quippe eſſet in Deo iniquitas, ſi non aliquibus, ſed etiam omnibus hominibus auxilium ſufficiens ad ſalutem negaret, inquit Bellarminus l. 2. de grat. & lib. arb. c. 4. addens, quòd hæc propoſitio certiſſima eſt, apud eos qui ex divinis Litteris peccatum originale noverunt. 428

Si nulla tunc foret in Deo iniquitas, multò minùs nunc, dum illud non omnibus, ſed aliquibus negat, & (ut Auguſtinus ait de dono perſever. c. 11.) quibus non vult ſubvenire, non ſubvenit. Qua de re perſpicua eſt Apoſtoli ſententia Rom. 9. *Quid ergo dicemus? Nunquid iniquitas apud Deum? Abſit. Moyſi enim dicit: Miſerebor cujus miſereor, & miſericordiam præſtabo cujus miſerebor* (alludit ad cap. 33. Exodi v. 19. ubi ſic: *Miſerebor cui voluero, & clemens ero in quem mihi placuerit*).... *Ergo cujus vult miſeretur* (gratiam conferendo) *& quem vult indurat*, gratiæ auxilium ſubtrahendo, uti cum SS. Patribus exponit D. Dionyſius Carthuſianus. Ne quis verò hinc inferat, induratos, gratiâ deſtitutos, iſtoque in ſtatu mandata Dei violantes, à peccato excuſandos, ob impotentiam ea ſervandi, mox ſibi objicit verſu 19. *Dicis itaque mihi, quid adhuc queritur? voluntati enim ejus quis reſiſtit? Hoc eſt dicere* (inquit Auguſtinus epiſt. 194. aliàs 105. c. 6.) *quid de nobis fit querela, quòd Deum offendamus malè vivendo, cùm illius voluntati nemo poſſit reſiſtere, qui nos obduravit, miſericordiam* (id eſt gratiam) *non præſtando?*

429 Quid ad hanc objectionem Apostolus? Quid Augustinus? Si gratiam sufficientem omnibus præstò esse existimassent, respondere debuissent, meritò de ipsis fieri querelam: quia non obstante induratione, gratiam sufficientem habent ad implenda Dei mandata, salutemque consequendam; nec enim gratiâ sufficiente destituuntur, qui indurantur. Quo sanè responso totius objectionis difficultas prorsus evanescebat.

430 Sed non sic respondet Apostolus, non sic Augustinus. Quid igitur? Non habere hominem, quòd de Deo conqueratur, si omni gratiâ destituatur: quia gratiam dat & aufert Deus cui vult. *O homo* (inquit Apostolus) *tu quis es, qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit, quid me fecisti sic?* cum gratia, vel sine gratia. *An non habet potestatem figulus, ex eadem massa, facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? Quisquis hoc audit* (verba sunt Augustini Enchir. 99.) *vel capit quod dictum est, vel non capit? Si capit, quis est qui respondeat Deo? si autem non capit, magis non invenit quid respondeat. Videt enim si capit, universum genus humanum tam justo judicio in apostaticâ radice damnatum, ut etiamsi nullus inde liberaretur*, sed omni gratiâ tam remotè quàm proximè ad liberationem sufficiente unusquisque destitueretur, *nemo rectè posset Dei vituperare justitiam.* Videt etiam eos *qui liberantur, sic oportuisse liberari, ut ex pluribus non liberatis, atque in damnatione justissima*, omnisque gratiæ sufficientis subtractione *derelictis, ostenderetur quid meruisset universa conspersio; & quò etiam istos* (quibus gratia in totum non subtrahitur) *debitum judicium Dei duceret, nisi eis indebita misericordia subveniret.* Tam ergo Apostoli, quàm Augustini judicio, ideò non omnibus gratia conceditur, quia nulli gratia debetur; sed aliquibus ex misericordia indebita conceditur, aliquibus justo judicio subtrahitur, ut ex pluribus, quibus non conceditur, ostendatur, quid meruerit universa conspersio, & quò eos, quibus misericorditer conceditur, debitum judicium Dei duceret, nisi eis indebita misericordia subveniret.

431 Propterea ergo SS. Patres de gratia ad salutem necessaria indefinitè loquentes (tam proinde de actuali, quàm de habituali, tam de sufficiente, quàm de efficaci, indefinitè enim loquuntur, & propositio indefinita in dogmaticis æquipollet universali) tamquam dogma certum absolutè statuunt, quòd gratia non omnibus detur. Idque *ad fidem rectam & catholicam pertinere*, & apud omnes Catholicos indubitatum esse dicit Augustinus epist. 217. aliàs 107. ad Vitalem cap. 5. *Quoniam propitio Christo Christiani Catholici sumus..... Scimus gratiam non omnibus hominibus dari..... scimus eis quibus datur, misericorditer dari. Scimus eis, quibus non datur, justo judicio non dari.* Quòdque loquatur de gratia necessaria, manifestum est ex eo quòd id probet exemplo parvulorum, quibus Baptismi negatur gratia. Quòd item de gratia etiam actuali loquatur, tota epistola manifestum facit, signanter verba immediatè præcedentia: *Scimus majoribus* (id est adultis) *gratiam ad singulos actus dari.* Gratia quippe ad singulos actus bonos adultis necessaria actualis est, non sola habitualis. Itaque gratiam ad salutem necessariam, non omnibus etiam adultis dari, Augustinus ibi & cap. 6. probat ex eo quòd multis non detur parvulis, quibus utique Baptismus, aliquando *cupientibus festinantibusque parentibus, Ministris quoque volentibus ac paratis, Deo nolente, non datur, cùm repente, antequam detur, expirat, pro quo, ut acciperet, currebatur.* Unde manifestum est *eos qui huic resistunt tam perspicuæ veritati, propterea quòd Deus vult omnes salvos fieri, non intelligere omninò; quâ locutione sit dictum, quòd omnes homines vult Deus salvos fieri: cùm tam multi salvi non fiant, non quia ipsi, sed quia Deus non vult: quod sine ulla caligine manifestatur in parvulis,*

Dicant igitur Molinistæ, quodnam parvulis illis medium sufficiens ad salutem, non 432
dico instituerit (de quo quæstio non est) sed dederit, qui Baptisma dare noluit, quod unicum ipsis medium est sufficiens ad salutem? Nec hoc in culpam parentum, vel Ministrorum refundit Augustinus, sed in solam Dei voluntatem, qui aliquando vult Baptisma conferri filiis infidelium; non vult autem conferri filiis fidelium; atque (ut ait l. 6. contra Julian. c. 14.) *aliquando adoptat in filium, quem format in utero immundissimæ feminæ; & aliquando non vult esse filium, quem format in utero filiæ suæ. Ille quippe ad Baptismum nescio quâ provisione pervenit; iste repentinâ morte non pervenit: atque ita Deus, in cujus potestate sunt omnia, facit esse in suo consortio, quem formavit in diaboli domicilio; & NON VULT esse in regno suo, quem formavit in templo suo.* Nec hoc tantùm incunctanter asserit Augustinus, sed & l. de natura & grat. c. 8. *Ego dico* (inquit) *parvulum natum in eo loco, ubi ei non potuit per Christi Sacramentum subveniri, morte præventum, idcircò sine lavacro regenerationis exisse, quia esse aliud non potuit.* Exit ergo in circumstantiis in quibus ipsi subveniri non potuit per lavacrum regenerationis. In quibus proinde recipere non potuit medium unicè sufficiens ad salutem. Idque volente Deo. Noluit ergo Deus ipsi dare medium unicè sufficiens ad salutem.

Jam si Deus parvulis istis, in pœnam pec- 433
cati originalis, deneget medium unicè sufficiens ad salutem, quo fundamento asseritur quòd benevolentior sit impiissimis & sceleratissimis hominibus, saltem omnibus, quàm aliquo sensu innocentissimis puerulis, qui utique nihil propriâ voluntate commiserunt, ut idem Augustinus arguit l. 3. contra Julian. c. 8.? Non est ergo cur ipsis pariter non deneget

subinde medium sufficiens ad salutem, sive gratiam sufficientem, in pœnam gravissimorum criminum, quæ obstinatâ voluntate propriâ commiserunt. Cùm parvulorum causam ad exemplum majorum rectè deduci, negent quidem Semipelagiani, sed probet Augustinus de dono persever. c. 11.

434 De adultis proinde loquens eodem libro c. 8. (præter ea quæ dixit locis n. 359. & 360. relatis) *Cur* (inquit) *gratia non secundùm merita datur? Quoniam Deus misericors est? Cur non omnibus? Quoniam Deus justus est. Ac per hoc & gratis ab eo datur gratia, & justo ejus judicio in aliis demonstratur, quid in eis, quibus datur, conferat gratia.* Et cap. 12. *Conficitur itaque gratiam non secundùm merita accipientium dari, sed secundùm placitum voluntatis ejus, in laudem & gloriam ipsius gratiæ ejus..... qui hominibus dat, quibus vult, quoniam misericors est (quod etsi non det, justus est) & non dat, quibus non vult, ut notas faciat divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ. Dando enim quibusdam quod non merentur, profectò gratuitam, ac per hoc veram suam gratiam esse voluit. Non omnibus dando, quid omnes mereantur ostendit.* Quod profectò de sola non procedit gratia efficace, sed & de sufficiente; utpote quæ etiam vera est gratia, nulli proinde debita, sed omnibus indebita, sicut parvulis Baptismi gratia, cujus privationem omnes per peccatum originale promeriti sumus.

435 De quo dubium superesse nolens, l. de corrept. & gratia cap. 11. loquens de adjutorio sine quo non (quod Angelis, & Adamo concessum fuit ad perseverandum, quodque nonnisi sufficiens fuisse fatentur Molinistæ) *Nunc* (inquit) *quibus deest tale adjutorium* (deesse ergo vult aliquibus) *jam pœna peccati est; quibus autem datur, secundùm gratiam datur, non secundùm debitum.* Nulli ergo debetur istud adjutorium. Et ideò aliquibus subtrahitur, ut illi quibus datur, agnoscant sibi dari secundùm misericordiam, non secundùm debitum. Istam ob causam enarrat. in Psal. 104. *Ad gratiam* (inquit) *non omnes pertinent.* Quod probat exemplo infidelium, uti suprà probavit exemplo parvulorum: non enim omnium est fides. Quâ destituti, usque adeò non habent medium sufficiens ad salutem, ut ne quidem habeant gratiam orandi. *Quomodò enim invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodò credent ei quem non audierunt? Quomodò autem audient sine prædicante*, &c.? Rom. 10.

436 Indubitata proinde est Augustini pro assertione nostra doctrina; quemadmodùm & Prosperi in respons. ad 4. object. Gallor. ubi etiam probat, non omnes vocati ad gratiam, exemplo eorum quibus prædicatum non est Evangelium; exemplo quoque tot millium parvulorum ex hac vita absque Baptismo transeuntium, qui probari (inquit) nequeunt *ullo modo vocati.* In carmine etiam de ingrat. c. 11. sic canit:

..... Dic unde probes quòd gratia Christi
Nullum omninò hominem, de cunctis qui generantur,
Prætereat, cui non regnum vitamque beatam
Impertire velit, voluntate utique auxilia ad salutem sufficientia conferente.
Sed tamen hæc aliqua si vis ratione tueri,
Et credi tam stulta cupis, &c.

Audis quid de contraria opinione sentiat? 437
Audi & Fulgentium l. de verit. prædest. & grat. c. 15. *Apostolicæ* (inquit) *prædicationis tenentes per omnia veritatem certissimè cognoverunt, gratiam Dei non omnibus generaliter dari.* Et c. 20. *Non ergo putemus gratiam Dei omnibus hominibus dari. Illius est enim, vel quibus eam, vel quantam voluerit, dare, qui non eam humanis voluntatibus aut operibus debitam retribuit* (quæ ratio tam de sufficienti, quàm de efficaci certissimè procedit) *sed gratuitam illuminandis cordibus misericors ac benignus infundit. Et ideò cui voluerit, & quantam voluerit, profectò largitur.*

Audi denique quatuordecim sanctos Africanos Patres, in Sardinia pro fide exules, in epist. Synodica: *De gratia non dignè sentit, quisquis eam putat omnibus hominibus dari: cùm non solùm non omnium sit fides, sed adhuc nonnullæ gentes inveniantur, ad quas fidei prædicatio non pervenit. Beatus autem Apostolus dicit:* " Quomodò invocabunt in quem non " crediderunt? aut quomodò credent ei quem " non audierunt? quomodò audient sine prædi- " cante? " *Non itaque gratia omnibus datur; quandoquidem ipsius gratiæ participes esse non possint, qui fideles non sunt; nec possint credere* (quod possunt, qui gratiam ad credendum sufficientem habent) *ad quos invenitur ipse fidei auditus minimè pervenisse.* Similia habent Petrus Diaconus, S. Primasius, S. Gregorius, S. Isidorus Hispalensis, V. Beda, Alcuinus, S. Prudentius, S. Remigius Lugdunensis, Magnus Florus, Lupus Servatus, Lupus Ferrariensis, &c. ut videre licet Apolog. Patrum libro 5. 438

Cum laudatis Patribus S. Thomas 2. 2. q. 2. a. 5. ad 1. quo sibi objecerat, nullum teneri ad id quod in ejus potestate non est; nullum proinde teneri ad credendum aliquid explicitè; quia credere aliquid explicitè non est in hominis potestate. Dicitur enim Rom. 10. *Quomodò credent in illum quem non audierunt? Quomodò autem audient sine prædicante? Quomodò autem prædicabunt, nisi mittantur?* Respondet: quòd *ad multa tenetur homo, ad quæ non potest sine gratia reparante, sicut ad diligendum Deum & proximum, & similiter ad credendum articulis fidei. Sed tamen hoc potest cum auxilio gratiæ: quod quidem auxilium* (sine quo credere non potest, & cùm quo potest) *quibuscumque divinitùs datur, misericorditer datur;* QUIBUS AUTEM NON DATUR, EX JUSTITIA NON DATUR, *in pœnam præcedentis* 439

dentis peccati, & saltem originalis peccati, ut Augustinus dicit in l. de corrept. & grat. cap. 11. Ubi sicut ex dictis num. 435. Augustinus loquitur de auxilio sine quo non; ita & S. Thomas. Loquitur enim de auxilio dante posse credere, non de auxilio dante credere; imò & loquitur de auxilio dante posse mandata naturalia servare: cùm hujusmodi sit præceptum de diligendo Deum & proximum.

Nec dicas Augustinum ibi agere de gratia dante potentiam proximam & expeditam ad mandatorum observantiam, cùm agat de gratia primi statûs, seu primi hominis, & conformiter loqui S. Thomam. Tametsi verò quibusdam desit talis gratia, ob præcedentia demerita; non tamen deest gratia dans potentiam remotam, cui si homo non desit, proximam recipiet. Quia Augustini verba responsionem istam evertunt. Agit enim Augustinus de gratia, quæ *si vel Angelo, vel homini defuisset.... non utique suâ culpâ cecidissent.* Suâ verò culpâ cecidissent, si habuissent gratiam illam dantem potentiam remotam, licèt ipsis defuisset gratia dans potentiam proximam. Quia per liberum arbitrium potuissent non ponere obicem gratiæ illi, danti potentiam remotam; ei proinde cooperando accepissent gratiam, dantem potentiam proximam. Suâ ergo culpâ cecidissent, etsi tantùm habuissent gratiam dantem posse remotum, sive gratiam remotè sufficientem. Deinde Augustinus agit de gratia cum qua perseverare, vel non perseverare, Deus in primi hominis reliquit arbitrio. Tam ergo agit de gratia dante remotam, quàm proximam perseverandi potentiam. Quia per liberum arbitrium cooperando remotæ, proximam obtinuisset; cui etiam cooperando perseveraſſet. Tam ergo agit de gratia remotè, quàm proximè sufficiente. Tam proinde de illa, quàm de ista dicit, quòd si primo homini defuisset, suâ culpâ non cecidisset. Quòdque quibus nunc deest, jam pœna peccati est.

440 Libro etiam 3. contra Gent. c. 159. S. Thomas loquens de gratia, sine qua nullus potest habere necessaria ad tendendum ad finem ultimum, dicit, quòd illi *soli gratiâ privantur, qui in seipsis gratiæ impedimentum præstant.* Aliqui ergo privantur gratiâ, sine qua non possunt habere necessaria ad tendendum, &c. atque adeò privantur auxilio sine quo non, seu sufficiente. Et ratio est, quia si auxilium istud, seu gratia, omnibus daretur, videretur esse aliquod naturale donum (naturæ proinde debitum; quod non potest convenire gratiæ; utpote quæ excludit rationem debiti, 1. 2. q. 111. a. 1. ad 2.) Nam, ut S. Doctor ait quæst. 24. de verit. a. 15. *in nullo inveniuntur omnes homines convenire, nisi in aliquo naturali. Unde Augustinus: Communis est omnibus natura, non gratia.*

Molinistarum argumenta nullius roboris esse ostenduntur.

441 NOnnulla tamen objiciunt Molinistæ. 1°. quòd *Deus vult omnes homines salvos fieri.* 1. Timoth. 2. *Nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.* 2. Petri 3.

Sed frustrà. Ad priorem namque locum respondet Augustinus suprà n. 360. eos qui locum istum objiciunt *non intelligere omninò, quâ locutione sit dictum, quòd omnes homines vult Deus salvos fieri: cùm tam multi salvi non fiant, non quia ipsi, sed quia Deus non vult: quod sine ulla caligine manifestatur in parvulis.* Sed hac de re plura cap. 27.

Ad posteriorem locum respondet S. Tho- 442
mas in illum locum: *Nolens aliquos perire, id est non volens, voluntate scilicet signi, quia omnes præceptis, consiliis, minis, præmiis, à periculis revocat. Vel dic cum Damasceno Deum voluntate antecedente nolle aliquos perire, id tamen velle voluntate consequente, in pœnam præcedentis peccati, saltem originalis.*

Objiciunt 2°. illud 2. Cor. 5. *Christus pro* 443
nobis mortuus est. Sed nec ex isto loco benè infertur dari omnibus gratiam sufficientem, uti demonstrabitur cap. 28.

Objiciunt 3°. Concilium Senonense anni 444
1528. decreto 15. ubi dicitur, quòd *illa* (gratia) *semper sit in promptu, nec momentum prætereat, in quo Deus non stet ad ostium & pulset.* Concilium quoque Leodiense anni 1536. p. 7. c. 32. dicit, quòd Deus *semper stet ante ostium pulsans.*

Respondeo 1°. Conciliis istis particulatibus opponi posse Concilium Sardinense 14. sanctorum Episcoporum, de quo suprà n. 367. 2°. Concilia ista exponi non posse de pulsatione per gratias internas sufficientes, seu illustrationes supernaturales ex parte intellectûs, piosque motus ex parte voluntatis (quòd enim his quilibet homo omni momento non pulsetur, manifesta experientia convincit, nec adversarii diffitentur) sed de pulsatione per creaturas, per lumen rationis, per præcepta, consilia, minas, præmia, &c.

Objiciunt 4°. damnatam ab Alexandro 445
VIII. propositionem 5. inter 31. *Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis, nullum omninò accipiunt à Jesu Christo influxum; adeòque hinc rectè inferes, in illis esse voluntatem nudam & inermem, sine omni gratia sufficienti.* Quæ si ipsis detur, quibus denegabitur?

Respondeo, propositionem illam damnatam ob nimiam generalitatem, quasi nulli prorsus Pagani, Judæi, Hæretici, &c. ullum à Christo influxum accipiant, saltem gratiæ Thomisticè sufficientis, quam quibusdam Paganis, Judæis & Hæreticis subinde dari non diffitemur, quamvis negemus ipsis dari gratiam Molinisticè sufficientem. In nullo proinde Molinistis favet damnatio illius propositionis. Infidelibus ergo illis subinde datur aliquis gratiæ cælestis influxus, quo invitantur ad fidem; quem tamen dum iniquitate suâ repellunt, sic quandoque deseruntur, ut omni supernaturali Dei auxilio destituantur, etiam urgente præcepto, uti capite sequenti probabitur.

Objiciunt 5°. Augustinus l. 1. de Genes. 446

contra Manich. c. 3. dicit, quòd lumen pura corda eorum pascit, qui Deo credunt, & ab amore visibilium se ad ejus præcepta servanda convertunt; quod omnes homines possunt si velint. Omnes ergo habent gratiam ad hoc sufficientem.

Nego consequentiam: quia, ut hoc possint, necesse non est quòd gratiam ad hoc necessariam habeant in actu; sed vel in actu, vel in potentia, quatenùs eam à Deo accipere possunt. Quod certè per acceptam à Deo naturam gratiæ capacem possunt. Propter quod Augustinus de prædest. Sanct. c. 5. *Posse* (inquit) *habere fidem, sicut posse habere charitatem, naturæ est hominum.*

447 Instabis 1°. Augustinus dicit, omnes homines id posse si velint: quia illud lumen omnem hominem illuminat venientem in hunc mundum.

Respondeo, sensum esse, quòd illud lumen, seu sol justitiæ, quantùm est ex se, sive ex voluntate sua antecedente, omnem hominem illuminat, &c. licèt voluntate consequente illi non illuminentur, qui ostium cordis divino illi claudunt lumini. Propter quod Enchirid. c. 103. verba illa, *illuminat omnem hominem*, &c. sic exponit: *non quia nullus est hominum, qui non illuminetur; sed quia nisi ab ipso nullus illuminatur.*

448 Instabis 2°. Enarrat. in Psal. 6. loquens de cæcitate mentis, dicit: *In eam quisquis datus fuerit, ab interiore Dei luce secernitur; sed nondum penitùs cùm in hac vita est.*

Respondeo, sensum esse, quòd excæcati in hac vita ab interiore Dei luce non penitùs secernuntur, sicut secernuntur damnati, qui in summa existentes cæcitate, sic penitùs extra Deum sunt, ut jam ampliùs capaces non sint illius gratiæ à Deo recipiendæ. Hunc quippe sensum contextus insinuat: immediatè enim post verba objecta sequitur: *Sunt enim tenebræ exteriores, quæ magis ad diem judicii pertinere intelliguntur, ut penitùs extra Deum sit, quisquis, dum tempus est, corrigi noluerit.* Penitùs enim esse extra Deum, quid est nisi esse in summa illa cæcitate? Quòd enim cæci hujus vitæ omni interdùm interiori Dei luce supernaturali saltem ad tempus destituantur, cap. 22. ex Augustino, aliisque Patribus demonstrabimus.

449 Objicies 6°. Homo nisi gratiâ juvetur, sine causa voluntati ejus jubetur. Dicit enim Augustinus de grat. & lib. arb. c. 4. *Homo gratiâ juvatur, ne sine causa voluntati ejus jubeatur.*

Respondeo scopum Augustini ex contextu manifestum esse, scilicet ostendere necessitatem gratiæ ad implenda mandata; cujus proinde adjutorio siquis absque culpa sua sic careret, ut eam à Deo obtinere non posset, sine causa jussio ei fieret. Ideò cap. 16. addit quòd Deus jubet aliqua, quæ non possumus (quia ad ea facienda gratiam non habemus) *ut noverimus quid ab illo petere debeamus.* Nam, ut alibi dicit, *jubendo monet & facere quod possis, & petere quod non possis.*

Objicies 7°. Augustinus l. 2. de Symbolo ad Catechum. c. 8. Christum inducit, reprobis omnibus sic exprobrantem: *Agnoscitis latus quod pupugistis.... nec tamen intrare voluistis*, ipsosque hortatur ut intrent. Ergo omnes ad intrandum habent gratiam sufficientem. 450

Nego consequentiam. Ex illa namque exprobratione, exhortationeque, solùm sequitur, quòd intrare possint. Ad quod necesse non est quòd gratiam habeant in actu; sed vel in actu, vel in potentia, ut suprà dixi.

Instabis: In Psal. 58. obdurato dicit: *Etsi nolis curare vulnus, admonet ut cureris..., & refugientem quodammodò ad se redire compellit.* 451

Respondeo, quid inde? Non dicit Augustinus quòd refugientes omnes ad se redire compellit, nec quòd eos, quos compellit, compellat per gratiam sufficientem. Inanis ergo est objectio.

Objicies 8°. S. Prosper l. 2. de vocat. Gent. c. 25. dicit, Deum nemini gratiam subtrahere. Similiter Orosius Apolog. pro lib. arb. nemini hominum deesse Dei adjutorium. 452

Respondeo utrumque loqui de gratia externa, non interna, uti de Prospero fatetur Vasquez, & probatur ex eo quòd ibidem c. 4. gratiam illam ponat in totius mundi inenarrabili pulchritudine, & inenarrabilium beneficiorum ejus divite & ordinata largitione, in cæli & terræ testimoniis, in ea providentia, quâ universitatem rerum administrat, &c. Et si fortè gratiam aliquam internam omnibus statuat communem, per eam intelligit lumen rationis naturalis, quam l. 1. c. 4. *illuminantem gratiam* vocat, seu etiam alia naturalia dona, ipsamque naturam quâ sumus animalia rationalia, quam cum S. Augustino de prædest. Sanct. c. 4. *gratiam* vocat; sed ista non est gratia sufficiens, de qua disputamus.

Objicies ultimò: S. Dionysius Areopagita, S. Irenæus, S. Clemens Alexandrinus, S. Hilarius, S. Ambrosius, S. Chrysostomus, S. Paulinus apud Lemos to. 4. l. 4. c. 8. dicunt, gratiam Dei omnibus esse paratam, bonum consilium omnibus datum, nulli celatum verbum lucis, solem justitiæ omnibus ortum, Deum illuminare omnem hominem, &c. 453

Verùm (inquit Lemos c. 19.) vel loquuntur de generali rationis lumine, vel de lumine supernaturali, quod Deus, quantùm ex se, omnibus habet paratum voluntate antecedente, licèt voluntate consequente, multi eo priventur in pœnam peccatorum. Vel in generalibus dictis ipsorum est distributio accommoda, prout similia generalia S. Scripturæ testimonia exponit S. Prosper cap.... referendus.

CAPUT XXII.

Ex Scriptura, Patribus, & ratione Theologicâ specialiter ostenditur, infidelibus, excæcatis & obduratis omnibus, eo in statu, non dari

ri supernaturale auxilium gratiæ sufficientis.

454 DE infidelibus id probatur ex Act. 16. ubi habetur, quòd cùm Apostoli vellent evangelizare verbum in Asia, vetiti sunt à Spiritu sancto; cùmque vellent ire in Bithyniam, prohibiti sunt à Spiritu Jesu. At illis, quibus Spiritus sanctus prohibuit ne Evangelium prædicaretur, datum non est auxilium internum sufficiens ad credendum: *Quomodò enim credent ei quem non audierunt? quomodò autem audient sine prædicante?* Rom. 10. An fortè dices, quòd tales interiùs à Deo illuminentur sine prædicante? At de omnibus in illis Provinciis hoc asserere, est generale miraculum gratiæ asserere sine fundamento: si enim omnes homines istarum Provinciarum interiùs de fide tunc illuminare voluisset, cur ipsis Evangelii prædicationem fieri prohibuisset? Alio quidem posteà tempore eam in istis Provinciis fieri permisit: verùm, antequam fieret, multos ex iis, quibus facta non fuit, illis in partibus è vivis excessisse, non est dubium; quibus sicut Evangelii prædicatio non fuit concessa, ita nec data interna ad credendum sufficiens gratia. Quam nec omnibus infidelibus dari, num. 435. ostensum est ex Augustino, n. 436. ex Prospero, num. 438. ex epistola Synodica SS. Patrum pro fide in Sardinia exulum, pluribusque aliis sanctis Patribus.

455 Quibus addi potest aliud Prosperi testimonium ex libro Sententiarum de Capitul. Gall. sent. 4. ubi sic habet: *Qui dicit, quòd non omnes vocentur ad gratiam, si de his loquitur, quibus Christus annuntiatus non est, reprehendi non debet. Quia scimus quidem in omnes fines terræ Evangelium destinatum; sed non putamus jam omnibus terræ finibus prædicatum. Nec possumus dicere, quòd ibi sit gratiæ vocatio, ubi Matris Ecclesia adhuc nulla est regeneratio.*

456 Addi potest & S. Thomæ doctrina (per Ecclesiam approbata) ex lect. 6. super cap. 15. Joan. Et 2. 2. q. 10. a. 1. juxta quam certum est esse multos negativè infideles, quibus propterea infidelitatis peccatum non imputatur. Quâ verò certitudine constat dari aliquos negativè infideles; eadem certitudine constat, ipsos gratiam ad credendum sufficientem non accepisse, supernaturalem utique ad hoc illuminationem intellectûs, piamque motionem voluntatis. Aliàs ei resistendo jam essent infideles contrariè, esseque desinerent infideles negativè.

457 Nec dici potest à S. Thoma admitti quidem infideles negativè, per respectum ad fidem Christi explicitam; qui tamen acceperint gratiam sufficientem ad credendum in Christum implicitè. Aliàs eo ipso quo in Christum non crederent implicitè, essent infideles contrariè, utpote resistentes fidei implicitæ in Christum, sibi sufficienter propositæ. Eo ipso proinde peccatum infidelitatis ipsis imputaretur, & propter illud meritò damnarentur, manifestè contra mentem & litteram S. Thomæ.

458 Supereſt ut ex Scriptura & Patribus ostendamus, non omnibus peccatoribus, maximè excæcatis, & obduratis, dari pro eo statu gratiam sufficientem; quod cum Facultate Theologica Lovanienſi & Duacenſi in famosis Censuris, & Thoma de Lemos in Panoplia to. 4. l. 4. p. 2. c. 16. & seqq. tam firmiter asserit Massoulieus, Inquisitor Tholosanus, Reverendissimi P. Antonini Cloche (Generalis Prædicatorum) Socius, in opere Romæ edito, cum approbatione Magistri S. Palatii, Summoque Pontifici Innocentio XII. dicato, cui titulus, *S. Thomas sui interpretes* q. 8 ut dicere non dubitet, *pro comperto haberi, excæcatis & obduratis nulla à Deo concedi auxilia, etiam sufficientia, eosque, ut loquitur Augustinus, per malum velle amisisse bonum posse.* Nec obstare D. Thomam, cùm dicit, erroneum esse existimare, aliquem, quantumcumque in profundum venerit, non posse emergere & respiscere. Quia hoc solvitur adhibitâ eâ distinctione (quam dicit communiorem esse, compendiosamque magis & expeditam) scilicet, eos quidem, pro eo excæcationis & obdurationis statu, non posse resurgere potentiâ intrinsecâ, & ex auxilio sufficienti actu habito; posse tamen potentiâ extrinsecâ, sive divinâ potentiâ, ac divino auxilio, quod etiam immeritis conferri potest, quodque licèt non habeant in actu, habent in potentia. Nam (ut Lemosius sapienter observat to. 3. p. 2. tr. 2. n. 138.) id quod homo potest ex auxilio divinæ gratiæ (si illud habeat in potentia, tametsi non in actu) absolutè potest, nec homini est impossibile, ut jam suprà ex D. Thoma & S. Hieronymo dictum est: cùm Philosophus doceat, quòd id aliquo modo possumus, quod per amicos possumus.

459 Probatur itaque nostra de magnis peccatoribus, maximè excæcatis & obduratis assertio, ex divina Scriptura, docente, peccatores quosdam à Deo non tantùm deseri, ac dimitti secundùm vias suas, & secundùm desiderium cordis sui; verùm etiam obdurari & excæcari. Joan. 12. Isa. 6. Hierem. 13. Rom. 11. *tradi in passiones ignominiæ, & reprobum sensum.* Rom. 1. Omnibus verò istis, taliter à Deo desertis & dimissis, obduratis & excæcatis, traditis in passiones ignominiæ, & reprobum sensum; istis (inquam) omnibus adhuc velle tribuere auxilium sufficiens ad peccatum vitandum, ad conversionem & salutem, nimis absurdum est (ait Censura Duacensis anni 1588.) cùm ejusmodi dimissio, desertio, obduratio, excæcatio, & traditio, significet auxilii necessarii negationem, vel subtractionem. Deinde quomodò sufficiens ad salutem auxilium ne tum quidem deesse dicitur, quando, ut aliæ Scripturæ testantur, ablatâ sæpè, ac dirutâ maceriâ protectionis divinæ, & inhibitis ad Dei mandatum nubibus gratiæ cælestis (Isa. 59.) *pluit super peccato-*

res laqueos (Psal. 10.) cùm *mensa eorum sit ipsis in laqueum, & in scandalum. Obscurantur oculi eorum ne videant, & dorsum eorum* Deus *semper incurvat* (Psal. 68.) ut *fiant contra Dominum semper* (Psal. 108.) *fiunt viæ illorum tenebræ & lubricum, & Angelus Domini persequens eos* (Psal. 34.) Quî enim poterit quis & in tenebris, & in lubrico, hoste à tergo persequente, rectè ambulare? Rursus si omnes semper & ubique habent hoc auxilium (uti volunt Lessius, & Hamelius, contra quos militat Censura tam Lovanien sis, quàm Duacensis) Ergo.... nullo contemptu Christi, & beneficiorum ejus, poterit hoc ejus gratiæ beneficium à quopiam excludi, aut repelli. Ergo quotquot Christum, & Discipulos ejus, extremo odio & malitiâ sunt persecuti, beneficiorum Incarnationis & Redemptionis ejus fuerunt participes, eò usque, ut hoc quod ex parte Dei habuerunt, eis sufficeret ad salutem. Cùm tamen è contrario testetur Synodus Tridentina (sess. 6 c. 3.) quòd etsi pro omnibus mortuus est Christus, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, sed ii dumtaxat, quibus meritum Passionis communicatur. Omnes verò mortis ipsius beneficium reciperent, si gratiam reciperent ad salutem remotè vel proximè sufficientem.

460 Secundò probatur ex Patribus, allegata Scripturæ testimonia unanimiter explicantibus de subtractione omnis gratiæ supernaturalis; unanimi proinde suo consensu irrefragabile facientibus argumentum, cui nullus contradicere potest, juxta Tridentinum sess. 4. §. *præterea*. Ad ista verò verba Hierem. 51. *Curavimus Babylonem, & non est sanata, derelinquamus eam, & abeamus unusquisque in terram suam*: tametsi sensus unus, & glossa una Sanctorum sit, has voces esse sanctorum Angelorum, peccatores obduratos in morte deserentium; est tamen & alius sensus, juxta quem maximos peccatores obduratos (sub nomine Babylonis spiritualiter intellectos) sancti Angeli non deserunt quidem totaliter (quamdiù vivunt) quoad corporis custodiam, benè tamen subinde quoad communicationem supernaturalium auxiliorum. Sic enim habet Glossa ordinaria, quæ est S. Hieronymi, in illum locum: *Vide nequando Angelis præcipiat Deus, languenti animæ tuæ medicamenta conficere, si quo modo possis sanari; & respondeant ei: Curavimus Babylonem, &c. Sunt medici, sub magno Medico, Angeli Dei, volentes animas nostras à vitiis curare. Quos ipsi repellimus, dum consiliis eorum non acquiescimus. Qui videntes se perdere operam, ad invicem dicunt, relinquamus eam.... Cave nequando relinquat te Medicus, vel Angelus Dei.... Si enim dereliquerint te.... patet quòd abcessio Medici condemnatio tua sit, ut irremediabilis & nolentis curari. Accidet ergo tibi quod accidit his qui desperantur à Medicis.... Si ægritudo tanta sit, ut repugnet curationi.... relinquit eum desperans Medicus, ne expiret inter manus ejus, & mortis videatur reus. Ne ergo inter sanctorum Angelorum manus moriamur, relinquunt nos desperantes, & dicentes, non est malagma imponere, nec oleum, nec alligaturam: quia appropinquavit judicium ejus.* Ex hac igitur Hieronymi glossa perspicuum est, magnis peccatoribus, curari renuentibus, nonnunquam ante mortem subtrahi medicamentum, & oleum, & alligaturam, id est, adjutoria supernaturalia, quibus curari possent, & sine quibus non possunt.

Similiter verba ista Isa. 5. *Ostendam vobis* 461
quid ego faciam vineæ meæ: auferam sepem ejus, & erit in direptionem. Diruam maceriam ejus, & erit in conculcationem. Et ponam eam desertam: non putabitur, & non fodietur, & ascendent vepres & spinæ, & nubibus mandabo ne pluant super eam imbrem: sacri Interpretes, Basilius, Hieronymus, Cyrillus, aliique Patres, & cum ipsis S. Thomas, in sensu spirituali de peccatrice exponunt anima, quæ supernis adjutoriis obstinatè resistens, iis tandem ob indignitatem suam privatur, denudaturque. Basilius namque in c. 5. Isa. *Nobis* (inquit) *adimuntur molitiones murorum, cùm per socordiam & torporem nos indignos reddiderimus tutelâ divinorum dogmatum. Equidem justo Deus turris est à facie inimici: à peccatore autem tamquam derelicto*, CUSTODIA OMNIS AUFERTUR, TOTIUSQUE FORTITUDINIS MUNITIONE AC PROPUGNACULO PRIVABITUR. "Et dimittam vineam meam, & non putabitur, neque fodietur: " *Quòd à Deo deseranur peccatores, fit per eorum ignaviam, ut hinc liquet.... de quorum enim salute prorsus desperat, tales sinit solutos abire ad explendas voluntates carnis, & cogitationum suarum, quando castigatio omnis inutilis sit futura. Itaque ait:* " dimittam vineam "; *quidque ei contingat, deserente eam Domino, subnectit:* " nequaquam putabitur, neque ampliùs fodietur..... *Deinde..... ab ea tollitur pluvia, quandoquidem auxiliari gratiâ Dei sibi prærogatâ, non ut conveniebat usa est. Itaque etiam nos, siquando deprehendemur minùs rectè usi occasione rei benè gerendæ, indultâ nobis à Deo, tunc nobis adimitur cæleste præsidium.*

Hieronymus ibidem: *Quoniam feci vineæ* 462
meæ cuncta quæ debui, & pro uvis attulit labruscas, auferam universa quæ dederam. Quia tollitur Dei auxilium ab iis qui indigni sunt, ut qui non senserunt Deum per beneficia, sentiant per supplicia. Aufert ergo Deus auxilium omne, quod dederat, ob resistentiam obstinatam, quâ eo se indignum reddidit, pro uvis bonorum operum proferendo labruscas malorum. Porrò auxilium, cui peccator taliter resistit, non est efficax, sed illud quod à Molinistis dici solet sufficiens.

Cyrillus quoque Alexandrinus super eadem verba dicit, quòd tales peccatores Deus *curâ supernâ nudet & destituat.* Et id quod Propheta addit, " & non putabitur, & non fodie-

tur : „ sic explicat, *id est, nulla ei cura impendetur, quæ eam possit corrigere, & in melius reducere.* Evidentiùs non posset subtractionem gratiæ sufficientis exprimere.

464 *Cùm enim quis, continuò peccans, Dei consequitur indulgentiam, & posteà nihil ab hac æquanimitate lucri facit homo, ad malitiæ fugam; hunc præparat deinceps Deus, ut cor vel invitum ad ipsum malorum deducat culmen, funditùsque corruat, neque jam det pœnitentiæ locum; quod in Pharaone contigit*, inquit Chrysostomus Homil. 4. de pœnit.

465 Hoc verò (juxta SS. Patres) contingit, dum mensuram peccator implevit peccatorum suorum. De qua idem Cyrillus l. 3. de ador. in spirit. & verit. dicit, quòd *mensuram quandam, quæ ab Hierusalem exibat, vidit Propheta, rogantique quid illud esset, respondit Angelus : Hæc est iniquitas ipsorum in universa terra.* (Zachar. 5.) *Quod perinde est ac si dixisset : Hâc mensurâ omnia appenduntur peccata, quæcumque per universam terram singulis quibuscumque temporibus perpetrantur. Ubi enim nostra peccata usque ad manifestam pervenerint magnitudinem, tum verò offensus, pœnas à nobis repetit ipse legum Conditor. Frequenter autem instità quâdam benignitate tolerat, peccantesque sustinet, neque, antequam sit modus completus, universam effundit iram. Itaque dixit Abrahæ :* „ Nondum enim impleta sunt peccata Amorrhæorum usque adhuc. „ *Pharisæis autem, qui effrenatè illum offendissent, dixit Christus :* „ Implete mensuram Patrum vestrorum.

466 Mensurâ impletâ, fit illud quod S. Isidorus Pelusiota (explicans illud Apostoli, *Tradidit illos Deus in reprobum sensum, repletos omni iniquitate*) l. 4. epist. 101. dicit : *Vide quàm accuratè loquitur. Non dixit, tradidit replendos; sed jam repletos reliquit atque destituit. Haud aliter ac si quis Pastor bonas oves pestilentiali lue correptas, extra gregem abire, & quodam modo lupis tradere consueverit; non quòd eas in fauces luporum projiciat, sed quòd suâ curâ ac præsidio eas denudet, ac destituat.*

467 Fit & illud, quod S. Joannes Damascenus l. 11. fid. orthod. c. 29. ait : *Est duplex desertio.... Est quædam desertio.... ab omnimoda desperatione proficiscens..... Omnimoda autem desertio tum demum locum habet, cùm nullo salutiferi remedii genere prætermisso, stupidus tamen & incuratus, vel (ut rectiùs loquar) incurabilis propriâ animi destinatione homo remanet; ac tum in extremum exitium traditur, ut Judas.*

468 Fit denique illud, quod ait Augustinus in Psal. 159. *Ecce deserit peccatorem, ecce non vocat, ecce non aperit sensum, ecce non infundit gratiam.* Et quod S. Thomas, suprà relatum Isaïæ locum interpretans, dicit : *Auferam sepem ejus, id est, auxilia Angelorum, quibus contra hostes protegebatur..... Et ponam eam desertam, id est, relinquam eam incultam, sicut desertum. Non putabitur admonitionis aut correctionis vomere, quandò peccat, &c.* Non relinqueretur autem inculta sicut desertum, nec destitueretur auxiliis Angelorum, nec monitionis & correctionis vomere, si non destitueretur auxiliis gratiæ sufficientis, id est, supernis illustrationibus intellectûs, piisque voluntatis motionibus : utpote quæ per Angelos subministrantur, & per quas animæ desertum colitur, admonetur, corrigitur, &c.

Est quidem aliqua Dei desertio non omni- 469
moda, nec ad damnationem ejus qui deseritur, sed ad ipsius emendationem & salutem, aut etiam ad alios æmulationis studio inflammandos, aut denique ad Dei gloriam; sed præter eam est quædam omnimoda desertio, ut Damascenus dicit. Et ista fit per subtractionem omnis auxilii supernaturalis, nedum efficacis, sed & sufficientis. Similiter est etiam duplex excæcatio & obduratio; una quæ fit per talem subtractionem gratiæ efficacis, ut peccator permittatur in maxima gravissimaque peccata continuè cadere; quod addo, si enim sola sufficeret subtractio gratiæ efficacis quomodocumque, multi justi, etiam sancti, v. g. S. Petrus, David, &c. dici possent excæcati fuisse, & obdurati, dum subtractâ gratiâ efficaci, cadere sunt permissi. Altera quæ fit per subtractionem etiam gratiæ sufficientis. Et ista est excæcatio simpliciter dicta, ubi altera est secundùm quid dumtaxat. Excæcationem verò simpliciter dictam esse admittendam, constat ex allatis divinæ Scripturæ testimoniis, juxta unanimem SS. Patrum expositionem intellectis; necnon ex eo quòd excæcatio & obduratio simpliciter dicta, quam in magnis quibusdam peccatoribus admittunt sancti Doctores, importet omnimodam privationem cognitionis spiritualium, ut S. Thomas docet 2. 2. q. 15. a. 2. in corp. ita ut taliter excæcati destituti sint *omni lumine veritatis*, uti S. Augustinus dicit in l. de perfect. justit. c. 19. Idque de seipsis taliter excæcati fatentur Sap. 5. *Justitiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis.* Unde in ipsis *jam oculus mentis extinctus est*, ut Augustinus dicit in Psal. 52. Et hoc quidem justè. Quia continuum & obstinatum *prævaricatorem legis dignè lux deserit veritatis; quâ destitutus utique fit cæcus, & plus necesse est offendat, & cadendo vexetur, vexatusque non surgat*, ait idem S. Doctor l. de nat. & grat. c. 22. Et enarrat. in Psal. 6. explicans verba ista, *Dedit eos in reprobum sensum*, dicit quòd *ea est cæcitas mentis. In eam quisquis datus fuerit, interiore Dei luce secluditur :* non sic quidem penitùs in hac vita, ut penitùs extra Deum sit, irreversibiliter ab eo separatus, sicut sunt in malo obstinati illi, qui in inferno sunt, qui habent *voluntatem irreversibilem malo adhærentem* (inquit S. Thomas q. 23. de volunt. Dei a. 7. ad 6.) isto namque modo excæcatus & obstinatus non est aliquis in hac vita (in qua peccator semper corrigi potest per gratiam, quam semper, quamdiù vivit,

recipere potest per misericordiam Dei, & meritum Christi) licèt pro statu excæcationis & obdurationis id non possit per gratiam actu receptam. Quo certè in statu Pharaonem fuisse, Augustinus in exposit. quarumd. propos. in epist. ad Rom. n. 61. existimat, cùm dicit, quòd *obdurato corde obtemperare non poterat.* Sicut & S. Fulgentius in l. de prædest. & grat. c. 15. cùm dicit, quòd Pharao *nullâ intrinsecùs vocatione pulsatus fuerit*, quòdque ipsi *divinum ut obduraretur defuerit præsidium.* Et c. 14. quòd *nullam quâ converteretur misericordiam* intrinsecùs *accepit*; *tametsi* extrinsecùs *patientia Dei valere ei debuit ad salutem, quâ differens justum meritumque supplicium, miraculorum verbera crebra densabat*; quâ proinde monebatur *Deum tantæ virtutis agnoscere*: quod profectò poterat per gratiam, quam ab ipso poterat accipere, & reverà accepisset, nisi eâ se indignum continuè peccando reddidisset: quam ob causam ipsum Deus ad malorum culmen deduxit, funditùsque contrivit, neque jam dedit pœnitentiæ ullius locum, uti Chrysostomus dicit loco suprà relato. Et confirmat S. Isidorus l. 2. de summo bono c. 16. dicens, quòd *deserente Deo nullus pœnitere potest* (dictâ utique potentiâ) *nonnulli autem ita despiciuntur à Deo, ut deplorare mala sua non possint, etiamsi velint. Consilio immundorum spirituum hoc fit. Nam quia ipsis negatum est post prævaricationem regredi ad justitiam, observare aditum pœnitentiæ hominibus cupiunt, ne ipsi ad Deum revertantur, sed eos habeant socios perditionis; illud quibuscumque fraudibus agentes, ut aut deserantur à Deo, aut flagelli immanitate desperent. Ingemiscendum est jugiter, & excussâ omni securitate lugendum, ne Dei secreto & justo judicio deseratur homo, & perdendus in potestate dæmonis relinquatur.*

470 Tertia assertionis nostræ probatio petitur ex nimia dissolutione sequi nata ex contraria opinione. Sequitur enim nullo divinæ gratiæ, nullo Dei, nullo salutis contemptu, peccatorem (quàmlibet magnum & inveteratum) taliter excludi à participatione divinæ gratiæ, quin ad ultimum usque vitæ spiritum gratiam habeat sufficientem ad pœnitentiam & salutem, & taliter quidem sufficientem, ut in potestate liberi arbitrii ipsius sit eam reddere efficacem, quandocumque libuerit. Omnis enim peccator (secundùm Molinistas) quamdiù est in via, post quoslibet & quantoslibet Dei, divinæque gratiæ, aliorumque Dei beneficiorum, ac propriæ salutis contemptus, plenam habet potestatem se convertendi, per gratiam (quæ nunquam ipsi deest) plenè (licèt in nonnullis solùm mediatè) sufficientem, hoc sensu quòd numquam ipsi desit gratia plenè immediatè sufficiens ad orandum, quâ (uti semper potest) ritè utendo, certò obtenturus sit immediatè plenè sufficientem ad debitè se convertendum, saltem quandocumque ad id obligatus fuerit necessitate medii, vel præcepti, & usque adeò plenè immediatè sufficientem, ut sine alia gratia secutura sit ipsius conversio; quandocumque ipsi placuerit. Dici verò nequit quantum divinæ gratiæ contemptum, quantam morum dissolutionem, quantum conversionis neglectum peccatoribus ingerere nata sit ista opinio. Quid enim proclivius, quàm ut eâ imbuti peccatores gratiam ad ostium pulsantem negligant, divitias bonitatis, patientiæ & longanimitatis contemnant, laxent habenas concupiscentiis & passionibus suis, sine ulloque Dei vivant timore, dicentes, nunquam defuturum sibi tempus opportunum convertendi se ad Deum, cùm nunquam defutura sibi sit gratia ad id sufficiens, quam quocumque sibi placuerit tempore redditurí sunt efficacem, tempusque ad id oportunissimum tunc futurum, cùm maximè obligabit conversionis præceptum, in fine utique vitæ. Atque hoc pacto vanæ & inutiles erunt comminationes, quibus Deus toties minatur peccatoribus, patientiâ suâ abutentibus, derelictionem; cæcitatem, obdurationem, traditionem in reprobum sensum, risum & subsannationem in interitu ipsorum, non exauditionem precum ipsorum, &c. Enimverò ridebit comminationes istas peccator, dicetque, in superbia & abusione, gratiam plenè sufficientem ad se (dum libuerit) convertendum, certò sibi nunquam defuturam, nisi morte tam subitaneâ præoccupetur, ut nullum sibi concedatur instans usûs rationis, quo ante mortem converti possit, gratiamque conversionis Molinisticè sufficientem determinatione suâ efficacem reddere. Quod quia rarum est, oppositumque ut plurimùm contingit, à peccatoribus illis non multùm pertimescitur.

CAPUT XXIII.

Ex dictis cap. 17. alia exponuntur consectaria pessima, quæ ex data omnibus gratia Molinisticè sufficiente profluunt; consectariaque ex adverso optima, quæ ex ipsa peccatoribus nonnullis negata derivantur.

BReviter hîc me expediam, quia hisce de 471
rebus utcumque satis actum est laudato cap. 17. Ibi namque ostensum est 1°. quòd si gratia Molinisticè sufficiens, omnibus ratione utentibus semper adsit, saltem quantùm necesse est ad mandatorum observantiam, & salutem, & ne ipsis quidem obduratissimis peccatoribus, atque in reprobum sensum traditis unquam desit; persuasio ista ducit ad superbiam, ad præsumptionem, ad desperationem, ad abjectionem timoris salutaris, ad neglectum orationis, ad ingratitudinem, ad languentem erga Deum charitatem, ad iram, & defectum misericordiæ, lenitatis & charitatis supportantis erga proximum, ad torporem denique & omissionem sollicitudinis præstandi ea quæ Tridentinum sess. 6. c. 13. ipsismet justis necessaria dicit ad perseverandum-

472 Nihil est enim quòd justus adeò sollicitus sit, ut preces fundat, aliave necessaria præstet ad perseverandum in justitia, si ipsi gratia ad perseverandum necessaria, eaque Molinisticè sufficiens semper adsit, uti semper adesse docent Molinistæ: hoc enim dato, usque adeò in potestate ipsius est perseverare, ut ad de facto perseverandum alia gratia necessaria non sit, sed solùm necesse sit consentire gratiæ jam habitæ, suoque consensu ipsam efficacem reddere. Quod cùm justus semper habeat in sua potestate cùm libuerit, quid opus est orare, seu alia præstare ad perseverandum de facto? Cùm nemo petere debeat à Deo, gratiæ jam habitæ efficaciam, quam libero suo præstare potest arbitrio? Quis enim veraciter gemat, desiderans accipere quod orat à Domino, si hoc à seipso (suppositâ gratiâ jam habitâ) se sumere posse existimet? ait Augustinus de dono persev. c. 28. Et ut addit l. de nat. & grat. c. 18. *Quid stultius quàm orare ut facias, quod in potestate habeas?*

473 Orandi itaque studium tollit, vel certè multùm minuit Molinismus ille, tam respectivè ad justos, quàm ad peccatores. Sive enim oraverint, sive orationem neglexerint; ipsis equidem, urgente quocumque præcepto, nunquam deerit gratia proximè sufficiens ad illud adimplendum, quam pro sua quisque voluntate (sine alia gratia) efficacem reddere possit, dum ipsi placuerit, aliàs præceptum violaturus sine novo peccato. Ad quid igitur ipsis orandum?

474 An dices orandum pro uberiori gratia? Sed neque hoc necessarium est, cùm sine uberiori gratia in libero positum sit arbitrio (si ei placuerit) gratiam habitam, efficacem reddere, ipsamque efficacem reddendo, uberiorem, etiamsi non oret, sit consecuturus.

475 An orandum, ut, qui potest, obtineat gratiam quâ facilè possit? verùm si sine alia gratia absolutè possit, oratio non est absolutè necessaria, cujus contrarium ubique Scriptura personat: *Sine intermissione orate. Oportet semper orare*, &c.

476 An orandum, quia non semper adest gratia proximè sufficiens ad operandum, licèt nunquam desit ad orandum? At, secundùm Molinistas, nunquam deest gratia proximè sufficiens ad operandum, urgente operandi præcepto. Aliàs deesset libertas ad implendum præceptum: utpote quæ secundùm ipsos non adest, nisi positis omnibus ad illud implendum necessariis. Deinde si nunquam desit gratia proximè sufficiens ad orandum; nunquam ergo necessariò petendum orationis donum.

477 Denique si ideò dumtaxat orandum: non semper ergo orandum, nec sine intermissione; sed tunc solùm cùm deest gratia Molinisticè sufficiens ad operandum. Quæ cùm nunquam justis & sanctis desit, vel frequenter non desit, oratio frequenter non erit ipsis necessaria. Quod certissimè est contra Scripturam.

478 An orandum pro efficacia gratiæ, vel pro gratia sibi danda in circumstantiis, in quibus Deus prævideat futuram efficacem? At cur hoc à Deo petet, qui cum Molinistis credit, eam efficacem vel inefficacem, quibuslibet in circumstantiis, à libero suo reddi arbitrio, non à Deo? Cur (inquam) iste petet eam reddi efficacem à Deo? Vel cur petet sibi eam dari in circumstantiis, in quibus Deus prævidet futuram efficacem, non quia istis in circumstantiis ad opus bonum applicabitur & determinabitur à Deo; sed quia ipsa gratia applicabitur & determinabitur à libero suo arbitrio? Certè quòd aliquæ circumstantiæ, præ aliis, congruæ sint ad obtinendum gratiæ effectum, secundùm Molinistas, non aliunde provenit, quàm ex libero arbitrio, quod in his circumstantiis vult, in aliis non vult gratiam ad effectum determinare. Congruitas proinde ista petenda non est à Deo, cùm à solo sit arbitrio.

An denique orandum, ut Deus nos tentari, vel graviter tentari non permittat? Verùm, 479
ut Glossa ordinaria in illud 1. Cor. 10. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari*, &c. ex S. Augustino advertit, in hac sententia Apostolus satis ostendit, non id nobis orandum esse, ut non tentemur, sed ne in tentationem inducamur (& hoc reverâ est, quod nos orare Dominus docuit in oratione Dominica, non illud) induceremur autem, si tales acciderent tentationes, quales ferre non possemus. Quod profectò accidere non potest, si per gratiam Molinisticè sufficientem semper adsit nobis completa & proxima possibilitas non peccandi. Unde Augustinus l. de nat. & grat. c. 53. *Fideles* (inquit) *orantes dicunt:* " Ne nos " inducas in tentationem, sed libera nos à ma- " lo. " *Si adest possibilitas, ut quid orant?* Quid 480
plura? omnes illas Molinistarum cavillationes frivolas esse, facilè videbit, quisquis recogitaverit, à Scriptura & Ecclesia nos edoceri, quid à Deo orantes petere debeamus, utique *fiat voluntas tua, ne nos inducas in tentationem*; bonam proinde voluntatem, opera bona, ut ad se nostras rebelles propitius compellat voluntates, ut Deum in omnibus & super omnia diligamus, ut inserat pectoribus nostris amorem sui nominis, ut ad sua promissa curramus, ut ipsi dignè & laudabiliter serviamus, ut faciat nos amare quod præcipit, ut bonis operibus jugiter præstet esse intentos, &c. Quæ à Deo nos petere, nec Deus ipse, nec Ecclesia doceret, nisi Deus esset qui ista per gratiam suam in nobis efficeret.

Quod profectò non facit per gratiam Mo- 481
linisticè sufficientem, utpote quam habentes non illicò habent nominatos effectus, sed ad eos habendos tamdiù manent indifferentes, quamdiù voluntas humana seipsam & gratiam ad eos habendos non applicat, & determinat. Istam deinde applicationem, determinationemque à Deo (ipso & Ecclesia docente) petimus, dum supradicta petimus. Non petimus autem à Deo, nisi quod credimus fieri à Deo, ut docent Cœlestinus Papa in epist. ad Episcop.

Gall. c. 10. Innocentius I. in epist. ad Concil. Milevit. Et Augustinus l. de dono persev. cap. 7. & centies alibi. Fruſtrà ergo determinationem istam à Deo petimus, si Deus ipse non est qui nos ad ista determinat, determinandoque ista non donat; sed nosipsi, uti volunt Molinistæ. Igitur tollunt orationis studium.

482 Porrò ut justis & peccatoribus Molinistica opinio studium adimit orandi pro gratia explendi præcepta; ita & lapsis studium adimit orandi pro recuperanda gratia amissa, pro noviſque peccatis vitandis: cùm & ipsis nunquam desit gratia sufficiens ad istos effectus, cui cooperando quilibet ipsorum potest eam in actu secundo efficacem reddere, cùm libuerit.

483 Nec opinio illa salutarem minùs adimit timorem, quàm orandi studium, uti probatum est capite illo 17. Timendum quidem monent sancti Patres pro accepta gratia; ampliùs pro amissa; longè plus pro recuperata. *Dum adest* (inquit Bernardus Serm. 54. in Cant.) *time, ne non dignè opereris ex ea: nam hoc monet Apostolus:* „ Videte ne in vacuum „ gratiam Dei recipiatis.... „ *Quid si recesserit*, gratia utique? *num multò magis tunc timendum? Planè multò magis: quia ubi deficit gratia, deficis tu. Audi enim quid Dator gratiæ dicat:* „ Sine me nihil potestis facere. „ *Time ergo, subtractâ gratiâ, tanquam mox casurus.... Time, quia reliquit te custodia tua. Nec dubites in causa esse superbiam, etsi non appareat. Nunquid qui humilibus dat gratiam, humilibus aufert datam? Ergo argumentum superbiæ, privatio est gratiæ. Jam si gratia repropitiata redierit, multò ampliùs tunc timendum; ne fortè contingat recidivum peccati, & per illud (juxta Evangelium) aliquid deterius tibi contingat.*

484 Verùm cessat causa tanti timoris, si stet Molinismus. Cessat imprimis in justo gratiam habente: utpote talem semper habente gratiam dignè operandi ex ea, perseverandique in ea, ut eam pro beneplacito suo semper reddere possit efficacem. Quid igitur ipsi opus salutem suam cum timore & tremore operari in laboribus, in vigiliis, in eleëmosynis, in jejuniis, in orationibus, ne à justitia excidat, prout ipsi faciendum monet Tridentinum sess. 6. c. 13.?

485 Cessat etiam in peccatore, qui gratiam perdidit: quia nunquam equidem destituitur gratiâ necessariâ ad eam recuperandam, salutemque per mandatorum custodiam obtinendam; quam si voluerit efficacem reddere, de facto salvabitur. Denique cùm gratia repropitiata redierit, non est quòd tantopere timeat recidivam; utpote quam vitat quandocumque sibi placet per gratiam Molinisticam, quæ nunquam ipsi deest.

486 Sic sublato Dei timore, quid aliud sequitur, nisi habenarum laxatio ad omne vitiorum genus? Ecquod enim peccati genus metuat, qui post commissa peccata quæcumque, securus est nunquam defuturam sibi gratiam necessariam, & sufficientem ad salutem?

Humilitati etiam christianæ januam per opinionem illam claudi, superbiæ aperiri, eodem loco monstratum est. Verè namque humilis nihil boni in se agnoscit, nisi datum sibi à Deo. Nihil proinde sibi, sed totum Deo adscribit, bonique operis gloriam & laudem ipsi soli tribuit, juxta illud, *Soli Deo honor & gloria*, *cujus* (ut Ecclesia canit) *est totum quod est optimum.* Quomodò enim in se gloriari potest, qui *nihil habet de suo, nisi mendacium & peccatum*, uti definitur in Concilio Arausicano II. can. 22. At capitale istud humilitatis fundamentum evertit Molinismus; secundùm quem homo, in agendo, non solùm sibi tribuere aliquid potest, sed & præcipuas in agendo partes sibi adscribere, minùs præcipuas Deo. Cùm, ut sæpiùs dictum est, in agendo partes præcipuæ illius sint causæ, quæ alteram ad agendum applicat ac determinat, aliàs mansuram absque actione & effectu. 487

Et quomodò non præcipuæ partes sint illius causæ, quæ determinatione suâ facit se agere, à Deo solùm accipiens posse agere: cùm ampliùs sit agere, quàm posse agere? Quæ (amabo) causa in actu bono nihil tribuendi sibi, sed totum Deo, si Deus non facit nos agere, sed solùm dat posse agere? Tota certè causa dicendi cum Cypriano, *In nullo gloriandum, quia nostrum nihil est*, sive totum Deo tribuendi, juxta S. Augustinum, est quia *Deus est qui operatur in nobis velle, & perficere, pro bona voluntate*, sive *quia facit hominem cooperari, & determinat arbitrium hominis, & sic facit velle*, ut sapienter observat Cardinalis Toletus annot. 54. in cap. 5. Luc. & annot. 4. in cap. 11. ad Rom. Aliàs namque homo Deo dicere posset: *Totum quidem quod sum, de tua misericordia est: quia determinasti me ut essem. Sed quòd bonus sim, totum de misericordia tua non est: quia non determinasti me ut bonus essem; sed ego ad id me & gratiam tuam determinavi, determinandoque mihi dedi quòd bonus sim; mihi proinde melior fui, quàm tu mihi. Quia melior est ille, qui mihi dedit ut bonus sim, quàm ille qui mihi dedit ut sim*, prout arguit Augustinus in Ps. 58. Quomodò ergo homo, in agendo bono, existimare posset se nihil esse, si crederet actionem suam bonam à se solo esse ut causa determinante; à Deo verò nonnisi ut à causa à se determinata? Quomodò non aliquam sibi laudem ex ista determinatione tribueret: cùm determinatio ista haud dubiè laude digna sit? Quomodò per illam se meritò non præferret alteri, qui æqualem cum ipso gratiam à Deo accepisset, sed eam ad agendum bonum determinare noluisset? Sic tamen se præferre, vel aliquam sibi de bono actu laudem tribuere, non est humilis Christiani, sed hominis superbi. 488

Est & alia causa superbiæ, secundùm Molinismum. Aliud quippe gratiæ adjutorium non agnoscit, in hoc statu naturæ corruptæ, nisi 489

adjuto-

adjutorium sine quo non, quod primo homini collatum est in statu naturæ integræ, dum non agnoscit nisi auxilium ex se sufficiens, à liberoque hominis arbitrio determinabile ad effectum, vel non effectum, pro libitu ipsius. Quale primo homini collatum est. Si autem primus homo cum tali adjutorio perseverasset, perseverantiam ipsi Deus non dedisset, sed homo sibi per liberum arbitrium, juxta Augustinum toto libro de correpț. & grat. Per consequens perseverantiæ gloria aliqua libero primi hominis arbitrio tributa fuisset, non soli Deo: utpote qui perseverantiam ipsi non dedisset, sed ipse sibi per liberum arbitrium suum; quod per originale peccatum Molinismus non vult in naturalibus esse læsum, sed ad ea omnia potens, ad quæ potens esset, si homo in puris naturalibus conditus esset. Quo in statu non subsisteret istud christianæ humilitatis fundamentum: *Homo de suo non habet, nisi mendacium & peccatum.*

490 Denique gratiæ adjutorium homini necessarium, in statu naturæ lapsæ, Molinistæ contendunt certâ lege conferri facienti quod in se est solis naturæ viribus. Et hinc novæ causa superbiæ: quomodò enim homo existimabit se nihil esse, nihilque habere de suo, nisi mendacium & peccatum, qui solis naturæ viribus facere potest aliquid, ad quod certâ lege, adeòque infallibiliter sequitur gratia, per quam id pro libitu faciat ut oportet ad justificationem, & salutem; per quod proinde salus & justificatio ipsius posita sit in manu liberi arbitrii ipsius, sicut & potestas ut filii Dei simus, prout expressè docet Molina in Concord. q. 14. disp. 10. uti vidimus cap. 12. Homo certè de suo, sive ex solis liberi arbitrii sui viribus faciens aliquid, ad quod gratia & salus infallibiliter sequitur, de suo sibi quodammodò causa est gratiæ & salutis, de suoque ponit initium, & meritum aliquod illius, uti probavimus cap. 14. Habet ergo unde glorietur. Habet unde inflетur adversus alterum similiter non facientem, &c.

491 Hæc visa sunt adjicienda dictis cap. 17. in eorum confirmationem. Quòd Molinismus insuper januam aperiat præsumptioni, desperationi, ingratitudini, languenti erga Deum charitati, torpori, iræ & defectui misericordiæ, lenitatis & charitatis erga proximum, luculentam probationem habes ibidem.

492 Nec tamen adhuc finis pessimorum consectariorum, ex eo pullulantium: aliorum plurimorum infelix parens est, v. g. Philosophismi, seu damnatæ opinionis de peccato Philosophico. Si enim ad Theologicè peccandum adeò necessaria sit gratia Molinisticè sufficiens, ut sine ea peccari non possit peccato Theologico, in se imputabili, necessaria est actualis cognitio Dei, divinæque legis prohibentis, uti fatentur Molinistæ valdè multi. Et ratio est, quia gratia sufficiens secundùm ipsos consistit in pia illustratione intellectûs, piaque motione voluntatis. Quisquis ergo destitutus fuerit actuali illâ cognitione, destitutus erit gratiâ Molinisticè sufficienti. Theologicè ergo peccare non poterit, peccato in se imputabili, tametsi sentiat se agere contra dictamen rationis naturalis, conscientiæque remordentis. Solùm proinde peccabit peccato Philosophico.

Pullulant & aliæ laxitates non ferendæ, ut 493
constabit ex dicendis libro seq. Enimverò, experientiâ teste, in eas præ aliis proniores sunt Molinistæ, à quibus tot prodierunt propositiones ab Alexandro VII. & VIII. atque ab Innocentio XI. damnatæ. Non solent verò in laxiora proni esse Augustinianæ gratiæ defensores, qui Molinisticas repudiant Novitates; sed sicut Augustinianæ gratiæ, sic Augustinianæ Ethices, Evangelicique & Apostolici, seu moderati rigoris esse solent propugnatores; dumque gratiæ per se efficacis necessitatem defendunt, gratiamque Molinisticè sufficientem omnibus communem esse negant, doctrina ipsorum ducit ad humilitatem, ad salutarem timorem, ad spem & charitatem erga Deum & proximum, ad orationem & gratitudinem, ad singularem erga Salvatorem pietatem, ad pœnitentiam & fugam peccati, ad misericordiam & mansuetudinem erga proximum, &c. uti probatum est cap. 17. sæpè laudato.

CAPUT XXIV.

Gratia sufficiens, omnibus collata, necessaria non est ad hoc ut sua peccatoribus peccata in se ipsis sint imputabilia.

UT magis appareat Molinistas illos omni 494
probabilitate destitutos esse, qui asserunt de fide esse, quòd gratia sufficiens adultis omnibus ratione utentibus detur; superioribus argumentis istud adjicere lubet, quòd nulla sit necessitas id asserendi: neque enim gratia sufficiens, omnibus actu collata, necessaria est 1°. ad hoc ut sua omnibus peccata imputentur. Neque 2°. ad salvandam hominis lapsi libertatem ad meritum & demeritum. Neque 3°. ad salvandam præceptorum divinorum possibilitatem. Neque 4°. ad salvandam mortem Christi pro omnibus. Neque 5°. ad salvandum, quòd Deus vult omnem hominem salvum fieri. Absque necessitate verò novum illum fidei articulum, Patribus & Theologis antiquis incognitum, prædicare, valdè temerarium est.

Antecedens pro 2ª. 3ª. 4ª. & 5ª. parte proba- 495
bitur capitibus sequentibus. Pro prima parte jam probatur, quia si necesse foret adultis omnibus ratione utentibus gratiam tribuere sufficientem, ad hoc ut peccata sua ipsis possent imputari, necesse foret eam tribuere atheis, infidelibus, excæcatis, obduratis, in reprobum sensum traditis, &c. per consequens necesse foret ipsis tribuere supernaturalem mentis illustrationem, voluntatisque excitationem à peccato retrahentem. Cùm gratiam sufficientem actualem in excitatione & illustratione illa Mo-

496 liniſtæ conſtituant. Aſſerere verò quòd ſine illa mentis illuſtratione, voluntatiſque excitatione, atheis, infidelibus, excæcatis, obduratis, in reprobum ſenſum traditis imputari nequeant peccata ſua, error eſt Scripturæ ſacræ & Traditioni contrarius, ut ſapienter monet Natalis Alexander ubi ſuprà. Vaſtidæque in Congregatione 45. de Auxiliis pro Molinæ defenſione arguenti: *Si omnibus non datur auxilium ſufficiens: ergo quando homo peccat, non poteſt illi imputari ad culpam.* Meritò Lemos repoſuit: *Hæc illatio eſt Pelagiana.* Siquidem Pelagianos alloquens S. Hieronymus epiſt. ad Creſiphontem: *Vos aſſeritis*, inquit, *eos qui abſque legis ſcientia ſunt, peccata vitare non poſſe*; proinde imputabiliter non peccare. Nam ut Cœleſtius Pelagianus apud Auguſtinum l. de perfect. juſt. c. 6. arguit: *Si eſt aliquod peccatum, quod vitari non poſſit, quomodò juſtus Deus dicitur, ſi imputare cuipiam creditur, quod vitare non poſſit?* Ex hoc principio iſta Pelagianorum aſſertio in Synodo Dioſpolitana per Paleſtinæ Eccleſiæ Præſules jure damnata profluxit: *Oblivionem & ignorantiam non ſubjacere peccato: quoniam non ſecundùm voluntatem eveniunt, ſed ſecundùm neceſſitatem*; jure, inquam, damnata: reverà enim ſecundùm voluntatem eveniunt iis, qui ob peccata ſua per oblivionem & ignorantiam excæcari meruerunt.

497 Rurſus ſi abſque ſupernaturali illa mentis illuſtratione atheis, infidelibus, excæcatis, obduratis, &c. imputari nequeant peccata ſua; ſequitur atheis, infidelibus, excæcatis, &c. omni ad certum vitæ tempus ſupernâ illuſtratione, in pœnam peccatorum ſuorum, juſto Dei judicio deſtitutis, non imputari peccata, quàmlibet ex ſe gravia, quæ interim committunt. Non imputantur ergo iis qui, poſtquam rationis lumen brutis affectibus ſopierunt, vixque præter vultum aliquid hominis retinent, nullâ affulgente ſibi ſupernâ illuſtratione, Deum ignorant, vel de Deo actu non cogitant. Ex quo manifeſtè conſequitur ipſos Theologicè non peccare, ſed Philoſophicè dumtaxat; peccato proinde non mortali, neque æternâ pœnâ digno. Quæ eſt ipſiſſima propoſitio die 24. Auguſti 1690. per Alexandrum VIII. damnata, velut ſcandaloſa, temeraria, piarum aurium offenſiva, & erronea, videlicet: *Peccatum Philoſophicum, ſeu morale, eſt actus humanus diſconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi. Theologicum verò, & mortale, eſt tranſgreſſio libera divinæ legis. Philoſophicum, quantumvis grave, in illo qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, eſt grave peccatum, ſed non eſt offenſa Dei, neque peccatum mortale, diſſolvens amicitiam Dei, neque æternâ pœnâ dignum.*

498 Confer quæ dixi n. 426. de offenſione quam affinis Becheferii propoſitio Pariſiis apud eruditos cauſavit. Sicut & cauſavit propoſitio iſta Patris Pirot, in Apologia Caſuiſtarum pag. 38. *Si peccatores conſummatæ malitiæ, cum blaſphemant, & flagitiis ſe immergunt, non habent conſcientiæ ſtimulos, nec mali quod agunt notitiam, cum omnibus Theologis propugno, eos hiſce actionibus non peccare.* Quam Generalis Cleri Gallicani Conventus anno 1700. hâc cenſurâ notavit: *Hæc propoſitio falſa eſt, temeraria, perniciosa, bonos mores corrumpit, blaſphemias aliaque peccata excuſat, & ut talis à Clero Gallicano jam damnata eſt*, die utique 12. Aprilis 1641.

Enimverò quam excuſationem habent athei, 499
infideles, & fideles peccatores, quos Deus excæcavit, obduravit, & *tradidit in reprobum ſenſum, ut faciant ea quæ non conveniunt, repletos omni iniquitate, malitiâ, fornicatione, avaritiâ, nequitiâ*, &c. Rom. 1. Quam (inquam) excuſationem habent, tametſi in miſerando illo ſtatu, omni jam careant interiori gratiâ, dum peccant, inſenſibileſque facti ampliùs non ſentiant conſcientiæ ſtimulos, nec mentis illuſtrationes, quibus à peccato retrahantur? Nullam certè excuſationem habent, cùm in ſtatum illum ſuâ ſe culpâ voluntariè conjecerint, ſicut voluntariè ebrius; non magis proinde excuſabiles ſunt, in ſtatu illo blaſphemando, adulterando, occidendo, &c. quàm voluntariè ebrius in ebrietate ſimilia committendo; imò minùs excuſabiles ſunt quàm voluntariè ebrius: cùm ſuâ non ſint libertate, nec rationis uſu deſtituti, ſicut ebrius; ſed ſufficientiâ libertatis dumtaxat; ſiquidem adhuc gerunt voluntatem ad oppoſita potentem, advertuntque ſe blaſphemare, adulterare, occidere; non ſic ebrius: & quamvis in ſtatu illo non poſſint non peccare, ad certum tamen peccatum nullâ neceſſitate adiguntur, ſed hoc vel illud pro arbitrio ſuo eligunt. Denique quamvis fieri non poſſit, ut ab omni peccato ſe contineant, iſta equidem neceſſitas in ipſis non eſt antecedens, ſed conſequens; nec naturalis (qualis v. g. in nobis eſt neceſſitas moriendi, vel in beatis neceſſitas amandi Deum) ſed voluntaria, ſaltem in cauſa: utpote ex pertinaci creaturarum amore, depravataque ipſorum voluntate proveniens. Nam, ut S. Bernardus ait ſerm. 81. in Cant. *Neſcio quo pravo & miro modo ipſa ſibi voluntas, peccato quidem in deterius mutata, neceſſitatem facit, ut nec neceſſitas, cùm voluntaria ſit, excuſare valeat voluntatem; nec voluntas, cùm ſit illecta, excludere neceſſitatem.*

Contra manifeſtam ergo rationem cæcutit, 500
qui perditis illis peccatoribus, quos malitia excæcavit, & obduravit, excæcatoſque & obduratos Deus deſpexit, & ſubtractâ ad tempus omni interiori gratiâ dereliquit, peccata in illo ſtatu commiſſa, non imputari exiſtimat. Quippe maximum ex ſua illa cæcitate & obduratione impeccabilitatis privilegium peccando conſecuti eſſent, ſi illo in ſtatu peccato in ſe imputabili ampliùs peccare non poſſent.

Cæcutit & adverſus duo Moralis Chriſtia- 501
næ principia. Quorum primum eſt, quòd à culpa per ſe imputabili non excuſet ignoran-

tia,

tia, vel inadvertentia ad malitiam, voluntariè contracta. Secundum, quòd ne implendi quidem præcepti impotentia à culpa in se imputabili excuset, si in eam peccator suâ se sponte conjecerit, vel eam propriâ iniquitate volens contraxerit.

502 Primum principium ineluctabilibus argumentis demonstrabitur l. 10. p. 5. ubi (Deo dante) agemus de peccatis ignorantiæ.

Secundum principium uno ore tradunt SS. Patres, Augustinus, Prosper, Fulgentius, Anselmus, Hugo Victorinus, Bernardus, S. Thomas, &c.

503 Augustinus namque de corrept. & grat. c. 11. prolixè disputans de auxilio, sine quo non, seu sufficienti, dicit, quòd *si hoc adjutorium Angelo, & primo homini, cùm primùm facti sunt, defuisset, quoniam non talis natura facta erat, ut sine divino adjutorio posset manere si vellet, non utique suâ culpâ cecidissent. Adjutorium quippe* (ipsis absque culpa sua) *defuisset, sine quo perseverare non possent. Nunc autem quibus deest tale adjutorium, jam pœna peccati est:* Per consequens non deest nisi culpâ ipsorum, & ideò culpâ suâ cadunt, ipsisque imputatur quòd cadunt, sufficienti auxilio suâ culpâ destituti.

504 In hac doctrina perpetuus fuit Augustinus. Unde cùm ipsum hoc argumento Cælestius impetiisset: *Si est aliquod peccatum, quod vitari non possit, quomodò justus Deus dicitur, si imputare cupiam creditur, quod vitare non possit?* L. de perfect. just. c. 6. non respondit negando suppositum (quod profectò negasset, si nullum esse peccatum credidisset, ad quod vitandum possibilitatis gratia præstò non esset) sed aliam prorsus viam iniens: *Peccatum est* (inquit) *cùm vel non est charitas, quæ esse debet, vel minor est quàm debet, sive hoc voluntate vitari possit, sive non possit. Quia si potest, præsens voluntas hoc facit. Si autem non potest, præterita voluntas hoc fecit.* Ac si apertè dicat, homini imputari peccatum, quod vitare non potest, dum id non potest culpâ suâ, impotentiâ utique provenientе ex præterita voluntate sua. Cùmque reponeret Cælestius: *Si non potest homo sine culpa esse, cujus culpa est? ipsiusne hominis? an cujusvis alterius? si ipsius hominis, quomodò culpa hominis est, si hoc non est, quod esse non potest?* Augustinus non respondet, ideò esse culpam ipsius hominis, quia ipsi non defuit auxilium gratiæ sufficiens, nec proinde potestas ad peccatum vitandum; sed ideò esse culpam hominis, quòd non est sine peccato, quia *solâ hominis voluntate factum est, ut ad istam necessitatem veniret, quam sola hominis voluntas superare non posset.* Manifestè ergo censet à peccato in se imputabili non excusare peccati necessitatem, seu peccatum vitandi impotentiam, culpabili voluntate contractam.

505 Præterea tr. 53. in Joan. quærit Augustinus, quomodò induratis & obcæcatis, credendi potentiam non habentibus, sua imputari queat incredulitas? Allegatis namque verbis hisce Evangelii: *Propterea non poterant credere, quia iterùm dixit Isaias: Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum*, &c. Joan. 12. *Si non poterant* (inquit) *credere, quod peccatum est hominis, non facientis quod non potest facere?* Quæstionis profunditatem agnoscit: *Quam profunda sit cernitis.* Quæstio tamen tam profunda non esset, si gratia sufficiens ipsis (secundùm Augustinum) præstò esset; vel eâ destitutorum imputabilis non esset infidelitas. Si sic enim sensisset, negato supposito quæstionem facilè solvisset. Verùm non eò, sed prorsus aliò confugit Augustinus; ad perversam utique voluntatem ipsorum, cujus merito sublata est ipsis credendi possibilitas: *Quare non poterant credere? si à me quæratur, citò respondeo, quia nolebant. Malam quippe eorum voluntatem prævidit Deus, & per Prophetam prænuntiavit.... Sed aliam causam, inquis, dicit Propheta, non voluntatis eorum.... utique quia dedit illis Deus..... oculos ut non videant, & aures ut non audiant, & excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum. An etiam hoc eorum voluntatem meruisse respondeo..... Ergo absit, ut sit iniquitas apud Deum: sive adjuvat, misericorditer facit: sive non adjuvat, justè facit.*

Similiter Serm. 88. de temp. respondet ad 506
hanc quæstionem: Cur iniquitas illa Pharaoni imputetur, cùm Dominus cor illius obdurasse referatur? Similiter etiam epist. 105. nunc 194. ad Sixtum: sed *excusabunt se homines, qui nolunt rectè & fideliter vivere, dicentes: Quid nos fecimus, qui malè vivimus, quandoquidem gratiam unde benè viveremus, non accepimus? ..... Quid de nobis fit querela, quòd Deum offendamus malè vivendo, cùm illius voluntati nemo possit resistere, qui nos obduravit, misericordiam non præstando?* Non respondet, nemini in totum subtrahi misericordiam, seu gratiam Dei, sed taliter obmurmurantes Apostolo contradicere, dicenti: *O homo! tu quis es, ut respondeas Deo? qui per Moysem* (ait q. 50. super Deuteronomium de excæcatis & obduratis loquens) *ostendit, & sine adjutorio Dei homines intelligere & obedire non posse, oculis cordis, & auribus cordis; & tamen si adjutorium Dei desit, non ideò excusabile esse hominis vitium: quoniam judicia Dei, quamvis occulta, tamen justa sunt.* Ideò ergo dicit excusabile non esse vitium hominis, cui Dei deest adjutorium, quia nulli Deus illud subtrahit, nisi justitiâ exigente, in pœnam præcedentis peccati.

Nam, ut ait l. 3. de lib. arb. c. 18. *illa est pec-* 507
cati pœna justissima, ut amittat quisque quo benè uti noluit..... id est.... ut qui rectè facere cùm posset noluit, amittat posse cùm velit. Justo ergo *Dei judicio fit, ut peccator, cùm vult, non possit* (ait in sermone quodam de verb. Dom.) *quia quando potuit, noluit; & ideò per malum velle perdidit bonum posse*; perdidit proinde gratiæ sufficientis auxilium, per

quod habebat posse ; non autem solum auxilium gratiæ efficacis : utpote semper victricis malæ voluntatis ; per quam proinde nunquam vincitur, nec quamdiù vincit perditur. Similia habent Hieronymus in c. 5. Isa. Prosper vel Julianus Pomerius l. 2. de vit. contempl. c. 15. Gregorius Magnus l. 11. Moral. c. 5. l. 14. c. 4. Et l. 4. & 6. in cap. 2. l. 4. Reg.

508 Præterea l. 5. op. imperf. in Julian. n. 47. dicit, quòd tametsi diabolus non potest non peccare, utpote omni gratiâ in æternum spoliatus : quia tamen *necessitas ista peccandi, magna est diabolo magni pœna peccati* ; hinc *non excusatur à crimine. Quoniam & ista vindicta pro maximo est crimine, ut eum delectet sola malitia, nec possit delectare justitia. Ad hanc autem jam pœnalem peccandi necessitatem non utique pervenisset, nisi priùs liberâ voluntate, nullâ necessitate peccasset.* Et l. de nat. & grat. c. 22. *Nec cogitat* (Pelagius) *prævaricatorem legis quàm dignè lux deserat voluntatis : quâ desertus utique sit cæcus,* ET PLUS NECESSE EST OFFENDAT, *& cadendo vexetur.* Si desertus necesse est plus offendat, ipsum igitur à nova offensa in se imputabili necessitas illa non excusat. Idque ex Apostolo probat Rom. 1. *An enim nulla est pœna eorum, de quibus dicit Apostolus : quia cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt.... sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum.* Utique ista *obscuratio, vindicta & pœna jam fuit* ; *& tamen per hanc pœnam*, id est, per cordis cæcitatem (quæ fit deserente luce sapientiæ) IN PLURA ET GRAVIA PECCATA *collapsi sunt.... Ex hac pœna vide quò ierunt :* „ Et mutaverunt (inquit) gloriam incorruptibilis Dei in similitu„ dinem imaginis corruptibilis hominis, & vo„ lucrum, &c. „ *Ista fecerunt ex pœna, quâ obscuratum est insipiens cor eorum.... Et hæc tamen, licèt pœnalia,* ETIAM IPSA PECCATA SUNT. .... *pœna est ista iniquitatis,* CÙM SIT ET INIQUITAS. *Ecce quoties vindicat Deus, & ex eadem vindicta,* PLURA ET GRAVIORA *peccata consurgunt.* In seipsis proinde imputabilia, non solùm in causa. Aliàs non imputarentur plura & graviora, nec verum esset quod addit : *Hæc, licèt pœnalia, etiam ipsa peccata sunt.* Uti nec quod superaddit : *pœna est ista iniquitatis, cùm sit & iniquitas*, distincta utique ab iniquitate, cujus est pœna. Nec magis esset verum, quod l. 5. contra Julian. c. 3. aliàs 4. dicit : ea peccata & esse *peccatorum supplicia præteritorum, &* SUPPLICIORUM *merita* FUTURORUM. Neque enim novorum suppliciorum merita forent, nisi nova forent peccata. Videatur & c. 23. libri de nat. & grat. ubi sic : *Fortassè respondeat* (Pelagius) *Deum ad ista non cogere, sed dignos deseri tantùm deserere. Si hoc dicit, verissimè dicit. Deserti quippe, ut dixi, luce justitiæ*, ac per hoc contenebrati, *quid pariant aliud quàm hæc omnia.... opera tenebrarum, donec dicatur eis... Surge qui dormis, &c. ?*

Infinitus essem, si omnia Augustini testi- 509
monia prosequi vellem, quibus hanc apertissimè tradit veritatem. Duo proinde solùm adjiciam, unum scilicet ex l. 1. Retract. c. 15. alterum ex cap. 62. In priore namque loco, *Qui cogenti* (inquit) *cupiditati bonâ voluntate resistere non potest, & ideò facit contra præcepta justitiæ, jam hoc ita peccatum est, ut sit etiam pœna peccati.* Dicendo namque *ut sit etiam*, perspicuè innuit istud esse in se peccatum, distinctum à peccato cujus est pœna. In Posteriore verò sic ait : *Sicut in iis quos eligit Deus, non opera, sed fides inchoat meritum, ut per munus Dei benè operentur ; sic in iis quos damnat, infidelitas & impietas inchoat pœna meritum, ut per ipsam pœnam etiam malè operentur.* Non solùm ergo ipsis imputatur quòd infideles sunt & impii, sed etiam quòd consequenter ad infidelitatem malè operantur. Quemadmodùm ergo fides in iis quos eligit Deus, sic inchoat meritum, ut ipsa etiam bona opera sequentia verè in seipsis meritoria sint ; sic infidelitas & impietas, in iis quos damnat, sic inchoat demeritum, ut ipsa etiam opera mala inde consequentia verè in seipsis demeritoria sint.

Propterea Magistro Discipulus, Augustino 510
consonat Prosper Carm. de ingrat. c. 32.

Non autem rectè, nec verè dicitur, illos
Qui sunt exortes divini luminis, & quos
Gratia neglexit, degentes mortis in umbra,
Peccati non esse reos, quia recta gerendi
Non data sit virtus.

Rationem dat l. contra Collat. c. 23. *Agnoscat* 511
homo, gratiam se suo vitio perdidisse ; & non ideò iniquam esse exactionem, quia ad reddendum quod debet idoneus non est ; sed à littera occidente confugiat ad spiritum vivificantem ; quod si facit, magna est misericordia Domini. Si non facit, justa est pœna peccati. Ac si apertè dicat, ipsum à debito reddendo non excusari per impotentiam reddendi : quia gratiam, quâ poterat, vitio suo perdidit, impotentiamque velut pœnam suâ culpâ peccando contraxit. Consonat & Fulgentius l. 2. de veritate prædest. & grat. c. 20. *Solent homines in tenebris propriæ cæcitatis extantes, cùm.... vident se pro tenebrosi cordis perversitate culpari, excusationi suæ de justa Dei voluntate injustum capere suffragium, ut exinde majus recipiant punitionis argumentum. Accusant enim Deum, à quo gratiam non accipiunt, & seipsos excusant, qui Deum justum vitio suæ iniquitatis offendunt. Ipsi suis manibus inferunt plagas, & Medico non dubitant importare calumniam* : facti imitatores Adrumetinorum, qui causabantur, se, defectu gratiæ, mandata prævaricantes arguendos non esse, cùm ea non possent non prævaricari. Quibus nec Fulgentius, nec Prosper, nec Augustinus unquam responderunt, ipsis ad ea non prævaricanda nunquam deesse gratiam, remotè saltem sufficientem, quâ benè

utendo certò obtinerent proximè sufficientem, ut Molinistæ dicunt (quo unico verbo totam illam tempestatem illicò sedassent) imò de gratia illa remotè sufficiente ne verbum quidem Augustinus dicit toto libro de corrept. & grat. ad sedandas Adrumetinorum querelas conscripto. Quid ergo dicit? gratiâ utique destitutos, ideò reos & inexcusabiles esse, quòd vel gratiam acceptam abjecerint, vel eâ culpâ suâ seu culpabili voluntate destituti sint.

512 Venerabili SS. Patrum illorum Triadi subscribit D. Anselmus l. de Concord. c. 17. dicens, quòd *impotentia, quæ descendit ex culpa, non excusat à culpa impotentem, culpâ manente.* Quorum verborum sensus perspicuus, naturalis & obvius est, quòd talis impotentia non excuset à culpa impotentiam consequente; distincta proinde à culpa impotentiam antecedente, per quam causata est impotentia: utpote à qua, sive manente, sive non, impotentia ipsam consequens excusare nunquam potest. Frustrà proinde Anselmus alioquin adderet tò *culpâ manente.* Ridiculum enim foret, quærere vel disputare: an manente culpâ, per quam causata est impotentia, hæc ab illa excuset: cùm evidenter inexcusabilis sit, quamdiù manet. De ista ergo culpa non loquitur Anselmus, sed de culpa non suscipientium verbum Dei impotentiam illam consequente, uti manifestum est ex objectione, ad quam respondet.

513 Cum Anselmo, Hugo de S. Victore l. 1. de Sacram. p. 7. c. 23. *Non potest excusare necessitas, quam præcedens operata est voluntas.*

514 Et S. Bernardus serm. 81. in Cant. *Nec necessitas* peccandi, seu non peccandi impotentia, *cùm voluntaria sit, excusare valet voluntatem.... Si non esset voluntaria, forsitan sic possem excusari.... Nunc verò nusquam exitus misero patet, quem voluntas, ut dixi, inexcusabilem facit.* Et S. Aëlredus spec. charit. cap. 13. *Cur non justissimè ipsa ei impotentia imputetur, quam non ei Creator imposuit, sed cui ipse se sponte submisit?*

515 Et S. Thomas l. 3. contra Gent. c. 159. & 160. de gratiæ necessitate ex professo disputans, dicit, quòd peccata, quæ committuntur ab iis, quibus culpâ ipsorum subtracta est gratia, sine qua vitari non possunt, nihilominùs eis imputantur ad culpam: quia hic gratiæ defectus ex culpa præcedente in eis relinquitur. *Sicut ebrius ab homicidio non excusatur, quod per ebrietatem committit, quam suâ culpâ incurrit.* Hic locus est peremptorius: neque enim culpabiliter ebrium à culpa homicidii excusat impotentia vitandi tunc homicidium: quia, ut S. Doctor ait, hic defectus ex culpa præcedente in ipso provenit. Multò ergo minùs hominem, auxilio sufficienti culpâ suâ destitutum, excusat impotentia vitandorum tunc scelerum, quæ in isto divinæ desertionis statu committit. Quia, ut sapienter advertit eximius Author Historiæ Congreg. de Auxil. in addit. ad l. 3. pag. 104. majori peccandi necessitate laborat ebrius, quàm desertus. Ebrius quippe nullo, aut certè debili admodùm liberi arbitrii usu pollens, pecudum more in scelus ruit. Desertus, libero arbitrio, oppositorum semper potenti, fruens, in actus prorumpit volens ac sciens, peccatoque reipsâ consentit. Aliud quippe est libertas agendi, aliud sufficientia libertatis. Libertatem ad utrumlibet desertus retinet, sufficientibus licèt auxiliis destitutus; solâque libertatis sufficientiâ in præcedentium delictorum pœnam exutus est: cùm contrà homo, mero depositus, liberi arbitrii usu captus sit.

516 Eo autem haud obstante, S. Thomas in tradenda illa de peccatis ebriorum doctrina constans semper fuit, ut videre est in 2. dist. 2. 2. q. 2. a. 2. ad 2. ubi sic: *Dicendum quòd ebrius homicida duobus peccatis peccat, scilicet ebrietate & homicidio: propter quod dicitur duplices multationes mereri.* Et 2. 2. q. 150. a. 4. *Si in actu præcedenti subsecuta est ebrietas sine peccato, tunc peccatum sequens totaliter excusatur à culpa, sicut fortè accidit in Loth. Si autem actus præcedens fuit culpabilis, sic non totaliter aliquis excusatur à peccato sequenti:* quia scilicet redditur voluntarium ex voluntate præcedentis actûs, in quantum aliquis, dans operam rei illicitæ, incidit in sequens peccatum.

517 Hinc 1. 2. q. 77. a. 7. ad hoc ut peccata in ebrietate commissa, in seipsis imputentur, satis esse dicit voluntarium seu liberum in causa: *Aliquid potest esse voluntarium, vel secundùm se, sicut quando voluntas directè in ipsum fertur; vel secundùm suam causam, quando voluntas fertur in causam, & non in effectum, ut patet in eo qui voluntariè inebriatur. Ex hoc enim quasi voluntarium ei imputatur, quod per ebrietatem committit,* & imputari dicit in peccatum distinctum à peccato ebrietatis, ibidem q. 76. a. 4. ad 4. *Ebrius meretur duplices maledictiones, propter duo peccata quæ committit,* scilicet ebrietatem, & aliud peccatum, quod ex ebrietate sequitur.

518 Scio nonnullorum opinionem esse, quòd culpabiliter ebrio sola ea peccata imputentur, quæ sibi eventura prævidit. Verùm hoc dato, non concesso, saltem necesse non est, quòd prævisa sint in specie, sed in genere, sive in communi, & in confuso dumtaxat: quia (ut rectè Cajetanus 22. q. 150. a. 4.) *reputatur prævisum peccatum, non solùm si sit prævisum in sua specie, puta quia novit quis, se ebrium proximis detrahere; aut in suo genere, puta quia novit quis, se ebrium vitio linguæ irreturi, quamvis modò detractione, modò contumeliâ, modò blasphemiâ, modò irrisione, modò turpiloquio; sed etiam si sit prævisum in communi, puta quia scit se ebrium in aliquo peccare, licet nesciat in quo genere tunc peccabit.* Incredibile verò est, toto temporis tractu, quo peccator, per longum lapsuum & relapsuum funem, devenit in statum obcæcationis & obdurationis, ne quidem in communi prævidisse, secutura inde mala multa: utpote quæ præ-

videre facillimè potuerit, ob experimentum, quo per tot lapsus & relapsus, proclivem in omne penè scelus animum expertus est.

519 Quidquid tamen de eo sit, longè probabilior est sententia Theologorum illorum, qui peccata, ex culpabili ebrietate secuta, imputari docent, sive prævisa illa fuerint, sive non fuerint. Quia etiamsi fortè prævisa non fuerint, prævideri certè debuerunt. Unde Cajetanus post verba allegata sic pergit: *Reputatur rursus prævisum, non solum si sit præcognitum, sed si debuit esse prævisum præcogitando, puta quia expertus est inclinationes suas pronas, quantò magis bibit, ad peccata: quia aliàs in alienatione mentis, vel propè, incidit in peccatum.*

520 Et ideò nusquam Augustinus, nec S. Thomas, eorum prævisionem, saltem formalem, necessariam asserunt, ad hoc ut imputentur; nec unquam ex tali eorum prævisione rationem imputationis petunt; sed ex sola voluntate illicita, quæ illis causam dedit. Sanctus Thomas namque 2. 2. q. 150. a. 4. nullâ factâ prævisionis mentione, ex hoc solùm probat, imputari peccatum, ex culpabili ebrietate secutum, quia istud peccatum sequens redditur voluntarium ex voluntate præcedentis actûs, in quantum scilicet aliquis, dans operam rei illicitæ, incidit in sequens peccatum. Nec S. Augustinus l. 22. contra Faust. c. 44. de Loth ebrio dicens: *Culpandus est, non quantùm ille incestus, sed quantùm merebatur ebrietas:* incestum ipsius culpâ omninò vacare censuit, quòd eum Loth sese inebriando non prævideret; at solùm censuit, incestum illum tam culpabilem non fuisse, quàm fuisset, si prævisus & in se volitus fuisset. Sic enim S. Thomas, loco proximè allegato, Augustinum interpretatur, dicens: *Diminuitur tamen peccatum sequens, sicut & diminuitur ratio voluntarii. Unde Augustinus dicit contra Faustum*, &c. Nec certè Augustini verba plus important.

521 Præter istud ineluctabile argumentum ex S. Thoma 3. contra Gent. c. 159. & 160. petitum, duo alia occurrunt. Unum ex 2. 2. q. 2. a. 5. ad 1. ubi ad argumentum sibi contra fidei explicitæ necessitatem objectum: *Nullus tenetur ad id quod in ejus potestate non est; sed credere aliquid explicite non est in hominis potestate: quia ad hoc indiget divino gratiæ auxilio, quod in sua potestate non habet:* Non respondet, esse in hominis potestate credere explicitè, per gratiæ sufficientis auxilium, quod nulli deest; sed hominem explicitè credere posse, cum auxilio gratiæ. *Quod quidem auxilium, quibuscumque datur, misericorditer datur. Quibus autem non datur, ex justitia non datur, in pœnam præcedentis peccati, saltem originalis, ut Augustinus dicit in l. de corrept. & grat.* ubi cùm Augustinus loquatur de negatione auxilii, sine quo non, seu sufficientis, de ea quoque Aquinas loquitur. Ipsius ergo defectum ideò vult non excusare, quia ex culpa præcedente provenit, in cujus pœnam homo gratiâ privatur. Dum etiam, sive Augustinus, sive S. Thomas, recurrit ad peccatum originale, velut causam privationis gratiæ, non sic est intelligendus, quasi peccatum originale causa sit privationis gratiæ, sufficiens ad hoc ut privatio illa, vel peccatum ex ea subsecutum, imputetur ad peccatum personale: utpote ad quod (secundùm utrumque) non sufficit voluntarium in peccato originali, sive voluntate Adami peccantis; sed necessarium est voluntarium personale, vel in se, vel in causa personaliter culpabili, ut S. Thomas docet in dist. 50. q. 1. Et idem docet S. Augustinus, prout alibi ostendemus.

Enimverò ob voluntarii personalis defectum 522
S. Thomas docet infidelitatem purè negativam, tametsi ex peccato originali pullulantem, culpâ vacare. Et idem constanter docet de motibus primò primis, ignorantia invincibili, amentiâ nascendo contractâ, &c. non quia infidelibus purè negativis, gratiam ad credendum sufficientem adesse censeat (aliàs non forent infideles purè negativi, suaque ipsis infidelitas meritò imputaretur; utpote vincibilis ope gratiæ sufficientis) sed quia gratiæ defectus in ipsis non provenit ex præcedenti aliquo peccato personali, sed ex solo originali, cujus merito Evangelii prædicatio ipsis denegatur.

Alterum argumentum S. Thomas suppeditat 523
per ea quæ dicit in qq. disputatis q. 23. de volunt. Dei a. 7. ad 6. ubi ne damnatos quidem excusat à peccato per se imputabili, quamvis eo in statu non solùm destituti sint omni gratiâ, ad peccatum vitandum necessariâ, sed neque possint ampliùs illam à Deo obtinere. Verba S. Doctoris sunt: *Aliquis dicitur obstinatus simpliciter, quando habet voluntatem irreversibilem malo adhærentem. Et sic sunt obstinati illi, qui in inferno sunt; non autem aliquis in hac vita existens. Illi autem qui sunt in inferno, adhuc tenentur ad conformitatem eum voluntate divina: ad quam quamvis pervenire non possint; ipsi tamen hujus impotentiæ sibi causa extiterunt. Unde non conformando peccant*, tametsi non demereantur, eò quòd ampliùs non sint in via, sed in termino. *Neque enim propter hoc excusantur à demerito, quia necessitatem peccandi habeant* (ait Supplem. q. 98. a. 6. ad 3.) *sed quia ad summum malorum pervenerunt.*

Satisfit objectionibus Molinistarum.

OBjicies 1°. S. Augustinus in exposit. quarumd. quæst. in epist. ad Rom. dicit, quòd Pharao novo peccato, seu per se imputabili, non peccaverit, dum, in pœnam præcedentium peccatorum suorum obduratus, Deo non obtemperavit: *Non ergo hoc illi imputatur, quòd tunc non obtemperavit; sed quia dignum se præbuit, cui cor obduraretur priori infidelitate.* 524

Respondeo, voculam *quòd* esse causalem,

ita ut idem sit quod *quia*, perinde ac si diceret: non hoc illi imputatur, quia tunc non obtemperavit. Patet hoc ex posteriori vocula adversativa; *sed quia dignum se præbuit*, &c. Sensus proinde est, quòd inobedientia Pharaonis non ideò præcisè ipsi fuerit imputata, quia tunc non obtemperavit; neque enim imputata fuisset, si impotentia ipsius ad obtemperandum ex priori infidelitate ipsius profecta non fuisset. Scopus proinde Augustini ibi est ostendere, quòd ad hoc ut peccata obduratorum in seipsis imputentur, necessarium sit quòd per mala præcedentia dignos se præbuerint, quibus cor obduraretur. Hoc enim posito, peccata obduratorum in seipsis imputari, pertpicuè docet locis suprà relatis, & de seipso fassus est Pharao: cùm enim post tot plagas obdurato corde noluisset dimittere populum Dei, Genes. 9. dixit: *Peccavi, etiam nunc*: novo ergo peccato.

Objicies 2°. Idem Homil. 12. inter 50. *Cùm per Dei* (inquit) *auxilium in potestate tua sit, an consentias diabolo; cur non magis Deo, quàm ipsi, obtemperare deliberas? Si enim solus diabolus daret consilium, & Deus taceret, haberes quòd excusari posses.* Et in Ps. 91. *Si satanas loqueretur, & taceret Deus, haberes unde te excusares.... Non cessat satanas suadere malum; sed nec Deus cessat admonere bonum.*

Respondeo 1°. Homiliam 12. non esse Augustini. 2°. ex verbis objectis consequens non esse, *absente omni gratiâ supernaturali internâ*, hominem habere unde se excuset, sed solùm *absente omni loquelâ* & admonitione Dei. Qui multis profectò modis loquitur, & admonet: per creaturas utique, per legem, per minas, per promissa, per lumen naturale, &c. tametsi omnis interior absit gratia.

525 Objicies 3°. S. Thomas Supplem. q. 98. a. 6. ad 3. dicit quòd *necessitas peccandi, cujus causa fuimus, excusat à culpa, in quantum est necessitas quædam: quia omne peccatum oportet esse voluntarium. Sed quòd non excuset, hoc est in quantum à voluntate præcedente processit; & sic totum demeritum sequentis culpæ videtur ad primam culpam pertinere.*

Respondeo, sensum S. Thomæ non esse, quòd in culpa, obdurationem & necessitatem consequente, nullum sit demeritum, nisi culpæ præcedentis, per quam inducta est obduratio & necessitas (contrarium enim manifestè asserit locis à n. 514. ad 523. allegatis) sed quòd totum demeritum culpæ sequentis radicaliter & originaliter proveniat à prima illa culpa, per quam voluntariè se conjecit in necessitatem posteà peccandi.

526 Objicies 4°. Actus humanus solùm eatenùs est malus, & imputabilis, quatenùs est liber. Atqui non est liber in se, si factus eo tempore, quo caveri non potest.

Respondeo 1°. peccata obduratorum, quibus in pœnam præcedentis peccati subtracta est gratia necessaria ad ipsa vitanda, esse nihilominùs in se libera & voluntaria. Tum quia quòd in hoc peccatum, vel in illud labantur, ex eorum libero arbitrio descendit: quia nempe hoc vel illud liberè eligunt, ut suprà diximus, docetque S. Thomas 1. p. q. 23. a. 3. ad 3. *Unde* (inquit) *meritò sibi imputatur ad culpam. Quamvis enim ille qui est in peccato, non habeat hoc in sua potestate, quòd omninò*, id est, omne vitet peccatum (inquit l. 3. contra Gent. c. 160.) *habet tamen potestatem nunc vitare hoc, vel illud: unde quodcumque committit, voluntariè committit, & ita non immeritò ei imputatur.* Tum quia etiam omne peccatum mortale universim vitare possunt per Dei gratiam, quam licèt non habeant in actu; habent in potentia, quod satis est ad eorum libertatem, licèt satis non sit ad sufficientiam libertatis. Tum denique quia tametsi peccata 527
illa non forent in se libera, sed in causa dumtaxat, adhuc forent in se imputabilia, sicut peccata ebriorum: cùm ratio voluntarii & liberi ita sit de ratione peccati, ut tamen ex Scriptura & Traditione habeamus, ad peccatum in se imputabile non esse necesse quòd sit voluntarium & liberum in se; sed sufficere quòd voluntarium sit & liberum in causa, uti manifestè docet S. Thomas, tam locis suprà exhibitis, quàm 2. 2. q. 79. a. 3. ad 3. ubi examinans, quandonam primò incipiat peccatum omissionis? *Peccatum* (inquit) *omissionis opponitur præceptis affirmativis, qua pertinent ad faciendum bonum. Præcepta autem affirmativa non obligant ad semper, sed ad tempus determinatum, & pro illo tempore peccatum omissionis incipit esse. Potest tamen contingere quòd aliquis tunc sit impotens ad faciendum quod oportet; quod quidem si sit præter ejus culpam, non omittit quod debet, ut dictum est. Si verò sit propter ejus culpam præcedentem, puta si aliquis se serò inebriaverit, & non potest surgere ad Matutinas, ut debet, dicunt quidam quòd tunc incipit peccatum omissionis, quando aliquis se applicat ad actum illicitum & incompatibilem cùm illo actu ad quem tenetur. Sed hoc non videtur verum: quia dato quòd excitaretur per violentiam, & iret ad Matutinas, non omitteret. Unde patet quòd præcedens inebriatio non fuit omissio, sed omissionis causa; unde dicendum est, quòd* OMISSIO INCIPIT IMPUTARI AD CULPAM, QUANDO FUIT TEMPUS OPERANDI, tamen propter causam præcedentem, ex qua omissio sequens redditur voluntaria. Nihil certè magis conspicuum afferri potest.

Objicies 5°. Ad hoc ut actus aliquis in se 528
culpabilis sit & demeritorius, liber esse debet à necessitate: cùm ad demerendum in statu naturæ lapsæ non sufficiat libertas à coactione, sed necessaria sit libertas à necessitate, prout Innocentius X. definivit.

Respondeo actum in se culpabilem & demeritorium esse debere liberum à necessitate absoluta, antecedente & involuntaria; non à necessitate ex suppositione, consequente & voluntaria. De libertate hominis destituti omni gratiâ plura habes infrà cap....

529 Propterea impotentiam hîc & nunc vitandi peccatum, ex mala voluntate præcedente derivatam, à peccato per se imputabili non excusare, cum sanctis Augustino, Prospero, Fulgentio, Anselmo, Bernardo, Aquinate & Hugone Victorino suprà laudatis, docent Henricus Gandavensis, Abulensis, Ariminensis, Roffensis, Cajetanus, Ruardus, Tapperus, apud Vasquez 1. p. disp. 97. c. 2. & 3. cumque ipsis Ferrariensis, Thomas de Lemos, Alvarez, Montagnolus, Contensonus, Massoulieus, Natalis Alexander, aliique Thomistæ gravissimi. Ac præter dicta, id confirmant rationes sequentes.

530 Primam rationem suggerit eruditissimus Author tertiæ Institutionis Theologicæ ad Tirones c. 2. §. 2. n. 4. estque hujusmodi: Qui, absente omni gratiâ, peccant contra præcepta, seu naturalia, seu supernaturalia, peccant liberè, non solùm libertate causæ, quâ omnem à se gratiam peccando excluserunt, seu eâ se indignos reddiderunt, sed etiam novâ libertate, quâ contra præcepta illa jam sic peccant, ut possent non peccare. Ergo jam contra illa peccando, novam culpam formaliter contrahunt. Antecedens probatur ex S. Thoma 1. 2. q. 13. a. 6. dicente, quòd *quidquid ratio potest apprehendere ut bonum, in hoc voluntas tendere potest. Potest autem ratio apprehendere ut bonum, non solùm hoc quod est velle, aut agere; sed etiam quod est non velle, & non agere; & rursum in omnibus particularibus bonis potest considerare rationem boni alicujus, & defectum alicujus boni, quod habet rationem mali. Et secundùm hoc potest unumquodque hujusmodi bonum apprehendere ut eligibile, vel fugibile.... Et ideò homo non ex necessitate, sed liberè eligit.*

Ex his verbis arguitur 1°. sic: *Quidquid ratio* hominis viatoris *potest apprehendere ut bonum, in hoc voluntas tendere potest. Atqui ratio* hominis viatoris, omni gratiâ destituti, *potest apprehendere ut bonum, non solùm hoc quod est agere* contra præceptum, seu naturale, seu supernaturale, dum urget, *sed hoc etiam quod est non agere* contra illud. Ergo voluntas hominis viatoris, omni gratiâ destituti, potest tendere non solùm in hoc quod est agere contra præceptum, &c. dum urget, sed etiam in hoc quod est non agere contra illud. *Et ideò non ex necessitate, sed liberè eligit agere* contra illud.

2°. sic: *Quidquid ratio* hominis viatoris *potest apprehendere ut bonum, in hoc voluntas tendere potest. Atqui ratio* hominis viatoris, omni gratiâ destituti, *potest* in agendo contra præceptum, &c. dum urget, *considerare rationem boni alicujus, & defectum alicujus boni, quod habet rationem mali; & secundùm hoc potest* actionem contra præceptum, dum urget, *apprehendere ut eligibilem, vel fugibilem.* Ergo potest voluntas hominis viatoris, omni gratiâ destituti, in actionem illam tendere, vel non tendere.

Secundam rationem suggerit Censura Duacensis anni 1588. ad assert. 19. Tametsi per peccatum originale homo spoliatus sit gratuitis, spoliatus proinde omni gratiâ; non ideò tamen per peccatum originale liberum amisit arbitrium ad bonum, prout hæretici dicunt. *Mansit enim in homine, post peccatum, naturalis arbitrii facultas, & ad bonum, & ad malum flexibilis. Nam si ad bonum flecti non posset, nunquam se, Deo adjuvante, ad bonum inflecteret. Quod enim insanabile est, non sanatur: quale est liberum arbitrium in dæmonibus. At de hominibus* viatoribus *dicitur Sap. 1.* " Sanabiles fecit Deus nationes orbis terrarum. " Ut verò sanabile sit, habere non debet Redemptoris gratiam, eo ipso tempore quo verè sanabile est; *sed satis est si* per merita Redemptoris *habere illam & obtinere*, quâ sanetur, *possit*, ut in simili loquitur Facultas Lovaniensis, in justificatione Censuræ suæ cap. 12. pag. 227. Editionis 1641. Enimverò si libertas ad bonum in homine lapso salvari non posset sine gratia Redemptoris actu habita, consequens esset, quòd antecedenter ad gratiam Redemptoris actu habitam, periisset homini, per peccatum originale, liberum arbitrium ad bonum, saltem ad pietatem pertinens, prout hæretici dicunt. Unde arguitur sic: Homo viator, omni gratiâ spoliatus, liberum habet arbitrium, flexibile ad bonum & malum; ad servandum proinde vel non servandum præceptum, sive naturale, sive supernaturale, dum urget. At quisquis liberum habet arbitrium, ad servandum vel non servandum præceptum, &c. dum urget, potest illud servare, vel non servare. Quisquis verò illud servare potest, vel non servare, liberè contra illud facit, si facit. Novam ergo culpam inexcusabiliter contrahit homo viator, præceptum illud non servans, dum urget. 531

Tertia ratio petitur ex absurdis, quæ consequuntur ex opinione, quæ ponit, absente omni gratiâ, novam & formalem culpam in se imputabilem non contrahi ab iis qui peccant contra præcepta, saltem supernaturalia. Sequitur enim 1°. quòd si post lapsum Adami Christus non venisset, homo non peccasset, novo peccato, in se imputabili, quantumcumque peccasset contra præcepta, saltem supernaturalia. 532

2°. Quòd illo casu liberum arbitrium ad bonum amisisset, saltem loquendo de bono ad pietatem pertinente, uti nuper Censura Duacensis arguebat.

3°. Christum nobis per mortem suam acquisiisse potentiam & libertatem peccandi contra præcepta, saltem supernaturalia, quam alioqui non habuissemus. Sequela est manifesta, quia potestas illa & libertas secundùm Adversarios non habetur sine gratia Redemptoris actu habita. Gratiam verò istam Redemptor acquisivit nobis per mortem suam. Igitur acquisivit potentiam illam & libertatem.

4°. Hominem, positâ æquali gratiâ, ob quam

quam omni destitutus est gratiâ, centies & millies agendo contra præcepta, saltem supernaturalia, non fore magis reum, quàm contra ea semel dumtaxat agendo. Quia solum equidem reatum contrahet, quem contraxit in causa.

5°. Vel debitam fuisse homini gratiam post peccatum, vel à Deo sub peccato obligari non potuisse ad servanda præcepta, saltem supernaturalia.

Sequitur denique 6°. gratiam non esse tali homini gratiam: utpote ipsi debitam, ut mandati supernaturalis transgressio ipsi imputabilis sit, sive inexcusabilis. Hoc argumento utitur Augustinus epist. 194. aliàs 105. ad Sixtum, ad probandum, quòd defectus gratiæ necessariæ ad servandum mandatum, à peccato in se imputabili non excuset illius transgressorem, excusationemque peccatoris, ex defectu illo petitam, non esse justam: *Si* (inquit) *impii malè vivunt, ex suo malè vivunt, vel quod origine traxerunt, vel quod insuper addiderunt. Non ergo se excusent, sed si vasa sunt iræ, sibi hoc imputent, quia ex ea massa facti sunt, quam propter unius peccatum, in quo omnes peccaverunt, meritò Deus justèque damnavit. Si autem vasa sunt misericordiæ.... non se insient, sed ipsum glorificent, qui eis misericordiam non debitam præstitit.... Itaque universi, qui se in nequitiis & iniquitatibus excusatos volunt, quòd utique gratiam, unde benè viverent, non acceperunt, ideò justissimè puniuntur, quoniam qui liberantur à massa illa damnata, nonnisi gratiâ indebitâ liberantur. Nam si excusatio illic justa esset, non inde gratia, sed justitia liberaret. Cùm verò non liberat nisi gratia, nihil justum invenit in eo quem liberat, non voluntatem, non operationem, non saltem ipsam excusationem. Nam si hæc justa est, quisquis eâ utitur, merito, non gratiâ liberatur. Si enim eorum, qui dicunt:* „ Quid adhuc conqueritur? nam voluntati ejus quis resistit? „ *justa est excusatio; non jam gratuitâ gratiâ, sed propter hujus excusationis justitiam liberantur. Si autem gratia est, quâ liberantur, profectò hæc excusatio justa non est. Tunc enim vera gratia est, quâ liberantur, si non secundùm debitum justitiæ retribuitur.*

533 Meritò proinde Steyartius in Aphor. p. 1. disp. 40. *Nescitur* (inquit) *quâ specie defendi possit, peccari non posse sine gratia.* Et addit: *Certissimum est, misericordiæ Dei esse, quòd non omnes, in primo Adam lapsi, nunc generatim eodem auxilio destituamur: & reverà fuissemus destituti, nisi secundus Adam nobis per sanguinem suum succurrisset; peccaturi interim, & de scelere in scelus ruituri, non secus ac modò dæmones, cum participibus damnationis suæ, peccant continuè, omni tamen gratiæ auxilio destituti.*

CAPUT XXV.

Gratia sufficiens, omnibus actu collata in hoc statu naturæ lapsæ, necessaria non est ad salvandam absolutam præceptorum divinorum possibilitatem: nec ad salvandam libertatem, necessariam ad meritum & demeritum, in statu naturæ lapsæ.

HÆc assertio manifestè sequitur ex dictis 534
cap. præcedenti. Si enim cum voluntario, seu per culpam voluntariam inducto defectu gratiæ necessariæ ad peccata vitanda, salva manet peccatorum libertas & inexcusabilitas, sicut & antecedens absolutaque potestas ea vitandi; per consequens salva manet antecedens absolutaque mandatorum possibilitas: utpote sine qua non maneret libertas nec inexcusabilitas. Neque enim liberum esse potest, quod absolutè impossibile est. Et nullus peccat in eo quod cavere absolutè non potest.

Verùm quia est quoddam hodie genus hominum, qui sanam doctrinam sibi adversantem non sustinentes, objectâ Defensoribus illius Jansenismi larvâ, pacem ipsorum inquietare, turbasque in Ecclesia excitare amant, ut terriculo isto Molinismum suum promoveant; ante uberiorem probationem sanæ orthodoxæque assertionis nostræ, lubet ei detrahere larvam fallacem, sub qua eam ipsi repræsentant, ut eam populo odiosam reddant.

Et quidem Stephanus Dechamps, Molini- 535
starum Gallicanorum Gigas, unus ex illis est, qui sanam, orthodoxam, Scripturæque & Traditioni consonam Discipulorum S. Augustini & S. Thomæ de gratia doctrinam sic repræsentat, in libro quem ab annis plusquàm quinquaginta edidit, sub titulo, *Secretum Jansenismi*, & anno 1688. novis typis mandavit, sub titulo, *Traditio Ecclesiæ*, &c. ubi sic exclamat: *Horrore contremisco, dum Jansenistas* (sic ipsos vocat) *audio dicentes, quòd qui hodie peccant, necessariò peccant. Quòdque ipsis tunc impossibile sit, Dei obedire præceptis.*

Verùm fallitur, & subdolè fallit Stephanus, verbis illis, indistinctè & absolutè prolatis, innuens peccandi necessitatem absolutam, simpliciter dictam, antecedentem, à voluntate non inductam, libertatis proinde inimicam asseri à Discipulis S. Augustini, & S. Thomæ; non est ita Stephane; alia ab ipsis peccandi necessitas non asseritur, nisi quam Scriptura, Pontifices, Patres docent, quamque sine errore negari non posse, Augustinus docet l. 1. op. imperf. in Julian. n. 105. *Multùm* (inquit) *erras, qui vel necessitatem nullam putas esse peccandi, vel eam non intelligis peccati illius esse pœnam, quod nullâ necessitate commissum est.... Necesse est enim ut peccet, qui, nesciendo quid facere debeat, quod non debet facit. De quo genere malorum Deus rogatur, ubi dicitur:* " Delicta juventutis meæ, & igno- "
rantias meas ne memineris. " Et num. 106. *Non est igitur impunitatis securitas in necessitate peccandi; sed ut non obsit ista necessitas, donat ille cui dicitur:* " De necessitatibus meis erue "
me. " Innocentius quoque I. cum Ecclesia Ro-

mana relatus à Gelasio Papa ipsi concinente in epist. ad Episcop. Gall. *Necesse est* (inquit) *ut quo auxiliante vincimus, eo iterùm non adjuvante vincamur.* Quid verò Bernardus? Serm. 81. in Cant. *Nescio* (inquit) *quo pravo & miro modo ipsa sibi voluntas, peccato quidem in deterius mutata, necessitatem facit, ut nec necessitas, cùm voluntaria sit, excusare valeat voluntatem, nec voluntas, cùm sit illecta, excludere necessitatem.* Quod pluribus ibi prosequitur. *Gratiâ privatus* (ait rursum Innocentius I. in epist. ad Episcop. Afric.) *necesse est diaboli laqueis irretitus occumbat.* Verùm ista necessitas non est absoluta, nec antecedens, nec involuntaria, nec prorsus invincibilis, aut naturalis (qualem admittunt Stoïci, Astrologi, Manichæi, Calvinistæ &c. sed Ecclesia Catholica repudiat, tamquam inimicam libertatis, necessariæ ad meritum & demeritum, in statu naturæ lapsæ) sed necessitas consequens & secundùm quid dumtaxat, & per culpam voluntariam inducta, absolutèque vincibilis per gratiam, quam homo viator à Deo de lege ordinaria recipere potest. Et ideò non est necessitas propriè, sed impropriè dicta, ut notat Estius in 2. dist. 24. §. 2.

536 Nullus etiam Discipulorum S. Augustini, & S. Thomæ, hominibus, qui hodie peccant, simpliciter & absolutè impossibile esse dicit, Dei obedire præcepto, quo peccare prohibentur, prout Stephanus ipsis imponit. Id quidem in Augustino Jansenii contineri declarant Alexandri VII. & Clementis XI. Constitutiones, quibus ex christiana obedientia, *non ore solùm, sed & corde* me submitto, secundùm quod Deus exigit ab omni Christiano... Verùm sepositò tantisper Jansenii libro, dic obsecro (Stephane) quis sic loquatur & sentiat? Profectò nullus ex Sanctorum illorum Discipulis, quos legerim; imò fatentur omnes, ipse etiam Arnaldus, & fateor ego, hæreticam, impiam, blasphemam esse propositionem id asserentem. Dicunt quidem aliquibus, etiam justis, aliquando deesse gratiam necessariam ad agere, gratiam utique efficacem, in pœnam præcedentis peccati. Dicunt etiam justos sine gratia efficaci nihil posse; ea proinde non posse, ad quæ gratiam non habent efficacem, nisi pro ea impetranda orent. Sed hoc dicunt, salvâ mandatorum possibilitate, simpliciter & absolutè dictâ. Dicunt enim cum Salvatore in Evangelio; dicunt cum Concilio Tridentino, aliisque Conciliis, dicunt cum SS. Pontificibus, dicunt cum Patribus passim omnibus; nec alio quàm ipsorum sensu: qui salvâ fide negari non potest, ut infrà videbitur. Discant igitur Molinianarum Novitatum sequaces; discant igitur ex Estio in 2. dist. 26. §. 41. Moliniana præcepta multis modis verè dici possibilia. Primo modo, valdè remotè per naturalem liberi arbitrii facultatem, in malo irrevertibiliter (ut in damnatis) non obduratam, sed ad bonum & malum flexibilem: quomodò Augustinus dicit, *posse habere fidem, sicut & posse habere charitatem, naturæ est hominum*; tametsi sine gratia nullus habeat fidem, nec charitatem. Secundo, minùs remotè per fidem, dilectione & gratiâ actuali necdum adminiculatam: quia per eam, utpote semen orationis, mediâ oratione impetrare potest gratiæ ac dilectionis auxilium. Tertio, adhuc propinquiùs per charitatem & gratiam habitualem, sive per habitum gratiæ & virtutum. Quarto, proximè, completè ac plenè per gratiam actualem, dantem non solùm posse ab actu separatum, sed & agere, sive posse cum actu conjunctum. Cujusmodi posse nec natura sola præstare potest, nec sola fides, nec solus habitus gratiæ ac virtutum, tametsi tribuat aliquo modo posse, cum quo non stat mandatorum impossibilitas absoluta, & simpliciter dicta: utpote quâ id solum absolutè impossibile est, ad quod quis *nullo modo pervenire potest*, ut docet S. Thomas 1. p. q. 62. a. 2. ad 2. Qua de re plura infrà.

Detractâ itaque larvâ supradictâ, assertio no- 537
stra probatur 1°. omnibus authoritatibus & rationibus, quibus cap. præcedenti probata est imputabilitas & inexcusabilitas peccatorum, non obstante defectu gratiæ, ad ea vitanda necessariæ. Si enim nullo modo justa esse queat excusatio peccatorum, ex defectu illo petita: nullo ergo modo asseri potest, Dei mandata peccatoribus, omni gratiâ destitutis, esse absolutè & simpliciter impossibilia. Cùm ad absolutè impossibile Deus justus obligare non possit, uti Augustinus Pelagianis concedit l. 2. de peccat. merit. c. 3. & de nat. & grat. c. 69.

Probatur 2°. quia toto cælo differunt duæ 538
istæ propositiones: *Homo viator, in hoc statu naturæ lapsæ, mandata Dei servare non potest sine gratia.* Et, *mandata Dei sunt absolutè impossibilia homini viatori, dum gratiâ est destitutus.* Prima namque prorsus est catholica, & de fide: utpote tradita à divinis Scripturis, definitaque à Pontificibus, Conciliis, & Patribus; usitatâque phrasi Scripturæ, Conciliorum & Patrum, non significat gratiæ necessitatem ad potentiam absolutam, seu simpliciter dictam, servandi mandata; sed gratiæ necessitatem ad ea de facto servanda. Usitatiùs enim homo dicitur non posse agere id ad quod de facto agendum deest aliquid necessarium; etiamsi illud quod deest, necessarium non sit ad posse simpliciter & absolutè, sed ad agere dumtaxat. *Necessarium* quippe à D. Thoma definitur, *id sine quo res*, v. g. actio, *esse non potest.* Et optimè definitur. *Est illud in omnium mentibus insitum & impressum* (ait Scriptor gravissimus, atque *inde in omnium*, etiam Canonicorum Scriptorum *sermonem translatum, si quid ad actionem necessarium desit, actionem illam fieri non posse.* Unde quia gratia efficax, sive dans agere, ad omnem actionem piam necessaria est, Scriptura, Concilia, Patres dicere solent, sine ea actionem fieri non posse,

ad

ad quam necessaria est, uti vidimus cap. 6. & seqq. breviterque hîc ostenditur ex sententia illa Salvatoris, Joan. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater.... traxerit eum*; quam de gratia efficaci, quæ dat velle, & perficere, Concilia & Patres passim intelligunt.

Secunda verò propositio de fide non est, nec tradita à divinis Scripturis, nec definita à SS. Pontificibus, Conciliis & Patribus; imò ipsis adversatur, prout infrà demonstrabitur. Enimverò quòd peccatores aliqui omni gratiâ supernaturali saltem ad tempus destituantur, vehementer indicant Scripturæ cap. 21. & 22. allegatæ, sicque à Patribus ibidem laudâtis communiter intelliguntur. Negat nihilominùs Scriptura, negant Patres, Dei mandata ipsis esse simpliciter & absolutè impossibilia. Et ratio negandi est, quia illud dici non debet homini simpliciter & absolutè impossibile, ad quod *pervenire potest aliquo auxilio*, sed ad quod *nullo modo*, ut docet S. Thomas 1. p. q. 62. a. 2. ad 2. *difficile est quod transcendit potentiam. Sed hoc contingit esse dupliciter. Uno modo, quia transcendit potentiam secundùm suum naturalem ordinem: & tunc si ad hoc possit pervenire aliquo auxilio, dicitur difficile: si autem nullo modo, dicitur impossibile, sicut impossibile est hominem volare.* Et hinc

539 Tertiò probatur assertio, quia ut mandata Dei simpliciter & absolutè dicantur possibilia, sufficit quòd ad eorum impletionem homo pervenire possit aliquo auxilio. Sed ut ad eorum impletionem pervenire possit aliquo auxilio, necesse non est quòd auxilium istud habeat de facto; sed satis est quòd illud habere possit, de legeque ordinaria illud aliquando concedatur hominibus prorsus similiter affectis. *Neque enim*, ait optimè Estius ubi suprà, *simpliciter impossibile alicui id dici debet, quod in multis aliis, prorsus similiter affectis, fuisse possibile, probat subsecuta tandem ipsa actualis eorum ad Deum conversio, & justificatio, quâ legem implebant.*

540 Quartò, S. Augustinus variis locis docet, homini non esse impossibilia Dei præcepta, quia potest natura vitiata ipsius sanari per gratiam, quâ præcepta impleat. Atqui ut natura vitiata ipsius sanari possit per gratiam, &c. necesse non est quòd gratiam de facto habeat; sed satis est quòd in eo statu sit, in quo gratiam recipere possit, sive in quo gratiæ capax sit, etiamsi ab arbitrio ipsius non pendeat habere illam. Neque tali homini præcepta dici possunt impossibilia, *sicut impossibile est hominem volare.* Quia homo naturaliter capax est gratiæ quâ mandata impleat; naturaliter verò capax non est alarum, & volandi potentiæ. Porrò quodcumque auxilium dederis homini, alas & volandi potentiam non habenti, nunquam volabit. Si autem homini, habenti voluntatem rationalem, gratiæ proinde credendi capacem (posse enim credere naturæ est hominum, etiamsi credere, gratiæ sit fidelium) præceptum supernaturale credendi implebit. Et ideò Facultas Theologica Lovaniensis in justificatione Censuræ suæ anno 1587. adversus Lessium editæ c. 12. n. 177. sapienter observavit, *ut homo possit converti, non requiri ut habeat gratiam sufficientem, eo ipso tempore quo posse dicitur; sed satis esse, si habere illam, & obtinere, quæ sufficiat, possit. Quomodò homo dicitur posse manducare panem, etiam cùm panem non habet, neque etiam quidquam, unde sibi panem comparet; ut etiam dicitur videre posse, qui non habet lucem, sed in tetrum carcerem conjectus est; quamvis sine luce visurus sit nunquam.* Quia scilicet lux necessaria non est ad potentiam absolutam videndi, uti nec panis ad potentiam manducandi, sed ad visionem & manducationem actualem.

Quintò, Augustinus (ut dixi) docet homini vitiato possibilia esse mandata, quia homo vitiatus sanari potest per gratiam, idque verum tunc esse, dum nondum per gratiam sanatus est, sive dum gratiam sanantem nondum accepit. Siquidem l. de perfect. just. c. 2. dicit, *vitari posse peccatum*, adeòque mandati prævaricationem, *si natura vitiata sanetur gratiâ Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.* Quod cap. 3. à simili explicat exemplo hominis, *qui pede vitiato claudicat*; qui tamen vitare potest claudicationem, si convenienti medicamento sanetur illud pedis vitium. Et ideò *cùm videmus claudum qui sanari potest*, licèt medicamentum sanans nondum acceperit, *rectè utique dicimus, debet homo iste esse sine claudicatione; &, si debet, potest*: quia scilicet medicamentum illud potest & debet recipere. Nec tamen id potest, potentiâ conjunctâ cum actu (licèt absolutè possit) *nisi cùm fuerit adhibita curatione sanatus.* Et propterea subdit, *consultissimè homini*, etiam nondum sanato, *præcipi, ut rectis passibus ambulet, ut cùm se non posse perspexerit* (potentiâ utique conjunctâ cum effectu) *medicinam requirat, quæ interioris hominis ad sanandam peccati claudicationem gratia Dei est per J. C. D. N.* Libro etiam 2. de peccat. merit. & remiss. c. 6. *Si à me quæratur* (inquit) *utrùm homo sine peccato possit esse in hac vita? confitebor posse per Dei gratiam, & liberum ejus arbitrium.* Similiter cap. 16. fatetur, *hoc Deum jubere, ita nos in facienda justitia esse debere perfectos, ut nullum habeamus omninò peccatum. Nam nec peccatum erit, si quid erit, si non divinitùs jubeatur ut non sit.... Ergo jubet omnibus hominibus, ut non faciant ullum peccatum.* Cùm igitur nihil impossibile jubeat, absolutè possibile est omnibus hominibus, *ut non faciant ullum peccatum.* Quippe *dubitare non possum* (ait c. 6. citato) *nec Deum aliquid impossibile homini præcepisse, nec Deo ad opitulandum & adjuvandum, quo fiat quod jubet, impossibile aliquid esse. Ac per hoc potest homo, si velit, esse sine peccato, adjutus à Deo.* Ecce manifestè dicit, hoc hominem posse si velit, Deo per gratiam dante ut velit, etiamsi nullus homo (Christum & Christi Matrem exci- 541

pio) actu habeat gratiam, dantem ut tantùm velit, quantùm ad id necesse est; nec eam per arbitrii sui vires acquirere possit. Quia equidem verum est quòd ipsi possibile sit gratiam illam recipere, sicut & Deo possibile est illam dare. Per consequens verum est, quòd id fieret, si homo vellet per gratiam, dantem ipsi illud velle. Quòd enim non fiat, est *quia homines nolunt*, ait c. 17. Unde in l. de spir. & lit. eandem quæstionem tractans, cap. 35. *Ecce* (inquit) *quemadmodùm sine exemplo est in hominibus perfecta justitia, & tamen impossibilis non est. Fieret enim, si tanta voluntas adhiberetur, quanta sufficit tantæ rei. Esset autem tanta, si nihil eorum quæ pertinent ad justitiam nos lateret, & ea sic delectarent animum, ut quidquid aliud voluptatis doloriſve impedit, delectatio illa* (præstante hoc Deo per gratiam) *superaret. Quod ut non sit* (id est, quòd Deus non præstet per gratiam suam) *non ad impossibilitatem, sed ad judicium Dei pertinet.* Valdè notanda sunt verba ista. Manifestè quippe Augustinus dicit, ad judicium Dei, non ad impossibilitatem pertinere, quòd hominibus non adsit gratia tanta, quanta necessaria est ad voluntatem illam tantam, &c. quòdque non obstante istius gratiæ defectu, voluntas ista, perfectaque justitia, absque ullo peccato, sit hominibus absolutè possibilis.

542 Sextò, proximè dicta confirmat Augustinus variis locis, aiens, omne illud in potestate nostra esse, quod fit cùm volumus, non fit cùm nolumus. Inde enim manifestè conficitur, ea quæ voluntate constant, absolutè impossibilia dici non posse. Atqui mandata Dei servat homo, cùm vult (plenâ utique, firmâque voluntate) non servat, cùm non vult. Ergo absolutè impossibilia dici non possunt, sed in absoluta seu simpliciter dicta potestate nostra esse dicenda sunt. Unde in l. de spir. & lit. c. 31. probat, fidem in nostra esse potestate; *quoniam, cùm vult quisque credit.* Porrò *hoc quisque in potestate habere dicitur, quod si vult, facit; si non vult, non facit.* Similiter loquitur l. 5. de Civit. Dei c. 10. Libro etiam 1. Retract. c. 22. inde probat, quòd *in potestate hominis est mutare in melius voluntatem.... Cùm enim hoc sit in potestate nostra, quod cùm volumus facimus; nihil tam in potestate nostra, quàm ipsa voluntas est:* tametsi in actu *præparatur voluntas à Domino*, per gratiam operante ipsum velle; sine qua gratia potestas hominis non complectitur omnia necessaria ad *velle & perficere.* Sed quia Scriptura, Concilia, Patres nullibi gratiam asserunt necessariam ad mandatorum possibilitatem simpliciter & absolutè dictam, sed solùm ad *possibilitatem cum effectu*, ut loquitur Augustinus; ideò, etiam absente gratiâ, verum est dicere: homo mandata Dei servat, si vult; non servat, si non vult. Peccator ad Deum convertitur, si vult; non convertitur, si non vult. Per consequens conversio, & observantia mandatorum, etiam absente gratiâ, semper est in potestate hominis simpliciter & absolutè dicta, licèt non sit in ipsius potestate cum actu conjuncta. Et hoc est quod ex allato Augustini testimonio probat Bellarminus l. de grat. & lib. arb. c. 15. ubi cùm sibi objecisset, *conversionem hominis non fore in ipsius potestate, si semper requiratur excitatio præveniens: cùm excitatio illa*, seu gratia excitans, *non sit in hominis potestate.* Respondet, *conversionem semper esse in potestate liberi arbitrii: quoniam potest semper converti quando voluerit. Id enim dicitur esse in potestate, ut Augustinus definit.... quod adest quando volumus, & quando nolumus non adest.... Cæterùm ipsum velle credere, aut converti, non potest homo habere, nisi per gratiam prævenientem acceperit ut possit.*

Hoc ipsum sapienter quoque observavit S. 543
Facultas Theologica Lovaniensis ubi suprà. Postquam enim dixit, " ut homo possit convertì, non requiri ut habeat gratiam sufficientem, eo tempore quo posse dicitur: " monet " attendendum, cùm dicitur, neminem posse converti sine gratia, illud, *sine gratia*, vèl ad *posse* referri, vel ad *converti*. Siquidem communiter dicimus, neminem posse converti sine gratia Dei; eò quòd conversio sine gratia nunquam sit: licèt, gratiâ quoque absente, non desit ipsum posse converti. Quemadmodùm nemo potest credere sine fide; etsi credendi facultas eis insit qui non credunt... Nam & Augustinus fidem in nostra potestate esse dicit " loco citato. Et l. de prædest. Sanct. c. 5. *Posse* (inquit) *habere fidem, sicut posse habere charitatem, naturæ est hominum. Habere autem.... gratiæ est fidelium.* Et S. Fulgentius l. de grat. Chr. c. 22. & 23. dicit, hominem naturaliter posse credere, in eo quòd naturam habet credulitatis capacem; etiamsi quòd credat, gratiæ sit. *Si homo* (inquit c. 22.) *naturaliter sanari nullatenùs posset, ad sanandum eum cælestis Medicus non venisset... Sanatur autem per fidem, quam.... Deus.... donat.... quoniam alteri datur fides in eodem spiritu.* Et c. 23. *Non ergo propterea non potest homo naturaliter credere, quia divinitùs ei donatur ut credat.... Ita fit ut homo fidem* naturaliter *habere possit, sed eam, nisi ex dono Dei habere non possit. Non enim consequens est* (prosequitur cap. 24.) *ut omnia quæ habere nos* naturaliter *possumus, etiam ex nobis habere possimus. Nam & caro nostra sic à Deo facta est, ut possit naturaliter vivere; hoc ipsum tamen non ex se, sed ex anima possit habere quòd vivat.* Et S. Ambrosius Homil. in illud *homo peregrè*, &c. *aliud est posse operari, aliud operari; aliud posse habere charitatem, & aliud habere charitatem: quia unum est de natura, aliud de gratia.*

Septimò, ex his laudata Facultas Lovanien- 544
sis ibidem n. 182. meritò sic concludit: " Est " ergo quoddam posse per naturam, omni etiam " gratiâ destitutam, propter liberum arbitrium, " durante hâc vitâ, in utramque partem flexi- " bile. " Meritò (inquam) quia Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 1. definit, per peccatum originale *liberum arbitrium minimè extinctum*

esse, viribus licèt attenuatum & inclinatum. Quod & Concilium Arausicanum c. 25. docet, dum can. 8. & 25. ait, liberum arbitrium, per peccatum primi hominis, *vitiatum, inclinatum, & attenuatum esse*, non extinctum. Porrò utrumque Concilium de libero arbitrio loquitur in ordine ad bona salutaria & supernaturalia, prout ex contextu colligitur; quemadmodùm & ex eo quòd de iis tota lis fuerit Tridentini tempore. Homo ergo liberum arbitrium, post originale peccatum, licèt attenuatum, retinet etiam in ordine ad actus salutares & supernaturales, tametsi per peccatum illud privatus sit omni gratiâ: utpote læsus in naturalibus, spoliatus gratuitis, uti cum sanctis Patribus Theologi loquuntur. Atqui liberum arbitrium non est potentia dumtaxat passiva recipiendi gratiam, sed facultas & potentia activa. Siquidem ab Origene l. 3. Periarchon c. 2. liberum arbitrium definitur: *Facultas discernendi bonum à malo, & eligendi quod probaverit.* A Theophilo Alexandrino l. 2. Paschali: *Facultas operandi & non operandi quod bonum est.* A Damasceno l. de fid. c. 25. *Facultas eligendi.* A Magistro in 2. dist. 24. *Facultas rationis & voluntatis, quâ bonum eligitur gratiâ assistente; vel malum eâ desistente.* A S. Thoma 1. p. q. 83. a. 4. *Vis electiva. Facultas* verò *eligendi, facultas quâ bonum eligitur, facultas operandi, vis electiva*, manifestè est potentia activa. Quippe *nihil est potens agere* & eligere, *nisi per potentiam activam.* S. Thomas l. 2. contra Gent. c. 60. Potentiam proinde activam liberi arbitrii, etiam in ordine ad actus supernaturales, extinctam non esse per peccatum originale (tametsi hominem omni gratiâ privet) de fide est. Et quisquis isti veritati contradicit, Ecclesiam spoliat argumentis, quibus suam de libero arbitrio adversus hæreticos fidem vindicat; contradicitque manifestis Scripturæ sacræ testimoniis, quibus eandem fidem adversus eosdem probat, hisce utique Deut. 30. *Proposui in conspectu tuo vitam, & bonum, & è contrario mortem & malum.... Elige ergo vitam.* Et Eccli. 15. *Deus* (non obstante peccato originali) *reliquit hominem in manu consilii sui.* Item: *Ante hominem vita, & mors, bonum & malum: quod placuerit dabitur ei.* Hisce enim locis agitur de facultate seu potentia electiva, adeòque activa liberi arbitrii, etiam in ordine ad bonum supernaturale. Negare proinde omnem potentiam activam, etiam remotam, liberi arbitrii, absque gratia, in ordine ad actus supernaturales, non videtur in fide tutum. Unde in Congregatione de Auxiliis eam non negavit Bastida pro Molina disputans; sed, ut ipsi reposuit P. Lemos, *multum laboravit in ostendenda re clarissima* (nota benè) *quòd videlicet ad actum concurrat Deus, & liberum arbitrium, ita ut nec solus Deus, nec sola voluntas sufficiat ad producendum actum pœnitentiæ v. g. sed liberum arbitrium habet propriam activitatem naturalem, quam illi Deus dedit à principio. Admittimus hæc omnia* (inquit Lemosius) *sed dicimus illam activitatem esse potentiam remotam, vel capacitatem, respectu operum supernaturalium; cui potentiæ remotæ Deus auxiliis gratiæ suæ det virtutem supernaturalem, per quam potentia illa liberi arbitrii constituitur in actu proximo, applicatur, movetur, & determinatur ad operandum supernaturaliter; ita quòd liberum arbitrium habeat ex Deo, & ex gratia, ut liberè benè utatur suâ activitate.* Et hoc est quod sibi vult S. Prosper in poëmate suo versu 977. dum canit:

Libertate agimus, sed libertate redemptâ.

Ad quem versum Steyartius in notis suis ad illud poëma, Ipris anno 1680. editis quærit: *An ergo libertas redimi, aut unquam libera fuisse potest? Sic nimirùm disertè docet* (Prosper) *infrà v. 995.*

Tunc (cum gratia) *fiet cursus velox*
Libera libertas, &c.

Unde duo notanda, & quòd in sensu Prosperi sine gratia sit libertas (etiam ad bonum supernaturale; sequitur enim) *& quòd per gratiam ipsa libertas insuper liberetur, nempe ad volendum & perficiendum bonum, Deo id operante* (*Philipp. 2.*) *De qua libertatis, ut ita dicam, libertate intelligendi sunt SS. Patres Prospero Coætanei, ubi duriùs nonnunquam ita loqui videntur, ut libertas per peccatum amissa, per gratiam recuperetur. Revera enim hæc est libertas, quâ libertate Christus nos liberavit.* De eadem etiam intelligendæ sunt Scripturæ, aientes, quòd sine gratia nihil possumus, nihil utique salutare. In illis namque sermo est de potestate cum effectu; sicut & Salvator, cùm dixit Petro, *non potes me sequi modò*, & Augustinus, dum l. 1. op. imperf. contra Julian. dicit, quòd *charitas facit liberum ad ea quæ bona facienda sunt.* Maximè cùm Scripturæ illæ à Conciliis & Patribus intelligantur de gratia efficaci, quam certum est necessariam non esse ad potentiam activam remotam ad bonum supernaturale, sed ad potentiam cum effectu.

Octavò, impotentia peccatorum, gratiâ destitutorum, ad servanda mandata non est antecedens, nec inculpata, nec à voluntate ipsorum sejuncta, sicut est impotentia ambulandi, in homine cui fractæ sunt tibiæ; impotentia scribendi, in eo cui præcisæ sunt manus; impotentia non moriendi in homine mortali; isti enim, licèt velint, equidem nec ambulabunt, nec scribent, nec mortem effugient; sed est impotentia consequens, culpabilis, & à perversa voluntate ipsorum inducta, ut suprà dixi. Quippe nihil aliud est, nisi perversa voluntas ipsa, nihil nisi constans peccandi voluntas, nihil nisi pravi cordis affectus, terrenis rebus nimis addictus. Talis verò impotentia non efficit mandatorum observantiam absolutè & simpliciter impossibilem, cùm sit absolutè & simpliciter vincibilis. Potest 545

enim peccator ad Deum se convertere per gratiam, quam à Deo absolutè obtinere potest. Impotentia quippe illa similis est impotentiæ Judæorum, de quibus Salvator Joan. 5. 44. ait: *Quomodò vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis, & gloriam, quæ à solo Deo est, non quæritis?* Ad quæ verba Augustinus dicit, quod *ideò non poterant, quia nolebant*, ob perversam voluntatem suam, quâ gloriam apud homines nimis inordinatè quærebant; quem tamen inordinatum gloriæ appetitum absolutè vincere poterant, ad Deum se convertendo. Et ideò Augustinus ibidem subjungit: *Quòd illi non poterant credere, culpa est voluntatis humanæ.* Concilium quoque Valentinum can. 2. dicit, *nec malos ideò perire, quia boni esse non potuerunt; sed quia boni esse noluerunt.* Et Ecclesia Lugdunensis de trib. epist. *Non quia non possunt homines de malo in bonum commutari, & de malis & pravis boni & recti fieri; sed quia in melius mutari noluerunt.* Quòd ergo homo, in tali statu, mandata Dei servare non possit, non est quia hoc ipsi absolutè impossibile est, sed quia non vult: non quia totus ad se conversus est, quia totus à Deo alienus est, amare Deum non potest (ait Doctor quidam insignis) sed quia creaturam inordinatè amat, & amare vult, in eoque amore tam pertinaciter defixus est, ut ab eo nolit desistere. Absurdum verò est, mandata Dei ideò pronuntiare absolutè impossibilia alicui, quia toto voluntatis impetu ab eorum se alienat observantia, incumbitque in crimina. Siquidem *ubi voluntas, ibi libertas*, adeòque in contrarium possibilitas, ait Bern. Serm. 81. in Cant.

546 Nonò, certum est ex divina Scriptura, justis aliquando deesse gratiam necessariam ad resistendum tentationi, ad perseverandum, &c. utpote quæ regulariter ab ipsis non obtinetur, dum de se præsumentes, pro ea obtinenda orare negligunt. Orandum quippe pro gratia necessaria ad resistendum tentationi, ad perseverandum, &c. mille locis Scriptura docet. Certum tamen, & de fide est, mandata ipsis, eo in statu, non esse impossibilia, uti nec perseverantiam.

547 Decimò, Tridentinum sess. 6. c. 11. apertè definit, justos aliqua non posse, nisi pro gratia, quâ possint, impetranda orent, hisce utique formalibus verbis: *Nemo debet temerariâ illâ, & à Patribus sub anathemate prohibitâ voce uti, Dei præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia. Nam Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis.* Postremis quippe verbis, *& petere quod non possis*, manifestè declarat, quòd licèt homini justificato Deus impossibilia non jubeat; aliqua tamen jubeat, quæ non potest (potentiâ utique complectente omnem gratiam necessariam ad agere) quòdque impotentia ista optimè consistat cum definita mandatorum possibilitate: quia licèt justus aliquando non habeat in actu gratiam ad istud posse (conjunctum videlicet cum actu) eam tamen habet in potentia; quatenùs eam impetrare potest, tantùm & eo modo petendo, quantùm & quomodò res tanta petenda est. Quod quia non omnes justi faciunt, non omnes justi gratiam illam obtinent, non omnem utique gratiam ad posse, potentiâ conjunctâ cum effectu. Et ideò utrumque fide certum est, & quòd non omnes justi gratiam habeant, quâ taliter possint; & quòd Deus eo non obstante impossibilia ipsis non jubeat.

Undecimò, idem Concilium sess. 6. can. 22. 548
definit, *justificatum, sine speciali auxilio Dei, in accepta justitia perseverare non posse*; speciale proinde illud Dei auxilium, seu perseverantiæ donum, esse necessarium ad observandum perseverantiæ præceptum. Certum tamen, ac de fide est, donum istud justis omnibus non conferri, sed electis dumtaxat (neque enim speciale foret, si justis omnibus foret commune; certumque ac de fide est, solos electos salvari, & perseverare. Omnibus proinde justis donum illud commune non esse; aliàs omnes salvarentur, & perseverarent.) Certum proinde, ac de fide, justos omnes *in accepta justitia perseverare non posse*, potentiâ complectente omnem gratiam necessariam ad servandum de facto perseverantiæ præceptum. Eo tamen nequicquam obstante, certum ac de fide est, præceptum istud observatu ipsis non esse impossibile. Igitur certum ac de fide est, ad possibilitatem istam necesse non esse quòd actu habeatur omnis gratia ad servandum istud præceptum necessaria, sed sufficere quòd à Deo obtineri possit.

Duodecimò, de fide est, juxta Scripturam, 549
Concilia & Patres, gratiam dantem velle, & perficere, adeòque efficacem, necessariam esse ad singulos pietatis actus (adeòque ad servandum præceptum moriendi potiùs pro Christo, quàm ipsum negandi.) Ita enim post Scripturam definit Concilium Carthaginense in epist. Synodica ad Innocentium I. & Concilium Africanum 214. Episcoporum in epist. ad Zosimum (apud S. Prosperum l. contra Collat. c. 10.) necnon Milevitanum, & Arausicanum II. can. 3. 4. 5. 6. 7. 9. 10. Ita etiam sancti Episcopi, pro fide in Sardinia exules, in epist. Synodica. Cumque ipsis Innocentius I. in epist. ad Africanos, & Cælestinus Papa in epist. ad Gallos c. 6. Atqui certum est, gratiam efficacem moriendi pro Christo, potiùs quàm ipsum negandi, defuisse Petro, dum timore mortis Christum negavit. Aliàs timore mortis Christum non negasset, neque ea in tentatione victus, sed victor fuisset. Cùm gratia efficax det victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum, prout eadem Concilia & Patres definiunt.

Unde conficitur argumentum istud demonstrativum: Gratia efficax moriendi pro Christo, &c. sive dans id velle, & perficere, necessaria est ad servandum hac de re Dei præceptum; sine ea proinde præceptum istud ser-

vari non potest, potentiâ complectente omnem gratiam ad id necessariam, prout constat ex necessarii definitione, Conciliorumque & Summorum Pontificum, ac SS. Patrum decisione. Atqui gratia efficax moriendi pro Christo, &c. defuit Petro, in tentatione mortis posito; deest quoque justis omnibus, simili tentationi succumbentibus. Ergo gratia, sine qua præceptum moriendi pro Christo servari non potest, potentiâ complectente omnem gratiam ad id necessariam, deest aliquibus justis. Non ideò tamen præceptum istud est ipsis impossibile: quia licèt gratiam istam non habeant in actu, habent in potentia, eò quòd eam Deus ipsis dare possit, & eam ipsi possint recipere, orando quantùm & quomodò res tanta petenda est.

550 Propterea Ribera, Scriptor è Societate celebris, sanctæque Theresiæ, dum viveret, Confessarius, in suo super Evangelium Joannis Commentario, exponens verba ista Salvatoris: *Sine me nihil potestis facere*, dicit, ea secundùm se præcisè spectata, tam intelligi posse de generali, seu sufficienti, quàm de speciali, seu efficaci Dei auxilio; sed spectato Evangelistæ contextu, intelligi non posse, nisi de auxilio speciali, seu efficaci, id est (inquit) de auxilio actuali, movente voluntatem ad actum, de gratia actuali sanante naturam, deque illo Dei dono, de quo Concilium Arausicanum can. 9. dicit, quod *divini est muneris, cùm & rectè cogitamus, & pedes nostros à falsitate & injustitia tenemus. Quoties enim bona agimus, Deus in nobis, atque nobiscum ut operemur, operatur.* Pro quo allegat & Concilium Africanum, & agmen ingens sanctorum Patrum. Similiter doctissimus Massoulieus, Reverendissimi P. Generalis Ordinis Prædicatorum Socius, in præclaro Opere suo, anno 1693. Romanis Typis edito, Innocentioque XII. dicato, cujus inscriptio est, *Sanctus Thomas sui Interpres*, dissert. 3. q. 1. a. 3. dicit: Verbis Salvatoris Joan. 6. 44. & 66. & c. 15. 5. & 1. Cor. 12. 3. *nemo est, qui S. Augustinum, & S. Thomam Magistros audierit, qui non existimet significari efficacem gratiam, & quidem tantam, ut tractio dici potuerit, quæ vim quandam adhibitam significare videtur, quâ violentia adhibeatur, & non* solùm *voluntas excitetur.* Similiter Natalis Alexander, in Commentario super quatuor Evangelistas, quem S. D. N. Clementi XI. dicavit: *Nihil omninò facere potestis sine interiori gratiæ meæ, vos prævenientis, vos trahentis, in vobis operantis ut velitis, & volentibus cooperantis auxilio.* Et ante ipsos Facultas Theologica Lovaniensis in suprà laudata justificatione Censuræ suæ n. 179. *Potentia credendi, vel convertendi se, æstimatur dupliciter.... semel ex præsentibus viribus, satis efficacibus ad fidem & conversionem: juxta quem modum quidam dicuntur non posse credere, aut sequi Dominum, sicut dictum est Petro, non potes me sequi modò.* Et Facultas Duacensis in Censura anni 1588. *Neque induratus converti potest, nisi per gratiam auferentem cor lapideum & tribuentem cor carneum, adeòque efficacem.... Neque infidelis quisquam credere potest, nisi per gratiam quâ cor ejus ex infidelitate ad fidem mutetur; quam gratiam eum non habere, quamdiù infidelis manet, perspicuum est.*

Ex his omnibus manifestum est rectè & catholicè dici, sine gratia efficaci nihil rectè & salubriter fieri posse. Unde rursus sic argumentor: Si verba Salvatoris, *Sine me nihil potestis facere. Nemo potest venire ad me, nisi Pater.... traxerit eum*, &c. rectè & catholicè intelliguntur de gratia efficaci, manifestum est, gratiâ efficaci destitutum, nihil rectè & salubriter facere posse; mandata proinde, ut oportet, servare non posse. Sed secundùm definitionem Conciliorum, traditionemque SS. Patrum (à Patre Ribera laudatorum) & secundùm totam Augustini, ac D. Thomæ Scholam, verba illa Salvatoris rectè & catholicè intelliguntur de gratia efficaci. Ergo manifestum est gratiâ efficaci destitutum, nihil rectè & salubriter facere posse; adeòque mandata, ut oportet, servare non posse. Nec tamen rectè & catholicè dici potest, mandata ipsi esse simpliciter & absolutè impossibilia. Rectè ergo & catholicè dici potest, cum Scriptura, Conciliis, Patribus, gratiâ efficaci destitutum, mandata Dei servare non posse, modò id dicatur sensu Scripturæ, Conciliorum & Patrum, salvâ absolutâ & simpliciter dictâ possibilitate mandatorum, intelligendo utique quòd id non possit potentiâ complectente omnem gratiam necessariam ad actualem eorum observantiam. 551

Nec negari potest sanam esse istam doctrinam, postquam eam Alexander VII. talem esse declaravit in Brevi ad Episcopos Galliæ, prout infrà videbitur. Ex ea verò

Decimò-tertiò sic argumentor: Ut mandata Dei simpliciter & absolutè possibilia sint homini, necesse non est quòd ea servare possit potentiâ proximâ & expeditâ; sed sufficit quòd ea servare possit potentiâ remotâ. Sed hæc non deest peccatoribus omni gratiâ, etiam sufficiente destitutis, ut constat ex dictis num. 536. 539. 540. 541. Ergo, &c. Major conficitur ex sacris textibus, Conciliis & Patribus suprà relatis, aientibus sine gratia efficaci nihil piè & salubriter fieri posse, potentiâ utique proximâ & expeditâ, gratiam ulteriorem ad actum non postulante. Atque ita docent Cajetanus in cap. 10. Joan. v. 39. & in cap. 26. Matth. & in Comment. in 1. 2. q. 109. Facultas Lovaniensis in justific. Censuræ pag. 131. Facultas Duacensis in Censura assert. 14. Cumel in 1. 2. pag. 251. Sylvius in 1. 2. q. 109. a. 4. pag. 723. Et alii Thomistæ à Ledesma citati in tr. de Auxil. q. un. a. 11. hisce verbis: " Alii verò Discipuli D. Thomæ, qui docent quòd auxilium efficax prædeterminans voluntatem se tenet ex parte actûs primi, tanquam constituens illum in ultima actualitate, & in ultimo complemento ad operandum.... debent dice- 552

„ re, quòd hoc auxilium aliquo modo perti-
„ net ad auxilium sufficiens, tamquam ultimum
„ complementum, & ultima actualitas ipsius.
„ Unde auxilium sufficiens non est completum....
„ nisi per auxilium efficax, & prædeterminans,
„ &c. Quod & docet Eminentissimus Cardina-
lis Norisius in Historia Pelagiana, & doctis-
simus Anonymus in vindiciis illius anno 1698.
Romæ editis, ubi dissert. 5. c. 1. magna cum
eruditione tuetur hanc Eminentissimi Clientis
sui propositionem: *transgressorem legis reum esse peccati, tametsi negata fuerit ipsi gratia proximè sufficiens, quâ posset exequi mandata.*
„ Hæc est (inquit) doctrina apud Theologos
„ pervulgata, qui tradunt satis esse potentiam
„ remotam ad implendum præceptum, ut trans-
„ gressor legis reus criminis habeatur, nec sem-
„ per requiri, ad legem violandam, potentiam
„ proximam ejusdem implendæ. „ Adductisque
ad id probandum plurimorum Theologorum,
nonnullisque S. Augustini testimoniis, addit,
quòd „ gratia illa, quâ homo habet *bonam vo-*
„ *luntatem, sed adhuc parvam & invalidam* im-
„ plendi præceptum „ (*qualem habuit Petrus, cùm dixit, etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo*) „ dicitur remotum auxilium ad
„ implendum præceptum: quia cum ea sola gra-
„ tia *non potest mandatum facere*; sed indiget ul-
„ teriori ac majori auxilio, quod dicitur auxi-
„ lium proximum, à quo homo constituitur in
„ potentia proxima ad exequendum præceptum,
„ ac sine ulteriori hoc auxilio habet potentiam
„ tantùm remotam faciendi præcepti.

Capite verò 2. ibidem pari eruditione pro-
pugnat alteram hanc ejusdem Norisii propo-
sitionem: *tali auxilio proximè sufficienti* ali-
quando *privari etiam justos, tum cùm urget observatio alicujus mandati, quod non potest impleri sine gratia*; eamque dicit „ invictâ Sy-
„ nodi Tridentinæ authoritate, uno præ cæte-
„ ris interprete Suarez, solidè ac clarè stabiliri.
„ In sess. 6. de justificatione c. 11.... *& facere quod possis, & petere quod non possis*: tan-
„ tam enim (inquit) Norisianæ causæ fiduciam
„ habeo, ut ejus præcipuam defensionem in
„ unius Suarezii doctrina collocare non dubi-
„ tem.„ Atque inter alia proponit hunc syllogis-
„ mum.„ Qui non habet potentiam proximam
„ observandi præcepti, habet privationem au-
„ xilii proximè sufficientis. Sed justus quando-
„ que, urgente præcepto, non orans, non ha-
„ bet potentiam proximam observandi præcepti.
„ Ergo tunc habet privationem auxilii proximè
„ sufficientis. Major est certa: quia ab auxilio
„ proximè sufficienti constituitur formaliter &
„ essentialiter potentia proxima in justo, ad ob-
„ servandum præceptum. Nam decretoria Sua-
„ rez sententia est l. 4. de grat. c. 4. n. 3. *Tunc*
„ *dicitur auxilium proximè sufficiens, quando con-*
„ *stituit hominem in actu primo proximè potentem*
„ *ad operandum*.„ Minor est doctrina Synodi Tri-
dentinæ ex Augustino definita.

Meretur quoque hîc audiri Michaël de Eli-
zalde, ejusdem Societatis profundissimus Theo-
logus; *quem* (ait laudatus Anonymus) *ob acumen ingenii mirari sapè soleo.* Is l. 5. de re-
cta reg. mor. q. 12. §. 4. pag. 68. ferè indigna-
tus à quibusdam Casuistis legis transgressiones,
ob voluntariam impotentiam commissas, à
peccato excusari: *Vos* (ait Elizaldus) *dicitis, potest* legem servare; *Concilium & Augustinus dicunt, non potest. Et ego Concilio & Augustino crediderim. Atque utinam in peccatoribus habitualibus non sint hujusmodi impotentiæ permultæ consequentes*, &c.

Decimò-quartò, pro assertione nostra sic 553
arguit Thomas de Lemos, triumphans ille gra-
tiæ Augustino-Thomisticæ adversus Molinam
coram Summis Pontificibus Clemente VIII.
& Paulo V. Defensor in Congregationibus de
Auxiliis; sic (inquam) arguit in Panoplia sua
to. 4. p. 2. n. 143. " Quòd omnis homo, "
dum est in via, (per observantiam mandato- "
rum) possit salvari, veritas de fide est. Ergo "
quidquid dicatur de sufficienti auxilio gratiæ "
dando vel omnibus, vel non omnibus, illa "
veritas fidei inconcussè tenenda est. Et reverà "
optimè ea salvatur, etiamsi dicatur, quòd non "
omnibus datur auxilium gratiæ sufficiens. "
Quia etiamsi aliquibus tale auxilium gratiæ de- "
negetur; illud tamen potest eis Deus dare. "
Ergo poterunt salvari. Ad hoc ergo non re- "
quiritur quòd de facto habeat auxilium suffi- "
ciens; sed sufficit quòd possit à Deo habere "
auxilium sufficiens. Illud enim quod homo "
potest per Deum, absolutè potest, neque ho- "
mini est absolutè impossibile, ut ex Philoso- "
pho probat S. Thomas 1. 2. q. 109. a. 4. ad 2. "
Nam (inquit) *juxta Philosophum aliquo modo* "
possumus, quod per amicos possumus." Et quod
aliquo modo possumus, non est absolutè impos-
sibile, juxta eundem S. Doctorem 1. p. q. 62.
a. 2. ad 2. n. 538. laudatum.

Decimò-quinto, egregius ille Molinismi 554
debellator ex Physica arguit sic: Ad verifi-
candum quòd Petrus potest esse albus, ne-
cesse non est quòd de facto habeat albedinem; 557
sed satis est, quòd habere possit albedinem,
per quam fiat albus. Similiter ergo ut esse pos-
sit mandatorum observator, necesse non est
quòd de facto habeat gratiam per quam ea ser-
vet; sed satis est quòd eam habere possit.

Decimò-sextò, quòd non solùm ea absolu- 555
tè & simpliciter possimus, ad quæ gratiam ne-
cessariam de facto habemus, sed & ad quæ
eam à Deo habere possumus, tametsi culpâ
nostrâ de facto non habeamus, manifestè pro-
bant varia exempla suprà adducta. Siquidem
justi omnes absolutè possunt in gratia perse-
verare, etiamsi non omnes justi speciale habeant
perseverantiæ donum, necessarium ad de fa-
cto perseverandum, quia illud à Deo recipe-
re possunt. Similiter ut infidelis per fidem &
Baptismum simpliciter possit esse in Ecclesia, suf-
ficit quòd fidem & Baptismum habeat in poten-
tia, etsi non habeat in actu, prout docet S. Tho- 558
mas 3. p. q. 8. a. 3. ad 1. Ergo similiter, &c. "
Decimò-septimò, de fide est, nullum esse 556
instans,

instans, in quo peccator, quamdiù vitâ & ratione utitur, converti, salvarique non possit. cap. *firmiter* de sum. Trinit. *Et tamen* (inquit Lemos ubi suprà) *etiam secundùm illos, qui omnibus tribui dicunt sufficiens auxilium, illud non illi datur pro omni instanti, sed certis temporibus. Ergo etiam ipsi salvare debent, quòd in omni instanti potest salvari homo, tametsi non habeat auxilium in omni instanti. Quod non aliunde salvare possunt nisi modo dicto*, per hoc scilicet quòd in omni instanti illud habeant in potentia, etiamsi non habeant in actu. Ideò verò habent illud in potentia, tum quia illius à Deo recipiendi capacitatem retinent, quamdiù vivunt. Tum quia Deus per misericordiam suam, & merita Christi, sive in virtute Passionis ipsius, paratus est illud ipsis dare, nisi obstet impedimentum peccati in ipsis repertum. Nam, ut Augustinus dicit l. 2. de Serm. Dom. in monte c. 3. *Deus semper paratus est dare suam lucem nobis, sed intelligibilem & spiritualem; sed nos non semper parati sumus accipere, cùm inclinamur in alia, & rerum corporalium cupiditate tenebramur.* Et, ut S. Thomas ait l. 3. contra Gent. c. 159. *Deus, quantùm in se est, paratus est omnibus gratiam dare; vult enim omnes salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, ut dicitur 1. Timoth. 2. sed illi soli gratiâ privantur, qui in seipsis gratiæ impedimentum præstant.* Gratia itaque per Christum, virtutemque seu merita Passionis ipsius, viatoribus omnibus de facto tribueretur, nisi aliud postularet justum judicium Dei, ob peccatum in ipsis repertum. Ideòque Augustinus l. de spir. & lit. c. 35. postquam dixit possibilem esse homini perfectam justitiam, absque ullo omninò peccato: *fieret enim, si* per auxilium gratiæ Dei, *tanta voluntas adhiberetur, quanta sufficit tanta rei*, de isto auxilio subjungit, *quòd ut non sit*, id est, quòd hominibus actu non concedatur, *non ad impossibilitatem, sed ad judicium Dei pertinet.*

557 Decimò-octavò, ad salvandam exponendamque mandatorum possibilitatem, ad gratiam sufficientem, omnibus actu datam, nunquam Augustinus, nunquam S. Thomas recurrit; tametsi enim uterque de mandatorum possibilitate sæpiùs agat, & uterque Pelagianorum Semipelagianorumque objectiones inde petitas sæpiùs proponat; pro earum solutione, gratiæ sufficientis, omnibus datæ, neuter mentionem unquam facit; sed ex hoc mandatorum possibilitatem uterque defendit, quòd cum auxilio divinæ gratiæ servari possint; quod auxilium quibuscumque divinitùs datur, ex misericordia datur; quibuscumque negatur, ex justitia negatur, in pœnam præcedentis peccati, uti cum Augustino loquitur S. Thomas 1. 2. q. 109. a. 2. ad 2. Et 2. 2. q. 2. a. 5. ad 1. Et q. 156. a. 2. ad 1. Et q. 24. vetit. a. 11. ad 5. Et alibi sæpè.

558 Concludo proinde cum Sylvio: „ sive detur aliqua gratia, quæ tantùm est sufficiens, „ non efficax; sive non detur: ea secundùm rei veritatem est impertinens ad salvandum, « quòd homo possit divina mandata servare « Partim quia, ut ipse ea servet, ea gratia so- « la non sufficit, sed oportet, " secundùm Thomistas omnes, " quòd etiam adsit gratia effi- « cax, quæ à solo Deo pendet, & gratis seu « sine merito datur. Partim quia, juxta commu- « nem sententiam, gratia sufficiens non semper « datur; & tamen homines viatores semper pos- « sunt divina mandata servare; ac per conse- « quens etiam tunc, quando non habent gra- « tiam sufficientem. Ergo, ut observatio præ- « ceptorum dicatur esse possibilis, non est ne- « cesse venire eò, ut dicatur, quòd habeant gra- « tiam sufficientem. „ Sylvius 1. 2. q. 109. a. 4. pag. 723. Et idipsum cum Sylvio tenent non pauci, nec infimi nominis Theologi è Catholicis, aientes excæcatis, obduratis, infidelibus plerisque nulla pro eo statu præstò esse à Deo gratiarum interiorum, etiam sufficientium auxilia. Non ideò tamen ipsis mandata Dei esse impossibilia. Quorum opinionem in Ecclesia permissam esse fatetur Becheferius, è Societate Jesu Theologus, in declaratione data Illustrissimo Archiepiscopo Parisiensi 3. Aprilis 1700.

Nec certè solidi quidpiam in contrarium objicitur. Siquidem in sententia ista libertas salvatur, uti constat ex dictis capite præcedenti, & capite præsenti num. 545. salvatur (inquam) libertas à necessitate naturali, antecedente, & absoluta, ad meritum & demeritum in statu naturæ lapsæ necessaria. In homine quippe gratiâ propter peccatum destituto *liberum arbitrium minimè extinctum esse*, Tridentinum docet sess. 6. cap. 1. Tametsi enim gratia necessaria sit ad sufficientiam libertatis in ordine ad supernaturalia; necessaria non est ad rationem & essentiam ipsius: cùm libertas sit naturalis proprietas voluntatis, non gratia. Aliàs gratia non esset gratia. Voluntasque hominum viatorum non est irreversibilis ad bonum, sicut voluntas damnatorum; sed flexibilis ad bonum & malum, convertibilisque ad Deum, ut fides docet. Et ratio est, quia quantumcumque viator in profundum peccatorum venerit, inde semper emergere potest per gratiam, cujus de lege ordinaria capax est status ipsius. Et tametsi excæcati, & obdurati, in statu illo, resurgere non possint potentiâ proximâ & expeditâ, sive ex auxilio sufficienti actu habito; resurgere tamen possunt potentiâ remotâ, sive ex auxilio sufficienti habito in potentia: quia illud recipere possunt à Deo; qui etiam immeritis illud concedere potest, & multis similiter affectis illud misericorditer concedit, uti sapienter observavit Estius ubi suprà, sicut & Thomas de Lemos, & Alvarez, qui in Congregatione 43. de Auxiliis coram Clemente VIII. Bastidæ objicienti, quòd omnis peccator in hac vita ad Deum converti, salutemque consequi possit: Respondit, hoc esse verissimum: quia semper potest Deus misericorditer movere quemcumque peccatorem, viatorem, ad pœ-

nitentiam, ipsumque convertere secundùm legem ordinariam. Et liberum arbitrium in hac vita, semper est flexibile in bonum & malum. Et Passio Christi, Deique misericordia (cujus effectum peccator consequi potest, quamdiù vivit) est sufficiens ad delendum quodcumque peccatum. Quod non habet locum in damnatis; qui licèt converti possint de potentia Dei absoluta, non possunt de potentia ordinaria, ob immobile Dei decretum in contrarium: nec jam ampliùs capaces sunt ullius effectûs divinæ misericordiæ, nec Passionis Christi; ideòque voluntas ipsorum est irreversibilis, & immobiliter affixa malo, ratione statûs. Videri potest S. Prosper in respons. ad 6. object. Vincent. ubi sic: *Hoc inter malos homines distat & dæmones, quòd hominibus, etiam valdè malis, superest, si Deus misereatur, reconciliatio; dæmonibus autem nulla est in æternum servata correctio.* Defectus itaque gratiæ peccatorem non excusat à demerito, sicut ex dictis cap. præced. ipsum non excusat à peccato. Quia eo defectu non obstante liber est à necessitate, non solùm coactionis, sed & à necessitate naturali & absoluta; solaque remanet ipsi necessitas secundùm quid, infallibilitatis utique, eaque consequens, sive à voluntate culpabili inducta: quam veræ libertatis inimicam non esse, Theologi passim docent cum S. Augustino, & S. Thoma, & sanctis passim Doctoribus. Denique peccata ipsius libera sunt, non solùm in causa, sed & in seipsis, prout ostendimus num. 530.

559 Non dicat ergo Molinista homini, omni gratiâ destituto, non magis liberam esse præceptorum supernaturalium transgressionem, quàm homini destituto alis, volatum; destituto pedibus, ambulationem; destituto oculis, visionem, &c. Quemadmodùm enim iste volare, ambulare, videre non potest; ita nec ille præcepta servare.

Ingens quippe est inter hunc & illum disparitas, quòd ille volare, ambulare, videre non possit, quantumvis velit: hîc verò dum vult, plenâ integrâque voluntate, mandata servat; & ideò non observat, quia observare non vult.

Nec refert quòd plenam istam mandata servandi voluntatem habere non possit sine gratia. Quia gratia equidem necessaria non est ad posse habere illam, sed ad habere. Etsi verò ab arbitrio hominis, omni gratiâ destituti, non pendeat habere gratiam necessariam ad plenam integramque istam voluntatem; potest equidem gratiam illam, ac per consequens voluntatem habere, cùm Deus misereri voluerit. Id autem ad quod homo pervenire potest aliquo auxilio, non est ipsi impossibile; sed id tantùm ad quod *nullo modo* potest pervenire, ait S. Thomas 1. p. q. 62. a. 2. ad 2.

Quòd si Molinista non capiat, quâ ratione possibile dicatur, ad quod gratia necessaria non adest, nec per solas liberi arbitrii vires haberi potest. Meminerit in hoc argumento de gratia & libero arbitrio Christiano Theologo suspectum esse debere, quod ratione capi potest. Malè proinde hîc pro fundamento poni rationem purè humanam; sed præ illa auscultandam Scripturæ & SS. Patrum authoritatem; in qua cùm manifestè fundata sit assertio nostra, etiamsi ratio humana non capiat, quod diximus, equidem tenendum est, illudque cogitandum quod ait Facultas Duacensis ad assert. 31. *non semper veritati vicinius esse, quod est in doctrina facilius. Alioquin in Mysterio sacrosanctæ Trinitatis Arius, vel Sabellius: in Mysterio Incarnationis Nestorius: & in Mysterio sacri Altaris explicando Berengarius, Zwinglius, Calvinus, nobis potiùs sequendi essent, quàm Ecclesia Christi Catholica. Sanè difficultatem in materia gratiæ & prædestinationis semper Patres agnoverunt, eam vix paucis penetrabilem. Quòd si ergo putat* Molinianæ *novitatis Assertor.... se rationem invenisse, quâ adeò facilè, & ad captum multitudinis, possit hac gratiæ cum libero arbitrio concordia explicari, vel inde intelligat quàm non eâdem doctrinæ viâ cum illis in hoc gratiæ & prædestinationis Mysterio tradendo procedat.*

Si istis non acquiescens contendat 1°. de ratione libertatis esse, quòd positis omnibus ad agendum requisitis, positâ proinde gratiâ necessariâ, proximèque & completè sufficiente, voluntas adhuc agere possit, & non agere in sensu Molinisticè composito. 2°. Justum non esse Dei præceptum, nisi adsit auxilium ei adimplendo necessarium; ideòque Leonem Papam dicere, quòd Deus *justè instat præcepto, qui præcurrit auxilio.* Similiter Augustinum: *Homo gratiâ juvatur, ne sine causa voluntati ejus jubeatur*, l. de grat. & lib. arb. c. 4. Et c. 18. *Præcepto admonitum est liberum arbitrium, ut quæreret Dei donum. Quod quidem sine suo fructu prorsus admoneretur, nisi priùs acciperet aliquid dilectionis, ut addi sibi quæreret, unde quod jubebatur impleret.* 3°. Hominem gratiâ destitutum exercere non posse actus supernaturales si velit, magis quàm Deus Pater possit non amare Filium, si nolit; vel peccare, si velit.

Ad 1. respondeo juxta Scripturam, Concilia, Patres, esse quidem de ratione libertatis potestatem ad agendum vel non agendum, ad consentiendum vel non consentiendum, ad volendum vel non volendum; sed de ratione libertatis non esse quòd posita sint omnia ad agendum vel non agendum, ad consentiendum vel non consentiendum, ad volendum vel non volendum requisita; multò minùs ut cum positis illis omnibus voluntas componere possit tam agere, consentire, velle, quàm non agere, non consentire, non velle. Nihil enim in Scriptura, Conciliis, Patribus evidentius, quàm gratiam facere ut voluntas consentiat, velit, agat, gratiamque id facientem esse necessariam ad piè velle, consentire, agere. Dum igitur voluntas non consentit, non vult, non agit, non habet gratiam necessariam ad velle, consentire, agere.

Quando-

Quandoquidem cum gratia dante velle, consentire, agere, non stet non velle, non consentire, non agere. Cum gratia proinde dante velle, consentire, agere, componi non potest non velle, non consentire, non agere. Ut ergo voluntas possit non velle, non consentire, non agere, secundùm Scripturam, Concilia, Patres, necesse non est quòd componere possit non velle, non consentire, non agere, cum gratia dante velle, consentire, agere; sed satis est quòd potestatem non volendi, non consentiendi, non agendi cum gratia illa componere queat. Quod, juxta Scripturam, Concilia, Patres, semper fieri potest. Et quamvis ratio naturalis id non assequeretur, imò contrarium dictare videretur: quia tamen id fieri posse asserunt Scriptura, Concilia, Patres, certum esse debet Theologo, rationem hîc falli. Neque enim de rebus hisce Theologicis concludendum est ex ratione purè humana, sed ex authoritate divina, uti Prolegomeno 1. dixi.

Ad 2. respondeo id sine blasphemia dici non posse: utpote ex quo consequens esset, injustum esse Deum iis imponendo præceptum, ad cujus impletionem efficax non tribuit auxilium, ad eam necessarium. Cùm tamen illud justissimè deneget omnibus præceptum transgredientibus; sicut plerisque peccatoribus justissimè negat gratiam ad præcepta servanda proximè sufficientem. Aliàs quantò suam ipsi magis augerent cupiditatem, tantò majorem Deus ipsis largiri teneretur gratiam, quâ eam proximè vincere possent.

Ad S. Leonem Facultas Lovanienſis in justificatione Censuræ suæ cap. 12. n. 186. respondet, „ etiam ab eodem Leone dici, quòd Deus „ ideò dat præceptum, ut excitet desiderium, „ & præstet auxilium. Unde intelligitur, quòd „ præcurrit quidem auxilium, sed generale & „ externum, in exemplo & sacramento, sicut „ præcedentia in eodem illo Serm. 16. significant Leonis verba. Sequitur verò donationem „ præcepti auxilium speciale circa eos, qui ex„ citati præcepto, ipsum desideraverint, &c. Ad S. Augustinum plana est responsio; priore namque loco agit de gratia efficaci, sive quæ dat agere, quâ nisi homo juvetur, *nihil lex erit nisi virtus peccati*, ut antè dixit. Et ideò nihil homini proderit, quia *sine fructu suo* per eam *admonebitur liberum arbitrium ad quærendum Dei donum*, ut dicit posteriore loco. Nec tamen ideò dicit, omnes, qui per legem admonentur, *aliquid dilectionis* accipere; cùm plures omni dilectione, omni proinde legis fructu destituti sint justo Dei judicio, ob peccata sua.

Ad 3. negatur assumptum: quia inter illam locutionem, *Deus pater non amaret Filium, si nollet*; *vel peccaret, si vellet*; & istam, *homo gratiâ destitutus mandata servaret, si vellet*, manifestum est discrimen, quòd in priori, hypothesis sit impossibilis; in posteriori possibilis. Impossibile namque est Deum nolle amare Filium, vel velle peccare; homini verò gratiâ destituto impossibile non est mandata servare, prout argumentis octodecim est demonstratum. Eò quòd utique gratia necessaria non sit ad *posse*, sed ad *servare*; sicut equus ad *equitare* non ad *posse equitare*, nisi sermo sit de potentia equitandi, complectente omnia ad equitationem actualem necessaria. Quo solo sensu impossibile dicitur equo velociter currere sine equo. Involvit enim contradictionem, sicut ex gratia vel cum gratia velociter agere sine gratia. Nihilominus equum non habenti, modò habere possit, impossibile non est equo velociter decurrere. Et qui dicit sibi impossibile hoc esse sine equo, perinde est ac si dicat se cum equo currere posse, sine eo non posse, eò quòd equus necessarius sit ad equitationem, non ad equitandi potestatem. Unde jussus à Principe equo velociter decurrere, ad significandum Præfecto exercitûs ne cum hoste congrediatur; si jussionem non impleret, eò quòd culpâ suâ equo destitutus esset, de malo prælii successu capitis reus esset. Quisquis verò destituitur gratiâ, ad servandum Dei præceptum necessariâ, suâ culpâ destituitur, ut suprà diximus, ideòque excusationem impossibilitatis non habet, magis quàm ille.

CAPUT XXVI.

Corollarium momentosum adversus inconsideratos Censores.

EX dictis toto cap. præcedenti manifesta est 560
inconsideratio nonnullorum Criticorum, nimis leviter ac præcipitanter damnantium dicta quædam vel scripta Catholicorum Theologorum, vel Scriptorum, ex præjudiciis præconceptarum opinionum suarum. Si enim aliquem inveniant Scriptorem, quàmlibet pium, eruditum, & Catholicum, asserentem, quòd justis, in pœnam peccatorum suorum, v. g. præsumptionis, vel neglectæ orationis, aliquando deest gratia necessaria ad tentationem aliquam magnam piè superandam, vel (quod perinde) sine qua tentatio aliqua grandis superari non potest, absque discussione sensus, quo id asseritur, illicò prosiliunt ad ipsum damnandum velut hæreticum, seu velut Assertorem vel Defensorem hæreticæ propositionis, asserentis quòd *aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus & conantibus, secundùm præsentes quas habent vires, sunt impossibilia, deest quoque illis gratia quâ possibilia fiant.* Quam Innocentius X. & Alexander VII. *velut temerariam, impiam, blasphemam, anathemate* damnatam, & *hæreticam* damnarunt, & omnes hodie Catholici meritissimè damnant.

Næ Censores illi peccant contra æquitatis, 561
charitatis & honestatis leges, sicut & contra duas Sanctorum regulas. Prima est S. Ignatii Fundatoris Societatis (quam utinam sequerentur omnes Ignatiani) apud Lancitium opusc.

spirit. 19. c. 4. *Christianum unumquemque pium oportet promptiore animo sententiam alterius, etiam ambiguam, in bonam trahere partem, quàm damnare. Idque etiam observandum in aliorum scriptis.... Nam certissimum est, si quis voluerit mediocriter malevolus esse, potest omnia scripta, etiam sanctissima taxare, ipsam quoque Scripturam.* Nulla proinde sanctorum Patrum Opera damnare non liceret, si piorum Catholicorumque Scriptorum dicta obscura, vel ambigua, pravum in sensum privatâ authoritate trahere liceret. At certè meliorem in partem haud minùs interpretanda sunt ambigua dicta, quàm ambigua facta ipsorum. Enimverò *quid tam temerarium, tamque indignum sapientis gravitate, atque constantiâ* (ait eleganter ex Tullio Melchior Canus lib. 8. de locis c. 4.) *quàm quod non clarè perceptum sit, & cognitum, sine ulla dubitatione defendere. Quo loco sanè arguendi sunt Scholastici nonnulli, qui ex opinionum quas ex Schola perceperunt præjudiciis, viros alios Catholicos notis gravioribus inurunt, idque tantâ facilitate, ut meritò rideantur.*

Regulam alteram tradunt, post Concilium Sardicense, Cyprianus, Hilarius, Augustinus, Eulogius Alexandrinus, Vigilius Diaconus, Pelagius II. Facundus Hermianensis, &c. *Scripta* utique alterius *dijudicare non oportet ex parte, neque fragmenta quædam sumendo ex his detracta, de Scriptoris mente judicium ferendum.* Verba sunt S. Eulogii Alexandrini l. contra Severianos & Tritheitas. Et ista communis quoque est sententia Juris utriusque Doctorum, Panormitani in cap. *cùm adeò* 17. de Rescript. Bartoli ad Rubric. Digest. de novi oper. nunt. n. 7. & 8. Parisii in addit. ad Bartol. ad Rubric. Cod. de edendo, &c. Estque regula ista justitiæ conformis & æquitati. Frequenter enim *superiora & consequentia suspicionem omnem excludunt*, ait S. Hilarius l. de Synodis. Sive, ut Augustinus ait l. 3. de doctr. christ. c. 2. *textus ipse sermonis à præcedentibus & consequentibus partibus ambiguitatem tollit.*

Et propterea cùm in Concilio Sardicensi Marcellus Ancyranus ab Eusebio de hæresi fuisset accusatus; ab Eusebio (inquam) aliquas ipsius propositiones ab antecedentibus & consequentibus avulsas exhibente: *deprehensa est Eusebii dolosa res* (ait Concilium in epistola sua Synodica).... *recitatis illis quæ antecederent & consequerentur in illis quæstionibus, inventa est bona & recta fides illius viri.*

Propterea etiam S. Cyprianus l. de unit. Eccles. *corruptores*, id est falsificatores, & *interpretes falsos* vocat, qui *extrema ponunt, & superiora præterunt, partis memores, & partem subdolè comprimentes.* Proh dolor! quòd in hoc infelici sæculo tam multi tales sint. Vigilius quoque Diaconus lib. 4. contra Eutychetem, Eutychianorum calumniam (Leonis Magni scripta de Nestorianismo accusantium) hisce verbis observatione dignis confutavit: *Inhonesto utimini officio, ut superiora demendo, & inferiora non addendo, ita media eligatis, ut verba sententiis exuentes, de eorum nuditate ludatis.* Et Facundus Hermianensis l. 9. c. 3. *Non aspiciamus in furtivas sententiarum particulas; quas ideò præcidunt hæretici, ut in eis non appareat dicentis intentio.* Videatur & Pelagius II. in epist. ad Episcop. Istriæ.

Discutienda sunt ergo antecedentia & conse- 562
quentia, ad ferendum judicium justum. A qua Sanctorum regula, quia frequenter aberrant plerique hodie Molinistæ, sine fronte, sine pudore damnatum in sensum pro libidine vertunt innocentissimas, atque in Scriptura, Conciliis & Patribus fundatissimas propositiones Catholicorum Scriptorum, pietate, & Catholicæ religionis tuendæ zelo illustrium, ob id solum, quòd suis vel suorum placitis, vel novitatibus adversentur; tantaque calumniosæ criminationis Bajanismi & Jansenismi hodie licentia est, ut ne illi quidem calumniandi finem faciant, qui de calumnia non semel convicti sunt, quasi non scriptum sit: *Maledici regnum Dei non possidebunt.* Fit hoc, quia opiniones suas, quamlibet novas, divinæque Scripturæ, Conciliorum & Patrum oraculis non satis consonas, ita depereant, ut ab omnibus eas recipi ac velut adorari velint, omnem sibi doctrinam sapientiamque appropriantes, quasi cum ipsis nata sit, cum ipsis moritura. Hinc ergo audacia illa magna omnes sibi contradicentes velut Bajanos & Jansenistas traducendi, ita ut Jansenismus hodie *crimen* sit *nullum crimen habentium* (ut scitè Steyartius aliquando scripsit) nisi quòd novitiæ ipsorum doctrinæ antiquam, ex purissimis Theologiæ Christianæ fontibus, sacris utique Paginis, Conciliis, Patribus haustam præferant. Hinc (inquam) temeraria audacia illa, nonnullas expressiones ipsorum, ab antecedentibus & consequentibus dolosè avulsas, licèt in illis catholico sensu (Catholica in Ecclesia recepto) expressissimè explicatas, privatâ authoritate deteriorem in partem, contra sanctissimam S. Ignatii regulam, & alteram illam à Concilio Oecumenico Sardicensi usurpatam, & à SS. Cypriano, Hilario, Augustino, Eulogio, Vigilio Diacono, Facundo Hermianensi, &c. traditam, interpretandi (tametsi totidem vel certè æquipollentibus verbis à Spiritu sancto in sacris Litteris, vel certè à Conciliis vel Patribus expressam) ac velut hæreticam, seu Jansenianam, cum suis Authoribus, eorumque Approbatoribus, licèt apprimè piis & Catholicis, innocentissimisque calumniosè diffamandi. Quod profectò crimen est ingens, de quo terribilem rationem, in tremendo judicii die, divina exiget justitia, tam ab Authoribus illius, quàm ab eis consentientibus, *qui cùm justitiam Dei cognovissent* (ait Apostolus Rom. 1. 32.) *non intellexerunt, quoniam qui talia agunt* (*susurrones, detractores, Deo odibiles, calumniosi*) *digni sunt mor-*

te, & non solùm qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.

563 Porrò ne aërem videar verberare, producendum est exemplum unum vel alterum calumniosæ istius licentiæ. Præter illa quæ profert Author libri, cui titulus: *Artes Jesuiticæ*, §. 32. quæque profert Illustrissimus Dominus Fernandez Navarrette, Ordinis Prædicatorum, Professor primarius Universitatis S. Thomæ Manilæ, necnon Missionarius Apostolicus magni Regni Siam, Archiepiscopus S. Dominici, in Opere suo Historico-politico, &c. Monarchiæ Sinensis tr. 2. c. 13. sicut & Eminentissimus Cardinalis Aguirius to. 1. Concil. Hispan. in Præfatione. Præter illa (inquam) anno 1661. in lucem prodierunt Reflexiones Morales Quesnellianæ in Novum Testamentum, quas licèt tunc nondum ultimam manum habentes Illustrissimus D. Vialardus Episcopus Catalaunensis, in opinione sanctitatis defunctus, miraculorumque gloriâ illustris, velut opus aureum, omnibus Pastoribus & Vicariis Diœcesis suæ summoperè commendavit, præfixâ eis Epistolâ Pastorali, in qua sic loquitur: *Debuit Author instructus fuisse charitate illâ luminosâ, de qua Augustinus, & tempore non modico in Schola Spiritûs sancti, qui divinum Novi Testamenti librum dictavit, discipulus fuisse; qui tantâ claritate, & unctione, mysteriorum intellectum, & Verbi incarnati doctrinam penetraverit.* Idem opus cunctis etiam Parochis Ecclesiasticisque ejusdem Diœcesis impensè commendavit Successor ipsius Ludovicus Antonius de Noailles, modò Archiepiscopus Parisiensis, & S. R. E. Cardinalis, declarans, Authorem *eâ S. Spiritûs vi & suavitate, quæ vel durissima corda vincit, doctrinam Evangelicam pertractasse.* Modernus quoque Catalaunensis Episcopus in epist. Pastorali de 25. Februarii 1697. *Non possum* (inquit) *vobis non commendare pias Considerationes super Novo Testamento, quas Ecclesia Gallica debet Illustrissimo Episcopo Catalaunensi defuncto, cujus jussu in lucem prodierunt necdum perfectæ, quasque ab Authore longè ampliores melioresque factas, Illustrissimus Parisiensis Archiepiscopus approbavit, & valedicens vobis reliquit, tanquam optimum depositum, & testimonium zeli, quo vestrum in divinæ legis notitia profectum desiderabat.*

Eundem librum approbarunt quinque Doctores Parisienses, quos inter tres sic loquuntur: *Licèt abundè non constaret in scientia Ecclesiastica nihil reperiri quod Authoris præstans ingenium, amplam eruditionem, acre judicium prætereat; sufficeret liber iste, ut eum nemo non eximium Moralis Christianæ Magistrum agnoscere cogatur.*

564 Nihilominùs non defuerunt de eo genere hominum, qui quidvis egeris, si non per ipsos, vel secundùm ipsos, aut frigidè laudant, aut malignè vituperant, qui opus illud, tam eximiè, nedum à Doctoribus, sed & ab Episcopis tam illustribus commendatum, non solùm vituperarent, sed & accusarent, damnarent, diffamarent, velut continens quinque hæreticas Jansenii propositiones, atque ob illius approbationem ipsummet Illustrissimum, modò Eminentissimum D. Archiepiscopum insimulantes hæresis & Jansenismi, quoad quinque illas damnatas propositiones, sparso in vulgus libello famoso, hunc titulum præferente: *Problema Ecclesiasticum, directum ad D. Abbatem Boileau.* Problême Ecclesiastique, addressé à Monsieur l'Abbé Boileau. Verùm-enimverò Problema istud, velut tanto Archiepiscopo (cujus præclara merita tota prædicat Gallia) enormiter contumeliosum, à S. Romana Generali Inquisitione damnatum fuit, supremique Parlamenti Regii Decreto, manu carnificis, publicè datum fuit in combustionem, atque in favillas & cineres meritissimè redactum. Etenim suprà memoratæ Reflexiones Morales, ad invicem collatæ, & prout una per aliam explicatur, *tantùm abest ut aliquam istarum quinque propositionum contineant, imò vel oleant* (inquit R. A. Pater atque eximius S. Theologiæ Doctor, Franciscus Janssens Elinga, Provincialis Germaniæ Inferioris Ordinis Prædicatorum, & Missionum ejusdem Ordinis in Confœderati Belgii Provinciis Præfectus Apostolicus, in approbatione libri, cui titulus: *Lettres d'un Theologien à un de ses amis, à l'occasion du Problême Ecclesiastique, &c.*) *quòd ex opposito.... diametraliter iisdem opponantur, sintque planè conformes doctrinæ & phrasi præclarissimorum Ecclesiæ Doctorum SS. Augustini & Thomæ, eorumdemque omnium discipulorum.*

Sed quam ob causam vir tantus ab istius generis hominibus illo in Problemate traducitur ut *Jansenista declaratissimus*, imò ut *Jansenistarum Caput?* Partim ob approbatas Reflexiones suprà memoratas: partim ob Instructionem Pastoralem de 20. Augusti 1696.

In Reflexionibus Jansenismum sese invenisse putant, quia in illis asseritur quòd sine gratia efficaci nihil possumus: quod & in Pastorali Instructione sua Eminentissimus Cardinalis Archiepiscopus asserit. Hinc autem inferunt, homini, seu peccatori, seu justo, gratiâ efficaci ad mandatorum observantiam destituto, mandata esse impossibilia. In reflexionibus quoque ad v. 40. Joan. 6. haberi aiunt: *omnes quos Deus salvari vult per Christum, infallibiliter salvari.* Unde inferunt quintam propositionem, quòd Christus mortuus non sit pro salute omnium, sed eorum dumtaxat qui salvantur. Verùm utraque objectio maligna est. Prima quidem: quia non ignorant consequentiam negari à tota Schola SS. Augustini & Thomæ. Secunda verò: quia malignè omittunt, Authorem Reflexionis, cùm dicit omnes, quos Deus salvari *vult* per Christum, infallibiliter salvari, id expressè exponere de *voluntate absoluta & efficaci.* Sic enim in novissimis Editionibus habetur: *Omnes quos Deus salvari vult per Christum voluntate absolutâ &*

efficaci, infallibiliter salvantur. Nec id oportuit ab ipsis dissimulari. Maximè cùm Reflexionis comparatio cum Evangelico textu v. 37. *Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet,* satis apertè declaret verba ista, *voluntate absolutâ & efficaci,* in prioribus quoque Editionibus subintelligi. Siquidem Evangelica illa verba, *Omne quod dat mihi Pater,* &c. Ribera cum aliis sacris Interpretibus sic interpretatur: *Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet, id est prædestinatos, quos Pater Filio commendavit, ut per ejus Passionem & merita bona, vitam æternam consequerentur.... Omne dixit, ut doceat, neminem prorsus ex prædestinatis perire.* Voluntas verò illa Dei erga electos procul dubio est voluntas absoluta & efficax. De qua per consequens pariter intelligenda sunt verba sequentia v. 38. *Descendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.* V. 39. *Hæc est autem voluntas ejus qui misit me, ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo.* Et v. 40. *Hæc est voluntas ejus qui misit me, ut omnis qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam.* Si ergo Jansenianum est asserere, eo loco mentionem non esse, nisi de voluntate Dei absoluta & efficaci erga salutem electorum; Jansenista est Joannes Evangelista (quod absit) utpote qui in quatuor illis versibus, toties repetens voluntatem Dei, de ea sola loquitur quæ salutem respicit electorum; de voluntate (inquam) absoluta, efficaci, & consequente. Quam etiam vel sola verba illa satis designant: *Omnes, quos salvare vult per Christum.* Quia voluntas salvandi per Christum, voluntas consequens est: cùm Christus non venerit nisi *quærere & salvum facere quod perierat.* Luc. 19. 10. voluntas verò Dei de salute perditorum, voluntas consequens est (quæ ipsissima est voluntas absoluta & efficax) quia non fertur in homines consideratos secundùm se præcisè, ut creati sunt ad imaginem & similitudinem Dei (prout voluntas antecedens) sed secundùm circumstantiam perditionis & peccati. Atque ex his omnibus manifesta est calumnia Authorum problematis, tam in Eminentissimum Archipræsulem, quàm in Reflexionum Authorem.

565 Damnati istius problematis calumniosas argutias imitati nonnulli ejusdem factionis, neglectis vel pro nihilo habitis & ipsi suprà laudatis Sanctorum regulis, perillustrem Authorem libri, cui titulus, *Refutatio brevis,* &c. Cathedralis Ecclesiæ Leodiensis Canonicum-Theologum, sicut & Authorem libri inscripti: *La foy & l'innocence du Clergé de Hollande,* &c. librorumque istorum Approbatores, velut Jansenianæ hæreseos Defensores per insignem calumniam insimularunt, prætendentes in priori libro primam propositionem Jansenianam contineri hisce verbis: *Potest ostendi ex authoritate Patrum, non posse dici damnatam sententiam, quæ dicit, quòd ipsissimet justis desit aliquando gratia necessaria ad vincendam tentationem.* In posteriori verò contineri quintam, his verbis expressam: *Jesus Christus mortuus est pro salute æterna eorum dumtaxat qui prædestinati sunt.*

Verùm & accusationem istam calumniosam esse demonstrat vel sola lectio istius libri, facta animo non malevolo, nec præoccupato, sed allatis Sanctorum regulis inhærente. Posterior namque ista propositio in libro illo, *La foy & l'innocence,* &c. refertur velut extracta ex alio libro, cui titulus: *La defense de l'Eglise Romaine,* cujus Author palàm profitetur 1°. *quòd erroneum sit asserere, quòd Jesus Christus pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuus sit.* 2°. *quod Summi Pontifices Innocentius X. & Alexander VII. propositionem illam justissimè damnaverint.* 3°. *quòd inter hæreticorum errores, hic unus sit dicere, solos prædestinatos mortis ac meritorum Christi esse participes.* 4°. *quòd indubitatum sit, esse etiam reprobos, qui, sicut Ecclesiæ Romanæ fides nos instruit, pretiosæ istius mortis fructum acquirunt, atque in hac vita gratias, quas illa ipsis promeruit, obtinent.* 5°. *quòd etiam ipse Judas illarum particeps fuerit.* 6°. *quòd longè aliud sit asserere, quòd Jesus Christus pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuus sit* (quæ est quinta Jansseniana) *aliud, quòd mortuus sit* (voluntate scilicet absolutâ & efficaci, uti expressè declarant antecedentia & consequentia ejusdem libri) *pro salute æterna eorum dumtaxat, qui prædestinati sunt. Quòd prior assertio sit error, eò quòd à gratiis Jesu Christi omnes non prædestinatos excludat; posterior eos non excludat ab omni fructu seu beneficio mortis Christi, sed à solo beneficio salutis æternæ.* Quam Christus voluntate absolutâ & efficaci solis prædestinatis voluit, prout antè dixit, cum sanctis Patribus cap. 28. referendis. Post hæc rursus amplè ostendit, quòd à fide Catholica aberret, quicumque Christum pro omnibus hominibus mortem subiisse negat: cùm Apostolus hunc fidei articulum nobis annuntiarit. In cujus confirmationem plura sanctorum Patrum testimonia profert, sicut & varios sensus quibus ipsi hunc fidei articulum explicant. Quos omnes sensus admittit ac veneratur, solumque rejicit sensum Pelagianorum Semipelagianorumque, ab ipsis quoque Patribus rejectum; quòd utique Christus voluntate absolutâ sic oraverit, mortemque suam obtulerit, pro salute æterna omnium hominum absque exceptione, ut omnes mortis ipsius beneficium recipiant (quod ab ipso etiam Concilio Tridentino rejicitur) omnes utique gratias necessarias ad bonam vitam, ad perseverantiam, & ad consequendam vitam æternam, ita ut nihil ipsis ex parte Dei desit ut salventur, sed salus sic posita sit in manu ipsorum, ut gratia per se efficax ipsis nec ad bonam vitam, nec ad perseverantiam, nec ad salutem necessaria sit. Unde demonstrativum hoc conficitur argumentum: quisquis Jansenianam de morte Christi hæresim imponit iis,

qui cum Apostolo sic profitentur, de fide esse, quòd Christus pro omnibus hominibus mortuus sit, ut sensus omnes admittant ac venerentur, quibus istum fidei articulum sancti Patres exponunt, solum rejicientes sensum Pelagianorum Semipelagianorumque, à sanctis Patribus rejectum, certissimè est calumniator. Atqui tam Author libri accusati, quàm Approbatores illius, sic cum Apostolo profitentur, de fide esse, quòd Christus pro omnibus hominibus mortuus sit, ut sensus omnes admittant ac venerentur, quibus istum fidei articulum sancti Patres exponunt, solumque rejiciant sensum Pelagianorum Semipelagianorumque, à sanctis quoque Patribus rejectum. Ergo quisquis Jansenianam de morte Christi opinionem imponit Authori & Approbatoribus libri accusati, certissimè est calumniator. Idque facto suo satis significavit Tribunal sancti Officii, ad quod cùm liber (ex quo extracta est accusata illa propositio) anno 1693. delatus fuisset, & ibi districtissimè examinatus, post examen immunis exivit ab omni reprehensione, prohibitioneque, certissimè non exiturus, si in eo quintam propositionem in Jansenio damnatam Eminentissimi Cardinales Generales Inquisitores invenissent. Plura hac de re dabimus duobus capitibus sequentibus.

Nec minùs manifesta est calumnia, quâ perillustrem Dominum Canonicum-Theologum Leodiensem, Approbatoresque libri ipsius hunc titulum præferentis, *Refutatio brevis*, &c. velut primam tenentes propositionem Jansenianam diffamare conati sunt malevoli quidam, quibus solemne esse conqueritur Eminentissimus Agujrius, Bajanismi & Jansenismi *notam inurere plurimis Catholicissimis Episcopis, Prælatis, Doctoribus & Scriptoribus, licèt nullo fermento hæreseos, vel doctrinæ erroneæ aspersis, & palam rejicientibus illas quinque famosas theses, ab Innocentio X. & Alexandro VII. fulguritas.* Et ne tunc quidem linguarium maledico ori suo injicere didicerunt, postquam perillustris ac laudatissimus Author Refutationis illius brevis apud S. Sedem recognitus fuit sanæ solidæque doctrinæ Theologus. Cùm enim thesim ipsius in universam Theologiam ad S. Sedem detulissent; post medii circiter anni examen, *censuerunt unanimiter, cum Revisoribus, Eminentissimi, nihil in illa reperiri, propter quod sustineri non posset*, prout Serenissimo Principi Leodiensi, jussu ipsorum, ab Apostolico Sanctitatis Suæ Nuntio Colonensi significatum fuisse, Excellentissimus D. Baro de Karg, S. C. S. E. Magnus Cancellarius eidem perillustri viro per litteras significavit; & Serenissimus ipse Princeps in suis ad P. Sabran de 6. Octobris 1699. declaravit, quarum tenorem exhibet liber, cui titulus: *S. Facultatis Theologicæ Colonensis sapientissimum judicium*, &c.

Romæ victi æmuli Censuram quidem aliquam doctrinæ ipsius Duaci & Lovanii obtinuerunt à nonnullis sibi devotis, sed ipsimet viderunt, utramque Censuram, ob manifestas exceptiones, parvo habendam in pretio, nisi S. Facultatis Theologicæ Colonensis Censurâ roboraretur. Ideòque ad eam per Serenissimum Archiepiscopum Electorem Colonensem recurrerunt. Sed & ibi, prout Romæ, perillustris viri doctrina de suis accusatoribus triumphavit. Quia namque istius Facultatis Doctores prorsus erant impartiales (non uti Duacenses illi, ac Lovanienses, notoriè partiales) erantque numero sufficienti ad judicandum in materia fidei, sub nomine S. Facultatis (non ita Duacenses, nec Lovanienses) omnesque, numero duodecim, solâ veritate, orthodoxæque fidei puritate præ oculis habitâ (uti jusserat S. S. C.) die 17. Novembris 1699. conciliariter congregati, unanimi judicio censuerunt perillustris viri doctrinam minùs solidè accusatam fuisse.

Et reverà solidam non esse accusationem suprà memoratæ propositionis, *Potest ostendi ex authoritate Patrum, non posse dici damnatam propositionem, qua dicit, quod ipsimet justis desit aliquando gratia necessaria, in pœnam præcedentis peccati*, inde probat ipse, quòd certissimè damnatus non sit Augustinus, nec S. Chrysostomus, qui manifestè id asserunt, sicut & alii Patres infrà proferendi, in quorum sensu propositionem illam accipit, non in sensu primæ propositionis Jansenianæ. Dum enim ex sensu & authoritate Patrum ait, justis aliquando deesse gratiam necessariam in pœnam præcedentis peccati, non loquitur de gratia necessaria ad simpliciter posse mandata servare, sed de gratia necessaria ad actualem eorum observantiam, vel certè de gratia necessaria ad posse potentiâ complectente omnia necessaria ad agere, quam Augustinus vocat *possibilitatem cum effectu*. Loquitur namque de gratia efficaci, quam Discipuli omnes SS. Augustini & Thomæ cum sanctis Patribus necessariam asserunt ad victoriam actualem tentationum, ad mandatorum observantiam, ad perseverantiam, &c. cum cujus defectu certissimum est optimè stare mandatorum possibilitatem, simpliciter & absolutè dictam; de eaque vir perillustris seipsum explicat tam immediatè ante accusatam illam propositionem, §. 5. contentam, quàm §. 11. ad quem in fine §. 5. se remittit. Ibi namque sic habet: *Nulla est ex propositionibus condemnatis, cujus falsitatis, & condemnationis æquitatem in scriptis meis non ostendam. Certissimè non potest tutiùs intelligi, quo sensu sint damnatæ quinque propositiones famosæ, quàm ab ipsa S. Sede. Jam verò multis argumentis omnino constat, S. Sedem nullatenus intendisse condemnare in ipsis sententiam de gratia per se efficaci*, deque ipsius ad singulos pietatis actus necessitate, *quam sustineo, & ex qua apertè sequuntur cætera, quæ Author libelli* (quem refellit) *carpit in meis Dictatis circa materiam de gratia.*

Præterea ipsarum condemnationem illo modo

intelligere me monui in scriptis meis, quo intelliguntur in quinque articulis famosis, S. Sedi bis oblatis, semel Alexandro VII. ex parte plurium Galliæ Theologorum, & semel Alexandro VIII. ex parte Theologorum Belgii. Explicationem verò in istis quinque articulis contentam, non solùm ab omni censura immunem exiisse constat, sed insuper ab Alexandro VII. SANIOREM DOCTRINAM *continere dicta est.* Vide infrà num. 725. Primus verò ex quinque illis articulis sic habet: „ Cùm ex S. Augusti-
„ ni sententia, quam tota S. Thomæ Schola de-
„ fendit, gratia efficax, voluntatem indeclina-
„ biliter & infallibiliter, citra tamen necessita-
„ tem, vi divinæ motionis, flectens & deter-
„ minans, ad singulos christianæ pietatis actus
„ necessaria sit, nunquam contingit, ut vel ore-
„ mus sicut oportet, nisi cùm ea operatur ut
„ oremus, nobisque interpellandi & gemendi
„ inspirat affectum; nec ut Dei mandata serve-
„ mus, nisi cùm illa facit, ut in ejus præceptis
„ ambulemus; nec denique ut inimici tentationes
„ superemus, nisi cùm nobis victoriam largitur.
„ Et tamen cùm nonnunquam justi tentatio-
„ nibus succumbant, & in varia peccata prola-
„ bantur, etiam cùm illa vitare imperfectè &
„ remissè volunt: manifestum est justis istis, in
„ illo imperfectæ ac remissæ voluntatis statu,
„ vitio licèt suo mandatum violantibus, effica-
„ cem illam ac victricem, quâ præsente nun-
„ quam vincuntur, gratiam non adesse. De his
„ ergo justis, quibus illa magna non adest gra-
„ tia, licèt parva & imperfecta non desit, verè
„ utrumque dici potest, & potuisse illos Dei
„ mandata servare, tentationique resistere; eos-
„ demque alio sensu non potuisse. Potuerunt
„ enim prorsus: quia non solùm liberi arbitrii
„ virtutem, & gratiam habitualem habuerunt;
„ sed etiam gratiam actualem, quæ sufficiens
„ dici potest Thomistarum sensu, qui gratiæ per
„ se efficacis necessitatem supponit.
„ At quia absente gratiâ efficaci nunquam
„ contingit, ut voluntas, sicut oportet, tenta-
„ tioni resistat, constansque est apud Thomistas
„ dogma, gratiam sufficientem, ab efficaci se-
„ paratam, non complecti omnia ad piè agen-
„ dum necessaria: ideò usitatissimâ Scripturis,
„ Patribusque locutione, & Thomistis omni-
„ bus probatâ, hoc sensu dici potest, justos il-
„ los, ejusmodi sufficienti gratiâ instructos, ten-
„ tationi, cui succubuerunt, resistere non po-
„ tuisse: quia nimirùm ejusmodi potestatem non
„ habuerunt, quæ complecteretur omnia ad
„ agendum necessaria: cùm gratiam efficacem,
„ ad agendum utique necessariam, non habue-
„ rint.
„ Quare, cùm dicimus, nos sine gratia per
„ se efficaci non posse agere, id hoc uno sensu
„ intelligimus, eum, cui deest gratia illa per se
„ efficax, non habere omnia quæ requiruntur
„ ad rectè agendum.

Ista est igitur expositio quam sequi se profitetur perillustris Author *Refutationis brevis.* Quod cùm tam expressè ipse declaraverit, luce meridianâ clarius apparet, calumniatores esse, qui ob propositionem suprà exhibitam, ipsum & Approbatores ipsius, de Jansseniana hæresi insimulant. Quod & ampliùs apparebit ex dicendis cap. 29. Verè proinde ipsi cum Augustino serm. 356. dicere possunt: *Qui nos amant, quærunt quid laudent in nobis; qui autem nos oderunt, detrahunt nobis.*

CAPUT XXVII.

Gratia sufficiens, omnibus in hoc statu collata, necessaria non est ad salvandum quòd Deus vult omnes salvos fieri.

OMnibus in hoc statu naturæ lapsæ dari 566
gratiam sufficientem ad salutem, olim Semipelagiani, & hodie Molinistæ probare se putant ex sacris hisce testimoniis: *Deus vult omnes homines salvos fieri.* 1. Timoth. 2. Et 2. Petri 3. *Nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.* Quæ testimonia de vera & sincera, nec sterili explicanda sunt voluntate. Qualis non foret (inquiunt) nisi omnibus dare vellet auxilia ad salutem & pœnitentiam sufficientia. Quisquis enim verè & sincerè, nec steriliter vult finem, vult & media necessaria & sufficientia ad illum consequendum. Enimverò, si ea Deus aliquibus negaret, injustæ forent exprobrationes Judæis excæcatis factæ: *Perditio tua, Israël.* Osee 13. *Curavimus Babylonem, & non est sanata.* Hierem. 51. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodùm gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?* Matth. 23.

Argumenta ista Augustino à Massilienſibus objecta fuisse, constat ex epistolis Prosperi & Hilarii ad Augustinum. At objectionis inefficaciam Augustinus epist. 217. ad Vitalem, & alibi sæpiùs, demonstrat exemplo parvulorum; quorum multis medium necessarium ad salutem, Baptismus utique, Deo nolente, non datur. Unde concludit, Semipelagianos *non intelligere omninò, quâ locutione sit dictum,* quòd *Deus vult omnes homines salvos fieri. Quod* (inquit) *sine ulla caligine manifestatur in parvulis,* materno in utero obeuntibus, vel extra uterum, absque Baptismi gratia, quæ sola parvulis sufficit ad salutem; quæ tamen ipsis non conceditur, *non quia ipsi, vel parentes, vel ministri nolunt; sed quia Deus non vult.* Audienda hîc sacra Facultas Theologica Lovanienſis in justificatione Censuræ suæ cap. 12. n. 166. " Apertè (inquit) " Augustinus epist. 107. (nunc 217.) ad Vi- " talem inter eas sententias, quas se scire dicit " ad fidem Catholicam pertinere, quarto loco " ponit & hanc: *gratiam Dei non omnibus ho-* " *minibus dari.* "

Cui quidem fidei præjudicium generant non " parvum, qui non dubitant apertè profiteri, " unicuique homini sufficienter à Deo gratiam " dari, quâ exurgant à peccatis, salutemque " æternam consequantur. "

Ac

„ Ac ne cui fortè placeret, omnibus quidem „ hanc offerri gratiam, sed ideò quosdam non „ accipere, nec habere, quòd eam oblatam „ propriâ respuunt voluntate; displicere id sibi „ responsum in eadem epistola docet Augusti- „ nus, cùm sic ait: *Quomodò dicitur, omnes „ eam fuisse accepturos, si non illi, quibus non „ datur, eam suâ voluntate respuerent: cùm mul- „ tis non detur parvulis, & sine illa plerique mo- „ riantur, qui non habent contrariam voluntа- „ tem, & aliquando cupientibus festinantibusque „ parentibus, ministris quoque volentibus ac pa- „ ratis,* Deo nolente *non detur, cùm repentè, „ antequam detur, expiret, pro quo, ut accipe- „ ret, currebatur*? Declarat his verbis Augu- „ stinus, id quod antè dixerat ad fidem Catho- „ licam pertinere, non sic accipiendum, ut æsti- „ metur omnibus quidem offerri gratiam ex par- „ te Dei; sed ideò non dari, quia respuatur „ oblata: verùm præveniendo etiam contrariæ „ voluntatis prævisionem, ideò non dari, quia „ Deus nolit dari; idque ipsum sine caligine ma- „ nifestari in parvulis: quos propterea produ- „ xit in exemplum, quòd de iis, quin ita se res „ habeat, controversiam esse posse non putaret.

Ad quod evidentiùs manifestandum, præcludendamque omnem effugii viam, l. 6. contra Julian. c. 14. apertè demonstrat, id non provenire ex hoc quòd in uno parvulo, sive ex parte ipsius parvuli, sive ex parte parentum ipsius, inveniat majus obstaculum gratiæ quàm in alio: Quippe *aliquando adoptat in filium, quem format in utero immundissimæ feminæ; & aliquando non vult esse suum filium, quem format in utero filiæ suæ. Ille quippe ad baptismum nescio quâ provisione pervenit; iste repentinâ morte non pervenit. Atque ita Deus, in cujus potestate sunt omnia, facit esse in Christi consortio, quem formavit in diaboli domicilio; & non vult esse in regno suo, quem formavit in templo suo.... Non enim, quod soletis de majoribus dicere, Deus vult, & parvulus non vult*, &c.

Addunt Lovanienses n. 168. „ Si omnibus „ quidem gratiam dare paratus est, semperque „ fuit; sed ideò non dedit tam multis.... quòd „ eos videbat respuituros „ seu obicem ei po- „ situros, „ non est secundùm Augustinum oc- „ culta & admirabilis gratiæ dispensatio, quâ „ vasa misericordiæ à vasis iræ discernit; non est „ inscrutabile Dei judicium, cur tam multos ali- „ quando populos hâc gratiâ suâ non do- „ narit, ad quam largiendam semper dicitur „ fuisse paratus, sed ad accipiendam homo im- „ paratus „ ob obicem malæ voluntatis. Con- „ sequens quippe erit „ 1°. quòd ii qui gra- „ tiam acceperunt, ideò acceperint, quòd eam „ amplecti fuerint parati „ (nullum ipsi obicem ponendo) „ si enim illam Deus effundere in „ omnes paratus est, ac quantum in se est inge- „ rit omnibus: cur eam quidam habeant, alii „ non habeant, ex parte humanarum voluntа- „ tum erit illa, quam diximus, differentiæ cau- „ sa repetenda, 2°. & secundùm meritum malæ voluntatis negari, quibus negatur; & secun- « dùm meritum bonæ & paratæ voluntatis dari, « quibus datur. 3°. quòd gratia non initium bo- « næ voluntatis facit, sed exspectat. 4°. quòd « non Deus orandus, ut suam dignetur homini- « bus gratiam dare; sed monendi erunt homi- « nes, ut eam oblatam velint accipere, « seu nul- lum ei obicem ponere. Unde tota hominis salus à nutu liberi arbitrii, gratiam oblatam acceptantis, nullumque ei obicem per liberum arbitrium ponentis, suspendetur. Qui fuit er- ror Semipelagianorum.

Denique „ hujus doctrinæ, quâ traditur, « sufficientem omnibus à Deo gratiam ingeri, « Faustum quemdam Galliarum Episcopum, « post Augustini contra Pelagium disputationes, « fuisse reperimus Authorem „ (prosequitur Facultas Lovaniensis n. 174.) „ qui Pelagii « dogma ad hoc callidè se insectari præ se tulit, « ut securiùs Patrum eorum, qui Pelagianis se « opposuerunt, definita convelleret.... Ideò « Gelasius Pontifex... in Concilio LXX. Epis- « coporum, *opuscula Fausti, Episcopi Regiensis Galliarum, apocrypha* declaravit, *& à Catho- licis vitanda.*

Ex allatis itaque sacris textibus solidè non probatur gratiam sufficientem omnibus adultis ingeri, magis quàm parvulis omnibus. Neque enim minùs justa est, respectu adulto- rum, denegatio gratiæ sufficientis, in pœ- nam obstinatæ impietatis, quàm respectu par- vulorum, in pœnam peccati originalis. Et ideò argumentum à parvulis ad adultos adeò ineluctabile censuit Augustinus, ut Pelagia- nis dicere non dubitaverit: *Vobis ora obstruunt, & linguas premunt, qui loqui nondum valent.*

Et quod (amabo!) sufficiens ad salutem auxilium negativi habent infideles, qui nihil prorsus de Christo audierunt; in Christum proinde credere non possunt? (quod tamen necessarium est ad salutem.) *Quomodò* (in- quit Apostolus) *credent ei quem non audie- runt? Quomodò autem audient sine prædican- te,* qui ad ipsos missus non est; imò aliquan- do prohibitus ad ipsos ire, ut legitur Act. 16. Certè si non deesset ipsis auxilium suffi- ciens ad credendum, infidelitas ipsorum nega- tiva non esset, nec inculpata, sed privati- va, culpæque obnoxia, uti sæpiùs dixi.

Aliquos etiam sic aliquando excæcari & obdurari ob crimina sua, ut auxilium ipsis suf- ficiens ad salutem auferatur, Augustinus do- cet, cùm ait, quòd per malum velle amise- rint bonum posse. Sicut & S. Thomas 2. 2. q. 15. a. 2. cùm dicit, quòd ipsorum excæ- catio importet *omnimodam privationem cogni- tionis spiritualium.* Et 1. 2. q. 94. a. 6. quòd licèt lumen vultûs divini signatum in ipsis ma- neat quoad universalia legis naturæ præcepta; extinctum tamen sit quoad particulare opera- bile, adeò ut de seipsis Sap. 5. fateantur: *Ju- stitiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis.* Confer quæ ex Scriptura & Patribus dixi c. 20. & 21. & si ea deposita

præjudiciis seriâ mente perpenderis, de ista veritate non dubitabis.

Imò aliquibus etiam non reprobis id subinde contingere, sibi non difficilè persuadebit, qui non oscitanter attenderit ad id quod S. Thomas Supplem. q. 21. a. 2. dicit, quòd utique Deus peccatorem non reprobum quandoque punit, hominem sibi ad tempus relinquendo, ut auxiliis subtractis, quibus à malo præpediebatur, infirmitatem suam agnoscat, & humilis ad Deum redeat, à quo superbus discesserat. Quod & aliquibus subinde justis accidere, Leo Magnus innuere videtur serm. 8. de Epiphan. *Ipsismet sanctis causa est tremendi atque metuendi, ne in ipsis operibus pietatis elati, deserantur ope gratiæ, & remaneant in infirmitate naturæ.*

Denique plerisque, saltem excæcatis & obduratis reprobis, auxilia nedum efficacia, sed & sufficientia subtrahi, præter Hieronymum, Cyrillum, Chrysostomum, Basilium, Augustinum, Gregorium, Damascenum, aliosque Patres cap. 20. 21. 22. relatos, S. Thomas tradere videtur l. 3. contra Gent. cap. 161. ubi Scripturæ testimonia ad idem probandum ibi relata, sic intelligenda dicit, quòd aliquibus excæcatis non conferat auxilium ad vitandum peccatum, quod aliis confert. Nec glossari potest de sola negatione auxilii efficacis. Tum quia sola auxilii efficacis subtractio excæcationem non constituit: aliàs justi multi forent excæcati. Tum quia auxilii nomen (de quo ibi loquitur) tam amplè sumit, ut illud tribuat gratiæ infusæ, ablationi occasionis peccandi, lumini rationis à peccato retrahenti, aliisque ejusmodi beneficiis, quæ efficaciter à peccato non retrahunt, nec auxilii efficacis nomine apud ipsum unquam veniunt.

Ex his proinde omnibus, quemadmodùm & ex aliis argumentis à nobis deductis distinct. 9. de voluntate Dei q. 3. a. 3. ex eo quoque quòd voluntas absoluta & efficax Dei semper impleatur, uti S. Thomas probat 1. p. q. 19. a. 6. manifestum videtur, quòd verbum illud Apostoli, *Deus vult omnes homines salvos fieri*, intelligi non possit de voluntate consequente, absoluta, & taliter efficaci ex parte Dei, ut per solum hominem stet reddere illam absolutè & ex omni parte efficacem ad salutem de facto consequendam, uti prætendunt Molinistæ; sed intelligendum sit de voluntate antecedente & inefficaci, prout verbum illud exponit S. Thomas loco citato, post Damascenum l. 2. orthod. fid. c. 19. Ad hujus evidentiam S. Doctor observat voluntatem Dei erga salutem hominum, aliam esse antecedentem, aliam consequentem. Voluntas antecedens in Deo consideratur secundùm infinitam ejus bonitatem, prout fertur in homines secundùm se generaliter spectatos, præscindendo à superinductis peccati circumstantiis. Voluntas consequens in Deo spectatur, prout fertur in homines cum circumstantia peccati consideratos. Priori consideratione dicendum est cum S. Thoma, Deum velle salutem omnium; non posteriori. Idque S. Doctor declarat similitudine Judicis, qui omnes subditos generali voluntate, ante considerationem demeritorum, salvos vult & incolumes; tametsi voluntate particulari & consequente considerationem criminum à quibusdam commissorum, aliquos velit suspendi. *Similiter* (ait S. Doctor) *Deus antecedenter vult omnem hominem salvari, sed consequenter vult quosdam damnari. Neque tamen id quod antecedenter volumus, simpliciter* & absolutè *volumus, sed secundùm quid: quia voluntas* absoluta *comparatur ad res, secundùm quod in seipsis sunt in particulari.* Unde *simpliciter volumus aliquid, secundùm quod volumus illud, consideratis omnibus circumstantiis particularibus: quod est consequenter velle. Unde* voluntas antecedens magis potest dici velleïtas, *quàm absoluta voluntas.* Quia *quidquid Deus simpliciter* & absolutè *vult, fit; licèt illud quod antecedenter vult, non fiat.*

Cùm igitur omnes homines non salventur, 567
manifestum est quòd Deus voluntate simpliciter dictâ, seu absolutâ & consequente, non velit omnes omninò homines salvari, absque exceptione, sed cum exceptionibus, sub quibus sententiam Apostolicam, *Deus vult omnes homines salvos fieri*, de voluntate absoluta & efficaci intellectam, sancti Patres exponunt.

Et prima quidem expositio est Augustini Enchiridii c. 103. *sic dictum esse, vult omnes homines salvos fieri, tamquam diceretur, nullum hominem fieri salvum, nisi quem fieri ipse voluerit; non quòd nullus sit hominum nisi quem salvum fieri velit, sed quòd nullus fiat* salvus, *nisi quem* salvum *fieri velit; & ideò sit rogandus ut velit. Quia necesse est fieri* (necessitate infallibilitatis) *si velit. De orando quippe Deo agebat Apostolus, ut hoc diceret. Sic enim intelligimus id quod in Evangelio scriptum est:* qui illuminat omnem hominem: *non quia nullus est hominum qui non illuminetur; sed quia nisi ab ipso nullus illuminatur.* Quod hac similitudine declarat in l. de prædest. Sanct. c. 8. *Sicut integrè loquimur, cùm de aliquo litterarum Magistro, qui in Civitate solus est, dicimus: omnes iste hic litteras docet; non quia omnes discunt, sed quia nemo nisi ab illo discit, quicumque ibi litteras discit: ita rectè dicimus, omnes Deus docet venire ad Christum; non quia omnes veniunt, sed quia nemo aliter venit.* Ita etiam S. Prosper, vel Julianus Pomerius l. 1. de vocat. Gent. à cap. 9. ad 14. Fulgentius l. 3. de verit. prædest. à cap. 9. ad 13. Petrus Diaconus l. de Incarn. & grat. c. 7. Gregorius Magnus l. 5. in 1. Reg. 4. Anselmus ad citatum Apostoli locum. S. Thomas laudato a. 6. ad 1. Et S. Remigius proximè referendus.

Secunda expositio est eorumdem, sicut & sanctorum Patrum Africanorum in Sardinia exulum, in epist. Synod. Lupi Servati de trib. qq. q. 2. de prædest. S. Thomæ ubi suprà. S. Re-

Remigii cum Ecclesia sua Lugdunensi in l. de trib. epist. c. 11. 12. & 13. in illa Apostoli sententia distributionem faciendam pro generibus singulorum, non pro singulis generum, ita ut sensus sit, Deum salvare velle aliquos ex omni gente, sexu, statu & conditione hominum. *Non dixit Apostolus universaliter, & generaliter, & sine exceptione:* qui vult omnes homines salvos facere (ait cum Ecclesia sua S. Remigius) *sed specialiter ad eos retulit, de quibus suprà dixerat, pro omnibus hominibus, pro Regibus, & iis qui in sublimitate sunt, ut quod dixit, omnes homines, omnia genera hominum voluerit intelligi, sive homines omnium generum, sexuum, conditionum, ordinum, dignitatum.*

Ideò autem omnes dicuntur (ait S. Fulgentius c. 10.) *quia ex omni hominum genere colliguntur, ex omnibus gentibus, ex omnibus nationibus, ex omnibus Dominis, ex omnibus servis, ex omnibus Regibus, ex omnibus militibus, ex omnibus provinciis, ex omnibus linguis, ex omnibus ætatibus, ex omnibus gradibus. Ita salvi fiunt omnes, quos vult Deus salvos fieri, quia nemo salvatur, nisi quem ille voluerit gratuitâ justificatione salvare.* Non autem absolutè omnes, aliàs omnes salvarentur. *Quia* (uti c. 9. dixerat) *voluntas Omnipotentis necesse est in omnibus impleatur. Fit ergo quidquid ille voluerit fieri, cujus voluntati nemo resistit: nec enim potestas Dei minor est quàm voluntas.* Non omnes proinde absolutè vult salvos fieri. Nam, uti c. 10. prosequitur, *cùm Salvator noster dixerit:* „ Nemo novit Filium, nisi Pater; neque Patrem quis novit, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare „ (*quod utique dicens, ostendit, se quibusdam revelari velle, quibusdam nolle*) *dicatur, quomodò salvos fieri velit, quibus Patrem suum, & seipsum revelare noluerit. Ostenditur quippe in Evangelio, quibusdam in parabolis sic locutus, ut verba sua velles audiri, nec vellet intelligi. Quod ipse Dominus indubitanter aperuit. Interrogantibus namque Discipulis, hæc eum Matthæus dixisse commemorat c. 13. 11.* „ Vobis datum est nosse mysteria regni cælorum; illis autem non est datum. „ *Marcus quoque c. 4. 11.* „ Vobis datum est nosse mysterium regni Dei; „ illis autem qui foris sunt, in parabolis omnia „ fiunt: ut videntes videant, & non videant, „ & audientes audiant, & non intelligant: ne „ quando convertantur, & dimittantur eis peccata.... *Nempe apparet, ita Dominum turbis locutum, ut tamen eis regni cælorum nollet aperire mysterium. Quod utique faciens, ideò sua verba nolebat intelligi, quia se in illo mysterio nolebat agnosci.... Si ergo generaliter omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire; quid est quòd ipsa Veritas quibusdam mysterium suæ agnitionis occultat? Et utique quibus suam denegat agnitionem, denegat & salutem.... Quomodò ergo erat voluntas Dei in illis salvandis, quibus abscondebatur ipsa cognitio veritatis?* Et c. 11. *Quicumque dicunt, propter duritiam cordis eorum, noluisse ipsam Veritatem suæ agnitionis mysterium revelare; interim in hoc agnoscant, non de universis prorsus hominibus dici, quia omnes homines salvos vult Deus fieri, & ad agnitionem veritatis venire.... Non ergo omnes homines vult salvos fieri, qui vel quibusdam pro duritia cordis sui noluit suæ agnitionis aperire mysterium, sine quo nullus pervenit ad salutem. Sed Apostolus mentiri non potuit, qui dixit, quia* " omnes homines " vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis veni- " re. " *Sed nec Evangelistæ mentiti sunt, qui dixerunt; ipsum Dominum Discipulis dedisse, aliis non dedisse, nosse mysterium regni cælorum.* Et cap. 12. *Quoniam ergo utraque Scriptura vera est, utraque sancta, utraque divinitùs inspirata.... removeantur ab omnibus illis omnes isti, quibus Christus non dedit nosse mysterium regni cælorum; & digni intelligantur illi omnes homines, quos vult Deus salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Quia reverà in illis voluntas salvantis agnoscitur, quibus agnoscendæ veritatis gratia non negatur. Sic Deus, qui omnia quæcumque voluit, fecit, suam implet in omnibus veritatem: quia omnibus, quos vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, donat salutaris mysterii rectam cum charitate notitiam... Nam & B. Paulus quodam loco dicit, omnes; cùm tamen nolit universaliter omnes intelligi: scribens enim ad Philipp. ait:* " Omnes enim " quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi. " *Ubi utique si ab omnibus istis nullus excipitur, necesse est ut etiam omnes Apostoli, & cæteri illius temporis fideles cum istis omnibus computentur; quod nullus, quantumlibet impius, suspicabitur. Restat ergo ut quosdam, omnes debeamus accipere, id est, non omnes omninò homines, sed aliquos ex omni conditione.* Quod uberiùs explicans l. de Incarn. & gratia Jesu Christi: *Est*, inquit, *familiare divinis Eloquiis, ut omnes nonnunquam dicant, nec tamen omnè humanum genus in ipsis omnibus semper intelligi debere commoneant, sicut est illud*, quo dicitur, omnes homines Deum cognoscituros; Christo genua flexuros, ipsum suis linguis confessuros; omnes renovandos, Deo reconciliandos, in Christi hæreditatem transmittendos; Christum, dum exaltatus fuerit à terra, omnia ad se attracturum; omnes doctrinâ ipsius replendos, ipsique subdendos, omne genu ipsi flectendum, &c. Quibus licèt plena sint Eloquia sacra, nullusque ex illa generalitate sermonis primâ facie videatur excJusus; certum est tamen in tota sua universalitate absque exceptione intelligi non posse, sed de solis electis, vel efficaciter vocatis, vel de aliquibus ex omni gente, sexu, conditione, sive de omnibus aliàs habentibus specialem suam universalitatem, quam omnium hominum nomine divina Scriptura significare solet, uti allata demonstrant exempla, cumque S. Fulgentio D. Prosper ostendit ubi suprà c. 9. & 10.

Tertia expositio est, Deum velle omnes

homines salvos fieri in sensu non formali, sed causali, quatenùs facit nos velle ut omnes salvi fiant. Quemadmodùm Deus Galat. 4. misisse dicitur *Spiritum Filii sui in corda nostra clamantem*, id est, clamare facientem, *Abba Pater*. Ita Augustinus de corrept. & gratia c. 15.

Dicta itaque recapitulando, dictum illud Apostoli, *Deus vult omnes homines salvos fieri*, si sermo sit de voluntate Dei antecedente, de omnibus prorsus hominibus absque exceptione intelligitur; si de voluntate consequente, absoluta & efficaci, de omnibus omninò hominibus absque exceptione intelligi non potest. Aliàs sibiipsi divina Scriptura contradiceret. Intelligi proinde debet juxta aliquam ex dictis expositionibus, quæ ideò maximam habent probabilitatem, nostramque postulant venerationem, quia sic unanimiter à sanctis Doctoribus dictum illud intelligitur. Tridentinum autem sess. 4. vetat, ne quis contra unanimem consensum Patrum, Scripturam sacram interpretari audeat. Confirmatque Augustinus Enchir. c. 103. ampliùs ostendens, hoc quod dictum est, Deum voluntate consequente, absolutâ & efficaci, quantùm ex se, non velle salutem omnium absque ulla prorsus exceptione: *dictum est* (inquit) „ qui omnes homines vult salvos fieri „: *non quòd nullus hominum est, quem salvum fieri nollet, qui virtutes miraculorum facere noluit apud eos, quos dicit acturos pœnitentiam, si fecisset.* Confirmat & S. Remigius cum Ecclesia sua dicens: *Etiamsi* voluntate antecedenti *generaliter & indifferenter omnes homines Deus vult salvos fieri*; voluntate tamen consequenti *in aliorum cordibus benignitate misericordiæ suæ ipse operatur eandem voluntatem suam, ut & ipsi salvari velint, & salventur.... In aliorum autem cordibus severitate justi & occulti judicii sui non operatur hanc salutarem voluntatem; sed dimittit eos suo arbitrio, ut quia noluerunt credere, justa ultione damnentur.* Manifestum est ergo, quòd voluntate consequente, quantùm est ex se efficaci, non velit salutem omnium. Aliàs benignitate misericordiæ suæ in omnibus eandem salutarem voluntatem operaretur, sicut in aliquibus operatur. Contrarium autem manifestum est in tanta multitudine impiorum, qui (prout eadem Ecclesia dicit) *nullum unquam verbum Dei audierunt; qui utique nullatenùs potuerunt credere ei quem non audierunt, neque sine prædicante audire, nec prædicatorem recipere, qui nullus ad eos missus est.... Si quis de talibus interroget, quid in eis egerit voluntas Dei, qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: quid respondebitur.* Nonne homo cautus & pius magis eliget tacere, quàm Dei voluntatem de ipsorum salute, & veritatis agnitione, quantùm ex parte Dei est, efficacem asserere? imò certè eliget cum Propheta & Apostolo exclamare: *Judicia tua abyssus multa.... Quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus*, &c. Hoc (inquam) potiùs eliget, quàm cum iis, qui (sicut Prosper ait c. 12.) *amant calumniosa certamina*, dicere, *nos per hujusmodi disputationes Apostolo contradicere*, ipsum cum sanctis Doctoribus explicando ut suprà.

Prorsus ergo corruit Molinistarum Semipelagianorumque objectio, ex testimonio illo Apostoli petita, *Deus vult omnes homines salvos fieri.* Primò, quia cùm Deus universaliter, & absque exceptione, omnium omninò hominum salutem non velit voluntate consequente, efficaci, absolutâ seu simpliciter dictâ (ut certissimum est) sed voluntate antecedente, inefficaci & secundùm quid dumtaxat (licèt suo in ordine seriâ ac sincerâ) inde confici nequit, quòd omnibus omninò absque exceptione gratias det sufficientes ad salutem. Tametsi enim quisquis seriò vult finem, voluntate consequente, absolutâ & efficaci, eo ipso efficaciter velit media ad finem consequendum necessaria: non est ita de omni eo qui seriò vult finem voluntate solùm antecedente, inefficaci & secundùm quid: utpote qui, spectatis circumstantiis, voluntate consequenti, absolutâ & simpliciter dictâ, justo judicio velle potest mediorum illorum subtractionem, uti manifestum facit allatum à S. Thoma Judicis exemplum, & allatum à S. Augustino exemplum parvulorum sine baptismi gratia decedentium 568

Secundò, objectio illa ab ipsismet Molinistis, gratiæ congruæ Assertoribus, solvenda est: Si enim Deus seriò ac sincerè efficaciter, quantùm ex se, voluntateque consequente velit salutem omnium omninò hominum, uti prætendunt; eo ipso, quantùm ex se, vult omnibus conferre gratiam congruam, sive omnibus conferre vult gratiam, iis in circumstantiis, in quibus per scientiam mediam prævidet effectum habituram. Quod cùm certissimè non velit (aliàs omnes omninò homines salutem de facto consequerentur) sequitur quòd voluntate consequente seriò ac sincerè efficaciter, quantùm ex se, salutem non velit omnium omninò hominum. Voluntatem proinde salutis omnium hominum seriam ac sinceram esse posse, licèt quantùm ex se efficax non sit respectu omnium.

Ad cujus majorem evidentiam arguitur sic: Ad salutem de facto consequendam gratia sufficiens incongrua non sufficit, sed congrua necessaria est (utpote sine qua nullus salutem de facto consequitur) atqui gratiam congruam ad salutem reprobis omnibus voluntate consequente denegat Deus, etiamsi voluntate antecedente seriò ac sincerè velit salutem ipsorum. Si ergo ista benè constituunt; benè etiam constituunt ea quæ dicimus: quòd utique Deus seriò ac sincerè voluntate antecedente velit salutem ipsorum, tametsi voluntate consequente ipsis conferre nolit media ad eam de facto consequendam necessaria. Si enim seriò ac sincerè eorum salutem non velit, nisi qui ipsis media ad eam de facto consequendam

confert, cùm potest; id etiam seriò ac sincerè non vult, nisi qui media ad eam de facto consequendam congrua confert, cùm potest. Enimverò si Molinistis liceat ab homine, corporum Medico, arguere ad Deum Medicum animarum; quemadmodùm Medicus ille seriò ac sincerè velle non censeretur sanitatem ægroti, qui medicinam ad eam de facto consequendam congruam conferre nollet, cùm posset, sed sciens & volens incongruam conferret; sic Deus seriò ac sincerè reproborum salutem velle non censeretur, qui media ad eam de facto consequendam congrua non conferret, cùm posset, sed sciens & volens incongrua conferret. Molinistarum proinde argumentum, vel nihil probat, vel nimis probat, omnibus utique omninò hominibus conferri gratiam congruam ad salutem de facto consequendam. Quod est contra fidem.

Tertiò, voluntas Dei generalis de salute reproborum, non ideò prorsus est sterilis, quia ipsis non confert auxilia interna supernaturalia, necessaria ad salutem: multiplex namque est differentia donorum, quibus infinita Dei bonitas, generalisque salutis omnium voluntas ad sui cognitionem & amorem homines vocat. Nam ut Prosper vel Julianus Pomerius l. 2. de voc. Gent. c. 4. ait: *Quamvis speciali curâ Dei populum Israëliticum constet esse electum, omnesque aliæ nationes suas vias ingredi permissæ sint.... non ita se tamen æterna Creatoris bonitas ab illis hominibus avertit, ut eos ad cognoscendum se, atque metuendum, nullis significationibus admoneret. Cælum quippe, ac terra, & mare, omnisque creatura, quæ videri atque intelligi potest, ad hanc præcipuè disposita est humani generis utilitatem, ut natura rationalis de contemplatione tot specierum, de experimentis tot bonorum, de perceptione tot munerum, ad cultum & dilectionem sui imbueretur Authoris, implente omnia Spiritu Dei, in quo vivimus, movemur & sumus.... Igitur misericordiâ Domini plena est terra, quæ nullis unquam sæculis, nullis generationibus defuit.... dispositum habens ex incommutabilis æternitate consilii, quibus.... multiformis gratia suæ inscrutabiles investigabilesque mensuras, per quæ dona ac sacramenta variaret.* Unde Act. 14. *Qui in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas.... non sine testimonio semetipsum reliquit, benefaciens de cælo, dans pluvias, & tempora fructifera, implens cibo & lætitiâ corda vestra. Quod est autem hoc testimonium, quod semper Domino deservivit, & nunquam de ejus bonitate ac potestate conticuit, nisi ipsa totius mundi inenarrabilis pulchritudo, & inenarrabilium beneficiorum ejus dives & ordinata largitas, per quæ humanis cordibus quædam æternæ legis tabulæ præbebantur, ut in paginis elementorum, ac voluminibus temporum, communis & publica divinæ Institutionis doctrina legeretur? .... Et tamen maximus numerus hominum, qui vias voluntatis suæ ambulare permissus est, non intellexit, nec secutus hanc legem est.... Quod ergo in Israël per constitutionem legis, & prophetica eloquia gerebatur, hoc in universis nationibus totius creaturæ testimonia, & bonitatis Dei miracula semper egerunt.* His Angelorum adde custodiam, missumque Dei Filium propter omnium salutem, per cujus Passionem, ac merita, pro salute omnium instituta sunt Sacramenta omnibus exposita, missi sunt in omnem terram Apostoli, eorumque Successores, qui Evangelium omnibus annuntiarent, quique pro salute omnium laborarent & orarent. Quæ certè gratia non est parva.

Nec magis solida est Molinistarum objectio ex 2. Petri 3. *Nolens aliquos perire.* Quia revera hoc non vult Deus voluntate antecedente; tametsi certum sit quòd voluntate consequente velit reprobos perire. Quod attinet ad istas, similesque exprobrationes: *Perditio tua Israël. Curavimus Babylonem*, &c. earum justitia salvatur, licèt gratiam ad salutem necessariam suâ culpâ plerique non habeant. Suâ quippe & voluntate pereunt, justèque omni curâ supernâ destituuntur, quia eâ sanari noluerunt.

CAPUT XXVIII.

Gratia sufficiens, omnibus de facto collata, necessaria non est ad salvandam Christi mortem pro salute æterna omnium.

VEritas fidei est, Christum esse mortuum pro salute æterna omnium, juxta Symbolum fidei quam profitemur: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem, descendit de cælis. Et incarnatus est.... crucifixus etiam pro nobis.... passus & sepultus est.* Siquidem Apostolus 2. Cor. 5. *Pro omnibus* (inquit) *mortuus est.* Et 1. Timoth. 2. *Dedit semetipsum redemptionem pro omnibus.* Est igitur Redemptor, est Salvator omnium; hæreticaque est propositio, atque ut talis justissimè per Innocentium X. Alexandrum VII. & Clementem XI. damnata, quæ dicit, quòd *Christus pro salute duntaxat prædestinatorum mortuus sit.* Hanc propositionem velut impiam, blasphemam, contumeliosam, divinæ pietati derogantem & hæreticam cum Ecclesia damnamus, & damnare debent omnes Christiani, si velint esse Catholici. 569

Verùm-enimverò etsi uno sensu vero & reali Christus pro salute æternâ omnium hominum, nullo excepto, mortuus sit, quisquis diligenter attenderit ad varios modos, quibus hac de re Scriptura, Concilia & SS. Patres loquuntur, videbit necessariò distinguendos esse varios sensus, secundùm quos veritas illa exponenda est. Est enim sine dubio sensus unus verus & realis, quo Christus pro salute æterna omnium hominum, nullo excepto, mortuus est. Est etiam alius sensus, pariter verus & realis, quo mortuus non est pro salute æterna omnium, sed fidelium & justi-

ficatorum dumtaxat. Et est rursum alius, quo pro salute æterna electorum dumtaxat speciali modo mortuus est, ut scilicet ipsos ad salutem æternam efficaciter perduceret. Ad quos varios sensus quisquis subtiliter attendit, facilè videt ex morte Christi pro omnibus non esse consectarium, quòd omnes, nullo excepto, per mortem Christi recipiant auxilia, seu media Molinisticè sufficientia ad salutem. Cujus oppositum dum Molinistæ cum Semipelagianis concludunt, à sanctorum Patrum, Conciliique Tridentini sensu recedunt, secundùm quem Christus verè pro omnibus mortuus dicitur, etsi *non omnes mortis ejus beneficium recipiant*; sed ii dumtaxat, quibus meritum Passionis Christi communicatur, prout Tridentinum definit sess. 6. c. 3. Omnes verò mortis ejus beneficium reciperent, si gratiam illam reciperent: utpote quæ ex dictis n. 36. beneficium esset mortis Christi. Et quod (amabo!) medium ad salutem sufficiens recipiunt parvuli, de quibus c. præcedenti, qui sine Baptismo morientes, Baptismi gratiam non recipiunt, quæ sola ipsis sufficit ad salutem? Pro ipsorum tamen salute mortuus est Salvator omnium. Nec hoc salvâ fide negare possunt Molinistæ.

Audiri hîc meretur Thomas de Lemos, qui in Congregationibus de Auxiliis tam gloriosè, cum tantaque Summorum Pontificum Clementis VIII. & Pauli V. satisfactione adversus Molinistas disputavit. Hic in Panoplia divinæ grat. to. 1. p. 2. tr. 4. de reprob. c. 21. „ observandum monet, quòd cùm quæritur, an „ parvuli omnes habeant sufficiens remedium „ ad salutem, & an Deus velit illis sufficienter „ remedia ad id conferre, hoc potest in duplici „ sensu intelligi. Primò de remedio ipso contra „ peccatum originale instituto, quod Deus voluit „ ut sufficiens contra tale peccatum instituere. Secundò, ut intelligatur de applicatione ipsius „ remedii, & de voluntate quâ Deus voluit tale „ remedium sufficienter parvulis applicare. Ad propositam igitur quæstionem

Respondet 1°. „ loquendo de Baptismo „ in lege gratiæ, & de aliis remediis in lege naturæ, & scripta, institutis contra peccatum originale, habent parvuli, semperque habuerunt „ sufficiens remedium contra peccatum institutum.... ita quòd Deus sufficienter ipsis providit ad salutem.

Respondet 2°. quòd „ Deus non vult omnibus parvulis dare Baptismum, quantùm in se est, „ in sensu quem Recentiores intendunt, ita ut, „ quantum est ex parte sua, velit illis conferre „ Baptismum, & præter Dei voluntatem ex aliarum causarum dispositione impediatur, & non „ conferatur. Veritas ista probatur ex dictis cap. „ præced. in quo efficaciter probavimus sensum „ istum damnari debere: quia rem tanti momenti per accidens omninò, & præter Dei voluntatem dicit evenire: cùm S. Augustinus dicat, „ quòd quibusdam parvulis Baptismus Deo nolente non datur. Unde ab omni Theologo est „ affirmandum, quòd ideò multi non recipiunt Baptismum, quia Deus non vult illis conferre, ut in eis puniat verum peccatum originale, quod habent. "

Respondet 3°. „ loquendo de applicatione istius remedii, videlicet Baptismi à Deo instituti, & de voluntate Dei, volentis omnibus parvulis tale remedium applicare, non habent omnes parvuli tale remedium sibi sufficienter applicatum. Imò vult Deus absolutè & efficaciter, quòd illis non applicetur, ad puniendum originale peccatum, quod habent. "

Superest ut ostendamus, ad hoc ut Christus verè dicatur mortuus pro salute omnium, haud esse necesse quòd omnibus de facto conferat seu applicet auxilia supernaturalia, ad salutem necessaria & sufficientia. Cujus ratio est, quia veritas ista, Dei Filius *pro omnibus gustavit mortem*, sic accipi potest, quemadmodùm illa, Deus *vult omnes homines salvos fieri*, inquit Lupus Servatus l. trium qq. q. 3. Atqui ut Deus verè dicatur velle salutem omnium, necesse non est quòd eam velit voluntate absolutâ, consequente, & efficaci; sed sufficit quòd eam velit voluntate verâ, sincerâ, & eatenùs beneficâ, quatenùs ex infinita misericordia bonitateque sua per Christum pro omnibus instituit, exposuit, & paravit salutis media sufficientia, licèt ea non omnibus applicentur. Similiter ergo ut Christus verè dicatur mortuus pro salute omnium, necesse non est quòd pro salute omnium mortuus sit voluntate absolutâ, consequente & efficaci salvandi omnes; sed sufficit quòd eum in finem mortuus fuerit voluntate verâ, sincerâ & eatenùs beneficâ, quatenùs per meritum mortis suæ pro omnibus instituit, exposuit & paravit media salutis, habentia virtutem salvandi omnes, licèt media illa omnibus non applicentur. Nec isto dumtaxat sensu Christus pro omnibus mortuus est, sed & quatenùs mortem subiit propter communem hominum causam, per mortemque suam exhibuit satisfactionem pro peccatis totius mundi; denique sufficiens pretium pro omnibus obtulit, animo eos redimendi. Distinguenda est ergo duplex in Christo moriente voluntas, sicut in Deo volente circa salutem hominum. Una generalis & antecedens, correspondens affectui & charitati quam habuit erga omnes homines: istâ voluntate rectè dicitur mortem suam obtulisse pro salute omnium, vi maximæ dilectionis, quam habebat erga omnes homines, quos juxta secundum de proximi dilectione mandatum (cui ut homo subjectus erat) diligere tenebatur, velut proximos suos. Vocatur autem voluntas antecedens, quia in Christo considerabatur priusquàm consideretur absoluta voluntas quam Christus habuit, spectatis circumstantiis omnibus, spectatâ utique voluntate Patris, absolutè volentis aliquibus inferre damnationis pœnam pro peccatis ipsorum. Et ista voluntas à S. Thoma potiùs *velleitas* dicitur, quàm absoluta voluntas: quia per eam non voluit salutem omnium absolutè, & attentâ

voluntate illâ Patris ; sed eo modo quo pius filius vult sanitatem patris ægrotantis, jam jamque morituri, quantùm est ex vi dilectionis quâ ipsum diligit, licèt absolutè nolit ut pater diutiùs vivat, dum mortem patris videt à Deo absolutè decretam. Altera proinde in Christo est voluntas consequens, quâ *Christus nihil* absolutè *voluit* (ait S. Thomas 3. p. q. 21. a. 4. *nisi quod scivit Deum velle. Et ideò* (inquit) *omnis voluntas* absoluta *Christi, etiam humana, fuit impleta : quia fuit Deo*, sive voluntati Dei absolutæ *conformis* ; *& per consequens omnis ejus oratio*, ex tali voluntate facta, *fuit exaudita.* Unde ibidem ad 2. dicit quòd *Dominus* voluntate absolutâ & efficaci *non oravit pro omnibus crucifixoribus*, ut scilicet vitam consequerentur æternam ; *sed pro his solùm qui erant prædestinati, ut per ipsum vitam consequerentur æternam.*

570 Jam videt Lector 1°. ex morte Christi, voluntate antecedente oblatâ pro salute omnium, haud magis consequens esse quòd omnibus conferantur & applicentur auxilia seu media sufficientia ad salutem, quàm ex voluntate antecedente, quâ Deus vult salutem omnium ; ideòque verè à Tridentino sess. 6. definitum, quòd *etsi ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt ; sed ii dumtaxat, quibus meritum Passionis ejus communicatur* per fidem, per baptismum, aliaque Sacramenta, per charitatem, &c.

2°. licèt solis electis, seu prædestinatis, meritum Passionis ejus non communicetur, sive non applicetur, verùm etiam multis non prædestinatis, qui ad tempus justificantur, & innumeris aliis, qui licèt ad justitiam non perveniant, ad tempus tamen fideles sunt, variasque gratias recipiunt, quarum adminiculo ad tempus benè operantur, vel ad opera bona invitantur (omnes quippe gratiæ actuales, quæ in hoc statu naturæ lapsæ conferuntur, conferuntur ex meritis Passionis Christi) solis tamen electis, per meritum Passionis Christi, ex absoluta atque efficaci voluntate Dei salus æterna destinatur, cum ea gratiarum ac beneficiorum serie, quibus à morte æterna certissimè liberantur quicumque liberantur ; quorum beneficiorum præcipuum, ac maximè necessarium, est perseverantiæ donum. Quod omnium confessione proprium est prædestinatorum.

3°. Christum, cujus absoluta voluntas paternæ semper conformis extitit, absolutum illud Dei Patris decretum nec precibus, nec morte suâ, simpliciter & absolutè mutare voluisse : solis proinde illis absolutè & efficaciter voluisse per mortem suam promereri salutem æternam, perseverantiæque donum, quos sibi à Patre datos, & de manu sua à nemine ereptum iri, in Evangelio dicit, ubi & propterea dicit voluntate absolutâ & efficaci se non orare pro salute æterna reproborum : *Non pro mundo rogo ; sed pro his quos dedisti mihi.* Joan. 17. Ad quæ verba Dionysius Carthusianus, *pro his* (inquit) *quos dedisti mihi, hoc est, quos per me salvare disposuisti, atque per gratiam convertere ad me. Quia tui sunt, id est, à te ab æterno dilecti ac prædestinati.* Et addit, quòd *sic Christus non oravit, oratione ex deliberatione prodeunte*, id est ex voluntate absoluta & consequente, *pro reprobis.* Ita etiam Augustinus tr. 100. in Joan. *Pro isto mundo non rogat ; neque enim quò sit prædestinatus ignorat.* Et l. 21. de Civit. Dei c. 24. *Si Ecclesia de aliquibus ita certa esset, ut qui sint illi etiam nosset, qui licèt adhuc in Ecclesia sint constituti, tamen prædestinati sunt in ignem æternum ire cum diabolo, tam pro eis*, ut salvarentur, *non oraret, quam nec pro ipso.* Et concinit S. Thomas, ut suprà vidimus. Qui etiam in 3. dist. 17. q. 1. a. 3. ad 4. quæst. dicit, quòd Christus *voluntate absolutâ non voluerit omnes salvare, sicut nec Deus. Et ideò dicit Hieronymus, quòd Christus exauditus est pro prædestinatis ; non autem pro non prædestinatis.* Quia *sola oratio Christi exaudita fuit, quæ erat de eo quod Christus absolutè voluit.* Absolutè ergo Christus non voluit per preces ac mortem omnes omninò homines salvari, sed solos illos quos Deus per ipsum salvare absolutè voluit, id est prædestinatos.

Et hoc est quod Ecclesia significat, dum 571
in sacra Liturgia per sacros Ministros suos sic orat : *Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris, cooperante Spiritu sancto, per mortem tuam mundum vivificasti.* Hoc est etiam quod sibi volunt verba Salvatoris, quibus Ecclesia utitur in consecratione Calicis : *Hic est Calix Sanguinis mei.... qui pro vobis & pro multis effundetur.* Non dicit *pro omnibus*, sed *pro multis.* Quod profectò verbum Christi Testamentum condentis, Novique Testamenti sui Sacramentum instituentis, ac per illud figuris antiquis veritatem substituentis ; in simplici, obvia, naturali, litteralique significatione accipiendum est, non in figurali & tropologico, prout accipiunt illi, qui vocem *multis* accipiunt ut idem sit ac *omnibus*, non attendentes se hoc pacto infirmare rationes, quibus Catholici hæreticos confutant, voces istas *corpus* & *sanguis* figuraliter accipientes, contra rationem, communemque sensum & usum, dictantem, verba novissima amici morientis ad amicos suos, plana esse debere ac perspicua, non obscura & ænigmatica ; verba quoque, quibus pater filiis testamento declarat ultimam voluntatem suam, in sensu obvio à Jurisperitis accipi, quem in rigore, non quem in figura significant, talemque ab ipsis præsumi intentionem testatoris. Hinc enim conficitur, vocem *multis* in sensu proprio & obvio perinde accipiendam, quàm vocem *corpus* & *sanguis* ; nec Sacramentarios, vocem hanc figuraliter accipientes, de errore convinci posse, si liceat vocem *multis* figuraliter accipere. At nec hoc licere, manifestum videtur ex hoc quòd in nulla Liturgia sic accepta legatur ; sed tam in ea, quæ in Mis-

sali nostro legitur, quàm in cæteris omnibus, quæ utique sub nomine S. Jacobi, S. Marci, S. Basilii, S. Joannis Chrysostomi & S. Cyrilli circumferuntur, sicut & in Liturgiis Christianorum Indorum ac Mosarabum, in Ambrosiana, in Constitutionibus S. Clementis, in Opere de Sacramentis (inter Opera D. Ambrosii) & in Missa Æthiopum, uniformiter legitur *pro multis*, nullibi *pro omnibus*, uti videre est in l. 1. Martenii Benedictini *de antiquis Ecclesiæ Ritibus* c. 4. art. 8.

Unde Jansenius, Gandavensis Episcopus, verba illa Salvatoris explicans: *Per multos* (inquit) *rectiùs videntur intelligi electi tantùm, pro quibus solis efficaciter sanguis Christi effusus est*, intelligendo utique de fine principali istius effusionis, qui est salus æterna. Aliàs namque Missæ Sacrificium *pro omnibus* offertur *fidelibus Christianis, vivis atque defunctis. Pro omnibus Orthodoxis, atque Catholicæ & Apostolicæ fidei cultoribus*, uti quotidie dicimus.

Expositio ista vocis *pro multis*, sive pro solis electis, sive pro omnibus fidelibus, optimè consistit cum eo quod Gregorius Magnus ait Homil. 20. in Evang. quòd Christus *& ex Judæis quosdam, & multos ex Gentibus* redemerit. Consistit etiam cum distinctione, quâ Theologi passim, antiqui ac novissimi, sententiam istam Apostolicam explicant, *Christus pro omnibus mortuus est*: pro omnibus (inquiunt) quoad sufficientiam pretii pro omnibus oblati ut suprà; pro multis, non pro omnibus, quoad efficaciam, seu effectum istius pretii. Ita S. Thomas, tam in Magistrum Sentent. scribens, quàm in qq. disput., in Commentario super epistolas Pauli, & in Summa, constanter docens, Christum non esse mortuum efficaciter, sive voluntate absolutâ & efficaci pro salute æterna reproborum, sed prædestinatorum dumtaxat. Nam præter id
572 quod ex ipso suprà exhibuimus; in 3. dist. 19. q. 1. a. 1. ad 2. *Quoad sufficientiam* (inquit) *satisfactionis, & meriti, omnia peccata per Christi Passionem deleta sunt; non autem quoad efficientiam.* Et a. 2. in corp. *Potestatem diaboli, quâ victos detinet, Christus per Passionem ex toto amovit quoad sufficientiam, licèt non quoad efficientiam, nisi in illis qui vim Passionis suscipiunt per fidem, charitatem & Sacramenta.*

In qq. disput. q. 29. de grat. Christ. a. 7. ad 4. quo objiciebatur: *Meritum Christi æqualiter se habet ad omnes homines, quantùm est de se. Si igitur Christus alicui meruit salutem, omnibus meruit.* Respondet, *quòd meritum Christi, quantùm ad sufficientiam, æqualiter se habet ad omnes; non autem quantùm ad efficaciam. Quod accidit partim ex libero arbitrio*, saluti obicem per peccatum ponente; *partim ex divina electione, per quam quibusdam misericorditer effectus meritorum Christi confertur; quibusdam verò justo judicio subtrahitur.* Si non omnibus confertur effectus meritorum Christi; non omnibus ergo gratia sufficiens confertur: utpote quæ effectus est meritorum Christi.

Lect. 1. in 1. Timoth. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: pro aliquibus efficaciter; sed pro omnibus sufficienter.* Lect. 3. in cap. 2. ad Hebr. ad illa verba, *Ut gratia Dei pro omnibus gustaret mortem; pro omnibus potest intelligi, ut sit distributio accommoda pro omnibus prædestinatis; pro istis enim tantùm habet efficaciam*, seu effectum salutis æternæ.

3. p. q. 1. a. 1. in corp. *Certum est Christum venisse in hunc mundum.... ad deletionem omnium peccatorum.... Non quòd omnia* effectivè *deleantur* (*quod est propter defectum hominum, qui Christo non inhærent*) *.... sed quia ipse exhibuit quod sufficiens fuit ad omnium peccatorum deletionem.* Sive quia (uti dicit q. 49. a. 2. ad 2.) *præparatum est homini remedium, quo se potest tueri contra hostis impugnationes, ne deducatur in interitum mortis æternæ.* Quippe *semper* (ut ad 3. ait) *per Passionem Christi est paratum hominibus remedium se tuendi contra nequitias dæmonum.* Itaque *Christus* (ait ibidem a. 1. ad 3.) *in sua Passione nos à peccatis liberavit causaliter, id est, instituendo causam nostræ liberationis, ex qua possent quæcumque peccata quandoque remitti.... Sicut si Medicus faciat medicinam, ex qua possint quicumque morbi sanari.* Et a. 4. *Quia Passio Christi præcessit ut causa universalis remissionis peccatorum, ut habeat efficaciam, necesse est quod singulis adhibeatur*, id est applicetur, *ad deletionem peccatorum.* Hoc autem *fit per Baptismum, & pœnitentiam, & alia Sacramenta, quæ habent virtutem ad id sufficientem ex Passione Christi.* Certum verò est Sacramenta non omnibus applicari.

Tametsi ergo pro salute omnium hominum, & pro deletione omnium peccatorum, Christus mortuus sit sufficienter; non tamen efficaciter. Quia voluntate absolutâ & efficaci non voluit media ad id necessaria omnibus applicari, nec gratiam ad id necessariam conferri.

Et hoc S. Thomas didicit ab Augustino l. 573
1. de adulter. conjug. c. 5. dicente: *Omnis qui sanguine Christi redemptus est, homo est; non tamen omnis qui homo est, Christi sanguine redemptus est*, quoad efficaciam utique. Et epist. 169. aliàs 102. ad Evodium: *Non periit unus ex illis, pro quibus mortuus est Christus.*

Quo etiam sensu S. Prosper ad object. 9. Gallor. dicit, quòd *licèt rectissimè dicatur Salvator pro totius mundi redemptione crucifixus, propter veram humanæ naturæ susceptionem, & propter communem in primo homine omnium perditionem; potest tamen dici pro his tantùm crucifixus, quibus mors ipsius profuit.* Non profuisse autem omnibus docet Tridentinum. Docet & Prosper ipse ad object. 4. ibidem, aiens, non omnes vocari ad gratiam. Quod probat exemplo eorum qui *ab hac vita sine Evangelii cognitione transierunt*; eorum item, quibus *Apostoli.... vetiti sunt à Spiritu sancto loqui verbum Dei in Asia & Bithynia*; exemplo denique

nique *tot millium parvulorum, qui ab hac vita sine baptismo transierunt. Nec enim* (inquit) *aliquo modo probantur vocati, quibus nec plantator prædicare, nec rigator potuit subvenire.* Unde sent. 4. ibidem sic habet: *Qui dicit, quòd non omnes vocentur ad gratiam, si de his loquitur, quibus Christus annuntiatus non est, reprehendi non debet. Quia scimus quidem in omnes fines terræ Evangelium destinatum; sed non putamus in omnibus terræ finibus prædicatum. Nec possumus dicere, quòd ibi sit gratiæ vocatio, ubi Matris Ecclesiæ adhuc nulla est regeneratio.* Et ad object. 1. Vincentianam: *Quod ad magnitudinem & potentiam pretii, & quod ad unam pertinet causam generis humani, sanguis Christi redemptio est totius mundi. Sed qui hoc sæculum sine fide Christi, & sine regenerationis Sacramento pertranseunt, redemptionis alieni sunt. Cùm itaque propter unam omnium naturam, & unam omnium causam, à Domino in veritate susceptam, rectè omnes dicantur redempti; & tamen non omnes à captivitate sint eruti; redemptionis proprietas*, quoad efficaciam, *haud dubiè penes illos est, de quibus princeps mundi missus est foras, & jam non vasa diaboli, sed membra sunt Christi. Cujus mors non ita impensa est humano generi, ut ad redemptionem ejus, etiam qui regenerandi non erant, pertinerent.... Poculum quippe immortalitatis, quod confectum est de infirmitate nostra, & virtute divina, habet quidem in se ut omnibus prosit; sed si non bibitur, non medetur.*

Eodem rursus sensu S. Prudentius, Trecensis Episcopus, in *Bibliotheca Hispana veteri* (anno 1696. jussu & expensis Eminentissimi D. Cardinalis Aguirii Romæ impressa) to. 1. l. 6. c. 11. dicit, *sanguinem Christi pro omnibus* (quoad efficaciam) *fusum fidelibus; non verò pro his qui nunquam crediderunt, nec hodie credunt, nec unquam credituri sunt*, nec ad fidem per gratiam excitantem invitandi, vel invitati, prout invitantur ex Paganis, Judæis, hæreticis, & aliis infidelibus aliqui, juxta declarationem Alexandri VIII. qui meritò proscripsit hanc propositionem: *Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis, nullum omninò accipiunt à Jesu Christo influxum; adeòque hinc rectè inferes, in illis esse voluntatem nudam & inermem, sine omni gratia sufficienti.* Gratia quippe illa excitans rectè dicitur sufficiens Thomistico sensu.

Eodem pariter sensu S. Remigius, Magnusque Florus, cum tota Ecclesia Lugdunensi, in l. de trib. epist. *Licèt Apostolus de eodem Domino ac Redemptore nostro dicat*: „ Unus est „ Deus, unus Mediator Dei & hominum, Ho„ mo Christus Jesus, qui dedit semetipsum re„ demptionem pro omnibus; „ *tamen juxta superiùs demonstratam fidei regulam* (nota benè) *rectè intelligitur pro illis omnibus se redemptionem dedisse, pro quibus etiam dignatus est Mediator Dei & hominum esse. Neque enim infidelium* (quoad efficaciam salutis, vel reconciliationis) *Mediator est, sicut nec Advocatus, nec Reconciliator, sed fidelium tantùm.... ut videlicet ita accipiatur quod dictum est*, " qui " dedit semetipsum redemptionem pro omni- " bus ", *non quòd omnes ejus Passione* (quoad efficaciam proximè dictam) *redemerit* (*quod utique manifestum est*) *sed quòd nemo accipiat redemptionem, nisi in illo, & per illum. Cesset igitur hæc nova & inaudita præsumptio, ut nullus hominum, etiam impiorum, & apud inferos irrevocabiliter damnatorum fuerit, pro quo Christus* (efficaciter quantùm in se, prout Molinistæ prætendunt) *passus non fuerit: cùm pro illis solis defunctis Passionem* efficaciter *sustinuerit, qui eum, dum in corpore viverent, fideliter venturum, & mundum suâ Passione redempturum crediderunt*, vel ad credendum per gratiam excitantem ut suprà invitati fuerunt. *Hoc itaque est Catholicum, hoc fidei Ecclesiæ ab initio commendatum.*

Hisce concinit Lupus Servatus, S. Remigii synchronus, verbis suprà relatis addens: *Ut enim* absolutè & efficaciter *salvos fieri vult omnes quicumque salvantur; ita redimit omnes quicumque redimuntur. Non autem* absolutè & efficaciter *salvantur omnes; nec verò redimuntur. Non itaque*, absolutè, & quoad efficaciam, *vult salvari aut redimi alios omnes, nisi qui redimuntur & salvantur.*

Hinc Concilium Valentinum III. cap. 4. 574
damnavit quatuor Carisiaca Capitula, specialiter tertium, *quòd Deus omnes sine exceptione* absolutè & efficaciter *velit salvare.* Et quartum, *quòd Christi sanguis* efficaciter *effusus sit pro illis impiis, qui à mundi exordio usque ad Passionem Domini æternâ punitione puniti sunt.* Damnavit (inquam) Capitula ista *propter inutilitatem, vel etiam noxietatem, & errorem contrarium veritati.*

Eadem Capitula damnavit anno 859. Concilium Lingonense, cujus Canones Concilium Tullense, eodem anno ex duodecim Provinciis congregatum, acceptavit, adoptavitque. Eosdemque velut Ecclesiæ, Conciliique legitimi decisiones, Baronius ad annum 855. aliique Ecclesiastici Historici, sicut & Theologi Catholici passim referunt.

Cum laudatis Patribus, & Conciliis, Con- 575
cilio Tridentino suprà etiam relato concinentibus, Dionysius Carthusianus in 1. epist. Joan. ad illa verba: *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi: pro vitiis* (inquit) *universi generis humani sufficienter; quamvis pro solis electis efficienter. Humanitas enim Christi ex unita sibi deitate, habuit idoneitatem satisfaciendi quodammodò infinitam. Ex eminentia quoque virtutum quas habuit, ineffabilem habuit efficaciam promerendi ac reconciliandi*, tametsi voluntate absolutâ non oraverit, nec merita sua obtulerit pro salute reproborum, ut dicit ad cap. 17. Joan.

Similiter Catechismus Romanus p. 2. c. 4. n. 20. de verbis illis consecrationis Calicis PRO VOBIS & PRO MULTIS dicit, quòd *pertinent ad*

Passionis fructum atque utilitatem declarandam. Nam si ejus virtutem inspiciamus, pro omnium salute sanguinem à Salvatore effusum esse, fatendum erit: si verò fructum, quem ex eo homines perceperint, cogitemus, non ad omnes, sed ad multos tantùm eam utilitatem pervenire facilè intelligemus. Cùm igitur PRO VOBIS *dixit, eos qui aderant, vel delectos ex Judæorum populo (quales erant Discipuli, excepto Juda) quibuscum loquebatur, significavit. Cùm autem addidit,* PRO MULTIS, *reliquos electos ex Judæis aut Gentibus intelligi voluit.*

Facultas quoque Theologica Lovanienſis in Cenſura aſſert. 7. Moliniſtarum Lovanienſium, qui ex eo quòd Chriſtus ſit Redemptor omnium, inferebant quòd per ipſum dentur omnibus ſufficientia auxilia, quibus reſurgant à peccatis, ſic habet: *Non diſſimilis erat olim Maſſilienſium ratiocinatio; ſed cui ſic reſpondendum: Chriſtus Redemptor eſt omnium quoad pretii* pro omnibus oblati *ſufficientiam: quia merito ſanguinis ejus omnes à peccatis liberari poſſent, ſi crederent. Non eſt autem Redemptor omnium ſecundùm efficaciam: quia non omnibus per eum datur ut credant. Ut enim infidelis credat, præter prædicationis beneficium, neceſſarium eſt gratiæ ſpecialis donum, quo fiat ut prædicationi conſentiat.*

Similiter Facultas Theologica Duacenſis in Cenſura ejuſdem aſſertionis: *Huic argumento Maſſilienſium (quod idem & Fauſti fuit) reſponſum eſt jam olim à Proſpero in hunc modum:* quoad magnitudinem & potentiam pretii, &c. ut ſuprà. *Sufficientia ergo, quam poſtulat generalis Redemptio, in pretio ſanguinis Chriſti eſt; non autem in auxilio omnibus collato, ut prætendit objectio. Nam alioquin etiam parvulis, quibus per Baptiſmum ſuccurri non potuit, tale auxilium tribuendum erit; aut certè dicere oportebit, non pro illis Chriſtum ſe dediſſe in redemptionem; & ita non pro omnibus.*

Ita etiam Eminentiſſimus Cardinalis de Laurea Opuſc. 2. c. 11. n. 164. ubi dicit, quòd Chriſtus quidem pro omnibus mortuus eſt; ſed *circa hoc diſtinctio Theologorum de Chriſti paſſione & morte pro omnibus, applicata efficaciter vel ſufficienter, neceſſariò admittenda eſt.* Et n. 184. *Reprobi per Chriſti paſſionem & mortem.... fuerunt ſoluti & liberati ſufficienter quantum ad ſolutionem pretii ſuperabundantis & infiniti.... Non alio modo Patres ſalvant quòd Chriſtus ſit Redemptor omnium, tam electorum, quàm reproborum, niſi quia paſſione ac morte ſuâ meruit media, quibus applicatis homines liberari poſſent à poteſtate dæmonis; & qui non adhibent illa, non liberantur. Ergo magnum iſtud beneficium attulit reprobis.* Denique *omnes Theologi* (inquit) *ac Patres ſacræ Scripturæ Interpretes hoc modo.... declarant Chriſtum pro omnibus & ſingulis hominibus mortuum, & omnes redemiſſe.*

Ita denique Schola tota S. Auguſtini, tota quoque Schola S. Thomæ, ut conſtat ex articulo quinto infrà proferendo. Et conſentiunt veteres è Societate Theologi, Cardinalis Bellarminus, uti Facultas Lovanienſis teſtatur in Præfatione Cenſuræ ſuæ, Cardinalis Toletus in cap. 17. Joan. Theodorus Peltanus in lib. de ſatisfactione noſtra ſect. 10. Pererius diſp. 13. in cap. 3. Joan. Suarez in 3. p. q. 19. diſp. 41. ſect. 2. Ribera in cap. 17. Joan. Franciſcus Mendoza in Viridario ſacr. & prof. erudit. p. 118. edit. Colon. Nicolaus Serrarius in 1. Joan. 2. Unius Peltani verba referam: *Certò ſtatuendum eſt* (inquit) *Chriſtum Dominum uno quidem modo Salvatorem & Servatorem eſſe omnium; alio autem modo non omnium, ſed multorum tantùm, vel aliquorum; hoc quidem ſecundùm efficientiam; prius verò ſecundùm pretii magnitudinem & ſufficientiam,* voluntate generali & antecedente Chriſti pro omnibus ex generali in omnes proximos ſuos charitate oblatam ut ſuprà. Hinc autem inferri non poteſt gratiam ſufficientem, Moliniſtico præſertim ſenſu, omnibus conferri; nec id ipſe cenſuit; imò ibidem expreſsè addit, *ſecretâ æterni Patris electione fieri, ut œconomiæ Chriſti fructus effectuſque quibuſdam clementer conferatur; aliis juſto judicio ſubtrahatur, quemadmodùm id variis infantium caſus minimè obſcurè nobis oſtendunt.*

Nemini autem durum appareat (ait Lemos ubi ſuprà) *quòd.... non dentur omnibus generalia auxilia ad ſalutem; nec ſententiam præcipitet, quouſque noſtram ſententiam,* argumentaque in probationem illius deducta, *ex profeſſo circa hoc expenderit: viſis enim omnibus tunc poterit formare judicium. Timeo namque cum S. Auguſtino & Proſpero, ne dum prætextu pietatis omnibus contendimus dari gratia generalia auxilia, ipſa ponamus naturæ debita. Et quidem argumentum de parvulis decedentibus abſque auxilio gratiæ ipſis ſufficienter applicato, quo triumphavit Auguſtinus, magnum eſt, & quid in hac cauſa tenendum ſit, ſatis apertè demonſtrat.*

Sed quidquid de hoc ſit, judicet univerſus Orbis Litterarius, judicet S. Sedes, cujus judicio ac correctioni omnia dicta & dicenda ſubmitto, quid cenſendum ſit de nonnullis Molinianæ factionis hominibus, quos non pudet velut Calviniſtas, velut Janſeniſtas, velut hæreticos palàm traducere ac diffamare, v. g. Authorem & Approbatores libri inſcripti: *Fides & innocentia Cleri Hollandici, vindicata adverſus libellum famoſum, cui titulus: Memoriale circa Janſeniſmi in Hollandia progreſſum.* Quem librum abſque præjudiciis legenti conſtabit mortem Chriſti pro ſalute omnium in eo conſtanter propugnari, ad ſenſum quo à SS. Patribus, præſertim Auguſtino & Proſpero, necnon à Concilio Tridentino, aliiſque Conciliis, atque à S. Thoma, à Facultate Theologica Lovanienſi & Duacenſi, à tota Schola S. Auguſtini, & S. Thomæ, aliiſque Theologis toto hoc capite laudatis ſuſtinetur, exponiturque. Hoc (inquam) manifeſtè

festè constabit legenti librum illum, tum in iis quæ ex ipso protulimus cap. 26. tum in iis quæ eodem in libro habentur pag. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 52. 70. 110. 123. 125. 126. 201. 202. 206. 210. 213. & seqq. calumniosam proinde esse criminationem illam, in Sanctosque illos, Concilia, & Theologos redundantem, & adeò calumniosam, ut Author & Approbatores libri illius de Molinistis illis meritò conqueri possint, sicut D. Prosper olim conquestus est de Pelagianis Semipelagianisque, adversus quos Catholicam fidem *ex Apostolicæ Sedis authoritate* defendebat: *Quidam* (inquit in Præfatione Responsionum ad Objectiones Vincentianas) *christianæ ac fraternæ charitatis obliti, in tantum existimationem nostram quoquo modo student lædere, ut suam se evertere nocendi cupiditate non videant. Contexunt enim, & qualibus possunt sententiis comprehendunt ineptissimarum quarumdam blasphemiarum prodigiosa mendacia; eaque ostendenda & ingerenda multis publicè privatimque circumferunt; asserentes talia in nostro esse sensu, qualia diabolico continentur indiculo suo. Quæ falsò in nos ad excitandam invidiam jactitari, facilè & sufficienter subscriptione unius probaremus anathematis* blasphemiarum illarum, *nisi malignitas eorum, qui se gravari putant, si de nobis benè sentiatur, ipsam subscriptionis nostræ brevitatem suspectam esset habitura. Unde ne hujus querelæ inveniretur occasio, necessarium convenientesque credidimus, ut sive ad calumniantium animos mitigandos, sive ad eos, quorum auribus tale aliquid insonuit, instruendos, quantum adjuvante Domino fieri potuit, plenè lucidèque pandamus, quid de objectis propositionibus judicaremus.* Quòd si prolixiùs id præstiterimus, ad id nos compulit partim calumniantium importunitas, partim justæ defensionis necessitas.

CAPUT XXIX.

Nulla præcepta Dei, justis volentibus & conantibus, secundùm præsentes quas habent vires, impossibilia sunt, nec deest gratia, quâ possibilia fiant. Imò nulla Dei præcepta impossibilia sunt justis, etiam non volentibus nec conantibus, &c. sed velle & conari negligentibus, vel de se præsumentibus, tametsi doctrina Sanctorum sit, quòd gratia actualis, ad vincendam de facto tentationem necessaria, salvâ præceptorum possibilitate, ipsis subinde ad tempus subtrahatur.

576 ETiam hîc Jansenismum inclamant Molinistæ, similes utique ictericis; nam quemadmodùm isti sufflavum colorem, sic illi Jansenismum ubique vident, ubi Molinianas novitates suas confutatas vident. Etiam proinde hîc calumniantur, non sine injuria Salvatoris, Conciliorum & Patrum, uti proximè videbitur. Itaque quòd nulla Dei mandata justis volentibus & conantibus, secundùm præsentes quas habent vires, impossibilia sint, veritas est fidei, à Concilio Tridentino, necnon ab Innocentio X. Alexandro VII. & Clemente XI. definita. Et quomodò justis volentibus & conantibus, secundùm præsentes quas habent vires, aliqua Dei præcepta forent impossibilia, cùm ne quidem impossibilia sint peccatoribus, etiam excæcatis & obduratis, omnique gratiâ, tam habituali, quàm actuali destitutis? Justi verò volentes & conantes, secundùm præsentes quas habent vires, neutrâ gratiâ destituuntur; imò adest ipsis utraque gratia, dans posse magis proximum eo quod in dictis est peccatoribus. Adest imprimis gratia habitualis, quâ justi sunt, *per quam, & virtutes infusas habet homo sufficientem virtutem in actu primo, quâ possit servare omnia mandata*, inquit Alvarez Resp. l. 3. c. 5. n. 20. id probans ex doctrina S. Thomæ 1. 2. q. 109. Et probari etiam potest ex q. 106. a. 2. ibidem, ubi dicit quòd *lex nova, quantùm est de se, sufficiens auxilium dat ad non peccandum.* Lex autem nova, ut a. 1. dicit, est principaliter ipsa gratia Spiritûs sancti in corde fidelium scripta, ad 2. addens quòd sit *aliquid inditum homini*, quasi naturæ *superadditum gratiæ donum.... adjuvans ad implendum mandatum*, sive quasi virtus gratuita naturæ superaddita, in genere habitualis doni sufficienter adjuvans, *quantùm ad sufficientiam operativæ virtutis*, ut loquitur q. 109. a. 2. Unde ad operandum bonum non indiget homo aliâ sibi inditâ operativâ virtute, etsi indigeat *auxilio Dei moventis*, sine quo bonum operari non potest. Ideò verò dat posse mandata servare, quia naturam sanat, ipsamque elevat ad producenda opera promerentia vitam æternam, datque justis ut possint à peccatis omnibus mortalibus abstinere, prout idem S. Doctor tradit ibidem a. 3. 5. & 8. ubi dicit, quòd *per eam mens habitualiter subditur Deo, & in eo constituit finem suæ voluntatis.* Præter gratiam habitualem, adest etiam justis, *volentibus & conantibus*, &c. gratia actualis, per quam volunt & conantur operari bonum. Quid est enim gratia actualis voluntatis, nisi bona voluntas, bonusque conatus? Non deest ergo justis gratia, quâ Dei mandata servare possint.

Sed ne justis quidem velle & conari ne- 577
gligentibus, de seque nonnihil præsumentibus, quamdiù justi sunt, gratia deest, quâ mandata ipsis possibilia sint. Per gratiam quippe & charitatem habitualem, aliasque virtutes infusas, individuas ipsius comites, virtutem habent in suo genere (habitualis utique doni) sufficientem ad ea servanda, prout ex S. Thoma proximè vidimus, & suprà n. 20. diximus; tametsi ad virtutem illam seu potentiam cum actu conjungendam, juxta Scripturam, Concilia & Patres, præter eam necessaria sit gratia actualis, uti contra Attubalem die 2. Januarii 1603. in Congregatione de Auxiliis, coram Clemente VIII. Thomas de Lemos egregiè sustinuit. Unde 9. No-

vembris Congregatio censuit, *errare eum, qui dixerit, sine gratia efficaci posse aliquem actu velle & operari, quæ pertinent ad salutem.*

Sola proinde ultima pars assertionis nostræ probanda superest, esse utique doctrinam Sanctorum, quòd justis velle & conari negligentibus, vel de se præsumentibus, gratia actualis, ad vincendam de facto tentationem necessaria, salvâ præceptorum possibilitate, ad tempus subinde subtrahatur. Probabitur hoc §. sequenti.

§. I.

Ex divina Scriptura, Conciliis, Summorum Pontificum definitionibus, & SS. Patribus, ostenditur, certum esse, quòd, salvâ mandatorum possibilitate, justis, in pœnam suæ præsumptionis, negligentiæ orationis, gratia actualis, ad vincendam de facto tentationem necessaria, ad tempus subinde subtrahatur.

578 PRimò id ostenditur ex divina Scriptura, quæ mille locis docet, justos orare debere pro obtinenda gratia, ad christianam tentationum victoriam necessaria: *Vigilate & orate* (ait Salvator Discipulis suis Matth. 26.) *ut non intretis in tentationem.* Qui & alibi ipsos orare docuit: *Ne nos inducas in tentationem.* Si ergo, de se præsumentes, orare negligant, gratiam illam regulariter non obtinent. Aliàs pro ea obtinenda orare non deberent.

579 Et hinc est quòd, eodem Salvatore teste, gratiam, ad ipsum timore mortis non negandum necessariam, S. Petrus non habuit: quia, de se præsumens, non oravit. Si enim gratiam ad id necessariam habuisset, tentationem illam superare potuisset, potentiâ gratiam omnem ad eam de facto superandam necessariam complectente. Non potuisse autem (tali potentiâ) Salvator Joan. 13. testatur, dicens: *Non potes me sequi modò*, ad mortem utique. Quia tametsi Petrus voluntatem aliquam haberet moriendi pro Christo; voluntas ista tunc nimis parva erat, & imperfecta, ut id posset, potentiâ illâ. Neque enim voluntas quæcumque ad id sufficiens est; sed magna & perfecta necessaria est, juxta illud Augustini de grat. & lib. arb. c. 15. *Gratia Dei semper est bona; & per hanc fit ut sit homo bonæ voluntatis, qui priùs fuit voluntatis malæ. Per hanc etiam fit, ut ipsa bona voluntas, quæ jam esse cœpit, augeatur, & tam magna fiat,* UT POSSIT IMPLERE DIVINA MANDATA, QUÆ VOLUERIT, CÙM VALDE PERFECTEQUE VOLUERIT. *Ad hoc enim valet quod scriptum est,* „ Si volueris, conservabis man- „ data, „ *ut homo, qui voluerit, & non potuerit, nondum se plenè velle cognoscat, & oret ut habeat tantam voluntatem, quanta sufficit ad implenda mandata. Sic quippe adjuvatur, ut fiat quod jubetur.* Et c. 17. *Qui ergo vult facere Dei mandatum, & non potest, jam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc parvam & invalidam. Poterit autem, cùm magnam habuerit, & robustam. Quando enim Martyres magna illa mandata fecerunt, magnâ utique voluntate, hoc est magnâ charitate fecerunt. Ipsam charitatem*, seu voluntatem magnam, *Apostolus Petrus nondum habuit, quando timore mortis Dominum ter negavit: & tamen, quamvis parva & imperfecta, non deerat, quando dicebat Domino:* “ Animam meam “ pro te ponam. “ *Putabat enim se posse, quod se velle sentiebat.*

In illo ergo imperfectæ & invalidæ voluntatis statu, in quo Petrus erat, quando Salvatori dicebat: “ Animam meam pro te ponam, “ id præstare non potuit, potentiâ complectente omnem gratiam necessariam ad eam conjungendam cum effectu. Verum est enim quòd ipsi tunc Veritas dixit: *Non potes me* ad mortem *sequi modò.* Verè proinde ipsi defuit gratia ad id necessaria, sive voluntas magna, & charitas robusta & perfecta: aliàs non defuisset ipsi potentia ad tentationem mortis effectivè superandam necessaria; quam tamen ipsi defuisse, cum Salvatore Augustinus serm. 106. ait: *Secutus est Dominum; sed tunc non potuit sequi passurus.... promisit se moriturum pro illo, & non potuit, nec cum illo. Plus enim ausus erat, quam ejus capacitas sustinebat. Plus promiserat, quàm poterat.* Neque enim parva & imperfecta voluntas ejus ad tantam tentationem superandam sufficiebat; sed plenior perfectiorque voluntas, plenior proinde ac perfectior charitas & gratia ad id necessaria erat. Quia, prout iterùm egregiè Augustinus libro 2. de peccat. merit. & remiss. cap. 5. *ad nonnulla superanda, vel quæ malè cupiuntur, vel quæ malè metuuntur, magnis aliquando & totis viribus opus est voluntatis.* Et serm. 3. de verb. Apost. c. 10. *volo ut velis; sed non sufficit ut velis; adjuvandus es ut plenè velis, & impleas quod velis.*

580

583

581 Secundò, eadem doctrina certa est ex Conciliis, & Summorum Pontificum definitionibus n. 549. laudatis; ex Traditione quoque sanctorum Patrum omnium, quos ad gratiæ suæ defensionem excitavit Deus, quorum ingens agmen citat P. Ribera in cap. 6. & 15. Joan. Ab ipsis namque verba illa Salvatoris, *Sine me nihil potestis facere.* Et, *Nemo potest venire ad me, nisi Pater.... traxerit eum*, de gratia efficaci semper intellecta fuerunt, ita ut sensus sit, sine gratia mea efficaci nihil ad pietatem pertinens potestis facere. Quam veritatem Innocentius I. ibidem laudatus definivit, dicens, quòd *quotidiana Deus præstat remedia, quibus nisi freti, nullatenùs vincere humanos poterimus errores.... Cùm omnes Sancti* (nota) *se sine hoc adjutorio nihil agere posse testentur.* Loquitur autem de auxilio gratiæ, *quâ auxiliante vincimus*, adeòque efficaci. Idipsum Cælestinus Papa definivit in epist. ad Gallos c. 9. dicens, quòd *Deus in cordibus hominum... operetur.... omnes motus bonæ voluntatis: quia per illum aliquid possumus, sine quo*

584

nihil possumus. Et c. 10. *Quasi proprium Apostolicæ Sedis amplectitur*, quod cap. 4. Concilii Carthaginensis definitum est, *per gratiam Dei nobis præstari, ut quod faciendum cognovimus, diligamus, atque valeamus.* Quia, ut cap. 5. ejusdem Concilii dicitur, *Dominus.... ait.... Sine me nihil potestis facere.* Quod etiam Cælestinus approbat & confirmat, cap. 4. Similiter Leo Papa Serm. 8. de Epiph. *Dicente Discipulis Domino, Sine me nihil potestis facere, dubium non est, hominem bona agentem à Deo habere & effectum operis, & initium voluntatis.... Deus est enim qui operatur in nobis & velle, & operari*, &c. Ubi & ipse verba illa Salvatoris, *Sine me*, &c. de gratia efficaci manifestè intelligit. Definitionem Concilii Carthag. audivimus. Alterius Concilii Africani 214. Episcoporum definitionem refert Prosper contra Collat. c. 10. (*quam totus mundus amplexus est*, inquit ad Cap. Gall. c. 8.) utique *quòd sine illa gratia, per quam præstatur nobis, ut quod faciendum cognovimus, etiam facere diligamus atque valeamus* (efficaci utique) *nihil veræ sanctæque pietatis vel habere, vel cogitare, vel dicere, vel agere valeamus.* Similis est definitio Concilii Arausicani II. can. 7. 8. 9. 10. 19. 20. & 25.

582 Demonstrativum proinde est argumentum quod citato n. 549. confecimus: gratia efficax ad tentationem mortis piè superandam necessaria est, uti definiunt Concilia & Pontifices, traduntque Sancti omnes. Atqui gratia efficax ad tentationem mortis piè superandam defuit Petro justo, eâ in tentatione posito; deest quoque justis omnibus tentationi succumbentibus. Ergo gratia necessaria ad tentationes aliquas piè superandas, deest aliquibus justis.

583 Et hoc est quod Tridentinum apertè declarat sess. 6. c. 11. hisce formalissimis verbis: *Homini justificato Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut possis.* Quia, ut suprà dixi, postremis hisce verbis, *petere quod non possis*, Concilium manifestè docet, quòd licèt homini justificato Deus impossibilia non jubeat, aliqua tamen jubeat quæ non potest (potentiâ utique complectente omnem gratiam necessariam ad agere) quòdque impotentia ista optimè consistat cum definita mandatorum possibilitate: quia licèt justus aliquando non habeat in actu gratiam necessariam ad tale posse; eam tamen habet in potentia; quatenùs eam petendo impetrare potest, petendo utique quomodò & quantùm res tanta petenda est, puta *in laboribus, in vigiliis, in eleemosynis, in orationibus, in jejuniis*, uti declarat ibidem c. 13. Quod si taliter petierit, Deus tunc per gratiam juvabit ut taliter possit. Verùm quia non omnes justi taliter petunt, non omnes dictâ potentiâ id possiunt, nec gratiam ad id necessariam habent.

584 Et hinc etiam can. 22. definit, quòd (licèt Deus justis præcipiat in accepta justitia perseverantiam) in ea tamen perseverare non possint (potentiâ complectente omnia necessaria ad actu perseverandum) sine speciali auxilio Dei. Quod justis omnibus commune non esse certum est, tum ex Tridentino illud vocante *speciale Dei auxilium.* Tum ex eo quòd nullus justus de eo sibi certi aliquid absolutâ certitudine polliceri possit, prout idem Concilium definit c. 13. Ideòque justos alloquens ibidem, post Apostolum, dicit: *Qui se existimant stare, videant ne cadant, & cum timore ac tremore salutem suam operentur, in laboribus, in vigiliis*, &c. ut suprà. *Formidare enim debent.... de pugna quæ superest cum carne, cum mundo, cum diabolo; in qua victores esse non possunt, nisi cum Dei gratia Apostolo obtemperent, dicenti: Debitores sumus, non carni, ut secundùm carnem vivamus*, &c. Quod profectò justi omnes non præstant.

Tertiò, eadem doctrina certa est ex unanimi SS. Patrum, Græcorum, Latinorumque, in eam consensu, traditioneque: utpote qui loquentes de lapsu David & Petri, unanimiter tradunt *ipsos*, ope gratiæ destitutos, sibimetipsis, propriæque infirmitati, ob suam præsumptionem, derelictos fuisse, nulloque fruitos auxilio. Ita nominatim Chrysostomus ad cap. 26. Matth. dicens, quòd *Petrum*, ob suam præsumptionem (licèt tantùm venialem, ut Gerson ait to. 2. de cognit. pecc. ven. & mort. consider. 4.) *nudum admodùm à suo favore Deus reddidit.* Quòdque lapsus est, quia *nullo fruitus est auxilio.* Sic enim habet versio Chrysostomi per Baltasarem Corderium, Soc. Jesu Theologum, in Catena Græcorum super Matth. Similiter Homil. 72. in Joan. *Casus Petri, non frigiditate, sed superni auxilii derelictu contigit. Ipsum Deus desertum reliquit, ut suam ipse intelligeret imbecillitatem.* Et Homil. 32. in epist. ad Hebr. *Negatio Petri non tam erat socordiæ & negligentiæ, quàm ex eo quòd Deus eum deseruerat, ut humanam sciret mensuram, & non repugnaret iis quæ dicebantur à Magistro; neque ejus quàm aliorum essent elatiores spiritus, sed sciret quòd absque Deo nihil potest fieri.* 585

Basilius Homil. 22. de humilit. *Petrus, quoniam arrogantiùs dixerat, etsi omnes, &c. humanæ traditus est pusillanimitati.* 586

Augustinus, præter ea quæ num. 579. & 580. dixit, in Psal. 43. *Plerumque* (inquit) *homo putat se posse quod non potest.... Nunquid Petrus novit se, quando dixit Medico:* " Tecum sum usque ad mortem? " In Psal. 138. *Quando Dominus noster passus est, Discipuli nondum habebant illud ossum interius, nondum illis firmatum erat robur patientiæ, & latebant se, nesciebant vires suas, & ausus est Petrus promittere societatem mortis cum Domini passione, & non noverat ægrotus defectum virium suarum.* In Psal. 140. Petrus, *qui tibi promiserat, quia tecum esset usque ad mortem.... interrogatus.... succubuit.... Nondum idoneus erat passioni.... Nondum habebat vires me-* 587

riendi pro Christo.... In illum impetus factus est, qui non habebat vires.... Vires ipsas Petrus post accepit; tunc autem infirmus fuit. Pro Christi nomine ille interrogatur, qui vires non habebat. Serm. 137. *Se Petrus non noverat.... quando dicebat:* „ Tecum ero usque ad mor-
„ tem, „ *& quam esset infirmus, nesciebat.... Dicebat se habere vires, qui non habebat.* Serm. 285. *Nisi paulisper à Regente desereretur, non sibi demonstraretur.... Nisi desertus, non negaret.* Serm. 296. *Secutus est Dominum passurum, sed tunc non potuit sequi passurus.... Promisit se moriturum pro illo, & non potuit, nec eum illo. Plus enim ausus erat, quam ejus capacitas sustinebat. Plus promiserat quam poterat.* Serm. 4. *Dixerat se cum Domino, & pro Domino moriturum. Nondum autem poterat, quia infirmus erat.* Gravissimus Author serm. 124. de temp. Augustino vulgò adscripti: *Quid est homo sine gratia Dei, nisi quod fuit Petrus, cùm negaret Christum?*

588 Theodoretus in Psal. 118. *Sapiùs divina gratia nonnullos ad breve tempus deserit, utilitatem illis hinc procurans. Sic Magnus Elias derelictus cùm esset, in timiditatis affectum incidit.... Sic D. Petrus negando prolapsus est.*

589 Similia habent Origenes in Matth. c. 35. & Homil. 9. in Ezech. Hilarius in Matth. can. 22. Hieronymus in cap. 14. Marci. Damascenus l. 2. orthod. fid. c. 23. Bernardus serm. 44. in Cant. Hugo de S. Victore in annot. ad Joan. ubi sic: *Petrus, ut dicit Hieronymus, erat quasi avis sine pennis, quando se pro Christo moriturum promisit. Avis enim sine pennis volare vult, sed non potest.*

590 Nec, salvâ fide, negari potest Petrum fuisse justum, dum se pro Christo promisit moriturum. Cùm, Veritate teste, tunc fuerit mundus. Dicit enim Joan. 13. 10. *Et vos mundi estis, sed non omnes: sciebat enim quisnam esset qui traderet eum; propterea dixit: non estis mundi omnes.* Et c. 15. postquam traditor discessisset, & Petrus animam pro Christo dare promisisset: *Jam* (inquit absque exceptione) *vos mundi estis, propter sermonem quem locutus sum vobis.... Manete in me, & ego in vobis.... vos amici mei estis.* Unde Augustinus de symbolo ad Catechum. l. 2. c. 6. *In Petro* (inquit) *demonstrans, non in se quemquam justum debere præsumere.* Et post Augustinum optimè Cajetanus in Matth. c. 26. ad illa verba:
„ Tunc cœpit Petrus detestari, &c. „ *Considera & treme, ô vir juste! Petrus, ipso Jesu attestante mundus, ac per hoc in charitate existens, Sacramento corporis & sanguinis Christi dignè communicans, præmonitus de futura tentatione, paratus potius mori quàm negare Christum, ad unius ancillæ vocem illum negavit, & successivè addidit perjurium. Quare hoc? Quia magna differentia est inter gratiam habitualem, & illius usum: quia non sumus sufficientes ex nobis ad usum charitatis & gratiæ, quam habemus in anima infusam à Deo; sed egemus, ad utendum illâ, continuo & gratuito Dei auxilio. Quo quia caruit Petrus, tunc* (quia Deus reliquit tunc Petrum sibiipsi, prædito charitate & gratiâ habituali) *ideò cecidit, & perdidit charitatis gratiam. Sic Moyses, sic David cecidit.*

Nec solùm Moysen, David & Petrum Deus 591
ad tempus dereliquit, sed & Ezechiam Regem sanctum, juxta illud 2. Paralipom. 32. *Dereliquit eum Deus ut tentaretur, & nota fierent omnia quæ erant in corde ipsius.* Ad quæ verba Estius: *Hic locus* (inquit) *ostendit, Deo deserente, id est gratiam non dante, hominem non posse superare tentationem* (deest igitur ei gratia ad id necessaria) *non ita tamen, ut necessariò in illud peccatum incidat, ad quod tentatur* (*fieri enim potest ut tentatio tentatione repellatur, sicut clavus clavo pellitur*) *sed ita ut ab ea salubriter & secundum Deum sine Dei gratia se expedire non possit.*

Et propterea *ipsismet justis causa est tremendi* 592
atque metuendi (ait Leo Magnus serm. 8. de Epiph.) *ne in ipsis operibus pietatis elati deserantur ope gratiæ, & remaneant in infirmitate naturæ.* Quod tantus Pontifex profectò non diceret, nisi aliquando contingere existimaret.

Et reverà habent justi quòd timeant, ne 593
hoc sibi contingat quod David, Ezechiæ, Petro, &c. dum audiunt Apostolum graviter admonentem, ut *cum timore & tremore* 2. Cor. 7. *cum metu & tremore* Philipp. 2. *salutem suam operentur, in laboribus* utique, *in vigiliis, in eleëmosynis, in orationibus & oblationibus, in jejuniis & castitate*, uti Tridentinum explicat sess. 6. c. 13. Aliàs enim, *qui se* (inquit) *existimant stare, videant ne cadant*, scilicet *in pugna quæ ipsis superest cum carne, cum mundo, cum diabolo*, in qua victores finaliter esse non possunt, sine perseverantiæ dono, justis omnibus non communi; imò nec momento victores esse possunt (potentiâ completâ) sine efficaci Dei auxilio. Quod certum est non dari justis omnibus.

§. II.

Rationibus Theologicis eadem doctrina illustratur.

PRima conficitur sic: justos oportet quoti- 594
die orare pro victoria tentationum; adeòque pro gratia victrice, seu efficace, ad eas vincendas necessaria; ut constat ex Oratione Dominica, *ne nos inducas*, id est induci permittas, *in tentationem.* Sed pro ea orare non oporteret, si omnibus, etiam non orantibus, adesset. *Quid enim stultius* (ait Aug.) *quam orare ut obtineas, quod in potestate habeas.* Ergo gratia ad id necessaria justis omnibus non adest. Enimverò tametsi gratia habitualis naturam sanet, detque justis posse mandata servare, peccataque mortalia singula & omnia vitare, uti docet S. Thomas 1. 2. q. 109. a. 9. his verbis: *Homo in statu naturæ corruptæ peccata mortalia, & singula, & omnia; ve-*

nialia autem singula, sed non omnia vitare potest, si est natura per gratiam infusam repara-
595 *ta.* Quia, uti q. 106. a. 2. ad 2. dixerat, *gratia infusa Novi Testamenti, quantùm est de se, sufficiens auxilium dat ad non peccandum.* De gratia namque infusa, seu habituali & justificante, S. Doctorem ibi agere, constat tum ex titulo articuli, *Utrùm lex nova justificet*: tum ex eo quòd eam ibi exprimat verbis, quibus gratiam habitualem designare solet, scilicet *gratiæ Spiritûs sancti interiùs datæ: legis in corde scriptæ: auxilii quo justus aliquando non utitur.* Quod de actuali auxilio nusquam dicit (utpote cujus semper est aliquis usus, scilicet illustratio intellectûs, & pia motio voluntatis) ad usum tamen istius potentiæ justi indigent efficaci auxilio Dei interiùs moventis, prout idem S. Doctor a. 9. citato docet his verbis: *Homo in gratia existens, indiget ut à Deo moveatur ad rectè agendum. Et hoc propter duo: Primò quidem ratione generali, &c. Secundò etiam ratione speciali, propter conditionem statûs humanæ naturæ, quæ quidem licèt per gratiam sanetur quantùm ad mentem, remanet tamen in ea corruptio & infectio secundùm carnem.... remanet etiam quædam ignorantiæ obscuritas in intellectu, &c. Et ideò necesse est nobis, ut à Deo dirigamur & protegamur.... Et propter hoc etiam renatis in filios Dei per gratiam, convenit dicere: Et ne nos inducas in tentationem.*

596 Et hinc est quòd licèt Regius Psaltes toto corde requireret Deum, Psalmo tamen 18. metuens ne à Deo desereretur, sic orat: *In toto corde meo exquisivi te: ne repellas me à mandatis tuis.* Ad quæ verba Augustinus: *Ecce* (inquit) *orat, ut adjuvetur ad custodienda verba Dei. Nam utique hoc est: ne repellas me à mandatis tuis. Quid est enim à Deo repelli, nisi non adjuvari? Mandatis quippe ejus rectis atque arduis humana non contemperatur infirmitas, nisi præveniens nos adjuvet charitas. Quos autem non adjuvat, eos meritò perhibetur repellere, tamquam frameâ flammeâ prohibeantur indigni, ne manum extendant ad arborem vitæ. Quis est autem dignus, ex quo per unum hominem peccatum intravit in mundum? sed indebitâ Dei misericordiâ sanatur debita nostra miseria.*

597 Hinc etiam Zosimus Papa in epist. ad totius Orbis Episcopos, atque ex ipso Cælestinus Papa in epist. ad Galliæ Episcop. c. 9. *Quod ergo* (ait) *tempus intervenit, quo ejus non egeamus auxilio? in omnibus igitur actibus, causisque, cogitationibus, motibus, adjutor & protector orandus est. Superbum est enim ut quidquam sibi humana natura præsumat, clamante Apostolo:* „ Non est nobis colluctatio adver„ sus carnem & sanguinem, sed contra princi„ pes & potestates aëris hujus, contra spiritua„ lia nequitiæ in cælestibus. „ *Et sicut ipse iterùm dicit.* „ Infelix ego homo, quis me libe„ rabit de corpore mortis hujus? gratia Dei per „ Jesum Christum Dominum nostrum. „ Capite verò 6. cum Innocentio I. dixerat, *neminem, etiam baptismatis gratiâ renovatum, idoneum esse ad superandas diaboli insidias, & ad vincendas carnis concupiscentias; nisi per quotidianum adjutorium Dei perseverantiam bonæ conversationis acceperit. Quod* (inquit) *Innocentii I. doctrina confirmat dicens.... quotidiana præstat ille remedia, quibus nisi freti confisique nitamur, nullatenùs humanos vincere paterimur errores: necesse est enim ut quo auxiliante vincimus* (manifestè ergo de auxilio loquitur efficaci) *eo iterùm non adjuvante vincamur.* Igitur auxilium efficax divinæ gratiæ necessarium esse definit, ad vincendas tentationes. Istamque necessitatem probat proximè definita necessitas, omni tempore Deum orandi, pro auxilio illo obtinendo. Neque enim justos omni tempore pro illo obtinendo orare oporteret, si sine eo tentationes superare possent, uti frequenter contra Pelagianos arguit Augustinus, signanter tr. 53. in Joan. *Ut quid rogamus eum, ne vincamur tentatione, si hoc in nostra est potestate?* Et l. 6. oper. imperf. contra Julian. n. 15. dicit, quòd adjutorium gratiæ ad non peccandum non poscereretur, nisi necessarium esset: *Scriptum est:* " Si vos Filius " liberaverit, tunc verè liberi eritis " *: quod non solùm propter peccata præterita dictum esse..... verùm etiam propter adjutorium gratiæ ejus, quod ne peccemus, accipimus.... Dominica testatur Oratio, ubi non solùm dicimus.* " Dimitte nobis debita nostra " .... *verùm etiam,* " Ne nos inferas in tentationem " *: propter hoc utique, ne mala faciamus..... Quod si ita esset in potestate nostra, quomodò fuit ante peccatum, priusquàm esset natura humana vitiata, non utique posceretur orando, sed agendo potiùs teneretur. Verùm..... nisi Deus adsit, nemo est idoneus certare cum vitiis..... Ideò in hoc agone magis nos Deus voluit orationibus certare, quàm viribus: quia & ipsas vires, quantas hîc habere nos competit, ipse subministrat certantibus, quem rogamus. Ergo hi, quorum contra carnem jam spiritus concupiscit, ad actus singulos indigent Dei gratiâ, ne vincantur;* gratiâ utique dante victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum, ut proximè antè dixit.

Idque l. de nat. & grat. c. 26. circa finem 598
hâc declarat similitudine: *Sicut oculus corporis, plenissimè sanus, nisi candore lucis adjutus, non potest cernere; sic & homo, perfectissimè etiam justificatus, nisi æternâ luce justitiæ divinitùs adjuvetur, rectè non potest vivere.* Ex quo loco S. Thomas a. 9. citato in argumento *Sed contra*, infert: *Ergo etiam homo, jam habens gratiam, indiget alio auxilio, ad hoc ut rectè vivat.* Quamvis enim per gratiam habitualem rectè vivere possit, *quantùm ad sufficientiam operativæ virtutis*, ut loquitur a. 2. non tamen quantùm ad usum istius operativæ virtutis, uti S. Thomam suprà num. 61. dicentem audivimus.

Secunda ratio est, quia doctrina illa fun- 599

damentum est pietatis, humilitatisque christianæ. Ecquod enim aliud est christianæ pietatis humilitatisque fundamentum, nisi 1°. sincera confessio & agnitio tantæ imbecillitatis nostræ, ut quàmlibet justi simus, gratiæ Dei efficacis continuo indigeamus auxilio, ita ut sine eo nihil veræ sanctæque pietatis habere, cogitare, dicere, agere valeamus, prout ducenti quatuordecim Episcopi Africani, toto Orbe plaudente, Sedeque Apostolica probante, Carthaginensi in Concilio anno 417. definierunt. 2°. quòd auxilium istud omnibus indebitum sit, nulli debitum; solâ proinde Dei misericordiâ detur, quibuscumque datur; tametsi interim adeò necessarium, ad superandas carnis, mundi & diaboli tentationes, ut sine eo nunquam vincantur. Siquidem in nobis ipsis lex habitat peccati, in omnem nos omni momento inducens corruptionem, nisi contra impetum ipsius divina nos pietas, & omnipotens protegat gratia. Et propterea cum timore & tremore nostram nos oportet operari salutem: *Deus est enim, qui operatur in nobis velle, & perficere, pro bona voluntate*, & per illud ipsum auxilium dat nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum. Ista proinde causa est, propter quam humiliari nos oportet sub potenti manu Dei, ipsumque jugiter deprecari cum Psalmista: *Ne repellas me à mandatis tuis.* Habent enim justi quòd timeant, ne deserantur ope efficacis istius auxilii, in suaque relinquantur infirmitate, nisi indebitâ Dei misericordiâ sanetur debita ipsis miseria; maximè cùm, exceptâ B. Virgine, nullus sit homo qui non peccet, sive qui peccata omnia venialia vitet: nullus proinde qui non humiliter agnoscere debeat, sibi justè pro peccatis suis, à Deo subtrahi posse gratiam, ad peccatum vitandum necessariam. Nam, uti sapienter Richardus à S. Victore, de statu inter. hom. p. 1. cap. 22. observat: *Gratia quam homo semel accepit, ante peccatum justè subtrahi non potuit; quam etsi præter merita acceperat, sine culpa tamen amittere non debebat. Nunc autem omni horâ potest justè subtrahi: quia nunquam potest homo sine culpa inveniri.*

600 Tertia ratio petitur ex Augustino l. 2. de peccat. merit. & remiss. c. 19. dicente: *Sapiamus & intelligamus..... Dominum Deum bonum etiam sanctis suis alicujus operis justi aliquando non tribuere vel certam scientiam, vel victricem delectationem, ut cognoscant, non à seipsis, sed ab illo sibi esse lucem, quâ illuminentur tenebræ eorum, & suavitatem, quâ det fructum suum terra eorum. Cùm autem ab illo illius adjutorium deprecamur ad faciendam perficiendamque justitiam, quid aliud deprecamur, quàm ut aperiat quod latebat, & suave faciat quod non delectabat? quia & hoc ab illo esse deprecandum, ejus gratiâ didicimus, dum anteà lateret; ejus gratiâ dileximus, dum anteà non delectaret; ut qui gloriatur, non in se, sed in Domino glorietur. Extolli quippe in superbiam, propriæ voluntatis est hominum, non operis Dei.... Quod vitium nisi adjuvante gratiâ Dei superetur, ad justitiam nemo convertitur; nisi operante gratiâ sanetur, justitiæ pace nemo perfruitur* (agit ergo de auxilio gratiæ necessario.) *Quibus autem vitium illud gratiæ sua sanat..... misericordiâ facit.... Et quibus non facit, judicio non facit.... idcircò etiam sanctos & fideles suos in aliquibus vitiis tardiùs sanat, ut in his eos minus quàm implendæ ex omni parte justitiæ sufficit, delectet bonum, sive cùm latet, sive cùm etiam manifestum est, ut..... non justificetur in conspectu ejus omnis vivens. Nec in eo ipso vult nos damnabiles esse, sed humiles, commendans nobis eamdem gratiam suam: ne facilitatem in omnibus assecuti, nostrum putemus esse quod ejus est; qui error multùm est religioni pietatique contrarius. Nec ideò tamen in iisdem vitiis nobis permanendum esse existimemus, sed adversus ipsam maximè superbiam, propter quam in eis humiliamur, & nos vigilanter conemur, & ipsum deprecemur ardenter, simul intelligentes, & quòd sic conamur, & quòd sic deprecamur, dono illius nos habere, ut in omnibus.... Domino Deo gratias agamus, & cùm gloriamur, in illo glorietur.*

Si sic Deus agit cum justis, etiam sanctis, 601
magno studio ab omnibus quæ Deo displicere cognoscunt, cavere satagentibus; si ipsis, inquam, Deus gratiam necessariam (saltem ad posse completum, seu complectens omnia necessaria ad actum) quandoque subtrahit in profectum ipsorum: quo probabili fundamento dici potest, justis tepidis & negligentibus, vel etiam de se venialiter præsumentibus, gratiam actualem, necessariam ad vincendam tentationem, nunquam urgente præcepto subtrahi, in pœnam negligentiæ, tepiditatis vel præsumptionis ipsorum?

Cæterùm an gratia actualis, non solùm effi- 602
cax, sed & Thomistico sensu sufficiens, id est gratia excitans, ea in tentatione, in qua Christum negavit, S. Petro, in pœnam suæ præsumptionis, neglectæque orationis, ad tempus omninò subtracta fuerit? Me nescire fateor. Potuit enim piam habere cogitationem, pium etiam voluntatis motum, de Christo non negando. Potuit etiam non habere, in pœnam dicti peccati. Non habuisse, SS. Patres §. 2. laudati innuere videntur. Saltem non habuisse gratiam efficacem, necessariam ad tentationem illam effectivè vincendam, certum est ex ibi dictis, signanter ex Joan. 13. *Non potes me sequi modò.* Idque ut minimùm velut certum tradunt SS. Patres, cùm dicunt, Petrum à Deo *derelictum nudum admodùm à suo favore. Nullo fruitum auxilio.* Casum ipsius contigisse *superni auxilii derelictu. Hoc esse hominem sine gratia, quod fuit Petrus, cum negaret Christum. Quòd divina gratia ipsum ad tempus deseruerit. Quòd similis fuerit avi, sine alis in altum volare nitenti. Quòd desertus ope gratiæ remanserit in infirmitate naturæ.* Denique quòd *tentationem superare non potuerit,*

qui

uti expressè dicunt S. Hilarius in Matth. c. 22. Chrysostomus Homil. 31. in epist. ad Hebr. & to. 5. serm. 65. Augustinus locis citatis. Et l. de grat. & lib. arb. c. 17. Hugo à S. Victore in annotation. ad Joan. & D. Hieronymus apud ipsum.

603 Quarta ratio : gratia habitualis justi, non tribuit ipsi jus ad gratiam actualem, sive efficacem, sive sufficientem, tametsi necessariam ad peccatum vitandum ; sed gratia ista, quibuscumque datur, ex misericordia datur, nulli ex debito ; aliàs gratia non esset, si debita esset, non gratuita, ut mille locis docet S. Augustinus. Enimverò (cùm gratia efficax ad peccatum vitandum necessaria sit) si gratia habitualis ipsi tribueret jus ad gratiam actualem necessariam, jus tribueret ad efficacem. Si autem jus tribueret ad efficacem, homo in infantia baptizatus nunquam peccaret, sed per gratiam efficacem primum peccatum infallibiliter vitaret. Per consequens & secundum, & tertium, & sic deinceps. Nunquam ergo justus justitiâ excideret, nunquam in justitia non perseveraret. Quod est contra fidem. Cùm ergo certum sit, quòd gratia habitualis jus non tribuat ad actualem efficacem, consectaneum videtur, quòd nec ad sufficientem. Nulla quippe ratio vel authoritas magis evincit jus istud, quàm illud ; maximè cùm sufficiens sine efficaci non complectatur omnia necessaria ad peccatum actu vitandum. Hanc proinde propositionem, *Gratia habitualis jus tribuit ad gratiam actualem, neque hæc justis justè denegatur*, Clerus Gallicanus anno 1700. in Palatio San-Germano congregatus, censurâ perstringere recusavit, etiamsi pro ea nonnulli ardenter instarent.

604 Quinta ratio petitur ab experientia : utpote quæ docere videtur quòd justis non semper adsit gratia actualis, quæ nunquam est sine piis cogitationibus in intellectu, piisque motibus in voluntate, quibus homo excitatur ad agenda quæ agenda sunt, omittendaque quæ sunt omittenda. Quandoquidem à justis frequenter committuntur peccata venialia, de quibus cavendis nullam hîc & nunc habent cogitationem, nullam voluntatem, seu voluntatis excitationem. Imò sancti viri vix alio modo ea committunt, quàm per incogitantiam & surreptionem. Quia (ut benè piissimus Contenson to. 3. pag. 611. & seqq.) cùm summo totius diligentiæ studio puritatem sectentur, quidquid per cogitationem apparet illis noxium, totâ cautione declinant. Et tamen isti sancti de quotidianis peccatis suis testimonium perhibent, dum occultos irretientis amoris proprii laqueos experti, veniam deprecantur, & orant cum Propheta : *Ab occultis meis munda me Domine.* Non tamen ab illis omninò excusantur, sive à se, sive à Deo, sed pro illis & puniuntur sæpè, & conteruntur sæpiùs, & semper humiliantur. Quia etsi de peccato non cogitant, liberè tamen titillans, & surrepens peccatum veniale eligunt ; liberè in creaturis plus justo immorantur ; liberè epularum voluptati serviunt, sub specie sanitatis ; liberè passione moventur, & zelum putant ; liberè quæ sua sunt quærunt, dum nihil aliud nisi quæ sunt Jesu Christi, sibi videntur habere propositum. Ut enim D. Gregorius dicit, *plerumque fit ut aliud in imis intentio supprimat, aliud tractantis animo superficies cogitationis ostendat. Nam sæpè sibi de se mens ipsa mentitur, & fingit se de bono opere amare quod non amat ; de mundi autem gloria non amare quod amat.* Hinc viri sancti & solidè pii obrepentes quotidianas culpas, quotidianis lamentis plangunt, peccatorum suorum numerum & magnitudinem soli Deo nota confitentur ; & quamvis nihil sibi conscii, non ideò se justificatos putant.

An non humillimæ isti Sanctorum confessioni experientiæque contradicere videntur Molinistæ, dum dicunt, justis omnibus, urgente præcepto, semper adesse gratiam actualem sufficientem, id est, pias cogitationes suprà dictas, piosque voluntatis motus, quibus à peccato retrahuntur? Quid hoc est, nisi dicere, piam cogitationem semper adesse, etiam non cogitantibus ; piam volitionem, piumque conatum, etiam non volentibus, nec conantibus? Hoc autem dicere, an non ridiculum videtur? 605

Nec dicant, ipsis semper quidem adesse pias cogitationes, volitionesque, sed eas ab ipsis non semper adverti, nec percipi. Quas enim vires, quam ad cavendum sufficientiam, quam excitationem præbet cogitatio, quæ non advertitur, nec percipitur? Quomodò Deus per eam dirigit hominem, pulsatque ad ostium cordis ipsius : cùm talis cogitatio, si detur, similis sit luci non affulgenti, quæ profectò hominem non illustrat, nec sufficienter dirigit. Per hujusmodi ergo cogitationem homo sufficienter non illuminatur, nec monetur de officio suo. 606

Sexta ratio : sana & orthodoxa est doctrina quinque articulorum anno 1663. à Theologis Gallis Alexandro VII. Et anno 1689. à Theologis Belgis Alexandro VIII. oblatorum, uti Alexander VII. rescripsit in Brevi ad Gallicanos Episcopos de die 2. Julii 1663. doctrinam iis comprehensam SANIOREM DOCTRINAM, illiusque Assertores *recta sapientes* appellans, uti sub finem hujus libri videbitur. Atqui primus articulorum illorum disertè affirmat, gratiam efficacem, ad vitandas tentationes necessariam, justis, vitio suo mandata Dei violantibus, deesse, ipsosque *usitatissimâ Scripturis Patribusque locutione, & Thomistis omnibus probatâ, hoc sensu.... tentationi, cui succubuerunt, resistere non potuisse, quia nimirùm ejusmodi potestatem non habuerunt, qua complecteretur omnia ad agendum necessaria : cùm gratiam efficacem, ad agendum utique necessariam, non habuerint.* 607

Septima ratio petitur ex judicio Congregationis de Auxiliis, de die 9. Novembris 1606. 608

quo gratia ex seipsa efficax necessaria asseritur ad singulos actus salutares : *Qui dixerit gratiam istam ad volendum & operandum quæ pertinent ad salutem, aut non esse ita efficacem, ut præveniendo voluntatem nostram, ipsam verâ & reali efficientiâ præmoveat, & faciat velle, atque operari; aut sine ea posse aliquem actu velle & operari, errat.* Atqui certum est, gratiam ex seipsa efficacem deesse justis, tentationi, etiam venialiter, succumbentibus : utpote quâ præsente ei nunquam succumbunt. Gratia quippe seipsâ efficax suum effectum infallibiliter producit. Ergo certum est gratiam necessariam, &c. justis aliquando deesse.

609 Unde, cùm quidam Theologiæ Professor conclusionem hanc vigesimam-sextam Thesibus suis inseruisset : *Quisquis ergo gratiam efficacem ita necessariam existimas, ut sine ea bonum fieri, aut tentatio superari non possit, agnosce, te cum eodem* (Jansenio) *impiè, blasphemè, & hæreticè sentire :* Theses istas Apostolica Sedes 15. Martii 1684. proscripsit, prohibuitque, uti testatus est Doctor Desirantius in Thesibus Lovanii defensis 14. Junii ejusdem anni.

Denique hîc non omittendum, hæreticam dici non posse doctrinam quæ justis velle & conari negligentibus aliquando subtrahi dicit gratiam actualem, etiam Thomisticè sufficientem : quia de fide non est justos quoscumque, omni in occasione, in qua peccant, gratiam illam habere, id est piam illustrationem, piam etiam voluntatis affectionem, ipsos excitantem ad vitandum peccatum. Sustineri quidem hoc potest in Scholis tamquam Problema, sed non tamquam de fide : cùm nec Scriptura, nec Traditio, nec Ecclesiæ definitio id tradat. Ex Innocentii quidem X. definitione habemus, gratiam illam non deesse *justis volentibus & conantibus*, &c. Ibi ergo sistamus, neque hoc ad justos omnes, etiam non volentes, nec conantes, sed velle & conari negligentes extendamus, nec Pontificiam definitionem ultra terminos definitos extendamus. Et ideò in generali Cœtu Cleri Gallicani anni 1700. nullâ censurâ notata fuit propositio negans justis omnibus sufficientem adesse gratiam actualem, in omni occasione, in qua peccant; licèt eidem Cœtui ad censuram oblata fuerit. Censuerunt enim Illustrissimi DD. Commissarii notari non posse, tametsi doctus quidam Prælatus contrà sentiret.

§. III.

Argumenta in contrarium evanida esse monstrantur.

610 OBjicies 1°. Tridentinum sess. 6. c. 11. docet quòd Deus suâ gratiâ semel justificatos non deserit, nisi ab eis priùs deseratur.

Respondeo 1°. duplicem esse desertionem : unam in bonum & salutem ejus, qui ad modicum tempus deseritur; alteram in malum. Priori ad modicum tempus subinde deseruntur, sive cadere permittuntur justi, qui de numero sunt electorum, ut David, & S. Petrus; imò talis desertio effectus est prædestinationis ipsorum, uti (cum divina Scriptura) docent SS. Patres, à nobis laudati to. 1. de Deo distinct. 11. q. 4. a. 2. *Sic deserit aliquantum Deus, unde superbis, ut scias non tuum, sed ejus esse, ut discas superbus non esse,* inquit Augustinus de nat. & grat. c. 28. Et Author serm. 79. in Append. sermon. Aug. exemplificans in Petro : *Videte* (inquit) ..... *quemadmodùm exiguæ* (id est modici temporis) *culpæ permittitur subjacere tantus Apostolus, ut emendatus elationis vitio, atque correctus, integro vestiatur moderationis & clementiæ indumento.* Et ipse rursum Augustinus l. de corrept. & grat. c. 9. exemplificans in David : *Si qui* (ait) *eorum* (electorum) *deviant, seu deviare permittuntur, etiam hoc ipsum eis facit proficere in bonum, quia humiliores redeunt, atque doctiores. Discunt enim in ipsa via justa cum tremore se exultare debere, non sibi arrogando, tamquam de sua virtute, fiduciam permanendi, nec dicendo in abundantia sua, non movebor in æternum. Quod dum David dixit, non habebat hunc tremorem.... sed quia filius erat promissionis, non perditionis, expertus* (Deo paululum deserente) *quid esset ipse : Domine* (inquit) *in voluntate præstitisti decori meo virtutem : avertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus. Ecce doctior, & ob hoc etiam humilior.... Factus est ergo conturbatus.... sed quia per hoc didicit non de seipso fidere, etiam hoc ei profecit in bonum, faciente illo, qui diligentibus Deum omnia cooperatur in bonum.* De priori proinde illa desertione non loquitur Tridentinum; sed de posteriori. Cùm loquatur ad sensum Augustini, ex cujus libro de nat. & grat. c. 16. verba illa desumpsit.

Respondeo 2°. sensum Tridentini, ex gra- 611
vissimorum Theologorum sententia, esse, quòd Deus justos, per gratiæ habitualis, seu justificantis subtractionem non deserat, nisi priùs ab ipsis deseratur per mortale peccatum. Ita Medina in 1. 2. q. 109. a. 10. in respons. ad 3. object. contra quartam propos. Alvarez de Auxil. l. 11. disp. 110. num. 19. Nugno in 3. p. q. 62. a. 5. Nazarius in 1. p. q. 23. a. 5. Estius, & Salmanticenses apud ipsum, Thomas de Lemos, Cardinalis Norisius, Contensonus, &c. Enimverò sensus esse 612
non potest, quòd Deus justos nunquam deserat per subtractionem gratiæ actualis Molinisticè sufficientis : utpote quæ ex dictis cap. 18. in statu naturæ lapsæ non datur, & secundùm Molinistas, nulli subtrahitur peccatori; cùm tamen Tridentinum specialiter loquatur de justo. Neque sensus est quòd justos nunquam deserat per subtractionem gratiæ efficacis : utpote quæ si justis semper adesset ad vitandum peccatum, nunquam ipsi peccarent, nec dicere deberent, *Dimitte nobis debita nostra.* Vel ergo sensus est quòd justus

à Deo

à Deo nunquam absolutè deseritur per gratiæ habitualis subtractionem, nisi Deum absolutè deserat per mortale peccatum : vel quòd justus à Deo nunquam secundùm quid deseratur, per subtractionem gratiæ actualis, nisi Deum secundùm quid deserat per veniale peccatum.

613 Objicies 2°. Nunquam Deus permittit justos tentari supra id quod possunt, cùm scriptum sit : *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis.*

Respondeo, Deum nunquam permittere justos tentari supra id quod possunt, potentiâ complectente omnia necessaria ad posse; licèt certissimè aliquando permittat ipsos tentari supra id quod possunt, potentiâ complectente omnia necessaria ad agere. Aliàs nunquam permitteret justos tentari, quin ipsis conferret gratiam efficacem necessariam ad vincendam actu tentationem. Et sic nunquam permitteret justos succumbere tentationi : cùm gratia efficax ad vincendam tentationem infallibiliter inferat ipsius victoriam. Istud autem, salvâ fide, dici non potest.

614 Objicies 3°. Sine gratia actuali, præcepta justis sunt impossibilia. Cùm ea sine gratia actuali servare non possint.

Respondeo negando antecedens. 1°. Quia licèt præceptorum possibilitas componi nequeat cum defectu alicujus necessarii ex parte potentiæ; benè tamen cum defectu alicujus solùm necessarii ex parte actûs. Gratia verò actualis necessaria non est ex parte potentiæ, sed ex parte actûs dumtaxat. Ex doctrina namque S. Thomæ 1. 2. q. 109. per gratiam habitualem (inquit Alvarez l. 3. c. 5. n. 20.) & virtutes infusas habet homo sufficientem virtutem in actu primo, quo possit servare omnia mandata, & perseverare usque in finem, si velit; & tamen de facto, cum sola gratia habituali, & virtutibus infusis, secluso quocumque auxilio actuali prævenientis gratiæ, numquam servabit eadem, nec perseverabit usque in finem, ut ostendit S. Doctor a. 9. & 10. ejusdem quæstionis. Ex hoc autem non sequitur, quòd gratia habitualis non sit sufficiens ad operandum bonum. Fallaciam enim hujus consequentiæ detegit S. Thomas a. 9. citato ad primum argumentum, ubi objectionem factam dissolvit. Ita etiam Bartholomæus Medina in 1. 2. q. 109. a. 10. & frequentiùs Thomistæ.

615 2°. Doctrinam nostram cùm præceptorum possibilitate, ipsummet Concilium Tridentinum componit, uti vidimus n. 583. & 584.

616 3°. Quemadmodùm nulli justo, etiam destituto perseverantiæ dono, impossibile est in accepta justitia perseverare, tametsi de facto perseverare non possit absque speciali perseverantiæ dono, uti definit Concilium Tridentinum sess. 6. can. 22. sic nulli justo, etiam gratiâ actuali destituto, impossibile est mandata Dei servare, tametsi ea de facto observare nequeat absque gratiæ efficacis auxilio. Nam, uti (contra Arrubalem) in Congregatione de Auxiliis die 20. Januarii 1603. coram Clemente VIII. egregiè ostendit Thomas de Lemos, gratia specialis solùm necessaria est ad effectum, non ad possibilitatem perseverantiæ; ad quam possibilitatem justus habet potentiam per gratiam justificantem, tametsi ut potentia ista exeat in actum, indigeat auxilio speciali. Unde in Molinæ vindices in eadem Congregatione insurgens Archiepiscopus Armachanus, *Reverendi Patres* (inquit) *debuissent animadvertere, quòd est duplex potentia; alia ab actu separata; alia actui conjuncta :* ad istam, non ad illam, necessaria est gratia actualis. Quia licèt homo per gratiam sanctificantem constituatur potens Dei mandata servare, quantùm ad sufficientiam operativæ virtutis; ad istius potestatis usum indiget auxilio actuali Dei moventis, uti docet S. Thomas 1. 2. q. 106. a. 2. & q. 109. a. 9.

Objicies 4°. Censuram in Sorbona latam 617
anno 1656. qua propositio ista Arnaldi : *Sancti Patres nobis in B. Petro exhibent hominem justum, cui gratia, sine qua nihil possumus, in ea defuit occasione, in qua eum non peccasse dici non potest :* confixa fuit velut *temeraria, impia, blasphema, anathemate damnata, & hæretica*; per consequens velut ab Innocentio X. & Alexandro VII. damnata in prima propositione Janseniana.

Respondeo 1°. Censuram illam esse Scripturæ, Conciliis & Pontificiis definitionibus adversam, iis proinde certissimè postponendam, velut improbabilem indefensabilemque, si propositio illa eo sensu intelligatur, quo à nobis asseritur, & quo à Sanctis omnibus, teste Innocentio I. traditur. Ut sic enim Censura illa contra se habet argumentum demonstrativum, uti constat ex dictis.

Verùm-enimverò sic à Sorbonicis Censoribus illis intellecta non fuit; sed sic ut Petro defuerit gratia necessaria ad posse mandata servare, sive gratia necessaria ad salvandam mandatorum possibilitatem. Neque enim aliter incidere potest in primam Jansenianam ab Innocentio X. & Alexandro VII. Censurâ illâ confixam. Eamque taliter à se intellectam fuisse, in censorio suffragio suo P. Joannes Nicolai, è præcipuis Censoribus unus, declaravit, ampliùsque colligitur ex eo quòd post Censuram illam, Parisiis apud Præsbyteros Oratorii, nemine contradicente, defensæ, Illustrissimisque Galliæ Episcopis ibidem congregatis nuncupatæ, eorumdemque frequentiâ honoratæ fuerint Theses, in quibus substantia propositionis nostræ, prout à nobis asseritur, sic expressa fuit : *Gratia.... efficax effectum infallibiliter producit.... Unde absente hac.... non potuit Petrus Christum confiteri.... licèt.... absolutè potuerit.* Quod profectò est dicere quòd Petrus, absente gratiâ efficaci, Christum quidem confiteri non potuerit, potentiâ complectente omnem gratiam, ad Christum de facto confitendum necessariam, licèt absolutè potuerit, eò quòd

confessio manserit ipsi absolutè possibilis, licèt non *possibilitate cum effectu*, ut loquitur Augustinus.

618 An verò Arnaldus suam illam propositionem in sensu primæ propositionis Jansenianæ intellexerit, vel non intellexerit? Nostrum non est inquirere. Video tamen id ab ipso negari pluribus in libris epistolisque hac de re conscriptis; semperque negavit, etiam ante Censuram, gravissimè conquestus mentem suam malignè interpretatam ab infensissimis inimicis suis, sæculari potentiâ vallatis, in Sorbona dominantibus, denegatâ ipsi, contra omnes æquitatis leges, justâ sui defensione, quæ nulli denegatur accusato; sublatâ etiam suffragiorum libertate; non concesso Doctoribus temporis spatio, ad tanti momenti quæstionem sufficienter excutiendam necessario; admissis quoque ad judicium suffragatoribus, ob notoriam inimicitiam legitimè à se recusatis; admissis denique aliis, qui admitti non poterant juxta stylum & statuta Sorbonæ. Ista sunt de quibus Arnaldus palàm conquestus est in tribus epistolis ad quemdam Episcopum, necnon in libello contestatorio, adversus Censuram nondum publicatam juridicè exhibito. Nec quisquam è Censoribus ausus est refellere, vel eorum veritatem negare: utpote adeò notoriam, ut propterea Censuræ illi contradixerint ferè octoginta Doctores, atque ex ipsis Episcopi complures, & Eminentissimus Cardinalis Retzius.

619 Joannes quoque Launonius, Doctor & ipse Sorbonicus, licèt Arnaldo parum affectus, nec doctrinæ ipsius sectator, eidem censuræ non solùm voce tenus contradixit; sed & vitia illius, argumentis viginti-septem, palàm demonstravit in libro, cui titulus: *Notationes in Censuram*, &c.

620 Ipse denique Arnaldus, in *Dissertatione sua Theologica de gratia efficaci*, magno Romæ in pretio habita, nec unquam proscripta, p. 4. art. 14. præter alia ostendit, Censuræ Authores de damnatæ à se propositionis sensu nunquam inter se convenire potuisse, nec unquam ausos damnabilem sensum illius determinare, qui per summam calumniam ipsi non affingeretur; quin & fassos fuisse, propositionem illam, in sensu sanctorum Patrum, & ut ab aliis quàm ab Arnaldo assertam, veram orthodoxamque esse.

621 Non mirum proinde quòd Censura illa à Sede Apostolica nunquam fuerit approbata, nec ab Eminentissimis DD. Cardinalibus, Theologisque Romanis in pretio habita. Constat hoc ex eo quòd Arnaldum, à Censoribus illis è Sorbonicorum Doctorum gremio exclusum, pro Doctore Sorbonico Roma semper habuerit, nullâque habitâ ratione exclusionis illius, Innocentius XI. seu (ipsius jussione) Eminentissimus D. Cardinalis Cibo, Arnaldum, suis ad ipsum litteris, *Doctorem Sorbonicum* nuncupare perrexerit, quemadmodùm & plerique Galliarum Episcopi. Constat insuper ex eo quòd ipsum velut obedientem & orthodoxum filium Ecclesia Romana & Gallicana, absque damnatæ per Censuram illam propositionis ejuratione, semper agnovit; sicut & Nuntius Apostolicus S. D. N. Clementis IX. qui in Ecclesiæ Gallicanæ pacificatione, nullâ factâ ejurationis mentione, nomine Suæ Sanctitatis Arnaldum ad audientiam suam non solùm admisit, (sicut & Rex Christianissimus) sed & affectuosissimè allocutus fuit, plurimùmque collaudavit.

Denique Censuram illam sibi probatam non 622
esse Roma satis ostendit, dum 15. Martii 1684. (teste Desirantio in Thesibus Lovanii defensis 14. Junii ejusdem anni) Theses proscripsit, conclusionem hanc 26. continentes: *Quisquis gratiam efficacem, ita necessariam existimas, ut sine ea bonum fieri, aut tentatio superari non possit, agnosce te cum eodem* (Jansenio) *impiè, blasphemè & hæreticè sentire.*

Non est ergo quòd Censuram illam (cujus expunctioni solæ politicæ considerationes obstare videntur) Molinistæ tubis concrepantibus perinde magnificent, ac si emanasset ab inerrabili Judice. Tametsi enim magno in pretio habendæ sint Sorbonicæ Censuræ, concordi Doctorum omnium, vel ferè omnium calculo, servatis servandis, conclusæ; taliter ipsa conclusa non fuit: utpote cui plusquàm tertia Sorbonæ pars contradixit.

Estque illud mirabile quòd eam adeò magnificent & ubique buccinent illi, qui tot Sorbonæ Censuras, concorditer, servatisque servandis, in Socios suos fabricatas, in Baunios utique, Sanctarellos, Garassos, Pirotios, Gobianos, Lecomptios, &c. non solùm parvifaciunt, sed & contemnunt, irrident, explodunt, uti plurimis probari potest argumentis, specialiter ex eo quòd de Sorbonica in Casuistarum Apologiam Censura Gallicanæ Societatis Provinciales in suis ad Rectores & Superiores Encyclicis litteris anno 1658. scripserint ut sequitur: « Il ne faut pas témoigner que nous « soyons surpris de tant de Censures.... Si on vous « parle de celle de Sorbonne..... afin de ré- « pondre tous de la même façon, voicy ce qu'il « faudra dire. Que la Sorbonne a beaucoup « d'ignorans, & de Docteurs de faveur. Que « ceux qui ont censuré ce livre, ne l'ont pas « conçu, puisqu'ils condamnent les plus grands « hommes des siecles où ils étoient..... Qu'el- « les ont été suivies en Sorbonne même, par « des Docteurs de cette Faculté, qui ont im- « primé. Que les moins éclairez jugent facile- « ment, que cette Censure à été sollicitée par « les Jansenistes..... Qu'elle a été pratiquée « par la caballe de quelques mauvais esprits..... « & par la faction de certains Curez, conjurez « contre la Compagnie. Que ce n'est pas la pre- « miere fois que la Sorbonne avoit exposé son « honneur par des Censures de cette nature. « Qu'elle avoit autrefois censuré la doctrine « de S. Thomas. Qu'elle avoit condamné la Pu- « celle d'Orleans, comme sorciere, & été cau- «

„ se ensuite qu'elle fut brulée. Qu'elle avoit dis-
„ pensé les François sous Henri II. du serment de
„ fidelité, rayé son nom du Canon de la Messe,
„ défendu au Peuple de prier Dieu pour luy.
„ Qu'elle avoit fait plusieurs decrets contre Hen-
„ ri IV. Qu'elle avoit censuré l'Institut de la
„ Compagnie (approuvé & confirmé par deux
„ Papes) & mille autres choses aussi extrava-
„ gantes. Qu'au reste ceux qui la composent à
„ present, n'étoient pas plus sages & plus sça-
„ vans, que ceux qui les ont précedé, & qui
„ sont tombez dans de si horribles fautes. Voi-
„ là, mon Pere, ce qu'il faudra dire pour nô-
„ tre défense. „ Ecce videt Orbis quale de Cen-
suris Sorbonicis, etiam concorditer factis, judicium ferant, qui Censuram non totius, sed unius duntaxat partis Sorbonæ, cum tot causis exceptionis ut suprà factam, contra Arnaldinam propositionem adeò magnificant, ut manifestum videatur, apud ipsos esse *pondus & pondus.*

623 Objicies 5°. Censuram Facultatis Theologicæ Lovanienſis & Duacenſis, anno 1699. factam adversus propositiones aliquas perillustris D. Henrici Denis, Cathedralis Ecclesiæ Leodiensis Canonici-Theologi.

624 Verùm, ut omittam sapientissimum judicium S. Facultatis Theologicæ Colonienſis, utrique illi Censuræ contrarium, unanimi duodecim Doctorum, prorsus indifferentium, judicio concluſum. Ut omittam quoque objectionis impertinentiam: neque enim in propositionibus illis ea continetur, quam modò pertractamus. Denique ut omittam paucitatem Doctorum, qui ad Censuras illas concurrerunt (ad Duacenſem quippe solùm concurrerunt tres Juniores, non magnæ eruditionis, duobus primariis concurrere renuentibus; ad Lovanienſem nonnisi quatuor, tribus contradicentibus) ut tria (inquam) ista prætermittam, utraque Censura illa à Doctoribus notoriè partialibus, sine lege, sine æquitate, contra manifestam veritatem, cum innocentiæ detrimento, fabricata & vulgata fuit, prout certis ineluctabilibusque argumentis demonstrat liber, cui titulus: *Justification de Messire Henri Denis:* sicut & alius liber insignis, cujus inscriptio est: *S. Theologicæ Facultatis Colonienſis, ſapientiſſimum judicium pro doctrina perilluſtris D. Henrici Denis..... adverſus ineptias, cavillationes, aberrationes, & impoſturas Doctoris Franciſci Martin vindicatum.*

625 Nec hoc solùm invictè demonstrat, sed & paucos illos Doctores falsò sibi nomen usurpasse sacræ Facultatis: quia tres Doctores, refragantibus duobus ejusdem Facultatis; vel etiam quatuor, tribus refragantibus, authoritatem non habent sufficientem ad emittendam, sub nomine S. Facultatis Theologicæ, Censuram, quæ (quantùm ex ipsa est) graviter lædit famam viri honesti, præsertim in Ecclesiastica dignitate constituti. Per talem namque Censuram vir iste moraliter vitâ civili privatur: quod sanè ipsi gravius est, quàm ipsâ vitâ naturali privari. Porrò, ut viro auferatur vita naturalis, tamquam reo, opus est probationibus certis. Talibus igitur etiam opus est, ut vitâ civili privetur per ejusmodi Censuram. Consequenter injustum est ad ipsam procedere cum tam paucis suffragiis, aliis ejusdem Facultatis pari ferè numero dissidentibus, seu concurrere renuentibus. Quia *ubi* ejusdem Facultatis *periti dissident*, maximè pari ferè numero, *signum est.... non esse sufficientem probationem ad aliquem in materia fidei condemnandum. Ad quod profectò necessarium est, ut sine ulla dubitatione condemnandus sit.....* Itaque non est existimandum, dum Ecclesia constituit Facultates Theologicas, iisque potestatem tribuit judicandi de rebus Theologicis, ipsam voluisse, virorum honestorum famam permittere arbitrio paucorum (præsertim omni exceptione non majorum) refragantibus aliis, &c. Itaque dum Lovanienses & Duacenses illi, sub nomine S. Facultatis Theologicæ, doctrinam perillustris D. Denis condemnarunt.... populum graviter deceperunt: utpote pro certis vel quasi certis decisionibus habentem Censuras, à Facultate celebri prolatas; eò quòd concorditer prolatas credat à magna Doctorum multitudine.

Objicies 6°. judicium, quo Eminentissimus D. Cardinalis Aguirius, in defensione Cathedræ S. Petri disp. 21. sect. 1. Janseniana censet propositiones nonnullas Theologorum Lovanienſium, quibus asseritur, gratiam, sine qua servari nequeunt præcepta, justis quandoque deesse. 626

Respondeo, Eminentissimum quidem Aguirium sic censuisse de propositionibus illis, ad sensum primæ propositionis Janseianæ intellectis, in quo, quia eas à Lovanienſibus teneri, perperàm ipsum informaverant Lovanienſium æmuli, Lovanienses de Janseniſmo suspectos habuit. Verùm hoc posteà, meliùs informatus, solemni declaratione, paucis ante obitum mensibus, retractavit, hisce verbis: *Cùm autem dogmata illa Janſeniana Theologi Lovanienſes jam diù per ſuum Deputatum* (Hennebellum) *pluribus ſcriptis Sedi Apoſtolicæ exhibitis, in eodem ſenſu obvio ſeſe damnare declaraverint* (prout & nos declaramus) *ac palàm ſe in hac materia communem apud Thomiſtas doctrinam ſequi profiteantur; de his nolim intelligi, quæ tum in Opere* (Theologia S. Anſelmi) *tum in ſequenti defenſione Cathedræ S. Petri, contra Janſenianos, hoc eſt damnatorum dogmatum Defenſores, ſiqui ſint, habentur. Atque adeò.... ratum habeo, & noviter confirmo ſubſcriptura proprio nomine, idipſum quod anteà teſtatus ſum in Prolegomenis meis, & Recenſione Operum à me editorum, ſemper à me damnari quinque illas propoſitiones famoſas, damnatas in Janſenio, juxta ſenſum obvium, ſicut & damnantur ab omnibus Lovanienſibus, juxta Decretum noviſſimum Innocentii XII. feliciter regnantis, quod video acceptatum ab eiſdem Lovanienſibus. Et ideò nullum ipſorum de*

Jansenismo suspectum esse velim. Et propriâ manu suscripsi, teste oculato Magistro Fr. Josepho Fernandez, Congregationis Benedictinæ Hispaniarum Magistro Definitore Generali, olim Abbate Regii Monasterii S. Æmiliani de Cuculla. Romæ die 4. mensis Januarii anni millesimi sexcentesimi nonagesimi noni. Signatum: *Josephus Cardinalis de Aguire. L. S. de mandato Eminentissimi Domini mei. Joseph. M. de Peregrinis Secretarius.*

627 Exemplum hoc imitentur temerarii Censores, & Accusatores doctrinæ asserentis, quòd justis, in pœnam peccati præcedentis, aliquando desit gratia actualis, necessaria, non ad posse, sed ad agere. Quam constanter tenet tota Schola D. Thomæ, gratiam seipsâ efficacem ac prædeterminantem necessariam asserens ad agere, sive ad superandas actu tentationes. Quam certum est deesse justis omnibus tentationi succumbentibus. Imitentur (inquam) Censores illi Aguirium se retractantem, qui secuti sunt ex mala informatione errantem. Desinant proinde calumniari Lovanienses, quasi mandatorum impossibilitatem, vel gratiam necessitantem asserentes. Docent namque, ad merendum & demerendum, in statu naturæ lapsæ, requiri libertatem à quacumque necessitate, ita ad unum determinante, ut potestatem ad oppositum tollat.

CAPUT XXX.

Gratia per se efficax, in statu naturæ lapsæ, atque necessaria est ad orandum, quàm ad agendum. Commentitium proinde est discrimen noviter adinventum inter gratiam orandi, gratiamque agendi.

628 NOnnullis Semi-Molinistis jam placet sententia quædam nova, quæ fatetur, verum quidem esse (quod hactenùs diximus) non dari in hoc statu naturæ lapsæ gratiam proximè sufficientem Molinistico sensu, ad agendum; sed ad id necessariam esse gratiam seipsâ efficacem. Verùm orandi gratiam ab agendi gratia secernentes novæ istius opinionis sequaces, docent ad orandum necessariam non esse gratiam seipsâ efficacem (sicut necessaria est ad agendum) sed gratiam Molinisticè sufficientem, liberi arbitrii subjectam determinationi, eamque sic omnibus ratione utentibus, non solùm justis, sed etiam peccatoribus adesse, ut si eâ benè uti velint, orando sicut oportet, mediâ oratione infallibiliter impetrabunt gratiam omnem necessariam ad agendum, v. g. ad agenda quæ nobis præcipiuntur, vel omittenda quæ prohibentur, ad tentationum victoriam, ad agendam pœnitentiam, &c. Istam opinionem novam dixi: quia nulla ipsius mentio legitur in Scriptoribus antiquis; sed sæculo dumtaxat proximè lapso inventa fuit ab Alphonso le Moine Doctore Sorbonico; nec multi sunt qui eam libris impressis profitentur, sed ut plurimùm verbis vel manuscriptis, existimantes id à Tridentino significatum, dum (post Augustinum) dixit, quòd Deus *jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis.* Istorum namque verborum sensum esse putant, quòd Deus nihil unquam homini jubeat, quin ipsi vel agendi gratiam ex se efficacem largiatur, vel saltem gratiam orandi, quâ efficacem agendi gratiam orando valeat impetrare. Hoc etiam Massilienses olim voluisse, ad Augustinum scripsit Hilarius. Dicebant enim fidem, unde omnis emanat oratio, omnibus Dei voluntate esse concessam, nulliusque hominis ita depravatam esse voluntatem, ut non possit & debeat velle sanari, nec negari gratiam efficacem, si præcedere dicatur talis voluntas, quæ tantum medicum quærat: contra quos Augustinus scripsit librum de prædest. Sanct.

Verùm (ut dixi) novitia est ista doctrina, 629
commentitiumque discrimen: utpote sanctis Patribus ac Theologis antiquis ignotum, & nullum in sacris Eloquiis habens fundamentum. In quo enim sancto Doctore discrimen illud legitur? in quo Concilio? in quo sacro Eloquio? Cùm nullum assignare queant, discrimen profectò illud fundatum est in solo ipsorum cerebro. Periculosum verò est nova gratiæ systemata è solo suo cerebro, absque ullo in sacris Eloquiis, Concilliis, vel Patribus fundamento, comminisci.

Nec suâ dumtaxat infundatâ novitate dis- 630
crimen illud periculosum est, ac suspectum: est & Sanctorum authoritati, & rationi Theologicæ contrarium. Primò, quia nec absque fide, nec absque pio aliquo in Deum affectu, seu imperfectæ saltem Dei propter se dilectionis afflatu, juxta SS. Patres (sacra ad idem Eloquia allegantes) homo benè orare potest, magis quàm benè agere. Dicit enim Augustinus serm. 186. *Orare non possetis, nisi fidem haberetis; non enim orat nisi fides.* Alibi verò dicit: *Fide, spe, & charitate Deum oramus.* Fidem autem, spem & charitatem, etiam imperfectam, Deus in nobis per gratiam per se efficacem operatur, juxta Augustinum, qui contra Pelagium id frequenter asserit, atque ex sacris Eloquiis probat, prout cap. 16. demonstravimus.

Secundò, necessitatem gratiæ per se effica- 631
cis ad agendum Augustinus aliique Patres probant ex sacris testimoniis, quibus edocemur, quòd Deus operetur in nobis agendi voluntatem, ipsamque actionem. At ex iisdem pariter edocemur, quòd Deus in nobis operetur orandi voluntatem, ipsamque orationem. Rom. 8. 26. *Quid oremus, sicut oportet, nescimus; sed ipse Spiritus postulat pro nobis* (id est postulare nos facit, ut SS. Patres exponunt) *gemitibus inenarrabilibus.*

Tertiò, Augustinus aliique Patres, necessi- 631
tatem gratiæ per se efficacis ad agendum probant ex celebri loco illo Apostoli: *Quis te discernit.* Iste verò locus æquè probat necessitatem gratiæ per se efficacis ad orandum, quàm

ad agendum. Aliàs quòd unus præ altero utatur gratiâ orandi, libero tribueretur arbitrio: utpote à cujus determinatione dependeret bonus usus illius. Enervaretur proinde fundamentum Christianæ humilitatis. Nec Deus eligeret nos in Christo, ante mundi constitutionem, ut simus sancti; sed prima origo istius electionis veniret ex parte nostra. Nec prædestinatio Dei causa esset boni usus gratiæ, omniumque bonorum operum nostrorum; sed determinatio prævisa, quâ gratiam orandi determinaremus ad bonum usum, eoque mediante obtineremus gratiam efficacem ad agendum.

633 Quartò, gratiam orandi, perinde ut agendi, esse ex se efficacem, Deumque in nobis operari orandi, perinde ut agendi, voluntatem, præter alios Patres, S. Fulgentius l. 2. de verit. prædest. & grat. c. 4. disertè tradit, his verbis: *Dum præcipitur nobis ut velimus, ostenditur quid habere debeamus; sed quia id ex nobis habere non possumus, admonemur, ut à quo nobis datur præceptum, petamus auxilium: quod tamen non possumus petere, nisi Deus in nobis operetur & velle.* Sicut & S. Thomas 2. 2. q. 83. a. 5. *Spiritus est, qui in hoc adjuvat infirmitatem nostram, quòd inspirando sancta desideria, rectè postulare nos facit.*

634 Ex qua fundatissima S. Fulgentii & S. Thomæ sententia, facilè quisque videt, ex hoc quòd (cum Augustino) Tridentinum dicat, quòd *Deus jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis*, nullo modo consequens esse, quòd semper adsit gratia orandi, cùm gratia deest agendi. Neque enim adest nobis orandi gratia, seu collata divinitùs orandi potentia, complectens omnia ad orandum necessaria, nisi Deus operetur in nobis velle orare, ut Fulgentius dicit. Quòd autem Deus in nobis non semper operetur istud velle, certissimâ constat experientiâ. Nec certè Tridentinum, vel Augustinus, dicendo, quòd Deus jubendo monet petere quod non possumus, vel leviter insinuat, legi seu jussioni divinæ semper adjunctam esse orationis gratiam, quâ Deus operetur in nobis orandi voluntatem. Cùm idem non sit admonere ut oremus, quod gratiam dare, & operari in nobis ut oremus, vel orare velimus.

635 Quintò, justo Dei judicio non minùs deesse potest homini gratia orandi, in pœnam peccati ipsius, quàm gratia agendi; nec homo gratiâ orandi (justo Dei judicio) destitutus, magis conqueri potest de divina monitione ut oret, quàm de divina jussione ut agat. Tam enim justo Dei judicio, vitioque suo gratiâ caret orandi, quàm agendi. Tunc proinde æquè justa & rationabilis est divina admonitio, ut homo oret, quàm divina jussio ut agat. De qua S. Prosper, fidelissimus S. Augustini discipulus, l. contra Collat. cap. 23. dicit: *Imperantur ista homini, ut ex ipso præcepto Dei, quo ei hoc quod non accepit indicitur, agnoscat id se suo vitio perdidisse, & non iniquam esse exactionem, quia ad reddendum quod debet idoneus non est, sed à littera occidente (orando) confugiat ad spiritum vivificantem. Quod si facit, magna est misericordia Domini: si non facit, justa est pœna peccati.*

Sextò, ex novitia illa opinione sequeretur, 636
nota & pervia esse pleraque gratiæ mysteria, quæ omninò ignota, inaccessa, & inscrutabilia cum Apostolo exclamat Augustinus; cur scilicet isti præ illo detur gratia fidei, vel perseverantiæ? cur ex eadem massa damnata isti eligantur ad vitam, illi in debita sibi damnatione relinquantur? aliaque ejusmodi, propter quæ exclamat Apostolus, cumque Apostolo Augustinus: *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!* Verùm enimverò si omnibus detur orationis gratia, ususque ipsius determinationi relictus sit liberi arbitrii, non erit tanta altitudo, incomprehensibilitas, & investigabilitas mysteriorum illorum. Facilè enim respondebitur, fidem in Christum dari orantibus per fidem in Deum, præ non orantibus; similiter perseverantiam, seu perseverantiæ gratiam, dari benè utentibus orationis gratiâ, præ non utentibus; illos denique ad vitam eligi, qui eâdem gratiâ benè; in massa verò damnationis relinqui, qui vel non utuntur, vel non benè, & sicut oportet, utuntur.

Quòd si ita est, nihil ampliùs in mysteriis 637
illis clausum, nihil hominibus impervium, & incomprehensibile; sed plana, expedita, & pervia omnia. Nihil etiam ampliùs nisi fatuum, & à communi hominum sensu alienum, in Adrumetinorum, Massilienſiumque adversus Augustinum querelis, quibus utrique ex Augustini doctrina concludebant, injustè se corripi, ignaviæque & desperationis sibi causam ingeri. Quis enim non videt, id nonnisi fatuè concludi, si vera, & Augustino consona sit Semi-Moliniſtarum sententia? Quidni enim jure corripiatur, qui gratiam ad orandum semper ad manum habens, voluntatis suæ determinationi subjectam; in sua proinde potestate habens, mediâ oratione, gratiam impetrare efficacem ad cætera agenda, implendaque Dei præcepta; per ignaviam, vel de se præsumptionem, negligit orationem; ei similis, qui cibum oblatum deposcere negligens, de cibi queritur penuria. Infelix Augustinus, cui nunquam in mentem venit tam expedita responsio. Infelix, qui multis frustrà capitibus sudavit, ut ostenderet eos meritò corripi, qui perseverantiam non acceperant. Quid ipsi opus erat ad primam Protoparentis culpam omnia revocare: cùm illâ orationis gratiâ, os Adrumetinis, sicut & Massilienſibus, continuò potuisset obstruere, & utrosque risu potiùs quàm refutatione dignos ostendere?

Verùm de orationis gratia, à liberi arbi- 638
trii determinatione pendula, contra ipsos disputando, nusquam Augustinus meminit: ad

primam primi hominis culpam, & ad inscrutabilia Dei judicia, & secundùm propositum vocationem semper confugit. In eo proinde divina mysteria imperitissimè tractavit, nec obscura scriptis illustravit, sed perspicuis tenebras offudit, in apertisque & obviis rebus cæcutivit, si per datam omnibus gratiam orandi, libero hominis arbitrio subjectam, ipsorum querimonias, objectasque ab ipsis difficultates, tam facilè solvere valens, viam nihilominùs tam expeditam, vel ignoraverit, vel inire neglexerit. An fortè Semi-Molinistæ ausuri sunt dicere, viam istam sibi demùm illuxisse; Augustino verò (cui sanctorum hac de re Doctorum principatum tota detulit Antiquitas) reseratam non fuisse? At certè non ignoravit Augustinus orandum pro gratia agendi, perseverandique; sed orandi gratiam negavit omnibus esse datam, negavit à determinatione liberi arbitrii esse pendulam. *Cùm enim propter perseverandum orare oporteat* (inquit) *& non deficere, audiunt hæc & faciunt, quibus datum est; non autem faciunt* (*sive audiant, sive non audiant*) *quibus non datum est.* De gratia proinde orandi Augustinus loquitur, sicut de gratia agendi. Videri potest præclara Instructio Pastoralis Eminentissimi D. Cardinalis Noaillii, in qua Catholicas de gratia veritates exponens, de gratia orandi sic loquitur: *Deus tanta cum efficacia sanctè orandi nobis inspirat affectum, quantâ benè agendi, nec minori cum potentia operatur ut oremus, quàm ut agamus. Siquidem hoc quod Apostolus ait, Spiritus sanctus postulat pro nobis, SS. Patres sic interpretantur, id est, efficit nos postulare, impertito* (*ut Augustinus loquitur*) *orationis affectu & effectu.* „ Dieu nous inspi- „ re les saintes prieres avec autant d'efficace, „ qu'il opere en nous les bonnes œuvres: il nous „ fait prier avec autant de pouvoir, qu'il nous „ fait agir. Car quand St. Paul dit, que le St. Es- „ prit prie en nous, les SS. Peres interpretent, „ qu'il nous fait prier, en nous donnant tout „ ensemble, avec le desir de prier, l'effet d'un „ si pieux desir: „ *impertito orationis affectu & effectu*, „ comme parle St. Augustin. „

639 Hactenùs itaque dicta recapitulando, dicendum 1°. cum SS. Patribus, cumque omnibus Augustini & Thomæ Discipulis, gratiam per se efficacem non minùs ad orandum necessariam esse, quàm ad agendum.

640 Dicendum 2°. nullam orandi gratiam iis adesse, quibus deest ex toto fides: *Quomodò enim invocabunt, in quem non crediderunt?* aiunt cum Apostolo Concilia & Patres. Unde Augustinus suprà num. 630. *Orare non possetis, nisi fidem haberetis.*

641 Dicendum 3°. justis in tentatione gratiam aliquando deesse efficacem, ad orandum sicut oportet necessariam. Aliàs nunquam orare negligerent, sed semper sicut oportet orarent; per consequens semper impetrarent. Cujus oppositum Petro noscitur accidisse, in neglectæque orationis, & suæ præsumptionis pœnam, gratiam efficacem ad superandam tentationem ipsi defuisse. Gratiæ namque efficaci ad orandum, obicem voluntariè posuit, de suis viribus præsumendo.

Dicendum 4°. omnibus justis, volentibus 642
& conantibus, secundùm præsentes quas habent vires, gratiam ad orandum adesse Thomistico sensu sufficientem. Neque enim sine ea orare vellent & conarentur.

Dicendum 5°. justis non volentibus, nec 643
conantibus, sed velle & conari negligentibus, orandi gratiam actualem non adesse. Adest quidem ipsis orandi potentia, in actu primo Thomisticè sufficiens; sed per gratiam habitualem, non per actualem. Aliàs orare vellent & conarentur, saltem imperfectè. Cùm gratia Thomisticè sufficiens, semper efficax sit respectu alicujus effectûs.

Dicendum 6°. prorsus improbandum esse, 644
quod Molinistæ aiunt, quemlibet hominem, quantùmlibet sceleratum, obduratum, & in reprobum sensum traditum, semper, urgente præcepto, gratiam habere sensu Molinistico plenè sufficientem ad orandum, quâ si usus fuerit, secundùm inviolabile Dei decretum, certò obtenturus sit gratiam ad servanda quæcumque præcepta, pœnitentiæ, charitatis, &c. eodem sensu plenè sufficientem. Omninò proinde à veritate alienum esse (quod nonnullus ex ipsis ait in tractatu suo de Sacram. tr. 5. disp. 1. q. 1. a. 4. assert. 2.) omni peccatori, dum est in via, pœnitendi plenam potestatem dat Deus plenè quidem, licèt in multis mediatè tantùm sufficientem, id est, sic ut habeat immediatè plenè sufficientem ad sic orandum, ut certò obtenturus sit immediatè plenè sufficientem ad pœnitendum, saltem quandocumque ad pœnitendum necessitate aliquâ medii vel præcepti obligatus fuerit. Quod præterquàm quòd ex præmissis constat esse fictitium, ampliùs id ostenditur inquirendo.

1°. Quomodò gratiam ad orandum im- 645
mediatè plenè sufficientem habeant peccatores, qui de suis præsumentes viribus, judicium non habent practicum propriæ impotentiæ proximæ ad pœnitendum, nec proinde necessitatis ad orandum pro gratia ad proximam pœnitendi potentiam necessaria? Quomodò (inquam) hoc: cùm homo, ut proximè potens sit orare, habere debeat judicium practicum istius impotentiæ proximæ, atque adeò necessitatis amplioris gratiæ, per orationem impetrandæ?

2°. Quomodò gratiam Molinistico sensu 646
plenè immediatè sufficientem ad orandum habent, qui fidem ad orandum necessariam, ne imperfectam quidem habent, nec ullam omninò de orando cogitationem, nullam etiam piam voluntatis motionem?

3°. Quomodò gratiam ad orandum plenè 647
immediatè sufficientem, id est, pias de orando cogitationes, piasque voluntatis excitationes habent Nerones, Caligulæ, Heliogabali, aliaque ejusmodi hominum monstra, seu pec-

peccatores, in omnium sordium flagitiorumque cœno se volutantes? Quomodò (inquam) sexcenties in die, sive toties illas de orando cogitationes excitationesque habuerunt, quoties, ad flagitia illa vitanda, gratiâ immediatè plenè sufficienti caruerunt: cùm in medio flagitiorum illorum, nihil nisi carnalia cogitent, uti se experiri ipsimet fatentur; imò & pauci etiam timorati de orando toties cogitent?

4°. Quomodò piis illis cogitationibus vo- 648
luntatisque affectionibus sexcenties in die ad orandum excitati fuerunt Philosophi illi, qui Deum pro virtute orandum negarunt; vel Pelagiani, qui gratiam ad peccata vitanda necessariam non crediderunt; vel athei, qui in corde dixerunt: *Non est Deus*?

Apage infundata, imò ridicula ista com- 649
menta, è solo Molinistarum cerebro nata, contra divinam Scripturam, traditionem & experientiam ipsam excogitata. Quo (amabo) fundamento? Ne præcepta (inquiunt) impossibilia sint, dum urgent. At (præter hactenùs dicta) Molinistas interrogo, quid de peccatoribus illis sentiant, qui gratiâ suâ ad orandum immediatè plenè sufficiente non usi, jam urgentur præcepto, v. g. charitatis, vel misericordiæ, vel patientiæ, &c.? Habentne isti gratiam ad præcepta ista implenda immediatè & proximè sufficientem? an mediatè & remotè dumtaxat? Si proximè & immediatè sufficientem: ergo pro ea orare non oportet. Si remotè & mediatè tantùm: gratia ista, urgente præcepto, ipsis ad præcepti observantiam non sufficit. Vel ergo Deus etiam post neglectam orationem tenebitur ad dandam ipsis gratiam immediatè & proximè sufficientem; vel præceptum, cùm urgens fuerit, ipsis impossibile erit, secundùm ipsos.

En præcipitia, in quæ ducit novella opinio 650
illa, moribus profectò exitiosa. Nec tamen ibi præcipitiorum finis. Dicit enim Moynius, cui prima tribuitur inventio istius opinionis, quòd præcepti transgressio non est homini (qui orare neglexit) libera immediatè & ratione sui, sed tantùm mediatè, & ratione superbiæ, vel desidiæ præcedentis, per quam homo negligit impetrare præsidium. Cui si alterum jungas principium Molinistarum, quòd peccata non sint in seipsis imputabilia, sed in causa dumtaxat, si libera non sint immediatè in seipsis, sed mediatè tantùm, & in causa; sequitur, adulterum, homicidam, & quæcumque horrenda committentem, illa committendo non peccare in ipsis, sed tantùm peccasse, ex superbia vel negligentia orationem omittendo; graviorem proinde offensam non esse in adulterio illo, vel homicidio, vel aliis horrendis, quàm quæ fuit in culpabili omissione orationis; & æquè peccare omittentes orationem, licèt eorum aliqui in horribiliora incidant, quàm alii. Quemadmodùm enim duo æqualiter exponentes sese periculo pollutionis nocturnæ, licèt in uno consequentis, non in altero, æqualiter peccant; eò quòd æqualiter causam ponant: ita similiter, &c. Quis verò non exhorreat hujusmodi consectarium? Nec tamen istud est solum. Si enim gratia, Molinistico sensu, plenè immediatè sufficiens, certò (mediâ oratione) omnibus, etiam peccatoribus, quàmlibet flagitiosis, semper adsit ad pœnitendum, dum pœnitendi urget præceptum; eâ opinione imbuti scelerati homines, divitias bonitatis, patientiæ & longanimitatis Dei diù contemnent, pœnitentiamque ad vitæ usque terminum different, nec propterea secundùm impœnitens cor suum thesaurizabunt sibi iram in die iræ, prout Apostolus dicit Rom. 2.4. quia semper in manu sua habebunt datam vel paratam sibi pœnitendi gratiam, immediatè plenè sufficientem, modo dicto. Semper proinde habebunt immediatam plenamque potentiam à se avertendi divinam iram. Nec ipsis unquam persuadebitur, quòd, propter istum divinæ patientiæ abusum, suam ipsis gratiam Deus subtrahet, uti per Prophetas suos comminatur. Imò securi ac certi semper erunt, sese exaudiendos, quandocumque orandi gratiâ, immediatè & plenè ad orandum sufficiente (sibi nunquam defuturâ) benè pro libitu suo uti voluerint. Videant proinde Ecclesiæ Principes ac Rectores, an doctrina illa (quam uti certam temerariè venditant illius Defensores) peccatoribus auferre nata non sit Dei timorem, magnumque ingerere divinæ patientiæ contemptum, magnum divini de pœnitentia non differenda præcepti neglectum. Cùm enim tunc maximè semper adsit illa gratia, cùm maximè urget pœnitentiæ necessitas, ac præceptum; & nunquam magis urgeat, quàm in articulo mortis: dicent peccatores tunc opportunissimum sibi fore pœnitentiæ tempus, quo maximè urgebit illius præceptum, & certiùs aderit gratia ad illud servandum necessaria, sive pro illa impetranda oraverint, sive orare neglexerint; ne Deus tunc impossibile jubeat. Ad tempus proinde illud pœnitentiam different. Quod quàm periculosum sit, docet in sacris Eloquiis Spiritus sanctus, docent Patres, docet experientia.

CAPUT XXXI.

Deo nunquam imputari debet, nec potest, quòd justus gratiâ ex se efficaci (licèt ad vincendas actu tentationes necessariâ) destitutus, in tentatione cadat: quia prima istius destitutionis causa, etiam in justis, semper est ex parte hominis, vel peccatum actuale ipsius, vel saltem originale.

ITa sanctus Augustinus l. 2. de peccat. me- 651
rit. c. 17. generaliter & absque exceptione dicens, *quòd homines gratiâ non adjuventur, in ipsis causa est, non in Deo.* Causam verò istam epist. 105. nunc 194. peccatum esse dicit, *vel quod origine traxerunt, vel quod insuper addiderunt.* Ita etiam S. Thomas 1. 2.

q. 112. a. 3. ad 2. dicens, quòd *defectûs gratiæ prima causa est ex nobis.* Alios textus ipsius exhibebimus infrà.

652 Hominibus itaque gratiam actualem efficacem, ad peccatum mortale vitandum necessariam, Deus non denegat nisi ob aliquod peccatum, vel actuale mortale, si peccatores sint; vel actuale veniale, si justi. Nec gratiam ad primum veniale vitandum necessariam justis negat nisi ob originale peccatum, ut infrà.

653 Et plerùmque quidem istius denegationis causa in justis est orandi negligentia. Cùm vigilare & orare eos oporteat, ut non intrent in tentationem, prout Apostolos Salvator monuit Matth. 26. 41. Victoria proinde tentationum iis meritò denegatur, qui eam precibus à Deo impetrare ob socordiam vel præsumptionem, vel non curant, vel negligunt. Et sic Petro denegatam fuisse; peccatum proinde veniale sufficientem istius denegationis causam fuisse, cap. 29. ex communi sanctorum Patrum doctrina demonstravimus.

654 Quare cùm nullus sit homo qui non peccet, vel qui peccata omnia venialia absque speciali Dei privilegio, soli beatissimæ Virgini concesso, vitare possit, ut docet Tridentinum sess. 6. can. 23. nullus est, qui non humiliter agnoscere debeat, sibi justè pro peccatis suis à Deo subtrahi posse gratiam, ad peccatum vitandum necessariam. Nam, uti suprà dixi ex Richardo à S. Victore de statu inter. hom. p. 1. cap. 22. *gratia quam homo semel accepit, ante peccatum justè subtrahi non potuit; quam etsi præter meritum acceperat, sine culpa tamen amittere non debebat. Nunc autem omni horâ potest justè subtrahi. Quia nunquam potest homo sine culpa inveniri.* Sapienter proinde Generalis Cleri Gallicani Conventus, anni 1700. Censurâ, à quibusdam urgentissimè postulatâ, notare renuit propositionem, quæ asserit, justis in pœnam peccati præcedentis, aliquando deesse gratiam actualem, urgente præcepto, vel tentatione.

655 Nec hoc duntaxat verum est de gratia efficaci ad agendum necessaria, sed & de necessaria ad orandum. Ob ea quæ dicta sunt c. 30.

656 Si tamen sermo sit de prima orandi negligentia, dici nequit gratiam efficacem, ad orandum necessariam, justo propterea defuisse, quòd neglexerit orare. Cùm negligentia nulla primam antecesserit, cujus merito gratia ad ipsam vitandam necessaria defuerit.

657 Et hinc difficultas ingens est in assignanda, respectu justorum, causa defectûs gratiæ efficacis, necessariæ ad vitandum primum peccatum veniale, quod post acceptam justitiam committunt. Neque enim causa ista in ipsis est peccatum mortale actuale: quia ab eo immunes esse supponuntur, & certissimè immunes sunt, qui post acceptam Baptismi gratiam nondum illud commiserunt. Neque peccatum veniale: quia nullum veniale actuale præcessit primum veniale quod committunt.

Propterea Estius in 1. dist. 41. §. 18. & Bartholomæus Medina (apud ipsum) nonnullique alii Thomistæ, atque è Societate Tiphanius in l. de ordine c. 52. causam subtractionis gratiæ efficacis, necessariæ ad vitandum primum peccatum, ex nulla hominis culpa repetunt, sed ex sola Dei voluntate. Verùmenimverò nimis dura videtur sententia ista, nec Augustino & S. Thomæ n. 651. relatis consona. 658

Augustinus itaque l. 2. de peccat. merit. c. 17. causam istius denegationis superbiam assignat, in reprobis damnandam, in prædestinatis sanandam. Posteaquàm enim dixit, *quòd homines gratiâ non adjuvantur, in ipsis causa est, non in Deo*; proximè subjungit: *sive damnandi prædestinati sint, propter iniquitatem superbiæ; sive contra ipsam suam superbiam judicandi, & erudiendi, si filii sint misericordiæ.* Non quòd causa illa semper sit superbia actualis, sive actus superbiæ; de primo namque superbiæ peccato actuali quæritur, quænam ex parte hominis causa sit denegatæ justo gratiæ efficacis, necessariæ ad illud vitandum. Itaque per superbiam ibi Augustinus non vult semper intelligi actuale superbiæ peccatum, sed innatum omnibus hominibus superbiæ vitium, ex peccato originali derivatum, quod ne in Sanctis quidem in hac vita perfectè unquam sanatur, & quod *nisi adjuvante gratiâ superetur, ad justitiam nemo peccator convertitur* (ait Augustinus ibidem c. 19.) *nisi etiam operante gratiâ sanetur, justitiæ pace nemo* (nec proinde justus) *perfruitur.* Unde ibidem addit, quòd ad sanandum & corrigendum in electis suis istud superbiæ vitium, id est, innatam propensionem ad superbiendum, ipsos Deus humiliat, ab aliis quibusdam vitiis tardiùs eos sanando. Similiter S. Thomas 1. 2. q. 79. a. 4. dicit, quòd Deus permittit aliquos cadere in peccatum, ut peccatum suum agnoscentes humilientur & convertantur, sicut Augustinus dicit in lib. de nat. & grat. 659

Propterea gratiæ efficacis denegatio non semper est justitiæ, sed & aliquando divinæ misericordiæ effectus, saltem quatenùs ad salutem superbiæque sanationem ordinatur. Neque enim ordinatio illa ex justitia fit, sed ex misericordia, sicut de excæcatione idem S. Thomas ibidem dicit quòd *licèt excæcatio ex sui natura ordinetur ad damnationem ejus qui excæcatur* (propter quod ponitur etiam reprobationis effectus) *aliquando tamen ex divina misericordia excæcatio ad tempus ordinatur medicinaliter ad salutem eorum qui excæcantur. Sed hæc misericordia non omnibus impenditur excæcatis, sed prædestinatis solùm, quibus omnia cooperantur in bonum, sicut dicitur Rom. 8. Unde quantùm ad quosdam, excæcatio ordinatur ad sanationem; quantùm autem ad alios, ad damnationem, ut Augustinus dicit in 3. de qq. Evangelic.* 660

Peccatum proinde originale, etiam in baptismate remissum, seu vitium ex eo relictum, 661

prima

prima causa dici potest subtractionis gratiæ efficacis, necessariæ ad vitandum actu primum peccatum veniale, quod justus committit. Ita S. Augustinus, & S. Thomas, causam subtractæ quibusdam gratiæ actualis generaliter & indistinctè designantes peccatum originale, nec ullibi excipientes eos, quibus originale remissum est in baptismate. Imò Augustinus Enchirid. c. 98. & l. 1. ad Simplician. q. 2. exemplificat in Esaü, cui (utpote ex piissimis, divinæque legis observantissimis parentibus, Isaac & Rebecca nato) certum est collatam fuisse circumcisionem, per eamque remissum ipsi fuisse originale peccatum. Ita etiam post Augustinum & Thomam, Theologi graviſſimi, Thomas de Lemos mirâ soliditate quæstionem hanc pertractans Panopliæ to. 2. tr. 3. per plura capita, specialiter cap. 16. Cardinalis Norisius in vindiciis Augustin. c. 4. §. 10. pius & eruditus Contensonus to. 5. l. 8. dissert. 2. c. 2. Nec immeritò pro eadem assertione proferuntur, quicumque asserunt, peccatum originale, etiam in baptismate remissum, primam esse causam reprobationis externæ negativæ: cùm reprobatio externa negativa sit ipsamet negatio gratiæ efficacis, quâ peccatum vitaretur. Id verò asserunt Suarez, Vasquez, Tannerus, noster Lezana, aliique plures, quos refert sequiturque Gonet to. 1. ubi de reprobatione. Denique assertionem nostram validissimis ex S. Thoma argumentis demonstrat eruditissimus Author libri, cui titulus: *Vindicia S. Thomæ circa gratiam sufficientem* sect. 5. art. 4. 5. & 6. Quorum nonnulla ad breviorem clarioremque formam reducta subjicio; alia etiam adjecturus.

662 Primò: gratia per se efficax (quam ex S. Augustino & S. Thoma, imò ex divinis Scripturis, Conciliis, & Patribus passim omnibus, necessariam suprà demonstravimus, ad superandas tentationes, ad vitandum peccatum, & ad singulos actus factos ut oportet) ad vitandum primum peccatum deest, dum justus labitur in illud. Sed istius defectûs gratiæ causa prima non est sola Dei voluntas, imò aliqua ex parte hominis assignanda est, ut docent S. Augustinus, & S. Thomas suprà n. 651. alia verò ex parte hominis assignabilis non est, nisi originale peccatum: utpote quod unicum præcessit primum actuale, in quod justus labitur.

663 Secundò: quotiescumque aliquis, seu peccator, seu justus, in aliquod peccatum cadit, Deus ipsum non prohibet, seu impedit, sed efficacis auxilii subtractione ipsum cadere permittit; aliàs non caderet, ut certissimum est, docetque S. Thomas 1. 2. q. 79. a. 1. Atqui dum casum ipsius Deus non prohibet, sed permittit, hoc contingit *ex merito præcedentis peccati*. Ibidem ad 1. Hoc quippe *Deus ex justo judicio facit, quòd aliquibus auxilium non præstat, ne cadant.* De malo q. 3. a. 1. ad 1. Nullum verò aliud est peccatum, cujus merito permittit primum actuale peccatum, seu peccatoris, seu justi, nisi originale.

Tertiò: justi omnes vel habent gratiam ef- 664
ficacem ad perseverandum in justitia, vel non habent? Primum dici nequit. Aliàs justi omnes infallibiliter perseverarent, nulli à gratia exciderent (uti docet S. Thomas 2. 2. q. 24. a. 11.) istud verò absque errore dici non potest. Igitur ex ipsis aliqui gratiam ad perseverandum efficacem non habent, sed à justitia excidere, in peccatumque cadere à Deo permittuntur. Quæritur ergo causa prima, ob quam cadere permittuntur? Si pro causa assignes gratiæ impedimentum, quod perseverantiæ dono ponunt per peccatum; quæstio recurrit, quam ob causam desit ipsis gratia efficax ad non ponendum istud impedimentum perseverantiæ dono? Nam, ut S. Thomas ait lect. 3. in cap. 12. ad Hebr. *hoc ipsum quòd aliquis non ponit obstaculum, ex gratia procedit. Quòd ergo à quibusdam removetur istud obstaculum, hoc est ex misericordia Dei; quòd autem non removetur, hoc est ex justitia ejus.* Quòd ergo plerisque justis Deus non det perseverantiæ donum, seu gratiam efficacem ad perseverandum, sed ipsos cadere permittat in peccatum, & per peccatum gratiæ ponere impedimentum, juxta S. Thomam justo sit judicio Dei; ex merito proinde præcedentis peccati. Atqui præcedens istud peccatum non est actuale mortale: quia supponuntur à justitia nondum excidisse. Neque actuale veniale, v. g. neglectæ orationis, quam si non neglexissent, gratiâ efficaci ad perseverandum destituti non fuissent: quia rursum redit quæstio, cujus peccati præcedentis merito Deus, per gratiæ efficacis subtractionem, permiserit ipsos cadere in istud neglectæ orationis peccatum. Hoc enim S. Thomas, post S. Augustinum, fieri docet justo Dei judicio, ex peccati præcedentis merito. Nec quæstio cessabit, donec recurratur vel ad originale peccatum, vel ad solam Dei voluntatem, nullâ suppositâ causâ ex parte hominis. Quò qui recurrunt, à vera S. Augustini, & S. Thomæ doctrina recedunt; quemadmodùm & recedunt ii, qui recurrunt ad non usum gratiæ merè sufficientis: utpote quæ (juxta certissimam S. Augustini, & S. Thomæ doctrinam, pluribus ex Scriptura & Traditione argumentis suprà demonstratam) in statu naturæ lapsæ sine efficaci non sufficit ad usum; eò quòd ad eum gratia per se efficax necessaria sit.

Quartò: S. Thomas 2. 2. q. 2. a. 5. ad 2. 665
de auxilio gratiæ generaliter pronuntiat, quòd *quibuscumque divinitùs datur, misericorditer datur; quibus autem non datur, ex justitia non datur, in pœnam præcedentis peccati, aut saltem originalis peccati, ut Augustinus dicit in lib. de corrept. & grat. c. 11.* Ergo hoc verum esse debet generaliter de omnibus, quibus auxilium gratiæ non datur. Atqui justis aliquibus non datur, illis utique qui in tentatione cadunt, ac per hoc à justitia excidunt. Ipsis ergo ex justitia non datur, in pœnam præce-

dentis peccati. Non actualis, si sermo sit de gratia non data ad vitandum primum peccatum actuale. Igitur in pœnam originalis, tametsi per infusionem gratiæ justificantis remissi. Et reverà Augustinus, à S. Thoma laudatus, de illis etiam loquitur, quibus originale est remissum, uti ostendimus n. 661.

666 Quintò: juxta S. Augustinum & S. Thomam prima causa reprobationis hominum est peccatum originale. Sic enim S. Thomas docet cum S. Augustino, tam aliis locis, quæ videri possunt apud Lemos loco citato c. 12. & 13. ubi respondet ad testimonia, quæ in contrarium à Contensono allegantur) quàm q. 6. de verit. a. 2. ad 9. ubi sic: *Ratio reprobationis est in hominibus peccatum originale, ut Augustinus dicit*, utique epist. 105. 106. 107. 157. l. 15. de Civit. c. 2. & l. 21. c. 12. l. 1. ad Simplic. q. 2. Enchirid. c. 95. 98. 99. l. 2. contra duas epist. Pelag. c. 7. l. de prædest. Sanct. c. 8. 9. & 14. l. de dono persev. c. 8. & 14. Sancti Augustini verba ex locis illis excerpta, videri possunt apud Lemos to. 2. tr. 4. c. 11. Eaque in re Augustino concinunt Julianus Pomerius l. 1. de voc. gent. c. 17. S. Prosper in l. Sententiarum Sentent. 307. Ad excerpta Genuens. respons. 6. & 8. sæpiùsque in respons. ad Capit. Gallor. & ad Object. vincent. S. Fulgentius l. 1. ad Monim. c. 7. 26. & 28. Et l. de incarn. & grat. c. 28. Beda in collectan. ad illud Rom. *Quòd si Deus volens*, &c. Anselmus ibidem ad illud: *Jacob dilexi*. Et ad illud: *Miserebor cui misereor*, &c.

667 Jam verò si prima causa reprobationis hominum est peccatum originale, sequitur quòd prima causa negatæ justis reprobis gratiæ efficacis ad vitandum peccatum, & perseverandum in justitia, sit etiam peccatum originale. Siquidem reprobatio, ut S. Thomas ait 1. p. q. 23. a. 3. in corp. includit voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam, & inferendi damnationem pro culpa, estque causa derelictionis à Deo, ut addit ad 2. Est igitur causa subtractionis gratiæ præservantis à lapsu in culpam. Derelinquit enim Deus, permittendo aliquem cadere in culpam: ista verò permissio fit subtrahendo gratiam efficacem, à lapsu illo præservantem.

668 Unde lect. 4. in cap. 9. ad Rom. dicit, quòd *actus quem Deus erga eos* (reprobos) *exercet, non est quòd disponat eos ad malum: quia ipsi de se habent dispositionem ad malum, ex corruptione primi peccati..... Hoc autem solùm Deus circa eos agit, quòd eos permittit agere quæ concupiscunt.* Atque, ut paulò post ait, *sustinet eos, ut secundum suam inclinationem tendant ad malum.* Manifestum est ergo, quòd causa derelictionis justorum, non prædestinatorum, seu subtractæ ipsis gratiæ, eadem sit, quæ reprobationis eorum; scilicet peccatum originale: reprobatio quippe est causa derelictionis à Deo.

669 Itaque juxta S. Thomam, secundùm nostrum concipiendi modum, hic est ordo in hominum reprobatione. Primò videt Deus omnes homines damnationi obnoxios, sive in massa perditionis per peccatum primi hominis constitutos. Secundò, ex massa illa aliquos per merita Filii sui, misericorditer liberare statuit, ad vitamque eligit æternam, ea ipsis beneficia præparando, quibus ad eam certissimè perveniant. Cæteros verò in illa massa, justo judicio relinquere decernit, adeòque negativè reprobat, nolens ea ipsis beneficia præparare, quibus efficaciter liberentur, & salventur; sed permittere ut labantur in culpam, vel in originali culpa finiant vitam, propter quam decernit ipsis damnationis pœnam.

Eorum verò, quos sic reprobat, aliquos 670
ad Baptismi gratiam, justitiamque ad tempus vocare proponit, sicut Judam vocavit Apostolum, Christi Traditorem. Aft. quia ipsos non propterea prædestinavit, sed in massa damnationis, justo suo judicio relinquere decrevit; in istius decreti executionem, ipsos suæ infirmitati, ad malumque propensioni, ex primi peccati corruptione provenienti, dimittere seu derelinquere statuit; atque adeò permittere, ut agant quæ concupiscunt, & secundùm inclinationem suam labantur in mortale actuale peccatum. In eoque tandem ipsos è vivis eripere, &, non pro originali remisso, sed pro actuali illo ipsis pœnam damnationis inferre decernit, ipsosque proinde positivè reprobat.

Nec aliud systema sequi possunt veri Dis- 671
cipuli S. Augustini, & S. Thomæ, verique sequaces doctrinæ, quam duo illi sancti Doctores certissimè tradunt, scilicet quòd quicumque à Deo derelinquuntur, gratiâque necessariâ ad perseverandum in justitia destituuntur, justo Dei judicio, in pœnam præcedentis peccati destituuntur, derelinquunturque. Nam, uti suprà diximus, gratiâ illâ justi non destituuntur in pœnam peccati mortalis actualis, utpote quod in ipsis non invenitur. Neque in pœnam peccati venialis. Quæritur namque causa, propter quam cadere permittuntur in istud veniale; cujus merito cadere posteà permittuntur in peccatum mortale. Et quia in venialibus non datur processus in infinitum, si pro causa aliud & aliud designes veniale, quæstio ventilabitur usque ad primum, in quod justus, gratiæ efficacis subtractione, labi permittitur; nec alia istius permissionis, seu subtractionis causa invenietur, nisi peccatum originale.

Sextò: peccatum quidem originale, & 672
quantùm ad culpam, & quantùm ad pœnam æternam, seu etiam temporalem in Purgatorio luendam, per Baptismum penitùs tollitur, ita ut in renatis nihil de illo remaneat, quod veram & propriam peccati rationem habeat; nihil quod ut verè peccatum oderit Deus; nihil denique damnationis, prout Tridentinum definit sess. 5. can. 5. Per consequens nullâ in ipsis remanet causa, propter quam damnaten-

tur, vel Purgatorio addicerentur, si eo in statu morerentur; nulla quæ ipsos ab ingressu regni cælorum remoretur: cùm id totum quod damnatione est dignum, & à cælorum ingressu remorativum, per Baptismum sit remissum. Quia tamen ista remissio, seu Baptismi gratia, non tribuit ipsis jus ad moriendum eo in statu, sed solùm jus ad regnum cælorum, si in eo statu moriantur; per consequens non tribuit ipsis jus ad perseverantiæ donum, nec ad gratiam efficacem, præservantem à peccato, per quod à justitia excidant. Et ideò remissio illa non est ipsorum liberatio à massa perditionis, sed sola gratuita Dei ad vitam æternam ipsos eligentis prædestinatio; quæ sola est præparatio beneficiorum, quibus à massa illa liberantur, quicumque liberantur, prout Augustinus dicit l. de dono persev. c. 14. Nemini proinde mirum videri debet, quòd quicumque prædestinati non sunt, etiamsi renati sint, & ad tempus justificati, in massa perditionis justo Dei judicio relinquuntur, ut Augustinus ibidem proximè subjungit. Unde & in l. de corrept. & grat. c. 7. dicit, quòd ad tempus justificati, *si per gratiam prædestinationis non sint perseveraturi, nec tempore justificationis, à massa finalis perditionis sunt discreti: qui verò perseveraturi non sunt, ac sic à fide christiana, & conversione lapsuri sunt, ut tales eos vitæ hujus finis inveniat; procul dubio nec illo tempore quo benè pièque vivunt, in isto numero computandi sunt eorum, de quibus scriptum est*: „ Scivit Dominus qui sunt ejus. „ *Non enim sunt à massa illa perditionis præscientiâ Dei & prædestinatione discreti. Et ideò nec secundùm propositum vocati. Ac per hoc nec electi. Sed in eis vocati, de quibus dictum est*, „ multi vocati; „ *non in eis, de quibus dictum est*, „ pauci verò electi. „

673 Cùm igitur certum sit, quòd illa ad tempus justificatio, sive per Baptismum, sive per aliud quodcumque Sacramentum, non sit ipsorum à massa perditionis liberatio; eâ non obstante, justi illi, ad tempus justificati, propter peccatum originale remanent in massa eorum qui finaliter perituri sunt. Remanet ergo in Deo jus, ob originale, ea ipsis beneficia subtrahendi, quibus à finali perditione liberentur, salventurque. Per consequens remanet in Deo jus subtrahendi ipsis gratiam efficacem, præservantem ab actuali mortali, per quod excidant à statu justitiæ, ad tempus acquisitæ. Justo ergo Dei judicio gratia illa (utpote indebita) ob originale peccatum ipsis subtrahitur: utpote remissum quidem, quoad totum quod veram & propriam habet rationem peccati; sed non quoad id quòd adhuc indigent gratuitâ misericordiâ Dei, ad hoc ut à massa illa perditionis, & suprà memoratæ derelictionis, per gratiam prædestinationis liberentur. Non sic ergo liberati, in massa illa justo Dei judicio relinquuntur, sicut justo Dei judicio relinquuntur in innato superbiæ vitio, tantaque ad malum propensione, & naturæ infirmitate (ex eodem peccato originali pullulante) ut quamvis gratuitâ Dei misericordiâ justificati, in accepta justitia nunquam perseveraturi sint, nisi ampliori misericordiâ adjuti, speciali perseverantiæ dono roborentur, à lapsuque saltem finali præserventur. Nam, ut ait Gregorius Magnus in exposit. Psal. 101. ad versum, " Quia cinerem, &c. " *ex peccato primi parentis accepimus, ut nec in ipsa justitia stabiles esse possimus. Si enim* (inquit Augustinus l. de corrept. & grat. c. 12.) *in tanta infirmitate vitæ hujus, ipsis relinqueretur voluntas sua.... nec Deus in eis operaretur ut vellent, plenâque voluntate vellent non deficere.... inter tot & tantas tentationes, infirmitate suâ voluntas ipsa succumberet.* Quemadmodùm ergo *per Baptismum non est ablata infirmitas* (ait rursum Augustinus serm. 2. de verb. Apost.) *quamquam per illum ablata est iniquitas*; quemadmodùm etiam per Baptismum ablatum non est debitum manendi finaliter in massa perditionis, nisi hoc debitum condonet gratuita misericordia Dei secundùm propositum vocantis, & ad vitam æternam prædestinantis: sic per Baptismum ablatum non est debitum carendi perseverantiæ, gratiæque efficacis dono, nisi debitum istud Deus condonet speciali misericordiæ suæ beneficio. *Homo* quippe, *licèt in gratia existens, indiget efficaci auxilio gratiæ.... ut scilicet à Deo moveatur ad rectè agendum.... propter conditionem statûs humanæ naturæ: quæ quidem, licèt per gratiam justificantem sanetur quantùm ad mentem; remanet tamen in ea corruptio & infectio quantùm ad carnem, per quam servit legi peccati... remanet etiam quædam ignorantiæ obscuritas in intellectu, ad malumque propensio in voluntate. Et ideò necesse est nobis, ut à Deo dirigamur, & protegamur.... Et propter hoc etiam renatis in filios Dei per gratiam, convenit dicere: Et ne nos inducas in tentationem.* S. Thomas 1. 2. q. 109. a. 9. Per Baptismum itaque justificati jure conqueri non possunt, si non adjuventur, & non prohibeantur in tentatione cadere: *Hoc enim Deus ex justo judicio facit, quòd aliquibus auxilium non præstat, ne cadamus* (prosequitur ad 1.) *quia hic status ex præcedenti culpa provenit*, saltem originali, ut suprà. Per quæ omnia mirum quantùm roborantur ea quæ capite superiori dicta sunt, quòd justis debita non sit gratia actualis, per quam à peccato præserventur, nec jus ad eam ipsi habeant, sed misericorditer detur, quibuscumque datur.

Postremò, ob peccatum originale, omnibus hominibus usque adeò indebita est omnis gratia, ad salutem necessaria, ut *nulla esset iniquitas apud Deum* (ait Bellarminus de grat. & lib. arb. l....) *si non aliquibus, sed etiam omnibus hominibus auxilium sufficiens ad salutem negaret. Estque* (inquit) *hæc propositio certissima apud eos qui ex divinis Literis peccatum originale noverunt.* Enimverò (ut Augustinus dicit de dono persev. c. 8.) tametsi 674

hominibus videtur omnes qui boni apparent fideles (& reverà ad tempus boni sunt, sicut antè dixit) *perseverantiam usque in finem accipere debuisse*; Deus aliter judicavit, quia perseverantiam nulli debet, & (ut præmiserat) si per eam *de tam debita perditione neminem liberaret, non esset injustus. Ex uno quippe omnes in condemnationem non injustam judicati sunt ire, sed justam. Qui ergo liberatur, gratiam diligat; qui non liberatur, debitum agnoscat.* Ad cujus manifestationem Deus, ut dicit c. 12. gratiæ suæ auxilium *hominibus dat, quibus vult, quoniam misericors est.... quod etsi non det, justus est. Et non dat, quibus non vult, ut notas faciat divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ. Dando enim quibusdam, quod non merentur, profectò gratuitam, ac per hoc veram suam gratiam esse voluit. Non omnibus dando, quid omnes merentur ostendit.* Et l. de gest. Pelag. c. 14. *Gratia donatur indignis.* Quia, ut immediatè antè dixit, si dignis datur, debita est, & ideò gratia non est: *Quisquis dignus est, debitum est ei, si autem debitum est, gratia non est.*

675 Per peccatum itaque originale contracta est indignitas ad gratiam, adeòque contractum debitum carendi omni gratiâ, nisi misericorditer conferatur. Istud porrò debitum nulli remittitur, nisi per misericordiam Dei, ex merito Passionis Christi. Igitur ob peccatum originale remanet in omnibus hominibus debitum iis gratiis carendi, quas Christus per Passionem suam efficaciter non meruit. Atqui justis reprobis Christus per Passionem suam efficaciter non meruit perseverantiæ donum, seu gratiam efficacem ad perseverandum in justitia. Aliàs gratia ista ipsis conferretur: cùm nihil eorum, quæ Christus per Passionem suam efficaciter promeritus est, frustrari possit, inquit S. Thomas q. 29. de verit. a. 7. ad 4. Ergo in justis reprobis remanet ex peccato originali debitum carendi gratiâ efficaci ad perseverandum in justitia, sive ad vitandum peccatum, per quod à justitia exciditur.

676 Scio Molinistas objicere, quòd dum hoc asserimus, non credimus peccatum originale per Baptismi gratiam renatis penitùs auferri, si prædestinati non sint. Sed respondet S. Prosper l. contra Collat. c. 29. eos qui hoc objiciunt, *pacem victricis Ecclesiæ, resumptis de damnatorum schola quæstiunculis inquietare.* Siquidem objectionem illam (à nobis n. 672. efficaciter solutam) ex Massilienſibus repetunt, qui olim apud eumdem Prosperum, in respons. ad Capitula Gallorum, Augustini scripta reprehenderunt, quòd crederet, *quòd ab iis qui non sunt prædestinati ad vitam, non auferat percepta Baptismi gratia originale peccatum.* Cui objectioni Prosper occurrit, dicens, quòd *regeneratus per Baptismum, tam à propriis peccatis.... quàm ab originali.... absolvitur: tametsi enim damnabitur, si post Baptismum ad infidelitatem & impios mores redeat; non id quod remissum est recidit; nec in originali peccato damnabitur; sed propter postrema crimina eâ morte afficietur, quæ ei propter illa quæ remissa sunt debebatur*: in quæ ipsum cadere justo judicio permittit, qui *talem nunquam elegit, nunquam prædestinavit, & periturum nunquam ab æterna perditione*, id est, perditionis massa, *discrevit.* Ipsissima est solutio quam numero illo 672. dedimus.

CAPUT XXXII.

Novitiæ quædam de gratia opiniones Cardinalis Sfondrati breviter confutantur.

Propositio prima præambularis.

Difficilis est intellectu Augustinus, &c.

677 CArdinalis Sfondratus, purpurâ & famâ illustris, multa præclarè scripsit; sed in *Nodo* suo *prædestinationis* non æquè feliciter ut alibi. Ibi namque ut novum de gratia & prædestinatione divina systema proponeret, ab Augustino recessit. Ad quod ut sibi viam pararet, paginâ quidem 164. fassus est, neminem Augustino meliùs de gratia contra Pelagianos scripsisse. At (inquit) *non scripsit omnia; quippe haud necessaria, Calvino necdum exorto. Aliis nunc armis opus esse, alio hoste belloque instante. Nec voluisse ipsum aliis adimere libertatem ea omnia dicendi, quæ deinceps opportuna viderentur, præsertim adversus Calvinum, atque Jansenium.* Iste est prætextus, sub quo (tametsi non vero: neque enim aliis quàm Augustini armis opus est, ad confutandas Calvini, Lutheri, &c. de gratia & libero arbitrio hæreses) ad nova & inaudita quæque prosiluit, uti quiritantur quinque Illustrissimi Galliæ Præsules in epist. ad Innocentium XII. Et meritò quiritantur. Quia novitas in rebus Theologicis, nedum suspecta, sed & magnum indicium est falsitatis. Et, si novi Authores confutandi veniunt, non ideò nova quæque dogmata invehi necesse est in Ecclesiam. Nec id consultò fecisse videtur Purpuratus ille Vir, dum Calvinistæ clamant, Ecclesiam Romanam ab avita fide ad novitia Pelagianorum, Semipelagianorumque dogmata declinasse. Nihil enim ipsis accidere potuit opportunius, ad id in speciem probandum (tametsi falsissimum) quàm liber Eminentissimi S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Sfondrati, qui (dum Romanam Ecclesiam à Pelagianismi & Semipelagianismi calumniis vindicant Augustini Discipuli) Romæ magnis cum elogiis & approbationibus nuperrimè prodiit, in quo Pelagianorum Semipelagianorumque dogmata non contineri, facile non est ostendere. Saltem ipsum ab Augustino deflexisse, nullo negotio probatur. Nam (præter ea quæ dicturi sumus) præter allatum quoque prætextum ab eo recedendi, alium insuper sibi proponit, dum pag. 57. palàm edicit: *Sanè, quam difficilis intellectu sit Augustinus, quantoque pe-*

riculo ab iis legatur, &c.... Taceo Calvinistarum ac Lutheranorum ex Augustino ruinas.

678 Utinam id à decem potiùs aliis Molinistis, quàm ab Eminentiss. D. Sfondrato dictum esset! Juliano certè obscuritatem Augustino, seu scriptis ipsius objicienti l. 3. op. imperf. num. 61. respondit Augustinus: *Quia tenebras vestras redarguunt, vobis lucida non videntur, & quæcumque vobis suâ radiante luce molesta sunt, contra illa cor clauditis, ne inde nox fugetur erroris.*

Applicent hoc sibi, qui anticipatarum novitatum suarum præjudiciis irretiti, nimioque earum amore obcæcati, obscuram esse Augustini doctrinam objectant. Quibus rursum ibidem n. 140. ait: *Prorsus intelligor, velis nolis. Sed tu contra ista nihil dicturus, vis non intelligi, quod ego verissimum atque firmissimum dixi.* Et l. 3. de peccat. merit. & remiss. c. 2. *Qui ea, quæ pro natura quæstionum dilucidè dicta existimo, adhuc non intelligunt, non mihi calumnientur pro negligentia, vel pro meæ facultatis indigentia; sed Deum potiùs pro accipienda intelligentia deprecentur.* Enimverò Augustini scripta *profundissima* quidem, *at simul luce clariora* pronuntiat Clemens X. in suo Diplomate de 18. Decembris 1671. Quod videri potest apud Eminentissimum Cardinalem Norisium in vindic. Augustin. c. 1. Ibi namque Pontifex sic loquitur: *S. Augustini, Ecclesiæ Doctoris præcellentissimi, qui, Spiritu Dei plenus, hæresum errorumque tenebras, tamquam fulgentissimum Christianæ eruditionis jubar, profundissimis simulque sole clarioribus scriptis profligavit,* &c. S. Fulgentius quoque l. 2. de verit. prædest. & grat. c. 18. *Augustinum legat* (inquit) *omnis qui salutem æternam adipisci desiderat, humiliter orans misericordiæ Dominum, ut eundem spiritum intelligentiæ legens accipiat, quem ille accepit ut scriberet, & eandem illuminationis gratiam adipiscatur ut discat, quam ille adeptus est ut doceret.* Enimverò, uti S. Prosper canit carm. de ingrat. c. 2. *Augustinus erat, quem Christi gratia cornu uberiore rigans, nostro lumen dedit ævo, accensum vero de lumine.* S. Paulinus epist. 31. *O lucerna dignè supra candelabrum Ecclesiæ posita! .... Densas licèt hæreticorum caligines discutis, & lucem veritatis à confusione tenebrarum splendore clarifici sermonis enubilas. Augustini* itaque *doctrinam de gratia & libero arbitrio ac prædestinatione, esse obscuram atque difficilem ob rei magnitudinem, ob divinorum consiliorum profunditatem, ob mysterii secretissimi altitudinem, libenter concedimus.* (ait Eminentiss. Norisius citato c. 1.) ..... *cæterùm sapientissimus vir obscuris lucem, & difficilibus facilitatem, quantum potuit, ingessit. Nulli sanè vir labori pepercit, quo & clarissimè & planissimè loqueretur; precibus etiam Deum subinde rogabat, ut ad captum populi de gratia differendi facultatem sibi impertiretur.* Audiatur in procemio serm. 13. de verb. Apost.... *Verbi Dei* (inquit) *altitudo exercet studium, non denegat intellectum. Si omnia clausa essent, nihil esset unde revelarentur obscura. Rursus si omnia tecta essent, non esset unde alimentum anima perciperet; & haberet vires, quibus posset ad clausa pulsare. In lectionibus Apostolicis superioribus, quas charitati vestræ, quantùm Dominus adjuvare dignatus est, exposuimus, multum laborem & sollicitudinem passi sumus..... quantùm autem existimo, adjuvit & nos & vos Dominus, & ea quæ prorsus difficilia videbantur, sic per nos enodare dignatus est, ut nulla quæstio remaneret, quæ conturbet mentem piam. Impia enim mens odit etiam ipsum intellectum,* &c. Solis ergo iis obscurus est Augustinus, qui aliud quàm veritatem, sive qui anticipatam opinionem suam in Augustino quærunt. *Nulla est enim in Augustini dictis obscuritas, si de fide prædestinationis & gratiæ.... hoc teneatur quod habet veritas,* ait S. Prosper in fine respons. ad excerpta Genuens.

De eo verò quod Sfondratus addit: *magno periculo à nonnullis legi Augustinum,* addens & *Calvinistarum ac Lutheranorum ex Augustino ruinas:* quid dicam? nisi quòd hoc videtur Augustino contumeliosum. Quid enim? ad lectionemne periculosam hortantur SS. Patres, dum ad Augustini hortantur lectionem? v. g. dum S. Fulgentius ubi suprà dicit: *Augustinum legat omnis, qui salutem æternam adipisci desiderat,* &c.? 679

Timendumne est veneni periculum, ubi omnes salutare inveniunt contra errores omnes antidotum? Ex Augustinone Calvinistarum ac Lutheranorum derivatæ sunt ruinæ, quem Clemens X. testatur hæresum errorumque tenebras profligasse? Illene Calvinistarum ac Lutheranorum ruinis, seu hæresibus atque erroribus occasionem dedit, quo nullus inter Ecclesiæ Doctores hæresibus erroribusque validiùs obstitit? quo etiam ductore de erroribus atque hæresibus omnibus Ecclesia hactenùs gloriosè triumphavit? An non omnes passim, qui scriptis adversus hæreses in hodiernam usque diem fortiter decertarunt, Augustini ductu pugnarunt, ipsiusque doctrinâ & armis hæreticos debellarunt? Ideò sapienter Facultas Lovanienſis in peroratione justificationis Censuræ suæ, hortatur Discipulos, ut *non solam sibi Scholasticam, aut nimis diù colendam existiment, sed diligentem cùm Scripturarum quoque sacrarum, tum veterum quoque, ac imprimis B. Augustini* (*qui Scholasticæ disciplinæ quasi fons & parens fuit*) *lectionem adjungere ne negligant. Periculum enim non parvum alioquin esse, ne pestiferi errores ex Scholasticis nonnullis hauriantur, nisi ex S. Augustini officina salutaribus se antidotis quisque præmuniat.* 680

Propositio II.

Deus seriò, impensissimè, & quantùm in se est, efficaciter, omnium hominum salutem vult pag. 2. Istaque voluntas Dei efficax & abso-

luta est. Pag. 5. Est & efficacissima. Pag. 22.

681 TAntâ id firmitate sustinet, ut pag. 10. dicat, quòd *alioqui Deus partibus suis deesset; sicut Medicus, qui cùm decem ægrotorum curam suscepisset, non omnibus, sed tribus tantùm sanitatem efficaciter cuperet..... Ergo.... aut oportet officio suo desit, aut omnium salutem & vitam efficaciter velit.*

682 Si ita est: ergo voluntas salutis omnium ad naturam officiumque Dei spectat, non ad gratiam, uti benè Author responsionis pro Augustino advertit. Et sic gratia non est gratia. Nam, ut Augustinus arguit serm. 293. Edit. noviss. Paris. *si debitum est, gratis non est. Si gratis non est, gratia non est.* Et quomodò ex officio suo Deus velle debet impensè, efficaciter, absolutè, quantùm in se est, salutem omnium, cùm (ut fatetur pag. 48.) sic non velit, nec unquam voluerit salutem parvulorum ante baptismum sublatorum? Si officio suo per hoc non desit erga parvulos: igitur nec erga adultos. Vide quæ contra novitiam illam Sfondrati opinionem fusiùs disputavi suprà cap. 26. & 27. Et to. 1. de Deo distinct. 9. q. 3. a. 2. Vel sola ista ratio Theologica eam refellit, quòd si Deus impensissimè, efficaciter & absolutè, quantùm ex se, salutem vellet omnium, omnes salvarentur. Voluntati enim Dei impensissimæ, efficaci, & absolutæ, quantùm ex se, nihil resistit: quia omnipotentissimâ potestate facilitateque omnem vincit resistentiam, juxta illud: *Voluntati ejus quis resistit?* Et, *Omnia quæcumque voluit, fecit*; sicut homo facit quæcumque impensissimè, efficaciter & absolutè vult, si summâ facilitate & absque ullo incommodo id possit, uti potest Deus. Vel ergo impensissimæ, efficacis & absolutæ voluntatis Dei nomine Sfondratus abutitur, contra sensum Christianorum omnium; vel si illud usurpet, eo modo quo omnes passim homines & Christiani usurpant, divinæ contradicit Scripturæ, contradicit & Patribus loco citato laudatis, contradicit & rationi, experientiæque, quæ demonstrat, Deum omnibus non concedere gratiam congruam quâ salventur; quam profectò omnibus concederet, si salutem omnium impensissimè, efficaciter & absolutè vellet. Vide quæ dixi locis allegatis.

Propositio III.

Pag. 11. Deum inimicum & scenicum facientes. Pag. 15. infideles, prævaricatores, divinæ voluntatis hostes. Pag. 18. rationis expertes vocat, superiori propositioni ipsius contradicentes.

683 IPsi proinde satis non est doctrinam tradere à nullo aut vix ullo hactenùs Theologo, in terminis illis, assertam, divinæque Scripturæ & communi Christianorum omnium sensui, necnon SS. Patribus contrariam, uti vidimus locis citatis: verùm insuper omnes passim Theologos, & sanctos Patres, velut rationis expertes, Deum inimicum scenicumque facientes, infideles, prævaricatores, ac paternæ Dei voluntatis hostes traducit, qui loca illa Scripturæ, *Deus vult omnes salvos fieri*, &c. intellecta de voluntate absoluta & efficaci, explicant de generibus singulorum, non de singulis generum. Usquene adeò Sfondratus Molinistarum libris evolvendis assuetus, ipsorum mores, stylumque mordacem didicit? Molinistæ quippe à nullo morderi volunt, nec ullâ censurâ notari: sibi solis licitum putant, quosvis sibi contradicentes stylo mordaci, censuriisque, quàmlibet à S. Sede prohibitis, impetere, & ne sanctis quidem Patribus parcere, prout ostendit *Memoriale cum vindiciis librorum P. M. F. Thomæ de Lemos..... Innocentio XI. exhibitum* contra indiscretos Censores.

Propositio IV.

Ne in illa quidem prædestinationis causa, quæ omnium maxima est, & ex qua reliqua pendent, ullum omnino deseruit, vel ab efficaci salvandi proposito excluſit. Pag. 12. Ex parte Dei omnes electi. Pag. 14. Nec in illo prædestinationis negotio, quantùm in se est, inter Cain & Abel, inter Paulum & Judam distinxit; sed omnibus æqualiter salutem voluit. Pag. 3.

684 VErùm istis omnibus paradoxis reclamant Scriptura & Patres, magnumque in prædestinationis negotio, quantùm ad salvandi propositum, aliorum ab aliis ex parte Dei esse discrimen, tamquam fidei & Ecclesiæ dogma, contra Pelagianos & Semipelagianos frequenter tradit Augustinus, signanter l. 5. contra Julian. c. 4. *Non enim omnes qui vocati sunt, secundùm Dei propositum vocati sunt* (inquit) *multi enim vocati, pauci verò electi. Qui ergo electi, hi secundùm propositum vocati.* Istud Dei propositum (se tenens ex parte Dei) dum impugnat Sfondratus, cum Semipelagianis impugnat, ut cum ipsis vocationem stabiliat, non tam secundùm Dei propositum, quàm secundùm propositum hominis, quod præscit Deus. Nam, uti Prosper ait epist. ad Augustinum, *hoc propositum vocationis Dei, quo vel ante mundi initium, vel in ipsa conditione generis humani, eligendorum & rejiciendorum dicitur facta discretio, ut secundùm* QUOD PLACUIT CREATORI, *alii vasa honoris, alii vasa contumeliæ sint creati, & lapsis curam resurgendi adimere, & sanctis causam torporis adferre*, Massilienses causabantur. Sed propositum illud Dei toto libro de prædest. Sanct. constanter propugnavit Augustinus, ipsiusque hac in re doctrinam Romana sequitur Ecclesia, Summique Pontifices; atque eidem, Prædecessorum suorum exemplo, firmiter inhærere se velle, S. D. N. Clemens XI. declaravit in Diplomate

plomate suo de die 28. Januarii anni 1704. ubi & ipse S. Augustinum *fulgidissimum Catholicæ Ecclesiæ lumen, maximumque Doctorem* appellat, cujus *præclaram doctrinam Romani Pontifices.... magno semper in pretio habuerunt, totoque mentis affectu amplexi fuerunt.*

685 Enimverò si inter Caïn & Abel, &c. nihil in prædestinationis suæ negotio distinxit Deus; sed omnibus æqualiter salutem ex parte sua voluit, consequens est quòd non Deus Abelem, sed Abel seipsum discreverit à Caïn, nec plus gratiarum Deo debeat, quàm Caïn. Si etiam omnes ex parte Dei æqualiter electi & prædestinati: ergo omnes æqualiter justificati & glorificati; *quos enim prædestinavit.... hos & justificavit; quos autem justificavit, hos & glorificavit.* Rom. 8. Denique iis quos prædestinavit Deus beneficia præparavit, quibus à damnatione certissimè liberantur. Hæc est enim prædestinatio Sanctorum, *præscientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur*, uti definit Augustinus libro citato.

686 At (inquit Sfondratus pag. 109.) Apostolus in epist. ad Ephesios, omnes ibi Christianos (consequenter etiam reprobos, qui inter illos versabantur) prædestinatos & electos vocat.

Verùm ut in simili respondet Augustinus q. III. in Genes. nulla est facilior solutio quæstionis hujus, quàm ut *per synecdochen dictum accipiatur, sicut & illud à Domino dictum: nonne ego vos duodecim elegi, & unus ex vobis diabolus est, ut non ad electionem etiam ipse pertinere videatur. Non enim facilè invenitur electorum nomen in malo, nisi quando mali eliguntur à malis.... ac per hoc illud quod dictum est: ego vos duodecim elegi, per synecdochen dictum est*, &c. Confer quæ dixi in tomo de Deo distinct. 11. de prædest. q. 2. per totam.

Propositio V.

Sicut apud homines non potest filius citra culpam (actualem) in ultimis tabulis à patre omitti; aut, si omittatur, querelam testamenti inofficiosi filius opponet; ita, multòque fortiùs, apud Deum. Pag. 13. Nam omnes, etiam reprobi, filii regni à Christo vocantur, Matth. 8. 12. Pag. 208.

687 Reprobi non sunt filii regni cælestis prædestinatione, sed vocatione: quomodò Judæos incredulos Christus Matth. 12. *filios regni vocat*, quia ad regnum Christi specialiter erant invitati, & olim in ipsis regnavit, dum in ipsum venturum crederent. Sed quia in eum credere noluerunt præsentem, atque inter ipsos conversantem, ideò reprobati sunt. Videri possunt Hieronymus, & Dionysius Carthusianus in illum Matthæi locum.

688 Itaque non omnes sunt filii regni cælestis prædestinatione; nec ad regnum illud jus habent. Aliàs prædestinatio Sanctorum gratuita non esset, uti est secundùm Scripturam & Augustinum. Et quomodò *gratia Dei vita æterna*, si omnes tantum habeant jus ad illam, ut inofficiosi Testamenti querelam Deo valeant opponere, qui citra culpam actualem in ultimis tabulis sunt omissi, ut parvuli sine Baptismo extincti? Quâ veritatis specie dici potest, ipsos, vel adultos nunquam justificatos, querelam illam opponere posse: cùm nunquam filii fuerint; nunquam proinde hæredes, nunquam filiorum jus habentes? Sapere non videtur Sfondratus cum Ecclesia Catholica; cum qua sapiens Augustinus epist. 186. ad Paulinum: *Cùm per liberum* (inquit) *arbitrium primi hominis in condemnationem universa hominum massa defluxerit, procul dubio quòd ex ea fiunt vasa in honorem, non ipsius justitiæ, quæ gratiam nulla præcessit; sed Dei misericordiæ. Quòd verò in contumeliam, non iniquitati Dei (quæ absit ut sit apud Deum) sed justitiæ deputandum est. Hoc quisquis cum Ecclesia Catholica sapit, non contra gratiam pro meritis*, sive pro jure & debito *disputat; sed misericordiam & judicium cantat.*

Propositio VI.

In arbitrio tuo est, ut non reprobus, sed electus apud Deum sis. Pag. 36. & 41. Ideò enim Paulus præ Juda electus: quia Paulus vocationi consensurus, Judas dissensurus prævidetur. Pag. 14.

689 VAnam istam ratiocinationem, Evangelioque contrariam, Augustinus censet tr. 86. in Evang. Joan. n. 2. *Hic certè vacat vana illorum ratiocinatio, qui præscientiam Dei defendunt contra gratiam Dei; & ideò dicunt nos electos ante mundi constitutionem, quia præscivit nos Deus futuros bonos. Non hoc dicit, qui dicit:* " Non vos me elegistis. " *Quoniam si propterea nos elegisset, quia bonos futuros esse nos præsciverat, simul etiam præscisset, quòd eum nos fuissemus priùs electuri.... Quid ergo elegit in non bonis? non enim electi sunt, quia boni fuerunt, qui boni non essent, nisi electi essent. Audi ingrate, audi:* "Non vos me " elegistis, sed ego elegi vos. "

690 Vide argumentum istud cum pluribus aliis fusiùs à nobis deductum citato tomo nostro de Deo distinct. 11. q. 2. a. 6. & 7. Optandum certè ut tantus vir à Semipelagianorum semitis magis recessisset, quorum definitio ac professio fuit (teste Prospero epist. ad Aug.) eos *qui crediturі sunt, quive in ea fide, quæ deinceps per gratiam sit juvanda, mansuri sunt, præscisse ante mundi constitutionem Deum, & eos prædestinasse in regnum suum, quos gratis vocatos, dignos futuros electione, & de hac vita bono fine excessuros esse prævidit.* Quos sic refellit Aug. de prædest. Sanct. c. 18. *Intelligamus vocationem, quâ fiunt electi, non qui eliguntur, quia crediderunt; sed qui eliguntur ut credant* (ita ut prævisa fides effectus sit, non

causa prædestinationis ipsorum) *hanc enim & Dominus ipse satis aperit, ubi dicit:* „ Non „ vos me elegistis, sed ego elegi vos. „ *Nam si propterea electi erant, quia crediderant, ipsi eum priùs elegerant, credendo in eum, ut eligi mererentur.... Hæc est immobilis veritas prædestinationis & gratiæ. De qua hoc scio* (ait de dono persev. c. 9. *neminem contra istam prædestinationem, quam secundùm Scripturas sanctas defendimus, nisi errando disputare potuisse.* Unde S. Fulgentius, cumque Fulgentio Patres Synodi Sardinienſis in fin. lib. de incarn. & grat. gratuitæ istius prædestinationis veritatem tantâ prædicant certitudine, ut *quisquis*, inquiunt, *eam detrectat cordis credulitate recipere, vel oris confessione proferre, si ante ultimam diem vitæ præsentis, impietatis suæ contumaciam, quâ Deo vivo & vero rebellis obsistit, non abjecerit, manifestum est eum non pertinere ad eorum numerum, quos Deus in Christo ante mundi constitutionem gratis elegit, & prædestinavit ad regnum.*

Propositio VII.

Ea quæ Paulus Rom. 9. 12. Non ex operibus, sed ex vocante, &c. *de Gentium vocatione prosequitur, vera quidem sunt, sed difficilia intellectu, & ideò obscura. Non ergo probationi obnoxia. Pag. 70.*

691 RUrsus hîc Molinistica lingua loquitur. Molinistis namque familiare est, Scripturas sacras sibi adversantes, obscuras asserere, ut eas ad salivam suam possint pertrahere. Sed eas *de Dei lumine luminosas* Augustinus vocat l. 9. Confess. c. 4. Et Psalmista: *Testimonium Domini lucidum illuminans oculos.* Ps. 18. Redarguendus proinde P. Robertus Stephani, in Seminario Leodiensi S. T. Professor, tr. de jur. & just. disp. 2. sect. 10. subsect. 6. in eo quod dicit, *Scripturam potuisse veritates Catholicas clariùs exprimendo plurimorum perniciem impedire.* O temerariam, Spirituique sancto contumelioſam expressionem! Perinde est enim ac si diceret: Spiritum sanctum potuisse, &c. quia *Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* Est ergo aliquem claritatis defectum in Spiritu sancto asserere, eumque plurimis pernicioſum. An fortassis ipse Spiritum sanctum edocere se posse putat, Catholicas veritates clariùs exprimere, ne plurimis sint perniciosæ?

692 Agnoscunt quidem SS. Patres quamdam in divinis Scripturis obscuritatem, sed mysterioſam, sed luminoſam, sed altiori misericordique Dei providentiâ, & consilio ordinatam; quæ nihil aliud sit, quàm lumen inaccessum iis, qui sine humili docilique fide ad ejus intelligentiam accedunt. Obscuritatis proinde istius causa non est Scriptura ipsa, sed cordis nostri cæcitas, humiliſque & docilis fidei, sicut & necessariæ ad eam detergendam orationis defectus.

Id proinde quod Sfondratus addit, epistolam ad Romanos, ob suam obscuritatem, probationi obnoxiam non esse, tolerabile non videtur. Quia Apostolo, & fidei veritati, & Ecclesiæ Romanæ videtur injurioſum: cùm ea quæ de gratiæ commendatione ea in epistola Apostolus scripsit, ideò scripserit, *ut inde se prædicatio gratiæ, velut à Capite Orbis, toto Orbe diffunderet*, ut Augustinus dicit epist. 194. ad Sixtum. Si autem ea quæ in gratiæ commendationem scripsit, ob suam obscuritatem, idonea non essent probationi, nec essent idonea prædicationi. Unde non obscuram, sed apertam Apostoli ea in epistola, de veræ gratiæ commendatione sententiam, Augustinus vocat ibidem. Nec certè Sfondratus id dicere ausus fuit, nisi ut minori cum difficultate sustinere posset id quod pag. 79. ait, nimirùm quod *hîc* (Rom. 9.) *non disputat Apostolus, cur uni major minorve gratia tribuatur? cur unus ad fidem, non alius perveniat? cur unus ad electos, alter ad reprobos pertineat.... sed tantùm, cur Deus voluerit, potiùs per fidem in Christum, quàm per opera legis, in quibus Judæi tantopere confidebant, justificari.* Qua in re Apostolum interpretatur contra sensum unanimem S. Augustini, Prosperi, aliorumque Patrum, veræ gratiæ, de eaque Ecclesiæ Catholicæ doctrinam adversus Pelagianos & Semipelagianos ex epistola illa passim vindicantium. Et certè ipsa verba laudati capitis 9. id manifestum faciunt. Dicit namque Apostolus: *Cùm nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali* (*ut secundùm electionem propositum Dei maneret*) *non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: Quia major serviet minori, sicut scriptum est: Jacob dilexi, Esaü autem odio habui. Quid ergo dicemus? nunquid iniquitas apud Deum? Absit. Moysi enim dicit: Miserebor cujus misereor, &c. Ergo cujus vult miseretur, & quem vult indurat. Dicis itaque mihi: Quid adhuc quæritur? voluntati enim ejus quis resistit? O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit: Quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* Vide dicta to. nostro de Deo distinct. 11. q. 2. a. 7. n. 190. ubi pluribus demonstravi, intentum Apostoli eo loco esse, illam dilectionem Jacob præ Esaü esse typum gratuitæ electionis ad gloriam prædestinatorum præ reprobis. 693

Propositio VIII.

Hæc est libertatis creatæ natura, ut quamcumque, etiam efficacissimam, gratiam possit eludere, cassamque reddere; quod si potest, quid mirum est si aliquando agat? Pag. 9.

694 ISta non esse libertatis creatæ naturam, constat ex dictis lib. 2. cap. 10. & suprà num. 375. Omnes quidem Theologi Catholici

lici fatentur, voluntatem posse gratiæ, etiam seipsâ efficaci, dissentire si velit. Sed quòd aliquando dissentire velit gratiæ, quàmlibet efficacissimæ, est contra consensum Scholarum omnium, & contra omnes, tam S. Augustini, quàm D. Thomæ Discipulos, *contra ipsum quoque nostræ confessionis initium* (ait Augustinus Enchir. c. 96.) *quâ nos in Deum Patrem omnipotentem credere confitemur.* Neque enim *ob aliud veraciter vocatur omnipotens, nisi quoniam quidquid vult potest, nec voluntate cujuspiam creaturæ voluntatis omnipotentis impeditur effectus.* Unde epist. 217. ad Vitalem esse dicit *Pelagianorum malam, malè diffamatam, meritòque reprobatam sententiam, quæ asserit, quòd operatur quidem Deus in nobis velle & perficere; sed si Deo operanti acquiescere nolumus, nos ut operatio ejus nihil nobis prosit, efficimus.*

Propositio IX.

Non posset Judæis impœnitentia præ Sidoniis exprobrari, si utrisque æqualiter quidem Christus prædicaret, æqualiter miracula ederet, sed non utrisque gratiam internam æqualiter daret. Pag. 131. Quia, ut ait pag. 134. ut quis arguatur comparativè ad alium, necessaria est paritas virium. Comparatio enim est æqualium, non inæqualium. Et nemo paria ab iis exigit, quibus paria non dedit.

695 UT impœnitentia Judæis præ Sidoniis justè exprobretur, sufficit quòd vitio suo careant æquali gratiâ internâ, ob majorem cordis sui duritiem, vel majorem ingratitudinem erga beneficia hactenùs accepta. Ad hoc proinde necessaria non est paritas virium, ubi imparitas ex tua provenit culpa. Nam ut unus præ altero justè arguatur, sufficit quòd uterque bonum facere potuerit, debueritque, & unus voluntariè ac liberè omiserit, alter non omiserit. Frequenter enim in divinis Scripturis unus præ altero arguitur, etsi minori gratiâ interiori suâ culpâ præventus. Siquidem Luc. 7. Pharisæus arguitur præ muliere peccatrice. Rom. 2. perfidi Judæi arguuntur præ fidelibus ad fidem conversis. Latro, pendentem in cruce Christum blasphemans, arguitur præ latrone bono. Et in finali judicio reprobi omnes præ omnibus electis, tametsi certo certius sit, plerosque reprobos gratias non accepisse pares iis v. g. quas Virgo beatissima & Apostoli acceperunt.

Propositio X.

Vel hæc (orandi) gratia nemini deest, aut si alicui deest, erit aliquis sanæ mentis, qui furando, occidendo, adulterando, blasphemandoque nihil peccabit. Pag. 184.

696 GRatiam orandi infidelibus deesse, cum Apostolo docet Augustinus, id probans ex Rom. 10. *Quomodò invocabunt in quem non crediderunt?* Nec tamen innoxii sunt furando, occidendo, adulterando, &c. ut constat ex Rom. 1. necnon ex dictis cap. 22. & 30. Nec à peccato immunes fuerunt Ethnici, qui usque adeò errarunt, ut vitam quidem, opes, honores, à Deo postulari debere certò persuasi, virtutem, non à Deo, sed à seipsis petendam, pro indubitato habuerunt: qui pro obtinenda à Deo virtute orandi gratiam profectò non habuerunt.

Propositio XI.

Nullo peccato omnis gratia sufficiens & remota, hoc est gratia petendi amittitur. Pag. eadem. Quia sine ea in statu naturæ lapsæ nulla est potestas servandæ legis divinæ.

ABsurdissimum systema, ex quo sequeretur 1°. orandi gratiam ne illi quidem impio negari posse, qui ex diabolico Dei odio nullam gratiam accipere vellet, sed omnem contemneret. 2°. Deum cogi ad gratiam suam concedendam etiam invito. 3°. Christum mortuum ut homo peccare posset, sive liberum arbitrium haberet ad posse peccare. Vult enim Sfondratus, sine gratia sufficiente liberum arbitrium tolli, dum tolli vult potestatem legem servandi. Sublato verò libero arbitrio, homo peccare non potest, nec peccando demereri. Sed similem excusationem Augustinus epist. 194. ad Sixtum refellit, dicens: *Sed excusabunt se homines, qui nolunt rectè & fideliter vivere, dicentes: Quid nos fecimus, qui malè vivimus, quandoquidem gratiam, unde benè viveremus, non accepimus? Non possunt veraciter dicere, nihil mali se fecisse, qui malè vivunt: si enim nihil mali faciunt, benè vivunt: si autem malè vivunt, de suo malè vivunt, vel quod originaliter traxerunt, vel quod insuper addiderunt.* Alias Augustini, aliorumque SS. Patrum contra excusationem illam authoritates vide citato cap. 22. Adde quòd si absque gratia sufficiente nulla est observandæ legis potentia, nulla libertas, sed pœnitentiæ impossibilitas, gratia illa non est gratia; quemadmodùm enim hominî debita est libertas, ita & gratia ad libertatem necessaria. Gratia verò eo ipso gratia non est, quo debita est. Eo ipso quoque gratia non est, quo datur ex merito. Eo ipso verò datur ex merito, quo ex defectu ipsius justa est excusatio. Nam uti rursum Augustinus suprà relatus epist. 194. ad Sixtum ait: *Universi qui se nequitiis & iniquitatibus excusatos volunt, ideò justissimè puniuntur, quoniam qui liberantur, nonnisi gratiâ liberantur. Si excusatio illic justa esset, non inde jam gratia, sed justitia liberaret. Cùm verò non liberat nisi gratia, nihil justum invenit in eo quem liberat: non voluntatem, non operationem, non saltem ipsam excusationem* (amissæ libertatis, vel potestatis servandi legem) *si enim hæc justa est, quisquis utitur, merito, non gratiâ liberatur.* 697

PROPOSITIO XII.

Deus, quamvis desertus, nunquam ita deserit peccatorem, licèt obstinatissimum, ut non ei gratiam tribuat, quâ & possit pœnitere, imò & quâ actu pœniteat si velit, ut Pharaonis exemplo patuit, qui Deo flagellante, jam in Moysen exarsit, eique mortem minatus est; jam pœnituit, suumque peccatum & agnovit, & palam confessus est. Pag. 99.

698 QUosdam in pœnam peccatorum à Deo deseri, docet Scriptura, docet & Tridentinum, dum sess. 6. c. 11. docet, justos à Deo non deseri, nisi ab eis priùs deseratur. Dumque in contrarium Sfondratus profert Pharaonis exemplum, Apostolo contradicit, eum pro exemplo divinæ misericordiæ statuendo, quem Apostolus Rom. 9. pro exemplo obdurationis & negatæ misericordiæ Orbi universo proponit. Vide quæ dixi cap. 20.21.&22.

PROPOSITIO XIII.

Dantur omnibus hominibus, etiam infidelibus, ad vitam æternam consequendam, non tantùm necessariæ & sufficientes, sed copiosissimæ & abundantes gratiæ, quibus, si velint, facilè commodèque obtinere illam possunt. Pag. 121.

699 GRatiam *non omnibus hominibus dari*, velut veritatem ad fidem veram & Catholicam pertinentem, tradit Augustinus epist. 217. ad Vitalem. Et Sfondratus ei in faciem contradicit, non solùm asserendo, gratiam omnibus hominibus dari; sed & omnibus, etiam infidelibus, dari copiosissimam, & tam abundantem, ut vitam æternam, si velint, facilè & commodè valeant obtinere. Quasi gratiam suam tribuat ad vitam facilè & commodè obtinendam, qui dixit: *Quàm arcta via, & angusta est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inveniunt eam.* Pauci certè non essent, si facilè & commodè inveniri posset. *Regnum cælorum vim patitur* (ait iterùm Salvator) *& violenti rapiunt illud.* Quid opus tantâ violentiâ, si adeptio illius tam facilis sit & commoda?

700 Ast in quo (amabo!) consistunt gratiæ illæ copiosissimæ, & abundantissimæ, quæ omnibus, quàmlibet infidelibus, quàmlibet peccatoribus, dantur, etiam Tiberio, Neroni, pessimis omnium, uti dicit pag. 95. & 197. In quo (inquam) consistunt gratiæ copiosissimæ & abundantissimæ, quas largitur iis, quos (Apostolo teste Rom. 1.) in pœnam superbiæ *tradidit in desideria cordis eorum, in immunditiam, in passiones ignominiæ, in reprobum sensum*? Si Christiani sint, pag. 146. consistere dicit in multis auxiliis & adminiculis, quibus Ecclesia abundat. At constat ea non omnibus applicari. Et quo fundamento diceret ea applicari omnibus, etiam perditissimis peccatoribus, potiùs quam baptismum omnibus infantibus, qui propriâ nunquam voluntate peccarunt?

Si infideles sint & barbari, ibidem ea præ- 701
cipuè consistere dicit in cognitione Dei ex pulcherrimo hoc mundi opere collectâ, cui Angelus Tutelaris, omnibus datus, suas jungere non cessat suggestiones, sine quibus salvi esse non possunt, sicut & suos cuique conscientia stimulos jungit, ut à peccato retrahat.

Verùm isti conscientiæ stimuli in plerisque 702
suffocantur per inveteratum eorum contemptum, abjectum Dei timorem, & sui traditionem in omnem immunditiam, & in scelera quæque; uti se expertos plerique ex ejusmodi peccatoribus fatentur.

Experientiâ etiam constat, non omnia à SS. 703
Angelis omnibus hominibus præstari, quæ ad salutem necessaria sunt, & salvâ libertate præstare possunt: Barbaris namque & infidelibus omnibus Evangelium prædicare possent, & alia præstare, quibus ad fidem Deo aspirante moverentur, & à maximis sceleribus deterrerentur. At *paucissimis est donatum* (ait Augustinus de dono persev. c. 19.) *ut, nullo sibi homine prædicante, per ipsum Dominum, vel per Angelos cælorum, doctrinam salutis accipiant.* Ipsis quoque fidelibus quot præstare possunt salutis auxilia, noxias cogitationes, & inutilia phantasmata removendo, congruas suggestiones inspirando, à pravis societatibus & consiliis revocando, &c. Quæ tamen non omnibus præstant: quia Dei voluntas non est ut præstent. Angeli verò, licèt omnes homines viatores charitate complectantur, in beneficiis præstandis non tam communia charitatis dictamina, quàm Dei voluntatem nutusque consulunt, à quibus nec unguem latum recedunt. Nihil proinde certi, de officiis Angelorum Custodum erga homines, habere possumus ex rationis humanæ conjecturis vel discursibus; sed ex sola Scriptura, Traditione, divina revelatione, vel experientia. Ex quibus nihil pro sua illa opinione Sfondratus habet.

Denique cognitionem Dei, ex pulcherrimo 704
hoc mundi opere collectam, sufficere quis dicat infidelibus ad salutem? Propositionem hanc vigesimam-tertiam Innocentius XI. damnavit: *Fides latè dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo, ad justificationem sufficit.* Damnavit & vigesimam-secundam: *Nonnisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita Remuneratoris.* Cùmque Pelagiani dicere auderent, sine fide Christi hominem pervenire posse ad justificationem & salutem, S. Augustinus in l. de nat. & grat. c. 2. sic ipsos confutavit: *Quid faciet humana natura, vel quid fecit, quæ vel antè non audierat hoc futurum, id est sacramentum divinitatis & humanitatis Christi, quod manifestatum est in carne, vel adhuc non comperit*

factum, nisi credendo in Deum, qui fecit cælum & terram, à quo & se factam naturaliter sentit, ut rectè vivendo ejus impleat voluntatem, nullâ fide Passionis Christi, & Resurrectionis imbuta? Quod si fieri potuit, aut potest, hoc & ego dico, quod de lege dixit Apostolus: „ Ergo Christus gratis mortuus est. „ *Si enim hoc ille dixit de lege quam accepit Gens una Judæorum; quantò justiùs dicitur de lege naturæ, quam accepit universum genus humanum: si per naturam justitia, ergo Christus gratis mortuus est? Si autem non gratis Christus mortuus est: ergo omnis humana natura justificari & redimi ab ira Dei justissima, hoc est à vindicta, nullo modo potest, nisi per fidem & sacramentum sanguinis Christi.* Et in lib. de peccato orig. contra Pelag. & Cæleſt. c. 24. *In causa duorum hominum, quorum per unum venumdati sumus sub peccato, per alterum redimimur à peccatis.... propriè fides Christiana consistit. Unus est enim Deus, & unus Mediator Dei & hominum homo Christus Jesus. Quoniam non est aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri: & in illo definivit Deus fidem omnibus, suscitans illum à mortuis. Itaque sine ista fide, hoc est sine fide unius Mediatoris Dei & hominum, hominis Christi Jesu; sine fide (inquam) resurrectionis ejus, quam Deus omnibus definivit, quæ utique sine incarnatione ejus ac morte non potest veraciter credi; sine fide ergo incarnationis, & mortis, & resurrectionis Christi, nec antiquos justos, ut justi essent, à peccatis potuisse mundari, & Dei gratiâ justificari, veritas Christiana non dubitat: sive in eis justis, quos sancta Scriptura commemorat, sive in eis justis, quos quidem illa non commemorat, sed tamen fuisse credendi sunt, vel ante diluvium, vel inde usque ad legem datam, vel ipsius legis tempore, non solùm in filiis Israël, sicut fuerunt Prophetæ; sed etiam extra eumdem populum, sicut fuit Job. Ipsorum* enim *corda eâdem mundabantur Mediatoris fide, & diffundebatur in eis charitas per Spiritum sanctum, qui ubi vult spirat, non merita sequens, sed etiam ipsa merita faciens. Non enim Dei gratia erit ullo modo, nisi gratuita fuerit omni modo.* Et c. 26. *Non igitur, sicut Pelagius, & ejus discipuli, tempora dividamus, dicentes,* „ primùm vixisse justos homines „ ex natura; deinde sub lege; tertiò sub gratia. „ *Ex natura scilicet ab Adam, tam longâ ætate, quâ lex nondum erat data.* „ Tunc „ enim „ (*aiunt*) „ duce ratione cognoscebatur „ Creator; & quemadmodùm esset vivendum, „ scriptum gerebatur in cordibus, non lege litteræ, sed naturæ. Verùm vitiatis moribus „ (*inquiunt*) „ ubi cœpit non sufficere natura „ jam decolor; lex ei addita est, quâ velut luna fulgori pristino, detritâ rubigine, redderetur. Sed posteaquam nimia (*sicut disputant*) „ peccandi consuetudo prævaluit, cui sanandæ „ lex parùm valeret, Christus advenit, & tamquam morbo desperatissimo, non per discipulos, sed per seipsum Medicus ipse subvenit.* “

Hæc Pelagius & discipuli ejus: qui *hæc disputantes* (prosequitur Augustinus) *à gratia Mediatoris justos excludere conantur antiquos, tamquam Dei & illorum hominum non fuerit Mediator homo Christus Jesus: quia nondum ex Virginis utero carne susceptâ, homo nondum fuit, quando illi justi fuerunt. Quod si ita esset, nequaquam Apostolus diceret:* “ Per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Sicut enim in Adam omnes moriuntur; sic & in Christo omnes vivificabuntur. “ *Quandoquidem illi antiqui justi, secundùm istorum vaniloquia, sibi sufficiente naturâ, nec Mediatore homine Christo indiguerunt, per quem reconciliarentur Deo: nec in eo vivificabuntur, ad cujus corpus & membra, secundùm id quòd propter homines homo factus est, non pertinere monstrantur. Si autem..... sicut in Adam omnes moriuntur, sic & in Christo omnes vivificabuntur..... quis audeat dubitare Christianus, etiam illos justos, qui recentioribus generis humani temporibus Deo placuerunt, ideò in resurrectionem vitæ æternæ..... esse venturos, quia in Christo vivificabuntur. Ideò autem vivificari in Christo, quoniam ad corpus pertinent Christi; & ideò pertinere ad corpus Christi, quia ipsis caput est Christus; & ideò ipsis caput esse Christum, quia unus Mediator est Dei & hominum, homo Christus Jesus? Quod eis non fuisset, nisi in ejus resurrectionem per ejus gratiam credidissent. Et hoc quomodò fieret, si eum in carne venturum esse nescissent, neque ex hac fide juste pièque vixissent? .... Neque putandum est, quòd antiquis justis sola quæ semper erat divinitas Christi, non etiam quæ nondum erat ejus humanitas revelata profuerit. Illud enim quod ait Dominus Jesus:* “ Abraham concupivit diem meum “ videre; & vidit, & gavisus est. “ *Si diem suum voluit suum tempus intelligi, testimonium profectò perhibuit Abrahæ, quòd fide fuerit incarnationis ejus imbutus. Secundùm hanc enim habet tempus; divinitas verò ejus omne tempus excedit,* &c. Similia habet l. 1. contra duas epist. Pelag. c. 21. & l. 6. contra Julian. c. 2. 705

Hinc itaque constat, solam cognitionem Dei existentis & providentis, sine fide explicita Incarnationis Christi, juxta Augustinum non sufficere ad vitam æternam, uti sufficere dicit Sfondratus pag. 169. Et ideò Tridentinum sess. 6. c. 1. & deinceps, docet *nec Gentes per vim naturæ, nec Judæos per ipsam etiam litteram legis Mosaicæ, à servitute peccati liberari potuisse,* seu justificari; sed per fidem Christi, quem *& ante legem, & legis tempore multis SS. Patribus declaratum ac promissum, cùm venit beata illa plenitudo temporis, ad homines cælestis Pater misit, ut.... omnes adoptionem filiorum reciperent.... per fidem in sanguine ipsius,* &c. ut loquitur c. 2. 706

Propositio XIV.

Planè ipsa divinæ bonitatis ratio exigit, ut in dandis majoribus aut minoribus gratiis, major minorve necessitas & infirmitas peccatoris attenderetur. Ideò enim plura remedia Judæ reprobo adhibita quàm Petro electo: quia illi gravior morbus; & ideò pluribus remediis curandus. Pag. 107.

707 O Domine Deus! cur in consilium tuum Sfondratum non advocasti? Te utique docuisset, qualiter in distributione gratiarum te gerere debuisses. An non hoc vanum est? Verùm-enimverò vaniloquium istud rationis purè humanæ refellit Augustinus l. 1. ad Simplic. n. 22. cùm dicit: *Non habeo quod intuear in eligendis hominibus ad gratiam salutarem..... nisi vel majus ingenium, vel minora peccata, vel utrumque. Addamus etiam, si placet, honestas utilesque doctrinas. Quisquis ergo fuerit quàm minimis peccatis irretitus, atque maculatus (nam nullis quis potest?) & acer ingenio, & liberalibus artibus expolitus, eligendus videtur ad gratiam. Sed cùm hoc statuero, ita me ridebit ille, qui infirma mundi elegit, ut confundat fortia*, &c. Non satis oculatus fuit Augustinus; aliud reperit Author Nodi dissoluti, quod Dei bonitatem obliget ad dandas gratias majores; non utique minora, sed majora peccata: utpote quæ majorem inferunt necessitatem, propter quam divinæ bonitatis ratio exigit, majora ipsi provideri remedia: ita ut maxima Judæ impietas, perfidia, Christi proditio & deicidium causa fuerint, propter quam divinæ bonitatis ratio exigeret, majores illi reprobo gratias conferri, quàm S. Petro electo. Hactenùs creditum est, majora peccata, causam esse propter quam suas Deus gratias vel subtrahat vel minuat. At oppositum credere jubet novi systematis Author, majora utique peccata causam esse, propter quam divinæ bonitatis ratio exigit majores gratias conferri imitatoribus Judæ reprobi, quàm imitatoribus Petri electi. Verùm Author ille non vidit majores illas gratias, gratias non esse, si omninò gratis non conferantur; gratis autem non conferri, si ratio divinæ bonitatis exigat eas conferri. Non vidit etiam se contradicere divinis Scripturis, ex quibus habemus gratiarum talenta auferri non facientibus ex eis fructum, & propterea Judæis Salvatorem dixisse: *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum illius.* Habemus item, quòd *terra sæpè venientem super se bibens imbrem, & generans herbam opportunam illis à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo. Proferens autem spinas ac tribulos, reproba est, & maledicto proxima.* Hebr. 6. Corrigit Apostolum novi systematis Author, juxta quem terra illa tantò majoribus gratiis benedicitur à Domino, quantò pejores herbas, spinas, ac tribulos producit. Corrigit & Angelos, apud Prophetam dicentes: *Curavimus Babylonem, & non est sanata, derelinquamus eam.* Dicere enim debent: *Curavimus Babylonem, & non est sanata, majoribus remediis curemus eam*, &c.

Propositio XV.

Id quod Augustinus ex professo contra Pelagium defendit, non aliud fuit, quàm gratiam non ex præcedente merito, sed ex solo Dei proposito meroque beneplacito conferri.... Reliqua, quæ velut incidenter hanc causam comitari poterant, Augustinus aut omisit, tamquam occulta, aut incerta, aut se ignorare professus est, aut disputando, aut inquirendo potiùs quàm decidendo scripsit. Pag. 56.

708 Isto idiomate loqui solent illi, qui in materia de gratia pluribus Augustini contra Pelagianos disputantis dogmatibus manifestè adversantur; sed Augustinus ipse multa alia, velut ad fidem veram & catholicam pertinentia se defendisse testatur epist. 217. ad Vitalem, ubi inter alia in hac materia, sequentes articulos ad fidem pertinentes firmissimè defendit: *Scimus gratiam majoribus ad singulos actus dari. Scimus non omnibus hominibus dari. Scimus eis, quibus non datur, justo judicio Dei non dari*, &c. Gratiam etiam seipsâ efficacem contra eosdem defendit in l. de grat. Christi c. 10. *Nos eam gratiam volumus iste Pelagius aliquando fateatur, quâ..... non solùm suadetur omne bonum, verùm & persuadetur...., Hanc debet Pelagius gratiam confiteri, si vult..... esse Christianus.* Quod c. 47. explicat de gratia, quæ *non solùm dat possibilitatem.... sed ipsam quoque voluntatem & actionem.... sic ut sine illo adjutorio nihil benè velimus & agamus.*

709 Multa alia occurrunt in Nodo dissoluto, quæ sapientissimis viris, & Ecclesiarum Præsulibus videntur reprehensione digna. Sed istâ sufficiunt ad demonstrandum, quòd licèt usque ad Calvini tempora Augustinus vixisset, novo hoste, belloque instante, novis armis ad ipsum debellandum opus non habuisset, sed suis consuetis armis de ipso triumphasset: utpote plurimùm idoneis ad tuendam adversus Calvinum libertatem. Simul namque contra Pelagianos gratiam, & contra Manichæos tuitus est libertatem, quam ab ipso convelli Pelagiani calumniabantur. Nec nos igitur aliis quàm Augustini armis opus habemus ad profligandum Calvinum, aliosque hujus temporis hæreticos. Nam, ut egregiè Fulgentius l. 2. de verit. prædest. c. 18. *Augustinus turrim fortitudinis ipsam gratiam tenens, & exinde cuncta hostilium machinamenta telorum cælestis juvaminis virtute confringens, non solùm ipse de hoste victoriam referens triumphavit, quin etiam posteris certandi & vincendi ordinem ostendit. Sensum quippe Christi habens, tam gratiæ, quàm humani arbitrii & officia discrevit, & merita.*

CAPUT XXXIII.

Doctrinam de gratia, toto hoc libro assertam, confirmat doctrina quinque articulorum, S. Sedi anno 1663. à Theologis Gallis, & anno 1689. à Theologis Belgis oblatorum, quam Alexander VII. approbavit, Scholaque universa tam S. Augustini, quàm S. Thomæ, defendendam suscepit. Confirmat & Censura tam Lovanienſis, quàm Duacenſis, adversus Lessium & Hamelium annis 1587. & 1588. edita, in qua post distinctissimum examen, nihil reprehensibile S. Romana Inquisitio Generalis invenit.

710 NOn semel dixi esse quoddam genus hominum, qui victricis Ecclesiæ pacem inquietare amantes, objecto veris S. Augustini & S. Thomæ Discipulis Jansenismi phantasmate, Ecclesiam reverà inquietant, omnibusque gratiæ per se efficacis Defensoribus (tametsi quinque propositiones ab Innocentio X. Alexandro VII. & Clemente XI. damnatas verè & sincerè ejurantibus, omniaque Summorum Pontificum Decreta, eâ quâ decet obedientissimos Ecclesiæ filios, veneratione ac submissione recipientibus) sanctissimis etiam Episcopis & Cardinalibus, phantasma illud objiciunt; uno verbo Antimolinistis omnibus, ut scilicet hoc terriculo Molinismum suum promoveant, Antimolinismum deprimant. Sed benè est quòd illi quos ipsi Jansenistas vocant, *pratenſos Janſeniſtas* Innocentius XII. appellet, invidiosoque hoc nomine quemquam traduci vetet, nisi legitimè constet aliquam ex quinque memoratis propositionibus tenere.

711 Interim ad compescendas, quantùm in ipsis est, calumniosas istas objectiones, & obstruendum os loquentium iniqua, coram Summis Pontificibus Alexandro VII. & VIII. coram omnibus etiam Episcopis, Principibus, Magistratibus Christianis, & universis Christi fidelibus, Theologi, tam Belgæ, quàm Galli, Sanctorum Augustini & Thomæ hac in re Discipuli, palàm & publicè hanc fecerunt fidei suæ, atque erga SS. Pontificum Constitutiones obedientiæ professionem: *Quoscumque in famosis quinque propositionibus errores Constitutionibus suis damnarunt* Innocentius X. & Alexander VII. Summi Pontifices, *eos se ex animo & semper damnasse, & usque damnaturos esse, quocumque tandem in libro, à quocumque Scriptore asserti reperiantur, atque defensi. Quæ fidei capita per easdem Constitutiones sancita manere illi decreverunt, ea se pro sancitis & semper habuisse, & usque habere.* Suorum denique, circa quinque propositionum materiam, sensuum Summam in una se constituere S. Augustini & S. Thomæ doctrina, de gratuita & absoluta Sanctorum prædestinatione, ac de gratiæ seipsâ efficacis auxilio, ad singula christianæ pietatis officia & opera necessario, prout utrumque caput in Romana de Auxiliis Congregatione sub piæ memoriæ Pontificibus Clemente VIII. & Paulo V. judicatum est, ac prout explicantur in sequenti expositione, Apostolicæ Sedi ante triginta annos oblata, eique probata. Sed antè de Belgicis Censuris Lovanienſi ac Duacenſi loquemur, eundem in finem S. Sedis judicio anno 1679. oblatis, ob quem quinque articuli illi anno 1663. & 1689. oblati fuere.

Cùm enim Academia Lovanienſis (favente Catholicâ Suâ Majestate) tres Doctores suos anno 1677. ad S. Sedem deputasset, ab Innocentioque XI. ipsi anno 1679. solemne judicium obtinuissent, quo sexaginta quinque propositiones, materiam moralem concernentes, condemnatæ fuerunt; eidem Sanctissimo Domino Censuram Lovanienſem anni 1587. ac Duacenſem anni 1588. examinandas obtulerunt, enixè rogantes, ut ad dissipandas malevolorum calumnias, S. Sedes judicium suum super iis pronuntiaret. Earum examen Sanctitas Sua Congregationi sancti Officii commisit. A qua si probatæ fuerint, tota nostra de gratia doctrina, in superioribus capitibus asserta, probata fuit: utpote in Censuris illis contenta, validèque defensa, uti monstravimus. Sit itaque

§. I.

Censurarum Lovanienſis ac Duacenſis approbatio per Congregationem ſancti Officii.

712 POst accuratum itaque examen trium & ampliùs mensium, selecti ab Innocentio XI. magni nominis Theologi, Raymundus Capisuccus, sacri Palatii Apostolici Magister, Dominicus Maria Puteobonellus, Romanæ Universalis Inquisitionis Commissarius, Nicolaus Mirabella, & Laurentius de Laurea (quorum primus & postremus, ob egregia sua in Ecclesiam merita, ad Purpuram posteà evecti fuere) judicium suum S. Congregationi retulerunt, Censurarum utique doctrinam sanam orthodoxamque esse, nullique damnationi seu reprehensioni obnoxiam. Quare 9. Junii Illu- 713
strissimus D. Piazza, S. Officii Assessor, nomine Eminentissimorum Cardinalium S. R. E. Generalium Inquisitorum, Deputatis Lovanienſibus expresse significavit, Censuras illas tutò legi, doceri, typisque mandari posse; etsi de eo instrumentum authenticum, à Lovanienſibus petitum non consignaverit, causatus id esse præter morem ac stylum S. Congregationis.

De veritate tamen ipsius facti tot & tam 714
præclara testimonia, omni fide dignissima, producit clarissimus Author Historiæ Congregationum de Auxiliis l. 1. cap. 9. & 10. ut veritas ista rationabiliter in dubium revocari non possit, solique eam diffiteantur, quibus nihil Societati suæ incommodum, quantâlibet evidentiâ demonstratum) fateri solemne est.

§. II.

Quinque articulorum exhibitio & approbatio per Alexandrum VII.

Articulus I.

Circa primam propositionem Jansenianam.

715 ILlum ex integro habes suprà cap. 26. num. 565. sub finem. Vide ibi.

Articulus II.

Circa secundam.

716 GRatia interior duplex est. Alia efficax, quæ semper producit effectum, ad quem impellit voluntatem: alia inefficax, quæ voluntatem excitat ad effectum, quem non producit.

717 Prior gratia, ea est, quam simpliciter, propriè & absolutè efficacem Thomistæ vocant. Huic resisti quidem semper potest, ut iidem docent; at nunquam ita resistitur, ut effectu illo privetur, ad quem impellit voluntatem. Quod aliis vocibus sic exprimunt, ut resisti posse dicant in sensu diviso, non autem in sensu composito.

Secunda autem ea est, quam tum excitantem, tum inefficacem, tum sufficientem idem significantibus verbis vocant. Huic verò resistit ac renititur voluntas, eamque effectu suo privat, ad quem excitat, & ad quem potestatem largitur superiùs explicato Thomistarum sensu sufficientem. Potest quidem illi voluntas consentire; nec tamen, si absit gratia efficax, unquam consentit; non defectu antecedentis potestatis; sed liberâ suiipsius in oppositum determinatione.

718 Sed quamvis gratia illa, per se spectata, effectu illo careat, ad quem tendit, ad quem voluntatem excitat, & ad quem per antecedentem Dei voluntatem destinatur; adeòque falsum sit hoc sensu, omnem Christi gratiam semper habere eum effectum quem Deus vult: si tamen spectetur ut cum absoluta Dei voluntate conjuncta, meritò hoc sensu efficax dici potest: quia semper id in corde hominis operatur, quod Deus absolutâ voluntate intendit. Certum est enim apud Thomistas, auxilium sufficiens respectu unius actûs, semper esse efficax respectu alterius, ad quem efficiendum decreto absoluto divinæ voluntatis destinatur; adeòque apud illos omnis gratia est efficax alicujus effectûs, ejus nimirùm ad quem proximè ordinatur, & quem Deus absolutâ voluntate intendit, juxta illud Isaïæ: *Verbum quod egreditur de ore meo, non revertetur ad me vacuum; sed faciet quæcumque volui.*

Articulus III.

Circa tertiam.

719 AD merendum & demerendum, in statu naturæ lapsæ, non sufficit libertas à coactione; sed requiritur libertas à necessitate. Quamvis enim gratia per se efficax infallibiliter & insuperabiliter voluntatem ad agendum determinet, atque ita nunquam voluntas illi actu dissentiat; non tamen inducit necessitatem, quia non tollit dissentiendi potestatem. Est ergo perpetuò in homine lapso illud quod Thomistæ statuunt activæ indifferentiæ genus, quam proximam dicere nihil vetat, dummodò ab hoc verbo semoveas illum sensum, ut voluntas per efficacem gratiam mota credatur nunc consentire, nunc dissentire, sive, quod idem est, nunc actualem consensum, nunc verò actualem dissensum cum ejusmodi gratia componere.

Articulus IV.

Circa quartam.

720 TAntum abest ut Semipelagiani ideò hæretici fuerint, quòd dicerent, gratiæ nos consentire & dissentire posse; ut potiùs certum & minimè dubium sit, cuicumque gratiæ, etiam efficaci, resisti posse, id est, cum quacumque gratia simul remanere activam, atque, ut suprà dictum est, proximam dissentiendi potestatem; licèt actu, ut etiam suprà dictum est, nunquam efficaci gratiæ dissentiatur.

Articulus V.

Circa quintam.

721 GRatuitæ prædestinationis doctrina maximam jure merito apud omnes Scholas Catholicas authoritatem obtinet. Hujus autem doctrinæ hæc Summa est, ab omnibus ejus Defensoribus recepta: solis electis, si spectetur non antecedens, sed absoluta & efficax Dei voluntas, salutem æternam absoluto Dei decreto destinatam esse, cum ea gratiarum ac beneficiorum serie, quibus certissimè liberantur quicumque liberantur; quorum beneficiorum utique præcipuum est perseverantiæ donum, quod nemo proprium esse prædestinatorum inficiatur.

722 Hinc sequitur, Christum, cujus absoluta voluntas paternæ semper conformis extitit, hoc decretum, nec precibus, nec morte sua simpliciter & absolutè mutare voluisse. Itaque solis illis absolutè & efficaciter promereri voluit salutem æternam, & perseverantiæ donum, quos sibi à Patre datos, & de manu sua à nemine ereptum iri, in Evangelio dicit.

De his capitibus, apud omnes gratuitæ prædestinationis Defensores convenit; quibus ea tantùm Christi mortis omnibus impensæ generalitas excluditur, quâ collatæ omnibus hominibus asseruntur gratiæ ita sufficientes, ut præterea efficacem ad volendum seu operandum non requirant.

723 Sed, hâc opinione demptâ, nihil obstat, imò prorsus veritati consentaneum est, dicere,

„re, Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse, ac sanguinem fudisse. Tum „quia antecedenti voluntate salutem omnium „voluit. Tum quia sufficiens pro omnibus pretium obtulit.

724 Falsum autem est, & hæreticum, dicere, „Christum pro salute duntaxat prædestinatorum „mortuum esse: cùm multis reprobis, omnibusque adeò justificatis, gratias, traditâ à Thomistis notione sufficientes meruerit, quibus „ad salutem pervenire possent; quamvis nemo „iis benè utatur, & in accepta justitia perseveret, nisi uberioribus illis & efficacibus auxiliis adjuvetur.

725 Hosce articulos orthodoxos esse, & sanos, ab omnique hæreseos suspicione alienos; nec Jansenianis sensûs nomine à Summis Pontificibus Innocentio X. & Alexandro VII. intellectos, plurima sunt quæ prorsus evincunt.

Primò namque, cùm eorum exemplar à Theologis Gallis 23. Jan. 1663. subscriptum, depositum fuisset apud Illustrissimum Convenarum Episcopum, & in iis nihil ipse, nihil Illustrissimus Harduinus de Perefixe, Parisiensis Archiepiscopus, nec Illustrissimus Henricus de la Motte-Houdencourt, Archiepiscopus Auscensis, nec Illustrissimus Franciscus de Harlay, Archiepiscopus Rothomagensis (quibus ab Episcopo Convenarum communicati fuerunt) nisi sanum & catholicum deprehendissent, eorumdem Theologorum Gallorum rogatu, scriptis ad Alexandrum VII. litteris, articulos illos mense Junio idem Episcopus transmisit; qui acceptis litteris, examinatisque articulis, cùm doctrinam illis contentam cum ea contulisset, quam à Theologis illis doceri calumniosa Adversariorum suggestio persuaserat: ad Gallicanos Episcopos die 29. Julii ejusdem anni rescribens, hæc lætitiæ verba expressit: *Illud non mediocri gaudio animum nostrum perfudit, quod litteris ex Gallia recens allatis accepimus, illorum in dies crescere numerum, qui* RECTA SAPIUNT.... AD SANIOREM DOCTRINAM INDUCTI. Igitur articulos illos ab omni erroris suspicione liberos declaravit, de Theologis, quorum nomine transmissi fuerant articuli, dicendo, quòd *recta sapiunt*, eorumque doctrinam esse *saniorem*.

726 Enimverò hoc sensu Augustiniani Theologi Breve Apostolicum intellexerunt, de Pontificiaque articulorum suorum approbatione palàm sibi congratulati sunt in declaratione Suæ Majestati Christianissimæ oblatâ 24. Septembris proximè sequentis, ab eadem Majestate absque contradictione susceptâ, Clerique Gallicani actis insertâ, atque ipso jubente ad omnes Episcopos missâ.

727 Eodem sensu illud intellexit quatuordecim Episcoporum Cœtus 2. Octobris congregatus, in epistola eodem die ad ipsummet Alexandrum VII. ab ipsis scripta, nec tamen Pontifex ullatenùs contradixit.

728 Eodem iterùm sensu Alexandri VII. verba intelligenda esse, & quinque articulos sanioris doctrinæ esse à Pontifice appellatos, tam in epistola ad Eminentiss. Cardinalem Franciscum Barberinum, eodem mense Octobri, quàm in altera ad Regem Christianissimum scripta 21. Januarii 1664. Illustrissimus Convenarum Episcopus scripsit.

Illustrissimus quoque Episcopus Alectensis, 729
Nicolaus Pavillon (cujus eximias virtutes, & pro servanda Theologorum unitate ac concordia flagrantem zelum Pontificiis litteris suis extulit sanctæ memoriæ Papa Innocentius XI.) in epistola 7. Novembris 1667. data ad Illustriss. Harduinum de Perefixe, Archiepiscopum Parisiensem, hæc scripsit: *De quinque propositionibus suam fidei professionem, totidem articulis comprehensam, ad Alexandrum VII. Pontificem maximum miserunt Theologi qui suprà; quæ certè orthodoxa passim judicata est, in qua & ipse Pontifex nulla se nisi sanioris doctrinæ verba inveniisse, rescripto suo significavit.*

Et ideò articulorum illorum defensionem, 730
tota Discipulorum S. Augustini, tota etiam D. Thomæ Schola suscepit, teste Gonet in Apologia Thomistarum, ubi & ipse testatur articulorum illorum doctrinam ab Alexandro VII. declaratam esse sanam & Catholicam, continereque sensum, quo doctrina de gratia *in Schola* (inquit) *Thomistarum docetur.* Ita etiam alii celebres Thomistæ, Antoninus Reginaldus, Vincentius Baronius, Massoulieus, Contensonus, Seraphinus, Pichinardus, Authores anni Dominicani, Norbertus d'Elbecque; & quidni dixero inclytus Ordo totus S. Dominici? Cùm enim Patres Societatis nullum non moverent lapidem, ut quinque articuli illi Romæ proscriberentur, eumque in finem persuadere conarentur eos fraudulentos esse, neque S. Thomæ Thomistarumque doctrinam continere; librum, cui titulus: *Fraus quinque Articulorum*, anno 1691. vel 1692. communicarunt R. P. Generali Ordinis Prædicatorum, rogantes ut unà cum ipsis eorum proscriptionem sollicitaret. Eorum examen ipse primariis Ordinis sui Theologis commisit, P. Riccio, P. Massoulieo, P. Fonsecæ, P. Sarrabiæ, & P. Serri; quibus auditis, responsum est Sociis, Ordinem S. Dominici non posse eorum condemnationem unà cum ipsis sollicitare, imò paratum eorum defensionem suscipere.

Denique complures alii Theologi, etiam 731
Romani, totaque Academia Lovaniensis, plerique etiam sapientissimi Cardinales eosdem articulos approbarunt. Quos inter eruditione clarissimus, veritatisque amator sinceriissimus, Cardinalis Aguirius, ut audivit istam esse genuinam Theologorum Lovaniensium de gratia & prædestinatione doctrinam, incredibili gaudio perfusus, ipsos prorsus catholicè sentire palàm edixit, sinistramque de ipsis opinionem, quam perperàm informatus conceperat, retractavit, uti vidimus num. 626. Liber verò inscriptus: *Fraus quinque Articu-*

torum, Romæ per S. Officium damnatus fuit 30. Martii 1692. Sicut & anno 1693. 30. Januarii alius liber, inscriptus: *Disquisitio Historico-Theologica, an Jansenismus sit merum phantasma, per Jacobum de Montbron*, contendens quinque propositiones Jansenianas in illis quinque articulis contineri. Vel ipsi ergo Socii fateri debent nullum in eis errorem contineri, vel se perpetuò velle pacem Ecclesiæ turbare, omniaque
732 pacis consilia respuendo, sine fine litigare.

Alios, si tamen alios, circa quinque Jansenii propositiones articulos, catholicum circa eas sensum exprimentes, Romam nuperrimè misit eximius Doctor Hennebellus; quibus visis, SS. D. N. Clemens XI. per eos Apostolicis Constitutionibus satisfieri eidem rescribi jussit, prout ex ore ipsius accepi. Sunt autem sequentes.

1us. Nulla Dei præcepta hominibus justis, etiam remissè tantùm & imperfectè volentibus & conantibus, secundùm præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia, nec deest illis gratia, quâ possibilia fiant, cui nisi ipsi defuerint, sicut cœpit Deus in eis opus bonum, ita perficiet, operans in eis velle, & perficere.

2us. Interiori gratiæ, etiam actuali, quâ Dei præcepta possibilia fiunt, in statu naturæ lapsæ sæpè resistitur, ac tunc interior illa gratia frustratur effectu, ad quem per antecedentem Dei voluntatem destinatur.

3us. Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ, requiritur in homine libertas, non tantùm à coactione, sed etiam à quacumque necessitate, ita ad unum determinante, ut potestatem ad oppositum tollat.

4us. Nec Semipelagiani omnes admiserunt prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, nec quamvis eam admisissent, ideò fuissent hæretici, quòd vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare; hæc enim propositio, *Potest humana voluntas prævenienti gratiæ interiori resistere vel obtemperare*, nec hæretica est, nec Semipelagiana, sed sana, tuta, & Orthodoxa.

5us. Non est Semipelagianum, sed valdè Orthodoxum dicere, *Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse, sanguinem fudisse, sufficiensque pretium pro omnibus, animo eos redimendi, obtulisse.* Dicere autem *Christum pro salute duntaxat prædestinatorum mortuum esse*, hæreticum est, non solùm quia Christus voluntate antecedente salutem omnium voluit, sed vel maximè quia absolutè & efficaciter morte sua promeritus est tot reprobis tam multiplices gratias, quibus nisi ipsi deessent, uberioribus adjuvarentur; atque ita ad salutem pervenire possent.

LIBER DECIMUS.

AMOR INORDINATUS,

Sive

De peccatis.

SI actus quicumque bonus & virtuosus, vel amor est ordinatus, vel ex ordinato amore profluit, prout hactenùs est demonstratum; sequitur per regulam contrariorum, omne peccatum, sive actum quemcumque malum, & vitiosum, vel amorem esse inordinatum, vel ex eo procedere. Nemo quippe peccat, nisi qui inordinatè diligit. Quid enim peccatum, nisi *dictum, factum, vel concùpitum contra legem Dei?* Et quomodò non inordinatè diligitur, quod, contra amoris ordinem, æternam scilicet legem, concupiscitur? Quid magis inordinatum, quid magis rationi dissonum, quid Deo magis injuriosum, quàm creaturæ Deum, rei (inquam) vilissimæ summum bonum postponere, postpositoque vero Deo, rem vilissimam habere pro Deo? Hoc autem profectò facit, quisquis finem ultimum in creatura constituit, prout constituit omnis mortaliter peccans. Quod enim de peccatoribus quibusdam Apostolus dixit, *quorum Deus venter est*, de omnibus finem ultimum in creatura ponentibus verum est, quorum Deus creatura est. Optimè proinde Hieronymus in Psal. 80. *Quacumque vitia habemus, & quæcumque peccata, tot recentes habemus deos. Iratus sum: ira mihi Deus est. Vidi mulierem, & concupivi: libido mihi Deus est. Unusquisque enim quod cupit*, velut ultimum finem, *hoc illi Deus est.* Quomodò miseriam & pœnam evadere potest, qui hoc facit? Tanta nihilominùs est perversitas, tanta cæcitas hominum, ut miseri esse nolint, nec puniri; peccatum nihilominùs, pœnæ ac miseriæ causam indivulsam, amare velint. *Flagella sua dolent homines* (ait Augustinus in Psal. 32. & 37.) *quare flagellantur non dolent. Perversi sunt homines, qui mali volunt esse, miseri nolunt.* Sed, ut idem alio loco dicit: *Justisti Domine, & ita est, ut omnis inordinatus animus pœna sit sibi.* Quia non potest non esse *pœna sua*, *quem torquet conscientia sua.* conc. 2. in Psal. 37. Unde 14. Civit. 4. optimè concludit, omne peccatum esse mendacium, quia promittit bonum, & infert malum; promittit voluptatem, & infert amaritudinem: *Non frustrà dici potest, omne peccatum esse mendacium. Non enim fit peccatum,*

tum, nisi ex voluntate, quâ volumus ut benè sit nobis, vel nolumus ut malè sit nobis. Ergo mendacium est, quod, cùm fiat ut benè sit nobis, hinc potiùs malè est nobis; vel cùm fiat ut melius sit nobis, hinc potiùs pejus est nobis. Eo ipso proinde creatura *perniciosa est amatori*, quo *præponitur Creatori.* In Psal. 79. Et, ut idem ait epist. 120. nunc 140. cap. 2. *Non efficit anima, perversè utens creaturis, ut ordinationem effugiat Creatoris: quoniam si illa malè utitur bonis; ille benè utitur etiam malis. Ac per hoc illa perversè bonis utendo fit mala: ille ordinatè etiam malis utendo, permanet bonus. Qui enim injustè se ordinat in peccatis, justè ordinatur in pœnis.*

PARS I.

De peccatis in genere.

DE peccatis agit Theologia nostra Sanctorum, sicut medicina de venenis; non ut illa doceat, sed ut curet. Frustrà namque se profitetur cordis medicum, qui peccata non novit, vulnera animorum. Sit itaque

CAPUT PRIMUM.

Peccati definitio.

1 PEccatum rectissimè definit Augustinus: *Dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei æternam*, 22. contra Faust. 27. Hæc quippe definitio, utpote complectens peccata oris, cordis, operis, complectitur omnia peccata (quæ ad aliquod istorum reducuntur) optimèque declarat essentiam peccati, per contrarietatem ad legem Dei æternam.

2 Imprimis definitio illa complectitur tam peccatum veniale, quàm mortale. Tametsi enim peccatum veniale non sit contra finem legis, pro quanto non destruit charitatem habitualem, nec gratiam sanctificantem, nec amicitiam cum Deo, quæ finis est & scopus omnis legis; atque hoc sensu S. Thomas plerumque dicat, peccatum veniale non esse *contra*, sed *præter* legem: verè tamen est contra inhibitionem legis, & hoc sensu verè contra legem. Siquidem lex non furandi v. g. non tantùm inhibet furtum unius vel plurium florenorum, verùm etiam unius vel paucorum assium. Lex quoque non mentiendi, non solùm inhibet mendacium pernicioſum & grave, verùm etiam jocoſum & leve. Et sic de aliis.

3 Facillimè etiam definitio illa adaptatur peccato omissionis: affirmatio quippe & negatio reducuntur ad idem genus (ait S. Thomas) sicque ad factum contra legem æternam, reducitur non factum; ad dictum, non dictum, &c. sive omissio facti & dicti lege æternâ præcepti.

4 Denique eâdem definitione illa etiam peccata comprehenduntur, quæ contra legem humanam sive Ecclesiasticam, sive civilem committuntur. Quæcumque enim contra legem humanam fiunt, fiunt contra legem æternam, per quam humanæ leges vim habent obligandi; per quam etiam præscribitur, *obediendum omni superiori legitimè præcipienti.*

5 Sed & optimè eâ definitione declaratur natura seu essentia peccati in universum; ut enim S. Thomas 1. 2. q. 71. a. 6. *peccatum nihil aliud est, quàm actus humanus malus.... Habet autem actus humanus, quòd sit malus, ex eo quòd caret debitâ commensuratione. Omnis autem commensuratio cujuscumque rei attenditur per comparationem ad aliquam regulam, à qua si divertat, incommensurata erit. Regula autem prima voluntatis humanæ.... est lex æterna.*

De ratione itaque peccati usque adeò est quòd sit contra legem æternam, ut omne peccatum ideò peccatum sit, quia lege æternâ prohibitum, juxta illud S. Thomæ ibidem ad 4. *Cùm dicitur quòd non omne peccatum ideò est malum, quia est prohibitum: intelligitur de prohibitione facta per jus positivum. Si autem referatur ad jus naturale, quod continetur primò quidem in lege æterna, secundariò verò in naturali judicatorio rationis humanæ, tunc omne peccatum ideò est malum, quia prohibitum.* Et

6 Probatur 1°. ex Psal. 118. *Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ.* At verò *ubi non est lex, nec prævaricatio.* Rom. 4.

7 2°. ex Augustino serm. 25. in Psal. citatum: *Si prævaricatores sunt omnes peccatores terræ, nullum utique est sine prævaricatione peccatum. Nulla est autem prævaricatio sine lege. Nullum est igitur sine lege peccatum.* Et lib. 2. de peccat. merit. cap. 16. *Neque peccatum erit si quid erit, si non divinitùs jubeatur ut non sit.* Et lib. 1. de lib. arb. c. 3. *Nihil est malum, nisi prohibitum lege æternâ.*

8 3°. ratione: quia omne peccatum essentialiter est contra debitum, seu obligationem. Sed omnis obligatio est ex lege vel præcepto. Nec esse potest ex sola lege humana independenter à divina; cùm omnis alia lex essentialiter ab ea pendeat, tanquam à prima lege. Et sicut nulla creatura vim habet essendi, nisi derivatam à primo esse; sic nulla lex creata vim habet obligandi, nisi derivatam à prima lege, quæ fons est & principium omnis legis, omnis juris, omnisque debiti & obligationis; sicut primum esse fons est & principium omnis esse, omnisque virtutis & operationis. Unde sicut si per impossibile primum esse non esset, nulla creatura esset; ita si per impossibile lex prima non esset, nulla alia lex esset, nullum jus, nullum debitum, nulla

obligatio, nullus ordo, sed chaos & confusio. A quo enim oriretur jus naturale v. g.? certè non à sola natura rationali creata: utpote quæ tota, & secundùm totam collectionem individuorum suorum, naturali juri subjicitur. Necesse est autem jus & debitum, sicut & legem, oriri ab aliquo superiori: cùm nec æqualis æquali, nec idem sibiipsi (independenter à potestate superiori) possit imponere legem, ut habetur L. penult. ff. de recept. *Nemo imperare sibi, neque se prohibere quisquam potest.* Et ideò verbum in imperativo non habet primam personam, ait Glossa ibidem. Sed & si prima lex non esset, nulla humana potestas esset, nullaque proinde humana lex, sive Ecclesiastica, sive civilis. Ideòque Proverb. 8. Sapientia increata dicit: *Per me Reges regnant, & legum Conditores justa decernunt.*

9 Nec obstat illud Rom. 2. *Qui sine lege peccaverunt, sine lege peribunt.* Ibi namque sermo est de lege scripta; sine qua peccari potest; sed non sine lege æterna.

10 Non obstat etiam propositio 48. ab Innocentio XI. damnata: *Tam clarum videtur, fornicationem secundùm se nullam involvere malitiam, & solùm esse malam, quia interdicta, ut contrarium omninò rationi dissonum esse videatur.* Eatenùs quippe damnata est, quatenùs significat, fornicationem non esse malam, quia prohibita est jure naturali, immutabili, & æterno; sed jure positivo, arbitrario & temporali dumtaxat.

CAPUT II.

Multiplex peccati divisio.

11 PEccatum dividitur 1°. in originale & personale. *Originale* est quod ab ortu nobis congenitum est, nec propriâ voluntate contractum, sed voluntate primi parentis commissum, in nos per carnalem generationem derivatur. *Personale* est quod propriâ voluntate peccantis committitur.

12 2°. in actuale & habituale. *Actuale* est peccatum, cujus voluntas actu vel virtute perseverat. *Habituale* est macula ex peccato actuali relicta in anima, postquam voluntas illius tam actu quàm virtute esse desiit.

13 3°. in mortale & veniale. *Mortale* est quod infert animæ mortem, id est privationem gratiæ sanctificantis, dissolutionemque amicitiæ cum Deo, quæ est vita animæ, sicut anima est vita corporis. *Veniale* est quod non infert mortem animæ, sed divinam compatitur amicitiam; ideòque veniam facilè consequitur, licèt Deo displiceat, sitque contra præscriptum legis ipsius. Ita cum S. Thoma 1. 2. q. 88. a. 2. Theologi passim; id colligentes ex Augustino lib. 21. Civit. c. ult. & Ambrosio l. de Paradiso c. 1. aliisque Patribus.

14 Et declaratur à simili, quia contingunt inter amicos tales offensæ, quibus omninò dissolvitur amicitia, v. g. atroces injuriæ. Contingunt & aliæ offensæ, amico displicentes quidem, non tamen usque ad amicitiæ dissolutionem, sed quas amici, salvâ amicitiâ, tolerare solent, licèt non sine diminutione fervoris, quo se invicem alioqui amarent.

4°. in peccatum commissionis & omissionis. Illud est, quo transgredimur præceptum negativum, faciendo quod prohibetur: istud, quo transgredimur affirmativum, non faciendo quod præcipitur. De qua divisione Augustinus l. de perfecta just. c. 3. *Duobus* (inquit) *modis constat omne peccatum, si aut fiant illa quæ prohibentur, aut illa non fiant quæ jubentur.* 15

5°. D. Hieronymus in Ezech. 18. peccatum dividit in peccatum cordis, oris, & operis. Cùm enim peccatum sit dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam, dictum contra legem æternam est peccatum oris; factum, est peccatum operis; concupitum, est peccatum cordis. 16

6°. in peccatum in Deum, in proximum, & in seipsum. Quamvis enim omne peccatum aliquo modo sit contra Deum, quatenùs offendit ipsum; & contra peccantem, quatenùs ipsi nocet: specialiter tamen aliqua sunt, quæ contrariantur virtuti regulanti hominem ad Deum, & ad ea quæ Dei sunt; qualia sunt illa, quæ Deo detrahunt debitum amorem & reverentiam, ut odium Dei, sacrilegium, &c. Alia quæ contrariantur virtuti regulanti hominem ad seipsum, vel regulanti passiones ipsius, secundùm rationis ordinem, ut avaritia, luxuria, gula, &c. Alia denique, quæ contrariantur virtuti regulanti hominem ad proximum suum; qualia sunt, quæ lædunt jus proximi, vel humanam societatem offendunt, &c. 17

7°. D. Gregorius 31. Moral. peccata divisit in carnalia, & spiritualia. Carnalia variè accipiuntur. Primò latè, pro quibuscumque peccatis procedentibus ex sensu: quomodò Ephes. 5. avaritia numeratur inter peccata carnalia. Tertiò strictissimè, quatenùs carnalia distinguuntur contra spiritualia: juxta quam acceptionem *carnalia* sunt, quæ carnalem delectationem habent pro objecto, consummanturque in carne, ut luxuria & gula. Spiritualia in delectatione spirituali, sive in animo consummantur, ut superbia & inanis gloria. 18

8°. in peccatum proprium & alienum. Proprium est, quod ab ipso peccante committitur. Alienum, quod ab alio commissum nobis imputatur. Quod quidem pluribus modis contingit, qui sunt *jussio, consilium, consensus, palpo, recursus, participans, mutus, non obstans, non manifestans.* Quos modos alibi explicabimus. 19

9°. denique in peccatum ex infirmitate, ex ignorantia, ex malitia. *Peccata ex infirmitate* sunt, quæ committuntur ex gravi aliqua 20

tum, nisi ex voluntate, quâ volumus ut benè sit nobis, vel nolumus ut malè sit nobis. Ergo mendacium est, quod, cùm fiat ut benè sit nobis, hinc potiùs malè est nobis; vel cùm fiat ut melius sit nobis, hinc potiùs pejus est nobis. Eo ipso proinde creatura *perniciosa est amatori*, quo *præponitur Creatori.* In Psal. 79. Et, ut idem ait epist. 120. nunc 140. cap. 2. *Non efficit anima, perversè utens creaturis, ut ordinationem effugiat Creatoris: quoniam si illa malè utitur bonis; ille benè utitur etiam malis. Ac per hoc illa perversè bonis utendo fit mala: ille ordinatè etiam malis utendo, permanet bonus. Qui enim injustè se ordinat in peccatis, justè ordinatur in pœnis.*

PARS I.

De peccatis in genere.

DE peccatis agit Theologia nostra Sanctorum, sicut medicina de venenis; non ut illa doceat, sed ut curet. Frustrà namque se profitetur cordis medicum, qui peccata non novit, vulnera animorum. Sit itaque

CAPUT PRIMUM.

Peccati definitio.

1 PEccatum rectissimè definit Augustinus: *Dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei æternam*, 22. contra Faust. 27. Hæc quippe definitio, utpote complectens peccata oris, cordis, operis, complectitur omnia peccata (quæ ad aliquod istorum reducuntur) optimèque declarat essentiam peccati, per contrarietatem ad legem Dei æternam.

2 Imprimis definitio illa complectitur tam peccatum veniale, quàm mortale. Tametsi enim peccatum veniale non sit contra finem legis, pro quanto non destruit charitatem habitualem, nec gratiam sanctificantem, nec amicitiam cum Deo, quæ finis est & scopus omnis legis; atque hoc sensu S. Thomas plerumque dicat, peccatum veniale non esse *contra*, sed *præter* legem: verè tamen est contra inhibitionem legis, & hoc sensu verè contra legem. Siquidem lex non furandi v. g. non tantùm inhibet furtum unius vel plurium florenorum, verùm etiam unius vel paucorum assium. Lex quoque non mentiendi, non solùm inhibet mendacium pernicioſum & grave, verùm etiam jocoſum & leve. Et sic de aliis.

3 Facillimè etiam definitio illa adaptatur peccato omissionis: affirmatio quippe & negatio reducuntur ad idem genus (ait S. Thomas) sicque ad factum contra legem æternam, reducitur non factum; ad dictum, non dictum, &c. sive omissio facti & dicti lege æternâ præcepti.

4 Denique eâdem definitione illa etiam peccata comprehenduntur, quæ contra legem humanam sive Ecclesiasticam, sive civilem committuntur. Quæcumque enim contra legem humanam fiunt, fiunt contra legem æternam, per quam humanæ leges vim habent obligandi; per quam etiam præscribitur, *obediendum omni superiori legitimè præcipienti.*

5 Sed & optimè eâ definitione declaratur natura seu essentia peccati in universum; ut enim S. Thomas 1. 2. q. 71. a. 6. *peccatum nihil aliud est, quàm actus humanus malus.... Habet autem actus humanus, quòd sit malus, ex eo quòd caret debitâ commensuratione. Omnis autem commensuratio cujuscumque rei attenditur per comparationem ad aliquam regulam, à qua si divertat, incommensurata erit. Regula autem prima voluntatis humanæ.... est lex æterna.*

De ratione itaque peccati usque adeò est quòd sit contra legem æternam, ut omne peccatum ideò peccatum sit, quia lege æternâ prohibitum, juxta illud S. Thomæ ibidem ad 4. *Cùm dicitur quòd non omne peccatum ideò est malum, quia est prohibitum: intelligitur de prohibitione facta per jus positivum. Si autem referatur ad jus naturale, quod continetur primò quidem in lege æterna, secundariò verò in naturali judicatorio rationis humanæ, tunc omne peccatum ideò est malum, quia prohibitum.* Et

6 Probatur 1°. ex Psal. 118. *Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ.* At verò *ubi non est lex, nec prævaricatio.* Rom. 4.

7 2°. ex Augustino serm. 25. in Psal. citatum: *Si prævaricatores sunt omnes peccatores terræ, nullum utique est sine prævaricatione peccatum. Nulla est autem prævaricatio sine lege. Nullum est igitur sine lege peccatum.* Et lib. 2. de peccat. merit. cap. 16. *Neque peccatum erit si quid erit, si non divinitùs jubeatur ut non sit.* Et lib. 1. de lib. arb. c. 3. *Nihil est malum, nisi prohibitum lege æternâ.*

8 3°. ratione: quia omne peccatum essentialiter est contra debitum, seu obligationem. Sed omnis obligatio est ex lege vel præcepto. Nec esse potest ex sola lege humana independenter à divina; cùm omnis alia lex essentialiter ab ea pendeat, tanquam à prima lege. Et sicut nulla creatura vim habet essendi, nisi derivatam à primo esse; sic nulla lex creata vim habet obligandi, nisi derivatam à prima lege, quæ fons est & principium omnis legis, omnis juris, omnisque debiti & obligationis; sicut primum esse fons est & principium omnis esse, omnisque virtutis & operationis. Unde sicut si per impossibile primum esse non esset, nulla creatura esset; ita si per impossibile lex prima non esset, nulla alia lex esset, nullum jus, nullum debitum, nulla

obligatio, nullus ordo, sed chaos & confusio. A quo enim oriretur jus naturale v. g.? certè non à sola natura rationali creata: utpote quæ tota, & secundùm totam collectionem individuorum suorum, naturali juri subjicitur. Necesse est autem jus & debitum, sicut & legem, oriri ab aliquo superiori: cùm nec æqualis æquali, nec idem sibiipsi (independenter à potestate superiori) possit imponere legem, ut habetur L. penult. ff. de recept. *Nemo imperare sibi, neque se prohibere quisquam potest.* Et ideò verbum in imperativo non habet primam personam, ait Glossa ibidem. Sed & si prima lex non esset, nulla humana potestas esset, nullaque proinde humana lex, sive Ecclesiastica, sive civilis. Ideòque Proverb. 8. Sapientia increata dicit: *Per me Reges regnant, & legum Conditores justa decernunt.*

9 Nec obstat illud Rom. 2. *Qui sine lege peccaverunt, sine lege peribunt.* Ibi namque sermo est de lege scripta; sine qua peccari potest; sed non sine lege æterna.

10 Non obstat etiam propositio 48. ab Innocentio XI. damnata: *Tam clarum videtur, fornicationem secundùm se nullam involvere malitiam, & solùm esse malam, quia interdicta, ut contrarium omninò rationi dissonum esse videatur.* Eatenùs quippe damnata est, quatenùs significat, fornicationem non esse malam, quia prohibita est jure naturali, immutabili, & æterno; sed jure positivo, arbitrario & temporali dumtaxat.

CAPUT II.

Multiplex peccati divisio.

11 PEccatum dividitur 1°. in originale & personale. *Originale* est quod ab ortu nobis congenitum est, nec propriâ voluntate contractum, sed voluntate primi parentis commissum, in nos per carnalem generationem derivatur. *Personale* est quod propriâ voluntate peccantis committitur.

12 2°. in actuale & habituale. *Actuale* est peccatum, cujus voluntas actu vel virtute perseverat. *Habituale* est macula ex peccato actuali relicta in anima, postquam voluntas illius tam actu quàm virtute esse desiit.

13 3°. in mortale & veniale. *Mortale* est quod infert animæ mortem, id est privationem gratiæ sanctificantis, dissolutionemque amicitiæ cum Deo, quæ est vita animæ, sicut anima est vita corporis. *Veniale* est quod non infert mortem animæ, sed divinam compatitur amicitiam; ideòque veniam facilè consequitur, licèt Deo displiceat, sitque contra præscriptum legis ipsius. Ita cum S. Thoma 1. 2. q. 88. a. 2. Theologi passim; id colligentes ex Augustino lib. 21. Civit. c. ult. & Ambrosio l. de Paradiso c. 1. aliisque Patribus.

14 Et declaratur à simili, quia contingunt inter amicos tales offensæ, quibus omninò dissolvitur amicitia, v. g. atroces injuriæ. Contingunt & aliæ offensæ, amico displicentes quidem, non tamen usque ad amicitiæ dissolutionem, sed quas amici, salvâ amicitiâ, tolerare solent, licèt non sine diminutione fervoris, quo se invicem alioqui amarent.

4°. in peccatum commissionis & omissionis. Illud est, quo transgredimur præceptum negativum, faciendo quod prohibetur: istud, quo transgredimur affirmativum, non faciendo quod præcipitur. De qua divisione Augustinus l. de perfecta just. c. 3. *Duobus* (inquit) *modis constat omne peccatum, si aut fiant illa quæ prohibentur, aut illa non fiant quæ jubentur.* 15

5°. D. Hieronymus in Ezech. 18. peccatum dividit in peccatum cordis, oris, & operis. Cùm enim peccatum sit dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam, dictum contra legem æternam est peccatum oris; factum, est peccatum operis; concupitum, est peccatum cordis. 16

6°. in peccatum in Deum, in proximum, & in seipsum. Quamvis enim omne peccatum aliquo modo sit contra Deum, quatenùs offendit ipsum; & contra peccantem, quatenùs ipsi nocet: specialiter tamen aliqua sunt, quæ contrariantur virtuti regulanti hominem ad Deum, & ad ea quæ Dei sunt; qualia sunt illa, quæ Deo detrahunt debitum amorem & reverentiam, ut odium Dei, sacrilegium, &c. Alia quæ contrariantur virtuti regulanti hominem ad seipsum, vel regulanti passiones ipsius, secundùm rationis ordinem, ut avaritia, luxuria, gula, &c. Alia denique, quæ contrariantur virtuti regulanti hominem ad proximum suum; qualia sunt, quæ lædunt jus proximi, vel humanam societatem offendunt, &c. 17

7°. D. Gregorius 31. Moral. peccata divisit in carnalia, & spiritualia. Carnalia variè accipiuntur. Primò latè, pro quibuscumque peccatis procedentibus ex sensu: quomodò Ephes. 5. avaritia numeratur inter peccata carnalia. Tertiò strictissimè, quatenùs carnalia distinguuntur contra spiritualia: juxta quam acceptionem *carnalia* sunt, quæ carnalem delectationem habent pro objecto, consummanturque in carne, ut luxuria & gula. Spiritualia in delectatione spirituali, sive in animo consummantur, ut superbia & inanis gloria. 18

8°. in peccatum proprium & alienum. Proprium est, quod ab ipso peccante committitur. Alienum, quod ab alio commissum nobis imputatur. Quod quidem pluribus modis contingit, qui sunt *jussio, consilium, consensus, palpo, recursus, participans, mutus, non obstans, non manifestans.* Quos modos alibi explicabimus. 19

9°. denique in peccatum ex infirmitate, ex ignorantia, ex malitia. *Peccata ex infirmitate* sunt, quæ committuntur ex gravi aliqua 20

tentatione, & motione antecedente appetitûs sensitivi, trahentis voluntatem ad consensum. *Peccata ex ignorantia* sunt, quæ procedunt ex culpabili defectu cognitionis & advertentiæ. *Peccata ex malitia*, quæ plenâ libertate & voluntate committuntur, nullâ antecedenti passione incitante, nec ignorantiâ excusante; ad quæ proinde voluntas nullius impulsu, sed ex seipsa movetur. Dixi *nullâ antecedenti passione, nec ignorantiâ*, &c. Censetur quippe peccari ex malitia, quando intervenit passio voluntariè excitata, vel ignorantia affectata. Neque tunc censetur quis peccare ex ignorantia & passione, sed quasi ex industria, adeòque ex malitia, juxta illud Job 34. *Quasi de industria recesserunt ab eo, & omnes vias ejus intelligere noluerunt.*

Et ratio est, quia tunc voluntas in se passionem seu concupiscentiam, & ignorantiam ex malitia excitat, utpote nullâ ad hoc præventa passione & ignorantiâ. Videri potest S. Thomas in q. de malo a. 12. ad 5. ubi sic: *Cùm dicitur aliquis peccare ex aliquo, datur intelligi, quòd illud sit primum principium peccati. In eo autem qui peccat ex infirmitate, voluntas mali non est primum principium peccati, sed causatur ex passione. Sed in eo qui peccat ex malitia, voluntas mali est primum principium peccati: quia ex seipso, & per habitum proprium inclinatur in voluntatem mali, non ex aliquo exteriori principio.* Et ad 13. *Ad hoc quòd aliquis ex malitia peccet, oportet quòd malitia sit primum peccandi principium.*

21 Hinc S. Doctor, ibidem in corpore infert, hominem ex habitu peccantem peccare ex malitia. Quia peccare ex habitu, est peccare ex voluntate per consuetudinem obfirmata, & velut naturaliter inclinata ad malum; cùm habitus mali sit confirmata & velut naturalis conversio voluntatis ad malum: *Aliquando voluntas inclinatur in bonum commutabile, cui adjungitur deformitas peccati ex aliquo habitu, quando per consuetudinem inclinare in tale bonum, est ei jam versum quasi in habitum & naturam. Et tunc ex proprio motu, absque aliqua passione, inclinatur ad illud. Et hoc est peccare ex electione, sive ex industria, aut ex certa scientia, aut ex malitia.* Vide dicta libro 1. cap. 12. Vide etiam S. Doctorem 1. 2. q. 78. a. 3. ad 1. ubi ait, quòd peccans ex habitu, non solùm peccat *ex certa malitia, sed etiam delectabiliter, & sine gravi renisu rationis.*

22 Notat etiam S. Doctor ibidem a. 2. *posse contingere, quòd aliquis habens habitum vitiosum, interdum non ex habitu operetur, sed ex passione insurgente, vel etiam ex ignorantia. Sed quandocumque utitur habitu vitioso, necesse est quòd ex certa malitia peccet: quia unicuique, habenti habitum, est per se diligibile id, quod est ei conveniens secundùm proprium habitum, quia sic fit ei quodammodò connaturale, secundùm quod consuetudo & habitus vertitur in naturam. Hoc autem quod est alicui conveniens secundùm habitum vitiosum, est id quod excludit bonum spirituale. Ex quo sequitur, quòd homo eligat malum spirituale, ut adipiscatur bonum, quod est ei secundùm habitum conveniens. Et hoc est ex certa malitia peccare. Unde manifestum est, quòd quicumque peccat ex habitu, peccet ex certa malitia.* Vide totum corpus istius articuli.

CAPUT III.

Specifica distinctio peccatorum originaliter & ultimatè non sumitur ex sola communi apprehensione prudentum.

CUm ex Tridentino sess. 14. c. 5. & can. 7. omnia peccata mortalia secundùm speciem & numerum, circumstantias speciem mutantes in confessione exprimenda sint, necessarium est investigare, unde dignoscere possimus specificam & numericam peccatorum distinctionem. 23

Et specificam quidem doctus Recentior disput. 2. de Act. hum. dub. 4. resolut. 4. censet originaliter & ultimatè desumendam ex solo communi prudentum sensu & apprehensione. 24

Sed imprimis hoc ipse asserit contra communem sensum prudentum, secundùm quem aliud est specificativum peccatorum. Siquidem Doctores communiter sensum ac judicium suum proferentes de specifica peccatorum distinctione, solum commune judicium suum, vel apprehensionem non assignant pro fundamento specificæ eorum distinctionis; sed assignant fundamentum illius à suo judicio apprehensioneque distinctum, juxta dicenda in capitibus sequentibus. Unde quæro, an in eo quòd specificationem peccatorum fundant in aliquo à suo sensu distincto, communis ipsorum sensus prudens sit vel non? Si primum, cur laudatus Author non acquiescit illi? Si secundum, quomodò communis eorum sensus prudens est in specificando, si prudens non est in assertæ à se specificationis fundamento? Quomodò idem Recentior ibidem n. 78. dicit communem sensum ipsorum in specificatione illa se habere per modum primi principii, cùm se fundet in aliquo priori? Si verò non habeat se per modum primi principii, assignandum igitur primum aliud principium specificæ distinctionis peccatorum? 25

2°. Communis sensus prudentum, seu Doctorum, ut in puncto de quo agitur prudens sit & rationabilis, habere debet fundamentum à se distinctum. Quòd enim communis ille sensus ultimatum sit & originale fundamentum specificæ distinctionis peccatorum, non est primum principium (cujus solius ratio frustrà quæritur) prima namque principia per se sunt certa, omnibus nota, sicque evidentia, ut sint extra controversiam. Quòd autem communis prudentum sensus sit unicum, illudque ultimatum & originale funda- 26

mentum specificæ distinctionis peccatorum, non est per se notum, nec extra controversiam; imò nec communi quidem sensu receptum, sed oppositum potiùs, ut diximus.

27 3°. Eo ipso quo Recentior ille destruit fundamentum communis sensûs prudentum pro illa distinctione, communem prudentum sensum destruit. Cùm communis sensus, se fundans in fundamento ruinoso, nequeat non esse ruinosus; uti ruinosa est domus, ruinoso fundamento suffulta. Igitur Author ille eo ipso destruit omne specificativum peccatorum. Quod fieri nequit sine turbatione totius Theologiæ Moralis, ac præsertim Tribunalis Sacramentalis.

28 4°. Nec sibi constare videtur Author ille; hîc enim specificam peccatorum distinctionem à communi sensu prudentum ultimatè repetit; alibi verò specificam quorumdam peccatorum distinctionem contra communem prudentum sensum adstruit, dum v. g. disput. 4. dub. 4. non admittit circumstantiam ullam notabiliter aggravantem intra eandem speciem; sicque specie distinguit varias circumstantias, quæ juxta communem prudentum sensum, non sunt nisi notabiliter intra eandem speciem aggravantes. Quomodò specificam ibi distinctionem agnoscit sine originali & ultimato (quod unicum esse dicit) specificativo? nimis profectò evidens est, speciem sine specificativo esse non posse.

29 5°. Denique ipsemet disput. 6. n. 67. sapienter advertit, quòd *Authores non per se, sed rationibus suis suæ sententiæ dant authoritatem.* Non igitur per se, sive per sensum suum, sed rationibus suis, seu fundamentis à sensu suo distinctis, assertæ à se specificationi dant authoritatem, prudentemque credibilitatem.

30 Arguit quidem Recentior ille subtiliter in hunc modum: ab eo specificantur peccata, à quo specificantur objecta actuum peccaminosorum, vel virtutes quibus opponuntur, &c. Hæc autem putat à solo specificari posse sensu prudentum. A quo enim alio (inquit) habet bonum vitæ v. g. (quod aufertur per homicidium) quòd specie differat à bono fortunæ, vel famæ, quod aufertur per furtum vel detractionem? si ab alio, ad quod bona ista dicunt ordinem: de isto alio pariter inquiritur, unde id habeat? Et sic in infinitum. Nequit igitur specifica distinctio peccatorum aliunde peti, quàm ex communi sensu prudentum, sine processu in infinitum.

31 Facilè quisque videt hoc argumento vel nihil probari, vel probari, specificam cujuscumque entis, sive physici, sive moralis, distinctionem aliunde originaliter peti non posse, quàm ex communi sapientum sensu. Quod à nobis in physicis est confutatum.

Respondeo igitur unumquodque inde suum habere distinctivum, unde suum habet constitutivum. Cùm ex communi Philosophorum axiomate idem sit uniuscujusque rei distinctivum, & constitutivum. Ridiculum verò esset dicere, quòd virtutes & objecta virtutum, &c. suum habeant constitutivum à communi sensu sibi extrinseco; sicut ridiculum esset dicere, quòd esse suum, suamque essentiam ab extrinseco illo sensu communi habeant; à quo certè homo non habet, quòd sit homo; brutum, quòd sit brutum; justitia, quòd sit justitia; charitas, quòd sit charitas, &c. Id enim unumquodque ex sua natura habet, & essentia; quæ cùm unicuique intrinseca sit, uniuscujusque specificativum (utpote essentiale, imò ipsamet essentia) pariter intrinsecum est: unde non à communi sensu, sed *finibus à vitiis discernendis esse virtutes*, Augustinus dicit. Cujus verò rationis sit essentia cujusllibet rei, nobis innotescit ex proprietate, seu veritate, & intelligibilitate ipsius. Cùm enim veritas cujusllibet entis, tam sit cuilibet enti intrinseca, quàm ipsamet cujusllibet rei entitas, cujus est proprietas; veritas autem cujusllibet entis sit intelligibilitas ipsius ut est: ex eo quòd objectum sit ex se natum intelligi, seu excitare in intellectu sapientum aliam sui speciem, seu intellectionem alterius rationis, quàm alterum (quod absque processu ulteriori, nobis per experientiam innotescit) scimus unum esse intelligibile intelligibilitate alterius rationis quàm alterum, atque adeò diversæ speciei ab altero. Non itaque objecta ab aliquo alio habent, nec habere debent, quòd specie distinguantur, sive quòd taliter vel taliter intelligibilia sint; sed hoc ex seipsis habent: quòdque hoc ex seipsis habeant, scimus ex eo quòd nata sint excitare talem vel talem sui speciem in intellectu sapientum. Quod quidem ipsi experiuntur, tametsi sciant se non formare rerum species & ideas pro arbitrio suo, sed pro veritate rerum, quæ natæ sunt tales sui species & ideas excitare in intellectu eorum, qui sapienter rerum naturas perscrutantur. Citò ergo finitur infinitus qui objicitur processus, facilèque quisquis videt, communem sensum sapientum non esse originale & ultimatum specificativum rerum, sed res ipsas, quæ ex seipsis specificantur, sicut ex seipsis talem de se sensum, apprehensionem & speciem in intellectu sapientum (experientiâ teste) natæ sunt excitare.

CAPUT IV.

Non omne illud quod inducit rationem difformitatis cum lege æterna notabiliter diversam, inducit speciem peccatorum diversam.

AUthor capite præcedenti relatus disput. 4. 32
de act. hum. dub. 4. contra omnes fere Doctores existimat, omnem circumstantiam notabiliter aggravantem mortale peccatum, esse circumstantiam speciem mutantem.

Sed contrarium ostenditur, & assertio nostra probatur 1°. quia circumstantiæ majus & minus, intensum & remissum, &c. tametsi notabiliter augeant vel minuant mortale pec-

catum, atque adeò inducant rationem difformitatis, &c. notabiliter diversam, speciem tamen non mutant, neque ex communi sensu prudentum, (unde specifica peccatorum distinctio unicè reperenda est secundùm Authorem illum) neque illo ex fundamento à communi prudentum sensu distincto. Igitur nullo modo. Quòd non ex fundamento distincto à communi sensu, patebit ex facillima solutione fundamentorum, quæ allegat, quæque allegando specificæ distinctionis fundamentum à communi sensu distinctum facto suo agnoscit, quod verbo antè respuebat. Quòd etiam non ex communi sensu, perspicuum est ex eo quòd Theologi passim omnes doceant circumstantias illas aggravare quidem notabiliter mortale peccatum intra eandem speciem, sed non transferre illud in aliam speciem, ut apud ipsos videre est, signanter apud D. Thomam omnibus in locis, in quibus tractat de circumstantiis necessariò confitendis, quas dividit in speciem mutantes, & notabiliter intra eandem speciem aggravantes. Videatur in 4. dist. 16. q. 3. a. 2. in solut. quæstiunc. 3. ubi sic: *Quòd aliquis accipiat multum vel parum, ex se deformitatem aliquam non importat, nisi ipsâ suppositione primi: quia multum de alieno recipere, est ab æqualitate discedere. Unde talis circumstantia aggravat, sed peccatum non mutat. Quòd autem rem alienam consecratam accipiat, aliam deformitatem importat: quia quæcumque irreverentia circa res sacras adhibita, specialem rationem peccati habet. Et ideò talis circumstantia dicitur mutare speciem.* Idem habet 1. 2. q. 18. a. 11. *Circumstantia dat speciem boni vel mali actui morali, in quantum respicit specialem ordinem rationis. Contingit autem quandoque quòd circumstantia non respicit ordinem rationis in bono, vel malo, nisi præsuppositâ aliâ circumstantiâ, à qua actus moralis habet speciem boni vel mali, sicut tollere aliquid in magna quantitate, vel parva, non respicit ordinem rationis in bono vel malo, nisi præsuppositâ aliâ conditione, per quam actus habeat malitiam vel bonitatem: puta hoc quod est esse alienum, quod repugnat rationi. Unde tollere alienum in magna vel parva quantitate, non diversificat speciem peccati, tamen potest aggravare vel diminuere peccatum.*

33 2°. Non est cur majus & minus, intensum & remissum, &c. potiùs diversificent speciem moralem in moralibus, quàm physicam in physicis. Vel cur furtum 100. aureorum potiùs specie differat à furto unius aurei, quàm 100. aurei ab uno aureo, vel calor intensus ut 100. (si detur) à calore intenso ut unum.

34 3°. Actus, quo volo furari assem unum, potest notabiliter, imò in infinitum intendi sine specifica mutatione. Igitur & actus quo volo furari unum aureum. Datur ergo circumstantia notabiliter aggravans mortale peccatum, quæ tamen non mutat illius speciem. Et si hoc admittatur de circumstantia intensionis, non est cur similiter non admittatur de circumstantia quantitatis.

Solvuntur objectiones.

OBjicies 1°. Unus florenus, assi superadditus, diversificat specie furtum: utpote de veniali faciens mortale. Igitur alter florenus, priori floreno superadditus, & quodcumque aliud augmentum notabile, specie pariter diversificat furtum. Si enim primum augmentum notabile diversificet speciem: cùm secundum tam sit notabile quàm primum, tam secundum specie diversificat quàm primum. 35

Respondeo unum florenum, assi superadditum, non diversificare specie furtum præcisè ex eo quòd afferat notabile augmentum; sed ex eo quòd furtum unius floreni sit prohibitum sub privatione divinæ amicitiæ, sub qua prohibitum non est furtum unius assis. Quæ ratio non procedit in superadditione alterius, vel plurium florenorum, ad unum florenum: cùm furtum unius floreni supponatur tam prohibitum sub privatione divinæ amicitiæ, quàm furtum duorum vel plurium florenorum. Furtum ergo unius floreni in tantum est furtum specie diversum à furto unius assis, in quantum est contemptus, saltem interpretativus, divinæ amicitiæ, voluntariaque aversio à Deo, ultimo fine; non ita furtum unius assis; sicque diversitatis istius ratio petitur ex parte aversionis, non ex parte conversionis, juxta illud S. Thomæ 1. 2. q. 72. a. 5. ad 1. *Peccatum mortale & veniale differunt in infinitum* (sic quod *non sunt ejusdem speciei*, ut manifestum esse dicit q. 2. de malo a. 8.) *ex parte aversionis; non autem ex parte conversionis, per quam respicitur objectum, unde speciem habet:* quasi diceret, majorem vel minorem quantitatem objecti, ad quod se convertit peccator, non inducere specificam peccati diversitatem inter peccatum mortale & veniale; sed quòd hoc specie diversum sit ab illo, ideò esse, quia mortale avertit à Deo, non veniale. Ut enim ibidem in corpore dicit: *Quando anima deordinatur per peccatum, usque ad aversionem ab ultimo fine*, scilicet Deo, cui unimur per charitatem, *tunc est mortale peccatum; quando verò fit deordinatio circa aversionem à Deo, tunc est veniale.*

Objicies 2°. Quando de specie peccati quæstio est, non est resolvenda juxta subtilitates rerum logicalium, vel metaphysicalium, sed secundùm formam, faciem, aspectum & apparentiam, quam habet in morali hominum æstimatione. Atqui furtum 1000. aureorum, in morali hominum æstimatione, aliam habet formam, faciem, aspectum & apparentiam, quàm furtum unius aurei. Ergo 36

Respondeo in contrarium subsumendo. Atqui furtum 1000. aureorum, in morali prudentum hominum æstimatione, non habet formam, faciem, aspectum & apparentiam fur-

ti alterius rationis, seu essentiæ; sed furti alterius quantitatis dumtaxat. Certum quippe est prudentes, seu Doctores communiter ita sentire, nec minùs certum singularem solius objicientis æstimationem in contrarium, communem non esse prudentum æstimationem; nec ipsum solum esse prudentem; nec communitatem cæterorum esse imprudentem.

CAPUT V.

Peccata non diversificantur specie secundùm differentiam præceptorum, si de una eademque re sint, sub eodem motivo formali.

37 PRobatur 1°. ex S. Thoma q. 2. de malo a. 6. *Nec est dicendum quòd differant specie secundùm differentiam virtuum: quia præcepta ad hoc sunt, ut secundùm virtutem operemur, & peccata vitemus.* Et 1. 2. q. 76. a. 5. ad 3. *Secundùm diversa præcepta legis non diversificantur peccata secundùm speciem.*

38 2°. Ubi idem motivum formale actûs debiti, non est cur diversitas præceptorum induceat diversam specie difformitatem ad legem æternam. Nec proinde cur omittens Sacrum die Dominico, in quem incidit festum S. Petri v. g. peccet plusquàm uno specie vel numero peccato. Et idem est de violante jejunium feriâ sextâ quatuor temporum, in quam incidit vigilia S. Matthæi. Cùm utriusque præceptum sit de eadem re, sub eodem motivo. Ita Doctores communiter.

39 Violatio quidem jejunii, ad quod tenetur quis ex præcepto Ecclesiæ, simul & præcepto Confessarii, imponentis illud in pœnitentiam, est duplex specie peccatum. Sed hoc ideò, quia Ecclesia & Confessarius præcipiunt illud sub duplici specie motivo, Ecclesia ex motivo temperantiæ, Confessarius ex motivo pœnitentiæ; sicque violatio illa, quatenùs contra præceptum Ecclesiæ, est contra temperantiam; quatenùs contra præceptum Confessarii, est contra pœnitentiam.

40 Hinc etiam Minimus violans abstinentiam feriæ 6. peccat duplici specie peccato; utique contra temperantiam ratione præcepti Ecclesiæ, & contra religionem ratione voti vitæ quadragesimalis.

41 De aliis Religiosis, v. g. Franciscanis, qui feriâ 6. vi regulæ suæ, simul & præcepti Ecclesiæ, sub mortali tenentur ad abstinentiam, major est difficultas, an peccent duplici specie peccato? & videtur aliquibus quòd sic: quia censent eos hoc ipso violatores voti, quo violatores sunt regulæ: utpote quam putant non obligare sub mortali, nisi ratione voti.

42 Sed licèt hæc ratio locum habere possit in Religiosis voventibus observantiam regulæ; non videtur habere locum in Religiosis solùm voventibus obedientiam secundùm regulam: utpote qui non tenentur ad omnia regulæ puncta tanquam materiam voti; sed sicut regula & religio ab ipsis exigit. Unde si regula & religio solùm ab ipsis exigat abstinentiam ex motivo temperantiæ (prout Ecclesia) violando abstinentiam, solùm peccant contra abstinentiam. Quòd si dubium sit, an regula abstinentiam exigat alio ex motivo, seu intentione, quàm Ecclesia: eo in dubio (nisi communis sensus religionis obstet) diversa intentio non videtur præsumenda; cùm sit res facti, quod in dubio non præsumitur.

CAPUT VI.

Specifica peccatorum distinctio, formaliter ut peccata sunt, petitur ex specifica distinctione privationum, in quibus formalis eorum malitia consistit. Hæc verò dignoscitur ex specifica diversitate debitarum perfectionum, quarum sunt privationes, pro quanto videlicet, vel spectant ad diversas specie virtutes, vel ad oppositos modos, aut alias circumstantias specie diversas ejusdem virtutis.

43 HAnc tradit resolutus Doctor noster Baccanius in 2. dist. 39. a. 3. & cum eo Doctores communiter, qui formale peccati, cum Scriptura & Patribus (alibi referendis) constituunt in privatione rectitudinis, seu perfectionis debitæ per legem. Et ratio est, quia si peccatum, formaliter sumptum, id est pro formali ratione peccati, nihil aliud est, nisi privatio rectitudinis, seu perfectionis actualis debitæ per legem: igitur pro specifica diversitate privationum debitæ rectitudinis, &c. peccata formaliter sumpta, specie diversificantur. Atqui specifica diversitas privationum dignoscitur ex specifica diversitate formarum, quarum sunt privationes. Igitur specifica diversitas peccatorum formaliter sumptorum, dignoscitur ex specifica diversitate debitarum perfectionum, seu rectitudinum actualium, ut suprà.

44 Et perfectiones quidem spectantes ad diversas specie virtutes, specie diversas esse, per se manifestum est: cùm virtutes specie diversæ esse non possint, nisi perfectiones, quibus constituuntur, sint specie diversæ.

45 Nec tamen solæ perfectiones, spectantes ad diversas specie virtutes, specie diversæ sunt: cùm ad eamdem virtutem, v. g. liberalitatem, spectent modi perfectionis specie diversi, quorum uno v. g. cavetur excessus, altero cavetur defectus debitæ liberalitatis. Nec diversitas illa modorum, seu circumstantiarum, solùm accidit penes duo opposita extrema, quæ illa virtus cavenda præscribit; verùm etiam penes diversos specie actus, quibus receditur ab uno illorum extremorum. Contingit namque eamdem virtutem, justitiæ v. g. diversis specie actibus cavere recessum à medio justitiæ per defectum. Est enim alius specie actus, quo illæsam servamus vitam proximi; alius quo famam; alius quo bona fortunæ (licèt omnes isti actus spectent ad eamdem justitiæ virtutem, quatenùs caventem recessum à medio justitiæ per defectum) eò quòd utique vi-

ta,

ta, fama, & bona fortunæ, sint bona diversæ rationis, etiam in esse moris, quæ proinde specialem honestatem in esse moris refundunt in actus, quorum sunt objecta: quia scilicet alia est ratio, aliusque modus conservandi vitam, alius conservandi famam, alius conservandi bona fortunæ, ob speciales quæ circa hæc occurrunt difficultates. Alia proinde est ratio exercendi justitiam, servando vitam; alia servando famam, &c. ob speciales quæ circa hæc occurrunt difficultates. Et sicut *necesse est diversas specie virtutes esse circa diversas materias, in quibus ratio diversimodè adinvenit medium*, juxta D. Thomam q. 2. de malo a. 6. ita necesse est diversas specie perfectiones ejusdem virtutis esse circa diversas materias, in quibus ratio diversas specie habet superare difficultates.

CAPUT VII.

Convenienter etiam dicitur (cum S. Thoma) peccata specie distingui, vel 1°. penes objecta specie diversa in esse moris, vel 2°. penes oppositos peccandi modos circa idem objectum, videlicet per excessum & defectum, vel 3°. penes diversas specie circumstantias.

46 HAnc assertionem quoad omnem sui partem exprimit S. Doctor loco proximè relato, & 1. 2. q. 72. a. 1. ubi idipsum probat ad 1. quia *peccatum non est pura privatio, sed est actus debito ordine privatus. Actus autem voluntarii* (ait in corpore) *distinguuntur specie secundùm objecta, ut in superioribus ostensum est*, videlicet q. 18. a. 2. *Unde sequitur quòd peccata propriè distinguantur specie secundùm objecta*, sive secundùm ordinem ad illa: cùm ordo ad objectum sit ipsis essentialis, & voluntas quodammodò transformetur in objecta, quæ vult & amat, juxta illud Osee 9. *Facti sunt abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt.* Ubi Rupertus: *Talis est unusquisque, quale est quod diligit.* In priori verò loco idipsum sic declarat: *Objectum diversificare potest peccati speciem duplicitèr. Uno quidem modo materialiter; alio modo formaliter. Materialiter quidem per oppositum ad virtutes. Differunt enim virtutes specie secundùm quod ratio medium adinvenit in diversis materiis: puta justitia est secundùm quod ratio medium constituit in commutationibus, & distributionibus, & hujusmodi actionibus. Temperantia autem secundùm quod in concupiscentiis. Fortitudo secundùm quod in timoribus & audaciis. Et sic de aliis. Nec debet alicui inconveniens videri, si diversificantur species virtutum, secundùm diversas materias* (non obstante quòd *diversitas materiæ consueverit esse causa diversitatis, non specierum individuorum*) *quia, etiam in naturalibus, diversitas materiæ diversitatem in specie causat, quando diversitas materiæ, diversitatem formæ requirit. Unde & in moralibus necesse est diversas specie virtutes esse, circa diversas materias, in quibus ratio diversimodè adinvenit medium. Sicut in concupiscentia adinvenit medium refrænando. Unde & virtus in eis constituta propinquior est defectui, quàm superabundantiæ, ut ipsum temperantiæ nomen ostendit. In audaciis autem & timoribus non retrahendo, sed magis impellendo, ratio adinvenit medium. Unde virtus in his constituta propinquior est temperantiæ, quàm defectui, ut ipsum fortitudinis nomen ostendit. Et similiter est videre in cæteris. Sic ergo & per oppositum ad virtutes, peccata specie differunt, secundùm diversas materias, puta homicidium, adulterium, & furtum.... Sed quia circa unam materiam, cùm sit una virtus, contingunt esse peccata specie diversa, oportet secundò considerare formaliter diversitatem speciei in peccatis, prout scilicet peccatur, vel secundùm superabundantiam, vel secundùm defectum (sicut differt timiditas à præsumptione, & illiberalitas à prodigalitate) vel secundùm diversas circumstantias, sicut species gulæ distinguuntur secundùm ea quæ in hoc versu continentur: præpropere, lautè, nimis ardenter, studiosè.*

Dum verò S. Doctor ait, peccata specie 47
distingui secundùm objecta, sensus non est, quòd ad specificam diversitatem peccatorum, requiratur specifica diversitas objectorum: cùm circa unum idemque objectum admittat specificam diversitatem peccatorum, vel utique secundùm oppositos modos tendendi in illud objectum, vel secundùm diversas circumstantias, ut proximè vidimus. Sensus ergo est, quòd quoties duorum pluriumve actuum peccaminosorum, unus tendit in unum objectum, alter non in illud, sed in aliud specie diversum in genere moris, actus illi peccaminosi specie differant.

Non solùm autem peccata specificantur se- 48
cundùm objecta formalia, seu motiva; verùm etiam secundùm materialia, in quæ voluntas fertur, quando in illis inesse cognoscitur specifica diversitas in esse moris. Ad contrahendam quippe malitiam cujusque objecti, seu materialis, seu formalis, sufficit quòd homo voluntariè feratur in objectum illud contra legem. Neque enim ad contrahendam malitiam adulterii v. g. necesse est quòd homo feratur in uxorem alienam, formaliter ut alienam; neque ad contrahendam malitiam furti sacrilegi, necesse est ut feratur in rem sacram, formaliter ut sacram; sed satis est quòd sciens & volens, contra legem, feratur in illam, quæ est uxor aliena, quæ est res sacra, &c. tametsi motivum propter quod voluntas fertur in uxorem alienam, præcisè sit, quia est femina pulchra & delectabilis; & motivum propter quod fertur in rem sacram, præcisè sit, quia est sibi commoda, &c. Unde contingit actum invariatum in specie physica, variari in specie moris; & contrà actus specie physicâ diversos, esse ejusdem speciei in genere moris, ut patet in furto auri & argenti, & in exemplo quod adfert S. Doctor 1. 2. q. 72.

a. 6. *Nam* (inquit) *ad eandem speciem homicidii pertinet jugulatio, lapidatio, & perforatio, quamvis actus sint specie differentes secundùm speciem naturæ.*

49 Ex hoc itaque quòd ad specificam diversitatem actuum in esse physico, non sufficiat specifica diversitas objectorum materialium, non continuò sequitur idem dicendum de specifica diversitate actuum peccaminosorum in esse moris. Quia actus physici specificantur ab objecto, sumpto in ea ratione, sub qua illud attingunt: peccata verò in esse moris, specificantur ab objectis suis, sumptis in ea ratione, sub qua prohibentur per legem; per quam non solùm prohibetur voluntariè ferri in uxorem alienam v. g. formaliter ut alienam, ut patet ex præcepto, *Non concupisces uxorem proximi tui*, &c.

CAPUT VIII.

Regulæ ad dignoscendam specificam peccatorum diversitatem penes circumstantias specie diversas.

50 DIctum est capite præcedenti 1°. peccata specie distingui, vel secundùm objecta specie diversa in genere moris; vel secundùm oppositos modos tendendi in idem objectum; vel secundùm diversas specie circumstantias. Et ratio postremæ partis est, quia sicut actus humani ultra primariam moralitatem, quam habent ex objecto, aliam secundariam habent ex circumstantiis (ut ostensum est l. 4. cap. 1. à simili ex rebus naturalibus, quæ ultra perfectionem primariam, quam habent ex sua forma, aliam secundariam habent ex accidentibus: circumstantiæ quippe sunt accidentia quædam humanorum actuum) sic ultra primariam speciem, quam habent ex objecto, aliam secundariam habent ex circumstantiis. Unde Tridentinum sess. 14. c. 5. & can. 7. definit, circumstantias, quæ peccati speciem mutant, necessariò esse confitendas.

§. I.

Traduntur regulæ generales dignoscendi specificam diversitatem penes circumstantias.

51 PRima *regula*: quando circumstantia facit actum repugnantem cum virtute aliqua, cui alioqui non repugnat, circumstantia illa mutat speciem actûs peccaminosi.

Patet in circumstantia rei sacræ, quæ (secundùm omnes) furti speciem mutat: quia facit illud repugnare virtuti religionis, quod alioqui solùm repugnaret virtuti justitiæ. Et ratio est, quia ubi est repugnantia ad diversas specie virtutes, ibi diversæ specie privationes debitæ rectitudinis, ut constat ex dictis n. 44. ibi ergo malitiæ specie diversæ.

52 *Secunda regula*: circumstantia aliqua mutare potest speciem actûs peccaminosi, tametsi non faciat actum repugnare alteri virtuti. Patet ex dictis n. 45. & 46. recessus quippe ab eadem virtute, tam varius esse potest, ut unus ab altero specie differat, ut ibi vidimus ex sancto Thoma.

Tertia regula: omnis & sola circumstantia 53
novam peccati speciem superinducit, quæ ex seipsa specialem habet repugnantiam cum lege æterna, quam non habet actus præscindendo ab illa circumstantia; si enim ex seipsa non habet specialem repugnantiam, sed eam jam constitutam invenit in actu cujus est circumstantia, ex seipsa dare nequit, quod ex seipsa non habet. Nequit igitur ex seipsa dare novam moris speciem, nec proinde specificam inducere diversitatem; licèt præexistentem notabiliter augere possit.

Unde quia multum & parum, intensum 54
& remissum, & similia, ex seipsis non habent speciem moris (tollere enim aliquid in magna, vel parva quantitate, ibi sistendo, nec præcipitur, nec prohibetur, nec de eo ut sic, regula ulla moris quidquam statuit; nec proinde ut sic præcisè moralitatem ullam habet) addita actui non mutant speciem illius. Econtrà quia injustitia, quæ est in accessu ad conjugem alterius, ex seipsa, & non ex aliquo præsuppositio, est in specie moris (in specie scilicet injustitiæ) addita simplici fornicationi, mutat speciem illius. Similiter irreverens contrectatio rei sacræ, quia ex seipsa, & non ex aliquo præsuppositio, est in specie sacrilegii, videlicet irreverentiæ in rem sacram, addita furto v. g. facit furtum de non sacrilego, sacrilegum, sicque mutat speciem. Et sic de aliis. Ideòque regulam hanc expressè tradit S. Thomas in verbis n. 32. relatis ex 1. 2. q. 18. a. 11.

Quarta regula: circumstantia quantitatis 55
objecti, ut multum, parum, &c. vel ipsius actûs, ut intensio, duratio, frequentia, &c. non mutant speciem actûs, ex parte conversionis: quamvis circumstantia quantitatis objecti eam mutet ex parte aversionis, quando de veniali peccato facit mortale.

Prima pars patet ex proximè dictis, sicut & ex dictis n. 32. 33. & 34.

Secunda pars verò patet ex dictis n. 35. Vi- 56
deri potest quoad priorem partem S. Thomas 1. 2. q. 88. a. 5. ad 1. ubi dicit, quòd *diuturnitas non est circumstantia trahens in aliam speciem, similiter nec frequentia, vel assiduitas, nisi fortè per accidens ex aliquo supervenienti. Non enim aliquid acquirit novam speciem ex hoc quòd multiplicatur, vel protelatur, nisi forte in actu protelato, vel multiplicato superveniat aliquid quod variet speciem, puta inobedientia, vel contemptus, vel aliquid ejusmodi.*

§. II.

Ex allatis regulis, deducitur Corollarium primum de circumstantia quis.

COllige 1°. circumstantiam *quis* aliquan- 57
do superinducere novam malitiæ speciem; aliquan-

aliquando novam non inducere, sed augere eam, quam jam constitutam invenit.

Exemplum prioris est in circumstantia personæ sacræ, à qua vel cum qua fornicatio committitur. Ob eam namque circumstantiam malitia sacrilegii, fornicationi illi superadditur, quæ aliàs ipsi non inesset.

Exemplum posterioris est in circumstantia ingratitudinis, quæ tantò major, quantò plura & majora quis beneficia à Deo accepit, ut videbitur n. 127. & 128. Circumstantia tamen plurium & majorum illorum beneficiorum, non superinducit novam malitiæ speciem. Siquam enim superinduceret, certè malitiam ingratitudinis. At illa inest omni peccato, præscindendo ab illa multitudine, & magnitudine beneficiorum. Per circumstantiam ergo personæ multis & magnis beneficiis à Deo ditatæ, malitia ingratitudinis non inducitur tanquam nova, sed augetur prævia.

58 Hinc titulo ingratitudinis, seu beneficiorum longè majorum acceptorum, peccata Christianorum (cæteris paribus) graviora sunt peccatis Paganorum, ut videbitur n. 130. & 131. Et quamvis illa præcisè circumstantia non det illis novam speciem; alia tamen est circumstantia se tenens ex parte personæ peccantis, quæ eorumdem Christianorum criminibus omnibus, novas malitiæ species superinducit: nimirùm circumstantia voti & professionis solemnis, quam Christiani omnes in baptismo fecerunt abrenuntiandi diabolo, & omnibus pompis, & operibus ejus, unique Christo adhærendi. Sicut enim circumstantia professionis religiosæ, novam malitiæ speciem inducit super omnia Religiosorum peccata professioni illi adversa; sic circumstantia illius voti, professionisque baptismalis, novam & multiplicem malitiæ speciem inducit super crimina omnia Christianorum, professioni illi adversa.

59 Omnia verò crimina ipsorum, professioni illi adversantur: utpote per quam abrenuntiarunt omnibus operibus diaboli. *Quibus operibus?* (inquit S. Ephrem in tract. de ista abrenuntiatione) *audi: fornicationi, adulterio, immunditiæ, mendacio, furto, invidiæ,* &c. Uno verbo, omnibus *quæ nominantur mala, quæque odit Deus*, ut immediatè antè dixerat. Concinit Cyrillus noster Hierosol. in Catech. mystag. dicens: *Opera satanæ sunt cujusvis generis peccata.* Proinde ratione illius professionis, mortalia omnia contrahunt speciem sacrilegii, infidelitatis, perjurii, & adulterii cujusdam spiritualis: cùm anima per professionem illam desponsata sit Christo, juxta illud 2. Cor. 11. *Despondi vos uni viro, virginem castam exhibere Christo.* Unde Anselmus medit. 3. animam suam alloquens: *Tu* (inquit) *quondam candidata cœlesti lavacro, dotata Spiritu sancto, in christiana professione jurata, virgo fuisti Christo desponsata.* Ideò ergo Augustinus serm. 254. de tempore dicit, quòd *Pagani anima fornicaria est: Christiani mali, adultera.* Ideò Salvianus l. 6. de gubernat. Dei docet, quòd frequentare pompas, ac spectacula, *quædam fidei apostasia est*, quia *in Baptismo Christianorum, prima confessio est.... renuntiare diabolo, ac pompis ejus, atque spectaculis.* Ideò Anselmus (ubi suprà) animam mortaliter peccantem, vocat *perfidam Deo, perjuram Dei.* Ideò SS. Patres in eos qui post baptismum criminibus sese commaculant, tanquam in perfidos & fœdifragos, seu votifragos acerrimè insurgunt. Reverà enim violatores sunt fœderis, seu pacti, quod cum Deo in professione baptismali inierunt, votique, quo se illi obstrinxerunt. Quòd enim baptismalis abrenuntiatio sit veri nominis votum, seu fœdus & pactum cum Deo juratum, communis est traditio Patrum (apud Illustrissimum D. Castorienſem, in Præfatione libri, cui titulus: *Amor pœnitens* §. 4.) nimirùm Tertulliani, Origenis, Basilii, Gregorii Nazianzeni, Gregorii Nysseni, Ambrosii, Hieronymi, Chrysostomi, Augustini, Cæsarii Arelatensis, Salviani, Isidori, Anselmi. Tertullianus namque abrenuntiationem illam vocat, *ejerationem & pactum.* Origenes, *promissionem.* Basilius, *professionem & irrevocabile pactum.* Nazianzenus, *pactum cum Deo initum.* Nyssenus, *proprium pactum.* Ambrosius, *cautionem, chyrographum, promissionem, fidem Christo datam, votum.* Hieronymus, *pactum initum cum sole justitiæ*; imò *juramentum*, ut videre est in epist. ad Heliodorum. Chrysostomus, *fœdus & pactum conventum.* Augustinus, *votum maximum, professionem, promissionis fidem.* Cæsarius, *promissionem & pactum. Primam & præclaram promissionem. Fidem, pactum votum.* Isidorus, *primam pactionem.* Anselmus, *professionem juratam.* His calculum suum adjungit 1°. Arnobius Junior, qui in Psal. 49. eandem abrenuntiationem vocat, *votum quod in baptismo positus devovisti.* In Psal. 5. *Vota tua reddes Domino, quæ in baptismo positus promisisti, renuntiare te diabolo..... criminibus ejus.* In Psal. 64. *Votum fecit Deo renuntiaturum se diabolo, & pompis ejus.* In Psal. 75. *Memores esse debent, quid voverint, aut cui voverint. Nam in baptismatis consecratione voverunt..... omnibus operibus diaboli renuntiare.* 2°. Concilium Parisiense sub Ludovico Pio l. 1. cap. 9. ait, unumquemque fidelem Deo in baptismate duarum pactionum nexibus obligari: altera, quâ abrenuntiare diabolo, & omnibus *pompis ejus.... profitetur.* Unde c. 10. subjungit: *jura tanti pacti, quæ cum Deo facta sunt, inviolabiliter observanda.* 3°. Magister Sentent. in 4. dist. 38. *Votorum aliud est commune, aliud singulare. Commune, ut illud quod in baptismo omnes faciunt, cùm spondent renuntiare diabolo, & pompis ejus.* 4°. S. Thomas 2. 2. q. 88. a. 2. ad 1. *Sub voto baptizatorum cadit abrenuntiare pompis diaboli,* &c. In objectione verò, ad quam ibi respondet, citaverat Glossam, super illud Psal. 75. *Vovete & reddite Domino Deo vestro*, declarantem, quòd *in*

baptismo vovent homines abrenuntiare diabolo, & pompis ejus. 5°. S. Franciscus Salesius, Introd. p. 1. c. 20. eam quam in baptismo facimus abrenuntiationem, vocat *sacram fidelitatis professionem.* 6°. Catechismus Romanus p. 1. ad 2. articul. Symboli n. 12. sic dicit: *Cùm baptismo initiaremur.... professi sumus nos Satanæ & mundo renuntiare, & Jesu Christo totos nos tradere*, idque *solemni professione, quâ nos ipsos Domino devovimus.*

60 Nec refert quòd votum illud non emiserint, nec pactum inierint per seipsos, sed per patrinos, tanquam vicarios fidejussores. Tenentur enim eâdem obligatione. Quod enim patrini fecerunt, nomine ipsorum fecerunt. Et sicut Hugo victorinus ait l. 1. de Sacram. c. 21. baptizatus *cùm ad intelligibiles annos venerit.... quod per aliorum ora promisit*, jam debet *corde credere, & ore proprio confiteri, & opere imitari.*

61 Quia tamen communi hodie loquendi usu receptum est, ut perjuri, fœdifragi, & votifragi soli vocentur, qui specialia quædam crimina perpetrant, adversus speciale aliquod votum, vel juramentum, & non solùm adversus commune illud Christianorum juramentum & votum: dum de re constat, de modo loquendi non est disputandum. Fatemur enim, non omnibus Christianorum criminibus inesse malitiam perjurii, & votifragi specialis, sed communis, hancque esse circumstantiam velut transcendentalem respectivè ad Christianos. Quos etiam non oportet circumstantiam illam confiteri, utpote satis notam Confessariis, qui sciunt solos Christianos, seu baptizatos, ad Pœnitentiæ Sacramentum accedere. Cæterùm priusquàm manum de tabula hac retraham, transeamque ad circumstantiam *quid*, moneo, quòd circumstantia *quis* sic quandoque aggravet peccatum, ut illud numquam faciat de veniali mortale, nisi novam malitiæ speciem superinducat, juxta illud S. Thomæ 1. 2. q. 88. a. 5. in corp. *Impossibile est quòd circumstantia de peccato veniali, faciat mortale, nisi afferat deformitatem alterius generis.* Et 2. 2. q. 110. a. 4. ad 5. *Quidam dicunt, quòd perfectis viris omne mendacium est mortale. Sed hoc irrationabiliter dicitur: numquam enim circumstantia aggravat in infinitum, nisi quæ transfert in aliam speciem. Circumstantia autem personæ non transfert in aliam speciem, nisi fortè ratione alicujus annexi, puta si sit contra votum ipsius. Quod non potest dici de mendacio officioso, vel jocoso. Et ideò mendacium officiosum vel jocosum non est peccatum mortale in perfectis viris, nisi fortè per accidens ratione scandali.... Nec obstat quòd ipsi ponuntur in statu conservandæ veritatis. Quia veritatem tenentur conservare ex suo officio, in judicio vel doctrina. Contra quæ si mentiantur, erit mendacium, quod est peccatum mortale. In aliis autem non oportet quòd mortaliter peccent mentiendo.*

§. III.

Corollarium secundum de circumstantia quid, ubi & quando.

COllige 2°. detractionem, calumniam, 62
vel contumeliam, illatam personæ, cui specialis debetur reverentia, v. g. patri vel matri, vel superiori tuo, ex ista circumstantia specialem contrahere deformitatem.

Fornicationem item cum persona alteri obligata per sponsalia de futuro, licèt nondum conjugata, ex hac circumstantia contrahere malitiam injustitiæ. Quamvis enim non sit adulterium propriè dictum; est tamen aliquid illi affine, ob injuriam gravem, quæ infertur sponso, dum violatur ejus sponsa. Per sponsalia namque sponsus & sponsa acquirunt jus, saltem inchoatum, in mutua corpora. Quod adeò graviter læditur à sponsa prostituente se alteri, ut propter injuriam illam sponsus resilire possit à sponsalibus. Quod profectò non posset, nisi illa prostitutio ipsi graviter injuriosa foret. Injuriam certè sponso sensibiliorem facit sponsa, se taliter prostituendo, quàm cum alio sponsalia contrahendo. Et si gravem alteri injuriam faciat, qui notabiliter deteriorat rem ipsi per contractum, v. g. permutationis, addictam, sed nondum traditam: ergo & femina, quæ per prostitutionem corporis sui, illud (alteri addictum, licèt nondum traditum) notabiliter deteriorat. Videri potest Nicolaus de Lyra in cap. 22. Deuteron. ubi dicit, quòd *mulier potest accusari de adulterio dupliciter: uno modo postquam ducta est in uxorem: alio modo antè, tamen post affidationem*, id est desponsationem, per verba de futuro. Si verò sponsa de futuro specialem dictæ injuriæ malitiam per hoc contrahit; idem dicendum de eo qui cum ipsa fornicatur, juxta illud Rom. 1. *Digni sunt morte, non solùm qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Unde licèt in veteri lege simplex fornicatio non fuerit capitali pœnâ mulctata; eâ tamen Deuteron. 22. v. 22. & 23. mulctantur sponsa violata & violator ipsius: eâdem utique, quâ adulter & adultera plectuntur ibidem v. 21. ad insinuandam deformitatem violationis illius, affinem deformitati adulterii.

De circumstantia *ubi & quando*, disputant 63
Theologi 1°. an reverentia templis debita violetur per copulam conjugalem, tempore belli à refugiatis ibi conjugibus propter incontinentiæ periculum, habitam? 2°. an per quodcumque furtum, etiam rei non sacræ, ibi commissum? 3°. an etiam per quodcumque aliud scelus ibi perpetratum? 4°. an idem dicendum de circumstantia temporis sacri, ita ut crimen quodcumque novam malitiæ speciem contrahat, ex eo quòd scienter committatur die Dominico vel Festo? 5°. an ex circumstantia loci publici specialem malitiam incurrat, qui in eo peccat?

64 Ad 1. respondeo multos Recentiores negare. Sed cùm fateantur reverentiam templis debitam non permittere conjugibus, ut ibi commisceantur, sæcluso periculo incontinentiæ; melius dicit Navarrus, quòd nec id ipsis permittat propter periculum incontinentiæ. Cùm alia ipsis media suppetant, quibus illi periculo obviare possint: eadem utique, quibus illi obviare possent, & deberent, si conjux ex gravi infirmitate decumberet, vel ad longum tempus ob negotia abesset. Neque dubium esse videtur, quin conjuges locis sacris tantum debeant reverentiæ, quantum sobrietatis & misericordiæ debent sibi invicem, dum infirmantur, &c. Attento quòd actio venerea, præ cæteris actionibus, templorum adversetur sanctitati. Cùm sanctitas (juxta S. Thomam 2. 2. q. 81. a. 8.) importet munditiem, cui sine dubio adversatur immunditia, quam importat actio venerea. Ob quam rationem omnia peccata venerea, illa etiam quæ solâ voluntate, vel morosâ delectatione committuntur, ex circumstantia loci sacri videntur specialem contrahere malitiam. Non verò sola ea, quæ fiunt cum voluntaria seminis effusione, ut pluribus Neotericis videtur, se fundantibus in eo quòd actus venerei non adversentur reverentiæ loci sacri jure naturæ, sed Ecclesiastico dumtaxat. Quo solùm invenitur specialiter inhibita seminis effusio in loco sacro. Sed ratio allata probat, actus venereos illi reverentiæ adversari jure naturali. Quod & meritò docent Azorius, Lopez, Suarez, Salas, &c. Tactusque & aspectus inhonestos, turpes confabulationes, & similia, facta in locò sacro, esse contra reverentiam illius, etiam citra seminis effusionem, usque adeò videtur communis sensus & apprehensio hominum, à præjudiciis & tricis scholasticis liberorum, ut oppositum vix sine offensione audiant.

65 Ad 2. respondeo affirmativè cum Dicastillo disput. 9. de pœnit. n. 663. Bosco ibid. disput. 7. n. 376. nostro Francisco à Jesu Maria ibid. tract. 6. c. 8. n. 102. Vasquez, Suarez, Navarro, Nugno, Petro, Ledesma, Valentia, Castro Palao, aliisque multis, sive interim res non sacra in loco sacro sit, velut sub illius potestate, ratione custodiæ, pignoris, commodati, vel depositi; sive casu ibi existat, ut crumena divitis, ibi assistentis Officio divino (quamvis in hoc casu contradicant Sotus, Lessius, Lugo, Granadus, Coninck, &c.) quia Joannes Papa VIII. in cap. *quisquis inventus* 17. q. 4. generaliter & indistinctè dicit, sacrilegium committi, non solùm auferendo sacrum de sacro, vel sacrum de non sacro, sed etiam auferendo non sacrum de sacro. Quod cùm sit in favorem Ecclesiæ, ubi Pontifex non distinguit, neque nos distinguere debemus, sed amplè intelligere. Maximè cùm circa finem ejusdem capitis, velut sacrilegos puniri velit, *qui Monasteria.... & Ecclesias infringunt, & depositа, vel alia qualibet* (nota benè) *exinde extrahunt.* Exinde verò extrahuntur etiam res in Ecclesia per accidens existentes. Et sicut benè dicitur, auferre sacrum de loco sacro, vel non sacro, qui exinde aufert rem sacram, ibi per accidens existentem; sic verè dicitur auferre non sacrum *de sacro*, & non solùm *in sacro* (prout nonnulli cavillantur) qui exinde aufert rem non sacram, ibi per accidens existentem.

Ad 3. respondeo cum Bosco n. 357. quòd 66
sicut reverentia, locis sacris debita, violatur per furtum; ita & per quodcumque aliud peccatum mortale, saltem externum: cùm par omnium ratio sit. Et si sanctitas loci sacri non permittat in eo fieri aliquid profanum, v. g. negotiationem, ideòque Christus Joan. 2. & Matth. 21. ejecerit è Templo Judaïco vendentes boves & oves, & cætera quibus istius temporis homines opus habebant in sacrificiis suis (tametsi non venderentur nisi in atrio extremo templi, quod profanum, & atrium vocabatur gentium, quia gentilibus & immundis, orationis causâ patebat) multò minùs permittit in eo fieri ullum peccatum mortale. Ob quam rationem, censeo sanctitatem & reverentiam loci sacri non solùm violari per quodcumque mortale peccatum externum; verùm & internum. Attento quòd sanctitas illa à nobis non solùm exigat reverentiam externam, sed & internam, cum qua quodcumque mortale internum è diametro pugnat. Attento etiam quòd jus naturale, quo prohibetur irreverentia in sacris locis, sicut inter externam & internam irreverentiam non distinguit, sic nec inter peccata externa & interna. Unde & Gregorius X. in Concilio Lugdun. relatus c. 2. de immunit. Eccles. n. 6. postquam dixisset, *domum Domini decet sanctitudo*, &c. non solùm prohibet in locis sacris negotiationes, profana colloquia, & *quæcumque divinum possent turbare Officium*, sed & quæcumque *possent oculos divinæ Majestatis offendere. ... ne ubi peccatorum est venia postulanda, ibi.... deprehendantur peccata committi.* Denique sicut Dei præsentiam, in locis sacris specialem, specialiter inhonorant externa peccata, hoc ipso quòd in domo ipsius commissa; ita & interna. Simile est in deferente sacram Eucharistiam, cujus specialem præsentiam tam inhonorant peccata mortalia interna, tunc à deferente commissa, quàm mortalia externa.

Ad 4. respondeo sententiam affirmativam, 67
sive spectatâ authoritate, sive spectatâ ratione, longè probabiliorem esse negativâ, quam tenent noviores passim Scriptores. Quod enim attinet ad authoritatem, pro affirmativa stant Alexander de Ales p. 3. q. 32. n. 5. a. 2. S. Bonaventura, S. Thomas, S. Antoninus, Scotus in 3. d. 27. & 37. Lyranus, Nider, Tostatus, Adrianus, Major, Catharinus, Corduba quæstion. l. 1. q. 6. & communiter Veteres, & novissimè Merbesius 1. p. q. 75. & Alexander Natalis Th. Mor. l. 4. c. 5. reg. 5. Quòdque ea sit Angelici Doctoris sententia, probatur

ex 1. 2. q. 7. a. 1. ad 1. ubi sic: *Primò accusabilis redditur aliquis ex hoc quòd homicidium fecit. Secundariò verò ex hoc quòd dolo fecit, vel propter lucrum, vel in tempore* (nota) *vel in loco sacro.* Et 2. 2. q. 122. a. 4. ad 3. explicans tertium Decalogi præceptum, de sanctificando sabbatho, & signanter verba ista: *Omne opus servile non facietis in eo.* Primò dicit quòd *opus servile dicitur à servitute. Est autem triplex servitus. Una quidem, quâ homo servit peccato, secundùm illud, qui facit peccatum, servus est peccati. Et secundùm hoc omne opus peccati dicitur servile. Alia verò servitus est, quâ homo servit homini. Est autem homo alterius servus, non secundùm mentem, sed secundùm corpus.... Et ideò opera servilia secundùm hoc dicuntur opera corporalia, in quibus unus homo alteri servit. Tertia autem est servitus Dei: & secundùm hoc, opus servile posset dici opus latriæ, quod pertinet ad Dei servitium.* Deinde declarat quænam ex his operibus servilibus sint vel non sint prohibita in die sabbathi: *Si* (inquit) *hoc tertio modo intelligatur opus servile, non prohibetur in die sabbathi: quia hoc esset contrarium fini observationis sabbathi. Homo enim ad hoc ab aliis operibus abstinet in die sabbathi, ut vacet operibus ad Dei servitium pertinentibus.... Sed alia opera servilia, quæ dicuntur servilia primo vel secundo modo, contrariantur observantiæ sabbathi, in quantum impediunt applicationem hominis ad divina. Et quia magis homo impeditur à rebus divinis per opus peccati, quàm per opus* aliàs *licitum, quamvis sit corporale: ideò magis contra hoc præceptum agit*, qui peccat *in die festo, quàm qui aliud corporale opus*, aliàs *licitum facit. Unde Augustinus dicit in libro de 10. chordis: Melius faceret Judæus in agro suo aliquid utile, quàm si in theatro seditiosus existeret. Et melius feminæ eorum die sabbathi lanam facerent, quàm totâ die*, in neomeniis suis, *impudicè saltarent.* Non tamen *qui peccat venialiter in sabbatho, contra hoc præceptum facit: quia peccatum veniale non excludit sanctitatem.* Hactenùs S. Thomas, apertè declarans, mortale crimen in die sabbathi commissum, mortalem contrahere deformitatem contra sanctificandi sabbathi præceptum; *Magis* enim (inquit) *contra hoc præceptum agit, qui peccat in die festo, quàm qui aliud corporale opus licitum facit.* Cùm ergo iste mortaliter agat contra hoc præceptum; magis ille. Unde & opusc. 22. aliàs 64. a. 5. dicit quòd *gravius est* quodcumque peccatum in magna solemnitate, quàm alio tempore. Articulo verò præcedenti dixerat, confitendas circumstantias aggravantes, quales sunt locus, tempus, &c. Similiter S. Bonaventura in Opusculo quod inscripsit *Confessionale* c. 2. particulâ 20. docet, *interrogandum pœnitentem de tempore quo peccatum perpetravit, utrùm videlicet in die festivo, vel non festivo.*

68 Nec soli veteres Scholastici Doctores, eorumque Principes, sed & sancti Patres, Origenes, Ambrosius, Basilius, Augustinus, Gregorius Nyssenus, Isidorus Pelusiota (apud Merbesium in Summa Christiana p. 1. q. 75.) concorditer tradunt, nomine operum servilium (quæ lege divinâ & naturali prohibentur in die sabbathi) peccata maximè comprehendi. Siquidem Ambrosius l. 7. in cap. 13. Lucæ dicit, eo *præscriptum esse, ut nullam feramus sarcinam peccatorum.* S. Augustinus tract. 3. in Joan. *Spiritualiter observat sabbathum Christianus abstinens se ab opere servili. Quid est ab opere servili? à peccato. Et unde probamus? Dominum interroga: Omnis qui facit peccatum, servus est peccati.* Conc. 1. in Psal. 32. *Observa diem sabbathi.... abstine ab opere servili. Omnis enim qui facit peccatum, servus est peccati.* Et serm. 22. ex Sirmundianis (qui nunc est sermo 270. in novissima editione Benedictina) *Ille verè observat sabbathum, qui non peccat. Ita enim præcipitur illis, quibus observandum sabbathum præcipitur: Omne opus servile non facietis. Omnis qui facit peccatum, servus est peccati.* Nyssenus Homil. 7. in Ecclesiast. *Quærendum est ergo, quid sibi velit præceptum otii sabbathi? .... ut nihil agamus illorum, quorum opus est vitium.* Pelusiota l. 1. epist. 71. ad Helionem, cùm Helio quæsisset sensum horum verborum: *Non facietis in eo opus servile*, &c. Respondet, sensum esse: *Nihil servilium rerum.... in die sabbathi facietis, nec quod vos peccatorum pondere deprimat.* Concilium quoque Lingonense apud Bochellum l. 4. decret. Eccles. Gallic. tit. 7. de Festis diebus, & venerat. Sanct. c. 2. declarat, quòd *homines utriusque sexûs in Festis.... debent abstinere ab omni opere servili, & potissimùm à peccato: quia gravius peccat, qui peccat in die Festo, puta qui furatur, fornicatur, quàm qui in aliis diebus hoc facit.* Concilium quoque Ebroïcense anni 1526. *Cessare oportet Christianum in die Festo, maximè à vitiis & peccatis: quoniam servire debet Deo, cui displicet omne peccatum.*

Ex his manifestum est, pro affirmativa sen- 69
tentia longè graviorem authoritatem stare, quàm pro negativa. Superest ut ostendamus, quòd sicuti prævalet authoritate, prævaleat & ratione. Quod probo, quia pro negativa vix alia ratio adfertur, nisi leviuscula ista, quòd Confessarii non soleant de hac circumstantia interrogare, nec pœnitentes se accusare. Quod certè tempore Majorum nostrorum credibile non est omisisse. Hodiè verò pœnitentes id omittunt defectu institutionis. Confessarii verò, quia sectatores sunt novioris opinionis, cujus Authores non satis consideraruntur, quid de hac re SS. Patres, quid Scholæ Principes, quid veteres & graviores Doctores sentirent, & quàm gravi ratione ad sic sentiendum moverentur, scilicet 1°. quia diebus Dominicis & Festis omne opus servile Christianis prohibetur, per hanc legem de sanctificatione sabbathi: *Omne opus servile non facietis in eo.* Sed nullum opus magis servile, quàm opus

peccati, uti SS. Patres, & cum iis S. Thomas, meritò observant. Nulla enim servitus, servitutis nomen veriori titulo meretur, quàm servitus peccati. Quippe servitus, quâ homo homini manualiter servit, nonnisi umbra & figura est istius servitutis. Cùm igitur lex nova veritatem potiùs quàm umbram & figuras sectetur, parum verisimile est, quòd, dum pro sanctificando sabbatho servilia opera interdicit, contenta sit prohibitione umbraticæ illius servitutis, non prohibitâ verâ & maximâ servitute.

70 2°. præceptum sanctificandi sabbathum (quoad substantiam) divinum, imò naturale, seu morale est, ut communis est sententia Theologorum, cum S. Thoma 1. 2. q. 100. a. 3. ad 2. & 2. 2. q. 122. a. 4. ad 1. quia scilicet ratio naturalis dictat, tempus aliquod debere esse deputatum, ad hoc ut homo, ab aliis feriando, liber & expeditus sit ad vacandum Deo & divinis. Tempus verò ad id (pro Christianis) deputatum, sunt dies Dominici, & Festi. Istud enim tempus Ecclesia determinavit, ad hoc ut homines diebus istis satisfacerent divino illi, naturalique præcepto. Illis ergo diebus Christiani ab iis operibus feriari debent, à quibus certo tempore secundùm legem naturalem & divinam feriari debent, ut liberi & expediti sint ad vacandum Deo. Ergo illis diebus maximè feriari debent à servili opere peccati: cùm opus peccati, præ cæteris operibus servilibus, maximè impediat hominem vacare Deo; sitque proinde ratio multò major dicendi, quòd diebus, ad Dei servitium specialiter deputatis, lex naturalis & divina specialiter prohibeat, ne homo seipsum impediat à divino servitio per servile opus peccati, quàm per servile opus manuale: eò quòd utique peccatum magis impediat Dei servitium, quàm opus manuum. Unde Catechismus Romanus p. 3. c. 4. q. 17. dicit, hoc præcepto *omne servilis operis genus prohiberi.... quoniam mentem nostram à divino cultu abstrahit: quo magis peccata fidelibus vitanda sunt, quæ non solùm animum à divinarum rerum studio avocant, sed nos à Dei amore prorsus sejungunt.*

71 3°. peccatum quodcumque mortale, specialem malitiam contrahit ex eo quòd perpetretur in loco sacro, ut patet ex dictis in responsione ad 3. Ergo similiter ex eo quòd perpetretur tempore sacro, sive divino cultui specialiter dedicato.

72 Optimè proinde S. Antoninus p. 2. tit. 9. c. 7. §. 2. & 3. *Festum violatur, & malè celebratur, ex triplici negligentia, seu defectu. Primò, quia non cavetur à defectibus criminalibus. Secundò, quia non inhæretur actibus spiritualibus. Tertiò, quia non abstinetur ab operibus manualibus. Quantum ad primum, debet quis abstinere à peccatis, maximè diebus festivis, quia plus habent impedire mentem, si mortalia sunt, à vacando Deo, quàm opera manualia. Unde dicitur Levit. 23.... Omne opus servile non facietis in eo. Sed opus servile est peccatum. Dicit enim Christus Joan. 8. Omnis qui facit peccatum, servus est peccati.... Peccatum ergo mortale, commissum die Festo, est multò gravius, quàm aliâ die idem perpetratum, ratione Festi. Nam ultra propriam deformitatem, puta furti vel fornicationis, & hujusmodi, habet specialem deformitatem, ex illa circumstantia temporis sacri, quâ Festum violatur. Unde talis (ut dicit Nicolaus de Lyra super Exod. c. 20.) non solùm agit contra unum præceptum, scilicet, non mœchaberis, aut illud, non furtum facies; sed etiam contra illud de sanctificatione sabbathi.* Optimè etiam Abulensis in c. 20. Exodi q. 11. & 12. *Magis servile est opus peccati, quàm opus humani negotii: magis celebritatem Festi infringimus in peccando & occidendo, quàm altos labores agriculturæ nostris manibus exercendo. Ideò licèt ab utroque abstinendum sit, magis tamen ab iniquis operibus, quàm à corporalibus laboribus. Ex hoc sequitur, quòd qui die Dominico adulteratur, aut occidit, vel inebriatur, magis peccat, quàm si aliis diebus idem ageret: quia sic transgressor est duplicis præcepti, scilicet, non occides.... & quia non observat diem Dominicam.* Ex quo Abulensis ubi suprà optimè concludit, quòd *qui fornicatur die Dominico, peccat duobus peccatis, secundùm quòd peccatum numeratur ratione reatûs.* 73

Ad hoc attendant discoli illi Christiani, qui omnem nequitiam suam, nimirùm fornicationes, comessationes, ebrietates, &c. in dies Dominicos & festivos, velut ex condicto reservant, diebus quidem istis vocati in otium, ut vacent Deo; sed otium dantes in occasionem carnis, & consecrantes illud diabolo. 74

Ad 5. respondeo peccantem in loco publico, specialem interdùm malitiam contrahere, ratione scandali, quod aliis præsentibus dat. Unde confiteri debet numerum personarum præsentium, quantùm fieri potest. Tametsi ad specialem malitiam publicus nihil conferat locus, si desint testes actionis in publico loco perpetratæ. 75

§. IV.

Corollarium tertium de tribus reliquis circumstantiis cur, quomodò, quibus auxiliis.

COllige 3°. circumstantiam *cur, quomodò, & quibus auxiliis*, novam specie malitiam superinducere peccato, cui superveniunt, quando propriam, distinctam, & specialem ex se malitiam habent. Aliàs non. Patet ex regula 3. Circumstantiæ ergo illæ eam superinducunt, quando finis ob quem committitur peccatum, vel media quibus utitur quis ad peccatum suum exequendum, aliam malitiæ speciem ex se habent, quàm habeat peccatum, ad quod se habent tanquam finis extrinsecus, vel modus, vel instrumenta executionis, v. g. dum furatur quis ad fornicandum, vel mœchandum; vel ope dæmonis 76

utitur ad occidendum, vel ad corrumpendum proximum (quo casu specialis est malitia societatis cum dæmone) vel ad id utitur alio homine tamquam instrumento. Quo casu inductio, quâ ipsum inducit, ut sibi instrumentaliter deserviat, specialem continet malitiam scandali, si alter ad id ex se paratus, seu determinatus non erat. Quæ etiam specialis malitia scandali intervenit, dum precibus & persuasionibus rem veneream extorquet à puella, aliàs ex se non parata, &c. Specialis quoque malitia invenitur in stupro v. g. dum fit cum violentia; sicut & in furto, dum fit spectante domino. Tunc enim rapinam committis. Sed & si verbis injuriosis palàm lædas proximum, es ei contumeliosus; si occultè, detractor. Si etiam proximum occidas per amicitiæ simulationem, hypocrisis, simulationisque malitiam addis homicidio. Et sic de similibus.

77 Similiter, si fureris ad mœchandum, duplici peccato peccas, furti & mœchiæ. Magis tamen es mœchus, quàm fur. Finis enim principatum tenet in humanis actibus, & communicat speciem suam omnibus quæ sunt ad finem, ut ait S. Thomas 2. 2. q. 181. a. 2. *Id quod ordinatur ad aliud, sicut ad finem, præcipuè in moralibus, trahitur ad speciem ejus, ad quod ordinatur: sicut ille qui mœchatur, ut furetur, magis dicitur fur, quàm mœchus, secundùm Philosophum in 5. Ethic.* Et ratio est, quia furtum in hoc casu magis est voluntarium, quàm mœchia, quæ solùm est voluntaria propter furtum. *Propter quod* enim *unumquodque est tale, & illud magis*, ait Philosophus 1. Poster. post caput. 2.

78 Hinc Lovanienſium quorumdam opinio est, eum qui ob finem de se non malum, assumit medium mortaliter malum, qui v. g. die Festo omittit Sacrum, ut studeat, debere in confessione exprimere finem illum, & non solùm medium. Et idem aiunt de eo qui Sacrum præceptum omittit, ut parentibus vel dominis suis obediat. 1°. Quia qui Sacrum omittit, ut parentibus vel dominis obediat, plus amat parentes vel dominos, quàm Deum. Quod peccatum non confitetur. 2°. Qui Sacrum omittit ut studeat, magis est curiosus, quàm violator præcepti de Sacro audiendo (sicut qui furatur, ut mœchetur, magis est mœchus, quàm fur) principalem ergo malitiæ speciem subticet, nisi hoc confiteatur. 3°. Si Sacrum propter lucrum omisisti, debes id confiteri (quia scilicet tunc Sacrum omisisti propter avaritiam) similiter ergo confiteri debes, si Sacrum propter studium, id est, propter sciendi curiositatem omisisti. Quia sicut avaritia in priori casu, sic curiositas in posteriori, fit de veniali mortalis, in quantum ad mortale movet & inducit: ut enim S. Thomas 1. 2. q. 88. a. 2. *Quandoque id quod est peccatum veniale ex genere.... fit mortale ex parte agentis, vel quia in eo constituit finem ultimum, vel quia ordinat ipsum ad aliquid quod est peccatum mortale ex genere, puta cùm aliquis ordinat verbum otiosum ad adulterium.*

Videtur tamen mihi probabilius oppositum, 79
quod docent Card. Lugo de pœnit. disput. 16. sect. 11. & Doctores communiter. Quia licèt studium tunc sit mortiferum, utpote causa motiva seu finalis mortiferæ omissionis Sacri: tamen solùm est mortiferum & malum propter omissionem Sacri, cujus est causa. Ubi verò unum solùm est malum propter alterum, ibi est unicum malum, ut benè advertit eruditissimus D. Boudart, insignis Ecclesiæ Collegiatæ S. Petri Insulis Canonico-Theologus, in Manuali suo Theologico to. 2. tr. 2. §. 37. Sic qui furatur ut det eleëmosynam, vel ut solvat debita sua, non duo, sed unum peccatum committit. Quia datio eleëmosynæ, vel debitorum solutio, malitiam aliam non habet nisi furti, cujus est causa. Et aliàs graviùs peccaret, qui Sacrum omitteret propter studium, vel finem bonum, quàm qui pro sola voluntate illud omitteret (peccaret enim duplici peccato) id autem parum verisimile est.

Nec obstant rationes in contrarium. Non 80
1ª. quia quòd Sacrum omittens propter studium vel parentes, plus studium vel parentes amet, quàm Deum, non facit studium, &c. malum esse, malitiâ distinctâ ab omissione Sacri, sed eâdem & indistinctâ. Propterea namque magis amat studium, quàm Deum, quia propter studium vult omissione Sacri mortaliter offendere Deum. Satis proinde Confessarius scit volentem omittere Sacrum, id velle ex amore alicujus creaturæ, plusquàm Dei. Nec necesse habet scire, quænam in particulari sit illa creatura; sive enim sit studium, sive parentes, sive quid aliud, merè per accidens & materialiter se habet ad sacramentale judicium.

Non obstat etiam 2ª. ratio: quia non ideò 81
peccat quis peccato curiositatis, vel contra virtutem studiositatis, quia Sacrum propter studium omittit. Sicut qui aliena furatur ut comedat, non ideò comedendo peccat contra temperantiam, dummodò ex alienis non comedat plus, vel minùs, quàm temperantiæ regula exigit, id est non plus, nec minùs, quàm exigat bona valetudo corporis. Sicut enim temperantia secundùm se non prohibet ne comedamus ex alieno, sed solùm ne comedamus superflua & noxia valetudini: sic studiositas secundùm se non prohibet ne studeamus tempore Sacri, sed solùm ne studeamus ad sciendum superflua & noxia.

Non obstat denique 3ª. ratio: quia nec est universim verum, quòd Sacrum omittens propter lucrum, omittat propter avaritiam; neque enim id contingit, si lucrum referat ad necessarios vel utiles usus. Et ut omitteret Sacrum propter avaritiam, avaritia illa de se venialis, fieret quidem mortaliter mala, quia causa omissionis mortaliter malæ: non tamen ideò fieret mortaliter mala, malitiâ distinctâ à malitia mortali omissionis Sacri, sed indistinctâ, ob rationem suprà allatam.

CA-

CAPUT IX.

Distinctio numerica peccatorum desumenda est vel ex morali interruptione volitionum, vel ex diversitate actionum, vel objectorum moraliter distinctorum.

82 EX dictis numero 23. constat numericam peccatorum distinctionem scitu necessariam esse, tum pœnitentibus, tum Confessariis; eò quòd oporteat numerum peccatorum mortalium confiteri. Cæterùm unde numerum illum dignoscere valeamus, res est non parum intricata, ob varia Doctorum opinamenta. Et mirum, quòd Author n. 24. laudatus, numericam peccatorum distinctionem, uti specificam, originaliter & ultimatè non repetat ex communi sensu prudentum: cùm de utraque distinctione pariformiter videatur philosophandum. Qui tamen hîc, prout ibi, recurreret ad communem sensum prudentum, seu virorum Doctorum, difficultatem non evaderet: cùm circa eam, quot capita, tot sententiæ. Nec in tanta sententiarum varietate probabilior occurrit regula, quàm quæ continetur in assertione nostra. Pro cujus manifestatione nonnulla præmittemus, ex quibus perspicua erit probabilitas magna regulæ à nobis stabilitæ, propositaque difficultas lucem non modicam accipiet.

83 Primò itaque ostendemus (contra varios Recentiores) peccatum physicè unum numero, plerùmque esse numero multiplex in esse moris, sive plures numero malitias in eo subinde reperiri.

84 2°. malitias illas moraliter numero diversas, si mortales sint, haud minùs confitendas, quàm malitias ejusdem physicè actûs, specie moraliter diversas.

85 3°. ad multiplicandas numero malitias in peccatis, quæ vel externum respiciunt objectum, vel in exteriori actione consummantur, necessariam non esse moralem interruptionem actûs interioris.

86 4°. eadem peccata, quæ vel objectum externum respiciunt, vel in actione exteriori consummantur, numero multiplicari, pro multiplicatione vel objectorum moraliter completorum, vel actionum consummatarum, id est, quarum singulæ sint ex se totales, & in seipsis completæ, seu definitum ex se terminum & consummationem habentes, non obstante unitate actûs interioris.

87 5°. Hinc ostendemus multas numero malitias, pluraque numero peccata, ab eo committi, qui uno voluntatis actu plures homines occidit, tametsi uno eos ictu occidat; plura etiam numero peccata committi ab eo, qui uno voluntatis actu, in eadem licèt occasione, continuataque voluptate, eamdem, vel plures feminas sæpiùs cognoscit.

88 6°. Externæ tamen actiones, licèt numero distinctæ, si non sint ex se totales, sed ordinentur ad ulteriorem actum principalem, in quo consummantur (ut oscula, tactus, &c. ad copulam) non sunt plura numero peccata, quamdiù ad eumdem illum actum, seu finem principalem ininterruptè sequentem, ordinantur, dummodò specialem, seu specie distinctam malitiam non contineant.

7°. Eædem actiones, principalem actum 89
jam consummatum subsequentes, licèt incontinenti, absque relatione operantis ad novum actum principalem, ita sunt peccata moraliter distincta ab actu principali jam consummato, ut inter se videantur constituere unum moraliter peccatum, si fiant per actum voluntatis moraliter ininterruptum.

8°. Peccata, quæ consummantur in mente, 90
& non in exteriori actione, quæque externum non respiciunt objectum, numero multiplicantur pro sola morali interruptione actuum internorum.

Hæc probanda sunt in capitibus sequentibus, ex quibus ad invicem collatis, consectaria est assertio nostra, seu regula per eam declarata. Peccata quippe omnia vel consummantur in mente, vel consummantur in externa actione. Si consummantur in mente, sine respectu ad objectum, non est unde numero multiplicentur, nisi penes moralem interruptionem volitionum, quâ fit ut quoties, post ejusmodi interruptionem, volitiones illæ resumuntur, peccata toties numero multiplicentur. Si verò consummentur in mente, cum respectu ad objectum externum, duplici ex capite numero multiplicantur, vel scilicet penes moralem interruptionem actuum internorum (ut proximè diximus) vel penes moralem multiplicationem objectorum externorum, juxta præmissum 4. Quòd si non consummentur in mente, sed in exteriori actione, numero multiplicantur pro multiplicatione istarum actionum externarum, juxta idem præmissum 4. & tria sequentia. Vel etiam pro morali interruptione, ac deinde resumptione volitionum, quibus actiones illæ externæ imperantur. Neque enim dubium, eum qui duabus volitionibus moraliter interruptis, eamdem vult fornicationem v. g. duo numero peccata committere. Igitur spectatis omnibus, nullo alio ex capite peccata numero multiplicantur, nisi vel ex morali interruptione, ac deinde resumptione volitionum; vel ex morali diversitate objectorum, vel actuum externorum.

CAPUT X.

Peccatum physicè unum plures numero malitias moraliter complecti potest, ac plerùmque complectitur.

HÆc est resoluti Doctoris nostri Baconii 91
in 2. dist. 39. q... a. 3. Scoti, Azorii, Malderi, Silvii, &c.

Et probatur 1°. quia unus idemque actus in esse physico, esse potest specie multiplex

in esse moris. Sed non est cur minùs esse queat numero multiplex, quàm specie; imò est cur æquè esse possit numero multiplex, quàm specie. Sicut enim actus voluntatis, physicè unus & simplex, tendere potest in plura specie objecta, ut plura specie (etiam formaliter) in esse moris; sic & in plura numero, ut plura numero (etiam formaliter) in esse moris (cur enim istud minùs quàm illud?) Sed actus physicè unus tendens in plura numero objecta, ut plura formaliter in esse moris, est numero multiplex in esse moris, propter moralem objectorum multiplicitatem; sicut actus physicè unus tendens in plura specie objecta, ut plura formaliter in esse moris, est specie multiplex in esse moris. Unumquodque enim objectum æquè aptum est refundere, ac per consequens æquè de facto refundit malitiam suam numericam, quàm specificam, in actum à quo respicitur: cùm voluntatis actus æquè essentialiter respiciat objecta sua numero, quàm specie distincta.

92 2°. Ad contrahendam numericam multiplicitatem peccatorum, pro numerica multiplicitate objectorum, ne quidem necesse est quòd voluntas feratur in illa ut formaliter numero diversa, sed sufficit quòd scienter feratur in illa ut talia materialiter: cùm æquè moraliter numerificetur penes objecta sua materialia, in quæ scienter & volenter fertur contra legem, quàm moraliter specificetur penes eadem, juxta dicta n. 48.

93 3°. Sicut unus idemque physicè actus plerùmque habet oppositionem cum pluribus specie distinctis virtutibus; sic plerùmque habet oppositionem cum pluribus numero distinctis juribus, ut dum conjugatus cum conjugata adulteratur, vel dum uno quis ictu, unoque voluntatis actu plures occidit. Sed non est cur actus, habens oppositionem cum pluribus numero distinctis juribus, minùs habeat plures numero malitias, quàm plures specie, dum opponitur pluribus specie distinctis virtutibus.

94 4°. Dum conjugatus uno voluntatis actu duas successivè feminas cognoscit, primò solutam, deinde conjugatam, secundum istud adulterium, conjugati cum conjugata, aliquam continet malitiam, quam non continet adulterium ejusdem cum soluta (scilicet injustitiam in maritum conjugatæ) sed non continet malitiam specie diversam (utraque enim in specie est adulterii) ergo diversam numero. Præsertim cùm negari nequeat, injustitiam istam, ac per consequens malitiam, esse moraliter diversam à malitia prioris adulterii: utpote in quo injustitia ista in maritum conjugatæ non continetur, sicut continetur in posteriori.

95 5°. Non obstante unitate physicâ actûs voluntatis, in dicto casu, tot sunt offensæ & malitiæ, quot jura violata. Sed jura violata sunt numero (non specie) plura: ergo offensæ & malitiæ numero plures. Minor est perspicua; jus enim mariti innocentis v. g. in corpus adulteræ uxoris suæ distinctum est à jure Cajæ innocentis in corpus adulteri mariti sui. Probatur major: quia jus (amplè sumptum pro jure sive justitiæ, sive charitatis, sive pietatis, &c.) est ratio mensuraque offensæ (omnis enim offensa, ideò offensa est, quia per eam læditur jus alicujus: si enim nullum jus læderetur, offensa nulla esset) nec proinde minùs dat illi individuationem & numerum, si solo numero distinctum sit à jure alterius, quàm speciem, si specie distinctum sit, &c.

96 6°. Qui uno voluntatis actu decem occidit homines, vel decem cognoscit feminas, communi sapientum æstimatione, decem committit homicidia, decem fornicationes, &c. (sic enim Doctores communiter censent, teste Leandro à SS. Sacramento, de pœnit. disp. 5. §. 3. q. 20.) Sed decem homicidia, fornicationes, &c. sunt decem peccata. Ergo, &c.

97 7°. Possunt uno voluntatis actu approbari peccata omnia, solo numero diversa, commissa ab origine mundi, committendaque in finem; potestque voluntas omnia efficaciter velle, quantùm in se est. Sed tunc absurdum foret dicere, quòd non contraheret nisi unam numero malitiam, nec committeret nisi unum numero peccatum: quandoquidem approbando, volendoque efficaciter omnia, particeps fieret omnium, juxta illud Rom. 1. *Non solùm qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.*

98 8°. Ex oppositâ sententia consectarium esset, unum numero peccatum committi ab eo, qui uno voluntatis actu continuato, centum vel plures committeret fornicationes, vel occideret mille homines; sicut & à Rege, qui unâ voluntate, unoque mandato per exercitum suum injustè occideret millionem familiarum, imò provincias & regna omnia Orbis terrarum.

Solvuntur objectiones.

99 OBjicies 1°. Duo numero accidentia, solo numero diversa, simul esse nequeunt in uno subjecto: ergo nec duæ numero malitiæ in eodem actu.

Respondeo, transeat antecedens de accidentibus physicis, quæ in sententia Thomistarum (negante plura numero accidentia esse posse in eodem subjecto) individuantur in ordine ad subjectum. Nego de accidentibus moralibus, quæ non individuantur in ordine ad subjectum, sed in ordine ad rationem, & legem: qui ordo multiplex est, pro morali multiplicitate objectorum, vel actionum totalium, vel etiam jurium totalium, quæ lex illæsa servari præcipit. Deinde quidquid sit de accidentibus positivis, plures privationes, seu specie seu numero distinctæ, simul sunt in eadem materia. Malitia verò formalis actûs pecca-

peccaminosi in privatione consistit.

100 Objicies 2°. Volitio occidendi decem homines, non magis continet decem numero malitias, quàm volitio occidendi infinitos, contineat infinitas.

Respondeo quòd si daretur volitio efficax occidendi infinitos homines, sicut datur volitio efficax occidendi decem, infinitas numero malitias contineret. Quantùm ad volitionem inefficacem occidendi infinitos, continet infinitas malitias, non effectivè, sed affectivè inefficaciter; vel certè de numero malitiarum talis actûs philosophandum, prout Adversarii philosophantur de aggravatione malitiæ talis actûs, quam agnoscunt crescere proportionaliter ad numerum objectorum.

101 Objicies 3°. Volitio dandi eleëmosynam decem pauperibus, non continet decem numero bonitates: ergo volitio furandi eleëmosynam à decem pauperibus, non continet decem numero malitias.

Respondeo 1°. negando antecedens, si multiplicatio numerica bonitatis objectorum se haberet ut objectum formale, sive ut ratio formalis volendi eam, & non ut objectum materiale dumtaxat. Quia non est cur bonitas actuum numero non multiplicetur pro multiplicatione objectorum formalium numero distinctorum, uti specie multiplicatur pro multiplicatione objectorum formalium specie distinctorum. 2°. Si multiplicatio numerica bonitatis objectorum solùm se habeat ut objectum materiale, neganda est consequentia: est enim disparitas, quòd ad contrahendas decem bonitates, necesse sit eas intendi per modum objectorum formalium; ubi ad contrahendas decem malitias, sufficit eas scienter intendi per modum objectorum materialium. Plus enim ad bonum requiritur, quàm ad malum. Vide dicta n. 48.

102 Objicies 4°. Unus moraliter actus æquè ferri potest in objecta moraliter plura, quàm unus physicè actus in objecta physicè plura.

Respondeo 1°. à physicis ad moralia trahendam non esse consequentiam: cùm ipsemet objiciens Caramuelicum istud refellat: *Oportet sicut de physicis physicè, sic de moralibus moraliter philosophari.*

103 2°. dato, non concesso, quòd actus moraliter unus, moralitate positivâ (cujusmodi est moralitas formalis actûs boni) ferri possit in objecta moraliter plura, non sequitur idem dicendum de actu moraliter uno moralitate privativâ, cujusmodi est moralitas formalis actûs mali: utpote cujus malitia formalis consistit in privatione debitæ rectitudinis; quæ profectò numerificatur in actibus malis, pro numerica multiplicatione malitiæ moralis objectorum, sicut specificatur pro specifica multiplicatione malitiæ moralis eorumdem, juxta communem prudentum æstimationem, à qua objiciens originaliter & ultimatè petit specificationem.

104 3°. quidquid sit, an actus moraliter formaliter unus, ferri queat in objecta moraliter plura, saltem actum, qui fertur in objecta moraliter plura, esse moraliter virtualiter seu æquivalenter multiplicem; ac proinde in uno eodemque actu, in casu nostro, plures esse numero malitias, si non formaliter, saltem virtualiter & æquivalenter, pro quanto sic est malitia formaliter una, ut ista una sit virtute, & æquivalenter plures, in ordine ad confessionem de iis faciendam, ut fatetur objiciens. Hoc autem est quod potissimùm intendimus, sive interim alio sensu inveniri dicantur malitiæ numero plures formaliter, sive virtualiter tantùm. Qua in re (ferè de nomine) necessitatem non videmus recedendi à communi sensu, modoque loquendi, de quo suprà n. 63. nec proinde formalem malitiarum pluralitatem numericam negandi, pro numerica objectorum pluralitate, magis quàm specificam pro specifica. Cui quidem communi philosophandi modo ideò lubenter insistimus, quia sic apertiùs ostendimus obligationem confitendi numerum objectorum, etiam datâ sententiâ, quæ negat obligationem confitendarum circumstantiarum, intra eamdem speciem notabiliter aggravantium. Neque enim id tam perspicuè ostendit objiciens: contra quem Adversarii prætendunt, multiplicationem solùm virtualem non spectare ad numerum, de quo in Tridentino, sed spectare dumtaxat ad circumstantiam notabiliter aggravantem.

CAPUT XI.

Malitiæ illæ moraliter numero diversæ, si mortales sint, haud minùs confitendæ sunt, quàm malitiæ specie diversæ.

CArdinalis de Lugo de pœnit. disp. 6. n. 114. & Leander de SS. Sacramento ubi suprà q. 19. putant in ordine ad confessionem nos præscindere posse à controversia illa (speculativâ, ut vocant) de numerica malitiarum multiplicatione in eodem actu; neque ex eo quòd in peccato, sive in actu plures continente malitias specie diversas, omnes explicari debeant, consequens esse, quòd in peccato, sive actu plures continente malitias numero diversas, omnes explicandæ sint. Rationem disparitatis esse aiunt, quòd in priori casu, non explicatâ distinctè omni malitiâ specificâ, non explicaretur distinctè tota species illius peccati; in posteriori verò casu, non explicatâ distinctè omni malitiâ numericâ, explicatur equidem illud numero peccatum, quod factum est; distinctè quidem quoad differentiam suam specificam, confusè verò quoad differentiam numericam; quod sufficere putant ad satisfaciendum præcepto confessionis: cùm nullum peccatum taceatur quoad suam speciem, & dicatur totus numerus peccatorum, licèt non totus numerus malitiarum; de quo explicando nihil exprimit Tridentinum. 105

Quòd si ab ipsis scisciteris, quomodò con- 106

fiteri debeat, qui uno ictu simul occidit decem homines? Respondent Lugo & Tamburinus, satis esse si dicat: *Uno ictu occidi multos*, tametsi non satis esset dicere: *Uno ictu occidi hominem*, vel *commisi homicidium*. Quia sic Confessarius intelligeret unum tantùm hominem occidisse, adeòque pœnitens deciperet Confessarium, nec peccatum suum explicaret ut fecit, sed aliter quàm fecit.

107 Sed contrà 1°. in quocumque actu reperiuntur plures specie malitiæ, reperiuntur plura specie peccata: ergo in quocumque actu reperiuntur plures numero malitiæ, reperiuntur plura numero peccata. Sed extra controversiam est, tam confitenda peccata omnia quoad numerum, quàm quoad speciem. Ergo.

108 2°. dum Tridentinum declarat, omnia peccata quoad speciem explicanda esse, id declarare intelligitur de omnibus malitiis specie distinctis. Dum ergo idem Concilium pariter declarat omnia peccata quoad numerum explicanda, id declarare intelligitur de omnibus malitiis numero distinctis. Sicut enim non explicatis omnibus malitiis specie distinctis, non censentur explicari omnia peccata quoad speciem; sic non explicatis omnibus malitiis numero distinctis, non censentur explicari omnia peccata quoad numerum.

109 3°. dum uno quis ictu decem occidit homines, vel committit decem moraliter homicidia, vel unum? si unum, quidni sufficiat dicere, *feci homicidium?* si decem, vel confiteri debet decem, vel confiteri non debet plura. Si enim unitas actûs denarium impedit numerum peccatorum, impedit & pluralitatem eorum. Vel si non impedit pluralem numerum, nec impedit denarium.

CAPUT XII.

Ad multiplicandas numero malitias in peccatis, quæ vel externum objectum respiciunt, vel in exteriori actione consummantur, necessaria non est moralis interruptio, seu multiplicatio actûs interioris.

110 QUidam Neoterici, quos inter Gabriel noster à S. Vincentio disput. 8. de pœnit. q. 5. ad numericam distinctionem peccatorum universim requirunt distinctionem numericam actuum voluntatis in esse moris; ad eam verò necessariam arbitrantur moralem in actu voluntatis interruptionem, seu multiplicationem. Unde censent, nonnisi unum numero peccatum committi ab eo, qui unicâ volitione moraliter ininterruptâ, decem occidit homines, vel fornicatur cum decem feminis, decies ve cum una; aientes objecta ista, licèt materialiter plura, formaliter uniri, constituereque unicum totale objectum formaliter terminativum istius volitionis.

111 Placuit hæc doctrina Caramueli in regul. D. Bened. disput. 62. n. 910. ubi sic: „ Unitas moralis peccati desumitur ab actu voluntatis. Unde patet esse unum peccatum, velle unico voluntatis actu occidere quatuor homines. Quia licèt hi sint plures in genere physico, in voluntate tamen sunt per modum unius. Nam unius actûs non datur nisi unum objectum. Quare in ea sententia, quæ tenet circumstantias aggravantes non esse in confessione aperiendas, sufficeret illi in confessione dicere, volui semel occidere. Quia non voluit bis, ut supponitur. Quòd autem voluerit unum, vel quatuor, actum aggravat, sed non multiplicat; & ita solùm est extensio materialis. " Eandem illationem facit Gabriel à S. Vincentio ubi suprà q. 6. addens, unum numero peccatum committere, qui uno voluntatis actu proponit horas vel jejunium omittere per totam quadragesimam, sicut & illum qui debitam restitutionem per longum tempus omittit, & qui plurium confessiones audit, cum conscientia peccati mortalis. Et q. 7. statuit conjugatum, adulterantem cum conjugata, non committere nisi unum numero peccatum. Et idem ait de Religioso cum Religiosa peccante contra castitatem. Unde satisfaciet (inquit) in confessione suum vel complicis peccatum manifestando, nec tenebitur utriusque statum manifestare.

Similiter Martinus de san. Joseph, & Joannes Pontius, apud Dianam p. 11. tract. 3. miscellan. resol. 3. Leander q. 20. & alii apud Guimenium, tract. de peccatis propos. 8. docent, eum qui unâ actione lædit decem personas, vel uno actu decem occidit, non committere decem peccata, sed unum, nec teneri explicare numerum occisorum. 112

Denique Zanardus Director. p. 1. c. 18. cum Berarducio in summa corona, & Archangelo Rubeo apud Leandrum §. 7. q. 8. docet, " eum qui per noctem cum amasia dormivit, etiamsi ter cognoverit, unum peccatum commisisse, " nec teneri dicere, tot vicibus cognovi, sed " feci quod potui, " dummodò uno continuato voluntatis actu, absque interruptione id fecerit. 113

Sed contra hæc opinamenta militant argumenta, quæ protulimus cap. 10. ex quibus patet, quod licèt, istis casibus, volitio sit physicè una, est tamen moraliter multiplex numero, sicut est moraliter multiplex specie, dum fertur in objecta specie diversa, vel consummatur actione specie multiplici, dum v. g. quis uno voluntatis actu, tres successivè cognoscit feminas, primò matrem suam, secundò monialem, tertiò conjugatam, &c. 114

CAPUT XIII.

Peccata quæ vel externum respiciunt objectum, vel in exteriori actione consummantur, numero multiplicantur, pro numerica multiplicatione vel objectorum moraliter completorum, vel actionum consummatarum, id est, quarum singula sint ex se completa, seu definitum ex se terminum & consummationem

habent, non obstante unitate actûs interioris.

115 ISte communis est sensus Doctorum, uti Leander suprà n. 96. fatetur de eo qui uno voluntatis actu occidit decem homines, vel fornicatur decies. Satisque patet ex dictis n. 85. & seqq.

116 Quapropter etiam qui uno voluntatis actu tres homines odio habet, vel blasphemat de duodecim Apostolis, vel de pluribus detrahit personis, vel morosè delectatur de copula habita cum pluribus, vel omittere vult horas per totum annum, vel jejunium per totam quadragesimam, tot numero peccata committit, quot sunt personæ, vel objecta istius voluntatis.

Similiter qui uno voluntatis actu vult inferre mortem vel infamiam uni integræ familiæ, tot peccata committit, quot personæ sunt in ista familia, ut rectè noster Irenæus, post Azorium, &c.

117 Quod enim Navarr. & Bonac. aiunt, in hoc casu unum tantùm numero peccatum committi, eò quòd tota familia in jure reputetur una persona, & omnes homines de familia eo modo componant unam familiam, quo omnes libri bibliothecæ, unam bibliothecam, omnes oves gregis, unum gregem, omnes partes domûs, unam domum, &c. benè rejicitur à Sylvio, quia reverà tot sunt illius voluntatis objecta per se integra & completa, quot in ea familia personæ, quæ per hoc, quòd pertineant ad eamdem familiam, non magis desinunt esse reverà personæ numero plures in esse moris, quàm esse desinant specie plures in esse moris, dum prima istius familiæ persona est pater delinquentis, secunda uxor, tertia Clericus, quarta Laïcus, &c. id quod manifestiùs apparet, dum uno quis voluntatis actu, uno etiam, si placet, ictu occidit omnes de ista familia. Neque enim unicum tunc homicidium committit, sed plura, eaque specie diversa, in casu, de quo proximè, utique parricidium, uxoricidium, clericidium, &c. Signum ergo est, quòd singuli homines istius familiæ, non reputentur moraliter una persona, sed plures personæ completæ, quarum singulæ jus in propriam vitam, famam, &c. habent completum & distinctum completè à jure alterius.

118 Hinc patet 1°. quòd personæ unius familiæ dici verè non possint una persona, sed tantùm fictione juris, quæ in præsenti nihil facit ad rem. 2°. quòd se non habeant ad invicem, sicut libri unius bibliothecæ, partes unius domûs, &c. quia hisce in partibus non sunt jura distincta, sicut in illis personis.

119 3°. quòd uno actu furari integram bibliothecam, integrum gregem, &c. sit unicum numero peccatum, sicut est unicum furtum: quia jus proprietarii, quod læditur, est unicum. Uno vero actu occidere integram familiam ex decem personis compositam, decem sunt peccata, prout decem homicidia, quia unicum non est jus ad vitam, quod læditur, sed reverà decem jura adæquatè distincta.

4°. Quamvis furtum centum nummorum, uno actu sublatorum uni personæ, sit unicum peccatum (gravitate æquivalens centum furtis unius nummi) ob unicum jus illius personæ violatum; furtum tamen centum nummorum, uno actu sublatorum centum personis, centum peccata sunt, ob centum jura violata, & quia uno actu furari centum hominibus, æquè est committere centum furta, quemadmodùm uno actu occidere centum homines est committere centum homicidia, ut rectè noster Irenæus, contra Vasquez. 120

An autem Confessarius tot peccata committat, quot audit confessiones, & homines absolvit in peccato mortali? negant (apud Leandrum §. 8. 19.) Rodrig. Lugo, Escobar, Tamburinus, Diana, & noster Gabriel à S. Vincentio suprà: quia, non obstante multiplicitate confessionum & absolutionum, censetur unum moraliter judicium exercere, adeòque unum moraliter peccatum committere. 121

Sed non video, cur potiùs unum moraliter judicium exerceat, quàm unum moraliter judiciale Sacramentum, vel unam moraliter absolutionem. Profectò ubi diversæ sunt personæ, quæ judicantur, diversæque judiciales causæ, ac diversæ sententiæ, judicia sunt moraliter diversa: nec est cur eo casu sit unum tantùm numero judicium & peccatum, potiùs quàm una numero fornicatio, unumque peccatum, dum quis integrâ nocte, cum pluribus meretricibus in eodem lecto miscetur uno voluntatis actu, vel uno iracundiæ impetu, in una rixa successivè plures occidit. 122

Affirmandum ergo cum Bonacina, Candido, Sylvestro, Azorio, Palao, & Dicastillo disput. 9. n. 83. de pœnit. & seqq. ubi præclusis aliorum evasionibus fusè ostendit, parem utrobique rationem; tria namque pœnitentiæ Sacramenta cum conscientia peccati mortalis administrata, æquè sunt tres actus moraliter completi, ac tres occisiones, aut tres fornicationes, &c. Unde Gabriel à S. Vincentio ingenuè fatetur, se non invenire adæquatam, & quæ sibi satisfaciat, disparitatem. Nec aliam dat, nisi quòd major sit unio moralis in illa plurium confessionum auditione, quàm in pluribus illis occisionibus, & fornicationibus successivis, eò quòd confessiones faciliùs fiant una post aliam, quàm occisiones & fornicationes. Secunda namque fornicatio novam in fornicante requirit præparationem, naturæque excitationem, quæ non requiritur in plurium confessionum auditione. Unde (inquit) potiùs admitterem peccati unitatem in pluribus homicidiis successivè uno iræ impetu commissis, quàm in fornicationibus. 123

Sed hoc est argumento succumbere, disparitatemque inter occisiones & confessionum auditiones nullam dare; inter auditiones verò & fornicationes non est dare disparitatem mo- 124

ralem, sed merè physicam, nihilque facientem ad esse moris, utpote quâ non obstante, fornicationes in esse moris, sive in esse volito, æquè facilè uniuntur, id est æquè facilè uno actu voluntatis intenduntur, quàm illæ auditiones: unitatem autem peccati ipse sumit ab unitate actûs voluntatis.

125 Denique si de fornicationibus ob id solùm dispariter philosophandum esset, quòd sibi invicem succedere nequeant sine novo naturæ excitamento, sequeretur quòd siquis tam calidæ & abundantis esset naturæ, ut opus non haberet novâ istâ excitatione, successivè pluries fornicando, non involveret se nisi uno peccato: & siqui Confessarii tam debiles forent, ut inter unam & alteram confessionem oporteret eos nonnihil resumere spiritum, ob id solùm involverent se multiplici peccato. Apage ista ridicula.

CAPUT XIV.

Externæ actiones, licèt numero distinctæ, si non sint ex se totales, sed ordinentur ad ulteriorem actum principalem, in quo consummantur (ut oscula, tactus, &c. ad copulam) non sunt plura numero peccata, quamdiù ad eumdem illum actum, seu finem principalem ininterruptè sequentem ordinantur: dummodo specie distinctam malitiam non contineant.

126 PRobatur ex communi sententia Doctorum passim omnium, exemplificantium 1°. in furto, quo quis uno voluntatis actu, sed centum externis actibus furripit uni personæ centum aureos, ininterruptè unum post alium. Siquidem omnes istæ surreptiones constituunt unum totale furtum; sicut omnes isti aurei unam summam totalem. 2°. in tactibus, & amplexibus impudicis, quæ, dum fiunt in ordine ad copulam, constituunt cum illa unum moraliter peccatum consummatum: ipsius enim sunt inchoatio & præparamentum, & in ipsa velut in centro suo moraliter uniuntur. Unde Bassæus verbo *peccatum* 40. ait, usum totius Ecclesiæ habere, quòd illi tactus, &c. necessariò non sint in confessione figillatim exprimendi, sed sufficiat exprimere actum principalem, in quo satis intelliguntur per regulam à communiter accidentibus.

CAPUT XV.

Oscula, tactus, & similia, copulam jam consummatam subsequentia, licèt incontinenti, absque relatione operantis ad novam copulam, ita sunt peccata moraliter distincta à copula jam consummata, ut inter se videantur constituere unum moraliter peccatum, si fiant per actum voluntatis moraliter ininterruptum.

127 SAtis Doctores conveniunt, similes actiones novum esse peccatum, distinctumque à præcedenti copula, vel pollutione, dum post illam fiunt ad excitamentum novæ copulæ, vel pollutionis, sive hæc de facto sequatur, sive non. Dum enim subsequitur, sunt unum moraliter peccatum cum ea, uti vidimus capite præcedenti. Dum non subsequitur, ad novum quidem peccatum eo ipso referuntur, quo ad novam copulam, vel pollutionem.

De similibus verò actibus, post primam 128
copulam, &c. factis incontinenti, non ex intentione novæ copulæ, &c. non ita conveniunt. Siquidem Navar. Azor. Salas, Henriquez, Fagund. Granado, Palao, Gabriel à S. Vincentio, &c. apud Leandrum §. 6. quæst. 8. negant esse peccatum distinctum à copula, vel pollutione præcedenti, aientes esse unum peccatum moraliter cum ea, velut appendices & complementum accidentale illius, & velut continuatam de ipsa complacentiam, ipsam naturaliter consequentem: cùm naturale sit, quòd bonum delectabile jamjam habitum causet de se complacentiam.

Dicendum nihilominùs cum Suarez, Vas- 129
quez, Coninck, Hurtado, Sylvio, & nostro Thoma à Jesu, esse peccatum distinctum, distinctèque confitendum, quia non sunt partes præcedentis copulæ, utpote jam antè ultimò consummatæ; nec eam sequuntur ex natura rei (magis quàm continuata commotio carnis, quæ per copulam acquisito termino quiescit) sed ex operantis malitia, suntque ex natura sua excitamentum & inchoatio novæ copulæ, vel pollutionis, potiùs quàm continuatio præcedentis. Denique ex natura rei non magis sunt appendix & complementum accidentale copulæ præcedentis, quàm ipsamet copula, vel pollutio sequens, ad quam ex natura sua disponunt. Atque idem cum Suarez & Sylvio dicendum de complacentia copulam subsequente.

Sed & ipsi tactus & oscula præcedentia co- 130
pulam, sine relatione ad illam, etsi deinde mutatâ voluntate copula subsequatur, sunt peccatum moraliter ab illa distinctum, distinctèque confitendum, prout docent Vasquez, Lugo, & ipsemet Diana parte 9. tract. 9. resol. 66. & p. 11. tract. 5. resol. 42. contra Leandrum quæst. 10. quia ex natura sua non magis sunt dispositio & via ad copulam fornicariam, quàm sodomiticam, vel saltem ad pollutionem, adeòque non magis ex fine operis ordinantur ad illam, quàm ad istam, nec magis faciunt moraliter unum cum illa, quàm cum ista. Aliunde verò supponuntur ad copulam non ordinari ex intentione, seu fine operantis, sed operantis intentionem in illis sistere, & ad delectationem ex illis præcisè provenientem terminari. Ergo, &c.

Major est difficultas, an ejusmodi tactus 131
& oscula, ulteriùs non relata ad copulam, &c. sint peccata, non solùm à copula, &c. verùm etiam ab invicem distincta, ita ut uno impetu venereo, & unâ intentione carnalis delectationis tactûs, ad horam continuatâ,

decem vicibus se vel alium (cum aliqua operis interruptione) impudicè tangens, decem peccata committat? idem quæritur de eo, qui uno iræ impetu, pluries successivè eundem in una rixa percutit, vel uno linguæ conflictu, in eadem occasione plura convicia, saltem ejusdem rationis, in alium conjicit, v. g. furem vocando? Videtur enim quòd sic, quia singuli illi tactus, &c. per se sunt peccatum, nec apparet cur potiùs omnes simul constituant unum moraliter peccatum, quàm plures occisiones uno iræ & voluntatis impetu, successivè factæ. Eodem igitur modo de illis ac de istis videtur philosophandum.

132 Respondeo nihilominùs cum Navarro, Vasquez, Hurtado, Sylvio, Dicastillo & aliis communiter, quòd ita sint peccata moraliter distincta à copula, &c. ut inter se constituant unum moraliter peccatum, quia ex communi usu, sensuque hominum censentur una moraliter actio, una percussio, una locutio, non obstante physicâ distinctione, & aliquali physicâ interruptione: quemadmodùm censetur una moraliter comestio ejus, qui plura successivè fercula comedit. Nec eadem est ratio ejusmodi actionum, ac plurium occisionum, &c. quandoquidem constet plures actus, percussiones, &c. esse aptas natas facere moraliter unum cum uno tertio actu externo, utique cum suo termino, non sic plures occisiones, &c. Cujus ratio est, quia occisio, fornicatio, &c. sunt actiones totales in seipsis completæ, atque ex natura sua sic habentes definitum terminum, in quo perficiuntur & consummantur, ut ex natura sua non sint unibiles in uno tertio, in quo ulteriùs perficiantur & consummentur, adeòque non sint unibiles inter se. At verò tactus, percussiones, &c. non sunt actiones ex se totales, neque ex natura sua sic habentes in seipsis terminum definitum & consummatum, quin ex natura sua sint unibiles in uno tertio, in quo perficiantur & consummentur, adeòque quin ex natura sua sint unibiles inter se, prout comestiones ferculorum. Quæ disparitas cùm approbetur communi sapientum æstimatione, nec quidquam convincens afferatur in contrarium, eâ Theologus Moralis contentus esse debet.

CAPUT XVI.

Peccata quæ consummantur in mente, & non in exteriori actione, quæque externum non respiciunt objectum, numero multiplicantur pro sola morali interruptione actuum internorum.

133 PRobatur, tum ex doctrina S. Thomæ in 2. dist. 42. q. 1. a. 10. dicentis: *Secundùm unitatem voluntatis sumendum est judicium de unitate ejus quod in genere moris dicitur.* Tum ex eo quòd deficiente morali multiplicatione penes objecta, vel actiones totales, non superfit fundamentum moralis multiplicationis, nisi penes ipsos actus internos. Actus verò interni per hoc solùm quòd sæpiùs ininterruptè repetantur, non censentur moraliter multiplicari, sed physicè dumtaxat. Solùm ergo censentur moraliter multiplicari, quando moraliter interrumpuntur, ac deindè resumuntur. Unde S. Thomas loco citato, dicit, quòd voluntas interior & actus exterior, sunt unum numero peccatum, quando actus exterior moraliter conjungitur interiori. Si autem moraliter interruptè sequatur, requiritur voluntas moraliter nova, & ideò tunc est moraliter novum distinctumque peccatum: *Cùm quæritur utrùm voluntas, & actus exterior sint diversa peccata; aut intelligitur de voluntate conjuncta actui exteriori, aut de voluntate præcedente. Si de conjuncta, sic oportet quòd unum peccatum sit voluntas interior, & actus exterior, quia voluntatis non multiplicatur actus. Si autem de voluntate separata, sic est aliud peccatum. Quia actus voluntatis multiplicatur: quod enim actum explet exteriorem, etiam actum voluntatis iterat; & ideò oportet quòd sint duo peccata; non propter diversitatem actûs interioris & exterioris, sed propter diversitatem duorum actuum interiorum.*

Ne quis verò ex his verbis S. Doctoris inferat, à sola numerica voluntatis unitate sumendam universim unitatem numericam peccati, legat ipsum 1. 2. quæst. 73. a. 7. in corpore. Ibi namque peccata numero multiplicat penes circumstantias extrinsecas actui voluntatis numero diversas: nam (inquit) *circumstantia aggravat peccatum, quia multiplicat rationem peccati, sicut si prodigus det quando non debet, & cui non debet, multipliciùs peccat eodem genere peccati, quàm si solùm det cui non debet.* 134

Dixi, quando actus interni *moraliter interrumpuntur*: quia licèt ad physicam distinctionem & multiplicationem, physica quælibet interruptio sufficiat; tamen in ordine ad confessionem, sicut non attenduntur actus secundùm physicam suam entitatem, sed secundùm suam moralitatem; ita non attenditur distinctio & multiplicatio, nec consequenter interruptio physica, sed moralis. Non rarò verò contingit actum interrumpi physicè, quin moraliter interrumpatur, eò quòd morali & prudenti hominum judicio censeatur tantùm una actio. Sic enim dicitur una eleëmosynæ largitio, per amici salutationem tantisper interrupta; una Missa, inter cujus partes interponitur concio; una comestio seu prandium, licèt quis, ad januam vocatus, ex mensa surgat, nec post breve tempus rediens censetur bis comedere, prout in materia jejunii docent communiter Theologi. 135

CAPUT XVII.

Declarantur tres modi moralis illius interruptionis.

POrrò moralis interruptio actuum, tribus præsertim modis fieri potest. 1°. per con- 136

trariam voluntatem, per quam prior voluntas revocatur. 2°. per voluntariam ceſſationem ab actu, dum quis mentem aliò voluntariè diſtrahit, ut ſiquis, viſâ puellâ, poſt voluntariam concupiſcentiam illius, in animo ſuo dicat, nolo ampliùs de illa cogitare, ſeque ex libero propoſito applicet ad cogitandum aliud. 3°. per naturalem ceſſationem, ſive fiat per ſomnum, ſive per naturalem diſtractionem animi, quâ fit ut uni cogitationi diù ſine interruptione non inhæreamus.

137 Quoad primum quidem modum, certum eſt, & ab omnibus conceſſum, peccata multiplicari, non ſolùm in ordine ad demeritum, ſed & in ordine ad confeſſionem, quoties voluntariè quis actum malum contrariâ voluntate interrumpit, & poſteà (breviſſimo licèt interpoſito tempore) eam reſumit. Quia contraria voluntas interpoſita, facit, ut poſterior actus cum priori coaleſcere nequeat in unum moraliter actum, propter moralem diſcontinuationem; quæ non minùs impedit unitatem moralem, quàm phyſica phyſicam.

138 Huic rationi, ſicut & aſſertioni, Doctores paſſim omnes acquieſcunt. Putat nihilominùs Cardinalis de Lugo de pœnit. 16. n. 52. aliquando contingere, quòd prioris voluntatis per aliam contrariam revocatio non impediat unitatem moralem peccati. Nam ex probabili doctrina Leſſii, Layman, &c. qui in die jejunii ceſſat comedere in fine prandii, cum propoſito non comedendi ampliùs; ſi tamen, ſtatim poſt iſtud propoſitum, ante depoſitam menſam, afferatur novum ferculum arridens guſtui ipſius, poteſt ſine violatione jejunii adhuc de illo comedere: quia menſæ continuatio ſufficit ad continuationem moralem prandii, non obſtante brevi illâ voluntate in contrarium. Cur ergo non poſſit idem quandoque contingere in unitate peccati? ſiquis v. g. die jejunii comedat in prandio carnes, & in fine prandii proponat non ampliùs comedere; videns tamen adferri novum carnis ferculum, comedat ex illo: tunc enim ſicut continuatur idem prandium, ſic & idem peccatum, nec proinde opus erit in confeſſione dicere, *bis comedi carnes*. Similiter ſiquis animo vindictæ alium pugno percutiat, & poſt aliquot percuſſiones habeat animum ceſſandi, ceſſetque de facto, ſed, ſtatim poſt, iterùm bis aut ter percutiat, non dicuntur (inquit) fuiſſe duo peccata, ut duo confitenda. Denique hoc ipſum in peccato injuſtæ retentionis locum habere poteſt, ſiquis, dum alienum retinet, concipiat reſtituendi animum, ſed ſtatim, mutato animo, velit adhuc retinere; videtur eadem retentio, ac ſi interrupta non fuiſſet.

139 Hæc omnia Lugo, quæ tamen ad ſummum probant actum externum his caſibus non interrumpi in exiſtimatione hominum; non verò actum internum, qui cùm nec actualiter, nec virtualiter, imò nec habitualiter quidem continuetur (ut patet ex definitione intentionis actualis, virtualis & habitualis) conſequens eſt quòd interrumpatur. Et aliàs qui in die jejunii comediſſet carnes, & ſtatim de eo contritus fuiſſet, ſi ante receſſum à menſa carnes de novo comederet, hoc ſecundum peccatum foret moraliter idem cum præcedenti, per contritionem deleto, nec ampliùs exiſtente. Quod intelligi non poteſt.

Nec obſtat exemplum allatum à Leſſio: quia 140
licèt verum ſit; hoc ideò eſt, quia ipſa externa comeſtio, quæ ſolùm prohibetur per legem jejunii, non interrumpitur, quidquid ſit de voluntate interna, quæ prout fertur in unam comeſtionem externam, non eſt contra legem jejunii.

Quoad ſecundum modum, in hoc omnes 141
ferè Doctores conveniunt, multiplicari numero peccata per voluntariam ceſſationem ab actu, & voluntariam deinde reſumptionem illius. Quia hoc ipſo quòd prior voluntas liberè dimiſſa fuit, moraliter non fuit continuata; aliàs moraliter dimiſſa fuiſſet, & non fuiſſet.

Quoad tertium denique modum, licèt Do- 142
ctores magis controvertant, aio tamen 1°. in actibus internis inter ſe non connexis, nec in aliquo ſaltem affectu ſuo perſeverantibus, quamlibet ceſſationem, ſeu interruptionem, & ſucceſſionem etiam modicam unius poſt alterum, ſufficere ad numericam peccatorum multiplicationem. Ita Raſſerus de pœnit. c. 5. §. 21. Quia quandocumque talis eſt interruptio actûs interni, ut non continuetur, nec in ſe, nec in ullo affectu ſuo, nec eſt per ſe connexus cum actu ſequenti, non poteſt eſſe moraliter unus cum illo, defectu continuationis, vel connexionis, quæ requiritur ad unitatem actûs. Ubi verò actus non eſt moraliter unus, peccatum non eſt moraliter unum, quia peccatum nihil aliud eſt, niſi actus contra legem.

Hinc Nugnus in addit. ad 3. p. q. 9. a. 2. dub. 1. Vaſquez de pœnit. q. 91. a. 1. c. 5. & alii cenſent, eum qui illicitam fovet animo cogitationem, ſi ſenſim ſui oblitus, & in alias cogitationes impertinentes prolapſus (priori cogitatione nec in ſe, nec in ullo effectu ſuo perſeverante) brevi poſt tempore ad priorem cogitationem voluntariè revertitur, de duplici ſe accuſare debere peccato, quia verè commiſit duas actiones contra legem.

Scio quòd aliqui oppoſitum cenſent, cum 143
Suarez & Dicaſtillo, quia licèt ſit duplex moraliter in ordine ad demeritum coram Deo, non tamen in ordine ad confeſſionem (inquiunt) utpote in qua peccatum non ſemper exprimendum eſt ut unum, vel multiplex, in rigore divini judicii; ſed prout ipſa actio peccaminoſa cenſetur una vel multiplex ſecundùm moralem hominum æſtimationem (ſecundùm quam modica interruptio pro nulla moraliter interpretatur) aliàs præceptum confeſſionis foret de re moraliter impoſſibili.

Sed hoc non placet, ob allatam rationem; 144
& quia quoties homo ſcit ſe tot peccata mortalia

talia coram Deo commisisse, debet eorum numerum exprimere. Aliàs non confitetur numerum peccatorum, quorum memoriam habet, nec facit confessionem formaliter integram, nec satisfacit Tridentino, sessione 14. c. 3. dicenti, *oportere omnia mortalia in confessione recensere.* Si tamen interruptio fuerit ita brevis, ut moraliter cognosci non possit, tunc excusatur homo; & si sciat quidem se aliquoties interrupisse, sed numerum interruptionum scire non possit, dicat temporis moram quâ illicitæ inhæsit cogitationi, addens se aliquoties interrupisse.

145 Aio secundò cum Vasquez a. 2. disp. 75. n. 2. & 3. Nugno ubi suprà, & aliis, per naturalem somnum, sicut & per amentiam quamlibet brevem, actum & peccatum moraliter interrumpi; quia per illum moralitas actionis non minùs interrumpitur, quàm libertas, quæ tunc non continuatur actualiter, nec virtualiter. Per naturalem etiam distractionem, & inadvertentiam, actus internus moraliter interrumpitur, quando ita est vel tam longa, vel applicatur animus ad rem adeò impedientem continuationem prioris, ut sub illa nec continuetur in se, nec in alio libero voluntatis actu, orto ex vi illius; nec in ullo effectu suo; nec denique prior actus per se connexus est consequenti, ob rationem paulò anteà datam.

146 Unde non probo sententiam Navarri, Henriquez, Lopez, Salas, & aliorum docentium, siquis animo occidendi inimicum, ad plures dietas distantem, proficiscatur, & in itinere sæpiùs indormiat, aliaque ad finem illum impertinentia misceat, tametsi posteà voluntatem occidendi repetat, non erit moraliter aliud numero peccatum. Nec probo sententiam Navarræ, Arragonii, & aliorum docentium, non committi plura peccata, sed moraliter continuari antiquum, dum uno anno vel ampliùs injustè retinetur alienum (quo tempore certum est, ultra frequentem somnum, multa alia impertinentia fieri) tametsi frequenter interim se offerat occasio restituendi, frequenter etiam renovetur voluntas non restituendi, dummodò antiqua voluntas contrariâ voluntate non fuerit retractata. Denique multò minùs probo sententiam Cani, Joannis de la Cruz, Homoboni, & aliorum apud Leandrum suprà q. 6. aientium, solam interruptionem per actum contrarium, moralem interruptionem multiplicationemque actuum efficere; quam sententiam Tamburinus expedit. confess. l. 2. c. 1. n. 32. probat ex eo quòd cessante interruptione actuum per actum contrarium, omnes illi actus, seu multi, seu pauci, moralem unitatem desumant à permanentia, seu continuatione habituali prioris malæ voluntatis.

147 Sed cùm hæc habitualis permanentia non sufficiat ad hoc, ut quis censeatur, moraliter loquendo, continuò peccare, etiam in somno (ut ex dictis patet) nec sufficit ad hoc, ut omnes illi actus sint moraliter unum numero peccatum.

CAPUT XVIII.

Nec omnia peccata mortalia sunt, nec omnia æqualia.

NUllum esse peccatum ex natura sua venia- 148
le, sed omnia mortalia esse, Lutherus & Calvinus blateraruntt, sic tamen ut prædestinatis mortem non afferant ex Dei miserentis voluntate, qui in ipsis talem effectum producere nolit: reproborum verò peccata omnia absolutè mortalia esse. Jovinianus etiam vel venialia vel mortalia peccata negavit, dum, teste Augustino l. de hæresibus c. 82. & Hieronymo l. 2. contra Jovinianum sub finem, peccata omnia æqualia esse cum Stoïcis docuit.

Sed non omnia peccata æqualia esse, om- 149
nis Scriptura, Traditioque testatur, ipsa quoque ratio naturalis demonstrat. Siquidem Matth. 5. peccatorum inæqualitatem Christus declarat his verbis: *Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri suo, raca: reus erit concilio. Qui autem dixerit, fatue: reus erit gehennæ ignis.* Et Apostolus inter venialia & mortalia distinguit, dum 1. Cor. 3. venialia comparat ligno, fœno & stipulis, quæ dum homo ædificat super fundamentum Christi, propter fundamentum *salvus erit; sic tamen quasi per ignem.* Verùm ad Galat. 8. de operibus carnis, *quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ,* &c. ait quòd, *qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Sed & Scriptura, Traditioque distinguit inter peccata remissibilia, & non remissibilia. Et Matth. quidem 12. Christus ait: *Omne peccatum & blasphemia remittetur.... & quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Quæ verba S. Augustinus serm. 11. de verb. Dom. ait, intelligenda non esse de qualibet blasphemia in Spiritum sanctum (alioquin nulla spes esset Paganorum, & Judæorum, dæmoni tribuentium dæmonum ejectiones, nec Judæorum magicis artibus adscribentium miracula, quæ Christus fecit; nec Arrianorum, Photinianorum, aliorumque hæreticorum, qui in Spiritum sanctum blasphemarunt) sed irremissibilem blasphemiam in Spiritum sanctum, solam esse impœnitentiam usque ad mortem. De quo videri potest S. Thomas q. 3. de malo a. 14.

CAPUT XIX.

Peccatorum gravitas ex objecto petitur, & circumstantiis.

ITa S. Thomas q. 2. de malo a. 10. ubi 150
sic: *Dicendum quòd gravitas peccati potest*

pensari ex duobus. Uno modo ex parte ipsius actûs : alio modo ex parte agentis. Ex parte autem actûs est duo considerare, scilicet speciem actûs, & accidens ejus, quod suprà circumstantiam diximus : Actus autem speciem habet ex objecto. Gravitas ergo peccati, quam habet ex specie sua, attenditur ex parte objecti. Secundum hanc considerationem gravius peccatum dicitur ex genere suo, quod majori bono virtutis opponitur. Unde cùm bonum virtutis consistat in ordine amoris, ut Augustinus dicit, Deum autem super omnia diligere debeamus : peccata quæ sunt in Deum, sicut blasphemia, & hujusmodi, secundùm suum genus sunt reputanda gravissima. Inter peccata verò in proximum, tantò aliqua sunt aliis graviora, quantò majori bono proximi opponuntur. Maximum autem bonum (inter corporalia bona) *proximi, est ipsa vita hominis, cui opponitur peccatum homicidii, quod tollit actualem vitam, & peccatum luxuriæ, quod opponitur vitæ hominis in potentia ; quia est inordinatio quædam circa actum generationis humanæ. Unde inter omnia peccata, quæ sunt in proximum, gravius est homicidium secundùm genus suum. Et secundum locum tenet adulterium, fornicatio, & hujusmodi peccata carnalia. Tertium autem locum tenet furtum & rapina, & hujusmodi, per quæ in exterioribus bonis laditur proximus. In singulis autem horum generum, sunt diversi gradus, in quibus mensuram peccati secundùm genus suum oportet accipere, secundùm quod bonum oppositum magis vel minùs per charitatem debet amari. Ex parte autem circumstantiæ, est etiam gravitas in peccato, non ex specie sua, sed accidentalis. Similiter etiam ex parte agentis attenditur gravitas in peccato, secundùm quod magis vel minùs voluntarius peccat. Voluntas enim est causa peccati.... Sed hæc gravitas non competit peccato secundùm suam speciem. Et ideò si gravitas peccati attendatur secundùm speciem ejus, tantò invenitur peccatum gravius, quantò majori bono opponitur.*

151 Primò itaque gravitas essentialis peccati petitur ex magnitudine boni, quod per peccatum corrumpitur, juxta illud Philosophi 8. Ethic. 3. *Pessimum est quod est contrarium optimo.* Unde axioma : *Corruptio optimi pessima.* Et ideò peccata spiritualia multò graviora esse carnalibus, uno ore pronuntiant SS. Patres, signanter Gregorius 33. Moral. 11. & D. Thomas 1. 2. q. 73. a. 3.

152 Secundò, gravitas accidentalis peccati petitur ex circumstantiis. Atque imprimis ex circumstantia actûs peccaminosi, peccatum tantò gravius est, quantò majori fit deliberatione ex parte intellectûs, majorique affectione, & intensione ex parte voluntatis. Unde minùs peccat, qui peccat ex ignorantia, infirmitate, ex metu, gravi tentatione, &c. quàm qui ex malitia, ut tradit Gregorius Magnus 25. Moral. 11. ad illa verba, *quasi de industria recesserunt à me.* Et S. Thomas q. 3. de malo a. 13. & 1. 2. q. 78. a. 4. Graviùs proinde peccat, qui peccat ex habitu seu consuetudine, quam corrigere non curat. Tum quia qui peccat ex habitu, peccat ex malitia, prout n. 21. vidimus ; etiam dum ignorans peccat. Nam, ut S. Thomas q. 3. de malo a. 8. ad 5. *in eo qui peccat per habitum, & ex electione, talis ignorantia, est simpliciter affectata, unde non imminuit peccatum.* Tum quia cùm habitus vitiosus sit inclinatio voluntatis in malùm, quantò ex majori quis habitu peccat, tantò ex majori voluntatis inclinatione, majorique proinde intensione peccat. Tum quia *tanto sunt graviora peccata, quanto diutiùs animam infelicem detinent*, ait Gregorius relatus canone *cum tanto* de consuet. Unde *talis consuetudo non excusat vel minuit peccatum* (inquit S. Antoninus 2. p. tit. 3. cap. 3. §. 15.) *sed potiùs aggravat.* Quod pluribus ostensum habes libro 8. cap. 18. §. 4.

Frustrà proinde inveterati peccatores, ex- 153
cusationis causam prætexunt ex inveterata sua peccandi consuetudine, quâ fit ut ipsis ferè impossibile sit non peccare : suâ quippe malitiâ consuetudinem istam, impossibilitatemque acciverunt, velut laqueum quemdam, sine potenti gratia inextricabilem, seu catenam, quâ ligati sunt, non ferro alieno, sed ferreâ suâ voluntate. De qua Augustinus 8. Confess. 8. *Suspirabam ligatus, non ferro alieno, sed meâ ferreâ voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & constrinxerat me. Quippe ex voluntate perversa, facta est libido, & dum servitur libidini, facta est consuetudo, & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas, quibus, quasi anulis sibimet innexis* (*unde catenam appellavi*) *tenebat me obstrictum dura servitus.* Et justissimè quidem : *illa* quippe *est pœna peccati justissima, ut qui rectum facere, cum posset, nolit, amittat posse, cùm velit.* Idem l. 3. de lib. arbitr. cap..

Et hinc est quòd isti homines (regulariter 154
loquendo) ægrè admodùm convertantur ad Deum, sicut oportet : Siquidem *animus ad ea bona, quibus excidit, ægrè revocari potest, ac rursus ab iis, quibus assuevit, malis non facilè extrahi potest.* Justinus apud Damascenum l. 2. Paralip. c. 87. Et ratio est, quia ad debitam conversionem necessaria est ipsis gratia, non qualiscumque, sed fortis, imò fortior illâ ferreâ catenâ, quâ ligati detinentur : illâ verò tot & tantis peccatis, tantâque suâ erga Deum ingratitudine sese indignos reddiderunt, & , ut piis operibus, gemitibus & suspiriis impetrari queat, rarò tamen media ista adhibent, ut oportet. Vivunt enim incurii suæ salutis, nec privare se volunt solitis deliciis, nec ad rem tam arduam, qualis respectu ipsorum est vera pœnitentia, totis viribus conniti. Unde fit ut rarò propositum habeant absolutum & efficax ; imò *nesciunt* (inquit Cornelius à Lapide ad cap. 2. epist. S. Jacobi v. 13.) *quàm fortis & constans resolutio animi requiratur, ut propositum censeatur etiam absolutum & efficax.* Rarò etiam peccata ipsis absolutè

solutè displicent secundùm se, quatenùs utique sunt offensa Dei ; sed siquando displiceant, utplurimùm displicent propter incommodum suum, juxta illud S. Thomæ 1. 2. q. 78. a. 2. ad 3. *Ille qui peccat ex habitu, semper gaudet de hoc quod ex habitu operatur, quamdiù habitu utitur : sed quia potest habitu non uti, sed per rationem, quæ non est totaliter corrupta, aliquid aliud meditari, potest contingere, quòd non utens habitu, doleat de hoc quod per habitum commisit ; & sic plerùmque tales pœnitent de peccato : non quia eis peccatum secundùm se displiceat ; sed propter aliquod incommodum, quod ex peccato incurrunt.* Et ideò Canone *Diaconi sunt* dist. 93. Hieronymus dicit, quòd *assiduè peccanti (sicut scriptum est) non miseretur Deus*, id est, iterato non miseretur de facili, ut exponit Glossa ibidem. Et Canone *inanis* de pœnitentia Augustinus dicit quòd *frequenter peccans & lugens vix veniam meretur.* Sed de his plura to. 3. lib. 5.

155 Deinde peccati gravitas augetur ex circumstantia personæ, in quam peccatur, unde istud : *Si peccaverit aliquis in hominem, orabunt pro ipso ; sin verò in Deum peccaverit, quis orabit pro eo?* Graviora itaque sunt peccata in Deum, quàm in hominem, ut ex Angelico Doctore vidimus n. 117. Et rationem dat 1. 2. a. 9. quia persona in quam peccatur, est quodammodò objectum peccati : dictum est autem suprà quòd *prima gravitas peccati attenditur ex parte objecti.*

156 Unde cùm persona in quam peccatur sit Deus, vel ipse peccans, vel proximus, concludit S. Doctor quòd *potest ex parte horum trium considerari major vel minor gravitas in peccato, secundùm conditionem personæ in quam peccatur. Primò quidem ex parte Dei : cui tantò magis aliquis homo conjungitur, quantò est virtuosior, vel Deo sacratior : & ideò injuria tali personæ illata magis redundat in Deum, secundùm illud Zachar. 2. Qui vos tetigerit, tangit pupillam oculi mei. Unde peccatum fit gravius ex hoc quòd peccatur in personam magis Deo conjunctam, vel ratione virtutis, vel ratione officii.*

157 *Ex parte etiam suiipsius manifestum est quòd tantò aliquis gravius peccat, quantò aliquis magis in conjunctam personam, seu naturali necessitudine, seu beneficiis, seu quacumque conjunctione peccaverit. Quia videtur in seipsum magis peccare, & pro tanto gravius peccat, juxta illud Eccles. 14. Qui sibi nequam est, cui bonus erit?*

158 *Ex parte verò proximi, tantò gravius peccatur, quantò peccatum plures tangit. Et ideò peccatum quod fit in personam publicam, puta Regem, vel Principem, qui gerit personam totius multitudinis, est gravius, quàm peccatum, quod committitur contra unam personam privatam. Unde specialiter dicitur Exodi 22. Principi populi tui non maledices. Et similiter injuria, quæ fit alicui famosæ personæ, videtur esse gravior, ex hoc quòd in scandalum, & in tribulationem plurimorum redundat.* Hinc etiam q. 2. de malo a. 10. ad 4. gravissimum esse dicit peccatum schismatis, inter peccata quæ in hominem, & contra res humanas fiunt : *quia peccatum schismatis pernicioissimum est in rebus humanis ; quia dissolvit totum regimen humanæ societatis.*

Cæterùm quod suprà n. 124. insinuavit, 159
tantò gravius esse peccatum, quantò sibiipsi quis magis nocet, 1. 2. q. 78. a. 9. ad 2. explicat, dicens, *quòd nocumentum quod sibiipsi quis infert, in iis quæ subsunt dominio propriæ voluntatis* (sicut in rebus possessis) habet minus de peccato, quàm si alteri inferatur : quia propriâ *voluntate hoc agit. Sed in his quæ non subduntur dominio voluntatis (sicut sunt naturalia, & spiritualia bona) est gravius peccatum, nocumentum sibiipsi inferre. Sed quia res propinquorum nostrorum non subduntur voluntatis nostræ dominio, non procedit ratio, quantùm ad nocumenta rebus illorum illata, quòd circa ea minùs peccetur, nisi forte velint, vel ratum habeant.*

Tertiò, peccati gravitas augetur ex circum- 160
stantia personæ, quæ peccat, juxta illud Isidori l. 2. de summo bono c. 19. *Tantò majus peccatum cognoscitur esse, quantò major qui peccat habetur.* Hoc tamen cum S. Thoma loco citato a. 10. intellige *de peccatis ex deliberatione, non subreptione.* De quibus ait, *ista peccata magis alicui imputantur, quantò major est.* Quòdque *hoc potest esse propter quatuor. Primò quidem, quia facilius possunt resistere peccato majores, qui excedunt in scientia & virtute.* Unde & Dominus dicit Luc. 12. Servus *qui scit voluntatem domini sui, & non facit, plagis vapulabit multis. Secundò, propter ingratitudinem : quia omne bonum, quo aliquis magnificatur, est Dei beneficium, cui homo fit ingratus peccando. Et quantùm ad hoc, quælibet majoritas, etiam in temporalibus bonis, peccatum aggravat, secundùm illud Sap. 6. Potentes potenter tormenta patientur. Tertiò, propter specialem repugnantiam actûs peccati ad magnitudinem personæ, sicut si Princeps justitiam violet, qui ponitur justitiæ custos, & si Sacerdos fornicetur, qui castitatem vovit. Quartò, propter exemplum, sive scandalum. Quia Gregorius dicit in Pastorali : In exemplum culpæ vehementer extenditur, quando pro reverentia gradûs, peccator honoratur. Ad plurium etiam notitiam perveniunt peccata magnorum, & magis homines ea indignè ferunt.*

Quod hîc Angelicus Doctor ait, peccati 161
gravitatem augeri ex ingratitudine, mirabiliter confirmat D. Chrysostomus Homil. 75. in Matth. dicens, *beatum Davidem, cùm vulgatum illud flagitium admisisset cum Bersabee, cùm à Propheta corriperetur, nulla de re ab ipso Deo vehementiùs objurgatum, quàm quòd ab ipso tot ornatus beneficus, in tantam esset ingratitudinem prolapsus. Audi exprobrantem Deum : Nonne (inquit) in regem te unxi, &*

de manu Saülis erui te, & quæ fuerunt Domini tui, tibi concessi, & universam Judæ & Israëlis domum? Et si hæc pauca tibi essent, alia quoque tibi adjecissem: cur flagitium hoc fecisti coram me? Et infrà: *Crimen multò atrocius est, cùm quis majoribus ab ipsò Deo beneficiis cumulatus est. Unde illud Christi: Si in Tyro & Sidone virtutes factæ fuissent, olim pœnitentiam egissent. Verùmtamen tolerabilius erit Tyro & Sidoni, quàm civitati huic.*

162 Hinc Chrysostomus infert 1°. *fornicatus est quispiam ante legem, eum plectendum esse asserit Paulus: quicumque, ait, sine lege peccaverunt, sine lege peribunt. Si autem alter idem promulgatâ lege crimen admisit, graviores pœnas oppetet: quicumque, inquit, in lege peccaverunt, per legem judicabuntur. Si Sacerdos in illud ipsum fornicationis crimen inciderit, ejus dignitas eum in pœnam multò graviorem implicabit. Eam ob rem, cùm olim scorta vulgari morte mactarentur, Sacerdotum filiæ, ejusdem flagitii consciæ, flammis cremari consueverant, Moyse eo facto significante, quanta Sacerdotem maneret pœna, si in idem peccatum prolaberetur. Si enim tantam severitatem exerit in puellam, eo dumtaxat nomine, quòd est Sacerdotis filia; quàm severè illum ipsum Sacerdotem excipiet?*

163 Infert 2°. quòd *siquis sancti baptismatis gratiam abjicit, & eâ perceptâ crimen admittit, nullum ex Apostolo solatium* huic homini *supereſt. Legem Moysi, ait, aliquis infregit, sine miseratione, duobus aut tribus testibus moriitur. Quantò existimatis eum graviora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit?*

164 Consonat S. Thomas q. 89. a. 5. pariter inferens, quòd *peccatum non est minus in fideli, quàm in infideli, sed multò majus. Nam & infidelium peccata merentur veniam, propter ignorantiam, secundùm illud 1. ad Timoth. 1. Misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci, in incredulitate mea; & peccata fidelium aggravantur propter gratiæ Sacramentum, secundùm illud Hebr. 10. Quantò magis putatis deteriora mereri supplicia, qui sanguinem testamenti, in quo sanctificatus est, pollutum duxerit?*

165 Sed & peccata plenè deliberata Ecclesiasticorum, Religiosorumque, cæteris paribus, graviora esse peccatis Laïcorum, & sæcularium, probatur ex circumstantia personæ quæ peccat. Ut enim Salvianus: *Longè magis damnabilis est malitia, quam titulus bonitatis accusat, & reatus impii est pium nomen. Nomen itaque Christiani, Ecclesiastici, Religiosi, sine actu nihil est* (ait idem) *nam quid est dignitas in indigno, nisi ornamentum in luto?* Unde Mellifluus Doctor (post Hieronymum) dicere solebat, nugas in ore sæcularium nugas, in ore Religiosorum esse blasphemias. Similiter Tridentinum sess. 22. de reform. c. 1. *Clerici in sortem Domini vocati, levia etiam delicta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant.* Quemadmodùm verò Religiosi & Sacerdotes graviùs, ita incorrigibiliùs peccant, dum ex malitia vel contemptu, non ex infirmitate vel ignorantia peccant. Justi enim & perfecti, licèt facilè in initio non peccent ex malitia, vel contemptu, sed ex infirmitate vel ignorantia, uti docet S. Thomas 2. 2. q. 14. a. 4. in corp. & ad 1. & q. 24. a. 12. ad 1. addit tamen S. Doctor q. 186. a. 10. ad 3. quòd *si perveniant ad hoc quòd ex contemptu peccent, efficiuntur* pessimi, & maximè incorrigibiles, secundùm illud Jerem. 2. *Confregisti jugum meum, dirupisti vincula, dixisti: non serviam. In omni colle sublimi, & sub omni ligno frondoso tu prosternebaris meretrix. Unde Augustinus dicit in epist. ad plebem Hippon. Ex quo Deo servire cœpi, quomodò difficilè sum expertus meliores, quàm qui in Monasteriis profecerunt; ita non sum expertus pejores, quàm qui in Monasteriis ceciderunt.* Vide dicta l. 2. n. 203.

Locus etiam (& idem est de tempore) *facinoris immanitatem exaggerat* (juxta Chrysostomum ubi suprà) quod ipse Christus significat in Evangelio: *Zachariam, inquit, occidistis inter templum & altare.* 166

Denique peccati gravitas non parum crescit ex circumstantia nocumenti, quod adfert, vel adferre natum est, maximè si prævisum fuerit, & intentum. Tunc enim directè malitiam auget, utpote directè volitum. Quòd si prævisum fuerit, non intentum, adhuc malitiam auget (licèt indirectè, utpote solùm volitum indirectè & in causa.) *Cùm enim aliquis cogitans, quòd ex opere suo multa mala possunt sequi, nec propter hoc dimittit; ex hoc apparet voluntas ejus esse magis inordinata,* ait S. Thomas 1. 2. q. 20. a. 5. *Si verò nec intentum fuerit, nec præcogitatum, distinguendum est* (prosequitur S. Doctor) *quia si per se sequitur ex tali actu, & ut in pluribus, secundùm hoc eventus sequens addit ad malitiam actûs, licèt non sit præcogitatus. Manifestum est enim pejorem esse actum ex suo genere, ex quo nata sunt multa sequi:* nec imprævisio excusat, utpote culpabilis, sive proveniens ex culpabili negligentia prævidendi. Quia nimirùm vir prudens, antequam facere aliquid aggrediatur, videre debet quid ex sua actione sequi natum sit: *Si verò per accidens, & ut in paucioribus, tunc eventus sequens, si non sit præcogitatus, non addit ad malitiam actûs. Non enim datur judicium de aliqua re, secundùm illud quod est per accidens, sed solùm secundùm illud, quod est per se.* 167

CAPUT XX.

Peccatum veniale à mortali discernere plerùmque est difficile, & periculosissimum definire, nisi ex Scriptura & Traditione discrimen utriusque repetatur.

PRiorem partem S. Augustinus expresè tradit l. 21. de Civit. cap. ult. hisce verbis: 168

Quis sit iste modus, & quæ sint ista peccata, quæ ita impediunt perventionem ad regnum Dei, ut tamen sanctorum amicorum meritis impetrent indulgentiam, difficillimum est invenire, definire periculosissimum. Ego certè usque ad hoc tempus, cùm fatagerem, ad eorum indaginem pervenire non potui. Mirum certè quòd tantam in eo facilitatem sibi plures imaginentur Neoterici, in quo tantam difficultatem veterum Patrum oculatissimus in ultima etiam invenit ætate: provectæ quippe ætatis erat, & morti vicinus, cum suis de Civitate libris finem imposuit.

169 Ratio verò difficultatis est, tum quia circa moralia magis caligat oculus humanæ mentis, quàm circa alia: ita ut Augustinus in l. de nat. & grat. deploret miserabiles tenebras, quas in animo agnoscit humano, qui scit quemadmodùm leonem domare debeat, & nescit quemadmodùm debeat vivere. Tum quia plerùmque malum non ex regula virtutis, sed ex dictamine suæ cupiditatis, quisque metitur.

170 *Illud præterea accidit* (inquit Augustinus Enchirid. c. 80.) *quòd peccata, quamvis magna & horrenda, cùm in consuetudinem venerint, aut parva, aut nulla esse credantur, usque adeò, ut non solùm non occultanda, sed etiam prædicanda ac diffamanda videantur. Sic nostris temporibus ita multa mala, non tamen talia qualia Sodomitarum, in apertam consuetudinem jam venerunt, ut pro his non solùm excommunicare aliquem non audeamus Laicum, sed nec Clericum degradare.*

171 Addit laudato l. 21. de Civit. c. ult. rationem, ob quam difficile est peccatorum gravitatem cognoscere: *Fortassis propterea latent, ne studium proficiendi ad omnia peccata cavenda pigrescat. Quoniam si sciretur, quæ vel qualia sint delicta, eis secura se obvolveret humana segnities.*

172 Posteriorem assertionis nostræ partem idem Augustinus tradit Enchiridii cap. 78. *Quæ sint autem levia & gravia peccata, non humano, sed divino sunt pensanda judicio.... misceri scilicet conjugi, non filiorum procreandorum causâ.... sed carnalis etiam voluptatis; ut fornicationis, sive adulterii, sive cujusquam alterius immunditiæ mortiferum malum, quò potest tentante satanâ libido pertrahere, incontinentiam devitet infirmitas, posset.... hoc putari non esse peccatum: quia venerabilis Paulus* 1. Cor. 7. 5. *conjugibus ait*: „ Nolite fraudare invicem, nisi ex consensu ad tempus, ut „ vacetis orationi. Et iterùm ad idipsum estote, „ ne vos tentet satanas propter incontinentiam „ vestram: „ *nisi addidisset*: “ Hoc autem dico „ secundùm veniam, non secundùm imperium. „ *Quis autem jam esse peccatum neget, cùm dari veniam facientibus Apostolica authoritate fateatur? Tale quiddam est ubi* 1. Cor. 6. 1. *dicit*: „ Audet quisquam vestrùm adversus alterum ne„ gotium habens, judicari apud iniquos, & „ non apud sanctos? .... Sic non est inter vos „ quisquam sapiens, qui possit inter fratrem suum judicare; sed frater cum fratre judicatur: & “ hoc apud infideles. “ *Nam & hìc posset putari, judicium habere adversus alterum, non esse peccatum, sed tantummodò id, extra Ecclesiam velle judicari, nisi secutus adjungeret*: “ Jam “ quidem omninò delictum est, quia judicia “ habetis vobiscum. “ *Et ne quisquam hoc ita excusaret, ut diceret, justum se habere judicium, sed iniquitatem se pati, quam vellet à se Judicum sententiâ removeri: continuò talibus cogitationibus vel excusationibus occurrit, atque ait*: “ Quare non magis iniquitatem patimini? qua- “ re non potiùs fraudamini? “ .... *Prohibuit itaque suos de sæcularibus rebus cum aliis hominibus habere judicium: ex qua doctrina Apostolus dicit esse delictum.* Hactenùs Augustinus, qui tamen epist. 48. docet, non omnimodè illicitum esse, judicio publico res suas defendere.

Qui & rursum Enchirid. c. 79. dicit: *Sunt* 173 *autem quædam, quæ levissima putarentur, nisi in Scripturis demonstrarentur opinione graviora. Quis enim dicentem fratri suo, fatue, reum gehennæ putaret, nisi Veritas diceret: reus erit gehennæ ignis? Aut quis existimaret, quàm magnum sit peccatum, dies observare & menses, & annos, & tempora, sicut observant, qui certis diebus, sive mensibus, sive annis, volunt vel nolunt aliquid inchoare, eò quòd secundùm vanam doctrinam hominum, fausta vel infausta existiment tempora; nisi hujus mali magnitudinem ex timore Apostoli pensaremus, qui talibus ait*: “ Timeo vos, ne fortè sine causa “ laboraverim in vobis. “

Porrò ex eo quod Augustinus suprà dixit, 174 divino judicio pensandum, quæ levia, & quæ gravia sint peccata, consequens est, id ex Scriptura & Sanctorum Traditione determinandum. Quòd si ex his, vel communi Ecclesiæ doctrina id certò nequeat determinari, prudens Theologus caveat id ex se audacter determinare: suspendat potiùs judicium suum, saltem ubi veritas ambigua est. Cùm tunc periculosum sit id determinare, uti docet S. Thomas quodlib. 9. a. 15. Et ideò Concilium Vabrense anni 1368. dicit, quòd *Confessor non debet esse promptus ad facilè judicandum de aliquo, quòd sit mortale peccatum, nisi sit in dictis Scripturæ vel Sanctorum expressum.* Nec tamen ideò promptus, seu facilis tunc esse debet ad judicandum esse veniale dumtaxat. Cùm utrumque periculosum esse moneat Doctor Angelicus loco citato. Id ergo divino relinquat judicio, suspendens interim suum. In eo tamen Theologi conveniunt, illud esse mortale, cui væ, seu gravem pœnam Scriptura comminatur. Atque ita Augustinus tradit Enchirid. c. 78.

CAPUT XXI.

Tria à Theologis requisita ad peccatum mortale.

TRia illa sunt, perfecta advertentia delibe- 175
ratioque ex parte intellectûs. Perfectus

consensus ex parte voluntatis. Materia gravis ex parte objecti. Peccatum namque mortale, peccatum est perfectum, juxta illud S. Thomæ 1. 2. q. 88. a. 6. *Veniale & mortale differunt, sicut perfectum & imperfectum in genere peccati.* Ad peccatum verò perfectum imprimis requiritur voluntarium perfectum; quod non est sine plena deliberatione, plenoque consensu, uti manifestum videtur in semidormientibus, quorum peccata perfecta non sunt, ob defectum plenæ deliberationis, plenique consensûs. Deinde requiritur materia capax præcipi vel prohiberi sub privatione divinæ amicitiæ, quam sicut divina bonitas non subtrahit, nisi ob peccatum cui plenè consentimus; ita nec nisi ob rem seu materiam gravem.

176 Ad quorum intelligentiam observandum 1°. ad peccatum mortale necessariam non esse advertentiam actualem ad malitiam actûs ex se mali, sed solùm ad actum ipsum, cui malitia per se annexa est; uti nec est necessarium voluntarium formale, voluntate malitiæ, sed voluntate facti per se mali dumtaxat, uti docet Augustinus, & fusè probabitur p. 4. Ubi pariter ostendetur voluntarium istud formale voluntate facti, esse voluntarium interpretativum voluntate peccati, nec esse sine proportionata advertentia, seu cognitione interpretativa malitiæ actûs.

177 Observandum 2°. consensum esse actum deliberatum voluntatis, objectum sibi propositum acceptantis, juxta illud Augustini l. 1. de mendacio c. 19. *Tunc consentimus, cùm approbamus & volumus.* Nec tamen ad mortale necesse est quòd approbatio seu acceptatio ista voluntatis sit directa, expressa, & explicita, uti proximè dixi; sed sufficit indirecta, & implicita; nec esse debet positiva, sed negativa sufficit, & interpretativa, in eo consistens, quòd voluntas non repellat malum, cùm illud repellere deberet, habeatque se negativè, v. g. circa turpes cogitationes, vel motus carnis contra rationem insurgentes, dum tenetur contra eos habere se positivè, iis positivè resistendo. Dum enim homo, absque justa necessitate, in se permittit, vel rerum turpium cogitationes (quæ animum delectatione afficiendo, alliciunt ad peccatum) vel pravos carnis motus contra rationem insurgere, nec iis positivè resistit, censetur iis interpretativè consentire, juxta illud: *qui tacet, consentire videtur*; si scilicet taceat, dum contradicere deberet. Voluntas autem arctiori obligatione tumultuarios illos motus cohibere tenetur, quàm Magistratus tumultuarios motus populi seditiosi. Similiter voluntas consentire censetur dictis cogitationibus, si eas non abigat statim ut animum subeunt, & ratio delectationem perpendit, & nocumentum ipsius. Quia, ut S. Thomas ait in qq. disput. de verit. q. 15. a. 4. ad 10. *antequam ratio delectationem perpendat, vel nocumentum ipsius, non habet interpretativum consensum, etiamsi non resistat. Sed quando jam perpendit ratio de delectatione insurgente, & de nocumento consequente: utpote cum percipit homo se totaliter per hujusmodi delectationem in peccatum inclinari, & in præceps ruere, nisi expressè resistat, videtur consentire. Et tunc peccatum ad rationem transfertur per ejus actum. Quia agere, & non agere, cùm quis agere debet, ad idem genus actûs reducuntur, secundùm quod peccatum omissionis ad peccatum actûs reducitur.* Sed de his plura to. 2. ad sextum Decalogi præceptum.

Observandum 3°. materiæ parvitatem uni- 178
versim quidem à mortali peccato excusare, ubi reverà datur; sed eam in peccatis omnibus non dari. Sunt enim aliqua, quæ materiæ parvitatem à mortali excusantem non admittunt, v. g. peccata venerea, prout Clemens VIII. in Officio S. Inquisitionis declaravit, teste Baldello to. 1. l. 3. sect. 2. c. 4. sequiturque ex eo quòd Alexander VII. hanc damnaverit propositionem: *Est probabilis opinio, quæ dicit, tantùm esse veniale osculum, habitum ob delectationem carnalem & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensûs ulterioris, & pollutionis.*

Non dari etiam materiæ parvitatem in pecca- 179
tis quæ immediatè sunt contra Deum, Doctores omnes tradunt. Nec hoc ingeniosus Scriptor disp. 9. de peccatis n. 22. & 25. benè limitat ad casum quo Deus, divinaque attributa apprehenduntur ut in se sunt: secùs existimans de peccatis, quæ immediatè sunt contra Deum, divinaque attributa, apprehensa non ut in se sunt, sed ut sunt formaliter in mente hominis, ea inadæquatè apprehendentis, & ab invicem præscindentis; eò quòd ipsi incredibile videatur, quòd Deus hominem velit æternùm punire, quia vocat ipsum in testem falsi de pica volante.

Verùm hoc incredibile non esse, imò cre- 180
dendum esse, constat ex damnatione istius propositionis per Innocentium XI. *Vocare Deum in testem mendacii levis, non est tanta irreverentia, propter quam velit aut possit damnare hominem.*

Nec laudato Scriptori id visum fuisset in- 181
credibile, si animadvertisset 1°. juramentum esse invocationem divini testimonii ad alicujus dicti vel rei confirmationem. 2°. materiam perjurii, quo Deus vocatur in testem falsi, esse duplicem; intrinsecam unam, seu essentialem; extrinsecam alteram, seu accidentalem. Intrinseca est irreverentia, quam in Deum committit, qui Dei testimonium in falsi confirmationem adhibet. Quam irreverentiam ab ejusmodi perjurio inseparabilem, eidemque essentialem esse, S. Thomas expressè tradit 2. 2. q. 18. a. 1. Extrinseca, est illa res, in cujus confirmationem juramentum adhibetur, v. g. mendacium jocosum de visa pica volante, quæ ideò materia extrinseca dicitur, quia falsæ jurationi prorsus extrinsecum seu accidentale est, quod ad istud vel illud in particulari adhibeatur.

Ad hoc quisquis animadvertit, facilè in- 182

telligit, quòd tametsi malitia perjurii, quò Deus in levis mendacii testem invocatur, non sit absolutè gravis, spectatâ præcisè materiâ ipsius accidentali & extrinsecâ; necessariò tamen existimanda sit gravis, spectatâ materiâ essentiali & intrinsecâ, irreverentiâ utique in Deum: neque enim homo sensatus existimare potest, gravem non esse irreverentiam in Deum, ipsum in falsi, quàmlibet minimi, testem adhibere: cùm eo ipso Deus, seu prima Veritas, falli fallereque nescia non esset, si falsum, quàmlibet parvum, testificari posset. Quisquis proinde Deum in falsi, quàmlibet minimi, testem adhibet, *per hoc dat intelligere, vel quòd Deus veritatem non cognoscat; vel quòd falsum testificari velit*, ait S. Thomas loco allegato. Ergo, quantum in se est, facit Deum non Deum: utpote eo ipso non Deum, quo vel in minimo veritatis nescium, vel falsi testem. Quod Deo graviter injuriosum esse, quis sapiens potest in dubium revocare?

CAPUT XXII.

Peccatum ex genere suo mortale, tribus modis fit veniale.

183 PEccatum illud ex genere suo mortale dicitur, quod intra propriam lineam, sive in propria specie sistendo, absque adventu malitiæ alterius speciei, contingit esse mortale, ut furtum. Illud autem peccatum est ex genere suo veniale, quod intra propriam lineam, seu speciem, sine adventu malitiæ alterius speciei, nunquam contingit esse mortale, ut mendacium jocosum.

184 Quòd igitur peccatum ex genere suo mortale tribus modis fiat veniale, manifestum est ex dictis superiori capite. Si enim ad mortale peccatum tria requirantur, perfecta advertentia, perfectus consensus, & materia gravis, consequens est, deficiente quolibet ex his tribus, peccatum deficere mortale, adeòque tribus modis de mortali fieri veniale, vel scilicet ob imperfectionem advertentiæ, vel ob imperfectionem consensûs, vel ob materiæ parvitatem, ubi ea parvitas datur.

185 Quòdque id contingat ob materiæ parvitatem, constat in furto unius assis v. g. Quòd etiam contingat propter imperfectionem actûs (vel scilicet ex parte intellectûs, vel ex parte voluntatis) S. Thomas docet 1. 2. q. 88. a. 6. hisce verbis: *Potest, quod ex genere est mortale, esse veniale propter imperfectionem actûs: quia non perfectè pertingit ad rationem actûs moralis.* Exemplum est in motibus subitis, qui dicuntur secundò primi. Ita etiam accidere potest in semidormientibus, & in magna animi perturbatione citra culpam nostram superveniente; qualis v. g. accidit justo Lot, qui videns horrendam Sodomitarum impietatem, suis impendentem hospitibus tam venerandis, eorumque indemnitati, pudicitiæ & honori consulere volens, nec aliter valens, adeò perturbatus fuit, ut inops consilii, filias suas obtulerit libidini ipsorum, ad avertendam sodomiticam injuriam hospitum illorum. Hoc enim *perturbationi Lot, non consilio* tribuendum censet Augustinus l. 1. qq. in Genes. q. 42. Quæ perturbatio tanta fuit, ut non attenderit sibi licitam non esse oblationem illam filiarum suarum; sed *aliena ille vir justus timendo peccata, quæ nisi consentientes inquinare non possunt, perturbatus non attendit ad suum, quo voluit filias suas subdere libidinibus impiorum*, ait Augustinus l. contra mendac. c. 9. Ita etiam Lyranus, Thomas Anglicus, Tostatus, Lipomanus, Pererius, & à Lapide in c. 19. Genes. ad v. 8. Non dubium proinde quin perturbatio illa multùm diminuerit de gravitate peccati ipsius, tametsi pro certo tenendum sit, non fuisse ipsi licitum filias suas offerre ad minus peccatum, ad gravius avertendum. Hoc enim licitum esse *periculosissimè admittitur*, inquit Augustinus laudatâ q. 42.

CAPUT XXIII.

Peccatum ex genere suo veniale, sex modis contingit esse mortale.

186 PRimò utique propter conscientiæ errorem, quo quis mortale esse credit quod facit, licèt reverà non sit nisi veniale. Ita S. Bernardus l. de præcepto & dispens. & S. Thomas quodlib. 9. q. 7. a. 15. ibi: *Error, quo creditur esse mortale, quod non est mortale, ex conscientia ligat ad peccatum mortale.* Quia scilicet illud cum tali conscientia faciens, consentit in mortale; sicut in peccatum consentit, qui facit id quod sibi conscientia errans dictat esse peccatum, cùm reverà non sit. Propter quam rationem Apostolus Rom. 14. dicit, quòd *nihil commune est in Christo, nisi ei qui putat commune esse.* Et rursus: *Si comederit de idolotytis, damnatus est, quia non ex fide.*

187 Secundò, propter relationem peccati de se venialis ad finem mortaliter pravum, ut dum verbum jocosum profertur ex intentione provocandi ad fornicationem. Ita S. Thomas 1. 2. q. 88. a. 3. Ratio est, quia sicut opera ex se bona, prava fiunt, si ex prava fiant intentione; sic peccata ex se venialia, mortalia fiunt, si fiant ex intentione mortaliter prava. *Qui* enim *viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est in corde suo.*

188 Tertiò, propter finem ultimum cordis in eo constitutum; quod tunc fit, cùm quis actui venialiter peccaminoso tanto adhæret affectu, ut amor illius divinæ præferatur amicitiæ, ita ut propter illum paratus sit transgredi præceptum graviter obligans; paratus proinde divinam potiùs amicitiam perdere, quàm ab illo abstinere. Ita S. Thomas ibidem. Et meritò: quia primo maximoque mandato quisque sub mortali tenetur Deum super omnia diligere.

189 Quartò, propter grave scandalum, quod ex peccato, secundùm se levi, prævidetur, vel

prævideri debet secuturum. Propter quod olim graviter peccabant, qui coram infirmis idolotyta (licèt ex se non illicita) comedebant. Ideò namque ipsos graviter redarguit Apostolus 1. Cor. 8. dicens, quòd cauta sint perditionis fratrum, propter quos Christus mortuus est; & ideò in Christum peccant. *Quapropter* (inquit) *si esca scandalizat fratrem meum: non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem.*

190 Quintò, propter contemptum formalem legis, vel mandati, aut regulæ, vel Superioris: utpote quem semper mortalem esse Theologi passim omnes admittunt; scriptum est enim, *qui vos spernit, me spernit.* Contemptum verò formalem Dei semper esse mortalem, cui dubium esse potest? *Væ enim, qui spernis, nonne & ipse sperneris?* Isa. 33. Porrò tunc *committit aliquis, vel transgreditur ex contemptu* formali, *quando voluntas ejus renuit subjici ordinationi legis, vel regulæ, & ex hoc procedit ad faciendum contra legem, aut regulam. Quando autem non ideò, sed propter aliquam aliam causam, concupiscentiam, vel iram, inducitur ad aliquid faciendum contra statuta legis, vel regulæ, non peccat ex contemptu, sed ex aliqua alia causa, etiamsi frequenter ex eadem causa, vel alia simili, peccatum iteretur.... Frequentia tamen peccati dispositionem inducit ad contemptum;* & frequenter non est sine contemptu interpretativo, sufficiente ad mortale.

191 Sextò, propter periculum proximum incidendi in peccatum mortale. Quia *qui amat periculum, in illo peribit*, Eccli. 3. 27. Quæ verba communiter à Scriptoribus Ecclesiasticis sic intelliguntur, ut qui se in periculum proximum peccati mortalis voluntariè conjicit, eo ipso peccati illius reus sit. 1°. quia gravem Dei offensam parvipendit, propriamque salutem negligit, uti demonstrabitur infrà, dum agemus de occasionibus peccatorum. 2°. quia servare non vult divinum præceptum, quo sub gravi quisque tenetur vitare periculum proximum peccati mortalis, uti pluribus ex verbo Dei scripto & tradito argumentis ibidem ostenderur.

Quinam sint autem, qui per venialia proximo se periculo exponunt peccati mortalis, charitas Christi urget nos, ut operosiùs exponamus, sanctosque Doctores, & magni nominis Theologos desuper exhibeamus. Multi namque, proh dolor! & valdè multi sunt, Christiani, Ecclesiastici, Religiosi, qui ad id non reflectentes (quia secum non habitant, ideòque non norunt quàm sit ipsis curta supellex) in magna viventes propriæ salutis ac perfectionis incuria, ex hoc putant sibi omnia salva, quòd palpabilia non committant crimina; qui tamen gravissimè errant. Quia dum nullum penè scrupulum faciunt innumera quotidie committendi venialia, eaque parum vel nihil curant, imò valdè negligunt emendare, in periculosissimo sunt statu; eò quòd valdè timendum sit, ne extra statum gratiæ sint, & salutis; vel certè in periculo proximo ab eo excidendi, prout ex dicendis manifestum fiet. Sit itaque

§. I.

Pluribus argumentis ostenditur, meritò timendum esse, ne extra statum gratiæ sint, qui venialia peccata sua emendare, ab iisque abstinere, parum vel nihil curant, valdèque negligunt.

Argumentum primum petitur ex dictis numero præcedenti. Quisquis enim in proximum se periculum peccati mortalis voluntariè conjicit, eo ipso reus est peccati mortalis, ut ibi probatum est. At illi qui venialia peccata sua emendare, ab iisque abstinere valdè negligunt, in proximum se periculum peccati mortalis voluntariè conjiciunt, uti constabit ex dicendis argumento decimo. Ergo eo ipso rei sunt peccati mortalis. 192

Argumentum secundum petitur ex Hierem. 48. *Maledictus, qui facit opus Dei negligenter*, negligentiâ utique magnâ. Si *maledictus*: ergo non justus, sed justitiæ desertor. Desertæ namque justitiæ argumentum est Dei maledictio, sicut & væ, uti docent communiter Theologi. Arguo ergo sic: in statu justitiæ non est, qui est à Deo maledictus. Sed à Deo maledictus est, qui facit opus Dei valdè negligenter. Facit verò opus Dei valdè negligenter, quisquis venialia peccata cavere & emendare parum vel nihil curat, sed valdè negligit; cùm enim opus Dei sit, salutem nostram operari in timore & tremore, christianè & religiosè vivere (si de Religiosis agitur) ad christianamque vel religiosam perfectionem seriò conniti, ea quæ Dei sunt, ut divinum Officium, Missam, &c. debita cum devotione, modestia, gravitate facere, &c. in istis omnibus valdè negligentes sunt, quicumque venialia peccata cavere & emendare valdè negligunt, ut sunt 1°. Sacerdotes, qui Missam corde arido facere consueverunt absque ulla, vel vix ulla anteriori præparatione, devotione, & post Missam gratiarum actione. 2°. quicumque etiam sacrosancta mysteria soliti sunt tam indecorè tractare, ut videantur non credere Majestatem Domini præsentem (ait Bellarminus l. 2. de gemitu columbæ c. 5.) eò quòd utique sine spiritu, sine affectu, sine timore ac tremore, festinatione incredibili, sacrificium perficiunt, quasi fide Christum Dominum non viderent, aut ab eo se videri non crederent. 3°. quicumque divino officio adstricti, illud persolvunt in continua quasi distractione, quam sibi culpâ suâ accersunt. Partim quia extra officium animus ipsorum est quasi perpetuò dissipatus, nec ad officium debita cum attentione persolvendum præparatus. Partim quia toto penè officii divini tempore elatos oculos quaquaversum circumferunt, hucque illuc gyrant.

gyrant. Quia in causa ista distractiones ipsorum ipsis haud dubiè voluntariæ sunt. 4°. quicumque horas canonicas (quibus adstringuntur) tam cursim, tantaque cum præcipitatione, & irreverentia, sive publicè, sive privatim assueverunt recitare, quâ vix famulos alloquerentur, vel personam aliquam honestam. 5°. quicumque Religiosi parum curant regularum suarum, constitutionumque sub gravi culpa non obligantium observantiam; sed licèt silentio, solitudini, jugi Dei præsentiæ, &c. adstricti, ferè absque scrupulo silentium passim ubique frangere, solitudinem parum curare, inutiliter hinc inde discurrere, otiosè vivere, animumque in confabulationibus & conversationibus inutilibus, ridiculis facetiis, curiositatibus, &c. dissipare, atque hoc pacto notabilem vitæ partem inutiliter transigere, studiumque mortificationis ac profectûs spiritualis negligere consueverunt. Tales namque in Religione non religiosè vivunt. At verò in Religione non religiosè vivere, magna damnatio est. Quicumque talis est, nihil aliud est (D. Bernardi judicio serm. 2. in Quadrag.) „ nisi miser homo, qui totus pergens in ea quæ foris sunt, & ignarus interiorum suorum, putans aliquid se esse, cùm nihil sit, ipse se seducit. *Sicut aqua effusus sum* (ait Psalmista in persona hominis hujuscemodi) *& dispersa sunt omnia ossa mea.* Ps. 21. „ Et alius quidam Propheta: *Comederunt alieni robur ejus, & ignoravit.* Osee 8. Exteriorem quippe superficiem intuens, salva sibi omnia suspicatur, non sentiens vermem occultum, qui interiora corrodit; manet tonsura, vestis necdum mutata est, jejuniorum regula custoditur, statutis psallitur horis: *Cor longè est à me*, dicit Dominus Matth. 15. Attende frater quid diligas, quid metuas, quid gaudeas, aut contristeris, sub habitu Religionis animum sæcularem, sub pannis conversionis invenies cor perversum. " Hactenùs Doctor Mellifluus. Qui & epist. 143. suos Clarevallenses alloquens: *Siquis* (inquit) *quod absit, exstitit inter vos.... inquietus, vagus, & qui panem otiosè manducare non erubescat..... longè est ab eo anima mea; eò quòd ipse longè fecerit à se Deum; morum, non locorum distantiâ.*

195 Et post Bernardum, D. Dionysius Carthusianus l. de reform. Monach. seu Claust. a. 6. *Quamvis multa contineantur in regulis, aut statutis Religiosorum, ad quæ non tenentur de necessitate præcepti, ita quòd statim mortaliter peccent, quando in aliquo illorum fuerint negligentes, ut est observantia silentii, surgere alacriter ad matutinas, otiositates vitare, inutiliter hinc inde discurrere, & similia: verùmtamen consuetudo, seu assiduitas delinquendi in istis, & non curare, nec emendare, non potest à mortali excusari peccato.*

196 Argumentum tertium petitur ex Apocal. 3. *Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus. Utinam frigidus esses, aut calidus! sed quia tepidus es..... incipiam te evomere ex ore meo.* Quæ verba laudatus Dionysius Carthusianus in cap. 3. Apocal. sic explicat: *Quia neque frigidus es per infidelitatem, neque calidus per charitatem infusam, sed tepidus, id est piger, acediosus, & negligens.... incipiam te evomere ex ore meo; id est, meâ sententiâ reprobare. Fideles autem* (inquit) *tunc reprobari incipiunt, dum in mortale labuntur. Nam quemadmodùm aqua tepida citò evomitur; sic tepidi isti sunt Deo specialiter detestabiles.* Et (sicut Hieronymus ait, eundem locum explicans in Isa. c. 52.) *tepidi & dormientes pleni sunt furoris Domini:* per eum, qui neque frigidus, neque calidus est, sed tepidus, eum intelligens, *qui inter vitia & virtutes medius fluctuat.* At verò illi omnes, de quibus agimus, quosque numero 193. & 194. descripsimus, manifestè tepidi sunt in Dei servitio, suæque salutis, ac perfectionis studio (utpote in eo valdè negligentes, pigri, acedioси, & neque calidi, sive ferventes, neque omninò frigidi, id est palpabiliter criminosi, sed inter vitia & virtutes medii fluctuantes. Sunt ergo Deo detestabiles, pleni furoris Domini; nec habent charitatem infusam, sed sunt in statu peccati mortalis, incipitque Deus eos suâ sententiâ reprobare. Similes denique sunt Episcopo illi Laodiciæ, qui, cùm esset tepidus, & valdè negligens in Dei servitio, divitem se putabat, & nullius egentem; & nesciebat quia esset *miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus:* utpote destitutus operibus bonis, factis ut oportet. Unde & tales difficilè convertuntur: quia putant in bono se statu esse, cùm non sint; videmusque ad oculum, quòd hi qui manifestè sunt vitiosi, ita ut nec aliquid boni se egisse, aut agere putent, faciliùs convertantur, quàm tepidi, seu illi qui volunt partim Deo, partim sæculo cohærere, placere, servire, ait Carthusianus loco citato. Propterea etiam *videmus* (inquit l. de profess. Monast. c. 7.) *quasdam religiosas personas esse inconvertibiliores, inflexibiliores, ac duriores mundanis hominibus.* Eos namque (ut Bernardus ait serm. 6. in ascens. Dom. loquens de Religiosis tepidis ac remissis, *quorum brevis, & rara est compunctio, animalis cogitatio, tepida conversatio, obedientia sine devotione, sermo sine circumspectione, oratio sine cordis intentione, lectio sine ædificatione*) *tales* (inquam) *vix gehennæ metus inhibet, vix pudor cohibet, vix frænat ratio, vix disciplina coërcet.* Hactenùs Bernardus, qui rursum ibidem serm. 3. *Sunt* (inquit) *multi inter nos, qui de uno pane comedunt nobiscum, dormiunt nobiscum, cantant nobiscum, laborant miseri & miserabiles, utpote socii tribulationis, sed consolationis non ita.... inde autem tam perniciosa tepiditas emanat, quia affectus, id est voluntas eorum, nondum purgata est, nec bonum sic volunt, sicut noverunt, à propria concupiscentia abstracti graviter & illecti: amant enim in carne sua terre-*

nas consolatiunculas, sive in verbo, sive in signo, sive in facto, sive in aliquo alio.... inde est quòd rarò affectiones suas dirigunt in Deum, & eorum compunctio non continua, sed horaria est. Impleri autem visitationibus Domini anima non potest, quæ his distractionibus subjacet.... neque enim spiritus & caro, ignis & tepiditas, in uno domicilio commorantur, præsertim cùm tepiditas ipsi Domino soleat vomitum provocare.

197 *Argumentum quartum* est quia Christiani illi, Ecclesiastici, & Religiosi, qui venialia tam parum curant vitare & emendare, sùntque in voluntario habitu, seu consuetudine ea valdè negligendi, graviter peccant contra primum maximumque mandatum, diligendi Deum *ex toto corde, ex tota anima, ex tota virtute*, hoc est (interprete Bernardo serm. 20. in Cant.) *toto & pleno cordis affectu.... totâ rationis vigilantiâ & circumspectione.... & totâ virtute, ut nec mori pro ejus amore pertimescas, &c.* At iste Deum diligendi modus tantùm abest à tepidis illis, parumque solicitis hominibus, quantùm ortus ab occidente. Quomodò enim toto & pleno cordis affectu Deum diligunt, qui tam parum curant innumeras in ipsum offensas quotidie admittere, & tam parum curant emendare? Profectò quia avarus toto & pleno cordis affectu pecuniam diligit, nullus unquam vidit avarum, parum aut nihil curantem innumeras pecuniæ jacturas parvas quotidie facere, absque ulla, vel vix ulla cura eas reparandi. Quomodò totâ rationis vigilantiâ & circumspectione satagunt Deo per amorem placere, qui tam parum curant ipsi innumeris offensis quotidie displicere, &c. Tamque parum vigilant, ne ipsum offendant, ut magnâ illâ negligentiâ suâ proximo se periculo exponant gratiam & amicitiam ipsius amittendi? Quomodò totâ virtute & fortitudine Deum amant, qui tam flaccidè & languidè amant, si tamen amant? Illi profectò, in quibus amor Dei fortis est & magnus, non est languidus, iners & otiosus, sed (Gregorio Magno teste Homil. 30. in Evang.) *operatur magna*. Nullus verò effectus magnus divini amoris apparet in tota serie vitæ eorum, de quibus agimus.

Verùm-enimverò operosiùs urgendum est præsens argumentum, ut efficacia ipsius magis eluceſcat. Tanta est primi maximique de diligendo Deo mandati extensio, tamque extensa obligatio, ut, ad ipsi satisfaciendum, tota vigilantia nostra & studium esse debeat, ut divinus amor in nobis jugiter augeatur, magisque & magis roboretur, juxta doctrinam Sanctorum. Nullus quippe gradus ipsius merè est de consilio, sed qualemcumque & quantumcumque in hac vita fuerimus consecuti, in eo non licet nobis sistere, sed oportet semper crescere, donec ad tantam dilectionis plenitudinem perveniamus, quanta respondebit visioni quâ Deum videbimus facie ad faciem; ita ut ista etiam dilectionis plenitudo & perfectio nobis præcipiatur, tametsi ad eam in hac vita nemo perveniat, nec valeat perfectè pervenire. Cur enim *non præciperetur homini ista perfectio* (ait Augustinus l. de perfect. just. c. 8. cumque Augustino S. Thomas 2. 2. q. 44. a. 6. ad 3.) *quamvis eam in hac vita nemo habeat? Non enim rectè curritur, si quò currendum est, nesciatur. Quomodò autem sciretur, si nullis præceptis ostenderetur?* Paulò verò antè dixerat: *In illa patriæ plenitudine charitatis, præceptum illud implebitur, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. Nam cùm adhuc est aliquid carnalis concupiscentiæ, quod vel continendo frenetur, non omni modo ex tota anima diligitur Deus* (quod tamen præcipitur) sed in patria *tunc erit justus sine ullo omninò peccato*, quia *nulla lex erit in membris ejus, repugnans legi mentis ejus, sed prorsus toto corde, totâ animâ, totâque mente diliget Deum; quod est primum maximumque mandatum.* Similia habet in l. de spir. & lit. c. ult. ubi sic: *Cùm ab hac peregrinatione* (*in qua per fidem nunc ambulatur*) *perventum erit ad speciem, quam nondum visam speramus.... ipsa dilectio non solùm supra quam hic habemus, sed longè supra quam petimus & intelligimus, erit: nec ideò tamen plus esse poterit, quàm ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente* (non plus proinde quàm primo mandato præcipitur) *neque enim restat.... quod addi possit ad totum: quia si restabit aliquid, illud non erit totum. Proinde hoc primum præceptum justitiæ, quo jubemur Deum diligere ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente.... in illa vita* perfectè *implebimus, cùm videbimus facie ad faciem. Sed ideò nobis hoc etiam nunc præceptum est, ut admoneremur quid fide exposcere, quò spem præmittere, & obliviscendo quæ retrò sunt, in quæ anteriora nos extendere debeamus.* Nec tamen, *si esse nondum potest tanta dilectio Dei, quanta illi cognitioni plenæ perfectaque debetur, jam culpa deputandum est*, dummodò in Dei dilectione jugiter proficere non negligamus, &, ut in priori loco ait, sic *audiamus præcepta perfectionis, ne currere negligamus ad plenitudinem charitatis. Non enim* (ut paulò antè dixerat eodem cap. 8.) *ad satietatem justitiæ, cùm hinc exierit, quisque perveniet, nisi ad eam, cùm hîc est, esuriendo & sitiendo cucurrerit. Beati quippe, qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Quamdiù ergo peregrinantes à Domino per fidem ambulamus.... hæc est nostra*, seu nobis præcepta *justitia, ut ad illam perfectionem, plenitudinemque justitiæ, ubi in specie decoris ejus jam plena & perfecta charitas erit, nunc ipsius cursûs rectitudine & perfectione tendamus, castigando corpus nostrum.... & eleêmosynas in daudis beneficiis, & dimittendis quæ in nos sunt commissa peccatis, hilariter & ex corde faciendo, & orationibus indesinenter instando.... ut currentium vires adjuventur.* Aliàs non impletur id quod beatus David dicit: Domine *quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in*

in monte sancto tuo? Qui ingreditur sine macula, & operatur justitiam. Nam, ut Augustinus prosequitur, *ingredi sine macula non absurdè etiam ille intelligitur, non qui jam perfectus est, sed qui ad ipsam perfectionem irreprehensibiliter currit, carens criminibus damnabilibus, atque ipsa peccata venialia non negligens* corrigere, & *mundare eleëmosynis.*

Jam verò illi nostri tepidi & negligentes Christiani, Ecclesiastici, Religiosi, quàm procul absunt à jugiter currendo ad perfectionem illam, plenitudinemque charitatis! Quàm procul ab adhibenda omni vigilantia & studio ad hoc ut divinus amor in ipsis jugiter augeatur & roboretur! Quàm procul à sic jugiter in Dei dilectione proficiendo, ut currere non negligant ad plenitudinem charitatis! Quàm procul à sic esuriendo & sitiendo justitiam, ut proprii corporis mortificatione, & aliis operibus bonis orationibusque indesinenter instent, ut currentium vires adjuventur, atque hoc pacto non solùm cursum suum non intermittant, sed indesinenter augeant! Quàm procul ab irreprehensibiliter ad ipsam perfectionem sic currendo, ut non solùm careant criminibus damnabilibus, sed & ipsa peccata venialia non negligant corrigere, atque eleëmosynis mundare? Cùm ergo in istis notabiliter deficiant, juxta doctrinam Sanctorum notabiliter deficiunt ab implendo primo maximoque mandato. Per consequens non habitabunt in cælesti tabernaculo, nec requiescent in monte sancto Dei, utpote non ingredientes sine macula, ad perfectionem irreprehensibiliter currendo.

198 *Argumentum quintum*, est quia languidi illi ac ferè perpetuò dissipati Christiani, Ecclesiastici, Religiosi, peccant etiam graviter contra præceptum Exodi 14. de non tentando Deum. Quia reverà ipsum interpretativè tentant, dum vix unquam ad orationem se præparant, uti docet S. Thomas 2. 2. q. 92. a. 3. ad 2. hisce verbis: *Ille qui ante orationem animam suam non præparat.... ad devotionem se non disponendo, non facit quod in se est, ut exaudiatur à Deo. Et ideò quasi interpretativè tentat Deum. Et hujusmodi interpretativa tentatio ad irreverentiam Dei pertinet, quâ homo præsumptuosè, & sine debita diligentia se habet in his quæ ad Deum pertinent. Dicitur enim 1. Petr. 5. Humiliamini sub potenti manu Dei. Et 2. Timoth. 2. Solicitè cura, teipsum probabilem exhibere Deo. Unde etiam hujusmodi tentatio, irreligiositatis species est.*

Argumentum sextum (quo, sicùt & seqq. roboratur quartum) est quia peccant etiam graviter contra præceptum, *præparandi animam* suam *ad tentationem.* Eccli. 2. Si enim jubemur præparare animas nostras ad tentationem, jubemur incessanter vigilare & satagere, ut adversus tentationes roboretur infirmitas nostra; per consequens jubemur incessanter vigilare & satagere, ut augeatur & roboretur in nobis amor Dei. Siquidem ex una parte secundùm diversos istius amoris gradus, vel fortes sumus, vel debiles ad resistendum tentationi, prout constat ex eo quòd ex pluribus justis, eâdem tentatione pulsatis, alii fortiter resistendo victores evadant, alii ex infirmitate succumbant. Ex alia parte nemo scit mensuram tentationum, quibus Deus ipsum pulsari permittet. Unusquisque ergo sub gravi tenetur jugiter satagere, ut per incrementum amoris justitiæ, seu Dei, in se augeantur vires ad resistendum tentationi. Tametsi enim fidelis Deus non patietur nos tentari suprà id quod possumus, si fecerimus ex parte nostra quod à nobis ipse exigit, ad hoc ut gratiam ad id necessariam obtineamus. At si hoc neglexerimus, id est si parum vel nihil solliciti fuerimus fideliter ac fortiter laborare, atque ut oportet orare, ad obtinendam gratiam, quâ in amore Dei crescamus & roboremur, manifestum est negligentiæ nostræ imputandum, quòd in resistendo debiles simus, & supra vires præsentes tentemur. Neque enim supra vires tentati fuissemus, si abundantiori charitate infirmas vires nostras augere solliciti fuissemus. Neque Deus vires ad resistendum completè sufficientes promittit, nisi fideliter laborantibus in via sua, in eaque proficientibus, & ut jugiter proficiant ferventer & perseveranter orantibus. Vult enim Deus, ut *justificati.... eantes de virtute in virtutem renoventur, ut Apostolus inquit, de die in diem, hoc est mortificando membra carnis, & exhibendo ea arma justitiæ in sanctificationem* (verba sunt Concilii Tridentini sess. 6. c. 10.).... *in ipsa justitia per Christi gratiam accepta, cooperante fide bonis operibus, crescant, atque magis justificentur, sicut scriptum est: qui justus est, justificetur adhuc. Et iterum: ne verearis usque ad mortem justificari.* Vult etiam, ut *hoc justitiæ incrementum petant cum S. Ecclesia sic orante: da nobis Domine fidei, spei, & charitatis augmentum.* Vult justum, cui *impossibilia non jubet, & facere quod possit* (prosequitur c. 11.) *& petere quod non possit.* Vult, ut *tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare & reponere omnes debent* (inquit c. 13.) *verumtamen qui se existimant stare, videant ne cadant, & cum timore ac tremore salutem suam operentur in laboribus, in vigiliis, in eleëmosynis, in orationibus & oblationibus, in jejuniis & castitate. Formidare enim debent* (*scientes quòd in spem gloriæ, & nondum in gloriam renati sunt*) *de pugna quæ superest cum carne, cum mundo, cum diabolo, in qua victores esse non possunt, nisi cum Dei gratia Apostolo obtemperent dicenti: debitores sumus, non carni, ut secundùm carnem vivamus: si enim secundùm carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Denique vult Deus, ut simus *abundantes in opere Domini semper*, 1. Cor. 15. nunquam proinde cessemus id facere quod Princeps Apostolorum 2. Petr. 1. ait: *Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.* Et

sub istis conditionibus, non illis neglectis, promisit Deus se non passurum ut supra vires tentemur. Nec mirum, quamdiù enim sumus in hoc corpore mortali, nunquam moritur, nunquam non tentat nos cupiditas, nunquam non crescit & augetur in nobis, nisi jugiter satagamus eam reprimere, & minuere. Quod si neglexerimus, semper magis & magis roboratur, & in tantum augescit, ut hominem faciat prorsus animalem & terrenum. Est enim miserrima propensio, ipsum ad inferiora jugiter pertrahens, nisi vim sibi continuam faciat, ut ad superna elevetur. Est torrens, ipsum proripiens, & in abyssum inferni abreptans, nisi fortiter ascendat ex adverso cursus ipsius. Est pondus infelix, semper in actione. Est radix amara, semper pullulans, & emittens exosa Deo germina, quibus imago Dei in homine modico deformatur tempore, dum homo negligit sollicitudinem continuam resecandi prava illa germina. Istud proinde esse debet opus assiduum, ista continua sollicitudo, ista obligatio, ista militia hominis secundùm Augustinum. Rogare, utrùm ad id quisque sub gravi teneatur obligatione, est rogare, utrùm sub gravi obligatione quisque teneatur non sinere se pertrahi in infernum. In abyssum quippe ipsius cupiditas abripit eos, qui vim sibi continuam inferre parum curant adversus continuò pullulantia & repullulantia germina ipsius. Et ideò scriptum est: *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.*

199 Atque ex his septimum & octavum sponte fluit argumentum: sextum quidem, quòd languidorum & negligentium Christianorum vita non solùm immanè distet ab observantia laudatorum Evangelicorum præceptorum (prout ad oculum patescit) sed & ab observantia præcepti, quo Christiani, ad implenda superiora præcepta, obtinendasque ad id à Deo vires, jubentur vigilare, & orare omni tempore. Marci 13. *Videte, vigilate, & orate.* Matth. 26. *Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem.* Luc. 21. *Vigilate, omni tempore orantes.* At ipsi non solùm non vigilant, omni tempore orantes, imò vigilare, & se custodire valdè negligunt; & non solùm non orant omni tempore, imò vix unquam orant, sicut oportet; sed semper, aut ferè semper, cum tepore, negligentia, irreverentia, & distractione voluntaria, ad minus in causa, totâ ferè vitâ suâ dissipati, & dormitantes in Dei servitio, suæque salutis studio. Immanè ergo distant ab observantia præceptorum illorum; quæ graviter obligare, constat, partim ex verbis, quæ immediatè sequuntur apud Lucam: *Vigilate, omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere omnia ista quæ futura sunt, & stare ante Filium hominis*, hoc est, ut in divino judicio evadere possitis universa mala pœnalia, reprobis tunc infligenda, & coram summi Judicis tribunali securi stare, prout ibi Dionysius Carthusianus exponit. Partim ex Tridentino ubi suprà c. 13. ubi præceptorum illorum, sicut & aliorum supra laudatorum observantiam summi momenti esse declarat, cùm dicit: *Verumtamen qui se existimant stare, videant ne cadant, & cum timore & tremore salutem suam operentur in laboribus, in vigiliis, in eleëmosynis, in orationibus, &c.* ut suprà. Partim ex Zosimo Papa in epist. ad totius Orbis Episcop. in qua sic: *Quod enim tempus intervenit, quo ejus non egeamus auxilio? In omnibus igitur actibus, causisque, cogitationibus, motibus, adjutor & protector orandus est. Superbum est enim, ut quidquam sibi humana natura præsumat, clamante Apostolo: Non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed contra Principes & Potestates aëris hujus, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus.* Cùm ergo orationis studium usque adeò negligunt ii de quibus agimus, quomodò pares esse possunt ad fortiter pugnandum, non solùm adversus mundum & carnem, sed & adversus Principes illos & Potestates?

Argumentum septimum, est quia ex dictis 200
argumento 4. graviter quoque peccant contra præceptum, quo Christiani omnes sub gravi obligatione jubentur semper proficere in virtute, & nunquam deficere. Præceptum istud manifestè consequitur ex primo maximoque mandato, prout ibi demonstravimus ex doctrina Sanctorum. Unde & graviter obligare docent Sancti. *Nemo fidelium, quantumvis multùm profecerit, dicat, sufficit mihi* (aiunt S. Augustinus enarrat. in Ps. 69. n. 8. & S. Prosper in l. Sententiar. ex Augustino Sententiâ 234.) *qui enim dixerit, remansit, & hæsit in via ante finem: quia non perseverabit usque in finem.* Per consequens non salvabitur. *Non enim ad saturitatem justitia, cùm hinc exierit, quisque perveniet* (ait rursum Augustinus de perfect. just. c. 8.) *nisi ad eam cùm hic est*, sive quamdiù hîc est, *cucurrerit.* Et serm. 15. de verb. Apost. *Semper tibi displiceat quod es, si vis pervenire ad id quod nondum es. Nam ubi tibi placuisti, ibi remansisti. Si autem dixeris, sufficit, periisti.* Ne ergo pereas, *semper adde, semper ambula, semper profice.* Concinit Bernardus epist. 91. *Minimè profectò est bonus* (minimè proinde justus) *qui melior esse non vult*, voluntate scilicet seriâ & efficaci, *& ubi incipit nolle fieri melior, ibi etiam desinit esse bonus.* Et epist. 253. *Nolle proficere, deficere est.... Non vis proficere, ô Christiane? Non? vis ergo deficere.... Sic mihi, inquis, vivere volo, & manere, in quo perveni; nec pejor fieri patior, nec melior cupio. Hoc ergo vis, quod esse non potes? Quid enim stat in hoc sæculo? Et certè de homine specialiter dictum est.... nunquam in eodem statu permanet. Ipse denique hominis.... Author, quamdiù in terris visus est.... numquid stetit?* imò *pertransiit benè faciendo.... Pertransiit ergo, sicut non infructuosè, ita non remisè, non pigrè, non lento gressu, sed.... exultavit ut gigas ad currendam viam. Porrò currentem*

non apprehendit, qui & ipse pariter non currit. Et quid prodest Christum sequi, si non contingat consequi? Ideò Paulus aiebat: sic currite ut comprehendatis. Ibi tu Christiane, fige tui cursus profectûsque metam, ubi Christus posuit suam: Factus est (inquit) *obediens usque ad mortem. Quantumlibet ergo cucurreris, si usque ad mortem non perveneris, bravium non apprehendis, &c.*

Propterea etiam Apostolus 1. Thessal. 4. *Rogamus vos* (inquit) *& obsecramus in Domino Jesu Christo, ut quemadmodùm accepistis à nobis, quomodò oporteat vos ambulare.... sic & ambuletis, ut abundetis magis. Scitis enim quæ præcepta dederim vobis per Dominum Jesum.* Vult ergo Dominus Jesus in via virtutis nos sic ambulare, ut in ea semper crescamus & abundemus magis, nec in vacuum gratiam Dei recipiamus, sed eam fructificare faciamus. Idque sub gravi obligatione, uti probant exempla, in Evangelio commemorata, æternæ punitionis, maledictionisque servorum, non fructificantium domino suo. Nominatim exemplum servi illius inutilis, qui ob defossum in terra domini sui talentum, nullumque profectum ex eo reportatum, jussus est projici in tenebras exteriores, ubi erit fletus & stridor dentium. Idipsum probat Evangelica Parabola ficulneæ in æternum maledictæ, quia non retulit fructum. Parabola quoque vineæ, à patrefamilias desertæ, quia non protulit vinum, sed acetum. Idipsum denique demonstrat tremenda illa sententia Salvatoris: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excindetur, & in ignem mittetur.*

Argumentum octavum, est quia insuper peccant, & graviter peccant contra professionem vitæ christianæ, quam in baptismo fecerunt, & contra Christiani hominis qualitates ac prærogativas, Prolegomeno 3. c. 1. enarratas: cùm enim sint specialis possessio, peculiumque Domini; cives Sanctorum, domesticique Dei; discipuli, oves, palmites, membra & sponsa Christi; templum, victima & filii Dei, tam nobiles sublimesque qualitates ac prærogativæ vitam non permittunt ignobilem, inertem, terrenam, animalem (qualis est vita eorum, de quibus agimus) sed vitam postulant nobilem, cælestem, sublimem, sanctam, (à qua longissimè distat vita ipsorum) oportet namque vitam esse proportionatam statui & conditioni cujusque, prout ibidem pluribus demonstravimus.

101 *Argumentum nonum* petitur ex iis quæ sacri Interpretes dicunt ad illud Proverb. 24. *Per agrum hominis pigri transivi, & per vineam viri stulti, & ecce totum repleverant urticæ, & operuerant superficiem ejus spinæ, & maceria lapidum destructa erat*, &c. Aiunt enim ibi luculentâ Parabolâ ex agricultura petitâ declarari, omnia in corde hominis silvescere, gratiamque atque protectionem divinam subtrahi, nisi accuratâ diligentiâ cor excolatur. Ita D. Gregorius pulchrè hoc declarans l. 20. Moral. c. 20. Per agrum quippe hominis pigri transire, est (inquit) cujusli-bet vitam christianam, ecclesiasticam, religiosam valdè negligentis inspicere, ejusque opera considerare. Vitam quippe ipsius replent urticæ & spinæ vitiorum terrenorumque desideriorum. Et ideò in tali homine destruitur *maceria lapidum*, id est vita disciplinata; corque indisciplinatum ipsius deserit gratia & protectio divina (per maceriam quippe lapidum sacri Interpretes utrumque intelligunt, Patrum utique disciplinam, & gratiam protectionemque divinam; eò quòd utroque, tamquam validâ sepe, quam significat lapidum maceria, homo vallatus, adversus spiritualium bestiarum & hostium insidias validè sit munitus) quâ desertus totus sit animalis ac terrenus, ambulans in desideriis suis, & expositus incursibus ac morsibus spiritualium illarum bestiarum, quæ ipsum redigunt ad magnam egestatem spiritualem. Scriptum est enim: *Omnis piger semper in egestate est.* Prov. 21. Et, *egestatem operata est manus remissa.* Ibid. c. 10. Et, *in pigritiis humiliabitur contignatio, & in infirmitate manuum perstillabit domus.* Eccles. 10. Quo parabolico sermone Spiritus sanctus significat, ipsas etiam res firmissimas otio, desidiâ, ac remediorum neglectu sensim collabi. Stillicidio quippe tectum, parietes ac trabes corrumpente, humiliatur contignatio, id est structura virtutum, totumque ædificium spirituale ruit. Videri potest Cornelius à Lapide ad citatum locum ex Proverb. 24. ubi ex D Gregorio, V. Beda, Glossa, & aliis, sic habet: *Ostendit Salomon, in quantas miserias se conjiciat, qui agrum suum negligenter colit, & per pigritiam temporalem describit pigritiam spiritualem, ejusque damna & noxas. Quasi dicat: sicut pedibus transiens per agrum pigri, vidi ejus squallorem defectu culturæ; sic oculis mentis transiens, lustransque vitam, animam, conscientiam* (*hæc enim cujusque est ager & prædium, illi à Deo datum, imò elocatum ad culturam*) *hominis inertis, qui illam excolere negligit, non tantùm vacuam vidi virtutibus, & fructibus bonorum operum, sed repletam quoque urticis, carduis & spinis vitiorum omnium, ac dæmonum, carnis & mundi incursionibus expositam, eò quòd maceria, seu sepes ejus sit diruta. Sepes hæc* est disciplina Patrum juxta D. Gregorium; vel etiam *est intrinsecùs gratia & custodia sui, extrinsecùs protectio Dei & Angelorum. Utrâque enim hac sepe disjectâ, anima* (*ceu vinea, disjectâ sepe*) *aperta patet bestiarum & hostium, id est, tentationum & dæmonum incursibus, qui eam radicitùs depascuntur & demoliuntur. Quo fit, ut in extremam sterilitatem, & penuriam rerum omnium incidat, ac in morte eum opprimat omnis meritorum inopia: ideòque subitò & inevitabiliter relegatur in gehennam, ubi cum divite epulone in flammis sitiens, nec guttam aquæ ad linguam refrigerandam inveniat.* Enimverò *regnum Dei non dabitur otiosis, sed in servitio Dei studiosis.*

Regnum Dei non dabitur vagantibus, sed pro servitio Dei dignè laborantibus. Bernardus, seu Author libri de modo benè vivendi c. 51. Et serm. 63. in Cant. graphicè describens vitam eorum, de quibus agimus: Viro, inquit, *sapienti sua vita vinea est, sua mens, sua conscientia. Nihil quippe incultum desertumve in se sapiens derelinquet. Stultus non ita. Cuncta apud eum neglecta invenies, cuncta jacentia, cuncta inculta & sordida. Non est vinea stulto. Quomodo vinea, ubi nihil plantatum, nihil elaboratum uspiam patet? Tota spinis silvescit & tribulis stulti vita, & vinea est? Si fuit, jam non est, redacta in solitudinem. Ubi vitis virtutis? Ubi botrus boni operis? Ubi vinum lætitiæ spiritualis?* Et citatis verbis suprà allegatis ex Prov. 24. *Per agrum hominis pigri transivi*, &c. sic prosequitur: *Audis sapientem irridentem stultum, quòd bona naturæ, & dona gratiæ, quæ forte per lavacrum regenerationis acceperat, tamquam illam quam plantavit Deus.... primam suam vineam, in non vineam negligendo redegit. Denique non potest vinea esse, ubi vita non est. Nam stultus quod vivit, mortem potius quam vitam esse censuerim* (ipsum ergo spiritualiter mortuum censet, non viventem.) *Quomodo vita cum sterilitate? Arbor arida, & in sterilitatem versa, nonne mortua judicatur? Et sarmenta mortua sunt.... sic stultus eo ipso quòd inutiliter vivit, vivens mortuus est.* Neque enim dignus est qui vivat, sed qui è vita excidat, ait S. Petrus Chrysologus serm. 106. hisce verbis: *Homo, qui naturæ donum, munus animæ, rationis beneficium, excellentiam sensûs, judicium mentis.... culturæ bonum per steriles atque inopes actus evertit, occupat, mergit, Authori fructum, Cultori gratiam negat: sicut infructuosa arbor è terra, sic iste è vita meretur excidi.*

202 *Argumentum decimum*, est quia (juxta Scripturam & Patres) vix contingit in statu gratiæ & salutis diù esse, qui venialia cavere & emendare parum curant, sed valdè negligunt. Scriptum est enim: *Qui spernit modica, paulatim decidet.* Eccli. 19. Et *si non in timore Domini tenueris te instanter, citò subvertetur domus tua.* Ibid. c. 27. Manifestum verò est in timore Domini sese instanter non tenere, qui parum curant ferè continuò ipsum offendere, offensamque emendare.

Et quænam est hac de re doctrina Sanctorum? *Hoc ipsum est malorum omnium causa* (ait Chrysostomus in c. 1. ad Galat.) *quod ob pusilla non indignamur. Quemadmodùm in corporibus qui vulnera neglexerunt, febres gignunt, & putrefactiones, ac mortem denique; itidem & in animis, qui pusilla dissimulant, majora invitant.* Aliâ similitudine idipsum ostendit Homil. 8. in 1. ad Cor. similitudine utique vestimenti, ac tecti neglecti. Vestimentum namque ab initio ruptum, & neglectum, per totum producit scissuram; & tectum, si cùm parvæ tegulæ decidunt, neglectum fuerit, totam domum dejicit.

Augustinus epist. 108. *Quid interest ad naufragium, utrùm uno grandi ictu navis operiatur, & obruatur, aut paulatim surrepens aqua in sentinam, & per negligentiam derelicta, atque contempta, impleat navem, atque submergat? Itaque nolt contemnere, quia minora sunt* (ait serm. 96. de temp.) *sed time, quia plura sunt. Attendite, fratres mei, minuta sunt, non sunt magna. Non est bestia quasi leo, ut uno morsu guttur frangat; sed & plerùmque bestiæ minutæ multæ necant.... Infirma est natura humana, quæ etiam minutissimis bestiis interimi potest.... Quam minuta sunt grana arenæ, sed si arenæ amplius in navem mittitur, mergit illam ut pereat.* Tract. 12. in Joan. *Minuta plura peccata, si negligantur, occidunt.* Modica aqua *paulatim per sentinam intrat, sed diù intrando, & non exhauriendo, mergit navim. Quid est autem exhaurire* minuta peccata, *nisi bonis operibus agere ne obruant, gemendo, jejunando, tribuendo, ignoscendo?* Quod non faciunt, qui ea emendare parum curant.

Gregorius l. Pastor. cur. admonit. 34. *Qui peccata minima flere ac devitare negligit, a statu justitiæ, non quidem repentè, sed partibus totus cadit.* Similia proferunt reliqui SS. Patres, ita ut ista sit doctrina certissima.

Et ratione facilè probatur, quia dum homo tam parum timet Deum, ut post tot accepta ab ipso beneficia parum curet ipsum venialiter offendere; dum etiam tantâ laborat suæ salutis incuriâ, ut per negligentiam magnam venialia cavendi, emendandique, parum curet exponere se periculo peccati mortalis, sibi per Oracula sacra comminato: hoc ipso indignum se reddit speciali gratiâ, protectioneque Dei, quâ destituta humana infirmitas, tam debilis, tam languida, tam inermis efficitur, ut prævalere non possit adversus graves tentationes, quæ nunquam desunt in hoc statu corruptionis, diabolo ad tentandum nunquam dormiente. Per consequens necesse est ut succumbat, necessitate quam suâ culpâ & voluntate contraxit. Quia, prout Innocentius I. ait epist. 39. ad Augustinum, *necesse est, ut quo auxiliante vincimus, eo non adjuvante vincamur.* 202

Porrò Deus triplici de causa sua ipsi auxilia subtrahit. Prima est modicus ille Dei timor. Secunda, propriæ incuria salutis. Tertia, ingratitudo & inurbanitas ipsius erga Deum. Nam, ut benè explicat R. P. Segnerus, è Soc. Jesu, in suo Homine Christiano p. 2. discursu 22. Deus inurbanitatis ipsius pertæsus, sua tandem ipsi subtrahit auxilia, dimittitque eum in via cordis ipsius, juxta id quod scriptum est Isa. 57. *Propter iniquitatem avaritiæ ejus iratus sum... Abscondi à te faciem meam, & indignatus sum. Et abiit vagus in via cordis sui.* Est enim Deo valdè avarus Christianus, Ecclesiasticus, Religiosus, qui tantis à Deo cumulatus beneficiis, tam parcè, tamque inurbanè ipsi servit, ut à peccatis dum-

taxat mortalibus, non à venialibus cavere velit. Suâque illâ erga Deum, & Patrem tam liberalem avaritiâ & inurbanitate dignum se reddit, ut ab ipso Deus iratus faciem suam abscondat, id est, gratiæ suæ beneficentiam ipsi subtrahat, ipsumque deserens in via cordis sui, in ea ipsum perire permittat.

203 Nec mirum quòd pereat in periculo, cui se per tantam venialia cavendi & emendandi negligentiam voluntariè exposuit. Non mirum etiam, si malo suo sentiat, quàm verè Prov. 19. v. 16. scriptum sit: *Qui negligit viam suam, mortificabitur*, id est morte æternâ peribit. Ratio redditur versu præcedente, quia qui negligit viam suam, in ea piger est, remissus, torpidus: *Pigredo* verò *immittit soporem, & anima dissoluta* (id est remissa, pigra, torpida, prout ex hebraïca voce *remia* Cornelius à Lapide exponit) *esuriet.* Quem locum D. Gregorius 3. p. Pastor. admon. 16. egregiè sic explicat: *Pigris itaque* in Dei servitio, suæque salutis studio, *intimandum est, quòd sæpè dum opportunè agere, quæ possumus, nolumus, paulò post, cùm volumus, non valemus. Ipsa quippe mentis desidia, dum congruo fervore non accenditur, à bonorum desiderio funditùs convalescente furtim torpore mactatur. Unde aptè per Salomonem dicitur: pigredo immittit soporem. Piger enim rectè sentiendo quasi vigilat, quamvis nihil operando torpescat. Sed pigredo soporem immittere dicitur, quia pauliſper etiam rectè sentiendi vigilantia amittitur, dum à benè operandi studio cessatur. Ubi rectè subjungitur: & anima dissoluta esuriet. Nam quia se ad superiora stringendo non dirigit, neglectam se inferiùs per desideria expandit: & dum studiorum sublimium vigore non constringitur, cupiditatis infimæ fame sauciatur; ut quo se per disciplinam ligare dissimulat, eo se esuriens per voluptatum desideria spargat. Hinc ab eodem rursus Salomone scribitur: in desideriis est omnis otiosus. Hinc ipsâ Veritate prædicante, uno quidem exeunte spiritu, munda domus dicitur; sed multipliciùs redeunte, dum vacat, occupatur.*

204 Dum itaque piger abit in via cordis sui, assuefactus ad sequenda terrena desideria sua, seu passiones & concupiscentias in parvis, in proximo est ut eas quoque sequatur in magnis. Eò quòd utique passiones & concupiscentiæ ipsius, tantò magis accendantur, quantò frequentiùs ipsis indulgetur. Quantò verò magis accenduntur, tantò fortiùs alliciunt hominem ad objecta sua. Tantò ergo majori gratiâ homo ille indiget ad ipsis resistendum. Porrò secundùm ordinariam divinæ providentiæ œconomiam gratiâ illâ tantò majore non solùm est destitutus, ob rationes suprà allegatas; imò tantò magis diminuta est in ipso divina gratia, quantò magis eam neglexit, per tam frequentia neglectaque peccata venialia. Peccata quippe illa neglecta „ mentis oculum offuscant„ (ait Taulerus Institut. c. 2.) „ ut Deum „ aspicere nequeamus, divinæ dilectionis fervorem extinguunt, orationes nostras difficiliùs exaudiri faciunt, Spiritum sanctum contristant, Dei ab anima familiaritatem excludunt, hominem ad majora gravioraque peccata pertrahunt " (nam ut iterùm D. Gregorius ait l. 10. Moral. c. 14. *Cùm per levia delicta deflectimus, usu cuncta levigante, non timemus posteà graviora.* Et Pastor. p. 3. admon. 24. *Fit plerùmque, ut mens assueta malis levibus, nec graviora perhorrescat, atque ad quamdam authoritatem nequitiæ per culpas nutrita perveniat, & tantò in majoribus contemnat pertimescere, quantò in minimis didicit non timendo peccare*) denique vires animæ ad resistendum pravis inclinationibus debiliores reddunt. Et tantò debiliores, quantò magis peccata illa negliguntur. Quid ergo mirum, si homo tam debilis factus, satis fortis non sit ad resistendum tot hostibus, tantò fortioribus effectis, quantò ipse factus est debilior?

Corollaria magni valdè momenti.

COntremiscant igitur 1°. venialium neglectores, præsertim Ecclesiastici ac Religiosi, qui tam liberè quosvis intuentur vultus, cum quovis sexu otiosè conversantur, alter alterius manus juvenili attrectant levitate, ad quasvis invicem dant facetias, de excolendo mentis agro parum solliciti, tempus inutiliter terentes, nihil nisi vana cogitantes, & loquentes, nullam oculorum modestiam servantes in Choro, nullam, aut vix ullam reverentiam & gravitatem in divino Officio, nullam aut vix ullam silentii & solitudinis observantiam in Claustro, sicque vitam, vel notabilem vitæ partem transigentes. Tametsi parva fortè sint singula peccata illa, in funesta ducunt præcipitia, notabilique parte vitæ continuata, ex suprà dictis faciunt hominem reum plurium evangelicorum præceptorum graviter obligantium, atque ad resistendum gravibus tentationibus imparem. O! (inquit P. Segnerus) quantùm profuisset Christiano illi, qui, ad extrema deductus, diabolicæ consensit tentationi, si speciali misericordiâ suâ, benignâque providentiâ Deus, in articulo illo, dæmones, ne eum tentare potuissent, cohibuisset, vel efficaci adversus tentationes gratiâ ipsum sic confortasset, ut earum insultibus prævaluisset! Sed negligentiâ suâ, suæque salutis incuriâ, sicut & ingratitudine, misericordiam illam miser non promeruit, & ideò periit. Et tantò justiùs periit, quantò verius, quòd ad tantæ ruinæ principium, unicum aliquando sufficiat veniale peccatum. Quantò magis sufficiunt innumera usque adeò neglecta? Principium perditionis Judæ traditoris Hugo de S. Victore inde repetit, dicens, quòd *Judam in barathrum nequitiæ præcipitavit neglecta minorum cura.* 205

Non dicant ergo *in corde suo* venialium neglectores, *levia sunt ista* (ait Bernardus serm. 1. in convers. S. Pauli) *non curo corrigere.* 206

Non est magnum, si in his maneam venialibus minutisque peccatis. Hæc est enim, dilectissimi, impœnitentia; hæc blasphemia in Spiritum sanctum; blasphemia irremissibilis. Ubi tria dicit. 1°. voluntatem perseverandi in venialibus, seu parum curandi eorum emendationem, quia venialia sunt, esse impœnitentiam. 2°. esse blasphemiam in Spiritum sanctum. 3°. esse blasphemiam irremissibilem.

206 Cur dicit primum? quia impœnitentia est, dum quis non vult pœnitere. Non vult autem de venialibus pœnitere, qui ea cavere non vult, nec emendare. Cur secundum? quia blasphemia committitur, quoties Deus, vel aliquod divinum attributum, corde, ore vel opere, sive formaliter, sive interpretativè contemnitur. Estque blasphemia ista in Spiritum sanctum, quando Spiritus sanctus, vel effectus Spiritui sancto specialiter attributus, taliter contemnitur. Spiritus verò sanctus contemni censetur, dum ex propria electione, ex propria proinde malitia, quis abjicit media necessaria ad remissionem peccatorum, quæ fit per Spiritum sanctum, prout docet S. Thomas 2. 2. q. 14. a. 1. Neque enim abjectio ista fit absque contemptu, saltem interpretativo. Non ergo absque blasphemia aliqua. Quodam igitur modo in Spiritum sanctum interpretativè blasphemat, qui venialia corrigere sciens & volens, adeòque ex propria electione, non curat. Quia eo ipso de iis sincerè, atque efficaciter non vult pœnitere. Quippe pœnitentiam, quæ est per Spiritum sanctum, sciens & volens interpretativè contemnit, dum sciens & volens curam ipsius abjicit.

Et ista est ratio, propter quam impœnitentiam illam D. Bernardus vocat *blasphemiam irremissibilem*: quia scilicet peccata in Spiritum sanctum irremissibilia Salvator appellat Matth. 12. eò quòd utique peccata illa comitari soleat finalis impœnitentia. Quæ etiam perseverantem venialia parum curandi voluntatem comitari solet; maximè dum ex eis nullum timetur salutis dispendium; & adhuc magis dum nullum inde timendum esse obfirmato creditur animo. Obfirmata namque voluntas ista Spiritui sancto directè adversatur, nec esse solet absque vana præsumptione, per quam, remoto Dei timore, janua occluditur divinæ misericordiæ. Quam ob causam mortali se illaqueat crimine, quisquis animo sic est affectus, ut formaliter vel interpretativè dicat: *Nolo venialia vitare, sed mortalia duntaxat*, prout graviores Theologi docent, specialiter è nostris Lezana in 1. 2. disp. 5. de peccat. ven. q. 7.

207 2°. Contremiscant Sacerdotes, qui sacrosanctum Missæ sacrificium absque ulla, vel vix ulla præparatione, devotione, & post Missam gratiarum actione facere consueverunt. Et maximè illi, qui (ut Bellarminus deplorat lib. 2. de gemitu columbæ c. 5.) *sacrosancta illa mysteria soluti sunt tam indecorè tractare, ut videantur non credere Majestatem Domini præsentem; eò quòd utique sine spiritu, sine affectu, sine timore ac tremore, festinatione incredibili, sacrificium perficiunt, quasi fide Christum Dominum non viderent, aut ab eo se videri non crederent.*

3°. Contremiscant Canonici, Religiosi, 208
Abbates & Priores commendatarii, & quicumque officio adstricti, illud sive publicè, sive privatim recitare solent tam cursim, & tam damnabili celeritate, ut Deum alloquantur cum ea irreverentia & præcipitatione, quâ vix honestum hominem, imò famulos suos alloqui auderent. Idem dic de iis, qui illud persolvere solent in continua quasi distractione, quam suâ sibi culpâ accersunt: partim quia animus ipsorum extra officium est quasi perpetuò dissipatus, nec ad officium divinum debita cum devotione persolvendum præparatus: partim quia toto penè officii tempore elatos oculos quaquaversum circumferunt, atque huc & illuc gyrant. Quia ista in causa distractiones ipsorum haud dubiè voluntariæ sunt, maximè dum causam illam emendare parum solliciti sunt. Meminerint isti omnes, se publicos Ecclesiæ esse Ministros, horarum canonicarum officio adstrictos, velut publicis precibus, Ecclesiæ nomine persolvendis, pro omnibus Ecclesiis, & Ecclesiarum Ministris, pro Regibus, Parlamentis, Tribunalibus, exercitibus, omnique statu, pro pace provinciarum, quiete familiarum, conversione peccatorum, & necessitatibus omnium, maximè artificum & pauperum, quos dura necessitas cogit à manè in vesperam laborare, in sudoreque vultûs sui necessaria alimenta comparare. O quàm multi ex ipsis duram illam assiduè laborandi necessitatem in assiduam ferventemque converterent orationem, si liberi essent à sollicitudine sibi suisque victum & amictum conquirendi, prout nos sumus? Exurgent ipsi in judicio adversum nos, quòd cùm ab Ecclesia deputati essemus, ad offerenda Deo vota & gemitus ipsorum, ad Deum ipsis placandum, ad avertendam ab ipsis iram Dei, ad divinam gratiam & benedictionem ipsis impetrandam, ad Deum pro ipsis orandum, laudandum & glorificandum, in eoque supplendum quod ipsi præstare nequeunt, dum ipsos portare oportet *jugum grave* impositum *super* filios Adam: cùm ad ista (inquam) omnia essemus ab Ecclesia deputati, id tam irreverenter, tam indevotè, tam præcipitanter præstiterimus, ut publicæ preces nostræ versæ fuerint in peccatum, potiùs quàm in levamen, profectum & supplementum ipsorum. An non justè coram supremo Judice expostulabunt, quòd ipsos deceperimus? An non justè repetent spiritualia bona, quorum jacturam nostra ipsis causaverit otiositas, tepiditas & incuria? Pia ipsorum desideria nobis erant per Ecclesiam commissa, velut semina pretiosa, quæ per nostras pro ipsis orationes oportebat nos in centuplum reddere fœcunda. Per eamdem

Eccle-

Ecclesiam deputati eramus ipsorum velut Interpretes & Mediatores apud Deum. Propterea confidebant in charitate, & piâ pro ipsis sollicitudine nostrâ. Sed post frustratam illam expectationem confidentiamque, per supradictam negligentiam & indevotionem nostram, ubinam nos absconderе poterimus à facie tot accusatorum? Et ubi à facie Dei, dum nobis exprobrabit, quòd dum illi, medias inter necessitates egestatis suæ, vel negotiorum publicorum, tantum habuerunt affectum ad orandum, nos, Dei benignitate tantum habentes otium & honorem, quem & quod habent Angeli ad Dei laudes canendas, angelicum istud ministerium tam oscitanter, tam irreverenter, tam flaccidè persolverimus? An non ejiciet nos justus Judex à nuptiali convivio Abraham, Isaac & Jacob, tamquam extorres, non hæredes ardentis pietatis ipsorum, ad illudque introducet debiles, paupere & claudos, secundùm opinionem hominum, sed in fide divites, secundùm Deum, utpote dignos ipsum cum Angelis æternùm laudare, ob fidem per charitatem operantem, quâ id ardenter concupierunt?

209 4°. Contremiscant adolescentes illi calamistrati, barbatuli, & ad omnem mollitiem effeminati, quos cùm ex Ecclesiæ præcepto diebus Dominicis ac Festis Missæ sacrificio interesse oporteat, intersunt quidem, sed sedentes, & huc illuc oculos circumferentes, atque identidem garrientes, & jocosum aliquid, (si non obscœnum) insusurrantes in alterius aurem. Tum, ubi cælestis victima Sacerdotis attollitur manibus, uno in terram genu ægrè posito, altero collineantis ad scopum instar extento (inquit Merbesius Sum. Christ. p. 1. q. 17.) sese ad aram convertere, perinde ac si Christum, quem ad id usque tempus quasi irriserunt, ibi latitantem, ad implenda religionis officia strictim mentis oculis observare sufficeret. Neque enim sic interessendi frequentia, eamque emendandi neglecta cura, utpote continuæ, vel quasi continuæ distractionis causa voluntaria, à mortali potest excusari. Imò frequenter contingit, quòd nec semel isti absque mortali Sacrum audiant.

5°. Contremiscant Religiosi, qui parum curant regularum suarum, constitutionumque ac ceremoniarum sub gravi culpa non obligantium observantiam. Ob ea quæ dixi num. 193. & seqq.

210 Unde tales in via salutis non esse, sed in statu peccati mortalis, & utplurimùm perire, docent (post Bernardum) Taulerus & Dionysius Carthusianus, posteà referendi. Joannes Dominicus, eximius Doctor Ord. Prædicat. quem allegat sequiturque D. Antoninus 3. p. Sum. tit. 16. c. 1. §. 9. Magister Vincentius de Castrofranco in Prolog. Constit. Prædicat. Joannes ex curia Vicarius Generalis Reformatorum ejusd. Ord. Congregationis Burgundiæ, in epist. hac de re scripta ad Carolum, Burgundiæ Ducem. Passarellus de privileg. c. 25. Atque è nostris Lezana l. 2. de oblig. regul. c. 1. n. 8. Et in Consultis suis Consulto 44. Stephanus à S. Francisco Xaverio, Provinciæ Turoniæ semel & iterùm Provincialis, in suis doctissimis, pietateque, & vitæ Monasticæ zelo commendatissimis exhortationibus in regulam Ordinis nostri, exhortatione decimâ. Albertus à S. Germano, Provincialis Provinciæ Franciæ, in compendiaria dilucidatione Regulæ pag. 97.

Et sequitur 1°. ex iis quæ S. Bernardus su- 211
prà dixit serm. 2. in Quadrag. quia quicumque talis est, *nihil aliud est, nisi miser homo, qui totus pergens in ea quæ foris sunt, & ignarus interiorum suorum, putans aliquid se esse, cùm nihil sit, ipse se seducit. Sicut aqua effusus sum* (*ait Psalmista in persona hominis hujuscemodi*) *& dispersa sunt omnia ossa mea. Ps. 21. Et alius quidam Propheta: Comederunt* (*inquit*) *alieni robur ejus, & ignoravit. Osee 8. Exteriorem quippe superficiem intuens, salva sibi omnia suspicatur* (quia Ordinis jejunia utcumque servat, psallit in Choro, surgit cum aliis ad matutinum, &c.) *non sentiens vermem occultum, qui interiora corrodit. Manet tonsura, vestis necdum mutata est, jejuniorum regula custoditur, statutis psallitur horis. Sed cor*, ad exteriora & inania valdè dissipatum, *longè est à me, dicit Dominus* Isa. 29. & Matth. 15.... *Sub habitu religionis animum habet secularem, sub pannis conversionis cor perversum*, &c. His adde ea quæ idem Mellifluus Doctor habet suprà in argumento tertio.

2°. Idipsum sequitur ex iis quæ Pinusius 212
Abbas (apud Cassianum l. 4. de instit. renunt. c. 38.) ait: *Non leve noveris esse peccatum, perfectionem* (id est studium perfectionis) *professum, imperfecta sectari.* Quia hoc est in religione non religiosè vivere. Religiosus namque (prout S. Thomas 2. 2. q. 184. a. 5. ad 2. dicit) profitetur se ad perfectionem tendere. Et q. 186. a. 2. *Status religionis est quædam disciplina, vel exercitium ad perfectionem perveniendi*, ita quòd *ille qui statum religionis assumit.... tenetur ad hoc tendere, & operam dare, ut habeat charitatem perfectam*, per observantiam eorum *quæ sunt ei taxata secundùm regulam quam professus est.* Et a. 3. *Sicut suprà dictum est, status religionis est quoddam exercitium & disciplina, per quam pervenitur ad perfectionem charitatis. Ad quod quidem necessarium est, quòd aliquis affectum suum totaliter abstrahat a rebus mundanis.* Et (ut a. 4. ait) abstineat ab iis *per quæ homo impeditur, ne feratur totaliter in Dei servitium.* A quibus præstandis notabiliter deficiunt Religiosi, de quibus agimus. Et ideò manifestum videtur ipsos parum curare ad perfectionem sui statûs tendere. Religiosos verò parum id curantes mortaliter peccare, Theologi communiter cum S. Thoma docent apud Sanchez op. mor. to. 2. l. 6. c. 5.

Et quid de ipsis Taulerus? *Isti* (inquit serm. 213
4. de venerab. Sacram. festivit.) *in mortalium*

peccatorum præcipitio ſunt conſtituti, jamque propè eſt, ut vel intùs, vel foris incomparabile eorumdem peccatorum damnum incurrant. Imò frequenter, antequam advertant, ipſi in multa gravia peccata collabuntur. De iis loquitur, qui, *aſſueti hominum amicitias ſuperfluas, vanaſque recreationes, ac ſenſuum voluptates inter ſe expetere, iis emori nolunt.* Hæc (inquit) *ſunt impedimenta* (perfectionis) *perſeverantia, & culpæ inhærentes, cum quibus tamen multi, proh dolor! ad reverendiſſima Chriſti Sacramenta accedere non metuunt, ſuas nihilominùs conſuetudines & modos retinentes, nec æliquid ex prædictis repudiare volentes.... Verùm utrùm iſti feliciter hinc diſceſſuri, & ad extremum ſalvandi ſint, vehementer incertum eſt, eò quòd fundus eorum ſponte irritus eſt. Unde ubi neceſſitas extrema ingruerit.... neſcient prorſus quo in ſtatu res ſuæ ſint, nec facilè Deum invenire poterunt.... Nec poterunt, his ſubſtentibus, ſancti Spiritûs in anima ſua conſolationem ſentire.... Quantùm eos creaturæ implent, à tanto Deum cum gratia abſcedere oportet.*

214 Plus dicit Dionyſius Carthuſianus l. de reform. Monach. a. 6. non ſolùm enim dicit, quòd *quamvis multa contineantur in regulis, aut ſtatutis Religioſorum, ad quæ non tenentur de neceſſitate præcepti, ita quòd ſtatim mortaliter peccent, quando in aliquo eorum fuerint negligentes, ut eſt obſervantia ſilentii, ſurgere alacriter ad matutinas, otioſitates vitare, inutiliter hinc inde diſcurrere, & ſimilia: verùmtamen conſuetudo, ſeu aſſiduitas delinquendi in iſtis, & non curare, nec emendare, non poteſt à mortali excuſari peccato.* Sed & loquens de Religioſis illis, *in quibus pauca, aut nulla eſt rigoris, aut diſciplinæ obſervantia*, dicit quòd *tota vita eorum eſt quaſi quoddam peccare continuum*, loquiturque de mortali peccato. Eique 215 ſubſcribit Vaſquez alios referens 1. 2. q. 69. a. 4. diſp. 158. c. 6. aiens, quòd ſemper ſint in ſtatu damnationis. Subſcribit & noſter Stephanus à S. Franciſco Xaverio ubi ſuprà dicens, quòd tales Religioſi bonis operibus ſuis, videlicet confeſſionibus quas faciunt, Miſſis quas celebrant, precibus quas fundunt, Deum potiùs offendunt, quàm honorant, Deique juſtitiam non tam placant, quàm irritant: " Ils „ offenſent plûtôt Dieu par leurs bonnes œu„ vres, comme par les confeſſions qu'ils font, „ par les Meſſes qu'ils celebrent, & par les „ prieres qu'ils lui adreſſent, qu'ils ne l'hono„ rent; & ils irritent plûtôt ſa juſtice, qu'ils ne „ l'appaiſent, puiſqu'ils ne penſent pas à ſe cor„ riger, & à vivre ſelon les obligations de leur „ profeſſion. Quibus verbis non vult Deum ab ipſis offendi quia confitentur, celebrant, orant; ſed quia non ut oportet hæc faciunt. Eò quòd utique numquam ſeriò cogitent de emendatione, deque adimplendis obligationibus profeſſionis ſuæ. Retineant proinde affectum peccati mortalis, nec illum efficaciter unquam deponant, quamdiù efficaciter non proponunt venialia vitare, in ſtudio perfectionis proficere, corrigereque notabilem, in qua ſunt, negligentiam implendi ſpectantia ad vitam chriſtianam, & religioſam. Cum affectu verò peccati mortalis confiteri, Miſſam audire, vel celebrare, Deum orare, &c. grave peccatum eſt, prout to. 2. oſtendemus, pluribuſque probat Natalis Alexander Theol. dogm. & mor. l. 4. c. 5. a. 6. reg. 9. & in Paralipom. Th. mor. pag. 43. & ſeqq. Et *hanc* (inquit) *doctrinam plurimi Præſules & Doctores, ut ſaniorem & tutiorem propugnant, ac in ſuis Diœceſibus doceri jubent, & prædicari.*

Iſte etiam videtur eſſe ſenſus illuminatiſſimæ 216 Virginis, ſororis Angelicæ Paulæ Antoniæ (cujus epiſtolas in Concilio Tridentino R. P. Didacus Laynes, ad id à Legatis Concilii commiſſus, approbavit) epiſtolâ namque 19. tales *ad ſacram Miſſam* dicit *indignè accedere, judiciumque ſibi manducare. Quodnam eſt autem judicium, quod ſibi manducat ejuſmodi anima? De ea hic non loquor, quæ in mortali palpabiliter perſeverat crimine, ſed de ea quæ communicat, nec curat proficere in virtute, nec in perfectione progredi, ſed in ſua tepiditate, degenerique negligentia ſeipſam fovet. Audite S. Paulum prædicantem:* " Ideò inter vos mul- " ti infirmi, & imbecilles, & dormiunt mul- " ti. " *Ipſe eſt ſtatus hominum iſtorum, qui ſemper iidem manent, in paſſionibus ſuis ferventes, magni boni incapaces, debiles & fragiles, ignorantes & cæci, pigri & ſomnolenti, ſpiritu torpentes, abſque fervore in tenebris ambulantes, nec unquam in virtute & perfectione proficientes. Dum conſpicitis homines, qui ſacram communionem à longo tempore recipiunt, nec ſolitum vivendi morem unquam immutant, hi ſunt, qui non annuntiant mortem Domini, cum ſincero, ut oportet, deſiderio ſibimetipſis moriendi, ut vivat in ipſis Chriſtus. Siqua forte eorum animas de eo cogitatio, vel deſiderium aliquod ſubeat, evanidæ dumtaxat cogitationes ſunt, & imaginaria deſideria: cùm non reſpondeant gratiæ Sacramenti, nec faciant quod oportet ad conſequendum id quod deſiderant. Ipſis namque ſatis eſt, quòd tres vel quatuor lachrymulas, inter communicandum, ex oculis ſuis molliter exſtillent; & poſt tempus iſtud ad ſolitas redeunt ambitiunculas, ad ſuos affectus, ad laudis appetitiones, ad diſtractiones, ad vanitates, reſque ſimiles.*

Nec doctrina iſta fundata eſt duntaxat in 217 iis quæ tradunt Sancti, illuſtreſque Theologi, ſed & in decem argumentis §. præcedenti deductis, & rationibus ſolidis. Prima eſt, quia, ut S. Antoninus ſuprà, cum Joanne Dominico, & Vincentio de Caſtrofranco cenſet, tales Religioſi, tam parum curantes regularum ſuarum, conſtitutionumque obſervantiam, non videntur excuſari poſſe à damnabili ſeu mortali earum contemptu, ſaltem interpretativo. Tametſi enim ore, ſeu formaliter & expreſsè non dicant, ſe nolle iis ſubjici, opere tamen, ſeu interpretativè hoc dicere cenſentur,

sentur, dum parum curant earum observantiam, nec seriò emendare volunt eas passim violandi consuetudinem, eò quòd sub mortali non obligent. Neque enim solus earum contemptus formalis & expressus lethalis est, sed & interpretativus, uti colligitur ex S. Bernardo Corollario 1. laudato, & à simili ostenditur ex eo quòd non sola Dei tentatio formalis & expressa, sed & interpretativa lethalis sit.

218 Secunda ratio petitur ex verbis suprà laudatis D. Dionysii Carthusiani: quia licèt ea quæ Regula præscribit, extra substantiam votorum, non ita sint de necessitate præcepti, quòd statim mortaliter peccent, qui in aliquo eorum fuerint negligentes; verùmtamen consuetudo excedendi, seu assiduitas delinquendi in istis, & non curare, nec emendare, non potest à mortali excusari peccato.

219 Tertia ratio est, quia Religiosi tam parvam habentes curam observantiæ regularum suarum, valdè pernicioši sunt religioni suæ: utpote non custodientes castrum religionis suæ, sed illud prodentes per malum exemplum suum. Videri potest S. Bernardus serm. 3. in dedic. Eccles. ubi tria salutis pericula describit in Religiosis non custodientibus castrum religionis. Primum est in proditoribus illius, sive imminuere conantibus Ordinis disciplinam.... Secundum in deserentibus illud. *Tertium* (inquit) *periculum breviter dico.... quid prodest si nec prodere castrum, nec relinquere velis, sed segnis & desidiosus in eo permaneas*, &c.

CAPUT XXIV.

Peccata venialia sui multiplicatione, seu collectione, numquam efficiunt unum mortale.

220 PEccata venialia disponere ad mortalia, visum est cap. præcedenti. Quæritur jam, an ex multis venialibus collectivè sumptis aliquando efficiatur unum mortale? Subtilis Neotericus disp. 9. de peccat. dub. 4. resol. 5. affirmat. Sed negativa omnium est penè Doctorum, nominatim S. Thomæ 1. 2. q. 88. a. 4. ubi dicit, tripliciter fieri posse, quòd veniale fiat mortale: *Uno modo sic quòd idem actus numero, sit peccatum veniale, & postea mortale. Et hoc esse non potest.... Alio modo potest intelligi, ut id quod est veniale ex genere suo, per accidens fiat mortale*, per adjunctam utique circumstantiam aliquam, transferentem ipsum ad alteram speciem. Et hoc possibile esse dicit, prout & nos diximus cap. præcedenti. *Tertio, ita quòd multa peccata venialia constituant unum mortale*, sic quòd ex multis venialibus integraliter constituatur unum peccatum mortale. Et hoc absolutè & simpliciter, absque ulla exceptione, vel limitatione pronuntiat impossibile: *Non enim omnia venialia de mundo possunt habere tantum de reatu, quantum unum mortale*; eò quòd utique 1°. peccatum mortale & veniale differant in infinitum, uti dicit in argumento, *sed contrà*. 2°. voluntas peccandi venialiter non præferat creaturam Deo, uti voluntas peccandi mortaliter. Peccatum autem mortale principaliter consistit in tali actu voluntatis. 3°. peccatum mortale & veniale diversi sint generis & ordinis; veniale ordinis inferioris, mortale ordinis superioris. Entia verò inferioris ordinis, solâ sui multiplicatione, nunquam transeunt ad superiorem ordinem, v. g. accidentia ad ordinem substantiæ, inanimata ad ordinem animatorum, corporalia ad ordinem spiritualium, &c. Sed hac de re plura ad septimum Decalogi præceptum, ubi dissolventur argumenta in contrarium.

CAPUT XXV.

Ad hoc ut peccata actualia in seipsis imputentur, esse debent voluntaria & libera voluntate & libertate actuali, seu personali; non necessariò tamen directè & in se; sed sufficit quòd voluntaria & libera sint in causa.

AD hoc ut peccata actualia in seipsis im- 221
putentur, non sufficere quòd voluntaria sint voluntate originali Protoparentis hominum, sed ea esse debere voluntaria voluntate actuali, seu personali, Ecclesia jam declaravit, dum per Alexandrum VIII. propositionem hanc damnavit: *In statu naturæ lapsæ, ad peccatum mortale & demeritum, sufficit illa voluntas, quâ voluntarium & liberum fuit in causa, peccato originali, & voluntate Adami peccantis.* Et ratio est 1°. quia ad peccandum actualiter & personaliter requiritur voluntarium proportionatum, actuale scilicet & personale, uti docent S. Augustinus l. de duabus animabus cap. 11. his verbis: *Nec peccatum, nec rectè factum* (actuale) *imputari cuiquam justè potest, qui nihil fecerit propriâ voluntate.* Et S. Thomas in 1. dist. 3. q. 1. a. 2. *Oportet quòd secundùm hoc quòd aliquid rationem culpæ habet, secundùm hoc ratio voluntarii in eo reperiatur.... Unde ad culpam personæ requiritur voluntas personæ.*

2°. quia si ad peccatum actuale suffice- 222
ret voluntarium originale, consectaria foret propositio à tribus Summis Pontificibus damnata: *Ad rationem & definitionem peccati* (actualis) *non pertinet voluntarium* (actuale) *nec definitionis quæstio est, sed causæ & originis, utrùm omne peccatum debeat esse voluntarium.* Quæ profectò justè damnata fuit, quia aliàs pravi concupiscentiæ motus, quibus homo personaliter non consentit, ad culpam imputarentur, contra Tridentinum sess. 5. can. 5. phreneticis quoque & amentibus à nativitate, imputarentur quæcumque peccata faciunt, saltem contra jus naturale; imò & amentia ipsa. Cùm omnia ista (utpote peccati originalis effectus) voluntaria sint originaliter in Adamo.

His tamen non obstantibus, vera est pars 223

altera noſtræ aſſertionis, ad imputabilitatem utique peccatorum actualium in ſeipſis, neceſſarium non eſſe, quòd voluntaria ſint directè & in ſe, ſed ſatis eſſe quòd perſonaliter voluntaria ſint indirectè, & in cauſa ſufficienter non retractata, prout docent cum S. Thoma, Sylveſter, Cajetanus, Medina, Sotus, Thomas de Lemos in Panoplia to. 4. l. 4. p. 2. tr. 3. n. 300. & ſeqq. Illuſtriſſimus Godoy, Contenſonus, aliique Thomiſtæ communiter, atque cum ipſis Suarez, Valentia, Tannerus, & è Noſtris Corneio, Salmanticenſes, Lezana, contra Vaſquez, Arriagam, Amicum, Oviedum, Terillum, Maſtrium, &c.

224 Et probatur 1°. ex divina Scriptura, ſecundùm quam dantur ignorantiæ peccata propriè dicta, in ſe proinde verè & formaliter imputabilia (licèt ex ignorantia, adeòque pro tempore ignorantiæ commiſſa) uti probat S. Bernardus epiſt. ad Hugonem à S. Victore: Scripturæ namque teſtimonia, ab ipſo probata, exponi nequeunt de peccatis impropriè, ſed intelliguntur de propriè dictis; in ſe proinde verè imputabilibus, juxta legitimam divinæ Scripturæ interpretandæ regulam. Atqui peccata ex ignorantia, adeòque tempore ignorantiæ commiſſa, voluntaria non ſunt directè & in ſeipſis, ſicut cognita non ſunt directè & in ſeipſis.

225 2°. ex communi ſenſu Eccleſiæ Catholicæ, cujus teſtimonium reddit Synodus Dioſpolitana: in qua cùm lecta fuiſſent Capitula quædam de libro Cæleſtii hæretici, quorum unum erat, *oblivio & ignorantia non ſubjacent peccato, quoniam non ſecundùm voluntatem eveniunt, ſed ſecundùm neceſſitatem.* Finitâ lectione, Synodus dixit: *Quid ad hæc quæ lecta ſunt Capitula dicit præſens Pelagius Monachus? Hæc enim reprobat ſancta Synodus*, & per eam ſanctæ Eccleſiæ ſenſus. Ex communi igitur ſenſu Eccleſiæ patet ignorantiam & oblivionem, abſque voluntate, quâ in ſe formaliter voluntariæ ſint, verè & propriè ſubjacere peccato; per conſequens eſſe peccatum in ſe. Ad peccatum proinde in ſe imputabile, ſatis eſſe quòd voluntarium ſit in cauſa.

226 3°. ex unanimi ſententia SS. Patrum lib. 9. laudatorum, in quibus habemus impotentiam, & neceſſitatem conſequentem, à voluntate ipſa, ſeu cauſa culpabili inductam, à culpa non excuſare actus, ex tali neceſſitate vel impotentia procedentes, culpâ manente, ſeu per pœnitentiam convenientem non retractatâ. Ex iſta namque SS. Patrum doctrina, manifeſtè conſequitur, actus inimpedibiliter ſecutos ex cauſa culpabili, voluntariè poſita, in ſe culpabiles eſſe, etiamſi ſequantur tempore iſtius impotentiæ & neceſſitatis, licèt pro tunc non ſint in ſe voluntarii, ſed neceſſarii neceſſitate conſequente.

227 4°. ex communi doctrina veterum Scholaſticorum, pariter aientium, neceſſitatem conſequentem, ſive à voluntate inductam, non tollere malitiam propriè dictam ab actibus ex tali neceſſitate provenientibus.

228 5°. ſpecialiter ex S. Thoma, aſſertionem noſtram tradente in 2. diſt. 35. a. 3. ad 3. q. 2. de malo a. 1. ad 11. q. 23. de volunt. Dei a. 7. ad 6. 1. 2. q. 71. a. 5. 2. 2. q. 79. a. 3. & q. 150. a. 4. Ibi namque docet, effectus cauſam voluntariam ſubſequentes, imputari, eo etiam tempore, quo in poteſtate noſtra non eſt ipſos impedire. Siquidem citatâ q. 79. de peccato omiſſionis dicit, quòd ei, qui per ebrietatem ſe reddidit impotentem ad non omittendum, omiſſio incœpit (effectivè) imputari ad culpam, quando fuit tempus operandi, propter cauſam præcedentem, ex qua omiſſio ſecuta eſt. Citatâ etiam q. 150. a. 4. idem tradit de peccatis commiſſis per ebrietatem, vel paſſionem auferentem totaliter uſum rationis, ſi ab initio voluntaria fuerit. Et 3. contra Gent. 159. & 160. idem aſſerit de peccatis ſecutis ex culpabili ſubtractione gratiæ prævenientis, ſine qua vitari nequeunt. Vide ſuprà lib. 9. cap. 22.

229 6°. idipſum probatur ex communi ſenſu hominum, ſecundùm quem ebrietas verè & propriè eſt peccatum, eo inſtanti quo eſt, licèt pro tunc non ſit in ſe libera: utpote formaliter auferens libertatem, ſicut & rationis uſum. Et idem eſt de homicidio, pollutione, &c. Aliàs iſta nunquam forent in ſe formaliter peccata: quia homo, qui lethalem ictum accepit, nunquam moritur in inſtanti quo quis ictum illum liberè inflixit: quia illo inſtanti non diſſolvitur omnis diſpoſitio; quâ non diſſolutâ, non ſolvitur animæ & corporis unio. Neque excuſſo fortiſſimè gladio in cervicem proximi, in poteſtate exurientis eſt gladium fiſtere in finali puncto cervicis, quo ſecto primùm homo moritur. Nec in poteſtate hominis eſt, poſitâ liberè cauſâ neceſſariâ pollutionis, ipſam cohibere. Et ſic de aliis, quæ tamen, ex communi ſenſu hominum, & ipſiuſmet Eccleſiæ, verè in ſe ſunt formaliter peccata, dum in ſe ſequuntur. Unde & plerùmque in ſe reſervantur. Quod alioqui non fieret.

230 7°. ex graviſſimis quæ aliàs conſequerentur abſurdis. Sequeretur enim primò, peccatum formaliter non continuari omni momento, quo quis iracundiæ furiâ invectus in proximum inſurgit, vel momento quo ex flamma concupiſcentiæ in copulam fornicariam, adulterium, ſodomiam, vel in pollutionem abripitur. Neque enim omni illo momento adeò ſibi preſens eſt, vel ſui dominus, ut furiam illam, vel flammam reprimere queat, vel impetum inchoatum quolibet momento retractare.

231 Secundò, dæmones ac damnatos eſſe impeccabiles peccato in ſe imputabili. Cujus oppoſitum docent Sancti.

232 Tertiò, omnes illos, qui in pœnam horribilium peccatorum ſuorum, juſto Dei judicio excæcati & obdurati, ad tempus deſtitu-

ti sunt gratiâ ad peccatum vitandum necessariâ, toto istius destitutionis tempore impeccabiles esse, peccato in se imputabili, quidquid interim de se sceleratissimum egerint. Cujus etiam oppositum docent Sancti l. 9. laudati.

233 Quartò, omnem vitæ partem, quâ Athei, Neriones, Caligulæ, Domitiani, putidæ etiam publicarum libidinum victimæ, in pœnam nefandorum flagitiorum suorum, divinâ id exigente justitiâ, privati fuerunt gratiâ supernæ illuminationis ad cognoscendam vitandamque malitiam brutalitatum suarum, piæque affectionis, saltem excitantis ad opem divinam contra eas implorandam, fuisse in se formaliter innoxiam, & inimputabilem, tametsi interim abjecto omni timore Dei, se totos dederunt immanissimis libidinibus, injustitiis, crudelitatibus, &c. Quòd enim omni momento talis bestialis vitæ non adsit duplex illa gratia, intellectûs & voluntatis, sine qua peccatum vitare non possunt, sacræ Litteræ, sanctique Doctores, eodem lib. 9. exhibiti, contestantur, & ipsimet peccatores ex proprio sciunt experimento. Nec certè Christus mortuus est, ut ipsis promereretur gratiam, quâ peccare possent, & sine qua impeccabiles forent, peccato in se imputabili. Hoc enim piæ aures exhorrescunt.

234 Quintò, si isti perditæ vitæ homines inter confitendum affirment, se, dum in crimina illa plusquàm bestialia prolapsi sunt, nullam ejusmodi gratiam habuisse, nullam (inquam) de illis vitandis, nec de implorando adversus ea divino auxilio piam cogitationem, nec affectionem, à Confessario censendos non esse reos peccatorum in se imputabilium, vel Confessarium ipsis quoad hoc credere non oportere, sed contestari quòd nunquam sine illa pia cogitatione & affectione peccaverint, sed etiam incogitando cogitaverint, incogitatâque cogitatione ad non peccandum adjuti fuerint; ideòque rei, quia non consenserunt cogitationi quam non senserint, nec adverterint. Quod ridet Bellarminus l. 2. de gratia & lib. arb. c. 6.

CAPUT XXVI.

Solvuntur objectiones adversus doctrinam superiori capite traditam.

235 OBjicies 1°. S. Augustinus l. 1. de exposit. quarumd. propos. Epist. ad Rom. propositione sexagesimâ secundâ de Pharaone dicit: *Non ergo hoc illi imputatur, quòd tunc non obtemperaverit; quandoquidem obdurato corde obtemperare non poterat; sed quia dignum se præbuit, cui cor obduraretur priore infidelitate.*

Respondeo expositionem illam à S. Augustino scriptam esse, cùm adhuc Præsbiter esset, nec in istis materiis ita, sicut posteà, versatus, prout ipse fatetur l. 1. Retract. c. 23. his verbis: *Nondum diligentiùs quæsiveram, nec adhuc inveneram, qualis sit electio gratiæ.* Unde licèt in allata expositione nobis adversaretur, veritati nostræ assertionis non obstaret: utpote quam ipse postmodùm tradidit locis l. 9. allegatis & serm. 88. de tempore (qui tamen Cæsario tribuitur in novissima additione sermonum S. Augustini) ibi namque ex instituto refellit eos, qui putant Pharaoni non imputandum peccatum, obdurationis tempore commissum. Et 1. Retract. 15. *Qui cogenti cupiditati bonâ voluntate resistere non potest* (defectu gratiæ necessariæ ad resistendum) *& ideò facit contra præceptum justitiæ, jam hoc ita peccatum est, ut sit etiam pœna peccati.*

Respondeo 2°. sensum Augustini in verbis objectis esse, quòd inobedientia Pharaonis ipsi imputata non fuerit præcisè & adæquatè, quia tempore obdurationis obtemperare non potuit (non enim imputata fuisset, nisi peccatum præcessisset, cujus merito obduratus, sive à Deo desertus fuisset) sed quia per præcedens illud peccatum, dignum se præbuit, cui cor obduraretur. Vocula namque *quòd* ibi est causalis, idem significans quod *quia*, vel *eò quòd*; uti patet ex posteriori vocula adversativa, *sed quia dignum se præbuit*, &c. 236

Objicies 2°. De fide est libertatem esse necessariam ad peccandum, & demerendum: utpote fundamentum omnis bonitatis & malitiæ moralis. Ergo quod non est verè & propriè liberum, esse non potest verè & propriè peccatum. Atqui effectus secuti ex causa liberè posita, eo tempore quo in potestate hominis non est eos impedire, non sunt verè & propriè liberi. Igitur non sunt verè & propriè peccata. 237

Respondeo negando subsumptum: quia inimpedibilitas consequens liberam determinationem voluntatis, non tollit veram & propriam rationem libertatis; sed sola inimpedibilitas antecedens.

Objicies 3°. Saltem effectus tempore somni, ebrietatis, & amentiæ secuti ex causa liberè antè posita, non sunt verè & propriè liberi; verè proinde ac propriè non sunt peccata. Cùm enim homo tunc non sit sui compos, nec ratione utens; tunc non operatur liberè. 238

Respondeo, licèt tunc non sint verè ac propriè liberi in se; secùs in causa. Et ista libertas in causa, juxta S. Thomam, sufficit, ut sine nova libertate, effectus illi incipiant imputari ad culpam distinctam à malitia causæ. De peccato namque omissionis, secuto in ebrietate culpabili, sic discurrit 2. 2. q. 79. a. 3. ad 3. *Omissionis peccatum præceptis affirmativis opponitur, quæ non ad semper obligant, sed ad tempus determinatum. Et ideò pro illo tempore peccatum omissionis incipit. Potest tamen contingere, quòd aliquis tunc sit impotens ad faciendum quod debet. Quod quidem si sit prater ejus culpam, non omittit quod debet, ut dictum est. Si verò sit propter ejus culpam præcedentem, pu-*

ta cùm aliquis de ſero ſe inebriavit, & non poteſt ſurgere ad matutinas, ut debet. Dicunt quidam, quòd tunc incipit peccatum omiſſionis, quando aliquis ſe applicat ad actum illicitum & incompoſſibilem cum illo actu ad quem tenetur. Sed hoc non videtur verum: quia dato quòd excitaretur per violentiam, & iret ad matutinas, non omitteret. Unde patet quòd præcedens inebriatio non fuit omiſſio, ſed omiſſionis cauſa. Unde dicendum eſt, quòd omiſſio incipit imputari ad culpam, quando fuit tempus operandi; tamen propter cauſam præcedentem, ex qua ſequens omiſſio (tametſi ſecuta tempore ebrietatis, & impotentiæ ad non omittendum) *redditur voluntaria.* Quid clarius? Videri meretur Thomas de Lemos in Panoplia to. 4. l. 4. p. 2. tr. 3. c. 20. à num. 301. ad 314.

239 Objicies 4°. Si effectus illi non ſunt liberi in ſe, ſed in cauſa dumtaxat: ergo non ſunt peccata in ſe, ſed tantùm in cauſa. Cùm in tantum peccata ſint, in quantum libertate non carent.

Nego conſequentiam. Tametſi enim omne in ſe peccatum, eſſe debeat liberum; non neceſſariò tamen eſſe debet liberum in ſe, ſed in ſe vel in cauſa, ut probatum eſt.

Objicies 5°. Liberè poſuiſſe cauſam, homicidii v. g. non ſufficit ad hoc ut homo dicatur liberè homicidium committere, ſi eo committat tempore, quo ſui compos non eſt.

Diſtinguo antecedens: non ſufficit ad hoc ut dicatur liberè homicidium committere, libertate homicidii in ſe, concedo: libertate homicidii in cauſa liberè poſita, nego, dummodò cauſa illa moraliter adhuc perſeveret in effectu ſuo, & iſte ſequatur ex vi ipſius.

240 Objicies 6°. Effectus non magis poteſt eſſe liber libertate cauſæ, quæ præceſſit, & ampliùs non eſt, quàm paries albus ab albedine præterita.

Reſpondeo 1°. à phyſicis ad moralia in ſimilibus non ſequi. Quia licèt in caſu noſtro libertas cauſæ non ſit ampliùs phyſicè, benè moraliter, ſenſu explicato. Quamvis etiam nullum ſubjectum denominari queat album niſi ab albedine phyſicè actu exiſtente; non eſt tamen dubium, quidpiam denominari poſſe, liberum à libertate phyſicè actu non exiſtente, dummodò moraliter exiſtat.

241 Reſpondeo 2°. denominationem albi eſſe phyſicè intrinſecam; denominationem verò liberi plerùmque moraliter extrinſecam. Tametſi verò denominationes phyſicè intrinſecæ requirant formam phyſicè in ſe exiſtentem; ad denominationes moraliter extrinſecas ſufficit forma moraliter exiſtens in effectu.

242 Objicies 7°. Si ita eſſet, peccata quæ inſanus, ſeu amens committit in amentia, cauſata ex præcedente ipſius culpa, ipſi in ſe imputarentur.

Reſpondeo id non magis eſſe inconveniens de peccatis ſecutis ex amentia culpabili, quàm ſecutis ex culpabili ebrietate (quæ eſt brevis quædam amentia) de quibus S. Thomas id expreſſè tradit locis ſuprà relatis. Videri poteſt Thomas de Lemos ubi ſuprà pariformiter diſcurrens.

Objicies 8°. Saltem alia inconvenientia ſe- 243
querentur. 1°. hominem juſtificatum abſque nova libertate, mortaliter peccare poſſe, ut ſi homini dormienti, poſt cauſam pollutionis liberè poſitam, Deus infunderet gratiam, vel homo ipſe de cauſa illa à ſe poſita pœniteret, antequam effectus ſequeretur. 2°. peccatorem, qui propinavit alteri venenum, peccare toto tempore operationis veneni, adhuc poſt pœnitentiam de cauſa iſtius operationis liberè poſita: utpote quâ non obſtante veneni operatio adhuc libera foret in cauſa. 3°. hominem in ſomno mereri poſſe, Sacramentaque conficere; cùm libertas amplior non requiratur ad merendum, vel Sacramenta perficiendum, quàm ad peccandum. 4°. hominem adhuc peccare poſt mortem per effectum, cujus effectum liberè poſuit ante mortem.

Reſpondeo nullum inconveniens ex aſſertione noſtra conſequi. Non primum; quia infuſio gratiæ incompatibilis eſt cum peccato, etiam cauſæ; quod proinde eo ipſo deletur, & eſſe deſinit, quo gratia infunditur, ſi tamen hoc abſque pœnitentia poſſibile ſit. Quod à pluribus negatur, & diſputare non eſt hujus loci. Poſitâ verò pœnitentiâ, homo non cenſetur ampliùs moraliter velle, quod antè volebat. Et ideò homicidium, retractatâ per pœnitentiam volitione illius, non cenſetur ampliùs moraliter volitum; ſed fit de volito nolitum. Nec jam ampliùs moraliter ſequitur ex vi præcedentis voluntatis, ſed phyſicè ad ſummum.

Atque hinc perſpicuum eſt ſecundum in- 244
conveniens non ſequi ex aſſertione noſtra. Poſitâ namque retractatione, operatio veneni deſinit eſſe moraliter volita, ut proximè dictum eſt. Eâ verò ſepoſitâ, nullum eſt inconveniens in eo quòd peccator ille dicatur continuò peccare, quamdiù voluntas, quâ liberè propinavit venenum, in effectu ſuo moraliter perſeverat; licèt continuò non peccet additione novi, ſed continuatione ejuſdem peccati, uſque ad conſummationem.

Ad tertium reſpondeo non eſſe inconveniens, 245
quòd homo in ſomno mereatur, continuatione meriti in vigilia comparati; quemadmodùm martyr meretur toto paſſionis tempore, licèt ex doloris vehementia rationis uſu identidem privetur. Sacramenta tamen confici nequeunt, niſi à ſui compote. Non quòd alioqui libera eſſe non poſſent in cauſa; ſed quia Salvator, ex communi Eccleſiæ ſenſu, ſic inſtituit, ob periculum multorum inconvenientium alioqui futurorum.

Ad quartum nego ſequelam: quia homo 246
mortuus, non eſt ampliùs homo, nec humanis tenetur legibus; & ideò contra eas ampliùs peccare non poteſt. Contra legem verò divinam & naturalem peccat quidem anima peccatoris, qui ante mortem cauſam poſuit alienæ

mortis, sed post mortem non demeretur: utpote non jam ampliùs in statu demeriti.

CAPUT XXVI.

Tametsi peccata omnia invicem connexa non sint; plurima tamen cum quibusdam aliis connexa esse solent.

247 PLurimùm expedit Confessarios nosse istam connexionem, ad eamque reflectere, dum peccatorum confessiones excipiunt, tum ut pœnitentes congruè examinent, tum ut ipsos instruant, convenientiaque ipsis remedia præscribant.

248 Certum est ergo peccata omnia invicem connexa non esse, nec actu, nec affectu, quasi reus unius, reus sit omnium. Cùm frequenter contingat affectum erga unum excludere affectum erga aliud ipsi oppositum. Nam affectus avaritiæ v. g. excludit affectum prodigalitatis.

249 Opponitur quidem testimonium Jacobi 2. dicentis: *Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.* Sed Augustinus epist. 29. & Beda sic illud exponunt, ut offendens mortaliter uno, perdat charitatem, quæ finis est præceptorum omnium; & sic reus sit omnium, non quòd omnia violet, propriè loquendo, sed quòd omnia frustret principali fine suo. Quemadmodùm si Rex Gubernatori civitatis, ab hostibus obsidendæ, multa det præcepta, v. g. tenendi portas clausas, singulis propugnaculis providendi de sufficienti militum numero, ponendi bonas excubias ad loca magis exposita, &c. per negligentiam verò unius ex dictis præceptis contingeret civitatem ab hostibus capi: Gubernator iste rectè diceretur frustranea reddidisse omnia ista præcepta, & sic quodammodò reus omnium; eò quòd omnia frustrasset fine principali à Rege intento, qui erat impedire ne civitas interciperetur.

250 Plurima nihilominùs peccata cum quibusdam aliis frequenter connexa esse, manifestum faciunt exempla sequentia.

Nam superbia v. g. per quam appetimus supra alios in aliqua qualitate excellere (v. g. in doctrina, divitiis, honoribus) causa esse solet invidiæ, quâ invidemus aliis in ea qualitate nos superantibus, vel æquantibus, seu eousque qualificatis, ut æstimationem nostram propterea diminui putemus. Ipsaque invidia ulteriùs causa esse solet detractionum, vituperationumque, quibus hominum illorum æstimationem diminuere conamur; sicut & gaudiorum de malis ipsorum, necnon desideriorum, quibus malum ipsis optamus, & quandoque etiam procuramus; odiorum quoque & aversionum ab istis personis, &c.

251 Peccatum fornicationis sæpè consequuntur peccata contra naturam, quibus generatio prolis, vel nativitas impeditur, scilicet pollutio vel abortus. Eamdemque fornicationem antecedere solent sollicitationes, deceptiones, fictæ promissiones, turpiloquia, fœdi tactus, pollutiones, &c.; eamdemque frequenter subsequuntur variæ delectationes morosæ, impuraque desideria, ad resuscitatam imaginationem actus commissi. Tametsi verò ex ipsa confessione fornicationis satis intelligantur aliqui tactus libidinosi, & turpiloquia proximè antecessisse, vel subsecuta esse; non tamen ea quæ repetitis vicibus diu antè, vel post contigerunt. Eidem quoque fornicationis peccato frequenter conjuncta est seductio ac perditio innocentis animæ, quam seductor tenetur exemplo, oratione, & quibus potest modis ad emendationem, gratiæque amissæ statum reducere. Ad quod pauci attendunt. Denique inveterata consuetudo istius, seu aliorum peccatorum mortalium, sicut & frequens facilisque relapsus, frequenter connectuntur cum sacrilegis confessionibus, & communionibus, violationibusque præcepti de sabbatho sanctificando, dum ne in ordine quidem ad eorum sanctificationem affectum ad similia exuunt, sed scienter retinent.

252 Peccatum furti sæpè connexum est cum iteratis interruptim desideriis ac deliberationibus alia furta committendi, injuriosisque suspicionibus, quibus persona innocens propter istud furtum impetitur, & aliquando diffamatur affligitur, &c.

253 Peccatum ebrietatis, in frequentata popina commissum, connexum esse solet cum provocationibus aliorum ad hausfus intemperatos, turpiloquiis, detractionibus, blasphemiis, pejerationibus, temporalium bonorum dissipationibus, festorum profanationibus, magnis in familia jurgiis & discordiis, neglectu officii specialis, sicut & generalis officii hominis Christiani.

254 Peccatum iræ comitari solent rixæ, altercationes, injuriosæ improperationes, contumeliæ, diræ imprecationes, scandala præsentium, voluntas ulciscendi, vel nocendi, seu ipsa etiam illatio nocumenti. Post altercationem quoque frequenter sequitur diuturna aversio animi, denegatio communium dilectionis signorum, vel specialium, quæ inferior superiori, vel conjux debet conjugi, &c. v. g. denegatio debiti conjugalis. Frequenter etiam sequuntur detractiones, aliaque ejusmodi.

255 Peccatum avaritiæ, in personis divitibus, frequenter connexum est cum gravi transgressione præcepti eleëmosynæ, cumque illicitis conquirendi modis, licèt avaritiâ excæcati illicitos esse non agnoscant. In Ecclesiasticis verò, præter frequentem transgressionem præcepti eleëmosynæ, frequenter connectitur cum simoniacis, seu aliàs perversis intentionibus & modis, quibus ad ecclesiastica perventum est beneficia, vel ad Ordines sacros; cum simoniaco quoque affectu, quo functiones sacræ peraguntur, cumque Laicorum scandalo, & tanta implicatione temporalium, ut spiritualia negligantur. Ex quibus satis patet, Confessarium reflectere debere ad similes peccatorum connexiones.

CAPUT XXVIII.

Causæ peccatorum internæ & externæ.

256 NOtitia causarum illarum, ad easque reflexio, valdè utilis, imò necessaria est ad humiliandam hominis superbiam, ipsumque excitandum ad jugem sui custodiam, vigilantiamque adversus inimicos suos, tam domesticos, quàm extraneos (de quibus c. seq.) nec Confessario minùs necessarium est nosse causas morborum spiritualium, quàm corporali medico corporalium; ad hoc utique ut possit causas illas pœnitentibus exponere, congruaque adversus eas remedia præscribere.

257 Meminerit itaque homo se esse ad instar civitatis obsessæ, quæ (præter hostes ipsum exteriùs oppugnantes) interiùs habet proditores, cum externis hostibus communicationem habentes, à quibus moventur ut unà cum ipsis proditionem civitatis machinentur. Accedit ad cumulum miseriæ, quòd civitatis istius Gubernator, nec scientiam habeat, nec zelum necessarium pro defensione civitatis.

258 Quòd homo sit ad instár talis civitatis, ostenditur ex eo quòd hostes ipsius exteriores sint dæmon & mundus, à quibus continuò oppugnatur, (uti videbitur cap. . . .) ad procurandum ipsius ruinam. Ratio verò, ipsi data ad ipsum dirigendum, & voluntas per quam imperare debet reliquis animi facultatibus pro defensione ipsius in negotio salutis, valdè deficiant in necessariis ad bonam defensionem; ratio propter profundas ignorantiæ tenebras, quibus subjacet in iis quæ spectant ad salutem; voluntas propter malitiam, sui amorem, & salutis incuriam.

259 Variæ itaque sunt causæ internæ peccatorum, videlicet ex parte intellectûs ignorantia, & pronitas in errores; ex parte voluntatis, inordinatæ concupiscentiæ & passiones, tantaque infirmitas, seu pronitas in malum, ut voluntas, sui amore corrupta, sine auxilio gratiæ peccatum vitare non possit. Hisce causis internis, aliæ plerùmque accedunt, prava scilicet consuetudo, malitia, salutis incuria, &c. Accedunt & causæ peccatorum externæ, dæmon scilicet & mundus, sub quo comprehenduntur omnia quæ in mundo sunt, etiam prava exempla, & consilia, quæ nos ad peccatum sollicitare possunt, vel decipiendo nos ex parte intellectûs, vel excitando in nobis concupiscentias & passiones.

260 Cæterùm ut suam quisque miseriam magnam agnoscat, ad originem recurrendum est, explicandaque quatuor vulnera magna, per peccatum originale nobis inflicta (quæ sunt ignorantia in intellectu, malitia in voluntate, concupiscentia & infirmitas in appetitu inferiori) & quomodò vulnera ista per peccata augeantur actualia. Sit itaque

§. I.

Explicatur magna hominis ignorantia.

261 QUàm magnum sit ignorantiæ vulnus, experientia docet in parvulis & adultis. Nam in parvulis ita sopita, & quasi extincta est ratio, ut pluribus annis sint quasi pecudes, non quasi homines, animam rationalem habentes: jam enim reus delicti infans, necdum capax præcepti, tam profundâ ignorantiæ caligine est involutus & pressus (ait Aug. l. 2. de pecc. merit. c. 36.) ut nesciat ubi sit, quid sit, à quo creatus, à quibus genitus sit, neque tamquam de somno excitari possit, ut hæc saltem demonstrata cognoscat, sed expectetur tempus, quo hanc, nescio quam, velut ebrietatem, non per unam noctem (sicut quælibet gravissima solet) sed per aliquot menses, annos, paulatim digerat, nec nisi multis molestiis, laboribus, instructionibus, castigationibus, perveniat ad modicum scientiæ, quo rudioris ignorantiæ partem depellat.

Jam quid de adultis dicam? quorum pars 262
longè maxima res scitu maximè necessarias damnabiliter ignorat toto vitæ tempore, ita ut vel nesciant à quo Conditore, & quem in finem acceperint ut sint, & quem ad scopum ipsis præcipuè sit collimandum; vel, si prima ista fundamenta sciant, ad ea non reflectant, vel certè ignorent media, per quæ ad finem illum & scopum pervenire debeant. Cùm enim unica ad id via, vita sit christiana, maxima eorum, etiam Catholicorum pars, ne quidem novit in quo vita ista consistat, nec quæ sint ipsius regulæ, quod Christiani hominis officium, &c. Et si hoc aliquousque noverunt in generali, pauci sciunt, vel ad id advertunt in particulari, saltem in plerisque actionibus suis, ut patet, tum in tot superbis, avaris, ambitiosis, voluptuosis, & mundanis hominibus, qui sæculi amorem in se prædominantem, quamdiù in crimen palpabile non prodit, præ 26
cordis cæcitate non vident. Tum in peccatis omissionis, in quæ ignorantes, vel non advertentes incidimus, dum v. g. Deo non rependimus satis frequentem, vel satis ferventem amorem, cultum, gratiarum actionem, orationem; vel proximis, maximè domesticis, ea non impendimus, ad quæ ex officio, vel ex charitate tenemur, v. g. monitionem, correptionem, pro ipsis orationem, eleëmosynam corporalem vel spiritualem; vel dum saluti nostræ non satis consulimus, vigilando, orando, regulam nostram servando, peccata etiam venialia vitando, &c.; vel denique actiones nostras, penè omnes, occulto quodam inficimus affectu superbiæ, amoris proprii, &c. 26

Tam profundam, universalemque ignoran- 263
tiam adjuvat summa plurimorum indocilitas, in aliquibus proveniens ex dispositione corporis, quâ carni sic immersa est anima, ut spiritualia vix concipere queat, vix etiam capere, & retinere necessaria necessitate medii ad salutem; quam indocilitatem plerùmque fovet modica rerum spiritualium cura, æstimatioque, & nimia implicatio in negotiis sæcularibus, vel rebus corporalibus. In aliis, iisque valdè multis, indocilitas illa provenit, vel à pertinaci sensuum præjudicio, quo fit ut ea omnia respuant

quæ

quæ sensibus repugnare videntur, nec credere velint, nisi ea ad quæ aliquo sui corporis sensu perveniunt (quam ob causam Calvinistæ credere nolunt mysterium SS. Eucharistiæ) vel à longa præventione, judicandive consuetudine; cui præventioni vel consuetudini dum accedit superbia, quâ se sapere putant, qui errant, indocilitatem difficillimè exuunt; sicut videre est partim in senibus, qui ab opinionibus dudum conceptis, tametsi erroneis, ægerrimè avertuntur, si sibi sapientes videantur; partim in iis, qui dudum præventi sunt laxioribus, tametsi pernicioſis opinamentis quorumdam Casuistarum, circa administrationem Sacramenti pœnitentiæ, &c.; iisque tam pertinaciter adhærent, ut libros, vel argumenta in contrarium vix, aut ne vix quidem legere, vel seriò (depositis præjudiciis) perpendere dignentur. Vel denique indocilitas illa provenit à vitiosis erga creaturas affectibus, humanisque cupiditatibus, quas multùm valere ad excæcandum, non semel ostendimus. Dum enim Confessarius v. g. quærit hominibus placere, difficillimè sequitur veritates, quarum usu timet ipsis displicere. *Lege* namque *infatigabili* (inquit Aug.) *Deus spargit pœnales cæcitates super illicitas cupiditates.*

164 Ad idem ignorantiæ malum pertinent illæ, in quas adeò proni sumus in judicando, præcipitantiæ, sicut & assiduæ inadvertentiæ, seu inconsiderantiæ nostræ, quibus fit ut practicè non consideremus, vel satis seriò non perpendamus veritates, quas speculativè scimus. Aperiemus demùm oculos post mortem, quando obstupescentes clamabimus: *Ergo erravimus à via veritatis*, &c. Sap. 5.

165 Tot denique pernicioſi errores, pernicioſæque opiniones in materia morum, falsissimæque Gentilium Philosophorum de ultimo fine hominis, mediisque necessariis ad illum consequendum opiniones palàm ostendunt, quantum, & quàm exitiosum sit ignorantiæ vulnus per peccatum originale inflictum.

§. II.

Explicatur secundum vulnus, scilicet concupiscentia.

166 PEr illud vitiosa intelligitur propensio partis inferioris, quâ homo trahitur ad voluptatem sensuum propter se expetendam, sive sit voluptas carnis, id est tactûs carnalis, sive gustûs, sive aliorum sensuum. Unde concupiscentia ab Augustino sæpè vocatur *libido sentiendi*, eamque (sive actualis sit, sive habitualis) idem Augustinus constanter docet esse malam, malèque nos agere quotiescumque ipsi obsequimur, non solùm quando inclinat ad actus illicitos, v. g. fornicationem, vel esum cibi vetiti; sed & quandocumque aliquid facimus propter illam, sive quandocumque voluptatem sensualem gustûs, vel tactûs, vel visûs, vel auditûs, vel odoratûs quærimus propter ipsam. Quod profectò illicitum esse demonstravimus lib. 7.

Per concupiscentiæ vulnus intelligi etiam 267
posset inordinatus amor sui, qui est generalis causa, ex qua omnia peccata oriuntur, dividiturque in tres latissimos fontes, è quibus omnia promanant peccata, scilicet in concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ, juxta illud Augustini in Psal. 8. *Hæc tria genera vitiorum, id est voluptas carnis, & curiositas, & superbia* (quæ alibi vocat *libidinem sentiendi, sciendi, & excellendi*) *omnia peccata concludunt, quæ mihi videntur à Joanne Apostolo enumerata, cùm dicit:* "Nolite diligere mundum, quoniam omnia quæ in mundo sunt, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & ambitio sæculi. Quòd enim inordinatus amor sui, seu humana cupiditas, in tres illas propagines divisa, sit causa, seu radix omnium peccatorum, sententia est S. Thomæ 1. 2. q. 77. a. 4. *Manifestum est quòd inordinatus amor sui est causa omnis peccati.* Quia omnis actus peccati procedit ex inordinato appetitu alicujus temporalis boni. Quòd autem aliquis appetat inordinatè aliquod temporale bonum, procedit ex hoc quòd inordinatè amat seipsum. Inordinatum verò amorem temporalis boni art. 8. dividit in tres dictas concupiscentias, sicut humanam cupiditatem Augustinus dividit tr. 1. in epist. Joan. dicens: *Tria sunt ista, & nihil invenies unde tenetur cupiditas humana, nisi aut desiderio carnis, aut desiderio oculorum, aut ambitione sæculi.* Per tria ista tentatus est Dominus à diabolo. Unde cùm ex 2. Timoth. 3 longam peccatorum seriem enumerasset, *hæc* (inquit) *omnia ab eo velut fonte manant, quod primum posuit: seipsos amantes.* Et serm. 47. de divers. amorem sui vocat primam hominis perditionem: *Prima hominis perditio fuit amor sui.* Et 14. Civit. 28. amorem sui structorem vocat civitatis terrenæ, sicut amor Dei structor est civitatis cælestis: *Fecerunt civitates duas amores duo: terrenam scilicet amor sui, usque ad contemptum Dei; cælestem verò amor Dei, usque ad contemptum sui.* Et Apostolus ipse 1. Timoth. 6. *Radix omnium malorum est cupiditas*, in tres classes illas divisa.

Porrò utiliter Confessarius investigabit, ex 268
qua radice pullulent peccata sui pœnitentis, ut securim ad radicem ponat, congrua contra relapsus remedia præscribendo, pœnitentemque monendo contra quam præcipuè cupiditatem pugnare debeat: Qua in re multi graviter deficiunt, de quibusdam quidem actibus palpabiliter malis dolendo, & se excusando, sed securim ad radicem nunquam apponendo, eamque inexpugnatam relinquendo.

Superest explananda difficultas, quomodò ex tribus fontibus illis peccata omnia profluant? quia vel per oculorum concupiscentiam (cum Augustino) intelligitur libido cognoscendi, seu curiositas; vel cum aliis, libido possidendi, seu cupiditas divitiarum? Si primum, avaritia ex nullo fontium illorum profluit. Si secundum, ex nullo eorum profluit curiositas. Deinde non apparet ex quo illorum fontium profluant pec-

cata, quæ ex mero alterius amore committuntur, v. g. à parentibus ex amore filiorum.

269 Ad 1. respondeo per oculorum concupiscentiam utrumque intelligi, tam scilicet libidinem sciendi, quàm possidendi. Vel, si (cum Augustino) sola curiositas intelligatur, libido quidem possidendi nunquam est prima, sed semper oritur ex aliqua trium illarum, vel scilicet ex libidine sentiendi, vel ex libidine excellendi, vel ex utraque, vel ex triplici illa libidine, quasi ex radice, juxta illud Augustini 10. Confess. 37. *Divitiæ ob hoc expetuntur, ut alicui istarum trium cupiditatum, vel duabus ipsarum, vel omnibus serviant.*

270 Ad 2. respondeo cum S. Thoma citatâ q. 77. a. 4. ad 4. quòd amicus est quasi alter ipse; & ideò quod peccatur propter amorem amici, videtur propter amorem sui peccari. Siquidem amor amantem cum amato quodammodò facit unum.

Si quis ex inordinato amore sui non profluere putet peccata, quæ fiunt ex compassione alienæ miseriæ, v. g. mendacia facta ab obstetricibus Ægyptiacis ad salvandam vitam Hebræorum, furtum factum ex affectu alendi patrem egenum, mendacium factum in circumstantiis ab Augustino descriptis in lib. contra mendac. c. 20. quando scilicet absque mendacio haberi nequit accessus ad baptizandum infantem, aliàs sine baptismo moriturum.

Respondeo peccata ista non committi ex affectu charitatis: cùm charitas non agat perperàm. Per consequens fiunt ex affectu bono (ex officio utique liberandi proximum à malo) sed ex circumstantia mali medii malo; qui affectus cùm hæreat in creatura, non in Deo, cupiditas est, juxta Augustinum, aliosque Patres, generaliter asserentes fieri ex cupiditate (generaliter acceptâ) quidquid non fit ex charitate, sive ex Dei propter se amore. Qui nunquam movet ad eligendum medium lege divinâ vetitum, ad consequendum finem bonum.

Sola proinde voluntas propria, legi Dei quoad hoc se non subjiciens, adeòque amor proprius, movet ad istam electionem, si medium istud sciatur esse vetitum: si verò id ignoretur, ignorantia ista, utpote juris naturalis, non est inculpabilis & involuntaria, sed culpabilis & voluntaria in causa, scilicet cupiditate, uti videbitur infrà.

271 Ecce ergo deploranda hominis miseria, qui sibi relictus, nihil facit, nisi ex inordinato amore sui, cujus pondere ad seipsum semper convertitur. Natura quippe corrupta, divinis rationibus, ac puræ intentioni repugnat (ait Card. Bona in princip. vit. Christ. p. 1. §. 3.) & ad se omnia refert. Inde autem cùm omnia profluant mala, homo semper vigilare debet, semperque pugnare contra inordinatum amorem sui; ne alioqui causa sibi sit perditionis, uti causa fuit corruptionis totius humani generis, causa perditionis ejusdem per aquas diluvii, causa damnationis omnium Angelorum, hominumque reproborum.

§. III.

Elucidatur tertium vulnus, scilicet malitiæ.

PEr malitiam hîc intelligitur pronitas voluntatis in malum. Voluntas quippe hominis lapsi non solùm flexibilis, sed & prona est in malum, juxta illud Gen. 8. *Sensus & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.* Oritur verò pronitas ista ex triplici supradicta concupiscentia, aliisque causis, ex quibus aliquando fit, quòd uni homini congenita sit major pronitas ad malum, quàm alteri, qui *fortitus est animam bonam.* Istarum causarum una est, vitiosa corporis dispositio, ob quam aliqui ad certa genera malorum præ aliis sunt inclinati; alii scilicet ad libidines, alii ad furta, alii ad rixas, & pugnas, &c. Altera causa est, quòd aliqui destituti sint retinaculis, quibus alii à peccato cohibentur, ingenito scilicet pudore, pœnarum, & offensæ Superiorum timore, inclinationibus ad officia virtutum; quæ diminutæ quidem sunt, sed non penitùs deletæ per originale peccatum. 272

§. IV.

Declaratur quartum vulnus, nimirùm infirmitatis.

INfirmitatem ex peccato originali profluentem Augustinus latiùs accipit, quàm S. Thomas, & Scholastici passim. Ipsi namque per eam intelligunt infirmitatem appetitûs inferioris, qui sicut per concupiscentiam inordinatè appetit ea quæ sensibus delectabilia sunt; ita per infirmitatem inordinatè refugit ea quæ sensibus molesta sunt & ardua: ita ut quemadmodùm justus indiget virtute temperantiæ, ad cohibendam inordinatam istius appetitûs propensionem in sensuum oblectationes; sic indigeat virtute fortitudinis, ad reprimendam inordinatam ejus appetitûs propensionem in timores, pusillanimitates, torpores, desperationes, &c. 273

Verùm Augustinus infirmitatem accipit prout se ad utrumque extendit appetitum, superiorem & inferiorem; & reverà sua etiam in appetitu superiori est infirmitas, proveniens partim ex defectu charitatis (generaliter acceptæ) partim ex excessu cupiditatis. Nam quemadmodùm eò quis fortior est ad bonum, quò majorem habet charitatem, minorem cupiditatem; sic ad bonum eò debilior est, seu infirmior, quò charitas ipsius est minor, & cupiditas major. Infirmitatem quippe nostram ex cupiditate provenire, experientiâ constat, quâ experimur nos admodùm infirmos & difficiles ad ea peragenda, quæ sunt hominis Christiani, vel religiosi, quando inde periculum est, vel non adipiscendi ea quæ concupiscimus, vel subeundi labores, incurrendive damna temporalia, quæ formidamus. Tunc enim difficultatem nobis facessit cupiditas, juxta Augustinianum istud: *Non est in carendo difficultas, ubi* 274

non

non est in habendo cupiditas. Et quid est quòd tantam difficultatem & infirmitatem sentimus ad subeundas humiliationes, vel paupertatem Christi, nisi propter cupiditatem nostram excellentiæ, & divitiarum ? Quid etiam, quòd tantam infirmitatem in faciendis longis orationibus, subeundisque magnis pro gloria Dei, nostraque, & aliorum salute laboribus, jejuniis, frigoribus, persecutionibus, aliisque corporis incommoditatibus, nisi propter amorem nostri, concupiscentiamque carnis nostræ?

275 Quòdque infirmitas nostra etiam proveniat ex defectu charitatis, æquè clarè experientia docet. Nam ubi est magna, plena, & perfecta charitas, ibi nec tribulatio, nec angustia, nec persecutio capax est à Christo nos separare, uti patuit in Martyribus, & in tot aliis Sanctis, qui cum gaudio tanta passi sunt, vitamque tam laboriosam ac pœnitentem animo tam hilari duxerunt. Nec mirum, ubi enim amatur, non laboratur, vel labor ipse amatur. Propterea *ibant Apostoli gaudentes à conspectu Concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.* Propterea *qui vult facere Dei mandatum, & non potest, jam quidem habet voluntatem bonam*; atque adeò charitatem (inquit Augustinus l. de grat. & lib. arb. c. 17.) *sed adhuc parvam & invalidam: poterit autem, cùm magnam habuerit & robustam. Quando enim Martyres illa magna mandata fecerunt, magnâ utique voluntate, hoc est, magnâ charitate fecerunt.... Ipsam charitatem* (magnam) *Petrus nondum habuit, quando timore Dominum ter negavit.... Et tamen, quamvis parva & imperfecta, non deerat, quando dicebat Domino:* „Animam meam „ pro te ponam: „ *putabat enim se posse, quod se velle sentiebat.* Magnam tamen charitatem habuit, quando passus est pro Christo terribiles sævasque passiones. Sarcina quippe illa Christi, quæ infirmitati gravis est, levis efficitur charitati. Talibus enim Dominus dixit, esse suam sarcinam levem, *qualis Petrus fuit, quando passus est pro Christo; non qualis fuit, quando negavit Christum. Istam charitatem, id est, divino amore ardentissimam voluntatem commendans Apostolus dicit:* „ Quis nos se- „ parabit à charitate Christi? tribulatio, an an- „ gustia, an persecutio.... an gladius?.... Cer- „ tus sum, quia neque mors.... poterit nos se- „ parare à charitate Dei, &c. „ Talis ergo charitas præbet vires efficacissimas voluntati, prout Augustinus paulò antè dixit.

276 Fortitudo itaque nostra à charitate est, infirmitas à cupiditate; & ideò infirmitas tantò minor, quantò major charitas: tantò major, quantò charitas minor; infirmitas maxima, ubi charitas nulla. Per consequens minuitur infirmitas, charitate crescente, quia minuitur cupiditas. Quia, uti rursum Augustinus l. qq 83. q. 36. ait: *Charitatis nutrimentum est imminutio cupiditatis; perfectio, nulla cupiditas.*... Quisquis igitur eam nutrire vult, suamque proinde infirmitatem minuere, instet minuendis cupiditatibus.

§. V.

Hæc vulnera augentur per peccata actualia.

277 DE ignorantiæ vulnere testatur divina Scriptura, dicens Prov. 4. *Via impiorum tenebrosa, nesciunt ubi corruunt.* Ephes. 4. *Gentes ambulant in vanitate sensûs sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vitâ Dei, per ignorantiam quæ est in illis, propter cæcitatem* (textus græcus habet *obdurationem*) *quæ est in illis.*

278 Idipsum testatur experientia, peccata utique luxuriæ & intemperantiæ causare mentis cæcitatem, sensûsque hebetudinem, pravisque generatim affectionibus rectum judicium perverti. *Qualis est* enim *unusquisque, tale est & quod judicat.* Unde fit ut erga proximum malè affectus, ideòque durius cum ipso agens, hoc ipsum plerùmque non videat, quòdque peccata nostra tantam pariant incogitantiam, etiam in his quæ speculativè scimus, ut ne in extrema quidem senectute, cùm mors est in januis, de divino judicio, & horrenda æternitate cogitemus, sed, quasi lethargici, sopiti simus.

279 Quòd etiam peccatis nostris, concupiscentia, malitia, infirmitas augeantur, fatalis (proh dolor!) nimis experientia docet, præsertim in consuetudinariis, in quibus concupiscentia & malitia tantò magis roboratur & crescit, quantò magis illi satisfit, in tantum ut, consuetudine versâ quodammodò in naturam, jam quasi necessitate trahantur in malum, qui in principio absque ulla necessitate illud committebant. Quantò verò concupiscentia magis roboratur & crescit, tantò magis infirmitas crescit, uti constat ex dictis n. 274. & 275. Videri meretur Augustinus 8. Confess. 5. ubi id se expertum dicit: *Ex voluntate perversa, facta est libido; & dum servitur libidini, facta est consuetudo; & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas.... quâ trahitur & tenetur etiam invitus animus, eo merito, quo in eam volens illabitur.* Ita etiam Bernardus l. de præc. & dispens. c. 18. & Hugo de S. Victore l. 1. de Sacram. p. 2. c. 23. Idipsum fatentur etiam consuetudinarii in potu, tabacho, luxuria, &c. se utique violentiæ consuetudinis non posse resistere. Nec tamen propterea excusantur, quia necessitas illa non est antecedens (quæ sola est inimica libertatis, necessariæ ad peccandum) sed consequens liberam voluntatem, quæ suâ perversitate, peccatorumque ad peccata additione, istam sibi necessitatem facit. Audi Bernardum serm. 82. in Cant. pulchrè id explicantem, dum respondet consuetudinario contendenti se non liberè peccare: *Dicet* (inquit) *aliquis mihi: Tu-ne voluntarium dixeris, quod jam necessarium constat esse? Verum quidem est, quod voluntas seipsam addixerit* (id est, captivam reddiderit) *sed non ipsa se retinet: ma-*

gis retinetur & nolens. Cui objectioni sic respondet : *Benè hoc saltem das, quia retinetur. Sed vigilanter retine, voluntatem esse, quam retineri fateris. Itaque voluntatem nolentem, dicis ? Non utique voluntas retinetur non volens. Voluntas enim volentis est, non nolentis. Quòd si volens retinetur, ipsa se retinet. Quid ergo dicet, aut quid respondebit ei, cùm ipsa fecerit ? Quid fecit ? Servam se fecit. Unde dicitur :* „ Qui facit peccatum, servus est peccati..... *Sed non me (inquis) decredere facies necessitatem quam patior, quam in memetipso experior, contra quam & assiduè luctor. Ubinam quæso hanc necessitatem sentis ? Nonne in voluntate ? Non ergo parum firmiter vis, quod & necessariò vis.... Porrò ubi voluntas, ibi libertas*, à necessitate naturali, licèt non à necessitate, quæ nihil aliud est nisi obfirmata in malo voluntas. *Ita anima miro & quodam malo modo, sub hac voluntaria quadam ac malè libera necessitate, & ancilla tenetur, & libera ; ancilla propter necessitatem, libera propter voluntatem.*

280 Nec huic explicationi S. Bernardi contrarius est Augustinus loco citato, dicens, consuetudinarium quandoque invitum trahi ad peccandum. Quia *si subtiliùs advertamus* (inquit l. de spir. & lit. c. 31.) *etiam quod invitus quis facere cogitur, si facit, voluntate facit ; sed quia malit aliud, ideò invitus, hoc est nolens, facere dicitur. Quomodò volens & nolens ? probans & improbans ? Quia non ex toto improbat, sed partim approbat, partim improbat. Non enim ex toto vult* (inquit 8. Confess. 9.) .... *Non igitur monstrum, partim velle, partim nolle ; sed ægritudo animi est. Quia non totus assurgit (* contra peccatum) *veritate sublevatus, consuetudine prægravatus.* Et cap. 10. *Ego eram* (inquit de seipso ante conversionem) *qui volebam ; ego eram, qui nolebam. Ego ego eram, nec plenè nolebam, nec plenè volebam : ideò mecum contendebam, & dissipabar à meipso.*

281 Maneat ergo indubitatum, peccatis actualibus augeri vulnera peccati originalis. Actualia proinde peccata alia ex aliis profluere. Nec id mirum de mortalibus : cùm per ea peccator, amissâ gratiâ, & amicitiâ Dei, subjiciatur potestati diaboli, suasque augeat ignorantias, concupiscentias, malitias, infirmitates, ut ostendimus. Ideòque S. Thomas dicit hominem in statu peccati mortalis diù esse non posse, quin in aliud adhuc mortale prolabatur.

282 Ipsa quoque venialia, aliorum peccatorum sæpè causas esse, constat ex dictis cap. 23. Fatendum nihilominùs 1°. non omnia actualia, sive mortalia, sive venialia, æqualiter influere in alia. 2°. nullum esse quod alia æquè causet, ac peccatum superbiæ : utpote per quod Deus specialiter impeditur, ne suam nobis contra peccatum gratiam largiatur. *Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Jacobi 4. Testeque Augustino l. 3. de doctr. Christ. c. 23. *nulla ferè pagina est sanctorum librorum, quæ hoc non sonet*; innumerisque idipsum firmatur exemplis, ex antiquitate petitis, eorum utique, qui evanescentes in cogitationibus suis, in reprobum traditi sunt sensum, permissique in gravissima ruere peccata, signanter in fœtidum luxuriæ peccatum. Quod & Apostolus testatur Rom. 1. Et quot temporibus nostris audivimus, qui, per superbiam evanescentes, apostatarunt à religione & fide, ut liberiùs servirent fœdæ concupiscentiæ carnis suæ ?

Nec sola superbia aperta, quâ supra alios 283
quis vult excellere, ad alia ducit peccata ; sed & superbia illa spiritualis, quâ fit ut non satis agnoscamus, quantùm adjutorio gratiæ Dei indigeamus contra peccatum ; ideòque non satis oremus pro eo obtinendo. Hoc suo experimento didicit certus quidam adolescens, nomine Pacco (apud R. P. Paulum Segneri, in suo Homine Christiano p. 3. discursu 2. n. 14.) qui, *pœnitentiâ peccata sua expiaturus, Scetes desertum ingressus, post plures annos inibi transactos, tam atroci carnis tentatione impetitus fuit, ut desperans sibupsi mortem inferre statuerit. Dicebat enim, satius esse vitam finire, quàm, eam prolongando, augere damnationem. Sicque ratâ & fixâ voluntate fauces cujusdam cavernæ adit.... ut ab egredientibus sub vesperum duabus hyænis, quas ibi latitare noverat, in frusta discerperetur. Et jam planè nudus aliquo tempore motum illarum operiebatur. Et ecce bestiæ illæ, odore corporis humani, cujus sunt cupidissimæ, inescatæ, ingenti cum furore accurrunt. Sed vix attigerant hominem, statim mansuetæ ad ejus se provolvunt pedes ; illosque non secùs ac duo catelli molliter lingere incipiunt. Hoc prodigium Monacho tantos addidit animos, ut receptis indutus vestibus, quasi triumphabundus magna cum lætitia ad antrum suum redierit. At dæmon non abscesserat ; sed, ut misero magis illuderet, tantisper se subtraxerat. Quare magis quàm unquam antè, primis eum tentationibus aggreditur.... adeò ut Eremicola in pejorem quàm unquam antè, desperationem adactus fuerit. Quare iterùm foras egressus, certus velocissimè vitam abrumpere, videt aspidem in arena latentem, quam mox arripit, pungit, & ad magis venene nocendum irritat, magnoque animo nudo applicat pectori. Verùm aspis solitæ crudelitati non indulsit ; imò ne offendi quidem visa est. Quare dum ignorans, cælo indignatus, queritur, ecur fugientibus adeò prodigè acceleraret mortem, quærentibus verò adeò parcè eam negaret ? vocem audit ab alto clamantem : Quid tibi miser imaginaris, à te viribus tuis posse tentationes superari ? Deum roga, Deum precare, & quando, cognitâ vilitate tuâ, omnem in Deo spem collocaveris, tunc palmam reportabis. Quâ voce tantâ mens Monachi instructa fuit luce, ut ad debellandos dæmonis insultus, non aliud magis expedire cognoverit medium, quam continuam orationem. Quâ ille quamprimùm se munivit, divinæque gratiæ opem sibi necessariam agnoscens imploravit, deinceps nec toti Acheronti cessit.* Superbia

itaque spiritualis, quâ quis in suis confidit viribus, causa est, propter quam Deus plerùmque vel dare differt, vel subtrahit gratias suas; & ideò homo tentationi succumbat, in variaque ruat peccata (prout ille in peccatum desperationis) ut discat se sine Deo nihil posse. Non mirum proinde, quòd tam facilè prolabamur, qui de superbia illa multum habere solemus, tametsi ad id non advertamus; verbisque profiteamur nos nihil posse sine Deo. Videri potest Augustinus serm. 3. de verb. Apost. ubi sic: *Pugnantium vox est: Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum.... & tu Domine usquequò? Quid est usquequò? quousque probes, quia ego subvenio. Si enim citò subvenirem, luctamen non sentires. Si luctamen non sentires, tamquam de tuis viribus superbires; & per istam superbiam nunquam ad victoriam pervenires.*

284 Præter superbiam illam spiritualem, quâ de nostris præsumimus viribus, in iis quæ agenda sunt, nec satis agnoscimus indigentiam nostram magnam divini auxilii, ne peccemus; alia est valdè noxia, quâ interiùs nobis complacemus, & velut gratulamur de bono successu, perinde ac si laus præcipua nobis deberetur. De ea reflexione digna est August. sententia l. de nat. & grat. c. 28. *Deserit aliquantùm Deus unde superbis, ut discas non tuum, sed ejus esse, & discas superbus non esse.* Estque superbia illa satis frequens, etiam hominibus maximè spiritualibus, ipsisque adeò timendam docet S. Bern. ut putet causam esse languoris, & ariditatum ipsis contingentium; quas dum in se ipse experiebatur, cogitabat vel istius superbiæ peccatum à se esse commissum, vel iis se à Deo affligi, quòd videret Deus in corde ipsius periculum ne in illud laberetur, uti videre est serm. 54. in Cant. & serm. 84. juxta finem.

§. VI.

Utilitates in nobis provenientes ex consideratione dictorum vulnerum.

285 COnsideratio namque ista apprimè utilis est 1°. ad incitamentum humilitatis. Necesse quippe est ut homo sibiipsi summoperè vilescat, dum attentâ mente perpendit, se in omnibus animæ potentiis adeò esse corruptum, depravatumque, ut quodammodò dici possit, *in peccatis natus totus*, praviscque concupiscentiis adeò mancipatus, ut nisi omnipotentissimâ gratiâ suâ Deus ipsum sublevet, semper vincatur, juxta illud Innocentii I. *Necesse est, ut quo adjuvante vincimus, eo non adjuvante vincamur.*

286 2°. ad diffidentiam de nobisipsis, fiduciamque & spem totam ponendam in Deo solo, meritisque Salvatoris. A quo enim alio, tot inter hostes, & tantas infirmitates suas, homo sanitatem & salutem expectare potest, nisi ab eo qui solus est Medicus, Sanator & Salvator noster.

287 3°. ad humilem, frequentem, & ferventem orationem, pro obtinenda à Deo misericordia & gratia, tot inter miserias, peccata, & pericula. Quis enim pericula ista perpendens, non clamet: *Dominus illuminatio mea, & salus mea?* Quis in tantis tenebris constitutus non oret: *Illumina tenebras meas. Illumina oculos, ne unquam obdormiam in morte. Notam fac mihi viam, in qua ambulem, ne fortè offendam ad lapidem pedem meum.* Et contra tam noxiam concupiscentiam triplicem: *Fac Domine, ut quod habitat in me peccatum non dominetur mihi, ut obediam concupiscentiis ejus. Jube Domine, ut post concupiscentias meas non eam. Da quod jubes, & jube quod vis. Non veniat mihi pes superbiæ, extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi. Concupiscentiam quoque oculorum amove à me.* Denique contra infirmitatem: *Miserere mei, quoniam infirmus sum: sana me Domine, & sanabor: salvum me fac, & salvus ero.* Et contra malitiam: *Repleta est malis anima mea, induratum est cor meum. Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis*, &c.

4°. ad salutem operandam in timore & 288
tremore, muniendumque se armis spiritualibus, contra tot domesticos hostes & extraneos. Quis enim non timeat, dum usque adeò periclitatur æternitas? Quis non contremiscat, tot inter laqueos, dum Apostolum audit 1. Cor. 10. clamantem: *Qui se existimat stare, videat ne cadat*; dum seriam quoque monitionem audit Concilii Tridentini sess. 6. cap. 13. ut ipsi etiam justi *cum timore & tremore salutem suam operentur in laboribus, in vigiliis, in eleemosynis, in orationibus & oblationibus, in jejuniis & castitate: formidare enim debent (scientes quòd in spem gloriæ, & nondum in gloriam renati sunt) de pugna, quæ superest cum carne, cum mundo, cum diabolo; in qua victores esse non possunt, nisi cum Dei gratia Apostolo obtemperent dicenti: Debitores sumus, non carni, ut secundùm carnem vivamus. Si enim secundùm carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Rom. 8. Et rursus Ephes. 6. *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli.... State ergo succincti lumbos in veritate, & induti loricam justitiæ.... in omnibus sumentes scutum fidei, ut possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere: & galeam salutis assumite (ut de solo Salvatore speretis salutem) & gladium spiritûs, quod est verbum Dei, per omnem orationem & obsecrationem orantes omni tempore in spiritu, & in ipso vigilantes in omni instantia. Scriptum est enim, videte periculum vestrum, vigilate, & orate.*

5°. ad sedulò discutiendos actus & affectus 289
nostros, ut videamus quid nos ad agendum impellat, concupiscentia, an charitas? oportet enim nos sollicitè laborare ad comprimendos concupiscentiæ motus: utpote quæ sit charitatis venenum, seminatrix zizaniorum,

corruptrix omnium actuum nostrorum.

290 6°. ad jugem exercitationem adversus triplicis concupiscentiæ motus, nequando iis obediamus. Cùm enim illam penitùs (in hac vita) interimere non valeamus, saltem mortificare, ac velut crucifigere debemus, juxta illud: *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt, cum vitiis & concupiscentiis*, Galat. 5. ut per jugem mortificationem jugiter minuatur in nobis, quæ non potest totaliter extirpari; contraria verò ipsi charitas augeatur: & sic *expoliemus nos veterem hominem cum actibus suis*, Coloss. 3. *induamusque novum hominem, qui secundùm Deum creatus est*, Ephes. 4. In utraque quippe exercitatione ista, vita consistit christiana, duobus verbis Petro per Spiritum sanctum significata: *Occide, & manduca.* Act. 10. Nec aliud à nobis Scriptura exigit; *non* enim *præcipit nisi charitatem, nec culpat nisi cupiditatem.*

§. VII.

Varii modi, quibus diabolus nobis est causa peccati.

291 TAmetsi diabolus author quodammodò sit omnis peccati, quatenùs causa fuit primi peccati protoparentis nostri, ex quo reliqua hominum peccata trahunt originem; potest tamen homo subinde peccare absque dæmone: cùm per passiones & concupiscentias suas ad peccatum sufficienter impellatur, absque eo quòd necesse sit diabolum iis se immiscere. Quia tamen *diabolus, tamquam leo rugiens*, continuò nos *circuit, quærens quem devoret*; meritò dici potest causa omnis peccati, non solùm remota, modo dicto, sed & proxima, quatenùs meritò supponitur uti passionibus & concupiscentiis nostris, easque commovere, ad tentandum nos.

292 Nec solùm tentat nos per se, & per concupiscentias passionesque nostras, sed & per alios homines & creaturas, quibus velut instrumentis utitur ad nos ad malum attrahendos, vel à bono retrahendos: quomodò per Elymam Magum Act. 23. conatus est Sergium Proconsulem avertere à fide. Et iste modus adeò communis est, ut totus mundus plenus sit diaboli laqueis, uti S. Antonius in spiritu vidisse legitur.

293 Per se verò diabolus hominem variis modis tentat. 1°. transfigurando se in Angelum lucis, vel in personam hominis ad peccatum allicientis, v. g. speciosæ mulieris, allicientis ad luxuriam.

294 2°. sensibus externis objecta exhibendo similiter excitantia ad peccatum: quomodò Salvatori exhibuit omnia regna mundi, & gloriam eorum, ut ad eorum cupiditatem, ambitionemque ipsum excitaret. Quæ quidem exhibitio aliquando est vera (quomodò S. Antonio verum exhibuit aurum) aliquando illusoria, seu fascinatoria, efficiendo ut sensui externo adesse videatur objectum, quod revera non adest. Quod profectò efficere potest, vel extra organum sensûs operando, vel intra. Quod non difficulter intelliges, si advertas quòd quandocumque visu v. g. (estque similis ratio de auditu, vel odoratu) percipimus aliquod objectum, v. g. pomum, à pomo lumen reverberatur ad oculum, quasi imago vel species visibilis pomi, quæ nervo visorio certum imprimit impulsum, quo anima excitatur ad visionem pomi. Quando ergo diabolus efficit ut lumen eo modo ad oculum reflectatur, quo reflecteretur à pomo, si adesset, tunc primo modo illudit sensum nostrum. Et sic, multorum opinione, diabolus in momento apparere Christo fecit omnia regna mundi. Quando verò diabolus nervo visorio immediatè talem imprimit impulsum, qualem imprimeret lumen sic reverberatum, tunc visum illudit secundo modo. Alterutro horum modorum diabolus apparere facit spectra, incendia, latratus canum, rugitus leonum, mugitus boum, &c.

3°. excitando tales in cerebro motus, fluxusque spirituum, à quibus dependere scit certas imaginationes, quas in anima nostra vult suscitari. Quemadmodùm enim sensationes externæ dependent à certis motibus, excitatis in organis sensuum externorum; sic imaginationes ita dependent à certis motibus in sensorio communi, seu cerebro excitatis, ut, iis in cerebro excitatis, velimus nolimus, conformis imaginatio sit conjungenda. Et iste est modus, quo fiunt somnia, & quo phantasiam Sanctorum diabolus nonnunquam implet imaginationibus obscœnis, blasphemis, terrificis, &c. 295

4°. suscitando inordinatas passiones: utpote quæ similiter dependent à certa spirituum humorumque commotione, per quam passiones dæmon suscitare potest, quando Deus permittit. Neque enim ipsi deest scientia motuum, isti vel illi passioni correspondentium; neque potentia motus illos excitandi. 296

Ex his intelligi potest 1°. quâ ratione spiritus malus exagitaverit Saül, 1. Reg. 16. 2°. quâ ratione diabolus miserit in cor Judæ Iscariotis, ut Dominum traderet, Joan. 16. 3°. quâ ratione libidinis ardentis passionem excitaverit in corpore Sanctorum Apostoli Pauli, Hilarionis, Benedicti, &c. Non movet tamen diabolus immediatè voluntatem ad malum, sicut Deus movet ad bonum. Nec enim voluntatem immediatè attingere potest, nec ipsius consensum extorquere. Nam, ut pulcherrimè Augustinus serm. 197. de tempore, seu potiùs S. Cæsarius Arelatensis serm. 18. *Venit Christus, & alligavit diabolum. Sed dicet aliquis: si alligatus est, quare tantùm adhuc prævalet? Verum est, quia multùm prævalet; sed tepidis & negligentibus, & Deum in veritate non timentibus dominatur. Alligatus est tanquam canis innexus catenis, & neminem potest mordere, nisi eum qui se illi mortiferâ securitate conjunxerit. Jam videte quàm stultus* 297

est homo ille, quem canis in catena positus mordet? Tu te illi per voluptates & cupiditates sæculi noli conjungere, & ille ad te non præsumet accedere. Latrare potest, sollicitare potest, mordere omninò nisi volentem non potest. Non enim cogendo, sed suadendo nocet, nec extorquet à nobis consensum, sed petit. Quòd si justo subinde judicio Deus ipsi permittat, ut consensum quasi moraliter extorqueat per tentationem fortissimam; non sic tamen ut consentiamus simpliciter inviti, sed volentes, uti de consuetudinariis dictum est.

§. VIII.

Absque execranda blasphemia Deus dici non potest author seu causa peccati.

298 EVomuerunt quidem hanc blasphemiam Lutherus & Calvinus. Sed tam impia & execranda visa est ipsismet hæreticis, ut à Luthero & Calvino hac in parte recesserint peritiores sectatores ipsorum, qui, desuper interrogati, palàm profitentur se horribile dogma illud non sustinere, sed solùm (cum Thomistis) quòd Deus prædeterminet ad materiale peccati.

299 Impium enimverò dogma illud nimis apertè divinis contrarium est Scripturis, quibus Deus Psal. 144. *sanctus prædicatur in omnibus viis suis*: quandoquidem iniquitas repugnet sanctitati, nec sanctitas esse possit causa iniquitatis. Psalmo etiam 5. dicitur, quòd *non Deus volens iniquitatem tu es.* Jacob. 1. *Deus intentator malorum est; ipse autem neminem tentat. Nunquam* etiam *legimus in Scripturis: Non est voluntas nisi à Deo* (inquit Augustinus l. de spir. & litt. c. 31.) *Et rectè non scriptum est, quia verum non est.*

300 Si impius Calvinus objiciat scriptum esse 1°. quòd Deus decreverit ut hoc fieret, quod sine peccato fieri non potuit, v. g. ut Salvator crucifigeretur. 2°. Deum præcepisse Semeï, ut *malediceret David.* 3°. Deum *inducere corda hominum in malum; tradere homines in immunditiam; inducere & suscitare corda hominum ad bella injusta*, &c.

Ad 1. respondeo, Deum decrevisse ut Christus crucifigeretur, passivè, non activè: non enim decrevit Judæorum actionem, quâ Salvatori passio illata fuit. Ita S. Leo serm. 16. de passione, & S. Thomas 1. ad Annibald. dist. 48. a. 4. ad 3. ibi: *Deus, non volendo actionem Judæorum malam, voluit bonam Passionem Christi.* Passio quippe Christi duas habuit causas, unam efficientem, quæ mala fuit, alteram suscipientem & patientem, & ista bona fuit, juxta versum sequentem: *Actio displicuit, passio grata fuit.*

301 Ad 2. respondeo expressione illâ solùm significari, quòd illa maledictio Semeï contigerit divinâ providentiâ, ordinante & disponente, ut per eam mansuetudo David probaretur & coronaretur.

302 Ad 3. respondeo cum S. Thoma q. 3. de malo a. 1. quòd *Deus dicitur inducere*, seu *inclinare voluntates ad malum, non agendo & movendo, sed deserendo, vel non impediendo.* Ita etiam S. Augustinus l. de nat. & grat. c. 23. l. 5. contra Jul. c. 3. Epist. 105. &c. Vel *ad malum dicitur suscitare homines occasionaliter* (ait S. Thomas lect. 3. super c. 9. ad Rom.) *in quantum homini aliquid proponit, vel interiùs, vel exteriùs, quod, quantùm est de se, est inductivum ad bonum; sed homo propter suam malitiam perversè utitur ad malum.* Quod pluribus ibi sacris testimoniis exemplisque ostendit, inductionem occasionalem exponens per instinctum aliquem, de se inclinantem homines ad bonum, quo illi abuntur ad malum. Quem etiam sensum Augustinus sequitur in Psal. 104. ad illa verba: *Convertit cor eorum, ut odirent populum ejus: non* utique *cor illorum malum faciendo* (inquit) *sed populo suo benè faciendo.* Pro eo namque quòd populum suum in Ægypto valdè multiplicavit, & Pharaonem ad regni sui tutelam excitavit; istis beneficiis Pharao, cum suis, abusus est ad invidendum & crudeliter affligendum populum Dei. Videri possunt ista fusiùs 303
declarata in tomo nostro de Deo distinct. 10. q. 2. à num. 124. ad 138. ubi & ostensum est, ad ea loca exponenda necessariam non esse physicam prædeterminationem ad materiale peccati; eamque à S. Thoma non tradi, & à plerisque Thomistis, Alvelda, Aravio, Nazario, &c. rejici, probavimus ibidem q. 3. a. 1. Articulo verò 3. explicavimus, quomodò via infallibilis ad actus malos, independenter à physica illa prædeterminatione, sit per divinam providentiam concessionis, seu permissionis, per quam divina providentia non præparat adminicula necessaria ad non deficiendum, nec impedit concursus & occursus causarum, per quas voluntas procedit in actum peccati. Scit enim Deus quàm promptus sit dæmon ad tentandum, dum non impeditur, & quàm prona sit dispositio nostra ad malum, quæ etiam concausæ voluntatem sic dispositam ad malum impulsuræ sint; scit denique infirmitatem nostram esse tantam, ut tot inter tentationes infallibiliter defectura sit, si in talibus & talibus circumstantiis, concausarumque occursibus & concursibus derelinquatur auxilio divino destituta. Dum ergo justo judicio nos talibus in circumstantiis derelinquere statuit, scit peccatum nostrum infallibiliter secuturum. Et hoc modo tradere dicitur homines in reprobum sensum, in passiones ignominiæ, &c.

CAPUT XXIX.

Occasiones peccatorum proximæ & remotæ.

QUàm necessaria sit Confessariis exacta no- 304
titia occasionum à pœnitentibus fugiendarum, curaque magna ipsos ad id inducendi, satis constat ex eo quòd S. Carolus Bor-

romæus Instruct. Pastor. p. 2. c. 17. testetur, Confessariorum hac in parte incuriam, *maximam præbere causam, cur in omnibus fere opificiis & exercitationibus publicis peccata gravissima inveniantur, & abusus intolerabiles*, ita ut si Confessarius *majorem in examinando posuerit industriam, inventurus sit magno numero, qui omnem ferè vitam in peccatis mortalibus duxerint, & multos qui nunquam Sacramento pœnitentiæ, prout oportet, sua peccata expiarint.* Hactenùs S. Carolus, à cujus vestigiis si plerique Recentiores Casuistæ procul non recessissent, laxitates tam exorbitantes hac in materia, sicut & in aliis multis, non tradidissent. Verè enim S. Carolus, velut luminare majus, verique animarum Pastoris exemplar, *per Mediolanensem Ecclesiam toti præluxit Orbi*, Instructionesque ipsius ad Pastores de purioribus haustæ fontibus sanæ doctrinæ, cælestique sapientiâ plenæ (teste Innocentio XII.) sunt *aurea Regula*, quam qui sequuntur, *veram solidamque doctrinam* sequuntur, non in novellis opinionibus fundatam, sed in *sensu & praxi sanctorum Patrum, quos cælesti Deus clarificavit lumine, ad directionem plebis christianæ.* Testimonium istud Innocentii XII. videri potest in epistola ipsius in Urbe Vicarii, Eminentiss. D. Cardinalis Carpegna ad RR. Confessarios urbis Romæ, districtûsque ipsius, de initio anni 1700. Episcopi quoque Galliarum die 1. Februarii 1657. in solemni illo & frequenti totius Cleri Gallicani Conventu, easdem S. Caroli Instructiones, Cleri sumptibus imprimi jusserunt, *ut omnes Galliæ Diœceses pervaderent, & grassantes ad Evangelicæ morum institutionis perniciem novarum opinionum labes, oppositio velut obice coërcerent.*

305 Ideò propositum nobis est S. Caroli de peccatorum occasionibus doctrinæ insistere. Per occasionem itaque peccati mortalis S. Carolus illud omne intelligit, quod causam nobis præbet mortaliter peccandi: verba ipsius sunt: *Sub occasionem peccati mortalis omne illud cadit, quod peccandi mortaliter causam subministrat.*

306 Dividi solet in occasionem remotam & proximam. Proxima, ut posteà dicemus, est illa in qua homo verisimiliter seu probabiliter est peccaturus, sive quæ affert morale seu probabile periculum peccati. Remota, quæ non affert nisi periculum physicum.

307 Proxima subdividitur in occasionem proximam per se, & per accidens. Per se proxima est quæ per se absolutè sic nata est inducere in peccatum, ut, attentâ communi fragilitate hominum, probabiliter timeatur hominem in ea peccaturum. Proxima per accidens illa est, quæ absolutè nata non est inducere homines in peccatum, probabiliter tamen timetur inductura hunc, vel illum, attentâ speciali fragilitate ipsius.

308 Porrò non solùm occasio proxima per se vitanda est, sed & occasio per accidens: cùm enim ratio vitandi sit morale periculum peccandi; æquè ista vitanda est ac illa, si afferat periculum æquale; imò magis, si majus.

309 Et proximam quidem peccati mortalis occasionem voluntariam esse vitandam, uno omnes ore admittunt, si modum loquendi spectes. At plurimùm falleris, si propterea existimes, unanimem esse circa obligationem occasiones proximas vitandi doctrinam. Nam doctrina S. Caroli, aliorumque Sanctorum, toto cælo distat à doctrina plurium Casuistarum, præcipuè in duobus. Primum est, quòd hi solam eam occasionem proximam appellent, quæ semper aut ferè semper, aut certè frequentiùs pertrahit in mortale peccatum, quàm non pertrahat. Secundum est, quòd Casuistæ illi solam eam occasionem censeant voluntariam, quæ absque gravi incommodo potest deseri; eam verò involuntariam dicant, quæ non potest deseri absque gravi incommodo, v. g. jactura, infamia, &c. Ita Franciscus Jacops, è Societate Jesu S. Th. Duaci Professor, in q. Theologica, *an & quando neganda sit, aut differenda absolutio.* Cujus doctrinam innumeri penè Casuistæ, Hispani, Germani, Belgæ, &c. ab ipso relati probarunt. Ne ipsis quidquam imponere videar, propriis ipsorum verbis propositum est exhibere sententias ipsorum, non animo ipsis insultandi, sed ut cordatus lector videat, quàm parum fidendum sit plerisque Casuistis, in materia morum, quàmque meritò ipsorum placitis anteponenda sit Theologia Sanctorum.

§. I.

Exhibetur sententia plurium Casuistarum de occasionibus proximis & remotis, voluntariis & involuntariis, necessariò vitandis & non vitandis.

310 IGitur *occasionem remotam* Casuistæ *communissimè vocant omnem quæ proxima non sit*, ait P. à Burgundia, seu Author praxis solidæ sect. 1. n. 1. Proxima verò (inquit) juxta Caramuelem illa sola dicitur, *in qua certò moraliter.* Juxta Navarrum.... Lessium.... Aversam.... Gobat.... *in qua semper, vel ferè semper.* Juxta Oviedum, Palaum, Stephanum à S. Paulo, Antonium à S. Spiritu.... *in qua plerùmque, seu ordinariè.* Juxta Suarez, aliosque mox citandos, *in qua frequenter homo labitur in mortale.*

311 Distinctiùs Suarez.... Thomas Sanchez.... Franciscus à Jesu Maria.... Tamburinus.... Herinx.... Moya.... Palao.... approbantibus Lugo.... Bosco.... aliisque, proximam dicunt illam solàm, *quæ talis ex genere suo est, ut frequenter homines similis conditionis ad mortale inducat; vel constet in hoc homine talem effectum habere.* Hactenùs Author praxis solidæ, veriùs non solidæ. Per consequens occasio remota est, juxta Caramuelem, *in qua non certò moraliter.* Juxta Navarrum, &c. *in qua non semper, vel ferè semper.* Juxta Oviedum, &c. *in qua non plerùmque, seu ordinariè.*

Juxta

311 Juxta Suarez, &c. *in qua non frequenter peccatur*. Unde Baunius in Summa Gallica pag. 1082. occasionem, *in qua quis bis aut iterùm singulis mensibus peccat cum famula sua*, proximam esse non censet, sed remotam. Et ideò pag. 1089. censet dominum & ancillam necessariò sejungendos non esse, si lapsus ipsorum frequentes & penè quotidiani non sint, sed rariores, *ut semel & iterùm singulis mensibus, nec ab invicem disjungi sine gravi detrimento & incommodo possint*. Imò pag. 1083. & 1084. *Etiamsi* (inquit) *peccandi occasio sit quasi certa, non est necessariò deserenda, si pœnitens eam deserere non possit, quin sermonem populo det, & incommodi aliquid accipiat. Quia præceptum deserendi non obligat in casu talis necessitatis.*

Dicastillo etiam tr. 8. de pœnit. disp. 10. dub. 23. *Quando* (inquit) *justæ & rationabiles causæ non tollendi prædictam occasionem*, proximam, *subsistunt*, etiamsi sæpè reincidat pœnitens, non cogendus est illam tollere *occasionem*, v. g. dum tolli non potest absque gravi damno in fama, vel pecunia. Istam quippe causam justam censet ipse cum Suarez, Sanchez, Salas, Palao, Lugo, &c.

312 Plus ultrà progressus Caramuel in Theologia sua regulari num.... postquam tono magistrali dixit: *Periculum, ut censeatur proximum, debet esse evidens physicè, aut moraliter. Si enim tantùm sit probabile, periculum morale non est: nam probabiliter etiam censere poteris periculum nullum subesse. Rationes evidentes assensum prædeterminant; si sint merè probabiles, mentem non cogunt; sed opinio eligenda committitur optioni voluntatis.* Hinc

313 Deducit, quòd *si iveris ad talem domum decies, & quinquies peccaveris, & quinquies non peccaveris; est probabile, si revertaris, te peccaturum esse; & æquè probabile, te non peccaturum esse. Ergo non est periculum proximum.*

314 *Si octies iveris, & septies peccaveris, & semel non peccaveris; est probabilius, te peccaturum esse; est tamen probabile te non peccaturum esse. Ratio est, quia octava pars est gravis, &, si septem lapsus te condemnant, constantia, quam semel habuisti, contra septem lapsus, dat gravem authoritatem, facitque opinionem probabilem.*

315 *Si novies iveris, & octies fueris lapsus, scias te exponi periculo proximo, si revertaris: quia nona pars non est gravis authoritatis; & ideò improbabile est, te, datâ occasione, restiturum esse; ac per consequens est moraliter evidens, hoc est certum, te, si eò redeas, miserrimè peccaturum....*

316 *Quid si mutentur circumstantiæ? tollitur periculum proximum, si non possit judicium sumi ab experientia: puta, si octies solus iveris ad domum talem, & semper fueris lapsus; & velis eò reverti cum socio prudenti & modesto; credo jam te non exponi evidenti & proximo periculo. Quoniam qui certò moraliter scies te peccaturum esse, si solus ires, nondum certò nosti, quid sis facturus præsente tali socio; & ideò, quoadusque experiaris, pro te ferre favorabilem sententiam potes.*

Posteà sequentem ponit casum: *Petrus v. g.* 317 *tenetur graviter ire ad talem locum, audire confessiones, alicui feminæ mederi, aut aliquam similem actionem agere, quam omittere non potest sine culpa mortali, puta, quia est voto aut juramento obstrictus, vel præcepto legitimo obligatus, examinat experientiam, & reperit esse periculum proximum consentiendi in mollitiem. Hoc periculum non evadet, si conducat socium: nam actus merè internos præsentium reverentia non cohibet. Quid igitur facturus est? An tenebitur ex causa necessaria se credere periculo formali?* Respondet: *In casu posito teneris ire ad talem locum, in quo est periculum proximum, & teneris non te credere tali periculo. Quoniam utrumque simul potes facere, si addas voluntatem non peccandi, quam anteà non habueras; aut saltem intensiorem, si antè remissam habueris: efficis enim quòd non sit proximum periculum, ubi antè fuit. Et ideò illam actionem non solùm potes, sed & teneris facere.*

Per hæc *lux* (inquit) *obscurissimis difficultatibus.* 318 Imò per hæc *tenebræ lucidissimis veritatibus.* Evidenti namque veritati usque adeò adversantur illæ ipsius resolutiones, ut nesciam quid in ipso potiùs sit stupendum, an supina cæcitas, in dandis resolutionibus divinæ Scripturæ, Traditioni, rectæque rationi tam manifestè repugnantibus? An plectenda temeritas, tam audacter, tamque leviter resolvendi res tam periculosas, absque ullo prorsus fundamento in germanis Ethices Christianæ fontibus. Si enim *omnis quæstio, in qua de peccato mortali agitur, nisi expresè veritas habeatur, periculosè determinatur*, uti S. Thomas ait quodlib. 9. a. 15. quantò magis periculosè determinatur, ubi determinatio sequacem exponit periculo infinitorum mortalium, & contra eam habetur expressè veritas divinæ Scripturæ, Traditionis & rationis, prout ex dicendis apparebit? Sit itaque

§. II.

Ex divina Scriptura demonstratur exorbitantiæ opinionum illarum.

NOn magnoperè referret, quam Recen- 319
tioribus Casuistis vocare lubeat occasionem proximam, quam remotam, si dum remotam vocant occasionem omnem, quæ proxima non est, id est, quæ non est ejusmodi, ut eâ nunquam, vel ferè nunquam, vel certè non frequentiùs, vel non frequenter, consideratis circumstantiis, homo utatur, absque novo peccato; adeòque remotam nonnulli ex ipsis appellant, in qua probabiliùs, alii in qua probabiliter timetur quispiam peccaturus: si (inquam) dum remotam ipsi occasionem usque adeò extendunt, vitandæ occasionis obligationem ad solam occasionem proximam

non restringerent, sed quasdam etiam occasiones remotas, probabile utique peccati mortalis periculum afferentes, vitandas assererent.

320 Verùm non satis christiana videtur doctrina ipsorum in duobus. Primò in eo quòd asserunt, deserendam non esse occasionem, in qua frequenter quis peccat, modò non frequentiùs; imò (ut nonnullis placet) nec eam in qua frequentiùs, modò non semper, vel ferè semper peccet. Secundò, eum qui versatur in occasione proxima, in qua semper, vel ferè semper, vel certè frequentiùs peccat, non teneri eam abjicere, licèt possit quidem, sed non absque gravi jactura famæ, honoris, vel pecuniæ; eò quòd talem occasionem voluntariam non censeant, sed involuntariam.

321 Quis Christianus tantam non abhorreat laxitatem? Quis non rejiciat exoticam novitatem? Novitatem voco: non sic enim majores nostri, seu antiqui Doctores, qui non solam illam occasionem sub gravi culpa vitandam censuerunt, in qua moraliter certò, sed & illam in qua verisimiliter, seu probabiliter quispiam pertrahendus est in mortale peccatum, uti videre est in S. Thoma, S. Carolo Borromæo, Sylvestro, Adriano VI. Toleto, &c. Siquidem S. Thomas 2. 2. q. 10. a. 9. *Infirmi* (inquit) *in fide, de quorum salute probabiliter timeri potest* (nota benè) *prohibendi sunt ab infidelium communione.* S. Carolus Borromæus Instruct. Pastor. p. 2. postquam in fine cap. 15. dixit, absolvendos non esse, qui peccatorum mortalium occasiones vitare non proponunt. Cap. 16. occasiones necessariò vitandas explicans: *Sub occasionem peccati mortalis* (inquit) *omne illud cadit, quod peccandi mortaliter causam subministrat, eò quod.... vel per se ad peccandum inducat; vel ejus occasione confitens, usque adeò ad peccatum allicitur, ut certè Confessarius metuere possit, quòd, ex perverso, quem diù induit, habitu, impostèrùm non magis abstinebit, quàm priùs, à peccato, si in iisdem occasionibus versetur.* Quod cap. 17. exponit de metu probabili, dum, explicans occasiones per accidens, *quæ videlicet ex conditione peccantium sumuntur*, eas esse dicit, *ea facta, quæ, etiamsi per se licent, tamen probabiliter timetur, ne is qui confitetur, in eadem ipsa, quæ olim admisit, peccata relapsurus sit.*

Sylvester verbo *chorea* docet, choreas sub mortali vitandas; eò quòd præbeant *probabile periculum* perditionis animæ, suæ vel alterius. Adrianus VI. in 4. agens de clavibus Ecclesiæ: *Fateor* (inquit) *quòd non licet Sacerdoti facilè judicare, confitentem dignum esse sacramentali absolutione. Quoniam offensas in Deum commissas non absque magna discretione, & sine pœnitentia dimittere non possumus. Debet ad minus in pœnitente cognoscere magnum dolorem de peccatis præteritis, & firmum propositum cavendi in futurum. Quo includitur propositum rejiciendi à se omnem occasionem, unde verisimiliter ad mortalem culpam sit pertrahendus.*

Toletus l. 3. c. 18. *Probabiles occasiones peccandi sunt omninò extirpandæ.* Sic alii quoque veteres passim. Et meritò: quia peccatum eo ipso imputatur, tamquam voluntarium in causa, quo voluntariè ponitur causa, ex qua probabiliter cognoscitur, vel cognosci debet secuturum, ut constat ex cap. ult. de injuriis, ubi Gregorius IX. docet, probabile periculum sufficere ad imputationem homicidii: *nec ignorantia te excusat, si scire debuisti ex facto tuo injuriam verisimiliter*, id est probabiliter, *posse contingere.*

Exoticam autem novitatem ideò voco, quia 322
prorsus exorbitans est, seu extranea à Regulis Evangelicis, sanctorumque Patrum, & Ecclesiæ doctrinâ.

Extraneam esse à doctrina SS. Patrum, & Ecclesiæ, §. 3. & 4. demonstrabitur.

Extraneam esse ab Evangelicis Regulis, de- 323
monstratur 1°. quia Regulâ Evangelicâ jubemur Deum super omnia diligere, etiam plusquàm patrem & matrem, plusquàm uxorem & filios, plusquàm animam, seu vitam propriam. At qui probabili se periculo peccati mortalis exponit, ne famam perdat, vel honorem temporalem, vel pecuniam, v. g. 20. 30. 40. 50. vel 100. aureos, vel ducentos, plus diligit famam suam, vel honorem, vel pecuniam illam, quàm Deum. Plus enim diligit famam suam, vel pecuniam, quàm Deum, qui probabili se periculo exponit amittendi Deum, ne amittat famam, vel pecuniam. Id enim plus diligit, quod magis in tuto ponere satagit. Ipse verò magis satagit in tuto ponere famam suam, vel pecuniam, quàm Deum, seu gratiam amicitiamque ipsius: cùm in tuto ponere omittat gratiam amicitiamque divinam, ut in tuto ponat (sicut ipse putat, vel putare se fingit) famam, vel pecuniam suam.

Et confirmatur 1°. quia quanti rem ali- 324
quam faciamus, intelligitur, cùm eam in tuto ponere cupimus: nunquam enim vir sapiens rem summè charam probabili amissionis periculo exponit, pro re infimè chara; nec vitam & animam suam probabili amissionis periculo exponit pro falsa mundi gloria, nisi qui falsam mundi gloriam plus amat quàm vitam & animam suam. Quemadmodùm ergo falsam mundi gloriam magis amare convincitur, quàm vitam & animam suam, qui ne careat falsâ mundi gloriâ, vitam & animam suam probabili exponit periculo (uti de duellantibus docent omnes qui christianè docent) sic famam suam, vel pecuniam, vel delectationem suam plusquàm Deum amare convincitur, qui ne careat famâ, vel pecuniâ, vel delectatione, probabili se periculo exponit amittendi Deum.

Confirmatur 2°. quia quisquis Deum sum- 325
mè amat, summè cavet ne Deum amittat. Atqui hoc summè non cavet, qui ne careat bono infinities viliori, probabili se periculo exponit amittendi bonum illud infinities ma-

jus.

jus. Quomodò ergo Deum, ſummum & infinitum bonum ſuum ſummè diligit? Quomodò bonum infinities majus ſummè diligit, qui magis curat ne bonum infinities minus amittat, quàm ne amittat bonum infinities majus?

Exponuntur quidem aliquando res valdè charæ alicui periculo; ſed nunquam prudenter, nunquam ſalvo amoris ordine, niſi dum inde ſperatur bonum aliquod majus, vel ſaltem æquale ei quod exponitur. Nullum verò ſperari poteſt bonum majus, vel æquale Deo. Pro nullo igitur alio bono ſperato, Deus, ſeu gratia & amicitia ipſius, prudenter, & ſalvo amoris ordine, probabili exponitur amiſſionis periculo.

Jam verò ſi famam vel pecuniam pluſquàm Deum amare convincitur, qui probabili ſe periculo exponit amittendi Deum, ne amittat famam, &c. quantò magis qui propterea probabiliori ſe periculo exponit Deum amittendi? Recolatur quod dixi, nimirùm quòd magnitudo affectûs appretiativi erga rem aliquam intelligatur, cùm eam in tuto ponere cupimus. Si enim illa nobis chariſſima ſit, quantò probabilius eſt illius amittendæ periculum, tantò majori pretio conſulimus ejus incolumitati. Si enim v. g. rem ducentis aureis æſtimemus, & æqualis probabilitatis ſint ejus amittendæ timor, & ſpes conſervandæ, centum aureos, pro aſſecuratione ipſius, dabimus aſſecuranti.

Si ſupra quinquaginta aureos pro ejus aſſecuratione dare nolimus, argumentum certiſſimum eſt, nos rem centum dumtaxat aureis æſtimare. Eademque ſervatur proportio in omnibus contractibus, quos aſſecurationes vocant, ait doctiſſimus vir Antonius Charlas in diſput. Theol. de opinionum delectu c. 9. Minùs ergo Deum facimus, quàm rem 100. vel 200. aureis æſtimatam, ſi periculum amittendi Deum, probabilius ſpe non amittendi, redimere nolimus jacturâ 50. vel 100. aureorum.

326 Demonſtratur 2°. quia lex Evangelica jubet nos renuntiare omnibus bonis creatis, ſive omnia abjicere potiùs, quàm amittamus Deum, vel probabili probabiliorivè periculo Deum amittendi ob temporalia bona nos committamus. Hoc eſt enim quod Luc. 14. edocemur: *Quis Rex, iturus committere bellum adverſus alium Regem, non ſedens priùs cogitat, ſi poſſit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad ſe? Alioquin adhuc illo longè agente, legationem mittens, rogat ea quæ pacis ſunt. Sic ergo omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Quippe perinde eſt ac ſi dicat: diſcipulus meus non minùs eſſe debet providus, ne perdat me, quàm Rex pugnaturus adverſus alium Regem, ne ei ſuccumbat. Quemadmodùm ergo Rex providus, adverſus alium Regem pugnaturus, ſi omnibus penſatis, videat alium ſe eſſe fortiorem, ideòque periculum magnum eſſe, ne ei ſuccumbat, dimittit conſilium pugnandi adverſus eum, miſsâque legatione, rogans ea quæ pacis ſunt, periculum illud vitat, ſi poteſt, maximè ſi probabilius ſit, quàm ſpes vincendi. Sic providus diſcipulus meus, ſpe magni lucri temporalis, occaſionem aliquam peccati aditurus, ſi penſatis omnibus, videat diabolum in iſta occaſione ſe fortiorem, ideòque periculum magnum eſſe ne in ea ipſi ſuccumbat, dimittit conſilium adeundi illam occaſionem, lucrumque ſperatum, imò omnia potiùs temporalia bona ſua abjicit, quàm eî ſe periculo committat, maximè ſi probabilius ſit, quàm ſpes lucri. Aliàs non eſt nec eſſe poteſt verus diſcipulus meus.

Demonſtratur 3°. ex Matth. 5. & 18. ubi 327
Chriſtus, ſubinterminatione gehennæ infernalis, dicit: *Si oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te.* Et, *ſi dextera manus tua ſcandalizat te, abſcinde eam, & projice abs te.* Quod & de dextro dicit pede. Atqui per dextrum oculum, manum, pedem, Salvator non intelligit membra illa corporis noſtri: utpote quæ abſcindi, quinto prohibet Decalogi præcepto. Intelligit ergo perſonas, nobis tam charas, tamque utiles & neceſſarias, ac ſunt dexter oculus noſter, manus, pes, &c. Sic enim verba illa Evangelica unanimiter intelligunt SS. Patres, uti videbitur §. ſequenti. Eruenda igitur, projicienda, abſcindenda, non obſtante quâcumque tali neceſſitate, eſt talis perſona, ſi nos ſcandalizet, id eſt, ſi acceſſus ad illam nobis ſit cauſa moralis peccati mortalis.

Demonſtratur 4°. ex Evangelica alia ſen- 328
tentia: *Quid prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur; animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua?* Matth. 16. Per eam namque Salvator docet, ſalutem animæ præferendam lucro totius mundi, pro nihiloque habendam totius mundi jacturam, jacturæ animæ comparatam. Denique ad nihil utile eſſe totius mundi lucrum, cum animæ detrimento conjunctum. Ergo docet faciendam potiùs jacturam totius mundi, quàm jacturam animæ ſuæ; deſerendam proinde occaſionem, in qua animæ ſalus moraliter periclitatur, etiamſi occaſio illa nobis afferret lucrum totius mundi. Si enim animam in ea perire contingat, nihil proderit totius mundi lucrum, nec recompenſabit animæ jacturam. Vult ergo Salvator omnes conſiderationes temporales floccifaciendas, potiùs quàm noſtra periclitetur æternitas, & pro totius mundi lucro neminem committere ſe debere probabili periculo damnationis æternæ.

Demonſtratur 5°. ex celebri regula, quam 329
Spiritus ſanctus tradit Eccli. 3. *Qui amat periculum, peribit in illo.* Atqui periculum amat peccati mortalis, qui ſciens & volens illud eligit. Neque enim electio iſta ſine amore fit. Et quamvis periculum iſtud non amet nec eligat propter ſe; amat tamen propter conſiderationem temporalem ſupradictam, vel famæ, vel pecuniæ; & amat tantò damnabiliùs,

quantò verius, quòd consideratione istam postponere deberet periculo perdendi animam suam per mortale peccatum, ut ex præmissis est manifestum. Amat (inquam) & valdè damnabiliter amat, dum mavult periculum istud suscipere, quàm temporali illo bono carere; cùm tamen mundum potiùs universum amittere deberet, quàm periculo isti se committere: id namque ordo postulat amoris, quo quisque tenetur animæ salutem magis diligere, quàm mundum universum; diligerèque mandata Dei *super aurum & topazion*, & gloriam Dei magis quàm gloriam hominum.

330 Aberrant igitur à veritate, qui dicunt voluntarium non esse periculum peccati mortalis, quod non suscipitur nisi ad vitandam jacturam notabilem famæ vel pecuniæ. Cùm evidens sit, voluntarium esse, quod voluntariè suscipitur, & eligitur; cùm subeunda potiùs foret jactura illa, quàm probabile peccati mortalis periculum suscipiendum. Aliàs simili errore involuntaria priscis Christianis dici potuisset thurificatio idolorum, in quam non consentiebant, nisi ad vitandam crudelem mortem, vel immania tormenta, vel jacturam bonorum & honorum omnium. Involuntaria quoque dici posset concubinario retentio concubinæ, dum eam dimittere non posset absque gravi incommodo vel damno temporali. Involuntaria retentio dextri oculi, manûs, vel pedis scandalizantis: quia erui, abscindi, & projici non posset absque gravi jactura boni valdè necessarii. Involuntarium periculum contrahendæ pestis & mortis corporalis, dum non aditur nisi ad consequendum notabile bonum temporale, v. g. pingue testamentum ab infirmo peste laborante, &c.

331 Perpendatur jam ratio cur thurificatio illa, sicut & concubinæ ac dextri oculi, &c. retentio, & aditio periculi contrahendæ pestis, seu mortis corporalis, dici nequeant involuntariæ, sed verissimè & propriissimè sint voluntariæ? Alia certè non est, nisi quia ex inordinato amore vitæ, vel immunitatis à tormentis, thurificatio illa à scientibus & volentibus electa fuit, dum secundùm ordinem amoris, potiùs eligere debuissent mortem & tormenta illa, quàm idolis contra Dei legem thurificare. Et idem est pariformiter de concubinario, & adeunte domum pestiferam, &c. Atqui similiter periculum probabile peccati mortalis, ad vitandam jacturam boni temporalis, à sciente & volente eligitur, ex inordinato amore istius boni temporalis, dum secundùm ordinem amoris potiùs eligere quis deberet jacturam illius, quàm adire probabile periculum peccati mortalis ad vitandam jacturam istam. Ergo electio ista non minùs est verissimè & propriissimè voluntaria, nec magis dici potest involuntaria, quàm illa.

332 Et ampliùs declaratur alio simili: supponatur quispiam constitutus in occasione, quam deserere nequeat sine jactura mille aureorum, nec eam retinere sine probabili, vel etiam probabiliori periculo jacturæ centum millium aureorum; si eam retineat ad vitandam jacturam mille aureorum, nullum est dubium, quin prorsus voluntariè retineat, quia sciens & volens retinet, ex inordinato mille aureorum amore, dum potiùs amittere deberet mille aureos, quàm committere se probabili, vel probabiliori periculo amittendi centum millia aureorum. Estne Christianus, cui dubium esse potest, simile esse in nostro casu, in quo agitur de occasione, quam quis supponitur deserere non posse sine jactura v. g. 100. aureorum, nec retinere sine probabili, vel etiam probabiliori periculo jacturæ animæ suæ, quæ judicio Salvatoris valet incomparabiliter plusquàm centum millia aureorum, imò plusquàm omne aurum & argentum, temporaliaque omnia mundi universi? Si ergo certissimum est quòd prior ille prorsus voluntariè retineat occasionem ex amore prorsus inordinato mille aureorum; à fortiori certissimum est quòd posterior omninò voluntariè eam retineat ex amore adhuc magis inordinato centum aureorum.

Quid plura? si occasionem illam retinere 333
non posset sine valdè probabili periculo amissionis oculorum, manuum, & pedum suorum, vel etiam amissionis vitæ suæ, haud dubiè mallet occasionem illam abjicere cum jactura centum aureorum, quàm retinere cum valdè probabili periculo amissionis oculorum, &c. & si cum periculo isto retineret, stultissimè & planè voluntariè retineret. Ergo similiter in casu nostro.

Reflectant igitur Adversarii ad veritatem in 334
Evangelio certissimam, quòd assecurare se contra probabile periculum amittendi Deum, cælum, & animam suam, incomparabiliter majoris æstimationis esse debeat, quàm valor centum, vel etiam mille, aut centum millium aureorum; sicut & assecurare se contra probabile periculum amittendi oculos, manus, pedes, & vitam ipsam, incomparabiliter majoris æstimationis esse debet, quàm valor centum aureorum, &c. Per consequens æquè vel magis fatuum inordinatumque esse, velle perdere assecurationem illam, quàm istam pro centum aureis. Si sapiens mercator, ubi æquale periculum est amittendi rem ducentis aureis æstimatam, & spes conservandi, libenter dimittere debet 100. aureos pro ejus assecuratione, eosque dare assecuranti, ut dictum est num. 325. Quantò magis sapiens Christianus, ubi æquale periculum est amittendi, spesque non amittendi Deum & animam suam, dimittere debet centum aureos pro ejus assecuratione? Et si hoc, ubi æqualis est probabilitas periculi ac spei; quantò magis, ubi major est probabilitas periculi, quàm spei?

Demonstratur 6°. ex Eccli. 21. 2. *Quasi* 335
à facie colubri fuge peccata, id est, fuge periculum mortis animæ per peccatum, eâ saltem sollicitudine, quâ fugis periculum mortis corporis per colubrum, seu serpentem:

cùm periculum mortis animæ æquè, imò longè magis fugiendum sit, quàm periculum mortis corporis, utpote periculum mali incomparabiliter majoris. Sed contra prudentiam & amoris ordinem peccaret, qui pro non amittendis 20. 30. 50. vel 100. aureis, exponeret se probabili, vel probabiliori periculo mortis corporalis per serpentem. Igitur à fortiori & qui pro iis non amittendis exponeret se probabili, vel probabiliori periculo mortis animæ per peccatum.

336 Nec dicas cum Casuistis suprà relatis, esse disparitatem inter periculum mortis corporalis & spiritualis. 1°. quòd mors corporis, dum semel incurritur, sit irreparabilis; mors verò spiritualis reparabilis sit per pœnitentiam. 2°. quòd sit in potestate hominis constituti in probabili, vel etiam probabiliori periculo mortis spiritualis, seu peccati mortalis, non peccare, possitque, præmuniendo se novo proposito, & spe in Deum, confidere se cum divina gratia non peccaturum; in potestate verò hominis constituti in probabili, vel probabiliori periculo mortis corporalis, non sit mortem corporalem effugere, si incidat in dentes serpentis. Ne (inquam) id dicas: quia neutra disparitas est satis christiana.

337 Non prima: tum quia probabile periculum mortis spiritualis animæ per peccatum mortale, licèt reparabilis per pœnitentiam, majus malum est, magis proinde fugiendum, quàm probabile periculum mortis corporalis, licèt irreparabilis; quemadmodùm certum periculum mortis spiritualis, per pœnitentiam reparabilis, majus malum est, magisque fugiendum, quàm certum periculum mortis corporalis, licèt irreparabilis, ut constat ex præmissis, necnon ex eo quòd certam mortem corporalem, imò mille corporales mortes subire teneamur, potiùs quàm semel peccando incurrere mortem spiritualem. Tum quia mors animæ spiritualis non est reparabilis per vires naturales humanæ voluntatis, sed per efficacem Dei gratiam & misericordiam dumtaxat. Hanc autem sperare quidem potest, qui cum metu & tremore salutem suam operatur, Deoque servit in timore: juxta illud Philipp. 2. *Cum metu & tremore vestram salutem operamini; Deus est enim qui operatur in vobis & velle, & perficere, pro bona voluntate.* Et Psal. 2. *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore: nequando irascatur Dominus, & pereatis de via justa.* Temerariè verò sperat, qui adeò temerarius est, ut non refugiat probabilia, vel etiam probabiliora pericula mortaliter peccandi. Quia facto ostendit se cum metu & tremore salutem suam non operari; sibi proinde temerè promittit gratiam efficacem Dei, nec tam sperat in Deo, quàm Deum tentat: juxta illud Augustini lib. 16. de Civit. Dei c. 19. *Qui periculum, quantùm caveri potest, non cavet, magis tentat Deum, quàm speret in Deo.* Imò præsumit de misericordia Dei, adeòque peccat in Spiritum sanctum. In vanum verò præsumit & sperat: quia, ut sapienter monet Cyprianus, seu (ut verius aliqui) Origenes in l. de singularitate Clericorum: *homines sumus, fragilitatem nostram carne portamus.... accipimus quidem fortitudinem spiritualem, per quam substantiæ nostræ fragilitas roboratur. Sed ita nobis spiritualis fortitudo collata est, ut providos, non ut præcipites tueatur.... nec ut voluntarios, & pronos in adversa confortet, sed ut ab adversis nitentes separari, confirmet. Nam... juvamen Spiritûs sancti.... non protegit eum, quin imò deserit, quem periculis irruentem.... agnoverit; sicut ipse jam tunc per Salomonem locutus est, dicens: Amans periculum, in ipso periet. Ordine suo igitur, non nostro arbitrio, virtus sancti Spiritûs ministratur, & secundùm institutum ejus* (secundùm Evangelicas Regulas suprà allegatas) *prælia prosperantur*, non secundùm humanam voluntatem, istis se regulis non conformantem. Itaque, ut pari gravitate in principio dixerat, *lubrica spes est, quæ inter fomenta peccati salvari se sperat. Incerta victoria est, inter hostilia arma pugnare.... verendum est dormienti in ripa, ne cadat; cùm dicat Apostolus: Qui se putat stare, videat ne cadat. In hac parte expedit plus bene timere, quàm malè fidere. Et utilius est infirmum se homo cognoscat, ut fortis existat, quam fortis videri velit, & infirmus emergat. De qua re præsumptores objurgat Apostolus dicens: Siquis putat se aliquid esse, cum nihil sit, seipsum implanat. Pro certo implanator proprius suam animam decipit, qui non cavendo contraria, noxiis rebus semetipse commiserit. Ille autem tutiùs sibi consulit, qui circa malos semper infidus, species quascumque noxias extimescit; quorum distantiam Salomon differuit dicens: Sapiens timendo declinabit ab omni malo; insipiens autem, confidens sui, miscetur iniquo. Magnum sapientiæ divinæ consilium inventum est, ubi timoris auxilio liberemur. Magna compendia providentiæ, ut aliquando fiat virtus & victoria per timorem.*

Atque ex his secunda disparitas funditùs cor- 338
ruit, & ostenditur non satis christiana, imò prorsus illusoria. Primò namque in potestate hominis, se constituentis in probabili, vel probabiliori periculo peccati mortalis, non est non peccare, in sensu composito: quia eo ipso quo ei se periculo voluntariè committit, peccat contra divinas utriusque Testamenti Regulas, à num. 322. usque ad numerum præsentem commemoratas, sicut & contra omnia Decalogi præcepta, quorum violandorum probabili se periculo committit. Nam v. g. præcepto unum Deum adorandi, præcepto *non occides*, præcepto *non mœchaberis*, &c. respectivè quisque prohibetur voluntariè se committere probabili periculo adorandi idola, occidendi, mœchandi, &c. Maximè cùm mandet Deus, *mandata sua custodiri nimis*, id est, maximâ sollicitudine cavendo ne aliquod eorum violetur. Quod profectò maximâ sollicitudine non cavet, qui probabili, vel etiam

probabiliori ea violandi periculo voluntariè se committit, sub prætextu necessitatis alicujus temporalis, quam isti periculo postponere deberet. Secundò, licèt in potestate hominis sit vitare novum peccatum, cujus periculo se committit; quia liberè illud committet: committet equidem, & stultè sibi promittit se non commissurum. Nam, ut benè Paulus Segneri in suo Homine Christiano p. 3. discursu 15. mira est stultitia hominum, qui ne tentati quidem & illecti, suâmet libidine non semel peccatis se inquinarunt, præsumunt nihilominùs mediis in tentationibus & periculis voluntariis victoriam sibi polliceri. Imponit istis hominibus, tum noxia Casuistarum opinio quam impugnamus: Tum sua ipsorum cupiditas; quæ dum ægrè admodùm à rebus amatis avellitur, illud facilè ut verum probat, quod ab ipsis sperari posse illa Casuistica adulatio persuadet. Tum denique dæmon, qui, cùm probè norit eâ se fraude majorem ac certiorem animarum stragem agere, in eam incautos homines impellens, hoc probabilium periculorum rete quâ potest industriâ tegit, periculum elevans, ut prædas augeat, immittensque seu promittens securitatem, ut immittat perditionem. Unde homines Casuisticâ adulatione, simulque diabolicâ illâ fraude decepti, dum de periculo monentur, perinde ac si cedri essent, omnis corruptionis expertes, nonnunquam respondent: *Nullum est periculum: redibo ad illas ædes, sed non redibo ad flagitium.* Itane nullum periculum? Et quo tandem cælesti tibicine hæc vestra non peccandi spes nititur? vel utique divinæ gratiæ ope, aut vestræ voluntatis fortitudine. At quàm infirmum sit fulcrum opis divinæ in periculo adfuturæ, num. præcedenti ostendimus. Subministraret quidem Deus gratiæ suæ opem, si attenderetis rationibus & regulis, quibus ad occasionum fugam vos invitat impellitque Deus: quia verò iis attendere non curatis, indigni estis speciali gratiâ, cujus ope media inter pericula staretis, & non peccaretis. Hoc utique expertus est Petrus, qui monitus à Christo ut attenderet sibi, vigilando & orando, periculosasque occasiones declinando, aliàs Magistrum suum ter negaturus; neglecto tam salutari monito, quo toris tremiscere debebat artubus, medio se credidit periculo, in quo efficaci auxilio Dei destitutus, trinâ negatione Magistrum perjurus est execratus. Enimverò *quis miserebitur omnibus qui appropiant bestiis*, id est tentationibus? Certè illorum sortem Deus non miserebitur, cujus providentia hanc in regendis animabus legem tulit, ut fugiant à facie arcûs, fugiant amittendæ divinæ gratiæ pericula, si in illis perire nolint. *Recedite, recedite, exite inde* (dicit Dominus Isa. 52.) *pollutum nolite tangere, exite de medio ejus.* Ecce quo verborum pondere Deus hanc fugiendarum occasionum legem inculcat: *Recedite, recedite*, si iis vicini estis. *Exite inde*, si in iis versamini; dumque exitis, cavete ne extenso digito peccati occasionem dantem contingatis: *pollutum nolite tangere.* Nullus sit qui in medio ejus subsistere audeat: *exite de medio ejus.*

Non minore verborum emphasi Salvator 339
in nova lege jussit oculum, manum, pedem scandalizantem eruere, abscindere, projicere, ut non contenti eruisse, & abscidisse, procul etiam à nobis, etiam à cordibus nostris projiciamus occasionem peccati, quasi dicat: Siqua vobis persona, quàmlibet chara, quàmlibet necessaria, ut oculus, manus, pes, vobis scandalum facit, præbens occasionem peccati, non satis est eam à vobis abscidisse & corporaliter separasse; sed oportet etiam à corde projecisse, non ampliùs amando, nec officiosas ipsi litteras scribendo, vel salutem ipsi mittendo, vel opem & alimoniam ministrando; sed tam procul à te ipsam oportet te habere, ut nihil ampliùs de illa inquiras, nec ullo modo appropies. Hæc sunt quæ divina à vobis providentia postulat, ut gratiæ suæ opem vobis ferat. Si obtemperare renueritis, eâ destituemini.

Eâ verò mediis in occasionibus destituti, solâ non poteritis voluntatis vestræ libertate firmi stare; cùm scriptum sit: *Sine me nihil potestis facere*; & juxta Innocentii I. definitionem, *necesse sit, ut quo auxiliante vincimus, eodem iterum non adjuvante vincamur.* Non decipiant ergo vos Casuistæ dicentes, occasionem antè proximam, firmiori accedente non peccandi proposito, desinere esse proximam. Quia nimia est temeritas de firmiori vobis præsumere proposito, nisi efficaciter velitis separare vos à periculosis occasionibus, in quas si pedem immittatis, hæc dicit Dominus: *Immisit in rete pedes suos, tenebitur planta ejus laqueo.* Job 18.

Hinc prudenter colligere licet 1°. quan- 340 34
tam animarum stragem afferant Confessarii, qui fidem promissis & protestationibus suorum pœnitentium afferentes, ipsos absolvunt, non paratos deserere occasionem, vel ipsam reipsâ non deserentes, cùm possint, licèt fortè non sine jactura aliqua temporali. Nemo ambigat (inquit Segnerus) quin ejusmodi absolutio non tam solvat, quàm liget pœnitentem, simul & Confessarium, uno eodemque fune. Neque enim arbitrio Confessarii permissum est, falsâ miseratione sinere eum manere in probabili occasione, vel eam adire; neque si permittat, suam Deo probabit clementiam; sed unà cum ipso in foveam cadet, factus particeps delictorum ipsius. Reddent, reddent aliquando Confessarii illi supremo Judici rationem animarum, stultâ ipsorum benignitate perditarum, & ipse quidem *impius in iniquitate sua morietur*; at *sanguinem ejus de manu ipsorum requiret* Dominus. Ezech. 33. 343

Reddent (inquam) rationem malè admi- 341
nistrati muneris, non Judicis tantùm, sed & Medici. Nam utriusque mala administratio causa est magnæ illius inconstantiæ, quam in

hominibus Christianis observare est, qui vix à peccatis absoluti, dolere videntur dolorem suum, & prioribus mox se flagitiis immergunt. Omnis quidem culpa à nonnullis in hominum imbecillitatem conjicitur, voluntatisque varietatem. Sed vera utplurimùm causa est quam diximus: dum neque confitentes fugere satagunt occasionem, neque Confessarii in id operam conferunt; sed incuriâ suâ, vel falsâ benignitate, in ea persistentes absolvunt, non utique conversos ad Deum in toto corde suo, sed in mendacio. Nam in toto corde suo convertentibus se ad Deum, Deus ipse dicit: *Si in toto corde vestro revertimini ad Dominum, auferte deos alienos de medio vestri*, id est adamata à vobis idola, quæ vos in peccatum induxerunt. Hac in re Confessarios, verè & christianè benignos, imitari oportet Chirurgum, qui acceptam ab aliquo plagam medicaturus, ante omnia quidquid humoris noxii ac putridi illam occupat, quâ potest diligentiâ abstergit; & tunc demùm emplastrum, vel unguentum, quod sanet, applicat. Ista est vera benignitas; non illa quâ sacer Chirurgus, absque noxiarum occasionum absterſione, confitentes absolvit, modò promittant ampliùs non peccare. Non satis est promittere, extrahatur priùs è vulnere sagitta, & tum sanando vulneri cura impendatur, id est, tollatur priùs occasio peccati, & tum pœnitens absolvatur. Qui aliter facit, vulnus non sanat, sed emplastro tegit, prout experientia demonstrat. Verùm de his plura, ubi de pœnitentia.

§. III.

Demonstratur ampliùs ex unanimi traditione Sanctorum.

342 NEcessariò quippe fugiendas, dimittendasque probabiles occasiones peccandi mortaliter, quàmlibet necessarias, si absque peccato dimitti queant, unanimis est doctrina veterum Patrum & Sanctorum, etiam Novissimorum, Origenis, Tertulliani, Cypriani, Paciani, Athanasii, Hilarii, Chrysostomi, Cyrilli Alexandrini, Hieronymi, Augustini, Salviani, Gregorii, Remigii, Theophylacti, Ælredi, Bernardi, Thomæ Villanovani, Francisci Xaverii, Caroli Borromæi, Salesii, &c. Et testimonia quidem Tertulliani, Origenis, Cyrilli, Paciani, Salviani, Theophylacti, Remigii videre licet partim apud D. Thomam in Catena ad cap. 5. Matth. partim apud Maldonatum in eumdem locum, partim apud Sinnichium in Saüle exrege l. 1. §. 430.

343 Ad reliquos quod attinet, Cyprianus epist. 62. loquens de virginibus, quæ cum masculis dormierant, *asseverantes* nihilominùs *integras* se *esse*: *Si virgines* (inquit) *inventæ fuerint, acceptâ communicationis gratiâ, ab Ecclesia admittantur; hâc tamen interminatione, ut, si ad eosdem masculos postmodùm reversæ fuerint, aut si cum isdem in una domo, & sub eodem tecto simul habitaverint; graviori censurâ ejiciantur, nec in Ecclesiam facile recipiantur.* Ecce cohabitationem, utpote probabili periculo peccati non carentem, non permittit iis, qui sine peccato condormierant. Quia scilicet, *lubrica spes est, qua inter fomenta peccati salvari se sperat*, uti dicit in lib. de singularit. Cleric. Unde de eis qui ex assidua sua cum mulieribus conversatione & colloquio se non admodùm lædi jactitabant, Basilius Magnus Constitut. Monast. c. 3. *Hic* (inquit) *aut maris particeps non est, aut portentum est quoddam insolentissimum, & præter omnium opinionem admirabile.* Et S. Bernardus: *Cum femina esse, conversari, & vivere, & feminam non tangere, plus est quàm mortuum suscitare.* Si ergo propterea Cyprianus tam districtus fuit erga virgines, quæ non peccaverant cum masculis, quibus condormierant; quantò districtior fuisset, si cum iis vel semel peccavissent; quantò districtiùs (inquam) separationem iis injunxisset? Ubi enim vir & mulier semel commixti fuerunt, ordinariè censendi sunt versari in occasione proxima relapsûs, si sub eodem remaneant tecto (inquit Iveninus de Sacram. Pœnit. q. 9. c. 4. a. 7. §. 2. in fine) sive sint æqualis conditionis, ut famulus & famula, sive unus ab alio pendeat, ut famula ab hero. Quia, per unicum peccatum carnis consummatum, tollitur repagulum pudoris, quo honesta puella ordinariè retinetur, ne viro provocanti consentiat; vel etiam honestus juvenis, ne ipsam ad peccandum provocet. Et ideò morale periculum est ne mutua cohabitatio, confabulatio, & velut assidua conversatio, ad expertam voluptatem dènuò experiendam inducat. In peccatis tamen aliis à peccato carnis, in aliqua occasione semel peccasse, ordinariè non sufficit ad judicandum de occasione proxima seu morali, nisi Sacerdos in pœnitente animadvertat indolem valdè propensam ad simile peccatum, ubi fuerit in occasione opportuna.

Cyprianum audivimus, audiamus Athana- 344
sium, qui Dominicam sententiam de dextro oculo projiciendo, &c. exponens: *Non de membris corporis hoc dixit Dominus* (inquit interpretans dicta & parabolas Evang. q. 34.) *sed de amicis & cognatis: membra namque sumus invicem. Si igitur habes cognatum & amicum, cujus tanta sit tibi necessitas, quanta vel dextri oculi, vel manûs, si videris ab ipso damnum inferri animæ tuæ, abscinde eum.* Ita etiam Dominicam illam sententiam interpretantur Origenes, Hilarius, Cyrillus, Pacianus, Salvianus, Theophylactus, Remigius apud laudatos Authores. Similiter Chrysostomus homil. 17. in Matth. monens diligentiùs vim ipsam sermonis attendi debere. *Non enim* (inquit) *dixit, discede à societate talis; sed maximam separationem indicans, erue* (inquit) *& projice abs te.*

Igitur omnis truncatur affectus (ait Hiero- 345
nymus l. 3. Commentar. in Matth. c. 18.) &

universa propinquitas amputatur, ne per occasionem pietatis unusquisque credentium scandalis pateat. Si, inquit, ita est quis tibi conjunctus, ut manus, pes, oculus, & est tibi utilis.... scandalum autèm tibi facit, &.... te pertrahit in gehennam; melius est ut & propinquitate ejus, & emolumentis carnalibus careas, quàm dum vis lucrifacere cognatos & necessarios, causas habeas ruinarum. Itaque non frater, non uxor, non filii, non amici, non omnis affectus, qui nos excludere potest à regno cælorum, amori Domini præponatur. Novit unusquisque credentium quid sibi noceat, vel in quo.... sæpè teneatur. Melius est vitam solitariam ducere, quàm, ob vitæ præsentis necessaria, vitam æternam perdere, &c.

346 Augustinus l. 1. de serm. Dom. in monte c. 24. *Hîc verò magnâ opus fortitudine ad membra præcidenda. Quidquid enim.... ita diligis, ut pro dextro oculo habeas, si scandalizat te, id est, si tibi impedimento est ad veram beatitudinem, erue illud, & projice abs te. Expedit enim tibi, ut pereat unum horum, quæ ita diligis, ut tamquam membra tibi hæreant, quàm totum corpus tuum eat in gehennam.*

347 Gregorius homil. 24. in Joan. *Quæ ad peccatum implicant, ad hæc necesse est ut post conversionem animus non recurrat.*

348 Rationem dat Sanctus quidam serm. 12. in cap. 13. Isa. quia ad conversionem necessarium est, *ut sicut damula insequentes, sic anima timens materias fugiat peccatorum.*

349 Bernardus quoque serm. 1. Pasch. c. 16. *Non satis cecidisse piget hominem (ut videtur) qui adhuc manere disponit in lubrico.... sit veræ compunctionis indicium, opportunitatis fuga, subtractio occasionis.*

350 S. Thomas Villanovanus serm. fer. 6. post Domin. 4. Quadrag. *O peccator, si verè plorас, veni foras, fuge concupiscentiam, dimitte lasciviam, expelle mulierculam, solve catenam. Alias non credo verbis, non credo lachrymis. Funiculus triplex, malæ inclinationis, pravæ consuetudinis, violentæ occasionis, difficilè rumpitur. Miraculum grande est, ut habens juxta se mulierem, non tangat eam.... in sinu tuo carbones foves, & tuum non comburetur vestimentum? Etiamsi millies juraveris, etiamsi obtestando promiseris, nunquam tibi credam.*

351 S. Franciscus Xaverius epistolar. l. 5. epist. 9. *Peccata confessis.... & absolvi poscentibus ne annuas, antequam satisfactionem repræsentaverint, in triplici præsertim genere, odiorum, amorum, & injustæ retentionis rerum alieni juris. Jube prius.... procul amoveant offendicula pudicitiæ.... nec solâ promissione defungantur.... Nam cum* talibus.... tam promptis.... *ad obligandam fidem, quàm ad exolvendam tardis.... cum arrha in manu transigendum est.*

S. Carolus Borromæus in Instructionibus ab Innocentio XII. tantoperè commendatis, & à Clero Gallicano adoptatis p. 2. c. 16. prohibet iis absolutionem impendi, qui versantur in occasionibus per se ad peccatum inducentibus, *nisi ab eis impostèrùm abstinere, verè sincerèque promittant, ut si concubinam alit, nisi priùs illam ipsam occasionem prorsus abscindat.* Capite verò 17. loquens de occasionibus per accidens, sive de exercentibus professionem, vel exercitium, de se quidem licitum, in quo tamen ex speciali sua fragilitate, vel pravo habitu, sæpè mortaliter peccant; in quo proinde *si diutiùs aliquis perseveraverit, verisimile sit* (nota benè) *ad eadem quæ commisit peccata rediturum*; de iis (inquam) dicit, quòd *qui sic sunt affecti, aut professioni suæ renuntiare tenentur, ut sentit B. Augustinus*; aut eam non ampliùs exercere, nisi *cum consilio pii cujusdam prudentisque Sacerdotis; qui eum non absolvat, cum probabiliter videt* (iterùm nota) *ad eadem peccata reversurum, si iisdem in occasionibus permaneat: sed per aliquod tempus emendationem ejus oportet experiri. Atque hîc vigilandum est eò diligentiùs, quòd Confessariorum hac in parte incuriâ, in omnibus artibus & professionibus regnent plures abusus, peccataque gravissima, sine quibus* jam *videtur à multis ne justissimas quidem professiones exerceri posse.... Quo fit ut eorum plurimi vitam omnem in peccatis mortalibus traducant; qui proinde absolutionis capaces non debent æstimari, nisi primùm diligentia omnis adhibeatur, ut liberentur ab occasionibus, & fortiores quàm anteà reddantur. Imò Confessarius accuratior, habito examine, forsan inveniet eorum aliquos nunquam rectè confessos fuisse.* In urgenda Instructionum, seu Regularum istarum praxi, S. Carolus constans fuit. Unde inter monita à Confessariis Jubilæi tempore servanda postmodùm jussit, ut quidquid in Instructionibus illis præcipitur, *executioni fideliter mandent*, signanter *de necessitate subducendi se è peccati occasionibus.*

Easdem Instructiones plurimùm commendat S. Franciscus Salesius Constit. Synod. tit. 9. c. 5. iisque conformiter statuit, ut dum Confessarius confitentes in proxima aliqua occasione constitutos deprehendit, tametsi eam mox se abjecturos polliceantur, non protinùs acquiescat; sed *diligens examen instituat, an idem in anteactis confessionibus promiserint. Si quidem illud polliciti fuerint, nec tamen steterint verbo, non est cur Confessarius fidem adhibeat, sed absolutionem differat, donec sint ab occasione sejuncti, & quidem donec aliquo tempore eam non repetentes vixerint.* 352

§. IV.

Traditioni illi consonantia docet Ecclesia in Conciliis; docent & summi Pontifices in Decretis suis, & Rituali Romano; docent denique sapientissimi Cardinales, Episcopi, præcipuique nominis Theologi.

353 COncilium quippe Romanum V. sub Gregorio VII. cap. 6. sic habet: *Quicumque miles, vel negotiator, vel alicui officio deditus, quod sine peccato exerceri non possit, si culpis gravioribus irretitus ad pœnitentiam venerit.... rece-*

recognoscat se veram pœnitentiam non posse peragere, per quam ad æternam vitam valeat pervenire, nisi negotium derelinquat, vel officium deserat.

354 Concilium Lateranense II. Generale X. sub Innocentio I. can. 22. *Quia inter cætera, unum est quod sanctam maximè perturbat Ecclesiam, falsa videlicet pœnitentia, Confratres nostros & Presbyteros admonemus, ne falsis pœnitentiis Laicorum animas decipi, & in infernum pertrahi patiantur. Falsam autem pœnitentiam esse constat.... cùm pœnitens ab officio, vel curiali, vel negotiali non recedit, quod sine peccato agi nullâ ratione prævalet.* Idem iisdem verbis anno 1089. can. 10. statuerat Concilium Melfitanum, cui Urbanus II. interfuit.

355 Alexander VII. in Decreto de die 18. Martii 1666. damnavit hanc propositionem 41. *Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgò regalo, dum deficiente illo nimis ægrè ageret vitam, & alia epula tædio magno afficerent concubinarium, & alia famula nimis difficilè inveniretur.* Quæ profectò propositio Joannis Sancii consectaria est ex alia quam Gobat n. 532. cum eodem Sancio admittit, nimirùm quòd *si concubinus nequeat dimittere suam concubinam sine jactura 100. aureorum, seu ducatorum, poterit Confessarius pro re nata amplecti sententiam Joannis Sanchez, vel Oviedi paulò antè relatam*, utique n. 530. hisce terminis: *Qui suæ concubinæ dedit mutuos centum aureos, quos, si eam dimittat, non sit recuperaturus, haud tenetur eam dimittere, esto versetur in proximo periculo relabendi in peccatum cum illa, si non dimittat.* Sancius disput. 16. absolutè sic docet: *Oviedus.... admittit eam doctrinam solùm respectu hominis, qui habet tantùm necessaria ad parcè vivendum; non autem respectu mediocriter divitis.* Utriusque propositio se solâ profectò horrorem incutit, sed longè majorem ex eo quòd damnatam illam ab Alexandro VII. inferat, saltem prout à Sancio & Gobatio admittitur. Infert tamen: quia contingit tanti æstimari industriam parandi oblectamenta illa, vulgò *regalo*, ut plerique, saltem divites, pati mallent jacturam centum & ampliùs aureorum, quàm oblectamentis illis carere, sine quibus aliæ epulæ magno ipsos tædio afficerent. Qui proinde centum & ampliùs aureos pro habenda famula, specialem in iis parandis industriam habente, libenter impendunt.

356 Innocentius XI. in Decreto de die 2. Martii 1679. hanc & ipse propositionem 61. velut scandalosam & in praxi pernicioſam proscripsit: *Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest & non vult dimittere; quin imò directè & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.* Et istam 62. *Proxima occasio peccati non est fugienda, quando causa aliqua utilis aut honesta non fugiendi occurrit.* Et 63. *Licitum est quærere directè occasionem proximam peccandi, pro bono spirituali, vel temporali, nostro vel proximi.* Certè si ad vitandum grave damnum, vel incommodum temporale, licitum esset in occasione proxima permanere; licitum esset & illam adire, eique se ingerere. Et hoc est quod iterùm docet Gobat n. 529. hisce verbis: *Per accidens fas est permanere in occasione proxima, seu etiam adire occasionem proximam, quando grave aut gravissimum malum corporis, honoris, fortunarum, aliàs foret certò perferendum.* Et to. 3. tr. 5. c. 45 n. 49. *Gravi ex causa potest quis se committere moraliter certo periculo peccandi.* Quid hoc est, nisi damnatas illas ab Innocentio XI. propositiones vel formaliter, vel æquivalenter sustinere, imò ampliùs quàm illas: utpote quæ non exprimunt periculum peccandi moraliter certum, prout exprimit novissima ista Gobati propositio; seu potiùs propositionis monstrum.

Rituale Romanum à Paulo V. approbatum 357
tit. de Sacram. pœnit. absolutionis incapaces declarat, *qui proximam peccandi occasionem deserere nolunt.* Eminentissimus Cardinalis Gri- 358
maldi Archiepiscopus Aquensis in Canonibus casuum, quibus Confessarii debent absolutionem negare aut differre, Can. IV. *Si pœnitens sit in occasione proxima alicujus peccati mortalis, & possit illam deserere, non est absolvendus donec deseruerit. Si verò non possit deserere, suspendenda est absolutio, donec habeantur indicia emendationis ipsius, & existimari possit fore ut deinceps non recidat in peccatum.*

Similiter Eminentiss. Joannes Casimirus Cardinalis Denhoffius, Episcopus Cœsenensis, in Instruct. Pastorali de Sacram. Pœnit. §. 12. Edit. Lovan. *vanam* dicit *illorum pœnitentiam*, qui versantur in occasione proxima, etiam per accidens, *ni renuntient.* Ubi & observat, *non opus esse ad hoc ut occasio dicatur proxima, ut crebrò faciat incidere in delictum: sufficit enim ut præsens adsit, & semel iterumvè non ita pridem ad peccandum permoverit, aut ut fortes pariat tentationes, tametsi nondum in crimen pellexerit, quia nunquam licet, ut se exponat aliquis hujusmodi periculo peccandi.*

Instructionem hanc Pastoralem adoptavit, suaque in Archidiœcesi publicari fecit Eminentiss. D. Vincentius Maria Cardinalis Ursinus, Archiepiscopus Beneventanus. Sicut & Eminentiss. Cardinalis le Camus cum sua Synodo anni 1674. adoptavit antè memoratos Canones Cardinalis Grimaldi, suaque in Diœcesi Gratianopolitana fideliter observari præcepit, & inter Canones, ejusdem Synodi authoritate conditos, Can. V. *Siquis* (inquit) *deprehendatur in occasione proxima Deum offendendi*, Confessarii *cogent eum hanc deserere: quòd si id absque sui, aut alieni honoris detrimento facere non possit, prudenter dispicient, quâ ratione in hoc discrimine agendum sit, tum ne exteriùs manifestetur peccatum pœnitentis, tum ne profanetur Sacramentum, administrando illud indignis.*

Anno 1658. & 1659. plures Archiepisco- 359

pi & Episcopi Gallicani Casuistarum Apologiam gravi censurâ perstrinxerunt, tanquam continentem plures propositiones falsas, pernicioſas, scandalosas, Evangelicis Regulis adversas, signanter de occasionibus proximis peccandi, eò quòd utique Pirotius ista in Apologia asserete non vereatur, *dimittendam non esse professionem, in qua periculum est sæpiùs peccandi, animamque suam perdendi, si facilè dimitti non possit. Nec sine absolutione dimittendos v. g. sororem sæpè peccantem cum fratre, filiam cum patre, glorem cum leviro, in ista occasione manentes, si peccatum ipsis displiceat, & occasionem deserere non possint*, sine magna utique difficultate. Ista una est ex causis, propter quas Apologiam illam confixerunt Illustrissimi Domini, Ludovicus Henricus de Gondrin, Archiepiscopus Senonensis, Annas de Levi de Vantadour, Archiepiscopus Bituricensis, Vicarii Generales Cardinalis Retsii, Archiepiscopi Parisiensis, Ludovicus Episcopus Tullensis, Ægidius Episcopus Ebroicensis, Leonorus Matignonus Episcopus Lexoviensis, Alanus de Solminihaco Episcopus Cadurcensis, Antonius Godæus Episcopus Vencensis, & (communi consilio) quinque Illustrissimi Episcopi Aquitani, Alectensis, Appamiensis, Convenensis, Bazatensis & Conseranensis.

360 Et duas quidem illas propositiones Apologistæ, de occasionibus proximis, aliqui ex ipsis, non generali dumtaxat, sed speciali censurâ notarunt, nimirùm Vicarii Generales Parisienses, velut *falsas, temerarias, scandalosas, & inducentes in periculum evidens peccandi.* Archiepiscopus Senonensis, velut *falsas, pernicioſas, expressis Summorum Pontificum definitionibus adversas, ac palàm Evangelico præcepto refragantes, quo manum & pedem amputare, oculum eruere jubemur.* Episcopus Cadurcensis, velut *falsas, scandalosas, pernicioſas, à Summis Pontificibus, Innocentio II. in Concilio Lateranensi, & Gregorio VII. in Concilio Romano damnatas.*

361 Anno 1675. Illustrissimus D. Guido de Seve Episcopus Atrebatensis, *periculosas, falsas, scandalosas, temerarias, & manifestè contrarias Evangelicæ doctrinæ* declaravit, & uti tales damnavit propositiones sequentes P. Jacops: *Si pœnitens nolit deserere occasionem proximam, v. g. famulus, dum conductus est, familiam in qua peccat cum domestica. Caupo, qui consuetudinem habet se inebriandi, &c. potest absolvi. Quia licitum est, justa de causa, prout in his casibus, exponere se occasioni peccati proximæ, dummodò absit voluntas peccandi. Si occasio proxima peccandi deseri nequeat absque jactura temporali notabili, prout nequeunt Caupo, Auriga, Chirurgus, qui peccare solent sua in arte, nec aliam noverunt; si nulla sit emendatio, & bis tervè absolutio ipsis in eo statu concessa fuerit: nonnulli dicunt etiam in hoc casu semper absolvendos, nec cogendos ad deserendam occasionem proximam. Quia si dolor appareat efficax, recusatio, quâ nolunt vitare occasionem proximam, non videtur contraria huic dolori: quandoquidem manere in tali occasione non sit per se peccatum. Aliàs ne quidem licitum fuisset manere vel primâ vice.* Harum propositionum censuram suprà exhibitam triginta & unus Episcopi plurimùm collaudarunt, approbarunt, justissimamque censuerunt.

Anno 1703. idem laudatissimus Episcopus Atrebatensis in censura libri, cui titulus: *R. P. Georgii Gobati Soc. Jesu Theologi Opera moralia, &c.* triginta-duas istius Authoris propositiones damnavit, velut respectivè *falsas, temerarias, scandalosas, verbo Dei contrarias, castarum aurium offensivas, usuræ, impudicitiæ, ebrietati, homicidio, & Sacramentorum profanationi faventes, improbandis subtilitatibus Ecclesiæ præcepta eludendi locum dantes, ejusdemque ac sacræ Religionis nostræ doctrinam hæreticorum calumniis, libertinorumque subsannationi exponentes; quarum & plurimæ jam damnatæ fuerunt per Generalem Cleri Gallicani Conventum, imò per ipsammet sanctam Sedem.* Istarum verò propositionum 24ª. illa est quam exhibuimus num. 355. *Si concubinus*, &c. 23ª. *Per accidens fas est permanere*, &c. & 25ª. *Gravi ex causa*, &c. exhibitæ suprà num. 356.

Gallicanis Episcopis præluxerunt Episcopi 362
Belgici, nimirùm Illustrissimus D. Jacobus Boonenius, Archiepiscopus Mechlinienſis, qui anno 1653. propositiones illas in Archidiœcesi practicari prohibuerat, sicut & anno 1657. Antonius Trieſtius Episcopus Gandavenſis eas Academiæ Lovanienſi obtulerat censurâ configendas. Anno verò 1656. Illustrissimus D. Joannes de Wactendonck, Episcopus Namurcenſis, in Synodo ſua Diœcesana, duas hasce proscripserat: *Nemo tenetur occasionem proximam peccati vitare cum magno ſuo detrimento.* Et, *licitum est quærere (idem est & retinere) occasionem proximam peccandi, pro bono ſpirituali, aut temporali, noſtro vel proximi.*

Cum Episcopis celebriores Christiani Orbis 363
Academiæ Parisienſis & Lovanienſis propoſitiones illas ſolemni profligaverunt censurâ. Siquidem Parisienſis 16. Julii 1658. propoſitionem hanc: *Certis casibus, dum perſona vitare nequit occasionem, niſi cum evidenti periculo vitæ, honoris, vel gravi jactura bonorum, in ea permanere poteſt, modò eam directè non quærat*; ſicut & istam: *Non eſt obligatio abdicandi profeſſionem, in qua periculum eſt ſæpiùs peccandi, animamque perdendi, ſi facilè dimitti non poſſit. Idque praxis Eccleſiæ oſtendit: utpote quæ non ſolùm tolerat, ſed & approbat militares Ordines, caſtitatem obedientiamque voventes, tametſi pleroſque ex Religioſis iſtis occaſiones ſuccumbere faciant.* Haſce (inquam) propoſitiones *falsas, temerarias, ſcandalosas, & in periculum evidens peccandi inducentes* cenſuit. Addens *exemplum allegatum ad id probandum extra rem eſſe, Chriſtoque, Eccleſiæ, & Ordinibus illis ab Eccleſia approbatis injurioſum.*

Ante

364 Ante Parisiensem Lovanienſis anno 1653. ad instantiam Archiepiſcopi Mechlinienſis, propoſitionem iſtam reprobavit: *Poteſt aliquando abſolvi, qui in proxima occaſione peccandi verſatur, quam poteſt, & non vult omittere; quin imò directè & ex propoſito quærit, aut ei ſe ingerit.* Et anno 1657. ad instantiam Epiſcopi Gandavenſis, de iſta: *Licitum eſt quærere directè occaſionem proximam peccandi, pro bono ſpirituali aut temporali, noſtro vel proximi*, cenſuit ſic: *Eſt falſa, temeraria, pernicioſa, atque ab auditu fidelium procul arcenda.* De propoſitione verò Sancii & Gobati: *Nemo tenetur occaſionem proximam peccati vitare cum magno ſuo detrimento. Unde nec concubinarius tenebitur dimittere concubinam, quæ ipſe nimis utilis ad lucrandum bona temporalia, vel ad oblectamentum concubinarii, vulgò regalo, &c.* ut ſuprà num. 355. ſic pronuntiavit: *Præcedenti aſſertioni conſectaria, & ſimilibus notis inurenda aſſertio; continens præterea Corollarium, uti Epicureorum placitis conſonum, ita Chriſtianorum regulis (quibus manum, pedem, & oculum quoque dextrum ſcandalizantem abſcindere, atque à nobis abjicere præcipimur) adverſum*

365 Præcipuos denique Theologos Sanctorum traditioni conſona tradere conſtat ex S. Thoma, Sylveſtro, Adriano VI. & Toleto n. 321. laudatis, necnon ex duabus celeberrimis Academiis proximè memoratis, quibus (unà cum tot ſapientiſſimis Cardinalibus & Epiſcopis) accedunt triginta ex præcipuis Doctoribus Sorbonicis in reſolut. varior. caſ. moral. caſu 21. Franciſcus Genetus, Epiſcopus Vaſionenſis in Th. Mor. Gratianopolit. to. 4. c. 5. Joannes Neercaſelius, Epiſcopus Caſtorienſis, in ſuo Amore pœnitente tom. 2. c. 27. §. 4. Theologia Moralis juſſu & authoritate Illuſtriſſimi Epiſcopi Petrocorenſis concinnata to. 4. tr. 1. c. 7. Sinnichius in vindic. Decal. c. 26. §. 4. Merbeſius Sum. Chriſt. tom. 2. diſſert. 4. de pœnit. q. 48. Natalis Alexander, Contenſonus, Iveninus, &c.

§. V.

Ex allatis fundamentis eruuntur Regulæ ſequentes.

Regula I.

366 Aſſerere quòd vitanda non ſit occaſio, in qua moraliter certò, id eſt ſemper, vel ferè ſemper; vel etiam in qua frequentiùs, vel frequenter peccatur mortali crimine, quando vitari non poteſt abſque gravi jactura temporali, qualem v. g. famulus pateretur, ſi intra tempus locationis ſuæ deſereret familiam, in qua peccat cum domeſtica (uti aſſerit P. Jacops) vel quando quis eam deſerere non poteſt, *quin ſermonem populo det, & incommodi aliquid accipiat* (uti Baunius opinatur) non tam aſſertio eſt quàm monſtrum aſſertionis, contra ſe manifeſtè habens Evangelium, Concilia, Pontifices, Patres, rationem, prout in §§. ſuperioribus eſt demonſtratum.

Regula II.

Ad occaſionem peccati mortalis vitandam, 367
neceſſe non eſt quòd in ea peccetur frequenter (ut vult Author praxis ſolidæ) ſed ſufficit quòd ita veriſimiliter inductura ſit in peccatum, ut qui in ea manet, vel eam adit, cenſeatur hoc ipſo in ea velle peccatum. Ratio eſt, quia eo ipſo quo effectus malus cenſetur voluntarius in cauſa, cauſa iſta debet omitti, ne ſequatur talis effectus, uti conſtat ex dictis de voluntario indirecto. Ad hoc verò ut effectus malus cenſeatur indirectè ſeu interpretativè voluntarius in cauſa, neceſſe non eſt quòd ex ea ſequatur frequenter, ſed ſufficit quòd cognoſcatur vel cognoſci debeat ſecuturus veriſimiliter, uti conſtat ex cap. ult. de injuriis num. 321. relato.

Quamvis autem ad voluntarium in cauſa 368
non ſemper ſufficiat quòd effectus malus ex ea rarò ſequatur; id tamen aliquando ſufficit, ſi nimirùm effectus ſit valdè malus (ut occiſio hominis) & nulla ratio cauſam ponendi. Unde ſi quis ſine ratione & præcautione lapidem grandem ex alto projiciat in aulam, in qua centum ſpatia ſint, & unicus homo, è centum illis ſpatiis unum occupans, occiſio ipſius cenſetur ei voluntaria in cauſa illa; tametſi lapis ille taliter projectus æquè cadere potuiſſet in quodvis aliud ſpatium è nonagintanovem non occupatis; adeòque fieri potuiſſet, quòd, è centum vicibus, homo ſemel tantùm occideretur.

Ad neceſſariò itaque vitandam occaſionem 369
peccati, quo anima occiditur, Deuſque ſeu gratia & amicitia ipſius amittitur (quod eſt malorum maximum) neceſſe non eſt quòd peccatum ex ea frequenter vel frequentiùs ſequatur. Si enim neceſſe foret quòd frequentiùs, ingens abſurdum ſequeretur, in occaſione utique proxima, ſeu neceſſariò vitanda, non exiſtere hominem, qui bis in hebdomada adulterium committeret cum domeſtica, ſi aliis quinque diebus ab ea abſtineret.

Si etiam neceſſe foret quòd frequenter, infinitæ occaſiones peccatorum omnis generis, certiſſimè vitandæ, negarentur eſſe vitandæ. In iis proinde homines manerent, innumeraque committerent peccata.

Nam, exempli gratiâ, homo uxoratus, ab aliquot annis certam frequentans feminam, non teneretur occaſionem illam vitare, licèt octies quotannis cum ea ſolitus eſſet adulterari. Quia, ex 365. anni diebus, octo dumtaxat vicibus, ſeu diebus, rarò proinde cum ea peccaret. Per caſuiſticas itaque illas vitandarum occaſionum deſcriptiones, liberioris vitæ hominibus, eorumque Confeſſariis imprimuntur ideæ valdè pernicioſæ.

Quemadmodùm ergo ad corporalem occi- 370
ſionem hominis in cauſa voluntariam neceſſe

non est quòd occisio illa frequenter ex causa ista sequatur; ita nec ad occisionem spiritualem in causa voluntariam. Quò enim malum est gravius, & specialiùs ab ista vel illa persona cavendum, eò faciliùs est in causa voluntarium. Atqui nullum malum est gravius, specialiùsque vitandum, quàm peccatum mortale, seu spiritualis occisio hominis. Nullum ergo faciliùs in causa voluntarium. Et inter ipsa quidem mortalia, quantò unum altero gravius, & arctiori titulo (v. g. voti) cavendum, tantò minùs frequens esse debet, ut censeatur in causa volitum. Certo proinde certiùs interdicenda visitatio Monialis ei quam quotidie quispiam invisere solet, licèt nonnisi bis quotannis cum ea peccet.

Regula III.

371 Quamvis Confessarius cavere debeat, ne occasiones, revera solùm remotas, proximis annumeret, ne laqueum pœnitentibus injiciat, obligando ipsos ad id, ad quod ipsos Deus non obligat: magis tamen cavere debet, ne occasiones, revera proximas (id est, morale peccati mortalis periculum afferentes) collocet inter remotas. Quia id in longè graviorem certioremque animarum ruinam tenderet, quando pœnitentes easdem ideò pergerent frequentare, quòd à Confessario jussi non essent deserere; peccatorum proinde cœno profundiùs semper & profundiùs immergerent sese, nunquam fortè deinceps emersuri; sed lapsibus frequentes adjiciendo relapsus, ultimò tandem in infernum lapsuri.

Regula IV.

372 Omnis illa occasio censenda est proxima, necessariò proinde vitanda, in qua constitutus certò vel probabiliter lapsurus cognoscitur in mortale peccatum, etsi non frequenter, ut constat ex dictis regulâ secundâ, & ampliùs constat ex proximæ occasionis definitione num. 321. exhibita. Quisquis ergo diuturnâ unius vel plurium annorum experientiâ cognoscitur ex speciali sua conditione adeò fragilis esse, ut dum justam habet litigandi causam, litigare equidem non possit sine odio & aversione à proximo, desistere debet à lite, juxta regulam Evangelicam Matth. 5. 40. quæ tunc est præcepti. Quisquis etiam proprio experimento cognoscitur per exercitium officii, v. g. Chirurgi medentis secretiora mulierum, vel Confessarii earum confessiones excipientis, semel aut bis in quoque mense succumbere tentationi delectationis venereæ, istud exercitium tenetur dimittere, tamquam proximam sibi peccati mortalis occasionem. Maximè cùm ipsum non probabiliter tantùm, sed quasi certò moraliter in illud pertractura sit, nisi dimittatur. Et quamvis ipse, ea in occasione, labi non censeatur frequenter, respectivè ad vices quibus non labitur, labi tamen censeatur frequenter absolutè. Meritò namque labi censetur frequenter absolutè, qui semper labitur semel aut bis in mense, uti funestâ hactenùs experientia docuisse supponitur. Meritò etiam talis occasio censetur nata, vel quasi nata semper conjungi cum uno vel altero mortali quolibet mense. Certum verò est necessariò abjiciendam esse occasionem, tali modo natam, vel quasi natam semper conjungi quoquo mense cum uno vel altero mortali. Quemadmodùm enim peccatum mortale fugiendum est propter seipsum, non propter solam frequentiam; ita propter seipsam fugienda est talis occasio proxima peccati mortalis, ut attentâ speciali fragilitate hominis in ea constituti, nata, vel quasi nata sit in ipso semper conjungi cum peccato mortali, uno vel altero, quolibet mense. Dimittat ergo illam Confessarius, quàmlibet multùm utilis saluti plurimorum. Quia propriæ animæ salutem alienæ debet præferre saluti, etiam totius mundi, juxta Salvatoris sententiam.

Regula V.

373 Aliquando proxima reputatur occasio peccati mortalis, semel dumtaxat in anno moraliter inducens in illud. Quia talis reputatur occasio, respectivè ad personas, quæ semel dumtaxat per singulos annos in ea reperiuntur, si plurium annorum experientiâ constet, quòd quoties annua illa occasio recurrit, toties in ea labantur, v. g. quoties visitat quis Monialem cognatam suam, quam semel tantùm quotannis visitat. Quia occasio ejusmodi præsumitur nata semper, vel ferè semper inducere tales personas in mortale peccatum; quandoquidem eas hactenùs semper induxerit, quoties in ea fuerunt, & ex præteritis rationabilis sit conjectura de futuris.

Regula VI.

374 Plus dico, cum Eminentissimo Cardinale Denhoffio num. 358. laudato, ad proximam seu vitandam occasionem aliquando sufficere, quòd præsens sit, & adeò fortes pariat tentationes, ut periculum probabile sit, quòd in crimen pellectura sit, licèt nondum pellexerit. Quia unusquisque tenetur vitare probabile periculum peccati mortalis; sicut unusquisque vitare tenetur probabile periculum homicidii corporalis. In cujus confirmationem serviet exemplum quod excusare conatus fuit Georgius Gobat è Soc. tom. 3. tr. 5. c. 32. n. 19. & 20. novissimæ Editionis Duacensis anni 1700. & 1701. Anno 1703. Illustrissimus D. Guido de Seve de Rochechovart, Episcopus Atrebatensis, censurâ notavit propositionem hanc duodecimam istius Authoris: *Liquidò scio, crebrò fieri, præsertim inter Plebeios & Rusticanos, ut eodem in lecto puella cum proco cubent aliquot horas, induti & exuti, & tamen nihil omninò impudicum agant, vel nonnisi of-*

cula & turpes attrectationes exerceant. Unde judico non posse à Confessario negari absolutionem omnibus illis puellis plebeis (aliud ob varias considerationes sentio de nobilibus) quæ non videntur habere propositum nunquam ampliùs admittendi in lectum procum suum. Verba ista *respondent ad unum omnia cum scriptis à P. Gobato; imò idem est utrimque terminorum ordo & series*, prout Socii fatentur in *epistola* sua *expostulatoria* adversus censuram illam pag. 6. & 7. Illustrissimum nihilominùs ipsi arguunt malæ fidei & fraudis, quòd non attexuerit antecedentia & consequentia, ex quibus apparuisset Gobati animus longè à propositionis censuræ significatione diversus. Neque enim censuratæ propositionis verba Gobatus expressit ad significandum quòd absolutio negari non possit puellis, quæ procos suos in lectum suum, nudos cum nudis admittunt, absque proposito ampliùs non admittendi, dum admissi oscula & attrectationes turpes cum ipsis exercent; sed ad probandum quòd licèt, *solum cum sola, nudum cum nuda in eodem lecto incubuisse*, juxta cap. *litteris* de præsumpt. violentam pariat adulterii perpetrati suspicionem, uti dicit sect. 1. n. 4. eadem tamen quoad hoc commissæ fornicationis inter personas solutas præsumptio non sit, prout sect. 2. n. 19. probat: quia constat inter solutas id crebrò fieri, *eâ solum intentione ut aliquam dispositionem ad sponsalia faciant.* Et tunc subjungit verba propositionis censuratæ, *liquidò scio crebrò fieri*, &c. Post quæ sequitur: *sed siqua* puella, *ut quandoque fit, asserat illum procum sexies vel octies secum in eodem lecto jacuisse, verùm nihil mali petiisse, aut fecisse, absolvenda videtur, esto non proponat non ampliùs illum admittere.... Quia.... est solùm in occasione remota peccandi.*

375 Verùm justa non apparet Sociorum expostulatio, Illustrissimumque admissæ fraudis perperàm arguunt. Quia Gobatianam propositionem Illustrissimus confixit, iis expressam terminis, quibus eam Gobatus expressit. Quo verò animo sic eam Gobatus expresserit, Illustrissimus non tetigit, nec tangere debuit, nec eum in finem antecedentia subsequentiaque attexere: utpote quibus additis, propositio equidem manet intolerabilis, censurâque dignissima. Siquidem iis additis resultat hic sensus: *Absolvenda est puella plebeia, quæ ut dispositionem aliquam ad sponsalia faceret, sexies vel octies procum suum, in eodem secum lecto, nudum cum nuda admisit, absque eo quòd mali quidquam petierit, vel fecerit; nec potest ipsi à Confessario negari absolutio, ex hoc quòd non proponat non ampliùs illum admittere: quia solùm est in occasione remota peccandi.*

376 Ex istius propositionis justissima confixione roboratur Regulæ nostræ veritas, ad occasionem utique proximam necesse non esse quòd in ea constituti jam antè peccaverint: cùm Gobatus testetur, liquidò se scire, quòd puella cum proco, nuda cum nudo sæpiùs in eodem simul lecto jacuerint, nec tamen peccaverint. Negari tamen non potest occasionem istam esse proximam, nec tolerabiliter id negat Gobatus, intolerabileque est quod ait, tales absolvi posse, esto non proponant sic non ampliùs simul eodem in lecto jacere. Et ideò justissima est censura quâ Gobatianam propositionem Illustrissimus Atrebatensis confixit. Novumque & inauditum est genus castimoniæ, quâ talem puellam & procum Socii in Expostulatoria sua vocant *ad exemplum castos*, eosdemque jactitant *instructo ad omnem castimoniam animo, solo intuitu sponsalium*, simul in eodem lecto nudum cum nuda ad plures horas concumbere. Nudum enimverò procum nuda puella, ad omnem castimoniam composita, juxta sacras Litteras, SS. Patres, communemque hominum sensum, in eodem secum lecto non admittit, nec procus ad exemplum castus admitti postulat, etiam prætextu dispositionis ad sponsalia. Non enim castæ nec christianæ sunt tales ad sponsalia dispositiones. Nec contrarium hactenùs auditum est in Morali Christiana. Novum proinde est Sociorum illud paradoxum, nec ad majorem Dei gloriam cedit: quia non cedit in morum ædificationem, sed in destructionem. Nec minùs pernicioſum est paradoxum, asserere, quòd ista non sit proxima violandæ castitatis occasio, sed remota dumtaxat. Esse per se, non per accidens dumtaxat proximam, nullus (ante Gobatum) Theologus dubitavit; saltem id indubitatum asseruerunt Antiqui: cùm in ea homines communiter peccent, sitque per accidens, siquando non peccent, dum v. g. diabolus in ea constitutos ad tempus aliquando non tentat, ut posteà vehementiùs noceat.

Sed & natura, ratio christiana, divini ser- 377
monis authoritas, & Sanctorum omnium doctrina satis nos admonent, periculum istud necessariò esse cavendum.

Natura, quia ut Medici observarunt, cùm mater gemellos utero fert, si uterque mas est, nullâ vel pelliculâ, vel alio medio separantur. At si fœtus unus est masculus, alter femina, membranâ quâdam, tamquam muro sejunguntur, ne se mutuò possint contingere: perinde ac si docere nos natura vellet (ait P. Segneri in suo Homine Christiano p. 3. discursu 28.) consortium masculi & femellæ tam propinquum, esse rem tam plenam periculo, ut ne frater quidem à sorore sit tutus, non tunc solùm cùm ad ætatem puberem venerint, sed & cùm adhuc materna in alvo delitescunt.

Ratio christiana docet 1°. temerarium præ- 378
sumptuosumque esse ibi non trepidare metuereque casum, ubi sanctissimi quique trepidarunt, & licèt carnem circumferrent jejuniis ac vigiliis debilem & exhaustam, continuisque armatam orationibus, animumque in carne fragili Deo plenum, etiam ad occasionum minùs lubricarum occursum salubri horrore toti consternabantur. 2°. docet vix fieri pos-

se, ut sæpè quis cum vipera in sinu dormiat, quin unquam ejus dentibus admordeatur; vel extremo in margine præcipitii diù & sæpè oberret, nec tamen unquam fallente vestigio prolabatur. 3°. docet non semper æquali facilitate quemquam evadere illæsum in periculis magnis: nam ut Seneca ait in Herc. fur. *Quem sæpè transit casus, aliquando invenit.* Idque in casu nostro tantò magis timendum, quantò certiùs experientia docet, concupiscentiam nimis pellacem esse; rei amatæ præsentiam tam propinquam, tamque opportunam ad carnale commercium, majores quàm facilè credi potest, vires habere; scriptum esse Isa. 1. *Fortitudo vestra, ut favilla stupæ*: juvenes proinde ac puellas, tam propè ad se invicem accedentes, velut stupam favillæ proximam, seriùs vel citiùs accendi: mali dæmonis impulsum nimis potentem esse ad fragilitatem nostram in casum propellendam; nullam esse rationem hîc distinguendi inter plebeios & nobiles: cùm in omni conditione timenda sit incontinentia in occasione tam propinqua: magnam istam temeritatem, quâ juvenis & puella tam præsenti periculo se exponunt, dignam esse, ob quam suâ eos gratiâ Deus destituat: denique periculum istud jure censeri proximum, & quidem proximum per se, in quo homines ferè omnes labuntur, & tametsi nos in eo fortè necdum lapsi fuerimus, alii tamen ejusdem nobiscum conditionis communiter labuntur. Quia parum admodùm temporis inter ejusmodi periculum & ruinam intercedere solet.

379 Non dicat ergo puella, sexies vel octies eodem in lecto cum proco meo nuda cum nudo concubui; nihil tamen à me impudicum periit, vel fecit. Quia (præterquàm quòd timendum sit, ne procus, qui opere nil impudicum egit, morosâ delectatione vel desiderio fortassis egerit, cujus occasionem puella dederit) an puella illa nescit, malum dæmonem subinde cum vulpe mortuum se fingere, ut volucres prædetur? Versutissimus alastor ille, dum videt puellam & procum mutui amoris oblectamentis usque ad concubitum se dedere, aliquando ad tempus quiescit, nec ad illicita provocat, ne facilè alioqui alter alteri (animadverso periculo) nuntium remittat. Verùm ubi animum sui fiduciâ & securitate implevit, nihil minùs opinantes vehementi tentatione oppugnat & prosternit.

380 Hisce rationibus firmior accedit divinus sermo, accedit & SS. Patrum Traditio, quibus edocemur, periculo proximum esse, qui familiaritatem magnam habet cum feminis; quantò ergo magis, qui familiaritatem habet tantam, ut eodem in lecto nudus cum nuda ad plures horas concumbat? *Nunquid potest homo* (ait Spiritus sanctus Prov. 6.) *abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta ejus non ardeant? aut ambulabit super prunas, ut non comburantur plantæ ejus?* Patres (inquit à Lapide in illum locum) *hæc accipiunt*, non de ipso adulterio, sed de familiaritate cum feminis. Ita Cyprianus, Basilius, Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus, Bernardus, &c.

Cyprianus namque tr. de singularit. Cleric. *Impossibilis liberatio est* (ait de ista familiaritate loquens) *flammis circumdari, & non ardere.*

Basilius tr. de virginit. *Veluti stupa.... si* 381
ignem odorata fuerit, protinùs inflammata succenditur; ita & femineum corpus masculum (vel pede) tangens non multo labore nec inflammatione opus habet; sed cùm naturali ad se invicem rapiantur ardore, simul ac se contingunt, scintillam voluptatis fumantem intrinsecùs sentiunt. Unde scriptum est: Alligabit quispiam ignem in sinu suo, & vestimenta ejus non comburentur, &c.?

Chrysostomus epist. 7. ad Olympiam: *Salomon, qui valdè benè noverat, quam periculosum esset virum mulieri propinquare, dicebat: Alligabit quis in sinu ignem*, &c. *Hoc est autem quod dicit: Sicut impossibile est conjunctum igni non comburi; ita qui accedit ad mulierem, non potest illud effugere.*

Hieronymus epist. ad Eustoch. de custod. 382
virginit. *Unde in Ecclesia Agapetarum* (id est feminarum, quæ quasi devotæ & spirituales viris spiritualibus familiariter cohabitabant) *pestis introiit? Eâdem domo, uno cubiculo, sæpè uno tenentur & lectulo, & suspiciosos nos vocant, si aliquid extimemus.... Istiusmodi homines Salomon in Proverbiis spernit, dicens: Alligabit quis in sinu suo ignem*, &c. Agapetas illas Hieronymus ibidem *meretrices univiras* appellat. Et epist. ad Oceanum de vita Cleric. talem feminam describens: *Janua est* (inquit) *diaboli, via iniquitatis, scorpionis percussio, nocivum genus.... fornax malitiæ.* Et allegatis rursum verbis Salomonis: *Mihi crede* (inquit) *non potest toto corde cum Domino habitare* (nec proinde Deum toto corde diligere) *qui feminarum accessibus copulatur.* Similia habet Augustinus serm. 250. Author verò Catenæ Græcorum: *Quicumque* (inquit) *tetigerit mulierem, id est, quicumque... familiaritate ejus usus fuerit, esto, quod pravum opus attinet, mundus evadat, intra se tamen inquinabitur.*

Bernardus serm. 65. in Cant. *Cum feminæ semper esse, & non cognoscere feminam, nonne plus est quàm mortuum suscitare? Quod minus est, non potes; & quod majus est, vis ut credam tibi? Quotidie latus tuum ad latus juvenculæ est in mensa, lectus tuus ad lectum ejus in camera, oculi tui ad oculos ejus in colloquio.... & continens vis haberi?*

Ad Basilium & Cyprianum redeamus. Ba- 383
silius in Constitut. Monast. c. 3. de quodam jactitante se ex frequenti cum feminis congressu non admodùm lædi: *Hic* (inquit) *aut maris particeps non est, aut portentum est quoddam insolentissimum, & præter omnium opinionem admirabile.*

Propterea Cyprianus epist. 62. cum sanctis Collegis suis Cæcilio, Victore, Sedato, Tertullo, &c. ad quæstionem sibi à Pomponio Episcopo propositam *ae iis virginibus quæ* detectæ fuerant *in eodem lecto pariter mansisse cum masculis, sed* asseverabant *se integras esse*. Respondet talem occasionem prorsus esse proximam, omninòque illicitum ei se exponere: *ne diabolo insidianti, & sævire cupienti ad nocendum detur occasio, quando & Apostolus dicat: Nolite locum dare diabolo. Liberanda est* ergo *vigilanter de periculosis locis navis, ne inter scopulos & saxa frangatur. Eruenda est velociter de incendio sarcina, priusquàm flammis supervenientibus concremetur.* NEMO DIÙ TUTUS EST, PERICULO PROXIMUS. Istud ergo censet periculum proximum; nec certè Laïcis minùs est periculum proximum violandæ castitatis, quàm Diaconis, & Monachis periculum proximum violandi voti. Probatque Cyprianus periculi proximitatem. *Nam graves multorum* ejusdem conditionis *ruinas hinc fieri videmus, & per hujusmodi illicitas & periculosas conjunctiones corrumpi plurimas virgines, cum summo animi nostri dolore conspicimus..... Ipse concubitus.... quantum dedecoris & criminis confitetur! Si superveniens maritus sponsam suam jacentem cum altero viderit, nonne indignatur, & fremit, & per zeli dolorem fortassis & gladium in manum sumit?* Quasi dicat: quemadmodùm *solum cum sola*, sponsa alterius, *nudum cum nuda in eodem lecto jacuisse*, vehementem parit præsumptionem adulterii perpetrati, cap. *litteris* de præsumpt. sic solutum cum soluta, nudum cum nuda in eodem lecto jacuisse, vehementem parit præsumptionem commissæ fornicationis. A communiter accidentibus.

384 Unde concludit: *Idcircò consultè & cum vigore fecisti, Frater charissime, abstinendo (id est excommunicando) Diaconum, qui cum virgine sæpè mansit, sed & cæteros, qui cum virginibus dormire consueverant, etiamsi asseverarent integras se esse. Quòd si pœnitentiam egerint, & à se invicem recesserint.... & si virgines inventæ fuerint, acceptâ communicatione ad Ecclesiam admittantur. Hâc tamen interminatione, ut si ad eosdem masculos postmodùm reversæ fuerint..... graviore censurâ affligantur, nec in Ecclesiam postmodùm facilè recipiantur.*

Manifestum est ergo tales absolvi non posse sine proposito masculis ampliùs non concumbendi, juxta sententiam Cypriani, aliorumque Patrum. Zelum proinde sanctissimi Cypriani sapienter imitatus Episcopus Atrebatensis, periculosissimam scandalosissimamque Gobati propositionem justissimâ proscripsit censurâ.

Regula VII.

385 SI pœnitens constitutus sit in occasione proxima, à qua se physicè nequeat separare, v. g. quia eodem in carcere detinetur cum femina quacum peccat, absolvendus non est, nisi ab occasione illa separatus corde (dum non potest corpore) id est, nisi aliquanto tempore occasionem illam de proxima fecerit remotam, per vitæ emendationem. Aliàs absolutione donaretur cum evidenti periculo profanationis.

Et confirmatur, quia ad hoc ut absolveretur, ab occasione separatus esse deberet corpore, si in ipsius foret potestate. Ergo dum id in ipsius potestate non est, saltem ab ea separatus esse debet corde, ita ut Confessarius prudenter judicare queat, ipsum toto corde, plenâque voluntate renuntiasse peccato; occasionem proinde ipsi non ampliùs esse proximam. 386

Regula VIII.

IDem de iis dicendum, qui per habitum pravum (v. g. se polluendi) sibimetipsis facti sunt occasio proxima isto in genere peccandi. Cùm enim se à seipsis physicè non possint separare corpore, magis quàm illi de quibus proximè, saltem necesse est, quòd se à seipsis separent corde toto, plenâque voluntate, utque adeò moraliter emendando se, ut sibimetipsis jam ampliùs non sint occasio proxima nefandi istius peccati, uti sapienter monet Illustrissimus D. Episcopus Atrebatensis in Instructione adjecta tertiæ suæ Epistolæ Pastorali c. 9. Oportet ergo peccatores illos tempore notabili se à peccato continuisse, sibique vim talem intulisse, ut proximæ occasionis, seu pravæ consuetudinis vim superaverint, priusquàm absolutione donentur. Aliàs Confessarius moraliter certus esse non potest de sufficienti contritione, plenâque conversione ipsorum; sed de ea incertus erit & dubius, etiamsi peccatorum numerum notabiliter diminuerint, si adhuc bis vel ter quolibet mense relabantur, qui anteà quotidie labebantur, prout ostendetur Regulâ 9ª. Dubiè verò contritos Confessarius citra necessitatem absolvere non potest. Unde abominanda videtur propositio Baunii Theol. Moral. p. 1. tr. 4. de pœnit. q. 15. *Absolutio toties quoties impertienda est adolescenti, in pollutiones crebras semper recidenti, tametsi sæpè admonitus emendandæ vitæ promissa non servaverit, nec pro tollenda consuetudine laboraverit, dummodò cum dolore & proposito necessario confiteatur, de quo Sacerdoti ex ejus ore voceque constet.* 387

Regula IX.

NOn semper impertienda est absolutio statim atque in occasionario, non dimissâ occasione, aliqua apparet emendatio; eò quòd utique, de emendatione admoniti, ad hoc nonnihil allaboraverint, nec toties ut antè lapsi fuerint, nec tam citò & facilè tentationi succubuerint, sed cum lucta, ita ut qui anteà singulis penè diebus labebantur, jam ampliùs non labantur nisi bis in mense. Ratio est, 388

quia quòd ad sui emendationem nonnihil allaboraverint, nec toties ceciderint, nec tam facilè & citò tentationi succubuerint, sed cum ea luctati fuerint, signum quidem est hominis converti incipientis, sed non protinùs est signum hominis jam plenè conversi.

Cùm plena conversio sit integra totius hominis interioris & exterioris mutatio; quæ sicut nondum satis apparet in homine, qui ante ultimam confessionem, unius mensis spatio peccabat quotidie, & jam non peccavit nisi alterno quoque die; nec in eo qui anteà solitus sexies se polluere quâlibet hebdomadâ, jam nonnisi bis quâlibet hebdomadâ se polluit; ita nec in eo qui anteà solitus quolibet mense ferè quotidie nequitiam illam perpetrare, jam non perpetrare solet nisi bis quolibet mense. Quamdiù enim prava consuetudo adhuc retinet vim ipsum pertrahendi in crimen semel aut bis quolibet mense, signum est nondum devictæ, sed adhuc eousque regnantis seu prædominantis in ipso carnalis cupiditatis (tametsi ex parte diminutæ) utpote tantas adhuc vires habentis, ut licèt moraliter non ampliùs necessitet ad toties quoties antè, adhuc tamen moraliter quodammodò necessitet ad semel aut bis in mense crimen illud committendum. Nam si saltem eatenùs non remaneret vis prioris consuetudinis, crimen illud semel aut bis quoquo mense de more non extorqueret. Cùm igitur de more extorqueat, ut supponitur; signum videtur probabilissimum, si non manifestum, saltem eatenùs regnantis adhuc seu prævalentis ac prædominantis in ipso carnalis cupiditatis: nondum proinde regnantis ac prædominantis charitatis, sine cujus prædominio plena non habetur conversio.

389 Videre est hoc in Augustino, qui licèt, antequam audiret, *tolle, lege, tolle, lege*, habere cœpisset bonam voluntatem, per eamque converti, multùmque adversus carnalem cupiditatem suam, pravamque illius consuetudinem luctari cœpisset, eamque usque adeò diminuisset, ut, sicut dicit l. 8. Confess. c. 11. conaretur plenè converti, solùmque in modico per carnalem cupiditatem teneretur, vincereturque; se tamen plenè conversum non credidit, nisi postquam auditâ cælesti voce illâ, *tolle, lege*, &c. lectoque Apostoli Codice, totum se mutatum sensit, prout ipsemet declarat ibidem.

390 Quòd itaque à partiali voluntate consequentia bona non sit ad totalem, non solùm Dialectica Regula demonstrat, secundùm quam à parte non sequitur ad totum; sed insuper demonstrat Augustini conversio, cujus plenitudinem multi bonæ voluntatis motus, multa conversionis desideria, luctæ multæ contra inolitam consuetudinem, multi conatus præcesserunt, & diù præcesserunt. Sed non erant nisi quædam illius initia & inchoationes, conceptioni similes: *nec voluntas nova* quæ ipsi esse cœperat, ut Deo se totum daret, *adhuc erat idonea ad superandam priorem vetustate roboratam*, uti fatetur l. 8. Confess. c. 5. Jam 391
(uti narrat l. 3. c. 4.) lecto Ciceronis Hortensio exarserat ad amorem immortalis sapientiæ. Jam audito Ambrosio paulatim ab erroribus resipuerat, l. 5. c. 14. Jam de vita rectè instituenda deliberaverat, l. 6. c. 11. Jam concubinam in Africam, de matrimonio cogitans, remiserat. Ibidem c. 15. Jam (inquit c. 16.) *me revocabat à profundiore voluptatum carnalium gurgite metus mortis, & futuri judicii. Jam te amabam* (inquit l. 7. c. 17. Deum alloquens) .... sed.... *mox diripiebar abs te ponere meo.... Et pondus hoc, consuetudo carnalis. Sed mecum erat memoria tui.... Tunc verò invisibilia tua, per ea quæ facta sunt, intellecta conspexi; sed aciem figere non valui: & repercussa infirmitate, redditus solitis, non mecum ferebam nisi amantem memoriam, & quasi olfacta desiderantem, quæ comedere nondum possem.* Cap. 18. *Quærebam viam comparandi roboris, quod esset idoneum ad fruendum te: nec inveniebam.* Lib. 8. c. 1. *Placebat via, ipse Salvator, & ire per ejus angustias adhuc pigebat.... Mihi displicebat quod agebam in sæculo, & oneri mihi erat valdè, non jam inflammantibus cupiditatibus, ut solebant, spe honoris & pecuniæ, ad tolerandam illam servitutem tam gravem. Jam enim illa me non delectabant præ dulcedine tua.... sed adhuc nihilominùs tenaciter colligabar ex femina, nec me prohibebat Apostolus conjugari, quamvis exhortaretur ad melius.... Sed ego infirmior eligebam molliorem locum.* Cap. 5. *Exarsi ad imitandum* Victorinum, cujus conversionem à 392
S. Simpliciano audierat.... *invenit ille occasionem vacandi tibi. Cui rei ego suspirabam ligatus, non ferro alieno, sed mea ferreâ voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat pravæ consuetudinis. Voluntas autem nova quæ mihi esse cœperat, ut te gratis colerem... Deus.... nondum erat idonea ad superandam priorem vetustate roboratam. Ita duæ voluntates meæ, una vetus, alia nova, illa carnalis, illa spiritualis, confligebant inter se, atque discordando dissipabant animam meam.*

Cap. 8. *In illa grandi rixa interioris domûs* 393
meæ.... ego fremebam spiritu, indignans turbulentissimâ indignatione, quòd non irem in placitum & pactum tecum, Deus meus, in quod eundum esse omnia ossa mea clamabant.... Et non solùm ire, verum etiam pervenire illuc, nihil erat aliud quàm velle ire; sed velle fortiter & integrè, non semisauciam hac atque illac versare & jactare voluntatem, hac parte assurgentem, cum alia parte cadente luctantem.. Tam multa ergo feci, ubi non hoc erat velle, quod posse; & non faciebam, quod & incomparabili affectu amplius mihi placebat. Sed ideò non fiebat, quia nondum plenè volebat, ut explicat c. 9.

Cap. 11. *Sic ægrotabam, & excruciabar,* 394
accusans memetipsum solito acerbius nimis, ac volvens & versans me in vinculo meo, donec abrumperetur totum, quo jam exiguo tenebar,

sed

sed tenebar tamen.... Jam penè faciebam, Domine, placitum tuum, *& non faciebam: nec relabebar tamen in priſtina, ſed de proximo ſtabam.... Et item conabar, & paulò minùs ibi eram... nec attingebam, nec tenebam, hæſitans mori morti, & vitæ vivere; pluſque in me valebat deterius inolitum* (adhuc ergo prædominabatur carnalis cupiditas) *quam melius inſolitum. Retinebant nugæ nugarum.... & ſubmurmurabant: Dimittiſne nos?.... Et audiebam eas jam longè minùs.... Retardabant tamen cunctantem me abripere, atque excutere*
395 *ab eis.* Tandem, uti narrat cap. 12. *oborta eſt procella ingens, ferens ingentem imbrem lachrymarum.... & dimiſi habenas lachrymis, &.... dixi tibi: Et tu Domine uſquequò.... Ne memor fueris iniquitatum noſtrarum antiquarum. Sentiebam enim me ab eis teneri: jactabam voces miſerabiles, quamdiù? quamdiù?... Et flebam amariſſimâ contritione cordis mei. Et ecce audio vocem...Tolle, lege; tolle, lege.... Arripui Codicem Apoſtoli, aperui, & legi in ſilentio.... non in comeſſationibus.... non in cubilibus & impudicitiis.... ſed induimini D. J. C. & carnis providentiam ne feceritis in concupiſcentiis veſtris. Nec ultra volui legere, nec opus erat.*
396 *Statim quippe.... quaſi luce ſecuritatis infuſâ cordi meo, omnes dubitationis tenebræ diffugerunt.* Et tunc demùm de *abyſſo corruptionis* (ut dicit l. 9. c. 1.) *ubi erat tam annoſo tempore.... evocatum eſt in momento liberum arbitrium meum, quo ſubderem cervicem leni jugo tuo, & humeros levi ſarcinæ tuæ, Chriſte Jeſu. Quàm ſuave mihi ſubitò factum eſt carere ſuavitatibus nugarum*, &c.

397 Iſta fuſiùs enarrare non piguit, quia ſpeciali Dei providentiâ ſcripta ſunt ad inſtructionem tum Confeſſariorum, tum pœnitentium, ne decipiantur converſionis initia quædam pro ipſius plenitudine, voluntateſque vel inefficaces pro efficacibus, vel ſemiplenè efficaces pro plenè efficacibus accipientes. Vidimus namque à num. 381. quanta bona in Auguſtino Deus, Deique timor & amor operatus eſt, & quanta impedivit mala, quantùm etiam ipſe contra concupiſcentiam ſuam, pravamque conſuetudinem luctatus fuerit, ingemuerit, infremuerit, lachrymatus fuerit, priuſquàm ex toto converteretur. Vidimus num. 384. quòd in tantum diminuerit vim inolitæ conſuetudinis ſuæ, ut non relaberetur in priſtina, jamque ſolùm in modico per eam teneretur, vinceretur que, ac licèt propè jam victor eſſet illius, nondum tamen plenè victor, nondum proinde regnabat prædominabatur que in ipſo divinus amor: quia adhuc *hæſitabat mori morti, & vitæ vivere, pluſque* adhuc *in ipſo valebat deterius inolitum, quàm melius inſolitum.* Adhuc ipſum *retinebant nugæ nugarum*, plenamque ipſius converſionem retardabant, etſi audiebat eas *jam longè minùs.*

398 Hinc ergo ſolidum hoc conficitur argumentum: haud minora, imò longè majora ſunt, quæ Dei timor & amor operatus eſt in Auguſtino, antequam audiret, *tolle, lege; tolle, lege*, quàm quæ operatur in iis de quibus modò agimus. Si ergo iis non obſtantibus Auguſtinus nondum erat plenè converſus, nec adhuc ex toto volebat *mori morti, & vitæ vivere*; profectò nec ipſi; imò longè minùs ipſi.

Prorſus ergo improbandi ſunt, qui cum P. 399
Jacops dicunt, Caupones, Aurigas, Chirurgos, & ſimiles, illis in artibus graviter peccare ſolitos, nec tamen alterius artis peritos, ſtatim abſolvendos eſſe, ſi iſtis in circumſtantiis *reincidant quidem, ſed non tam facilè, nec tam frequenter.* Quæro namque unde id inferant? Ex eo (inquiunt) quod aliqua in ipſis ſit emendatio, colligitur efficax fuiſſe propoſitum ipſorum. Atqui non tanta in ipſis emendatio eſt, quanta in Auguſtino, nec tam efficax propoſitum. Nulla igitur eſt illatio; maximè cùm ex partiali emendatione inferri nequeat voluntas efficax emendandi ſe ex toto, ſed ex parte dumtaxat; nec voluntas plena, ſed ſemiplena tantùm.

Enimverò ſi non peccaſſe toties, nec tam 400
facilè quàm antè, ſignum eſſet plenæ converſionis, conſuetudinarius, ſolitus in menſe centies magna cum facilitate peccare, toties à Confeſſario ſtatim abſolvendus foret, quoties aliquantò minùs, & minori cum facilitate peccaſſet, etiamſi poſt ſingulas confeſſiones ſæpiùs reincidiſſet. Imò ſi, poſt confeſſas primâ vice mille fornicationes, ſecundâ vice non confiteretur niſi 980. tertiâ vice 960. quartâ vice 940. & ſic deinceps, cum aliqua ſemper diminutione facilitatis, ſtatim abſolvendus eſſet toties quoties. Quod adeò videtur abſurdum, ut piæ aures non ſuſtineant, nec Sanctorum traditio permittat.

Regula X.

SUnt aliquæ occaſiones, quæ deſeri non poſ- 401
ſunt abſque damno temporali notabili. Has priuſquàm deſerere cogatur pœnitens, plura remedia malo ipſius curando idonea conſultò præſcribet Confeſſarius, differendo interim ad tempus abſolutionem, ut videat an occaſio, hactenùs proxima, deſinet eſſe talis. Id in certis circumſtantiis, Confeſſarius prudenter aliquando ſperare poteſt, dummodò occaſio non ſit talis, quæ moralem quamdam inferat peccandi neceſſitatem (cujuſmodi eſt domi, vel apud amicum ſuo rogatu concubinam alere) ſed vel occaſio per accidens, in qua peccatum nondum eſt conſuetudine firmatum, vel occaſio quidem per ſe, ſed necdum moralem adferens peccandi neceſſitatem, qualis eſt v. g. cohabitatio fratris cum ſorore, vel filiifamilias cum ancilla, quacum ſemel dumtaxat iterùmque peccavit, nec tamen ſororem vel ancillam è domo paterna eſſcere poteſt, nec ex ea ipſe migrare, abſque notabili offenſione parentum. Si pœnitens tunc fidelem ſe exhibeat in exequendis remediis ſibi à

Confessario præscriptis (qualia sunt solum non versari cum sola , in ea non figere vultum , ipsi non corridere , nec specialis amoris vel familiaritatis signa exhibere , frequentibus ferventibusque se orationibus , & carnis macerationibus contra relapsum munire , Confessarium reddendæ rationis gratiâ frequenter accedere , &c.) eaque speratum habuerint effectum , Confessarius ipsum emendatum , post tempus non modicum in pœnitentiæ operibus impensum , absolvere poterit. Quia se conversum satis ostendit per opera. Si verò remedia præscripta non profuerint , nec appareat emendatio , tum demùm neganda ipsi absolutio , nisi deseratur occasio. Quia pœnitens fragilitatem suam expertus , & remediis sibi præscriptis fruſtrà usus , censendus est velle peccatum , si non deserat occasionem quæ in peccatum velut quâdam necessitate ipsum præcipitat. Ita Illustrissimus Atrebatensis loco suprà relato. Magnâ tamen tunc opus prudentiâ , ne dum proximus ab uno periculo liberatur , in aliud æquale vel majus conjiciatur.

402 Si cui durum videatur in casu antè dicto jubere ut filius , frater , soror , &c. è domo paterna discedat. Meminerit 1°. scriptum esse , *propter verba labiorum tuorum , ego custodivi vias duras.* 2°. duram etiam quibusdam videri jussionem Salvatoris , *si oculus dexter scandalizat te , erue eum , & projice abs te* , &c. (ex qua manifestè consectaria est jussio illa Confessarii) ex unanimi tamen sanctorum Patrum doctrina , strictum includit præceptum juris naturalis & divini. 3°. id non juberi , nisi in extremitate , post tentata in vanum alia remedia.

Regula XI.

403 Sunt etiam aliquæ occasiones , quæ primùm absque peccato deseri non possunt , sed quæ possunt deseri deinceps , si præstitis quæ prudens Confessarius suasit , & remediis omnibus adhibitis , nihil profectum sit , nec spes sit futuri deinceps majoris profectûs. Talis occasio est v. g. uxoris cui maritus est causa continua tot peccatorum , ut cum ipso (post tentata remedia omnia) salutem suam operari non possit. Talis & occasio famuli , ad heri obsequium contractu obstricti , dum obsequium est ipsi occasio proxima , quam vincere non potest , nec tamen absque notabili detrimento heri ipsum deserere potest. In ejusmodi casibus famulus iste uti debet remediis omnibus ad peccatum vitandum ; sed tandem si remedia omnia fruſtrà sint , cogendus est eum deserere (ait Illustrissimus Atrebatensis ibidem) damno heri , quantùm potest , reparato. Quia tunc contractus non censetur obligare usque ad evidens & quodammodò certum damnationis periculum , nec creditur famulus , dum curas & labores suos hero obstrinxit , simul & animam obstrinxisse. Et si in evidenti vitæ periculo versaretur , nisi herum desereret , tutâ ipsum conscientiâ desereret , damno heri , quantùm potest , sarcito. Quod autem licet ipsi pro vita , licet à fortiori pro salute æterna.

De uxore major videri potest difficultas. Tametsi justam separationis causam idem Illustrissimus meritò censeat , dum adhibitis omnibus remediis , marito cohabitare nequit sine dispendio salutis , seu periculo quasi certo æternæ damnationis ; eò quòd utique remedia omnia inutilia reddat maritus , continuâ ipsius ad peccatum mortale provocatione. 404 Quia justa separationis causa , juxta Canones , est quodcumque mariti crimen , ex quo uxori imminet quasi certum vitæ , vel sævæ cohabitationis , vel æternæ salutis periculum , uti novissimè docet Iveninus de matrim. q. 5. c. 2. a. 3. §. 3. Unde vel ipsi Casuistæ , Navarrus , Thomas Sanchez , Thomas Hurtado , aliique passim (teste Authore praxis solidæ sect. 4. §. 1.) docent , quòd uxor maritum deserere possit , si ipsam ad mortale peccatum sollicitet. Favetque ratio : quia si uxor marito cohabitare , seu convivere non teneatur cum periculo quasi certo mortis corporalis ; à fortiori nec cum periculo mortis spiritualis. Nihilominùs ob grandia inconvenientia ad extremitatem illam , sine mariti consensu , non deveniendum , nisi extrema in necessitate , deque Ecclesiastici Judicis authoritate ; utpote per quam alioqui compelletur ad maritum redire , ipso id requirente.

Regula XII.

405 Semper impendenda non est absolutio statim atque pœnitens proximam reverà deseruit occasionem ; sed aliquando videre debet Confessarius , an non justa subsit causa probabiliter metuendi , ne post absolutionem , eam repetat. Si enim subsit , prudentia dictat justo temporis spatio explorandum animum ipsius , priusquàm absolvatur.

§. VI.

Satisfit argumentis , quæ in contrarium objiciuntur.

406 Objicies 1°. Invalidè conjugatis , ob perpetuum impotentiæ impedimentum , Ecclesia cap. *consultationi* , & cap. *laudabilem* de frigid. & malefic. permittit , ut simul habitent , tanquam frater & soror.

Respondeo nihil inde confici : neque enim cohabitatio fratris cum sorore ordinariè censetur periculosa , nec respectu ipsorum peccati occasio proxima.

407 Objicies 2°. Judith non peccavit , exponendo se periculo proximo peccandi cum Holoferne , ad impediendam ruinam populi sui.

Impia objectio , sanctissimæ Judithæ injuriosa , atque omninò temeraria. Impium namque , injuriosum & temerarium est asserere , quòd se proximo illi periculo exposuerit , quæ innixa super Omnipotentem , acceptâque cælitùs protectionis ipsius securitate , decollato Holo-

Holoferne, populum suum mirabiliter liberavit.

408 Objicies 3°. D. Basilius de Constit. Monast. c. 4. dicit, quòd *qui urgente causâ, & necessitate aliquâ se periculo objicit, vel permittit se esse in illo, cum tamen aliàs nollet, non tam dicitur amare periculum, quàm invitus illud subire. Quòdque ideò magis providebit Deus, ne in illo pereat.*

Respondeo objicientem imponere Basilio, utpote ne verbum quidem ex objectis habenti, nec ad rem præsentem ibi quidquam loquenti, sed solùm quòd Monachis *fugiendæ imprimis cum mulieribus congressiones sunt, collocutionesque, neque ad eas unquam accedendum, nisi cùm gravissima nos aliqua ad eas necessitas impellit, & aliter facere non possumus.* Quo profectò casu nulla est umbra proximæ occasionis cum illis peccandi, velut à D. Basilio permissæ.

409 Objicies 4°. S. Thomas 2. 2. q. 10. a. 9. permittit accessum ad infideles cum proximo propriæ perversionis periculo.

Respondeo eos qui id objiciunt imponere S. Doctori, suamque prodere oscitantiam in legendis sanctis Doctoribus. Nam S. Thomas ibi contrarium asserit, his verbis: *Infirmi in fide, de quorum salute probabiliter timeri potest, prohibendi sunt ab infidelium communione, & præcipuè ne magnam familiaritatem cum eis habeant, vel absque necessitate eis communicent.* Vult ergo absolutè prohibendos, etiamsi necessitas urgeat, si probabile sit periculum perversionis, sed maximè si nulla necessitas urgeat. Unde ad 1. absolutè pronuntiat: *Si domino periculum immineat ex communione servi infidelis, deberet eum à se rejicere, secundùm illud mandatum Domini: Si pes tuus scandalizaverit te,* &c.

Objicies 5°. Proxima peccandi occasio 410
non est peccatum. Ergo in ea ex aliqua necessitate manere non est peccatum.

Nego consequentiam. Tametsi enim proxima peccandi occasio peccatum non sit, isti tamen occasioni voluntariè se exponere peccatum est; sicut non abjicere manum, oculum, pedem scandalizantem. Enimverò eo ipso præcepto, quo Deus prohibet v. g. occidere, mœchari, furtum facere, &c. prohibet voluntariè exponere se periculo proximo occidendi, mœchandi, furtum faciendi. Et sic de aliis.

PARS II.
De septem peccatis capitalibus.

CAPUT PRIMUM.

Omnia peccata capitalia ex genere suo mortalia sunt.

1 Septem sunt peccata capitalia, superbia, avaritia, luxuria, invidia, gula, ira, acedia; ideò capitalia dicta, quia plurium aliorum peccatorum capita, seu fontes sunt. De iis quæritur, num omnia ex genere suo mortalia sint? De avaritia namque, invidia, gula, &c. id negant Noviores aliqui Casuistæ. Verùm de omnibus affirmat S. Thomas. De superbia utique 2. 2. q. 162. a. 5. De avaritia ibidem q. 118. a. 4. De luxuria q. 15. de malo a. 2. De invidia 2. 2. q. 36. a. 3. & q. 10. de malo a. 2. De gula 2. 2. q. 148. a. 2. De ira ibidem a. 3. & q. 12. de malo a. 3. De acedia 2. 2. q. 35. a. 3. & q. 11. de malo a. 3.

2 De gula quidem aliter sentire videtur q. 14. de malo a. 2. At ob rationem, quam sibi objicit solvitque 2. 2. q. 148. Et reverà gulam peccatùm esse ex genere suo mortale, probat ratio, quâ utitur loco citato de malo: Genus seu *species moralis actûs sumitur ex objecto. Unde si objectum peccati alicujus contrariatur charitati, in qua vita spiritualis consistit, necesse est quòd illud peccatum sit mortale ex genere suo, vel ex sua specie. Peccatum* autem *gulæ consistit in concupiscentia inordinata delectationis ciborum & potuum.* Delectatio proinde cibi & potûs inordinatè concupita, proprium est gulæ objectum. Atqui delectatio illa inordinatè aliquando sic concupiscitur ut charitati contrarietur, *quando* scilicet *delectationi* illi *inhæret homo tamquam fini, propter quem Deum contemnit, paratus scilicet contra præcepta Dei agere, ut delectationes hujusmodi assequatur.* 2. 2. q. 148. a. 2.

Nec ad hoc necesse est quòd paratus sit 3
agere contra præcepta alia quàm ipsiusmet charitatis, prohibentis ponere finem ultimum in aliquo extra Deum, in eoque beatitudinem suam constituere, sicut faciunt illi, *quorum Deus venter est*, ut Apostolus ait Philipp. 3. Quemadmodùm enim propria excellentia, pecunia, delectatio venerea, vindicta, &c. propria sunt objecta superbiæ, avaritiæ, luxuriæ, iræ, &c. dum inordinatè concupiscuntur ut finis, in iis finem ultimum ponendo (prout in divitiis suis villicus quidam, juxta Antuerpiam, posuisse narratur, dum revertens à nuptiis filiæ suæ, Deo dixisse fertur: *Domine, si velles hic in perpetuum me relinquere, cum divitiis meis, gratias agerem tibi pro Paradiso tuo*: sed vix absolverat, cùm è cur-

ru suo deciduus, rotâ guttur ipsius opprimente, interiit, Paradisumque cum divitiis suis amisit) ita & delectatio cibi & potûs, dum similiter inordinatè concupiscitur ut finis. Unde de iis meritò Apostolus Rom. 16. dicit: *Hujusmodi enim Christo non serviunt, sed suo ventri.* Qui & propterea ad Galat. 5. *iram, invidiam, ebrietates, comessationes, & his similia* connumerat inter *opera carnis*; de quibus subjungit; *qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.*

4 Ut ergo gula sit mortale peccatum, necesse non est quòd notabiliter lædat sanitatem, vel rem familiarem; similiter ut jactantia mortalis sit, necesse non est ut jactantis animus cum Rege Tyri dicat: *Ego sum Deus.* Vel cùm Pharisæo: *Non sum sicut cæteri hominum.* Nec ut avaritia, seu inordinatus amor divitiarum, peccatum sit lethale, necesse est quòd juncta sit, vel cum injustitia auferendi retinendivè alienum, vel cum duritia pauperibus subveniendi, vel quòd ei aliquid exterius addatur; sed sufficit, quòd in iis finis ultimus ponatur.

CAPUT II.

Definitio, species, malitia superbiæ.

5 SUperbia est *inordinatus appetitus propriæ excellentiæ.* S. Thomas 2. 2. q. 162. a. 1. & 2. Quatuor species ipsius assignat ex D. Gregorio S. Doctor a. 4. scilicet 1am. *æstimare bonum à seipso habere.* 2am. *sibi datum desuper, credere pro meritis accepisse.* 3am. *jactare se habere quod non habetur.* 4am. *despectis cæteris, appetere singulariter videri habere quod habetur.*

6 Prima itaque superbiæ species est, cùm aliquis existimat, vel ita se gerit, quasi existimaret se à seipso habere bona, sive corporis, sive animæ, sive naturalia, sive supernaturalia, quæ revera habet à Deo. Secunda, cùm quis agnoscit quidem à Deo se habere bona, quæ habet, sed ea meritis suis tribuit, non gratuito Dei dono, vel ita apud se existimando, aut volendo ut alii ita existiment, vel opere externo ita se gerendo, ac si meritis suis illa consecutus esset. Unde, ut peccet quis primâ illâ, vel secundâ specie, necesse non est ut judicet, *aliquod bonum esse, quod non est à Deo, vel gratiam hominibus pro meritis dari* (quod pertinet ad infidelitatem) *sed quòd ex inordinato appetitu propriæ excellentiæ ita de bonis suis glorietur, ac si ea à se haberet, vel ex meritis propriis*, ait S. Thomas ad 1.

7 Tertia species est, arrogare sibi ea bona, quæ verè non habet, cujuscumque sint generis, sive opere, sive desiderio, sive ita de se aliquis sentiat, sive velit ut alii ita sentiant. Quarta est, dum aliquis, despectis cæteris, videri amat, aut satagit, singulariter habere, quod etiam alii habent; eò quòd appetat aliis, scientiâ, virtute, aliisque corporis vel animi dotibus, sive naturæ, gratiæ, vel fortunæ muneribus antecellere.

8 Superbiam esse peccatum ex genere suo mortale, constat ex Apostolo Rom. 1. ubi superbi numerantur inter eos qui *digni sunt morte.* Nec non ex Proverb. 8. Deus *arrogantiam & superbiam detestatur.* Et c. 16. *Abominatio Domini est omnis arrogans.* Unde Job 41. Leviathan dicitur *Rex super universos filios superbiæ.* Et juxta D. Gregorium 24. Moral. 18. *evidentissimum reproborum signum superbia est.*

9 Imò superbia consummata, primum gravissimumque omnium peccatorum est, non ratione conversionis ad bonum creatum (quia celsitudo quam appetit maximam non habet repugnantiam cum bono virtutis) sed ratione aversionis à Deo, uti docet S. Thomas 2. 2. q. 162. a. 6. *Quia in aliis* (inquit) *peccatis homo à Deo avertitur, vel propter ignorantiam, vel propter infirmitatem, sive propter desiderium cujuscumque alterius boni. Sed superbia habet aversionem à Deo, ex hoc ipso quòd non vult Deo, vel ejus regulæ subjici.* Superbia namque consummata in eo consistit quòd quis ita extollatur, ut Deo, Superioribus, eorumque legibus subjici nolit. Et ideò primum est peccatorum, 1°. ratione aversionis à Deo, quæ per se ad superbiam spectat, ad alia peccata ex consequenti. 2°. quia cætera peccata ex superbia oriri possunt. 3°. quia primum omnium peccatorum superbia fuit, tum Angeli, tum primi hominis. Hinc D. Ambrosius serm. in Psal. 18. *Maximum peccatum in homine superbia fuit; quandoquidem inde manavit nostri origo delicti.... Ipse diabolus per superbiam naturæ suæ amisit gratiam.* Similiter Augustinus explicans hunc versum ejusdem Psal. *Si mei non fuerint dominati*, &c. *Delictum magnum arbitror esse superbiam. Quæritis quàm magnum sit hoc delictum, quod dejecit Angelum, quod ex Angelo fecit diabolum, eique in æternum intercluserit regnum cælorum? Magnum hoc delictum est, & caput atque causa omnium delictorum. Scriptum est enim*: "Initium omnis peccati superbia." Eccli. 10. Et serm.... in eundem Psal. *Non est majus delictum, quàm apostatare à Deo, quod est initium superbiæ hominis.*

10 Est etiam superbia vitiorum omnium periculosissimum. Quia in virtutes omnes grassatur. *Alia* namque *vitia eas solummodò virtutes impetunt, quibus ipsa destruuntur* (ait D. Gregorius 34. Moral. 18.) .... *superbia autem nequaquam uniùs virtutis extinctione contenta, contra cuncta animæ membra se erigit, & quasi generalis & pestifer morbus, corpus omne corrumpit.* Ideòque à S. Isidoro l. 11. Sententiar. cap. 38. *ruina omnium virtutum* appellatur. Deinde, ut Augustinus ait epist. 211. aliàs 109. *Alia quæcumque iniquitas in malis operibus exercetur ut fiant; superbia verò etiam bonis operibus insidiatur ut pereant.* Et ideò *superbia etiam in rectè factis timenda est* (ait epist. 118. aliàs 56.) *ne illa quæ laudabiliter facta sunt, ipsius laudis cupiditate amittantur.*

11 Propterea justi perpetuò vigilare debent,

ne obrepat superbia, & orare cum Psalmista: *Non veniat mihi pes superbiæ*, Psal. 35. nam ubi venerit superbia, non citò sanatur, ne de ipsa devicta superbiatur. *Ipsam superbiam* (inquit Augustinus lib. de nat. & grat. c. 27.) *quæ & in rectè factis animo insidiatur humano, non citò Deus sanat, pro qua sananda illi piæ animæ cum lachrymis & magnis gemitibus supplicant, ut ad eam superandam, & quodammodò calcandam & obterendam, dexteram conantibus porrigat. Ubi enim lætatus homo fuerit, in aliquo bono opere se etiam superasse superbiam, ex ipsa lætitia caput erigit, & dicit: Ecce ego vivo, quid triumphas? Et ideò vivo, quia triumphas.*

12 Superbia itaque peccatum est mortale 1°. quotiescumque præ superbia quis subjici renuit Deo, vel aliis Superioribus suis.

13 2°. quotiescumque finis ultimus ponitur in humana gloria vel excellentia, magisque diligitur gloria hominum, quàm gloria Dei, uti dilexerunt illi de quibus Joan. 12. *Crediderunt in Christum; sed propter Pharisæos non confitebantur, ut è Synagoga non ejicerentur: dilexerunt enim gloriam hominum, magis quàm gloriam Dei.*

14 3°. quotiescumque quis extollit se cum gravi contemptu, vel contristatione proximi, uti Phenenna de fœcunditate sua sic gloriabatur, ut exprobraret Annæ (matri Samuelis) sterilitatem suam, istâque exprobratione ipsam valdè contristaret.

15 4°. quotiescumque gloria propria quæritur per injustam depressionem aliorum, v. g. detractionem, maledicentiam, &c.

16 5°. quotiescumque Reges & Principes amplificare student gloriam politici Statûs sui cum dispendio Religionis, vel gravi injustitiâ vicinis Statibus illatâ.

17 6°. quotiescumque nobiles, seu alii, cum solito splendore aliter vivere non valentes, undequaque pecuniam corradunt, vel debita contrahunt (quibus solvendis non sunt) graviter damnificantes proximos suos, ne solito splendori quidquam detrahere videantur.

18 7°. Non est dubium primam & secundam superbiæ speciem n. 5. & 6. commemoratam de se esse mortalem, utpote divinæ beneficentiæ, gratiosæque bonitati graviter injuriosam.

19 In tertia specie mortalis est jactantia de mortali crimine; sicut & jactantia qualitatum (quas non habes) ad finem obtinendi officium vel beneficium, aut dignitatem, cujus capax non es; jactantiam item divitiarum (cùm sis pauper) ad finem obtinendi (per fraudulentam illam deceptionem) uxorem longè ditiorem.

20 Quarta species lethifera est, quotiescumque conjuncta est cum gravi aliorum despectu, prout dictum est n. 14.

21 Monet tamen S. Thomas cit. q. 162. a. 5. quòd *sicut in aliis quæ sunt peccata mortalia.... sunt aliqui motus, qui sunt peccata venialia propter eorum imperfectionem, quia scilicet præveniunt judicium rationis, & sunt præter ejus consensum* (perfectum) *ita etiam circa superbiam* accidit, quòd aliqui motus superbiæ sint peccata venialia, *dum eis ratio* perfectè *non consentit.*

CAPUT III.

Tres filiæ superbiæ, præsumptio, ambitio, & inanis gloria.

Præsumptio, de qua hîc, non est præsumptio de misericordia Dei, sed de propria virtute. Definitur, appetitus inordinatus aggrediendi aliquid supra vires, vel capacitatem, v. g. cùm quis præsumit exercere officium Judicis, Advocati, Medici, &c. cujus non est capax. Mortalis est, dum conjuncta est cum gravi injuria Dei (ut cùm Lucifer dicere præsumpsit: *Similis ero Altissimo*) vel cum periculo gravis damni proprii (ut dum quis equum ferocem ascendit) vel damni proximi (ut dum incapax præsumit exercere officium Confessarii, Medici, &c.) vel cum gravi periculo peccandi, ut dum quis propriam cognoscens ad venerea proclivitatem, feminarum se conversationibus, absque necessitate, ingerit, in quibus suam sæpiùs expertus est fragilitatem. 22

Ambitio est appetitus inordinatus honoris & dignitatis, ut si ambias officium, vel dignitatem, cujus non es capax, vel non dignus. Nam, ut S. Thomas ait 2. 2. q. 131. a. 1. *tripliciter contingit appetitum honoris esse inordinatum. Uno modo per hoc quòd aliquis appetit testimonium de excellentia quam non habet, quod est appetere honorem supra suam proportionem. Alio modo per hoc quòd honorem sibi cupit, non referendo in Deum. Tertio per hoc quòd appetitus ejus in honore quiescit, non referendo honorem ad utilitatem aliorum. Unde patet, quòd ambitio semper sit peccatum.* Semper ergo peccatum est appetere honorem præcisè propter se, licèt contrarium sentiant nonnulli Casuistæ. 23

Ambitio peccatum est mortale 1°. dum finis ultimus ponitur in honore. 2°. dum honor vel dignitas quæritur cum notabili dispendio honoris Dei, vel utilitatis proximi, ut dum ambitio tua à consecutione honoris vel dignitatis alium impedivit, qui Deum in honore illo longè magis glorificasset, vel animarum salutem, communeque bonum longè magis promovisset quàm tu. 3°. dum honor quæritur per media graviter illicita, v. g. officium vel beneficium ecclesiasticum per simoniam, fraudem, detractionem, illicitam subornationem, &c. 4°. dum honorem sibi quis exhiberi vult, absque ullo dignitatis, excellentiæ, vel conditionis titulo. 24

Cæterùm, etsi appetere aliis prodesse, sit secundùm se laudabile & virtuosum; multi tamen sub hoc prætextu suam palliant ambitionem, quâ prælati officium ambiunt, propter annexum honorem ac potestatem. Quod prorsus illicitum esse, ex Evangelio & Patri-

bus ostendit S. Thomas 2. 2. q. 187. a. 1. Unde dicit *præsumptuosum videri, quòd aliquis præesse appetat, ad hoc quòd subditis prosit, nisi manifestâ necessitate imminente.* Apostolus namque Hebr. 5. dicit: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo.* Et Author operis imperfecti in Matth. Homil. 35. *Primatum Ecclesiæ concupiscere, neque justum est, neque utile. Quis enim sapiens vult ultrò se subjicere servituti, & periculo tali, ut det rationem pro omni Ecclesia, nisi fortè qui non timet Dei judicium?*

25 Quemadmodùm autem honores & prælaturas, extra manifestam necessitatem, quærere, ambitio est; sic detrectare, dum vel manifesta necessitas, vel legitimi Superioris præceptum urget ad acceptandum, pusillanimitas est. Unde Gregorius dicit in Pastorali: *Illi qui prodesse utilitati proximorum in prædicatione refugiunt, si districtè judicentur, ex tantis rei sunt, ex quantis venientes ad publicum prodesse potuerunt.* Et S. Thomas loco citato a. 2. *Sicut ad inordinationem voluntatis pertinet, quòd aliquis proprio motu feratur in hoc quòd aliorum gubernationi præficiatur; ita etiam ad inordinationem voluntatis pertinet, quòd aliquis omninò contra Superioris injunctionem prædictum gubernationis officium finaliter recusèt, propter duo. Primò quidem, quia hoc repugnat charitati proximorum, quorum utilitati se aliquis debet exponere pro loco & tempore. Unde Augustinus 19. de Civit. Dei dicit, quòd* „ negotium justum susçipit necessitas cha- „ ritatis. „ *Secundò, quia hoc repugnat humilitati, per quam aliquis Superiorum mandatis se subjicit.* Unde Gregorius dicit in Pastorali: „ Tunc ante Dei oculos vera est humilitas, cùm „ ad respuendum hoc quod utiliter subire præ- „ cipitur, pertinax non est.

26 *Vana gloria* est appetitus inordinatus manifestationis propriæ excellentiæ, sive ut excellentia, quam habet, vel habere se putat, aliis manifestetur, & ab ipsis prædicetur. Nam, uti S. Thomas ait 2. 2. q. 132. a. 1. *gloria claritatem quamdam significat; unde gloriari idem est quod clarificari, ut Augustinus dicit super Joan. Claritas autem & decor quamdam habet manifestationem alicujus, de hoc quod apud homines decorum videtur.* Sicut autem *quòd aliquis bonum suum cognoscat & approbet, non est peccatum;* sic *similiter non est peccatum quòd aliquis velit bona sua ab aliis approbari. Et ideò appetitus gloriæ de se non nominat aliquid vitiosum, sed appetitus inanis vel vanæ gloriæ vitium importat. Nam quodlibet vanum appetere, vitiosum est. Potest autem gloria dici vana tripliciter. Uno modo ex parte rei, de qua quis gloriam quærit, puta cùm quis gloriam quærit de eo quod non est, vel de eo quod non est gloriâ dignum, sicut de aliqua re fragili & caduca,* v. g. corporali pulchritudine, divitiis, &c. *Alio modo ex parte ejus à quo quis gloriam quærit, puta hominis, cujus judicium non est certum. Tertio ex parte ipsius qui gloriam appetit, qui videlicet appetitum gloriæ suæ non refert in debitum finem, puta ad honorem Dei, vel proximi salutem.*

An autem, & quando vana gloria mortalis sit, S. Doctor explicat a. 3. dicens, quòd *ex hoc aliquid est peccatum mortale, quòd charitati contrariatur. Peccatum autem inanis gloriæ, secundùm se consideratum, non videtur contrariari charitati, quantùm ad dilectionem proximi. Quantùm autem ad dilectionem Dei, potest contrariari charitati dupliciter. Uno modo ratione materiæ de qua quis gloriatur, puta cùm quis gloriatur* de peccato mortali, v. g. de commissa fornicatione; vel *de aliquo falso, quod contrariatur divinæ reverentiæ; vel etiam cùm quis bonum temporale, de quo gloriatur, præfert Deo; aut etiam cùm quis præfert testimonium hominum testimonio Dei. Alio modo ex parte ipsius gloriantis, qui intentionem suam refert ad gloriam, tamquam ad ultimum finem (ad quem scilicet ordinat etiam virtutis opera) & pro quo consequendo non prætermittit etiam facere ea quæ sunt contra Deum. Et sic est peccatum mortale. Unde Augustinus dicit in 5. de Civit. Dei, quòd* " hoc vitium, " *scilicet amor humanæ laudis* " tam inimicum est piæ fidei, " si major in corde sit cupiditas gloriæ, quàm " Dei timor, vel amor. " *Si autem amor humanæ gloriæ, quamvis sit inanis, non tamen repugnet charitati, neque quantùm ad id de quo est gloria, neque quantùm ad intentionem gloriam quærentis, non est peccatum mortale, sed veniale.* 27

Addit S. Doctor ad 3. quòd *inanis gloria dicitur* (à SS. Patribus) *esse periculosum peccatum, non tantùm propter gravitatem sui, sed etiam propter hoc quòd est dispositio ad gravia peccata, in quantum scilicet per inanem gloriam redditur homo præsumptuosus, & nimis de seipso confidens* (prout videre est in medico v. g. qui in morbo periculoso, quem non satis cognoscit, socium assumere renuit, ne vanæ suæ existimationis jacturam patiatur) *& sic etiam paulatim disponit ad hoc quòd homo privetur interioribus bonis.* Quàm periculosum sit hoc vitium, justisque timendum, præclarè ostendit Augustinus l. 10. Confess. c. 37. & 38. l. 11. de serm. Dom. in monte c. 1. & serm. 12. in Ps. 118. 28

Ad 1. verò dicit, *quòd opus virtuosum amittit vim merendi vitam æternam, si propter inanem gloriam fiat, etiamsi illa inanis gloria non sit peccatum mortale.* Et a. 1. ad 2. quòd *non est verè virtuosus, qui propter humanam gloriam opera virtutis operatur, ut Augustinus probat in 5. de Civit. Dei.* 29

Ex dictis patet quòd ambitio, præsumptio & vana gloria differunt objectis. Quia superbiæ objectum est excellentia personæ; ambitionis, excellentia dignitatis; præsumptionis, excellentia operis; vanæ gloriæ, excellentia famæ vel gloriæ. Superbus namque inordinatè appetit excellentiam personæ; ambitiosus, excellentiam dignitatis; præsumptuosus, ex- 30

cellentiam operis; inaniter glorioſus, excellentiam famæ & gloriæ.

31 Quia verò S. Thomam n. 27. audivimus deſignantem caſus, in quibus inanis gloria peccatum eſt mortale, non abs re erit doctrinam ipſius exemplis illuſtrare. Primum caſum deſignavit, cùm quis *gloriatur de falſo aliquo, quod contrariatur divinæ reverentiæ.* Peccant enim mortaliter, qui ex falſis noviſque opinionibus contra fidem, vèl bonos mores gloriam captant; vel gloriæ ſuæ, vel ſui inſtituti deſiderio docent aliquid ad fidem Catholicam pertinere, quod Eccleſiæ authoritate nondum declaratum eſt tale.

32 Secundum caſum, cùm quis *præfert teſtimonium hominum teſtimonio Dei.* Exemplum eſt in hæreticis, & quibuſlibet pravarum opinionum Authoribus, Doctoribus, vel Prædicatoribus, qui propoſitiones hæreticas, vel hæreſi proximas, erroneas, ſcandaloſas, perniciosas, aut piarum aurium offenſivas, Eccleſiâ licèt, ſeu Romano Pontifice, vel Epiſcopo jubente, ejurare renuunt, vèl retractare, ne famæ & gloriæ jacturam vel diminutionem patiantur. Necnon in iis qui neceſſarium virtutis officium prætermittunt, Deovè ad perfectioris vitæ genus interiùs vocanti obedire nolunt, ne vituperentur ab hominibus. Diligunt enim gloriam hominum, magis quàm Dei.

33 Tertium caſum eſſe dixit, dum *intentionem ſuam* quis *refert ad gloriam, tamquam ad ultimum finem. ... pro quo conſequendo non prætermittit facere etiam quæ ſunt contra Deum.* Exempli gratiâ, quando quis fornicationem committit cum ea, quæ minatur ſe diffamaturam ipſum, tamquam ſollicitantem, vel violentum ſtupratorem, niſi conſentiat. Vel dum Theologus aut Confeſſarius imperitus, vel ſemidoctus, ad difficiles caſus conſcientiæ, doctioribus inconſultis, reſolutoriè reſpondet, ne imperitus vel minùs doctus videatur. De ſimilibus Auguſtinus l. 10. Confeſſ. c. 36. Deum alloquens dicit: *Qui laudari vult ab hominibus, vituperante te, non defendetur ab hominibus, judicante te, nec eripietur, damnante te.*

CAPUT IV.

Remedia vanæ gloriæ.

34 NE ergo efficiamur inanis gloriæ cupidi, illius vanitatem conſideremus, operumque noſtrorum defectus tam multos, tamque frequentes (etſi nobis plerùmque ignotos) ut Iſaïas dicat c. 64. quòd *facti ſumus ut immundi omnes nos, & quaſi pannus menſtruatæ univerſæ juſtitiæ noſtræ.* Et, ut in nobis eſſet aliquid boni, Dei munus eſſe, ipſi proinde, non nobis tribuendum. Conſideremus etiam quàm fatuum ſit æternæ gloriæ præmio fruſtrare ſe pro vana gloriola. Quam ut fugeremus, fugiendam verbis factisque Chriſtus docuit, dum miracula ſua, ſuæque Transfigurationis gloriam celari juſſit. Ne autem benè operantibus irrepat, avertendi ſunt oculi ab operibus bonis, & in defectus noſtros, atque peccata reflectendi, & ad multum, valdèque multum quod nobis deeſt ad Chriſtianæ vitæ perfectionem, primique & maximi mandati implectionem. Denique ſcriptum eſſe Pſ. 52. *Deus confringet oſſa eorum, qui hominibus placent.* Parvi enimverò animi ſunt; magnanimi econtrà, qui de honoribus & laudibus hominum non lætantur, ut Auguſtinus dicit epiſt. 22. aliàs 64. hiſce verbis: *Magnum eſt de honoribus & laudibus hominum non lætari, ſed & omnem pompam inanem præcidere, &, ſi quid inde neceſſarium retinetur, id totum ad utilitatem honorantium ſalutemque conferre. Non enim fruſtrà dictum eſt:* „ Deus confringet oſſa hominum placere volentium. „ *Quid enim languidius, quid tam ſine ſtabilitate & fortitudine (quod oſſa ſignificant) quàm homo, quem mille loquentium lingua debilitat; cùm ſciat falſa eſſe quæ dicuntur? Cujus rei dolor nullo modo animæ viſcera dilaniaret, ſi non amor laudis oſſa ejus confringeret. ... Non hujus hoſtis vires ſentit, niſi qui ei bellum indixerit: quia ſi cuiquam facile eſt laude carere dum denegatur, difficile eſt eâ non delectari cùm offertur. Et tamen tanta mentis in Deum debet eſſe ſuſpenſio, ut, ſi non meritò laudemur, corrigamus eos quos poſſumus, ne arbitrentur aut in nobis eſſe quod non eſt, aut noſtrum eſſe quod Dei eſt; aut ea laudent, quæ, quamvis non deſint nobis, aut etiam ſuperſint, nequaquam tamen ſint laudabilia; velut ſunt bona omnia, quæ vel cum pecoribus habemus communia, vel cum impiis hominibus. Si autem meritò laudamur propter Deum, gratulemur eis quibus placet verum bonum; non tamen nobis, quia placemus hominibus; ſed ſi coram Deo tales ſumus, quales nos eſſe credunt, & non tribuitur nobis, ſed Deo, cujus dona ſunt omnia, quæ verè meritòque laudantur. Hæc mihi ipſe canto quotidie, vel potiùs ille cujus ſalutaria præcepta ſunt, quæcumque ſive in divinis lectionibus inveniuntur, ſive quæ intrinſecùs animo ſuggeruntur; & tamen vehementer cum adverſario dimicans, ſæpè ab eo vulnera capio, cùm delectationem oblatæ laudis mihi auferre non poſſum.*

CAPUT V.

Filiæ vanæ gloriæ.

TAmetſi vana gloria filia ſit ſuperbiæ; & ipſa tamen ſuas habet filias. Septem enumerat D. Gregorius 31. Moral. 31. videlicet *inobedientiam, jactantiam, hypocriſim, contentionem, pertinaciam, diſcordiam, & novitatum præſumptionem.* Quibus addi poſſunt *luxus, tumor mentis, & curioſitas.* 35

Inobedientia formalis, eſt *peccatum quo violatur præceptum Superioris ex contemptu*, ſive quia præceptum eſt. Ita S. Thomas 2. 2. q. 105. a. 1. addens, quòd *cùm facit homo ali-* 36

quid contra præceptum, non propter præcepti contemptum, sed propter aliquid aliud, est inobedientia materialiter tantùm pertinens formaliter ad aliam speciem peccati. Non ergo qualiscumque mandati prætermissio criminalem facit inobedientiam (ait Bernardus de præcept. & disp. c. 11.) *sed nolle obedire.*

37 Inobedientia formalis est mortale peccatum, etiam dum præceptum Superioris violatur in re minima, si contemptus præcepti sit perfectus, ita ut inobediens ideò nolit præceptum implere quia præceptum est. Ita S. Thomas ibidem. Tum quia talis ita affectus est, ut nullo modo patere velit Superiori, quidquid præcipiat. Tum quia contemnendo Superiorem, contemnit Deum, juxta illud: *Qui vos spernit, me spernit.* Luc. 10.

38 *Nihilominùs tantò gravior est inobedientia, quantò superior est qui præcipit. Quamobrem gravius peccatum est inobedientem esse Deo quàm hominibus. Quia oportet magis obedire Deo quàm hominibus*; Imperatori, quàm Proconsuli, &c. Unde & peccata quæ directè & immediatè sunt contra Deum, graviora sunt iis quæ directè non sunt nisi contra proximum.

39 Addit S. Doctor a. 2. ad 2. *non omnem inobedientiam esse peccatum in Spiritum sanctum, sed solùm illam cui obstinatio adhibetur. Non enim contemptus cujuscumque, quod peccatum impedit, constituit peccatum in Spiritum sanctum (alioquin cujuslibet boni contemptus esset peccatum in Spiritum sanctum: quia per quodlibet bonum potest homo impediri à peccato) sed bonorum illorum contemptus facit peccatum in Spiritum sanctum, quæ directè ducunt ad pœnitentiam, & remissionem peccatorum.*

Jactantia.

40 *Jactantia* est *inordinata propriæ excellentiæ de-prædicatio per verba*, ut quando quis per verba se extollit supra id quod est in se secundùm rei veritatem, vel supra id quod de eo homines opinantur. *Quod Apostolus refugiens* (ait S. Thomas q. 112. a. 1.) *dicit 2. Cor. 12.* „ Parco, nequis existimet me supra id quod vi„ det in me, aut audit aliquid ex me. „ *Quandoque est veniale* (pergit S. Doctor a. 2.) *quando scilicet aliquis* ex mera vanitate, solam delectationem suam pro fine habens, *de se talia jactat, quæ neque sunt contra Deum, neque contra proximum.*

41 Est autem mortale peccatum 1°. *cùm aliquis jactanter de se profert aliquid contra gloriam Dei, sicut ex persona Regis Tyri dicitur Ezech. 28.* „ Elevatum est cor tuum, & di„ xisti, Deus ego sum.

42 2°. cùm quis jactanter profert aliquid contra charitatem proximi, *sicut cùm quis, jactando seipsum, prorumpit in contumelias aliorum, sicut habetur Luc. 18. de Pharisæo, qui dicebat*: „ Non sum sicut cæteri hominum, „ raptores, injusti, adulteri: velut etiam hic „ Publicanus.

43 3°. *dum procedit ex superbia, vel inani gloria, quæ sit peccatum mortale, etiam jactantia est peccatum mortale*, v. g. dum quis se jactando extollit, ut alterius merita existimationemque minuat.

44 4°. quando quis se jactat causâ lucri quo proximus graviter damnificatur, v. g. jactanter dicit se esse divinatorem, vel posse certò curare tales vel tales morbos, ut pecuniam corradat, cum gravi deceptione proximi.

45 5°. jactantia de peccato mortali, peccatum est mortale, ultra malitiam jactantiæ includens malitiam ejusdem speciei cum peccato, de quo est jactantia. Tum propter approbationem illius, quam tacitè saltem, seu implicitè involvit. Tum quia jactantia de fornicatione v. g. non solùm opponitur humilitati, sed etiam castitati; quæ sicut prohibet ne laudes fornicationem; ita prohibet ne captes gloriationem de fornicatione. Et ideò in confessione exprimendum est in specie peccatum, de quo facta est jactantia. Ita Lopez, Rodriguez, &c. contra Palaum, Cardinalem de Lugo, &c. Qui tamen fatentur, exprimendam esse speciem peccati, de quo jactantia facta est, quando conjuncta fuit cum interna complacentia de illo. Confitendum quoque peccatum diffamationis proximi, si cum ea conjuncta fuerit, ut siquis se jactaverit habuisse rem cum tali femina bonæ famæ. Confitendum denique peccatum scandali, si per jactantiam tuam causa fuisti peccati proximi, vel complacentiæ ipsius in illo. Unde qui alterum de peccato commisso laudat præsentem, exprimere debet laudati peccati speciem; eò quòd hujusmodi laudes sint æquivalenter exhortationes ad complacentiam in peccato laudato, vel ad illud committendum de novo. Siquis proinde, laudando alterum de furto commisso, ipsum excitarit ad illud de novo committendum, perinde tenetur ad restitutionem, ac si consuluisset. Ita Cardinalis de Lugo, & passim alii.

Hypocrisis.

46 *Hypocrisis* est simulatio, quâ quis simulat personam justi vel sancti, cùm talis non sit; vel sanctiorem se simulat, quàm revera sit. De ea S. Thomas q. 111. a. 4. *Dicendum* (inquit) *quòd in hypocrisi duo sunt, scilicet defectus sanctitatis, & simulatio ipsius. Si ergo hypocrita dicatur ille, cujus intentio fertur ad utrumque, ut scilicet aliquis non curet sanctitatem habere, sed solùm sanctus apparere, sicut consuevit accipi in sacra Scriptura; sic manifestum est quòd est peccatum mortale*, juxta illud Sap. 1. *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum.* Et Job. 13. *Ipse erit Salvator meus; non enim veniet in conspectu ejus omnis hypocrita.* Et hinc est quòd hypocritas octuplici maledictione Veritas ferit Matth. 23. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ*, &c. *Si autem dicatur hypocrita, qui intendit simulare sanctitatem,*

tem, à qua deficit per peccatum mortale ; tunc quamvis sit in peccato mortali, ex quo privatur sanctitate, non tamen semper ipsa simulatio est ei peccatum mortale, sed quandoque veniale. Quod discernendum est ex fine, qui si repugnat graviter *charitati Dei, vel proximi, erit peccatum mortale, puta cùm simulat sanctitatem, ut falsam doctrinam disseminet, vel ut adipiscatur ecclesiasticam dignitatem indignus, vel quæcumque alia temporalia bona, in quibus finem constituit.*

47 *Si verò finis intentus non repugnet charitati, erit peccatum veniale, puta cùm aliquis in ipsa fictione delectatur, de quo dicitur 4. Ethic. quòd* „ magis videtur vanus, quàm malus. „ *Eadem enim ratio est de mendacio, & simulatione. Contingit tamen quandoque quòd aliquis simulat perfectionem sanctitatis, quæ non est de necessitate salutis : & talis simulatio nec semper est peccatum mortale, nec semper cum peccato mortali.* Hactenùs S. Thomas.

Contentio.

48 *Contentio* est altercatio verborum, quibus inordinatè quis alteri contrariatur. *Unde sicut discordia contrarietatem quamdam importat in voluntate ; ita contentio contrarietatem quamdam importat in locutione.... Contrarietas autem locutionis potest attendi dupliciter, uno modo quantùm ad intentionem contendentis ; alio modo quantùm ad modum. In intentione quidem considerandum est utrùm aliquis contrarietur veritati, quod est vituperabile ; vel falsitati, quod est laudabile. In modo autem considerandum est, utrùm talis modus contrariandi conveniat, & personis, & negotiis : quia hoc est laudabile.... vel excedat convenientiam personarum, & negotiorum ; & sic contentio est vituperabilis.* Ita S. Thomas 2. 2. q. 38. a. 1.

49 Hinc infer 1°. cum S. Thoma, quòd *si accipiatur contentio secundùm quod importat impugnationem veritatis, & inordinatum modum, sic est peccatum mortale.* Peccat proinde mortaliter, quisquis veritatem fidei, vel Moralis Christianæ contentiosè impugnat, sive veritas ipsi explorata sit, sive eam levibus & fallacibus argumentis existimet esse falsitatem. Tales sunt non solùm hæretici, sed & Catholici quidam, qui studiosè impugnant nonnulla Moralis sanioris capita, cupiditatibus vel opinionibus suis contraria.

50 2°. quòd mortaliter etiam peccet, qui cum gravi audientium scandalo verbis contendit contra veritates nonnullas ad pietatem spectantes, quæ tametsi de fide non sint, habentur tamen à fidelibus certæ, v. g. de Immaculata B. Virginis Conceptione. Ita S. Thomas ibidem & lect. 3. in 2. ad Timoth. 2. Huc enim respexisse videtur Apostolus ibi dicens : *Noli contendere verbis ; ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem* audientium. Hinc Tertullianus l. de præscript. hæret. ostendit periculosam esse coram infirmis disputationem contra hæreticos, Scripturas sacras non recipientes, vel adulterantes.

3°. idem dicendum de improbis Litigatoribus, Causidicis, Procuratoribus, qui in judicio contentiosè impugnant veritatem justitiæ, sive causam injustam dolosè & clamosè propugnant. Sicut & de iis, qui in quavis disputatione, vel litis prosecutione, verbis improperii disceptant, quibus charitas & fama proximi graviter læditur. 51

4°. quoad eos, in quorum contentione solùm est inordinatio in modo, secluso scandalo, non peccant nisi venialiter. Et idem est de iis quorum contentio est de re, de qua non est contendendum, v. g. de Apostolis contendentibus *quis eorum videretur esse major.* Luc. 22. Sicut & de iis qui disputant quidem ad illustrandam explicandamque veritatem, sed solo studio vincendi adversarios, gloriæque captandæ. 52

Discordia.

Discordia est contrarietas voluntatum in bono, in quo oportet esse concordes. Quando *scienter quis, & ex intentione dissentit à bono divino, vel à proximi bono, in quo debet consentire, est peccatum ex genere suo mortale, propter contrarietatem ad charitatem ; licèt primi motus hujus discordiæ propter imperfectionem actûs sint peccata venialia.* S. Thomas 2. 2. q. 37. a. 1. 53

Verùm *cùm intentio aliquorum est ad aliquod bonum, quod pertinet ad honorem Dei, vel utilitatem proximi ; sed unus æstimat hoc esse bonum, alius autem habet contrariam opinionem : discordia tunc est per accidens,* seu præter intentionem *contra bonum divinum, vel proximi ; & talis discordia non est peccatum, nec repugnat charitati, nisi hujusmodi discordia sit vel cum errore circa ea quæ sunt de necessitate salutis, vel pertinacia indebitè adhibeatur. Cùm etiam concordia, quæ est charitatis effectus, sit unio voluntatum, non unio opinionum. Ex quo patet quòd discordia quandoque est ex peccato unius tantùm, puta cùm unus vult bonum, cui alius scienter resistit. Quandoque autem est cum peccato utriusque, puta cùm uterque dissentit à bono alterius, & uterque diligit bonum proprium.* S. Thomas ibidem. 54

Sic etiam facere discordiam aliquando non est peccatum. Nam licèt facere discordiam, per quam tollitur bona concordia, sit grave peccatum, quod Prov. 6. *detestatur* Dominus. Facere tamen, seu *causare discordiam, per quam tollitur mala concordia.... est laudabile. Et hoc modo laudabile fuit, quòd Paulus posuit dissensionem inter eos qui erant concordes in malo. Nam & Dominus de se dicit Matth. 10.* "Non veni pacem mittere, sed gladium." S. Thomas 2. 2. q. 3. a. 1. ad 2. 55

Laudabiliter etiam Confessarius peccatorem à malo statu suo revocare & liberare satagens, ab ipso dissentit. Imò ad id tenetur, sicut Me- 56

dicus dissentire tenetur ab ægroto lethargico, vel phrenetico. Ita S. Augustinus serm. de utilit. jejunii c. 10. *Si* (inquit) *pater ægrotet senex, jam vicinus morti, & adsit illi piè filius ejus, & videat eum Medicus lethali & noxio somno premi, patiens est in senem moriturum propter ipsos paucos dies, quibus hic potest vivere. Stat filius, & adest patri sollicitus; & cùm audierit Medicum dicentem, iste homo lethargicus potest esse, & inde mori; si vultis eum vivere, non dormiat. Illum somnus ille noxius premit, qui & noxius & dulcis est. Filius autem ejus admonitus à Medico, stat sollicitus, patri molestus, pulsat; &, si pulsatio ejus vincitur, vellicat; &, si vellicatio nihil agit, pungit. Certè molestus est patri, & esset impius, nisi molestus esset. At ille quem delectat mori, molestum sibi filium tristi aspectu & voce reverberat: quiesce mihi, quid mihi molestus es? Sed Medicus ait, quia si dormieris, morieris. Et ille, dimitte me, mori volo. Et puer impius est, si non dicat, ego nolo. Et illa vita utique temporalis est.... Et tamen impii sunt, nisi ad ipsam sibi temporalem, etiam cùm invicem molesti sunt, consulant. Ergone video fratrem meum somno noxiæ consuetudinis premi, & non excito, dum timeo molestus esse dormienti, atque perenni? (audiant Confessarii molles) absit à me ut hoc facerem, nec si illo vivo nostra angustaretur hæreditas. Nunc verò cùm illud quod in æterna vita accepturi sumus dividi non possit, cùm possessore multiplicato angustari non possit, non eum erigam vel molestiis, ut vigilet, & carens somno vetustissimi erroris, mecum in hæreditate gaudeat unitatis? Prorsus faciam; si vigilo, faciam: si non facio, & ego dormio,* somno utique æternæ mortis.

Pertinacia.

57 *Pertinacia* est perseverantia in propria sententia plusquàm oportet, quando scilicet in ea quis perseverat contra agnitam veritatem. Ita S. Thomas 2. 2. q. 138. a. 2. addens, quòd *ideò aliquis nimis perseverat in propria sententia, quia per hoc vult suam excellentiam manifestare*, seu proprium judicium ostentare. Unde *oritur ex inani gloria, sicut ex causa.*

58 Mortalis est 1°. dum aliquis manifestatâ sibi doctrinâ Catholicæ fidei, ei resistendo, in proprio perseverat errore. In hoc quippe hæresis propriè consistit.

59 2°. dum aliquis publicè vel privatim tuetur, nec emendare vult propositiones à summo Pontifice, vel Episcopo in sua Diœcesi, damnatas, ut fidei, vel bonis moribus, vel pietati, vel Ecclesiasticæ Hierarchiæ, aut paci contrarias, vel ut scandalosas, piarumvè aurium offensivas. Graviter quippe lædit charitatem Dei & proximi, estque *superbus*, & *nihil sciens* 1. Timoth. 6. dum judicium suum submittere renuit iis ad quos jure divino spectat judicium de doctrina, & quibus *divina providentia vitam & fidem Christianam custodiendam, & Ecclesiam suam regendam commisit*, ut D. Anselmus loquitur in Dedicatoria libri sui de fide Trinitatis ad Urbanum II.

Præsumptio novitatum.

60 *Præsumptio novitatum* est cùm quis inanis gloriæ studio nova excogitare præsumit (v. g. novas vestes, vel opiniones) ut nomen sibi faciat, hominumque admirationem sibi conciliet. Peccatum est periculosissimum: utpote ex quo hæreses omnes, erroresque contra fidem, & bonos mores pullularunt. Mortalis est præsumpta novitas, dum fidei vel bonis moribus adversatur, vel grave creat scandalum, vel dum in novitates tantum quis expendit, ut familiæ suæ necessaria non provideat, vel imporens fiat solvendis debitis, vel notabiliter morosus.

Fastus. Tumor mentis.

61 *Fastus* est dum quis se extollit in incessu, vestibus, ædificiis, mensa, supellectile, loquendi modo, & similibus. Quando mortalis sit, collige ex dicendis de luxu. *Tumor mentis* est mentis inflatio, orta ex congerie inanium cogitationum, & complacentia propriæ excellentiæ. Mortalis fuit in Lucifero, & est in iis qui usque adeò inflantur, ut cæteros despiciant, & vix ullum quasi dignum respiciant, cui æquanimiter loquantur. Unde eorum *mens semper est ad irrogandas contumelias valida* (ait Gregorius 34. Moral. 18.) *ad tolerandas infirma.... ad lacessendos alios importuna*, &c.

Luxus.

62 *Luxus vestium* est excessus in vestium splendore. De eo S. Carolus Borromæus in Instruct. Confessarior. hæc habet notatu dignissima: *Cùm hac tempestate luxus vestium ad summum, quò conscendere potuit, verticem videatur evasisse, idque magna ex parte culpâ & negligentiâ Confessariorum accidat, qui vel ex inconsiderantia, vel fortè dum leviter pœnitentes peccare existimant, nullo cum scrupulo eos absolvunt; capita quædam in medium afferemus, quibus propter ornatum & luxum in vestibus, fastumque animi ingentem, plerumque mortaliter hodie peccatur, ut cùm absolutio danda erit, secundùm eas regulas actiones officii sui metiantur.*

63 *Primò igitur siquis vestitu splendidiore induitur, vel eo se ornat, ob finem peccati mortalis, utique mortaliter peccat.*

64 *Secundò, qui sumptuosi vestimenti gratiâ, vel ipse delinquit, vel alii ejus nomine præceptum Domini, vel Ecclesiæ transgrediuntur, ita ut ne vestis non conficiatur, festis diebus sartori operandum sit, vel ipse certè faciat eum operari, aut sacrum Missæ Officium omittere, vel ut alii omittant, præbetur ab eo occasio.*

Tertiò,

Tertiò, si causam præstet conjugi, iisque ad quos spectat ejus sustentatio, ut plusquàm privatæ opes ferunt, in vestitum impendant. Vel si prævidet, aut saltem probabiliter dubitat, quòd odia (vestium causâ) gignentur, dissensionesque in ædibus fiant, vel quòd indumenti causâ conjux, aut aliorum quispiam blasphemias evomat, aut lucra contractusque illicitos exerceat.

66 *Quartò, his adde eos qui ornatus gratiâ, non sine peccato mortali superfedent eleëmosynis necessariis, aut legata pia non exequuntur, aut similia, quibus obstricti sunt, complere negligunt.*

67 *Quintò, qui pro veste mercedem operariis denegant solvere, vel differunt.*

Sextò, qui ære alieno sic se obruunt, ut cum tempore solvendo non sint futuri.

Septimò, in hoc ordine ponendi sunt, qui, ut se splendidè vestiant, detrimentum proximo notabile inferunt.

68 *Octavò, qui ita se exhauriunt, ut filias, cùm ad ætatem nubilem pervenerint, in matrimonio collocare non possint; qua ex re magna mala solent existere.*

Nonò, ad extremum, cùm prudenter colligi possit, quòd non mediocria peccata, similia iis quæ dicta sunt, inde prodibunt, aut dubitatio verisimilis habeatur quòd accidere possint, qualia ferè solent sumptuosum & insolentem earum usum comitari. In omnibus quæ diximus judicandum est, peccatum esse mortale indulgere nimio vestitui.

Decimò, cùm fieri vix possit, ut qui supra quam suæ copiæ ferunt insumit, non advertat animum ad peccata consecutura, vel ut minimùm possit & debeat advertere; potest in universum rectè judicari, eos omnes in peccato mortali vitam agere, nisi ex diligenti pœnitentis examinatione, certâ ratione contrarium existimetur.

70 *Undecimò, non solùm mortaliter peccatur, cùm factæ expensæ in vestes, ordinem & facultates domesticas excedunt; verùm etiam peccatum committitur in modo sese exornandi. Quid enim si ornatus ad lasciviam pertrahat?*

71 *Duodecimò, quòd si per se, vel certè ex communi hominum judicio sollicitet ad peccatum, potest etiam fieri ut per se quidem eò non adducat, tamen occasionem ille suspicetur, ex ejus generis ornamento (quod à sui ordinis hominibus communiter non gestatur) datum iri certæ personæ, ut illum inhonesto amore prosequatur, vel ne sic accidat probabiliter timeri potest.*

72 *Decimò-tertiò, cùm in hoc peccato hæret, ita vitam instituit, ut nullam vel parvam salutis proximi habeat curam, adeò quidem ut si quem ex sumptuosis, quibus incedit, vestibus, per occasionem miserè salutem perdere conspiciat, tamen eum (habitum) non studeat deponere.*

73 *Quartò-decimò, fit inde non rarò, ut cultus ipse primâ fronte ad varias species amoris inhonesti prodendas concinnè institutus sit, easque amorum affectiones variis coloribus, dum se comit & promit, vel quocumque modo non perobscurè declaret.*

Propterea ergo Innocentius XI. animadver- 74
tens gravissimas hac in re Christianorum plurimorum corruptelas, excessivamque, mulierum præsertim, pompam & immoderantiam, vocatis ad se omnium Ordinum Mendicantium Procuratoribus Generalibus, ardentissimo pastoralis animi sui zelo, ipsis præcepit, monerent suarum respectivè Religionum Concionatores, ut in concionibus suis, stylo ac spiritu Apostolico, Christianos ad pœnitentiam & vitæ emendationem hortarentur; Confessarios autem, ut non solùm monendo & reprehendendo, sed & absolutionem, si opus fuerit, denegando, compellerent, præsertim mulieres, ad corrigendam ornatûs sui immoderantiam & immodestiam, uti testatur R. P. Joannes Baptista à Sabbio, Procurator & Commissarius Generalis Capucinorum, in Epistola ad omnes sui Ordinis Ministros Provinciales scripta, cujus tenorem refert Illustrissimus D. Episcopus Castorienſis in Amore suo pœnitente l. 2. c. 5.

Enimverò divinam iracundiam usque adeò 75
excitant illæ mulierum vanitates, & immodestiæ parum christianæ, ut & in præsenti, & in futuro sæculo eas severissimè castiget, teste S. Cypriano in tract. de disciplina & habitu virgin. id probante 1°. ex Apocal. 17. ubi unus ex septem Angelis S. Joanni Evangelistæ ostendit damnationem meretricis magnæ, quæ circumdata erat purpurâ & coccino, auroque, lapide pretioso, & margaritis ornata. 2°. per exemplum filiarum Sion, quæ ultimum sibi, patriæque suæ exitium acciverunt, *pro eo quòd elevatæ sunt, & ambulaverunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, & ambulabant pedibus suis, & composito gradu incedebant.* Quibus Isa. 3. Deus comminatur *se adempturum ornamenta calceamentorum, & lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & mitras, & discriminalia, & periscelidas, & murenulas, & olfactoria, & inaures, & annulos, & gemmas in fronte pendentes, & mutatoria, & palliola, & linteamina, & acus, & specula, & sindones, & vittas, & theristra.* Et *erit* illis *pro suavi odore fœtor, & pro zona funiculus, & pro crispanti crine calvitium, & pro fascia pectorali cilicium. Pulcherrimi quoque viri tui gladio cadent, & fortes tui in prælio.* Sed de hoc aliàs iterùm.

Curiositas.

TAmetsi *curiositas* inter filias vanæ gloriæ 76
recenseri non soleat; ad eas tamen eatenùs spectat, quatenùs ex vana gloria frequenter proficiscitur. *Sunt* enim *qui.... magnum aliquid se agere putant, si universam istam corporis molem, quam mundum nuncupamus, curiosissimè intentissimèque perquirant. Unde tanta superbia gignitur, ut in ipso cælo, de quo*

sapè disputant, sibimet habitare videantur. Et sunt, qui inordinatam curiositatem habent sciendi, ut videantur hominibus in omni re versati. Quorum proinde curiositas ex vana gloria proficiscitur.

77 Est autem curiositas *appetitus inordinatus cognoscendi*, sive per intellectum, sive per sensum, legendo, videndo, audiendo, gustando, &c. Nam, ut S. Thomas sapienter observat 2. 2. q. 167. a. 1. in cognitione veritatis *potest esse vitium ex ipsa inordinatione appetitûs, & studii ad discendam veritatem. Et hoc quadrupliciter. Uno modo, in quantum per studium minùs utile homines trahuntur à studio, quod eis ex necessitate incumbit. Unde Hieronymus dicit: Sacerdotes, dimissis Evangeliis, & Prophetis, videmus comedias legere, vel amatoria bucolicorum versuum verba cantare. Alio modo, in quantum studet aliquis addiscere ab eo, à quo non licet, sicut patet de his qui futura à dæmonibus*, vel superstitiosis hominibus *perquirunt. Quæ est superstitiosa curiositas. Unde Augustinus dicit in lib. de vera relig. Nescio an Philosophi impedirentur à fide, vitio curiositatis, in percunctandis dæmonibus.* Tertio, quando homo *appetit cognoscere veritatem circa creaturas, non referendo ad debitum finem, scilicet ad cognitionem Dei. Unde Augustinus dicit in l. de vera relig. quòd in consideratione creaturarum non est vana & peritura curiositas exercenda, sed gradus ad immortalia & semper manentia faciendus.* Cumque Augustino Bernardus alibi relatus ait: *Scire velle, eo tantùm fine ut scias, turpis curiositas est. Quarto modo, in quantum aliquis studet ad cognoscendam veritatem supra proprii ingenii facultatem.* Quia per hoc *homines de facili in errorem labuntur. Unde dicitur Eccli. 3.* „ Altiora te ne quæsieris, „ fortiora te ne scrutatus fueris.... & in pluribus „ operibus ejus ne fueris curiosus. „ *Et posteà sequitur*: „ multos enim supplantavit suspe„ ctio eorum, & in vanitate detinuit sensus „ eorum.

78 Primus modus est lethalis, quando propter studium rerum minùs necessariarum, negligitur studium eorum quæ sub mortali scienda sunt. Secundum quoque modum fatentur omnes lethalem esse. Tertius modus communiter non est nisi venialis, quando nec adest finis mortalis, nec pars notabilis vitæ transigitur in ejusmodi curiositatibus. Quartus modus aliquando est cum mortali crimine, quando scilicet conjunctum habet periculum incidendi in gravem errorem. In quem quia multi dilaberentur, nisi generatim prohiberentur libri periculosi; lethalis est librorum prohibitorum lectio; atque (ob periculum) mortalis lectio diuturna librorum amatoriorum, vulgò *Romannorum.* Quia licèt primâ fronte insontes appareant, illicitos sensim sine sensu amores inspirant, grandemque, experientiâ teste, perniciem afferunt juventuti, morumque integritati. Unde S. Teresia vitæ suæ c. 2. *Arbitrabar* (inquit) *nihil esse mali, si plures diei pariter & noctis horas in ea occupatione tam inani futilique contererem....* Verùm *tunc cœpi oblectari luxu vestium, & curare manus, & ad pompam sæcularem componere capillum, & omnem ornatum adhibere, qui ab mea conditione nihil aberat, quemque mea curiositas numerosissimum excogitare consueverat. Non erat quidem mea depravata intentio. Nam etsi ingenti ornatûs cupiditate flagrarem, noluissem tamen cuiquam divinæ offensæ occasionem præbere. Verùmtamen nunc animadverto, ea quæ mihi per plures annos innoxia visa sunt, esse revera cum magnis flagitiis conjuncta.*

Propterea Doctoris Gentium jussu (prout narratur Act. 19.) *multi qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, & combusserunt coram omnibus, & computatis pretiis illorum, invenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium*, id est circiter 15000. florenorum nostratium. Quidam etiam Episcopus, qui insanos Theogenis & Charicleæ amores litteris mandaverat, quodam in Concilio jussus est, vel libros suos exurere, vel Episcopatu cedere. Concilium quoque Lateranense ultimum, & Tridentinum, Ludimagistris prohibent, ne pueris exponant, vel legi permittant libros, quorum lectione adolescentum animi pravos mores facilè concipiunt. 79

Est & alia curiositas mortalis, ut puta 1°. 80 quâ quis ab alio scire vult, quod sub mortali nequit revelare. 2°. quâ audire vult, quæ sacramentaliter quispiam confitetur. 3°. quâ de secretis aliorum factis inquirit, ad finem iniquè proximum molestandi, contemnendi, vel ei detrahendi. 4°. quâ quis litteras alterius clausas (ipso nolente) aperit & legit, ad finem addiscendi secreta ipsius. Quia hoc est contra jus quod quisque habet ad celandum secreta sua. Quia verò utplurimùm, ante apertionem, nescitur, utrùm in illis magni momenti secreta non contineantur, litterarum alienarum apertionem lectionemque utplurimùm esse lethalem, docent Navarrus, Toletus, &c. Ob morale periculum lædendi jus secreti in re gravi.

Dixi *utplurimùm*, meritò namque Navar- 81 rus excipit casum, quo, ratione amicitiæ, aliavè de causa, rationabiliter præsumitur consensus ejus, à quo, vel ad quem litteræ scriptæ sunt. Excipit etiam Cardinalis de Lugo, cum S. Antonino, casum quo alienas quis litteras aperit & legit ad avertendum injustum damnum suum, vel proximi sui, quando probabiliter timet ne scriptæ sint, ad illud inferendum. Quia unusquisque jus habet sibi & proximo consulendi contra ejusmodi damnum.

Plures etiam (cum S. Antonino & Sylvestro) 82 censent, solùm esse veniale peccatum, litteras à domino dilaceratas, & in publicum projectas, ex sola curiositate recolligere, junctisque partibus legere. Quia hoc non est nisi in usum suum vertere quod habetur pro derelicto. Sed suppositum istud alii negant cum Rebellio p. 2. de obligat. just. l. 9. q. 9. n. 9. Quia lacerando dominus satis ostendit se non derelin-

quere jus quod habet ad secretum litterarum illarum.

83 Saltem si litteras in publicum non projecerit, sed casu ipsi exciderint, mortale videtur eas legere (nisi prudenter existimes nihil in eis momentosum esse) tunc enim certum videtur, jus ad secretum non censeri derelictum.

Appendix ad dicta num. 24.

De ambitione.

84 Quia præsenti tempore valdè frequens est ambitionis vitium, ad majorem ipsius elucidationem non pigebit ibi dictis nonnulla adjicere. Peccant ergo mortaliter peccato ambitionis 1°. qui absque divina vocatione beneficia Ecclesiastica concupiscunt, petunt, accipiunt, solius honoris, vel commodorum temporalium intuitu. Colligitur ex S. Thoma 2. 2. q. 185. a. 1. ubi docet quòd appetere Episcopatum propter honorem & sufficientiam temporalium, *manifestum est quòd est illicitum, & pertinet ad cupiditatem, vel ambitionem.* Est enim graviter contrarium divinæ legi, per Apostolum Hebr. 5. dicenti: *Nec quisquam sumit sibi honorem; sed qui vocatur à Deo, tamquam Aaron.* Est etiam gravis inordinatio beneficium Ecclesiasticum ad solam suam cupiditatem vel ambitionem referre. Quandoquidem vel *solius nefas ambitûs severissimâ Ca-*
85 *nonum districtione damnatur*, prout D. Gregorius ait l. 4. epist. 20. Et si gravis inordinatio est vel solam Tonsuram eo tantùm fine capessere, ut beneficii Ecclesiastici honorem, commodaque temporalia quispiam consequatur; non minor certè inordinatio est, isto solo fine beneficium ipsum Ecclesiasticum quærere & accipere. Audiri meretur hac de re satis eleganter discurrens Doctor Hallerius in l. de sacr. ordinationib. tit. de præparat. & disposit. ordinand. c. 3. §. 6. n. 30. „ Adeò jam „ passim aliquorum inolevit temeritas, & Religionis contemptus, ut non ad Tonsuram modò, verùm etiam ad omnes Ordines, solius „ temporalis beneficii, vel otii, vel bonorum „ gratiâ se conferant. Tonsuram verò præsertim „ eo tantùm fine capessant, abutentes sacrâ istâ „ designatione in Clerum ad sua commoda, Episcopalem benedictionem ad profanas ambitiones convertentes; Ecclesiæ expectationem „ frustrantes; evertentes mysticum ceremoniæ „ istius sensum; mendacii Ecclesiastica (quæ in „ Tonsuræ collatione funduntur) verba precesque arguentes; professionem Clericatûs temerè ementientes, ejusque prærogativam injustè „ ac fraudulenter usurpantes. Quos proinde „ nescio quis à lethali noxa excusare possit, quos „ injustitiæ, sacrilegii, publici mendacii, abususque rei sacræ non levibus criminibus constrictos teneri ostendimus. Nulla vox tot crimina velare potest, nulla ratio tueri. Quis „ enim levem materiam censeat, profanationem „ rei sacræ, violationem totius Clericatûs, pro-

missionem coram tota Ecclesia fallacem, usur- «
pationem alieni juris, Ordinis Clericatûs per- «
turbationem? Quis adeò perfrictæ frontis, ut «
defendere audeat, leve crimen esse ambitio- «
nem illam ac avaritiam, quæ sacros ritus "(dic
similiter, Ecclesiastica beneficia)" contra Ec- «
clesiæ intentionem, in sua commoda honores- «
que detorquent? &c. " Propterea etiam Navarrus in tr. de orat. & hor. canon. c. 5. "*Com-* «
pluribus (inquit) qui primâ Tonsurâ, aut «
quatuor Minoribus initiantur, satius foret, ipso «
ordinationis die, frangere crura, quàm pri- «
mâ Tonsurâ, aut quatuor Minoribus ordina- «
ri.... eò quòd non se ordinant ad finem de- «
bitum." Et Eminentissimus Cardinalis Noaillius Archiepiscopus Parisiensis, in sua Constitutione de die 1. Octobris 1696. de iis loquens qui primâ Tonsurâ initiantur: " Hæc est (in- «
quit) prima Sanctuarii janua, quæ aditum ad «
Ordines aperit, jus tribuit ad Ecclesiastica be- «
neficia, &c. Quamobrem nimia diligentia ad- «
hiberi non potest in eorum examine, qui ad «
statum Ecclesiasticum admittuntur; siquidem «
agitur de Dei gloria, de Ecclesiæ honore, de «
bono animarum, de perditione temporali & «
æterna Clericorum, frequenter etiam fami- «
liarum. Quid Deo injuriosius, quàm ut pro- «
fiteantur Deum hæreditatem suam esse, qui «
bona dumtaxat temporalia quærunt? &c. «

2°. mortaliter peccant peccato ambitio- 86
nis, qui pro se petunt Episcopatum, vel quodvis aliud beneficium, vel officium Ecclesiasticum, curam habens animarum. Ita S. Thomas 2. 2. q. 100. a. 5. ad 2. ubi sic: *Si aliquis pro se rogat ut obtineat curam animarum, ex ipsa præsumptione redditur indignus, & sic preces sunt pro indigno.* Et quicumque talem eligunt, indignum eligunt. Ita etiam S. Carolus Borromæus cum Concilio suo Mediolanensi I. post divinam Scripturam, Canones & Patres. Quid enim Scriptura dicit, quid Patres? *Nec quisquam sibi sumit honorem; sed qui vocatur à Deo, tamquam Aaron. Nec Christus seipsum clarificavit, ut Pontifex fieret; sed qui locutus est ad eum*, &c. Hebr. 5. Divina verò vocatio innotescere non potest, nisi electione, nominatione, institutione canonicâ, nullatenùs quæsitâ.

S. Leo Magnus can. *principatus* causa 1. q. 87
1. relatus: *Principatus* (inquit) *quem.... ambitus occupavit, etiamsi moribus atque actibus non offendit, ipsius tamen initii sui est perniciosus exemplo. Et difficile est ut bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio.*

Gregorius Magnus l. 7. epist. 110. *Qui ul-* 88
trò ambit... est procul dubio repellendus. Nam qui nititur ad altiora conscendere, quid agit, nisi ut crescendo decrescat, & ascendendo exterius, intùs ad profunda descendat?

S. Isidorus Pelusiota l. 4. epist. 229. ad Pal- 89
ladium Diaconum: *Tu, quam ob causam, ignorans tuas vires, & ne teipsum quidem regere valens, talem adamas principatum, qui regno quoque ipso non solùm est sublimior, sed*

etiam laboriosior. Et quare existimas potestatem hanc esse rationibus nullis reddendis obnoxiam, ac non potiùs rationibus obnoxiam ministerii functionem? Sed quamvis tu omnem transcendas audaciæ furorem (ecce quàm graviter culpabilem censet istam ambitionem) *ego quoque insanirem, si non eum me ostenderem, qui tantum malum curare conetur*, &c.

90 S. Bernardus l. 4. de considerat. c. 4. *Alius pro alio, alius fortè & pro se rogat. Pro quo rogaris, sit ipse suspectus. Qui ipse rogat pro se, jam judicatus est. Nec interest, per se, an per alium quis roget.*

91 Vel ipsi Christiani Principes, eos reputant indignos, qui pro se petunt. Nam Leo & Anthemius Imperatores L. *Si quemquam* 31. Cod. tit. de Episcop. & Cleric. *Tantùm ab ambitu debet esse sepositus, ut quæratur cogendus.... Profectò enim indignus est Sacerdotio, nisi fuerit ordinatus invitus.*

92 Penè exciderat memorabilis sententia Chrysostomi, seu potiùs Joannis nostri Hierosolymorum Patriarchæ 44. oper. imperf. in Matth. homil. 43. ex quo desumptus est canon *multi* dist. 40. *Quicumque desideraverit primatum in terra, inveniet confusionem in cælo; nec inter servos Christi computabitur, qui de primatu tractaverit.*

93 Sed non excidit S. Antoninus, qui p. 2. tit. 3. c. 5. §. 4. idem docet de aliis ab Episcopatu beneficiis & officiis, annexam animarum curam habentibus. *Quia*, inquit, *ubi est eadem ratio, ibi & idem jus. Nam de similibus est idem judicium can. ad ejus dist. 7. Sed ratio quare est illicitus & mortalis appetitus Episcopatûs, est propter curam quam habet annexam: quia præsumptuosum nimis est, ut quis se reputet idoneum ad regendum animas aliorum. Sed eadem ratio est in quolibet prædictorum*, (etiam Decanatu, Præpositura, Archidiaconatu, Pastoratu, Regularium præfectura, &c.) *quia omnibus cura est annexa....* Igitur *si aliquid prædictorum petere est mortale, & illud appetere erit mortale. Nam secundùm Thomam, Raymundum, Hostiensem, petere pro se aliquid eorum, etiamsi alias sit dignus, inducit simoniam: quia sunt preces pro indigno, ratione præsumptionis*, seu ambitionis. *Ergo & appetere erit mortale; cùm simonia sit mortale.* Hanc quidem opinionem, scilicet quòd pro se petere beneficium curatum sit simonia, non sequuntur Curiales, prosequitur S. Antoninus; *sed quia Doctores qui contrarium dicunt, sanctitate & scientiâ Theologiæ & juris sunt longè præstantiores, ideò non videtur tuta prædicta opinio, nec sequenda.*

94 Parochiale tamen beneficium pro se non postulant, qui ab Episcopo vocati ad concursum, se sistunt, sed Episcopi sui judicio se submittunt. Graduati etiam qui beneficia ratione graduum Academicorum postulant, seipsos ad ea non ingerunt, sed jure ab Ecclesia sibi concesso utuntur, & ab Universitatibus præsentantur Episcopis, quorum judicio se subjiciunt, qui ipsos repellere potest, si indignos judicaverit. Si qui Graduati aliter hac in re procedant, & à labe ambitionis & cupiditatis non recedant, vitium est hominum, ab Ecclesia non probatum, sed damnatum.

Dixi mortalem esse ambitionem pro se pe- 95
tere beneficium Ecclesiasticum, curam habens animarum; scio enim sententiam esse S. Thomæ ubi suprà ad 3. quòd *licitè potest aliquis, si sit indigens, pro se beneficium Ecclesiasticum petere, sine cura animarum*, ut habeat unde decenter serviat Domino. Ita etiam S. Raymundus in Sum. l. 1. tit. 1. §. 7. id probans ex cap. *ad aures* extra de Rescriptis.

Quoad ambitum præfecturæ Regularium, 96
quantùm ab eo alienos ipsos esse oporteat, D. Basilius in Constitut. Monast. c. 9. & 24. luculenter ostendit, aiens quòd *diabolica ista pestis est, & libidinis dominandi labes, quæ res insigne est primæ illius diaboli pravitatis indicium.*

3°. mortalis est ambitio Concionatorum, 97
nobiliorum Ecclesiarum pulpita ambientium, ad acquirendam nominis claritatem, & inde consequendum Episcopatum, seu aliud beneficium Ecclesiasticum. Sequitur ex dictis, & ex eo quòd isti plausum quærant, non fructum animarum, *adulterantes verbum Dei*, ut D. Gregorius loquitur. Unde S. Carolus Borromæus in Instruct. Prædicator. tit. de præparat. &c. *Fugiet* (inquit) *Concionator tamquam pestem omnem ambitionem, omnemque illius suspicionem. Ne loca insigniora, ubi prædicationis suæ semen spargat, ambiat, affectetve: memor Christi Domini, quem à Patre è cælo demissum ad erudiendum genus humanum, pagos, & vicos, & castella obiisse legimus. Nunquam in opinionem inducet, majori atque nobiliori suggesto se dignum esse. Fuit hæc quondam incredibilis ambitio Ethnicorum Oratorum. Christianus autem Concionator ab istius ambitionis suspicione alienus esse debet, qui ad prædicandum Christum crucifixum, non ad sui ingenii ostentationem vocatus est.* Si secùs faciat, absque divina vocatione sacrum ministerium exercet. Videri potest Epistola Pastoralis Illustrissimi D. Jacobi Nicolai Colbert, Archiepiscopi Rothomagensis de die 28. Martii 1697. ubi hanc & præcedentem assertionem confirmat.

4°. mortalis est ambitio & cupiditas eo- 98
rum, qui, absque necessitate, à minori Episcopatu, vel Pastoratu, ad majorem & pinguiorem transeunt seu transire postulant. Quia in re gravi Canones spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentiâ consecratos, violat ambitio & cupiditas ista. Id enim graviter prohibent Concilium Nicænum can. 15. Sardicense can. 1. & 2. Carthaginense IV. can. 27. Calcedonense can. 5. Ravennatense sub Joanne IX. can. 3. & 5. Nannetense can. 16. Prohibet item (post Damasium, Leonem Magnum, Hilarium, & Pelagium II.) Innocentius III. cap. *quantò* & cap. *licèt* extra de Transl. Episc. De transitu à minori Pastoratu ad majorem sic statuit Concilium Turonense III.

can. 3. *De titulo minori ad majorem migrare, nulli Presbytero licitum sit.... Quòd si inventus fuerit contra statuta id facere, eâdem feriatur sententiâ, quâ Episcopus, si de minore ad majorem transmigraverit sedem.* Idem habetur in Concilio Rhemensi II. can. 20. Et in Meldensi anni 813. can. 30. Et (ante has Synodos) in Antiocheno can. 20. & Sardicensi can. 1.

CAPUT VI.

Definitio & malitia avaritiæ. Quàm probrosa sit Christianis; sed maximè Sacerdotibus & Ecclesiasticis.

99 AVaritia à S. Thoma 2. 2. q. 118. a. 4. definitur *inordinatus amor divitiarum.* Quæ quidem inordinatio duplici modo contingit. Primò in ordine ad proximum, sive per excessum in accipiendo, sive per defectum in dando. Secundò in ordine ad seipsum, *per immoderantiam circa interiores affectiones, quas quis ad divitias habet, puta si immoderatè aliquis divitias amet, aut delectetur in eis*, ait S. Doctor a. 1. ad 2. Et sic avarus est, qui, ex inordinato ad pecuniam suam affectu, frustrat se necessariis, vel immoderato se labore frangit ad divitias comparandas. Qua in re ipsi etiam aliquando pauperes peccant, qui dum carent facultate, sæpè ardent cupiditate.

100 Priori modo avaritia ex suo genere est mortale peccatum, si vel contra justitiam sit, vel contra charitatem & misericordiam, nisi fortè actûs imperfectio, vel materiæ levitas excuset. Si verò contra solam sit liberalitatem, non semper est peccatum mortale, inquit S. Thomas q. 13. de malo a. 2.

101 De avaritia posteriori modo, S. Thomas ibidem dicit, quòd *si tantus sit amor & desiderium temporalium bonorum, quòd in eis finis constituatur, avaritia semper erit mortale peccatum. Converti enim ad bonum creatum sicut ad finem, facit aversionem ab incommutabili bono, quod debet esse ultimus finis.* Si verò avaritia dicatur inordinatus amor, vel desiderium rerum hujus mundi, absque voluntate faciendi vel omittendi aliquid contra Dei legem graviter obligantem, vel constituendi in iis finem, *avaritia sic est peccatum veniale*, ait S. Doctor 2. 2. q. 118. a. 4. Est tamen peccatum turpe, dum animus excelsus, & tantæ amplitudinis, ut solo bono infinito satiari queat, per affectum se subjicit rebus tam vilibus. Nam ut Tullius l. 1. offic. ait: *Nihil est tam angusti animi, tamque parvi, quam amare pecuniam.* Rationem habes in Augustino, quia *ille habet aurum, qui novit uti auro; qui autem auro uti non novit, habetur, non habet; possidetur, non possidet. Estote domini auri, & non servi auri. Quia & aurum Deus fecit, & te super aurum ipse fecit. Aurum fecit ad subsidium tuum, & te ad imaginem suam. Vide quod supra te est, & calca quod infra te est.* Enarrat. in Psal. 123.

102 Illorum tamen lethalis avaritia est, qui sufficientia habentes ad naturæ necessitatem, stâque decentiam, licèt aliena non rapiant, nec concupiscant, novas tamen & novas opes concupiscere congregareque non cessant, non ut in opera pietatis impendant, sed ut cupiditati suæ satisfaciant. Hoc enim Scriptura & Patres, nullâ factâ injustitiæ mentione, graviter reprehendunt, quibus humanas rationes nostras, juxta dicta Prolegomeno 1. cap. 4. submittere oportet.

Reprehendit id imprimis Deus Isa. 5. *Væ qui conjungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis, usque ad terminum loci. Numquid habitabuis vos soli in medio terræ?* Ad quem locum Hieronymus: *Generaliter adversum omnes, quibus nihil satis est, dictum puto.... Quæ enim rabies, cùm tecta & agri ad depellendos imbres, & ad serendas fruges haberi debeant, ea habere cupere in quibus cunctis habitare non possis, & quæ colere non sufficias, alteriusque necessitatem, tuam facere voluptatem.*

Deinde Salvator Luc. 12. *Hominis* (inquit) *cujusdam divitis uberes fructus ager attulit; & cogitabat intra se dicens: quid faciam, quia non habeo quò congregem fructus meos. Et dixit: Hoc faciam, destruam horrea mea, & majora faciam, & illuc congregabo omnia quæ nata sunt mihi, & bona mea, & dicam animæ meæ: anima, habes multa bona, posita in annos plurimos. Requiesce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus: stulte, hâc nocte animam tuam repetunt à te: quæ autem parasti, cujus erunt? Sic est, qui sibi thesaurizat, & non est in Deum dives.* Dives ille aliena non quærebat (inquit Augustinus serm. 178. aliàs 19. de verb. Apost. c. 2.) *non de cujusquam vicini agris, non limite perturbato, non spoliato paupere, non circumvento simplice, sed tantummodò de suis colligendis cogitabat....* Nihilominùs stultum eum Dominus vocavit, & ut talem increpavit: *ait* enim *illi Dominus: stulte, ubi tibi sapiens videris, ibi stulte.* "Stulte", *inquit*, "hâc nocte repetunt à te animam tuam; hæc quæ præparasti, cujus erunt? *Si servaveris, tua non erunt. Si erogaveris, tua erunt. Quid* (inquit) *reponis quòd relicturus es? Ecce increpatus est stultus malè recondens. Si stultus est qui recondit sua, vos invenite nomen ei qui tollit aliena.... Fortassis aliquis respondeat, & dicat: non valdè magna pœna erat illi homini, cui dicit Deus, stulte. Non sic dicit Deus, stulte, quomodò homo dicit. Tale in quemquam Dei verbum, judicium est. Nunquid enim Deus stultis daturus est regnum cælorum? Quibus autem non est daturus regnum cælorum, quid eis restat, nisi pœna gehennarum?*

103

Infero, ergo mortale peccatum est novas 104
& novas opes indesinenter congregare, & insatiabili cupiditate magis incubare ampliandis divitiis temporalibus, quàm spiritualibus & æternis, per eleëmosynas, & alia opera pia. Unde S. Cyprianus in l. de lapsis inter gravia peccata, propter quæ Deus iratus Ecclesiæ per-

secutionem permisit, istud recenset, quòd Christiani *studebant augendo patrimonio singuli, &.... insatiabili cupiditatis ardore ampliandis facultatibus inhiabant*, contra præceptum Apostoli, qui 1. Timoth. 6. *habentes* (inquit) *alimenta, & quibus tegamur, his contenti sumus. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes, erraverunt à fide*; à qua de facto erraverunt illi, de quibus Cyprianus. Ipsos namque *decepit patrimonii sui amor cæcus, nec ad recedendum parati aut expediti esse potuerunt, quos facultates suæ velut compedes ligaverunt.... Quomodò cælum petunt, & ad sublimia & alta conscendunt, qui terrenis cupiditatibus degravantur? Possidere se credunt, qui potiùs possidentur; censûs sui servi, nec ad pecuniam suam domini, sed magis pecuniæ mancipati.* Ad pericula ergo ista vitanda, ideò proxima, quia communissima, præceptum Domini est, ex ipsa naturæ lege profectum, ut habentes sufficientia, superflua non quæramus. Quia superfluum quærere, & superfluis coacervandis inhiare, contra naturam est. *Omne* autem *quod contra naturam est, monstri meretur notam apud omnes*, ait Tertullianus l. de corona militis.

105 Hinc rursum Augustinus serm. 107. aliàs de temp. 196. lethalis avaritiæ reum esse docet, qui licèt aliena nec quærat, nec concupiscat, nimis cupidè servat sua, ita ut paratus non sit vel ea dimittere, ne Deum mortaliter offendat, vel superflua in eleëmosynas erogare. Et fundat se in verbis Christi Luc. 12. *Cavete ab omni avaritia: quia non in abundantia cujusquam vita ejus est ex his quæ possidet. Non solùm avarus est* (inquit) *qui rapit aliena; sed & ille avarus est, qui cupidè servat sua.... Multa qui recondit, quantum inde tollit ut vivat? Cùm tulerit inde, & quodammodò cogitatione separaverit quod sufficiat unde vivat, videat cætera cui remaneant: ne fortè, cùm servas unde vivas, colligas unde moriaris. Ecce Christus, ecce veritas, ecce severitas. Cavete, dicit veritas. Cavete, dicit severitas. Si non amas veritatem, time severitatem:* „ Non in abundantia hominis vita ejus est ex his „ quæ habet. „ *Crede illi, non te fallit. Contrà tu dicis: imò in abundantia hominis est vita ejus ex his quæ habet. Ille te non fallit: tu te fallis.... Ecce amas tua, non tollis aliena.... & servas cupidè tamquam in bona conscientia, quia non habes de malo.... Si non audis illum, qui dixit.* „ Cavete ab omni avaritia, „ *audi quanta mala facturus es propter tua*, &c.

106 Confirmat hanc sententiam exemplum Philippi Cancellarii Parisiensis, qui, post mortem, apparens Guilielmo Parisiensi Episcopo, damnatum se nuntiavit æternâ morte, tres ob causas: quarum prima fuit, quòd *recrescentes fructus annuos contra pauperes timidè reservasset*. Referunt hoc exemplum Thomas Cantipratanus, vir integerrimæ fidei l. 1. de apib. cap. 19. Dionysius Carthusianus in Opusc. de pluralit. benefic. Et Spondanus ad annum 1238. Quòdque illud Episcopus in prædicatione sua Clericis omnibus recitaverit.

Confirmant & axiomata ex S. Chrysostomo 107
collecta apud Cornelium à Lapide in caput 5. Isa. ad versum 9. *Divitiæ non sunt peccatum, sed peccatum est eas non distribuere pauperibus.... reconditæ sunt, belluis reclusis similes, occultant viperas & scorpios, multos habent fluctus & perturbationes: sunt abundantibus opprobrium.... dominis suis periculosæ & lethales. Dum includuntur, acriùs rugiunt quàm leones.... reddunt homines insensatos, conjiciunt in tentationes.... sunt omnis absurditatis parentes.... Tum demùm nostræ sunt, cùm dantur pauperibus.... Cupiditas divitiarum est omnium vitiorum arx & metropolis; opera bona facere non sinit.... Est soboles satanæ*, &c.

Nec tamen ista habendi & opes congregan- 108
di cupiditas in solis Laïcis grassatur, sed tam ipsa, quàm ambitio etiam in Ecclesiasticis, adversus quos D. Bernardus epist. 42. ad Henricum, Archiep. Senonens. declamat, dicens: *O infinita semper ambitio, & insatiabilis avaritia! Cùm factus quis fuerit in quacumque Ecclesia Decanus, Præpositus, Archidiaconus, &c. non contentus uno in una, plures sibi, imò quotquot valet, conquirere honores satagit, tam in una, quàm in pluribus. Sed nunquid sic satiabitur? Factus Episcopus, Archiepiscopus esse desiderat. Quo forte adepto, rursum nescio quid altius somnians, laboriosis itineribus, & sumptuosis familiaritatibus, Romanum statuit frequentare Palatium. Væ qui conjungitis domum ad domum*, &c.

Quousque, divites, extenditis insanas cupidi- 109
tates vestras? ait Ambrosius l. de Naboth & Achab c. 1. Si insanæ sunt istæ cupiditates in Laïcis; magis profectò in Clericis, quorum portio Deus est. *Qui Dominum possidet* (ait Hieronymus epist. 2. ad Nepotian.) *& cum Propheta dicit*: „ Pars mea Dominus, „ *nihil extra Dominum habere potest. Quòd si quidpiam aliud habuerit præter Dominum, pars ejus non erit Dominus. Licèt Decretum vetus largam cunctis ampliandarum opum dederit facultatem* (ait Salvianus l. 2.) *omnes tamen Levitas & Sacerdotes intra certum habendi limitem coarctavit; quos scilicet neque segetem, neque vineam, neque ullum omninò fundum habere permisit. Ex quo intelligi potest, an ea nunc Deus noster velit in Evangelio viventes Clericos suos mundanis post se hæredibus derelinquere, quæ adhuc in lege positos, nè ipsos quidem voluit possidere.* Verùm proh dolor! *sunt Clerici* (prosequitur Hieronymus suprà) *qui possideant opes sub Christo paupere, quas sub locupplete & fallace diabolo non habuerunt; ut suspiret eos Ecclesia divites, quos mundus tenuit antè mendicos.* Et isti nihilominùs adeò tenacis sunt avaritiæ, ut Laïcis hominibus longè

sint

sint contemptibiliores. Quia eorum avaritia longè gravius peccatum est quàm avaritia Laïcorum; & tam grave, ut cùm S. Gregorio Magno indicatum esset, Archidiaconum quemdam electum esse in Episcopum, sed ipsum *ita tenacem existere, ut in domum ejus amicus ad charitatem nunquam introeat*, l. 12. epist. 6. rescripsit, ipsum dignum non esse qui Episcopus fieret, *si ita se veritas haberet, & non ex necessitate, sed ex tenacitate talis esset.* Quia uti Concilium Parisiense VI. can. 13. dicit: *Cùm nullus Christianus thesauros in terra, sed.... in cælo recondere debeat, cavendum summoperè Sacerdotibus est, ut ab avaritiæ peste.... & cupiditate.... se compescant. Quoniam dignè non possunt subditis prædicare, ut ab his se abstineant, cùm ipsi his, quod valdè dedecens, imò periculosum est, se mancipaverint. Gravius quippe atrociùsque hæ pestiferæ lues in illis damnantur, quàm in his qui eorum dictis & exemplis coërceri debuerunt.*

110 Aliam rationem addit ibidem Concilium Parisiense, cur avaritia damnabilior & probrosior in Clericis sit, quàm in Laïcis; quòd Laïci prætendant excusationem filiis providendi, quæ ratio locum non habet in Sacerdotibus. Verùm etsi patresfamilias, qui filios habent, ipsis laudabiliter provideant vitæ & statui convenientia, damnabilis est nihilominùs & graviter damnabilis avaritia ipsorum, si nullum in congregando pro filiis modum ponant, eoque se prætextu ab eleëmosynis erogandis excusent. Nam, ut præclarè Cyprianus tr. de opere & eleëmos. *nec illa res.... à bonis operibus & justis revocare* debet Christianum, quòd excusari se posse aliquis *existimet beneficio filiorum; quando in impensis spiritualibus Christum cogitare, qui accipere se professus est, debeamus.... Nam si Deum toto corde diligimus, nec parentes, nec filios Deo præferre debemus. Si enim.... cùm datur minimis, Christo datur, non est quòd quis terrena cælestibus præferat, nec divinis humana præponat.* Nec filiis aufertur quod Christo in persona pauperis datur. Nec enim *vidua illa in tertio Regum libro.... filiis abstulit, quod Eliæ dedit.... Et illa nondum Christum sciebat.... ut ex hoc appareat, quantùm in Ecclesia peccet, qui se & filios Christo anteponit, nec patrimonium copiosum cum indigentium paupertate communicat. Sed enim multi sunt in domo liberi, & retardat te numerositas filiorum, quominus largiter bonis operibus insistas. Atqui hoc ipso* opera bona *operari ampliùs debes, quo multorum pignorum pater es. Plures sunt pro quibus Dominum deprecaris.... Si ergo verè filios tuos diligis, si eis exhibes plenam & paternam dulcedinem charitatis, operari magis debes ut filios tuos Deo justâ operatione commendes. Nec eum liberis tuis cogites patrem, qui & temporarius, & infirmus est; sed illum patrem pares, qui æternus & firmus filiorum spiritualium pater est. Illi assigna facultates tuas, quas hæredibus servas. Ille sit liberis tuis tutor, ille curator, ille contra omnes injurias sæculares divinâ Majestate protector.... In tuto hæreditas ponitur, quæ Deo custode servatur. Hoc est caris pignoribus in posterum providere; hoc est futuris hæredibus paternâ pietate consulere, secundùm fidem Scripturæ sanctæ dicentis....* "Justus" *tota die* "misereatur, & fœnerat, & semen ejus in" "benedictione est." Et.... "*beatos post se fi-*" "*lios relinquet.*" *Prævaricator itaque & proditor pater es, nisi filiis tuis fideliter consulas, nisi conservandis eis religiosâ & verâ pietate prospicias. Qui studes terreno magis quàm cælesti patrimonio, filios tuos diabolo magis commendare quàm Christo, bis delinquis, & geminum ac duplex crimen admittis: & quòd non præparas filiis tuis Dei Patris auxilium; & quòd doces filios patrimonium plus amare quàm Christum.*

Pulchrè etiam Augustinus serm. 86. aliàs 111
43. de divers. *Dicit avaritia: Consule in posterum, homini fortassis victuro nec in crastinum. Sed ecce vivat, quantùm putat avaritia.... adhuc senex incurvus, baculo innixus, lucrum quærit, & audit avaritiam dicentem: Consule in posterum. In quod posterum? Jam expirans loquitur. Propter filios tuos, inquit. Utinam vel illos senes non avaros haberemus, qui filios non habent. Etiam ipsis, etiam talibus, etiam iniquitatem suam nullâ pietatis imagine excusantibus non cessat dicere: Consule in posterum. Sed fortè ipsi citò erubescunt. Illos videamus qui filios habent, utrùm certi sint filios possessuros esse quæ reliquerint. Intendant.... filios aliorum, alios alienis improbitatibus quod habuerant amittentes; alios propriâ nequitiâ quod possederant consumentes: & remanent inopes filii divitum.... Sed possidebunt hoc (inquit) filii mei. Incertum est.... fac certum. Quid eis vis relinquere? Quod acquisisti tibi. Certè quod acquisisti, relictum non erat, & habes. Si tu habere potuisti, quod tibi relictum non est, poterunt ergo habere & illi, quod tu non reliqueris.... Serva* tamen *& filiis tuis*, sit ita: *sed audi me. Si de filiis quisque suis aliquem amiserit.... avaritia excusationem non habet.... quare invaditur pars ejus à fratribus ejus? Sed dices: nunquid rediturus est, & possessurus? Mittatur ergo ei quò præcessit ille. Ad rem suam venire non potest: res ejus ad eum ire potest... Si in palatio militaret filius tuus, & amicus Imperatoris fieret, & diceret tibi: vende ibi partem meam, & mitte mihi. Nunquid invenires quid responderes? Modò cum Imperatore omnium imperatorum, & cum Rege omnium regum, & cum Domino omnium dominorum est filius tuus: mitte illi. Non dico, Necessarium habet ipse: Dominus ipsius, apud quem est filius tuus, eget in terra. Hic vult accipere, quod dat in cælo.... Da in peregrinos, quod recipias in patria tua..... Sed habebunt illud, ais, fratres illius. O mala doctrina, docens filios tuos mortem optare fratribus suis. Si de re fratris sui mortui ditiores erunt, vide quemadmodùm se adtendant in domo tua.... Sed*

nolo dicere de uno amisso.... Non dico, unum minùs habebis, computa quia unum plus habes. Fac locum Christo cum filiis tuis.... Duos filios habes? tertium illum computa. Tres habes? quartus numeretur, &c. Unius filii tui serva locum Domino tuo. Quod enim dabis Domino tuo, & tibi proderit, & filiis tuis. Quod autem malè servai filiis tuis, & tibi oberit, & filiis.... Puto fratres, quia parva & facilis cogitatio est, putare patrem filiorum habere unum filium amplius, & comparare talia prædia, quæ possideas in æternum, & ipse, & filii tui. Quid dicat avaritia, non habet. Non vos vincat, non plus valeat in cordibus vestris, quàm Redemptor vester. Non plus valeat in corde vestro, quàm ille qui monet sursum corda habere. Et *nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi ærugo & tinea demolitur, & ubi fures effodiunt, & furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in cælo, &c. Non necesse est ergo* (inquit Salvianus l. 1.) *ut filio tuo terrenos thesauros recondas, nullâ re eum facies ditiorem, quàm si ipsum filium tuum thesaurum Dei feceris.* Imò *considera* (inquit Basilius homil. 7. in ditescentes) *ne opes multis cum ærumnis cumulatas relinquendo, peccandi materiam aliis suppeditas, duplici pœnâ postmodùm plectendus, & tuorum scilicet criminum causâ, & aliorum, quibus delinquendi materiam præbueris.*

CAPUT VII.

Filiæ avaritiæ.

112 DE *avaritia* (inquit D. Gregorius l. 31. Moral. c. 17.) *proditio, fraus, fallacia, perjuria, inquietudo, violentiæ, & contra misericordiam obdurationes oriuntur*, sicut & furtum, homicidium, simonia, usura, neglectus divinorum, fiducia in rebus sæculi, & mala penè omnia. „ Quid enim mirum (ait divus Petrus Damianus l. 2. epist. 2.) „ *avaro nihil est sceleστius*, cùm dicatur *omnium malorum radix esse cupiditas.* „ In quo enim radix „ est omnium malorum, ille consequenter om- „ nium malorum reus esse convincitur. Quia quo- „ rum habet in sui pectoris agro radicem, non po- „ test venenatam vitare propaginem. Dura certè, „ & nimis formidolosa sententia; si enim *nihil est avaro sceleστius, nihil iniquius quàm amare pecuniam*: „ non ergo melior est parricidis, „ non præfertur incestis, æquatur hæreticis, as- „ similatur idololatris. Unde & Apostolus di- 113 cit: *Avaritia quæ est idolorum servitus.* Eleganter, ut solet, Chrysostomus homil. 29. in Matth. „ Fingite „ (inquit) „ videre tetrum „ quemdam hominem, qui ab oculis ignem „ emittat; cui ex utroque humero dracones pro „ manibus dependeant; cujus os cavernæ instar „ magnitudine sit; in quo pro dentibus acuti „ enses stent; ex lingua venenosus fons scatu- „ riat; venter omni fornace sit ardentior, cun- „ cta quæ immittuntur subitò consumens; pe- „ des alati, ventis quoque ipsis velociores, facies canis ac lupi simul faciem ostendat; nec hominis « vocem emittat, sed insuave quiddam ac terribile « mugiat; is ad hæc omnia faces ardentes in manibus teneat.... Imaginemur eum obvios quosque « jugulare, carnes eorum lacerare ac devorare. « Multò truculentior est avarus, in omnes ut mors « insiliens, omnes ut infernus deglutiens, communis generis humani hostis; quippe qui vel- « let nullum hominem esse, ut omnia possideret. Neque hîc sistit gradum; sed cùm omnes « perdiderit cupiditate suâ, etiam terræ substantiam cupit abolere, ac ipsam in aurum con- « versam vellet aspicere. Verùm ut videatis non- « dum nos insaniam illius oratione assecutos, « fingamus à nemine ipsum accusari, nullum « ipsi terrorem imminere; non à judiciis, non « à consuetudine hominum, non à legibus; & « tunc videbis ipsum arrepto ense omnes interi- « mere, nulli parcere; non amico, non co- « gnato, non fratri, non ipsis parentibus. In- « terrogate avarum, si non hæc secum quoti- « die versat, si non omnes cogitatione invadat « amicos, cognatos, parentes. At nec interro- « gare quidem ipsum opus est. Scitis enim quòd « qui hoc morbo premuntur, & vitam paren- « tum senum graviter ferunt, & dulce illud ac « naturæ suavissimum liberorum donum, grave « ac molestum esse censent. Unde factum est, « ut multi sterilitatem uxorum herbis procura- « verint, & naturam orbam effecerint; qui etsi « filios natos non interfecerunt, attamen ne om- « ninò nascerentur, effecerunt. «

Sed ut ad exponendas avaritiæ filias regre- 114 diamur, *filiæ avaritiæ*, ait Angelicus Doctor q. 118. a. 8. dicuntur vitia, quæ ex ipsa oriuntur. Ipsa enumeravimus n. 112. *Proditio* est illicita manifestatio rei alicujus, vel personæ, in proximi detrimentum, contra fidem ipsi debitam. Est mortalis ex suo genere, potestque quadrupliciter contingere. Primò, prodendo personam, quomodò Judas ex avaritia prodidit Christum. Secundò, prodendo loca, v. g. urbem, castrum, &c. Tertiò, prodendo res mobiles. Quartò, prodendo alterius secreta sibi commissa, litteras v. g. alterius alienis deferendo, &c.

Fraus est astuta deceptio alterius in facto. 115 Est similiter mortalis ex suo genere. Contingit multipliciter in contractibus, tam ratione materiæ, quàm ratione pretii, &c. De quibus ad septimum Decalogi præceptum.

Fallacia est astuta deceptio alterius in verbo, 116 seu verborum mendacium, aut æquivocorum dolosa usurpatio ad decipiendum proximum. De ea plura ad octavum præceptum Decalogi.

Perjurium est ejusmodi verborum fallax usurpatio, juramento firmata.

Inquietudo est nimia anxiaque mentis appli- 117 catio ad acquirendas, vel conservandas divitias, cum excessivo timore, ne in futurum desint. Lethalis est, dum finem ultimum quis in rebus temporalibus constituit, curisque terrenis sic se immergit, ut æternæ salutis suæ curam notabiliter negligat; vel cùm divi-

næ

næ providentiæ diffidit.

119 *Violentia* est quando res aliena per vim injustam usurpatur, ut cùm pauperes à divitibus tyrannicè opprimuntur oneribus, rapinis, injuriis, verberibus, iniquis pecuniarum vel operum exactionibus. De ea ad septimum præceptum.

120 *Obduratio contra misericordiam* est peccatum, quo cor avari tam tenaciter affixum est rebus suis, ut miseriis pauperum non emolliatur ad eorum inopiam sublevandam. De ea to. 2. ubi de eleëmosyna. De furto, homicidio, simonia, usura, &c. eodem to. 2. ubi de præceptis Decalogi.

121 Solùm hîc aliquid adjicere lubet ad ea quæ num. 114. de proditione dixi, quia alibi non recurret commodior de iis differendi locus. Observandum itaque lethalis proditionis reatum incurrere 1°. imitatores perfidi Simonis, de quo 2. Machab. 3. qui utique absconditas proximi pecunias, vestes, supellectilem, chartas magni momenti, & similia manifesta faciunt latroni, ea direpturo, sicut Simon Apollonio Duci manifestos fecit thesauros templi Hierosolymitani. Qua in re non solùm proditor, sed & sacrilegus fuit.

122 2°. eos qui alterius arcanum suæ fidei commissum in ejus detrimentum evulgant. Hoc enim fidei & justitiæ, adeòque legi naturæ repugnat. Proditores proinde sunt Ministri Principum, arcana ipsorum revelantes. Sicut & Advocati & Procuratores adversæ parti clientum secreta manifestantes. Et Medici, Chirurgi, &c. pudendos, sed occultos aliquorum morbos, qui se fidei & curæ ipsorum crediderunt, cum ipsorum infamia divulgantes. Et quicumque arcanum momentosum, ipsis ab amico creditum, alteri præter ipsius voluntatem notum faciunt, dum probabiliter metuere debebant ne inde malum ipsi accideret. Nam, ut dicitur Prov. 27. *qui denudat arcana amici, fidem perdit.* Et infrà: *Denudare amici mysteria, desperatio est animæ infelicis.*

123 Excipe, nisi secretum amici vergat in grave damnum tertii, maximè Prælati, Principis, Ecclesiæ, Communitatis, &c. Tunc enim obligatio est revelandi iis quorum interest, v. g. eos qui hæreses, vel prava dogmata occultè disseminant; vel aliquid moliuntur contra patriam; vel vitæ, famæ, bonis alicujus privati insidiantur, modò id extra confessionem sacramentalem sciatur. Quia, ut S. Thomas ait 2.2.q.70.a.1.ad 2. *de illis quæ homini sunt commissa in secreto per confessionem, nullo modo debet testimonium ferre: quia hujusmodi non scit ut homo, sed tamquam Dei Minister; & majus est vinculum Sacramenti quolibet hominis præcepto. Circa verò ea quæ aliter homini sub secreto committuntur, distinguendum est. Quandoque enim sunt talia, quæ statim cùm ad notitiam hominis venerint, homo ea manifestare tenetur, puta, si pertinent ad corruptionem multitudinis, spiritualem, vel corporalem, vel in grave damnum alicujus personæ, vel si quid aliud est hujusmodi, quod aliquis propalare tenetur, vel testificando, vel denuntiando. Et contra hoc debitum obligari non potest per secreti commissum, quia in hoc frangeret fidem,* vel charitatem, *quam alteri debet. Quandoque verò sunt talia, quæ quis prodere non tenetur. Unde potest obligari ex hoc quòd sibi sub secreto committuntur. Et tunc nullo modo tenetur ea prodere, etiam ex præcepto Superioris: quia servare fidem est de jure naturali. Nihil autem potest præcipi homini contra id quod est de jure naturali.*

Nec contrarius est S. Bonaventura in 4. dist. 124
21. a. 2. q. 3. ubi ad quæstionem, utrùm recipiens aliquid sub secreto, teneatur revelare Superiori præcipienti? respondet teneri, etiamsi præstitisset juramentum de non revelando. Quia juramentum est nullum, & in præjudicium veritatis & obedientiæ. Quia Angelus verbo *festis* n. 33. intelligit hoc procedere, quando Superior hoc præcipit, ad avertendum grave malum tertii; vel Communitatis; atque ita concordat S. Bonaventura cum S. Thoma. Concordat etiam Alexander de Ales in 4. dist. 19. a. 2. versu *ad illud quod objicitur per simile*, dicens, quòd siquis promiserit alicui, quòd teneret aliquod factum secretum, & posteà, nisi velit illud testificari, damnabitur aliquis innocens, vel necesse erit ipsum mentiri, vel esse inobedientem Superiori (legitimè præcipienti) vel aliquod grave scandalum orietur; in tali casu non debet factum illud celare.

Idque procedit, secundùm Doctores, etiam- 125
si secretum sit tibi commissum sub sigillo confessionis, sine confessione tamen sacramentali, ut siquis ut consilium vel auxilium temporale ab aliquo recipiat, ipsi dicat peccatum suum, addendo, hoc tibi dico in confessione, vel sub sigillo confessionis. Sunt enim (ait Dominicus Sotus de teg. secret. q. 7. membro 2. concluſ. 4.) qui ut arctiùs obligent ad secretum, signant se signo crucis, & flectentes genua, dicunt se committere secretum in confessione; qui tamen revera sacramentaliter non confitentur omnia peccata sua, cum intentione accusandi se in ordine ad absolutionem. Tunc enim secretum non committunt in confessione sacramentali, nec Sacerdoti ut Christi Ministro, sed ut homini, in ordine ad effectum aliquem temporalem. Tunc proinde non intervenit sigillum confessionis sacramentalis, uti etiam tradit Cajetanus ad citatum locum S. Thomæ versu *in responsione ad tertium.* Estque sententia communis, teste Navarro in Manuali c. 18. n. 55.

CAPUT VIII.

Definitio & malitia luxuriæ.

LUxuria est inordinatus appetitus venereæ 126
voluptatis. Malitiam ipsius ex genere suo mortalem esse, nullus est qui dubitet. *Inter*

peccata intemperantiæ (ait S. Thomas 2. 2. q. 151. a. 4. ad 3.) *peccatum luxuriæ præcipuè est exprobrabile. Tum propter inobedientiam generatim. Tum etiam propter hoc quòd ratio ab hujusmodi maximè absorbetur*, & homo per luxuriam degenerat in belluam, sive in brutum animal, ut loquitur Hieronymus in cap. 4. Oseæ. Imò degenerat in dæmonem. Dicit enim Ambrosius l. 1. de virginit. *Qui castitatem servavit, Angelus est; qui eam perdidit, diabolus.*

127 Judice Augustino l. 1. Soliloq. c. 10. *nihil est quod magis ex arce dejiciat animum virilem*, quàm infame peccatum istud. Nihil per quod homo magis à Deo discedit : quia (ut S. Thomas lect. 1. in cap. 31. Job.) *per peccatum luxuriæ homo videtur maximè à Deo discedere. Accedit enim homo ad Deum per spirituales actus; qui maximè impediuntur per delectationem veneream.* Nihil denique est, quod magis deviare facit ab ultimo fine. Id enim quod maximè trahit ad sensibile, maximè abducit ab intelligibili, & præsertim à primo summoque intelligibili, quod est Deus. Atqui luxuria maximè trahit ad sensibile, dum trahit ad delectationem sensibilium omnium vehementissimam. Et ideò luxuriæ dediti maximè obscuratum habent intellectum, juxta illud Ephes. 4. *tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei... qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ.*

128 Per consequens luxuria atrocem injuriam committit in Deum, in Spiritum sanctum, in Christum. In Deum, Dei imaginem corrumpendo. In Spiritum sanctum, templum ipsius violando, secundùm illud 1. Cor. 6. *An nescitis quia corpora vestra templum sunt Spiritûs sancti?* At verò *siquis violaverit templum Dei, disperdet illum Deus*, 1. Cor. 3. Et quia *corpora nostra membra sunt Christi*, 1. Cor. 6. atrocem injuriam Christo facit, qui membra Christi facit membra meretricis. Hoc est enim *horrendum sacrilegium*, ait S. Thomas in eum Apostoli locum. Quia est maximè dehonorare Christum in membris suis, in quibus ex pacto baptismali Christianus quisque Deum & Christum tenetur glorificare : *Non* enim *estis vestri. Empti enim estis pretio magno. Glorificate Deum in corpore vestro.* Apostolus ibidem.

129 Errant igitur, & vehementer errant, qui peccatum istud esse putant peccatum fragilitatis, facilè per Dei misericordiam condonabile. Imò in luxuriosis *partem non habet Deus desuper, & hæreditatem Omnipotens de excelsis.* Job. 6. Enimverò peccatum istud tantò magis iram Dei provocat, quantò majorem Deo injuriam irrogat. Tantò majorem verò Deo injuriam irrogat, quantò vilius quidpiam ipsi præponit, viliſsimam utique sordidissimamque voluptatem.

130 Denique ingentem luxuriæ malitiam ingentia produnt mala quæ ipsam consequuntur. De ea namque innumera alia pullulant vitia, & ipsa est *ignis omnia eradicans germina.* Job. 31.

CAPUT IX.

Octo filiæ luxuriæ.

131 Filiæ luxuriæ (ait post D. Gregorium S. Thomas q. 153. a. 5.) sunt *cæcitas mentis, inconsideratio, præcipitatio, inconstantia, amor sui, odium Dei, affectus præsentis sæculi, horror vel desperatio futuri.* Rationem dat : *Nam quando inferiores potentiæ vehementer afficiuntur ad sua objecta, consequens est quòd superiores vires impediantur, & deordinentur in suis actibus. Per vitium autem luxuriæ maximè appetitus inferior*, scilicet concupiscibilis, vehementer intendit objecto suo, scilicet delectabili, propter vehementiam passionis, & delectationis. Et ideò consequens est, quòd per luxuriam maximè superiores vires deordinentur, scilicet *ratio*, sive intellectus, *& voluntas.* Luxuria itaque intellectum & voluntatem pervertit, præcipuas utriusque operationes impediendo, & deordinando. Et per quatuor quidem priores filias ipsius deordinatur intellectus; voluntas per quatuor posteriores.

132 Per luxuriam ergo intellectus deordinatur, quatenùs per eam impediuntur quatuor præcipui actus rationis, scilicet 1°. consideratio debiti finis, quem quisque sibi in agendo præfigere debet. 2°. consilium de mediis ad finem illum consequendum eligendis. 3°. judicium de agendis. 4°. imperium de executione agendorum.

133 Jam verò impeditâ per luxuriam debiti finis consideratione (ob vehementiam passionis & delectationis) subintrat *cæcitas mentis.* Impedito consilio, inducitur *præcipitatio.* Impedito agendorum judicio, oritur *inconsideratio.* Impedito imperio rationis præcipientis executionem, subnascitur *inconstantia.*

134 Similiter per luxuriam deordinantur quatuor præcipui actus voluntatis, qui sunt 1°. appetitus debiti finis. 2°. electio mediorum idoneorum ad illum consequendum. 3°. amor Dei. 4°. amor futuri sæculi. Impeditis namque per luxuriam quatuor istis actibus, subintrant *amor sui, odium Dei, affectus præsentis sæculi, horror vel desperatio futuri.*

135 De cæcitate mentis ex luxuria pullulante testis est (præter experientiam) divina Scriptura Danielis 13. ubi de senibus luxuriosis dicitur : *Exarserunt in concupiscentiam ejus* (Susannæ) *& everterunt sensum suum, & declinaverunt oculos suos, ut non viderent cælum, neque recordarentur judiciorum justorum.* Et Prov. 7. de juvene meretricis sermonibus irretito : *Statim eam sequitur, quasi bos ductus ad victimam, & quasi agnus lasciviens, & ignorans quòd ad vincula stultus trahatur, donec transfigat sagitta jecur ejus, velut si avis festinet ad laqueum; & nescit quòd de periculo animæ illius agitur.*

Cæcitatem, & passionem vehementem *inconsideratio* & *præcipitatio*, seu prudentis deliberationis defectus naturaliter subsequitur.

136 *Inconstantiam* hominis luxuriosi, subinde decernentis à luxuria recedere, vel ipse Terentius Ethnicus deridet, loquens de Eunucho quodam, qui dicebat se recessurum ab amica : *Hæc verba una falsa lachrymula restringet.*

137 Amorem etiam sui, præsentisque sæculi, ex luxuria nasci, constat ex eo quòd isti vitio impliciti, finem suum ultimum ponant in carne sua, obscœnisque illius ac præsentis sæculi voluptatibus, quas adeò depereunt, ut aliam beatitudinem non quærerent, si iis semper perfrui possent. Dicunt enim cum iis de quibus Sap. 2. *Venite ergo, fruamur bonis quæ sunt, & utamur creaturâ tanquam in juventute celeriter..... nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra..... & hæc est sors.*

138 Atque hinc tandem profluit *odium Dei*, luxuriam prohibentis ac punientis, *horrorque* vel desperatio futuri sæculi. Eò quòd ex una parte nihil ibi luxuriosus expectet nisi gehennam, luxuriosis præparatam ; ex alia parte ipsi impossibile videatur carnis voluptatibus nuntium omninò remittere ; impossibile proinde gehennam vitare, & ad gaudia æterna pervenire. Inde ergo horror & desperatio in ipsius voluntate, juxta illud : *Desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ.*

CAPUT X.

Gradus, per quos luxuria homines paulatim perdit.

139 SAnctus Antoninus p. 2. tit. 5. c. 1. §. 4. dicit, *quòd sicut ignis paulatim consumit templum* ; ita & luxuria hominem. *A cogitatione turpium incipit, & nisi statim resistatur, ulteriùs procedit. Progressus autem luxuriæ fit per septem gradus. Primus est sensualis complacentiæ toleratio. Secundus est morosa delectatio. Tertius est in actum consensio. Quartus, impudicus aspectus. Quintus, turpis confabulatio. Sextus, libidinosa contrectatio. Septimus, operis expletio.*

140 Paulò aliter Glossa in Job. 31. *Visum sequitur cogitatio ; cogitationem delectatio ; delectationem consensus ; consensum opus* (primò imperfectum per turpem locutionem & contrectationem ; deinde perfectum per consummationem) *opus sequitur consuetudo ; consuetudinem necessitas ; necessitatem desperatio ; desperationem damnatio.*

CAPUT XI.

Septem species luxuriæ.

141 SEptem luxuriæ species à Doctoribus communiter assignantur, *fornicatio simplex, stuprum, adulterium, incestus, raptus, sacrilegium, & peccatum contra naturam.* Nec dissentit S. Thomas, licèt 2. 2. q. 154. a. 1. ad 3. sex tantùm species enumeret, sacrilegiumque ad adulterium reducat. Hoc enim ideò facit, quia *mulier vovens continentiam, quoddam spirituale matrimonium facit cum Deo ; & ideò sacrilegium quod committitur in violatione talis mulieris, est quoddam adulterium spirituale.* Solùm proinde quoad vocem discrepat ab assignantibus septem species ; *adulterium spirituale* appellans, quod alii *sacrilegium* vocant. De quo propterea seorsim ab adulterio S. Doctor differit ibidem a. 10.

De istis omnibus luxuriæ speciebus ad sextum Decalogi præceptum tomo sequenti, Deo dante, copiosè disseremus.

CAPUT XII.

Remedia luxuriæ.

QUemadmodùm Medicus corporalis ad 142
prudenter præscribenda remedia morbi corporalis, inquirere debet radicem ex qua morbus provenit ; ita proportionaliter Medicus spiritualis. Radices verò luxuriæ esse solent, vel 1°. cohabitatio certarum personarum, præsertim diversi sexûs, vel certi consortii frequentatio ; vel 2°. maligna quædam complexio naturæ specialiter proclivis in venerem ; vel 3°. prava consuetudo, seu habitus per plures actus venereos præcedentes contractus, ad similes actus inclinans. Et remedium quidem generale ad comprimendam luxuriam, est tum oratio fervens ac frequens ad implorandum divinum auxilium, *quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det* ; sicut & custodia sensuum tam externorum, quàm internorum : quia *mors intrat per fenestras*, Hierem. 9. ac specialiter per oculos. Thren. 3. *oculus meus depradatus est animam meam*, prout expertus est David oculos conjiciendo in Bersabeam. Per aures item, quia *corrumpunt mores bonos colloquia prava*, 1. Cor. 15. Tum etiam munimentum cogitationum sanctarum. Scriptum est enim : *cogitatio sancta servabit te.* Et fuga otiositatis, ut nos semper diabolus inveniat occupatos, ne ex otiositate nostra aliquem intrandi aditum ad animas nostras valeat invenire.

Præter generalia tamen illa, si luxuria ex 143
prima radice proveniat, occasio illa deserenda est, si licitè fieri possit, juxta dicta de peccatorum occasionibus suprà, non obstante quòd ista desertio incommodum adferet temporale. Quia, uti sapienter ait Vincentius Caraffa septimus Generalis Societatis apud P. Danielem Bartholi in ejus vita l. 2. c. 13. *minimum dubitationis de salute æterna* (minima proinde probabilitas periculi de ea amittenda) *debet homini esse pluris certissimo periculo, ingentique rerum temporalium lucro.*

Si verò proveniat ex secunda & tertia radice, adhibendæ sunt carnis macerationes,

puta jejunia vigiliæ, disciplinæ, cilicia, &c. quantùm vires corporis, & necessariæ occupationes permittunt. Sunt tamen aliqui in venerem adeò proclives, ut corporalia ista remedia ipsis non sufficiant; ideò addenda ipsis sunt spiritualia remedia piarum considerationum, præsertim quatuor novissimorum, Dominicæ Passionis, malorum terribilium, quæ peccata carnis in hoc & futuro sæculo consequuntur, devotionis erga beatissimam Virginem, & sanctissimum Sponsum ejus Josephum, eleëmosynæ, dum facultates suppetunt, frequens ad Medicum spiritualem accessus ad humiliter detegendas ipsi miserias suas, crebri gemitus & suspiria ad Deum pro obtinendo plenæ conversionis dono, &c.

144 Sed quid ad id quod Doctor du Jardin, sacri Ord. Prædicat. in l. de officio Sacerdotis ait pag. 266. „ Optimum & probatissimum „ remedium pro consuetudinariis in materia venerea, uti & in aliis materiis, est ut uno eodemque semper utantur Confessario, viro docto, pio & prudenti, ejusque monitis fideliter & constanter obtemperent? Respondeo, hactenùs quidem benè & optimè. Sed grano salis indiget assertio quam immediatè subjungit: „ Ad prudentiam Confessarii pertinet, „ consuetudinariis ritè præparatis, pravam consuetudinem efficaciter propter Deum detestantibus, & ad remedia adhibenda se promptos exhibentibus, primâ vice beneficium absolutionis libenter impendere, ut gratiâ Sacramenti roborati, fortiores contra relapsum evadant. „ Quia nisi Jardinius exponat signa solida, ex quibus Confessarius prudenter colligere queat consuetudinarium accedere ritè præparatum, pravamque consuetudinem efficaciter detestantem, illa ipsius assertio incautos Confessarios inducit ad credendum tales in solo verbo ipsorum, ad dandum proinde absolutiones incautas, temerarias, præcipitatas, dantibus periculosas, & accipientibus obfuturas potiùs quàm profuturas. Addere ergo debebat, consuetudinarios primâ vice ordinariè non præsumi accedere ritè præparatos, tametsi ad remedia adhibenda se promptos exhibeant. Quia id signum quidem est inchoatæ conversionis, sed non plenæ & integræ; quæ respectivè ad consuetudinarios brevi tempore perfici non solet, sed post multas colluctationes, magnas preces & laboriosa pœnitentiæ opera, uti partim ostendimus p. 1. cap. 28. reg. 8. partim fusiùs ex Scriptura, Patribus & primariis Theologis ostensuri sumus to. 3. l. 5. de Sacramento Pœnitentiæ, ubi pariter monstrabimus, Confessarium ordinariè non debere credere tales ad absolutionem accedere ritè præparatos, nisi videat emendatos, nec signum sufficiens ad id credendum esse quòd jam non toties ut antè, sed rariùs relabantur. Quod etiam monstravimus loco citato reg. 9.

CAPUT XIII.

Definitio & malitia invidiæ.

INvidia est tristitia, quâ de proximi bono tristamur, quia in eo nos æquat, vel excellit. 145 Hæc definitio colligitur ex S. Augustino l. 11. de Genesi ad lit. c. 14. ubi dicit, quòd *invidia est odium felicitatis alienæ.... Amando enim quisque excellentiam suam, vel paribus invidet, quòd ei coæquentur; vel superioribus, quòd eis non coæquetur.* Unde ibidem addit, quòd *causa invidendi, superbia est.*

Similia habet S. Thomas 2. 2. q. 36. a. 1. & 2. ubi sic: *Sicut dictum est, invidia est tristitia quædam de alienis bonis; sed hæc tristitia potest contingere quatuor modis.*

Uno quidem modo, cùm aliquis dolet de bono alicujus, in quantum ex eo timetur nocumentum, vel sibiipsi, vel etiam aliis bonis: & talis tristitia non est invidia... & potest esse sine peccato. Unde Gregorius 22. Moralium ait: 146 " Evenire plerùmque solet, ut, non amissâ " charitate, & inimici nos ruina lætificet; & " rursum ejus gloria fine invidiæ culpa contri- " stet: cùm & ruente eo, quosdam benè erigi " credimus; & proficiente illo, plerosque injustè " opprimi formidamus."

Alio modo potest aliquis tristari de bono alterius, non ex eo quòd ipse habet bonum, sed ex eo quòd nobis deest bonum illud, quod ipse habet. Et hoc proprie est zelus, ut Philosophus dicit in 2. Reth. & si iste zelus sit circa bona honesta, laudabilis est, secundùm illud 1. Cor. 14. 147 " æmulamini spiritualia." *Si autem sit de bonis temporalibus, potest esse cum peccato* (dum scilicet est cum cupiditate) *& sine peccato.*

Tertio modo aliquis tristatur de bono alterius, 148 *in quantum ille, cui accidit bonum, est eo indignus. Quæ quidem tristitia non potest oriri ex bonis honestis, ex quibus aliquis justus efficitur; sed sicut Philosophus dicit in 2. Rethor.* " est de " divitiis, & talibus, quæ possunt provenire " dignis & indignis. " *Et hæc tristitia secundùm ipsum vocatur* " Nemesis ", *& pertinet ad bonos mores. Sed hoc ideò dicit, quia considerabat ipsa bona temporalia secundùm se, prout possunt magna videri non respicientibus ad bona futura & æterna. Sed, secundùm doctrinam fidei, temporalia bona, quæ indignis proveniunt, ex justa Dei ordinatione disponuntur, vel ad eorum correctionem, vel ad eorum damnationem. Et ejusmodi bona quasi nihil sunt in comparatione ad bona futura, quæ servantur bonis. Et ideò hujusmodi tristitia prohibetur in Scriptura sacra, secundùm illud Psal. 36.* " Noli " æmulari in malignantibus, neque zelaveris " facientes iniquitatem. " *Et Psal. 72.* " Penè " effusi sunt gressus mei, quia zelavi super ini- " quos, pacem peccatorum videns. "

Quarto modo aliquis tristatur de bonis alicujus, in quantum aliter excedit ipsum in bonis. 149 *Et hoc proprie est invidia. Et illud semper est*

pravum, ut Philosophus dicit in 2. Reth. *quia dolet de eo, de quo est gaudendum, scilicet de bono proximi.* Estque peccatum ex genere suo mortale, uti S. Doctor probat a. 3. quia *invidia secundùm rationem sui objecti contrariatur charitati, per quam est vita spiritualis animæ. Sed in quolibet genere peccati mortalis inveniuntur aliqui imperfecti motus, quandoque etiam in viris perfectis, quæ sunt peccata venialia.*

150 Quàm grave verò peccatum sit invidia, graphicè depingit S. Chrysostomus homil. 40. vel 41. in Matth. incipiendo ab hisce verbis: *Tale certè malum est invidia, quæ ita grassatur in animas, ut omnem malignitatem & nequitiam prætergrediatur, &c.* Quod ibidem aureâ eloquentiâ expositum videri potest.

151 Nihilominùs *invidia non est maximum peccatorum* (ait S. Thomas a. 4. ad 2.) *est tamen quædam invidia quæ inter gravissima peccata computatur, scilicet invidia fraternæ gratiæ, secundùm quod aliquis dolet de ipso augmento gratiæ Dei, non solùm de bono proximi. Unde ponitur peccatum in Spiritum sanctum: quia per hanc invidentiam homo quodammodò invidet Spiritui sancto, qui in suis operibus glorificatur.*

CAPUT XIV.

Filiæ invidiæ.

152 Filiæ invidiæ sunt, *odium proximi, detractio, susurratio, gaudium in adversis, tristitia in prosperis*, &c. De odio & detractione alibi. *Susurro & detractor in materia conveniunt, & etiam in forma, sive in modo loquendi* (ait S. Thomas 2. 2. q. 74. a. 1.) *quia uterque malum de proximo dicit.... Differunt autem in fine: quia detractor intendit denigrare famam proximi; unde illa mala de proximo præcipuè profert, ex quibus proximus infamari possit, vel saltem diminui ejus fama. Susurro autem intendit amicitiam separare, ut patet per Glossam interlinearem, quæ dicit:* „ susurrones inter amicos discordiam seminantes „ .... *Et ideò susurro talia mala profert de proximo, quæ possunt contra ipsum commovere animum audientis, secundùm illud Eccli. 28.* „ Vir pec- „ cator conturbabit amicos, & in medio pacem „ habentium immittit inimicitiam. „ Susurratio itaque est occulta mali de proximo narratio, ad finem seminandi discordiam inter amicos. Unde peccatum est ex genere suo mortale, *tantò gravius* (prosequitur S. Doctor a. 2.) *quantò per ipsum majus nocumentum proximo infertur. Nocumentum autem tantò majus est, quantò majus est bonum quod tollitur. Inter cætera verò bona exteriora præeminet amicus: quia* „ sine amicis nullus vivere potest, „ *ut patet per Philosophum 8. Eth. 1. Unde dicitur Eccli. 6.* „ amico fideli nulla est comparatio. „ *Fama autem ipsa, quæ per detractionem tollitur, ad hoc maximè necessaria est, ut homo idoneus ad amicitiam habeatur. Et ideò susurratio est majus peccatum quàm detractio, & etiam quàm contumelia, quia* " amicus est melior quàm honor, " & amari, quàm honorari, " *ut in 8. Eth. c. 8. Philosophus dicit.*

Videri potest Navarrus in Manuali c. 18. 153
n. 13. ubi sic: " Peccat qui bonam aliquorum " amicitiam intendit notabiliter lædere, aut dat " causam lædendi per susurrationem, animad- " vertens, vel animadvertere debens, se id fa- " cere.... Nec debet absolvi, donec (quoad " per eum fieri poterit) illos inter se reconci- " liet. Aut (si id præstare non potest) damnis " inde secutis judicio boni viri satisfaciat, juxta " Summam Rosell. verbo *invidia* §. 6. Nostro " tamen judicio absolvendus est, modò firmi- " ter id facere proponat. " Si tamen, id antè pollicitus, verbo non steterit, absolvendus non est, nisi re præstiterit.

CAPUT XV.

Definitio & malitia gulæ.

Gula est *inordinatus appetitus edendi, & bibendi.* Sumitur ex S. Thoma 2. 2. q. 154
148. a. 1. ubi dicit quòd *gula non nominat quemlibet appetitum edendi & bibendi, sed inordinatum.* Est autem appetitus iste semper inordinatus, quando finem alium non habet quàm delectationem cibi vel potûs; cibus proinde & potus non appetitur *indigentiâ sustentationis*; sed *concupiscentiâ voluptatis.* Non quòd voluptas ipsa cibi & potûs, vel usus illius, peccatum sit (*non* enim *solùm cibo, sed etiam cibi sapore indiget infirmitas corporis* (inquit Augustinus l. 4. contra Julian. c. 14.) sed quòd appetitus in ea, velut in fine positivè vel negativè ultimo conquiescens, sive eam ad finem ulteriorem non referens, peccaminosus sit, ut jam Ecclesia declaravit, dum per Innocentium XI. propositionem hanc damnavit: *Comedere & bibere usque ad satietatem; ob solam voluptatem, non est peccatum, modò non obsit valetudini. Quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui:* Quam etiam propositionem *temerariam, scandalosam, perniciosam, erroneam, & ad Epicuri scholam ablegandam* declaravit Generalis Cleri Gallicani Conventus anni 1700.

Porrò gulam esse peccatum ex genere suo 155
mortale constat ex dictis cap. 1. Est enim species quædam idololatriæ, quatenùs homines gulæ dediti, ventri suo velut fini serviunt, sicut Apostolus dicit Rom. 16. *Hujusce modi enim Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri.* Et ad Philipp. 3. *Quorum Deus venter est.* Et aliàs comessatio & ebrietas non essent peccata ex suo genere, sive propriâ specie mortalia. Cujus oppositum ex dicendis constabit.

CAPUT XVI.

Gulæ species, & modi quinque, quibus nos gulæ vitium tentat.

Dividitur gula *in comessationem*, sive cra- 156
pulam, *& ebrietatem.* Ita S. Thomas &

passim Doctores. Ebrietas consistit in immoderata sumptione potûs. Comessatio in immoderata sumptione cibi. Utramque ex suo genere mortalem esse, satis colligitur ex eo quòd Apostolus Galat. 5. dicit, utramque excludere à regno cælorum: *Homicidia, ebrietates, comessationes, &c. qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.*

157 Et de ebrietate quidem plura cap. 18. Comessationem, quâ quis, secluso scandalo, & notabili damno sanitatis, ad vomitum comedit & bibit, etiamsi ad vomitum se provocaret, ut iteratò comedere & bibere posset, non esse mortalem, putant Burghaber Centur. 1. casu 64. Toletus & Layman apud Busembaum, id probabile existimantem in Medulla Theol. Moral. l. 5. c. 3. dub. 5. a. 1. Sed bestialis, imò plusquàm bestialis videtur opinio ista: cùm bruta animantia à similibus abhorreant, nec se ultra satietatem cogi permittant. Et si hoc primo die facere non esset mortale, nec mortale esset idipsum repetere secundo, tertio, quarto die, &c. Per consequens mortale non esset sic quotidie vivere, nec vivere ad comedendum & bibendum, de suoque ventre facere Deum suum. Denique si mortale non esset se taliter ingurgitare cibo, nec mortale foret se taliter ingurgitare potu, salvo rationis usu, etiamsi sæpiùs, & omni penè die id fieret. At contrarium Scriptura & Patres docent: *Væ, qui potentes estis ad bibendum.* Isa. 5. *Væ, qui saturati estis, quia esurietis.* Luc. 6. *Væ* autem in Scriptura *æternum interitum nominat*, ait Beda in cap. 23. Proverb. post Hieronymum in cap. 5. Amos dicentem: *Væ pœnarum ultimum est.* Unde S. Cæsarius in appendice sermonum S. Augustini serm. 294. *Frequenter* (inquit) *usque ad vomitum ingurgitare se non erubescunt.... pejores animalibus judicandi sunt. Cùm enim animalia amplius quàm eis opus est, bibere nolint, illi & duplum, & triplum, quàm eis oportet, potum accipiunt. Et unde tribus aut quatuor diebus refectionem rationabilem potuerant habere, uno die* CUM GRANDI PECCATO *suo contendunt perdere potiùs quàm expendere. Atque utinam vel potum tantummodò perderent, & non etiam ipsi perirent!* Basilius etiam in Asceticis c. 1. *Ventrem plus æquo replere, & cibis aggravare, maledictione dignum est, dicente Domino: Væ qui saturati estis, &c.*

158 Meritò ergo ab Academia Lovaniensi, & ab Illustrissimo D. Episcopo Namurcensi confixa est propudiosa ista Casuistarum nonnullorum propositio: *Nonnisi veniale est, etiam absque utilitate, cibo & potu usque ad vomitum se ingurgitare, nisi ex hujusmodi vomitibus gravia valetudini incommoda oriantur.* Valdè id vituperat Isaïas c. 28. 8. dicens: *Omnes mensæ* eorum *repletæ sunt vomitu, sordiumque, ita ut non esset ultrà locus.* Sicut & Philosophus Ethnicus Seneca consol. ad Helviam, dicens: *Vomunt ut edant, edunt ut vomant.*

159 Confirmant hoc S. Gregorius, & S. Antoninus, dum gulæ modos quinque recensendo, gravem excessum in mensura refectionis mortalem esse docent. Siquidem Gregorius relatus can. *quinque* de Consecr. dist. 5. *Quinque modis* (inquit) *nos gulæ vitium tentat. Aliquando namque indigentiæ tempora prævenit. Aliquando verò tempus non prævenit, sed cibos lautiores quærit. Aliquando quælibet sumenda sint, præparari accuratius expetit. Aliquando autem & qualitati ciborum, & tempori congruit, sed in ipsa quantitate sumendi mensuram moderatæ refectionis excedit. Nonnunquam verò & abjectius est quod desiderat, & tamen in ipso æstu immensi desiderii* per aviditatem *deteriùs peccat.* Quinque isti modi versu isto comprehenduntur.

Præpropere, lautè, nimis, ardenter, studiosè.

Gravem verò excessum in mensura mortalem esse probat Gregorius ex Scriptura, quæ ad Hierusalem dicit: *Hæc fuit iniquitas Sodomæ, sororis tuæ, superbia, saturitas panis, & abundantia. Per hoc* enim *apertè ostenditur, quòd idcircò salutem perdidit, quia, cum superbiæ vitio, mensuram moderatæ refectionis* notabiliter *excessit.* Propter duo igitur salutem perdidit, & propter superbiam, & propter notabilem excessum istum. Quod & D. Antoninus docet p. 2. tit. 6. c. 1. §. 5. ubi & ipse illos quinque modos optimè explicat, & primo loco ponit excessum in quantitate: *Prima species gulæ, seu modus est nimis comedere, vel etiam bibere.... Cùm autem ita exceditur in quantitate, ut incurratur ebrietas, illud est unum vitium speciale, de quo dicetur infrà. Cùm verò bibitur ultra debitum, sed citra ebrietatem, pertinet ad hanc speciem gulæ. Et perpetrari potest istud vitium ita circa vilissimos cibos & potus, sicut circa delicatos & pretiosos. Unde dicitur Ezech. 16.* " Hæc fuit iniquitas " Sodomæ, sororis tuæ, saturitas panis & aquæ. " *De quantitate autem cibi & potûs non potest dari una certa regula omnibus secundùm eandem mensuram; sed plus & minùs exigitur, secundùm varietatem complexionum, & fatigationum. Unus etiam & idem plus indiget uno tempore, quàm alio, secundùm dispositionem sui corporis.... Tantùm ergo potest & debet quis comedere & bibere, quantùm credit se indigere ad sustentationem, & executionem eorum quæ sibi incumbunt agenda, ita ut non usque ad nauseam sumat, sed cum aliquali adhuc appetitu finem faciat. Cùm autem ex delectatione cibi vel potûs plus sumit, quàm sibi dictat conscientia opportunum, tunc peccat, & de crapula carnisprivii, ex his quæ habentur dist. 4. cum Glossa, videtur ibi esse mortale.* 160

Pergit deinde Antoninus ad alias memoratas species: *Secunda species est comedere cibos nimis delicatos propter delectationem, ut capones, phasianos, perdices.... vina solemnia.... Si tamen utatur cibariis delicatis propter infirmitatem, vel debilitatem hoc exigentem, aut* 161

generis

generis nobilitatem, ut princeps, aut temporis congruitatem, ut in nuptiis & conviviis discretis, potest esse hoc absque peccato.

162 De S. Thoma Cantuariensi Archiepiscopo & Martyre Heribertus de Bosoham in ejus vita scribit, quòd *ei in mensa multa quidem offerebantur, & varia, sed inter plurima ad esum proprium panca retinebat. Et ea quibus ipse utebatur, & delicatiora quidem, & pretiosiora erant.... Unde cùm unus justorum talium super hoc inter discumbendum semel quasi subridens notaret Pontificem, aliquantisper zelo motus Pontifex sic ei respondit: Certè, frater, nisi fallor, cum aviditate majori tu tuam sumis fabam, quàm ego appositam mihi phasidem.... Nec enim refert, ut tradunt animarum Medici, Patres Orthodoxi, quid, quantumvè quis sumat, si solùm necessitati & valetudini suæ, non voluptati indulgeat. Pontifex igitur, qui grossiora non poterat, utpote minimè enutritus in his, delicioſa quidem, sed parcè admodùm sumebat, & sobriè, ita quòd, sicut ex ejus secreta confessione quidam Religiosi ipsius familiares noverunt secretiùs, non magis cibatus, quàm jejunus, nec post vina plus quàm antè, ullam vix sentiret carnis rebellionem.*

163 Unde S. Augustinus l. 3. de doctr. Christ. c. 10. *Fieri potest, ut sine aliquo vitio cupidinis, vel voracitatis, pretiosissimo cibo sapiens utatur; insipiens autem fœdissimâ gulæ flammâ in vilissimum olus ardescat.* Convivia autem facere, ubi communiter lauta præparantur, cùm ex amicitia, vel alia honesta causa fiunt, de se non sunt reprehensibilia. Nam & Job permittebat filiis suis convivia facere invicem. Et Joseph præparavit fratribus suis convivium. Et Abraham Angelis, hospitibus suis, &c.

164 *Tertia species gulæ est ponere nimis de tempore & cura* (id est nimium temporis & curæ) *ad præparandum cibos, ut magis delectent.... Et præcipuè in hoc solent delinquere divites, & etiam Prælati Ecclesiæ. Unde Alanus de planctu naturæ ait:* „ Hodie gulæ vitium profun-
„ diùs se porrigit in Dominos & Prælatos, qui
„ salmones, lucios, cæterosque pisces æquipol-
„ lenti generositate insignes, variis decoctionum
„ cruciant martyriis, balneantes officio sacri pi-
„ peris fonte baptizant, ut multiformis saporis
„ gratiam consequantur; alius ministrorum con-
„ tundit, colat alius & conficit, substantiam ver-
„ tit in accidens, naturam mutat in artem, ut
„ saturitas transeat in esuriem. *Hæc ille. Sed magnam conscientiam sibi debent facere tales, de tanto tempore quod amittunt, & faciunt ministros amittere, pro hujusmodi præparatione, & expensis superfluis, quibus deberent pauperibus subvenire.* Grave namque peccatum esse potest expensas notabiliter superfluas in istis facere, ubi tot Christi membra pane indigent.

165 *Quarta species gulæ est nimis ardenter, seu nimiâ aviditate cibum vel potum sumere. Ad quod pertinere videtur comedere nimis rapaciter & festinanter. Et licèt quidam habeant à naturali conditione, vel assuefactione, tamen corpori nocet.... Et cùm procedit ex inordinato appetitu delectationis, gulæ peccatum est.*

Ultima species est, cùm non servatur co- 166
medendi bibendique tempus, quasi quâlibet horâ sine regula comedere vel bibere quis vellet. Quod argumento est quæsitæ potiùs voluptatis, quàm necessitatis: cùm obsit, non prosit valetudini. *Nec* hoc facientes *sani vivere possunt (cùm ponant indigestum super indigestum, unde mali humores generantur, & caput etiam fumositatibus est gravatum, & malè aptum ad spiritualia.) Et hoc nisi magnus labor excuset, ut laborantes in agris, viatores, pueri dum sunt in augmento.*

CAPUT XVII.

Filiæ gulæ, & mala inde provenientia.

Dicendum (inquit S. Thomas 2. 2. q. 148. 167
a. 6.) *quòd filiæ gulæ sunt quinque*, scilicet *inepta lætitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium, hebetudo mentis circa intelligentiam.* Quia *illa vitia inter filias gulæ computantur, quæ ex immoderata delectatione cibi & potûs consequuntur; quæ quidem potest accipi vel ex parte animæ, vel ex parte corporis.*

Ex parte autem animæ quadrupliciter. Primò 168
quidem quantùm ad rationem, cujus acies hebetatur ex immoderatione cibi & potûs. Et quantùm ad hoc ponitur filia gulæ, HEBETUDO MENTIS CIRCA INTELLIGENTIAM, *propter fumositates ciborum perturbantes caput. Sicut è contrario abstinentia confert ad sapientiæ perceptionem, secundùm illud Eccles. 2.* " Cogitavi "
in corde meo abstrahere à vino carnem meam, "
ut animum meum transferrem ad sapientiam. "

Secundò, quantùm ad appetitum, qui mul- 169
tipliciter deordinatur per immoderantiam cibi & potûs, quasi sopitò gubernaculo rationis. Et quantùm ad hoc ponitur INEPTA LÆTITIA: *quia omnes aliæ inordinatæ passiones ad lætitiam & tristitiam ordinantur, ut dicitur in 2. Ethic. Et hoc est quod dicitur 2. Esdræ 3.* " Vinum om- "
nem mentem convertit in securitatem, & in "
jucunditatem. "

Ad ineptam lætitiam pertinet jocandi genus 170
immodestum, petulans, obscœnum. Pertinent & choreæ dissolutæ, tripudia, motus indecori & lascivi, vanitates histrionum, &c.

Tertiò, quantùm ad inordinatum verbum; & sic ponitur MULTILOQUIUM, *quia ut Gregorius dicit in Pastorali:* " nisi gulæ deditos "
immoderata loquacitas raperet, dives ille, "
qui epulatus quotidie splendidè dicitur, in lin- "
gua gravius non arderet. "

Quartò, quantùm ad inordinatum actum; & 171
sic ponitur SCURRILITAS, *id est, jocularitas quædam proveniens ex defectu rationis, quæ sicut non potest cohibere verba, ita non potest cohibere exteriores gestus. Unde ad Ephes. 5. super illud:* " aut stultiloquium, aut scurrilitas: "
dicit Glossa, quòd, " à stultis scurrilitas dicitur, "
id est jocularitas, quæ risum movere solet, "

Quamvis possit utrumque horum referri ad verba, in quibus contingit peccare, vel ratione superfluitatis, quod pertinet ad MULTILOQUIUM ; *vel ratione inhonestatis, quod pertinet ad* SCURRILITATEM ; quæ est immoderatio in jocis & facetiis, aut in studio commovendi aliis risum, estque plerùmque veniale peccatum, dum personarum quidem decentia non servatur in jocis, sed abest scandalum, & prava intentio. Quandoque tamen est peccatum mortale, ratione materiæ, seu objecti, si jocus vel obscœnus sit & scandalosus; vel Deo, Sanctis, aut proximo graviter injuriosus.

173 Unde sacrilega scurrilitas est Scripturæ sacræ verbis & sententiis abuti ad *scurrilia, fabulosa, vana*, &c. uti Tridentinum loquitur sess. 4. ubi graviter id prohibet, velut irreverentem violationem verbi Dei : *Post hæc temeritatem illam reprimere volens* (S. Synodus) *quâ ad profana quæque convertuntur & torquentur verba & sententia S. Scripturæ, ad scurrilia scilicet, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superstitiones impias, & diabolicas incantationes, divinationes, sortes, libellos etiam famosos : mandat & præcipit, ad tollendam hujusmodi irreverentiam & contemptum, ne de cætero quisquam quomodolibet verba Scripturæ sacræ ad hæc & similia audeat usurpare ; ut omnes hujus generis homines, temeratores & violatores verbi Dei, juris & arbitrii pœnis per Episcopos coërceantur.* Quod & posteà statutum est variis in Conciliis Provincialibus, Mediolanensi I., Bituricensi, Aquensi, Tolosano, &c.

174 Contra ineptam lætitiam, & scurrilitatem Os aureum homil. 17. in Epist. ad Ephes. *Non est* (inquit) *præsens tempus diffusæ lætitiæ, sed luctûs, afflictionum, & ejulatûs. Tu autem in dictis... facetis tempus teris. Quis Athleta, stadium ingressus, missâ sollicitudine decertandi cum adversario, facetâ verba loquitur & facta? Instat diabolus, circuit quærens ut rapiat, omnia movet, & in caput tuum vertit omnia, & molitur ut te è nido ejiciat, dentibus stridet, rugit, ignem spirat adversus tuam salutem : & tu sedes facetia verba dicens, & stulta loquens, & quæ ad rem non pertinent proferens ? Rectè ergo poteris eum superare ? .... Omnem dicacitatem expellit tempus belli & pugnæ, vigiliæ, custodiæ, armaturæ & aciei instruendæ. Nullum locum hic habere potest tempus risûs : hoc est enim tempus mundi. Audi Christum dicentem* : „ Mundus gaudebit ; vos autem con-
„ tristabimini. „ *Christus in crucem actus est propter tua mala. Tu autem rides ? .... Sed quoniam videtur quibusdam res esse indifferens... quòd non sit indifferens, inde est perspicuum, quòd Christianum oportet esse sanctum, mitem, mansuetum, lugentem. Qui ergo dicit facetia, non est sanctus, etiamsi sit græcus, id est ridiculus. His solis, qui sunt in scena, hæc permittuntur.... Audi Prophetam dicentem :* „ Ser-
„ vite Domino in timore, & exultate ei cum
„ tremore. „ *Nam dicacitas mollem efficit animam, pigramque attollit & excitat, multaque probra parturit, & contumelias, & bella facit.... Procul est à Christiano comicis dictis incessere, & necesse est ei, qui facetis dictis utitur, supervacaneas suscipere inimicitias eorum, qui temerè facetis dicteriis irridentur, sive adsint, sive absentes audierint.... Magna mala habitant in anima, quæ verba usurpat faceta, magna effusæ lætitiæ dissolutio, & ironia, ac simulatio, hiat compago, marcessit ac putrescit ædificium, exterminatur timor, abest pietas ac reverentia.*

Regrediamur jam ad reliquas gulæ filias. 175
Ex parte corporis (prosequitur S. Thomas) *ponitur* IMMUNDITIA, *quæ potest attendi, sive secundùm inordinatam emissionem quarumcumque superfluitatum, vel specialiter quoad emissionem seminis. Unde super illud Ephes. 5.* "Fornicatio autem, & omnis immunditia, &c. " " *dicit Glossa* " id est, incontinentia pertinens " ad libidinem quocumque modo. " Dicit etiam Hieronymus epist. ad Oceanum : *Venter cibo meroque distentus, despumat in libidinem.* Et Tertull. l. de jejunio : *Appendices gulæ lascivia atque luxuria.* Et iterum Hieronymus in cap. 1. ad Tit. *Ubicumque saturitas atque ebrietas fuerint, ibi libido dominatur. Spectra ventrem & genitalia, pro qualitate vitiorum, ordo membrorum : sunt enim loco proxima.* Denique Scriptura & Patres cibi & potûs intemperantiam nobis proponunt velut castitati exitialem ; eò quòd per eam caro efferveſcat, variæque ex ea proveniant indigestiones, quibus inflammantur carnis tentationes. Plura hac de re tomo sequenti, ubi (istius intemperantiæ remedium) abstinentia ex Scriptura & Patribus plurimùm inculcabitur.

CAPUT XVIII.

Definitio & malitia ebrietatis.

EBrietas est *excessus in potando, usque ad violentam privationem usûs rationis.* Ut viam laxioribus opinamentis suis sternat Busembaum l. 5. de peccatis c. 3. dub. 5. a. 2. *Malitia* (inquit) *ebrietatis plenæ & perfectæ in eo consistit, quòd quis, sine justa & gravi causa, tantùm ob voluptatem, aut ingluviem, sciens volens, privet se usu rationis, non modo naturali, ut fit in somno, sed violenter*, &c. Unde infert 1°. *non esse peccatum* inebriare se ex præscripto Medicorum, si aliter sanitas recuperari non possit. 2°. *nec esse peccatum, si quis* ad id *cogatur intento ense.* Pro quo citat Lessium, Azorium, Reginaldum, Baldellum. 3°. *si grande malum non possit aliter impediri, nisi Author inebrietur, esse licitum eum inducere ad ebrietatem, saltem quæ non sit ipsi voluntaria. An verò liceat etiam ad voluntariam, dubium est. Lessius* (inquit) *affirmat. Layman rectiùs negat.* 176

Quòd excessus in potando, usque ad vio- 177
lentam privationem usûs rationis, esse debeat volun-

voluntarius, ut peccatum sit, verissimum est: quia, uti S. Thomas ait 2. 2. q. 150. a. 2. *contingit.... quòd aliquis nesciat potum esse immoderatum, & inebriare potentem. Et sic ebrietas potest esse sine peccato. Alio modo contingit quòd aliquis percipiat potum esse immoderatum, non tamen æstimet inebriare potentem. Et sic* ebrietas *potest esse cum peccato veniali. Tertio modo potest esse quòd aliquis bene advertat potum esse immoderatum, & inebriantem*, id est rationis usu violenter privare potentem; *& tamen magis vult ebrietatem incurrere, quàm à potu abstinere. Et talis propriè dicitur ebrius.... Et sic ebrietas est peccatum mortale. Quia secundùm hoc homo, volens & sciens, privat se usu rationis, quo secundùm virtutem operatur, & peccata declinat.*

178 Ecce S. Thomas malitiam ebrietatis plenæ & perfectæ non repetit ex eo quòd quispiam absque causa alia quàm voluptatis, sciens & volens, modo violento & innaturali privet se usu rationis; sed ex eo præcisè quòd potando *volens & sciens privet se usu rationis, quo secundùm virtutem operatur, &c.* Ista namque unica est & adæquata ratio quâ probat ebrietatem esse peccatum mortale, & quidem *per se loquendo* (prout ibidem paulò post dicit) id est ex genere suo, sive ex natura sua independenter à quocumque extrinseco; adeòque esse intrinsecè malam, sicut est fornicatio v. g. Enimverò esse intrinsecè malum, quòd quis vim potûs cognoscens, & ultra modum bibens, voluntariè inebrietur, constat ex Propheticis, Evangelicis, & Apostolicis testimoniis. Prov. 23. *Cui væ?... Nonne his qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis?* Isa. 5. *Væ qui consurgitis manè ad ebrietatem sectandam, & potandum usque ad vesperam.* Luc. 21. *Attendite vobis, ne fortè graventur corda vestra in crapula & ebrietate.* Rom. 13. *Abjiciamus opera tenebrarum.... Sicut in die honestè ambulemus, non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis*, &c. Et 1. Cor. 6. *Nolite errare, neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles.... neque ebriosi.... regnum Dei possidebunt.* Ecce ibi Apostolus ebrietates accenset operibus aliis intrinsecè malis. Quod & rursum facit Galat. 5. *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum servitus, veneficia.... ebrietates, comessationes, & his similia.* Atqui nullo casu, nulla de causa licita sunt, quæ sunt intrinsecè mala. Nullo ergo casu, nulla de causa licitum est scienter & volenter bibere tam copiosè, ut ratio violenter amittatur; in eo namque, non in alio, ebrietatem divina ponit Scriptura, & cum Scriptura SS. Patres, & cum Patribus S. Thomas,
179 ipsi etiam Philosophi. Nam Prov. 23. Salomon: *Cui væ?.... Nonne his qui student calicibus epotandis?.... vinum ingreditur blandè; sed in novissimo mordebit ut coluber....* Quia *eris sicut dormiens in medio mari, & quasi sopitus gubernator, amisso clavo*, qui navim regere non potest. Isa. 28. *Hi quoque præ vino nescierunt, & præ ebrietate erraverunt.... absorpti sunt à vino.... nescierunt videntem, ignoraverunt judicium.*

Et unde ebrietatis malitiam repetit Basilius 180
Magnus? *Qua in re dic* (inquit serm. in ebriet.) *homo miser, à brutis differs? nonne rationis munere?.... Hoc igitur te mentis lumine per ebrietatem privans, inter bestias ratione carentes annumerari poteris, similisque illis videri. Imò & bestiis longè pejores eos existimaverim, qui ab ebrietate superantur.... Nec solùm eò pejores brutis, quòd mente insani, aut ebrii, sed etiam quòd sensibus longè infra illa deficere videantur. Quod, quæso, animal ita visu, auditu-vè, atque ebrius homo, debilitatur? Nonne familiarissimos interdùm ignorant; alienis verò sæpè ut domesticis congrediuntur*, &c. Ambrosius etiam l. 1. de Abraham c. 6. *Discimus vitandam ebrietatem.* Quam ebrietatem? *Per quam* rationis usu privati *crimina cavere non possumus. Nam quæ sobrii cavemus, per ebrietatem ignorantes committimus.* Probat hoc exemplis Noe & Lot, quia *ille nudus jacuit; iste filiarum errori patuit. Et Noe justus deceptus est: quia vini vis adhuc ignorabatur. Sed in illo instructus es, ne & tu ignorares. Lot filiabus se credidit, & per senectutem madidam, vino solutus, commisit incestum ignorans. Tu sic bibe, ne capiaris. Instruant te Patriarchæ, non solùm docentes, sed etiam errantes.* Hieronymus ad Nepotianum pro eodem accipit, *inebriare, & statum mentis evertere*, dum unum per alterum explicat.

E Philosophis Seneca ad Lucilium *nihil aliud* 181
esse dicit *ebrietatem, quàm voluntariam insaniam.* Sixtus quoque Philosophus in sententiis, quæ extant to. 5. Biblioth. SS. Patrum: *Ebrietatem tamquam insaniam fuge.* Et Anacharsis apud Antonium in Melissa p. 1. c. 41. poculum ebrietatis vocat *poculum insaniæ.*

Hinc denique l. 7. Capitularium c. 270. vi- 182
tanda dicitur Clericis ebrietas, quia *non potest quis liberum corporis sui ac mentis habere judicium, qui, captus vino, à sensu probatur alienus.* Nam, ut Tertullianus l. de jejuniis c. 6. *cùm totum domicilium interioris hominis.... vinis inundatum est.... quotusquisque meminit religionis, occupatis memoriæ locis, impeditis sapientiæ membris?.... eo tempore, in quo ipsum sibi hominem excidere solemne est?* Meritò proinde Illustrissimus D. Episcopus Atrebatensis anno 1703. sequentes propositiones Georgii Gobati censurâ confixit. XIV. *Quare quomodò sit theologicè describenda ebrietas? Resp. hoc modo: Ebrietas est excessus in potu inebriante voluptatis causâ, donec rationis usus adimatur.... Unde propriè, formaliter, & theologicè loquendo, non est ebrius, qui ob aliam causam, quam ob voluptatem, privavit se ratione per potum.... Hinc refutatur Sylvius, qui negat in definitione ebrietatis necessariò ponendas esse illas duas particulas:* " voluptatis causâ: " *sed illum propriè & theologicè esse ebrium qui*

potavit voluntariè usque ad privationem usûs rationis, sive interim quod potando quæsivit sit delectatio, sive amici complacentia, sive è morte, quæ ipsi intentatur, evasio, sive aliquid aliud. XV. *Ad valetudinem conservandam, & recuperandam, fas est vino sopire rationem, ut explicabo infrà; cur non etiam ad effugiendum pergrave fastuarium?* XVI. *Infero illum non peccare mortaliter contra sobrietatem, qui se voluntariè inebriaret, sciens sibi suppetere pulverem, quo sumpto rediturus sit ad rationem infra breviculum tempus.* XVII. *Sunt excusandi caupones, quando volentibus se inebriare affatim vini præbent, ideò quòd timeant probabiliter, ne ab iis afficiantur contumeliis, si negent, aut quando timent, ne morosè negando minuatur numerus & affluxus hospitum.*

183 Maneat ergo inconcussum, plenæ ebrietatis malitiam in eo consistere, quòd quis sciens ac volens, potu abundantiori causet in se defectum rationis. Et reverà id esse intrinsecè malum, ipsa etiam ratio naturalis docet. Cùm enim præcipuum hominis bonum, quo à brutis animantibus discernitur, in rationis usu, & ipsius usûs potestate consistat, rationi graviter adversatur, quòd tanto bono se privet bibendo plusquàm necesse ad finem, ad quem potus est institutus.

184 Peccant ergo mortaliter quicumque scientes & volentes hoc faciunt. Nec ad mortalem ebrietatem necesse est quòd *assidua* sit vel frequens, ut nonnulli putant Augustini verbis decepti; sed mortalis est, etiam semel commissa. Nam dum Augustinus serm. 41. de Sanctis, seu potiùs Cæsarius homil. 8. ebrietatem dicit esse mortale peccatum, si *assidua* sit, hoc non ideò dicit quasi velit non esse peccatum mortale, si semel dumtaxat aut iterùm committatur (quandoquidem serm. 90. & 91. contra ebrietatem, qui sunt 294. & 295. in Appendice sermonum S. Augustini, absolutè doceat, ebrietatem esse peccatum æterno supplicio dignum) sed quia ebrietas semel commissa aliquando excusari potest à mortali peccato, ob ignoratam vini fortitudinem; nunquam autem sic excusari potest, si quis in eam frequenter inciderit. Ita S. Thomas 2. 2. q. 150. a. 2. ad 1. his verbis: *Assiduitas facit ebrietatem esse peccatum mortale, non propter solam iterationem actûs; sed quia non potest esse quòd homo assiduè inebrietur, quin sciens & volens ebrietatem incurrat, dum multoties experitur fortitudinem vini, & suam habilitatem ad ebrietatem.*

185 Ex his omninò improbanda est doctrina Busembaum num. 176. relata tam in se, quàm in tribus conclusionibus quas ex ea deducit; improbanda (inquam) cum S. Antonino p. 2. tit. 6. c. 3. Angelo, Navarro, Sylvio, &c. Quia ebrietas est intrinsecè mala, sicut fornicatio: nullo ergo casu licita, magis quàm fornicatio. Nec necesse est ad formalem ebrietatem, etiam plenam & perfectam, quòd potus inebrians sumatur causâ voluptatis, sed solùm ut à sciente & volente sumatur in tanta copia, ut violenter se privet usu rationis, per quam homo in Deum ordinatur, vitatque peccata à Deo abducentia, practicatque virtutes ad ipsum deducentes, uti probavimus à num. 177. & deinceps. Et aliàs formalis ebrietatis, saltem plenæ & perfectæ, rei non essent, qui abundantiori potu se ratione privant, non causâ voluptatis, sed ut satisfaciant amicorum importunitati, vel ne incurrant notam singularitatis, si se excusent, vel temperandum fortè vinum putent; vel denique ne accusentur quòd copiosiùs bibere noluerint, ut alii, ad sanitatem Principis, &c. At istud est quod SS. Patres graviter reprehendunt, ut Ambrosius l. de jejunio & Elia c. 13. *Primò*, inquit, *minoribus poculis.... præluditur.... ubi res calere cœperit, poscunt majoribus poculis. Fervor inardescit martius.... procedente potu longiùs contentiùsque diversa & magna certamina, quis bibendo præcellat. Nota gravis, si quis se excusat, si quis temperandum fortè vinum putet.... certatur sub judice, sub lege decernitur. Agonotheten illis furor est, stipendium debilitas, victoriæ præmium culpa.* Hieronymus in cap. 1. ad Tit. *Qui plus biberit, fortior computatur; accusationis occasio est, adjuratum per Regem frequentius non bibisse. Vomunt ut bibant.... Digestio ventris & guttur uno occupantur officio*, &c. An & hoc non graviter illicitum, si non fiat causâ voluptatis, sed ne adjuratus per Regem accusetur, si ad vomitum non bibat? S. Cæsarius serm. 91. in Appendice S. Augustini 295. *Illud verò quale est, quòd jam transacto convivio, & expletâ siti, cùm ampliùs bibere nec possint, nec debeant, tunc quasi novelli.... non solum vivorum hominum, sed etiam Angelorum, & reliquorum antiquorum Sanctorum, æstimantes quòd maximum illis honorem impendant, si se* non causâ voluptatis, sed *in illorum nominibus nimiâ ebrietate sepeliant.* An & hoc non ebrietas plena & perfecta? An non lethalis, & Sanctis graviter injuriosa? Omninò; sequitur enim: *Nullus tam gravem injuriam sanctis Angelis, vel sanctis hominibus agnoscitur irrogare, quàm illi qui, in eorum nominibus bibendo, per ebrietatem suas animas probantur occidere.*

186 Ex Medicorum quidem consilio, id exigente infirmitate, licitum est largiore potu uti ad vomitum procurandum, ut docet S. Thomas a. 2. ad 3. (quia tunc *non est reputandus potus superfluus*, ait S. Doctor) salvo tamen rationis usu, & ita ut ad ebrietatem non perveniatur: quia, ut prosequitur S. Doctor, *ad vomitum procurandum non requiritur quòd sit potus inebrians: quia etiam potus aquæ tepidæ vomitum causat. Et ideò propter hanc causam non excusaretur aliquis ab ebrietate.*

187 Itaque ex Medicorum consilio licitum non est se, vel alium inebriare ad curandum morbum, sic & non aliter curabilem (licèt id licitum putent Cajetanus, Sylvester, Toletus, Valentia, Azorius, Lessius, &c.) quia

(præterquàm quòd casus quo morbus sic, non aliter, curabilis sit, metaphysicus sit, vel certè tam rarus, ut in dubio præsumendus non sit, sed pro nullo habendus, uti cum præclarissimis aliis Medicis tradit Michaël Boudewins in Ventilabro suo Medico-Theologico p. 1. q. 16. §. *sed vini licentia*) ratio in qua se fundant Authores id permittentes, quòd utique potus inebrians in tali casu non sit immoderatus & superfluus, sed valetudini congruus & necessarius, ex allatis divinæ Scripturæ & SS. Patrum testimoniis corruit. Siquidem omnis ille potus excessivus est, & immoderatus, quo rationis usus violenter aufertur. Cùm enim virtutes morales ad bonum rationis ordinentur, temperantiæ officium est sumptionem potûs sic moderari, ut bonum rationis per illam violenter non auferatur, sed conservetur. Functiones quippe animales spiritualibus debent subservire, non eas suffocare. Aliàs immoderatæ sunt, tamque rationi, quàm legi naturali adversantur, uti probant allata divinæ Scripturæ, sanctorumque Patrum testimonia.

188 Multò minùs licitum est inebriare se, ad vitandam mortem, intento ense comminatam. Nec contraria opinio tolerabilis est, sed meritò rejicitur ab ipso etiam Cajetano, Azorio, & Doctoribus communiter. Quia sicut non licet fornicari ad vitandam mortem, intento ense comminatam; ita nec se inebriare. Unde Augustinus serm. 232. de tempore, seu potiùs S. Cæsarius serm. 295. in Appendice S. Augustini: *Solent* (inquit) *ebriosi ita se excusare, ut dicant, persona potens me coëgit ut amplius bibam, & in convivio Regis non potui aliud facere. Ad excusandas excusationes in peccatis ista prætendimus, & quod implere noluimus, non potuisse nos dicimus.... Etiamsi ad hoc veniretur, ut tibi diceretur, aut bibes, aut morieris; melius erat ut caro tua sobria occideretur, quàm per ebrietatem anima moreretur.* Similiter sermone præcedenti dixerat: *Qui alterum cogit ut se, plusquàm opus est bibendo, inebriet, minus malum ei erat, si carnem ejus vulneraret gladio, quàm animam ejus per ebrietatem occideret.*

189 Conatur quidem Lessius Augustini, seu Cæsarii, testimonium eludere, dicendo, quòd solùm velit moriendum, potiùs quàm se inebriandum, dum tyrannus, vel homo barbarus ad bibendum compellit in odium vel contemptum virtutis temperantiæ. Sed Augustinum sensu suo exponit, non sensu Augustini: utpote in cujus contextu nec verbum habetur de contemptu isto, vel odio; nec Lessio licet ad placitum suum eludere verba SS. Patrum.

190 Nec magis in Augustino fundatur altera glossa ipsius, quâ dicit ipsum loqui de eo qui licèt ab initio compellatur, postea sponte consentit in ebrietatem. Textus namque glossam istam perspicuè rejicit: utpote in quo primùm quidem rejicitur excusatio inaniter prætendentis se cogi; sed postea subjungitur, quòd etsi reverà cogeretur, potiùs mors subeunda foret, quàm ebrietas incurrenda. Quæ tamen coactio utplurimùm falsò allegatur: quia Christiani Principes non solent ad tantas angustias quemquam adigére, nisi fortè ad probandam virtutem ipsius.

Jam verò sicut ad evitandam mortem, seu 191
quodcumque aliud malum temporale, non licet inebriare seipsum; ita nec alium, etiamsi aliàs te occisurus sit, vel violaturus, vel Civitatem proditurus. Quia tam intrinsecè malum est voluntariè inebriare alterum, quàm seipsum. Nunquam proinde licitum; ne quidem ad salvandam vitam tuam, vel pudicitiam, vel patriam. Non enim sunt facienda mala, ut eveniant bona. Rom. 3. Nec magis licitum est inducere ipsum ad se inebriandum, ad finem impediendi executionem malæ voluntatis ipsius prodendi Civitatem, quàm eo fine inducere ipsum ad fornicandum. Nulla quippe de causa licet cooperari peccato alterius; ille verò tam cooperatur peccato alterius, quàm iste.

Imò licèt proditio Civitatis aliter impediri 192
non possit, nisi proditor inebrietur, ne quidem licet ad eam impediendam cooperari ad hoc ut se præter intentionem inebriet, provocando ipsum ad sumendum vinum fortissimum, cujus vim ignorat; sicut eum in finem non licet cooperari ad hoc ut fatuus occidat proditorem. Quemadmodùm enim in hoc casu homicidium imputatur provocanti, utpote causæ morali ipsius, licèt non imputetur fatuo, qui ipsius solùm est causa physica; sic in illo casu ebrietas imputatur liberè & voluntariè provocanti, tamquam causæ morali, &c.

Quòd si ne ad impediendum quidem gran- 193
de malum liceat alium inebriare, sive ad æquales haustus provocare, cum prævisione secuturæ in ipso ebrietatis; quantò minùs id licet ad solam amici complacentiam vel caressationem? Quid hoc est, inquit Basilius homil. 14. in ebriet. nisi *vocare ad cœnam ut amicum, ac posteà ejicere ut cadaver, vitâ illius* rationali *per vinum extinctâ? Nec vos excusamini* (ait Ambrosius l. de Elia & jejunio c. 14.) *qui vocatis ut amicos, & emittitis ut inimicos. Quanto melius in terram tua vina fudisses? .... Quid te delectant damna sine gratia? Rogas ad jucunditatem, cogis ad mortem. Invitas ad prandium, efferre vis ad sepulchrum. Cibos promittis, tormenta irrogas. Vina prætendis, venena suffundis. Omne enim quod nocet, venenum est: tollit sensus, viscera exurit*, &c. Et c. 17. *Quid autem obtestationes potantium loquar? Quid memorem sacramenta, quæ violare nefas arbitrantur? Bibamus, inquiunt: opto salutem Imperatorum; ut qui non biberit, fiat reus indevotionis. Videtur enim non amare Imperatorem, qui pro ejus salute non biberit. O piæ devotionis obsequium! .... Et hæc vota ad Deum pervenire judicant, sicut illi qui calices ad sepulchra Martyrum deferunt, atque il-*

lic ad vesperam bibunt, & aliter se exaudiri posse non credunt. O stultitiam hominum, qui ebrietatem sacrificium putant; qui æstimant illis ebrietatem placere, qui jejunio passionem sustinere meruerunt! S. Cæsarius serm. 294. in Appendice Augustini: *Illi miserabiliter se excusare conantur, dicentes: Ingratum habeo amicum meum, si quoties illum ad convivium vocavero, potum ei, quantùm voluerit, ipse non dedero. Et non sit tibi amicus, qui te Deo vult facere inimicum, qui & tuus & suus est inimicus. Site & alium inebriaveris, hominem amicum habebis, & Deum inimicum. Et ideò sapienter considera, an justum sit, ut te à Deo separes, dum te ebrioso conjungis. Ad extremum tu eum noli adjurare, noli cogere; sed in potestate illius dimitte, ut quantùm ipsi placuerit bibat: ut, si se inebriare voluerit, vel solus pereat, & non ambo pereatis.*

194 Circa postremum tamen istud Cæsarii dictum, S. Antoninus p. 2. tit. 6. c. 3. §. 2. sic habet: *Siquis daret alicui ad bibendum multum, ad inebriandum eum, vel æstimans quòd nimio potu, quem quis sumit, inebrietur, & quòd, si avisaret, non faceret, vel aptè impedire posset, sed ex levitate, ut inde solatium sumat, permittit inebriari, vel etiam ponit studiosè sal in vino, vel aliud inebriare valens occultè, mortaliter peccat. Cap. si culpa Extrav. de injur. & damno dato.*

195 *Tabernarii etiam, si perpendant aliquos ex nimio vino sumpto inebriari, quod experti sunt pluries, ut in ebriosis, & non curant propter avaritiam, graviter peccant.* Qua in re ponderanda sunt ista Antonini verba: *propter avaritiam.* Item ista: *vel aptè impedire posset.* Dum enim proximi ebrietatem non impediunt, dum sine magno periculo suo impedire possunt, graviter peccant contra præceptum, quo *unicuique mandavit Deus de proximo suo.* Vi cujus sicut impedire tenentur ne proximus se occidat quoad corpus, dum sine magno periculo suo possunt; ita & ne occidat se quoad animam.

196 Nec refert quòd proximus spiritualiter jam se occiderit per voluntatem se inebriandi. Quia adhuc equidem impedire tenetur istius voluntatis executionem; quemadmodùm impedire tenetur executionem voluntatis se corporaliter occidendi: cùm ebrietas opere consummata gravius malum sit morte corporali. Quòd si externam ebrietatem tabernarii tenentur impedire; quantò magis ad eam non concurrere, subministratione inebriantis materiæ?

197 Nec illi à peccato mortali immunes sunt, qui ex longa multùm bibendi consuetudine, vel ex eo quòd pharmaco quodam muniti fumos inebriantes discutiunt, valdèque multum vini sic exhauriunt, ut rationis usum non amittant; vel amittant quidem voluntariè rationis usum, sed sciunt sibi suppetere pulverem, quo sumpto redituri sunt ad rationem intra breviculum tempus. Quod à mortali perperàm excusat Gobatus to. 3. tr. 5. c. 6. n. 41. Edit. Duac. Enimverò ipsis divinam maledictionem Scriptura comminatur, dicens Prov. 23. *Cui væ? .... nonne his qui commorantur in vino*, &c.? Isa. 5. *Væ qui potentes estis ad bibendum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem*, id est, varios liquores & potus ex se inebriantes. Et meritò: cùm enim alimenta sumenda sint *quemadmodùm medicamenta*, prout à Deo se didicisse Augustinus dicit l. 10. Confess. c. 31. (cibus namque & potus generalia sunt medicamenta omnibus instituta ad arcendam mortem, corporisque debilitatem atque invaletudinem) inordinatum est, quidquid sumitur ultra istum ordinem, & tantò major est inordinatio, quantò excessus gravior, sive rationis usum auferat, sive non. Quemadmodùm enim gravis excessus in cibo mortale peccatum est, etiamsi rationis usum non auferat; ita & gravis excessus in potu. Gravem quippe excessum in mensura mortalem esse n. 159. & 160. ex Scriptura & Patribus ostensum est. Et quomòdò graviter non peccarent, *qui* (teste S. Cæsario suprà) *pejores animalibus censendi sunt? Cùm enim animalia amplius quàm eis opus est bibere nolint; illi & duplum, & triplum, quàm eis expedit, potum accipiunt. Et unde trium vel quatuor dierum refectionem poterant habere, uno die cum grandi peccato contendunt perdere, potiùs quàm expendere.*

198 Determinari quidem non potest quis præcisè excessus mortalis sit. Sed ex hoc nullus prudens moveri debet ad faciliùs excedendum; imò econtrà ad excessum magis timendum, ne periculo se exponat graviter excedendi, dum inconsideratè putat solùm leviter excedere. Sicut enim quæ peccata gravia sint, quæ levia, divino, non humano pensandum est judicio; ita & quis in cibo & potu excessus gravis sit, quis levis. Fortè autem non tantus Dei judicio excessus ad mortale peccatum requiritur, quantum requirunt varii. Saltem non requiri excessum in vinipotentibus auferentem usum rationis, ex Scriptura & Patribus habemus.

199 Nec dubitandum risu dignos esse, qui putant à mortali immunes se esse, nisi eousque ebrietas pervenerit, ut, magis irrationales quàm irrationalia pecora, exempli gratiâ se retrahere nequeant à via, ne lædantur vel opprimantur à curru vel equo prætereunte. Quæ enimverò bestia in ejusmodi circumstantiis se non retrahit?

200 Imò in iis qui usque ad perturbationem quidem mentis excedunt in potu, sed non totalem & omnimodam, duo sunt quæ ebrietatis malitiam aggravant, & plerùmque efficiunt mortalem. Primum est incertitudo excessûs qui divino judicio requiritur & sufficit ad malitiam mortalem. Alterum est, periculum cui se exponunt majoris excessûs & perturbationis: quia usque ad perturbationem mentis in potu excedentes, plerùmque scire non possunt, quanta finaliter secutura sit ex potu mentis

perturbatio, periculumque est ne major sequatur, quàm illa quæ reverà sequitur. Incapaces quippe sunt, dum jam semiturbati sunt, & ad magis bibendum inardescunt, judicandi quid secuturum sit ex potu quem ultra mensuram sumunt.

201 Denique à mortali nequeunt excusari crimine, qui, etiam salvo rationis usu, mero se ingurgitant, cum gravi proximorum scandalo, v. g. patresfamilias, toti familiæ suæ grave per hoc præbentes offendiculum, Sacerdotesque & Ecclesiastici, ex nimia compotatione, in publico titubantes, gyrantesque, cum tantò graviori scandalo populi Christiani, quantò sanctius in Ecclesia Dei ministerium subeunt; nam *cùm aliis sobrietatis bonum deberent jugiter prædicare, non solùm hoc non faciunt, sed etiam se, aliosque, inebriare non erubescunt. Tales si se noluerint emendare, & pro se, & pro aliis, necesse erit eis æterna supplicia sustinere*, inquit S. Cæsarius serm. 91. in Appendice Augustini 295. Et propterea Clericus, quem ebrium esse constiterit, canone 41. Concilii Agathensis, & can. 13. Concilii Venetici, à communione statuitur submovendus. Et can. 1. Concilii Trevirensis anni 1548. ab officiis & beneficiis primùm suspenditur. Deinde si *detestandæ consuetudini comessationum & conventiculorum ulterius inhæserit, omnibus honorum gradibus exutus, ad quadrupedum sortem.... majoribus suppliciis affectus statuitur abjiciendus.* Principes quoque & Magistratus, sicut aliis præsunt officio, sic aliis præesse debent sobrietatis exemplo. Feminæ etiam se inebriantes, graviùs ordinariè peccant quàm viri, ob incontinentiæ pericula quibus se exponunt. *In mulieribus* namque *non est sufficiens robur ad hoc quòd concupiscentiis resistant*, ait S. Thomas 2. 2. q. 149. a. 4. Idem dicendum de Medicis, ob periculum cui ægrorum vitam & valetudinem exponunt, per largiorem suam potationem, vel ebrietatem.

CAPUT XIX.

Absolvendi non sunt ebriosi, nec popinis frequentandis assueti, nisi contra consuetudinem istam viriliter pugnando se emendent.

202 QUia aliàs sufficienter constare non potest de vera & plena conversione ipsorum; quòdque ebriosi teneantur viriliter pugnare contra pravam se inebriandi consuetudinem, ab eaque se emendare, pluribus inculcat S. Augustinus serm. 151. aliàs de temp. 45. Libro etiam 5. Capitularium c. 162. statuitur, ebriosum excommunicandum esse *usque ad emendationem congruam.* Idem statutum fuit in Concilio Moguntino anni 813. can. 46. Videantur Burchardus Wormatiensis l. 14. c. 11. Isaac Lingonensis tit. 11. c. 6. Ivo Carnotensis P. XIII. c. 70.

203 Idem dicendum esse de assuetis popinas frequentare, probant plura gravia peccata, quotum occasio utplurimùm est consuetudo ista, scilicet 1°. inebriationum, seu aliàs notabilium in potu excessuum, in se & in aliis, qui ad similes excessus à combibonibus provocantur. 2°. rixarum, imprecationum, blasphemiarum, tam illic, quàm domi. 3°. verborum & factorum turpium, vel propriorum, vel alienorum, quæ cooperanti, corridenti, seu aliàs consentienti imputantur ad culpam. 4°. detractionum, vel prolatarum, vel culpabiliter auditarum. 5°. perditionis bonorum, quibus vel familia sustentanda esset, vel filiis providendum, vel Christo in pauperibus egenti & algenti succurrendum. 6°. perditionis pecuniæ, quam proprio labore ad familiæ necessitates, vel juvandos pauperes quis lucratus fuisset, si tempus in labore, non in popinarum frequentatione impendisset. 7°. graviter afflictæ atque irritatæ per illam consuetudinem & dilapidationem conjugis, si conjugatus sis; vel parentum, si sis filiusfamilias. Dum enim filii contra parentum voluntatem popinas frequentant, popinationemque in medias plerùmque noctes protrahunt, parentes mœrore & anxietate conficiunt, dum meritò timent, ne in mala illic consortia incidant, & in mala quæ ex popinis frequentatis evenire non ignorant. Non ignorant etiam suas sibi pecunias frequenter surripi à talibus filiis. Quod quale peccatum sit, Sapiens Prov. 28. declarat: *Qui subtrahit aliquid à patre suo, & a matre, & dicit hoc non esse peccatum, particeps homicidæ est.* 8°. perditionis multi temporis, cujus pretium magnum luminis naturalis beneficio Philosophi Ethnici agnoverunt, quòd occasio sit & instrumentum magna quæcumque & homine digna patrandi: *Quem mihi dabis* (aiebat Seneca) *qui pretium tempori ponat, & qui diem æstimet?* Si sola 204 humana ratio tantum agnoscit temporis pretium; quantum est pretium illius, si ad fidei stateram appendatur? cùm illo uti possimus & debeamus ad operandum digna homine, æternæ beatitudinis gratiâ condito. Propter quod Eccli. 4. scriptum est: *Fili conserva*, seu (ut alii legunt) *observa tempus*, eo (cùm tibi datum fuerit) ad salutare opus solerter utendo, illudque eâ diligentiâ servando, quâ thesaurum ingentem. *Venit* enim nox, *quando nemo potest operari.* Et si vel horulam, ex tot perditis, impetrare possent, qui vindicibus in flammis ardent, omnium mundi regnorum pretio eam redimerent. Ast horulam suspirandam semper; nunquam per totam deinceps æternitatem concedendam! Ergo *ambulate* (dicit Veritas Joan. 12.) *dum lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant.* Ambulate, id est, negotiamini tempore opportuno. Majus est enim salutis vestræ negotium, quod vos premit, quàm ut temporis illius vel horulam prodigatis. *Quis enim* sapiens *despexit dies parvos?* Zach. 4. 10. Quis nescit, magnam hominum multitudinem æternùm damnari, ob non habitam temporis sibi concessi

rationem, cujus *sola inutilitas* (teste Bernardo) *sufficit ad damnationem?* Inutiliter verò tempus transigitur, dum in tabernis, ludis, visitationibus & applicationibus ad vitam æternam inutilibus teritur. *Neque enim in tempore utiliter vivitur, nisi ad comparandum meritum, quo in æternitate vivatur*, ait Augustinus epist. 121. Deplorabilis proinde est illorum cæcitas, quibus *dies salutis & tempus acceptabile* inutiliter transeunt. In eos declamat Bernardus (in Evangelio, *Ecce nos reliquimus omnia.*) *Nihil pretiosius tempore; sed heu! nihil hodie vilius æstimatur. Transeunt dies salutis; & nemo recogitat. Nemo sibi non redditura momenta periisse causatur.* Excusatum se quisque putat, dicendo, licitum est fabulari, licitum ludere, licitum bibere, licitum se recreare donec hora prætereat. Sed reponit Bernardus: *O donec prætereat hora, quam tibi ad agendam pœnitentiam, ad obtinendam veniam, ad acquirendam gratiam, ad promerendam gloriam miseratio Condistoris indulget*; non ad vitam desidiosam, vel inutiles applicationes, illis intermissis quæ Deus à Christianis, ab Ecclesiasticis, à Religiosis exigit!

205 Nec hîc finis malorum, seu peccatorum, quorum causa seu occasio esse solet consuetudo popinas frequentandi; præter dicta, rei esse solent scandali, seu mali exempli, quod non solùm dant domesticis & prolibus suis (quas verbo, exemploque ad vitam christianam educare tenentur) sed & aliis, quos suo pariter exemplo & consortio ad popinarum frequentationem alliciunt. Imò popinatores isti sibimet invicem scandalo sunt, non solùm quatenùs invicem provocant ad haustus intemperatos, turpiloquia, detractiones, &c. sed & in quantum sese mutuò fovent in continuanda popinatione. De quolibet enim illorum dici potest, quòd si alii omnes desisterent, ipse quoque desisteret, vel saltem minùs frequenter illuc conveniret, minùs proinde peccaret. Suis verò domesticis talem Christianismi ideam sensim sine sensu imprimunt, quasi popinarum frequentatio, etiam frequentissima, componi posset cum vita christiana. Unde insolitum non est audire parvulos eorum exoptantes grandescere, ut popinas frequentare queant ad instar patris sui.

206 Decimum peccatum est profanatio festorum. Siquidem dies festivi non solùm in audienda Missa, sed & in frequentandis aliis divinis officiis, concionibusque & catechismis, nec solùm in abstinendo ab operibus servilibus corporalibus, sed maximè in abstinendo ab operibus servilibus spiritualibus, (id est peccatis) sanctificandi sunt, uti docent Concilia plurima, signanter Mediolanense III. sub S. Carolo Borromæo tit. de fest. dier. cultu. Aquense anni 1585. tit. eod. Avenionense anni 1594. c 43. Remense anni 1583. tit. de dieb. fest. Aquileiense anni 1596. can. 14. Lingonense tit. 7. c. 2. ubi non solùm dicitur frequentanda divina officia diebus festis, Deoque vacandum, verbum Dei audiendum, &c. sed & abstinendum *ab opere servili, & potissimùm a peccato, quia gravius peccat, qui peccat in festo.... quàm qui in aliis diebus hoc facit.* Quod & docent S. Thomas, S. Bonaventura, S. Raymundus, S. Antoninus, prout ostendi supra agendo de circumstantiis peccatorum. Deplorandum proinde est, quòd tam multi fideles, Missæ privatæ auditione contenti, reliquum penè diem in frequentandis transigunt popinis, & offendendo graviùs Deo diebus istis, quàm totâ hebdomadâ reliquâ, & (ut S. Antoninus deplorat P. 2. tit. 9. c. 7.) *quod cum multo labore per hebdomadam lucrati sunt, in festis, in tabernis, & ludis, non in eleêmosynis expendunt. O abusio perversa hominum, & jactura temporis irrecuperabilis, & negotium gratissimum dæmoni! Aptè de his dixit Heremias Thren. 1. Viderunt eam hostes, & derisserunt sabbatha ejus*, id est festa: quia non Deo, sed *ventri suo vacant & dæmoni.*

Undecimum peccatum est neglectus, tam 207
generalis officii hominis Christiani (cujus vita, juxta Tridentinum sess. 14. tit. *Doctrina de Sacr. Extr. Unct. perpetua pœnitentia esse debet*) quàm cuique specialis, ratione status & conditionis in qua vivit; neglectâ v. g. curâ familiæ, & domesticorum; quod quantum peccatum sit, Apostolus declarat 1. Timoth. 5. dicens: *Si quis suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.*

Duodecimum est, plurimorum actuum in- 208
temperantiæ, ineptæ lætitiæ, scurrilitatis, &c. qui licèt supponerentur quovis die seorsim non esse mortales, eorum tamen consuetudo, & voluntas sic vitam continuandi, à mortali excusari non potest. Ob dicta p. 1. cap. 22.

Decimum-tertium est lætæ per intemperan- 209
tiam sanitatis, quâ sæpè fit, ut vita brevietur, & corpus ad munia sua ineptum vel minùs aptum efficiatur, imò & paulatim occidatur, ut benè Estius in 3. dist. 37. §. 24. probat ex Prov. 31. & Eccli. 19. ubi memorabilis hæc sententia legitur: *Propter crapulam multi obierunt; qui autem abstinens est, adjiciet vitam.* Tales proinde suiipsorum quodammodò interfectores vocat Estius. Quid enim interest, sive minutis gladioli ictibus, sive repetitis bibendi nunc cerevisiam, nunc vinum adustum v. g. vicibus, seipsum quis paulatim occidat? Nemo corpori suo ita nocere potest, nisi grandem Christo injuriam faciat, vel occidendo, vel ineptum ad ipsius ministerium efficiendo corpus, perpetuo ejus obsequio ministerioque consecratum; corpora quippe nostra, juxta Apostolum, membra sunt Christi. Cùmque etiam templa sint Spiritûs sancti, non minor in Spiritum sanctum injuria redundat, dum per intemperantiam nostram efficimus nos mente hebetes, seu ineptos ad cogitationes & affectus spirituales, ut pulchrè docet S. Gregorius, atque ex ipso S. Thomas 2. 2. q. 148. a. 6.

Ex

210 Ex his patet quantorum malorum & peccatorum occasio sit popinarum frequentatio, si non in singulis omnium illorum, saltem plurimorum, quàmque meritò à S. Hieronymo dictum, *fugiendas tabernas, sicut officinas dæmonum.* Cùm igitur existentes in proxima peccati mortalis occasione absolvendi non sint, nisi eâ dimissâ; consequens est popinarum frequentatores, seu frequentandi consuetudinem habentes; absolutione donandos non esse, nisi occasione illâ abjectâ, opere impleant abrenuntiationem, quâ in baptismo solemniter professi sunt abrenuntiare se diabolo, & omnibus operibus & pompis ejus, quæ sunt crimina omnia, eorumque occasiones. Quod enim solemniter *ejeravimus, neque facto, neque dicto participare debemus*, ait Tertullianus l. de spectac. c. 24.

211 Et hac in re tantò magis sacerdotalem vigorem Confessarii tenere debent, quòd (præter dicta) popinarum frequentatores, in eis tempus transigere solent in ludis foliorum pictorum, alearum, & aliis, qui à sorte pendent. Isti namque ludi, juxta SS. Patres, multorum malorum occasiones sunt. Nam, uti S. Basilius homil. 8. in Hexaëmeron, *juramenta sunt illic, contentionesque pergraves, ac avaritiæ partus. Spiritus malignus assistit, furorem punctis ossibus illis ludentium, insaniamque accendens. Easdem ille pecunias nunc ad hunc, nunc ad illum transfert; atque hoc modo hunc victoria effert, illum victum mœstitia premit*, &c. Chrysostomus etiam homil. 15. ad pop. Antioch. *Aleas* (inquit) *tractare, non videtur multis peccatum manifestum, sed infinita vitæ mala solet inferre. Circa aleas studium, blasphemias, iras, convicia, jacturas, infinitaque alia his graviora produxit.* Joannes Sarisberiensis l. 1. de nugis Curialium c. 5. *Mendaciorum & perjuriorum mater est alea, & alienâ concupiscentiâ sua prodigit, & nullam habens patrimonii reverentiam, cùm illud effuderit, sensim in furta delabitur*, &c. Similia habent S. Ambrosius l. de Tobia c. 11. Author libri de Aleatoribus inter Opera S. Cypriani. S. Raymundus l. 2. tit. 8. §. 11. S. Antoninus p. 2. tit. 1. c. 23. §. 6. ubi enumerat 21. peccata ex ludis illis procedentia; concluditque Christianum non esse, qui illis deditus est. Et propterea inter occasiones peccatorum mortalium, S. Carolus Borromæus 1°. loco ponit, *artem profiteri tabellis chartaceis, vel aleis ludendi, vel domum tenere in hunc finem aliis paratam.*

212 Propterea etiam multis Canonibus, (quos refert Natalis Alexander Theol. dogm. to. 5. tr. de Sacram. Ord. c. 5.) Clericis vetitum est ludis aleatoriis & chartaceis ludere, vel ludentes studiosè spectare, id est scientes & volentes adire domos vel societates, in quibus aleâ luditur, ut eo spectaculo avidos pascant oculos. Qui Canones cùm innovati sint per Concilium Tridentinum sess. 22. c. 1. de reform. sicut & per varia alia Concilia Tridentinum subsecuta; Clericos id facientes graviter peccare dicit: quia in materia gravi, Clericalis vitæ honestatem concernente, transgrediuntur Canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentiâ consecratos. Quod & rursum confirmat in Paralipomenis suis Moralibus pag. 29. & seqq.

CAPUT XX.

Definitio, malitia, & gradus iræ.

IRa est *appetitus inordinatus vindictæ.* Inordinatus (inquam) neque enim ordinatus vindictæ appetitus peccatum est. Potest enim vindicta benè appeti, uti sapienter observat S. Thomas 2. 2. q. 158. a. 2. dicens: Ira.... *propriè nominat quamdam passionem. Passio autem appetitûs sensitivi in tantum est bona, in quantum ratione regulatur; si autem ordinem rationis excludat, est mala. Ordo autem rationis in ira potest attendi quantùm ad duo. Primò quidem quantùm ad appetibile, quod est vindicta. Unde si aliquis appetat, quòd secundùm ordinem rationis fiat vindicta, est laudabilis iræ appetitus, & vocatur ira per zelum*, seu zelus. *Si autem aliquis appetat quòd fiat vindicta qualitercumque contra ordinem rationis; puta si appetat puniri eum qui non meruit, vel ultra quàm meruit, vel etiam non secundùm legitimum* juris *ordinem*, vel non propter *debitum finem* (qui est conservatio justitiæ, & correctio culpæ) *erit appetitus iræ vitiosus.... Alio modo attenditur ordo rationis circa iram, quantùm ad modum irascendi, ut scilicet motus iræ non immoderatè fervescat, nec interiùs, nec exteriùs...* Alioqui ira *non erit absque peccato, etiamsi aliquis appetat justam vindictam.* 213

Hoc præmisso S. Doctor a. 3. determinat quænam ira sit peccatum ex genere suo mortale. *Si enim ira sumatur ex parte appetibilis*, quod est vindicta, & vindicta quæ appetitur injusta sit, *sic ex genere suo ira est peccatum mortale: quia contrariatur charitati & justitiæ. Potest tamen contingere, quod talis appetitus sit peccatum veniale propter imperfectionem actus*, ob insufficientem utique deliberationem, dum motus iræ prævenit perfectam rationis advertentiam; vel ob parvitatem materiæ; *puta cùm aliquis appetit in aliquo modico se vindicare.... puta si aliquis parum trahit puerum aliquem per capillos, vel aliquid hujusmodi.* Si autem motus iræ solùm sit inordinatus *quantùm ad modum irascendi: utpote si nimis ardenter irascatur interiùs, vel si nimis exteriùs manifestet signa iræ: sic ira secundùm se non habet de suo genere rationem peccati mortalis.* Potest tamen esse *mortalis, si nempè ex vehementia* iræ aliquis prorumpat in Dei blasphemiam, vel in verba graviter injuriosa proximo, vel inferat notabile nocumentum sanitati suæ, vel scandalum magnum infirmis præbeat. 214

Articulo 5. ad 3. S. Doctor tres gradus iræ ex Evangelio statuit: *Dominus Matth. 5. ponit tres gradus iræ, cùm dicit:* " Qui irascitur " 215

„ fratri ſuo : Qui dixerit fratri ſuo, racha : Qui „ dixerit fratri ſuo, fatue. „ *Et iſti gradus iræ non pertinent ad diverſas iræ ſpecies; ſed accipiuntur ſecundùm proceſſum humanorum actuum, in quibus primò aliquid in corde concipitur; & quantùm ad hoc dicit:* „Qui iraſcitur fratri ſuo.„ *Secundum autem eſt, cùm per aliqua ſigna exteriora manifeſtatur exteriùs, etiam antequam procedat in effectum; & quantùm ad hoc dicit:* „ Qui dixerit fratri ſuo, racha; „ *quod eſt interjectio iraſcentis,* idem linguâ noſtrâ ſignificans, quod *ſine cerebro*, ait D. Hieronymus. *Tertius gradus eſt, quando peccatum interius conceptum ad effectum perducitur. Eſt autem effectus iræ nocumentum alterius ſub ratione vindictæ. Minimum autem nocumentum eſt quod fit ſolo verbo; & ideò quantùm ad hoc dicit:* „ Qui dixerit fratri ſuo, fatue. „ *Et ſic patet, quòd ſecundum addit ſupra primum, & tertium ſupra utrumque. Unde ſi primum eſt peccatum mortale, in caſu de quo Dominus loquitur, multò magis alia.* Primum verò, in caſu de quo Dominus loquitur, eſt peccatum mortale, quando quis ſic iraſcitur fratri ſuo, ut ei velit grande malum, ſive per odium, ſive per contemptum, ſive aliter. Dum proinde interior iſte motus iræ in exteriora proſilit ſigna iræ, dicendo *racha*, vel *fatue*, haud dubiè etiam peccatum eſt mortale; ſed magis dicendo *fatue*, quàm dicendo *racha*, id eſt cerebrum habens inane & vacuum.

CAPUT XXI.

Sex filiæ iræ.

216 SEx filias iræ S. Gregorius enumerat, quæ ſunt *indignatio*, *tumor mentis*, *clamor*, *blaſphemia*, *contumelia*, *& rixa*, quibus addi poſſunt *pugna* & *maledictio*. Ira enim vel eſt in corde dumtaxat, vel etiam in ore, vel inſuper procedit uſque ad factum. Quatenùs in corde eſt, ex ea oriuntur indignatio & tumor mentis. Quatenùs in ore, gignit clamorem, blaſphemiam, contumeliam, maledictionem. Quatenùs ad factum proſilit, gignit rixam & pugnam.

217 *Indignatio* eſt animi commotio contra eum cui quiſpiam iraſcitur, ob malum ab ipſo acceptum, indignum reputans quòd ſibi tale quid fecerit. Mortalis eſt. 1°. ſi ſit cum gravi puſillorum ſcandalo. 2°. ſi creſcat uſque ad gravem contemptum, vel grave odium proximi. 3°. ſi procedat ad negandum proximo ea ad quæ ſub mortali tenetur, v. g. eleëmoſynam in gravi neceſſitate ipſius.

218 *Tumor mentis* hîc non accipitur pro ſuperbia, ſed pro æſtu animi efferveſcente, aſſiduiſque & variis cogitationibus turgeſcente, dum volvens & revolvens injurias, vias ac modos perquirit, quibus ſe ulciſcatur. Unde patet mortalem eſſe ex genere ſuo.

219 *Clamor* eſt inordinata & confuſa elatio vocis. Eſt mortalis, ſi vel grave ſcandalum cauſet, vel procedat ex affectu graviter confundendi proximum.

Blaſphemia eſt injurioſa contra Deum locutio; ſicut contumelia eſt injurioſa locutio contra proximum præſentem, & audientem. Utramque ex genere ſuo mortalem eſſe, ſatis ex ſe patet. 220

De rixa & pugna to. 2. ubi de vitiis oppoſitis charitati. *Maledictio* eſt imprecatio mali, quatenùs malum eſt, v. g. *ut diabolus eum auferat, ut ei crus frangatur*, &c. Ita S. Thomas 2. 2. q. 76. a. 1. ubi ſic: *Si aliquis imperet vel optet malum alterius, in quantum eſt malum, quaſi ipſum malum intendens, ſic maledicere.... erit illicitum. Et hoc eſt maledicere, per ſe loquendo. Si autem aliquis imperet vel optet malum alterius ſub ratione boni, ſic eſt licitum; nec erit maledictio, per ſe loquendo, ſed per accidens: quia principalis intentio dicentis non fertur ad malum, ſed ad bonum.* 221

Hoc loco quidam abutentes, licitum aſſerunt optare alteri mortem, ob temporale bonum nobis inde reſultans. Imò Gobat eò proceſſit to. 3. tr. 5. c. 9. ſect. 8. n. 57. ut diceret, fas eſſe filio optare ut parricidium à ſe inculpabiliter tempore ebrietatis perpetretur, non quatenùs malum patris, ſed quatenùs eſt cauſa vel occaſio amplæ hæreditatis inde ſibi obventuræ. Ratio eſt, inquit, *quia quod eſt objectum honeſti gaudii, eſt etiam objectum honeſti deſiderii.* Atqui Fagundes dicit licitum eſſe filio gaudere de parricidio parentis à ſe in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate conſecutas. Ergo, &c. Verùm utramque doctrinam iſtam, tam ſcilicet de gaudio, quàm de deſiderio, Innocentius XI. damnavit propoſitione 13. 14. & 15. Et utramque Clerus Gallicanus in generali Conventu anni 1700. cenſuit omnem in liberis erga parentes humanitatis ſenſum extinguere. Nec dubium quin uterque affectus iſte, affectus avaritiæ ſit, valdè profectò inordinatus. Cùm magna inordinatio ſit non ſolùm patri, ſed & proximo cuicumque optare privationem boni longè majoris (cujuſmodi eſt vita) ut inde tibi proveniat bonum longè minus, cujuſmodi ſunt temporalia bona. Hoc profectò non permittit ordo amoris. 222

Neque iſta dici vel cogitari poteſt mens S. Doctoris, utpote qui loco citato conſequenter declarat ſenſum ſuum, quo licitum aſſerit optare malum ſub ratione boni. Sic enim proſequitur: *Contingit autem malum aliquod optare ſub ratione duplicis boni. Quandoque quidem ſub ratione juſti. Et ſic Judex licitè maledicit illum, cui præcipit juſtam pœnam inferri. Sic etiam Eccleſia maledicit anathematizando, ſicut etiam Prophetæ in Scripturis quandoque imprecantur mala peccatoribus, quaſi conformantes voluntatem ſuam divinæ juſtitiæ: licèt hujuſmodi imprecationes poſſint etiam per modum prænuntiationis intelligi. Quandoque verò dicitur aliquod malum ſub ratione utilis, puta*

cùm

cùm aliquis optat aliquem peccatorem pati aliquam ægritudinem, aut aliquod impedimentum, ut vel ipse melior efficiatur, vel ut saltem ab aliorum nocumento cesset. Unde manifestum est, juxta S. Doctorem, solùm esse licitum optare alteri malum sub ratione boni ex affectu justitiæ, vel charitatis, non ex affectu avaritiæ.

Fateor tamen juxta S. Doctorem esse licitum 1°. dilapidatori bonorum suorum aliquam eorum jacturam optare, ut desinat ea dilapidare. 2°. licitum esse mortem optare Turcis, hæreticis, & aliis Reipublicæ perturbatoribus, quando mors ipsorum est medium necessarium ad publicam quietem. Sed nunquam licitum est majus malum optare ad effugiendum minus, v. g. optare sibi, vel filiis, vel aliis mortem ad effugiendam paupertatem, vel corporalem infirmitatem, &c. (quidquid dixerit Sanchez) multò minùs ad effugiendum leve malum. Væ proinde mulierculis ob res minimas sibi mortem optantibus, si eam optent voluntate omninò deliberatâ, & non solùm ore tenus, ut plerùmque.

223 Maledictionem quippe esse peccatum ex genere suo mortale docet S. Thomas loco citato a. 3. & *tantò* (inquit) *gravius, quantò personam*, cui maledicimus, *magis amare & revereri debemus. Unde dicitur Levit. 20.* „ Qui „ maledixerit patri suo, vel matri, morte mo„ riatur. „ *Contingit tamen verbum maledictionis prolatum esse peccatum veniale, vel propter parvitatem mali, quod quis alteri maledicendo imprecatur; vel etiam propter affectum ejus qui profert maledictionis verba, dum ex levi motu, vel ex ludo, aut ex surreptione aliqua, talia verba profert. Quia peccata verborum maximè ex affectu pensantur*, subaudi, dummodò absit grave scandalum, ratione cujus parentes non rarò peccant mortaliter, filiis suis præsentibus, ex subita ira, grave malum ore tenus imprecando, nec istius mali eventum intendendo. Quia filiis suis hoc pacto causa sunt scandali non levis, dum ipsos exemplo suo docent sibi invicem, vel aliis simile malum imprecari; ac per hoc graviter deficiunt in bona filiorum educatione. Qua de re rationem magnam ab ipsis exiget Deus in die judicii.

224 Cæterùm quòd ore tenus dumtaxat alteri quispiam maledixerit, seu malum imprecatus fuerit, sufficienter non colligitur ex hoc quòd, statim ac cessavit passio, noluisset malum evenire; imò doluisset, si eveniset. Si enim, durante passione, grave malum evenire omninò deliberatè voluisset, etiamsi statim posteà noluisset, mortaliter peccasset. Attendendum proinde tempus passionis. Si enim tunc consenserit passioni iræ, perinde mortaliter peccavit, ac ille qui tempore passionis, seu tentationis, consensit concupiscentiæ carnis v. g. Tametsi enim tempus quietis ostendat animum non persistere in malo; non ostendit animum antè non consensisse malo.

In confessione verò explicanda est species 225
mali deliberatè voliti. Quia voluntas illius ad illam pertinet speciem, ad quam pertinet malum volitum; sicut voluntas peccandi ad illam pertinet peccati speciem, ad quam pertinet peccatum volitum. Siquidem actus specificantur ab objecto. Ita Cajetanus, Sotus, Sylvius, &c. contra Bonacinam & Dianam, qui non satis consideraverunt id quod Angelicus Doctor ait loco citato a. 1. *quòd* utique *facere aliquid, & velle illud, se consequuntur in bonitate & malitia*, juxta illud: *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est in corde suo.* Et a. 4. ad 2. *Si ille qui maledicit, velit malum occisionis alterius, desiderio non differt ab homicida.* Per consequens omnis maledictio non est ejusdem speciei, sed diversæ pro malorum volitorum diversitate. Et subinde etiam pro diversitate personarum, quibus maledicens specialem debebat amorem & reverentiam, quemadmodùm debetur patri, superiori, &c. Quòd si nullum in specie malum imprecatus fuerit, sed malum in genere, Sylvius censet ejusmodi imprecationem ad speciem odii pertinere. Quia odium pro objecto habet malum absolutè.

Ne diabolo quidem maledicere licet, con- 226
siderato secundùm naturam. Quia *natura ejus bona est, & à Deo* (ait S. Doctor a. 1. ad 4.) *culpa autem ejus est maledicenda, secundùm illud Job. 3.* " Maledicant ei, qui maledicunt " diei. " *Cùm autem peccator maledicit diabolum propter culpam, seipsum simili ratione judicat maledictione dignum. Et secundùm hoc dicitur maledicere animam suam, juxta illud Eccli. 21.* " Dum maledicit impius diabolum, maledi- " cit ipse animam suam. "

Articulo 2°. quærit S. Doctor, *an liceat* 227
creaturam irrationalem maledicere? Et angelicè respondet, *quòd benedictio & maledictio propriè ad illam rem pertinet, cui potest aliquid benè vel malè contingere, scilicet rationali creaturæ. Creaturis autem irrationalibus bonum vel malum dicitur contingere in ordine ad creaturam rationalem, propter quam sunt. Ordinantur autem ad eam multipliciter. Uno quidem modo per modum subventionis, in quantum scilicet ex creaturis irrationalibus subvenitur humanæ necessitati.* Et hoc modo illis maledicens æquivalenter maledicit creaturæ rationali, ac per consequens perinde peccat, ac si malediceret homini: nisi hoc faciat ex affectu justitiæ; quomodò Deus homini dixit Genes. 3. *Maledicta terra in opere tuo*, ut scilicet per ejus sterilitatem homo puniretur.

Alio modo creatura irrationalis ordinatur 228
ad rationalem per modum significationis. Et sic Dominus maledixit ficulneam, in significationem Judææ. Tertio modo ordinatur creatura irrationalis ad rationalem per modum continentis, scilicet temporis, vel loci. Et sic maledixit Job diei nativitatis suæ, propter culpam originalem, quam nascendo contraxit, & propter sequentes pœnalitates. Et propter hoc etiam po-

test intelligi David maledixisse montibus Gelboe, ut legitur 2. Reg. 1. scilicet propter cædem
229 *populi quæ in eis contigerat. Maledicere autem rebus irrationalibus, in quantum sunt creaturæ Dei, est peccatum blasphemiæ.* Denique *maledicere eis secundùm se consideratis* (quomodò rustici maledicunt vaccis v. g. vel instrumentis laboris sui) *est otiosum & vanum. Et per consequens illicitum.* Non tamen mortale : quia non magis mortale est ipsis v. g. mortem optare, quàm inferre. Optare verò ut eas diabolus auferat, verbum & desiderium est purè *otiosum & vanum*; ideòque secundùm se præcisè non habet nisi malitiam verbi & desiderii otiosi.

230 Porrò ex iis quæ S. Doctor dixit suprà n. 228. conficitur, posse esse licitum maledicere diei, quâ quis natus est, vel conjugatus, non ratione sui, sed ratione mali quod illo die accidit, ita ut non optetur diem illum non fuisse simpliciter, sed non fuisse causam istius mali, abstrahendo ab ordinatione vel permissione divina. Sic enim Job maledixit diei nativitatis suæ, sicut & Hieremias, cùm dixit c. 20. *Maledicta dies in qua natus sum*; ut scilicet tanta mala viderem, & tantum excidium annuntiare deberem populo meo. Quod profectò dixit non spectatis omnibus, sed abstrahendo ab ordinatione divina, solùmque considerando naturalia bona, non supernaturalia gratiæ & gloriæ, quæ populus per malorum illorum tolerantiam potuit promereri. Denique solùm id Propheta dixit ad exprimendum sensum naturæ, calamitates illas patientis, quæ abstrahendo à bonis supernaturalibus alterius vitæ, solùmque spectatis naturalibus vitæ præsentis, dictat melius esse non nasci, quàm ad tantas miserias nasci. Ita Sylvius, Binsfeldius, &c.

CAPUT XXII.

Definitio & malitia acediæ.

231 ACedia dupliciter sumitur. Primò generaliter pro quocumque animi languore, & fastidio quo fit ut refugiat quis spirituale bonum quod est in exercitio singularum virtutum, ob ejus difficultatem. Et sic *non pertinet ad aliquod vitium speciale* (inquit S. Thomas 2. 2. q. 35. a. 2.) *sed ad omnia vitia*; speciemque sumit pro specifica eorum diversitate. Secundò specialiter pro vitio inter capitalia septimo : & sic definitur tristitia de bono divino *seu divinitùs præcepto, ita aggravans animum hominis, ut nihil ei agere libeat*, sed si quid agat, illibenter agat. Prior pars definitionis sumitur ex S. Thoma loco citato a. 3. ad 2. ubi dicit, quòd *acedia non est recessus à quocumque spirituali bono; siquis enim contristetur, de hoc quòd aliquis cogit eum implere opera virtutum, quæ facere non tenetur, non est peccatum acediæ; sed à bono divino, cui oportet mente adhærere ex necessitate*, seu præcepto. Posterior definitionis pars sumitur ex S. Damasceno l. 2. de fid. orthod. c. 14. dicente quòd *acedia est quædam tristitia aggravans, quæ scilicet ita deprimit animum hominis, ut nihil ei agere libeat.*

Acedia ut sic non solùm est peccatum spe- 232
ciale, sed & mortale ex genere suo, oppositum charitati. *Nam*, uti S. Thomas ait ibidem in corp. *proprius effectus charitatis est gaudium de Deo. Acedia autem est tristitia de bono spirituali, in quantum est bonum divinum. Unde secundùm suum genus acedia est peccatum mortale.*

Sed considerandum est in omnibus peccatis, 233
quæ sunt secundùm suum genus mortalia, quòd non sunt mortalia, nisi quando suam perfectionem consequuntur; est enim consummatio peccati in consensu rationis : loquimur enim nunc de peccato humano, quod in actu humano consistit, cujus principium est ratio. Unde si sit inchoatio peccati in sola sensualitate, & non pertingat usque ad consensum rationis, propter imperfectionem actûs est peccatum veniale; sicut in genere adulterii concupiscentia, quæ consistit in sola sensualitate, non in voluntate plenè, sed semiplenè dumtaxat consentiente, *est peccatum veniale* (quale non esset, si voluntas nullo modo consentiret, ne imperfectè quidem : quia, ut Augustinus dicit in lib. de duab. animab. c. 10. *nonnisi voluntate peccatur.* Et l. 1. Retract. c. 13. peccatum *nullo modo est peccatum, si non sit voluntarium.* Et l. 1. de Civit. c. 25. *concupiscentialis inobedientia. . . . absque culpa est in corpore non consentientis*) *si tamen perventum usque ad consensum rationis, est peccatum mortale : ita etiam & motus acediæ in sola sensualitate quandoque est propter repugnantiam carnis ad spiritum; & tunc est peccatum veniale. Quandoque verò contingit usque ad rationem, quæ consentit in fugam & detestationem boni divini, carne contra spiritum omninò*, id est plenè *prævalente; & tunc manifestum est quòd acedia est peccatum mortale.* Gravitas namque ipsius manifesta est ex magnitudine plurimorum præceptorum, quæ per eam violantur. Primò namque violatur primum & maximum mandatum diligendi Deum *ex toto corde, tota anima, tota virtute.* 2°. præceptum quò quisque jubetur delectari in Domino Deo suo. 3°. præceptum desiderandi Deum suum. 4°. præceptum operandi salutem suam in timore & tremore. 5°. præceptum omni tempore vigilandi & orandi. 6°. præceptum in via mandatorum jugiter progrediendi, justitiamque esuriendi & sitiendi, &c. Quæ omnia ex Scriptura & Patribus eleganter deducta videri possunt apud Merbesium in Summa Christ. p. 1. q. 14. Et Natalem Alexandrum Theol. Dogm. & Mor. to. 8. l. 3. c. 12. a. 1.

CAPUT XXIII.

Acediæ filiæ sex.

AS. Gregorio l. 31. Moral. c. 17. nume- 234
rantur sequentes : *Malitia, rancor, pusillanimitas, desperatio, torpor circa præcepta,*

evagatio mentis circa illicita.

235 *Malitia* est voluntarius horror, impugnatio, derisio & contemptus bonorum spiritualium, & hominum qui bonis exemplis, monitis, exhortationibus & doctrinis suis ipsos convertere, & ad pietatem, vitamque christianam provocare satagunt. Quod profectò peccatum est gravissimum, charitati directè oppositum, characterque hominum reproborum, qui propterea in inferno *turbabuntur timore horribili, pœnitentiam agentes, & præangustia spiritûs gementes: hi sunt quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperii. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam*, dumque vitia nostra corrigere, & nos ad meliorem vitam reducere conabantur, dicteriis & scommatibus velut Jansenistas & Rigoristas subsannabamus, cum iis de quibus scriptum est Psal. 68. *Adversum me loquebantur qui sedebant in porta: & in me psallebant qui bibebant vinum.* Sic enim Judæi insultaverunt Christo, & adhuc hodie membris ejus frequenter insultari testatur Augustinus enarratione in eum Psalmum. Sic insultantium verò malitiæ se participes efficiunt, qui eam fovent, imò ad eam ipsos quodammodò provocant, dum & ipsi Jansenistas & Rigoristas vocant, qui ejusmodi peccatores convertere, & ad vitam christianam juxta Sanctorum dogmata revocare conantur. Quia hoc pacto confirmant ipsos in malitia sua, sive in horrore, contemptu & derisione talium hominum.

236 *Rancor* est indignatio acedioſorum adversus Superiores, Pastores, Confessarios, & alios, qui vitia ipsorum corrigere, ipsosque ad meliora compellere satagunt. Lethale peccatum esse colligitur ex Prov. 29. *Viro, qui corripientem durâ cervice contemnit, repentinus ei superveniet interitus.* Et ratio est quia tales facto suo comprobant converti se nolle, nec proficere, sed in vitiis & eorum impœnitentia perseverare.

237 *Pusillanimitas* est vitiosa virium suarum diffidentia, quâ quis officia & opera difficilia & ardua, ad consilium spectantia, facultatem suam Dei gratiâ adjutam non excedentia, ex animi parvitate refugit. Esse peccatum S. Thomas 2. 2. q. 133. a. 1. probat ex Coloss. 3. *Patres nolite ad iracundiam provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant.* Necnon ex eo quòd *servus, qui acceptam pecuniam domini sui fodit in terram, nec operatus est ex ea, propter quamdam pusillanimitatis timorem, punitur à Domino, ut habetur Matth. 25. & Luc. 19.* Estque mortale peccatum, dum ad ea officia vel opera vocatus à Deo, ea sibi à Superiore injuncta pertinaciter respuit ex animi parvitate. Ita S. Thomas ibidem ad 2. Nec excusatur ex hoc quòd ad istud officium indignum se reputat, vel incapacem. Ista namque falsa humilitas est, pusillanimitasque ipsius *ex superbia oritur, dum nimis proprio sensui innititur, quo reputat se insufficientem ad ea, respectu quorum* (judicio Superiorum) *sufficientiam habet* (ait S. Thomas ad 3.) *Unde dicitur Prov. 26.* "Sapientior sibi piger videtur septem viris loquentibus sententias. " *Nihil enim prohibet quòd se quantùm ad aliqua dejiciat, & quantùm ad alia se in sublime extollat. Unde S. Gregorius in Pastorali* de Moyse dicit: Superbus *fortasse esset, si ducatum plebis innumeræ sine trepidatione susciperet; & rursum superbus existeret, si Authoris imperio obedire recusaret.*

Desperatio est vitium, quo quispiam de ultimi finis consecutione diffidens, omnem salutis curam abjicit. De ea fusiùs to. 2. ubi de vitiis spei oppositis. 238

Torpor est languor animi, quo quis præceptorum observantiam vel penitùs omittit, vel ea negligenter, perfunctoriè & oscitanter implet. Mortale peccatum est, si præcepta graviter obligantia penitùs omittat. Imò etiam si quis in tanta vivat salutis negligentia, ut negligere consueverit media illius (tametsi ex se graviter non obligantia) sibi secundùm statum ad quem à Deo vocatus est necessaria. Quia consuetudo ista graviter adversatur pluribus præceptis legis naturalis & divinæ, uti demonstravimus p. 1. cap. 22. 239

Sed & periculosus est, ad lethaleque peccatum disponit torpor quo præcepta perfunctoriè dumtaxat implentur. Quia fervorem in præceptis suis implendis Deus præcipit, dicens: *Tu mandasti, mandata tua custodiri nimis.* Unde Apostolus Rom. 12. *Solicitudine non pigri, spiritu ferventes, Domino servientes.* Propterea etiam S. Paulinus epist. 36. ad Macarium dicit, quòd *vicina morti labes est torpor animorum; & tunc dicet inimicus:* " Prævalui adversus eum, " *si & mentis oculos somnus oppresserit.* Et S. Isidorus l. 2. de summo bono c. 10. *Multos remissa conversio in pristinos errores reducit, ac vivendi tepore resolvit. Horum ergo exempla quisque conversus evita, ne dum timorem Dei à tepore incipis, rursus mundanis erroribus immergaris.* Et S. Bernardus serm. 5. in Ascens. Dom. *Invenire est homines pusillanimes & remissos, virgâ & calcaribus indigentes.... abjiciamus eorum tepiditatem, quia periculosa est, & Deo solet etiam vomitum provocare.* 240

Nec minùs periculosus est status eorum, qui jugiter non vigilant, ne vitiorum sentes, malaque germina in corde suo pullulent, nec exorta ferventibus studiis evellere studeant. Quia hoc est locum dare diabolo, pravorum desideriorum zizania seminandi in agro cordis nostri, Deo id permittente in pœnam negligentiæ & socordiæ nostræ. Scriptum est enim Prov. 21. *Desideria occidunt pigrum.* Et 24. *Per agrum hominis pigri transivi; & ecce totum repleverant urticæ, & operuerant superficiem ejus spinæ, & maceria lapidum* divinæ protectionis *destructa erat.* 241

Idem asserо de iis, qui in christiana statûs sui perfectione viriliter proficere non conantur, ut talentum sibi à Patre cælesti creditum 242

augeant, & fructificare faciant. Nam quòd ad id Christianus quisque graviter obligetur, talentorum parabola luculenter demonstrat.

243 Idem quoque asserere non dubito, de iis qui tempus à Deo sibi concessum ad peragendum salutis suæ negotium, in otio, ludis, inutilibus conversationibus, inanibus colloquiis, & sæculi voluptatibus transigere solent, segnes interim & pigri in iis quæ Dei sunt, ad Pœnitentiæque & Eucharistiæ Sacramenta rarò admodùm ex salutis incuria accedentes, v. g. semel in anno, pœnarum ecclesiasticarum & infamiæ metu compulsi. In iis quippe magna se prodit salutis incuria, nec tales sapiunt ea quæ Dei sunt, imò terrena sapiunt, nec tam quæ sursum sunt quærunt, quàm quæ super terram. Unde nec delectari volunt in Domino, nec gustare quàm suavis est Dominus; sed fodiunt sibi terrenarum consolationum cisternas, *cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Tales ex toto corde, tota anima, & tota fortitudine Deum diligere, nulla apparentia est. Major apparentia, quòd maledicti sint. *Maledictus enim qui facit opus Dei negligenter.* Vel sola notabilis prodigentia pretiosissimi temporis, nobis concessi *ut sapienter disponamus præsentia nostra, recogitemus in amaritudine animæ nostræ præterita, futura quoque sollicitè provideamus*, ipsos arguit gravis delicti, maximè attento quadruplici debito gravissimo, quo vitam nostram, totumque tempus illius, primò debemus Deo Creatori & Authori nostro. Secundò Christo Redemptori, à quo empti sumus pretio tam magno. Tertiò divinæ justitiæ, pro expiandis peccatis nostris. Quartò charitati propriæ, pro cælo nobis comparando; quem in finem principaliter, imò unicè creati & redempti sumus. Quadruplex illud debitum pulchrè explicat S. Bernardus serm. 22. de divers. mellifluis hisce verbis: *Vis scire quæ, & quibus debeas? Primò Christo Jesu debes omnem vitam tuam: quia & ipse vitam suam posuit pro vita tua, & cruciatus amaros sustinuit, ne tu perpetuos sustineres. Quid tibi dirum vel durum esse poterit*, si totam vitam tuam pro ipsius obsequio in pietatis ac pœnitentiæ operibus consumpseris, *cùm recordatus fueris, quia ille in forma Dei, in die æternitatis suæ, in splendoribus Sanctorum ante Luciferum genitus, splendor & figura substantiæ Dei, venit ad carcerem tuum, ad limum tuum, infixus* (*ut dicitur*) *usque ad cubitos in limo profundi? Quid non suave tibi, cùm tibi collegeris omnes amaritudines Domini tui, & rememoraveris, primùm quidem illarum infantilium necessitatum; deinde laborum quos pertulit in prædicando, fatigationum in discurrendo, tentationum in jejunando, vigiliarum in orando, lachrymarum in compatiendo, insidiarum in colloquendo; postremò periculorum in falsis fratribus, conviciorum, sputorum, colaphorum, flagellorum, irrisionum, subsannationum, exprobrationum, clavorum, horumque similium, quæ in salutem nostri generis, triginta & tribus annis operatus & passus est in medio terræ?* Nunquid ut tu deliciareris? Nunquid ut tibi viveres? Nunquid ut tempus in nugis, facetiis, visitationibus, conversationibus, colloquiis, & rebus inutilibus ad tuam oblectationem consumeres? Nunquid hoc dignum & justum est, postquam *indebitâ miseratione, gratuitâ & sic probatâ dilectione, inopinatâ dignatione, stupendâ dulcedine, invictâ mansuetudine*, innocens *Rex gloriæ* pro te perdito peccatore, *pro despicatissimo vernaculo, imò vermiculo crucifixus est?.... Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Nonne si conferrentur in me omnes vitæ filiorum Adam, & omnes dies sæculi, & labores omnium hominum, qui fuerunt, qui sunt, & qui erunt, eos omnes tibi deberem, & quamvis omnes omninò tibi redderem, unicoque obsequio tuo consecrarem, nihil esset ad comparationem* vitæ, dierum & laborum *corporis illius, quod spectabile & stupendum est virtutibus, etiam supernis, in conceptu de Spiritu sancto, in ortu de virgine, in vitæ innocentia, in doctrinæ affluentia, in coruscationibus miraculorum, in revelationibus Sacramentorum? Vides quia sicut exaltantur cæli à terra, sic exaltata est vita illa à vita nostra, quæ tamen posita est pro vita nostra. Cùm ergo ei donavero quidquid sum, quidquid possum, nonne istud est sicut stella ad solem, gutta ad fluvium, lapis ad turrim, granum ad acervum? Non habeo nisi minuta duo, imò minutissima, corpus & animam, vel potiùs unum minutum, voluntatem meam, & non dabo illam totam ad voluntatem illius, qui tantus tantillum tantis beneficiis prævenit, qui toto se totum me comparavit?*

Sed nunquid huic soli debitor sum totius temporis, & totius vitæ meæ, *cui vix parum aliquid retribuere possum, ac licèt totum me, totamque vitam meam retribuero, nihil est in comparatione ejus quod retribuit mihi? Exigum à me peccata mea futuram vitam meam*, eamque totam, *ut faciam fructus dignos pœnitentiæ, & recogitem omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Et ad hæc quis idoneus?.... Cùm ergo quidquid vivis, quidquid sapis, quidquid habes, quidquid potes, huic uni debeaveris, numquid est vel inter aliqua computandum? Paulò ante vitam tuam pro vita suâ Christo reddideras, & nunc iterùm eam totam præcedentium exigit recordatio peccatorum.* 244

Quid si tertium tibi debitorem ostendam, qui non minùs acriter quàm veraciter vendicat eam sibi? Puto quòd & tu tui erga te charitate non es destitutus, ideòque *possidere desideras Civitatem, de qua dicitur*: "Gloriosa dicta sunt "de te Civitas Dei." *Gloriam illam, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, regnum omnium sæculorum.... Nonne ad hoc emendum, totum te, & quæcumque, & undecumque contrahere poteris, dare oportebit? Et cùm universa compleveris, non tamen putes esse condignas passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in no-* 245

bis. An sic impudens es, vel imprudens, ut minutum tuum, quod tibi tam Christi vita, quam peccati pœnitentia certatim rapiunt, etiam ad hoc conquirendum vel audeas numerare?

246 *Quid dices, si & quartum debitorem in medium adduxero, qui sibi etiam jure primatûs sui, superiores tres cedere velit? Ecce in januis est, qui fecit cælum & terram, & Creator tuus est, tu creatura. Tu servus, ille Dominus. Ille figulus, tu figmentum. Totum ergo quod es, illi debes, a quo totum habes, &c.*

247 Cui ergo sapienti dubium esse potest grande peccatum esse, totam penè vitam suam, sive partem ejus longè majorem, quatuor debitoribus illis strictè debitam, subtrahere, in nugisque & vanis oblectationibus inutiliter prodigere? Vocabunt, vocabunt aliquando quatuor illi debitores, vocabunt adversùm nos tempus sic deperditum, sibique injustè subtractum, de eoque rationem rigidissimam exigent. Ideòque graviter monet Apostolus Ephes. 5. *Videte fratres, quomodò caute ambuletis; non quasi insipientes, sed ut sapientes: redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.*

248 *Evagatio mentis est* inquieti animi motus, quo propter tædium bonorum spiritualium & divinorum ad exteriora se transfert, ut ex iis delectationes vanas percipiat. Hujus peccati rei sunt homines curiosi, qui *ad nihil aliud vacant, nisi aut dicere, aut audire aliquid novi*, sicut Athenienses, de quibus Act. 17. vel in res & actiones alienas inquirere, ut nullis negotiis occupati, alios inquieti animi levitate perturbent. Quos Apostolus 2. Thessalon. 3. acriter reprehendit, dicens: *Siquis non vult operari, non manducet. Audivimus enim inter vos quosdam ambulare inquietè, nihil operantes, sed curiosè agentes. Iis autem qui sunt ejusmodi denuntiamus . . . . ut cum silentio operantes suum panem manducent.* Ejusdem quoque peccati rei sunt Ecclesiastici & Religiosi otiosi, inquieti, gyrovagi, qui huc illuc discurrere amant: quia ipsis nec oratio, nec solitudo, nec lectio sapiu; nec studium, sed iners otium placet. Contra quos videri possunt S. Augustinus l. de oper. Monachor. Cassianus l. 10. de Cœnob. Instit. c. 2. S. Nilus Abbas orat. 6. de accedia. S. Antiochus Monachus homil. 26. de eadem.

Porrò otium iners ac desidiosam proximam 248
esse peccati mortalis occasionem, sacræ nos Paginæ docent Eccli. 33. *Multam malitiam docuit otiositas.* Ezech. 16. *Hæc fuit iniquitas Sodomæ . . . . abundantia & otium ipsius, & filiarum ejus.* Prov. 12. *Qui sectatur otium stultissimus est.* Idem docent & Patres, à quibus otium dicitur pulvinar diaboli. Unde Chrysostomus in Catena Græc. *Ignavia malitiam parit & fovet.* Et Author sermonum ad Fratres in Eremo inter Opera S. Augustini editorum serm. 17. *Quid otiosè agere potes, nisi opera carnis? Nunquam quis civis cœlorum erit, si otiositatem amaverit.*

Ex evagatione quoque mentis *multiloquium* 249
nascitur, quod in gravia peccata præcipitare solet, detractiones, rixas, discordias, &c. uti S. Gregorius observat l. 7. Moral. c. 17. Nec mirum, cùm scriptum sit Psal. 139. *Vir linguosus non dirigetur in terra.* Et Prov. 10. *In multiloquio peccatum non deerit.* Et c. 25. *Sicut urbs patens, & absque murorum ambitu; ita vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum. Quia enim humana mens murum silentii non habet* (inquit Gregorius loco citato) *patet inimici jaculis civitas mentis, & cùm se per verba extra semetipsam ejicit, apertam se adversario ostendit, quam tantò ille sine labore superat, quantò & hac eadem qua vincitur, contra semetipsam per multiloquium pugnat.*

PARS III.

De peccato originali, effectibusque ipsius.

NOtitiam peccati originalis, effectuumque ipsius, Moralis exigit Christiana: utpote utilissimam ad mores, instructionemque Christianis omnibus necessariam, ut constabit ex dicendis cap. 13. & 14. constatque etiam ex dictis p. 1. c. 27. Sit itaque

CAPUT PRIMUM.

Peccatum originale, peccatum est verè ac proprie dictum.

1 ESt de fide: utpote ab Ecclesia sæpiùs definitum contra Pelagianos; & novissimè à Tridentino sess. 5. in Decreto de peccato originali, contra hæreticos nostrorum temporum, contra quos anathema dicitur cuicumque neganti, per baptisma *tolli totum id quod veram & propriam peccati rationem habet.*

Et meritò, quia Apostolus Rom. 5. *Per* 2
unum hominem (inquit) *peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors; & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Quem locum Ecclesia in sensu proprio semper intellexit, ut videre est in Concilio Milevitano circa annum 416. Can. 2. Et Araufícano II. anni 529. ubi originale vocat *peccatum quod est mors animæ*, adeòque peccatum propriè dictum.

Item ex Ephes. 2. *Eramus naturâ filii iræ.* 3
Ergo (infert Augustinus) *filii gehennæ.* Unde Enchirid. c. 26. dicit quòd propter originale peccatum homo trahitur *per varios errores, doloresque diversos ad illud extremum, cum de-*

seruoribus angelis, sine fine supplicium.

4 3°. ex Psal. 50. ubi peccatum originale vocatur *iniquitas*: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* In Hebræo (teste D. Hieronymo) id non exprimitur numero plurali, sed singulari, *in iniquitate, in peccato.*

5 Nec hoc hæretici convenienter exponunt de iniquitate parentum, non infantium. Tum quia Psalmista non potuit absque temeritate tribuere iniquitatem parentibus per actum conjugalem ipsum concipientibus. Tum quia parentum iniquitas, siqua fuisset, Psalmistam non obligasset ad petendam veniam peccatorum suorum, clamando *Miserere mei, Deus, secundùm magnam misericordiam tuam . . . . quoniam iniquitatem meam* (non dicit parentum) *ego cognosco . . . . Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, &c.*

6 4°. Augustinus variis locis urget etiam Apostoli verba 2. Cor. 5. *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt: & pro omnibus mortuus est Christus.* Undè l. 6. contra Julianum, *Nega* (inquit) *Christum etiam pro parvulis mortuum, ut eximas eos de numero mortuorum, hoc est de contagio peccatorum.*

7 Objicies 1°. Rationis & voluntatis usum non habens, *non peccat ille qui nascitur; non peccat ille qui genuit; non peccat qui condidit. Per quas igitur rimas, inter tot præsidia innocentiæ, peccatum fingis ingressum?* ait Julianus Pelagianus apud Augustinum l. 2. de nupt. & concupisc. c. 28.

Respondet Augustinus ibidem: *Quid quæris latentem rimam, ubi habes apertissimam januam? Per unum hominem* (ait Apostolus) *peccatum intravit in mundum.*

8 Objicies 2°. Omne peccatum verè ac propriè dictum esse debet voluntarium. Atqui peccatum originale parvulis materno in utero conceptis non est voluntarium.

Respondeo, licèt ipsis volùntarium non sit voluntate propriâ, seu personali; voluntarium est voluntate originali, seu capitali primi parentis.

9 Instabis: intelligi non potest, quòd voluntarium voluntate originali primi parentis hominum sufficiat ad hoc ut hoc verè & propriè peccatores efficiantur, qui nondum existebant, dum primus parens hominum prævaricari voluit legem Dei.

Ad id utcumque explicandum nonnullæ quidem similitudines adduci possunt; sed quia illæ minùs satisfaciunt, melius est cum Augustino ingenuè fateri, id quidem valdè difficulter intelligi; sed non ideò posse negari. Quia justum est captivare intellectum in obsequium fidei, etiam dum revelata veritas à nobis non potest comprehendi. Et ideò Augustinus l. de morib. Eccles. c. 22. fatetur quidem *peccato originali . . . . nihil ad intelligendum difficilius.* Juliano tamen importunè scisciranti, quonam modo culpa originalis transfunderetur, optimè respondet: *Quid à me quæris quo sit factum modo; cùm factum constet aliquo modo, si Apostolo credis ullo modo, qui mentiri potuit nullo modo?*

CAPUT II.

Peccatum originale non est unicum Adæ peccatum, posteris extrinsecum, seu extrinsecè imputatum, sed singulis proprium, & intrinsecè inhærens.

10 EST de fide. Quia Tridentinum sess. 5. tria definit de peccato originali, cum quibus contraria Alberti Pighii assertio non consistit. Primò Adæ *prævaricationem ipsi soli* non *nocuisse*, sed & *ejus propagini*, acceptamque *à Deo sanctitatem & justitiam, quam perdidit, non sibi soli, sed nobis etiam perdidisse, & inquinatum illum per inobedientiæ peccatum, non mortem & pœnas corporis tantùm in omne genus humanum transfudisse, sed & peccatum, quod est mors animæ.* Secundò, *hoc Adæ peccatum, quod est origine unum, propagatione, non imitatione transfusum omnibus, inesse unicuique proprium.* Tertiò, quòd *per Jesu Christi gratiam, quæ in baptismate confertur, reatus originalis peccati remittitur, & tollitur totum id quod veram & propriam peccati rationem habet.* Unde anathema dicit ei, qui dixerit *illud tantùm radi, aut non imputari.*

CAPUT III.

Natura peccati originalis.

11 IN quo consistat natura peccati originalis, Tridentinum non definivit, sed Theologis determinandum reliquit, uti testantur Tiletanus (qui Tridentino interfuit) in Apologia pro Concilio Tridentino, & Cardinalis Pallavicinus in Historia ejusdem Concilii l. 7. cap. 10. n. 8. ubi sic: *Legati* (id est Concilii Præsides) *admonuerunt, ne quid certi statuerent de natura ipsa originalis culpæ, de qua Scholastici discordant.*

12 Cæterùm etsi hac de re Tridentini Patres nihil definierint, velut fide certum, de ea tamen disseruerunt in Congregatione Generali 21. Maii 1546. & seqq. ut videre licet apud Pallavicinum ibidem c. 8. Et de ea quidem Reverendissimus D. Angelus Paschalis, Dominicanus, Motulanensis Episcopus, non sententiâ modò, sed verbis S. Thomæ productis ita (optimè ut mihi videtur) disseruisse narratur ab eodem: « non aliunde meliùs declarari posse naturam originalis noxæ, ficut & « cujusvis defectûs, quàm à natura perfectionis « oppositæ: prout exempli gratiâ, ut intelligatur quidnam sit cæcitas, opus est intelligas, « quid sit videndi facultas. Esse peccatum originale vacuitatem quamdam, oppositam illi « perfectioni, quæ Adamum innocentem con- « decorabat, & *justitia originalis* nuncupatur. «

Oportere

„ Oportere igitur ex illius notione illius naturam explicari. Justitia originalis „ (aiebat ille) „ duas obtinebat partes; alteram, quæ „ præcipua erat, & quasi forma; alteram, quæ „ ad integritatem spectabat, & quasi materia. „ Prior erat humani arbitrii subjectio sub legitimo Domino, qui Deus est: posterior erat „ itidem subjectio interiorum facultatum ipsi arbitrio, quod legitimus illarum princeps est. „ Desciscente hominis arbitrio, per Adami peccatum, à Deo, desciviſſe quoque facultates „ arbitrio subjectas. Hanc posteriorem perturbationem, aliaque hominis damna in rebellantis „ arbitrii ultionem inflicta, esse quasi originariæ „ culpæ materiam; primam verò perturbationem, „ quæ non pœna, sed culpa fuit, esse formam, „ quâ ipsius natura constituitur.

13 „ His communiter assentiebatur „ (inquit Eminentissimus Historicus) „ cùm Balthasar „ Eredia, Dominicanus, Bossanensis Episcopus, „ aliam S. Thomæ doctrinam in medium attulit. Tametsi omne peccatum, universè consideratum, præcipuè, & tamquam per suam formam, constituatur per destitutionem contrariæ sibique debitæ probitatis, & ex hac parte „ nequaquam illud effectus sit, sed defectus; „ tamen id quod huic perinde atque cæteris rerum privationibus subjicitur, esse veram rem, „ verèque existentem. Ita pariter, quamquam „ morbus in vacuitate justæ temperationis, tamquam in sua forma, situs sit; illi tamen subsistare, tamquam materiam, humores corporis; quæ res, non rerum privationes sunt. „ Pariter igitur peccati originalis naturam conflari ex memorata debiti ordinis destitutione; „ sed quod illi substernitur, esse facultates animi, hujusmodi ordine carentes, ac potissimè „ concupiscendi vim, quam concupiscentiam „ vocant, hoc est propensionem animi ad fluxa „ bona. Unde quandoque à Patribus *peccatum* „ eadem appellatur, eâ ratione, quâ humores „ corporis depravati *morbus corporis* nuncupantur.

14 Sic utique tradit S. Thomas 1. 2. q. 82. a. 3. hisce verbis: *Peccatum originale materialiter est concupiscentia; formaliter defectus originalis justitiæ.* Ubi per concupiscentiam, habitualem intelligo conversionem voluntatis ad fluxa bona; per defectum verò seu privationem justitiæ originalis, intelligo deviationem habitualem voluntatis à debita ad Deum subjectione, seu aversionem habitualem à Deo, prout ipsemet S. Doctor explicat ibidem dicens: *Attendenda est causa originalis peccati ex causa originalis justitiæ, quæ ei opponitur. Tota autem ordinatio originalis justitiæ ex hoc est quòd voluntas hominis erat Deo subjecta; quæ quidem subjectio primò & principaliter erat per voluntatem, cujus est movere omnes alias partes in finem.... Unde ex aversione voluntatis à Deo consecuta est inordinatio in omnibus aliis animæ viribus. Sic ergo privatio justitiæ, per quam voluntas subdebatur Deo, est formale in peccato originali.* Et hoc etiam D. Anselmus dicit in l. de concep. Virg. c. 26. *Hoc peccatum*, inquit, *quod originale dico*, formaliter acceptum, *aliud intelligere nequeo in ipsis infantibus, nisi ipsam, quam supra posui, factam per inobedientiam Adæ justitiæ debitæ nuditatem.* Reflexione digna est clausula ista Anselmi, *factam per inobedientiam Adæ.* Quasi aliquis (per possibile, vel impossibile) supponeretur, sine suo vel alterius voluntario peccato, conditus cum privatione justitiæ originalis, per quam voluntas subdenda esset Deo, privatio ista non esset ipsi culpabilis, nec formale peccati.

Reflexione etiam dignum est quòd justitia 15
originalis, Adamo infusa, compositum quoddam erat variis ex partibus. Primò namque comprehendebat gratiam sanctificantem, cum virtutibus supernaturalibus, quibus voluntas Deo, velut fini suo supernaturali subjiciebatur. Secundò comprehendebat dona quibus inferiores animæ vires erant voluntati subditæ. Tertiò comprehendebat cætera dona necessaria ut homo illam in Paradiso felicitatem obtineret, quæ statui innocentiæ congruebat; tam scilicet intrinseca, quæ ipsum in corporis & animæ felicitate stabiliebant; quàm extrinseca bona quibus à Deo cumulabatur, & à malis externè irruentibus divinâ providentiâ protegebatur.

Quando Anselmus & S. Thomas aiunt, 16
formale peccati originalis consistere in privatione justitiæ originalis, de justitia originali non loquuntur, prout omnia illa complectitur (quandoquidem homo in hoc statu naturæ lapsæ per baptismum renatus justitiam originalem non habeat omnia illa complectentem) sed quatenùs voluntas per eam *Deo subdebatur*, uti S. Thomam exponentem audivimus.

Sic verò expositam Anselmi & Thomæ sen- 17
tentiam Dominicus Soto l. 1. de nat. & grat. c. 8. & 9. hâc ratione optimè illustrat: illud in pueris nascentibus est originale peccatum, quod in Adamo habitualiter mansit post ejus actuale peccatum; nam quod in ipso actualiter peccante fuit formalis ratio peccati, sicut in ipso, sic in tota natura relictum est per modum habitûs (neque enim peccatum originale in posteris Adæ est per modum actûs, sed per modum habitûs) jam verò quid aliud in Adamo fuit formalis peccati ratio, nisi obliquitas & deflexio voluntatis à lege & ordine Dei? Et quia Adam gerebat personam totius naturæ, quæ in ipso susceperat beneficium illud justitiæ, permansurum in ea quamdiù non peccasset, tota natura in ipso rea facta est illius prævaricationis, Deoque invisa effecta. Quare deordinatio & deformitas illius actûs, mansit per modum habitûs in natura: quam proinde cum natura contrahimus. Est ergo originale peccatum, in pueris habitualiter manens, privatio justitiæ originalis suprà explicata.

Notanda sunt verba illa: *Adam gerebat* 18

personam totius naturæ, &c. sunt enim conformia Angelicæ doctrinæ q. 4. de malo a. 1. ubi sic : *Hoc donum* (scilicet *originalis justitia*, *per quam ratio subdebatur Deo*, *& inferiores vires rationi*, *& corpus animæ*) *non fuerat datum primo homini*, *ut singulari personæ tantùm*, *sed ut cuidam principio totius humanæ naturæ*, *ut scilicet ab eo per originem* (seu carnalem generationem) *derivaretur in posteros. Hoc* verò *donum acceptum primus homo per liberum arbitrium peccans*, *amisit eo tenore*, *quo sibi datum fuerat*, *scilicet pro se*, *& pro tota sua posteritate. Defectus ergo illius doni totam ejus posteritatem consequitur.*

19 Ita etiam S. Anselmus ubi suprà c. 22. *In Adam erat natura*, *extra quem de illa nihil erat. Est nudata justitiâ quam habebat*, *& eâ semper* (*nisi adjuta*) *careret. Hâc ratione*, *quia natura subsistit in personis*, *& personæ non sunt sine natura*, *fecit natura personas infantium peccatrices. Sic spoliavit persona naturam* humanam *bono justitiæ in Adam*, *& natura*, *egens facta*, *omnes personas*, *quas ipsa de se procreat*, *eâdem egestate*, id est justitiæ originalis privatione, *peccatrices & injustas facit.* Nam, uti dixerat c. 5. *non est injustitia talis res*, *quâ inficiatur & corrumpatur anima*, *velut corpus veneno. Nam quemadmodùm cùm indomita fera ruptis vinculis discurrendo sævit ; & cum navis*, *si gubernator*, *dimisso gubernaculo*, *dimittit eam ventis*, *& motibus maris vagatur*, *& invehitur in quælibet pericula*, *dicimus quia hoc facit absentia catenæ*, *vel gubernaculi : non quòd absentia eorum aliquid sit*, *aut quidquam faciat ; sed quoniam si adessent*, *facerent ne sæviret fera*, *aut periret navis. Ita cùm malus homo in mala opera impellitur*, *clamamus quia hoc operatur injustitia* : *non quòd injustitia aliquid sit*, *sed quia voluntas destituta justitiâ in malum prorupit.*

20 Itaque secundùm D. Anselmum & D. Thomam, primum Adæ peccatum non solùm fuit personale, sed quodammodò naturale, id est non peccatum solius personæ Adami, sed ipsius naturæ humanæ, quæ tota erat in Adamo. Et ideò communicatur omnibus quibus per carnalem generationem natura communicatur. Quia namque justitiam originalem pro sola persona sua Adam non accepit, sed pro tota natura humana in se contenta, peccatum, quo justitiam illam perdidit, totam naturam corrupit : quia totam naturam justitiâ sibi debitâ privavit, privatamque Deo exosam reddidit. Fuit proinde peccatum totius naturæ. Infectivum proinde personarum omnium naturam humanam per generationem naturalem participantium, prout D. Anselmus observavit, dicens : *Spoliavit persona naturam bono justitiæ in Adam*, *& natura*, *egens facta*, *omnes personas*, *quas de se procreat*, *eâdem egestate peccatrices & injustas facit.* Et ideò Apostolus Ephes. 2. dicit : *Eramus naturâ filii iræ*, *sicut & cæteri.*

21 Cæterùm etsi ista vera sint, verum est quoque quod suprà laudati Episcopi Tridentini cum S. Thoma asserunt, concupiscentiam habitualem (sumptam pro habituali conversione ad bona creata) esse partem quasi materialem peccati originalis; imò esse simpliciter peccatum originale, si consideretur quatenùs per inobedientiam Adæ separata à justitia originali, eam Deo subjiciente. Ut sic enim est concupiscentia prædominans, hominemque à Deo avertens, sicut à Deo avertit Adam. Et hoc sensu Augustinus variis locis adversus Pelagianos dicit, peccatum originale esse ipsammet concupiscentiam. L. 2. contra Julian. c. 10. Concupiscentia *non est malum nuptiarum*, *sed primorum hominum peccatum*, *in posteros propagatione trajectum.* Et l. 3. c. 21. *Malum originale dixi*, *cujus motibus mecum repugnas*, *& cujus contra me laudibus pugnas.* Unde l. 2. de peccat. merit. c. 4. dicit quòd *concupiscentia*, *tamquam lex peccati*, *manens in membris corporis mortis hujus*, *cum parvulis nascitur*, *in parvulis baptizatis à reatu solvitur.... parvulos non baptizatos reos innectit*, *& tamquam iræ filios.... ad condemnationem trahit.* Et l. 1. de nupt. c. 19. *Concupiscentiæ reatum regeneratio sola dimittit*, *quem generatio trahit.* Et addit, *dimitti concupiscentiam carnis in baptismo*, *non ut non sit*, *sed ut in peccatum non imputetur ; quamvis autem*, *reatu suo jam soluto*, *manet tamen donec*, &c. Et ibidem c. 32. necnon l. 1. contra duas epist. Pelag. c. 13. l. 1. Retract. c. 15. & l. 6. contra Julian. c. 19. docet concupiscentiam post baptismum manere actu, transisse reatu. Denique in op. imperf. contra eumdem n. 112. Pelagianos redarguit, quòd nollent *concupiscentiam pertinere ad originale peccatum.*

Scio à novioribus quibusdam Theologis il- 22
lam assertionem traduci velut Lutheranam & Calvinianam. At perperàm : quia Lutherus & Calvinus in hoc damnati non fuerunt ut hæretici, quòd simpliciter dixerint, peccatum originale esse concupiscentiam ; sed quòd impiè asseruerint, eam cum reatu culpæ, in regeneratis per baptismum remanere.

Scio etiam ab ipsis objici 1°. concupiscen- 23
tiam in omnibus non esse æqualem ; peccatum autem originale in omnibus æquale esse. 2°. si homo in statu naturæ puræ conditus esset, in eo esset concupiscentia ; in eo tamen non futurum originale peccatum. 3°. si concupiscentia foret pars originalis peccati, per baptismum non tolleretur totum quod propriam peccati rationem habet ; cùm non tollatur concupiscentia.

Sed infirma sunt argumenta ista. Ad pri- 24
mum namque respondeo, peccatum originale in omnibus æquale esse secundùm suum formale, non secundùm suum materiale, quod in nonnullis esse potest majus quàm in aliis, ob pravos habitus parentum intermediorum ; licèt æquale secundùm id præcisè quòd per inobedientiam Adæ in posteros est derivatum.

Ad 2. respondeo 1°. negando antecedens, quia

quia concupiscentia est mala, in statu proinde illo non futura, nisi ex voluntatis consensu. 2°. talem creari non posse hominem, qui sine ulla culpa sua, originali vel personali, tales pateretur concupiscentiæ motus, quos per seipsum rationi subjicere non posset, nec eos evitare; nisi Deus ei providentiâ suâ ita subveniret, ut peccatum & æternam damnationem evadere posset. Aliàs Deus in illo statu impossibilia præciperet. Quod asseri nullo modo potest. Ad divinam proinde providentiam spectaret, tale homini illi adjutorium, saltem naturalis ordinis dare, quo secundùm rationem vivere posset, peccatumque & æternam damnationem vitare, ut rectè Thomas de Lemos in Panoplia gratiæ to. 1. tr. 1. de læsione lib. arb. c. 4.

25 Nec contrarium sequitur ex Bulla Pii V. damnante hanc Baii propositionem: *Deus non potuit talem creare hominem, qualis hodie nascitur.* Sensus namque Baii erat, à Deo creari non posse hominem mortalem, justitiâque originali & gratiâ sanctificante destitutum (quod jure damnatum est) eò quòd proposit. 21. affirmaret quòd *humanæ naturæ sublimatio & exaltatio in consortium divinæ naturæ debita fuit integritati primæ conditionis, & proinde naturalis dicenda est, non supernaturalis.* Et propos. 78. *Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio.*

26 Ad 3. negatur sequela: totum enim quod propriam habet peccati rationem tollitur, dum formale tollitur, sicut totus homo tollitur, dum tollitur anima rationalis, quæ forma est hominis. Nam quod eâ ablatâ supereſt, non est homo, sed cadaver. Et similiter concupiscentia, ablato reatu, non est verè & propriè peccatum, sed peccati velut cadaver.

27 Et observatione dignum est, quòd in Concilio Tridentino concepta fuerat illa Decreti periodus, quâ dicebatur, *non improbari à Synodo illam positionem Scholasticis usitatam, asentibus, manere post baptismum partem materialem originalis peccati; non item formalem.* Sed, ut Eminentissimus Historicus l. 7. c. 9. narrat, *deleta est*, non quia falsa; sed *quòd nollent* Patres *Ecclesiæ authoritatem intermiscere opinantium doctrinis, seu quòd, ubi definitiones concipi possent veterum Patrum vocabulis, ea nollent à Theologis recentibus mutuari: cùm venerationi conducat, non modò sententiarum, sed etiam vocum antiquitas.*

28 Nec minori observatione dignum, quòd (ut idem Historicus refert ibidem) gravior exorta sit disputatio de illa particula, per quam affirmabatur, in renatis nihil Deum odisse. Objecit Seripandus, cùm concupiscentia sit origo peccati, non posse à Deo eam odio non haberi.... in quo visus est Polus subsistere. Observavit etiam, si Patres ponerent, nihil inesse in renatis odiosum Deo, colligendum hinc esse, nihil in iis relinqui ope divinâ purgandum, nihil reprimendum, nihil contra quod pugnandum: quæ omnia divinorum Oraculorum dictis adversabantur. Aliud de ipsa esse, quàm de corporis miseriis, quæ in Christo fuerunt, à quo procul concupiscentia fuit. Concupiscentiam aliâ ratione à cælesti regno excludi, quàm corporis miserias; quæ ideò solùm à regno illo excluduntur, quia plenæ felicitati opponuntur, non quia peccato militant, uti militat concupiscentia, quæ victorias omnes peccato parit. Patere ex multis Augustini locis, ipsam Deo displicere; eamdem esse malum illud, à quo liberari efflagitant Sancti, per precationem quam nos omnes Christus edocuit.... Ex Augustino concupiscentiam non esse naturæ proprietatem.... sed corruptionem perduellionemque naturæ.

His aliisque rationibus usus est Seripandus 29
(inquit Historicus) quæ tamen Patribus nequaquam persuasere Decreti mutationem: cùm ex ipsius textura liquidò appareret, ibi significari odium illud, quod *inimicitiæ vocatur*, & quo dicimur hominem ab homine odio haberi: quod odium verè inesse Deo nequit, in eum, qui adoptivus Dei filius est renatus: non tamen hinc excludi ab illis omnem prorsus labeculam.... quam aversetur in ipsis eo odio, quod *displicentiæ nominatur*.... Atque in eadem pariter significatione, post longam disceptationem, perstitere in decreto posteriora verba, quibus dicitur, concupiscentiam haud nocere non consentientibus, intelligendo per vocem *nocere*, æternum damnum, cujusmodi est divinæ gratiæ jactura.... tametsi cunctis alioquin illa noceat aliquo pacto, &c.

Hactenùs Eminentiss. Historicus, ex cujus 30
narratione perspicuum est, concupiscentiam in renatis superstitem, odiosam quidem Deo non esse odio inimicitiæ, quia verè & propriè non est peccatum; odiosam tamen esse odio displicentiæ, uti docet Augustinus, quia est fomes peccati, corruptioque naturæ, per quam dissoluta est harmonia illa, in qua homo conditus fuerat. In non renatis verò cum suo reatu peccatum est verè & propriè dictum, licèt sit effectus & pœna inobedientiæ Adami. Unum quippe peccatum alterius peccati effectus esse potest, & pœna.

CAPUT VI.

Modus quo primum Adæ peccatum traducitur in posteros.

DUplex est de modo illo sententia. Una 31
quæ traductionem illam explicat per pactum, seu decretum Dei liberum, quo Deus posterorum voluntates in Adami voluntate collocarit, ita videlicet ut Adamo vel custodiente vel transgrediente præceptum, de non comedendo fructu vetito, omnes illud custodire vel transgredi censerentur perinde ac si moraliter in Adamo fuissent. Altera quæ dicit traductionem illam fieri, non mediante ejusmo-

di pacto, sed quasi ex natura rei, ita ut primo illo Adami peccato (quod ab Augustino vocatur *ineffabiliter grande*) natura humana naturaliter sic infecta fuerit, ut infecerit, inficiat, & infectura sit posteros omnes, ex Adamo seminaliter descendentes. Priorem opinionem Recentiores sequuntur. Posteriorem Antiquiores, Hugo de S. Victore, Magister sententiarum, S. Thomas, S. Bonaventura, &c. Imò eam sequuntur SS. Patres, tam ante, quàm post Augustinum, scilicet ante Augustinum Origenes in c. 8. epist. ad Romanos, Ambrosius, & alii quos Augustinus refert l. 1. contra Julian. c. 3. & 4. necnon l. 2. c. 6. Post Augustinum verò S. Leo serm. 5. de Nativit. Dom. S. Gelasius Papa epist. 1. S. Prosper l. 3. vit. contempl. c. 2. Fulgentius l. de incarn. & grat. c. 13. Beda in l. variar. qq. q. 141. Bernardus epist. 174. Richardus de S. Victore l. 1. de Emmanuele c. 10. Innocentius III. in Psal. 50. Urbanus IV. in eundem. Anselmus ubi suprà.

32 Sed præ cæteris Augustinus, cujus sententiam ideò propugnandam suscipimus, quia per ipsam Ecclesia de Pelagianis triumphavit. Nusquam verò Augustinus primi peccati Protoparentis traductionem per pactum illud explicat, nunquam illius mentionem facit. Nunquam Pelagiani, qui tam acriter Augustinum ista in materia aggressi sunt, peccatum originale, quatenùs ab Augustino per pactum illud explicatum, oppugnarunt; imò ne illius quidem mentionem unquam fecerunt; quod tamen non neglexissent, si eò Augustinus recursum habuisset; quandoquidem occasionem inde opportunissimam habuissent Augustinum impugnandi; sed eo titulo Augustini doctrinam impugnarunt, quòd diceret primum Adami peccatum ab ipso in filios traduci per seminalem generationem, sive per concupiscentiam. Et ista reverà est Augustini sententia, prout videre licet l. 2. contra Julianum c. 1. l. 1. ad Bonifacium c. 17. l. 2. contra Julian. c. 3. & l. 5. c. 14. l. 1. de nupt. & concupisc. c. 23. Enchirid. c. 26. serm. 128. aliàs 13. de temp. l. 2. de peccat. merit. c. 27. epist. 194. aliàs 105.

33 Peccatum itaque originale per seminalem traducitur generationem, adeòque per concupiscentiam seminali generationi naturaliter adjunctam, quatenùs per eam communicatur natura, ob primum Protoparentis peccatum per concupiscentiam vitiata, destitutaque originali justitiâ, quam à divina largitate Adamus acceperat, omnibus posteris suis per viam seminalis generationis ex divina ordinatione communicandam: nec enim acceperat eam pro se solo, sed & pro tota natura humana, seminaliter in se contenta. Per primum proinde superbiæ peccatum, quo justitiam illam amisit, sibi soli non amisit, sed toti naturæ seminaliter in se contentæ, sive omnibus posteris seminaliter ab ipso descensuris; ideòque peccatum istud, peccatum fuit totius naturæ; eò quòd totam naturam humanam seminaliter in se contentam vitiaverit, concupiscentiâ Deo non subjectâ infecerit, originalique justitiâ (per quam concupiscentia, totaque natura humana subjicienda erat Deo) privaverit. Ideò ergo per seminalem generationem posteris communicatur natura Deo non subjecta, sed à Deo per concupiscentiam aversa, ad creaturamque conversa; peccato proinde obnoxia, Deoque exosa. Quia licèt posteri per seminalem generationem ab Adam non recipiant animam, sed à Deo; ab Adam tamen recipiunt corpus mediante semine: in semine verò licèt non sit anima, est virtus dispositiva ad animam in corpore recipiendam; quæ dum in ~~corpore~~ per libidinem seminato, per concupiscentiamque vitiato recipitur, ab ipso pariter vitiatur & inficitur, sicut vinum à vase in quo recipitur. Scriptum est enim Sap. 9. 15. *Corpus quod corrumpitur, aggravat*, id est ad terrena deprimit animam, donec intellectus & affectus ipsius per baptismi gratiam purgetur, & ad Deum elevetur.

Nec necesse est ut hoc parvulis sit voluntarium & liberum, voluntate & libertate ipsorum parvulorum; sed sufficit quòd ipsis voluntarium & liberum sit voluntate & libertate peccantis Adami, prout Augustinus docet sexcentis locis. Quia, uti l. 1. op. imperf. in Julian. n. 47. ait, definitio illa peccati, *peccatum est voluntas agendi aliquid, unde liberum est abstinere*, definitio est peccati, prout ab Adamo primitùs commissum est, non prout à nobis originaliter contrahitur; *alioquin* originale *non esset in parvulis, qui nondum voluntatis utuntur arbitrio.... Origo tamen etiam hujus peccati descendit à voluntate peccantis (Adami) fuit enim Adam, & in illo fuimus omnes*, secundùm seminalem rationem. *Periit Adam, & in illo periimus omnes.* Et rursus l. 15. de Civit. c. 14. *Omnes fuimus in illo uno, quando omnes ille unus corrupit.* Quod explicans D. Anselmus l. de conceptu virgin. c. 7. *In Adam* (inquit) *omnes peccavimus, quando ille peccavit*; *non quia tunc peccavimus ipsi* voluntate nostrâ, in voluntate ipsius moraliter existente (*quia* nondum *eramus*) *sed quia de illo futuri eramus. Et tunc facta est necessitas ut cùm essemus, peccaremus. Quia per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi*, id est justitiâ debitâ nudati. Quia, ut ait c. 26. *per originale aliud intelligere nequeo, nisi.... factam per inobedientiam Adæ justitiæ debitæ nuditatem.*

Itaque in Adam fuimus omnes, non quia 34
omnium nostrûm voluntas constituta fuit in voluntate Adami (hoc enim nullibi dicit Augustinus, uti nec Scriptura, nec alii Patres) sed sicut lib. 4. op. imperf. contra Julian. n. 104. exponit, eo modo quo Apostolus Hebr. 7. 10. dicit, *filium Israël Levi in lumbis Abraham patris sui fuisse, quando est ille decimatus; & ideò etiam istum in illo fuisse decimatum.* Sicut enim quia Levi erat in lumbis

Abrahæ, dum Abraham Melchisedecho decimas dedit, Abrahamo dante decimas, Levi, & cæteri, seminaliter existentes in lumbis ejus, decimas præstiterunt; sic intelligere debemus, *in lumbis Adam* peccantis *fuisse omnes qui ex illo fuerant per carnis concupiscentiam nascituri.* Et ideò Adam peccante, in illo omnes peccaverunt, & pereunte Adam, *in illo omnes perierunt.... Sed peccatis, inquis, alienis non utique perire debuerunt. Aliena sunt, sed paterna sunt; ac per hoc jure seminationis, atque germinationis* (non dicit, jure pacti, seu constitutionis voluntatis ipsorum in voluntate Adami) *& nostra sunt.* Similiter l. 4. n. 105. *Fixa & inconcussa sit ista sententia, quia illius culpa* (Adami scilicet) *mors omnium est, & in illo omnes perierunt....* Hoc asserenti Ambrosio, *dic* (Juliane) *& isti ergo suâ voluntate peccaverunt, quos in illo periisse dicis, qui suâ voluntate peccavit. Sed poterat Ambrosius hoc intelligere quod non potes, non hoc dici propter arbitrium singulorum, sed propter originem seminis unde omnes futuri erant; secundùm quam originem omnes in illo uno erant, & hi omnes unus ille erant, qui in seipsis nulli adhuc erant. Secundùm hanc originem seminalem etiam Levi tunc decimatus ostenditur, non in seipso, sed in illo, in cujus fuit lumbis; nec voluit, nec noluit decimari, quòniam nulla ejus voluntas erat, quando secundùm substantiam suam nec ipse adhuc erat: & tamen, secundùm rationem seminis, non mendaciter, nec inaniter dictum est, quòd ibi fuit, & decimatus est.* Unde *ab hac decimatione filiorum Abrahæ, qui erant in lumbis ejus, quando Melchisedech Sacerdoti decimas dedit, ille solus Sacerdos exceptus est, cui dictum est,* Tu es Sacerdos in æternum.... Qui licèt *sit etiam ipse secundùm carnem semen Abrahæ* (eò quòd Virgo Maria, de qua carnem sumpsit, ex ipso semine propagata est) *non tamen est obnoxius eidem semini, qui virili non est conceptus ex semine, liber à nexu seminatricis concupiscentiæ.*

35 Ad ista Augustini testimonia reflectant Neoterici, & videant eos à se leviter nimis *Novatores* vocari, qui censent opinionem (affirmantem parvulorum nondum natorum, sed post multa sæcula futurorum voluntates, ex pacto supradicto in Adami voluntate moraliter extitisse, dum primùm peccavit) ab Augustino alienam esse. Si enim ea in opinione Augustinus fuisset, mentionem illius tunc non omisisset, dum usus illius maximè (si unquam) necessarius ipsi erat ad refellendam Juliani objectionem, ad quam citato n. 105. respondet. Enimverò quænam illa Juliani objectio? En tibi: Cùm dixisset Augustinus, *per unius Adæ voluntatem malam, omnes in eo peccasse, quando omnes in illo unus fuerunt.* Contra hoc Julianus sic arguit: *Si omnes in illo unus fuerunt, quomodò omnes per ejus voluntatem malam peccaverunt, cùm isti omnes, quos in illo fuisse dicis, suâ potuerunt voluntate peccare?.... Habuerunt ergo parvuli voluntatem, non solùm antequam nascerentur, verùm antequam proavi eorum generarentur; & usi sunt electionis arbitrio priusquàm substantiæ eorum semina conderentur.* Quod adeò absurdum Julianus esse censebat, ut inter *commenta Orgiis & Thyrsis aptiora quàm litteris* reponeret, fuitque istud potissimum ipsius contra peccatum originale argumentum.

Numquam magis opportuna esse potuit, 36
quàm tunc, responsio Assertorum pacti memorati, quòd utique tunc voluntates futurorum physicè quidem non fuerint, dum physicè ipsi nondum existebant; fuerint tamen moraliter, antequam essent physicè, vi pacti cum Adamo iniți, quo Deus voluntates ipsorum in Adami voluntate moraliter constituit. Sed meritò Augustinus à simili responsione abstinuit. Eam quippe Julianus irrisisset, commentisque Orgiorum & Thyrsorum accensuisset; uti Dominicus Soto (profectò non Novator ipse) l. de nat. & grat. c. 10. pactum illud irridet. *Est enim fabula*, inquit. Saltem est inventio nova, quæ cùm fundata non sit in natura rei, Scripturæ vel Patrum authoritate probanda est. Nullam verò pro ea Scripturæ vel Patrum authoritatem afferunt Patroni illius, quæ mereatur attendi, prout infrà ostendemus. Nec eam ratione naturali probare possunt: cùm peccatum originale, omnium confessione, superet captum rationis nostræ, nec illud ratio naturalis assequatur, sed fides credat. Unde dum Neoterici aiunt, peccatum originale per constitutionem voluntatis parvulorum in voluntate Adami facilè explicari, constitutionem suspectam reddunt, quòd aliena sit à veritate, sicut & ab Augustini mente: utpote qui l. 1. de nupt. & concupisc. & aliis sexcentis locis dicit, quòd peccatum originale *non faculi ratione indagatur, nec sermone explicatur.*

Non videtur tamen verum quòd per consti- 37
tutionem voluntatis parvulorum in voluntate Adami facilè explicetur originale peccatum; imò per eam magis intricari obscurarique videtur, ob difficultates quas constitutio illa involvit. Nam imprimis modus legitimus explicandi peccatum originale talis esse debet, ut verum sit, peccatum istud parvulis nullo modo voluntarium esse voluntate propriâ & personali, sed alienâ Protoparentis, prout hactenùs in Ecclesia traditum fuit creditumque. At si propriæ voluntates parvulorum verè in Adami voluntate constitutæ fuerunt, dum ipse peccavit; verè tunc extiterunt, saltem moraliter. Ergo parvuli tunc verè moraliter peccaverunt voluntate propriâ, etsi non physicè, illudque Adami peccatum ipsis tunc moraliter voluntarium fuit voluntate propriâ, utpote tunc moraliter existente; quemadmodùm in casu quo matrimonium per procuratorem vel procuratores contrahitur, licèt physicè tunc non contrahatur voluntate propriâ (utpote physicè tunc aliquando non existente) moraliter tamen propriâ contrahentium voluntate

contrahitur, utpote in voluntate procuratoris
38 moraliter existente. Sed & ratio propter quam Assertores pacti cum Adamo iniri, peccatum originale explicant per constitutionem voluntatis parvulorum in voluntate Adami, id ipsum confirmat; ideò namque peccatum originale sic explicant, ut parvulis voluntarium sit intrinsecè, non extrinsecè dumtaxat: siquidem adeò certum putant, peccatum illud debere ipsis esse intrinsecè voluntarium, ut aliqui ex ipsis doceant hæreticum esse, asserere, quòd solùm sit voluntarium extrinsecè. Verùm hæresis ista fictitia est; quamvis enim peccatum originale sit parvulis intrinsecum, non ideò est ipsis intrinsecè voluntarium; nec hoc quisquam sanctorum Patrum, veterumvè Theologorum hactenùs requisivit. Nec conceptibile est quomodò peccatum originale parvulis esse queat intrinsecè voluntarium, nisi voluntarium sit voluntate propriâ & personali: utpote quæ sola parvulis est intrinseca. Igitur dum asserunt peccatum originale parvulis esse debere voluntarium intrinsecè, eo ipso asserunt ipsis esse voluntarium voluntate propriâ. Quod tamen asseri non potest.

39 Nec solam illam difficultatem, sed & aliam secum affert opinio illa, eamque vix, aut ne vix quidem extricabilem. Vix enim, aut ne vix quidem conceptibile est quomodò constitutio illa voluntatis parvulorum in voluntate Adami, in ordine ad peccandum, absque proprio & personali parvulorum consensu fieri queat. Nec videtur magis comprehensibile, quòd voluntas parvulorum, nonnisi post multa annorum millia futurorum, in primi hominis voluntate, ab ipso mundi exordio, in ordine ad peccandum, moraliter constitui, atque existere potuerit; quàm quòd parvuli illi, absque constitutione illa, ab ipso mundi exordio peccare potuerint, peccatumque deinde contrahere. Unde cùm peccatum istud non admitteremus, nisi fides cogeret; nec constitutionem illam, fide non docente, admittere debemus.

40 Enimverò vel constitutio illa, absque proprio parvulorum consensu facta, ad ipsos derivare potest originale peccatum, independenter à carnali seu seminali processione ab Adamo, vel nonnisi dependenter ab ea? Neutrum dici potest. Non primum, quia aliàs Deus, absque proprio consensu nostro, voluntates nostras in cujuscumque hominis voluntate, in ordine ad peccandum, constituere posset, istiusque hominis peccata deinde nobis ad culpam & damnationem imputare. Quod si possibile foret, nullus posset non anxiari de salute sua, quàmlibet alioqui moraliter certus se sanctè vivere. Si enim id à Deo fieri posset, unde sciri posset factum non esse? Nemo ergo scire posset, voluntatem suam in alterius hominis voluntate, in ordine ad obedientiam & inobedientiam, ac per consequens in ordine ad salutem & damnationem, sic constitutam non esse, ut ipso peccante, & pereunte, & ipse peccaret, periretque. Quem verò anxium non efficeret talis assertio?

Secundum etiam dici non potest; si enim 41
constitutio voluntatis parvulorum in voluntate Adami, ad ipsos derivare non posset originale peccatum, nisi dependenter à carnali seu seminali processione ab Adamo; nec sola carnalis ab Adamo processio ad derivationem istam sufficiens esset; nec sola constitutio voluntatis parvulorum in voluntate Adami; sed necessaria foret utriusque conjunctio. Tam verò incomprehensibile videtur, per constitutionem illam ad parvulos derivari peccatum originale, dum ei conjungitur propagatio carnalis ab Adamo, si hæc sola insufficiens sit ad derivationem peccati; quàm peccati derivationem fieri per constitutionem illam solam.

Denique vel injustitia non est in eo quòd 42
anima (licèt alioqui innocens) sine intrinseco consensu suo hodie uniatur corpori, ex vitiato Adami semine procreato, unitaque per illud vitietur, & ad ipsam originale peccatum derivetur; vel injustitia est in eo quòd voluntas istius animæ, sine intrinseco consensu suo sic constituatur in voluntate alterius, v. g. Adami, ut ipso peccante ac pereunte, & ipsa peccare perireque censeatur. Tametsi enim peccatum formale non sit in corpore, per corpus derivari potest, de factoque juxta SS. Patres derivatum est in animam. Nec ad hoc necesse est quòd corpus sit actus liber infantis: cùm sine intrinseco actu libero infantis ad ipsum derivari queat Adami peccatum; sicut sine intrinseco actu libero voluntatis, voluntas ipsius in Adami voluntate, in ordine ad contrahendum Adami peccatum, collocari potuit.

Meritò ergo ad constitutionem illam volun- 43
tatis posterorum in voluntate Adami nusquam recurrit Augustinus ad refellenda Pelagianorum contra originale peccatum argumenta. Eò certè non recurrit loco n. 34. relato, ubi maximè recurrere oportebat, si constitutionem illam Augustinus ad salvandum parvulorum voluntarium necessariam censuisset. Propter quid ergo peccatum originale ad parvulos derivatum asserit? & quo jure? *Jure* (inquit) *seminationis.* Et iterùm: *Non propter arbitrium singulorum, sed propter originem seminis, unde omnes futuri erant; secundum quam originem* (non dicit secundùm pactum constitutivum voluntatis ipsorum in voluntate Adami) *omnes in illo uno* radicaliter & seminaliter *erant, & hi omnes unus ille erant, qui in seipsis* formaliter *nulli adhuc erant.* Et attende similitudinem quâ id explicat prorsus independenter à pacto illo: *Secundùm hanc originem seminalem etiam Levi tunc decimatus ostenditur* (dum Melchisedecho Abraham decimas dedit) *non in seipso, sed in illo, in cujus fuit lumbis* (non dicit in cujus voluntate fuit voluntas ipsius) & quamvis Levi tunc *nec voluit nec noluit decimari, quoniam nulla ejus* tunc *voluntas erat, quando secundùm substantiam suam nec ipse adhuc erat; tamen secundùm rationem seminis non mendaciter.... dictum est, quòd ibi fuit, & decimatus*

est. Solum Christum *ab hac decimatione filiorum Abrahæ* excipit; non quia voluntas ipsius constituta non fuit in voluntate Abrahæ, cùm nec voluntas Levi, nec aliorum Abrahæ filiorum in Abrahæ voluntate constituta fuerit; sed quia licèt *sit etiam ipse secundùm carnem semen Abrahæ (eò quòd Virgo Maria, de qua carnem sumpsit, ex ipso semine propagata est) non tamen est obnoxius eidem semini, qui virili non est conceptus ex semine, liber à nexu seminatricis concupiscentiæ.*

44 Eâdem ratione l. 2. de peccat. merit. c. 25. l. 1. de nupt. & concupisc. c. 12. & 24. l. 2. contra Julian. c. 4. & l. 5. c. 15. probat Christum originale non contraxisse peccatum, sicut & Leo Magnus serm. 3. de Nativit. dicens: *Solus inter filios hominum Dominus Jesus innocens natus est, quia solus sine carnalis concupiscentiæ pollutione conceptus.* Unio itaque humanitatis cum Verbo non est ratio hujus proximæ, sed remota dumtaxat.

45 Indubitata ergo Patrum sententia est, peccatum originale per concupiscentiam seu seminalem generationem (quæ sine concupiscentia naturaliter non fit) ab Adamo in posteros derivari. Siquidem Adam *occultâ tabe carnalis concupiscentiæ suæ tabefecit in se omnes de sua stirpe venientes*, inquit Augustinus l. 1. de peccat. merit. c. 9. *Hac concupiscentia* (inquit l. 1. de nupt. & concupisc. c. 23.) .... *peccati vinculum generatione trajicit in posteros.*

46 Et ideò l. de spir. & lit. c. 15. dicit, quòd peccatum originale contrahitur per carnem, per eamque animæ refunditur: *Habent parvuli originale, non per animam, sed per carnem utique contractum, animæque refusum.* Quia scilicet anima *contagio ejus obruitur, cùm membris corporis inseritur.* L. 10. in Genes. c. 16. Idque Spiritus sanctus insinuat Job. 14. cùm dicit: *Quis potest facere mundum de immundo concepium semine?* quia hoc dicendo, immunditiam hominis provenire dicit ex immunditia seminis.

47 Nec refert quòd peccatum originale, seu ejus culpa, non sit in semine. Quia, ut S. Thomas ait q. 81. a. 1. ad 3. *etsi culpa non sit actu in semine, est tamen ibi virtute humana natura, quam concomitatur talis culpa.* Addit verò a. 2. *Sicut originalis justitia tradicta fuisset in posteros simul cum natura; ita etiam inordinatio ei opposita.* Per quid? Respondet art. 4. *Per seminalem rationem*, quia *peccatum originale à primo parente traducitur in posteros.... per virtutem activam in generatione.* Et quænam est ista virtus activa? *Ratio seminalis nihil aliud est quam virtus activa in generatione.* Propterea ergo *in semine corporali est peccatum originale sicut in causa instrumentali* (ait q. 83. a. 1.) eò quòd per virtutem activam seminis traducitur *peccatum originale in prolem simul cum natura humana. Sicut* enim *originalis justitia tradicta fuisset in posteros simul cum natura* (ait q. 81. a. 2.) *ita etiam inordinatio ei opposita.* Quia verò carnalis generatio per virtutem seu motionem seminis naturaliter non fit sine concupiscentia, seu libidine; ideò q. 82. a. 4. ad 3. dicit, quòd *libido transmittit peccatum originale in prolem.* Et q. 4. de malo, *concupiscentia, secundùm quod est in patre, est causa originalis peccati*, quatenùs scilicet per eam fit decisio seminis, per cujus activam virtutem natura communicatur humana per peccatum primi parentis vitiata, justitiâque originali spoliata ut suprà. Nam quia justitiam originalem primus homo pro tota posteritate sua acceperat per generationem seminalem traducendam, dum eam, peccando, sibi, totique perdidit posteritati, istius justitiæ defectus *eo modo traducitur in posteros, quomodò traducitur humana natura.* q. 4. de malo a. 1.

48 Itaque primus homo peccando naturam infecit, vitiavit, maculavit humanam (quæ tota originaliter & radicaliter in ipso continebatur) & quia ista est natura quæ per seminalem generationem communicatur, natura infecta per generationem communicata inficit personam ejus cui communicatur. Et hoc est quod pulchrè declarat S. Anselmus l. de conceptu virgin. c. 22. dicens: *In Adam erat natura, extra quem de illa nihil erat. Est nudata justitiâ quam habebat, & eâ semper (nisi adjuta) careret. Hâc ratione, quia natura subsistit in personis, & personæ non sunt sine natura, fecit natura personas infantium peccatrices. Sic spoliavit persona naturam bono justitiæ in Adam; & natura, egens facta, omnes personas, quas ipsa de se procreat, eâdem egestate peccatrices & injustas facit.*

49 Similiter S. Bonaventura Breviloquii cap. 6. *Modus traductionis culpæ originalis videtur esse talis: quia licèt anima non fit ex traduce, originalis tamen culpa ab anima Adæ transit ad animas posterorum, mediante carne per concupiscentiam generatâ; ita quòd sicut ab anima peccante infecta fuit caro Adæ, & prona facta ad libidinem; sic caro per libidinem seminata, & secum trahens affectionem vitiosam, inficit & vitiat animam. Quæ quidem infectio vitiosa in anima non tantùm est pœna, sed etiam culpa. Et sic persona corrumpit naturam, & natura corrupta corrumpit personam, salvâ in omnibus divinâ justitiâ, cui nullo modo potest imputari infectio animæ, licèt eam creando infundat, & infundendo uniat cum carne infecta.*

50 Sed quærit V. Beda l. variar. qq. q. 14. *quare animæ originale peccatum imputatur, cùm nova & munda à Deo procreetur?* Respondet, quia *ipsa corpori in eadem persona unitur, & ab eo hac consuetudine & unione corrumpitur. Ut siquis bonum semen in terram mittat, & posteà non fructum bonum, terræ commixtione, sed zizania referat.*

CAPUT V.

Traductio peccati originalis naturaliter fit, non liberè & voluntariè libertate & voluntate posterorum; tametsi non fiat nisi dependen-

ter à libertate & voluntate Protoparentis.

51 SEquitur ex dictis præcedenti capite. Fit enim per seminalem generationem, quæ naturalis est, non voluntaria nec libera iis qui generantur. Fit (ait Augustinus l. 2. op. imperf. contra Julian. num. 177.) eo modo quo traductio podagræ à patre in filios: *Siquis intemperantiâ sibi podagram faciat, eamque transmittat in filios, quod sæpè contingit, nonne rectè dicitur in eos illud vitium de parente transfivisse, ipsos quoque hoc in parente feciſſe, quoniam quando ipse fecit, in illo fuerunt, ac sic ipsi atque ille adhuc unus fuerunt? Fecerunt ergo, non actione hominum, sed ratione jam seminum. Quod ergo aliquoties invenitur in corporis membris, hoc in illo illius primi Genitoris antiquo magnoque peccato, quo natura humana universa vitiata est, factum esse noverat, qui.... dicebat, per unum hominem peccatum intravit in hunc mundum.... & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Fit proinde naturaliter, uti declarat l. 13. de Civit. Dei c. 20. *Pro magnitudine quippe culpæ illius naturam damnatio mutavit in pejus, ut quod pœnaliter præcesſit in hominibus primis, etiam naturaliter sequeretur in nascentibus cæteris.* Unde S. Anselmus loco citato c. 7. *In Adam omnes peccavimus, quando ille peccavit; non quia tunc peccavimus ipsi* (quia nondum eramus) *sed quia de illo futuri eramus. Et tunc facta est illi necessitas, ut, cùm essemus, peccaremus: quia per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi.* Et S. Thomas q. 81. a. 1. *Inordinatio quæ est in isto homine ex Adam generato, non est voluntaria voluntate ipsius, sed voluntate primi parentis, qui movet motione generationis omnes qui ex ejus origine derivantur; sicut voluntas animæ movet omnia membra ad actum.... Et sicut peccatum actuale, quod per membrum aliquod committitur, non est peccatum illius membri, nisi in quantum illud membrum est aliquid ipsius hominis, propter quod vocatur peccatum humanum; ita peccatum originale non est peccatum hujus personæ, nisi in quantum hæc persona recipit naturam à primo parente. Unde & vocatur peccatum naturæ, secundùm illud Ephes. 2. Eramus naturâ filii iræ.* Nec solo illo loco peccatum originale esse dicit *peccatum naturæ*, actuale verò *peccatum personæ*, sed & 1. p. q. 100. a. 1. 1. 2. q. 80. a. 1. q. 82. a. 1. ad 2. 3. p. q. 8. a. 5. ad 1. &c. Quia scilicet est voluntarium voluntate Adami tantùm 1. 2. q. 81. a. 1. q. 82. a. 1. ad 2. 2. 2. q. 108. a. 4. 3. p. q. 84. a. 2. ad 3. ubi sic: *Peccatum originale non est nostrâ voluntate commissum, nisi fortè in quantum voluntas Adæ reputatur nostra, secundùm modum loquendi, quo Apostolus dicit Rom. 5. in quo omnes peccaverunt*, pro quanto scilicet tota natura humana, secundùm seminalem rationem, erat in lumbis ejus, sicut Levi in lumbis Abrahæ, & sic omnes eramus in Adam tamquam primo principio generationis humanæ, sicut multa membra sunt in uno corpore, uti cum S. Augustino, S. Anselmo, & aliis Patribus, explicat S. Thomas q. 81. a. 1. & 3. Unde Reverendissimus D. Paschalis, Motulanensis Episcopus, hâc membrorum similitudine, à S. Thoma mutuatâ, in Concilio Tridentino optimè explicavit modum, quo infantes, libertatis & rationis expertes, sine motu propriæ voluntatis peccatum originale contrahunt; quemadmodùm enim membra nostra, tametsi libertatis ac rationis expertia, verè dicuntur delictum ex eo patrare, quòd ad opus divinâ lege prohibitum moventur ab imperante animi facultate; non aliter dicti infantes, etiamsi de se nihil voluntariè commiserint, verè tamen dicuntur in Adamo peccasse, quatenùs is qui naturam humanam in sua fœcunditate integrè continebat, suaque in electione bonum malumque illius naturæ statum continebat, effecit per voluntarium delictum, ut universa sui generis posteritas cum originali illa macula atque perversione nasceretur, naturam ab ipso contaminatam per generationem accipiendo, à naturaque in personas maculam consequenter derivando. Justitiam quippe originalem (in cujus privatione macula illa consistit) eo ferè modo Deus Adamo concesserat, quo Rex oppidum alicui subdito hâc lege concessisset, ut illud tam ipse quàm ipsius posteri beneficiario jure, velut hæreditario, possiderent, dummodò à fide Principis non descisceret; ubi verò descisceret, oppidi possessione universa cum ipso progenies spoliaretur. Quo casu (ipso descisscente) progenies justè conqueri non posset, spoliatam se esse oppidi illius possessione: cùm Regi potiùs gratias agere deberet, quòd ob factam primo parenti suo liberalem oppidi donationem, posteros omnes hæreditariæ illius ditionis capaces, & quasi jus ad rem sub dicta conditione habentes reddidisset. Sic peccati propagationem Tridentino in Concilio explicatam fuisse narrat Pallavicinus l. 7. Histor. Trid. c. 8. num. 5. 52

Sed difficultas est 1°. quomodò à parentibus, ab originali peccato per baptismum mundatis, peccatum originale per carnalem generationem in filios traducatur? 2°. quomodò sine actu libero voluntatis parvulorum: cùm peccatum omne esse debeat voluntarium? 53

Ad primam difficultatem respondet Augustinus serm. 174. de verb. Apost. hoc ideò esse quia parentes baptismo mundati sunt spiritu, sed filios *generant carne, non spiritu.* Ex eo proinde quod regenerati sunt non generant, &, ut ait l. 2. de peccat. merit. c. 27. *non ex primitiis novitatis*, quâ renovati sunt, *sed ex reliquiis vetustatis* (concupiscentiâ utique, quam justi cum justitia sua retinent) *carnaliter gignunt.* Et ideò *filii ex patrum vetustate toti vetusti, & in peccati carne propagati*, ad evadendam damnationem indigent *Sacramento spiritualis regenerationis.*

Ad secundam difficultatem, Assertores pa- 54

cti

cti (de quo suprà) respondent, peccatum originale parvulis quidem non esse voluntarium voluntate propriâ, physicè existente; esse tamen ipsis voluntarium voluntate propriâ, seu ipsis intrinsecâ, moraliter existente: utpote per pactum illud in Adami voluntate moraliter constitutâ. Verùm istud est paradoxum in Theologia Sanctorum, imò & in Ecclesia Dei, in qua hactenùs creditum est peccatum originale parvulis voluntarium non esse voluntate propriâ, sed alienâ. Unde nullibi Augustinus, vel quisquam alius SS. Patrum, dicit, parvulos in Adam fuisse secundùm voluntates suas, sed *secundùm propaginem carnis, tamquam in radice ibi eramus*, ait Augustinus serm. 294. *secundùm rationem seminis, secundùm originem seminis*, ut suprà num. 34. *in Adami natura illa insita, in qua eos gignere poterat.* L. 3. de peccat. merit. c. 7. Sicut *Levi* fuit *in lumbis Abrahæ.* L. 4. op. imperf. contra Julian. n. 104.

CAPUT VI.

Satisfit objectionibus Neotericorum existimantium, peccatum originale absque pacto suprà dicto explicari non posse.

55 OBjicies 1°. pactum illud constare ex Genes. 17. ubi dicitur: *Masculus cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illius de populo suo, quia pactum meum irritum fecit.* Quod pactum? Non circumcisionis, quam si parvulus non susceperit, nulla culpa est ipsius, sed majorum, *qui eum circumcidere non curarunt*, inquit Augustinus l. 16. de Civit. c. 17. ubi propterea per pactum illud, quod ipse *testamentum* vocat, illud intelligit, quod factum est ad hominem primum: *Etiam parvuli, non secundùm vitæ suæ proprietatem, sed secundùm communem generis humani originem, omnes in illo uno testamentum Dei dissipaverunt, in quo omnes peccaverunt.... Testamentum autem primum, quod factum est ad hominem primum, profectò illud est: quâ die ederitis, morte moriemini.*

56 Mirum est viros acutissimos in ista Augustini expositione non animadvertisse, vanam esse suam objectionem: utpote quam Augustinus manifestè solvit, *pactum* illud, seu *testamentum*, exponendo, non de pacto, quo Deus posterorum voluntates in Adami voluntate constituerit (pactum quippe istud per Adæ peccatum irritatum seu dissipatum non fuit, sed impletâ conditione potiùs stabilitum & completum) sed de præcepto Dei *facto ad hominem primum... quâ die ederitis, morte moriemini*; idque juxta usitatam S. Scripturæ phrasim, secundùm quam pactum seu testamentum Dei dissipare, nihil aliud est nisi transgredi legem vel præceptum Dei (cujus observatoribus vitam Deus promisit æternam) uti videre licet Exodi 19. & 31. Levitici 26. &c.

57 Objicies 2°. illud Oseæ 6. *Ipsi sicut Adam transgressi sunt pactum meum, ibi prævaricati sunt in me.* Super quo Hieronymus: *Imitati sunt Adam: ut quod ille in Paradiso fecerat, pactum meum, legemque prætereins, isti in terra facerent.*

Vana pariter objectio: quia etiam per pactum Hieronymus intelligit legem suprà dictam, uti significat ista conjunctio, *pactum legemque*; vox namque posterior prioris est explicatio. Et quo fundamento commentitiam conventionem suam Adversarii intelligunt, cùm nullo Scripturæ testimonio per *pactum* intelligi demonstretur, nec de ea à Patribus exponatur?

Objicies 3°. Ideò *per unum hominem peccatum intravit in mundum, & in omnes homines pertransiit*, quia omnes transgressi sunt pactum, seu præceptum, *in quacumque hora comederis, morte morieris.* 58

Nec ista objectio umbram habet soliditatis. Concedo namque totum. Quid inde? Nihil. Non enim dicit Apostolus, nec Augustinus, aut Basilius, nec quisquam ex Patribus, omnes ideò præceptum istud transgressos, quia voluntas omnium in Adami constituta erat voluntate. Aliam rationem propter quam omnes in Adam transgressi sunt præceptum illud, Augustinus adfert serm. 294. quia *secundùm propaginem carnis in illo eramus omnes, antequam nati essemus, tamquam in parente, tamquam in radice ibi eramus.* Apostolus (inquit l. 4. op. imperf. in Julian. n. 104.) dicit, *in quo omnes peccaverunt.... non propter arbitrium singulorum, sed propter originem seminis, secundùm quam originem omnes in illo eramus.*

Objicies 4°. Augustinus l. 3. de peccat. merit. c. 7. dicit: *Omnes in Adam tunc peccaverunt, quando in ejus natura illa insita, in qua eos gignere poterat, omnes ille unus fuerunt.* Ergo omnium hominum voluntas moraliter fuit in voluntate Adami. 59

Prorsus nulla est consequentia. Neque enim Augustinus dicit omnes in Adam fuisse secundùm voluntatem (imò id negat loco proximè relato) sed secundùm naturam. Nihil ergo consideratione dignum, pro suo illo pacto, ex Scriptura, nihil ex Patribus habent Neoterici. Quòd nihil etiam à ratione, sequentium objectionum solutio manifestabit.

Objicies ergo 5°. Naturam peccati originalis sic explicare debemus, ut peccatum istud parvulis sit aliquo modo voluntarium (cùm hoc sit de ratione omnis peccati.) Sed si voluntas ipsorum in Adami voluntate constituta non fuerit, non apparet quomodò peccatum originale sit vel fuerit ipsis voluntarium. 60

Nego subsumptum, quia peccatum originale parvulis esse non debet voluntarium voluntate propriâ, & intrinsecâ, sed extrinsecâ & alienâ, uti suprà ostendimus ex Augustino, qui & illud ipsum confirmat l. 6. contra Julian. c. 9. ubi ad istud Juliani argumentum: *Quomodò peccatum personæ illi justè possit adscribi, quæ nec voluit peccare, nec potuit*, propriâ scilicet voluntate? Respondet: *Aliud est*

perpetratio propriorum (ad quam propria requiritur voluntas) *aliud alienorum contagio peccatorum* (ad quam voluntas sufficit aliena) .... *Audi Apostolum hoc breviter explicantem, qui unum dixit fuisse, in quo omnes peccaverunt*, quia secundùm rationem seminis in illo uno omnes unus fuerunt. Cùmque instaret Julianus : *Qui fieri potest, ut res arbitrii conditioni seminum misceatur?* Respondet : *Si fieri non posset, non esset unde parvulos, nondum de corpore egressos, mortuos diceremus.... Quid à me quaeris, quo sit factum modo, cùm videas factum esse quocumque modo, si Apostolo credas aliquo modo, qui de Christo, & de his pro quibus mortuus est Christus, mentiri potuit nullo*
61 *modo.* Et l. 4. op. imperf. in Julian. n. 104. dicit, omnes in Adam peccasse, sicut Levi decimatus est in Abraham, in cujus lumbis erat, ut Apostolus dicit Hebr. 7. licèt voluntas Levi in Abrahami voluntate constituta non fuerit. Quo exemplo sic insurgit in Julianum : *Huic* (Apostolo utique) *calumniare cæcâ loquacitate, & dic, si audes : Cùm pater Abraham voluntate suâ decimatus fuerit, quomodò potuit per illius voluntatem sibi extrinsecam decimari, hoc est decimas dare Levi, cujus voluntas nulla erat, quia omnino ipse nondum erat? Eâ ratione quippe, vel potiùs hoc errore* (nota benè) *dicis & notis : Cùm primus homo voluntate peccaverit, quomodò potuerunt per ejus voluntatem simul in illo peccare, qui suam nondum habebant, quia per substantiam suam nulli adhuc erant? Imò desine vana garrire, & omnes qui, nondum nati, nihil per proprias voluntates agere poterant boni, vel mali, in uno potuisse peccare, in quo per rationem seminis erant, quando ille propriâ voluntate peccatum illud grande peccavit, naturamque in se vitiavit, mutavit, obnoxiavit* (*excepto uno homine, qui ex ipso quidem semine, non tamen seminali ratione procreatus est*) *si potes, intellige; si non potes, crede.*

62 Objicies 6°. Omnes authoritates, quas proferimus, aliud non evincunt, quàm quod physicè & denominatione physicè intrinsecâ non peccaverimus in Adam, quando ipse actu peccavit, & nos physicè non eramus; non verò quòd moraliter, & denominatione moraliter intrinsecâ tunc non peccaverimus, quando moraliter eramus, & voluntas nostra moraliter actu, & non moraliter potestate dumtaxat, erat in voluntate Adami. Aliàs in Adamo solùm peccavissemus potestate, seu possibiliter; cùm tamen Scriptura, Concilia & Patres non dicant : *in quo omnes peccare potuerunt*; sed, *in quo omnes peccaverunt.*

Respondeo allatas authoritates prorsus evincere, nos in Adamo non peccasse voluntate nostrâ intrinsecâ, seu actuali & personali, sive physicâ, sive morali, sed voluntate Adami personis nostris extrinsecâ dumtaxat, sicut Levi in Abrahamo decimatus non fuit voluntate suâ intrinsecâ, sive physicâ, sive morali, sed Abrahami dumtaxat sibi personaliter considerato extrinsecâ. Omnes nihilominùs verè peccavimus in Adam, sicut Levi verè decimatus est in Abraham (utrumque enim testatur Apostolus, & verum est testimonium ejus.) Sed quia in Adam non peccavimus peccato actuali, sed originali dumtaxat, nec peccato personæ, sed naturæ; ad hoc necessaria non fuit voluntas nostra actualis & personalis, sive physica, sive moralis; sed originalis dumtaxat, sive Adami ut originis & primi principii totius naturæ, uti sanctos Doctores vidimus asserere.

Objicies 7°. Peccatum originale *inest unicuique proprium.* Tridentinum sess. 5. can. 3. 63
Igitur est unicuique voluntarium voluntate intrinsecâ seu propriâ.

Negant consequentiam Patres omnes, negat & mundus totus. Quia ideò inest unicuique proprium, quia inest unicuique propria concupiscentia cum privatione debitæ justitiæ originalis (*peccatum* quippe *originale, in hoc homine, vel illo, nihil aliud est quàm concupiscentia cum carentia justitiæ originalis*, ait S. Thomas q. 4. de malo a. 2.) quæ cùm insit unicuique propria, tamquam peccatum originale, non actuale, tamquam peccatum naturæ, non personæ, ad id non requiritur voluntas propria, sed originis & principii totius naturæ, ut dictum est.

Objicies 8°. Nulla est ratio, quare primum 64
Adæ peccatum ad nos transferatur, potiùs quàm cætera ipsius peccata, vel etiam peccata proximorum parentum nostrorum, nisi quia voluntates nostræ in Adami voluntate constitutæ fuerunt in ordine ad primum peccatum, non in ordine ad reliqua, nec constitutæ fuerunt in voluntate proximorum parentum nostrorum.

Nego antecedens. Ratio namque est quia illud solum peccatum ad nos traducitur, per quod deperditum est donum justitiæ originalis, Adamo pro tota natura humana concessum, prout communis est sensus fidelium; justitia verò originalis per solum primum peccatum ipsius deperdita fuit, non per alia; nec per proximorum parentum peccata : utpote qui sicut ad nos transmittere non potuerunt originalem justitiam (quam nunquam habuerunt, nec Adam habuit post primum peccatum) ita nec illius privationem.

Objicies 9°. Peccatum originale, quod *inest* 65
unicuique proprium, non est actuale, sed habituale. Atqui peccatum habituale, parvulis non inesset, nisi in Adamo moraliter actu peccavissent. Cùm peccatum habituale proprium, vel sit ipsum actuale proprium moraliter perseverans, vel effectus ipsius.

Respondeo peccatum originale, quod inest unicuique proprium, esse quidem habituale, non tamen causatum à propria voluntate actuali seu personali parvulorum, etiam morali, sed ab eorum voluntate originali, sive à voluntate originis ac principii naturæ quam à primo parente acceperunt, debitâ justitiâ originali, sive debitâ ad Deum subjectione privatam,

tàm, & ideò naturam acceperunt à Deo aversam & peccatricem; in qua aversione peccatum originale formaliter consistit, & non in privatione aliorum bonorum, quibus privant pœnalitates, quæ in Christi, & B. Virginis humanitate fuerunt; & ideò ipsæ non fuerunt peccatum, licèt fuerint effectus peccati primi parentis.

66 Objicies 10°. Actus voluntatis Adæ ita est præteritus, ut nec physicè nec moraliter ampliùs sit, utpote per Adæ pœnitentiam retractatus. Ergo peccatum originale hodie dici nequit parvulis voluntarium actu illo voluntatis Adami. Solùm proinde dici potest voluntarium actu voluntatis parvulorum moraliter existente in voluntate Adami. Argumentum istud (sicut & præcedentia) nimis probat, ducitque ad præcipitium, ad negandum utique cum Pelagianis originale peccatum. Unde nego consequentiam. Si enim peccatum originale hodie censeri nequeat voluntarium actu voluntatis Adami, eò quòd actus voluntatis Adami hodie nec physicè nec moraliter ampliùs sit; nec censeri poterit voluntarium actu voluntatis parvulorum, moraliter existente in voluntate Adami: utpote moraliter etiam ampliùs non existente in voluntate Adami. Eò quòd constitutum existere non possit in eo in quo erat constitutum, si id in quo constitutum erat ampliùs non sit, nec physicè nec moraliter. Aliàs existeret in nihilo. Actus itaque, quo Adam transgredi voluit Dei præceptum, adhuc moraliter existit in effectu, quem in tota causavit natura humana, concupiscentiâ utique, seu conversione ipsius ad bonum commutabile, aversioneque à bono incommutabili, seu privatione debitæ justitiæ originalis, ut suprà. Et sic cessat objectio. Peccatum namque originale trahunt sine voluntate nascentes, etsi peccatum illud exordium non sumpserit sine voluntate primi hominis, de quo est origo humani generis. Quia voluntate primi hominis factum ad posteros sine voluntate transit per contagium, ut Augustinus dicit in locis suprà relatis. Sicui hoc videatur difficile conceptu, non mirum: cùm Augustinus testetur peccato originali *nihil esse ad intelligendum secretius.* Unde lib. 1. de nupt. & concupisc. c. 19. sic loquitur: *Quod dimissum est in parente trahitur in prolem miris quidem modis, sed tamen fit.* Et ser. 294. c. 7. aliàs 14. de verb. Apost. *Ego istam quæstionem profundam sentio, & ad ejus fundum rimandum vires meas idoneas non agnosco. Libet me & hîc exclamare, quod Paulus: ô altitudo divitiarum! parvulus non baptizatus pergit in damnationem (Apostoli enim verba sunt:* „ ex uno in condemnationem „) *non satis invenio dignam causam: quia non invenio, non quia non est. Ubi ergo non invenio in profundo profundum* (fortè *fundum*) *attendere debeo humanam infirmitatem, non damnare divinam authoritatem.*

Cùm igitur hîc agatur de materia, quam non solùm comprehendere non potest humana ratio, imò quam justitiæ contrariam existimaret, nisi fides ipsam corrigeret, rationabiliter hîc exigi non potest hoc naturali lumine manifestum fieri. Satis proinde esse debet id utcumque declarari per similitudines suprà allatas, quas experientia utcumque confirmat, cùm docet, quòd parentum inclinationes filiis communicentur, ita ut dum eorum anima unitur corpori quod à parentibus accipiunt, affectus concipiant similes affectibus animæ parentum à quibus procreantur. Quod esse non posset, nisi parentum affectiones corpori & parentum, & filiorum certas imprimerent dispositiones, similibus deinde affectionibus animam inficientes. Concipiamus ergo Adamum, cùm primùm peccavit, tanto impetu se in creaturarum amorem præcipitasse, ut non suam dumtaxat animam, sed & corpus suum vitiaverit, in eo imprimendo vestigia pravæ suæ ad creaturas affectionis, seipsumque reddidisse incapacem seminaliter generandi filios nisi similiter vitiatos, & habitualiter affectos; habitualiter proinde à Deo aversos, & ad creaturam conversos. Dum enim Deus creavit primum hominem, animam ipsius spiritualem uniendo corpori materiali, & volendo ut omnes homines ex ipso nascerentur, duplici hâc lege creavit, 1ª. ut corpora infantium similia essent corporibus parentum, & similiter affecta, nisi ordinem illum causa extranea immutaret. 2ª. ut anima unita corpori, affectiones & inclinationes haberet correspondentes impressionibus corporis sui. Hoc suppositio utcumque intelligitur, quòd infantium animæ per habitualem à Deo aversionem, & dominantem creaturarum amorem corrumpantur, dum corpori similibus impressionibus corrupto uniuntur.

Non dicant ergo Neoterici: quâ justitiâ in- 68
nocens anima corpori vitiato unitur, unitaque vitiatur, & peccatum originale contrahit sine actu libero voluntatis suæ? Ista quippe est objectio Pelagianorum, ducens in præcipitium. Discant à SS. Patribus actum liberum propriæ voluntatis solùm requiri ad peccatum actuale, non ad originale. Unde Augustinus citato serm. 294. ait, infantes trahere reatum originalis *peccati de vita prima, non sua, sed primi parentis.* L. 4. op. imperf. contra Julian. n. 95. *Sine propria nascentis voluntate trahitur originale peccatum.* N. 98. *Hoc peccatum, quod sine voluntate esse non potest, hæret sine voluntate nascentibus; hæret per contagium, non per arbitrium.* N. 99. *Sine voluntate illius, à quo est origo nascentium, non est factum originale peccatum; potuit autem ad alios per contagium sine voluntate transire, quod non potuit ab illo sine voluntate committi.* Et l. 5. n. 40. *Originale peccatum etsi trahunt sine propria voluntate nascentes; tamen per voluntatem primi hominis ipsa est origo vitiata.* S. Gregorius l. 9. Moral. ad ista verba Job: *Multiplicabit vulnera mea, etiam sine causa*; similiter dicit, quòd *perpetua tormenta percipiunt, qui nihil ex propria voluntate peccaverunt.... Illos districtus*

Judex in æternum percutit, quos reatus arbitrii non addicit. S. Prudentius l. de prædestinat. c. 16. *Extra baptismi gratiam morientes, non suo, sed Protoplasti peccato perpetuâ plectione damnantur.* 69 Non credunt hoc Pelagiani, ex quorum persona quindecim Episcoporum Byzacenorum, in Sardinia exulum, Synodus, in libello de incarn. & grat. c. 14. obmurmurationes istæ referuntur: *Quæ justitia est, ut imago Dei, quæ nihil potuit per seipsam delinquere, si non redimatur sanguine Filii Dei, in regnum Dei non permittatur intrare? .... Quâ justitiâ Deus justus infantibus sine peccato nascentibus ingerit pœnam, in quibus pœnæ non invenit causam?* Et c. 30. *Quomodò sine baptismate mortuos æternis cruciatibus damnat, cùm in eis nullam culpam malæ voluntatis inveniat?* Respondent: *Nonne istos inimicos gratiæ Dei, nec defensores humani, sed deceptores arbitrii, ad hoc sua perversitas cogit, ut Deum putent iniquum in omnium obitu parvulorum, ubi, nullâ interveniente vel bonitate vel malitiâ propriæ voluntatis, alios vident regno, alios interminabili deputatos incendio?*

70 Hæc Synodi nomine S. Fulgentius scripsit. Suo verò ipse nomine l. de fide ad Petrum quadraginta recensens capita *ad veram fidem firmissimè pertinentia, fideliter credenda, fortiter tenenda, veraciter patienterque defendenda*, cap. 26. seu Reg. 14. sic loquitur: *Firmissimè tene, & nullatenus dubites.... parvulos, qui.... sine Sacramento sacri baptismatis.... de hoc sæculo transeunt, ignis æterni sempiterno supplicio puniendos. Quia etsi propriæ actionis peccatum nullum habuerunt, originalis tamen peccati damnationem carnali conceptione & nativitate traxerunt.*

71 Infinita ejusmodi Sanctorum testimonia proferri queunt. Sed ista sufficiunt sincero veritatis potiùs quàm præconceptæ opinionis Amatori. Neque enim sic glossari possunt, quasi SS. Patres solùm velint, peccatum originale parvulis voluntarium non esse physicè voluntate propriâ, secùs moraliter. Tum quia simpliciter negant, originale peccatum parvulis esse voluntarium voluntate propriâ. Negatio verò simpliciter prolata, cùm sit malignantis naturæ, negat per omnem modum. Tum quia si sic Patres intellexissent, uno saltem loco id significassent. Verùm ubique simpliciter, & absque ullâ seu restrictione seu distinctione, negant peccatum originale parvulis esse voluntarium propriâ voluntate. Negat etiam id S. Thomas locis suprà relatis, asserens peccatum originale parvulis esse voluntarium voluntate Adami tantùm. Glossa proinde illa Neotericorum prorsus voluntaria est, atque fictitia; nullo per consequens modo recipienda. Quia nihil certi ex doctrina SS. Patrum erui posset, si ejusmodi glossis dogmata ipsorum eludere fas esset.

72 Objicies 11°. Plurium voluntates sic possunt moraliter unius voluntati alligari, ut quidquid unus iste voluerit, vel fecerit, & ipsi velle facereque censeantur. Id enim contingit, quando plures uni eidemque voluntates suas committunt, v. g. ad aliquid emendum; sicut & dum per procuratorem matrimonium contrahitur. Respublica etiam minorum voluntates Turorum alligat voluntatibus, &c. Igitur potuit à fortiori Deus posterorum voluntates Adæ voluntati sic alligare, in ordine ad quemcumque effectum, ut quidquid Adam voluisset, & ipsi voluisse censerentur. Cùm jure supremi dominii magis habeat in sua potestate voluntates nostras, quàm nos ipsi.

Respondeo 1°. plures posse quidem voluntates suas unius alligare voluntati in ordine ad emendum, vel matrimonium contrahendum, sed prudenter id non posse in ordine ad peccandum. 2°. nec id Rempublicam posse, sed in ordine ad effectus quosdam civiles dumtaxat. Tametsi enim Respublica quosdam legum transgressores mulctare queat pœnâ infamiæ v. g. ad filios ipsorum traducendâ; non sic tamen, ut parentum culpa filiis imputetur, nec proinde sic ut filii infamiam istam portent tamquam pœnam peccati sui, sed tamquam pœnam peccati paterni, vel tamquam infortunium suum. 3°. an Deus jure supremi dominii sui, posterorum nondum existentium voluntates, in ordine ad peccandum, constituere potuerit in Adami voluntate, sic ut ipso voluntate suâ peccante, & ipsi propriâ voluntate moraliter existente peccare censerentur, ambiguum est, ob rationes hinc inde occurrentes. 4°. quòd id possit, 73 nec Scriptura docet, nec Patres; dato tamen, non concesso quòd possit, non sequitur quòd fecerit. Cùm à potentia non sequatur ad actum, vixque aut ne vix quidem concipere valeamus, quomodò sit factum (ob dicta num 40. & seqq.) inconceptibilia verò ejusmodi non oportet nos extendere ultra id quod fides docet; maximè cùm sancti Patres id fecisse negent locis suprà relatis, & Scriptura nullibi fecisse doceat, ne quidem Rom. 5. cùm dicit, *in quo omnes peccaverunt.* Id enim SS. Patres unanimiter negant fecisse propriâ voluntate, etiam moraliter dumtaxat existente. Tridentinum autem sess. 4. *ad coërcenda petulantia ingenia, decernit, ut nemo.... contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari audeat.*

CAPUT VII.

Solutio aliquot difficultatum præcedentibus affinium.

EX dictis colligitur 1°. contra modernos 74 hæreticos, filios parentum justorum nasci in peccato originali. Ob rationem num. 53. allegatam. Quam Augustinus l. 6. contra Julian. c. 6. variis illustrat similitudinibus. Prima est hominis videntis, qui plerùmque filium gignit cæcum. Secunda tritici, nam *purgatur à palea triticum, sicut homo à peccato;*

& tamen inda cum palea nascetur alterum. Tertia oleæ, ex cujus semine gignitur oleaster.

75 Sed contra hæreticos firmiorem habemus ex Scriptura probationem : siquidem David natus est ex parentibus fidelibus, & in quibus nihil Scriptura reprehendit ; fatetur tamen Ps. 50. se natum cum peccato originali : *Ecce* (inquit) *in iniquitatibus conceptus sum.*

76 Similiter Apostolus Ephes. 2. *Eramus naturâ filii iræ, sicut & cæteri* ; ubi de se, & Judæis, tametsi natis de gente Prophetarum & Patriarcharum, loquitur, quos inter aliqui haud dubiè nati erant de parentibus justis. De ipsis tamen, sicut de Gentilibus, generaliter pronuntiat, *Eramus naturâ filii iræ*, &c.

77 Respondent hæretici vocabulum græcum correspondens voci *naturâ*, non solùm significare nativitatem, sed etiam idem significare quod *prorsus*. Hanc quippe evasionem meritò explodit Augustinus l. 6. contra Julian. ex hoc quòd suo tempore vix inventus fuerit Codex antiquus, in quo non haberetur *naturâ*, prout modò. Unde infert 1°. sic benè versum fuisse ex græco. 2°. Ecclesiam à primis sæculis sic intellexisse, versionemque istam retinuisse, atque ex ea deduxisse omnes, etiam filios justorum, nasci in peccato originali.

78 Duo tamen Scripturæ testimonia objiciunt hæretici. Istud utique ex Rom. 11. *Si delibatio sancta, & massa ; & si radix sancta, & rami.* Et istud ex 1. Cor. 7. *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem. Alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt.*

79 Sed frustrà, priori namque loco Apostolus solùm vult descendentes ex parentibus sanctis (sicut Judæi descendebant ex Patriarchis) ex hoc ipso destinatos & obligatos esse ad sanctitatem ; non quòd de facto sancti essent. Aliàs sibi contrarius esset Apostolus, tum in locis quæ ex ipso protulimus, tum Rom. 7. ubi loquens de Jacob & Esaü, natis ex parentibus sanctis, dicit quòd *Esaü Deus odio habuerit, antequam quidquam mali fecisset.* Ipsum verò Deus odio non habuit ratione reprobationis, independenter à peccato originali. Cùm prædestinatio & reprobatio hominum supponat prævisionem peccati originalis, prout ostendimus to. 1. de Deo.

80 Nec posteriori loco Apostolus vult filios eo ipso nasci formaliter justos & sanctos, quo nascuntur ex parentibus justis & sanctis, sicut non vult virum infidelem eo ipso formaliter esse sanctum, quo mulierem habet fidelem. Solùm ergo vult filios esse sanctos debito & obligatione imitandi parentes sanctos, vel sanctos eo modo quo patrem vel matrem sanctificari dicit per conjugem fidelem, occasionaliter utique, quatenùs occasione, exemplis & exhortationibus ipsius frequenter adducitur ad fidem & sanctitatem.

81 Colligitur 2°. quòd etiamsi in generatione prolis *virtute divinâ nulla inordinata libido sentiretur*, adhuc in prolem sic genitam *transmitteretur peccatum originale.* Ita S. Thomas q. 83. a. 4. quia libido per quam transmittitur peccatum originale, non est libido actualis, sed habitualis, inquit S. Doctor ad 3. Siquis verò miraculosè nasceretur non ex viri semine, sed v. g. ex viri femore, peccatum originale non contraheret ; nec illud contraxit Ludovicus Roceëtus anno 1530. in pago de Ulasloo, propè Dixmudam, Flandriæ Oppidum, ex femore viri miraculosè natus, ut fidem facit lapis sepulchralis ipsius, quem se vidisse testatur Bertrandus Loth, Ord. Prædicat. S. Th. Doctor tr. 15. de casibus Belgicis. Iste, inquam, peccatum originale non contraxit, nec natus est filius iræ, nec damnationi obnoxius. Quia ex semine Adam non propagatus, sive per generationem seminalem. Dicit autem Tridentinum sess. 6. can. 3. quòd homines, *nisi ex semine Adæ nascerentur, non nascerentur injusti.* Dicit etiam S. Thomas q. 81. a. 4. quòd *illi soli peccatum originale contrahunt, qui ab Adam descendunt per virtutem activam in generatione ab Adam derivatam ; quod est secundùm rationem seminalem ab eo descendere. Nam ratio seminalis nihil aliud est quàm vis activa in generatione. Si autem aliquis formaretur virtute divinâ ex carne humana, manifestum est quòd vis activa non derivaretur ab Adam.* Unde ad 3. dicit quòd talis *fuisset in Adam secundùm corpulentam substantiam, sed non secundùm rationem seminalem. Et ideò non contraheret originale peccatum.*

82 Debuit nihilominùs baptizari ; tum ut fieret Christi & Ecclesiæ membrum, capaxque reliquorum Sacramentorum : tum ut justificaretur, salvaretúrque. Tametsi enim natus sine peccato originali, natus equidem sine justitia originali. Et illi etiam qui in utero matris sanctificarentur, baptizari deberent, ut Ecclesiæ incorporarentur, & idonei fierent ad reliqua Sacramenta. Quam ob causam vel ipsa Deipara, licèt immunis à peccato originali, à Christo baptizata fuit, ut tradit Euthymius in cap. 3. Joan.

83 Si quæras, quomodò natus sine justitia originali, si natus sine peccato originali, quod in privatione justitiæ originalis formaliter consistit ? Respondeo, ideò esse quia peccatum originale non consistit in privatione justitiæ originalis utcumque, sed in privatione justitiæ originalis debitæ. Justitia verò originalis communicari non debuit, nisi per generationem naturalem ex semine Adam. Et ideò Ludovicus ille natus est obnoxius quidem concupiscentiæ, sed non sic rebelli, ut non potuisset eam Deo & rationi subjicere. Quia, ut S. Thomas ait q. 82. a. 3. ad 1. *in tantum concupiscere est homini naturale, in quantum est secundùm rationis ordinem. Concupiscentia autem, quæ transcendit limites rationis, inest homini contra naturam ; & talis est concupiscentia originalis peccati.*

84 Et hinc Thomas de Lemos in Panoplia gra-

tiæ to. 1. tr. 1. c. 4. rectè docet, talem quidem à Deo creari posse hominem, qualis hodie nascitur, id est mortalem, originalique justitiâ carentem (cujus oppositum Bajus malè docuit, quia proposit. 21. censuit, quòd *humanæ naturæ exaltatio in consortium divinæ naturæ debita fuit integritati primæ conditionis; ac proinde naturalis dicenda est, non supernaturalis.* Et proposit. 78. *Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio*) sed non talem, qui sine ulla culpa sua, originali, vel actuali, tales pateretur concupiscentiæ motus, quibus non posset resistere: nisi tale ei Deus provideret adjutorium saltem naturalis ordinis, quo posset secundùm rationem vivere, partemque inferiorem per superiorem refrænare, & sic peccatum vitare. Aliàs Deus in illo statu impossibilia præciperet. Quod asseri nullo modo potest.

85 Colligitur 3°. ex proximè dictis, concupiscentiam hominis miraculosè nati, ex femore viri v. g., esse sine reatu: quia nec provenit ex culpa primi parentis, nec ex culpa propria (ut suppono) nec transcendit limites rationis, nec debitæ ad Deum subjectionis; nec proinde conjunctam habet aversionem à Deo, sicut concupiscentia hominis in originali peccato nati. Et ideò est sine peccato.

86 Colligitur 4°. prorsus improbandam esse novam opinionem Cardinalis Sfondrati in Nodo prædestinationis dissoluto pag. 48. peccatum originale constituentis in privatione juris ad regnum cæleste: *Adamo infeliciter peccante, tota quoque posteritas, quippe ex patre rebelli nata, omni jure ad cæleste regnum spoliata est, quod peccatum originale vocamus.*

Dispunctor notarum 40. in propositiones ex Nodo illo excerptas, conatur quidem propositionem illam excusare, quasi privatio juris ad cæleste regnum idem sit quod privatio justitiæ originalis, in qua formale peccati originalis, S. Anselmus, S. Thomas, S. Bonaventura & Doctores communissimè constituunt, & nos suprà constituimus. Verùm neque sancti illi Doctores, neque nos, neque Doctores communissimè illud constituunt in privatione justitiæ originalis, prout dicit privationem gratiæ sanctificantis, vel juris ad cæli regnum, sed prout dicit privationem debitæ subjectionis ad Deum, ut constat ex dictis n. 12. 14. 16. & 17. Enimverò privatio gratiæ sanctificantis, & juris ad cælum, non habet rationem culpæ propriè dictæ (prout habet peccatum originale, juxta Tridentinum sess. 5.) sed pœnæ dumtaxat, uti Bellarminus advertit l. 5. de amiss. grat. c. 19. Unde Augustinus l. 1. de peccat. merit. c. 30. peccatum originale clarè distinguit à privatione juris ad regnum Dei, *Nunquam explicant* (Pelagiani) quâ justitiâ, nullum peccatum habens *imago Dei, separetur à regno Dei.... aut unde imago Dei non intrat in regnum Dei, nisi impedimento prohibente* peccati? L. 6. contra Julian. c. 10. *Si nihil meruissent mali, nunquam privarentur communione tanti boni.* Et l. 2. op. imperf. contra eundem n. 103. *Qui estis, qui tot imagines Dei separatis à regno Dei, sine ullius peccati merito?*

Colligitur 5°. non magis probandam alteram ejusdem Cardinalis propositionem, quâ pag. 98. asserit, *illum qui solo originali tenetur, dici non posse Deum deserere.* Peccavit namque in Adam, & verè in Deum peccavit, peccato per quod factus est Dei inimicus, à Deoque aversus. Verè ergo in Adam Deum deseruit. 87

Aliæ hîc quæstiones agitari solent. Prima, quid si Adam primò solum commisisset peccatum superbiæ, nec venisset ad esum fructûs vetiti? Secunda, quid si Adam non peccante, sola Eva peccasset? Tertia, quid si, nec Adam, nec Evâ peccante, aliquis filiorum peccasset, &c. an filii ipsius peccatum originale contraxissent? 88

Cùm quæstiones istæ parvæ, si ullius, sint utilitatis, ad primam breviter respondeo, quòd adhuc isto casu justitiam originalem sibi & nobis amisisset. Rebellasset namque Deo per superbiam, licèt internam dumtaxat. Verisimiliter proinde pars inferior ipsius, in istius rebellionis pœnam, adversus superiorem rebellasset, à Deoque desertus fuisset, qui Deum priùs deseruisset.

Nec refert quòd comminatio Dei specialiter annexa fuit comestioni fructûs vetiti. Hoc enim ideò factum, ut palpabiliter innotesceret peccatum ipsius, ad quod Adamum ex superbia processurum Deus præviderat. 89

Ad secundam quæstionem sanctus Thomas q. 4. de malo a. 7. ad 4. respondet, filios ex Eva non contracturos originale peccatum, videturque id conformius expressionibus Scripturæ & Patrum. Res tamen incerta est. 90

Ad tertiam S. Thomas in 2. dist. 33. q. 1. a. 1. ad 3. & q. de malo a. 8. necnon q. 5. a. 4. ad 8. respondet affirmativè. Verùm hoc prorsus etiam incertum est: cùm pro neutra parte quidquam convincens proferri queat, nec improbabile sit Adamo non peccante, nec filios peccaturos. 91

CAPUT VIII.

Tametsi de fide non sit Beatissimam Virginem primo suæ conceptionis instanti sanctificatam fuisse, à peccatoque originali per merita Filii sui præservatam; sententia tamen id asserens prorsus est tenenda.

92 Assertio ista à nobis Carmelitis toto corde est amplectenda, tamquam Deiparæ (cujus speciali titulo Fratres appellamur) & unigeniti Filii ipsius honori consulens, ejusdem Filii merita exaltans, & Ecclesiæ Catholicæ sensum continens. Meritò proinde semper in Ordine nostro fuit propugnata, ut testis est Velasquez de Maria immaculatè con-

cepta l. 4. dissert. 9. adnot. 1. n. 9. Eidemque Ordini nostro congratulatur P. Petrus de Opeda in sua Informat. pro immacul. Concept. fundam. 1. quòd à duobus millibus, quingentis & ampliùs annis, traditionis in Carmelo de immaculata Dei genitricis Conceptione testimonium proferre possit. Siquidem Joannes Hierosolymitanus Patriarcha XLIV. in lib. de Instit. primorum Monachorum (quem ipsius esse demonstrat Petrus Wastelius in Vindiciis suis) c. 39. scribit, immaculatæ Conceptionis mysterium S. P. N. Eliæ Prophetæ revelatum fuisse sub figura nubeculæ ascendentis è mari, & ab eodem Propheta, *non palàm omnibus, sed secretè suis consortibus* prædictum. *A quibus id traditum tenemus*, ait idem Joannes, qui quarto floruit sæculo. Et ita agnoscunt Salazar, Paulus Zamora, Ludovicus à Ponte, &c. Et Salazar quidem in Proverb. c. 42. argum. 12. *Absit* (inquit) *ut ego gloriam istam Carmelitanis Patribus invideam, ut & dictum Joannem inter suos Protoparentes numerent, & tam nobile, tamque antiquum pro immaculata Virginis Conceptione testimonium inter suæ Religionis ditissimas gazas ostentent.*

93 Non mirum proinde quòd traditionem illam secuti Scriptores omnes Ordinis pro immaculata Virginis Conceptione semper steterint, nimirum S. Cyrillus Alexandrinus l. 6. in Joan. c. 15. (dicens, *solo Christo, & beatissimâ ejus Matre exceptâ, omnes in peccato nascimur*) Joannes Hierosol. Patriarcha XLIV. Hugo de S. Neoto, Joannes de Bachone, S. Petrus Thomas, Patriarcha Constantinopolitanus, Guilielmus de S. Fide, Bernardus Olensis, Ordinis Generalis, Michaël de Bononia, Thomas Waldensis, Philippus Kersberius, F. Martini, Philippus Albertus de Nussia, Godefridus Candelarius, Joannes Paleonydorus, Corneio, Lezana, Sylveira, Bonæ-Spei, & alii quos ferè sine numero referunt P. Mathias à S. Joanne 4. p. Histor. Panegerit. & P. de Sylva in militia pro immaculata Conceptione. Quos inter F. Martini in libro de immac. Concept. tr. 5. veritatem hanc centum probat argumentis. Quibus Lezana in Apologia pro immac. Concept. superaddit Patres omnium sæculorum, sententiasque plurium Conciliorum, & sexdecim Romanorum Pontificum in idem conspirantes exhibet Bonæ-Spei in libro, cui titulus: *Magni Prophetæ Eliæ visio de immaculata Conceptione.* Sancta etiam Maria Magdalena de Pazzis l. 7. divinarum intelligentiarum c. 29. testatur se Mariam sine macula conceptam Verbo revelante cognovisse.

94 Non mirum etiam quòd Scriptores vetustissimi fidem faciunt, festum immaculatæ Conceptionis, à tempore cujus initium omnem hominum memoriam longè præcedit, in Ordine nostro celebratum fuisse, velut præcipuum Ordinis Festum, maxima cum pompa, Cardinaliumque, ac totius ferè Romanæ Curiæ concursu, tam Avenione, quam Romæ. Nam Richardus Radulphus, Archiepiscopus Armachanus, & Hiberniæ Primas, in sermone coram Cœtu Cardinalium habito anno 1342. Avenione (ubi tunc erat Pontifex) ipso Conceptionis festo sic ait: *An non meritò dicimus illi ave, quæ sic erat illustrata virtutibus in origine? Utique hanc illustrationem in suo ortu hic sanctus ac peculiaris & antiquus Ordo suus Carmelitarum prætendit in habitu, qui hoc festum ipsius singulariter solemnizat, candorem habitûs sui, ut existimo, prudenter & devotè ad hoc factum dirigens.* Hunc ipsius sermonem refert & commendat Thomas Waldensis to. 3. de Sacramentalib. tit. 9. c. 89.

Baconius in 4. dist. 2. q. 4. a. 3. *Publicâ &* 95
diuturnâ consuetudine celebratum est hoc festum in Curia Romana, etiam cum venerabili Congregatione DD. Cardinalium, cum solemni Missa, & Sermone, singulis annis, in domo Fratrum Ordinis B. Mariæ de Carmelo, & hæc duraverunt tempore multorum Romanorum Pontificum, usque in præsens tempus. Ita ille qui obiit anno 1346.

Joannes Hildesheim in lib. de princip. Ord. 96
FF. gloriosæ Dei genitricis Mariæ contra detractores c. 14. *Reverendissimi Domini Cardinales à multis temporibus consueverunt in Romana Curia visitare Conventum nostrum in festo Conceptionis, sicut venerari consueverunt B. Dominicum in ipsius festo, & S. Franciscum in suo*, &c.

Arnoldus Bostius (qui obiit sub finem sæ- 97
culi XV.) in l. de patronatu B. V. c. 13. *Ut multo laudum præconio efferendus Joannes de Seghoia, Præsul Cæsariensis, testis est, à tempore cujus initium hominum memoriam longè præcedit, Reverendissimi DD. Cardinales, & tota ferè Romana Curia, ubicumque resederit, si ibi sit Carmelitarum (peculiarium Mariæ filiorum, & Fratrum) Cœnobium, solemniter conveniunt. Fit ad Clerum sermo mysterii sanctæ & singulariter admirandæ Conceptionis Mariæ... Celebratur quoque Missa festiviore ritu, communiter per aliquem Antistitem, & ut devotio confluentium reddatur augmentatior, Sanctissimus Pater Apostolicus convenientibus dat amplas indulgentias.*

Cùm igitur hæreditaria Ordinis erga imma- 98
culatam Deiparæ Conceptionem devotio non patiatur eam à nobis silentio præteriri, dicimus, asserimus, & constanter tenemus, piè credendum, Deiparam absque peccato originali fuisse conceptam, meritòque huic assertioni, tamquam magis piæ, non solùm cunctos Religiosos Ordines, uno solo excepto, cunctasque Academias adhærere, sed & omnes penè fideles in eam conspirare.

Unde in Concilio Basileensi sess. 36. circa 99
annum 1439. determinatum est, quòd ea *approbanda, tenenda & amplectenda esset*, tamquam *pia, & consona cultui Ecclesiastico, fidei Catholicæ, rectæ rationi, & sacræ Scripturæ.* Licèt autem determinatio ista finem contro-

versiæ non imposuerit (quia Concilium istud sufficientis tunc authoritatis non fuit, utpote revocatum, Ferrariamque translatum ab Eugenio IV.) plurimùm tamen facit ad ostendendum, quantùm in eam sententiam propensa tunc fuerit Ecclesia; neque enim ad eam determinationem Basileenses alioqui venissent; uti nec Synodus Avenionensis, quæ determinationem istam iteravit, confirmavitque. In Generali etiam Congregatione Concilii Tridentini supra duas tertias partes in ea verba consenserunt: *Quam piè creditur absque peccato originali fuisse conceptam*, uti legere est apud Pallavicinum Hist. Conc. Trid. l. 7. c. 7. n. 3. Et Concilium ipsum Tridentinum sess. 5. solemni Decreto declaravit, *non esse suæ intentionis, comprehendere in hoc Decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam & immaculatam Mariam Dei genitricem.* Denique Dei Matrem absque peccato originali conceptam fuisse, usque adeò persuasi sunt fideles, ut contraria opinio publicè sustineri nequeat absque eorum scandalo. Ideòque Paulus V. anno 1617. editâ Bullâ prohibuit, ne in ipsismet disputationibus Academicis, aut aliis similibus Actibus opinio illa sustineretur, eò quòd inde scandala oriebantur. Propter quam etiam rationem Gregorius XV. anno 1622. sub pœnis & censuris in Constitutionibus Decessorum suorum expressis prohibuit, ne quis in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus, aut aliis quibuscumque Actibus publicis assereret, beatissimam Virginem cum peccato originali conceptam esse, & ne piam opinionem asserentes, contrariam opinionem in iisdem concionibus impugnent, nec de ea mentionem faciant. Imò ne in privatis etiam colloquiis scriptisque quispiam audeat asserere quòd beatissima Virgo concepta fuerit cum originali peccato, iis exceptis quibus id ab Apostolica Sede concessum fuerit.

100 Cùmque post hæc omnia ingentia adhuc scandala hac de re exorta forent in Hispania, Alexander VII. anno 1662. ad instantiam Regis Catholici, omniumque ferè Episcoporum istius Regni, Constitutionem edidit, quæ incipit, *sollicitudo omnium Ecclesiarum*, in qua licèt quæstionem istam non definiat, immaculatæ nihilominùs Dei genitricis Conceptioni apertiùs favet quàm omnes sui Decessores. Primò namque declarat, *veterem esse Christi fidelium erga ejus beatissimam Matrem Virginem Mariam pietatem, sententium, ejus animam in primo instanti creationis, atque infusionis in corpus, fuisse speciali Dei gratiâ & privilegio, intuitu meritorum Jesu Christi, ejus Filii, humani generis Redemptoris, a macula peccati originalis præservatam, immunem, atque in hoc sensu ejus Conceptionis festivitatem solemni ritu colentium, & celebrantium, atque in hujusmodi cultûs commendationem editas à Sixto IV. Apostolicas Constitutiones, quas sacrum Concilium Tridentinum innovavit, atque observari præcepit.*

Secundò *auctam rursus ac propagatam fuisse* 101
pietatem hanc, & cultum erga Deiparam, post erecta hoc nomine, approbantibus Romanis Pontificibus, Religiosum Ordinem, & Confraternitates, ac concessas ab iisdem indulgentias, ita ut accedentibus quoque plerisque celebrioribus Academiis ad hanc sententiam, jam fermè omnes Catholici eam amplectantur.

Tertiò declarat, quòd *ob exorta ex occasio-* 102
ne contrariæ assertionis, in concionibus, lectionibus, conclusionibus, & actibus publicis, in populo Christiano, cum magna Dei offensa, scandala, jurgia & dissensiones.... Paulus V.... vetuit horum opinionem, præfata sententia contrariam, publicè doceri ac prædicari. Quam prohibitionem.... Gregorius XV.... ad privata etiam colloquia extendit, mandans insuper in favorem ejusdem sententiæ, ut in sacrosanctæ Missæ sacrificio, ac divino Officio celebrandis, tam publicè, quàm privatim, non alio quam Conceptionis nomine uti quicumque debeant.

Quartò, quòd *sancta Romana Ecclesia de in-* 103
temeratæ semper Virginis Mariæ Conceptione festum celebrat, & speciale ac proprium super hoc Officium olim ordinavit, juxta piam, devotam ac laudabilem institutionem, quæ à Sixto IV.... tunc emanavit.

Quintò, se velle *laudabili huic pietati, &* 104
devottoni, & festo, ac cultui secundùm illam exhibito in Ecclesia Romanâ, post ipsius cultûs institutionem nunquam immutato.... Prædecessorum suorum exemplo favere, *necnon tueri pietatem & devotionem hanc colendi & celebrandi beatissimam Virginem, præveniente scilicet Spiritûs sancti gratiâ, à peccato originali præservatam.*

Sextò, *se innovare Constitutiones & Decreta* 105
à.... Sixto IV. Paulo V. & Gregorio XV. edita in favorem sententiæ asserentis, animam beatæ Virginis, in sui creatione, & in corpus infusione, Spiritûs sancti gratiâ donatam, & à peccato originali præservatam fuisse, necnon & in favorem festi, & cultûs Conceptioni ejusdem Virginis Deiparæ secundùm piam istam sententiam exhibiti.

Septimò, omnibus & singulis sub pœnis & 106
censuris in Constitutionibus Sixti IV. contentis, necnon privationis vocis & loci, facultatisque concionandi & docendi, perpetuæque inhabilitatis ad munia ista, prohibet Constitutiones illas, seu Decreta, *sic interpretari, ut favorem per illas dictæ sententiæ, & festo, seu cultui secundùm illam exhibito frustrentur, vel hanc eamdem sententiam, festum, seu cultum in disputationem revocare, aut contra ea quocumque modo, directè vel indirectè, sub quovis prætextu, scripto seu voce loqui, tractare, disputare,* &c.

Probatur itaque beatissimæ Virginis Mariæ 107
Conceptio immaculata 1°. ex eo quòd sit Mater Dei, *ad hoc solùm effecta* (ut inquit Idiota) *ut esset Templum Altissimi.* Ex hoc beatissima Virgo habet non solùm affinitatem, sed & consanguinitatem & concorporationem

cum Deo, & quandam infinitatem ex Filio: quia ut benè Albertus Magnus Marial. c. 230. *Filius infinitat Matris bonitatem; omnis enim arbor ex fructu cognoscitur.* Unde in hoc verbo, *de qua natus est Jesus*, omnium elogiorum ipsius epitomen Matthæus cap. 1. complexus est. Quia ex excellentia Filii excellentia Matris potest intelligi, ait Gregorius Magnus in l. 1. Reg. Et S. Petrus Damiani dicit. orat. 2. de B. V. *Christi & Mariæ gloria non tam communis, quàm eadem est.* Atqui gloria Christi exigebat, ut sanctissima Mater sua eâ puritate & immunitate à peccato niteret, ut nunquam filia iræ, nunquam maledicta, nunquam diaboli mancipium & domicilium fuisset: maledictio enim Matris redundasset in Filium, juxta illud: *Maledictio matris eradicat fundamenta. Et non est filio gloria, ejus confusio. Gloria enim hominis ex honore patris sui*, vel matris, *& dedecus filii pater*, vel mater *sine honore.* Eccli. 3.

108 2°. ex Cantic. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te*: sacer namque hic textus, est Spiritûs sancti ad Deiparam Sponsam suam epithalamium, litteraliterque de ipsa Deipara Virgine accipitur. Cùm in eo fundetur articulus fidei, vel fidei proximus, de immunitate utique ipsius ab omni peccato actuali, etiam veniali (quem articulum teste Tridentino sess. 6. can. 23. tenet Ecclesia, quæ in fide errare non potest) neque enim pro immunitate Virginis ab omni veniali habetur sacer textus expressior, in eoque eam fundat S. Thomas 3. p. q. 27. a. 4. Atqui omnis sacer textus in quo fundatur fidei articulus, vel fidei proximus, articulum illum continere debet in sensu litterali, uti docet S. Thomas 1. p. q. 1. a. 10. ad 1. In sensu verò litterali sacer ille textus pari efficaciâ removet à Virgine Deipara maculam originalem, quàm actualem; omnem quippe maculam à Deipara removet universaliter & absolutè: tam ergo efficaciter removet originalem, quàm removet actualem: cùm macula originalis tam verè ac propriè macula sit, quàm actualis, verè proinde Spiritus sanctus non diceret universaliter & absolutè, *macula non est in te*, si in ea foret macula originalis. Nam dicendo universaliter & absolutè, macula non est in te, perinde est, ac si diceret, nulla macula est in te. Quod falsum est, si aliqua in ea macula sit, originalis utique.

109 3°. ex communi Ecclesiæ sensu, & consuetudine solemniter colendi immaculatam Deiparæ Virginis Conceptionem, seu immunitatem à peccato originali, in festo Conceptionis ipsius: isto namque sensu Conceptionem ipsius ab Ecclesia coli, atque ad honorem ejusdem, eodem sensu, Regularem Ordinem institutum esse, fidem irrefragabilem facit Bulla supradicta Alexandri VII. *sollicitudo omnium Ecclesiarum.* Atqui maximam habet authoritatem Ecclesiæ sensus & consuetudo, quæ semper est in omnibus æmulanda: quia & ipsa doctrina Catholicorum Doctorum ab Ecclesia authoritatem habet. Unde magis standum est authoritati Ecclesiæ, quàm authoritati vel Augustini, vel Hieronymi, vel cujuscumque Doctoris. S. Thomas 2. 2. q. 10. a. 12.

4°. iisdem prorsus argumentis, quibus 110
idem S. Doctor 3. p. q. 27. a. 1. probat Dei Matrem in utero sanctificatam fuisse, & nunquam actu peccasse, etiam venialiter. Prius enim in argum. *sed contrà*, probat ex eo quòd Ecclesia celebrat Nativitatem B. Virginis, quam non celebraret, nisi sancta esset. Atqui celebrat etiam Conceptionem B. Virginis, tamquam sanctam. Ergo B. Virgo sanctificata fuit in sua Conceptione, sive primo instanti ipsius. In corpore verò idipsum probat, quia rationabiliter creditur quòd illa quæ genuit unigenitum à Patre, plenum gratiæ & veritatis, præ omnibus aliis majora gratiæ privilegia acceperit. Unde, ut legitur Luc. 1. Angelus ei dixit: *Ave gratiâ plena.* Invenimus autem quibusdam aliis hoc privilegiatè esse concessum, ut in utero sanctificarentur. Atqui similiter invenimus quibusdam esse gratiosè concessum ut in primo ortu suo sanctificarentur, sicùt Angelis & primo homini. Posterius autem in argum. *sed contrà*, probat ex 111
Augustino l. de nat. & grat. c. 36. dicente: *exceptâ sanctâ* Virgine Mariâ, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cùm *de peccatis agitur, habere volo quæstionem. Inde enim scimus, quòd ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum.* Qui profectò locus æquè probat immunitatem sanctæ Mariæ Virginis ab originali, quàm ab omni actuali: cùm eo loco totus desudet Augustinus, in oppugnanda Pelagianorum hæresi, homines ab originali eximentium, multosque etiam ab omni actuali; contra quos Augustinus ibidem demonstrat omnes utrique peccatorum generi subjacere, exceptâ sanctâ Virgine Mariâ.

In corpore verò immunitatem ipsius ab om- 112
ni actuali sic probat: *Dicendum quòd illos quos Deus ad aliquid eligit, ita præparat & disponit, ut ad id ad quod eliguntur, inveniantur idonei, secundùm illud 2. Cor. 3.* " Idoneos nos " fecit Ministros Novi Testamenti. " *Beata autem Virgo fuit electa divinitùs ut esset Mater Dei; & ideò non est dubitandum quin Deus per suam gratiam eam ad hoc idoneam reddidit, secundùm quod Angelus ad eam dicit:* " Inveni- " sti gratiam apud Deum, ecce concipies, &c. *Non autem fuisset idonea Mater Dei, si peccasset aliquando peccato actuali.* Similiter dico ego, nec si peccasset aliquando peccato originali. Hoc enim pari efficaciâ probant rationes sequentes S. Doctoris: *Tum quia honor parentum redundat in prolem, secundùm illud Prov. 17.* " gloria filiorum patres eorum. " *Unde & per oppositum ignominia matris* (quæ major fuisset ex peccato originali, quàm ex ve-

niali actuali) *ad filium redundasset. Tum etiam quia singularem affinitatem habuit ad Christum, qui ab ea carnem accepit: dicitur autem 2. Cor. 6.* „ quæ conventio Christi ad Belial? „ *Tum etiam quia singulari modo Dei filius, qui est Dei sapientia, in ipsa habitavit, non solum in anima, sed etiam in utero. Dicitur autem Sap. 1.* „ In malevolam animam non introibit sapientia, „ nec habitabit in corpore subdito peccatis. „ Et ideò sicut simpliciter fatendum est, quòd beata Virgo nullum actuale peccatum commisit, nec mortale, nec veniale, ut sic in ea impleatur quod dicitur Cant. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te*; ita simpliciter fatendum, quòd nullum originale contraxit.

113 Instauratur argumentum istud: vel rationes istæ efficaciter non probant immunitatem beatissimæ Virginis ab omni peccato actuali, etiam veniali; vel efficaciter probant immunitatem ipsius à peccato originali. Si enim hoc ipso desiisset esse idonea Mater Dei, quòd aliquando contraxisset vel minimum peccatum actuale veniale; multò magis hoc ipso quòd aliquando contraxisset originale, quod Deo longè magis displicet, quàm minimum veniale; istud enim (ut suprà dixi) non constituit iræ filium, Dei inimicum, à Deo aversum, mancipium diaboli, prædam inferni, uti constituit peccatum originale. Si ergo tantilla labecula peccati venialis redundasset in filium, quantò magis ignominiosissima labes peccati originalis? Si dignum Dei, seu divinæ sapientiæ habitaculum non fuisset, hoc ipso quòd aliquando commisisset peccatum veniale; multò minùs si aliquando contraxisset mortale, quale est originale. Incarnatæ proinde Dei sapientiæ longè magis odiosum, quàm actuale veniale. Si denique singularis affinitas inter Matrem & Dei Filium, ab ipso excludere debuit omnem conventionem cum Belial, etiam non excludentem amicitiam cum Deo; longè magis omnem conventionem amicitiam illam excludentem, prout excludit originale peccatum. Vel si hanc excludere non debuit; profectò nec illam. Vel igitur argumenta sancti Doctoris nostram seu piam comprobant assertionem, vel non probant suam.

114 5°. si ex eo quòd sanctissima Virgo Maria sit Deipara, S. Epiphanius orat. in laudem ipsius rectè infert, quòd *gratia S. Virginis est immensa, quodque solo excepto Deo superior existit, naturâ formosior ipsis Cherubim, Seraphim, & omni exercitu Angelorum.* S. Ephrem Syrus orat. de Maria: *sublimior Cœlitibus, honoratior Cherubim, sanctior Seraphim, & incomparabiliter reliquis omnibus supremis exercitibus glorioſior, omnium Sanctorum corona, ob immensum fulgorem atque splendorem inaccessa.* Gregorius Nicomediensis: *pulcherrima omnium pulchritudinum pulchritudo, & pulchrorum omnium summum ornamentum.* S. Petrus Damianus serm. de nativit. *Attende Seraphim, & videbis quidquid majus est, esse minus Virgine, solumque opificem opus istud supergredi.* Idiota de contempl. Virg. *Sanctorum omnium privilegia ô Virgo habes, omnia in te congesta, nemo æqualis est tibi, nemo major nisi Deus.* Augustinus serm. de nativit. *Si formam Dei te appellem, digna existis.* Andræas Cretensis orat. 2. de Assumpt. *Maria divini Archetypi imago rectè descripta, & divinorum attributorum epitome.* S. Anselmus l. de conceptu Virgin. c. 18. *Decens erat ut eâ puritate, quâ major sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret.* Rectè etiam infertur, ipsam semper in gratia fuisse, nunquam in peccato; semper in lumine, nunquam in tenebris; semper immaculatam, nunquam maculatam fuisse. Aliàs quoad hoc, omnibus etiam Cherubim & Seraphim, solo Deo excepto, superior non esset; nec istud sanctorum Angelorum privilegium haberet; nec eâ puritate niteret, quâ major sub Deo intelligi nequiret, &c.

Atqui (estque sextum argumentum) S. 115
Hieronymus in Psal. 77. ait Deiparam *nunquam fuisse in tenebris, sed semper in luce.* S. Chrysostomus in Liturgia sua Ecclesiam inducit Mariam vocantem *sanctissimam, intemeratam, ac supra cunctos benedictam.* Et rursum Hieronymus apud Contensonum in Marialogia pag. mihi 769. *Quidquid in Maria gestum est, fuit opus gratiæ.* Sophronius serm. de Assumpt. *Quidquid in Maria gestum est, totum puritas, & simplicitas, totum gratia & veritas fuit, totum misericordia & justitia*, &c. Laurentius Justinianus l. de castit. conn. c. 9. *Quidquid honoris, quidquid dignitatis, quidquid meriti, quidquid gratiæ, quidquid est gloriæ, totum fuit in Maria.* S. Bernardinus conc. 61. Excepto Christo, *tanta Virgini data est gratia, quantam uni puræ creaturæ dari esset possibile.*

7°. in Mariæ Conceptione natura gratiam 116
non præcessit, sed quodammodò expectavit. Concepta namque fuit ex parentibus sterilibus, pluſquàm sexagenariis, ut infœcundam se solam natura ostenderet ad Dei Matrem producendam, & ut ad maximum miraculum via per miraculum sterneretur, inquit Damascenus. Quo etiam sensu *non de terra* (inquit Idiota) *sed de cælo vas sibi hoc, per quod descenderet, Christus elegit.* Et *inter omnia opera æterni artificis, post operationem illam, quâ naturæ nostræ unitus est Filius tuus, speciale opus fuisti, ô Maria.* Et ita quidem speciale, ut ad genua tua procidens S. Ildephonsus, *procido* (inquit) *ante Te, solum opus Incarnationis.* Quomodò solum opus Incarnationis? Quia si non esset Verbum caro factum, nec esset Maria, utpote quæ (ut rursus Idiota contemplatur) *ad hoc solum effecta est, ut esset Templum Altissimi.* Enimverò, *si non esset Deus caro, quorsum Maria in mundum producta est?* ait S. Ephrem. Itaque *Dei Filius sibi eam, quasi mundum specialissimum creavit..... Non enim suiipsius causâ progenita est, sed ut Orbis universi administram se præberet* (ait Damascenus)

ordine

ordine scilicet reparationis, sive (ut Idiota) *ut quod de primo opificio fuerat deformatum, reformaretur. Hic enim summus Opifex primò considerabit Angelicam naturam, quæ in parte ceciderat, & humanam, quæ corrupta erat.... sed ad hæc omnia fecit Te*, Virgo Maria *sanctissima, ut ex tuo benedicto fructu Angelica natura repararetur, humana renovaretur*; sese igitur divinis in decretis inseparabiliter concomitantur Jesus & Maria, semper ibi Jesus, ut Mariæ Filius, semper ut Mater Jesu, Maria. Ideò ergo *fundamenta ejus in montibus sanctis, diligit Dominus* portas Sion super *omnia tabernacula Jacob.* Fundamenta domûs, *initium illius, portæque Civitatis, initium Civitatis*, ait Gilbertus Abbas. Conceptio ergo Mariæ ibi significatur, sicut & Apocal. 21. ubi Joannes describit fundamenta sanctæ Civitatis de cælo descendentis, velut omni lapide pretioso ornata. Civitas namque ista Virgo est, ut innuit Bernardus serm. 27. in Cant. Congruè quidem, quia beatissima Virgo Maria de cælo descendit, in quantum Conceptionem ipsius gratia cælestis operata est, ut suprà Sancti dicunt. Unde Eccli. 1. *creavit illam in Spiritu sancto.* Ideò ergo *Mariam ex omnibus generationibus solam elegit gratia.* Gregorius Neocesarienſis orat. 1. de Annuntiat. Ideò à Cypriano *vas totius electionis* dicitur. A Damasceno & Bernardo, *negotium omnium sæculorum.* Ab Andræa Hierosolym. *scopus ante sæcula excogitatus.* Ab Augustino, *æterni Consilii opus.* Ab Ambrosio, *initium operum supernaturalium Dei.* Quia Dominus redempturus mundum, operationem suam inchoavit à Matre, ut per quam salus omnibus parabatur, prima fructum salutis hauriret ex pignore. Ideò etiam à SS. Patribus *primogenita Redemptoris* appellatur, ab aliis *unica filia Redemptoris.* Quia scilicet unica est specialissimo & perfectissimo modo redempta, ut infrà. Ideò denique sacri Interpretes, & Ecclesia in festo Conceptionis, ipsi applicat illud Proverb. 8. *Dominus possedit me in initio viarum suarum.* Quia Conceptio Virginis fuit initium operum Dei circa redemptionem hominum; initium proinde operum supernaturalium. Quid ergo mirum, si etiam à SS. Patribus abyssus gratiæ, *abyssus miraculorum* nuncupetur, & à Hieremia c. 17. *solium gloriæ Dei:* quia sicut sedes ornata, ac regio more parata, sedentis magnificentiam ac majestatem indicat; ita Deus in beata Virgine *ostensurus erat gloriam suam & claritatem*, ait Petrus Galatinus l. 7. de arcan. cathol. verit. Dei autem gloriam & claritatem convenienter non indicasset, si aliquando offuscata fuisset tenebris & ignominiâ peccati originalis.

117 8°. illa nostra assertio decet dignitatem Dei Matris, nec derogat dignitati Filii, cùm non propterea desinat esse Redemptor ipsius, ut proximè videbitur. Imò quidquid de Maria dicimus, si laudem sapit Virginis, eo ipso laudem sapit & Filii Virginis; eò quòd Christi & Mariæ laus & gloria non tam communis sit, quàm eadem, uti suprà ex Petro Damiano, Bernardo & Fulberto diximus. Rationabiliter ergo immunitatem à peccato originali Mariæ tribuimus per gratiam, quam Filius habet per naturam, juxta id quod Ulpianus ait L. *Princeps* ff. de legib. *Princeps legibus subditus non est; Augusta verò, licèt sit subdita, Princeps tamen eadem privilegia illi concedit, quæ ipse habet.* Et tantò rationabiliùs eam Mariæ tribuimus, quantò verius quod Anselmus ait, *decens esse, ut eâ puritate, quâ major sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteat*; quodque S. Bernardinus, *tantam Virgini datam esse gratiam, quantam uni puræ creaturæ dari est possibile.* Et Idiota: *omnium Sanctorum privilegia in eam esse congesta.* Et Petrus Cellensis l. de panib. c. 21. *quidquid de Maria dixeris, infinitè minus esse nomine & dignitate Dei Matris.* Et Nicolaus Monachus epist. ad Petrum, Abbatem Cellensem: *Siquid scribo de Virgine, quod non legerim in Canone, laudem tamen sapit Virginis, laudem sapit & Filii Virginis... Et occasione Scripturæ Canonicæ, vel vera scribo, licèt occulta; vel verisimilia, & ipsa Catholica.* Præsumuntur multa de Virgine, quæ nusquam leguntur, & præsumptionibus standum, donec probetur contrarium. Quia de laudibus Virginis nunquam satis præsumi, nunquam satis dici potest. Quantùm potes, tantùm aude: quia major omni laude, nec laudare sufficis.

Scio objici posse 1°. generalia sacræ Scrip- 118
turæ effata de peccato originali, *Nemo mundus à sorde, etiamsi unius diei fuerit vita ejus.* Job. 14. juxta Versionem 70. *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt.* 2. Cor. 5. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur.* 1. Cor. 15. 2°. testimonia Patrum, Ambrosii l. 2. in Luc. c. 15. *Solus.... ex natis de femina est Dominus Jesus, qui carnalis contagia corruptelæ immaculati partûs nativitate non senserit.* August. l. de perfect. just. *Quisquis fuisse vel esse in hac vita hominem....* putat, *excepto uno Mediatore.... cui necessaria non fuerit remissio peccatorum, contrarius est divinæ sapientiæ.* Leonis Papæ serm. 5. de nativit. *Solus inter filios hominum Dominus Jesus innocens natus est: quia solus sine carnalis concupiscentiæ pollutione conceptus est.* Anselmi l. Cur Deus homo c. 15. *Virgo.... est in iniquitatibus concepta.* Et l. de conceptu Virg. ait B. Virginem à *peccato mundatam fuisse per fidem, antequam Christum conciperet.* Bernardi epist. 174. existimantis esse contra totius Ecclesiæ sensum, Mariam excipere à peccato originali. S. Thomæ 1. 2. q. 81. aientis secundùm fidem Catholicam firmiter esse tuendum, omnes homines ex Adam derivatos, præter Christum, originale peccatum contrahere. 3°. rationem S. Thomæ, quia alioqui non omnes indigerent redemptione, quæ est per Christum; quod est erroneum.

Sed ad 1. facilis est responsio, in generali- 119

bus effatis illis Deiparam non comprehendi, ſicut non comprehenditur in iſtis: *Non eſt homo qui non peccet*, 2. Paralip. 6. *In multis offendimus omnes*, Jacobi 3. Quemadmodùm enim in iſtis, ex communi Eccleſiæ ſenſu, elucet ſpecialis ratio, ne ibi Deipara comprehendatur; ita & in illis. Simile proinde hîc eſt, ſicut Eſther 15. ubi Aſſuerus Eſther Reginæ dixit: *Noli metuere, non morieris; non enim pro te, ſed pro omnibus hæc lex conſtituta eſt.* Ut enim in generali lege Regina comprehendatur, ſpecialiter exprimi debet. Et, ut habetur cap. *ſolitæ* de majorit. & obedientia: *terminus univerſalis non diſtribuit univerſaliter, quoad illos, ex quorum diſtributione reſultaret diſſonus intellectus*, prout hîc reſultaret: quia ſcilicet Maria non fuiſſet idonea Mater Dei, ſi peccaſſet aliquando, ſive originaliter, ſive actualiter, nec ſecundus Adam decenter conceptus & natus fuiſſet ex terra aliquando maledicta, diaboloque ſubjecta.

120 Ad 2. reſpondeo, ſanctos illos Patres intelligendos eſſe de lege ordinaria, & ſecluſo privilegio. Aliàs Deipara non ſolùm concepta, ſed & nata fuiſſet in originali peccato: cùm de nativitate loquantur Ambroſius, Auguſtinus & Leo. At contrarium eſt certum. Vel dic SS. Patres intelligendos, quantùm ex vi conceptionis & nativitatis, quomodò ſolus Chriſtus, non ex virili ſemine, ſed ex Spiritu ſancto, & Maria Virgine conceptus, Deique operatione Deus homo factus, nullius peccati, ſed ſolius gratiæ capax fuit; non ſic Maria: utpote ex virili ſemine concepta, & in Adam ſecundùm ſeminalem rationem contenta; ideòque ex vi talis conceptionis gratiam, & immunitatem à peccato originali non accepit; imò ex carne peccati per concupiſcentiam concepta, peccatum iſtud contrahere debuiſſet, niſi ſpecialiſſimo privilegio ex meritis Filii ſui, tamquam mox futura Mater ipſius, ab eo per gratiam præſervata, caroque ipſius per eandem in primo conceptionis inſtanti quodammodò putrificata mundataque fuiſſet, ne perſonam ipſius inficeret. Et ſic patet ad S. Anſelmum.

121 Quod attinet ad S. Bernardum, in illa quidem epiſtola non favet immaculatæ Virginis Conceptioni, Canonicoſque Lugdunenſes graviter redarguit, quòd immaculatæ Conceptionis ipſius feſtum propriâ celebrare cœpiſſent authoritate: ad finem tamen epiſtolæ ſe promptum oſtendit ad eamdem feſtivitatem celebrandam, ſi à Sede Apoſtolica inſtitueretur. Sic enim loquitur: *Si ſic videbatur, conſulenda erat prius Apoſtolicæ Sedis authoritas, & non ita præcipitanter inconſultè pancorum ſequenda ſimplicitas imperitorum.... Quæ autem dixi, abſque præjudicio ſane dicta ſint ſaniùs ſapientis Romanæ præſertim Eccleſiæ, cujus authoritati atque examini totum hoc, ſicut & cætera, quæ hujuſmodi ſunt, univerſa reſervo; ipſius, ſi quid aliter ſapio, paratus judicio emendare.* Nondum utique tunc Bernardo innotuerat Romanæ Eccleſiæ propenſio, nec fidelium propè omnium ſenſus atque conſpiratio, in favorem immaculatæ Conceptionis Deiparæ, ſicut modò innoteſcit. Necdum inſtituta tunc authoritate Sedis Apoſtolicæ feſtivitas in favorem ejuſdem, ſicut modò. Aliàs manifeſtum eſt ex poſtremis verbis ipſius, quòd ei promptiſſimè ſubſcripſiſſet.

Idem dicendum de S. Thoma, ob ea quæ 122
ex ipſo dicta ſunt ſuprà n. 109. & 110. Neque enim à generalibus S. Scripturæ ſententiis de peccato originali auſus eſt privatâ authoritate Deiparam excipere, haud dubiè excepturus, uti Concilium Tridentinum ſeſſ. 5. poſt Auguſtinum excepit, ſi Eccleſiæ ſenſum, Romanorumque Pontificum quoad hoc declarationem cognoviſſet, ſicut modò cognoſcimus. Fatemur proinde S. Thomam immaculatæ Virginis Conceptioni formaliter contradixiſſe, nec admittimus gloſſam quæ ipſum explicat de peccato originabili, ſeu originali poſſibili (cùm potiùs tortura ſit quàm legitima interpretatio S. Doctoris) teſtimonia namque ipſius in contrarium nimis perſpicua ſunt. Addimus tamen jacta eſſe à S. Doctore fundamenta, propoſitaque argumenta, ex quibus (accedente jam Eccleſiæ conſenſu) manifeſtè conficitur ipſum æquè ac Bernardum immaculatæ Conceptioni ſubſcripturum, ſi conſenſum illum Eccleſiæ cognoviſſet.

Ad 3. reſpondeo cum Scoto, Mariam in- 123
diguiſſe redemptione, & Chriſtum fuiſſe perfectum ipſius Redemptorem: imò magis perfectum ipſius, quàm cujuſcumque alterius. Quia ipſam ſolam redemit redemptione illâ perfectâ, quâ ipſam præſervavit à culpa. Quemadmodùm enim duplex eſt medicina, una præſervativa à morbo contrahendo, altera purgativa à morbo jàm contracto; & perfectior eſt illa quàm iſta: ſic duplex eſt redemptio, una præſervativa à culpa, altera ſanativa à culpa, ut expreſsè monent D. Dionyſius de div. nom. c. 8. & Auguſtinus in Pſal. 85. Et prior quidem omnium perfectiſſima eſt. Unde Chriſtus non fuiſſet perfectiſſimus Redemptor, niſi ſic Matrem ſuam redemiſſet. Et quia ſic ipſam ſolam redemit, ideò à Sanctis quibuſdam vocatur *unica filia Redemptoris.* Magis igitur indiguit Maria redemptione, quàm quivis alius (ait Doctor ſubtilis) quia tantò magis indiguit redemptione, quantò majus bonum ſibi conferebatur per redemptionem. Cùm igitur majus bonum ſit innocentia perfecta, quàm poſt lapſum culpa remiſſa; majus bonum ſibi conferebatur præſervando ipſam ab originali, quàm ſi poſteà ab eo fuiſſet purgata. Appoſitè Iſidorus l. 2. de ſummo bono c. 23. *Sicut melius eſt peccatum cavere, quàm emendare, & gratior eſt medicus qui anticipat morbos, quàm qui in morbis ingerit ſeram & non ſine dolore medicinam; ſic melior perfectiorque eſt redemptio anticipans culpam*, &c.

Inſtabis: nimis probat ratio proximè allata, 124
Chriſtum utique non fore perfectiſſimum Ma-

riæ Redemptorem, nisi eam præservasset non solùm ab originali peccato, sed & ab omni illud contrahendi debito, tam remoto, quàm proximo. A quo tamen immunem non fuisse Mariam, omnes penè Theologi docent.

Respondeo negando assumptum: sicut enim non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus, saltem in actu primo, id est obnoxiis periculo malè habendi, nisi actus secundus istius periculi per medicinam præservativam caveatur; sic non est opus liberis Liberator & Redemptor, sed captivis, saltem in actu primo, id est obnoxiis periculo diabolicæ captivitatis, nisi actus secundus istius periculi, seu captivitas actualis per gratiam præservativam Liberatoris ac Redemptoris caveatur.

125 Cui periculo obnoxiam fuisse Mariam, inde constat, quòd in lumbis Adami secundùm seminalem rationem fuerit, quando peccavit, adeòque unus tunc homo cum Adamo fuerit, in ipso proinde secundùm naturam peccaverit. Ex quo consequens erat, quòd peccatum illud naturæ (in Adam sic contentæ) in propria persona contraxisset, nisi per gratiam suam præservativam Redemptor hoc impediviſſet. Et aliàs non magis indiguisset Redemptore & Liberatore, quàm sanus medico, si nullius infirmitatis obnoxius sit periculo. Nam, uti Zosimus apud Augustinum epist. 157. dicit: *Nullus, nisi qui peccati servus est* (saltem in actu primo, sensu dicto) *liber efficitur, nec redemptus dici potest, nisi fuerit antè captivus.* Unde Apostolus 2. Cor. 5. ex eo quòd Christus per mortem suam omnes redemerit, infert *omnes mortuos esse*, saltem in Adam, sensu dicto: *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt.* Quæ verba cùm generalia sint, & absque exceptione, vel distinctione, nec ab eorum generalitate, (saltem intellecta de debito mortis) Ecclesia excipiat Deiparam, eam nobis non licet privatâ excipere authoritate. Per consequens fateri nos oportet Apostolum rectè arguere: *Si Christus pro Maria Matre sua mortuus est: ergo Maria mortua est*, saltem sensu dicto: Si enim à mortis spiritualis debito decebat eam præservari, non debebat in Adam secundùm rationem seminalem contineri quando peccavit, nec debebat seminaliter ex viro & muliere concipi, sed à tali conceptione præservari, adeòque sine virili semine concipi, sicut Filius: verùm aliter visum est increatæ sapientiæ.

CAPUT IX.

Cardinalis Sfondrati, de statu puerorum cum solo originali, absque Baptismi Sacramento, ex hac vita migrantium, quatuordecim paradoxa refelluntur.

126 CArdinalis Cælestinus Sfondratus, egregiis aliòqui dotibus commendatus, in suo Nodo prædestinationis dissoluto, dum novum de puerorum sorte systema, ab Augustini systemate diversum (uti fatetur pag. 164.) procudere voluit, non solùm telas araneæ texuit, sed & quia humana ratiocinia, sine Scriptura & traditione secutus est in fidei quæstionibus, nedum in degeneres molleſque sententias, sed & in stupenda abiit paradoxa.

§. I.

Primum Sfondrati paradoxum.

PRimò namque pag. 114. aliud est (inquit) perire, aliud beatum non esse: parvuli qui sine baptismo decedunt, beati quidem non sunt, nec tamen pereunt.

At ita philosophantem *intolerabilis* (ut Au- 127
gustini verbis utar) *sequitur absurditas.* Christum utique non venisse quæsitum & salvatum parvulos. Filius enim hominis *non venit nisi quærere & salvare quod perierat* (ait Augustinus serm. 174 ex Luc. 15.).... *Quare ergo novis disputationibus antiquam fidei regulam frangere conaris* Sfondrate? Parvulos perire, nisi regeneratione salventur, soli Pelagiani negant, Patres omnes simpliciter affirmant. Affirmat Scriptura. Affirmant Concilia. Non est liberum Sfondrato, in quæstionibus fidei, pro voluntate habere sermonem. Frustrà ipsum excusare nititur Author dispunctionis notarum in Nodum Sfondrati, quòd solùm velit parvulos non perire morte secundâ, involvente gehennam ignis: hoc enim sensu parvulos non perire affirmabant Pelagiani, licèt faterentur eos à regno cælorum excludi. Qui catholicè loqui vult, loqui debet cum Scriptura, cum Conciliis, cum Patribus, non cum hæreticis. Quippe *salus nominum, salus proprietatum*, aiebat S. Hilarius. Parvulos illos non perire, simpliciter negat Sfondratus: contradicit ergo Scripturis, Conciliis & Patribus, simpliciter affirmantibus. *Quicumque negat parvulos per baptismum à perditione liberari, anathema sit*, ait Concilium Carthag. apud Augustinum epist. 96. Sine baptismo *periisse non dubium est*, ait Author libri de vocat. Gent. c. 24. tanta cum certitudine, ut cap. 32. dicat: *Non puto istos..... tam impudenter usuros, ut non..... renatos asserant non perire.*

§. II.

Secundum paradoxum.

SEcundò, eâdem pag. 114. dicit, quòd 128
damnari nemo possit paternâ culpâ, utique originali. Sed rursum contradicit Scripturæ, Patribus, Conciliisque. Quia Apostolus Rom. 5. absolutè dicit: *Judicium ex uno in condemnationem.* Quod ideò dicit, quia sufficeret ad condemnationem, etiamsi non esset in hominibus nisi originale peccatum, ait Augustinus l. 1. de peccat. merit. c. 12. & l. 3. de nupt. & concupisc. c. 27. Unde l. 1. op. imperf. in Julian. n. 48. Julianum sic alloquitur: *Indignaris, homo piissimus, quòd par-*

vuli non renati, si moriantur ante propria voluntatis arbitrium, propter aliena dicantur peccata damnari..... Audi Judicem sanum (Ambrosium) *à tuo Doctore* (Pelagio) *laudatum..... Periit Adam, & in illo periimus omnes. Sed peccatis* (inquis) *alienis perire non debuerunt. Aliena sunt, sed paterna sunt; ac per hoc jure seminationis & nostra sunt. Quis ab hac perditione liberat, nisi qui venit quærere, & salvum facere quod perierat?* Et l. 2. n. 97. *Peccatum illud, quod à nascentibus trahitur, trahit ad æternam damnationem, si non remittatur.* Et l. 3. n. 66. *Illud unum* (originale peccatum) *etiamsi alia nulla sint, sufficere ad damnationem, nisi regeneratione solvatur, hoc dicimus, etsi audire non vultis; hoc veritate non vincitur, etsi oppugnare loquacitate persistitis.*

129 Gelasius Papa epist. ad Episcop. per Picenum, de parvulis *quod delirus senex Seneca Pelagianus asserit, sine baptismate, pro solo originali peccato non posse damnari, satis impia, satis profana propositio est.* Depositum ergo custodire debuit Sfondratus, devitatis profanis vocum novitatibus, prout Apostolus monet 1. Timoth. 6. *Fide* namque *Catholicâ tenendum est, parvulos sine baptismo decedentes absolutè esse damnatos, & non solâ cælesti, sed etiam naturali beatitudine perpetuò carituros*, ait Bellarminus l. 6. de amiss. grat. c. 2.

§. III.

Tertium paradoxum.

130 TErtiò, pag. 118. dicit peccatum originale nullam reprehensionem mereri. Sed Augustinus de corrept. & grat. c. 6. econtrà dicit: *An verò ideò pravitas ista corripienda non est in homine, quia non est ejus propria, qui corripitur, sed communis est omnibus? Imò verò corripiatur & in singulis, quod est omnium. Non enim propterea cujusque non est, quòd ab ea nullus immunis est.* Peccata quidem ista originalia dicuntur aliena, quòd ea singuli de parentibus trahunt; sed non sine causa dicuntur & nostra: quia in illo uno omnes, sicut dicit Apostolus, peccaverunt, peccatoque illo omnes in propria persona infecti sunt. Quam ob causam sicut omnes promeriti sunt damnationem; ita à fortiori & reprehensionem.

§. IV.

Quartum paradoxum.

131 QUartò, pag. 112. si non fecit beatos, quia..... culpâ originali aspersos, at nec fecit miseros. At contrà: cùm parvuli juxta Tridentinum sess. 5. & 6. nascantur cum peccato, quod est mors animæ, filii iræ, filii vindictæ, Deo exosi & inimici, servi diaboli, obnoxii damnationi; quomodò non miseri? Ex tot miseriis, quibus etiam in hac vita parvuli subjiciuntur, ad salvandam Dei justitiam Augustinus intulit, ipsos nasci in originali peccato, ne tot miseriis innoxii punirentur: *Ubi est justitia Dei* (inquit lib. 6. op. imperf. in Julian. num. 27.) *quam si cogitares, nunquam crederes sine ullo merito originalis peccati tam miseros esse nascentes.* Idipsum Catholici omnes Theologi docent, apud Bellarminum l. 4. de amiss. just. c. 2. Siquidem docent, & sentiunt, peccatum originis esse verè proprièque peccatum, quòd hominem non solùm miserum, sed etiam peccatorem & reum damnationis efficiat. Inaudita ergo paradoxa profert Sfondratus.

Paradoxum quintum.

QUintò, pag. 98. dicit, illum qui solo originali tenetur, dici non posse Deum deserere, cùm ipse peccatum hoc non faciat, sed ab alio factum contrahat. Sed contrà: tam certum est omnes homines Deum in Adam deseruisse, quàm certum est omnes in Adam peccasse; quàm certum item hominem à Deo ob originale deseri, dum in massa perditionis relinquitur. Non enim Deus deserit antequam deseratur. Cùmque homo, qui peccatum in Adamo commissum contrahit, eo ipso inimicus Dei constituatur, ab eoque habitualiter avertatur: igitur Deum habitualiter deserit. 132

Paradoxum sextum.

SExtò, pag. eâdem, ex eo quòd Deus neminem deserit, nisi desertus, & ille qui solo originali tenetur, dici non possit Deum deserere, infert illo prædestinationis decretorio momento, in quo summa rerum incommutabiliter vertitur, Deum tot hominum myriades non deseruisse ab iis non desertum, hoc est nullo eorum peccato (actuali, uti contextus manifestum facit) demeritoque præviso.... priùs ergo quàm peccata hominum (actualia) præviderentur.... nemo desertus, nemo exclusus, nemo reprobus. Ergo nemo non electus. Verùm-enimverò hoc Catholicæ fidei adversatur. Cùm Catholica fides doceat, parvulos, qui non regenerati moriuntur, propter originale peccatum excludi à regno cælorum, nec esse de numero prædestinatorum, seu electorum, sed de numero reproborum, saltem negativè, prout omnes Theologi docent. Idque de fide esse asserit Cardinalis de Lauræa opusc. 2. de reprob. c. 5. n. 37. Et quomodò parvuli illi forent electi: cùm fides doceat quòd sint damnati, uti vidimus n. 117. 118. 119. Æthiopem proinde lavat notarum dispunctor, dum Sfondratum excusare nititur, quasi de solis adultis loquatur: cùm oppositum luce meridianâ clarius sit ex contextu. 133

Paradoxum septimum.

SEptimò, pag. 48. dicit, quòd nunquam parvulis, ante baptismum sublatis, Deus æternam vitam voluit; ipsos proinde ad alium finem classemque providentiæ pertinere. Sed 134

contrà : ubi est quod dicit pag. 8. vult Deus, quippe omnium pater, omnes homines salvos esse, vult regno potiri, vult hæredes scribi; idque amore non qualicumque, sed paterno, hoc est omnium maximo ac sincerissimo. Et siqui rebelles evadunt, non ideò propositum & amorem mutat? Si Deus tam benevolus adultis omnibus, etiam pessimis, & perduellibus; cur non similiter parvulis, illibatâ innocentiâ (uti pag. 120. loquitur) præditis, vixque culpâ originali aspersis? Cur viscera paterna claudit innocentibus, aperit nocentissimis? An non innocentium parvulorum pater, uti pater adultorum, quàmlibet perditorum? Si Deus vult omnes salvos facere (ait Augustinus l. 4. contra Julian. c. 8.).... *nunquid parvuli homines non sunt, aut non pertinent ad id quod dictum est, omnes homines?* Cur dicit parvulos ad alium providentiæ ordinem pertinere, nisi ut cum Semipelagianis (apud Hilarium in epist. ad Augustinum) parvulorum causam ad exemplum majorum non patiatur afferri? At parvulorum causam ad exemplum majorum frequenter affert Magnus Augustinus, perspicuumque videtur, Authorem illum primævæ oblitum institutionis humani generis. Nam (ut sapienter advertunt laudatissimi Episcopi proximè memorandi) quis Christianus negat, universam Adæ sobolem, in eo ad æternam vitam fuisse ordinatam? Certum proinde est omnes homines, voluntate antecedente ordinatos ad salutem, omnes item reprobos, tam parvulos, quàm adultos in mortali, seu originali, seu actuali decedentes, ad eamdem spectare classem providentiæ, ipsos voluntate consequente justissimè damnantis. Qui aliter sentit, nova dogmata cudit.

Paradoxum octavum.

135 OCtavò, pag. 114. 119. 120. 164. dicit, quòd parvuli non abluti culpam propriam non habent; imò illibatam habent innocentiam personalem. Sed hanc propositionem Illustrissimi Galliæ quinque Præsules, in epistola ad Innocentium XII. VII. Kalendas Martii 1697. conscripta, meritò *intolerabilem* vocant; vanam erroris excusationem arbitrantes, quòd illa innocentia, novo atque ambiguo nomine personalis vocetur. *Neque enim parvulorum persona innocens est, ad quam peccatum ipsum, quod est mors animæ, transit. Non (inquam) persona innocens, eò quòd careat peccatis propriâ voluntate contractis; imò verò peccatrix, quæ sub ira Dei atque in potestate tenebrarum nascitur; quæ exorcismis exsufflatur; quæ aquâ mundatur: valetque omninò illud quod à S. Augustino Synodus Tridentina deprompsit, originale peccatum non utique nobis esse extraneum, imò.... propagatione unicuique esse proprium, nec nisi inhærente & propriâ sanctitate purgandum.* Sic post exortam Pelagii, Lutherique & Calvini hæresim, cum Patribus Latinis, Catholicos cautè loqui oportuit, licèt olim, nondum exortâ hæresi Pelagianâ, Græci quidam Patres minùs cautè locuti fuerint. Tunc quippe periculum non fuit, ne verba ipsorum sensu hæreticorum acciperentur, uti modò periculum est. Sfondratum meminisse oportuit, post exortas illas hæreses, Concilia & Patres cautiùs loqui, quàm ante illas Chrysostomus v. g. locutus fuerit. Ut quid ergo parvulorum, non regeneratorum, ab ipso innocentia ultra modum laudatur? (inquit Augustinus serm. 293.) An non omnes homines, in prævaricatione Adæ innocentiam perdidisse definit Tridentinum sess. 6. cap. 1.? Isti definitioni, non tantùm quoad sensum, sed & quoad expressionem hodie conformare se debent Catholici omnes; censurâque digni sunt qui hisce temporibus simpliciter loqui volunt, sicut ante exortas de peccato originali hæreses locuti sunt Græci aliqui Patres: quia eo hodie sensu non intelliguntur expressiones, quo ipsi intellexerunt. Hodie proinde offensionem causarent, quam non causarunt olim. Quam ob causam propositionem hanc, *unus de Trinitate est passus*, olim Ecclesia proscripsit, quia in sensu Eutychianorum à plerisque accipiebatur, quemadmodùm & quinta Synodus Generalis c. 6. tempore grassantis Nestorianæ hæresis, prohibuit ne beatissima Virgo *Christipara* nuncuparetur, sed *Deipara*, quia ex priori illa expressione plures offendebantur, velut de expressione suspecta, ob sensum Nestorianum tunc grassantem. Sic rursum Pius V. in Bulla contra Bajum pleraque damnavit propositiones, tamquam expressione suâ offensivas, &c. licèt addiderit earum nonnullas aliquo pacto sustineri posse. Sic denique Innocentius X. & Alexander VII. famosas quinque propositiones in sensu obvio velut hæreticas justè damnarunt, licèt in sensu gratiæ efficacis expressas (prout in quinque articulis Alexandro VII. & VIII. oblatis) sanas Alexander VII. declaraverit. Frustrà proinde laboravit notarum dispunctor, ut propositionem illam Sfondrati simpliciter expressam purgaret. Quia sic expressa offensionem in pias aures immittit, Tridentinæque definitioni contradicit.

Paradoxum nonum.

136 NOnò, pag. 48. 118. &c. dicit, quòd parvulos, qui sine baptismo decedunt, cælesti quidem regno, quippe paternæ culpæ reos, Deus excluserit, non tamen naturalibus bonis, naturali scilicet beatitudine. Solam proinde supernaturalem beatitudinem ipsis denegare videtur, dum de ea sola interpretatur Verba Salvatoris, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non introibit in regnum cælorum*: dum etiam pag. 114. & 120. dicit, parvulos, qui sine baptismo decedunt, beatos quidem non esse, nec tamen perire, nec miseros esse, nullamque ipsis dolendi, nullam conquerendi, sed magis gaudendi, gra-

tiatque agendi causam esse. Proinde non videtur satis recedere ab opinione plurium antiquorum & modernorum (quos magno numero refert dispunctor pag. 37. 38. 39. Edit. Colon.) parvulos non regeneratos excludentium quidem à regno cælorum, & vitâ beatâ Sanctis promissâ; tamen eis concedentium naturalem beatitudinem, sine ulla molestia, aut dolore, extra regnum beatorum, & gehennam damnatorum. Quam opinionem Bellarminus l. 6. de amiss. grat. c. 2. dicit esse contra fidem his verbis: *Fides Catholica docet, eos absolutè esse damnatos, & non solâ cælesti, sed etiam naturali beatitudine perpetuò carituros*; graviter monens, misericordiam nostram erga parvulos jam defunctos, nihil eis prodesse, & contrà nihil eis obesse sententiæ nostræ severitatem; multùm autem nobis obesse, si, ob inutilem misericordiam erga defunctos, aliquid contra Scripturas aut Ecclesiam defendamus; ideò non affectum quemdam humanum (quo plerique moveri solent) sed Scripturæ, Conciliorum, & Patrum sententiam à nobis consulendam sequendamque esse. Scripturæ verò, Concilia & Patres prorsus adversantur illi naturali beatitudini parvulorum, uti Bellarminus ostendit ibidem, atque cum ipso Thomas de Lemos in Panoplia to. 1. tr. 1. de læsione lib. arb. c. 23. ubi & ostendit, Pelagianos nunquam concessisse parvulis (sine baptismo decedentibus) regnum cælorum, nec beatitudinem supernaturalem extra regnum cælorum, sed naturalem dumtaxat. Ipsos nihilominùs Concilia & Patres damnarunt: quia quisquis excluſus fuerit à regno cælorum, nihil nisi mortem æternam habere poterit; per consequens habere non poterit vitam æternam, etiam solâ naturali beatitudine beatam. Quia, ut Augustinus ait l. de peccato originali c. 18. *præter regnum cælorum habere nisi mortem æternam non possunt, qui sine participatione corporis & sanguinis Domini æternam vitam habere non possunt.* Unde l. 1. de anima & ejus origine c. 9. *Non baptizatis parvulis nemo promittat inter damnationem* (seu carcerem damnatorum) *regnumque cælorum, quietis felicitatisque cujuslibet, atque ubilibet, quasi medium locum; hoc enim eis hæresis Pelagiana promisit.* Sed damnavit locum illum medium Concilium Carthaginense anni 418. Damnavit & Gelasius Papa in epist. ad Episcopos per Picenum, etiamsi quis & ubi esset locus ille medius, Pelagiani non determinarint. Nam uti Pelagius apud Augustinum l. de pecc. origin. cap. 21. aiebat: *Sine baptismo parvuli morientes quò non eant, scio; quo eant, nescio:* id est, non ire in regnum cælorum scio; quò verò eant, nescire dicebant. Quia dicere non audebant in mortem illos ire perpetuam. Audaciores proinde Pelagianis esse videntur, qui hodie dicere non verentur, quò eant scio, in vitam utique perpetuam naturaliter beatam, sive in vitam perpetuam bonis naturalibus cumulatam, absque ulla miseria, absque ulla dolendi, imò magis gaudendi, grateſque agendi causa, uti dicit Sfondratus.

Quid ergo dicendum de opinione Salme- 137
ronis disp. 48. in cap. 5. epist. ad Rom. aientis: *Resurgent pueri per Christum, & supra hunc ordinem naturalem, quo quotidie proficient in cognitione operum Dei, & substantiarum separatarum, visitationes habebunt Angelicas, & tamquam nostri Rustici hanc terram incolent, ut qui medii sunt inter gloriam & supplicium, sint etiam medii in loco.*

Respondeo sustineri non posse, quia damnata est, non solùm in Concilio Carthaginensi, & à Gelasio Papa, sed & à Conciliis Lugdunensi & Florentino, definientibus, *illorum animas, qui in actuali mortali, vel cum solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puriendos.* Illorum ergo animæ, qui cum solo originali decedunt, cum decedentibus in mortali actuali, in infernum descendunt, ubi nulla redemptio, licèt ibi minùs graviter puniantur illi, quàm isti.

Ne quidem tolerabilis est opinio Scholasti- 138
corum, quàmlibet multorum, Richardi, Lyrani, Marsilii, Lessii, Suarez, &c. aientium, statum puerorum, cum solo originali decedentium, feliciorem, lætioremque fore, quàm sit alicujus mortalis in hac vita, tribuentiumque ipsis amorem Dei super omnia, reliquasque virtutes naturales. Quia *non mortui laudabunt te Domine*, estque temerarium ac ridiculum, ista tribuere iis, qui in æternum futuri sunt filii iræ, filii vindictæ, filii gehennæ, filii mortis perpetuæ; nec aliud sunt, quàm aniles fabulæ, inaniaque commenta ac ludificationes rationis humanæ, quæ in hisce fidei quæstionibus sine Scriptura & traditione nihil valent; absque Scriptura proinde & traditione asserendæ non sunt, nec pro veritate in ejusmodi quæstionibus addiscenda recurrendum ad rationem purè humanam, sed *ad legem magis, & ad testimonium* (ut dicitur Isa. 8.) id est ad Scripturam & traditionem. Nam, ut sequitur ibidem, si humanæ cogitationes *non dixerint juxta verbum hoc* (verbum utique Dei scriptum vel traditum) *non erit eis matutina lux*, id est veritas; sed tenebræ errorum, ut exponit Cornelius à Lapide.

Multò minùs tolerabilis est opinio Molinæ 139
in Concordia q. 23. a. 4. & 5. disp. 1. memb. 9. aientis, parvulos reprobatos, amissis solis gratuitis donis, in reliquis perinde se habituros, ac si in solis naturalibus essent constituti. Imò post diem judicii, cùm ipsorum animæ suis fuerint corporibus restitutæ, ab omnibus molestiis & ærumnis, quibus in hac vita subjacemus, supernaturaliter liberandos, melioremque in naturalibus vitam, à vitio omni mentis & corporis immunem, in perpetuas æternitates ducent (inquit) quàm ullus unquam mortalium duxerit. Istam Molinæ opinionem Romani Consultores in canonibus doctrinæ damnandæ, jussu Pauli V. ultimò elaboratis, censuerunt nimiùm accedere ad illum ab Ecclesia Dei errorem semper habitum,

adeòque in Pelagiano, & Cælestino dogmate condemnatum, quo dicebantur parvuli, etiamsi non baptizentur, adeòque excluſi maneant à regno cælorum, æternam ac beatam quamdam vitam, ſed extra cælum habere. Eamdem opinionem quatuor fidei principiis repugnare demonſtrat celeberrimus Author Hiſtoriæ Congregationum de Auxiliis l. 4. c. 17. Primum eſt, poſt extremum & univerſale judicium, nullum præter regnum cælorum & inferos damnatorum, medium fore locum, ubi pueri, ſacro lavacro non abluti, ſedem figant, ubi vivant. Secundum, ſtatum quo nunc verſantur infantes non abluti, æternum fore, ſicut & mortem, & pœnam quâ plectuntur. Tertium, pueros ſolo originali peccato inquinatos, ſub diaboli poteſtate eſſe ac perpetuò fore, niſi ſalutaribus undis abluti, in Chriſti poteſtatem transferantur. Quartum, eoſdem pueros non ablutos, filios iræ reputari, in damnationem & interitum traditos, contumeliæ vaſa, Deo exoſos, gehennæ & inferis deſtinatos, nullâque in altera vita compenſatione fruituros. Quæ omnia ex Scriptura & traditione efficaciter probata apud laudatum Authorem videri poſſunt.

140 Ex ſententia quoque Molinæ probatur ipſum non admittere, originale peccatum veram culpam in parvulis eſſe, prout Thomas de Lemos coram Clem. VIII. Congregatione 9. die 2. Septembris 1602. adeò feliciter evicit, ut idem Pontifex Maximus pronuntiaverit ex ſententia illa id conſequens eſſe, prout ipſe teſtatur ac refert in Panoplia to. 1. tr. 1. c. 22. aiens, id Romæ notum ac manifeſtum fuiſſe. Unde & eamdem ſententiam velut hæreticam ibidem inſectatur poſt Bellarminum. Imò eam minùs tolerari poſſe quàm Pelagianam, Eminentiſſimus Card. de Noris pronuntiat in Vindiciis Auguſtinianis c. 3. §. 5. quia (inquit) Pelagiani contendebant infantes eſſe innocentes, & nullâ culpâ coinquinatos; unde non adeò grave abſurdum videbatur, quamdam eis felicitatem præparare; cùm tamen Molina, ipſiuſque ſequaces fateantur (cum Eccleſia Catholica) pueros eſſe originali labe infectos, ſub poteſtate dæmonis, filios iræ. Quomodò ergo non dubitant iiſdem beatam quamdam vitam promittere?

141 Quid verò Eminentiſſimus Cardinalis de Lauræa? Poſtquam diſp. 27. de ſtatu parvulorum a. 3. n. 40. dixit, ex fidei principiis colligi, quòd poſitivè damnandi ſunt. Art. 7. ſub finem ſic loquitur: *Fateor meam inſcitiam; non potui aliquem Scripturæ locum, vel ſanctum, antiquumque Patrem invenire, qui parvulos cum originali collocet extra infernum, in loco tertio.... Quod dicunt noſtri moderni, hoc hucuſque cenſeo inane, novum, & ridiculum: nempe de ſtatione, habitaculo, & deambulatione ſuper terram. Unde id habent? Quis eis revelavit?*

142 *Tolerabilior mihi videtur ſententia de inferno ſuperiori, ſeu, ut dicit Auguſtinus, orâ inferni, ac lymbo: quia minùs recedere videtur à Scriptura.... At neque in hoc puncto, ſuperioris, ſeu oræ ac lymbi inferni aliquid invenio apud antiquos Eccleſiæ Doctores. Econtrà autem Scripturam ubique de loco ignis & inferno, pro omni damnato loquentem obſervo, & Patres primæ notæ idem confirmantes, & Eccleſiam ipſam pro ſolo originali infernum decernentem. Ideò non poſſum in conſcientia ab hac, quam puto veram, ſententia recedere.*

Paradoxum decimum.

DEcimò, Cardinalis Sfondratus (à quo 143
tantiſper digreſſi ſumus) pag. 120. dicit, in hac parvulorum cauſa, licèt Deus ad cæleſtem gloriam non eos admiſerit, alio tamen, multòque majori beneficio affeciſſe. Audite inauditas voces. Et quodnam iſtud eſt cæleſti gloriâ majus beneficium? Pag. 48. eſſe dicit præſervationem à peccatis actualibus, quæ ſola pluris valet (inquit) majoriſque meriti eſt, quàm regnum ipſum cæleſte. Quaſi verò major res ſit, tantùm carere malis (inquiunt ſapientiſſimi Gallicani Præſules, in epiſt. ſuprà memorata) quàm æternâ vitâ, Deoque ipſo perfrui: quæ tam abſurda, tam vana ſunt, ut chriſtianæ aures ferre non poſſint. Enimverò innata ratio ipſa clamat, non poſſe bonum ullum eſſe majus pretioſiuſvè ſummo bono, quod per cæleſtem gloriam poſſidetur: viſio Dei tantæ pulchritudinis viſio eſt (ait Auguſtinus l. 10. de Civit. Dei c. 16.) & tanto amore digniſſima, ut ſine hac quibuſlibet aliis bonis præditum, atque abundantem, non dubitet Plotinus infeliciſſimum dicere. Gloria cæleſtis, ait ibidem l. 5. c. 1. eſt rerum optandarum cumulata plenitudo, vel (uti cum Boëtio 3. de conſol. proſa 2. Theologi paſſim) ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus. Si damnati ſunt Pelagiani, parvulis illis concedentes beneficium longè minus gloriâ illâ; quam damnationem meretur hactenùs inaudita, alienaque ab omni veri ſpecie doctrina, iiſdem parvulis concedens beneficium cæleſti gloriâ majus pretioſiuſque? Quomodò parvuli, in quibus nihil eſt niſi peccatum, digni ſunt beneficio majori, qui indigni ſunt minori (ſi ſic cum Sfondrato loqui liceat) ab eoque juſto Dei judicio rejecti & reprobati, velut perduelles, immundi, Dei inimici? Quomodò ex divinis Scripturis parvulos illos à cæleſti regno excludentibus, Concilia, Pontifices, Patres efficaciter probant ipſos peccatores eſſe, ſi à Deo accipiant beneficium cæleſti regno non ſolùm æquiparandum, ſed & anteponendum? Quâ juſtitiâ (dicebat Auguſtinus) imago Dei ſeparatur à regno Dei, ſi nullum eſt originale peccatum? Si vera ſit doctrina Sfondrati, imbelle eſt argumentum iſtud: utpote cui facilè reſpondebunt Pelagiani, abſque ulla Dei injuſtitia id fieri: quia licèt à regno illo ipſos Deus excludat; conſervat tamen ipſos in innocentia, præſervando

eos à peccato actuali ; quod beneficium longè majus est regno cælorum, & in tantum majus, ut & ipsi, & omnes sapientes, si optio daretur, cælo longè præferrent.

144 At (inquit notarum in Sfondratum dispunctor) Moïses Exodi 32. dicendo : *Aut dimitte eis hanc noxam ; aut, si non facis, dele me de libro tuo*, desideravit cælesti potiùs gloriâ privari, æternisque cruciatibus addici, quàm Israëlitas infideles & incredulos videre. Similiter Apostolus Rom. 9. dicendo : *Optabam ego anathema esse à Christo pro fratribus meis.* Verè humilis, ac amore fervens (inquit Taulerus de vit. & Pass. Christi c. 26.) inferni cruciatus pro hominibus universis perpeti optaret, si sic visum esset Deo, ad illiusque id cederet honorem..... nimirùm hæc est perfecta charitas, quæ nusquam seipsam quærit, nusquam sibi parcit, neque in tempore, neque in æternitate, ut Dei honor augeatur.

145 Verùm allegatio ista non magis huc quadrat, quàm circulus quadrato. Quia, uti S. Thomas 2. 2. q. 27. a. 8. ad 1. dicit, per exemplum Moïsis & Pauli non ostenditur, quòd sive Moïses, sive Apostolus plus diligeret proximum, quàm seipsum ; sed quòd plus diligeret Deum, quàm seipsum. Volebat enim ad tempus privari visione & fruitione Dei (quod pertinet ad dilectionem sui) ad hoc quòd honor Dei procuraretur in proximis ; quod pertinet ad dilectionem Dei. Nam uti Chrysostomus ad citatum Exod. locum ait, *quemadmodùm Moïses..... Dei iram sedaturus ait : ne dicant* (Ægyptii) *propterea quòd servare eos non posset, eosdem eduxit in eremo perdendos* ; ita sanè & Paulus, ut ne (inquit) dicant, quòd Dei promissio excidit, & quæ promisit, falsò promisit, illiusque sermo ad opus non exiit, velim anathema fieri. Hoc igitur uterque dixit, ut honor Dei procuraretur in Israëlitis. Ex quo nihil vel apparenter inferri potest pro majori illo beneficio parvulis in originali mortuis concesso. Quæ enim (amabo !) apparentia bonæ consequentiæ hoc in argumento : Moïses & Paulus magis amarunt honorem Dei, quàm fruitionem ipsius, sive propriam beatitudinem, optaveruntque ad tempus eâ privari, ut procurarent gloriam Dei. Ergo carentia peccati actualis in infantibus, absque baptismo morientibus, majus est beneficium quàm cælestis gloria ; illudque beneficium ipsi, & omnes sapientes, si optio daretur, cælesti gloriæ anteponerent. Quæ (inquam) bonæ consequentiæ species in argumento isto ? Nulla : quia non omnis carentia peccati actualis beneficii loco habenda est, ut patet in brutis & lapidibus, peccati actualis incapacibus ; quales etiam infantes sunt in ætate illa. Idipsum patet in damnatis, ex necessitate statûs sui à certo genere peccati abstinentibus, v. g. à fornicatione. Qualiter etiam infantes abstinent à peccato actuali. Peccati itaque actualis carentia tunc solùm beneficii meritique loco habenda est, quando ex electione, justitiæque amore nascitur, non quando ex infantilis v. g. ætatis incapacitate, vel naturali necessitate. Aliàs (præter dicta) in Nerone v. g. in millies mille millibus peccatorum actualium extincto, beneficii loco habenda foret carentia longè plurium quæ commisisset, si diutiùs vixisset.

Ne id quidem in infantibus illis beneficium 146
est, quòd fato præmaturo è vivis abripiuntur in originali peccato, antequam procedente ætate actualiter peccent. Quia præmatura illa mors non est in ipsis effectus gratiæ & misericordiæ, sed divinæ iræ & justitiæ, sicut æterna damnatio morsque perpetua, quæ ipsam infallibiliter consequitur. Erratque Sfondratus, sicut & vindex ipsius, dum mortem illam vocat innocentiæ personalis conservationem, & à peccatis actualibus præservationem : cùm persona ipsorum non sit innocens, & ipsi per mortem in peccato originali à peccatis actualibus reverà non præserventur, sed à justitia adipiscenda arceantur justo Dei judicio. Et ideò mors illa verè non est beneficium, sed maleficium ; nec benedictio, sed maledictio, sicut dicta mors Neronis, sicut etiam interitus universæ carnis per diluvium ; tametsi enim homines per illud impediti fuerint ulteriùs peccare ; diluvium tamen respectivè ad illos (quos absorpsit in mortali peccato) verè effectus fuit divinæ justitiæ & maledictionis, uti Deus ipse declarat Genes. 8. 21. dum post illud, & oblatum sibi à Noë sacrificium, *nequaquam* (inquit) *ultrà maledicam terræ* (id est malefaciam, ut exponit à Lapide) *propter homines* ; quasi dicat : nequaquam ultrà ipsis maledicam, seu malefaciam, diluvio terram universam perdendo, propter peccata ipsorum, sicut feci. Ipsos quippe perdidit irascendo, non miserendo ; sicut declaratur ibidem c. 6. *Videns Deus quòd multa malitia hominum esset in terra.... pœnituit eum quòd hominem fecisset..... & dixit, delebo hominem quem creavi*, &c. Ad quæ verba Cornelius à Lapide, *Deus*, inquit, *dicitur pœnitere & dolere, cùm ob hominum scelera, sua dona & gratias revocare statuit, peccatoresque à se creatos... occidit & punit.* Unde Symmachus vertit : *aversatus est.* Pœnituit ergo Deum, id est, Deus irascens & indignans peccatis hominum, decrevit retractare (beneficia sua) & delere hominem quem creaverat. Noë verò invenit gratiam coram Domino. Et ideò pereunte mundo, unus ipse, cum uxore & filiis, Dei beneficio servatur, juxtà illud Ps. 36. *Injusti punientur, & semen impiorum peribit. Justi autem hæreditabunt terram, & inhabitabunt in sæculum sæculi super eam..... Injusti autem disperibunt simul* ; *reliquiæ impiorum interibunt.* Quemadmodùm ergo interitus seu mors impiorum in impietate sua, tametsi impediat longè plura crimina quæ patrassent, si diutiùs vixissent ; non ideò est beneficium, imò potiùs maleficium : ita & mors parvulorum in originali peccato ; non obstante

quòd

quòd impediat actualia peccata, quæ commisissent, si ad majorem ætatem perveniissent. Nam quòd ea impediat, per accidens est, non ex benefica intentione Dei, ipsos ideò immaturè rapientis ut ipsos subducat è periculis adultioris ætatis, sicut facilè quisque videt in casibus proximè memoratis. Eorum proinde dumtaxat accelerata mors ex benefica Dei intentione, gratiaque & misericordia procedit, de quibus scriptum est: *Raptus est, ne malitia mutet intellectum ejus*; quod in solis justis verificari, non in peccatoribus, in peccato morientibus, jamjam apparebit.

Paradoxum undecimum.

147 UNdecimò, eâdem pag. 120. verba ista Sap. 4. *Raptus est, ne malitia*, &c. transfert ad parvulos in originali decedentes, ut ostendat eos Dei beneficio è vivis abripi, ut à peccatis actualibus præserventur. Verùm de ipsis id dictum non esse, sed de justis, ne à justitia sua excidant, & locus ipse clamat (sic enim habet: *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus.... placita enim erat Deo anima illius: propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum*) & totus contextus capitis istius manifestè confirmat, & sacri Interpretes, Cyprianus l. de mortalit. Augustinus de prædest. Sanct. c. 14. Africani Præsules, pro fide in Sardinia exules, in epistola Synodica, cæterique Orthodoxi uno ore consentiunt. Unde sancti isti Præsules: *De parvulis* (inquiunt) *indubitanter tenenda Catholicæ regula veritatis: quia parvulus, qui baptizatur, gratuitâ Dei bonitate salvatur; qui verò sine baptismate moritur, propter peccatum originale damnatur. Nec aliquo dicendus est Dei beneficio futuræ impietati præreptus, qui absque justificationis gratia mortuus, impiorum consortio est deputatus.* Sacer itaque textus ille in eos solos quadrat, qui in bonis operibus, vel justitiâ baptismali præmaturè eripiuntur. Unde titulus istius capitis est, *De refrigerio justi, morte præoccupati; quæ sit senectus venerabilis; & quòd justi sapiùs è mundo tollantur à Deo, ne ab impiis seducantur; & quantum finis utrorumque distet.* Et ideò sacra verba illa, *Raptus est, ne malitia*, &c. ad infantes sine baptismo decedentes, adeòque impios, reprobos, iræque filios extendere, novum est, nec ab ullo antiquo Patre sic intellectum. Sacra autem verba contra obvium sensum à SS. Patribus unanimiter intellectum, pro confirmando novo dogmate interpretari, ad coërcenda prurientia adi novitatem ingenia, districtè prohibet Tridentinum sess. 5.

148 Videri potest Augustinus loco citato, ubi sic: *Quis audeat negare Christianum justum, si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio futurum?.... Itaque si quæratur à nobis, utrùm si tunc esset mortuus, quando erat justus, pœnas esset inventurus, an requiem; nunquid requiem respondere dubitabimus? Hæc est tota causa, cur dictum est:* "Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus. "Si ista est tota causa: igitur hoc ne partim quidem dictum est pro parvulis sine baptismo morientibus: utpote qui non moriuntur justi, sed injusti, nec ad requiem, sed ad pœnas. Unde infrà dicit: *Cùm ex parvulis alii baptizati, alii non baptizati vitæ hujus terminum sumunt, satis indicant misericordiam & judicium; misericordiam quidem baptizati gratuitam; non baptizati judicium debitum.*

Desinat ergo Anonymus Sfondrati Vindex 149
supra regnum cælorum magnificare prætensam illam præservationem parvulorum: tota sophistica est illa propositio, quâ incauto lectori palpum obtrudit, imbecillium mentes confundit, & inanium larvarum præstigiis simplices decipit. Quia, ut benè doctus Anonymus Responsor ad Nodum dissolutum pro S. Augustino: verè Deus à peccato præservat, dum à peccandi periculo eripit justos, dum eos rapit, ne malitia mutet intellectum illorum: quia ipse illos primùm creat in justitia & sanctitate veritatis; ac postmodùm, ne ex illa excidant, non solùm eosdem subducit cadendi periculo, dæmonis artibus, conversationis mundanæ contagio, per mortem opportunam, sed & per continuatam miserationem mundat & munit (ut loquitur Ecclesia) & operatione non interruptâ eosdem creat in justitia & operibus bonis. At parvulos ante baptismum morientes, quibus justitiæ donum non impertiit, quando permittit (imò vult) ut immatura mors rapiat, tantùm abest ut eosdem à peccato servare dici possit, ut potiùs in peccato eosdem servare (seu potiùs relinquere) dicendus sit, & à justitia adipiscenda arcere, occulto quidem, sed justo & adorando judicio. Stultum porrò est, & aliquo modo impium, adorandæ ejusmodi justitiæ effectus, sub fictitiæ alicujus misericordiæ velo abscondere velle, contra sapientissima æternæ providentiæ consilia, quæ utrosque effectus, utramque.... justitiæ seu veritatis ac misericordiæ viam pariter vult nobis admirationi esse: *universæ enim viæ Domini misericordia & veritas....* Immatura igitur mors parvulorum non baptizatorum, imaginarium est beneficium; verus autem justissimi judicii Dei effectus, qui speciosо beneficii titulo perperàm & falsò adornatur. Nec certè Deus ullâ veri specie dicitur ipsos è vivis misericorditer eripere, ut subducat à peccatis & periculis longioris vitæ: cùm ipsos ne quidem misericorditer eripiat à præsenti peccato vero & propriè dicto, in quo sunt Deo exosi, justitiæ inimici, à Deoque habitualiter aversi. Nec solùm ab eo miserrimo statu ipsos misericorditer non eripit Deus, sed in eo justo judicio suo in æternum relinquit perpetuò damnandos, ne quidem datâ ipsis potestate justitiæ statum adipiscendi per baptismum, antequam è vivis tollerentur. Imò plerùmque paratis ministris, festinantibusque parentibus, ad baptismum ipsis con-

ferendum ; Dei volente non datur, ut non semel Augustinus dicit.

Paradoxum duodecimum.

DUodecimò, pag. 164. nos dicimus (inquit) exhiberi parvulis, si non gratiam sufficientem, quâ vitam æternam & justitiæ statum assequi possint ; exhiberi tamen beneficium longè præstantius, quodque infinitis partibus ipsam gratiam sufficientem antecellit, imò & cælestem gloriam, uti paulò post subjungit ; eo enim beneficio priùs è medio tolluntur, quàm peccatis se obstringant, & non damnantur.... Verùm ista sine errore dici non possunt : sunt enim improbabilia paradoxa, quibus velut aranearum telis imbecilles animæ capiuntur ; sunt & periculosa pernicioſaque dogmata, quibus si semel imbuantur fideles, facilè existimabunt, non tanti referre, an parvuli baptizati moriantur ; matres etiam, quæ ex crimine uterum gerunt, à procurando abortu ampliùs non cohibebuntur metu, ne fœtus abortivè excussus æternùm pereat, si semel sibi persuadeant eos non damnandos, imò afficiendos beneficio, quod & gratiâ sufficiente, & cælesti regno longè sit præstantius, nullamque ipsis fore causam dolendi, nullam conquerendi, sed magis gaudendi & gratias agendi, ut dicit sequens propositio.

Paradoxum decimum-tertium.

150 DEcimò-tertiò, eâdem pag. 120. postquam dixit : licèt Deus ad cælestem gloriam eos non admiserit, alio tamen multò majori beneficio affeciſſe. Paulò post : quid ergo (inquit) conqueri de Deo possunt ; aut quid illis mali fecit, si non quidem cælo, at alio beneficio donavit, quod multò præstantius cælo est.... Ergo nulla dolendi, nulla conquerendi ; sed magis gaudendi, gratiasque agendi causa est. Si ita est, rectè inferunt Gallicani Præsules : nulla ergo etiam dolendi causa Christianis parentibus, parvulos suos amittentibus sine baptismi gratia ; nec luctus ipsis, (ut fit) sed gratulatio indicenda est ; ipsorumque parvuli lætis magis vocibus, quàm lachrymis prosequendi. An non nova, an non inaudita, an non communi Christianorum omnium sensui contraria est assertio ista ? An non scandalosa, an non piarum aurium offensiva ? An non Ecclesia ipsa statum parvulorum sine baptismo extinctorum luget ? Si nihil mali faciat ipsis Deus, cur ipsis aliquid mali Ecclesia facit, ipsos Ecclesiasticâ privando sepulturâ ?

151 In omnem quidem argutiam se vertit Sfondrati Vindex, ut tam inauditas voces proferentem tueatur. Verùm telas aranearum texit, ut suprà dixi. Vel enim Sfondratus comparat sortem puerorum sine baptismo extinctorum, adeòque damnatorum, cum sorte beatorum, in cælo regnantium ? Et non solùm hæreticum, sed & perfatuum est, priorum sortem sorti posteriorum anteponere. Vel comparat mortem puerorum, sine actuali quidem peccato, at non sine originali, cum cælesti beatorum gloria ? Et illam isti anteponere non potest sine errore & fatuitate ; sic enim melius esset mori ante usum rationis in originali peccato, quàm esse glorioſum in cælo ; mori etiam ante usum rationis sine baptismo, quàm cum baptismo ; quod certissimè injurioſum est sacroſancto lavacro, quod omnium Dei beneficiorum præclarissimum & præstantissimum jure vocat Nazianzenus orat. 40. Quam ob causam intolerabilis quoque videtur propositio, quâ Sfondratus pag. 164. dicit, pueris non baptizatis majus esse beneficium, mori in ætate infantili sine peccato actuali (licèt non sine originali) quàm ad ætatem adultam pervenire cum gratia sufficienti, quâ justi, filii Dei, beatique effici queant : utpote ex qua consequens est pueris majus esse beneficium, in ætate infantili mori sine gratia baptismi, quàm ad ætatem adultam cum gratia illa pervenire.

Vel denique comparat solam carentiam pec- 152
cati actualis cum gloria cælesti, abstrahendo à cæteris gloriæ dotibus ac prærogativis, quarum una est impeccabilitas ? Et sic adhuc incusandus, non excusandus Sfondratus ; multò minùs laudandus de sanctissima, salubertima, atque piissima, quoad hoc doctrina, prout ipsum laudat notarum in Sfondratum dispunctor. Primò quia omnis novitas in rebus Theologicis incusanda est, velut indicium falsitatis : Sfondrati verò expressiones novæ sunt, & hactenùs inauditæ. Secundò expres- 153
siones ipsius ampliùs sonant, quàm carentiam peccati actualis præcisè, esse beneficium præstantius regno cælorum præcisè : ista namque expressio, quâ dicit parvulis sine baptismi gratia extinctis nullam esse causam dolendi, sed magis gaudendi, Deumque nihil ipsis mali feciſſe, ampliùs sine dubio sonat ; nullam utique ipsis causam esse dolendi, imò magis gaudendi quòd mortui sint in peccato originali. Quod ne quidem Pelagiani dixissent, si originale peccatum agnovissent. Nec Sfondratus dicere debuit, si illud agnovit.

Ex una quidem parte certis locis illud ag- 154
noscit, verùm alia ex parte sic aliis locis loquitur, ac si non agnosceret, sibique invicem non cohærent expressiones ipsius. Dicta namque expressio, *nulla parvulis sine baptismo extinctis, est causa dolendi, sed magis gaudendi*, non est peccatum originale agnoscentis ; cùm ne quidem sit Pelagiani illud negantis : utpote qui non negavit, exclusionem à regno cælesti causam esse dolendi.

Illa quoque expressio, parvulis sine baptis- 155
mo extinctis Deus nihil mali fecit, non est peccatum originale agnoscentis : cùm nullius (ante Sfondratum) fuerit, qui originale peccatum agnoverit. Quis enim (ante ipsum) Catholicus dixit, Deum parvulis istis nihil mali feciſſe, dum ipsis non solùm negavit po-

testatem filios Dei fieri, sicut & baptismum (etiam paratis plerùmque ministris, parentibusque ad eum procurandum festinantibus) negavit, ipsos, priusquàm conferretur, è vivis sustollendo; sed & ipsos reprobavit, æternùmque damnavit?

156 Tertiò, certum est omnem hominem creatum ob cælestem gloriam (hoc enim pueri in Catechismo didicimus) certum proinde nos hîc peregrinos esse, solumque cælum esse patriam nostram. De cælesti gloria pag. 54. præclarè loquitur Sfondratus, meritòque asserit tantam esse, tantumque gaudium vel unius beati, ut id longè omnium damnatorum mala & dolores superet, sicque vel unius animæ salutem, dignam Christi sanguine ac precibus mercedem fuisse. Et pag. 39. magnam esse creaturæ rationali pœnam, si exilio mulctetur; nec verò exilium aut majus esse, quàm quod perpetuum, aut pejus, quàm quo cælum amittitur: tantò enim infelicius exilium, quantò felicior patria; sicut tantò gravius malum, quantò majus bonum quo privat. Quomodò ista consistunt cum eo quòd Deus parvulis, sine baptismo mortuis, nihil mali fecit, qui ipsos perpetuo illo exilio mulctavit, è cæloque in perpetuum excluſit? An non ipse pag. 40. exclusionem illam vocat damnationem, pœnam & exilium? Quomodò ergo non malum? An fortè dicet (cum S. Dionysio c. 4. de div. no.) *non est malum puniri, sed fieri pœnâ dignum.* At nonne parvuli facti sunt pœnâ illâ digni, peccatum originale (peccatum utique verum ac proprium, etsi non propriâ voluntate commissum) contrahendo? Hæreticus sit, qui negare ausus fuerit.

157 Quartò, quòd puer peccato originali contaminatus, in ætate infantili peccato careat actuali (ob incapacitatem illud committendi) beneficium non est, uti suprà demonstravimus: quomodò ergo non exotica est expressio, asserere, quòd sit beneficium longè præstantius gloriâ cælesti?

158 Quintò, carentia illa nec beneficium est respectivè ad peccata actualia illius ætatis (utpote eorum incapacis) nec respectivè ad peccata actualia futuræ ætatis; non solùm quia futura non est in hac vita (quæ ipsi justo Dei judicio non dabitur) sed & quia in altera vita ab iis non præservabitur; in ea namque procul dubio fortior non erit, quàm Sancti in vita præsenti; sed absque comparatione infirmior, & ad malum proclivior: utpote omni omninò gratiâ destitutus, concupiscentiâque dominante infectus, quæ radix est malorum omnium. Si ergo Sancti, in quibus non concupiscentia, sed gratia & charitas tanta dominatur, ab omni equidem actuali in hac vita non præservantur; multò minùs ipsi omni gratiâ & charitate destituti.

159 Sextò, dato, non concesso, quòd carentia illa beneficium esset, equidem non esset beneficium sine maleficio: utpote non absque originali peccato, quo esse contaminatum, maleficium est deterius ipsismet gehennalibus flammis, & inferni cruciatibus, & usque adeò deterius, ut sanctæ animæ, si ipsis optio daretur, mallent iis æternùm cruciari, quàm vel uno instanti peccato illo contaminari, etiamsi propter illud non cruciarentur, nec cælo excluderentur. Non possunt ergo non habere causam magnam dolendi, qui moriuntur peccato illo contaminati, ac propterea in æternum à Deo reprobati, perpetuoque exilio (exiliorum maximo) mulctati, & in infernum detrusi: etiam dato, non concesso, quòd gehennalibus flammis in inferno non cruciarentur. Quod infrà examinabimus.

Septimò, ex hactenùs dictis certo certius 160
est, peregrinam in Ecclesia doctrinam à Sfondrato tradi, cùm docet pag. 14. infantes, sine baptismo sublatos, ad aliquid vitâ æternâ melius à Deo destinari: cùm eo ipso, quo è vivis tolluntur in originali peccato, ad infernum æternamque damnationem, secundùm Apostolum, Conciliaque Africana, necnon Lugdunense & Florentinum destinentur, quæ nonnisi insulsè ac ridiculè dici potest melior vitâ æternâ. Si enim parvuli æternùm damnati ad aliquid vitâ æternâ melius destinarentur, aliqua ipsis compensatio pro vitæ æternæ jactura esset cogitanda; illud utique quod comminiscitur vitâ æternâ melius: quæ verò *circa parvulos* illos compensatio cogitanda est (inquit Augustinus epist. 166. c. 7.) quibus insuper & damnatio præparata est?

Sed & à communi Catholicorum omnium 161
sensu abhorret assertio, negans parvulis, actuali peccato, sed non originali carentibus, præferendos esse fideles adultos in adoptionem filiorum Dei adscitos, perque opera bona ad sanctitatem & vitam proficientes æternam, etsi non omni carentes peccato actuali. Negativam verò assertionem illam probant ratiocinia Sfondrati, siquid probant. Probant insuper Deum nunquam elicere majus bonum ex permisso peccato justorum. Quod certissimè est falsum, Apostoloque contrarium, Rom. 3. 20. dicenti: *Ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia*; contrarium quoque sensui Ecclesiæ canentis, *ô felix culpa! ô verè necessarium Adæ peccatum!* utpote sine quo non habuissemus Christum Redemptorem.

Non me præterit Sfondrati Vindicem con- 162
tendere, Eminentissimum illum non considerare peccatum quatenùs à Deo permissum (quomodò ex bonitate Dei, plerùmque est occasio majoris boni; *melius* enim *judicavit de malis benè facere, quàm mala nulla permittere*, ut Augustinus dicit Enchirid. 25.) sed præcisè quatenùs liberè eligitur ab homine, quomodò majus est malum, quàm privatio cujuscumque boni, etiam beatitudinis, præservatioque ab illo magis optabilis & potiùs eligenda, quàm beatitudo, si ad eam perveniri nequeat absque peccato, tametsi prælectio ista non fiat per amorem absolutum, sed per simplicem & conditionatum complacen-

tiæ affectum, & ideò non ponat nec figat aliquem ſtatum pro parvulis abſque baptiſmo extinctis.

163 Sed gratis & arbitrariè iſtum commiſciturquæſtionis ſtatum : cùm Sfondrati expreſſiones plus ſonent, ut ſuprà vidimus. Et ad quid inanibus commentis iſtis, ſterilibuſque argutiis imbecilles animas decipere : cùm præleCtio iſta, utpote perfecti amoris affectus (uti fatetur pag. 53. & ſeqq.) locum non habeat in parvulis illis, à Deo habitualiter averſis, omnique gratiâ deſtitutis ; uti nec in ipſis locum habet prætenſa illa præſervatio à peccato actuali, uti etiam ſuprà demonſtravimus.

Paradoxum decimum-quartum.

164 DEcimò-quartò, eâdem pag. 164. dicit in parvulis, morientibus ſine baptiſmo, maximam Dei miſericordiam elucere: quia præſervantur ne peccent, ne jacturam innocentiæ faciant, ne perpetuis ignibus crucientur. Quæ omnia..... ad Chriſti merita & redemptionem pertinent, & ſunt planè magna portio amoris & gratiæ, ait pag. 48. Sed his obſtat Auguſtinus epiſt. 217. ad Vitalem, ubi inter duodecim ſententias, quas ad fidem Catholicam pertinere dicit, hanc ſtatuit ordine quartam : *Scimus* (gratiam Dei) *non omnibus hominibus dari..... quod maximè apparet in parvulis..... Quomodo dicitur omnes homines eam fuiſſe accepturos, ſi non illi, quibus non donatur, eam ſuâ voluntate reſpuerint ; quoniam vult omnes homines ſalvos fieri : cùm multis non detur parvulis, & ſine illa plerique moriantur, qui non habent contrariam voluntatem, & aliquando cupientibus, feſtinantibuſque parentibus, miniſtris quoque volentibus ac paratis, Deo volente non detur, cùm repente, antequam detur, expirat, pro quo ut acciperet currebatur?*

165 Obſtat etiam Tridentinum ſeſſ. 6. de juſtific. ubi agens de juſtificatione, exordiiſque illius, cap. 3. ſic habet: *Etſi Chriſtus pro omnibus mortuus eſt, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, ſed ii dumtaxat, quibus meritum paſſionis ejus communicatur.* Statimque addit communicationem iſtam meritorum Chriſti fieri per baptiſmum, *per quem in Chriſto renaſcimur.* Unde in expoſitione fidei per Illuſtriſſimum Epiſcopum Condomenſem factâ, atque ab Innocentio XI. pluribuſque Cardinalibus laudatâ, ſic habetur : *Cùm parvuli nequeant ſupplere defectum baptiſmi per actus fidei, ſpei & charitatis, nec per votum ſuſcipiendi Sacramentum ; credimus, quòd niſi reverà illum ſuſcipiant, nequaquam participes gratiæ redemptionis fiant, quòdque ita in Adamo morientes, nullam cum Jeſu Chriſto partem habeant.* Nullam proinde cum gratia ipſius : cùm omnis gratia Chriſti, ſit vel juſtificatio, vel quoddam exordium ipſius, ſeu diſpoſitio ad illam, & inde ad gloriam. Per conſequens omnis gratia Chriſti eſt vivificatio quædam, ſaltem inchoata. Qua de re plura videri poſſunt ſuprà Prolegom. 6. c. 15. §. 1. Nullam verò juſtificationis, nullam vivificationis inchoationem habent parvuli, qui Sacramenti redemptionis expertes, nulla in Redemptoris regno & corpore parte ſunt. Quiſquis autem dixerit, quòd in Chriſto vivificabuntur etiam parvuli, qui ſine Sacramenti ejus participatione de vita exeunt ; hic profectò & contra Apoſtolicam Prædicationem venit, & totam condemnat Eccleſiam, ubi propterea pro baptizandis parvulis feſtinatur & curritur, quia ſine dubio creditur, aliter eos in Chriſto vivificari omninò non poſſe. Qui autem non vivificatur in Chriſto, reſtat ut in ea condemnatione maneat, de qua dicit Apoſtolus : *Per unius delictum in omnes homines ad condemnationem.* Paradoxum ergo eſt dicere, in eis parvulis, quibus baptiſmi gratia minimè conceditur, maximam Dei miſericordiam elucere : cùm ira Dei maneat ſuper eos, cùmque omninò alieni ſint à vita Chriſti, omninò alieni ſunt à beneficio ſeu fructu redemptionis ipſius. Ipſimet, ſi loquî poſſent, Sfondratianis adulationibus contradicerent, & clamarent: *Da nobis vitam Chriſti ; in Adam mortui ſumus... : Fiat miſericordia cum miſeris ; ut quid eorum innocentia ultra modum laudatur? Inveniant Salvatorem, non ſentiant adulatorem.* Auguſtinus ſerm. 293.

Ex dictis toto hoc capite colligitur, eum 166
non diſſolvere, ſed implicare nodos Theologicarum difficultatum, qui humanis affectibus (ut loquuntur Gallicani Præſules in epiſtola ſæpiùs memorata) exilibuſque argutiis magis quàm Eccleſiæ traditione ducitur. Quod profectò Sfondratus non feciſſet, ſi Auguſtini veſtigiis inſtitiſſet ; ſed quia non inſtitit (paginâ quippe 164. fatetur nunquam Auguſtinum hoc modo philoſophatum eſſe, nec voluiſſe aliis adimere libertatem, in cauſa parvulorum, ea omnia dicendi, quæ opportuna viderentur) dum plus ſapere voluit quàm Auguſtinus (à Deo ſpecialiter electus ad confutandos Pelagianorum errores) evanuit in degeneres molleſque ſententias (verba ſunt eorumdem ſapientiſſimorum Præſulum) quæ pietatis ſpecie vim ipſam pietatis infringunt.

CAPUT X.

Parvuli ſine baptiſmo extincti puniuntur pœnâ ſenſûs, hoc eſt ignis infernalis cruciatu, non pœnâ damni dumtaxat.

QUòd immanis error ſit, ab inferno damnationeque abſolvere parvulos ſine Chriſti Sacramento defunctos, conſtat ex dictis capite præcedenti, nimirùm ex Conciliis Lugdunenſi ſub Gregorio X. & Florentino ſub Eugenio IV. quorum iſta eſt definitio : *illorum animas, qui in actuali mortali peccato, vel cum ſolo originali decedunt, mox in infernum deſcendere, pœnis tamen diſparibus puniendos.* Nec non ex Gelaſio I. epiſt. ad Epiſcopos per Pi-

cenum declarante, quòd *non renati infantes... perpetuâ damnatione puniuntur.* Constat denique ex Evangelio Marci 16. *Qui non crediderit, condemnabitur.* Et Apostolo Rom. 5. *Judicium ex uno in condemnationem. Dicant isti* (ait Augustinus) *quomodò ex uno delicto in condemnationem*, nisi *quia sufficit ad condemnationem unum originale peccatum?* L. 2. de nupt. & concup. c. 27. Unde epist. 166. c. 8. de dictis parvulis ait: *damnari eos & sancta Scriptura, & sancta testis est Ecclesia.* Et hanc vocat *Apostolicam, robustissimam, ac fundatissimam fidem.* Nihilominùs de iis Sfondratus pag. 719. constat (inquit) ignis pœnâ immunes fore; id enim ratio, omniumque Theologorum authoritas evincit. Verùm utrumque à veritate alienissimum ex dicendis constabit. Imò contrarium esse de fide plerique Patres censuerunt, constansque Veterum sententia fuit de sensibili pœna ipsorum.

168 Et Patrum quidem sententia de sensibili pœna parvulorum stetit, donec (inquit Eminentissimus Cardinalis de Noris in Vindiciis Augustinianis c. 3. §. 5.) post ducentesimum supra millesimum annum Christianæ Epochæ, novæ opiniones à Scholasticis procusæ sunt. Qui, si in Patrum voluminibus tantum studii ac laboris posuissent, quantum Aristoteli explicando impenderunt, profectò S. Augustini sententiam non obduxissent, neque eorum plerique Pelagianorum opinionem (de naturali parvulorum fine baptismo extinctorum beatitudine, perfectiori quàm in hac vita haberi queat, citra dolores & tristitiam) hominum mentibus tam altè infixissent. Sed per Scholasticorum illorum argutias & controversias factum est, non ut quod olim ad fidem pertinebat, hodie non pertineat (verbum enim Dei quod revelatum est, semper manet revelatum) sed ut quod olim à plerisque Patribus cognoscebatur esse de fide, hodie non cognoscatur esse de fide. Aliud namque est, veritatem aliquam esse de fide, aliud cognosci esse de fide; suntque aliquæ veritates, quas ut fidei veritates universa recipit Ecclesia; & his nemo contradicere potest sine errore in fide. Sunt & aliæ, quas aliqui putant esse de fide, eò quòd inveniant eas à gravissimis Patribus considerari velut ad fidem pertinentes: at quia eas Ecclesia universa non recipit, ut definitam fidei doctrinam, sed iis multi contradicunt, Ecclesiâ permittente, vel tolerante; idcircò qui eas de fide esse censent, non possunt nec debent censurâ configere contrarium sentientes.

169 Quòd itaque parvuli sine baptismo extincti, in inferno puniantur pœnâ sensûs, probatur ex Scriptura Matth. 25. ubi Christus, judicium universale describens, duas tantùm judicandorum classes ponit, unam ad dexteram, cui adjudicabit regnum cælorum; alteram ad sinistram, quam damnabit ad ignem æternum. Ergo (inquit Augustinus serm. 14. de verb. Apost.) *parvuli non regenerati, utpote in dextra non futuri, sed in sinistra, ibunt in ignem æternum. Venturus est Dominus* (inquit) *& judicaturus est de vivis & mortuis, sicut Evangelium loquitur. Duas, non tres partes facturus est, dextram & sinistram. Sinistris dicturus est: Ite in ignem æternum.... dextris dicturus: Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, &c. Nullus relictus est locus medius, ubi ponas infantes...: nullum medium locum in Evangelio novimus. Ecce in dextra regnum cælorum est.... Qui ibi non est, in sinistra erit. Quid erit in sinistra? Ite in ignem æternum. Qui non in dextra; procul dubio in sinistra. Ergo qui non in regno, procul dubio in igne æterno.... Igitur quamdiu confiteris parvulum non futurum in regno* (*quod fides Catholica docet*) *fateris futurum in igne æterno.* Eodem modo ex illo Evangelii loco arguit Gelasius Papa epist. 7. sicut & Concilium Genetale totius Africæ anno 418. celebratum can. 2. Quem Canonem in antiquis Codicibus extare ostendit Card. de Noris Histor. Pelag. l. 1. c. 15.

Probatur 2°. ex Apocal. 20. ubi S. Joan- 170
nes pariter describens judicium extremum, primò dicit, in illo mortuos esse judicandos, magnos & pusillos. 2°. generaliter pronuntiat, eos qui non fuerint scripti in libro vitæ, esse mittendos in stagnum ignis. Quòdque hæc est mors secunda. *Vidi mortuos, magnos & pusillos, stantes in conspectu throni, & libri aperti sunt.... Et judicati sunt mortui ex his quæ scripta sunt in libris, secundùm opera ipsorum... Et infernus, & mors missi sunt in stagnum ignis. Hæc est mors secunda. Et qui non inventus est in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.* Hunc locum Augustinus aliique Patres Pelagianis opponunt, tamquam convincentem: cùm enim fide constet parvulos, sine baptismo mortuos, non esse descriptos in libro vitæ, manifestè conficitur, eos mitti in stagnum ignis, subireque mortem secundam.

Scio à nonnullis asseri, sacra illa testimonia 171
non loqui de parvulis; sed isti manifestè recedunt à Patribus, per ea Pelagianos oppugnantibus.

Scio etiam Bellarminum l. 2. de amiss. grat. 172
c. 5. ob sacra illa testimonia admittere, quòd parvuli mittantur in stagnum ignis æterni; sic tamen ut eo non crucientur: quia vel erunt (inquit) in parte superiori istius stagni extra flammam, vel licèt sint in flamma, hæc tamen non habebit vim urendi, sed tantùm detinendi ipsos.

Verùm imprimis glossa ista nimis remota est 173
à sensu obvio, in quo intelligenda est divina Scriptura, dum nihil cogit ab eo recedere. Deinde si glossa ista valeret respectu parvulorum, valeret & respectu adultorum; quo dato, ex Scriptura evinci non posset, adultos, mortuos in mortali peccato, igne cruciandos æterno. Denique commentitiam illam glossam Augustinus perspicuè rejicit l. de fid. & oper. c. 16. hisce verbis: *Neque illud dici poterit,*

in quo nonnulli seipsos seducunt, ignem æternum dictum, non ipsam combustionem æternam.... ut scilicet ipse ignis æternus sit, combustio verò eorum, hoc est operatio ignis in eos, non sit æterna: cùm & hoc prævidens Dominus, sententiam suam concluſit ita dicens: „ Sic ibunt „ hi in COMBUSTIONEM ÆTERNAM. „ *Erit ergo æterna combustio, sicut ignis.*

174 Eodem modo SS. Patres exponunt locum allegatum ex Apocalypsi: nam Auguſtinus l. 19. de Civit. Dei c. 28. mortem ſecundam ſic exponit: *Eorum qui non pertinent ad Civitatem Dei, erit è contrario miseria sempiterna; quæ etiam secunda mors dicitur: quia nec anima ibi vivere dicenda est, quæ à Dei vita aliena erit; nec corpus, quod æternis doloribus subjacebit.* Similiter S. Fulgentius l. 1. ad Monim. c. 6. dicit, mortem primam conſiſtere in ſeparatione animæ & corporis, & ſecundam in æterna cruciatione animæ & corporis. Ergo mors ſecunda & ſtagnum ignis, apud S. Joannem in Apocal. juxta SS. Patres, non ſolùm importat pœnam damni, ſeu privationem viſionis beatificæ, ſed & pœnam ſensûs, ſeu æternos dolores, cruciatuſque animæ & corporis.

175 Hinc probatur 3°. aſſertio noſtra ex Gelaſio Papa, Concilio Generali Africæ citato, & SS. Patribus Auguſtino & Fulgentio jam relatis, qui eam ut certam tradunt, & Fulgentius quidem (cujus maxima ſemper authoritas fuit in Eccleſia Dei) eam ut fide certam tradidit in libro de fide ad Petrum c. 27. hiſce verbis: *Firmissimè crede, & nullatenùs dubites, non solùm homines jam ratione utentes, verùm etiam parvulos, qui sive in uteris matrum vivere incipiunt, & ibi moriuntur, sive jam de matribus nati sine Sacramento sacri Baptismatis de hoc sæculo transeunt, ignis æterni sempiterno supplicio puniendos.* Capite verò 44. ſubjungit: *Hæc interim quadraginta capitula ad regulam veræ fidei firmissimè pertinentia, fideliter crede, fortiter tene, veraciter patienterque defende. Et siquem contraria his dogmatizare cognoveris, tamquam pestem fuge, & tamquam hæreticum abjice.* Nolim tamen hâc cenſurâ notare contrarium aſſerentes: quia dogma iſtud SS. Patrum olim à fidelibus creditum, ſucceſſu temporis obſcuratum, & non ſolùm in dubium revocatum, ſed & à pluribus Theologis magnis, Eccleſiâ tolerante, contradictum ſcimus. In-
176 terim Auguſtino & Fulgentio concinunt Hieronymus l. 3. Dialogorum in Pelagianos. Quindecim Epiſcopi Africani pro fide in Sardinia exules in l. de Incarn. & grat. Gregorius Magnus l. 9. Moral. ad ea Jobi verba: *Multiplicasti vulnera mea, etiam sine causa.* S. Prudentius l. de prædeſt. c. 16. S. Alcimus Avitus, Archiepiſcopus Viennenſis, in carmine de caſtitatis laude ad Fulcinam ſororem. Iſidorus l. 1. ſent. 22. &c. Anſelmus de conceptu Virginis & pecc. orig. c. 22. S. Aelredus l. 1. ſpec. charit. c. 15.

Nec diſſentiunt Nazianzenus orat. 40. & 177
Ambroſius l. 2. de Abraham c. ult. quamvis enim verba ipſorum, ſeorſim à textu, aliquid habeant difficultatis, conſiderato textu contra nos urgeri non poſſunt. Cùm utroque loco loquantur æqualiter de adultis, non voluntariè, ſed caſu, aut neceſſitate aliquâ mortuis abſque baptiſmo, ac de parvulis. Nazianzenus etiam dicat, eos improbitate carere, utpote qui baptiſmi jacturam paſſi potiùs fuerint, quàm fecerint. Ipſis proinde etiam objicientibus incumbit explicare ſenſum ipſorum, qui catholicæ veritati non contradicat. Cùm igitur aiunt, eos ſupplicium non accipere, de ſolo illo intelligendi videntur, quod negle&ui, vel contemptui baptiſmi debitum eſt.

Probatur 4°. ratione fide illuſtratâ, quia 178
peccatum originale eſt mortale, cùm afferat mortem animæ, primam & ſecundam, conſtituatque hominem ſub poteſtate diaboli ſecundùm animam, ut Auguſtinus probat ex exorciſmis Eccleſiæ, ante baptiſmum adhiberi ſolitis; ipſum denique conſtituat iræ filium, juxta illud Epheſ. 2. *naturâ filii iræ.* Porrò ſi filii iræ, *ergo filii pœnæ, filii gehennæ*, ut Auguſtinus arguit tr. 44. in Joan. Enimverò cùm per baptiſmum parvuli, de quibus agimus, non liberentur à poteſtate diaboli, in æternum manent ſub illius poteſtate. *Si autem non eruitur de potestate tenebrarum, & illic remanet parvulus, quid miraris in igne æterno cum diabolo futurum, qui in regnum Dei intrare non sinitur?* Auguſtinus l. 3. oper. imperf. in Julian. Cùmque parvuli in hac vita, ob ſolum originale puniantur pœnâ ſenſûs, tot utique miſeriis corporalibus, uti quotidie videmus, decet Dei juſtitiam, quòd etiam in altera vita, quæ tempus eſt vindictæ, pœnâ ſenſûs puniantur. Maximè cùm corpora ipſorum futura non ſint impaſſibilia, utpote non glorificata. Nihil proinde impediet, quominùs patientur ab igne, in quem (ſecundùm Oracula ſacra) mittentur. Et quomodò nullum dolorem, nullam triſtitiam concipient ex perpetuo ſuo exilio, omnium triſtiſſimo, ad locum inferni horridum & tenebroſum, ubi nihil viſuri ſunt niſi horribilia ſpectra dæmonum & damnatorum, nihil audituri niſi horrendas ipſorum blaſphemias & ululatus? Quomodò animæ ipſorum nullam triſtitiam concipient ex pœna damni, quæ longè gravior erit, quàm pœna ſenſûs? Profectò negari non poteſt, quòd cognoſcituri ſint gravitatem iſtius pœnæ: cùm ratio naturalis dictet, eum qui pœnâ magnâ punitur, cognoſcere debere æquitatem divini judicii, ipſum tali pœnâ punientis; ſitque certum quòd aderunt univerſali judicio, in quo audient ſententiam ſuæ condemnationis, cognoſcentque æquitatem illius, ſicut cæteri damnati. Impoſſibile verò eſt quòd non doleant ſe juſto judicio æternùm privatos æterna felicitate, ad quam creati erant, perveniendique potentiam habebant, vel in volun-

tate

tate Protoparentis sui, vel in Sacramento baptismi. Unde Augustinus l. 3. contra Julian. c. 3. Pelagianos repellit, nullam pœnam putantes imaginem Dei exulare à regno Dei. *Ego* (inquit l. 5. c. 1.) *eâ mente, intelligentiâ, ratione, in qua sum factus ad imaginem Dei, tantùm amo regnum Dei, ut hominis magnam judicem pœnam, si eò nunquam possit intrare. Iuane verò tu* (Juliane) .... *responsurus es.... non solùm magna non est, sed nulla omninò pœna est imaginis Dei, nunquam posse intrare in regnum Dei? Puto, quòd nec uni homini, cujus nec vim, nec testimonium formidabis, hoc dicere audebis.* Non sic ergo philosophari possumus de pœna damni, respectivè ad parvulos, sicut de non elevatione rustici ad regiam dignitatem. Quia ista non elevatio in rustico non habet rationem pœnæ, nec ipse creatus est ut esset Rex, sicut parvuli creati sunt ut ad cæleste regnum elevarentur, à quo non excluduntur, nisi in pœnam pro culpa originali, quam contraxerunt.

179 Propter ista argumenta tenenda est hac in parte sententia Patrum, potiùs quàm Scholasticorum. Tum quia, si non certis, longè certè gravioribus efficacioribusque nititur fundamentis. Tum quia sententia Patrum, benè proposita, fructus longè majores proferre nata est, quàm Scholasticorum. Quia nempe longè magis absterrebit à procurando aborsu, conjugesque magis deterrebit ab omnibus iræ atque incontinentiæ excessibus, quibus aliquando fit, quòd proles in utero extinguatur. Efficaciùs quoque baptismi impediet dilationem, ac sollicitiores reddet parentes, ad Deo commendandas proles in uteris matrum existentes, sicut & Pastores ad iis festinatè succurrendum, etiamsi ad id opus esset profusione sumptuum ad excisionem matris mortuæ, ut proles baptizetur. Si enim *bonus Pastor animam dat pro ovibus suis.* Joan. 10. *Qui non dat pro ovibus substantiam suam* (ait Gregorius) *quomodò pro his daturus est animam suam?*

CAPUT XI.

Solvuntur objectiones.

180 Objicies 1°. Job in magnis doloribus constitutus c. 3. videtur desiderasse extinctionem suam in utero matris, hâc reddità ratione: *Nunc enim dormiens silerem, & somno meo requiescerem.*

Respondeo cum D. Gregorio l. 4. Moral. c. 24. *Absit nos credere, quòd B. Job, tantâ spiritûs scientiâ præditus, tantâ interni judicis attestatione laudatus, abortivum se optet interiisse,* pœnâ proinde peccati originalis puniendum; aliàs desiderium ipsius certissimè inordinatum fuisset, cùm pœna peccati originalis, etiam damni tantùm, certissimè superet omnem pœnam sensûs (uti docent Augustinus Enchirid. cap. 112. Chrysostomus homil. 13. in epist. ad Philipp. necnon homil. 47. & 57. ad pop. Antioch. Basilius in Ps. 33. ad illa verba, *timorem Domini*, &c.) & incomparabiliter superet omnes dolores hujus vitæ, quos Job patiebatur. Proinde non potuit sibi promittere quietem absolutam, liberationemque ab omnibus malis post hanc vitam, casu quo mortuus fuisset in matris utero; nec enim in requie sunt qui in originali moriuntur, sed sunt in pœna & suppliciis illius, prout D. Gregorius observat ibidem. Verba proinde Job ne ipsi quidem objicientes ad litteram absolutè exponere possunt; sed nobiscum fateri debent quòd statum parvulorum, qui in utero matris moriuntur, Job sibi non repræsentaverit quoad omnia, sed tantùm secundùm quid, in quantum scilicet status illorum immunis est à doloribus & miseriis hujus vitæ.

Objicies 2°. illud Apoc. 18. *Quantùm glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum illi tormentum & luctum date.* Atqui infantes non glorificaverunt se, nec in deliciis fuerunt. Ergo futuri non sunt in tormentis. 181

Respondeo 1°. istud etiam argumentum ab objicientibus solvendum. Probat enim, siquid probat, infantes non debere corporaliter mori: cùm mors corporalis ipsorum pertineat ad tormentum, seu pœnam sensûs, quâ objectio prætendit infantes illos non puniendos: cùm fuerint absque sui glorificatione in deliciis corporalibus. Quare

Respondeo 2°. ex isto loco rectè quidem deduci, quòd peccatum delectationis sensûs punietur pœnâ sensûs, magnitudini delectationis proportionatâ; non tamen quòd solum peccatum delectationis sensûs pœnâ sensûs punietur. Aliàs peccata merè spiritualia adultorum non punirentur pœnâ sensûs. 182

Respondeo 3°. infantes peccasse peccato delectationis sensûs in Adam, per esum pomi vetiti. 183

Objicies 3°. Infantes in judicio finali non judicabuntur: cùm Matth. 25. & Apocal. 18. insinuetur, unumquemque judicandum secundùm opera sua; infantes autem non habent opera propria. 184

Respondeo cum Augustino l. 6. contra Julian. c. 10. infantes judicandos secundùm opera sua, vel ut Apostolus 2. Cor. 5. ait, secundùm *propria corporis sui*, per ea intelligendo quidquid *ad unumquemque jam viventem pertinet*; at verò *pertinet ad parvulum, etiam quod per alterum gessit.* Judicabuntur ergo parvuli, etiam de eo quod in Adamo peccarunt, deque eo quod per alium, sive per ora gestantium (in baptismo) sive crediderunt, sive non crediderunt. Quo etiam modo D. Fulgentius l. 1. de verit. prædest. & grat. cap. 14. exponit verba ista: *Reddet unicuique secundùm opera sua*, scilicet *ut.... pro originali peccato æternis ignibus ardeant, quibus arsuri sunt sine baptismo morientes etiam parvuli.* Et S. Thomas in epist. 2. ad Cor. *Non judicabuntur pro his quæ gesserunt per se, sed de his quæ gesserunt per alios, dum per eos credide-*

runt, vel non crediderunt, baptizatique vel non baptizati fuerunt.

185 Objicies 4°. Matth. 25. pro causa damnationis ad ignem assignatur omissio corporalium operum misericordiæ, seu charitatis.

Respondeo 1°. quemadmodùm ex eo quòd ibidem pro causa salvationis praxis corporalium operum misericordiæ assignatur, consequens non est parvulos, morientes post baptismum, non esse de numero salvatorum; sic ex eo quòd ibi pro causa damnationis ad ignem dicta omissio assignetur, consequens non est parvulos, morientes ante baptismum, non esse de numero damnatorum ad ignem. Contrarium quippe est certum ex citato cap. 18. Apoc. & 2. Cor. 5. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit*, hoc est dum in corpore degeret, sive ea per se gesserit, sive per alium. Unde

186 Respondeo 2°. ibi quidem assignari causam unam damnationis existentium in sinistra, salvationisque existentium in dextra, sed non dici esse unicam & solam; alioqui (præter id quod proximè dixi) ne quidem respectu adultorum explicari posset sententia Judicis universalis. Non enim damnabuntur illi, qui in summa paupertate constituti non habuerunt unde eleëmosynas corporales facerent, vel extra omne consortium hominum in sylvis existentes, non habuerunt ad manum proximos, quibus erogarent; denique non salvabuntur, qui exercentes corporalia misericordiæ opera, in peccato mortali actuali mortui fuerint. Vel ergo per opera misericordiæ ibi descripta, intelligenda est ipsa virtus charitatis secundùm se, in opera ista prorumpens dum adest facultas & occasio opportuna; & sic intellecta sententia Christi tam habet locum in parvulis quàm in adultis: cùm parvuli baptizati virtutem infusam charitatis in baptismo receperint, eâque careant non baptizati. Vel ab ipsismet objicientibus solvenda est objectio illa, dicendo à Judice ibi non assignari causam unicam, & adæquatam quæ in omnibus, etiam adultis, locum habeat.

187 Respondeo 3°. sicut parvuli baptizati per Ecclesiam facere censentur, quæ facit Ecclesia, credere utique, & Christi carnem manducare; ita & per Ecclesiam opera misericordiæ corporalis exercere. Non baptizati autem ne quidem per Ecclesiam credere, Christi carnem manducare, misericordiæque opera exercere censentur, & ideò damnantur, juxta illud: *qui verò non crediderit, condemnabitur*, &c.

188 Objicies 5°. Innocentius III. cap. *majores* de baptismo dicit, quòd pœna originalis peccati est carentia visionis Dei; actualis verò pœna peccati est gehennæ perpetuæ cruciatus.

Respondeo Innocentium III. non dicere, pœnam originalis peccati esse solam carentiam visionis Dei; per consequens non dicere esse solam pœnam damni, non sensûs. Nec diversitas, quam ponit inter pœnam peccati originalis & actualis, id postulat. Aliàs similiter postularet ut censendus esset dicere pœnam peccati actualis esse pœnam sensûs, non damni. Quod hæreticum est. Innocentius ergo, ad probandum quòd originale peccatum per baptismum non remittatur, nisi dimissis simul actualibus, assumpsit id de quo Catholici omnes conveniunt, à præsenti quæstione controversa abstrahendo; nec tamen probatio ipsius verbis objectis innixa efficax est, sed superficialis tantùm, ut advertit Glossa isti Canoni adjuncta. Nec certè rationes Pontificum semper sunt efficaces, ut videre est cap. *non debet* de consanguinit. & affinit. ubi etiam ratio superficialis ab eodem Innocentio adfertur.

Objicies 6°. S. Bernardus ser. 3. de Pasch. 189
Cesset (inquit) *propria voluntas, & infernus non erit.* At in parvulis non est propria voluntas.

Respondeo S. Bernardum per propriam voluntatem non intelligere voluntatem personalem, sed eam quâ quis inordinatè seipsum commodumque suum quærit, contra Dei legem; quomodò voluntas propria est habitualiter in parvulis, à Deo habitualiter aversis, & ad creaturas per concupiscentiam dominantem conversis.

Objicies 7°. S. Thomas q. 5. de malo a. 190
2. *Communiter dicitur* (inquit) *quòd peccato originali non debetur pœna sensûs, sed solum pœna damni, scilicet carentia visionis divinæ; & hoc videtur esse rationabile.* Videri etiam potest 1. 2. q. 89. a. 6.

Respondeo 1°. ita quidem S. Thomam sensisse, cum S. Bonaventura, Magistro Sentent. Scoto, &c. atque ideò contrariam opinionem, ob ipsorum authoritatem, probabilem esse. In hac tamen materia, Augustino potiùs, Fulgentio, &c. quàm ipsis adhærendum: utpote qui quæstionem hanc ex professo contra Pelagianos, ad Ecclesiam defendendam, discusserunt, atque ad id specialiter à Deo electi sunt; non S. Thomas, qui hîc & aliàs sæpiùs loquitur juxta sententiam suò tempore communiorem, ait Sylvius 1. 2. q. 86. n. 6. addens non deesse rationem existimandi, si suam Summam Theologicam absolvisset, eum in partem alteram fuisse declinaturum: quia l. 3. contra Gent. c. 156. habet pro absurdo, quòd sint aliqui homines, qui nec beatitudinem consequantur, nec pœnam à Deo patiantur; eò quòd juxta Scripturam Matth. 25. omnibus in divino judicio existentibus dicetur: *Venite, possidete paratum vobis regnum.* Vel, *discedite in ignem æternum.*

Respondeo 2°. communi illi dicto Scho- 191
lasticorum præferenda contraria dicta SS. PP. nec enim dictum Scholasticorum fundatur in Scriptura & traditione, sed in ratione purè humana (ex qua definienda non sunt quæ divino, non humano pensanda sunt judicio) ideò non solida, quia petit principium: tota namque ratio quâ id probant, est quia pœna sensûs non debetur nisi conversioni actuali voluntatis ad creaturas. Quod ipsissimum est, de

de quo disputatur. Cur enim non debetur aversioni à Deo, quam S. Thomas fatetur reperiri, saltem habitualiter, in originali peccato, imò esse formale illius? Deinde infantis anima habitualiter etiam ad creaturas conversa est per concupiscentiam dominantem, quamdiù infans baptizatus non est, sive per baptismum non accepit infusum sibi charitatis habitum, per quem habitualiter convertitur ad Deum. Præterea ex pœnis sensibilibus, quas patiuntur infantes, ratio illa Scholasticorum demonstratur non subsistere: cùm ex iis pateat, quòd peccato originali correspondeant pœnæ sensibiles in hac vita. Cur ergo non in altera? Quòd peccatum originale dimissum, pœnis illis puniatur in hac vita, non in altera, non est ad rem. Hoc enim non provenit ex eo quòd Deus in altera vita peccatum originale pœnis sensibilibus punire non possit; sed ex eo quòd ipsi placeat in hac vita sic punire peccatum originale dimissum; non autem in altera vita. Hoc autem nihil facit pro peccato originali non dimisso. Denique major pars Scholasticorum hac in re meritò suspecta est; eò quòd tradiderint opinionem de naturali parvulorum in originali mortuorum beatitudine, quæ fidei principiis videtur parum consona. Unde SS. Patribus, potiùs quàm Scholasticis illis, nobiscum meritò adhærent Gregorius Ariminensis, Ubertinus de Casalis, Alphonsus à Castro, Driedo, Sonnius, Hosselius, & passim Lovanienses, Sylvius, Augustinus Musæus, Alipius Reylot, Michaël Paludanus, Carolus Moreau, Dionysius Petavius, Bonus Merlesius, Contius Archiepiscopus Thuamensis, & (pluribus aliis relatis) Cardinalis de Noris in Vindiciis Augustinianis à pag. 51. ad 84.

192 Objicies 8°. Nostra hæc, seu potiùs SS. Patrum sententia, crudelis est & immisericors erga parvulos.

Respondeo minùs crudelem esse, magisque misericordem quàm oppositam: quia minùs nocet, magisque infantibus proficua est. Neque enim ipsis proficua est opinio Adversariorum: quia ob eam non minùs patientur infantes, nec magis ob nostram; Deus namque in pœnis infligendis, non attendit ad opiniones hominum, sed ad merita peccatorum, & ad ordinationem divinæ legis suæ. Ideò verò nostram dixi infantibus minùs nocivam; imò magis proficuam, quia parentes reddit magis sollicitos ad baptismum infantibus procurandum, abortumque vitandum, ut suprà dixi; ubi contraria opinio parentibus est occasio cur minùs solliciti sint, ne infantes moriantur sine baptismo, dum decepti per falsam erga infantes misericordiam sic opinantium, minus in ea malum concipiunt, quàm sit juxta sententiam SS. Patrum. Quo sensu Gelasius Papa, de iis qui parvulis sine baptismo morientibus tertium concedunt locum, inter infernum & cælum, dicit: *Tollant ergo nescio quem ipsi tertium, quem decipiendis parvulis faciunt locum*; quasi dicat, quòd tertium locum illum ponendo, detur occasio decipiendis parvulis, seu eorum parentibus, quatenùs per hoc datur ipsis occasio negligendi sollicitudinem illam magnam procurandi baptismum ipsorum, ad quam non negligendam ipsos stimulat sententia nostra.

Objicies 9°. Dum Scriptura & Patres, lo- 193
quendo de parvulis non baptizatis, utuntur vocabulo ignis, tormenti, supplicii, gehennæ & cruciatûs, hoc largè est accipiendum pro pœna, ut ponatur species pro genere.

Respondeo negando assumptum, tum quia Augustinus expositioni isti manifestè repugnat, per ignem non intelligendo pœnam in genere, sed determinatè *combustionem*; per combustionem autem operationem ignis in eos qui mittuntur in ignem æternum. Tum quia si glossa illa subsisteret, ex Scriptura sacra evinci non posset, adultos igne specificè sumpto cruciandos: quemcumque enim Scripturæ locum quis protulerit, explicabitur per pœnam in genere; vel certè de sola pœna damni, tristitiaque inde concepta.

Objicies 10°. Augustinus, in quæstione 194
de pœna parvulorum, valdè dubius semper extitit, & varius. Primò namque hac in re ignorantiam suam humiliter fatetur epist. 166. aliàs 28. ad Hieronymum: *Cùm ad pœnæ ventum est parvulorum, magnis, mihi crede, coarctor angustiis, nec quid respondeam prorsus invenio.* Secundò, l. 3. de lib. arb. c. 23. *Non enim metuendum est* (inquit) *ne vita esse potuerit media inter rectè factum & peccatum, & sententia Judicis media esse non possit inter præmium atque supplicium.* Tertiò, l. 5. contra Julian. c. 8. & Enchirid. c. 5. duo de parvulis dicit, cum eorum æterna ad combustionem ignis damnatione incompossibilia. Unum est quòd non sunt tantâ pœnâ plectendi, ut eis non nasci potiùs expediret quàm natos esse. Alterum, quòd eorum damnatio erit omnium levissima. Quartò, q. 9. in Josue fatetur, nomine ignis, omne genus pœnæ intelligi posse, dum ibi tormentum ignis pro lapidatione sumit.

Respondeo, prorsus negando antecedens. 195
Quamvis enim sæpissimè de parvulorum pœna tractaverit, vel contra Pelagianos disputando, vel Catholicos docendo, firmissimè semper docuit, vel supposuit, vel Scripturis evidentibus probavit, infantibus absque baptismo defunctis, alium locum non esse paratum, nisi gehennæ ignis. Nec in eam sententiam abreptus est ardore disputandi contra Pelagianos, plus dicendo quàm vellet intelligi, prout sanctus Bonaventura dicit. Si enim sanctos Patres sic glossare liceret, nihil efficaciter ex eorum sententiis concludi posset. Quàmlibet enim perspicuè aliquid dixissent, semper exsufflari posset, glossando, quòd disputationis ardore plus dixerint, & minùs voluerint intelligi. Ipse etiam S. Bonaventura, seu dicta ipsius, quàmlibet lucida, sic eludi possent. Nec Augustinus, tam durè loquendo, & aliud

intelligendo, Pelagianos ad medium veritatis facilè reduxisset, sed ab eo potiùs avertisset; faciliùs adducturus, apertè pronuntiando, parvulos solam damni pœnam sustinere, si ita intellexisset. Verùm in Augustino ne vestigium quidem invenitur, quo verbis ipsius, ex se lucidis, alia significatio quàm obvia tribui possit. Unde l. 1. oper. imperf. contra Julian. n. 48. cùm Julianus objiceret ipsi immanem rigorem, barbariemque sententiæ suæ, dicentis, quòd Deus æternis ignibus parvulos tradit. Se à Juliano non benè intellectum non dicit, nec objectum sibi rigorem mitigat, dicens, parvulos in ignem quidem ituros, ab igne tamen non cruciandos; sed ad inscrutabilia Dei judicia recurrit, cum Apostolo dicens: *O homo, quis tu es, ut respondeas Deo?* Sicque concludit: *In iis ergo, quos liberat, amplectamur misericordiam; in eis quos non liberat, agnoscamus judicium, occultissimum quidem, sed sine ulla dubitatione justissimum.*

196 Enimverò solida non sunt quæ ad probandam Augustini hac in re vacillationem producuntur. Non primum; nam quod ibi dicit: *Cùm ad pœnam ventum est parvulorum, magnis, mihi crede, coarctor angustius, nec quid respondeam prorsus invenio*, non dicit dubitans de pœna parvulorum, sed quærens justam causam illius, quam licèt non dubitaret esse peccatum originale, non percipiebat, quâ ratione istud contraheretur, si animæ (ut sentiebat Hieronymus) ex traduce non sunt, sed singulis nascentibus à Deo creantur. In qua sententia non inveniebat justam causam damnationis infantium, sine baptismo morientium; imò nec justam causam pœnarum, quas in hoc patiuntur sæculo. Nam de iis etiam loquitur his verbis: *Non solùm eas pœnas dico, quas habet post hanc vitam illa damnatio, quò necesse est trahantur, si de corpore exierint sine christianæ gratiæ Sacramento; sed eas ipsas quæ in hac vita, dolentibus nobis, versantur ante oculos.* Ex quibus postremis verbis luce meridianâ clarius est, angustiam Augustini non fuisse de veritate pœnarum illarum, sed de justa causa earum. Propterea petit ea de re à Hieronymo instrui: *Quærenda causa est, atque reddenda, quare damnentur animæ, quæ novæ creantur singulis quibusque nascentibus, si præter Christi Sacramentum parvuli moriantur; damnari enim eas, si sic de corpore exierint, & sancta Scriptura, & sancta est testis Ecclesia. Unde illa de animarum salute sententia, si hanc fidem fundatissimam non oppugnas, sit est mea; si oppugnas, non sit & tua.* Damnationem ergo parvulorum, tam ad pœnas vitæ præsentis, quàm futuræ, Augustinus indubitatam, imò fide certam habuit. Tota proinde agitatio, tota ignorantia, à qua liberari cupiebat, ad eam non est referenda, sed ad quæstionem de origine animæ, uti manifestè indicant sequentia verba, quæ subjungit, relatis de ista quæstione quatuor opinionibus: *Antequam sciam, quænam earum opinionum*, de origine animæ, *potiùs eligenda sit, hoc me non temerè sentire profiteor, eam quæ vera est, non adversari robustissimæ ac fundatissimæ fidei, quâ Christi Ecclesia nec parvulos homines, recentissimè natos, à damnatione credit, nisi per gratiam nominis Christi, quam in suis Sacramentis commendavit, posse liberari.* Idipsum pariter manifestum est ex intentione, quâ epistolam illam exaravit: *Scripsi etiam* (inquit l. 2. Retract. cap....) *duos libros* (seu epistolas) *ad Hieronymum, sedentem in Bethleem, unum de origine animæ* (estque epistola 166. de qua agitur).... *ad hoc ut qui legit, admoneatur, aut non quærere omninò, quomodò detur anima nascentibus; aut certè de re obscurissima eam solutionem quæstionis hujus admittere, quæ contraria non sit apertissimis rebus, quas de originali peccato fides Catholica novit in parvulis, nisi regenerentur in Christo, sine dubitatione damnandis.*

Nec secundum solidius est primo: quia 197
nec ibi Augustinus attingit quæstionem de damnatione parvulorum, sine baptismo morientium, prout ipsemet declarat laudatâ epist. 166. ad Hieronymum dicens: *Non tamen de damnatione eorum parvulorum, qui sine illo* (baptismo) *ex hac vita emigrant, tunc* (in libro illo de lib. arb.) *aliquid dicendum putavi, quia non, quod nunc agitur, agebatur.* Sed loco objecto solam dicit iniquam esse Manichæorum querelam, de mortibus parvulorum, & de quibusdam cruciatibus corporis, quibus eos sæpè videmus affligi. *Dicunt enim: quid opus erat, ut nascerentur, qui antequam iniret ullum vitæ meritum, excessit è vita? aut qualis in futuro judicio deputabitur, cui neque inter justos locus est, quoniam nihil rectè fecit; neque inter malos, quoniam nihil peccavit*, propriâ utique & personali voluntate? Quibus respondet, equidem superfluò ipsos non creari, *ubi folium arboris nullum superfluò creatur, sed sanè superfluò quæri de meritis ejus, qui nihil propriâ voluntate meruerit.* Tuncque subjungit: *Non enim metuendum est, ne vita esse potuerit media quædam inter rectè factum, atque peccatum* propriæ voluntatis; *& sententia Judicis media esse non possit* inter præmium atque supplicium, meritis utique personalibus rettributum: nec enim infantes præmium vel supplicium percipiunt pro iis quæ in corpore personaliter egerunt ante omnem rationis usum. Ex quo quid (amabo!) pro quæstione de qua nunc agitur, erui potest? Prorsus nihil. Unde l. de dono persev. c. 12. dicit, frustrà ibi dicta objici contra præsentem quæstionem, nec, ob suum illud effatum, de medietate inter præmium & supplicium, existimandum, tunc dubitasse de damnatione parvulorum ob peccatum originale; qua de quæstione, cùm libros de lib. arb. scriberet, necesse non habuit quidquam definire, ad refellendam querimoniam Manichæorum, contra quos ibi agebat: eò quòd ipsos æquè benè refellere poterat, sive pœna esset peccati originalis in parvulis (quod veri-

tas habet) sive non esset, quod nonnulli errantes opinantur, scilicet Pelagiani. En verba ipsius: *Frustrà de illius libri mei vetustate præscribitur, ne agam causam, sicut debeo agere, parvulorum. Si enim*, id est, dato, non concesso, quòd *quando libros de lib. arb. Laicus cœpi, Presbyter explicavi, adhuc de damnatione infantium non renascentium, & de renascentium liberatione dubitarem; nemo, ut opinor, esset tam injustus, atque invidus, qui me proficere prohiberet, atque in hac dubitatione remanendum mihi esse judicaret. Cùm verò rectiùs posset intelligi, non me propterea de hac re dubitasse credi oportere* (nota benè) *quia hi contra quos mea dirigebatur intentio, sic mihi visi sunt refellendi, ut sive pœna esset peccati originalis, quod veritas habet, sive non esset, quod nonnulli errantes opinantur; nullo modo tamen, quam Manichæorum error inducit, duarum naturarum, boni scilicet & mali, permixtio crederetur. Absit ut causam parvulorum sic relinquamus, ut esse nobis dicatur incertum* (iterùm nota) *utrùm in Christo regenerati, si morianzur, parvuli transeant in æternam salutem; non regenerati autem transeant in mortem secundam. Quoniam quod scriptum est: per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit; aliter rectè intelligi non potest: nec à morte perpetua, quæ justissimè est retributa peccato, liberat quemquam pusillorum atque magnorum, nisi ille, qui propter redimenda & originalia & propria nostra peccata mortuus est*, sine ullo originali propriovè peccato. Tam ergo falsum est Augustinum dubitasse de morte secunda (id est pœna æterna corporis & animæ, uti explicat l. 3. de Civit. Dei c. 10.) parvulorum non regeneratorum, quàm quòd dubitaverit de salute regeneratorum.

198 Nec tertium quidquam habet soliditatis: dum enim pœnam eorum omnium mitissimam dicit, hoc non dicit absolutè, sed respectivè ad adultos, qui propter actualia (propriâ voluntate commissa) damnantur. Dum autem dicit se non audere dicere, damnatis parvulis melius esse non nasci quàm nasci, hoc præ modestia dicit, quia verba Christi de Juda, „ Bonum erat ei, si natus non fuisset „ homo ille, „ non audet ad parvulos extendere, ad quos ea non extendit Christus, ne conditionem parvulorum conditioni Judæ parificare videretur. Absolutè tamen loquendo non dubitavit Augustinus, melius esse non nasci, quàm damnari, vel solâ pœnâ damni, in æternumque detineri sub potestate diaboli in carcere inferni (quod fides habet) cùm vel sola pœna damni (juxta ipsum, aliosque Patres) longè gravior sit pœnâ sensûs.

199 Nec quartum quidquam habet roboris: quia Augustinus q. 9. in Josue per ignem sine Scripturæ authoritate non intellexit lapidationem; sed à Josue spiritu prophetico intellectam dixit. *Quod* (inquit) *alius quisquam non facilè potuit*, quia Scripturæ verba in sensu proprio intelligenda sunt, dum nihil in contrarium cogit, (uti cogit in facto Josue) aliàs (ut suprà dixi) ex Scriptura demonstrari non posset, adultos peccatores igne propriè dicto in inferno cruciandos.

CAPUT XII.

Homo per peccatum originale factus est debilior ad bonum, & ad malum proclivior, quàm si conditus esset in statu naturæ puræ.

NOn solùm in altera, sed & in præsenti 200
vita peccatum originale puniri, fide certum est, quæ docet, mortem corporalem effectum esse peccati originalis; *per unum* namque *hominem peccatum intravit in hunc mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit.* Rom. 5. Tridentinum quoque sess. 5. can. 1. definit, totum Adam per illam prævaricationis offensam, *secundùm corpus & animam, in deterius commutatum esse.* Et can. 2. *Adæ prævaricationem.... mortem & pœnas corporis (morbos scilicet, & innumeras quibus subjacemus miserias) in omne genus humanum transfudisse.* Duo proinde genera sunt pœnarum, seu effectuum peccati originalis in hac vita; aliæ namque ad corpus spectant, scilicet mors, & aliæ miseriæ corporales; aliæ ad animam, scilicet quatuor animæ vulnera, ignorantia, malitia, infirmitas, concupiscentia, quæ quatuor correspondent animæ potentiis, per originale peccatum in deterius commutatis; ignorantia intellectui, malitia voluntati, infirmitas appetitui irascibili, concupiscentia appetitui concupiscibili. De quatuor istis vulneribus quia satis superque egimus p. 1. c. 27. circa ea solùm superest discutiendum, an vulnera ista majorem in homine inordinationem non causent, quàm quæ includitur in privatione justitiæ originalis, sive an per ea homo solùm privatus sit donis gratuitis (gratuito scilicet justitiæ originalis dono, per quod ratio dominium habebat in omnes animæ potentias) an insuper læsus in naturalibus?

Pelagiani (uti refert Augustinus l. 1. ad 201
Bonifac. c. 2.) & Semipelagiani (uti refert Prosper contra Collat. c. 7.) docuerunt, liberum hominis arbitrium, post Adæ peccatum, mansisse illæsum in naturalibus, nec in iis fuisse vulneratum, sed solùm spoliatum donis gratuitis. Molina quoque in Concordia q. 14. a. 3. disp. 3. docuit, genus humanum, post primi hominis peccatum, donis quidem supernaturalibus spoliatum fuisse, quòdque naturales vires ipsius eo destitutæ fuerint vigore, quem justitia originalis tribuebat; sed quòd eædem vires tales secundùm se manserint, quales eas habituri fuissemus, si in puris naturalibus conditi fuissemus; quòdque proinde naturalia, sive in nobis, sive in Angelis, post peccatum integra manserunt. Hanc opinionem fusè refellit invictissimus divinæ

gratiæ contra Molinam Pugil Thomas de Lemos in Panoplia ſua to. 1. tr. 1. de læſione liberi arbitrii à cap. 3. ad 24. argumentis efficacibus demonſtrans, per peccatum originale liberum hominis arbitrium fuiſſe non ſolùm ſpoliatum gratuitis, ſed verè læſum in naturalibus. Et hanc veritatem c. 6. demonſtrat eſſe traditam à S. Thoma. Cap. 10. traditam quoque à S. Auguſtino. Cap. 11. traditam à Concilio Tridentino. Cap. 12. traditam à Concilio Arauſicano, Proſpero, Fulgentio, & Gelaſio Papa. Cap. 13. eandem probat ex communi Scholaſticorum proloquio, per S. Scripturæ teſtimonium confirmato. Cap. 14. ex ignorantia & pronitate ad malum, quibus in natura pura infecti non fuiſſemus. Cap. 15. ex rebellione potentiarum inferiorum adverſus ſuperiores. Cap. 16. & ſeqq. ſolidiſſimè reſpondet ad argumenta contraria.

202 Hac de re actum fuit in Congregatione X. de Auxiliis coram Clemente VIII. in qua cùm Gregorius de Valentia ſuſtinuiſſet, quòd eædem liberi arbitrii vires eſſent in natura lapſa, quales in natura pura fuiſſent; in eam ſententiam (ut refert celeberrimus Hiſtoricus l. 3. c. 13.) acriùs declamavit Thomas de Lemos, ex eaque peccatum originale extinctum iri contendit. Unde in canonibus doctrinæ damnandæ, à Conſultoribus juſſu Pauli V. elaboratis, can. 1. ſic habetur: *Dicere quòd, in ſtatu naturæ lapſæ, vires naturales liberi arbitrii eædem prorſus, ſeu tales ſecundùm ſe in nobis ſint, quales illas eſſemus habituri, ſi homo fuiſſet conditus in ſtatu merè naturali, ad finem tantùm naturalem, quaſi peccatum primi hominis nonniſi in ſupernaturalibus nocuiſſet ejus poſteris, adverſatur doctrinæ in Eccleſia, tum olim contra Pelagianos, eorumque reliquias definitæ* (in epiſtola ſcilicet Cæleſtini I. c. 4. & in Arauſicano can. 13. & 25.) *tum noviſſimè in Concilio Tridentino* (ſeſſ. 6. c. 1. & can. 5.) *confirmatæ, quando, agendo de vi naturæ, expreſsè tradit, liberum arbitrium viribus eſſe attenuatum & inclinatum.* Et in Idæa Bullæ ejuſdem Pauli V. quam exhibet idem Hiſtoricus c. 1. dicitur, quòd *univerſi homines, qui communi propagationis lege originem ſuam ex illo* (Adam) *trahunt, naſcantur, non tantùm ſpoliati gratuitis Dei donis, verùm etiam vulnerati in bonis ſuis naturalibus.* Quòdque in iis *arbitrium voluntatis..... eſt infirmatum, attenuatum & vitiatum in ſua naturali poſſibilitate, & inclinatione ad bonum.*

203 Bullam iſtam (quam laudatus Hiſtoricus exhibet, non ut authenticam, defectu legitimæ promulgationis; ſed ut veritate Hiſtoricâ veram) à viris in illo controverſiarum genere minùs verſatis delineatam fuiſſe, dicere non veretur Author epiſtolæ ad Abbatem quemdam, de nova Auxiliorum edenda Hiſtoria, ſuſtinens, propoſitionem illam, *peccatum primi hominis ſolùm in ſupernaturalibus nobis nocuit*, eſſe D. Thomæ in 2. diſt. 30. q. 1. a. 1. ad 3. aientis: *Nec homo, nec Angelus, per peccatum aliquid naturalium amiſit, vel in aliquo diminutus eſt.* Sed ipſum de mala fide, verborumque D. Thomæ detruncatione convincit Hiſtoricus l. 4. c. 16. ſic enim habet S. Thomas: *Ad tertium dicendum, quòd bona naturalia dicuntur dupliciter, vel prout ſunt in ſe conſiderata, ſecundùm quod naturæ debentur ex propriis principiis: ſic nec homo, nec Angelus per peccatum aliquid naturalium amiſit, vel in aliquo diminutus eſt: quia Dionyſius etiam integra dona naturalia in Angelis peccantibus permanere dicit. Vel ſecundùm quod ordinantur ad finem ultimum: & hoc modo in utroque bona naturalia quidem diminuta ſunt, non penitùs amiſſa, in quantum uterque factus eſt minùs habilis, & magis diſtans à fine conſecutione. Et propter hoc etiam homo gratuitis ſpoliatus dicitur, & in naturalibus vulneratus. Luc. 10. in Gloſſa.* Idem habet 1. p. q. 85. a. 1. aliiſque locis à Lemoſio citatis.

Cùmque aſſertio iſta baſis ſit ac fundamen- 204
tum totius Auguſtinianæ de medicinali gratia Chriſti doctrinæ, haud dubium quin ſuam illam doctrinam ex Auguſtino, & Diſcipulis ipſius, Proſpero, Fulgentio, Gregorio, Anſelmo, Bernardo, &c. derivaverit Angelicus Doctor. Auguſtinus namque l. de nat. & grat. c. 3. dicit, quòd naturæ poſſibilitas vulnerata, & ſauciata fuerit. Idem dicit aliis locis à Lemoſio laudatis. SS. Patres etiam, cum Auguſtino, cumque Scriptura paſſim inſinuant, primum hominem non ſolùm ſpoliatum, ſed etiam vulneratum. Qui autem ſolùm ſpoliatur ſuis veſtibus, non propriè dicitur vulneratus. Ergo nec ille qui ſolùm ſpoliatur juſtitiâ originali. Ampliùs proinde vult Scriptura, ampliùs Patres, ampliùs Concilia Arauſicanum & Tridentinum, dum docent lib. arbitrium viribus attenuatum & inclinatum, & totum hominem in deterius commutatum. Unde ad ſenſum aſſertionis noſtræ ea Romana intelligit Eccleſia; uti colligitur ex meditata (licèt non promulgata) illa Bulla Pauli V. laudatoque canone Conſultorum ab eodem deputatorum; quibus dum detrahit Author epiſtolæ ad Abbatem, ipſis & ipſimet Paulo V. injurius eſt, quaſi ad examen graviſſimarum fidei difficultatum Conſultores in iſtis controverſiis minùs verſatos elegerit.

Denique idipſum experientia demonſtrat: 205
cùm experiamur rebellionem carnis adverſus ſpiritum, quæ (cùm ſit contra naturam) non eſſet in homine non vitiato; uti nec innata pronitas, ſed capacitas dumtaxat ad malum; nec innatus ſpiritus ſuperbiæ, pruritas curioſitatis, impetuoſitas paſſionum, & ignorantia tanta, quantam experimur; ſiquidem, ultra privationem illuſtrationis ſupernaturalis, maximas experimur tenebras circa intelligentiam rerum naturalium, noſque ſine difficultate magna & labore non intelligere pleraque, quæ juris ſunt naturalis, quorum notitia homini in ſua creatione impreſſa fuit ab Authore naturæ. Videatur Lemoſius cap. 14. & 15.

ista demonstrans. Videantur & quæ dixi suprà n. 83. & 84.

206 Si dicas, explicari non posse, quid sint à parte rei vulnera ista, à privatione justitiæ originalis distincta? An superaddant potentiis qualitatem aliquam pravam seu morbidam? An aliquid aliud? Respondeo non superaddere: cùm sufficienter intelligantur provenire ex indispositione & immutatione facta in corpore per peccatum originale; ex quo fit ut homo sit animâ magis tardus & hebes, atque ad percipiendam veritatem magis difficilis; magis autem facilis ad errorem, & in oblectamenta sensuum magis labilis & pronus, magis etiam vehementibus passionibus agitatus, quàm si in puris naturalibus esset constitutus. Corpus enim quod corrumpitur, aggravat animam, atque ex vehementia affectionum corporalium variæ in animam proveniunt affectiones, præsertim accedente imaginatione, quæ plurimùm dependet à corporis dispositione. Unde videmus eamdem sæpè personam, dum benè valet, corpusque benè dispositum habet, inclinatam esse ad jucunditatem; econtrà dum corpus est indispositum. Hominem etiam vegetum, inclinatum esse ad audacia, & temeritatem in periculis, dum ea per imaginationem ipsi repræsentantur minora quàm sint; inclinatum econtrà ad timiditatem, dum infirmus est, & periculum aliquod magnum per imaginationem ipsi vivaciter repræsentatur. Denique sicut ex peccato actuali malitia seu pronitas ad malum nascitur demeritoriè & dispositivè; ita & ex peccato originali. Demeritoriè, quatenùs peccator meretur, ut Deus interiùs exteriùsque ipsum deserat, usque ad pronitatem peccandi: dispositivè, quatenùs peccatum efficit ipsum habitualiter dispositum ad malum. Explicent Adversarii, quomodò in Paganis, justitiâ & gratiâ destitutis, dicta peccati vulnera augeantur per peccata actualia (quod profectò explicare nequeunt per diminutionem gratiæ & justitiæ originalis, seu alterius doni supernaturalis) eodem modo nos explicabimus, quomodò incipiant esse per peccatum originale.

CAPUT XIII.

Refelluntur qui nimiùm extenuant pœnas, seu effectus peccati originalis.

207 VAldè displicere Deo peccatum originale, satis demonstrant gravissimæ pœnæ animæ & corporis, quibus Deus illud punit in hac vita. Ad quas si benè reflecterent, qui nobiscum non conveniunt, adeò alieni non essent à sententia Patrum, quæ tradit infantes sine baptismo mortuos in altera vita puniri pœna sensûs: si enim tam graviter originale peccatum, etiam dimissum, justè punit in præsenti; quibus pœnis illud non dimissum in altera punire justè non poterit? Sed quemadmodùm aliquibus non placet sententia Patrum de pœna illa sensibili infantium; ita nec placet sententia eorumdem de animæ vulneribus, pœnisque corporalibus hujus vitæ. Placeret, si, in his quæ humano pensanda non sunt judicio, sed divino, plus non tribuerent humanæ rationi, quàm Scripturæ & traditioni. Hinc enim fit, quòd sicut ipsis durum videtur, peccatum agnoscere in infantibus, qui nunquam usum habuerunt rationis, & adhuc durius, ipsos addici gehennalibus flammis; sic & durum videatur, eos ob originale peccatum subjici dictis pœnis, seu effectibus, quibus voluntas ad varia inducitur peccata actualia, & ad damnationem finaliter sempiternam, nisi Dei misericordia, Christique gratia succurrat.

Propterea ergo nonnulli effectus illos, ani- 208
mam concernentes, sic explicant, ut parum vel nihil ad damnationem contribuant. A formali namque peccato facilè excusant ea quæ ignoranter fiunt contra jus naturæ. Gratiam omnibus tribuunt proximè sufficientem, eamque nemini denegari prætendunt, in pœnam originalis peccati. Ipsam denique carnis concupiscentiam, seu libidinem docent esse naturalem, non malam nec vitiosam. Primum à nobis refelletur parte 5ª.... Secundum refutatum est l. 9.... parvulorumque sine baptismo morientium exemplo, gratiam ad salutem necessariam plerisque in pœnam peccati originalis subtrahi, Augustino videtur tam perspicuum, ut ad parvulos illos, velut ad rem quæ negari nequeat, adversarios suos pluribus locis provocet. Enimverò gratiam baptismi parvulis ante rationis usum morientibus esse medium ad salutem unicè necessarium, fides Catholica docet: quia *nisi quis renatus fuerit denuò, non potest videre regnum Dei.* Joan. 3. Pluribus verò parvulis infidelium, imò & fidelium, gratiam istam denegat Deus, non ob præscientiam futurorum operum malorum ipsorum, si ad adultam pervenissent ætatem (nemo quippe punitur, nec præmiatur ob ea quæ fecisset, si hoc vel illud contigisset, sed propter ea quæ reverà fecit (prout idem Augustinus non uno ostendit loco) sed quia justo judicio suo ipsos per istius gratiæ denegationem punire vult ob originale peccatum. Si ergo gratia ad salutem necessaria variis parvulis à Deo negatur propter originale peccatum; quâ veritate dici potest eam adultis, sive propter originale, sive propter addita illi multa graviora peccata actualia, denegari non posse? *Quomodò dicitur* (inquit Augustinus epist. 217. alias 107. ad Vitalem) *omnes homines eam gratiam fuisse accepturos, si non illi, quibus non datur, eam suâ voluntate respuerint* (quoniam Deus vult omnes homines salvos fieri) *cùm multis non detur parvulis, & sine illa plerique moriantur, qui non habent contrariam voluntatem, & aliquando cupientibus, festinantibusque parentibus, ministris quoque volentibus ac paratis, Deo nolente non detur; cùm repentè, antequam detur, exspirat, pro quo, ut acci-*

peret currebatur? Unde manifestum est, eos qui huic resistunt tam perspicuæ veritati, non intelligere omninò, quâ locutione dictum sit, quòd omnes homines vult Deus salvos fieri ; *cùm tam multi salvi non fiant, non quia ipsi, sed quia Deus non vult, quod sine caligine manifestatur in parvulis.*

209 Unde S. Thomas 2. 2. q. 2. a. 5. ad 1. de adultis generaliter pronuntiat, post Augustinum : *Auxilium* (supernaturale) *quibuscumque divinitus datur, misericorditer datur ; quibus autem non datur, ex justitia non datur ; in pœnam præcedentis peccati, & saltem originalis peccati, ut Augustinus dicit in l. de corrept. & grat.*

210 Carnis denique concupiscentiam, seu libidinem, naturalem non esse homini, non existenti in statu naturæ corruptæ, utpote inordinatam & malam seu vitiosam, probatur, tum quia peccato militat, ejusque ergo est. Tum quia contra eam pugnare debemus. Tum quia est malum, à quo liberari, Sancti efflagitant, sicut & Ecclesia, dicendo, *carnis terat superbiam potûs cibique parcitas.* Tum quia Deo displicet, ut multis locis Augustinus docet. Tum quia non est naturæ proprietas, sed corruptio perduellioque naturæ. Unde concupiscentia à S. Augustino l. 1. de nupt. & concup. c. 5. dicitur esse instar morbi, & ab eodem l. 6. contra Julian. c. 17. æquiparatur febri : quemadmodùm enim febris in humorum distemperie & inordinatione consistit ; sic concupiscentia in deordinatione potentiarum animæ. Et ratio à priori est, quia potentiæ omnes & appetitus creati sunt ut subsint & obediant rationi, agantque dependenter ab illa : concupiscentia autem movet & inclinat potentias & appetitus ad agendum independenter à ratione ; motus namque concupiscentiæ, sive feratur in objectum licitum, v. g. cibum, potum necessarium, actum conjugalem, &c. sive in illicitum, inclinat ad illud, non quia ratio dictat, sed quia delectationem quærit, sine ullo respectu ad rationem. Et ideò rebellionem carnis Ecclesia, in oratione supradicta, carnis superbiam vocat : quia inordinationem committit, similem illi, quam committunt famuli, ex superbia nolentes obedire & subesse Superioribus. Ideò etiam ab Augustino non uno loco rursus vocatur *pestis & contagio.*

211 Hæc omnia illustrabit Augustini hac de re disputatio cum Juliano. Dicebat Julianus, concupiscentiam in se esse bonam, Deique opus, solumque ipsius abusum esse culpandum. Videant Adversarii, an non idipsum dicant. Juliani verba ista refert Augustinus l. 3. contra Julian. c. 22. *Concupiscentiæ naturalis qui modum tenet, bono benè utitur ; qui modum non tenet, bono malè utitur ; qui autem etiam ipsum modum sanctæ virginitatis amore contempserit, bono meliùs non utitur.* Augustinus econtrà non abusum tantùm, sed concupiscentiam ipsam dicebat malam. *Ego verò sic ad ista respondeo ; concupiscentiæ carnalis qui modum tenet, malo benè utitur ; qui modum non tenet, malo malè utitur ; qui autem etiam ipsum modum sanctæ virginitatis amore contempserit, malo meliùs non utitur. In hac controversia de benè utendo, utrùm bono, an malo, tota inter nos causa versatur.*

Confirmat sententiam suam Augustinus, Ju- 212
lianumque impugnat 1°. hâc ratione : virtus continentiæ reprimit motus concupiscentiæ, contra eosque pugnat. Ergo concupiscentiæ est mala. *Nulla pugna* (ait l. 5. contra Julian. c. 5.) *est sine malo : quando enim pugnatur, aut bonum pugnat & malum ; aut si duo bona inter se pugnent, ipsa pugna est magnum malum.* Igitur concupiscentia, saltem propter rebellionem contra continentiam, est mala ; *alterutrum enim ex pugnantibus est malum ; continentia verò concupiscentiam aggrediens culpari non potest ; cùm vincenda sit libido,* ut paulò ante dixerat ; atque *ut vincatur, ei resistendum esse & repugnandum, & ego dico, & tu..., adhuc non evigilas, ut intelligas nostram naturam non esse, sed vitium, contra quod virtute pugnatur?*

2°. sententiam suam confirmat alterâ ra- 213
tione : quia concupiscentia ad objectum suum trahit independenter à ratione. Sive enim licitum sit objectum, sive illicitum, æqualiter trahit & movet. Unde l. 4. c. 14. *Libido* (inquit) *sentiendi, de qua nunc agimus, est qua nos ad sentiendum, sive consentientes mente, sive repugnantes, appetitu voluptatis carnalis impellit.* Et c. 2. probat malitiam ipsius, quia *quod ipsa concupiscentia facit, sive ad licitum, sive ad illicitum indifferenter ardescere, utique malum est.*

Atque hinc infert, omne id quod ex con- 214
cupiscentia fit, malè fieri, etiamsi secundùm se licitum esset ac bonum ; quòdque, si conjuges sint sancti, sanctèque opus exerceant conjugale, nihil unquam sint facturi ex concupiscentia : si summum culmen obtineant pudicitiæ conjugalis, faciant boni aliquid per illam, quamvis nihil faciant propter illam.

Hinc patet, ea quæ diximus de concupis- 215
centia plurimùm servire ad praxim : quia ex iis clarè intelligitur, inordinatum esse obedire concupiscentiis, animabusque timoratis displicere debere motus concupiscentiæ, iisque cohibendis allaborandum esse, licèt nullum esset periculum consensûs in peccatum : quia tenemur equidem illud omne cohibere, quod inordinatum est, Deoque displicere cognoscimus.

Objectiones duas, unam ex Concilio Tri- 216
dentino, alteram ex Bulla Pii V. contra Bajum solutas habes suprà n. 25. 26. & seqq.

CAPUT XIV.

Utilitates practicæ ex notitia peccati originalis.

DOctor Huyghenius in observationibus 217
suis de peccato originali rectè monet, populum

populum specialiter instruendum de peccato originali, eò quòd non sufficiat generaliter ipsum instrui, quòd Christus mortuus sit, ut nos liberaret à servitute diaboli, in quam nos primi parentes conjecerunt, per esum fructûs vetiti. Nam quia *in causa duorum hominum, quorum per unum venundati sumus sub peccato, per alterum redimimur à peccatis; per unum præcipitati sumus in mortem, per alterum liberamur ad vitam; quorum ille nos in se perdidit, faciendo voluntatem suam, non ejus à quo factus est; iste nos in se salvos fecit, non faciendo voluntatem suam, sed ejus à quo missus est: in horum* (inquam) *duorum hominum causa propriè fides Christiana consistit*, inquit Augustinus l. 2. de peccato originali c. 24. Unum proinde ex præcipuis, de quibus populus Christianus specialiter instruendus est, peccatum est originale, ob rationes sequentes.

218 Prima est, quia, sine notitia peccati originalis, non satis percipitur mysterium redemptionis nostræ: utpote quæ præsupponit captivitatem, maximè vastam illam, quâ universum genus humanum à momento suæ conceptionis detinetur sub captivitate peccati & diaboli.

219 Secunda, quia per notitiam illam fideles discunt soli divinæ misericordiæ adscribendum esse, quòd cum infinitis aliis in peccato originali extinctis, in infernum præcipitati non sint, antequam baptizati.

220 Tertia, per notitiam peccati originalis, pœnarumque illius in altera vita, cohiberi nata est parentum negligentia, in sollicitè cavendo, ne proles extinguatur in utero; ne abortus procuretur; ne fœtus matrum passionibus præmaturè effundatur, &c.

221 Quarta, per eandem notitiam fideles facilè intelligunt, tot parvulorum miserias quoad corpus & animam, Deo adscribendas non esse, sed originali peccato.

222 Quinta, facilè etiam per eam intelligunt, tot ignorantias nostras, tot concupiscentias, tantasque ad malum propensiones, & inordinatas passiones, atque ad resistendum imbecillitates, ex eodem provenire.

223 Sexta, per notitiam etiam peccati originalis, memoratorumque effectuum ipsius, facilè convincuntur de obligatione, quâ adstringuntur ad tam bonam puerorum suorum educationem, ut suis ipsos instructionibus adversus effectus istos vigilanter præmuniant.

224 Septima, per eandem facilè demonstratur justitia divini judicii, quo tot olim Gentes permisit, atque etiamnum permittit ingredi vias suas, sine notitia rerum ad salutem pertinentium.

225 Octava, per eam facilè tandem cognoscitur, nemini justam esse causam conquerendi de defectu gratiæ ad ista vel illa peccata vitanda, vel præcepta implenda: cuicumque enim gratia necessaria conceditur, ex pura Dei misericordia conceditur; cuicumque denegatur, ex justitia negatur, in pœnam præcedentis peccati, saltem originalis, prout S. Thomam cum Augustino docentem vidimus capite præcedenti.

PARS IV.

De peccato omissionis. Deque causis à peccato actuali excusantibus.

CAPUT PRIMUM.

Peccatum omissionis externum tunc demùm committitur, dum tempus est ponendi actum præceptum; internum verò, dum expressè quis, vel interpretativè vult omittere.

1 PRima pars assertionis constat ex doctrina S. Thomæ p. 1. num. 238. relata. Secunda pars clara est, quia eo ipso quo homo vult omittere actum præceptum, peccare vult peccato omissionis. Unde peccatum internum omissionis, Sacri v. g., die sabbathi incurrit, qui tunc statuit omittere Sacrum die Dominico. Per consequens ille qui die sabbathi ire statuit venatum in locum remotum, de factoque ad venationem discedit, prævidens secuturam inde Sacri omissionem die Dominico, non solùm peccat volendo illam omissionem, sed & cum ea voluntate discedendo. Quia discessus est causa effectivæ omissionis Sacri præcepti; ideòque participat malitiam ipsius. Sicut & omnis actus taliter incompossibilis cum actu præcepto, ut reddat hominem impotentem adimplere præceptum, etiam pro casu quo ipsum pœniteret voluntatis omittendi actum præceptum. Quia ad hoc se impotentem reddendo, voluntatem obfirmat in malo; novum proinde peccatum incurrit voluntatis resipiscere nolentis. Exemplum est in eo qui factâ resolutione omittendi horas, toto navigationis tempore, conscensâ navi, Breviarium in mare projicit.

2 Neque tunc impotentia à peccato excusat: quia non est antecedens, sed consequens; nec involuntaria, sed omninò voluntaria: utpote ex perversa ipsius voluntate proveniens. Si tamen de ista perversitate, ademptaque sibi potestate doleret, intra tempus quò horæ adhuc recitari possent; subsequens omissio externa tunc in se peccatum non esset: utpote per dolorem illum seu resipiscentiam facta in se involuntaria; tametsi ante resipiscentiam contracta fuisset interna omissionis malitia.

3 Hinc sequitur, quòd iste in foro interno, seu conscientiæ, non incurreret censuram, siqua foret externæ omissioni annexa. Eam tamen probabiliùs incurreret in foro externo, id exigente disciplinâ Ecclesiæ; eò quòd omissio illa originem haberet ex mala voluntate; sicut in casu quo voluntariam quis posuisset causam pollutionis, vel occisionis proximi, in ipsum explodendo, vel feminam aut seipsum libidinosè tangendo, licèt ante mortem vel pollutionem de eo doleret, nec mortem jam, vel pollutionem impedire valeret, censuram homicidio annexam in foro externo incurreret. Ita Wigers 1. 2. q. 72. a. 6. n. 18. tametsi non incurrere putet Escobar l. 4. n. 242. & 243. referens Sotum, Sanchez, Salas, &c.

4 An etiam pollutio tunc reservata foret, in Religionibus ubi reservatur pollutio voluntaria? Videtur aliquibus quòd non. Tum quia reservatio forum internum respicit. Tum quia non reservatur nisi actus consummatus, qui, in illo casu, non est voluntarius in se, nec in causa: utpote per pœnitentiam retractata, antequam haberet effectum. Aliis ad casum reservatum sufficere videtur actus consummatus in causa, quæ licèt jam non ampliùs voluntaria sit, voluntariè tamen posita fuit. Quidquid de eo sit, foret haud dubiè casus reservatus, si sequeretur ex causa voluntaria non retractata, tametsi impediri non posset eâ positâ. Quia tunc foret in se peccatum, secundùm se confitendum; licèt hoc negent Vasquez, Layman, Amicus, &c. hoc in puncto nimis laxè sentientes. Videnda quæ dixi p. 1. cap. 24. & 25.

CAPUT II.

Non omnis actus conjunctus cum omissione culpabili, etiam incompossibilis cum eo qui omittitur, participat malitiam omissionis, sed ille dumtaxat, qui causa est omissionis.

5 RAtio est quia sunt plerique actus, qui nullo modo se habent antecedenter ad omissionem, sed merè concomitanter; nec ad eam se habent per se, sed per accidens, ut sunt illi quos homo vult propter seipsos, non propter omissionem; eò quòd homo ita sit comparatus, ut etiamsi actus illos non poneret, actum præceptum nihilominùs omitteret. Quo casu cùm homo propter illos non omittat facere quod debet, in illis non vult omissionem. Cur ergo participarent malitiam omissionis? Tunc solùm eam participarent, dum per eos sibi potestatem adimeret in futurum adimplendi præceptum, casu quo de omittendi voluntate pœniteret. Quia tunc causa forent omissionis, saltem continuatæ, uti n. 1. declaratum est.

Omnis etiam actus (quàmlibet aliàs bonus) 6 omissionis malitiam eo ipso participare incipit, quo incipit per se esse causa moralis ipsius. Partim quia fit, quando non debet; partim quia malum est omne quod per se mali causa est, juxta illud: *Non potest arbor bona fructus malos facere.*

CAPUT III.

Plurimæ sunt omissiones culpabiles, ad quas major fidelium pars vix reflectit, licèt non solùm peccata sint, sed & proximæ plurium aliorum peccatorum occasiones.

TAles sunt omissiones actuum virtutum, 7 qui necessarii sunt ad actus præceptos aliarum virtutum. Nam omissio, seu neglectus, v. g. orationis, occasio est lapsûs in mortale peccatum, per defectum fortitudinis contra tentationem, juxta illud: *Vigilate & orate, ne intretis in tentationem.* Rara etiam de Deo cogitatio, frequenter causa est jacturæ divini amoris, qui animæ vita est, quæ sine amore non consistit.

Talis quoque est omissio, seu neglectus 8 pascendi animam devotâ consideratione veritatum Evangelicarum, aliisque exercitiis pietatis, quibus idem amor inchoatur, nutritur, roboratur, perficitur. Talis denique omissio & neglectus discendi ea quæ ad proprium cujusque statum pertinent, sicut & neglectus cavendi à vita dissipata, irregulari, laxiore, sine pœnitentia, sine vigili sui custodia, sine cura corrigendi venialia. Cum tali namque vita divinus amor vix aut ne vix quidem subsistere potest. Peccator proinde censendus non est ex toto corde ad Deum conversus, nisi in eo se emendet, correctisque negligentiis istis, vitæ christianæ exercitia, iis contraria, sedulò amplexus fuerit.

Et quid hinc consectarium est, nisi quòd 9 seipsos decipiunt Christiani multi, quibus curæ non est, nisi cavere à criminibus grossioribus & corporalibus, non autem à spiritualibus, à superbia utique & sæculi deliciis ac vanitatibus? Fateor nihilominùs inter occasiones grossiorum criminum, omissionesque actuum supradictorum, istud esse discriminis, quòd priores utplurimùm conjunctæ sint cum mortali peccato; omissio verò exercitii præfatarum virtutum, tametsi non parvi ad salutem sint momenti, sic consideranda non sit, quasi unaquæque omissio in particulari censenda sit proxima peccati mortalis occasio; & ideò pœnitens ob eam absolutione censendus non est indignus, nisi negligentia tanta fuerit, ut argumento sit, animam notabiliter deficere in studio salutis, curaque divini amoris,

atque

atque christianæ perfectionis, conformiter ad ea quæ dixi p. 1. cap. 20.

CAPUT IV.

Non datur pura omissio voluntaria absque omni voluntatis actu; si tamen sine eo daretur omissio voluntaria actûs præcepti, culpabilis esset.

10 RAtio prioris partis est, quia voluntas hominis vigilantis semper aliquid amat. *Rationalis* namque *animus sine dilectione esse non potest*, ait Leo Papa serm. 5. de jejun. 7. mens. Et, ut Augustinus dicit in Psal. 31. *amor vacare non potest in anima amantis.* Ergo voluntas hominis vigilantis numquam esse potest sine omni actu.

11 Ratio posterioris partis est, quia omissio actûs præcepti esse nequit voluntaria, nisi voluntas sit causa moralis ipsius. Eo ipso verò quo causa est moralis ipsius, omissio ipsi imputatur.

CAPUT V.

Exponuntur tres causæ, à peccato subinde excusantes.

12 CAusæ illæ sunt metus, impotentia, ignorantia, quæ quando excusent vel non excusent, operosè exponendum est. Sed antè

Observandum 1°. metum alium esse levem, alium gravem, seu cadentem in virum constantem. Porrò vir constans ab inconstante in duobus distinguitur, ait S. Thomas in 4. dist. 29. q. 1. a. 2. *Primò quantùm ad qualitatem periculi quod timetur: quia constans vir sequitur rationem rectam, per quam scit quid pro quo sit dimittendum, vel faciendum. Semper autem minus malum, vel majus bonum eligendum est. Et ideò constans ad minus malum sustinendum cogitur metu majoris mali; non autem cogitur ad majus malum, propter metum minoris mali. Sed inconstans cogitur ad majus malum propter metum minoris mali, sicut ad peccatum, propter metum corporalis pœnæ.... Secundò, distinguitur constans quoad æstimationem periculi imminentis: quia constans nonnisi ex forti æstimatione & probabili cogitur; sed inconstans ex levi. Unde Prov. 28.* „ fugit impius nemine persequente. „ *Mala autem gravia, quibus vir constans flecti potest, sunt mors, verbera, dehonestatio per stuprum, & servitus.*

13 Metus itaque gravis, sive cadens in virum constantem, duo requirit, scilicet periculi seu mali apprehensi magnitudinem, & evadendi magnam difficultatem, vel impossibilitatem. Si enim magnum malum facilè vitari queat, à viro forti metuendum non est. Attendenda nihilominùs est personarum conditio: quia eadem ab omnibus exigenda non est constantia, v. g. non eadem à femina, quæ à viro.

14 Attendendum etiam, metum esse posse vel ab intrinseco, propter apprehensionem alicujus mali; vel ab alia persona justè vel injustè incussum.

Observandum 2°. impotentiam aliam esse absolutam & omnimodam, aliam secundùm quid. Aliam antecedentem & involuntariam, aliam consequentem & voluntariam, seu à libera voluntate profluentem. Impotentia absoluta & omnimoda ad servanda Dei præcepta in nullo homine rationis usum habente saltem viatore reperitur. Quia nihil absolutè impossibile Deus jubet, sive justis, sive peccatoribus; sed siqua in peccatoribus est impotentia ad ea servanda, ea est secundùm quid, eaque voluntaria, non involuntaria. Ad cujus evidentiam

Observandum 3°. quòd cùm impotentia 15
nihil aliud sit nisi defectus potentiæ, totuplex impotentia est, quotuplex potentiæ defectus. Potentia verò hominis, ratione utentis, ad præcepta implenda, quadruplex est. Una remota, quæ libero arbitrio naturalis est, & intrinseca. Altera propinqua & supernaturalis, quæ habetur per gratiam actualem illustrantem intellectum, & excitantem voluntatem ad bonum, quæ sufficiens dici potest, non Molinisticè, sed Thomisticè. Tertia propinquior, quæ habetur per gratiam & charitatem habitualem, quam frequenter gratia actualis excitans comitatur. Quarta proxima & completa (sine qua priores non complectuntur omnia ad agendum necessaria) & ista pro hoc statu habetur per solam gratiam per se efficacem. Omnes istæ potentiæ excludunt impotentiam absolutam & omnimodam, uti per se patet.

Observandum 4°. ignorantiam esse carentiam scientiæ, seu cognitionis, in subjecto capaci. Divisionem ipsius 1°. in antecedentem, concomitatem, consequentem. 2°. in ignorantiam juris, facti, & pœnæ. 3°. in voluntariam & involuntariam. 4°. in affectatam, crassam & levem, vide suprà lib. 1. cap. 14. 16

Solùm hîc exponenda est quinta divisio in 17
ignorantiam puræ negationis, privationis, & pravæ dispositionis. Ignorantia *puræ negationis*, est quâ ignoratur id quod sciri non debet, v. g. jura maritalia à Moniali, jus Canonicum à rustico, &c. Ignorantia *privationis* est quâ ignoratur id quod sciri debet, v. g. Symbolum fidei ab adulto Christiano. Ignorantia *pravæ dispositionis* est judicium erroneum, quo, absque probabili fundamento cum crassa imprudentia approbamus falsa pro veris. Est proinde error theologicus, in eo differens à philosophico, quòd philosophicus accipiatur pro quocumque judicio falso.

Ignorantiam voluntariam cum vincibili ple- 18
rique confundunt, involuntariam cum invincibili. Sed de ea aliter philosophantur, qui ignorantiam vincibilem eam solam vocant quæ vel solo studio & inquisitione intellectûs superari potest, vel saltem per gratiam ordinariam; invincibilem verò, quæ nec solo studio & inquisitione intellectûs vinci potest, nec per gratiam ordinariam. Quòd si hoc pacto vinci nequeat speculativè, benè tamen practicè, hoc sensu quòd adhibitâ debitâ diligen-

tiâ, cæteriſque requiſitis, Deus per gratiam providebit, ne homo per ignorantiam peccet contra legem, ignorantia non erit invincibilis practicè, ſed vincibilis. Et hoc ſenſu Deputati Lovanienſes, inter alios Scholæ ſuæ articulos anno 1677. Innocentio XI. oblatos, hunc exhibuerunt: *Uti nulla concupiſcentia eſt inſuperabilis; ita nulla legis naturalis ignorantia eſt invincibilis. Quippe ſicut omnis illa per divinæ gratiæ auxilium; ita omnis hæc per ejuſdem gratiæ lumen ſuperari poteſt.*

CAPUT VI.

Nullus metus, quàmlibet gravis, à tota culpa excuſat in iis quæ ſunt intrinſecè mala; benè aliquando in iis, quæ ſolum prohibita ſunt lege poſitivâ.

19 PRobatur 1ª. pars, quia quæcumque ſunt ejuſmodi, nullo unquam caſu licita ſunt, ſed ſemper peccata. Peccatum verò majus malum eſt quàm aliud quodcumque malum. Per conſequens amoris ordo non permittit peccatum eligi ad vitandum minus malum, ſicut nec ad conſequendum quodcumque bonum. *Non enim ſunt facienda mala, ut eveniant bona.* Unde mors potiùs eligenda eſt quàm quodcumque peccatum, uti ſuo nos exemplo ſancti Martyres docuerunt.

20 Fatendum nihilominùs quòd metus gravis injuſtè incuſſus, diminuat culpam. Quia diminuit voluntarium; licèt non cauſet involuntarium ſimpliciter. Unde cap. *ſacris*, de his quæ vi, dicitur, quòd metus *attenuat culpam, etſi eam non prorſus excludat.* Non ſic tamen attenuat, ut eam faciat de mortali venialem, in materia gravi, uti patet in Petro, qui timore mortis Chriſtum negavit, & in iis qui eodem metu idolis ſacrificarunt.

21 Probatur 2ª. pars, quia leges poſitivæ ſæpè non obligant cum periculo grandis mali, v. g. mortis, vel gravis infirmitatis. Neque enim cum tanto periculo tenetur Chriſtianus Sacrum v. g. audire die Dominico.

22 Aliquando tamen leges poſitivæ, etiam humanæ, obligant cum periculo vitæ, quando ſcilicet commune id exigit bonum, v. g. ut miles pugnet, vel ſtationem ſuam non deſerat. Lex etiam divina poſitiva Paſtorem obligat ad Sacramenta neceſſaria peſte laborantibus miniſtranda cum periculo vitæ, dum alius non eſt qui officium ipſius ſuppleat. Quia *bonus Paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis.* Accedit etiam aliquando legibus humanis divina lex, vel naturalis, ob cujus acceſſum ſervandæ ſunt cum periculo mortis, v. g. ſi Catholicus ab hæreticis, ad carnes in Quadrageſima manducandas metu mortis compelleretur in odium fidei, vel hæreſis profeſſionem. Quia tunc manducare, eſſet fidem negare.

23 Denique à peccato nunquam excuſatur, qui metu levi legem poſitivam, etiam humanam, tranſgreditur. Cùm enim talis metus facilè repelli queat, non excuſat. Nec Legiſlator unquam præſumitur, levem ob cauſam, ſuæ legis obligationem relaxare.

CAPUT VII.

Sacramentorum adminiſtrationem, indignis faciendam, excuſare non poteſt metus mortis, nec damni, aut infamiæ graviſſimæ.

OPpoſitum docuit Ludovicus de Scildere 24
in Epithome Theologiæ anno 1646. publicæ diſputationi propoſitâ, Sereniſſimoque Archiduci Leopoldo dicatâ §. 12. Verùm improbabiliter. Quia Sacramentorum Miniſter mortem potiùs ſuſtinere debet, quàm Sanctum dare canibus, SS. Martyrum exemplo, qui vitam & ſanguinem profuderunt, ne libros ſacros impiis traderent, ad quod ſub pœna mortis compellebantur; eos verò qui eoſdem tradiderunt, Eccleſia è ſinu ſuo ejecit.

Et nunquid metu mortis compulſus vene- 25
rabile Sacramentum in cloacam projicere, vel cani porrigere poteſt? Mori debet potiùs quàm id facere. Similiter ergo mori debet potiùs quàm idem venerabile Sacramentum, vel ſacram abſolutionem dare indigno. Siquis ergo diſtricto enſe minetur tibi mortem, niſi concubinæ ipſius abſolutionem des, vel ſacram Communionem, mori debes potiùs quàm Sanctum dare cani, vel margaritam porco. Hoc enim vetat Salvator, & ſcriptum eſt: *Noli velle fieri Judex, niſi valeas virtute irrumpere iniquitates.*

Nec oppoſitum ſequitur ex eo quòd Sacra- 26
menta miniſtranda ſint peccatori occulto publicè petenti. Hoc namque eſt ſecundùm voluntatem Dei nobis notificatam per exemplum Chriſti. Eſt autem contra voluntatem Dei, quòd humano timore Sacramentum miniſtretur peccatori occulto occultè petenti, vel publico petenti publicè. Cùm hoc Salvator inhibeat, cùm dicit: *Nolite Sanctum dare canibus*, &c.

CAPUT VIII.

Nec licitum eſt, ex metu mortis, abſque intentione, abſolvendi formam pronuntiare ſuper pœnitente indiſpoſito.

COntrarium docuit idem Author ibidem, 27
poſt Sancium in ſelect. diſp. 35. num. 6. Aſt etiam improbabiliter. Quia propoſitionem hanc vigeſimam-nonam inter 65. *Urgens metus gravis eſt cauſa juſta Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi*, Innocentius XI. velut *ad minus ſcandaloſam, & in praxi perniciosam* proſcripſit. Unde arguitur ſic: metus gravis mali non eſt cauſa juſta Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi. Atqui metus mortis eſt metus gravis mali. Ergo metus mortis non eſt cauſa juſta Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi. Eſt ſyllogiſmus in forma, ſimilis huic: anima ra-

tionalis, secundùm Ecclesiæ fidem, non est mortalis. Anima Christi est anima rationalis. Ergo anima Christi, secundùm Ecclesiæ fidem, non est mortalis. Quemadmodùm ergo Ecclesia, damnans hanc propositionem, *Anima rationalis est mortalis*, damnat & istam: *Anima Christi est mortalis*: sic Innocentius XI. damnando propositionem illam: *Metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi*, damnavit & istam: *Metus mortis est causa justa*, &c. Ratio utriusque est quia particulare in universali comprehenditur, nisi excipiatur. Et ideò certum est quòd si Ecclesia damnasset hanc propositionem universalem: *Licitum est occidere injustum aggressorem, pro defensione rei gravis*; damnasse censeretur & hanc: *Licitum est occidere injustum aggressorem pro defensione vitæ.* Quia particulare istud, *pro defensione vitæ*, comprehenditur in universali illo, *pro defensione rei gravis.*

28 Ubi ergo eorum ad S. Sedem obedientia, qui propositionem Ludovici de Scildere, post damnationem illam Innocentii XI. adhuc sustinent, maximè cùm Sancius, quem secutus est Ludovicus, cujus etiam est propositio 29. ab Innocentio XI. damnata, eam intellexerit etiam de metu mortis, uti videre est apud Dianam p. 3. tr. 2. resol. 83. ratioque propter quam Innocentius eam damnavit, satis ostendat damnatam esse, etiam secundùm istum intellectum: quia scilicet exterior illa dissimulatio graviter adversatur reverentiæ Sacramentis debitæ, ut benè observavit Castro-Palao to. 1. tr. 2. disp. 2. puncto 13. Sacramenta verò gravi cum irreverentia tractare, ne metus quidem mortis licitum facit.

29 Et confirmatur: quia Sacerdos in administratione Sacramentorum gerit personam Christi. In persona verò Christi fictitiè se gerere, est valdè injuriosum Christo, estque irreverentia magna illata Sacramento.

30 Dices 1°. Ibi nullum est Sacramentum. Nulla ergo fit irreverentia Sacramento.

Nego consequentiam: quia irreverentia non solùm fit Sacramento quando est; sed & quando impeditur esse, ponendo partes essentiales ipsius, & faciendo ne sit, debitam intentionem subtrahendo, vel partes illas simulatè ponendo. Quemadmodùm iniqua humani seminis effusio damnosa est proli, non quæ est, sed quæ esset, si esse non prohiberetur, semen iniquè fundendo.

31 Dices 2°. Licitum est matrimonium ex gravi metu injustè incusso initum, tametsi Sacramentum nullum efficiatur.

Respondeo, aliud esse de matrimonio, aliud de aliis Sacramentis. Quia ex metu gravi contrahens matrimonium, non ponit materiam, neque formam pro Sacramento matrimonii à Christo institutam, legitimum utique contractum (qui tunc non fit) in aliis verò Sacramentis ponitur materia & forma à Christo instituta. Unde sententiam illam Sancii Palao jure dicit *audaciam & temeritatem redolere.* Eam proinde temerè & nimis audacter, post Innocentii XI. condemnationem, tuetur Didacus de Oropega, seu P. de la Fontaine in Confutatione Libelli, &c. pag. 39.

CAPUT IX.

Impotentia absoluta & omnimoda, sicut & omninò involuntaria, ab omni excusat peccato: secùs impotentia secundùm quid, si voluntaria sit.

PRima pars est extra controversiam: quia 32
ad impossibile nemo tenetur, nec impossibilia jubet Deus, nec jubere sua sibi bonitas, æquitas & sapientia permittit. Unde Augustinus l. 3. de lib. arb. c. 18. *Quis peccat in eo quod cavere nullo modo potest?*

Ratio secundæ partis est quia, tametsi pec- 33
catum tunc non sit voluntarium & liberum in se, est tamen voluntarium & liberum in causa, scilicet in voluntaria gratiæ per præcedens peccatum abjectione. Cujusmodi libertas sufficit ad peccatum, quod simul peccatum est, & pœna peccati; licèt non sufficiat ad peccatum, quod non est pœna peccati. Ad quod proinde vitandum si gratia actualis primo homini & Angelo defuisset, antequam peccarent, suâ culpâ non cecidissent, prout Augustinus dicit in l. de corrept. & grat. c. 11. his verbis: *Si Angelis & primo homini hoc adjutorium defuisset.... non utique suâ culpâ cecidissent. Adjutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent.* Aliud est modò; sequitur enim: *Nunc autem quibus deest tale adjutorium, pœna peccati est.* Ista fusiùs deducta, efficaciterque probata habes suprà l. 9.

CAPUT X.

Ignorantia juris, etiam naturalis, verè invincibilis & involuntaria excusat in totum à peccato.

ASsertio est indubitata. Tum quia pecca- 34
tum tunc nec in se, nec in causa sua voluntarium est. Tum quia Alexander VIII. in Decreto suo anni 1690. damnavit hanc propositionem: *Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat à peccato formali.* Et meritò damnavit. Quemadmodùm enim impotentia prorsus invincibilis & involuntaria à peccato excusat; ita & ignorantia, &c. *Hoc enim brevissimum tene* (ait Augustinus ubi suprà c. 18.) *quacumque est ista causa voluntatis, si non potest ei resisti, sine peccato ei ceditur. An tanta fallacia est, ut caveri omninò non possit? Si ita est, nulla peccata sunt.* Et S. Thomas 1. 2. q. 74. a. 1. ad 2. *Si defectus apprehensivæ virtutis nullo modo subjaceat voluntati, non est peccatum, nec in voluntate, nec in apprehensiva virtute, sicut patet in iis qui habent invincibilem ignorantiam.*

35 Et confirmatur : quia si ignorantia invincibilis non excusaret, homo aliquando ex necessitate involuntaria peccaret, v. g. perplexus, qui per errorem invincibilem existimaret sibi mentiendum pro salvanda vita patris sui, necessariò peccaret, quidquid demùm faceret. Peccaret proinde sine libertate & potentia cavendi peccatum. Quod sine errore dici non potest.

CAPUT XI.

Si ignorantia juris naturæ hic & nunc vincibilis sit per gratiæ lumen (licèt aliter non possit) istud verò gratiæ lumen alicui desit in pœnam præcedentis peccati ipsius, censenda non est invincibilis, sed vincibilis, ideòque non excusat in totum à peccato.

36 QUia peccatum tunc voluntarium ac liberum est in causa, ob quam subtractum ipsi fuit gratiæ lumen. Peccator proinde conqueri non potest se ignoranter peccasse, sive feciſse id cujus malitiam cognoscere non potuit. Reverà enim cognoscere eam potuit per gratiæ lumen, quod cùm ipsi subtractum non fuerit, nisi culpâ ipsius, ignorantia ipsius non est antecedens & involuntaria, sed consequens ac voluntaria. Quæ non excusat in totum à peccato, sed solùm à tanto. Eò quòd ignorantia vincibilis, si non sit affectata, uti diminuit voluntarium, ita & peccatum, uti docet S. Augustinus l. 4. de Bapt. c. 5. *Hoc verissimum est, longè gravius esse peccatum ejus qui sciens, quàm ejus qui nesciens peccaverit.* Quod & Veritas docet Luc. 12. *Servus.... qui non cognoverit voluntatem Domini, & fecit digna plagis, vapulabit paucis.*

CAPUT XII.

Ignorantia juris naturæ Molinisticè invincibilis, cùm verè sit vincibilis, non excusat in totum à peccato.

37 PRobatur, quia eam ignorantiam invincibilem Molinistæ in Scholis suis vocant, quam cæteri vincibilem censent, esseque revera vincibilem (à peccato proinde in totum non excusantem) ex dicendis apparebit. Isto proinde termino, *invincibilis*, Molinistæ abutuntur. Et abusus iste causa est variarum laxitatum, non sine periculo ingentis animarum stragis, nec sine præjudicio veritatis. Quid est enim ignorantia invincibilis apud Molinistas? Carentia (inquiunt) omnis notitiæ actualis, etiam à principio voluntaria, peccatoque inducta, imò etiamsi probabilior habeatur notitia legis prohibentis, dummodò non desit probabilitas, etiam minor in contrarium. Audiantur ipsi. *Ignorantia invincibilis* (ait Prestonus Anglo-Leodiensis Jesuita in Thesi anni 1680. concluſ. 17.) *qua sit carentia omnis notitiæ, tam juris naturalis, quàm positivi, excusat à peccato.* Quia, ut ait in Thesi anni 1682. concluſ. 26. *peccatur non voluntate facti* (licèt intrinsecè mali, ut est v. g. fornicatio) *sed voluntate peccati : nam aliquis nesciens v. g. fornicationem esse peccatum, non voluntariè facit peccatum. Quale tantùm est.... quod est contra conscientiam, ut scilicet credamus esse malum.* Qui ergo credit non esse malum quod agit, v. g. non esse malam fornicationem, pollutionem, &c. voluntariè non facit peccatum, tametsi voluntariè faciat fornicationem, pollutionem, &c. Nec dubium, quin Prestonus loquatur de carentia notitiæ actualis, dum requirit, ut credamus esse malum quod agimus.

Et reverà eam requirunt omnes penè Societatis Scriptores, aientes, quòd *ad peccandum formaliter necessaria est actualis reflexio, seu advertentia & cogitatio, vel saltem actuale dubium, vel scrupulus, de malitia actionis.* Ita Vasquez 1. 2. disp. 123. c. 2. Suarez, Lessius, Sanchez, Salas, Granadus, Filiutius, Tannerus, Amicus, Castro-Palao, de Lugo, Arriaga, Oviedo, Baunius, Hurtadus, Comptonus, Terillus, &c. 38

Quidam (ait Sanchez l. 1. in Decal. c. 16.) *sentiunt sufficere advertentiam virtualem, seu interpretativam, ut ignorantia, & inadvertentia, seu oblivio censeatur vincibilis, non appositâ diligentiâ ad eam vincendam, nec excuset à præcepti transgressione. Appellant autem considerationem virtualem, quoties, etsi ratio actûs non consideravit malitiam objecti, potuit tamen morali potentiâ, & debuit malitiam objecti considerare. At probabilius existimo, ad ignorantiam, inadvertentiam, seu oblivionem, sive juris, sive facti, censenda invincibilia, sufficere ut nulla notitia, nec specialis, nec confusa, nec aliqua dubitandi ratio in universum, aut particulariter occurrat.* 39

Quare nullum peccatum mortale in voluntatis consensu censeo, nisi cogitatio aliqua præcesserit, & consideratio expressa (quam actualem vocant) malitiæ moralis, vel periculi, vel saltem expressa aliqua dubitatio, vel scrupulus. Itaque ut quis peccet mortaliter, debet considerare, vel opus illud esse malum, vel ibi esse malitiæ periculum, vel dubium, vel scrupulum saltem aliquem habere. Quòd si nihil horum præcesserit, ignorantia, inadvertentia, seu oblivio censentur omninò naturalia & invincibilia. Et sic juxta hanc sententiam non satis est cognitio illa virtualis, seu interpretativa. Hactenùs Sanchez, referens Suarez & Vasquez. Quibus succinunt Layman l. 1. tr. 2. c. 4. n. 6. Filiutius tr. 21. c. 2. n. 371. & 376. Martinon tr. 2. disp. 21. sect. 2. n. 14. Escobar in princip. Th. Mor. exam. 2. De Rhodes disp. 2. de peccat. q. 1. sect. 1. §. 2. 40

Ignorantia itaque *censetur invincibilis, atque ita excusans à peccato ex ea commisso, quando ignoranti nulla subit actualis advertentia vel consideratio ejus auferendæ.* Vasquez loco citato. Idque *etiamsi initio causam culpabilem igno-* 41

rantiæ dederim, si periculum non adverti illius incurrendæ. Ibidem n. 30. & 31.

42 *Ultima difficultas* (ait Sanchez l. 1. in Decal. c. 16. n. 41.) *est, an ignorantia, quæ vinci nequit, dum in actum prodit, at potuit anteà vinci, excusetne à culpa? v. g. quis suâ negligentiâ mortali non didicit quod ratione officii, vel communi Christianorum lege discere tenebatur; deinde quando non est à quo instrui possit, per ignorantiam transgreditur præceptum?* Respondet cum Vasquez quòd si secutura transgressio actu prævisa fuerit, dum posita est ignorantiæ causa, excusatur à culpa; si verò fuerit prævisa, homo propter eam culpabilis fuit tunc, cùm eam prævidit; at ipsa posteà transgressio non fit culpabilis in se propriè loquendo, sed denominativè dumtaxat ex voluntate præcedenti; imò solùm esse quemdam voluntatis præcedentis effectum.

43 Uno verbo de præcepti transgressione, secuta ex ignorantia ab initio vincibili, eo modo philosophatur, sicut de peccatis secutis ex ebrietate ab initio culpabili. De quibus n. 42. sic loquitur: *Quæstionem hanc optimè enodat Vasquez.... Dicendum ergo est, etiamsi eventus soleant esse frequentes ei qui inebriatur, si tamen tempore quo inebriari voluit, non habuit prorsus ullam dubitationem, aut cognitionem de illis, nec in specie, nec in genere, minimè imputari culpæ. Quia procedunt ex quadam inadvertentia naturali; ac proinde nec in se, nec in sua causa liberi sunt.*

44 Similiter Georgius de Rhodes loco citato §. 1. *Siquis causam posuerit voluntariè ac liberè alicujus peccati, cujus non advertit malitiam quando illud committit; is peccavit quidem, quando liberè posuit causam illam, cujus effectum prævidebat; non peccat autem quando sine advertentia morali ponit actum illum.*

45 Terillus etiam in Reg. mor. q. 63. n. 11. *Si præsens inconsideratio sit effectus negligentiæ prioris, tunc quidem non negamus, tam ipsam inconsiderationem, quàm opus ex ipsa causatum, esse effectus peccati, &, si velis, esse & denominativè peccata; sed nullam propriam imputabilitatem habent.* Et q. 62. n. 17. necnon q. 65. n. 13. *Ignorantia à peccato inducta non est voluntaria indirectè, nisi aliqua cogitatio de ignorantia incurrenda, deque obligatione eam depellendi præcesserit.* Et rursum: *Fatemur ignorantiam sæpè esse voluntariam, adeòque imputabilem; sed eam non aliter voluntariam esse admittimus, quàm si antecedenter aliqua de illius vitatione obligatio menti occurrerit.* Et n. 47. *Mala, quæ ex ignorantia per peccatum inducta, absque actuali malitiæ advertentia proveniunt, non solùm non sunt ratione sui mala, & imputabilia, sed nec ratione illius ignorantiæ. Quia nec ignorantia illa, nec mala ab illa provenientia ullatenùs fuerunt voluntaria.*

46 Hinc q. 67. n. 14. *Si Clericus beneficiatus, ludo aut amoribus impudicis implicatus, horarum recitationem omittat ex oblivione proveniente ex nimia illa implicatione, eoque in statu nullo modo reflectat ad obligationem recitandi horas, nec de illa cogitet, nec prævideat periculum incogitantiam illam incurrendi, dicendum est eam incogitantiam hîc & nunc naturalem esse, ac necessariam, non liberam & humanam, ideòque verè esse invincibilem ac inimputabilem.* Similiter q. 65. n. 13. *ignorantiam malitiæ pollutionis invincibilem dicit, si nullus scrupulus animum pulsaverit de malitia ipsius. Quia, quamvis fortè potuit, non debuit vinci.* At quomodò invincibilis, si vinci potuit? Si enim potuit, debuit: quia unusquisque scire debet ea quæ à se agenda sunt, vel omittenda. Si potuit & debuit vinci, invincibilis dicenda non est, sed vincibilis; nec involuntaria, sed voluntaria in causa, in qua potuit & debuit prævideri. Sic philosophati sunt omnes passim Veteres. Audiendi proinde non sunt Novatores, nimis laxè hac in re philosophantes.

Nam Petrus Oxea tr. morali de fide disp. 1. sect. 1. usque adeò progreditur, ut dicat, quòd *qui in die Dominica, quando Parochus admonet de festis & jejuniis hebdomadæ, omittit ire ad audiendum Sacrum culpabiliter, ut scilicet ludo vel somno indulgeat, & quia ad Ecclesiam non ivit, non habet notitiam jejunii in ea hebdomada occurrentis, & propter hanc ignorantiam vescitur carnibus eo die, quibus cum scientia jejunii non vesceretur, habet ignorantiam jejunii peccato inductam, & tamen vescendo carnibus eo die non peccat.* 47

Et sect. 2. *Christianus adeò suæ salutis negligens, ut ad audienda mysteria fidei ad Ecclesiam nunquam accedat; & ideò solùm novit se esse Christianum, & solùm credit in genere omnia quæ credit Ecclesia, & præterea nullam aliam rem fidei explicitè cognoscit; invincibilem habet ignorantiam rerum credendarum.* 48

Adhuc ultrà progressus Terillus q. 2. num. 138. & 140. *Ignorantia* (inquit) *est invincibilis, quandocumque, adhibitâ diligentiâ, malitia actionis certò non innotescit; quandocumque proinde probabile est, probabilitate certâ (licèt minore) actionem non esse malam, nec prohibitam; licèt prohibitam esse probabilius appareat.* Idem dicit Vasquez 1. 2. disp. 117. n. 2. & passim Probabilistæ, utpote aliter suum tueri non valentes probabilismum, præsertim in materia juris naturalis. Quisquis enim deliberatè facit aliquid intrinsecè malum, peccat, nisi ipsum excuset ignorantia invincibilis; quæ sola excusare potest à culpa facientem contra legem æternam. Sed quam ob causam putant ipsi ignorantiam invincibilem reperiri quandocumque probabile est actionem non esse prohibitam, licèt prohibitam esse probabilius appareat? Quia (prosequitur Terillus) *non superatur ignorantia legis per apprehensiones, aut per motiva probabilia, aut etiam per judicium incertum de illius existentia; sed solùm per hoc quòd certò moraliter innotescat.* Confirmat hoc in fundamento Th. Mor. q. 16. n. 3. & 4. quia *quando post diligentem inquisitionem veritas adhuc ignoratur.... ignorantia....* 49

est invincibilis, modò nulla detur obligatio veritatem ulteriùs inquirendi, aut judicium suspendendi.... Quia licèt hujusmodi ignorantia... sit aliquo modo voluntaria, quatenus per majorem diligentiam superari potuisset; nihilominùs est & dicitur invincibilis, quia ad diligentiam illam majorem adhibendam nulla datur obligatio.... Porrò qui, post seriam diligentiam, tandem pervenit ad rationem probabilem, cui inhæret, non tenetur ad ulteriorem inquisitionem. Ita observavit Vasquez, &c.

50 Vidisti (Christiane Lector) quam notionem ignorantiæ invincibilis, & à peccato excusantis, invehere conentur Molinistæ, adeò utique novam, adeò peregrinam, adeò Christianis institutis rectæque rationi adversantem, adeò communi Sanctorum sensui dissentaneam, adeò pernicioſis consequentiis obnoxiam, adderem (si modestia permitteret) adeò fatuam (ob dicenda, partim cap. seq. partim p. 5. c. 2. & seqq. partim l. 11. dum de probabilitate) ut indigere videatur fulminante beatissimi Romani Pontificis dexterâ, ne latiùs serpat. Nam, ut obiter hîc dicam, qui volunt ignorantiam censeri invincibilem, quoties adhibito labore & industriâ veritas certò & manifestè non apparet, etiamsi argumenta valdè probabilia eam suadeant; non satis expendunt consectaria à communi fidelium sensu aliena, quæ exinde deducuntur. Nam, ut sapienter Charlasius de opin. delectu cap. 25. specie ignorantiæ invincibilis excusanda foret idololatria, blasphemia, parricidium, adulterium, & quodvis aliud crimen, admissum ab homine argumentis quidem probabilissimis, gravissimisque, sed non omninò certis & manifestis, cognoscente id quod facit esse idololatriam, blasphemiam, &c. Quod adeò absurdum est, rationique naturali contrarium, ut qui hoc defenderet, à Magistratibus etiam politicis punitionem non evaderet.

CAPUT XIII.

Requisita ad vincendam juris naturalis ignorantiam, quorum aliquo deficiente, vincibilis censenda est, non invincibilis.

51 JUris naturalis ignorantiam peccati originalis esse pœnam, nullus Catholicus diffitetur. *Ad quam miseriam justæ damnationis* (inquit Augustinus l. 1. Retract. c. 9.) *pertinent ignorantia & difficultas, quam patitur omnis homo, ab exordio nativitatis suæ, nec ab isto malo nisi Dei gratiâ quisquam liberatur. Ex his malorum fontibus* (addit Enchir. c. 24.) *omnis miseria naturæ rationalis emanat*, omnia utique peccata actualia. Quia (ut ait l. 1. ad Bonif. c. 3.) *non agit in hominibus, etiam qui suadet & decipit, nisi ut peccatum voluntate committant, vel ignorantiâ veritatis, vel delectatione iniquitatis, vel utroque malo, & cæcitatis, & iniquitatis.* Quasi dicat, omnia peccata actualia, vel solâ ignorantiâ committi, vel solâ concupiscentiâ, vel ignorantiâ simul & concupiscentiâ.

Magna proinde hominis miseria est, qui scit 52
quemadmodùm debeat domare leones, & nescit quemadmodùm vivere. Estque miseria ista tam generalis, ut plena legis naturalis notitia à paucis obtineatur. Nam tametsi eam assecuti credantur Apostoli, in die Pentecostes, quando Spiritus sanctus docuit ipsos omnia, & in omnem deduxit veritatem; ipsis tamen exceptis, plenum istud scientiæ & sapientiæ donum pauci consecuti sunt: cùm ne Pater quidem Patrum, Doctorque Doctorum Augustinus, plures se circa jus naturale difficultates enodare potuisse, epistolâ 250. ad Paulinum deploret.

Quid igitur de nobis dicendum, qui sumus 53
homines corde immundi, ideòque tenebras longè plures patimur, & majores? Vel ipse Rex Propheta sibi supplicat ignosci, non solùm juventutis delicta, sed & ignorantias suas, non utique Mosaïcæ legis, quam plenè didicerat, sed legis naturalis. Et, ut Gregorius Magnus ait l. 6. Mor. c. 6. *nonnunquam ea ipsa, quæ rectè nos agere credimus, an in districti Judicis examine recta sint ignoramus. Sæpè enim opus nostrum causa damnationis est, quod & profectus putatur esse virtutis. Sæpè unde placari Judex creditur, inde ad iracundum placidus instigatur, juxta illud*: " Est via quæ " videtur homini recta, novissima autem ejus " ducunt ad mortem. "

Quàm veritatibus istis parum consonant 54
Molinistæ, de quibus præcedenti capite? Quàm parum etiam consonant sequenti veritati, quòd cùm lex æterna, & naturalis, vel unica vel primaria sit omnium actionum humanarum regula, omninò sequenda sit, dum patet; omni diligentiâ quærenda, dum latet? non minori utique, quàm si quæreretur ingens thesaurus absconditus: cùm æternæ legis ignorantia eo ipso culpabilis sit, quo veritatis ipsius notitia minùs diligenter quæritur, quàm pecunia & thesaurus. Notitia namque ista *infinitus est thesaurus hominibus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei.* Sap. 7. Et ideò Dei legem diligere jubemur *super aurum & topazion.* Psal. 118. Quomodò verò Dei legem super aurum & topazion diligit, qui eam intelligere negligit, vel minorem adhibet diligentiam ad eam intelligendam, quàm ad inveniendum absconditum thesaurum? Nunquid ad eum inveniendum contentus esset medio probabili, dum probabilius suppeteret? Siquis ludo vel impudicis amoribus implicatus, quo tempore cogitandum esset de quærendo thesauro, ob nimiam illam implicationem de eo quærendo non cogitaret, ideòque ab alio præventus, illius inveniendi spem amitteret, an non stultitiæ suæ incogitantiam suam imputaret? An non sapientes omnes eidem illi stultitiæ similiter imputarent? An non omnes dicerent ipsum parum curasse thesauri illius inventionem?

Simi-

55 Similiter ergo qui vanis ac stultis rebus se implicans, quo tempore cogitandum est de lege Domini, ob illam stultam implicationem de ea sollicitè servanda non cogitat (cùm tamen sollicitè cogitare deberet, juxta illud: *In lege Domini meditabitur die ac nocte*; ad hoc namque factus est homo, ut Dei mandata sollicitè servet, juxta illud Eccle. 12. *Deum time, & mandata ejus observa; hoc est enim omnis homo*) dicendus est de ea servanda parum sollicitus, imò parum curare violationem illius; cùm tamen scriptum sit: *Tu mandasti, mandata tua custodiri nimis*, id est maxima cum sollicitudine.

56 Non dicat ergo talis homo: non cogitavi, non adverti, non reflexi me agere contra legem Dei. Quòd enim non adverterit, quòd non cogitaverit, quòd non reflexerit, culpa ipsius est; cogitasset enim, advertisset, reflexisset, si dimissis implicationibus stultis & vanis, in lege Domini meditatus fuisset, uti debebat, eamque adhibuisset sollicitudinem pro ea inquirenda, cogitanda, servanda, quam prudentes sæculi adhibere solent pro inquirendo & inveniendo thesauro.

57 Confirmatur & illustratur hæc ratio, quia naturali lumine notum est, hominem qui deliberatè aliquid agit, scire debere quid agat, an scilicet conforme sit fini propter quem factus est, per consequens an conforme divinæ legi, à qua deviare peccatum est. Quia est à fine suo deviare. Scire verò non potest, an id quod agit conforme sit divinæ legi, nisi faciat, quod facere debet, ad notitiam legis comparandam, amoveatque proinde impedimenta istius notitiæ. Atqui nec facit, quod facere debet, ad notitiam divinæ legis comparandam, nec ad amovenda istius notitiæ impedimenta, dum totus vagatur extra se, dum non consulit sibi, sed vivit nihil de fine suo deliberans, viamque illi adversam tenens, eò quòd tota occupatio ipsius sit vel concupiscentia carnis, vel concupiscentia oculorum, vel superbia vitæ, perindeque vivat ac si alia post præsentem non superesset vita: similis stulto, qui longum iter capesseret, nihil de fine itineris præstituens, ideòque quò vadat ignorans; cujusmodi certè ignorantia nequit non esse stultitia potiùs quàm ignorantia, & stultitia quidem (in negotio salutis) absurdissima, gravissimèque culpabilis. Similis quoque homini Religioso, Religionem ingredienti, & voventi, nec tamen quidquam sollicito de explorando fine & obligationibus statûs Religiosi, sed danti se totum Æsopi fabulis, vel rebus sæcularibus; cui licèt Religionis leges nunquam in mentem veniant, culpabilis ignorantiæ, imò stultitiæ maximæ, legumque violatarum reus est. Quemadmodùm & Rex, vel Princeps, qui regni vel Provinciæ regimen capesseret, nihil de fine & directione illius deliberans, sed totus genio indulgens: qui licèt non attendat seu non advertat ad mala inde oriunda, nullus est qui negare possit, culpabilem esse incogitantiam ipsius, nec ipsum excusare à reatu malorum illorum.

58 Itaque quicumque voluntariè se distrahunt à debita reflexione ad finem suum, sicut & ad prima syndereseos dictamina, scintillasque divini luminis, omnibus ab Authore naturæ inditas, de lege Dei custodienda, de vita rectè instituenda, de habenda potiori cura animæ quàm corporis, de futura vita inquirenda, de probitate concupiscentiis & vanitatibus præferenda, vel etiam alia omittunt necessaria ad notitiam divinæ legis comparandam, invincibili non laborant ignorantiâ saltem practicâ illius, uti posteà videbitur. Quòd ergo vices mutent homines, quòd extravagantes, vel etiam adversas vias teneant, quòd tota eorum cura sit satisfacere concupiscentiis suis, totum istud ipsis voluntarium est; & ex ista universalissima causa mala multa, inconvenientia magna, ignorantiæ & incogitantiæ plurimæ natæ sunt sequi. Ergo saltem in hac universalissima causa cunctis perinde voluntaria culpabilis est incogitantia de lege Dei, quàm de Deo ipso. An etiam mala quæ isti perpetrant cum tali de Deo incogitantia, excusare audebunt Molinistæ? Certè non excusat Apostolus Rom. 1. Ideò enim tales de Deo, Deique lege non cogitant, quia in summa rerum, corrumpendo viam suam voluntariè facti sunt insipientes, sicut ille de quo Ps. 52. *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus*; cujus insipientiæ causa immediatè subjungitur ibidem: *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in iniquitatibus, non est qui faciat bonum*, prout Augustinus observat ibidem. Vel hinc ergo illucescere incipiunt pernicioſa consectaria quæ ex Molinistica ignorantiæ invincibilis notione derivantur. Sed ampliùs illucescent per ea quæ dicemus de peccatis ignorantiæ, deque probabilitate.

59 Æternæ itaque legis ignorantia eo ipso culpabilis est, quo debita non adhibetur diligentia pro acquirenda tam certa & perfecta, ac fieri potest, ejus notitia. Quæ quidem tanta esse debet, quantam postulant rei ac negotii gravitas, deliberantisque facultas, spectatis circumstantiis. Quæ quidem quanta præcisè esse debeat, facile non est generaliter definire. Quia tamen de summo malo vitando agitur, dum agitur de vitando peccato, plerùmque fit, quòd imbecillitatis nostræ prætextu delusi, sufficientem, imò & abundantem diligentiam nos adhibuisse putemus, dum reipsà minorem adhibuimus quàm oportet. Quamvis enim habenda sit ratio capacitatis ejus qui deliberat, sicut & circumstantiarum, ut proximè dixi; maximè tamen magnitudinis mali, de quo vitando consultatur. *Nam ubi periculum majus intenditur, ibi procul dubio est plenius consultandum.* Cap. 3. de elect. in 6. Nullum verò periculum majus periculo peccati, per quod in miseriam miseriarum maximam incidimus. Ideòque hac in parte nimia esse non potest diligentia, tametsi nimia esse

possit respectivè ad imbecillitatem deliberantis. Quamobrem cavendus quidem hinc scrupulus, inde tamen cavendum, ne humanæ imbecillitatis specie negligentia occultetur, aut veritatis minùs gratæ intuitus fugiatur.

60 Illud saltem pro indubitato habent SS. Patres, in concernentibus salutem animæ, adhibendam, si non majorem, saltem non minorem diligentiam, quàm in iis quæ concernunt salutem corporis (juxta dicta l. 1. c. 17.) &, si in investiganda lege Dei adhibenda non sit diligentia tanta, quantam adhibent avari, vel qui ex sæcularibus habentur prudentissimi (nec enim jubemur esse *prudentissimi*, sed *prudentes*) saltem adhibeatur tanta, quantam pro gravitate negotii adhibent qui communiter habentur prudentes; quod dum dico, vereor ne indulgentiùs dicam: quia sæculi prudentes cæci non sunt in rebus sæculi; nos autem in concernentibus animæ salutem cæci sumus à nativitate, istiusque cæcitatis tenebras nostræ augent cupiditates.

61 Primum proinde requisitum ad vincendam juris naturalis ignorantiam, est clamare cum cæco Evangelico: *Jesu Fili David miserere mei.... Domine ut videam.* Luc. 18. Sedulò ergo invocandus est Spiritus sanctus, ut cæcis ac miseris sapientiam det & intellectum, dicendo cum Regio Psalte: *Notam fac mihi viam, in qua ambulem. Domine doce me facere voluntatem tuam. Dirige me in veritate tua. Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam.* Quia, ut Josaphat Rex aiebat 2. Paralip. 2. *cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te.* Propter quod & Jacobus Apostolus monet: *Si quis indiget sapientiâ, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei*, juxta Salvatoris promissum: *Petite, & dabitur vobis; quærite, & invenietis*, si utique petamus necessaria ad salutem, & maximè *spiritum bonum.* Matth. 7. *Homo* namque *ne in ipso studio cognitionis, propter humanæ mentis infirmitatem, in pestem alicujus erroris incurrat, opus habet magisterio divino, cui certus obtemperet, & adjutorio, ut liber obtemperet*, inquit Augustinus l. 9. de Civit. Dei c. 14.

62 Porrò ista ad Deum oratio talis esse debet ac tanta, qualem & quantam postulat quæsitæ veritatis magnitudo, juxta illud ejusdem l. de nat. & grat. c. 17. *Admonemur à Domino petere sapientiam, qui dat omnibus affluenter, utique iis qui sic petunt, & tantùm petunt, quomodò & quantùm res tanta petenda est.*

63 Per consequens esse debet assidua ob continua errandi pericula, quæ vel ipsi Sancti in seipsis agnoverunt: & ideò Sancti (teste eodem Augustino l. 22. de Civit. Dei c. 23.) *vigiliis continuis excubarunt, ne opinio verisimilis falleret, ne deciperet sermo versutus, ne se tenebræ alicujus erroris offunderent, ne quod bonum est malum, aut quod malum est bonum esse crederetur.* Et propterea Tobias filium suum monebat: *Omni tempore benedic Deum, & pete ab eo ut vias tuas dirigat, & omnia consilia tua in eo permaneant.* Tob. 4. Et Eccli. 37. *In his omnibus deprecare Altissimum, ut dirigat in veritate viam tuam.* Alioqui non debet quisquam existimare, debitâ se diligentiâ functum, nec invincibiliter errare, si erret. Eandem orationis necessitatem ad vincendam juris naturalis ignorantiam pluribus sacris testimoniis roborant epistolæ Augustini, atque Innocentii Papæ 90. 92. 93. 94. 95. ita ut certissimè errent Scriptores illi, qui (apud Chatlasium disp. theol. de opin. delect. c. 2.) docent, hominem, de actionis malitia dubitantem, certis dumtaxat casibus admodùm raris, orare debere pro impetrando cælesti lumine ad veritatem cognoscendam.

Nec tamen sufficit orare, nisi exaudiendæ 64
orationis impedimenta tollantur, præsertim infidelitas in adimplendis iis quæ justa esse quispiam certò jam novit, & sollicitè cavendis quæ injusta esse evidenter cognoscit. Optima namque via, ad impetrandum amplius lumen, est fidelitas & sollicitudo magna sequendi lumen jam obtentum.

Tertium requisitum est adhibere adminicu- 65
la inveniendæ veritatis, dando imprimis operam, ut ab omni cupiditate cor expurgetur. Quia *ut soli sæpè nubes offundunt tenebras, sic rationem affectus* inordinati *obscurant.* S. Maximus Martyr to. 2. serm. 59. Et *amor sui rectum labefactat judicium.* S. Isidorus. Cùm enim amor noster sit pondus nostrum, & eo feramur, quocumque ferimur (Augustinus l. 13. Confess. c. 9.) dum creaturæ cujuspiam amore occupati sumus, ad eam nostra trahitur intelligentia, eam considerabit, secundùm eam judicabit, à rationibus contrariis sese avertet. *Qualis* enim *unusquisque est, talis finis videtur ei*, inquit Philosophus. Deus etiam *indefatigabili lege spargit pœnales cæcitates super illicitas cupiditates.* Augustinus l. 1. Confess. c. 18. Unde Thren. 5. *Quia peccavimus.... ideò obtenebrati sumus.* Judicent proinde, quorum interest, an tolerabilis sit propositio Filiutii tr. 21. c. 20. n. 372. *Rarò vel nunquam tenetur homo se præparare ad gratiam, ut ignorantiam tollat.*

Quartum requisitum est ut ex parte nostra 66
non omittantur media necessaria ad acquirendam veritatis notitiam. Neque enim auferenda sunt dumtaxat impedimenta, sed adhibenda quoque adminicula illius acquirenda, studium utique tantum, quantum negotii exigit gravitas. Quòd si ipsi deliberantes minùs capaces sint, peritiores consulere debent, ut illorum studium & eruditio nostram compenset eruditionis inopiam. Videant tamen qui ingenii & eruditionis inopes non sunt, ne sibi nimis confidant. Quia ob nimiam illam confidentiam non rarò, Deo permittente, in errorem labuntur, sicut Deus ipse per Isaïam & Apostolum 1. Cor. 1. testatur: *Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium repro-*

reprobabo. Ut ergo sapientes sint, eruditionis ipsorum comes esse debet humilitas, juxta illud Matth. 11. *Abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis.* Et Jacob. 4. *Deus qui superbis resistit, humilibus dat gratiam.*

67 Sapienter proinde Adrianus VI. in 4. de Confess. q. 5. dub. 7. *Ignorantia solùm est in homine invincibilis, quando facit quod in se est, apud Deum & homines, ut mereatur veritatem edoceri; volens efficaciter amplecti, in quamcumque partem Dei præceptum declinaverit.* Ex quo quodlibetica q. 2. in 1. sive argum. ad 2. concludit: *Qui ergo in dubiis inquirit veritatem ab homine, etiam docto, non est tutus, nisi simul talem se exhibeat orationibus & lachrymis, qui meritò instrui debeat de agendis, ubi defuerit humanum ministerium.*

68 Ideò in peritiorum, qui consuluntur, delectu, summâ opus est prudentiâ. Quia ubi de salute æterna agitur, ii qui consulunt, sincerum præ se ferre debent desiderium cognoscendæ sequendæque veritatis, etiamsi futura sit ipsis incommoda (aliàs sæpè Deus permittit consiliarios errare, in pœnam consulentium) ii etiam qui consuluntur, sinceri esse debent amatores veritatis, nec quærere loqui placentia, sed salutaria & vera, non ex dissipatis laxiorum opinionum cisternis, sed ex germanis Ethices Christianæ fontibus, Scripturâ videlicet & traditione deprompta.

69 Saluberrimum hac in re videtur Bellarmini monitum, in epistola ad Nepotem suum, Episcopum Theanensem: *Siquis velit in tuto salutem suam ponere, is omninò debet certam veritatem inquirere, & non respicere quid multi hoc tempore dicant, aut faciant. Et si rei certitudo non possit ad liquidum apparere, debet omninò tutiorem partem sequi, & nullâ ratione, nullius imperio, nullâ utilitate temporali propositâ ad minus tutam declinare. Agitur enim de summa rei, cùm de salute æterna tractatur, & facillimum est conscientiam erroneam aliorum exemplo induere, & eo modo, conscientiâ non remordente, ad eum locum descendere, ubi vermis non moritur, & ignis non extinguitur.*

70 Et quis non hoc in hora mortis, judiciique tremendi die, se fecisse vellet? Atqui quolibet in negotio agendo, si incertus sis, quid potiùs eligas (verba sunt venerabilis Bartholomæi à Martyribus, Archiepiscopi Bracharensis, miraculis clari, in compendio vit. spirit. p. 1. c. 7.) *antequam statua quid agendum sit, prius considera quid..... acturus esses, si instaret tunc hora mortis. Item cogita, quid malles egisse, cùm steteris in die judicii coram Domino, & illud age. Si dubites adhuc, elige illud quod naturæ tuæ & affectionibus molestius est, & magis adversatur, juxta illud:* „Esto „consentiens adversario tuo... (id est divinæ legi, concupiscentiis & inclinationibus tuis adversanti (ut Augustinus exponit ser. 1. de serm. Dom. c. 3. sicut & S. Gregorius homil. 39. in Evang.) *ne forte tradat te adversarius Judici..... & in carcerem mittaris.* Matth. 5. Quasi dicat Dominus: in dubiis salutem animæ concernentibus, ne sequaris consilia blandientium Casuistarum, sed eorum potiùs qui stant pro lege contra inclinationes tuas. Tum quia aliàs salutis periculum vertitur. Tum quia verba blandientium Casuistarum non sunt verba sapientum. Scriptum est enim: *Verba sapientium sicut stimuli, & sicut clavi in altum defixi.* Eccle. 12. Quare? Rationem dat Hieronymus ibidem: *quia in similitudinem stimulorum corrigunt delinquentes, & pigros mortalium gressus aculeo pungente commovent.... Notandum est quòd dicantur verba sapientum pungere, non palpare, nec molli manu attrahere laciniam, sed errantibus & tardis pœnitentiæ dolores & vulnus infigere. Si igitur sermo non pungit, sed oblectationem facit audientibus* (uti faciunt verba blandientium Casuistarum, molliumque Decalogi Interpretum) *iste non est sermo sapientis. Verba quippe sapientum sicut stimuli: quæ quoniam ad conversionem provocant delinquentem, & firma sunt, & à Concilio Sanctorum data, atque ab uno Pastore concessa, & solidâ radice fundata sunt.* Hactenùs Hieronymus.

Et cui dubium esse potest, quòd quemadmodùm salutem æternam omnibus commodis nostris temporalibus oportet nos anteponere; ità & illud omne quod salutem æternam in tuto ponit, anteponere nos oportet omnibus Casuistarum opinionibus seu commodis responsis, sequacium salutem in tuto non ponentibus? 71

Propterea Joannes Sarisberiensis, S. Thomæ Cantuariensis Discipulus, postea Carnotensis Episcopus, l. 1. epist. 157. inter S. Thomæ epistolas à Christiano Lupo editas: *Ecce coram Deo* (inquit) *quem hujus verbi in extremo examine testem invoco, totâ spiritûs libertate.... respondeo, quod in omni ardua dubietate censeo faciendum; scilicet ut primò omnium quæramus & sequamur quod super hoc lex divina præscripsit. Quæ si nihil certi exprimit, recurramus ad Canones & exempla Sanctorum. Ubi si nihil certum occurrit, tandem explorentur ingenia & consilia sapientium in timore Domini; illique, seu pauciores, seu plures sint, cæteris præferantur, qui honorem Dei commodis omnibus anteponunt. Nullus enim salubriter incedit, lege Dei, quæ omnibus est certissima forma vivendi, neglectâ, quam negligit, qui negligit viam secundùm quam in tuto posita est custodia illius. Et qui Patrum vestigia detrectat imitari, ad consortium regni, quo illi gaudent, introire non poterit.* 72

Non ergo tutum est quorumcumque peritorum responsa & opiniones sequi, etiamsi pii ac prudentes habeantur. Nam sine dubio à Judæis periti, pii ac prudentes habebantur Scribæ, Pharisæi & Legisperiti ipsorum; eorum tamen sequentes doctrinam, legi naturali adversam, securi non erant. Imò Matth. 14. *cæci* 73

vocantur cum cæcis ducibus ſuis in præcipitium cadentes. Nec ſecuri fuerunt, qui ſecuti ſunt opiniones Bauniorum, Tamburinorum, Eſcobariorum, aliorumque ejuſmodi Caſuiſtarum, à quibus traditæ ſunt tot propoſitiones ab Alexandro VII. Innocentio XI. & Alexandro VIII. ob nimiam laxitatem damnatæ, velut ut minimùm ſcandaloſæ, & in praxi perniciosæ; tametſi earum Authores habiti ſint prudentes, docti & pii. Neque enim omnes qui habentur tales, ſecuri ſunt duces, præſertim in rebus commodum noſtrum ſpectantibus, in quibus verba ipſorum cenſenda non ſunt verba Sapientum, dum cupiditatibus noſtris blandiuntur, niſi certum proferant ex germanis Ethices Chriſtianæ fontibus fundamentum, ut ſuprà dixi, conformiter ad ſalutaria monita Bellarmini, venerabilis Bartholomæi à Martyribus, Joannis Sarisberienſis, S. Hieronymi, atque ipſiuſmet Spiritûs ſancti Eccle. 12. Enimverò ſi ſecuræ fuiſſent laudatorum Caſuiſtarum opiniones ante damnationem, eas Eccleſia non declaraſſet ut minimùm ſcandaloſas, & in praxi perniciosas; neque enim ſuâ declaratione fecit tales, ſed monuit eſſe tales.

CAPUT XIV.

Conſectaria momentoſa ex dictis cap. præcedenti.

74 EX ibi dictis manifeſtè conſequitur 1°. verum eſſe quod docet inſignis Doctor ex Seraphico Ordine S. Franciſci, Alphonſus à Caſtro l. 2. de poteſt. leg. pœn. c. 14. ad conſcientiæ ſecuritatem non ſufficere conſilium peritorum illorum, de quibus fama eſt quòd aliis in rebus laxiorem habent conſcientiam, ſeu doctrinam. Et ſi multi tales concorditer de re aliqua ſenſerint, non eſt propterea illorum ſententia ſecurè ſuſcipienda, ſi conſtet alios viros bonos perinde ac doctos contrarium ſentire, etiamſi hi pauciores ſint numero quàm alii. Securè proinde hodie nemo ſequitur laſcivientia ingenia, de quibus Alexander VII. in præfat. Decreti ſui de 24. Sept. 1665. conqueritur, *ſummam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excreſcere, per quam in rebus ad ſalutem pertinentibus modus opinandi irrepſit, alienus omninò ab Evangelica ſimplicitate, ſanctorumque Patrum doctrina, & quem ſi pro recta regula fideles in praxi ſequerentur, ingens irreptura eſſet vitæ chriſtianæ corruptela.*

75 2°. conſilium ab iis potiùs Doctoribus ſequendum, qui arctam divinæ Scripturæ, & ſanctorum Patrum doctrinam ſequuntur, quàm qui laxam & inclinationibus noſtris blandientem, ſequitur ex primo conſectario, necnon ex hoc quòd arctam eſſe viam, quæ ducit ad vitam, Veritas definierit Matth. 7. Ad quem locum Hieronymus & Anſelmus obſervant, difficile eſſe non ſolùm per hanc viam ambulare, ſed & eam invenire, ob naturæ noſtræ corruptionem. Quæ difficultas vix ulla foret, ſi ſecura eſſet blandientium Caſuiſtarum doctrina. Sed iſtam ſecuram non eſſe Salvator ibidem & Luc. 13. ſatis innuit, dum declarat, paucos ex iis qui quærent intrare (adeòque ex fidelibus) in regnum cælorum intraturos. Non pauci verò ex fidelibus in regnum cælorum intrarent, ſi per arctam cæli viam ambularent, qui vitam dulciter tranſigunt ſecundùm blandientem ejuſmodi Caſuiſtarum doctrinam.

3°. ſecuriorem proinde eſſe directionem, 76
tutioraque & ſalubriora conſilia ſtrictorum, quàm laxorum Doctorum. Tum quia verba ipſorum, utpote pungentia ut ſtimuli, verba ſunt Sapientum, ut vidimus n. 70. Verique Doctores & Apoſtolici viri à Domino vocantur *ſal terræ* (quemadmodùm enim ſal urit & pungit; ſic ipſi terrenos homines urunt & pungunt.) Tum quia licèt utraque cavenda ſit extremitas, & rigoris ſcilicet & laxitatis; majus tamen hodie periculum eſt à laxis, quàm à ridigis Doctoribus, majorque fidelium multitudo perit ob nimiam Confeſſariorum & Directorum indulgentiam, falſamque miſericordiam, quàm ob exceſſivum rigorem, uti demonſtravimus Prolegom. 2. c. 15. n. 146. & ſeqq. & ampliùs demonſtrabimus to. 3. l. 5. Unde venerabilis Petrus Cantor, celebris Doctor & Cancellarius Pariſienſis, Doctores illos qui ſe benignos vocant, Eunuchos & effeminatos appellat, eunuchizantes quod virile & robuſtum eſt in arcu Domini, contra quos invehitur (inquit) Iſaïas c. 3. dicens: *Dominus auferet à Hieruſalem conſiliarium, & prudentem eloquii myſtici. Et dabo pueros principes eorum, & effeminati dominabuntur eis.* Et iſta eſt ratio, propter quam V. Bartholomæus à Martyribus, cap. præcedenti laudatus, eligendum monet, quod naturæ noſtræ ac affectionibus magis moleſtum eſt, & magis adverſatur. Et Joannes Sarisberienſis vult cæteris præferri conſilia ſapientium in timore Domini, qui honorem Dei, ſollicitamque proinde obſervantiam legis ipſius, commodis omnibus anteponunt.

4°. ignorantiam invincibilem excuſabilem- 77
que non eſſe in illis, qui cognoſcendæ veritatis voluntaria impedimenta habent ex parte intellectûs, vel voluntatis: ex parte utique intellectûs per ſtudii defectum, vel inconſideratam præcipitatamque electionem opinionum, de ſeipſis præſumptionem, vel nimiam adhæſionem ad opiniones exceptas. Ex parte voluntatis, ex nimio earundem opinionum amore, non tam quia veræ ſunt, quàm quia commodæ, quia ſcilicet ſecundùm eas facilè practicatur officium Confeſſarii, Judicis, &c. Ipſos namque voluntariè excæcat cupiditas & amor ſui. Ob ea quæ dixi num. 65. Iſte etiam defectus frequenter provenit ex inordinato quo impelluntur amore ſuarum, vel ſui Sodalitii opinionum, quo fit ut iis ſic adhæreſcant, ut ne audire quidem velint eos, à quibus ad ve-

ritatem fortassis revocarentur. Ex qua inordinatione ulteriùs fit, quòd levissimæ rationes istis opinionibus faventes, ipsis videantur invictissimæ; rationes verò in contrarium, licèt demonstrativæ, ne probabiles quidem ipsis videantur. Quod vitium hodie communissimum est.

78 5°. per ignorantiam nullatenùs excusabiles esse Confessarios, Ecclesiasticos, & alios, qui libros illos legere refugiunt, à quibus convinci metuunt de obligatione agendi aliter quàm ipsis agere placet. Quia ignorantia ipsorum pessima est, utpote affectata, quæ auget potiùs quàm extenuet malitiam eorum, quæ contra suas faciunt obligationes. Et idem est de iis, qui Confessarios, vel Concionatores, Moralem Evangelicam docentes, audire refugiunt, nec audire volunt nisi loquentes placentia. Vel audiunt quidem docentes arctam cæli viam, sed unâ tantùm aure, magis animo ipsis contradicendi, & enervandi quæ dicuntur, quàm veritatem ab ipsis addiscendi. Ad enervandum verò & contradicendum hoc unico moventur argumento ridiculo: Si hoc esset verum, vel necessarium, multi damnarentur, pauci Confessarii munus suum obirent, nec ego Confessarii munus obire vellem.

Ridiculum voco argumentum istud. Quòd enim multi, etiam ex fidelibus adultis, damnentur, pauci salventur, Eloquia sacra, Patres, & meliores Theologi docent. Quòd pauci etiam Confessarii munus suum rectè obeant, hoc est quod Sancti & magni viri deplorant. Quid est enim quòd de tanto numero pœnitentium tam exiguam emendationem videamus in iis qui toties, & tam multis ab hinc annis pœnitentiæ Sacramentum frequentarunt, nisi quia Confessarii nimis molliter & negligenter suum munus obeunt, ait S. Carolus Borromæus Instruct. Pastor. p. 2. c. 1.? Quid est quod Ecclesiam hodie perdit, nisi Confessariorum & Pastorum blandiens adulatio? ait S. Thomas Villanovanus conc. in fer. 6. post Domin. 1. Quadragesimæ. Idem contestantur S. Franciscus Salesius Constitut. Synodal. tit. 9. c. 5. Eminentissimus Cardinalis le Camus (ob vitæ sanctimoniam ab Innoc. XI. ad Purpuram evectus) in Decret. suis Synodal. tit. 6. c. 6. sect. 2. Eminentissimus Cardinalis Bellarminus conc. 8. in Dom. IV. Advent. Eminentissimus Cardinalis Fredericus Borromæus, sancti Caroli Borromæi Patruelis & imitator, ejusdemque in Archiepiscopatu Mediolanensi post aliquot annos successor, volum. 3. all. adunanza de Confessori ragionamento 4. aiens multos Confessarios sequi auram popularem, & famæ celebritatem, & ideò plurimos ex ipsis perire, qui corpus suum jejuniis & flagellis castigant, qui per dies & noctes cantandis Dei laudibus intenti sunt, &c. quia confitentibus manum nimis inconsideratè imponentes, peccatis alienis communicant, eorumque se fœtoribus fœdant, multisque causa sunt damnationis æternæ, & ideò cum eis ipsi pereunt.

Cum iis magnus ille vir Antonius Godæus, 79
Vencensis Episcopus, in Historia sua Ecclesiastica, ad annum.... dicit majorem Confessariorum partem ab Evangelico rigore, sacerdotalique vigore in nimiam mollitiem deficere: quia majori ex parte minimè respiciunt ad veram Dei gloriam, nec ad regulas Evangelii, nec ad Sanctorum exempla, nec ad proximi detrimentum, ut meritò dicere possimus cum Psalmista: *Salvum me fac Deus, quoniam defecit sanctus, & diminutæ sunt veritates à filiis hominum.* Atque hæc una est ratio propter quam Chrysostomus homil. 3. in Acta dicebat: *Non arbitror inter Sacerdotes multos esse qui salvi fiant, sed multò plures qui pereant.* Et Augustinus epist. 21. Edit. novissima Paris. *difficile, laboriosumque Sacerdotis officium* agnoscebat, eo modo peractum quo Deus jubet. Verba ipsius sunt: *Nihil est in hac vita, & maximè hoc tempore, facilius, & lætius, & hominibus acceptabilius, Episcopi, aut Presbyteri officio, si perfunctoriè atque adulatoriè res agatur; sed nihil apud Deum miserius, & tristius, & damnabilius.* Item, *nihil esse in hac vita, & maximè hoc tempore, difficilius, laboriosius, periculosius, Episcopi, aut Presbyteri.... officio; sed apud Deum, nihil beatius, si eo modo militetur, quo noster Imperator jubet.* Propterea à Valerio Episcopo, Ordinatore suo, flagitavit, ut pateretur ipsum in secessu precibus & studio hoc agere, ut se idoneum redderet, qui populo ministraret Sacramentum & verbum Dei.

Hinc arguuntur sui amantes esse, nec tam 80
Dei gloriam, animarumque salutem, quàm seipsos quærere, qui dicunt: *Confessarii munus obire non vellem, si sic obeundum esset ut Sancti docent*, secundùm rigorem utique Evangelicum. Hoc enim non dicunt, nisi ob difficultatem sic illud obeundi. Quæ cùm inseparabiliter annexa sit officio fideliter peracto (ars enim artium est regimen, & judicium animarum, nec sine cælesti lumine, magnâque charitate, prudentiâ & animi fortitudine potest quis jura Dei ita tueri, ut hominum infirmitatem non opprimat; nec sic hominum imbecillitati obsequi, ut in jura Dei non peccet; estque periculum non parvum, ne Sacerdotes, dum ignorantes docere volunt, cæcus cæco ducatum præstet; vel dum lapsos conantur erigere, ipsi collabantur; ne denique pernicioso obsequio vulnus benignâ obtrectantes manu, ægritudinem foveant, seque ipsos vulnerent, ait piissimus Contensonus to. 9. dissert. un. c. 2. specul. 3.) officium illud ad Dei gloriam animarumque salutem obire refugiunt ut oportet, ob difficultatem; difficultatem verò istam non refugiunt ex charitate (quæ omnia suffert) igitur ex cupiditate, seu amore sui, & defectu fortitudinis animi; quâ quòd destituantur, inde est (ait Eminentissimus Cardinalis Denhoffius Instruct. Pastor. §. 2. n. 6.) quòd cupiant hominibus

placere; quæ cupiditas si ex animis Ministrorum Ecclesiæ eradicari posset, mundus protinùs (ut B. Joanni Chrysostomo visum est) à vitiis esset emundatus. *Tolle* (ait sanctus ille Doctor homil. 43. op. imperf. in Matth.) *hoc vitium à Clero, ne velint hominibus placere, & omnia vitia resecantur.*

81 Aiunt quidem isti, se non refugere difficultatem, in iis quæ practicabilia sunt: at modum illum, quem Sancti & quidam Theologi docent, videri impracticabilem.

At quibus videtur impracticabilis, nisi iis qui hominibus quærunt placere? Videant ergo ipsi, ne mentiatur iniquitas sibi. Non enim impracticabilis esse potest modus, qui (teste Eminentissimo Cardinali Aguirio) inhæret non modò Conciliis, Canonibus, & Patribus, non solùm gravissimis Cardinalibus, Episcopis, & Theologis horum temporum, sed etiam rationi manifestæ, fundatæ in doctrina fidei, & experimento frequenti; maximoque cum fructu practicatur à millenis milleniisque Parochis, Confessariisque, etiam sanctissimis, sapientissimisque, uti testantur Episcopi complures, atque cum ipsis duo celebres è Societate Theologi, Paulus Segneri, nuper Theologus Pontificius (qui majori parte vitæ per totam Italiam Missionarius fuit) in Instructione Confessariorum c. 4. & in Instructione Pœnitentis c. 9. & Emericus de Bonis, qui ab annis plusquàm centum in tract. de Sacram. Altaris, posteaquàm dixit, quòd illi qui habitum peccati contraxerunt, nonnisi magno nisu, magnâque animi contentione excitare in se salutiferum peccatorum dolorem valent, ideòque necesse sit, ut subeant (post exposita expansaque flagitia) pœnarum & laborum genera quibus sentiant, doleant, & detestentur præteritas culpas: quod quia ab illis non exigitur, citò suum vomitum resorbent. Post hæc (inquam) statim subjungit: „ Multi „ Confessarii pii prudentesque testantur, innu„ meros homines, qui peccatis priùs obstricti „ erant, quòd eam rationem tenuissent, dilatâ„ que absolutione sæpiùs ad tribunal pœnitentiæ, „ ut animi statum identidem aperirent, illis re„ dire jussissent, impositâ interim delictorum „ pœnâ, pristinos mores in melius mutavisse, „ & magno gaudio, magnoque deinceps in vir„ tute progressu, infandam peccati consuetudi„ nem abjecisse.

82 Et quomodò impracticabilis asseritur doctrina de absolutione consuetudinariis, & quibusdam aliis magnis peccatoribus differenda, donec aliquanto tempore per dignos pœnitentiæ fructus, seu pœnalia pœnitentiæ opera, pro vera conversione impetranda, pulsarint ad fores divinæ misericordiæ, cùm *opera quæ ad hoc ipsis à zelosis Confessariis injunguntur, nec secundùm durationem temporis, nec secundùm acerbitatem.... æquent ne centesimam quidem partem ejus pœnitentiæ, quam veteres canones ante absolutionem exigebant?* uti observat Eminentiss. Card. Aguirius dissert. 8. in can. XI. & XII. Concilii Tolet. III. excursu 1. n. 159.

Nulla itaque ea in re vel umbra impracti- 83
cabilitatis; sed ipsius allegatio argumentum est animi seipsum quærentis, à sacerdotalique vigore deficientis. Nec enim eam allegant, nisi qui *quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi.*

6°. inexcusabiles tandem esse, qui sine de- 84
bita facti informatione id agunt, quod sine competente veritatis notitia agere periculosum est. Quia ipsos temeritas accusat. Sic hisce temporibus graviter culpabiles sunt, qui nimis leviter credendo aliis, viros pios, & innocentes traducunt, ut hypocritas, hæreticos, Novatores, Jansenistas, Rigoristas, &c. Vitium istud hodie communissimum est, propter quosdam importunos obtrectatores, qui argumentis destituti, quosvis suis mollioribus opinionibus contradicentes, etiam sanctissimos, sapientissimosque, quinque famosas propositiones cum Ecclesia sincerè detestantes, abjecto Dei timore, spargunt esse tales. Quasi non scriptum sit: *Maledici regnum Dei non possidebunt.* Sed væ illis, cùm venerit Dominus rationem ponere cum servis suis!

CAPUT XV.

Invincibilis ignorantia Dei non datur in adultis ratione utentibus; uti nec juris naturalis quoad universalia principia illius; nec quoad Decalogi præcepta; nec malitia peccatorum carnis, v. g. fornicationis, mollitiei, &c. ab ullo ejusmodi adulto censenda est inculpatè ignorari.

§. I.

De ignorantia Dei.

INvincibilem Dei ignorantiam à Sanctis non 85
agnosci, perspicuè ostendimus to. 1. de Deo dist. 2. a. 4. n. 84. Et ideò *eos meritò torqueri qui Deum nesciunt, ut impios, ut injustos, nisi profanus nemo deliberat, cùm Parentem omnium, & omnium Dominum, non minoris sceleris sit ignorare, quàm ladere*, ait Minutius Felix in octavio.

Hinc divina Scriptura generaliter & indi- 86
stinctè culpat homines, in quibus Dei cognitio non est. Sap. 13. *Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei.* Quia, ut Apostolus Rom. 1. dicit, *invisibilia Dei, à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur: sempiterna quoque ejus virtus & divinitas: ita ut sint inexcusabiles.* Illa quippe ignorantia ipsorum provenit ex natura ipsorum nimiùm depravata, ut Augustinus docet tr. 16. in Joan. *Exceptis paucis, in quibus natura nimiùm depravata est, universum genus humanum Deum hujus mundi fatetur Authorem.* Videri etiam potest serm. 1. de verb. Dom. Deum verum plures quidem ignoraverunt ante adventum Domini, quando singulariter *notus* erat *in Judæa Deus*; sed eos veniâ indignos Sapiens pronuntiat Prov. 13.

his verbis: *Nec his debet ignosci. Si enim tantum potuerunt scire, ut possent æstimare sæculum, quomodo suum Dominum non facilius invenerunt?*

87 Per consequens nullum juris naturalis transgressorem à peccato excusat ignorantia Dei: utpote semper vincibilis, culpabilisque. Unde nullus in tota Scriptura divina, ab offensa & vindicta Dei excusatus legitur ex hoc quòd Deum ignoraverit; quin potiùs homines per ignorantiam illam Deo abominabiles facti leguntur, ipsiusque vindictâ exterminati, prout inter cæteros Chananæi, Amorrhæi, &c. conformiter ad illud Ps. 78. *Effunde iram tuam in Gentes quæ te non noverunt, & in regna quæ nomen tuum non invocaverunt.* Unde & Apostolus 2. Thessal. 1. Christum in die judicii venturum prædicat *in flamma ignis dare vindictam iis qui non noverunt Deum.*

88 Nihil ergo miserius, nihil æternæ damnationi propius, quàm ignorare Deum, creaturamque rationalem, ad imaginem Dei conditam, non cognoscere Conditorem suum, Patrem suum, Dominum suum, summum bonum suum, & ultimum finem suum. Quem cùm cognoscere maxima sit beatitudo, juxta illud: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum*, &c. ignorare ergo maxima est hominis miseria, peccatique originalis pœna gravissima, ut Augustinus agnoscit l. 22. de Civit. Dei c. 22. Et Ecclesia cum Augustino.

89 Unde à communi Christianorum sensu, & sanâ doctrinâ, aliena videtur propositio ista Card. Sfondrati in suo prædestinationis Nodo dissoluto pag. 152. *Cùm hâc (Dei) ignorantiâ barbari impeccabiles redderentur, alioquin certissimè peccaturi, si agnoscerent, sequitur hoc ipsum beneficium esse*, lin. 36. *& gratiæ partem magnam*, ut addit l. 32. Quæsiviisse videtur hic Author singulares, pingues, & inauditos errores, prout observat doctus Anonymus in Responsione pro S. Augustino ad Nodum dissolutum: Quid enim (inquit) potest cogitari enormius, quàm Dei ignorantiam hominibus esse magnam gratiæ & beneficii partem, quam Ecclesia cum Augustino credit gravissimam peccati pœnam, uti dixi num. præcedenti? Quomodò Dei ignorantia esse potest pars magna divinæ gratiæ; cùm proprius gratiæ effectus sit Dei cognitio & amor; nec Christus dici queat mortuus, ut suo hominibus sanguine Dei ignorantiam promereretur? Quod aliàs sequeretur, nec tamen sine blasphemia dici potest. Quomodò Dei ignorantia Barbaros reddere potest impeccabiles; cùm juxta divinam Scripturam & Patres ipsa peccatum sit gravissimum?

90 Hoc dicit quidem Sfondratus, in hypothesi, quòd illa Barbarorum ignorantia sit invincibilis, quam hypothesim possibilem esse negat. Et datâ illâ hypothesi censet ipsos peccare non posse: cùm enim (ait ibidem l. 33.) peccatum sit essentialiter offensio & injuria Dei, sublatâ Dei cognitione, necessariò sequitur, nec injuriam, nec peccatum, nec æternam pœnam esse. Verùm impeccabiles atque ab æterna pœna immunes asserere, etiam parricidas, hospitum necatores, ac portenta libidinum consectantes, quos Deus tantâ gratiâ, hoc est cæcitate mentis, summâque sui ignoratione donaverit, hoc est asserere aliquid pejus peccato philosophico, ab Alexandro VIII. damnato. *Hæc nempe ad Sinenses solatia deferebant, quibus excæcatæ gentis, ac de parentum suorum sapientiâ immensùm gloriantis, superbiam demulcerent* (aiunt quinque Illustrissimi Galliæ Præsules in epist. ad Innoc. XII.) *Horum ergo gratiâ quærebatur*, " an infideles, « præcepta naturalia transgredientes, pœnas æ- « ternas mereantur? Et negabant aliqui: quia « ignorantiâ Dei, & Legislatoris, à tam gravi « pœna excusantur.... " *At sacræ Congregationis authoritate Consultores respondebant; procul dubio damnari eos, idque pœnis æternis, de quibus quæstio instituta erat; nec illam turpissimam ignorationis Dei excusationem admittebant* (uti constat ex consult. & resp. anni 1674. q. 24. in libro Fr. Dominici Ferdinandi Navarrette Dominicani tr. 7. pag. 503.) *Alexander verò VIII. recentissimo edicto die 24. Augusti 1690. decernebat hoc temerarium, piarum aurium offensivum, atque erroneum, si dicatur:* " pec- « catum philosophicum, quantùmvis grave, in « eo qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu « non cogitat, esse grave peccatum, sed non « esse offensam Dei, neque peccatum mortale « dissolvens amicitiam Dei, neque æternâ pœnâ « dignum. " *Quo decreto nihil sublevati sumus* (pergunt sapientissimi Præsules) *si ab ipsa Urbe, à tantæ dignitatis Viro, portentosa doctrina, non tantùm ad Sinenses, sed etiam ad omnes Reipublicæ Christianæ provincias diffundatur. Sic enim duo invalescerent. Primum, ut essent omninò impeccabiles, qui summè & invictè, si quidem id fieri posset, ignorarent Deum. Alterum, ut ea ignorantia ad gratiam, non autem ad peccati gravissimam pœnam pertineret. Quæ duo ab errore defendi non possunt.* Hactenùs Illustrissimi illi, postea probantes duo ista ab errore defendi non posse. *Neque enim fieri potest, ut innocens Deo sit, qui (extinctâ licèt cognitione Dei) rectæ rationis & conscientiæ lucem, à Deo exorientem spernit. Neque item fieri potest, ut non sit contumeliosus in Deum, qui rectæ rationi, cujus Deus Author & Vindex est, inferi injuriam.*

De pœnarum verò per hanc ignorantiam sub- 91
latâ æternitate, qui cum Sfondrato sentiunt, *non advertunt, pœnarum æternitas à qua radice profluat. Nempe* (ut ait S. Gregorius Magnus l. 34. Moral. c. 16.) *vellent mali sine fine vivere, ut possent sine fine peccare; quippe qui felicitatem ac finem ultimum in prava delectatione defigunt. Neque verò quisquam est, qui non æternum esse velit id, quo se beatum putat. Inest ergo cuicumque mortali peccato quædam concupiscentiæ æternitas, atque, ut ita dicam, immensitas; cui profectò Deum totâ suâ infini-*

tate, atque æternitate, ac sanctitate adversari necesse sit. Ergo mortale quodcumque peccatum, contra legem etiam naturalem, habet aliquid quod æternam iram provocet. Unde quocumque peccato rectam rationem læseris, exurgit ille ultricis conscientiæ stimulus, ille vermis interior, qui (teste Christo) NON MORITUR; *cujus adeò immortale virus, morsus indefessus: quod supplicii genus qui extinguendum putat, Evangelio contradicit. Vermem autem illum profectò comitatur sempiternus ignis; à quo si impios illos exemeris, erit, non modò parvulis, verùm etiam adultis, Deum nescientibus, à sempiterno igne secluſus assignandus locus. Nec in sinistra erunt perditi ac scelerati, qui Deum nesciunt, ejusque ignoratione mulctati, nec à præteritis peccatis expedire se possunt, & in nova prorumpunt. Non ergo impeccabiles, qui legem naturalem, quam sciunt, non impunè contemnunt. Nec, si vel maximè sint impeccabiles, id beneficii loco consequentur. Etsi enim gratia est, peccare non posse in bona voluntate firmatos; non proinde gratia, sed peccati esset pœna gravissima, peccare non posse, eò quod ignorarent Deum, quo nihil est miserius, & æternæ damnationi propius.* Errat ergo quisquis putat, quòd quia lege Dei & gratiâ perversi & ingrati abutuntur, subtractio legis, & gratiæ, non pœnæ (quod semper Ecclesiæ visum est) sed gratiæ & beneficio imputetur.

92 Sententia itaque illa Sfondrati duos errores gravissimos involvere videtur, ipso philosophismo pejores. Primò quòd ignorantia illa Dei beneficium & gratia Dei sit. Secundò quòd per eam hominem impeccabilem asserat. Utrumque adeò singulare est, atque inauditum, ut neutrum aliquis unquam Philosophista ausus fuerit asserere. Enimverò si utrumque istud verum foret, deflendæ non essent tenebræ Atheorum, cæterorumque Deum ignorantium; sed gratiæ potiùs agendæ Deo pro ignorantia illa, per quam impeccabiles evasissent; & excæcatio ipsorum potiùs esset impeccantiæ privilegium, quàm pœna peccati. Sed plura de his p. 5.

93 Solùm hîc addo id quod sapientissimi Episcopi illi insinuant, nimirùm quòd eo ipso quòd homo per conscientiæ remorsum cognoscit se contra rectam rationem peccare, implicitè & confusè cognoscat se peccare contra legem æternam (adeòque contra Deum:) cognoscit enim se peccare contra legem, supra humanam mentem lucentem, cujus luce cognoscunt, contra rectam rationem esse quod faciunt. Sentiunt namque, velint nolint, se istius legis luce accusari, damnari, torqueri, nec se posse jugum & imperium ipsius excutere. Quòd proinde lux illa sit homine potentior, nec aliud quàm æterna Veritas, supra humanam mentem lucens. Satis enim sentiunt, Veritatem illam esse immutabilem, nec esse humanam rationem, vel humanam mentem præcisè: utpote quam impii, contra rationem humanam agentes, non usque adeò venerantur, quin jugum ipsius excutere valeant; quemadmodùm frequenter excutiunt jugum cujuscumque humanæ authoritatis. Sentiunt ergo esse aliquid supra humanam rationem & supra humanam mentem; sentiunt insuper esse aliquid immutabile, sive habens vim immutabilem & inexcutibilem obligandi, accusandi, torquendi, &c. utpote quam nullus unquam, quàmlibet impius, excutere potuerit. Satis ergo percipiunt esse Veritatem immutabilem, humanâ mente superiorem; quæ aliud non est nisi lex æterna, sive Deus, ut pulchrè explicat Augustinus l. de ver. relig. c. 39. l. de Magistro c. 11. & seqq. necnon l. 1. de Trinit. c. 15. ubi ex luce seu lege illâ æternâ provenire dicit, quòd ipsi etiam impii cogitant æternitatem, & multa rectè comprehendunt, rectèque judicant in hominum moribus. *Quibus ea tandem regulis judicant, nisi in quibus vident quemadmodùm quisque vivere debeat, etiamsi nec ipsi eodem modo vivant? Ubi eas vident? Neque enim sua in natura, cùm procul dubio mente ipsâ videantur, eorumque mentes constet esse mutabiles; has verò regulas immutabiles videat, quisquis in eis & hoc videre potuerit. Nec in habitu suæ mentis: cùm illæ regulæ sint justitiæ; mentes verò eorum constet esse injustas. Ubinam sunt ergo illæ regulæ scriptæ, ubi quid sit esse justum & injustus agnoscit? Ubi cernit habendum esse quod non habet? Ubi ergo scriptæ sunt, nisi in libro lucis illius, quæ Veritas dicitur, unde omnis lex justa describitur, & in cor hominis.... non migrando, sed tamquam imprimendo transfertur; sicut imago ex annulo in ceram transit, & annulum non relinquit,* &c.

§. II.

De ignorantia principiorum universalium juris naturæ.

PRincipia universalia juris naturæ, ista uti- 94
que, *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, &c. à nullo rationis compote ignorari, experientia, & SS. Patres docent, Hieronymus, Augustinus, &c. Quippe Hieronymus in epist. ad Algasiam q. 8. *Nullus* (inquit) *hominum est, qui hanc legem nesciat.... quod tibi fieri nolueris, alteri non feceris.* Augustinus in Psal. 67. *Scripsit Deus naturæ legem, quam non sinitur ignorare, dum id quod facit, non vult pati.* V. Beda in eumdem Psal. *Planissimum & apertissimum est omni homini illud præceptum: quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* S. Thomas 1. 2. q. 94. a. 4. *Lex naturæ, quantum ad prima principia communia, est eadem apud omnes, & secundùm rectitudinem, & secundùm notitiam.*

§. III.

De ignorantia præceptorum Decalogi.

SI non detur inculpata Dei ignorantia, nec 95
principiorum universalium juris naturæ;

pro-

profectò nec earum conclusionum, quæ proximè & evidenter ex iis consequuntur, facillimoque discursu manifestant sese omni homini, ratione utenti, dummodò tantillùm reflectat & attendat, quando in materia istarum conclusionum hîc & nunc operandum est. Atqui talia sunt Decalogi præcepta. Quilibet enim, antequam operetur, tenetur reflectere & attendere, an id quod operari vult, conforme sit communibus seu universalibus regulis, quibus dirigi debet in omni operatione sua. Cùm hoc ipso, quo tenetur rationabiliter operari, teneatur inspicere, nùm operatio sua conformis sit rectæ rationi, ac per consequens primis & communibus regulis illius.

96 Vel igitur operaturus ad eas reflectit, & attendit, vel non? Si non, ignorantia seu inadvertentia ipsius, procul dubio culpabilis est: quia agit sine debita reflexione ad id quod agit. Si sic, statim sentit & cognoscit, quòd v. g. occidere, mœchari, &c. sit contra primas illas communesque rectæ rationis regulas. Quemadmodùm enim omnis, qui scit omnem hominem esse animal rationale, & omne animal rationale esse risibile, si tantillùm reflectat, attendatque ad vim propositionum istarum, statim sentit evidenter inde consequi, quòd omnis homo sit risibilis: sic omnis qui scit commune istud principium, *quod tibi non vis fieri, ne feceris alteri*, seque nolle ab alio occidi, nec suam uxorem ab altero corrumpi, tantillùm reflectat & attendat ad ista duo, statim evidenter sentit inde consequi, quòd nec ipse debeat alterum occidere, uxorem alterius corrumpere, &c. Statim (inquam) id sentit, dicitque cum Augustino in l. de decem chordis c. 10. *Furtum si faciam, id facio quod pati nolo. Si parentibus meis honorem non deferam, quando volo ut mihi deferatur à filiis meis, id facio quod pati nolo. Si occidam, si accedam ad uxorem alterius, & nolo ut uxor mea tale quid faciat; si concupiscо uxorem proximi mei, nolens ut concupiscatur mea, id facio quod pati nolo.* Omnia itaque secundæ tabulæ præcepta facillimè, & quasi sponte suâ fluunt ex primo illo communique principio, *quod tibi non vis fieri*, &c.

97 Quoad præcepta primæ tabulæ, quæ sunt de amando & colendo Deo, quisquis cognoscit Deum esse (quod à nullo rationis usum habente absque culpa ignoratur) eo ipso cognoscit amandum, colendumque esse; sicut omnis qui parentes suos cognoscit, amandos honorandosque cognoscit. Et ideò Rom. 1. *Inexcusabiles declarantur, qui, cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt.* Et quomodò excusabiles essent? *Cælum, terra, & omnia quæ in eis sunt, undique mihi dicunt, ut te amem* (inquit Augustinus l. 10. Confess. c. 6.) *nec cessant dicere omnibus, ut sint inexcusabiles.* Cui conformiter Bernardus l. de diligendo Deo: *Inexcusabilis est omnis, etiam infidelis, si non diligit Dominum Deum suum toto corde, &c. Clamat nempe intùs ei innata ratio, & non ignota rationi justitia, quòd ex toto se diligere Deum debeat, cui se totum debere non ignorat.*

§. III.

Peccata carnis, fornicatio, mollities, &c. nunquam censeri debent ab homine ratione utente prorsus ignoranter commissa, saltem ignorantiâ invincibili & inculpatâ.

98 MUlta principia juris naturæ à multis invincibiliter ignorari posse visum est P. Georgio de Rhodes disput. 2. de peccatis. Decalogi præcepta majori ex parte posse diù invincibiliter ignorari censet Sanchez l. 1. in Decalogum c. 16. n. 33. & Vasquez apud ipsum. Fornicationem quidem esse peccatum, sed dari posse de eo invincibilem ignorantiam, dicit Escobar tr. 1. exam. 8. c. 3. n. 49. referens Tannerum.

99 Sed in contrarium est Scriptura & traditio. Quia licèt contingere fortè possit, quòd fornicatio, mollities, &c. ab aliquibus ignorentur esse peccata, sicut & alia contra Decalogum perpetrata; nulla tamen ejusmodi à divina Scriptura & Patribus excusantur, ob ignorantiam, sed absque ulla exceptione damnantur. Quod argumento est ignorantiam illam nunquam inculpabilem & involuntariam, sed semper voluntariam culpabilemque esse. Constat hoc ex ignorantia Gentilium, earum quoque nationum, quæ vel ipsa adulteria, furta, aliaque ejusmodi, præceptis Decalogicis expresè contraria, licita putaverunt, per consequens peccata esse ignorarunt. Siquidem Germani (teste S. Thoma 1. 2. q. 44. a. 6. id censuerunt de furtis; sicut & Lacedæmonii (teste Plutarco in vita Licurgi) de adulteriis. *Quid loquar de cæteris Gentibus?* (ait D. Hieronymus l. 2. adversus Jovinianum sub initium) *cùm ipse adolescentulus in Gallia viderim Scotos, Gentem Britannicam, humanis vesci carnibus, & cùm per sylvas porcorum greges, & armentorum, pecorumque reperiant, pastorum nates, & feminarum papillas solere abscindere, & has solùm ciborum delicias arbitrari Scotorum natio uxores proprias non habet, & quasi Platonis politiam legerit, & Catonis sectetur exemplum, nulla apud eos conjux propria est, sed, ut cuique libitum fuerit, pecorum more lasciviunt. Persæ, Medi, Indi & Æthiopes..... cum matribus & aviis, cum filiabus & neptibus copulantur. Massagetæ & Derbices miserrimos putant, qui ægrotatione moriuntur, & parentes, cognatos, propinquos, cùm ad senectutem venerint, jugulatos devorant, rectius esse ducentes, ut à se potiùs, quàm à vermibus comedantur.* Puerorum amores liberis, non servis, Solon permisit, uti refert Chrysostomus homil. 4. in c. 1. epist. ad Rom. cùm tamen *ne turpitudinem quidem factum hujusmodi esse crederent* (inquit) *sed veluti venerandum, honestum, ac majus, quàm quod ser-*

vorum personis conveniret. Inexcusabiles nihilominùs omnes illi fuerunt, quia ignorantia ipsorum inculpata non fuit, utpote proveniens *ex hoc quòd habuerunt depravatam rationem ex passione, seu ex mala consuetudine*, ait S. Thomas loco citato. In pœnam proinde scelerum suorum, in tantum excæcavit eos malitia ipsorum, quòd *supercecidit ignis, & non viderunt solem.* Ex sua itaque culpa in horribiles illas tenebras inciderunt. At verò *si ignorantia causetur ex culpa, non potest subsequentem culpam ignorantia excusare.* S. Thomas lect. 7. in cap. 1. epist. ad Rom.

100 Et ideò antiquos habitatores terræ Chanaan, ob similia peccata, velut peccatores, impios, & sceleribus pollutos, Deus ejecit de terra, juxta cap. 18. Levit. ubi Dominus populo suo Israël dicit: *Ne polluamini in omnibus his, quibus contaminatæ sunt universæ Gentes, quas ego ejiciam ante conspectum vestrum, & quibus polluta est terra: cujus ego scelera visitabo, ut evomat habitatores suos.* Et ut ostenderet Dominus illos non ejiciendos ob sola scelera scienter, sed & ignoranter commissa, cap. 20. addidit eos à se abominandos & expellendos, propter scelera quæ ipsi crediderunt non esse scelera, sed facta legitima, id est legitima Reipublicæ statuta, sibi à Regibus & Magistratibus suis præscripta: *Nolite ambulare in legitimis nationum, quas ego expulsurus sum ante vos. Omnia enim hæc fecerunt, & abominatus sum eas.* Sic enim ipse quoque idololatriæ error tamquam lex custoditus est, & tyrannorum imperio stabilitus, ut dicitur Sap. 14. ita ut error iste paulatim introductus, invalescente diuturni temporis consuetudine, idolorum cultus usque adeò habitus fuit pro legitimo cultu, ut eum nationes tamquam legem justam custodirent, & quamvis unaquæque earum, hoc naturæ legem putaverit quod didicit, ut suprà Hieronymus; nihilominùs justo Dei judicio, tamquam abominabiles, punitæ sunt, secundùm suas nequitias, prout dicitur ibidem c. 19. Similiter Rom. 1. inexcusabiles declarantur Gentium Philosophi, qui *cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt.... sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium. Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua.*

101 Cùm igitur à peccato non excusent cæcitas & ignorantia, per peccatum præcedens inducta, à peccato excusandæ non sunt delectationes & actiones impudicæ, v. g. mollities & aliæ impudicitiæ puerorum, si voluntariæ sint, licèt ignorentur esse peccata: siquis enim ignorat eas esse peccata, hoc provenit ex cæcitate cordis, aut tenebris per aliquod peccatum ipsorum causatis. Nam si tor ipsorum dispositum esset, ut oportet, erga Deum, nec ex peccatis præcedentibus tenebræ supereressent, inordinationem in illis agnoscerent: utpote quam agnoscunt qui in timore Domini justè & piè vivunt. Enimverò certum est peccata illa non committi ex sola ignorantia, sed etiam ex concupiscentia, quæ in intellectu tenebras, & in affectu inordinationem causat; innumerosque homines hoc pacto decipit humani generis hostis, & ad innumera peccata inducit, ad simonias utique in beneficiis, ad usuras in contractibus, ad excessus in sæculi vanitatibus, &c. Unde enim circa simoniam v. g. provenit ignorantia, nisi ex eo quòd homo nec affectum illum, nec æstimationem Dei, & eorum quæ Dei sunt, habeat, quem habere debet? Et unde provenit istius affectûs & æstimationis defectus, nisi ex eo quòd nimis afficiatur erga divitias & honores, quos sperat mediante contractu simoniaco? Unde etiam in usuris, & sæculi vanitatibus, ignorantia provenit, nisi ex eo quòd placeant, & cor ad illa conversum, à Deo avertatur, & ideò lumen à lumine non recipiat. Similiter ergo ignorantia in peccatis carnis ex eo provenit, quòd cor hominis ad carnis voluptates conversum, à Deo avertatur, & ideò non illuminetur. Siquidem non agit in hominibus diabolus, qui suadet & decipit, nisi ut peccatum voluntate committant, vel ignorantiâ veritatis, vel delectatione iniquitatis, vel utroque modo, cæcitatis scilicet & infirmitatis, seu concupiscentiæ.

Et inde fit, quòd pueri ad ista perpetranda latebras quærunt, erubescuntque dicere patri vel matri, tale quid se fecisse, licèt dicere non pudeat, fecisse se necessaria naturæ, vel similia, non moralem, sed physicam dumtaxat coram hominibus indecentiam præ se ferentia; pro quibus nec latebras quærunt, nec viri gravis præsentiam fugiunt, sicut pro impudicitiis illis. Signum est ergo quòd quasi naturaliter videant iis inesse turpitudinem erubescentiâ dignam, licèt distinctè non videant iis Deum offendi. Non magis proinde excusandi sunt, quàm infelix Eremicola, de quo S. Petrus Damianus, Cardinalis (tantæ eruditionis & sanctitatis, ut consiliis ipsius Summi Pontifices in summis Ecclesiæ negotiis uterentur, prout nominatim usus est S. Gregorius VII.) opusc. 7. c. 21. narrat, quòd cum multis virtutibus cum suo collega, Deo serviviſſet, *hæc illi per diabolum injecta cogitatio est, ut quandocumque libidine titillaretur, sic semen detritu genitalis membri egerere deberet, tamquam phlegma de naribus projiceret. Qui ob id dæmonibus, moriens, vidente socio traditus est*; *tametsi* (prout idem sanctus Cardinalis c. 22. prosequitur) *nesciendo peccavit, sibique hoc licere, velut naturalis officii debitum, æstimavit per simplicitatem. Tunc idem socius.... penè desperavit dicens: O quis poterit salvus esse! Quomodo iste periit? Cui mox* 102

Angelus

Angelus adstans dixit: Ne turberis; iste enim, licèt multa bona fecerit, tamen per illud vitium, quod Apostolus vocat immunditiam, cuncta fœdavit.

103 Nec magis, imò minùs excusandi sunt quàm puer, qui natus & educatus inter Paganos, majorum authoritate & consuetudine deceptus, sine mali suspicione colit idola. Quem S. Augustinus in Psal. 64. à peccato non excusat, cùm dicit: *Quid faceret puer natus inter Paganos, ut non coleret lapidem, quando illum cultum insinuaverunt parentes ejus? Inde prima verba audivit; illum errorem cum lacte suxit. Et quia illi qui loquebantur majores erant, & puer, qui loqui discebat, infans erat; unde poterat parvulus nisi majorum authoritatem sequi, & id sibi bonum ducere, quod illi laudarent?* Vult nihilominùs Augustinus, tales, ad Christum conversos, de eo veniam à Domino deprecari, cum Psalmista dicendo: *Sermones iniquorum prævaluerunt super nos, & impietatibus nostris tu propitiaberis.*

104 Nec magis excusandi sunt, quàm Tutus Lymeni, civis Hipponensis, vir fidelis & gravis, de quo S. Augustinus serm. 11. (per Doctores Parisienses olim adjecto) narrat, quòd cùm nescio cui depositum neganti juramentum detulisset (delationem istam licitam existimans, sicut & hodie Casuistæ aliqui licitam censent) & hic pejerasset; *Tutus Lymeni ipsâ nocte fuit exhibitus ad Judicem, & cum magno impetu atque terrore pervenit ad Præsidentem Excelsum quemdam, & admirabilem Virum, cui parebat Officium similiter Excelsorum. Fuit perturbatus retrò vocari, & interrogatus his verbis: Quare provocasti hominem ad jurationem, quem sciebas falsum esse juraturum? Respondit ille: Negavit mihi rem meam. Et responsum est illi: & nonne melius erat, ut rem tuam, quam exigebas, perderes, quam animam istius hominis falsâ juratione perimeres? Prostratus jussus est cædi. Cæsus est tam graviter, ut in dorso evigilantis vestigia plagarum apparerent. Sed dictum est illi, postquam emendatus est: parcitur deceptæ innocentiæ tuæ. De cætero cave ne facias. Fecit quidem ille magnum peccatum* (ergo non taliter innocens fuit, quin mortaliter deliquerit, sed hoc sensu innocenter, & quia ignoranter) *& emendatus est*, id est graviter punitus. *Sed multò gravius peccatum faciet qui, post illum meum sermonem, & istam meam admonitionem, & exhortationem, tale quid fecerit.* Ubi eximius P. Christianus Lupus in dissert. de opin. probab. c. 10. sapienter advertit, quòd verba ista, *parcitur innocentiæ tuæ*, edicunt Tutum Lymeni peccasse ex ignorantia. Hæc verba, *multò gravius peccatum faciet*, &c. edicunt Hipponensis populi plures fuisse in eodem errore. Denique verba, *fecit ille magnum peccatum*, evincunt ipsum peccasse mortaliter. Quo ergo colore puerorum illorum impudicitia magis excusari potest per ignorantiam, quàm delatio illa juramenti in Tuto Lymeni?

105 Denique quòd similes impudicitiæ per ignorantiam excusandæ non sint, Augustinus docet in inchoata expositione super epistolam ad Romanos: *Quid agimus de iis, qui cùm baptismi Sacramenta pueri vel infantes perceperunt, postea negligenter educati, per ignorantia tenebras vitam turpissimam ducunt, nescientes omninò quid Christiana disciplina jubeat, aut vetet; quid polluceatur, & quid minetur, &c. An audebimus peccata eorum propterea non ignorantiæ peccato deputare, quia baptizati peccaverunt, cùm omninò ignorantes, & omninò, quemadmodum dicitur, ubi caput haberent nescientes, in magno errore peccaverint.* Ubi, ut etiam Christianus Lupus benè advertit, "agit "in quosdam asserentes nulla esse posse peccata "ignorantiæ" (peccata utique verè imputabilia) "& ipsos revincit per ignorantem im- "pudicitiam quorundam indisciplinatè educa- "torum juvenculorum. Affirmat ipsam omninò "procedere ex ignorantia, & tamen per pœni- "tentiæ Sacramentum debere deleri; ideòque "esse peccata mortalia. Et certè isti nebulun- "culi suis immunditiis quærunt latebras, eru- "bescunt de ipsis; ideòque naturaliter vident "esse turpia monstra." Certè quòd per pœnitentiæ medicinam ejusmodi peccata curanda sint, Augustinus adeò frequenter evidenterque repetit in contextu, ut omninò fallantur, qui putant solùm esse peccata materialia. Nullam certè impudicitiam à mortali excusat Apostolus Ephes. 5. v. 5. cùm dicit: *Hoc autem scitote, intelligentes quòd omnis fornicator, aut immundus.... non habet hæreditatem in regno Dei.* Nec unquam in epistolis suis aliquam impudicitiam excusat, sed in omnibus universaliter damnat, nullâ usquam additâ exceptione, vel exceptionis indicio. Nec certè est quòd 106
sibi quisquam de ignorantia blandiatur, quia quidquid sit in speculatione, deturne, an non detur inculpata similium ignorantia; nullus in praxi securus esse potest, ignorantiam suam inculpatam fuisse: cùm nullus securus esse queat de non data ulla culpabili causa istius ignorantiæ, vel per inordinatam voluntatis ad creaturas adhæsionem, vel per neglectam legis æternæ sufficientem considerationem, vel per neglectum aliquid eorum quæ cap. 13. necessaria diximus, ad hoc ut ignorantia censeatur invincibilis & inculpata.

CAPUT XVI.

Aliquid ad jus naturale pertinens inculpatè ignorari potest ignorantiâ speculativâ, præsertim in abstrusioribus; sed vix aut ne vix quidem unquam aliquid ejusmodi censendum est inculpatè ignorari ignorantiâ practicâ. Omne proinde quod deliberatè fit contra jus naturale, peccatum est.

Sensus est, quòd aliqua jus naturale con- 107
cernentia ignorari possint absque culpa, quando scientia ignorantiæ opposita, hîc & nunc necessaria non est ad propriam directio-

nem in agendis, vel omittendis (sic enim Monialis v. g. absque ulla culpa ignorat jura maritalia; casus etiam difficiles & controversos de contractibus v. g. licitè ignorat, qui non vult eos celebrare) sed quando scientia ignorantiæ opposita, hîc & nunc necessaria est ad praxim, vix unquam, imò nunquam aliquis ab omni culpa excusandus est, si id quod voluntariè facit, sit contra jus naturale, licèt solùm sit contra conclusiones remotas ex communibus principiis illius deductas. Tametsi enim fieri queat quòd peccatum, quod alioqui forsan mortale esset attentâ materiâ, hîc & nunc mortale non sit, ob tantam diligentiam adhibitam ad superanda cognoscendæ veritatis impedimenta, ut ea quæ supereſt negligentia nonnisi levis sit, leviter proinde culpabilis: tamen id quod fit ex tali ignorantia, vix, aut ne vix quidem unquam est absque omni peccato formali. Ita post multam diuturnamque considerationem sentio cum concordi Veterum pluriumque gravissimorum Modernorum sententia, communique Sanctorum Theologia.

§. I.

Assertio probatur ex Scriptura.

108 IMprimis ex eo quòd Scriptura nunquam excuset ea quæ voluntariè fiunt contra legem naturalem (siquidem nullibi invenitur aliquod istius excusationis indicium, sive in veteri, sive in novo Testamento) imò (uti doctissimus vir Antonius Charlasius, Romæ anno 1695. cum approbatione Magistri S. Palatii Apostolici, magnisque Romanorum Theologorum elogiis impressus, in disput. Theolog. de opinionum delectu c. 25. advertit) videmus in Scripturis sacris à Deo multa puniri, in quibus nullam fuisse culpam crederemus, nisi pœna ipsa culpam indicaret, aut nisi Spiritus sanctus doceret culpam fuisse. Nam, ut exempla alia prætermittam, quis in celebri Eliphazii Themanitis cum Jobo congressu, in quo adeò obscura erat Jobi innocentia, ut (teste Augustino in Ptal. 103.) nemo Jobum non arguisset gravis criminis, dum tam altè de Deo conqueri (quod profectò est contra jus naturale) murmurare, innocentiamque suam tueri videbatur, nisi inerrabilis Judex, seu Veritas ipsa suâ ipsum sententiâ absolvisset? Quis econtrà Eliphazium divini juris causam adversus Jobum laudabiliter egisse, seu Dei justitiam vero zelo, mercedeque digno propugnasse, non sibi persuasisset, nisi ejusdem Judicis sententiâ damnatus fuisset? Ita tamen factum divina testatur Scriptura. Quam expendens S. Gregorius Papa l. 35. Moral. c. 5. & 6. *Auditis* (inquit) *cunctis sermonibus Job, cognitis etiam responsionibus amicorum, libet ad interni Judicis sententiam spectationem mentis nostræ convertere, eique dicere: Ecce Domine utrasque in conspectu tuo differentium partes audivimus, & Job quidem in hoc certamine virtutis suæ facta revolvere, & amicos ejus contra eum cognovimus tuæ justitiæ gloriam defensare. Inter hæc autem quid nostra mens sentiat agnoscis. Neque enim possumus eorum nos dicta reprehendere, quos defensioni tuæ cognoscimus deservire. Sed ecce assistunt partes, expectant sententiam. Profer ergo Domine ex invisibili regula subtilissimum tuæ discretionis examen, & quis in contentione ista sit rectius locutus, ostende.* Sequitur: " Postquam autem locutus est Dominus verba hæc ad Job, dixit ad Eliphaz " Themanitem: Iratus est furor meus in te, & " in duos amicos tuos. Quoniam non estis lo- " cuti coram me rectum, sicut servus meus Job. " *O Domine! judicii tui sententia indicat, quantum à luce tuæ rectitudinis cæcitas nostra discordat. Ecce, te Judice, beatum Job victorem esse cognoscimus, quem in te peccasse loquendo credebamus.... Et quidem quantùm ad humana judicia in verbis suis amici ejus multò illo rectius dixisse crederentur; sed Veritas aliam ex occulto regulam proferens, ait:* " Non estis " locuti coram me rectum, sicut servus meus " Job. " *Coram me, ait, id est intùs, ubi sæpè multorum vita displicet, quæ etiam foris hominibus placet.... nimirùm quia plerumque in conspectu hominum recta via creditur, etiam quæ à veritatis itinere depravatur.* Ecce Eliphaz, cum sociis, à Deo condemnatus in puncto remotissimo juris naturalis, in quo usque adeò probabilis videbatur ignorantia ipsius, ut omni humano judicio, laudabiliter egisse creditus fuisset, nisi Veritatis sententiâ, non obstante probabilissimâ ipsius ignorantiâ, condemnatus fuisset, velut iram Dei promeritus.

Et ecce hinc radix alta Christianæ humilita- 109
tis, dum Christianus hinc discit, ibi etiam justo judicio frequenter se condemnari, ubi laudabiliter se egisse putat, tam longèque vias suas esse à viis Domini, ut sicut exaltatur cælum à terra, sic exaltatæ sint cogitationes Dei à viis & cogitationibus hominis, sæpèque apud Deum deficere, quod profectus putatur esse.

Secundò probatur ex Matth. 15. ubi Judæi 110
arguuntur velut culpabiles, in eo quòd contra jus naturæ practicè sequebantur sententiam Scribarum & Pharisæorum, docentium filios non deesse obligationi erga parentes indigentes, Deo vovendo, seu offerendo ea quæ necessaria erant sublevandæ parentum necessitati. Quòd enim per hoc excusati non fuerint, Salvator apertè declarat, cæcos in præcipitium cadentes vocando non solùm Scribas & Pharisæos, sic populum docentes, sed & populum doctrinam istam sequentem: *Cæcus si cæco ducatum præstet, ambo in* peccati *foveam cadunt.* Tametsi Scribæ & Pharisæi in populo Judæorum tantæ à scientia & sanctitatis opinione forent authoritatis, ut respectu istius populi non daretur humanitùs major, istamque ipsi sententiam rationibus valdè plausibilibus fulcirent, à suisque prædecessoribus accepissent, quibus in Cathedra Moysi legitimè

succedebant. Casum proinde illum circumstantiæ illæ per accidens obscurum reddiderant; tametsi aliàs per se clarum.

111 Tertiò probatur ex sacris Oraculis, quibus Sapientia æterna, quæ est ipsa Veritas & lex æterna (cujus signaculum est lex naturalis) sui cognitionem offert omnibus, ritè volentibus eam accipere; adeòque removentibus obstacula illius, & adhibentibus media ad eam accipiendam requisita. Quid enim ad id demonstrandum evidentius, quàm quod de Sapientia illa dicitur Proverb. 1. *Foris prædicat, in plateis dat vocem suam: in capite turbarum clamitat, in foribus portarum urbis profert verba sua, dicens: Usquequò parvuli diligitis infantiam, & stulti ea quæ sibi sunt noxia cupient, & imprudentes odibunt scientiam? Convertimini ad correptionem meam: en proferam vobis spiritum meum, & ostendam vobis verba mea. Ego diligentes me diligo, & qui manè vigilant ad me, invenient me.* Sap. 6 *Concupiscite ergo sermones meos, diligite illos, & habebitis disciplinam. Clara est, & quæ nunquam marcescit sapientia, & facilè videtur ab his qui diligunt eam, & inventur ab his qui quærunt illam. Præoccupat qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat. Qui de luce vigilaverit ad illam, non laborabit: assidentem enim illam foribus suis inveniet.... Et qui vigilaverit propter illam, citò securus erit. Quoniam dignos se ipsa circuit quærens, & in viis ostendit se illis hilariter, & in omni providentia occurrit illis.* Eccli. 1. *Fili concupiscens sapientiam, conserva justitiam, & Deus præbebit illam tibi.* Cap. 2. *Qui timetis Dominum, diligite illum, & illuminabuntur corda vestra.... Qui diligunt eum, replebuntur lege ipsius.* Prov. 2. *Si sapientiam invocaveris, & inclinaveris cor tuum prudentiæ: si quæsieris eam quasi pecuniam .... tunc intelliges timorem Domini, & scientiam Dei invenies... Tunc intelliges justitiam, & judicium, & æquitatem, & omnem semitam bonam.* Sap. 3. *Qui confidunt in illum, invenient veritatem.* Non potuit certè evidentiùs æterna Sapientia cognitionem sui omnibus sui amatoribus & in se confidentibus offerre. Sine ulla ambiguitate tot divinæ promissa certos nos faciunt, quòd sicut sol omnes illuminat qui ad lucem ipsius recipiendam se ritè disponunt, luciscque obstacula removent; sic æterna Sapientia, seu justitiæ Sol suæ lucis participes facit omnes, qui dispositiones ad id necessarias adhibent, impedimentaque removent; ipsos (inquam) lucis suæ participes facit, saltem quantùm opus est, ut nihil per ignorantiam faciant contra æternam justitiam, sapientiamque. Nam, ut Sapiens ait Sap. 9. divina Sapientia *scit omnia, & intelligit, & deducet me in operibus meis sobriè, & custodiet me in sua potentia.* Et Psal. 24. *Evellet de laqueo pedes meos.* Prov. 2. *Custodiet rectorum salutem, & proteget gradientes simpliciter, servans semitas justitiæ, & vias Sanctorum custodiens.... ut eruaris à via mala, & ab homine qui perversa loquitur.* Quia, ut c. 3. dicitur, *Dominus erit in latere tuo, & custodiet pedem tuum, ne capiaris.* Et ideò *non arctabuntur gressus tui, & curres non habebis offendiculum.* Ibid. c. 4. Dabit enim *mentientibus se significationem, ut fugiant à facie arcûs, ut liberentur dilecti ejus.*

Dixi *quantum opus est*, ut nihil per ignorantiam faciant contra sapientiam & legem æternam. Non enim absolutè necesse est, quòd is qui se ritè disponit, obstacula quæque removet, totius legis naturalis cognitionem accipiat: utpote quam plerique etiam sanctissimi non acceperunt; neque cognitio illa necessaria est ad legem æternam non transgrediendam: cùm Deus innumeris modis legis illius amantes sic dirigere possit, ac protegere, ut nihil contra eam faciant, vel scilicet ipsius cognitionem tribuendo per gratiam illuminantem, vel per doctrinam, per exempla, per scripta aliorum, vel per hoc quòd ipsis ingerit dubium vel suspicionem aut timorem mali, docetque in dubiis tutiùs eligendum; vel per hoc quòd offendicula, peccatique occasiones removet, vel ad lapsum inclinatos suppositâ manu sustinet, ne collidantur, &c. Hoc est enim quod significant sacra Oracula proximè relata. Si quis ergo saltem hoc modo non præservetur à violatione legis æternæ, signum est quòd divinæ lucis & protectionis obstacula non removeat, nec ad eam ritè dispositus sit. Ignorantia proinde & lapsus ipsius non est inculpabilis, nec invincibilis, sed in causa illa omninò vincibilis & culpabilis.

§. II.

Similiter probatur ex Patribus.

ORigenes namque l. 1. contra Celsum, in- 112
excusabilem in divino judicio pronuntiat, quisquis contra legem *omnium mortalium animis insitam*, id est naturalem, aliquid facit: *Introducentes justum Dei judicium exploderentur, cum ipsis peccatorum pœnis, nisi communis omnium sensus præsumptionem de morali disciplina haberet insitam. Quapropter non est mirandum, Deum eorum quæ per Prophetas & Servatorem docuit, semina inadisse omnium mortalium animis, ut in divino judicio sit inexcusabilis, habens mandatum legis scriptum in corde suo.*

Hieronymus l. 1. adversus Pelag. c. 10 con- 113
tra legem naturalem facta, tanta cum generalitate damnat, ut ne quidem concubitum Lot cum filiabus suis (licèt ex ignorantia facti commissum ex ebrietate) à vitio excuset. Ergo longissimè abfuit ab excusandis factis contra legem naturalem ex ignorantia juris. Nec in hoc parvifacienda est authoritas ipsius, licèt quoad ignorantiam facti non recipiatur. Quia quoad ignorantiam juris, ipsum secuti sunt alii Patres, licèt non quoad ignorantiam facti; uti videre est in Augustino, qui licèt facta per ignorantiam juris naturalis nunquam excuset, excusat tamen facta per ignorantiam

facti l. 2. contra Cresconium : *Si tunicâ ex latrocinio nescius vestiretur, ex eo fit iniquitatis vestis illa, ex quo cognoverit; & ipse iniquus, nisi abjecerit. Et qui nescius uxorem duxit alienam, ex illo fit adulter, ex quo cognoverit, nisi discesserit.*

114 Verùm-enimverò facta per ignorantiam juris naturalis nusquam excusat Augustinus; ubicumque de iis agit, ea damnat, tamquam facta per ignorantiam vincibilem, voluntariamque. *Nullus est* enim (ait conc. 25. in Ps. 118.) *qui faciat alteri injuriam, nisi qui sibi fieri nolit, & in hoc transgreditur naturæ legem, quam non sinitur ignorare* (si agat debita cum reflexione) *dum id quod facit, non vult pati.*

115 Enarratione quoque in Ps. 57. *Quis de justitiâ inte rogatus, quando non habet causam, non facile respondet, quid sit justum? Quandoquidem manu formatoris nostri in ipsis cordibus Veritas scripserit: quod tibi non vis fieri, ne facias alteri. Hoc & antequam lex daretur, nemo ignorare permissus est, ut esset unde judicarentur, etiam quibus non esset data. Sed ne sibi homines aliquid defuisse quererentur, scriptum est in tabulis, quod in cordibus non legebant. Non enim & scripium non habebant, sed legere nolebant. Oppositum est oculis eorum, quod in conscientia videre cogerentur, & quasi forinsecùs admotâ voce Dei, ad interiora sua homo compulsus est.*

116 Sermone 44. de diverf. c. 6. *Justitia* (æterna utique, in lege naturali descripta) *præstò est justè viventi: secundùm ejus regulam videt quemadmodùm justè vivat: & sicut justi, benè vivendo, eam vident; ita injusti, malè vivendo, eam non vident. Nam & ille justè vivit, cùm eam videt, ut secundùm eam actus suos dirigat: quia nisi secundùm justitiæ regulam direxerit actus suos, in errorem iniquitatis impingitur.* Atqui agens contra jus naturæ, etiam in remotioribus, non dirigit actus suos secundùm regulam justitiæ æternæ. Ergo in errorem iniquitatis impingit. Nec esse potest nisi injustus. Quia, ut ait in Psal. 61. *cùm sis injustus, esse non potes justus, nisi convertendo te ad quandam justitiam* (incommutabilem utique) *a qua si recedis, injustus es; ad quam si accedis, justus es.*

117 Lib. 3. de lib. arb. c. 19. loquens de ignorantia causata per peccatum originale (juris proinde naturalis, non positivi, nec factorum) respondensque quæstioni hominum murmurantium contra Deum, & dicentium: *Si Adam & Eva peccaverunt, quid nos miseri fecimus, ut cum ignorantiæ cæcitate, & difficultatis cruciatibus nascaremur?* sic ait: *quibus breviter respondetur, ut quiescant, & adversus Deum murmurare desinant. Rectè enim fortasse quererentur, si erroris & libidinis nullus hominum victor existeret: cùm verò ubique sit præsens, qui multis modis per creaturam sibi Domino servientem aversum vocet, doceat credentem, diligentem exhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem: non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras, sed quòd negligis quærere quod ignoras.... Ista tua propria peccata sunt.... nullis enim hominum ablatum est scire utiliter quærere, quod inutiliter ignorat, & humiliter confitendam esse imbecillitatem, ut quærenti & confitenti ille subveniat, qui nec errat dum subvenit, nec laborat.* Et c. 20. *Anima nostra facultatem habet, ut adjuvante Creatore seipsam excolat, & pio studio possit omnes acquirere & capere virtutes, per quas & à difficultate cruciante, & ab ignorantia cæcante liberetur.... non enim.... parum est accepisse naturale judicium, quo sapientiam præponat errori, & quietem difficultati, ut ad hæc studendo perveniat. Quod si agere noluerit, peccati rea jure tenebitur, tamquam quæ non bene usa sit facultate quam accepit. Quamquam enim in ignorantia & difficultate nata sit* (velut pœnis & effectibus peccati originalis) *non tamen ad permanendum in eo quod nata est aliquâ necessitate comprimitur.... Quandoquidem.... in ipsa ignorantia & difficultate liberam voluntatem petendi, & quærendi, & conandi non abstulit, daturus petentibus, demonstraturus quærentibus, pulsantibus aperturus.... Hanc proinde ignorantiam & difficultatem, studiosis & benevolis evincendam, ad coronam gloriæ valere Deus præstat: negligentibus autem..... non ipsam ignorantiam in qua natus est.... pro crimine objicit; sed quia in ea potiùs permanere, quam studio quærendi atque discendi.... ad veritatem.... pervenire voluerunt, justo supplicio vindicat.* Igitur omnis ignorantia juris naturæ (juxta Augustinum) voluntaria est, culpabilisque, non quatenùs in ea nati sumus (quomodò eam propriâ voluntate non contraximus, sed alienâ Protoparentis; quòd non sufficit ad peccatum actuale) sed quatenùs eam non vincimus cùm possemus, & deberemus. Quòd enim non vincatur, in voluntariam hominis negligentiam Augustinus rejicit, tamquam qui benè usus non fuerit facultate petendi, quærendi & conandi, quam accepit.

Nec tamen naturalis facultas, seu potestas 118
quam cuilibet ad ignorantiam depellendam tribuit Augustinus, se solâ sufficit (licèt hoc ibi non explicet, quia dum libros illos de libero arbitrio conscripsit, à Semipelagianorum errore nondum ex toto immunis erat, prout ipse fatetur) quinimò ex iis quæ alibi tradit, certum est ad potentiam, complectentem omnia necessaria ad ignorantiam illam actu depellendam, liberi arbitrii vires non sufficere, sed necessarium esse cæleste lumen, seu gratiam efficacem. Si enim *ut sciat quemadmodùm vivere debeat, sufficit ei liberum arbitrium..... evacuatur crux Christi*, ait l. de nat. & grat. c. 40. *Quis enim nesciat* (inquit l. de spir. & lit. c. 35.) *non esse in hominis potestate quid sciat?* Et ratio est quia sine gratia efficaci homines nunquam id agere volent, quod ad pellendam illam ignorantiam necessarium est, nec ad id requisita (cap. 13. memorata) unquam

præstabunt, prout ex Augustino ostendimus l. 9. Nunquam v. g. ut oportet orabunt: siquidem & ipsa oratio inter gratiæ munera reperitur, ait epist. 194. aliàs 15.

119 Et hinc ampliùs ostenditur, omnem juris naturalis ignorantiam (juxta Augustinum) esse vincibilem: quia, ut verè talis sit, sufficit quòd vincibilis sit per gratiam, etsi de facto vinci nequeat per naturam solam. Quemadmodùm enim Dei mandata, licèt ab hominibus in hoc statu servari nequeant per naturam, ex hoc nihilominùs verè possibilia sunt, etiam respectu hominum gratiâ efficaci destitutorum, quia ab ipsis vinci potest per gratiam, quâ nullus destituitur nisi ob culpam; sic ignorantia juris naturalis, licèt de facto vinci nequeat per naturam, ex hoc nihilominùs verè est vincibilis, etiam respectu hominum gratiâ efficaci destitutorum, quia ab ipsis vinci potest per gratiam, quâ nullus destituitur, nisi ob culpam. Et hoc est quod Augustinus in lib. de corrept. & grat. atque ex Augustino docet S. Thomas 2. 2. q. 2. a. 5. ad 1. hisce verbis: *Si in potestate hominis esse dicatur aliquid excluso auxilio gratiæ, sic ad multa tenetur homo, ad quæ non potest sine gratia præparante.... sed tamen hoc potest cum auxilio gratiæ; quod auxilium quibuscumque divinitùs datur, misericorditer datur; quibus autem non datur, ex justitia non datur, in pœnam præcedentis peccati, aut saltem originalis peccati, ut Augustinus dicit in lib. de corrept. & grat.* Unde l. 2. de peccat. merit. & remiss. c. 17. Augustinus in hominum culpam refundit, quòd ipsis non detur gratia, quâ innotescat quod latebat: *Ut innotescat quod latebat, & suave fiat quod non delectabat, gratia Dei est, quæ hominum adjuvat voluntates; quâ ut non adjuventur, in ipsis causa est, non in Deo.* Enimverò, ut ait l. de nat. & grat. c. 17. Deus non dat omnibus quibuscumque sapientiam, *sed his omnibus qui sic petunt, & tantùm petunt, quomodò & quantùm res tanta petenda est.* Quod quisquis non facit, vitio suo non facit. Siquidem, ut ait c. 22. *prævaricatorem legis dignè lux deserit veritatis, quâ destitutus utique fit cæcus, & plus necesse est offendat.* Et c. 67. *Justissima est peccati pœna, ut qui sciens rectè non facit, amittat scire quid rectum sit, erretque etiam invitus.*

120 Et ideò epist. 105. ad Sixtum, *inexcusabilis est* (inquit) *omnis peccator, vel reatu originis, vel additamento propriæ voluntatis, sive qui novit, sive qui ignorat.... quia & ipsa ignorantia, in iis qui intelligere noluerunt, sine dubio peccatum est; in iis qui non potuerunt, pœna peccati. Ergo in utrisque non est justa excusatio, sed justa damnatio.*

121 Nec tamen est aliquis in hac vita, qui prorsus impotens sit ad jus naturæ intelligendum: quia licèt plurimi id non possint potentiâ consequente, sive complectente omnia necessaria ad actu intelligendum; id tamen omnes possunt potentiâ antecedente: quia ad id possunt à Deo gratiam recipere; nec in hac vita gratiæ lumen unquam ita penitùs ab hominum mentibus abscedit, ut non aliquo ipsius fulgore identidem illustrentur, cui si ut oportet auscultarent, pleniùs illuminarentur. Sed ideò non auscultant, imò ab eo suâ se voluntate avertunt, quia affixivo creaturarum amore tenaciter alligantur. Et hoc est quod Augustinus docet in Psal. 6. dicens: *Ea est cæcitas mentis, in quam quisquis datus fuerit, ab interiori Dei luce secluditur; sed nondum penitùs, dum in hac vita est: sunt enim tenebræ exteriores, quæ magis ad diem judicii pertinent, ut penitùs extra Deum sit, quisquis cùm vivit corrigi noluit.* Et tr. 1. in Joan. *Non ideò cogitent stulta corda, quasi absentem esse lucem, quia eam videre non possunt: ipsi enim propter peccata tenebræ sunt; quomodò positus in sole cæcus, præsens est illi sol, sed ipse soli est absens.*

Denique ea quæ contra jus naturæ fiunt ex 122
ignorantia prorsus invincibili, nusquam Augustinus damnat de peccato; imò l. 3. de lib. arb. c. 18. econtrà dicit: *An tanta fallacia est, ut caveri omninò non possit? Si ita est, nulla peccata sunt.* Sed usque adeò indefinitè, & absque exceptione damnat quæcumque contra jus naturæ fiunt, ut absque ulla exceptione addat ibidem: *peccatur autem* in illis per fallaciam, seu ignorantiam: *caveri igitur potest.* Ne quidem in iis excipit, seu excusat facta ex necessitate quadam, ex peccato originali proveniente. Dicit enim l. 1. oper. imperf. contra Julian. n. 105. *Multùm erras, qui vel necessitatem nullam putas esse peccandi, vel eam non intelligis istius peccati esse pœnam, quod nullâ necessitate commissum est.... cogitare te existimo, quid appetendum, quid vitandum sit, in agenda vita, quanto labore discatur* (loquitur ergo de remotioribus, quæ sola magno labore discuntur) *qui autem hoc nesciunt, ipsâ boni appetendi malique vitandi ignorantiâ patiuntur peccandi necessitatem. Necesse est enim ut peccet, qui nesciendo quid facere debeat, quod non debet facit. De quo genere malorum Deus rogatur, ubi dicitur:* " Delicta juven- "
tutis meæ, & ignorantiæ meæ ne memineris. "
Quod genus delictorum si non imputaret Deus justus, non ea sibi dimitti posceret homo fidelis. Et n. 6. *Necesse est ut peccet, à quo ignoratur justitia* (seu lex æterna prohibens id quod facit) *nunquid ideò cùm justitiam cognoverit, non sunt ei remittenda peccata, quæ ignorantiæ necessitate commisit?.... Non est igitur impunitas in necessitate peccandi; sed ut non obsit ista necessitas, donat Dei gratia.... & præteritam dimittendo iniquitatem, & opitulando, ne intremus in tentationem.*

Rursus epist. 47. aliàs 154. indefinitè ac si- 123
ne exceptione dicit: *Si quis bonum putaverit, quod malum est, hoc putando utique peccat* (ex vincibili proinde ignorantia putat) *& ea sunt omnia peccata ignorantiæ, quando quisque benè fieri putat, quod malè fit.* Quod indefinitè ac sine exceptione non dicit, nec dicere potest de omnibus quæ contra jus positivum igno-

ranter fiunt ; nec de iis quæ fiunt contra jus naturale ex ignorantia facti. Loquitur ergo de omnibus quæ contra jus naturale fiunt ex ignorantia juris. Ea proinde omnia fieri vult ex ignorantia vincibili.

124 Similiter de solis loquitur factis contra jus naturæ, scienter scientiâ facti, sed ignoranter ignorantiâ juris l. 1. Retract. c. 15. dum indefinitè dicit : *Qui nesciens peccavit, quia voluit fecit, etiamsi non quia voluit peccavit, nesciens peccatum esse quod fecit. Ita nec tale peccatum sine voluntate esse potuit ; sed voluntate facti, non voluntate peccati ; quod tamen factum peccatum fuit : hoc enim factum est, quod fieri non debuit.* Neque enim peccatum vult voluntate facti, qui aliquid contra jus naturale facit ex ignorantia facti, v. g. dum Jacob accessit ad Liam, accedere putans ad Rachelem. Hoc enim voluit, quod cognovit ; cognovit autem hoc quod bonâ fide putavit esse verum, utique se accedere ad suam. Voluit ergo accessum ad suam. Per consequens non fecit peccatum voluntariè voluntate facti, sicut qui sciens accedit ad non suam, nesciens id esse prohibitum. Aliter proinde Augustinus loquitur de iis quæ contra jus naturæ fiunt ex ignorantia facti, aliter de iis quæ contra illud fiunt ex ignorantia juris, etiam positivi. Quia nec ille, qui die prohibito v. g. comedit carnes, nesciens esse prohibitum, vult peccatum voluntate facti : cùm id in quod fertur voluntas ipsius, non sit peccatum, sed simplex esus carnium, qui de se non est peccatum. Verùm-enimverò id in quod fertur voluntas ejus, qui voluntariè mentitur v. g. est peccatum ; est enim & cognoscitur esse mendacium ; quod ex se indispensabiliter est peccatum. Ergo talis vult peccatum voluntate facti ; licèt illud non velit (formaliter utique) voluntate peccati. Tametsi enim nesciat formaliter se peccare, voluntariè mentiendo, equidem voluntariè facit id, quod de se est contra legem æternam. Et ideò voluntariè facit quod voluntariè facere non debet, nec potest. Per consequens non excusatur secundùm Augustinum. Excusaretur autem si ignorantia ipsius foret invincibilis. Talem ergo ignorantiam Augustinus vincibilem censet, non invincibilem.

125 Et ideò peccatum propriè dictum (formaliter proinde tale, non materialiter duntaxat) l. 22. contra Faustum c. 27. definit, *dictum, factum vel concupitum* (deliberatè utique) *contra legem æternam* ; per consequens definit, omnem verè mendacem, id est, qui deliberatè loquitur contra mentem ; omnem verè perjurum, id est, qui deliberatè contra mentem falsum jurat ; omnem verè fornicatorem vel adulterum, id est, qui deliberatè cognoscit non suam, solutam vel conjugio ligatam, formaliter peccare : quia verè & propriè vult & facit actum in ea ratione, in qua lex æterna illum prohibet, mendacium utique in ratione mendacii, perjurium in ratione perjurii, fornicationem vel adulterium in ratione fornicationis vel adulterii. Nihil verò ampliùs requiritur ad peccatum verè ac propriè dictum, formaliter proinde tale, quàm deliberatè velle & facere actum, ea in ratione, in qua lex æterna illum prohibet : cùm omnis ejusmodi actus, sit dictum, factum vel concupitum deliberatè contra legem æternam ; omnis proinde actus ejusmodi sit verè & formaliter peccatum, non obstante ignorantiâ legis æternæ ipsum prohibentis : utpote quæ secundùm illam definitionem censenda est vincibilis, non verò invincibilis, quæ sola excusat à peccato. Vide quæ ad ipsum confirmandum dicemus infrà §. 5.

De mente itaque Augustini non est relictus 126
ambigendi locus. Et ideò ipsi indefinitè subscribunt alii Patres communiter : S. Prosper sent. 309. & in respons. ad dub. 8. Genuensium, S. Fulgentius l. 1. de verit. prædest. cap. 20. Gregorius Magnus l. 1. Moral. c. 2. S. Isidorus Hispal. l. 2. sent. c. 17. S. Bernardus l. de præcept. & dispens. c. 18. sicut & Innocentius III. cap. *per tuas* de simonia, ubi definit eum qui in sui ordinatione per ignorantiam aliquid promiserat, simoniacum esse, ignorantiâ ejus non obstante. Unius Prosperi verba ex respons. ad dub. 8. Genuens. referam : *Divinarum vocum authoritatibus eruditi, gratias agamus Deo, qui dedit nobis spiritum fidei, consilii, & fortitudinis, scientiæ & pietatis, ac timoris sui : quæ bona si non dedisset nobis.... cum his qui non cognoverunt Deum, aut, cùm cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt.... sed hoc ipsum suæ sapientiæ deputantes, stulti facti, obscurato corde, evanuerunt in cogitationibus suis ; cum his, inquam, sederemus in tenebris, & in umbra mortis, nec querelam habentes de pœna, nec excusationem de ignorantia, nec præsidium de natura.*

Ista enimverò fuit Sanctorum omnium ra- 127
tio (ait clarissimus vir Charlasius de opin. delectu c. 25.) qui humili confessione, lachrymis ac voluntariis castigationibus studebant abolere, quæ ignoranter commiserant contra jus naturale, quæque nos fortè omni culpâ vacasse censeremus. Iste etiam communis Ecclesiæ sensus esse videtur, dum in Offertorio Missæ sic orare jubet Sacerdotes omnes : *Suscipe sancte Pater..... hanc immaculatam hostiam, quam ego indignus famulus tuus offero tibi, pro innumerabilibus peccatis, offensionibus & negligentiis meis*, &c. Neque enim Sacerdotes sancti innumera peccata, offensiones, negligentias committunt scienter, sed utplurimùm ignoranter vel inadvertenter ; pro iis nihilominùs veniam deprecantur, & sacrificium offerunt. Enimverò cùm Deus non possit non odisse quidquid æternæ legi suæ adversatur ; veri etiam amatores Dei non possunt non odisse quidquid legi æternæ, ac per consequens naturali (quæ descriptio est æternæ) contrarium admiserunt, illudque pro viribus per pœnitentiam expiare, attendendo

(uti

(uti attendendum monet Augustinus de spir. & lit. c. 36.) *quàm in multis offendamus omnes, dum putamus Deo, quem diligimus, placere, vel non displicere quod facimus; & posteà per Scripturam ejus, sive certâ & perspicuâ ratione commoniti, cùm didicerimus quòd ei non placeat, pœnitendo deprecamur ut ignoscat. Plena humana vita est documentis talibus.*

§. III.

Sanctis Patribus concinit S. Thomas, concinit & concors sententia veterum Theologorum, concinunt denique è Modernis nobilissimi.

128 OMnem juris naturalis ignorantiam, etiam quoad remotiora, cognituque difficiliora, esse vincibilem, nec per eam à formali peccato excusari quemquam deliberatè agentem contra illud, perspicuè tradit S. Thomas quodlib. 8. a. 13. hisce verbis: *Duobus modis aliquis ad peccatum obligatur, uno modo faciendo contra legem, ut cùm aliquis fornicatur; alio modo faciendo contra conscientiam, etiamsi non sit contra legem..... illud autem quod agitur contra legem semper est malum, nec excusatur per hoc quòd est secundùm conscientiam.* Verba generalia sunt, & absque exceptione exprimunt *omne quod sit contra legem naturalem* (in ea quippe exemplificat S. Doctor) esse peccatum, nec à formali peccato excusari per hoc quòd est secundùm conscientiam. Atqui dum agitur contra remotè vel remotiùs spectantia ad jus naturæ, agitur equidem contra legem naturalem. Ergo semper est malum, nec à peccato formali excusatur ex hoc quòd per ignorantiam est secundùm conscientiam. Nulla proinde conscientia seu ignorantia ejusmodi est invincibilis, sed semper vincibilis. Non excusatur (inquam) à peccato formali. Quia de eo tam manifestè agit S. Thomas in verbis posterioribus, quàm in prioribus, quibus dicit, quòd *duobus modis aliquis ad peccatum obligatur*, id est peccati reus inexcusabiliter efficitur, *vel faciendo contra legem*, etiamsi non contra conscientiam, *vel faciendo contra conscientiam*, etiamsi non contra legem. Nec minùs vult formaliter peccare eum, qui agit contra legem, etiamsi non contra conscientiam, quàm eum qui agit contra conscientiam, etiamsi non contra legem. Non minùs etiam manifestè id significant verba ista: *Illud quod agitur contra legem, semper est malum, nec excusatur per hoc quòd est secundùm conscientiam.* A quo enim dicit non excusari, nisi à formali peccato? Aliarum responsionum, quas Adversarii faciunt ad textum illum S. Doctoris, insufficientiam demonstrabimus l. 11. cap. 82. §. 3. ubi & apparebit argumentum, pro assertione nostra ex textu illo petitum, hactenùs solutum non esse, nec solvendum.

129 Alter textus S. Thomæ pro eadem assertione desumitur ex opusculo ipsius de decem præceptis in principio, ubi etiam indistinctè & absque exceptione sic loquitur: *Lex naturæ... nihil aliud est nisi lumen intellectûs, insitum nobis à Deo, per quod cognoscimus quid agendum, & quid vitandum. Hoc lumen & hanc legem dedit Deus homini in creatione; sed multi credunt excusari per ignorantiam, si hanc legem non observent. Sed contra eos dicit Propheta Ps. 4.* "Multi dicunt, quis ostendit nobis bona? " *quasi ignorent quid sit operandum. Sed ipse ibidem respondet:* " Signatum est super nos lu- " men vultûs tui Domine. " In agente ergo contra legem naturæ S. Doctor non admittit excusationem per ignorantiam. Admitteret autem si ullam istius legis ignorantiam censeret invincibilem, ac prorsus involuntariam. Igitur nullam censet esse talem, sed omnem censet vincibilem & voluntariam, saltem in causa, scilicet in peccato aliquo per quod inducta est. Cujusmodi ignorantiam à peccato non excusare docet lect. 7. in cap. 1. ad Rom. hisce verbis: *Si ignorantia causetur à culpa, non potest subsequentem culpam excusare.*

Unde 1. 2. q. 76. a. 3. docet quidem igno- 130
rantiam invincibilem excusare à peccato; sed ad 3. innuit, solam illam esse talem, seu à peccato excusantem (in materia utique juris naturalis) quæ totaliter aufert usum rationis. Cùm enim sibi objecisset, hominem solum esse capacem peccati, in quantum est particeps rationis; per ignorantiam verò tolli scientiam, per quam ratio perficitur. Ergo ignorantia totaliter excusat à peccato. Respondet quòd *si esset talis ignorantia, quæ totaliter usum rationis excluderet, omninò à peccato excusaret, sicut patet in furiosis & amentibus; non autem semper ignorantia causans peccatum est talis. Et ideò non semper totaliter excusat à peccato.* Ibidem etiam q. 94. a. 6. hoc quòd ratio naturalis impediatur applicare commune principium legis naturalis ad particulare operabile, esse dicit *propter concupiscentiam vel aliam passionem, vel etiam* (ut paulò post addit) *propter malas persuasiones, vel propter pravas consuetudines, & habitus corruptos.* Quæ omnes causæ cùm culpabiles sint, ignorantia quoque inde orta culpabilis & vincibilis est, non invincibilis & inculpata.

Accedit 1°. quòd juxta S. Doctorem 3. p. 131
q. 80. a. 4. ad 5. *ignorantia juris* (naturalis utique, in ea quippe exemplificat) *non excusat, ut dum quispiam reputat non esse peccatum quod est peccatum, puta si aliquis fornicator reputaret simplicem fornicationem non esse peccatum mortale:* quamvis in certis circumstantiis cognitu difficile sit esse peccatum mortale, v. g. dum quis educatus est in locis, ubi integra natio, v. g. Turcica, eam credit, suisque filiis verbo & exemplo docet esse licitam, nec quispiam docet illicitam esse. Insuper lect. 3. in c. 1. l. 3. Ethic. dicit, quòd *ignorantia, quâ quis ignorat quid oporteat facere, vel vitare.... non potest homini habenti usum rationis provenire nisi ex negligentia: quia quilibet tenetur adhibere sollicitudinem ad sciendum quid oporteat eum facere aut vitare, secundùm legem*, utique naturalem,

de qua sola agit Philosophus, quem ibi S. Doctor commentatur. Et optima est ratio S. Doctoris; vel ipso enim naturali lumine notum est, eum qui aliquid facere vult vel debet, debere scire sitne, vel non sit licitum; debere proinde sollicitum esse ut faciat quod in se est ut hoc addiscat.

132 Accedit 2°. quòd S. Doctor 1. 2. q. 71. a. 6. admittit approbatque Augustinianam definitionem peccati: *dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei æternam*, ipsiusque bonitatem hâc probat ratione: *Peccatum nihil aliud est quàm actus humanus malus. Quòd autem aliquis actus sit humanus, habet ex eo quòd est voluntarius. Habet autem actus humanus, quòd sit malus, ex eo quòd caret debitâ commensuratione. Omnis autem commensuratio cujuscumque rei attenditur per comparationem ad aliquam regulam; à qua si divertat, incommensurata, adeòque mala erit. Regula autem voluntatis humanæ est duplex; una propinqua, & homogenea, scilicet ipsa humana ratio. Alia est prima regula, scilicet lex æterna.... Et ideò Augustinus in definitione peccati posuit duo: unum quod pertinet ad substantiam actûs humani, quod est quasi materiale in peccato, cùm dixit:* „ dictum, factum, vel concupitum. „ *Aliud autem quod pertinet ad rationem mali, quod est quasi formale in peccato, cùm dixit:* „ contra legem æternam. „ Quæ duo cùm reperiantur in actu deliberato, qui fit contra legem æternam, licèt ignoretur contrarietas ipsius ad legem æternam; igitur actus ille juxta S. Doctorem est actus formaliter malus & peccaminosus: utpote nulli suæ regulæ conformis; non enim legi æternæ (utpote ipsum prohibenti) nec ulli alteri morum regulæ: cùm nihil habeat rationem regulæ actûs humani, nisi quod legi æternæ conforme est, ab eaque derivatum. Eoque ipso quo actus ille est contra legem æternam, est quoque contra æternam justitiam, contra æternam sapientiam, contra æternam honestatem, contra ordinem quem lex æterna observari jubet. Igitur est formaliter injustus, insipiens, inhonestus & inordinatus, adeòque formaliter peccaminosus; nec à formali peccato excusatur per ignorantiam legis æternæ; nec proinde ignorantia istius legis esse potest invincibilis & involuntaria, sed voluntaria & vincibilis.

133

134 S. Thomæ & SS. Patribus concinunt veteres concorditer Theologi, uti testantur Gerson lect. 4. de vit. spirit. Alphonsus à Castro proximè referendus, Vasquez 1. 2. disput. 122. Comitolus l. 5. respons. moral. c. 1. *Concors est sententia* (ait Gerson) *nullam in his quæ legis divinæ sunt, cadere ignorantiam invincibilem: quia facienti quod in se est Deus semper assistit, paratus illustrare mentem, quantùm oportebit ad salutem. Theologi omnes* (ait Alphonsus à Castro) *concorditer docent, ignorantiam juris naturæ neminem excusare à transgressione illius legis.* Vasquez, licèt isti doctrinæ contrarius, pro ea refert Albertum Magnum, Alensem, Bonaventuram, Guilielmum Parisiensem, Guilielmum Altisiodorensem, Durandum, Gabrielem, Gersonem, Adrianum VI.

Insuper refert Henricum à Gandavo. Et referre etiam poterat Hugonem à S. Victore, S. Raymundum, S. Antoninum, S. Bernardinum Senensem, Gregorium Ariminensem, Cajetanum. Quos deinde secuti sunt Hesselius in explic. Decal. c. 21. Alphonsus à Castro l. 1. de potest. legis pœn. c. 2. Comitolus loco citato per plura capita. Molanus in Compend. Theol. pract. tr. 5. c. 6. Sanbouius Doctor Sorbonicus, to. 2. tit. de probab. casu 194. Sinnichius in Vindic. Decal. c. 8. & 9. Steyartius in suis Aphorismis disput. 2. Merenda in doctissimo suo adversus probabilitatem volumine. Cardinalis Toletus tr. 7. de pecc. mort. c. 18. Facultas Theologica Lovanienſis, in articulis Innocentio XI. præsentatis. Antonius Charlasius de opin. delect. c. 21. (qui liber, uti suprà dixi, Romæ anno 1695. in Typographia Cameræ Apostolicæ impressus fuit, approbante Magistro S. Palatii, doctrinamque libri illius P. Josephus Alfaro Jesuita, ad examen ipsius ab eodem Reverendissimo P. Magistro S. Palatii deputatus, *optimam* censuit) Estius in 2. distinct. 22. §. 4. Ex sacro Prædicatorum Ordine eandem assertionem sequuntur Cajetanus in 1. 2. q. 76. a. 4. Contensonus to. 3. dissert. 6. c. 1. q. 5. Jacobus à S. Dominico in suis Elucidationibus Apologet. Moralis Christianæ circa delect. opinion. pag. 211. 240. & seqq. Natalis Alexander Theol. dogm. to. 7. pag. 161. Norbertus Delbecque in Dissert. Theol. de advertent. necess. ad peccand. pag. 217. Et hanc sententiam probabiliorem agnoscit Mercorus in Responsione ad epist. Theologi Parisiensis in fine. Eandem sententiam tradit noster Carolus ab Assumpt. in Triumpho Thomist. Ex familia Capucinorum Bassæus v. *ignorantia*. Ex familia Augustiniana Eminentissimus Cardinalis Norisius in Vindic. Augustinian. Christianus Lupus de opin. probab. c. 9. Franciscus Farvacquius, Leonardus Van Roy, Thomas San Terre, uno verbo tota Schola Augustiniana. Tota etiam penè Ecclesia Gallicana in Censura Apologiæ Casuistarum, signanter Eminentissimus D. Cardinalis Forbinus de Janson, Episcopus Bellovacensis (tunc Dinienſis) Vantadurius Archiepiscopus Bituricensis, Gondrinus Archiepiscopus Senonensis, Godæus Episcopus Vencienſis, &c.

135

Solùm hîc exhibebo verba quinque articulorum ex iis quos Deputati sacræ Facultatis Lovanienſis anno 1677. Innocentio XI. examinandos obtulerunt. 1. *Duo nobis innata sunt vitia originalia, concupiscentia, & naturalis legis ignorantia.* 2. *Uti nulla concupiscentia est insuperabilis; ita nulla ejusmodi ignorantia est invincibilis.* 3. *Quippe sicut omnis illa per divinæ gratiæ auxilium; ita etiam hæc per ejusdem gratiæ lumen superari potest.* 4. *Opera igitur nostra, naturali legi contraria, quæ ex tali ignorantia*

136

norantia procedunt, à peccato plenè excusari nequeunt, ne favore quidem ullius verisimilitudinis, vel probabilitatis. 5. Ad summum potest subinde mortalis macula dilui in venialem.

137 Hæc doctrina, post exactissimum integri biennii examen, non semel duntaxat, sed iteratò judicata fuit immunis ab omni censura: eò quòd ad instantiam quorumdam Adversariorum, primo examini non acquiescentium, revocata fuerit ad secundum, ne maturius examem desiderari posset.

§. IV.

Observatio notabilis pro intelligentia Veterum.

138 Assertionis nostræ veritas vel solo naturali lumine ab ipsis quoque Ethnicis Philosophis agnita fuit. Prout ex Anthistene, Platone, Aristotele, Cicerone, Seneca, & Epicteti Atriano demonstrat Doctor Claes Ethicæ suæ p. 1. c. 49. Unius Aristotelis verba referam, qui l. 3. Ethic. c. 1. expressè tradit, ignorantiam quidem facti, seu particularium circumstantiarum, actus nostros accidentaliter afficientium (quam vocat *ignorantiam particularem*) à malo subinde excusare; ignorantiam tamen juris naturalis (quam vocat *universalem*) non excusare: quia non efficit ut actio sit involuntaria, sed mala: *Non ideò quisque involuntariè agere dicitur, quia quid expediat, nescit. Omninò enim illa ignorantia, quâ quis eligit certum aliquod malum, non efficit ut involuntaria sit actio, sed ut sit mala. Quod idem de ea dici potest, quâ quis præcepta benè vivendi generatim ignorat: talem enim ignorantiam vitio vertimus. Quæ verò involuntarias facit actiones..... circa singulares rerum circumstantias tota versatur; & tunc propriè est veniæ locus.*

139 Circa quæ verba istud est advertendum, quòd non ideò Philosophus juris naturalis ignorantiam vocat *universalem*, seu (ut S. Thomas loquitur 1. 2. q. 76. a. 2.) *universalium juris præceptorum*, quòd sola universalium juris naturalis præceptorum ignorantia culpabilis sit: sed quia (uti S. Doctor explicat ad citatum Philosophi locum, fateturque Vasquez 1. 2. disp. 122. c. 1.) per ignorantiam universalem, eam juris ignorantiam intelligit, quâ quis ignorat jus naturale omnibus universim hominibus ostendens, quid agere, quid fugere debeant, sive juxta communissima juris naturalis præcepta, sive juxta specialia, spectato cujusque officio & statu, ab unoquoque specialiter observanda.

140 Et hoc benè notandum pro intelligentia veterum quorumdam Theologorum, aientium difficilia quædam juris naturæ à nonnullis inculpatè ignorari posse, & juxta hoc limitandum istud, quod Gratianus cap. *turbatur* 1. q. 4. dicit: *Ignorantia juris naturalis omnibus adultis damnabilis est.* Sensus est enim, quòd non omnes explicitè scire tenentur omnia particularia legis naturæ præcepta, sed aliqua inculpatè ignorare possint ignorantiâ speculativâ, v. g. casus subtiles simoniæ, si in materia istorum casuum nihil agere velint. Et hoc est quod dicit Alensis, sanctorum Thomæ & Bonaventuræ in Theologia Magister, p. 2. q. 113. membro 8. dum ad hanc objectionem: *Doctores dubitant in casibus subtilibus simoniæ, & hujusmodi peccatorum. Ergo non possunt sciri à Laicis. Ergo non tenentur.* Respondet: *quilibet tenetur scire implicitè vel explicitè, particulariter, vel ad minus generaliter, sub illa scilicet generali ratione quam dictat natura; sed Laici non tenentur scire de quolibet mortali explicitè, licèt teneantur vitare in propria ratione.* Ita etiam Adrianus VI. quodlib. 1. a. 3. alphab. 2. *Ignorantia juris naturalis quoad prima principia juris naturæ, & alia quæ quis pro officio vel statu scire tenetur* (uti mercator scire tenetur casus difficiles juris naturæ, in quorum materia vult operari) *unicuique est damnabilis*; non quoad ea, quæ pro officio & statu scire non tenetur. *Et sic credo limitandum illud* (dictum Gratiani) *& istud sentit D. Thomas 1. 2. q. 76. a. 2. in corp.* Nec sanè Veterum quisquam negat culpabilem esse ignorantiam difficilium punctorum juris naturæ, quæ quis pro officio vel statu scire tenetur, vel in quorum materia vult operari. Quia in istis tenetur peccatum vitare, ut omnibus notum est; vel ergo scire tenetur sibi licitum esse quod facere vult, vel à faciendo abstinere.

Hinc nullum mercatorem à peccato excu- 141
sari posse docet Adrianus, si contractum inierit jure naturæ vetitum, quantùmvis doctissimi viri licitum esse judicassent. Ob rationem dictam: eò quòd utique ignorantia juris naturæ damnabilis sit, in iis quæ quisque pro officio & statu scire tenetur. Ad mercatoris verò officium spectat scire, an contractus, quem inire vult, licitus sit. Nec refert (inquit) quòd ignorantia fortè ipsi invincibilis sit quoad dissolutionem (id est quòd ob contrarietatem opinionum devenire non possit ad notitiam veritatis, discernendo eam à falsitate opposita apparente) nisi etiam invincibilis sit quoad peccati evasionem. Quia (ut ait quodlib. 4. alph. 3. l. 1.) ignorantia invincibilis quoad dissolutionem, & vincibilis quoad evasionem, non excusat ex toto à culpa.

Sed dices fortasse (inquit) hæc sententia 142
ferè totum mundum involvit: cùm sic mercantes, contractu jure naturæ illicito, quantumcumque sequerentur Doctorum sententias, non excusarentur à peccato: cùm ibi ignorantia sit vincibilis quoad evasionem, abstinendo à contractu. Et similiter in multis aliis, ut contrahendo cum alio, postquam maritus lapsus fuerit in hæresim; quod olim declaraverat Cælestinus Papa esse licitum. Ad hanc objectionem, quam hodie tam operosè exaggerant Adversarii, respondet Adrianus, non totum mundum involvi: quoniam in similibus verè confugientes ad se non sinit Deus peccati labe inquinari, sed *dat metuentibus se*

significationem, ut fugiant à facie arcûs, ut liberentur dilecti sui. Ps. 59. quasi dicat, quòd metuentes ac diligentes se Deus instruat per internam inspirationem de modo fugiendi peccatum, v. g. abstinendo à contractu, vel occasionem illius removendo, &c. ut sic à peccato & damnatione liberentur.

§. V.

Eadem doctrina ratione multiplici comprobatur.

143 PRima ratio est, quia quicumque deliberatè aliquid facit contra legem æternam, sive quod secundùm se est malum, perturbat naturalem ordinem, quem lex æterna conservari jubet, perturbarique vetat, etiamsi ignoret se ordinem illum perturbare. Hoc enim facit quisquis v. g. deliberatè mentitur, pejerat, fornicatur, adulteratur; hoc enim sibi fieri non vult, & naturalis ordo quem lex æterna conservari jubet, est principium istud: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Ergo quisquis hoc facit, inordinatè, adeòque turpiter & peccaminosè facit, pœnâque dignus est: siquidem ut D. Anselmus l. *cur Deus homo* c. 15. ait: *Pœnas si divina Sapientia, ubi perversitas rectum ordinem perturbare nititur, non adderet, fieret in ipsa universitate, quam Deus debet ordinare, quædam ex violata ordinis pulchritudine deformitas, & Deus in sui dispositione videretur deficere.* Ne contingat verò ista deformitas, nunquam deformitas illa contingit *sine decore vindictæ*, ut Augustinus loquitur l. 3. de lib. arb. c. 15. Quia, ut S. Thomas ait 1. p. q. 103. a. 7. *impossibile est quòd aliquid contingat præter ordinem divinæ gubernationis; sed ex hoc ipso quòd aliquid ex una parte videtur exire ab ordine divinæ providentiæ.... secundùm aliquam causam, necesse est quòd in eundem ordinem relabatur secundùm aliam causam.* Quia, ut ait 1. 2. q. 93. a. 6. *quantùm deficit ex parte actionis, suppletur ex parte passionis, prout scilicet in tantum patiantur quod lex æterna dictat de eis, in quantum deficiunt facere quod legi æternæ convenit.* Nec excusare se quis potest per ignorantiam istius legis æternæ. Quia, ut Augustinus dicit in Ps. 57. semper habet in corde suo unde judicetur, qui contra dictum ordinem legis æternæ aliquid facit. *Quandoquidem manu formatoris nostri in cordibus nostris Veritas scripsit:* „ Quod tibi non vis fieri, ne facias alteri. „ *Hoc & antequam lex daretur, nemo ignorare permissus est, ut esset unde judicarentur.... Non enim scriptum in cordibus suis non habebant, sed legere nolebant.* Quia *appetentes ea quæ foris sunt, à seipsis exules facti erant.* Quia ergo *& tu fugitivus es cordis tui, ab illo qui ubique est.... ad teipsum intrò revocaris*, ibi visurus te nolle pati quod facis alteri. Ibi proinde quisque videt malum esse alteri facere quod pati non vult. In isto proinde generali principio, *quod tibi non vis fieri*, &c. unusquisque confusè saltem & in genere cognoscit malum esse, quod contra jus naturæ facit. Ad peccandum verò, formaliter sufficit generalis illa, implicita & confusa cognitio. Et hinc se protinùs offert

Secunda ratio, quòd utique jus naturæ ne- 144
mo ignoret in particulari operabili, si ad commune illud juris naturalis principium debitè reflectat, illudque ad particulare operabile benè applicet. Quòd autem illud ad particularia operabilia malè applicet, provenit ex eo quòd extra se exul factus, ea quæ foris sunt inordinatè appetat; provenit proinde ex inordinatis concupiscentiis, passionibus, pravis consuetudinibus ipsius, sicut & ex malis persuasionibus, & habitibus corruptis. Neque enim aliam causam (cum Apostolo & sancto Augustino) S. Thomas assignat 1. 2. q. 94. a. 6. ubi sic: *Ad legem naturalem pertinent primò quædam præcepta communissima, quæ sunt omnibus nota; quædam autem secundaria præcepta magis propria, quæ sunt quasi conclusiones propinquæ principiis. Quantùm ergo ad illa principia communia lex naturalis nullo modo potest à cordibus hominum deleri in universali; deletur tamen in particulari operabili, secundùm quod ratio impeditur applicare commune principium ad particulare operabile propter concupiscentiam, vel aliquam aliam passionem. Quantùm verò ad alia præcepta secundaria, potest lex naturalis deleri de cordibus hominum, vel propter malas persuasiones.... vel etiam propter pravas consuetudines & habitus pravos: sicut olim apud quosdam non reputabantur latrocinia peccata, vel etiam vitia contra naturam, ut etiam Apostolus docet ad Rom. 1.* Quæstione etiam 77. a. 2. ad 4. dixerat quòd ille *qui habet scientiam in universali, propter passionem impeditur, ne possit sub illa universali assumere, & ad conclusionem pervenire; sed assumit sub alia universali, quam suggerit inclinatio passionis.* Videri etiam potest S. Doctor 2. 2. q. 15. a. 1. ubi dicit *esse aliquod principium intelligibile per quod homo intelligit alia; cui quidem homo potest intendere, vel non intendere. Et quòd ei non intendat, contingit dupliciter*, sed utroque modo culpabiliter. *Quandoque quidem ex hoc quòd habeat voluntatem spontaneè se avertentem à consideratione talis principii.... alio modo per occupationem mentis circa alia quæ magis diligit, quibus ab inspectione hujus principii mens avertitur*, &c. *Et utroque modo cæcitas est peccatum.* Unde Bernardus serm. 80. in Cant. *Cur ignorat* (inquit) homo ea quæ scire debet? *nisi quia inclinans se ad hæc infima & terrena, thesaurizat sibi iram.*

Tertia ratio: ignorantia à peccato, & prop- 145
ter peccatum inducta, à culpa non excusat, quia est voluntaria in causa, uti docet idem S. Doctor lect. 7. in cap. 1. Rom. hisce verbis: *Ignorantia aliquem excusat, quando sic præcedit & causat culpam, quod non causatur à culpa, &c. Si verò ignorantia causatur à culpa, non potest culpam subsequentem excusare.* Atque hinc infert, Gentes (de quibus

Apostolus Rom. 1.) ob hoc quòd scienter Deum non sicut Deum glorificaverunt, incidisse in ignorantiam & insipientiam, ex eaque immunditias multas commisisse. Dicit enim Apostolus: *Et non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, digni sunt morte*; & nihilominùs in illis excusationem non habuisse, sed inexcusabiles fuisse, prout & Apostolus expressè ait ibidem.

146 Quarta ratio: omnis ignorantia, etiam invincibilis per naturam, si vincibilis sit per gratiam, simpliciter est vincibilis, uti docet S. Thomas n. 119. laudatus cum S. Augustino; & per se clarum est, si gratia per quam vinci potest à Deo obtineri possit. Sed omnis ignorantia juris naturæ, etiam illa quæ (ob materiæ difficultatem) invincibilis est per naturam, vincibilis est per gratiam, & gratia per quam vinci potest, à Deo obtineri potest. Ergo simpliciter est vincibilis. Sola secunda pars subsumptæ propositionis indiget (si tamen indiget) probatione. Probatur autem ex divinis Oraculis, & Augustini testimoniis num. 111. & 121. laudatis, necnon ex eo quòd Deus (qui teste Evangelio, *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*) semper paratus sit suam nobis gratiam dare, dummodò parati simus illam accipere, faciendo quod in nobis est ad illam obtinendam, juxta dicta c. 13. cor scilicet nostrum ab inordinato creaturarum amore expurgando, peccatum vitando, voluntatem Dei cognitam faciendo, veritatem toto corde quærendo, parati eam sequi quamcumque in partem eam cognoverimus, ejus denique cognitionem humillimis precibus à Deo postulando, quantùm res tanta postulanda est. Quod profectò omnes homines in hac vita possunt, & si fecerint, gratiæ suæ lumen non defuturum Deus ipse promisit, quo saltem instruamur ut fugiamus à facie arcûs, uti probatum est n. 111. Et multa alia ad idem Scripturæ testimonia proferri possunt, illud v. g. quo Salvator ait: *Petite & accipietis, quærite & invenietis, pulsate & aperietur vobis.* Enimverò *lumen illud, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, non irrationabilium animalium oculos pascit* (ait Augustinus l. 1. Retract. c. 10.) *sed pura corda eorum qui Deo credunt, & ab amore visibilium rerum & temporalium se ad ejus præcepta implenda convertunt, quod omnes homines possunt, si velint.... quamvis ii tantùm velint, quibus voluntas à Domino præparatur.* Quòd ergo non illuminemur, nosipsi in causa sumus, dum vel corporalium seu temporalium rerum amore tenebramur; vel non facimus quod in nobis est ad veritatem cognoscendam. Et sic ignorantia nostra nobis imputatur, utpote in causa ista vincibilis ac voluntaria.

147 Nec verò soli affectus erga res ex se malas putandi sunt intellectum nostrum obtenebrare; sed quicumque cor nostrum creaturis affigunt. Quia dum de creaturis illis quoquo modo obtinendis vel amittendis agitur, affectus isti non solùm non sinunt nos ea considerare quæ actionis alicujus malitiam ostenderent, sed insuper, quasi mali humores oculum inficientes, faciunt rem aliter apparere, quàm aliàs appareret.

Quinta ratio: vel homo, constitutus in 148
remotioribus juris naturæ, peccator est, vel justus? Si peccator, de eo Augustinus epist. 105. ad Sixtum rectè dicit: *Inexcusabilis est omnis peccator*, &c. Sibi namque peccator imputare debet, quòd gratiâ ad veritatem cognoscendam necessariâ privetur; eâ namque ex justitia privatur ob peccata sua, per quæ indignum se omni reddidit gratiâ. Quòd si eâ non privetur, sed misericorditer præveniatur; vel ei peccator fideliter cooperatur, vel non? Si sic: per Dei misericordiam magis & magis illuminabitur. Si non: sibi rursum imputare debet defectum ulterioris luminis, quòdque ipsius defectu per ignorantiam peccet.

Si homo ille non sit peccator, sed justus: 149
vel vult & conatur (secundùm præsentes quas habet vires) cognoscere quid Deus ab ipso talibus in circumstantiis exigat, vel non vult nec conatur? Si primum: facienti quod in se est viribus gratiæ, Deus gratiam non denegabit, quâ fugiat à facie arcûs, & liberetur à peccato. Si secundum: jam ex hoc culpæ suæ negligentiæque imputet, quòd gratiam non obtineat, quâ sic illuminetur, adjuveturque, ut fugiat à facie arcûs.

Non me latet, Bruynium Soc. Jesu S. Theol. 150
Lovanii Professorem in Thesibus ibi defensis 23. Novembris 1689. tit. de peccat. ignor. ut vim istius argumenti eluderet, dixisse, quòd homo, absque culpa sua, aliquando privetur gratiâ necessariâ ad depellendas ignorantiæ tenebras.

At credendum potiùs Augustino & Aquinati, pronuntiantibus, quòd auxilium gratiæ, quibuscumque non datur, ex justitia non datur, in pœnam præcedentis peccati. Hoc enim conformius est divinis Scripturis, quas vel ipsi proferunt Molinistæ, qui tam liberaliter gratias distribuunt Molinisticè sufficientes, ut eas omnibus omninò hominibus, quàmlibet sceleratis, excæcatis & obduratis concedant.

Respondebit fortè Bruynius, gratiam suf- 151
ficientem concedi quidem omnibus omninò hominibus urgente præcepto. Ast Deum non urgere præcepto nisi dum præit auxilio. Et ideò cessare præcepti obligationem, dum gratiâ necessariâ quis absque culpa privatur.

Ast hoc est divinare, de divinisque præcep- 152
tis non philosophari ex divina Scriptura, neque ex traditione (in qua responsio ista nullum habet fundamentum) imò neque ex solida aliqua ratione; quin potiùs contra rationem, quæ docet, legis naturalis præcepta esse indispensabilia, adeòque indispensabiliter urgere & obligare: cùmque simpliciter & absolutè scripta sint in cordibus nostris, velut signacula legis Dei æternæ & incommutabilis, absolutè & incommutabiliter obligant absque

restricti ad hunc casum concessæ vel non concessæ gratiæ, quam Bruynius rationabiliùs diceret nulli denegari, nisi ob peccatum, quàm legem incommutabilem & indispensabilem non obligare, dum secundùm infundatam imaginationem ipsius necessarium deest auxilium. Sic enim cum Scriptura & Patribus loqueretur, qui aliàs sine Scriptura & Patribus, imò & sine ratione loquitur, contra Theologos passim omnes veteres ac modernos.

153 Accedit quòd si præcepta legis naturalis, ob defectum gratiæ, desinerent urgere & obligare, desinerent esse præcepta (cùm de ratione præcepti sit urgere & obligare subditos.) Atqui non possunt desinere esse præcepta, magis quàm lex æterna, cujus sunt descriptio: cùm perpetua sint, fixa, immobilia, immutabilia, sicut lex æterna. Nec certè ulla est veri species, quòd præcepta illa, ob defectum gratiæ, desinant esse præcepta: cùm gratia non detur ut præcepta sint præcepta, sed ut serventur præcepta.

154 Sexta ratio: dantur peccata ignorantiæ, etiam non affectatæ, quâ putatur bonum esse, quod malum est, nec menti recurrit ulla cogitatio vel suspicio actualis de malitia, prout ex Scriptura, traditione, ratione demonstrabimus p. 5. Atqui nulla sunt ignorantiæ peccata, quæ minùs excusari possunt, quàm ea quæ contra naturæ legem committuntur. Cùm enim istius legis præcepta taliter scripta sint in cordibus nostris, ut forent omnibus naturaliter nota, si talis foret hodie natura hominis, qualem Deus creavit, eaque homo ratione utens consideraret ut oportet, debitæque considerationis impedimenta removeret, saltem per gratiam, quâ nullus privatur, nisi in pœnam peccati, saltem originalis (quomodò scripta non sunt sic præcepta legis positivæ, nec facta contingentia) minor est apparentia invincibilis seu excusabilis ignorantiæ præceptorum legis naturalis, quàm positivæ, & factorum illorum.

155 Septima ratio: ad peccatum propriè & formaliter dictum sufficit quòd liberè & voluntariè fiat aliquid, quod ex se sit contra legem æternam, ut constat ex definitione peccati per Augustinum tradita, à Theologisque omnibus recepta: *Peccatum est dictum, factum vel concuptum contra legem æternam.* Atqui quodcumque liberè & voluntariè dicitur, fit, vel concupiscitur contra naturæ legem, ex se est contra legem æternam. Igitur est peccatum propriè & formaliter; nec ad hoc necesse est ut formaliter voluntarium voluntate peccati; sed sufficit quòd directè & formaliter voluntarium sit voluntate facti, prout Augustinus suprà n. 124. dicit. Cùm enim factum istud ex se contrarium sit legi æternæ, eo ipso quo directè & formaliter voluntarium est voluntate facti, indirectè & virtualiter voluntarium est voluntate peccati, uti probabitur p. 5. cap.....

156 Octava ratio: non datur actus humanus seu voluntarius, indifferens in individuo, juxta S. Thomam, communioremque graviorum Theologorum sententiam. Daretur autem, si daretur ignorantia inculpata legis naturæ, saltem in remotioribus, v. g. ignorantia præcepti naturalis, referendi omnes actus nostros in Deum, vel aliquem alium finem honestum (quod profectò præceptum, utpote controversum, non est de propinquioribus præceptis legis naturæ: cùm hæc à nemine Catholico controvertantur) talis namque foret omnis actus ex se indifferens, factus ob finem ex se similiter indifferentem (id est neque bonum, neque malum) ab homine inculpatè ignorante præceptum faciendi omnes actus suos propter Deum, vel propter finem honestum & bonum.

Nona ratio: sumitur ex omnibus divinæ 157
Scripturæ & SS. Patrum testimoniis, rationibusque, quibus l. 8. demonstravimus obligationem actualiter vel virtualiter referendi omnes actus nostros deliberatos, in Deum propter se dilectum, ita ut nunquam non peccet, qui actum aliquem deliberatum voluntariè facit, non propter Deum. Ista namque relatio fieri nequit nisi per actum dilectionis Dei propter se; nec ista dilectio in hoc statu naturæ corruptæ haberi potest nisi per gratiam, saltem actualem, ut constat ex dictis l. 9. Atqui gratia actualis inclinare non potest voluntatem ad faciendum aliquid contra legem æternam, vel naturalem, magis quàm Deus ipse, qui talem actum indispensabiliter prohibet, sibique proinde contrarius foret, si ad eum per gratiam suam moveret & inclinaret. Ergo nec Dei propter se dilectio, ad talem actum movere potest, nec eum imperare.

Confirmatur: vera Dei propter se dilectio 158
imperare non potest actum ab homine deliberatè volitum in ea ratione, sub qua per eum violatur lex æterna, etiam in circumstantiis, in quibus violatio ista ignoratur. Quandoquidem imperare nequeat actum quo creatura amatur contra amoris ordinem, à lege æterna præscriptum, quo utique creatura propter se amatur cum præjudicio divini amoris, etiamsi taliter amans ignoret se amoris ordinem perturbare, imò putet se rectè amare; neque enim per ignorantiam istam magis evadit malum culpæ, quàm mala animæ citato l. 9. enumerata, servitutem scilicet, immunditiam, subjectionem sub inferiori bono contra naturæ suæ dignitatem, &c. Neque vera & ordinata Dei dilectio imperare potest actum, qui non potest amanti non displicere, dum reflexerit ad inordinationem illius. Atqui Deum verè diligenti non potest non displicere inordinatus ille amor creaturæ, dum reflexerit ad inordinationem illius, licèt ignoranter admissam; nec potest de ea non dolere, de eaque pœnitentiam non agere, uti suo nos exemplo docuerunt Sancti, qui de tali amore doluerunt, pœnitentiamque egerunt. Neque enim ordinata dilectio ipsorum conquievit in distinctione inordinationis materia-

lis & formalis, in qua Casuistæ nonnulli conquiescunt, nimis facilè ex peccatis formalibus cudentes materialia, & ex materialibus penè nulla. Quo in puncto ipsis meliùs philosophati sunt Ethnici, v. g. Tullius l. 1. de leg. dum, nullâ habitâ ratione ignorantiæ, dixit, quòd eorum quæ sunt contra naturæ legem, *turpitudo ex ipsis vitiis facillimè perspici potest. Quid enim fœdius avaritiâ, quid immanius libidine, quid contemptius timiditate*, &c.? Italica quoque & Romana Philosophia apud Stobæum & Demophilum: *Servire* (inquit) *affectibus gravius est quàm tyrannis. Multò satius est mori, quàm corporis incontinentiâ voluntariâ animum offuscare.* Similiter Philosophia Sanctorum formalem censuit inordinationem eorum quæ contra naturæ legem etiam ignoranter fiunt. Nec verus amator patris sui aliter censeret de parricidio à se commisso, per actionem voluntariam ex se occisivam ipsius.

159 Atque hinc deducitur ratio decima: nunquam enim homo, ratione utens, securus esse potest, vel alios securos reddere, quòd inconsideratio sua, vel ignorantia quâ ignorat actionem suam esse contrariam juri naturæ, etiam in remotioribus, malitiam omnem formalem absterserit à violatione istius juris. Nunquam proinde securus esse potest quòd sua ignorantia prorsus invincibilis fuerit ac involuntaria. Quod dupliciter demonstratur. Tum quia argumenta hactenùs producta ostendunt, tam ab authoritate Scripturæ, sanctorum Patrum, & gravissimorum Theologorum, quàm à multiplici ratione, magis probabile esse quòd omnis ignorantia practica juris naturalis, etiam quoad conclusiones remotiores, vincibilis sit, & aliquo modo voluntaria. Tum quia dato, non concesso, quòd certum esset dari inculpatam, seu invincibilem istius juris ignorantiam practicam; nunquam tamen certus esse quis posset, ignorantiam suam, ex qua naturæ legem violasset, talem fuisse, etiamsi talem fuisse certò existimaret. Quia statim multa occurrunt quæ istam suam existimationem insecuram reddunt. Primò scilicet ipsa rationum ipsius defectibilitas: frequenter namque contingit hominem taliter opinantem errare, aliaque esse judicia Dei, alia hominum. Secundò fieri potuisset ut ignorantia ipsius provenisset ex peccato aliquo à se commisso, in cujus pœnam ipsi defuisset gratiæ lumen ad ignorantiam depellendam. At hoc sufficit ad hoc ut ignorantia ipsius culpabilis fuisset, ac voluntaria in causa illa. Tertiò fieri potest, quòd Doctores ab ipso consulti, etiam citra culpam suam, permissi fuissent errare, in pœnam alicujus peccati ab ipso commissi. Ergo qui non est certus se Deum non offendisse, certus esse non potest suam illam ignorantiam prorsus invincibilem fuisse. Uno verbo nunquam securus esse quis potest de non data ulla culpabili causa istius suæ ignorantiæ, sive per peccatum, sive per defectum alicujus ex requisitis ad impetrandam à Deo gratiam, quæ ipsum à peccato ignorantiæ præservet, dando ipsi significationem ut fugeret à facie arcûs.

Et augetur difficultas ex hoc quòd lex naturalis, etiam in remotioribus, per se luceat, saltem in aliquo generali principio, si debitè consideretur. Quisquis enim cognoscit mendacium v. g. cognoscit rem per se malam, quam sibi ab alio fieri nollet. Et quamvis lex illa aliis clariùs, aliis minùs clarè luceat, aliquando etiam tam tenuis sit lux, ut ad eam non attendatur; ideòque homines aliquando negent, & constanter negent sibi cognitam fuisse malitiam actionis suæ: ex hoc equidem suspecta esse debet illa negatio, quòd aliquando adhibeatur rebus adeò turpibus, adeò horridis, adeò lumini naturali contrariis (inquit clarissimus vir Charlasius) ut incredibile sit, omnem prorsus abfuisse istius turpitudinis, ac repugnantiæ cum ratione notitiam. Jure proinde metuere debent illi, ne mentes ipsorum adeò fuerint per cupiditates occupatæ, ut ipsis acciderit quod Marci 4. 12. scriptum est: *Videntes videant, & non videant; audientes audiant, & non intelligant.* Metuere etiam debent ne sublucentem veritatem neglexerint, ne falsam pacem ipsorum perturbaret; ac per consequens ne quod tam leviter, tam negligenter, tam obscurè viderunt, minimè vidisse arbitrentur. 160

Ut enim qui tabulam cernit, videt omnia quæ in ea exprimuntur, licèt unum quid, v. g. hominis depicti faciem, tam attentè consideret, ut cætera ne vidisse quidem sibi videatur; sic qui cognoscit quod facturus est (cognoscit autem quisquis deliberatè agit) cognoscit ejus malitiam (siquidem ex natura sua malum est) sed qui suam voluntatem exequi ardentiùs appetunt, quàm divinæ obsequi, animum in eo quod sibi arridet defigentes, ad legem non advertunt. Huc usque Charlasius. 161

Perperàm igitur aliqui probant, ignorantiam juris naturalis, etiam circa gravissima delicta, invincibilem esse, ex eo quòd qui ea commiserunt, firmiter asseverant, se ne suspicatos quidem fuisse, legem naturalem à se violari. Cùm id multis ex causis, eos non omninò excusantibus, evenire potuerit. Primò vel quòd sublucentem veritatem neglexerint. Secundò vel quòd cupiditatibus abrepti, aliò converterint oculos mentis. Tertiò vel quòd cùm initio tenuis esset cognitio, iteratis peccatis paulatim eam extinxerint. Vel quartò quòd nimiâ credulitate Scriptorum, præcipuèque Magistrorum suorum dictis fidem habuerint, non tam eorum pondere ducti, quàm commoditate, &c. Si enim ista efficere possint, ut quis, gravissimum crimen patrans, arbitretur obsequium se præstare Deo Joan. 16. 2. aut existimet, se adversus nomen Jesu Nazareni debere multa contraria agere Act. 26. 9. multò magis ut non cognoscat se peccare, aut posteà non recordetur se peccati malitiam cognovisse, dum illo se obstringeret. 162

Ergo si quid contra legem divinam, seu na- 163

turalem fecerimus, cum B. Paulo, aliisque Sanctis, veniam & remedium quæramus in pœnitentia, potiùs quàm excusationem ex ignorantia, quam invincibilem non esse tot & tam graves Theologi cum sanctis Patribus do-
164 cent. Ultima ratio assertionis nostræ petitur ex absurdo gravissimo quod sequitur ex opposita doctrina. Admittendam utique ignorantiam inculpatam, non solùm præceptorum remotiorum juris naturæ, sed & propinquiorum, v. g. Decalogicorum, & sic à toto excusari posse gravissima peccata, v. g. homicidia, adulteria, fornicationes, peccata contra naturam facta, &c. si non secundùm se absolutè spectata, saltem spectata sub speciali aliqua circumstantia malitiam eorum hîc & nunc obscuram, cognituque difficilem reddente. Sunt enim reverà circumstantiæ quædam, quæ malitiam peccatorum istorum (licèt simpliciter & absolutè loquendo perspicuam cognituque facilem) obscuram reddunt, cognituque difficilem, præsertim indoctis & simplicioribus. Si ergo, ob cognitionis difficultatem, admitti queat inculpata ignorantia malitiæ actorum contra præcepta remotiora legis naturalis, ob eandem similiter admitti poterit inculpata ignorantia malitiæ actorum contra præcepta propinquiora ejusdem legis.

165 Exemplum primum sit in homicidio, quod licèt facilè cognoscatur illicitum per se & absolutè loquendo; sine operoso tamen discursu non cognoscitur an injustum pudicitiæ, vel vitæ nostræ invasorem non liceat occidere, si aliàs eam salvare nequeamus. An non sit licitum suffocare hominem rabie correptum, brevi equidem moriturum, ne plures alioqui inficiat & perdat. Quamvis etiam compertum sit, occisionem innocentis per se absolutè esse vetitam; non perinde compertum est eam vetitam esse Judici, innocentiam ipsius privatâ scientiâ cognoscenti, dum in judicio probatur esse nocens.

166 Exemplum secundum sit in adulterio. Tametsi enim compertum sit istud esse crimen gravissimum per se & absolutè loquendo; id non perinde compertum, an copula cum conjugata, consentiente marito, ad salvandam vitam ipsius sit illicita. Fuerunt enim qui licitam putarunt, deque malitia ipsius Augustinum dubitasse l. 1. de serm. Dom. in monte c. 17. In Republica quoque Romana non solùm minimè culpabiliter, verùm etiam laudabiliter Cato uxorem suam alteri cognoscendam tradidisse perhibetur, inquit Augustinus l. de fide & operib. c. 7. sicut & apud Græcos id majorum & sapientissimorum disciplinâ licitum existimatum, & communi usu practicatum Tertullianus testatur in Apolog. c. 39. Igitur communis usus, & sapientum illorum disciplina, in regionibus illis, adeò obscuratam reddere potuit malitiam adulterii, marito consentiente, ut eam indocti saltem & simpliciores facilè cognoscere non potuerint, copulamque illam, consentiente marito, dilectionis actum existimare potuerint, sicut existimarunt Gnostici apud S. Epiphanium hæresi 26. *Vir* (inquit) *concedens uxorem alteri, ait ad ipsam: Surge, & fac dilectionem cum fratre.*

Exemplum tertium sit in incestu cum patre; 167
quem esse per se & absolutè flagitiosum facilè cognoscitur; non in extrema aliqua circumstantia, in qua necessarius crederetur ad salvandum genus humanum, aliàs perieturum. Quandoquidem S. Chrysostomus homil. 44. in Genes. Irenæus l. 4. adversus hæreses, & Theodoretus q. 69. in Genes. ab omni crimine excusent filias Lot, quæ ex ignorantia putarunt accessum ad patrem sibi licitum, ad dictum finem. *Vide scopum diligenter* (ait Chrysostomus) *& omni eas liberalis crimine. Putaverunt generalem totius Orbis factum interitum, nullumque amplius superstitem.... Nullus igitur audeat filias condemnare*, &c.

Exemplum quartum in mendacio, quod 168
compertum est per se esse illicitum; sed ignoranti Ecclesiæ definitionem non perinde compertum est, ne quidem licitum esse ad salvandum vitam patris. Cùm mendacium officiosum, talibus in circumstantiis, licitum putarint sapientissimi Doctores, Origenes, Hieronymus, Chrysostomus, Didymus, Eusebius Emissenus, Theodoretus Heracleotes, Cassianus, aliique Patres, quorum sequelam magnam post se traxit Origenes, ait Sinnichius in Saüle exrege l. 1. §. 458.

Exemplum quintum sit in idololatria, cu- 169
jus malitia per se comperta est absolutè loquendo, sed simplicibus saltem comperta non est, imò cognitu difficilis, iis in regionibus, in quibus non communi dumtaxat consuetudine usitata fuit tamquam pia & religiosa, sed & Principum edictis ac legibus præscripta, ab ipsisque etiam sapientibus Gentilitatis practicata. Item in immolatione filiorum idolo Moloch apud Cananæos habita inter legitima terræ. In amoribus puerorum apud Romanos & Græcos. In latrociniis apud Germanos olim frequentatis & laudatis. Item in fornicatione, quæ ab integris nationibus (v. g. Turcica) frequentatur ut licita. Et similibus horrendis, quæ licèt vetita sint Decalogi præceptis, simpliciores tamen facilè cognoscere non possunt esse mala, dum vident in communi gentis suæ more posita, & suæ sectæ sapientum judicio approbata, majorumque authoritate firmata; maximè si in eis veluti licitis insuper parentum suorum imitatione & institutione adeò constanter educati fuerint, ut de eorum malitia ne suspicionem quidem habuerint ullam, magis quàm filiæ Lot de malitia dicti incestûs, in sententia Chrysostomi, aliorumque Patrum laudatorum. Nec tamen ista per ignorantiam excusari possunt, nec puerum ab idololatris parentibus in idololatria velut licita & laudabili ab infantia educatum Augustinus excusat, uti nec Apostolus, uti vidimus n. 100. & 103.

Nec

Nec istud dumtaxat absurdum sequitur ex opinione admittente ignorantiam juris naturæ in totum à peccato excusantem id quod agitur contra illud, sed & alia multa. 1°. quòd ignorantia ista non esset malum naturæ, sed bonum, nec peccati supplicium, sed Dei beneficium; quippe quæ innocentes redderet innumeras actiones, quibus alioquin infernus deberetur. 2°. quòd quando Deus *indefatigabili lege spargit pœnales cæcitates super illicitas cupiditates* (prout Augustinus loquitur 1. Confess. 18.) peccatoresque, cùm in profundum venerint, percutit cæcitate, non puniat eos, sed misereatur. Cùm tamen juxta Patres, nulla pœna in hac vita, gravior sit illâ cæcitate. 3°. quòd à Deo petenda non esset illuminatio ad legem Domini cognoscendam (quam tamen Ecclesia in orationibus suis absque intermissione petit) sed potiùs ignorantia postulanda. 4°. quòd animus sedulò excolendus non foret divinæ legis & sacrarum litterarum studio, sed in sua potiùs ignorantia relinquendus. 5°. quòd Pastores & Confessarii hominibus sibi commissis pessimè consulerent, eos diligenter de agendis & omittendis instruendo, Decalogique præcepta enucleatiùs ipsis exponendo. Satius quippe foret eos in profunda rerum istarum caligine relinquere, ut haberent unde excusarentur. Quæ omnia cùm manifestè absurda sint, ad ea cavenda necessariò dicendum, quòd quandocumque homo amovet impedimenta omnis legis naturalis notitiam impedientia, tam ex parte intellectûs, quàm ex parte voluntatis, omniaque adhibet media, quæ adhibere potest ac debet ad comparandam legis notitiam, nihil ipsi sit in jure naturali tam abstrusum, quod ipsi practicè non sit cognitum, sufficienter ad cavendum peccatum. Hoc enim divina probant promissa suprà allegata.

§. VI.

Satisfit objectionibus.

170 OBjicies 1°. Unum ex præcipuis argumentis nostris est, quod licèt aliqua juris naturalis ignorantia sit invincibilis per naturam corruptam & cæcam; omnis tamen juris naturalis ignorantia vincibilis sit per gratiam, eamque concedi omni homini facienti viribus gratiæ omnia requisita ad eam impetrandam. At istud argumentum nimis probat; adeòque nihil probat. Probat enim omnem juris etiam positivi vel factorum contingentium ignorantiam vincibilem esse per gratiam, eamque concedi omni homini facienti viribus gratiæ omnia requisita ad eam impetrandam. Consequenter probat non dari infidelitatem negativam contra Ecclesiæ definitionem.

Respondeo negando minorem, ad ejus probationem nego assumptum. Est enim disparitas magna, quoad hoc, inter legem naturalem & positivam, & utriusque ignorantiam. Nam imprimis ignorantia juris naturalis non velat objectum per se malum, nec tollit cognitionem illius, in ea ratione in qua est malum, ideòque non efficit objectum, in ea ratione quâ ex se malum est, esse involuntarium; ignorantia verò juris positivi velat objectum, in ea ratione in qua est malum, quia malum non est secundùm se, sed secundùm prohibitionem ipsi accidentalem & extrinsecam, cujus dum tollit cognitionem, nihil relinquit in objecto cognito quod malum dici possit. Qui enim aliquâ die carnis esum vetitum esse nescit, licèt velit esum illum, non vult aliquid quod ex se aliquid habeat pravitatis, sed quod ex se indifferens sit, atque ex se possit licitè fieri. Deinde qui vult objectum per se malum, licèt directè & formaliter non velit ipsius malitiam, seu contrarietatem ad legem, vult tamen indirectè, & virtualiter, quia vult, id cui malitia seu contrarietas ad legem per se & essentialiter est annexa. Non sic homo qui vult carnis esum die vetito, nesciens esse vetitum. Denique homo creatus est à Deo legi naturali subditus, statim atque ratione utitur; eò quòd lex naturalis sit ipsi innata: non est autem creatus eodem modo subditus legi positivæ, eò quòd hæc non sit ipsi innata; eâ proinde non obligetur confestim atque ratione uti cœperit; sed tunc demùm, cùm fuerit ipsi sufficienter notificata. Unde cùm infidelis non peccet contra fidem, non credendo in Christum nullo modo sibi prædicatum (sicut peccat qui voluntariè facit aliquid contra legem sibi innatam) necessaria non est ipsi gratia ad non peccandum infidelitate istâ: utpote quæ non est peccatum. At omni homini naturæ legem ignoranti necessaria est gratia ad non peccandum, agendo contra illam: cùm hoc vitare nequeat nisi illam cognoscat; ad quod in valdè obscuris & difficilibus necessaria est in hoc statu gratia, quam Deus nemini negat, nisi ex culpa. Cum doctrina proinde nostra, seu potiùs Sanctorum, stat infidelitas purè negativa. Cum infidelitate etiam purè negativa communis stat doctrina veterum Doctorum, Hugonis à S. Victore, Alensis, Guilielmi Parisiensis, Altisiodorensis, S. Bonaventuræ, Gersonis, Adriani VI. &c. quòd facienti quod in se est viribus gratiæ, & non apponenti obstaculum culpæ, Deus semper assistat per misericordiam suam, & vel per se, vel per Angelum, vel per hominem sufficienter ipsum illuminet ut credat necessaria necessitate medii ad salutem. *Hoc enim piè credendum est de misericordia Dei*, ait Guilielmus Parisiensis, *& ad divinam providentiam pertinet, ut cuilibet provideat de necessariis ad salutem, dummodò ex parte ipsius non impediatur*, ait S. Thomas q. 14. verit. a. 11. credere autem necessaria necessitate medii omninò necessarium est ad salutem.

Non ideò tamen infideli, non facienti quod 171
in se est, ad peccatum imputatur quòd non credat necessaria necessitate medii, nullo modo sibi annuntiata. Quia iste fidei necessariæ

defectus non est ipsi voluntarius in causa ista, in qua nullo modo potuit adverti. Ut autem effectus secutus ex causa culpabili, ad peccatum imputetur, necesse est ut in causa illa potuerit adverti: cùm nullo modo potuerit esse voluntarium, quod nullo modo potuit esse cognitum, ut constat ex definitione voluntarii.

172 Adversarii tamen similiter dicere non possunt, ea quæ voluntariè fiunt contra jus naturæ ignoratum (ignorantiâ per peccatum inductâ) ad peccatum non imputari. Quia de iis dici non potest quòd nullo modo potuerint adverti; lex quippe naturalis, utpote sic scriptâ in cordibus hominum, ut nulla ipsam deleat iniquitas (ut Augustinus dicit l. 2. Confess. c. 4.) externo non indiget annuntiatore, ideòque semper adverti potest ab eo qui voluntariè aliquid facit contra legem illam: cùm voluntariè faciat id quod est de se intrinsecè malum, quodque ipse malum esse cognosceret, si debitè reflecteret ad naturale lumen, quod in se semper habet, v. g. ad generale istud principium quod ignorare non potest, *quod tibi non vis fieri*, &c. à qua reflexione non impeditur, nisi per inordinatum sui & creaturarum amorem. Non sic est de illo, qui non credit necessaria necessitate medii, sibi nullo modo annuntiata, v. g. Verbi incarnationem, mortem, resurrectionem, quia nullum habet in se lumen, vel principium naturale, in quo ea cognoscere valeat, ad illud debitè reflectendo; ideòque ad id externâ indiget annuntiatione, vel certè internâ Dei revelatione supernaturali.

173 Ad id verò quod in objectione addebatur, quòd si vera esset doctrina nostra, nulla etiam factorum contingentium ignorantia foret invincibilis inculpabilisque: quia similiter depelli posset faciendo quod in se est, scilicet orando, conscientiam expurgando, &c. Prorsus neganda est sequela, ob dissimilem prorsus rationem juris naturulis, factorumque illorum: lex namque naturalis homini connaturalis est, innocentique naturæ ipsius debita cognitio illius, nec nisi peccato, cordisque corruptione amissa, etiam quoad puncta remotiora. Unde nec cognitionem illam Deus negat cuiquam facienti quod in se est ad eam impetrandam, imò concedit, quantùm necesse est ad salutem. At factorum illorum cognitio nec naturalis est homini, nec naturæ innocenti debita, nec peccato vel cordis corruptione amissa, nec ad salutem, sive ad vitandum peccatum necessaria. Et ideò non ita tenentur homines eam à Deo deposcere, nec tam certò impetrant, sicut impetrant ea quæ ad salutem prorsus necessaria sunt. Nec Deus ita paratus est illuminare errantem in facto, sicut errantem in jure illo. Dum enim solius facti ignorantia hominem fallit, objectum in quod fertur voluntas ipsius, turpe non est & inordinatum, sicut dum fallitur per ignorantiam juris naturalis. Patet hoc posterius, dum quis occidit inimicum, putans id sibi licitum. Patet & illud prius, dum occidit hominem sibi charissimum, putans esse feram.

Objicies 2°. Non omnes fusis ad Deum precibus vincere & à se depellere possunt juris naturalis ignorantiam. Nec enim hoc possunt infideles. *Quomodò enim invocabunt, in quem non crediderunt?* 174

Respondeo omnes id posse, mediatè vel immediatè. Unde quamvis infideles, eo in statu, id non possint immediatè; possunt mediatè: quia nullus est qui non possit & debeat se & Deum cognoscere; se, ut in plerisque, vel cæcum, vel caligantem; Deum, ut sapientiæ largitorem. Orandum proinde Deum pro sapientia. Nec verò ad vincendam hâc ratione ignorantiam necesse est speciatim nosse, quid in illa nos lateat; satis est enim generatim nosse, nos multa ad directionem nostram necessaria ignorare. Quia hoc pacto satis admonemur, poscendam à Deo sapientiam, qui eam omnibus ut oportet petentibus dat sufficienter ad salutem.

Objicies 3°. Tametsi actus lege naturali vetitus sit ex se malus, si equidem non sit voluntarius voluntate mali, id est si agens non velit illum in ratione mali, eò quòd non cognoscat esse malum, non est hîc & nunc malus moraliter & formaliter, sed physicè & materialiter duntaxat. Quia nihil est malum moraliter & formaliter, nisi sit voluntarium voluntate mali. Non est autem voluntarium voluntate mali, nisi cognitum sit in ratione mali. Quia, ut S. Thomas art. q. 3. de malo a. 8. *tollitur voluntarium quoad id quod est ignoratum..... sive ignoretur deformitas actûs (puta cùm aliquis nescit fornicationem esse peccatum, voluntariè quidem facit fornicationem, sed non voluntariè facit peccatum) sive ignoretur circumstantia actûs; sicut cùm aliquis accedit ad mulierem, quam credit esse suam; voluntariè quidem accedit ad mulierem, sed non voluntariè ad non suam.* Ubi S. Doctor perinde dicit, non fieri voluntariè peccatum, dum ignoratur deformitas actûs, v. g. fornicationis, ac dum ignoratur circumstantia actûs, v. g. dum maritus accedit ad non suam, putans esse suam. 175

Respondeo 1°. argumentum istud esse sophisticum, nihilque omninò probare, quia nimis probat, nulla utique dari peccata ignorantiæ, etiam crassæ. Quod est contra fidem: utpote contra Scripturam, quæ nos orare docet pro peccatis ignorantiæ. Nam Turca v. g. qui voluntariè committit fornicationem, crassè ignorans deformitatem ipsius, non peccabit moraliter & formaliter fornicando, sed physicè & materialiter duntaxat, secundùm argumentum istud. Nec enim vult fornicationem secundùm quod est deformis & mala, defectu cognitionis, sed secundùm quod est fornicatio duntaxat. Unde in forma

Respondeo 2°. cum Cajetano, Estio, Goneto, Contensono, &c. eum qui vult actum 176

ex

ex se malum, cognitum in ea specifica ratione, in qua intrinsecè, & quasi essentialiter malitiam involvit, non velle quidem malitiam directè formaliter & explicitè, eam tamen velle indirectè virtualiter & implicitè; atque hoc etiam modo eam cognoscere. Quisquis enim vult & cognoscit mali speciem, vult & cognoscit mali genus. Et qui formaliter vult unum ex duobus intrinsecè & inseparabiliter connexis, virtualiter vult & alterum, saltem si alterum virtualiter cognoscat. Virtualiter verò ipsum cognoscit, si possit & debeat cognoscere. Quod profectò potest & debet qui deliberatè facit actum ex se intrinsecè malum: scire enim potest & debet, an legi Dei æternæ conformis sit, an non. Cùm vel ipso naturali lumine notum sit, eum qui deliberatè aliquid agit, debere illud scire; atque adeò inquirere, studiumque, operam & diligentiam debitam non omittere, ut sciat. Si autem ad hoc faciat quod in se est, Deus ipsi per gratiam suam non deerit, saltem ut fugiat à facie arcûs. Si autem non faciat quod in se est, ignorantia ipsius est culpabilis, maximè cùm sit ignorantia juris, quod potest & debet scire. Quam Theologi passim cum S. Thoma culpabilem censent.

177 Accedit quòd, in peccante contra jus naturæ, licèt hîc & nunc non semper alluceat explicita & perspicua malitia actûs quem voluntariè facit, semper tamen alluceat principium agenti innatum, in quo actum suum damnat, & implicitè cognoscit, licèt non explicitè. Nullus est enim, qui alterum decipit per mendacium, vel fraudat per furtum, adulterium, &c. qui interrogatus, an vellet per mendacium decipi, vel per furtum, &c. fraudari, non responderet id se nolle. Igitur omne illud damnat, & malum esse cognoscit in innato isto generali principio, *quod tibi non vis fieri*, &c.

178 Ex his facilè intelligitur S. Thomas: dum enim dicit: *Cùm aliquis nescit fornicationem esse peccatum, voluntariè facit fornicationem, sed non voluntariè facit peccatum*, loquitur de voluntario directo & formali: voluntariè enim formaliter facit fornicationem, sed non voluntariè formaliter facit peccatum, licèt voluntariè virtualiter & indirectè faciat peccatum. Ita S. Thomam interpretantur meliores Thomistæ, quos inter Gonet tr. 6. de leg. disp. 3. Quòdque interpretatio ista sit legitima, constat ex iis quæ S. Doctor scribit 1. 2. q. 19. a. 6. *Si ratio errans dicat quòd homo tenetur ad uxorem alterius accedere, voluntas concordans huic rationi erranti est mala; eò quòd error iste provenit ex ignorantia legis Dei, quam scire tenetur.* Quibus verbis apertè declarat, ignorantiam juris naturalis, quam quis scire tenetur, non excusare à peccato, quia semper est volita indirectè, & in sua causa: partim scilicet in negligentia, quâ (suæ salutis incurius) ad cognoscendam veritatem studium & operam, quam debet, adhibere non curat. Partim quia ea bona sponte diligit, ex quorum dilectione cæcitas mentis sequatur necesse est. Nam, ut Ambrosius l. de bono mort. c. 9. art... *errat oculus, ubi errat affectus: affectûs ergo deceptio, est deceptio visûs.* Quia dum affectus hominis est corruptus, quærit ut concupiscat, non ut verum cognoscat. Et (ut prosequitur serm. 4. in Psal. 118. *amor inordinatus meretriciis nos quibusdam illecebris capit, &.... corporalium voluptatum fucis illinit, ut lateat in his veritas.* Ignorantiam ergo inde causatam non excusare, adeò verum est, ut S. Augustinus in exposit. inchoata in epist. ad Rom. doceat, peccata carnalia ne in ipsis quidem pueris & adolescentibus à mortali excusari per ignorantiam, ut suprà vidimus. Recolenda etiam sunt verba S. Petri Damiani, ne quidem excusantis simplicem illum Eremitam; nam, ut ipse ait, *cui propensius remissio indulgenda competeret, quam illi*, videlicet Eremitæ, qui *nesciendo* malitiam pollutionis *peccavit, qui per simplicitatis imperitiam cecidit, qui sibi hoc licere velut naturalis officii debitum æstimavit?* Nihilominùs propter istud peccatum damnatus fuit. Quia per negligentiam ipsius accidit, quòd istius actûs malitiam nescierit. Siquidem ut S. Thomas 1. 2. q. 74. a. 7. ad 2. *ex hoc ipso quòd ratio superior non dirigit actus humanos secundùm legem divinam, impediens actum peccati, dicitur ipsa consentire, sive cogitet de lege æterna, sive non. Cùm enim cogitat de lege Dei actu, eam contemnit: cùm verò non cogitat, eam negligit per modum omissionis cujusdam.* Cur ita? quia (uti suprà ipsum audivimus lect. 3. in c. 1. l. 3. Ethic.) *ignorantia quâ quispiam ignorat quid oporteat facere, vel vitare, non potest homini habenti usum rationis provenire nisi ex negligentia.* Aliud proinde est ignorare quid positivis Dei vel hominum legibus ordinatum sit; aliud verò ignorare quid secundùm sempiternas divinæ justitiæ regulas justum sit. Illud enim nosse, disciplinæ est; hoc intelligere, sapientiæ. Illud diligentem investigatorem latere potest, quia nonnisi ab alio homine, secundùm viam ordinariam, disci potest: hoc verò, sic ab initio omni rationali creaturæ inscriptum est, ut ne ipso quidem potuerit totaliter deleri peccato. Nemini proinde in materia illius agenti absconditur, nisi qui vel culpabiliter investigare neglexerit, vel mentem ad alia culpabiliter averterit. Veritas enim non potest nisi veraciter loqui de justorum sapientia dicens: *Investiga illam, & manifestabitur tibi.* Eccli. 6. Siquando hominem, suis viribus derelictum, divina Scriptura dicit, non posse discernere, quid naturali lege præceptum sit, vel vetitum: sensus non est, quòd id non possit impotentiâ omninò involuntariâ, quæ invitum premat; sed voluntariâ, quæ nihil aliud est nisi voluntas obfirmata in amore visibilium, per quem obstaculum ponit signato super nos lumini vultûs divini, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Et,

ut homo subinde, ob materiæ obscuritatem, & difficultatem, tenebrasque per originale peccatum affusas, id non posset per naturam; saltem potest per gratiam, quam à Deo semper obtinere potest, faciendo quod in se est.

179 Objicies 4°. S. Thomas 1. 2. q. 19. a. 5. *non solùm* (inquit) *id quod est indifferens potest accipere rationem boni; sed etiam id quod est bonum, potest accipere rationem mali, vel illud quod est malum rationem boni, propter apprehensionem rationis: puta abstinere a fornicatione bonum quidem est: si ergo proponatur ut malum à ratione erranie, voluntas erit mala, quia vult malum.* Hinc Adversarii quidam inferunt: si abstinere à fornicatione propter ignorantiam invincibilem potest esse malum: ergo, durante errore, fornicatio ex apprehensione rationis erit bona, consequenter meritoria. Nam actuum oppositorum si unus est malus, alter est bonus.

180 Admissis verbis S. Thomæ, nego consequentiam, & mirum est consequens, Theologo Christiano tam indignum, à nonnullis Theologis Christianis admitti, ob rationem tam futilem. Tametsi enim malè agat, qui à fornicatione abstinet, dum fornicationis abstinentiam per errorem illicitam putat (peccat enim contra conscientiam) non ideò in eo positus errore fornicando benè agit, & meritoriè. Imò malè agit, quia agit contra legem æternam; & illud *quod agitur contra legem æternam semper est malum, nec excusatur per hoc quòd est secundùm conscientiam*, ut S. Doctor ait quodlib. 8. a. 13. Qui etiam loco objecto a. 6. ad 2. expressè docet, quòd *voluntas concordans rationi erranti non semper est recta, quia non semper est concordans legi æternæ.* Hanc autem concordiam ad 1. dicit esse necessariam ad voluntatem rectam & bonam: quia *bonum* (inquit a. 6.) *causatur ex integra causa, malum autem ex singulis defectibus. Et ideò ad hoc ut dicatur malum id in quod fertur voluntas, sufficit, sive quòd secundùm suam naturam sit malum, sive quòd apprehendatur ut malum: sed ad hoc quòd sit bonum, requiritur quòd utroque modo sit bonum.* Unde in corp. dicit, quòd *si ratio errans dicat quòd homo teneatur ad uxorem alterius accedere, voluntas concordans huic rationi erranti est mala: eò quòd error iste provenit ex ignorantia legis Dei, quam scire tenetur.* Et lect. 2. in lib. 6. Ethic. *Si electio debeat esse bona, oportet quòd & ratio sit vera, & appetitus sit rectus.*

181 Axioma verò additum in objectione, *actuum oppositorum, si unus malus est, alter bonus est*, plerùmque fallit: cùm sæpè contingat actuum oppositorum utrumque malum esse; unum quia contra conscientiam, alterum quia ex se contrarium legi æternæ; vel quia vitiatum circumstantiâ malâ, v. g. negatio eleëmosynæ mala est, cùm potest & debet fieri eleëmosyna; datio etiam eleëmosynæ mala est, dum fit ex vana gloria. Nec oportet prodigalitatem, avaritiæ oppositam, esse bonam, ex hoc quòd avaritia sit mala.

Objicies 5°. Sicut peccatum contra legem 182
positivam, ideò malum est, quia prohibitum lege positivâ; sic peccatum contra legem naturalem, ideò malum, quia prohibitum lege naturali. Ergo ignorans prohibitionem legis naturalis, tam non potest velle facere contra eam in ratione mali, quàm ignorans prohibitionem legis positivæ.

Respondeo, dissimulato antecedente, negando consequentiam: utpote in qua objiciens supponit falsum, dari videlicet ignorantiam invincibilem & prorsus involuntariam prohibitionis per legem naturalem. Non est ita; sed cùm omnis ignorantia istius prohibitionis sit vincibilis, proveniatque ex negligentia, vel alia culpa voluntaria; etiam malum quod ad illam sequitur, in ista causa voluntarium est, sicut & prohibitio illius indirectè saltem cognita; cùm cognosci potuerit, debuerit que.

Objicies 6°. Actus, ideò malus quia lege 183
positivâ prohibitus, esse nequit voluntarius in ratione peccati, nisi aliquo modo cognitus sit in ratione prohibiti. Ergo actus, ex se malus, esse nequit voluntarius in ratione peccati, nisi aliquo modo cognitus in ratione ex se mali. Non eo ipso verò cognoscitur in ratione ex se mali, quo cognoscitur in ratione specifica, quæ ex se mala est, seu malitiam involvit: quia actus ex se malus (v. g. mendacium) non eo ipso ex se malus est in humana cognitione, quo ex se malus est in re: quandoquidem actus, ex se mali in re, intellectui non rarò proponantur, non in ratione mali, sed in ratione boni, ut docet S. Thomas 1. 2. q. 19. a. 5. cùm ait: *Illud quod est malum, potest accipere rationem boni, propter apprehensionem rationis.*

Respondeo 1°. istud & præcedens argumentum nimiùm probare, adeòque sophisma esse: probat enim, si quid probat, non dari peccata ignorantiæ, neque contra legem positivam, neque contra naturalem.

Respondeo 2°. aliquando peccari contra 184
legem, etiam positivam, non cognitâ prohibitione illius, dum scilicet culpa tua est quòd eam non cognoscas, v. g. esum carnium tali die esse prohibitum, quia neglexisti ire ad Missam parochialem (in qua hebdomadæ obligationes annuntiantur) & ab iis qui ierunt inquirere.

Respondeo 3°. omnem hominem qui de- 185
liberatè vult actum per se malum, eò usque eum cognoscere, ut ipsi nota sit ratio, sub qua intrinsecam habet malitiam, saltem indirectè, virtualiter, & interpretativè; vel certè non ignorare invincibiliter involuntariè & inculpatè, sed vincibiliter voluntariè & culpâ suâ: quia potest & debet eam advertere, adverteretque si faceret quod in se est, à seque amoveret voluntarium advertentiæ impedimentum.

Deus enim *semper paratus est dare suam lucem nobis*, (ait Augustinus l. 2. de serm. Dom. in monte c. 3.) *sed nos non semper parati sumus accipere, cum inclinamur in alia, & rerum corporalium cupiditate obtenebramur.*

186 Porrò cùm dicimus, omnem juris naturæ ignorantiam esse vincibilem, hoc intelligimus practicè, non speculativè, sic ut si fecerimus requisita ad vincendam ignorantiam, practicè sic vincemus illam, ut nos inductura non sit in peccatum: vel enim Deus latentis mali notitiam infundet, vel aliquod immittet illius dubium, vel suspicionem, in qua positus, si magis inquirat, nec tamen ad perfectam veritatis notitiam perveniat, Deus docebit, ut, tutam partem sequendo, actionem illam omittat, vel alio modo hominem divertet, ne peccet, uti dixi num. 111.

187 Objicies 7°. In omni alia scientia sunt conclusiones à principiis suis adeò remotæ, abstrusæ, cognituque difficiles, ut earum plurimæ, post quodcumque studium, invincibiliter ignorentur ab hominibus, etiam in scientia illa versatissimis. Similiter ergo in scientia morali: utpote in qua etiam *corpus quod corrumpitur aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem; & difficilè æstimamus quæ in terra sunt, & quæ in prospectu sunt invenimus cum labore. Sensum autem tuum* (Deus) *quis sciet, nisi tu Deus dederis sapientiam?* Sap. 9.

Respondeo negando consequentiam, in materia juris naturæ, in qua facientibus quod in se est, & non ponentibus obicem, Deus sapientiam promisit, quâ saltem fugiant à facie arcûs, & à peccato liberentur dilecti sui.

188 Objicies 8°. Licèt Sancti veritatem & sapientiam tam sollicitè, tantâque cordis munditie, & tam frequentibus, tamque ferventibus orationibus quæsierint, Deus tamen ipsis veritatem in omnibus abstrusioribus punctis, jus naturale concernentibus, non manifestavit (uti constat ex eo quòd alter alteri in ejusmodi contradixerit) igitur eam in nonnullis ejusmodi invincibiliter ignoraverunt. Certum quippe videtur, invincibilem meritò censeri ignorantiam, quam tanta quærendi sollicitudo superare non potuit. Nec probabile videtur, Sanctos non feciſſe quod in se est ad eam superandam.

Respondeo concedendo ipsos veritatem in nonnullis jus naturale concernentibus invincibiliter ignorasse speculativè, non practicè. Tametsi ergo Sancti, ob rationem in objectione significatam, cæteris longè abundantiùs sapientiam à Domino consecuti sint, eisque Deus dederit significationem, ut in praxi (naturale jus concernente) fugerent à facie arcûs, à peccatoque liberarentur: quia tamen homines erant, nonnulla (ut homines) speculativè ignorare permissi sunt, ignorantiâ per tantam ipsorum diligentiam invincibili, & ideò alter alteri in ejusmodi doctrina nonnunquam contradixerunt inculpatè; per consequens absque præjudicio sanctitatis suæ. Verùm nec docendo, nec agendo permissi sunt ignorare practicè saltem ignorantiâ graviter culpabili; sed siquando in istis ut homines practicè erraverint, error ipsorum, ob negligentiæ levitatem, (à qua immunes non fuerunt Sancti) venialis fuit. Nec tamen existimandum quòd practicè erraverint in multis, multò minùs in omnibus quæ contra jus naturale docuerunt. Quia mentem quidem suam super propositis sibi quæstionibus exposuerunt, declararuntque quid certum, quid probabile, quid dubium, quid periculosum sibi videretur (in quo nihil mali) sed sequacibus doctrinæ suæ in rebus controversis securitatem non promiserunt; imò eam cautelam docendo adhibuerunt, ut doctrina ipsorum causa esse non posset ruinæ aliorum: siquidem monuerunt securitatem à se dari non posse, nec datam valere, si à cælesti Patrefamilias non acceptaretur. Ita Augustinus homil. 11. inter 50. Unde super re nonnihil difficili consultus, *Dico* (inquit) *in conspectu Dei timori vestro, timorem meum: pœnitentiam dare possum, securitatem dare non possum.* S. Thomas quoque supplem. q. 6. a. 5. cùm docuisset peccatorem non teneri statim datâ opportunitate confiteri, sed contritum differre posse, dum tempus urgeat: addidit *periculosum esse differre.* S. Raymundus, libro seq. sub finem referendus, ne quidem ausus fuit securitatem dare retinenti bona legitimè præscripta, Domino posteà comparente, tametsi sententia permittens, in jure fundata, per universum Orbem Christianum usu esset recepta. Denique S. Augustinus, S. Thomas, & alii 189 sancti Doctores, tametsi in casibus particularibus sensum suum expresserint, generalia tamen principia tradiderunt, quibus monuerunt nullam opinionem vel doctrinam falsam à peccato excusare posse agentem contra legem æternam, uti videbitur loco proximè relato. Et ipsimet suis adeò diffisi sunt opinionibus, ut Augustinus l. 22. de Civit. Dei c. 23. testetur, quòd *vigiliis continuis excubant justi, ne opinio verisimilis fallat, ne decipiat sermo versutus, ne se tenebræ alicujus erroris offundant, ne quod bonum est malum, quod malum est bonum credatur.* Quia, ut S. Gregorius ait in 1. Reg. 3. *etsi in sanctorum virorum oculis recta sunt ea quæ agunt; ante omnipotentis Dei oculos qualia sint scire non possunt. Unde & bona quæ prævalent incessanter agunt, & super se tonantem illam judiciorum abyssum pertimescunt.* Et ut ait l. 5. Mor. c. 6. *sua etiam bene gesta formidant, ne cùm bona agere appetunt, de actionis imagine fallantur, ne pestifera tabes puredinis sub boni specie lateat. Sciunt enim quia, corruptionis adhuc pondere gravati, dijudicare bona subtiliter nesciunt; & cùm ante oculos extremi examinis regulam deducunt, hac ipsa in se nonnunquam & quæ approbant metuunt, & totâ quidem mente interna desiderant, sed tamen de incertitudine operum trepidi, quò gradiantur ignorant.* Et c. 7. justi *in ipsis bonis*

operibus positi trepidant, ac ne in eisdem occulto aliquo errore displiceant, continuis lamentis vacant. Nec dubium quin de iis Augustinus gemens cum Psalmista dixerit: *Ab occultis meis munda me Domine.* Dicit enim epist. 95. aliàs 250. ad Paulinum, loquens de intellectu difficilibus: *Ego in his quotidie me peccare fateor, & ignorare quando, quovè modo custodiam id quod scriptum est, peccantes coram omnibus argue.... Quis in his omnibus tremor, mi Pauline, sancte homo Dei? Quis tremor, quæ tenebræ? nonne putamus de his esse dictum:* „ timor & tremor venerunt super me, & con„ texerunt me tenebræ? „ Qui etiam l. 4. de orig. anim. c. 1. *Neque enim negare debeo, sicut in ipsis moribus, ita multa esse in tam multis opusculis meis, quæ possint justo judicio, & nullâ temeritate culpari.* Et epist. prælimin. in l. ad Simplician. *Unde tanta felicitas litterario labori nostro, quo in librorum quorundam conscriptione sudavimus, ut à tua dignatione legerentur? Nisi quia Dominus.... consolari voluit curas meas, & à timore recreare, quo me in talibus operibus necesse est esse sollicitum, necubi fortè indoctior vel incautior, quamvis in planissimo campo veritatis, offendam?* Ideò ergo epist. 122. ad Paulinum in proœmio dicebat: *Nolo authoritatem meam sequaris, ut ideò putes tibi aliquid necesse esse credere, quoniam à me dicitur.* Quia (ait epist. 7.) *plura fortasse quàm etiam maledici opinantur, verba dixerim, quæ mallem revocare si possem.... sed angit me planè Horatiana sententia: nescit vox missa reverti.* Et in l. de dono persev. c. 21. prope finem: *Neminem velim sic amplecti omnia mea, ut me sequatur, nisi in iis, in quibus me non errare perspexerit. Nam propterea nunc facio libros, in quibus opuscula mea retractanda suscepi, ut nec meipsum in omnibus me secutum fuisse demonstrem.*

190 Nihil ergo ex doctrina Sanctorum, sive ex consiliis, judiciis, scriptis, & doctrinis ipsorum contra assertionem nostram erui potest: cùm ex una parte in iis errori se obnoxios humiliter fassi fuerint, & ideò sequacibus suis securitatem promittere ausi non fuerint. Ex alia verò parte omnes juris naturæ violatores generatim (absque exceptione remotiorum conclusionum ipsius) peccare pronuntiaverint, nec unquam eos per ignorantiam excusaverint.

191 Hoc unum ex doctrina & moribus ipsorum erui potest, culpam (per juris illius ignorantiam) de mortali venialem fieri posse. Cùm enim (inquit Steyartius in Aphorismis suis disp. 2. n. 12.) certum sit culpam per talem ignorantiam saltem minui; nec usquam in Scriptura, aut SS. Patribus, limes iste aut terminus habeatur, quod solùm ita minui possit, ut tamen mortalis maneat; cùmque insuper in factis & jure positivo constet diminutionem illam, ratione indeliberationis fieri usque ad venialem; nec Sancti dicendi sint mortaliter deliquisse, siquando inadvertentiâ vel negligentiâ levi contra jus illud per ignorantiam deliquerunt, uti se aliquando cum omni sanctitate sua deliquisse humiliter fassi sunt; nihil est quod asserere cogat, diminutionem usque ad culpam venialem in materia difficillima juris naturæ, fieri nunquam posse.

Casus talis diminutionis (prosequitur Steyar- 192
tius) plures esse possunt, sed inter alios hic est illustrior, & magis indubitatus. Coarctatur quis inter duo præcepta juris naturalis ex remotioribus. Fluctuat utram in partem sibi eundum sit, ut peccatum declinet. Tandem verò eligit eam quæ sibi tutior videtur; sed tamen reipsà falsa est: adhibuit autem omnia requisita ad vincendam practicè ignorantiam; sed non adhibuit omninò plenè, ita ut fortè superfit negligentia levis. Talem ita leviter negligentem non permittendum à Deo ut in errorem cadat, nulla est in Scripturis promissio, quæ nos certos faciat; casurum verò mortaliter quis ausit aut velit asserere? Cæterùm ne istiusmodi diminutio nimiùm extendatur, observanda sunt sequentia. Primò, nonnulla adeò esse gravia, ut nulla ignorantia eorum malitiam diluat in venialem.

Nonnulla etiam, minùs enormia, talia esse, ut minimo negotio cognoscatur gravis eorum malitia, si homo mediocriter faciat quod in se est. Tertiò, in cognitu difficilibus consideranda sunt quæ pro vincenda ignorantia vel adhibita fuerunt, vel neglecta remedia: cùm hinc judicandum sit, an magis, an minùs voluntaria sit ignorantia. Denique habenda est ratio incapacitatis subjecti, sive ratione ætatis, sive ratione hebetudinis ingenii ad cognoscenda cognitu difficilia; sicut & defectus occasionis adhibendi ea per quæ cognitio veritatis acquireretur.

Objicies 9°. Sicut non omnibus, propriâ 193
culpâ obicem non ponentibus, datur gratia impediens omnem concupiscentiæ motum; ita nec gratia impediens omnem juris naturalis ignorantiam.

Respondeo: sicut omnibus facientibus quod in se est datur gratia impediens ne quis peccet per concupiscentiam; ita & gratia impediens ne quis peccet per ignorantiam. Istud proinde argumentum, & similia solùm probant dari ignorantiam juris naturæ speculativè invincibilem, non practicè.

Objicies 10°. Si nulla ignorantia à peccato 194
formali excuset agentes contra jus naturale, etiam in remotioribus; consequenter, nec ulla probabilitas, sive nulla opinio, vel inter probabiles probabilissima, vel etiam moraliter certa, si falsa sit. Hujus argumenti aliorumque plurimorum huc spectantium solutio efficax videri potest libro sequenti, à capite 82. ad 89. ubi & ostendemus ex assertione nostra consequens non esse, quòd in omnibus agibilibus nostris necessaria erit fidei vel evidentiæ certitudo. Talis namque certitudo non requiritur v. g. de statu gratiæ ad dignam Communionem, sed sufficit certitudo moralis. Qui etiam moraliter certus est se confessum aliquod mortale, non tenetur ampliùs illud confiteri,

Qui probabiliùs existimat se legisse horas, ad amplius non tenetur, &c.

195 Objicies 11°. Sequitur ex doctrina nostra semper ancipitem ac periculi plenam rem esse aliis consilium de moribus dare secundùm opinionem non omninò tutam in materia juris naturalis: cùm ea in materia error & ignorantia nec in remotissimis excuset, sive docentem, sive agentem.

Respondeo ita esse, si securitas promittatur, quæ in sola veritate est, uti probabitur citato cap. 82. Enimverò manet semper immota Dominicæ sententiæ veritas: *Si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.* Cæcus est autem quisquis opinionem æternæ Veritati contrariam sequitur: cùm verum lumen, veritatem utique non cernat. Corruet proinde in foveam, si secutus fuerit fallax illud lumen, quod ipsi falsitatem exhibet, similitudine veritatis fallentem, & alios in eandem secum foveam trahet, si ducatum ipsis præstiterit securitatem promittendo: quia ipsis causa erit præcipitii. Tametsi peccaturus non sit, nec aliis futurus causa spiritualis ruinæ, si simpliciter exponat ipsis mentem suam, eo modo quo de Sanctis dixi suprà n. 188. sub finem.

196 Objicies 12°. S. Augustinus l. 22. contra Faust. c. 75. docet militem sub Rege (etiam sacrilego) rectè posse illo jubente bellare, cui quod jubetur vel non esse contra Dei præceptum certum est, vel utrùm sit, certum non est. Per consequens id posse in dubio de justitia belli, tametsi bellare injustè sit contra jus naturæ.

Respondeo (cum S. Antonino) dubium militis de justitia belli, non esse dubium juris, sed facti. Quia est dubium an Rex habeat vel non habeat justas bellandi causas. Quod ad subditos non pertinet examinare.

197 Eadem est solutio ad varios ejusmodi casus. Verbi gratiâ controvertunt Theologi, an Judex ad mortem damnare possit innocentem, probatum in judicio nocentem. Judex aliàs irreprehensibilis, constitutus in isto casu tentationis, Deum pro instructione sæpiùs instanter oraverit, viros doctos consuluerit, ex eorumque directione concluserit, datam Judicibus à Deo potestatem occidendi talem, non agit contra jus naturæ, ipsum ad mortem condemnando, etiamsi Deus hanc potestatem Judicibus non dederit; sicut nec Deus dispensaret in jure naturæ, si hanc potestatem Judicibus daret. Quia jure naturæ non prohibetur occisio innocentis facta authoritate divinâ, sed facta authoritate privatâ. Ignorantia proinde Judicis est ignorantia facti, non juris naturalis. Non enim ignorat an liceat occidere innocentem authoritate Dei; sed hominis, qui non est author vitæ & necis.

198 Item matrimonium juxta communem sententiam jure naturæ est indissolubile, per se loquendo. An verò Deus dederit potestatem illud dissolvendi propter adulterium, multi dubitarunt, etiam integræ Synodi, tam provinciales, quàm nationales, potestatem ad id à Deo datam olim affirmarunt, sinistrè interpretantes illud Matth. 19. *Quicumque dimiserit uxorem, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.* Non omnes tamen qui, has Synodos secuti, talia matrimonia dissolverunt, & alias uxores duxerunt, damnati fuerunt: quia non peccaverunt contra jus naturæ ex ignorantia juris, sed ex invincibili ignorantia facti, invincibiliter credentes sibi datam à Deo hanc potestatem, qui eam haud dubiè dare potuit. Est autem indubitatum dissolvi posse matrimonium authoritate divinâ.

Neque ista sunt contra nostram de ignoran- 199
tia juris naturæ doctrinam, quæ dicit ex toto excusari non posse, quod voluntariè fit contra jus naturæ, in ea ratione in qua est contra jus naturæ, v. g. mendacium in ratione mendacii. Quod profectò nulla excusat verisimilitudo vel probabilitas, etiam fundata in authoritate nonnullorum Sanctorum, qui licitum crediderunt aliquando uti mendacio, velut helleboro, ad vitandam v. g. mortem innocentis. Quantacumque enim fuerit Sanctorum illorum authoritas, excusare non potuit ex toto illos, qui ipsorum opinionem in praxi fuerunt secuti, prout in proximè memoratis casibus excusare potuit probabilissimè præsumpta authoritas Dei.

Denique isto etiam sensu S. Chrysostomus 200
excusavit filias Lot, penes invincibilem ignorantiam facti; quia crediderunt Deum, qui dixit, *crescite & multiplicamini*, &c. concessisse potestatem utendi corpore patris, ne genus humanum periret, in casu quo existimarunt solum patrem cum filiabus suis in mundo superesse.

Objicies 13°. Idem Augustinus l. 1. de serm. 201
Dom. in monte c. 16. non audet peccati damnare eum, qui, ad evadendam mortem, uxoris suæ usum alteri viro permisit, judicans usum illum eo casu non esse adulterium.

Respondeo negando antecedens, utpote tanto Doctori injuriosum, qui serm. 243. dicit, quòd secundùm omnium Scripturarum authoritatem adulterium committere nunquam licet. Et loco objecto negat dictum Apostoli; *mulier non habet potestatem corporis sui, sed vir*, &c. posse in tantum valere, ut femina, permittente viro, vel vir, permittente feminâ, cum non suo vel non sua possit concumbere. *Quod* (inquit) *omnium sensus excludit.* Narrato quidem facto mulieris Antiochenæ, quæ, ut maritum à morte liberaret, ipso jubente, corporis sui copiam alteri fecisse narratur: dicit, *non ita* respuere hoc sensum humanum, *quod in illa muliere, viro jubente, commissum est, quemadmodùm anteà, cùm sine ullo exemplo res ipsa poneretur, horruimus.* Sed hoc non est asserere, quòd non sit *contra Scripturarum omnium authoritatem*, sed solùm quòd ob particularem illam circumstantiam non ita clarè sit contra rationem purè humanam, quæ ple-

rùmque fallit, & quæ nisi per Scripturarum divinarum authoritatem corrigeretur, fortè etiam non ita horreret, permittere concubitum uxoratæ cum non suo, pro honore & fama, quam alioqui prostituere paratus esset inimicus homo. Cùm apud Casuistas quosdam pro honore & fama liceat, quod licet pro vita.

202 Objicies 14°. Ex doctrina nostra sequitur, eum qui contra naturæ legem peccavit ex ignorantia illius, & ideò peccatum illud nunquam confessus fuit, teneri generalem vitæ confessionem instituere, saltem à tempore quo tale peccatum commisit: cùm peccatum illud remitti non potuerit, quod ideò nec confessus nec detestatus fuit, quia peccatum esse ob ignorantiam non credidit.

Respondent plerique Veteres, negando sequelam: quia potuit interim confessiones validas fecisse, sed informes.

203 Alii qui confessiones validas & informes non admittunt, sequelam admittunt, nec in ea majus absurdum inveniunt, quàm in communi Theologorum doctrina, de confessionibus factis cum omissione alicujus necessarii necessitate medii ad justificationem. Norunt quippe Confessarii, qui pœnitentes suos diligenter examinant, quàm multi ex ipsis non satis instructi sint circa quædam ex illis, quàmque verè S. Carolus Borromæus p. 2. c. 18. dicat: *Si Confessarius majorem industriam in iis examinandis posuerit, non dubium est quin plures deprehendet, qui nunquam (ut oportuit) Sacramento pœnitentiæ peccata sua expiarint. Quod cùm fuerit ab eo animadversum, ostendet eis, quòd.... totius vitæ confessionem instituere, ac studio vehementi in salutem suam incumbere tenebuntur.*

204 Non videntur tamen invalidæ universim fuisse confessiones omnes eorum, qui peccatum aliquod contra naturæ legem ignoranter commissum non exposuerint. Maximè si semel dumtaxat vel rarò illud commiserint, nec amplius habuerint propositum simile quid deinceps committendi: cùm solùm confitenda sint peccata, quibus post debitum examen se Deum mortaliter offendisse fideles meminerint, & quorum conscientiam habent. Tale proinde peccatum dimitti potuerit per generalem peccatorum detestationem, perceptamque de illis absolutionem, eo modo quo dimittitur peccatum oblitum. Tunc ergo sufficiet peccatum illud ignoranter commissum confiteri cum iis quæ de novo commissa fuerint.

Objicies 15°. Nullus peccat in eo quod vitare non potest. Sed juris naturalis ignorantiam, circa remotiora, plerique minùs docti vitare non possunt: cùm ne docti quidem omnem vitare possint. 205

Respondeo juris naturalis ignorantiam, in iis quæ à nobis agenda sunt, vel cavenda, semper vitari posse practicè, licèt non semper speculativè. Nec à peccato excusare ignorantiam juris naturalis invincibilem quoad dissolutionem, dummodò vincibilis sit quoad evasionem, ut loquitur Adrianus VI.

Objicies 16°. Ista nostra doctrina nova est & Janseniana.

Respondeo eos qui hoc objiciunt, vel doctrinam nostram per insignem calumniam traducere, vel inscitiam suam manifestè prodere, explosioneque magis, atque contemptu, quàm responsione dignos esse. Cùm enim doctrinam nostram tradiderint SS. Patres, & passim Theologi veteres, superiorique sæculo (ante Jansenium) Theologi illustres (uti suprà monstravimus, etiam ex testimonio duorum insignium è Soc. Theologorum) quomodò nova, quomodò Jansseniana? Docuerit, vel non docuerit eam Jansenius, ubi & quando propterea damnatus? Puerilis ergo, sanctisque Patribus, totque illis Theologis, Veteribus ac Recentioribus injuriosa, atque inscitiæ plena est objectio illa. 206

PARS V.

De peccatis ignorantiæ.

CAPUT PRIMUM.

De fide est dari peccata ignorantiæ.

1 EX ignorantia nullum peccatum committi, unus est ex erroribus Abaëlardi, propter quos Guilielmus Abbas ad Gaufridum, Episcopum Carnotensem, & ad S. Bernardum, in hæc verba scripsit: *Dico vobis, periculosè sileris, tam vobis, quàm Ecclesiæ Dei.* At non siluit Bernardus: nam errorem illum epist. 77. ad Hugonem de S. Victore fidei contrarium esse, clarissimis S. Scripturæ testimoniis demonstravit, ut sequitur.

Is forsitan qui asserit non posse peccari per ignorantiam, nunquam pro suis ignorantiis deprecatur, sed potius Prophetam irridet, deprecantem & dicentem: " Delicta juventutis meæ, " & ignorantias meas ne memineris: " *Forsitan reprehendit Deum, exigentem pro peccatis ignorantiæ satisfactionem. Loquitur enim in Leviticо ad Moysen, dicens:* " Anima, si pec- " caverit per ignorantiam, feceritque unum ex " his quæ lege Domini prohibentur, & pecca- " ti 2

„ ti rea intellexerit iniquitatem ſuam, offeret arie-
„ tem immaculatum de gregibus Sacerdoti, jux-
„ ta menſuram æſtimationemque peccati. Et
turſum: *qui orabit pro eo quod neſciens fece-
rit: & dimittetur ei, quia per errorem deliquit
in Dominum.*

3 *Si ignorantiæ nunquam peccatum eſt, cur dic-
tum eſt in epiſt. ad Hebræos, quia in ſecundo
tabernaculo ſemel in anno ſolus Pontifex intra-
ret, non ſine ſanguine, quem offeret pro ſui &
populi ignorantia?*

4 *Si peccatum ignorantiæ nullum eſt, non ergo
peccavit Saulus, quòd perſecutus eſt Eccleſiam
Dei: quòniam quidem ignorans hoc fecit, ma-
nens in incredulitate. Bene itaque faciebat, quòd
erat blaſphemus & perſecutor, & contumelio-
ſus, quod erat ſpirans minarum, & cædis in
diſcipulos Domini. In hoc ipſo quippe abundan-
ter æmulator exiſtens paternarum traditionum.
Non ergo debuit dicere:* „ Miſericordiam con-
ſecutus ſum; „ *ſed, mercedem recepi. Quippe
quem ignorantia à peccato reddebat immunem;
inſuper & æmulatio remunerabilem indicabat.*

5 *Si (inquam) ignorantiâ nunquam peccatur:
quid ergo cauſamur adverſus occiſores Apoſto-
lorum? Quandoquidem non ſolùm malum eſſe
neſcierunt, interficere illos; ſed inſuper quoque,
id faciendo, arbitrati ſunt obſequium ſe præſta-
re Deo.*

6 *Sed & fruſtrà in cruce Salvator pro ſuis ora-
bat crucifixoribus; quippe neſcientibus (ipſo
teſte) quid facerent, & ita nequaquam peccan-
tibus. Neque enim fas eſt ullatenus ſuſpicari,
mentitum eſſe Dominum Jeſum, aperte perhi-
bentem, eos ignorare quid facerent: etſi fortè
de Apoſtolo dubitet quis, quòd, carnem ſuam
æmulans, ſicut homo mentiri potuerit, ubi ait:*
„ Si enim cognoviſſent, nunquam Dominum
„ gloriæ crucifixiſſent. „ *Numquid non ex his
ſatis apparet, in quantis jaceat ignorantiæ tene-
bris, qui ignorat peccari poſſe per ignorantiam?*

7 Ideò errorem illum SS. Patres omnes adeò concorditer inſectantur, ut ſupervacaneum foret, in re apud Catholicos indubitatâ, eorum indicem texere. Sanè in Concilio Dioſpolitano Pelagius coactus fuit ejurare hanc propoſitionem, quam omnes iſtius Concilii Patres damnarunt ut Scripturæ contrariam: *oblivionem & ignorantiam non ſubjacere peccato; quoniam non ſecundùm voluntatem eveniunt, ſed ſecundùm neceſſitatem.*

8 Sed & Hieronymus in Dialogis contra Pelagianos, hanc ipſorum propoſitionem, ut inſanam, ſacriſque Litteris adverſam refellit: *Quæ eſt iſta juſtitia, ut peccato tenear erroris, cujus reatum non habet conſcientia? Neſcio me pec-
caſſe, & ejus rei, quam neſcio, pœnas luo.*

9 Videat proinde Chriſtianus Alethinus, quibuſcum recenter dicat in lib. de peccat. ignor. p. 1. c. 1. a. 3. non eſſe peccatum, quod non eſt contra conſcientiam. Quod non ſolus Hieronymus refellit, ſed & S. Thomas quodlib. 8. a. 13. ut videbitur libro ſeq. cap. 83.

CAPUT II.

*Ex illo fidei dogmate conficitur, à veritate de-
viam eſſe opinionem, quæ tradit, ad pec-
candum formaliter, neceſſariam eſſe for-
malem & actualem notitiam, ſeu advertenti-
am & conſiderationem malitiæ.*

§. I.

Opinio Recentiorum.

ANno 1581. Vaſquez primùm docere cœ- 10
pit, ad peccandum formaliter neceſſa-
riam eſſe actualem reflexionem, ſeu adver-
tentiam & cogitationem, vel ſaltem actuale
dubium, vel ſcrupulum de malitia actionis,
uti fatetur diſp. 223. in primam ſecundæ cap.
2. ubi licèt addat, ſuam iſtam opinionem, ut-
pote inſolitum aliquid præ ſe ferentem, viris
doctis viſam eſſe difficilem, eam nihilominùs
ſecuti ſunt plurimi Recentiores, præſertim è
Societate, ut Suarez diſput. 4. de Cenſur. ſect.
8. Sanchez oper. moral. l. 1. tr. 2. c. 4. Filiu-
tius to. 2. tr. 25. c. 1. & 10. Amicus to. 3. diſp.
17. ſect. 8. Tannerus de peccat. diſp. 4. q. 5.
dub. 5. Baunius infrà referendus. Theophy-
lus Raynaudus diſciplin. mor. diſp. 4. q. 1. a.
6. Card. de Lugo diſp. 5. de Incarn. ſect. 5.
Arriaga tr. de Deo uno & trino diſp. 2. ſect. 3.
Oviedo 1. 2. tr. 4. controv. 1. p. 4. & apud
ipſum Granadus, Hurtadus, Palao, Salas,
& alii communiſſimè. Comptonus to. 1. diſ-
put. 89. ſect. 4. & diſput. 104. ſect. 4. Eſcobar
tr. 2. exam. 1. c. 3. Terillus reg. mor. p. 2. q. 63.

Verùm opinionem illam (poſt Comitolum) 11
meritò improbant ex eadem Societate Gordo-
nus Theol. Mor. l. 1. q. 8. c. 10. Thyrſus Gon-
ſales, Generalis Societatis, to. 4. diſput. 6. à
n. 92. ad 156. prout ipſe refert in fundam.
Theol. Moral. diſſert. 9. n. 13. his verbis: *Mul-
ti Probabiliſtæ, ad peccandum contra legem,
requirunt advertentiam actualem ad malitiam,
vel periculum malitiæ; ac proinde exiſtimant,
neminem poſſe peccare, agendo contra legem,
quin cognoſcat ſe peccare. Quos latè impugnavi
to. 4. diſp 6. à num. 92. ad 156. oſtendens, poſſe
aliquem per errorem culpabilem, ortum ex ſua
culpa perſonali, peccare mortaliter contra le-
gem, etſi in eo inſtanti nullo modo cognoſcat ſe
peccare; imò quamvis certò exiſtimet ſe benè
agere.*

Similiter ex eadem Societate Elizaldus, ſeu 12
Antonius Celladeus, de recta mor. doctr. l. 1.
q. 5. & 7. eamdem opinionem magno zelo re-
fellit: *quia* (inquit) *tot.... infert præjudi-
cia, ut modis omnibus eam convellere neceſſa-
rium arbitratus ſim, atque totius litterarii la-
boris mei pretium futurum ampliſſimum, ſi hoc
unum conſequerer.*

§. II.

*Opinio illa refellitur, quia non conſiſtit cum dog-
mate illo fidei, quo conſtat dari peccata ig-*

norantiæ, hominesque plerùmque peccare ex vincibili ignorantia malitiæ, etiam dum putant se benè facere, obsequiumque præstare Deo.

13 SI enim ad peccandum formaliter necessaria sit actualis cogitatio malitiæ, vel actuale de ea dubium, sequitur nulla esse peccata ignorantiæ. Cùm tunc solum peccetur ex ignorantia, dum abest formalis & actualis cogitatio seu cognitio peccati; neque ex ignorantia peccari queat, si ad peccandum malitiæ requiratur notitia. Si enim requiratur notitia malitiæ, non peccatur formaliter, ubi deest notitia malitiæ. Nunquam ergo formaliter peccatur, ubi malitia ignoratur. Quippe malitia nunquam ignoratur, nisi dum deest notitia malitiæ. Nunquam ergo ex ignorantia malitiæ peccatur, nisi malitiæ notitiâ quis destituatur.

14 Et confirmatur 1°. quia per se manifestum est, ignorantibus deesse cognitionem rei ignoratæ.

15 2°. Tunc solùm ex ignorantia peccatur, dum ignorantia est peccati causa. Hoc autem nunquam accidit, dum adest actualis cognitio peccati. Ignorantia quippe non est causa peccati, nisi per modum removentis prohibens, id est quatenùs removet cognitionem, quâ habitâ peccatum non committeretur, prout omnes Theologi fatentur.

16 3°. Ubi est peccati cognitio, non est ignorantia peccati, ut per se notum est. Igitur numquam ex ignorantia peccatur, si numquam peccetur, nisi hoc quod fit vel omittitur, peccatum esse cognoscatur.

CAPUT III.

Ejusdem opinionis falsitas aliis argumentis multipliciter ostenditur.

17 SEcundum argumentum contra eamdem opinionem, est quia si numquam peccaretur sine prævia actuali cognitione peccati, Augustinus non diceret in Confessionibus suis: *Eò insanabiliùs peccabam, quò me peccare nesciebam.* Nec alibi diceret, vitam hominis plenam esse peccatis, non solùm absque cognitione peccati commissis, sed tunc etiam commissis, cùm putant homines Deo placere, vel saltem non displicere quod faciunt. Nemo quippe Deo placere vel non displicere putat, quod malum esse cognoscit. Istud autem Augustinus dicit in lib. de spir. & lit. c. 36. *In multis offendimus omnes, dum putamus Deo, quem diligimus, placere, vel non displicere quod facimus; & postea per Scripturam ejus, sive certâ & perspicuâ ratione commoniti; cùm didicerimus quòd ei non placeat, pœnitendo deprecamur ut ignoscat. Plena humana vita est documentis talibus.*

18 Hinc etiam Cornelius à Lapide ad illud 1. Cor. 4. *Nihil mihi conscius sum*, &c. *Putamus* (inquit) *sæpè nos bene agere, cùm malè agimus; nos ex gratia & Dei amore facere, quod amore nostræ gloriæ, vel cupiditatis facimus.* Ita Chrysostomus, & Ambrosius hîc. Et Hieronymus Dial. 2. contra Pelagian. ac Basilius Constit. Monast. c. 2. ubi sic ait: *Cùm multis in rebus offendamus Deum, majorem tamen offensarum partem ne intelligimus quidem. Idcircò Apostolus dicebat:* " Nihil mihi conscius sum; sed non in hoc justificatus sum. " *Quod est idem ac si diceret: Multa delicta committo, quæ committere me non intelligo. Propter hanc causam Propheta ait:* " Delicta quis intelligit?

19 Tertium argumentum: unum ex certissimis, unanimique Theologorum omnium judicio receptis principiis, est, homines sæpè peccare per errorem culpabilem, sive per conscientiam culpabiliter erroneam. At illa dictat non esse malum, quod revera malum est. Igitur certissimum est, homines peccare, non solùm absque conscientia peccati, sed etiam cum conscientia non peccati: atque adeò verissimum est Apostolicum istud: *Nihil mihi conscius sum; sed non in hoc justificatus sum.* Quasi dicat: *Nullius peccati notitiam vel suspicionem mihi conscientia mea ingerit; non ideò tamen sine peccato sum.*

20 Respondet Vasquez, ideò Paulum dixisse, *nihil mihi conscius sum:* quia poterat reus esse peccati præteriti, quod ipsum tunc lateret; non quia sine consideratione commissum esset, sed quia factum cum consideratione, poterat oblivioni traditum esse.

Verùm huic evasioni obstat communis SS. Patrum & sacrorum Interpretum expositio, quam nobis exhibet Cornelius à Lapide suprà n. 18. Ipseque Apostolus testatur se nescisse quòd malum faceret, dum persecutus est Ecclesiam Dei; se nihilominùs peccasse, atque ex ignorantia peccasse, & ideò misericordiam consecutum fuisse. Quia ignorans, adeòque non cum consideratione peccavit.

21 Quartum argumentum: secundùm omnes alicujus notæ Theologos, Patresque, & Magistros spirituales, justis sæpè peccata surrepunt, tametsi se peccare non intelligant, nec proinde cum consideratione & advertentia peccent, sed per incogitantiam, inconsiderationem, & surreptionem. Si enim ita non esset, quid est quòd in persona ipsorum Regius Propheta tam anxiè clamaret: *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me.* Et iterùm: *Ignorantias meas ne memineris.*

22 Quintum argumentum: certissimum est, viros, quàmlibet sanctitate eximios, in multis peccare. Viri tamen sanctitate eximii (teste S. Theresiâ lib. de 7. mansionib.) vix aliter quàm per incogitantiam, inconsiderationem & surreptionem peccant. Cùm ingenti studio cordis puritatem sectentur, & quidquid per cogitationem, imò per solum dubium vel scrupulum, apparet ipsis peccatum & malum, totâ cautione declinent. Nec tamen ideò censent omne se declinare peccatum:

cùm

cùm ipsi etiam cùm Psalmista clament : *Delicta quis intelligit ? ab occultis meis*, &c. Item cum Apostolo : *Nihil mihi conscius sum*, &c. Sciunt utique ipsorum etiam bonorum operum merita per latentes sordes frequenter infuscari. Sciunt occultas irretientis amoris proprii deceptiones, insidiosasque sensuum & concupiscentiæ illecebras, passionum sub zeli specie decipientium fallacias & intemperantiam, &c. Sciunt denique non rarò fieri, quòd aliquâ infidelitate vel culpâ suâ, seu negligentiâ, sibi desit cogitatio faciendorum, quæ omittunt, vel omittendorum quæ committunt. Atque adeò longè plurima esse, in quibus omnes delinquimus, quæ tunc solùm detegentur, cùm *revelabit Deus opera tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.* Quorum licèt tantò plura deprehendantur, quantò major conscientiæ puritas acquiritur, numquam tamen omnes ejusmodi nævos vel ipsi Sancti in totum deprehendunt : multò minùs justi communis vitæ, quorum tam delicata non est conscientia, ut (cum S. Augustino) pœnaliter se peccasse fateantur, siquando plus cantantis sonus, quàm Psalmi sensus delectet; siquando in transeuntem leporem, vel araneam, subita curiositas oculos conjiciat; siquando absque relatione in Deum lux ipsa conspiciatur; &c. Innumera omissionis peccata à justis communis vitæ hominibus committi, tradit alicubi S. Thomas; quæ tamen inter culpas ipsi numquam habuerunt, nec de eorum unquam malitia cogitaverunt, innumera v. g. verba otiosa, otiosas cogitationes, otiosas actiones, quibus, absque ullo conscientiæ remorsu, tota penè vita ipsorum plena est. Et quàm pauci sunt, qui omnia suæ professionis officia norunt, ne ulli unquam per ignorantiam desint? Verendum, ne qui hoc de seipsis præsumunt, profundas humanæ mentis tenebras non satis cognitas habeant. Maximè cùm & ipsi in Missa Deum quotidie deprecentur pro innumerabilibus peccatis suis, quæ tamen non cognoscunt.

23 Sextum argumentum : non minùs certum est mortalia quàmplurima sine actuali ad malitiam reflexione committi. Neque enim horrenda, sub culpabili Dei ignorantia, vel de Deo incogitantia, commissa à mortali excusantur, tametsi malitia mortalis, offensaque Dei, sub ignorantia illa actu non cogitetur. Sicut nec à mortali excusantur idololatria & abominationes idololatrarum, filios & filias suas dæmoniis immolantium, iis in regionibus, ubi Primariorum consuetudine, legeque & authoritate Principum, velut legitima terræ practicantur; ubi proinde non solùm non æstimantur mala, sed bona & legitima, lege illâ & consuetudine malitiam eorum occultante. Eo tamen non obstante, idololatrias & abominationes istas inexcusabiles esse Scriptura docet Sapientiæ 14. Atque ob ejusmodi legitima Cananæos Deus abominatus est, & exterminavit, Levit. 16. & 20. Similiter à mortali non excusantur illi, qui, rejecto culpabiliter Evangelio, Christianâque veritate, multa deinde gravia contra legem naturalem & Evangelicam committunt, absque notitia malitiæ, quam susceptæ lux Evangelica, Christianaque veritas ipsis ingessisset.

Septimum argumentum : à mortali non ex- 24
cusantur homicidia, aliaque hujuscemodi crimina, commissa per ebrietatem, vel passionem, auferentem totaliter usum rationis, si in eam quis voluntariè & culpabiliter incurrerit. Idem ergo dicendum de similibus commissis per ignorantiam & incogitantiam culpabilem & voluntariam. Antecedens probat doctrina S. Thomæ 1. 2. q. 77. a. 7. *in eo qui voluntariè inebriatur, quasi voluntarium imputatur ei quod per ebrietatem committit.* Et infrà : *passio quandoque est tanta, quòd totaliter aufert usum rationis, sicut patet in his, qui propter amorem, vel iram, insaniunt : & tunc si talis passio à principio fuerit voluntaria, imputatur actus ad peccatum* (etiam mortale, uti docet a. 8.) quia est voluntarius in sua causa, *sicut etiam de ebrietate dictum est.* De qua rursum 3. contra Gent. 160. *Ebrius ab homicidio non excusatur, quod per ebrietatem committit, quam suâ culpâ incurrit.*

Nec ad hoc S. Doctor exigit quòd homici- 25
dium istud sit præcogitatum, si sermo sit de eo qui homicidium committere solet in ebrietate vel passione. Quia 1. 2. q. 20. a. 5. & q. 73. a. 8. docet, eventum malum, tametsi non præcogitatum, imputari ad culpam, causæque ex qua sequitur, malitiam aggravare, si ex tali causa sequatur per se, sive ut in pluribus; tametsi secùs dicat, si ex tali causa solùm sequatur per accidens, & ut in paucioribus : *Si* (inquit a. 5. citato) *eventus sequens non sit præcogitatus, tunc distinguendum est. Quia si per se sequitur ex tali actu, & ut in pluribus, secundùm hoc eventus sequens addit.... ad malitiam actûs. Manifestum est enim, pejorem esse actum, ex quo nata sunt multa mala sequi. Si verò per accidens, & ut in paucioribus, tunc eventus sequens non addit.... ad malitiam actus. Unde quia ex hoc quòd aliquis publicè fornicetur, per se, sive ut in pluribus, sequitur scandalum plurimorum, quamvis hoc ipse non intendat* (dit q. 73. a. 8.) *nec fortè prævideat, directè per hoc aggravatur peccatum.* Culpa quippe ipsius est quòd non prævideat. Cùm prævidere debeat mala, ex actu suo nata sequi, & stertentis negligentiæ sit, absque ista prævisione ad actum procedere.

Hinc octavum argumentum sic conficitur : 26
ut eventus per se consequens ex peccato imputetur ad peccatum, illudque aggravet, non debet esse præcogitatus, sed absque actuali præcogitatione censetur in causa voluntarius, in qua potuit & debuit præcogitari. Culpa quippe hominis est, quòd voluntariè posuerit causam absque debita circumspectione, seu consideratione eventuum, qui per se nati sunt consequi ex tali causa. Innumera ergo homi-

nibus imputantur ad peccatum, tametsi ab ipsis actu non præcogitata. Quia ex hoc quòd homines ratione præditi, vivunt absque debita reflexione ad prima syndereseos dictamina; ex eo item quòd de futura vita, deque vita præsenti rectè instituenda, potiorique cura habenda animæ, quàm corporis, parum vel nihil solliciti, toti sint in satisfaciendis concupiscentiis, sæcularibusque desideriis; ex taliter (inquam) neglecto vitæ ordine, tamquam causâ voluntariâ & culpabili, per se nata sunt sequi innumera peccata, sicut & innumerabiles incogitantiæ, inconsiderationes & irreflexiones ad malitiam eorum. Quæ proinde, licèt non præcogitata, in culpabili ista causa ideò voluntaria censentur, quia potuerunt debueruntque præcogitari, & culpa hominis est, quòd non præcogitaverit.

CAPUT IV.

Nonum, decimum, undecimum, duodecimum, decimum-tertium, & decimum-quartum argumentum contra eamdem opinionem.

27 NOnum argumentum: si ad peccandum formaliter necessaria foret notitia seu advertentia actualis malitiæ, ideò esset quia aliàs peccatum, quà tale, non foret voluntarium. Sed ad hoc necessaria non est actualis notitia, seu advertentia malitiæ. Neque enim peccatum, quà tale, esse debet voluntarium formaliter & actu, sed sufficit esse voluntarium virtualiter & interpretativè. Ad voluntarium autem virtuale & interpretativum, *eodem modo requiritur actus cognitionis, sicut & voluntatis* (ait Doctor Angelicus 1. 2. q. 6. a. 3.) *ut scilicet sit in potestate alicujus considerare, & velle, & agere.* Sicut ergo ad voluntarium virtuale & interpretativum, seu indirectum, non requiritur volitio actualis, sed sufficit virtualis, consistens in eo quòd homo possit & debeat velle; sic non requiritur cognitio actualis, sed sufficit virtualis, consistens in eo quòd homo possit & debeat cognoscere, seu considerare. Quia, sicut S. Doctor ibidem consequenter arguit, *sicut tunc non velle, & non agere, cùm tempus fuerit, est voluntarium; ita & non considerare.*

28 Et ratio cur virtualiter cognoscere & considerare censeatur, qui potest & debet cognoscere & considerare, est tum quia cognoscere, possèque & debere cognoscere, æquiparantur in jure, sicut scire, possèque & debere scire. Tum quia, uti S. Doctor ait ibidem a. 7. ad 3. tunc *non totaliter tollitur cognitio: quia non tollitur potestas cognoscendi; sed solùm consideratio actualis in particulari operabili. Et tamen hoc ipso est voluntarium, secundùm quod voluntarium dicitur, quod est in potestate voluntatis, ut non agere, & non velle, similiter & non considerare.* Tum denique quia sicut qui potest & debet prohibere malum, & non prohibet, censetur ei virtualiter consentire, licèt actu non consentiat cap. *sicut dignum* de sentent. excom. Gloss. in l. culpa 36. ff. de reg. jur. Et qui tacet, cùm potest & debet negare, censetur virtualiter concedere, licèt actu non concedat cap. *qui tacet* de reg. jur. in 6. cap. *nonne* de præsumpt. l. 2. §. voluntate ff. de solv. matr. sic qui potest & debet scientiam, seu notitiam & advertentiam comparare, & non comparat, sed vel negligit, vel notitiam & advertentiam in seipso voluntariè impedit, per passionem vel habitum pravum, &c. licèt scientiam, notitiam, vel advertentiam actu non habeat, censetur virtualiter scire, noscere, advertere, saltem hoc sensu quòd perinde peccet ac si sciret, nosceret & adverteret. Eò quòd malum, quod per ignorantiam, incogitantiam & inadvertentiam committit, ipsi voluntarium sit in causa, voluntariâ utique ignorantiâ, incogitantiâ, & inadvertentiâ, uti docet S. Thomas lect. 3. in cap. 1. lib. 3. Ethic. Dum (inquit) aliquis ignorat id quod eum oportet scire, *talis ignorantia non causat involuntarium: quia ignorantia hujusmodi non potest homini habenti usum rationis provenire nisi ex negligentia. Quia quilibet tenetur adhibere sollicitudinem ad sciendum quid oporteat eum facere, aut vitare. Unde si ipsa ignorantia reputatur voluntaria, cùm homo eam non vult vitare, sicut tenetur; consequens est, quòd nec illud, quod per ejusmodi ignorantiam fit, involuntarium judicetur.* 1. 2. q. 6. a. 8. *dicitur voluntaria ignorantia ejus quod quis potest scire & debet.* Et hinc q. 74. a. 7. ad 2. concludit, quòd *ex hoc ipso quòd ratio superior non dirigit actus humanos secundùm legem divinam, impediens actum peccati, dicitur ipsa consentire, sive cogitet de lege æterna, sive non* (nota benè) *cum enim cogitat de lege æterna actu, eam contemnit; cùm verò non cogitat, eam negligit, per modum omissionis cujusdam. Unde omnibus modis consensus in actum peccati procedit ex superiori ratione* vel contemnente legem æternam, dum de ea actu cogitat, vel eam negligente, dum actu non cogitat.

29 Decimum argumentum: non est idonea incogitantiæ seu inadvertentiæ & inconsiderationis excusatio, ubi ipsa incogitantia, seu inadvertentia & inconsideratio voluntaria est & culpabilis. Talis namque incogitantia & inconsideratio non magis excusat, quàm ignorantia culpabilis & voluntaria. Quam fide certum est non excusare. Excusaret tamen, si formaliter non peccaret, nisi qui actu scit vel advertit se peccare. Hoc enim posito, nullus peccaret, nisi qui actu sciret, vel adverteret se peccare. Nullus ergo peccatum ignorantiæ committeret; neque enim peccatum ignorantiæ est, quod peccatum esse actu cognoscitur, vel dubitatur.

30 Undecimum argumentum: peccata non excusat necessitas, nec impotentia culpabilis & voluntaria. Ergo nec inconsideratio seu incogitantia culpabilis & voluntaria, seu voluntarius defectus actualis cogitationis & con-

siderationis malitiæ, etiam in confuso. Consequentia bona est, ab omnimoda paritate rationis. Antecedens, est communis doctrina Sanctorum, apud quos nihil solemnius, quàm effatum istud Anselmi lib. de concord. c. 17. *Impotentia, quæ descendit ex culpa, non excusat à culpa impotentem, culpâ manente.* Quorum verborum sensus verus, naturalis & genuinus est, quòd talis impotentia non excusset à culpa impotentiam consequente, distincta proinde à culpa impotentiam antecedente, sive per quam causata est impotentia: utpote à qua, etiam non manente, nunquam excusat, nec excusare potest impotentia ipsam consequens. Frustrà proinde Anselmus adderet ly *culpâ manente.* Sed & ridiculum foret quærere vel disputare, an, manente culpâ, per quam causata est impotentia, hæc ab illa excuset? Cùm evidenter inexcusabilis sit, quamdiù manet.

31 Solemni effato Anselmi, conforme est effatum Augustini l. 1. retractat. c. 15. dicentis: *Qui cogenti cupiditati resistere non potest, & ideò facit contra præcepta justitiæ, jam hoc ita peccatum est, ut sit etiam pœna peccati.* Proinde peccatum est distinctum à peccato cujus est pœna. Et lib. 1. oper. imperf. contra Julian. c. 105. *Necesse est ut peccet, qui nesciendo quid facere debeat, quod non debet facit. De quo genere malorum Deus rogatur, ubi dicitur*: „ delicta juventis meæ & ignorantiæ meæ ne memineris. „ *Quod genus delictorum si non imputaret Deus justus, non sibi dimitti posceret homo fidelis.* Et cap. 106. *Necesse est ut peccet à quo ignoratur justitia.* Et l. de perfect. just. c. 6. *Peccatum est, vel cùm non est charitas quæ esse debet, vel minor est quàm esse debet, sive hoc voluntate vitari possit, sive non possit. Quia si potest, præsens voluntas hoc facit; si autem non potest, præterita voluntas hoc fecit.*

32 Conforme quoque est solemne istud Hugonis Victorini l. 1. de Sacram. p. 7. c. 23. *Non potest excusare necessitas, quam præcedens operata est voluntas.* Et istud Bernardi serm. 81. in Cant. *Nec necessitas, cùm voluntaria sit, excusare valet voluntatem.*

33 Enimverò si necessitas voluntaria excusaret, voluntarius gratiæ defectus, sine qua peccatum vitari nequit, excusaret à peccato. Quod negant Sancti, uti demonstravimus l. 9. cap. 24.

34 Negant etiam cum Sanctis non pauci nec infimi nominis Theologi, scilicet Ferrariensis l. 3. contra Gent. c. 159. & 160. Henricus Gandavensis, Abulensis, Gregorius, Cajetanus, Rossensis, Ruardus Tapperus apud Vasquez 1. p. disput. 97. c. 2. & 3. Thomas de Lemos in Panoplia gratiæ to. 3. p. 2. p. 38 num. 138. p. 94. n. 432. Et to. 4. p. 2. p. 92. n. 284. & 285. Antonius Massouleius, Inquisitor Tholosanus, & Reverendissimi Patris Antonini Cloche Ord. Prædic. Generalis Socius, libro cui titulus, *D. Thomas sui Interpres, de motione divina, & libertate creata* dissert. 1. q. 8. Gonet in Clypeo Thomistico tr. 5. disput. 5. a. 5.

Argumentum duodecimum: excæcatio, seu 35
cæcitas mentis, quæ ex peccatorum actualium gurgite provenit, cui se sponte peccator immersit, sic ut justo Dei judicio, extinctâ omni luce divinæ gratiæ, in altissimis tenebris à Deo deseratur, atque adeò importet omnimodam privationem cognitionis spiritualium, ut S. Thomas docet 2. 2. q. 15. a. 2. in corp. juxta communem doctrinam Sanctorum, non excusat à peccatis per illam cæcitatem commissis, licèt homo per cæcitatem peccare se nesciat, nec advertat, eò quòd utique in ipso jam *oculus mentis extinctus est*, ut Augustinus dicit in Psal. 57. & taliter excæcati sint *destituti omni lumine veritatis*, ut idem ait lib. de perfect. justit. c. 19. Tametsi enim lumen vultûs divini 36
in ipsis signatum adhuc maneat, non penitùs extinctum ac deletum, quoad universalia legis naturæ principia; extinctum tamen est, quoad particulare operabile, uti docet S. Thomas 1. 2. q. 94. a. 6. Et licèt, quamdiù vivunt, aliquâ divini luminis scintillatione subinde invitentur ad resipiscentiam; certum tamen est scintillationem illam raram esse, ipsosque frequenter omni divino lumine seu gratiâ intellectûs ad tempus destitui, utpote in cujus subtractione cæcitas ipsorum consistit, uti vidimus ex Augustino & S. Thoma locis citatis; unde & taliter excæcati fatentur Sap. 5. *Justitiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis.* Et de Judæis taliter excæcatis Christus Joan. 12. *Propterea non poterant credere, quia iterùm dixit Isaias: excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum, ut non videant oculis, & non intelligant corde.* Ipsâque experientia idipsum evincit: cùm de se- 37
ipsis ipsimet excæcati fateantur, sæpè nullis se conscientiæ remorsibus pulsari, dum peccant: quia nimirùm se peccare per cæcitatem nesciunt. Nec tamen ideò excusantur: cùm istius inadvertentiæ causam propriâ voluntate & iniquitate dederint. Ideòque peccata ipsorum ab Augustino l. 5. contra Julian. c. 3. (aliàs 4.) vocantur *& peccatorum supplicia præteritorum, & suppliciorum merita futurorum.* Et de Judæis, ut suprà excæcatis, Christus Joan. 15. *Nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Et Apostolus Rom. 1. *qui ea faciunt, digni sunt morte.* Videri potest Massouleius 38
loco citato, ubi pro certo habet, excæcatis & obduratis nulla à Deo concedi auxilia, etiam sufficientia. Quod & probat Lemos to. 4. p. 2. tr. 3. c. 16. Et nos pluribus ostendimus libro 9. c. 20. 21. 22. 25. 27. &c.

Argumentum decimum-tertium: si adver- 39
tentia actualis requireretur ad peccandum formaliter & imputabiliter, sequeretur Atheos, Neriones, Caligulas, Heliogabalos, & similia hominum monstra, putidas etiam publicarum libidinum victimas, abjecto omni divino & humano timore, abominabilia sine abominatione, imò summa cum delectatione, tranquillâ conscientiâ (ut Bernardus loquitur in l. de conscientia ad quemdam Religiosum

Ord. Cisterc.) id est absque ullo conscientiæ scrupulo, adeòque sine ulla actuali ad malitiam reflexione perpetrantes, in istis formaliter & imputabiliter non peccare. Quod & dictu, & auditu horribile est. Videatur S. Bernardus loco citato, ubi taliter peccantes depingit eos, qui in profundum malorum venerunt.

40 Argumentum decimum-quartum: dato, non concesso, quòd syndéresis non esset in talibus penitùs absque voce, dum abominabilia ista committunt; quia tamen omnia rectæ operationis principia pravis habitibus, frequentique & diuturno Dei contemptu in ipsis adeò corrupta sunt, ratioque excæcata, & cor obduratum, ut vix umquam de Deo cogitent, sed tantùm de satiandis brutalitatibus, crudelitatibus, passionibus & inclinationibus suis; negari nequit, syndéresim esse in ipsis per habitus pravos adeò impeditam, tantisque obicibus circumseptam, ut vix tenuis vox ipsius ad cor eorum valeat pervenire. Tales proinde vel non peccabunt formaliter per brutalitates illas, &c. defectu reflexionis actualis ad malitiam; vel certè tantò minùs imputabiliter peccabunt, quantò minori cum reflexione; quantò proinde excæcatiùs, tranquilliùs, & cum minori conscientiæ remorsu; quantò magis per effrænatas passiones & brutalitates suas, pravosque habitus & consuetudines erunt excæcati; quantò denique magis similes se reddiderint equis & mulis, quibus non est intellectus (si enim advertentia & reflexio actualis ad malitiam necessaria sit ad formaliter peccandum, major advertentia necessaria erit ad magis peccandum, secundùm illud: *Sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis.* Tantò proinde minùs imputabile erit peccatum, quantò minori cum advertentia commissum.) Istud autem nemo sapiens dixerit: utpote apertè contra Scripturam Job. 15. *Quantò magis abominabilis & inutilis homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem?* Apertè etiam contra rationem rectam, quæ dictat, æquum non esse quòd per voluntariam sui excæcationem peccatores acquirant privilegium formalis cujusdam impeccabilitatis, vel minoris peccabilitatis, peccato per se imputabili, pro toto tempore tantæ suæ cæcitatis, ut vel prorsus actu non advertant, vel vix advertant se peccare per abominationes suas, ita ut in ipsis verificetur illud Proverb. 4. *Via impiorum tenebrosa, nesciunt ubi corruunt*; & nihilominùs inexcusabiles esse convincantur, ex eo quòd passionibus & pravis habitibus suis consuetudinibusque resistere possint, & resistendo locum dare debitæ considerationi. Et, ut subinde non possint, impotentiam istam suo sibi vitio comparârint, in tantamque imbecillitatem justo Dei judicio devenerint, qui *non sinit dedecus peccati sine dedecore vindictæ, indefatigabili lege spargens pœnales cæcitates* & imbecillitates *super illicitas hominum cupiditates*, ut Augustinus dicit; & usque adeò verum est, ut ne Prophetas quidem & Magistros consulendo, veritatem assequantur. Justo quippe 41
Dei judicio incidunt in Prophetas & Magistros sibi similes, id est cæcos, de quibus Isa. 56. *Speculatores ejus cæci omnes, nescierunt universi; canes muti, non valentes latrare, videntes vana, dormientes, & amantes somnia.* Per Ezechielem quippe c. 14. dicit Dominus: *Qui posuerit immunditias suas in corde suo..... & venerit ad Prophetam, interrogans per eum me, ego Dominus respondebo ei in multitudine immunditiarum suarum.... Ego Dominus decepi Prophetam illum.... juxta iniquitatem interrogantis, iniquitas Prophetæ erit.*

Timeant proinde, qui se tutos existimant 42
in conscientia, dum in praxi secuti fuerint laxiora opinamenta (revera falsa) nonnullorum Authorum, vel Confessariorum, quos Deus sæpè, ob ipsorum & interrogantium peccata excæcavit. Ob ipsorum quidem, quia ex nimio studio, seu hominibus placendi, seu popularem plausum captandi, dum de ratione sua malesuada, inconsultis germanis fontibus Moralis Christianæ, nimiùm præsumunt, præconceptis opinionibus suis, vel Sodalitii sui tenaciùs inhærentes, ideòque saniorem contrariorum Doctorum Theologiam, vel considerare negligentes, vel etiam contemnentes, & invidiosè traducentes, justo Dei judicio loquuntur falsa. Ob interrogantium verò peccata, dum sincerè Deum non colentes, non tam solliciti sunt de consulendis loquentibus vera, quàm placentia.

CAPUT V.

Argumentum decimum-quintum ex Concilio Diospolitano.

IN eo namque damnatus fuit error iste Ce- 43
lestii: *Oblivio & ignorantia non subjacent peccato, quoniam non eveniunt secundum voluntatem, sed secundùm necessitatem.* Quem errorem damnando, Concilium istud definivit, peccari posse per ignorantiam & oblivionem, tunc etiam, quando ignorantia & oblivio voluntarium excludere, necessitatemque inducere videntur; utique dum ignorantia & oblivio tales sunt, ut omnem peccati seu malitiæ actualem cognitionem & conscientiam excludant. Tunc quippe voluntatem excludi, necessitatemque induci contendunt Authores opinionis, contra quam disputamus. Id (inquam) contendunt cum Celestio, cujus nomine Etritobulus apud D. Hieronymum lib. 1. Dialogorum contra Pelagianos c. 10. *Rogo te* (inquit) *quæ est ista justitia, ut in peccato tenear erroris, cujus reatum non habet conscientia? nescio me peccasse, & ejus rei quam nescio pœnas luo? Et quid plus faciam si sponte peccavero?* Hanc querimoniam insanam, & sacris Litteris adversam esse, probat Hieronymus ibidem. Dolendum proinde quòd eam secuti Socii Parisienses epist. 3. (Parisiis anno

1690. circa peccatum philosophicum editâ) pag. 34. *Sibine quispiam persuadere potest* (inquiunt) *Deum tam justum, tam bonum, totâ æternitate plectere hominem, pro eo quòd fecerit, quod in conscientia credidit se facere debere? Essetne in mundo tyrannus isti comparabilis? Et si talem nobis de Deo ideam Christiana præberet Religio, nonne ipsi magis injuriosa foret, quàm ipsamet idololatria?* Et pag. 40. *Lex crudelis, quæ sibi obediri vult absque eo quòd cognoscatur. Anne credibile est à vero Deo talem esse legem.... Æquine est Magistri, æternis nos flammis addicere pro commissis quæ ipsi nesciebamus displicere?* Et in Thesi anno 1694. defensa in Collegio Parisiensi: *Homo non potest malè agere, hoc ipso quòd agit ex conscientiæ dictamine.* P. de Reux in Thesi Lovaniensi: *Peccatum contra legem nullam admittimus, si non sit contra conscientiam, saltem dubiam & inquietam.* Thesis in Collegio Aquensi defensa anno 1686. *Conscientia circa illicitum intrepida excusat à peccato.* P. Estrix in Thesi Lovaniensi 1668. *Nullum est peccatum formale, nisi conscientia hîc & nunc judicet de peccato.* Si veræ essent istæ propositiones, justa foret Pelagianorum querela. Ideò verò injusta est, quia justè punitur prævaricator legis, suâ culpâ ignoratæ. Quia potuit & debuit eam scire. Unde in Proverbiis legimus (ait Hieronymus loco citato) *Est via quæ videtur recta esse apud homines, & novissima ejus veniunt in profundum inferni. Ecce* (inquit) *manifestè ignorantia condemnatur, cum aliud putat homo, & sub specie veritatis ad inferna delabitur.*

44 Istarum proinde propositionum Assertores non solùm justificant Celestianorum querelam, sed & cum ipsis asserunt, peccato erroris neminem teneri, cujus reatum non habet conscientia, neminemque esse culpabilem de eo, in quo se peccasse nescivit; sed cur hoc dixerunt Pelagiani, cùm non negaverint ignorantiam vincibilem, sive ex propria negligentia profectam, culpabilem esse: *Ecce enim* (ait Juliano Augustinus l. 6. contra Julian. c. 1.) *meritò reprehendisti eos, qui supersederunt scienda cognoscere?* Sed & Pelagius ipse (apud eumdem Aug. de nat. & grat. c. 17.) dicit: *hominem prævigilare debere, ne ignoret; ideòque esse culpandam ignorantiam, quâ id homo nescit negligentiâ suâ, quod adhibitâ diligentiâ scire debuisset.* Cur (inquam) nisi quia solam eam ignorantiam (velut ex addiscendi negligentia profectam) culparunt, cujus vitandæ aliqua cogitatio præluxisset? Hoc est autem, in quo cum ipsis conveniunt, quicumque advertentiam actualem ad formale peccatum requirunt: utpote tunc inculpatam, imò invincibilem censentes ignorantiam, quando nulla actualis subit cogitatio, seu advertentia illius auferendæ; ignorantiamque non aliter voluntariam esse admittentes, quàm si antecedenter aliqua illius vitandæ obligatio menti occurrerit, prout videbitur infrà. At verò idipsum esse quod Pelagiani asseruerunt, constat ex suprà allata querela ipsorum, à D. Hieronymo relata. Per consequens asseruerunt, ignorantiam illam non subjacere peccato, nec voluntariam esse, sed necessariam, de qua incurrenda nulla actualis cogitatio præcesserit. Hoc est ergo, quod tamquam fidei contrarium, Synodus Palæstina seu Diospolitana damnavit. Saltem iste unus est sensus damnatæ à Synodo Palæstina propositionis ipsorum; tametsi alio quoque sensu damnatam aliqui censeant, secundùm quem Pelagiani, negantes originale peccatum, consequenter negarunt, ignorantiam & oblivionem, quæ secundùm naturæ per peccatum corruptæ necessitatem eveniunt, originali subjacere peccato, in iis quibus nondum remissum est.

Verùm id minùs verisimile est. Tum quia 45
Pelagianum articulum de originali peccato Synodus distinctè & sigillatim antè damnavit. Tum quia verba damnati articuli ampliùs sonant quàm oblivionem & ignorantiam non subjacere peccato originali. Quippe absolutè, & sine addito, vel restrictione, sonant absque peccato. Tum denique quia propositio illa Celestianorum, à Hieronymo, Augustino, aliisque Sanctis intellecta non fuit de solo peccato originali, sed iis Scripturæ testimoniis confutata, quæ de actuali etiam peccato loquuntur; utique ex loco Proverbiorum n. 42. allegato, ex Regio Psalte suas sibi ignorantias dimitti postulante, ex sacrificiis in veteri lege oblatis pro peccato ignorantiæ, &c.

Proinde error Celestii & Celestianorum, in 46
Synodo Palæstina damnatus, is non fuit quem comminiscitur R. P. de Bruyn, in sua de ignorantia Thesi anni 1689. quòd utique negarent oblivionem & ignorantiam subjacere peccato originali, vel quòd dicerent, nullam oblivionem & ignorantiam evenire secundùm voluntatem. Primum enim confutatum est num. præcedenti. Secundum à veritate alienum esse constat ex dictis n. 43.

Supereſt ergo ut propositio illa Celestii dam- 47
nata dicatur, in sensu supradicto, ideò utique oblivionem & ignorantiam, absque ulla de ea vitanda cogitatione actuali contractam, non subjacere peccato, quia absque actuali notitia legis obligantis ad eam vitandam; vel ad vitanda peccata, ignoranter commissa; peccatum voluntarium non est; sed necessarium. Sic enim Celestiani crediderunt apud Hieronymum epist. ad Ctesiphontem, ubi ipsos introducit sic loquentes: *Vos asseritis, eos, qui absque legis scientia sunt, peccata vitare non posse.*

Nisi dicere malis, damnatam esse, tam in 48
sensu proximè dicto, quàm intellectam de oblivione & ignorantia invincibili per naturam, vincibili tamen per gratiam, quam Pelagiani postulandam negabant, quia necessariam non credebant. Utroque enim sensu oblivionem & ignorantiam invincibilem, adeòque necessariam, non voluntariam censuerunt.

49 Porrò à propositione illa, sive hoc, sive illo sensu, sive utroque damnata dicatur, videntur se satis discernere non posse sequaces opinionis de necessitate actualis advertentiæ ad formale peccatum. Non priore sensu: ob ea quæ dixi n. 42. non etiam posteriore: quia illam etiam ignorantiam, quæ vincibilis est per gratiam, in ordine ad excusandum à peccato invincibilem putant, dum ad eam vincendam gratia sufficiens hîc & nunc non habetur. Gratiam verò sufficientem ad eam vincendam (secundùm ipsos) non habet, qui de ea depellenda cogitationem nullam habet. Nec eam postulare potest, qui nullam etiam de ea postulanda habet cogitationem. Quippe nihil apud ipsos solemnius, quàm inculpatum invincibileque esse id, ad quod cavendum gratia sufficiens deficit, eamque deficere, ubi deficit cognitio mali cavendi. Eò quòd gratia sufficiens det homini posse cavere malum, inspirando (ante omnia) mali cogitatum. Ita ex mente ipsorum Author libelli (Romæ damnati) cui titulus: *Le Denonciateur du peché philosophique convaincu de méchans principes dans la Morale* §. 3. Ita etiam Apologista Casuistarum pag. 38 ubi dicit Theologos (suæ utique Societatis) gratiam sufficientem non agnoscere in peccatoribus perfectis & consummatis, qui suis se nequitiis immergunt absque ulla mali cognitione; ipsosque ideò censent à peccato excusari. Ita denique Annatus postremo in Arnaldum libro, ubi sic: *Qui nullam de Deo, vel peccatis cogitationem habet... nullam hic habet gratiam sufficientem.* Additque hominem actus præceptos tunc omittendo, vel prohibitos committendo, nullum peccatum committere, nec, si damnetur, propterea damnari posse.

50 Nec referre putant quòd suâ quis culpâ careat dictâ gratiâ, vel quia pro ea orare neglexit, vel quia, peccando, eâ se indignum reddidit, &c. Quia (ut Sanchez oper. Moral. l. 1. c. 16. n. 30. & 31.) *tametsi quis initio causam culpabilem oblivioni dederit, oblivio redacitur ad ignorantiam invincibilem, si periculum non advertit.* Et (ut Filiutius to. 2. tr. 21. c. 10. n. 372.) *rarò vel nunquam tenetur homo se præparare ad gratiam, ut ignorantiam tollat.*

CAPUT VI.

Argumentum decimum-sextum ex viginti propositionibus, Christianam disciplinam nimiùm relaxantibus, quæ ex opinione illa pullularunt, præter alias sex, cap. 10. proferendas.

51 EX ea namque pullularunt sequentes propositiones. 1ª. Ignorantia censetur invincibilis, atque ita excusans à peccato, quando ignoranti nulla subit actualis advertentia vel consideratio ejus auferendæ. Vasquez 1. 2. disp. 123. c. 2.

2ª. Idque etiamsi initio causam culpabilem ignorantiæ vel inadvertentiæ dederim, si periculum non adverterim illius incurrendæ. Idem ibidem n. 30. & 31.

3ª. Ignorantia à peccato inducta, non est voluntaria, ne quidem indirectè, nisi aliqua cogitatio de ignorantia incurrenda præcesserit. Terillus in reg. Mor. q. 65. assert. 3.

4ª. Ut actio voluntaria sit, oportet ut procedat ab homine, qui noscit & percipit, quid boni malivè in ea sit, & antequam id videat.... antequam id intellectus animadverterit, actio neque bona est, neque mala. Baunius in Summa de peccat. c. 39.

5ª. Nunquam peccatur, nisi prævia peccati cognitione animus illustretur, ejusque vitandi studio exstimuletur. Baunius ibidem.

6ª. Non committitur peccatum, saltem propriè dictum & imputabile ad culpam, sine libero voluntatis consensu. Antequam verò voluntas consentiat, vel dissentiat, vel in legem peccati, vel in legem Dei, hæc geruntur in anima. Hinc infunditur illi dilectionis aliquid à Deo, per quod inclinetur in rem quæ præcipitur. Hinc sollicitatur in contrarium, per rebellem conscientiæ motum. Inspiratur ipsi notitia infirmitatis, notitia Medici, desiderium sanitatis, affectus implorandi auxilii. Si animus propter superbiam negligat orare, & ad Medicum confugere, deseretur, & in peccatum ruet, transgrediendo præceptum. Hæc omnia nisi in animo peragantur, actio non est verè peccatum, saltem imputabile ad culpam. Doctor Moynius in manuscriptis dictatis in Sorbona.

7ª. Qui nullam de Deo, vel peccatis, cogitationem habet.. nullam hic habet gratiam actualem. Proinde actus præceptos tunc omittendo, vel prohibitos committendo, nullum peccatum committit, nec, si damnetur, propterea damnari potest. Annatus n. 48. relatus.

8ª Nullum est peccatum formale, nisi conscientia hîc & nunc judicet de peccato. Estrix in Thesi anni 1668.

9ª. Conscientia circa illicitum intrepida (id est sine formidine judicans operationem esse licitam) excusat à peccato. Thesis defensa in Collegio Aquensi Societ. 4. Julii 1686.

10ª. Quisquis sine ulla formidine oppositi, aut advertentia ad ullam malitiam, judicat operationem non esse malam, non peccat, operationem illam ponendo, sive id judicet evidenter, sive tantùm probabiliter, sive verè, sive falsò, solidâ vel non solidâ ratione. Maillot in Thesi defensa in Collegio Antuerpiensi anno 1673.

11ª. Homo non potest malè agere, hoc ipso quòd agit ex conscientiæ dictamine. Thesis defensa in Collegio Parisiensi anno 1694.

12ª. Peccatum contra legem nullum admittimus, si non sit contra conscientiam, saltem dubiam & inquietam. P. de Reux in Thesi defensa in Collegio Lovaniensi.

13ª. Advertentia ad peccatum mortale debet esse plena & perfecta, per judicium de malitia actûs, vel periculo illius. Amicus to. 3. disp. 17. sect. 8.

14ª. In

14ª. In eo qui non cogitat de malitia operis prohibiti, deberet tamen cogitare... omissio, sive negligentia considerationis non imputatur ad culpam, nisi..... in mentem veniat cogitare de obligatione examinandi. Layman l. 1. tr. 2. c. 4. Duas sequentes in terminis habet Petrus Oxea tr. morali de fide disp. 1. sect. 1. & 2.

15ª. Qui in die Dominica, quando Parochus admonet de festis & jejuniis hebdomadæ, omittit ire ad audiendum Sacrum culpabiliter, ut scilicet ludo vel somno indulgeat, & quia ad Ecclesiam non ivit, non habet notitiam jejunii in ea hebdomada occurrentis, & propter hanc ignorantiam vescitur carnibus in eo die, quibus cum scientia jejunii non vesceretur, habet ignorantiam hujus jejunii peccato introductam, & tamen vescendo carnibus in eo die non peccat.

16ª. Christianus, adeò suæ salutis negligens, ut ad audienda mysteria fidei ad Ecclesiam nunquam accedat, & ideò solùm novit se esse Christianum, & solùm credit in genere omnia quæ credit Ecclesia, & præterea nullam aliam rem fidei explicitè cognoscit, invincibilem habet ignorantiam rerum credendarum.

17ª. Qui ex inveterata consuetudine, velut quodam necessario impetu, rem malam agit, v. g. materiales blasphemias profert, vel perjuria effundit, tunc non peccat... Layman ibidem c. 5. n. 6.

18ª. Probabilius est, perjurium, ob consuetudinem pejerandi, non esse peccatum mortale speciale, quando est cum inadvertentia naturali.... etiamsi operans sit cum habituali affectu ad peccatum.... Nec refert quòd inadvertentia oriatur ex prava consuetudine, aut passione. Quia tam passio, quàm consuetudo, tollit actualem usum rationis, qui necessarius est ad peccatum mortale. Filiutius ubi suprà.

19ª. Si ignorantia, olim vincibilis & voluntaria, evadat posteà invincibilis (quia jam non est à quo ignorans instrui possit, &c.) opus ex tali ignorantia factum est malum & imputabile; sed non habet peculiarem malitiam moralem, aut imputabilitatem superadditam malitiæ actûs voluntatis, in quo directè, vel indirectè fuit volitum. Terillus ubi suprà q. 63. n. 5.

20ª. Si nullus unquam scrupulus animum alicujus pupugerit de malitia pollutionis, ignorantia illius dici potest invincibilis, nec opus à taliter ignorante perpetratum, ad culpam imputari potest. Idem q. 62. n. 17.

21ª. Voluntas, in opere peccaminoso, non peccat moraliter, peccato propriè & ratione sui imputabili, quando nulla actualis advertentia, (nec specialis, nec confusa) malitiæ moralis, vel periculi præcessit, vel saltem dubitatio aliqua, vel scrupulus. Idem q. 63. assert. 4.

22ª. Si perditi & consummati peccatores careant omni lumine, & conscientiæ remorsu, dum blasphemant, vel suis se nequitiis immergunt, si nullam habeant mali notitiam, contendo cum Theologis omnibus, eos non peccare actionibus istis... Sine libertate enim non est peccatum. Ut autem adsit libertas vitandi peccatum, oportet adesse notitiam bonitatis & malitiæ, quæ in objecto proposito continetur. Apologia Casuist. pag. 38.

Ex vigesima-secunda ista propositione (evi- 52
denter consequente ex opinione quam impugnamus) patet in quæ præcipitia ducat opinio ista. Vigesimam porrò Ecclesia Senonensis 3. Septembris 1658. pronuntiavit *Scripturis, Patribus, fidelium precibus, manifestè adversari, & ad excusanda gravissima quæque scelera promptam defensionem suppeditare.* Ecclesia quoque Parisiensis eodem anno: *Hæc doctrina* (inquit) *est falsa, erronea, scandalosa, contraria Scripturæ, Patribus & sanæ Theologiæ, quæ peccata per ignorantiam agnoscit, excusationem peccantibus ad illorum perniciem suppeditat, & Christianos ad negligendam salutis scientiam impellit.*

Quàm portentosa consectaria deriventur ex 53
propositione sexta, decima-septima, decima-nona, &c. videbitur cap. 11.

Quintam propositionem Facultas Parisiensis 54
1. Augusti 1641. censuit *falsam esse, & viam aperire ad excusandas excusationes in peccatis.*

Quartam Facultas Lovaniensis 4. Maii 1645. 55
his verbis proscripsit: *Est contra communia Christianæ Religionis principia, & innumera, etiam immanissima, peccata excusat, cum pernicie animarum.*

Decimam-tertiam Illustriss. D. Guido de 56
Seve de la Rochechouart, Episcopus Atrebatensis, anno 1691. damnavit, dum damnavit istam, eodem anno à Professore quodam Duacensi propugnatam die 2. & 4. Maii ejusdem anni: *Perfecta deliberatio, ex malitiæ consideratione, requiritur ad mortale.* Dum hanc (inquam) damnavit, in proprio verborum sensu, ut *falsam, scandalosam, saluti animarum perniciosam, & maximis peccatoribus excusationes in peccatis suppeditare natam.* Illustrissimus etiam D. Jacobus Nicolaus Colbert Archiepiscopus Rothomagensis in Epist. Pastorali de 28. Martii 1697. propositionem (quam impugnamus) velut erroneam damnavit, & velut perniciosam doctrinam, à pluribus Ecclesiis Gallicanis, Theologicisque Facultatibus Parisiensi & Lovaniensi damnatam, ex qua consectarium sit peccatum philosophicum, sicut & alia portentosa dogmata, Scripturæ, Conciliis ac Patribus contraria.

Istis quidem censuris nonnullus opponit 57
communia ista Theologiæ Christianæ principia: *Nullum peccatum, quin voluntarium. Nullum voluntarium, quin præcognitum. Ignorantia invincibilis excusat à peccato.* Opponit & damnatas à Pio V. hasce propositiones: *Ad rationem & definitionem peccati non pertinet voluntarium.* Homo *peccat, etiam damnabiliter, in eo quod vitare non potest.*

58 Sed fruſtrà opponit. Quia ad hoc ut peccatum ſit voluntarium, ſicut non debet eſſe volitum formaliter & actu, ſed ſufficit quòd virtualiter & interpretativè: ſic non debet eſſe cognitum formaliter & actu, ſed ſufficit quòd cognitum ſit virtualiter & interpretativè. Ad quod neceſſarium non eſt dubium, ſuſpicio, vel ſcrupulus actualis de malitia, vel obligatione inquirendi de illa; ſed ſufficit quòd homo poſſit & debeat illam cognoſcere, culpaque ipſius ſit quòd hîc & nunc non cognoſcat, ſeu non advertat, ut conſtat ex dictis cap. 4. Nec tunc ignorantia eſt invincibilis & involuntaria; ſed vincibilis, culpabilis & voluntaria. Nec impotentia vel neceſſitas inde conſequens, eſt antecedens voluntatem, ſed eam conſequens: non proinde involuntaria & inculpabilis, ſed culpabilis & voluntaria. Tametſi verò neceſſitas & impotentia antecedens voluntatem, inculpabiliſque & involuntaria, excuſet à peccato; non tamen neceſſitas & impotentia conſequens, in quam ſuâ voluntate & culpâ peccator incidit, ſpiritualia negligendo, eaque bona ſponte diligendo, quorum dilectionem ſequi nata eſt privatio cognitionis ſpiritualium. Ad quæ ſi reflexiſſet Oppoſitor ille, à Philoſophiſtarum torrente non fuiſſet abreptus in abyſſum dogmatis de peccato philoſophico.

CAPUT VII.

Argumentum decimum-ſeptimum, petitum ex hoc quòd ex opinione illa prodierit dogma damnatum de peccato philoſophico.

59 DOgma illud anno 1669. in ſuo tract. de conſcient. prob. tradidit Terillus n. 77. referendus. Anno verò 1686. menſis Junii, Præſide R. P. Franciſco Muſniero, in Aula majore Collegii Divionenſis, Societ. Jeſu, propugnatæ ſunt Theſes Theologicæ de peccatis, quarum prima fuit iſta: *Peccatum philoſophicum, ſeu morale, eſt actus humanus diſconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi. Theologicum verò, & mortale, eſt tranſgreſſio libera legis divinæ. Philoſophicum, quantumvis grave, in eo qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, eſt grave peccatum; ſed non eſt offenſa Dei, neque peccatum mortale diſſolvens amicitiam Dei, neque æternâ pœnâ dignum.* Dogma iſtud, ut jacet, ab Alexandro VIII. ut infrà damnatum, prodiiſſe ex opinione ad formale peccatum requirente cognitionem, ſeu advertentiam & notitiam actualem malitiæ, conſtat ex eo quòd vel ipſe Muſnierus ex ea illud deduxerit in Dictatis ſuis de ſuo illo dogmate: *Sicut actus humanus nunquam eſt malus, ſublatâ* (actuali) *cognitione malitiæ; ſic nunquam eſt offenſa Dei, ſi* (actu) *non agnoſcatur eſſe offenſa Dei.* Sed peccatum, quantumvis grave, in eo qui vel Deum ignorat, vel de Deo actu non cogitat, actu non agnoſcitur eſſe offenſa Dei. Ergo non eſt offenſa Dei; nec proinde peccatum mortale; diſſolvens amicitiam Dei, neque æternâ pœnâ dignum. Neque enim diſſolvit amicitiam Dei, neque æternâ pœnâ dignum eſt, niſi ſit offenſa Dei. Suppoſitâ veritate majoris quoad priorem partem, quòd utique actus humanus numquam ſit formaliter malus, ſublatâ actuali cognitione malitiæ (quæ eſt ipſiſſima opinio contra quam diſputamus) totus iſte diſcurſus ſuâ ſponte fluit; nec ullum in ipſo vitium oſtendi poteſt. Igitur poſitio illa Muſnieri, de peccato philoſophico, ex dicta opinione, per legitimam argumentationem ab ipſo deducta fuit; de peccato, inquam, philoſophico tanquam reverà poſſibili, imò & in nonnullis de facto contingente, uti demonſtrabunt exempla cap. 11. proferenda.

60 Et propterea ſectatoribus iſtius opinionis jure dicimus, cum Auguſtino l. 2. de adulter. conjug. c. 4. ſi hoc vos non ſentitis, quod illâ poſitione Muſnierus docet, equidem poſitio illa ſequitur ad illa quæ ſentitis. *Mutate ergo antecedentia, ſi vultis cavere ſequentia.* Proinde vel illam veſtram corrigite opinionem, quòd actus humanus numquam ſit formaliter malus, ſublatâ actuali cognitione malitiæ; vel conſequenter dicite (cum Muſniero) actum humanum numquam eſſe formaliter offenſam Dei, ſublatâ actuali cognitione offenſæ Dei. Hoc autem dicere non poteſtis: utpote jam ab Eccleſia damnatum. Et ideò conformiter ad Eccleſiæ deciſionem, ſic ab omnibus jam philoſophandum eſt: ad hoc ut actus humanus ſit formaliter offenſa Dei, neceſſe non eſt quòd actu cognoſcatur vel advertatur offenſa Dei. Ergo ut ſit formaliter malus, neceſſe non eſt quòd actu cognoſcatur vel advertatur eſſe malus.

CAPUT VIII.

Damnati dogmatis de peccato philoſophico, origo, progreſſus, denuntiatio, damnatio.

61 EX dictis capite præcedenti facilè quiſque perſpicit, damnati illius dogmatis, ſeu philoſophiſmi (ſic enim vocari jam cœpit) primum parentem non fuiſſe Divionenſem illum Theſiſtam (maximè cùm in ea tradenda plures ex eadem Societate ipſi præiverint (ut infrà videbitur) ſed primos parentes ipſius jure cenſeri tam illos qui principia, ex quibus derivatur, primi tradiderunt, ſcilicet Molinam, Valentiam, Vaſquez, Suarez, Meratium, &c. quàm illos qui philoſophiſmum (ante Muſnierum) in terminis primi tenuerunt.

62 Et primum quidem principium ipſius Molina tradidit, dum 1. p. q. 2. a. 1. docuit, & primus (quod ſciam) docuit, *tam rudes & incultos poſſe aliquos homines eſſe* (immò & populos, uti apertè ſignificat in contextu) *ut maxima cum probabilitate affirmare poſſimus, in eis ignorantiam invincibilem Dei poſſe reperiri. Quod primò, & ſecundò, cùm de ignoranta*

rantia ageremus, observavimus. Porrò eâ ignoratione excusabuntur à peccato infidelitatis, & quòd Deum non colant, nec ei honorem debitum exhibeant. Ac per consequens etiam quòd legibus ipsius non obediant. Istud enim consequens ex illo antecedente legitimè infertur.

63 Idem principium, post Molinam, docuerunt Trigosus 1. p. q. 2. Arriaga 1. p. disp. 2. sect. 3. Isquierdo disp. 1. n. 165. & 172. Joannes Pontius disp. 2. q. 3. aientes invincibilem Dei ignorantiam, longo etiam tempore posse contingere. Et non solam ignorantiam privativam, id est privationem cognitionis Dei; sed & positivam, id est positivam existimationem, quòd non sit Deus, si non per principia intrinseca, saltem per extrinseca, pravam scilicet Athei Doctoris instructionem, de facto admittunt Pontius loco citato conclus. 2. Quiros disp. 14. n. 58.

64 Ex isto verò principio consectarium esse Philosophismum, inde probatur, quòd Deum taliter ignorans, multa etiam horrenda possit committere, contra conscientiam remurmurantem. Quæ, utpote commissa ab eo qui non solùm de Deo actu non cogitat, sed & Deum omninò ignorat, non sunt formalis offensa Dei, seu personæ dignitatis infinitæ, cognitæ quà talis. Et ideò non esse peccata theologica mortalia concedit Arriaga, loco citato, in responsione ad objectionem ultimam. Cùm enim sic sibi objecisset: *Ergo talis homo, ignorans Deum, non peccabit mortaliter, etiamsi alium occidat, & putet se malè facere. Nam peccatum mortale definitur communiter: dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam Dei. Ille autem legem æternam ignorat. Ergo non peccat contra illam, licèt noscat se contra rationem agere.* Respondet hoc modo: *De hoc egi in materia de actibus humanis, dixique talem non promeriturum per illud factum pœnam æternam; sed temporalem gravem, ad modum quo à Republica sufficienter punitur furtum, quatenùs est contra illam, vel virgis, vel suspendio. Nam ratio promerendi pœnam æternam solùm desumitur ex eo quòd aliquis homo, saltem in confuso, noscat se offendere Deum summum; quod in ignorante non reperitur: Nec inconveniens est, in tali concedere, eam actionem non esse pœnâ æternâ dignam, ex ignorantia illa invincibili.*

65 Placuit ratio ista Patri Estrix, & ideò in Thesi defensa 23. Julii 1668. *Peccatum* (inquit) *committi potest ab eo qui Deum ignorat invincibiliter, & sic non est formalis offensa Dei, nec meretur pœnam æternam.* Quia, ut P. de Jonghe ait in Thesi anni 1671. *mortale theologicum.... non aliâ causâ illam meretur, quàm quòd sit malitiæ infinitæ. Malitiam verò infinitam ex eo habet, quòd sit gravis formalis offensio personæ dignitatis infinitæ, cognitæ quà talis.* Eamdem omninò rationem affert Thesis in Collegio Antuerpiensi defensa in Julio 1675. Sicut & Thesis P. de Bruyn 21. Julii 1687. Et altera anni 1688.

Ob istam ergo rationem nonnisi peccatum 66
philosophicum committi ab eo qui Deum invincibiliter ignorat, docent (cum Arriaga) P. Estrix, P. Antonius à Burgundia, P. Ignatius de Jonghe, P. de Vos, P. de Reux, P. de Bruyn, in Thesibus quas exhibet secunda denuntiatio novæ hæreseos de peccato philosophico art. 1. Docent etiam cum ipsis Jacobus Platelius in Synopsi Cursûs Theologici p. 2. c. 3. §. 3. n. 189. ubi sic: *Peccatum, quantumvis rationi graviter repugnans, commissum ab invincibiliter ignorante, aut non advertente Deum esse, aut peccatis offendi, non est mortale. Cùm enim nullum, etiam virtualem, & implicitum Dei contemptum includat, stare potest cum charitate perfecta, & amicitia divina. Unde tale peccatum esset quidem grave gravitate philosophicâ.... non tamen theologicâ, consistente in repugnantia cum lege & bonitate divina.* Sicut & Terillus de Consc. probab. q. 11. his verbis: *Ex optimorum Theologorum doctrina nullum peccatum theologicum, quo scilicet aliquo modo separamur à fine ultimo, & meremur pœnas illas horrendas damni & sensûs, committi posse cum invincibili Dei ignorantia, imò nec absque actuali cognitione, per quam infinita Dei bonitas & majestas aut explicitè, aut certè sub terminis cum clariore ejus conceptu convertibilibus, implicitè nobis innotescat.* Et infrà n. 9. *Licèt convenientia & disconvenientia actionis cum natura rationali, quà rationalis est, sæpè innotescat antequam quidquam sciamus de divina voluntate.... nihilominùs hæc convenientia aut disconvenientia.... est solùm regula.... refundens in actionem honestatem aut turpitudinem philosophicam.... non theologicam.*

Istis omnibus Author libelli, cui titulus: 67
Les veritables sentimens des Jesuites touchant le peché philosophique, adjungit formales pro eodem dogmate textus Martinoni disput. 15. de peccatis sect. 11 Cardinalis de Lugo de Incarnat. disp. 5. sect. 5. & 6. Aldrete disp. 7. de Incarn. sect. 2. de Bugis l. 3. de Incarnat. c. 5. n. 5. de Rhodes to. 1. disp. 1. de peccat. q. 1. sect. 1. §. 2. Comptoni Curs. Theolog. to. 1. disp. 89. sect. 4. & disp. 104. sect. 4. Quos inter Martinonus & Rhodius (cum Salas) peccatum philosophicum admittunt ut possibile, de factoque in multis contingens, sicut & Arriaga & Card. de Lugo.

Quibus omnibus in quinta peccati philoso- 68
phici denuntiatione adduntur P. Bechefer, P. Beguin, P. Andry, P. de S. Ligier, P. Beon, & addi poterant etiam P. Surre & P. Regis, qui in diversis respectivè Collegiis, Remensi, Lugdunensi, Massiliensi, Cameracensi, & Dolensi, idem dogma in terminis tradiderunt, non ut casum metaphysicum, & moraliter impossibilem, sed ut casum practicè contingentem. Perspicua sunt verba P. Beon. S. Theol. Professoris in Collegio Massiliensi, ubi anno 1689. sic dictavit. *Dico 1°. in omni peccato, etiam materiali, reperitur offensa Dei, quæ in eo est quòd fiat actio displicens Deo, quæ offensa si ad-*

vertitur, evadit formalis. Hìc jam quæritur, utrùm aliquando offensa non fiat formalis, seu utrùm detur de facto aliquando peccatum philosophicum, hoc est actus pravus, & de se displicens Deo, ita tamen ut displicentia ignoretur, sive quia ignoratur Deus, sive quia ignoratur quòd peccatum ei displiceat, sive denique quòd non attendatur & ipsa displicentia?

Ego dico posse contingere ex triplici illo capite, ut non evadat offensa formalis, fiatque tantùm peccatum philosophicum, non pertingens ad malitiam theologicam. 2°. inter Christianos adultos reipsà non dari philosophicum tantùm; non esse tamen cur negetur dari in aliquibus hominibus, puta pueris, rudibus, sylvicolis, barbaris, &c.

Perspicua etiam sunt verba P. Regis in Collegio Dolensi 1671. aientis : *datur peccatum philosophicum.* Sicut & P. Surre anno 1687. in Collegio Cameracensi : *peccatum philosophicum est possibile.... verisimile est dari de facto peccata philosophica.*

69 Secundum damnati dogmatis principium tradidit Valentia disp. 6. p. 1. dum ex eo quòd (secundùm ipsum) Deus & varia legis naturæ principia invincibiliter fortè possint ignorari, concluſit : *idololatriam posse, ad aliquod saltem tempus, per ignorantiam invincibilem in aliquo homine rudiori excusari.* Si idololatria possit : & alia utique contra naturæ legem horrenda, eo in statu, excusari poterunt. Quod expressit Mæratius tr. de peccatis disp. 9. sect. 7. cùm dixit, quòd *principia aliqua universalia legis naturæ, ut sunt hæc, non esse furandum, occidendum, adulterandum, Deum esse colendum, parentes honorandos, & similia, etsi non possint ignorari invincibiliter toto humanæ vitæ tempore, possint tamen aliquo brevi, imò etiam satis longo.* Ignorantiam verò invincibilem legis divinæ à peccato theologico excusare, non dubitat Mæratius. Et si excusare possit à peccato theologico, simul & philosophico, (secundùm ipsum, & Valentiam) à fortiori à theologico solo. Quo casu dabitur peccatum philosophicum.

70 Tertium ejusdem dogmatis principium tradidit Vasquez 1. 2. disp. 107. c. 3. cùm docuit, atque ex dictis n. 10 primus, vel ex primis docuit, *nullum esse mortale peccatum, in voluntatis consensu, nisi cogitatio aliqua præcesserit, & consideratio expressa (quam vocant actualem) malitiæ mortalis, vel periculi, vel saltem expressa aliqua dubitatio, seu scrupulus. Si nihil illorum præcesserit, inconsideratio censetur omninò naturalis, & consensus, quantumvis longo tempore duret, non est peccatum mortale.* Et disp. 123. c. 2. *Ad peccandum formaliter necessaria est actualis reflexio, seu advertentia & cogitatio, vel saltem actuale dubium, vel scrupulus de malitia actionis.* Ex isto namque principio (quod secuti sunt Suarez, Sanchez, Lessius, Amicus, Tannerus, Baunius, Arriaga, Oviedo, Card. de Lugo, Palao, Salas, Granadus, Hurtadus, Escobar, Comptonus, Terillus, &c.) Musnierus dogma suum damnatum intulit, hoc modo : *Sicut actus humanus numquam est malus, sublatâ cognitione malitiæ; sic numquam est offensa Dei, si non agnoscatur esse offensa Dei.*

Quartum ejusdem principium, est communis sententia Molinistarum, quæ dicit, quòd defectus, etiam culpabilis, gratiæ sufficientis, in eo qui suâ sibi culpâ causa est subtractionis ipsius, excuset à peccatis, eo in statu commissis. Cùm enim gratia sufficiens Molinistica consistat in pia cogitatione, quâ mens cælitùs illustratur, piâque affectione, quâ voluntas excitatur ad prosecutionem boni, fugamvè mali; qui nullam de Deo, vel peccatis, cogitationem habet, & nullo modo apprehendit, amoris Dei, vel contritionis actus sibi ex præcepto exercendos, nullam hic habet gratiam actualem, inquit Annatus in Arnaldum scribens. Quo ex principio ipsemet concludit, *horum actuum omissione nullum ab ipso peccatum admitti, nec, si damnetur, propterea damnari posse. Quod idem de culpabili commissione dici potest.* Enimverò quam habet gratiam actualem, ad fugiendum malum, qui nullam habet mali fugiendi cogitationem? 71

Porrò si defectus gratiæ actualis, non solùm inculpabilis, sed & culpabilis à peccato excuset, non sola ignorantia, seu incogitantia & inadvertentia inculpabilis, sed & culpabilis, si hìc & nunc invincibilis sit, hìc & nunc à formali peccato theologico excusabit. Quod expresse admittit Sanchez l. 1. Summæ c. 16. n. 30. his verbis : *Stat ut causa ignorantiæ fuerit aliquod peccatum, & tamen in se ignorantia sit invincibilis* (excusans proinde à peccato) *.... hinc quamvis causa culpabilis sit, ignorantia erit inculpabilis; adeòque & illud quod ex tali ignorantia fit.* 72

Quod ad inadvertentiam transferens Filiutius to. 2. tr. 25. c. 10. n. 316. ad q. *sine perjurium cum inadvertentia naturali peccatum mortale, ob consuetudinem pejerandi?* Respondet : *Probabilius est, non esse peccatum mortale speciale, etiamsi operans sit cum habituali effectu ad peccatum.... Nec refert quòd inadvertentia oriatur ex prava consuetudine, aut passione. Quia tam passio, quàm consuetudo tollit actualem usum rationis, qui necessarius est ad peccandum mortaliter.* 73

Simili modo philosophantur Suarez de relig. l. 3. de juram. c. 7. Layman Th. Mor. l. 1. tr. 2. c. 3. n. 6. Escobar tr. 2. exam. 3. c. 6. n. 28. Tamburinus l. 1. in Decalog. c. 1. p. 3. n. 35. (aiens, committentem peccatum mortale, ex culpabili ignorantia, quâ credit solùm esse veniale, solùm venialiter peccare) Terillus in reg. mor. q. 63. n. 5. ubi sic : *Si ignorantia, olim vincibilis & voluntaria, evadat posteà invincibilis, quia jam non est à quo ignorans instrui possit*, &c. (ly *&c.* ideò addit, quia, ex mente ipsius, idem contingit, dum jam excidit, quæ antea menti occurrerat cogitatio, seu advertentia obligationis ad igno- 74

rantiam depellendam) *tunc dicendum est, opus ex tali ignorantia factum esse malum & imputabile, sed non habere peculiarem malitiam moralem, aut imputabilitatem superadditam malitiæ actûs voluntatis, in quo directè vel indirectè fuit volitum, & per quem ignorantia inducta est.* Tunc enim (ut ait q. 65. n. 15.) opus non est malum & imputabile in se, & ratione sui, sed solùm in causa, in qua ignorantia fuit volita, vel directè, affectando ignorantiam; vel indirectè, negligendo scientiæ adeptionem.

75 Dixi, ex mente Terilli, ignorantiam, anteà vincibilem, posteà evadere invincibilem, non solùm dum jam non est à quo ignorans instrui possit; verùm etiam dum jam excidit, quæ anteà menti occurrerat cogitatio, seu advertentia obligationis ad ignorantiam depellendam. Tum quia ad id significandum addidit voculam, *&c.* Tum quia dum excidit cogitatio, seu advertentia obligationis ad ignorantiam depellendam, secundùm Terillum excidit ista obligatio. Cùm nullus, secundùm ipsum, teneatur lege, de qua plenissimam hîc & nunc habet ignorantiam, vel inadvertentiam, sive ad quam se teneri hîc & nunc nullo modo advertit. Neque lex, seu obligatio hîc & nunc contemni vel negligi censetur ab eo, qui hîc & nunc nullam de ea cogitationem habet, nec advertentiam. Per solum verò contemptum vel neglectum obligationis ignorantiam depellendi, ignorantia evadit culpabilis, uti frequenter repetit q. 62. & 65. Ubi n. 13. sic habet: *Ignorantiam non aliter voluntariam esse admittimus*, ideòque etiam imputabilem, *quam si antecedenter aliqua de illius vitatione obligatio menti occurrerit, per cujus obligationis contemptum, vel neglectum, ignorantia culpabiliter incurritur.* Si per solum istius obligationis contemptum, vel neglectum, ignorantia culpabiliter incurritur, per eum solum culpabiliter etiam continuatur. Quæstione verò 62. n. 17. *ignorantiam malitiæ pollutionis* dicit *invincibilem, si nullus umquam scrupulus animum pulsaverit de malitia ipsius. Quia, quamvis fortè potuit, non tamen debuit vinci. Cùm persona illa obligata numquam fuerit ad illam ignorantiam removendam: eò quòd plenissimam habuerit ignorantiam de omni lege ad talem ignorantiam depellendam obligante.* Ecce *plenissimam*, atque ideò *invincibilem* censet ignorantiam malitiæ pollutionis, etiam dum vinci potuit, si nullus omninò occurrerit scrupulus, vel suspicio de lege ad eam vincendam obligante. Quod verum censet, etiam dum ignorantia illa per peccatum inducta fuit. Tertia quippe assertio ipsius q. 65. n. 13. sic habet: *Ignorantia à peccato inducta non est voluntaria, ne quidem indirectè, nisi aliqua cogitatio de ignorantia incurrenda præfuerit*, sicut & de obligatione vitandi illam, prout antè dixit. Et n. 47. *de malis ab illa ignorantia absque* actuali *malitiæ advertentia provenientibus* dicit, quòd *non solùm non sunt ratione sui mala & imputabilia; sed nec ratione illius ignorantiæ: quia nec ignorantia illa, nec mala ab illa proventia, ullatenùs fuerunt voluntaria.* Et q. 67. n. 14. loquens de beneficiato, qui ludo, aut amoribus impudicis ita implicatur, ut horarum recitationem omittat, ex oblivione proveniente ex nimia ista implicatione, dicit quòd si eo in statu nullo modo reflectat ad obligationem recitandi horas, nec de illa cogitet, *eam incogitantiam hîc & nunc naturalem esse, ac necessariam.... ideòque verè esse invincibilem ac inimputabilem.*

Si inadvertentia & incogitantia proveniens 76
ex nimia implicatione in amoribus impudicis, equidem naturalis, necessaria, invincibilis & inimputabilis hîc & nunc censeatur; idem perspicuè dicendum de quacumque inadvertentia & incogitantia proveniente ex quocumque peccato personali hominis, v. g. passionibus immoderatis, concupiscentiis, pravis consuetudinibus, vel corruptis habitibus, per quos vel quas ratio impeditur applicare universalia principia quæ noscit, ad particulare operabile. Quæ doctrina si vera sit, nec ipsa Dei divinæque legis incogitantia vel ignorantia iis culpabilis erit, quibus similiter inducta est per pravam consuetudinem, effrænes concupiscentias, passiones & habitus corruptos, impedientes actualem reflexionem, seu advertentiam ad ea rationis naturalis lumina, ad quæ si reflecterent & attenderent, de Deo divinaque lege hîc & nunc cogitarent. Nec mala ex illa incogitantia vel ignorantia commissa, erunt Theologicè mala & imputabilia, pœnâque æternâ digna, nec ratione sui, nec ratione talis incogitantiæ vel ignorantiæ. Infinita proinde horrendaque crimina Atheorum, Epicureorum, Barbarorum, ignorantium quòd aliqua hominibus à Deo prohibita sint, vel præcepta, sicut & libertinorum, excæcatorum, & obduratorum, de lege Dei nihil omninò cogitantium, sed de sola satisfactione passionum concupiscentiarumque suarum (eorum maximè, in quibus impiorum, Epicureorum, vel Atheorum sermones adeò prævaluerunt, sensumque omnem religionis adeò extinxerunt, ut vel credant Deum non esse, vel ipsi de hominibus curam non esse; &, siquando aliter senserint, vel cogitarint, sensum illum, seu cogitationem, sicut & cogitationem actualem obligationis ad inquirendam veritatem hîc & nunc nullam habent) per doctrinam illam excusabuntur à formali & mortali offensa Dei, eruntque ad summum peccata philosophica, non theologica. Quod horrorem piis incutit auribus.

Quintum ejusdem dogmatis principium tradiderunt Martinonus & Rhodius, quòd utique in peccato actuali duo sunt, primò quòd sit malum morale, contrarium rationi, & quòd sit transgressio divinæ legis, cognitæ ut talis, quòdque duæ illæ rationes possint ab invicem separari, unaque sine altera esse. Ita Martinonus disp. 15. de pecc. sect. 11. n. 102.

Multi enim (inquit) *peccando contra rationem, non cogitant semper de lege divina, neque de Deo.* Et n. 115. *Contrarietas ad legem Dei, conceptam ut Dei, non est de essentia & ratione omnis peccati, atque etiam dari potest peccatum* (contra rationem utique, seu conscientiam) *cum advertentia invincibili ad legem Dei, conceptam ut Dei. Neque duæ illæ rationes* (ait sect. 12. n. 117.) contrarietas scilicet ad rectam rationem, & contrarietas ad legem Dei, *sunt adeò connexæ, ut conceptâ unâ concipiatur necessariò altera.* Similiter Rhodius disp. 1. de pecc. q. 1. sect. 1. in peccato actuali duo reperiuntur, primò quòd sit malum morale, quia est recessus à regula. Secundò, quòd sit aversio à Deo, & vera ejus offensa. *Quæ duæ rationes distinctæ sunt: cùm una sit alterâ prior, & illam fundet, possintque invicem separari. Priorem illam peccati rationem agnoverunt Ethnici omnes; posteriorem autem Theologia sola docet.* Hinc verò peccatum philosophicum sponte fluere, nemo est qui non videt. Et hinc illud laudati Authores intulerunt.

77 Ista sunt ergo principia, ex quibus derivatum est Divionense de peccato philosophico dogma damnatum. Quod propter horrenda consectaria inde pullulantia anno 1689. & 1690. quinque denuntiationibus S. Pontifici, Episcopis, Principibus & Magistratibus solemniter denuntiatum, toti orbi tantum incussit horrorem, ut illud Alexander VIII. per decretum editum 24. Augusti 1690. Vaticani fulmine percusserit, ut sequitur: *Sanctissimus D. N. Alexander Papa VIII. non sine magno animi sui mœrore audivit duas Theses, seu propositiones, unam denuò, & in majorem animarum perniciem suscitari; alteram de novo erumpere. Et cùm sui Pastoralis officii munus sit, oves sibi creditas à noxus pascuis avertere, & ad salutaria semper dirigere, dictarum Thesium seu propositionum examen pluribus in S. Theologia Magistris, & deinde Eminentissimis DD. Cardinalibus.... sedulò commisit.... Quarum Thesium secunda est tenoris sequentis: Peccatum philosophicum, seu morale, est actus humanus disconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi. Theologicum verò, & mortale, est transgressio libera divinæ legis. Philosophicum, quantumvis grave, in illo qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum; sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale, dissolvens amicitiam Dei, neque æternâ pœnâ dignum.*

Quibus peractis, sanctissimus, omnibus plenè & maturè consideratis.... secundam Thesim, seu propositionem, declaravit scandalosam, temerariam, piarum aurium offensivam, & erroneam, & uti talem damnandam & prohibendam esse, sicut damnat & prohibet, &c. Eamdem Jesuitæ Parisienses in prima epistola sua, (sex antè mensibus) declaraverant *se detestari, velut hæreticam, & velut execrandam impietatem.*

CAPUT IX.

Artes, subterfugia, æquivocationes, cavillationes, quibus damnati dogmatis invidiam declinare conati sunt Molino-Philosophistæ.

TAm horrenda sunt, quæ ex damnato Philosophismo Denuntiator illius derivavit consectaria, manifestèque demonstravit inde esse consectaria, ut æquum sit, nedum Philosophismum, sed & principia omnia ipsius, à quocumque sincero veritatis amatore, cordatoque Theologo, damnari simul & abjurari, in testimonium sinceri sui in veritatem amoris. Verùm puduit nonnullos Philosophistas juniores testimonium istud veritati reddere, Christianâque humilitate fateri, se, vel suos, in tradendo Philosophismo, principiisque illius, humanum aliquid passos. Quò ergo se verterunt? Posteaquam animadverterunt Philosophismum suum ab Alexandro VIII. damnatum, totique Orbi Christiano invisum; ad declinandam ipsius invidiam, negare cœperunt, Philosophismum à se unquam, vel ab ullo è Societate traditum fuisse, ante Divionense Thesim. Imò negare ausi sunt, à se, vel suis, tradita principia, ex quibus deducitur. Verùm ipsum Philosophismum, & principia ipsius ab ipsis tradita fuisse, compertum est ex dictis capite præcedenti. Deinde ad hypothesim metaphysicam confugientes, dixerunt, Philosophismum à suis traditum non fuisse, ut veritatem practicè possibilem, sed ut hypothesim metaphysicam. Sed & hujus oppositum evidenter demonstratum est n. 61. 64. 65. 67. 74. 75. 78 79

Postremò verterunt se ad æquivocationes, cavillationes & subterfugia, per quæ in speciem à damnato Philosophismo recedentes, in eo reipsà perstiterunt. Quod ideò demonstrandum suscipimus, ut à cavillationibus illis imposterùm abstinentes, tandem aliquando Philosophismum reverà detestentur. Prima æquivocatio fuit, dicere, quòd ad formale peccatum advertentiam malitiæ non requirerent actualem, sed virtualem tantùm & interpretativam. Verùm in requirenda actuali reipsà adhuc persistunt, dum ad virtualem advertentiam requirunt actualem scrupulum, dubium vel suspicionem de malitia, vel obligatione inquirendi de illa; inculpatamque & à culpa excusantem putant inadvertentiam, incogitantiam & inconsiderationem, quando nullus scrupulus, dubium, vel suspicio actualis de illa occurrit. Hoc ipso namque conveniunt cum Vasquez, aliisque n. 10. relatis, formalem actualemque malitiæ considerationem sic requirentibus, ut contenti sint ejusmodi scrupulo, dubio, vel suspicione, uti vidimus ibidem. 80

Secunda æquivocatio fuit circa voces *peccatum formale, offensa Dei*, &c. In Thesi namque Lovanienſi 17. Julii 1690. ut immunes vi- 81

derentur à querela peccati philosophici, dixerunt, factâ hypothesi, *graviter aliquid committi contra rectam rationem, ab eo qui invincibiliter legem ignorat divinam (naturalem) illum tunc peccatum committere (pervertit enim hominum mores, ordinemque universi) & formale quidem (cùm liberè committatur) offensivum prætereà Dei (utpote qui naturæ rationalis non tantùm Conditor est, verùm etiam Vindex) quamvis ut contra illum perpetratum non cognoscatur.* Nec tamen admiserunt, illud formale peccatum, Deique offensam, esse formale peccatum theologicum, formalemque offensam Dei theologicam, uti constat ex sequentibus verbis ejusdem Theseos: *Nec tamen faciendo id quod est contra Deum, dicendus est injuriam inferre Deo* (cui peccatum omne formale theologicum, & omnis offensa Dei formalis haud dubiè infert injuriam)... *hinc non omnem peccati theologici malitiam contrahit, qui sic delinquit philosophicè. Nec enim malitia simpliciter contrahitur, quæ simpliciter ignoratur.* Quis ibi non videt Philosophismum, verbis fallacibus fucatum? Quis non videt in re idipsum, quod dixerant 21. Julii 1687. *Theologi statuunt peccatum mortale theologicum pœnas sensûs mereri: quia est gravis & formalis offensa Dei, sub ratione summi & infiniti boni agniti; passim etiam negant peccatum philosophicum æternas pœnas sensûs mereri, cum illud non sit formalis offensa Dei, sub ratione summi & infiniti boni agniti. An non rectè? Nobis quidem ita apparet.* Et in Thesi anni 1688. *Ideò præcisè quis pœnas sensûs æternas incurrit, quia graviter formaliter offendit Deum, sub ratione summi & infiniti boni cognitum. Philosophicum autem peccatum cum illa cognitione non committitur. Igitur pœnas illas sensûs æternas non meretur.... Nobis certe ea rectè dici posse videntur. Et cur non omnibus?*

82 Tertia æquivocatio fuit, & adhuc est, circa terminos istos, *ignorantia* vel *inadvertentia invincibilis, inculpabilis, involuntaria*, &c. Se enim, suosque, à Philosophismo alienos esse, ostendere conati sunt hoc argumento: nec horrenda crimina, commissa ex ignorantia, vel inadvertentia invincibili, inculpabili, & involuntaria, à nostris reducuntur ad sola peccata philosophica: nec commissa ex ignorantia vel inadvertentia vincibili, culpabili & voluntaria. Non 1um. quia solemnis sententia nostra est, ignorantiam invincibilem, inculpabilem & involuntariam excusare à peccato, nedum theologico, sed & philosophico. Nec 2um. quia fatemur omnes, ignorantiam & inadvertentiam vincibilem, culpabilem & voluntariam à peccato theologico non excusare.

83 Sed numquid argutiis suis efficere queunt, ut quod terminis expressis sui tradiderunt, non tradiderint? Itaque sophistica est argutia ista. Tum quia Philosophistæ contendunt peccatum philosophicum committi cum cognitione quòd repugnet rationi & naturæ rationali; sine cognitione tamen quòd sit offensa Dei. Ita expressè P. Andry tract. de peccatis, quem in Collegio Remensi dictavit anno 1677. & P. de Ligier in Dictatis quæ in Collegio Lugdunensi tradidit anno 1686. ubi sic: *Peccatum purè philosophicum benè definitur: actus liber, cum advertentia ad disconvenientiam cum naturâ rationali, & cum omni* (invincibili proinde secundùm vulgatam Sociorum doctrinam) *inadvertentia ad Dei legem.* Sicque inadvertentia invincibilis ad Dei legem, secundùm ipsos, eo ipso non excusat à peccato philosophico. Tum quia in argumento duplex latet æquivocatio. Prima in acceptione istarum vocum, *invincibilis, inculpabilis, involuntaria.* Altera in acceptione vocis, *peccatum.*

84 Tametsi ergo solemnis Sociorum sententia sit, ignorantiam, seu inadvertentiam vincibilem, culpabilem & solùm in causa voluntariam, non excusare à peccato impropriè dicto, quod utique in causa peccatum est: in se tamen, & ratione sui imputabile non est: aiunt tamen excusare à peccato propriè dicto, id est quod in se & ratione sui imputabile sit. Ut enim Terillus ait q. 63. assert. 4. post Sanchez, Filiutium, Suarez, Layman, Escobarium, Tamburinum, num. 71. 72. 73. relatos: *voluntas in opere particulari non peccat moraliter peccato proprie ac ratione sui imputabili, quando nulla actualis advertentia, nec specialis, nec confusa, malitiæ moralis, vel periculi præcessit, vel saltem dubitatio aliqua, vel scrupulus.* Et in fine numeri 11. *Si præsens inconsideratio sit effectus negligentiæ prioris, tunc quidem non negamus, tam ipsam inconsiderantiam, quàm opus ex illa causatum, esse effectus peccati, &, si velis, esse & denominari peccata; sed nullam propriam imputabilitatem habent, etiamsi homo potuerit & debuerit advertere malitiam.* Quia, ut ait ante medium ejusdem numeri, *absque aliqua actuali advertentia de malitia peccati, nullum committitur peccatum mortale, non solùm per consensum verum & absolutum; sed ne quidem per interpretativum.* In quo falsò putat, *antiquos Theologos discrepare ab aliquibus paucis, qui tenent advertentiam actualem non esse necessariam ad consensum interpretativum, sed sufficere advertentiam virtualem & interpretativam. Quam tunc intervenire aiunt, quando ratio actu non considerat objectum, in quod fertur voluntas, esse malum; potuit tamen, morali potentiâ, & debuit illud considerare.* Verùm (inquit) *assertio præsens haud dubiè præferenda est isti opinioni contrariæ, & simpliciter habenda verissima.*

85 Denique dum idem Terillus (cum communi Sociorum sententia) horrenda crimina, per ignorantiam & inadvertentiam invincibilem, inculpabilem, & involuntariam, ab omni excusat peccato; ignorantiam, inadvertentiamque invincibilem, &c. longè aliter (cum suis) accipit quàm S. Thomas, & Veteres communiter acceperunt, invincibilemque, inculpabilem & involuntariam vocat, quam ipsi vincibilem, culpabilem, voluntа-

riamque censuerunt, ut constat ex dictis n. 74. ubi Terillum, ex communi Sociorum sententia, audivimus dicentem: *Fatemur.... ignorantiam sæpè esse voluntariam, adeòque etiam imputabilem. Sed eam non aliter voluntariam esse admittimus, quàm si antecedenter aliqua de illius vitatione obligatio menti occurrerit*, &c. Ex communi (inquam) Sociorum sententia: ad id enim significandum, non dicit fateor, sed *fatemur*; nec dicit, non aliter admitto, sed, *non aliter admittimus*. Communis proinde opinio Sociorum est, ad ignorantiam vel inadvertentiam vincibilem, culpabilem & voluntariam, non sufficere, quòd in eam quis inciderit per culpam suam personalem, v. g. per immoderatas passiones, concupiscentias, habitus corruptos, consuetudines pravas (quod tamen sufficit juxta S. Thomam, & Veteres passim) sed præterea necessarium esse, quòd antecedenter aliqua de illius vitatione obligatio menti occurrerit. Qua ex positione horrenda sequuntur consectaria, uti vidimus n. 75. & ampliùs infrà videbimus. Non mirum proinde quòd ignorantia Molinisticè invincibilis & involuntaria, Thomisticè vincibilis sit, culpabilis & voluntaria; non excusans proinde à peccato. Quod omninò est observandum, ad verum intellectum doctrinæ Ecclesiæ, per Alexandrum VIII. damnantis hanc propositionem secundam in Decreto de 7. Decembris anni 1690. *Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ, operantem ex ipsa non excusat à peccato formali.*

CAPUT X.

Intolerandæ propositiones ex damnato Philosophismo ab ipsismet Philosophistis derivatæ.

86 NUmero 62. ostendimus, ignorantiam Dei invincibilem, inculpabilemque, etiam ad longum tempus, à nonnullis Philosophistis admitti. A fortiori inculpatam, invincibilemque admittunt incogitantiam de Deo. His positis, prima propositio est Arriagæ disp. 2. de Deo sect. 69. de taliter ignorante dicentis: *Etiamsi alium occidat, & putet se malè facere, non est inconveniens in tali concedere eam actionem non esse pœnâ æternâ dignam. Quia ratio promerendi pœnam æternam solùm desumitur ex eo quòd aliquis homo, saltem in confuso, noscat se offendere Deum summum. Quod in ignorante non reperitur.*

87 Secunda propositio ejusdem ibidem: *Ignorans vincibiliter Deum esse, à peccato nihilominùs excusari potest, etiamsi suboriatur ei dubium de Deo, omittatque inquirere. Ratio est* (inquit) *quia multæ sunt res, de quibus mihi occurrit ratio dubii, non tamen pecco, non ulteriùs inquirendo. Sunt enim res, quarum mea non interest, & de his non teneor ampliùs inquirere, ut per se patet.* Obstupesce Lector, hoc à Theologo Christiano ad Dei existentiam extendi, quasi hominis non interesit, orto de ea dubio, de ea inquirere. Pergit enim: *Quo posito, etiamsi aliquod dubium suboriatur in multis barbaris hominibus, an sit aliqua causa v. g. quæ produxit cælos* (id est an Deus sit: siquidem in margine habetur: *dubia barbarorum de Deo*) *non tamen propterea excitatur species, quòd illa sit Legislator, vel veneratione digna, vel quòd illa dederit præcepta, quæ ego debeam inquirere. Imò fortè sæpè in contrarium: ad me talia discutere non pertinet, nec utile est. Sicut si jam movetur dubium in aliquo, quo pacto arbores crescant, non peccat certè ulteriùs non inquirendo causam* (bella certè comparatio, dignaque Theologo Catholico) *unde infertur, non esse culpabiles in tali ignorantia, etiamsi fuerit vincibilis physicè*; imò moraliter etiam vinci potuerit, debitè inquirendo.

88 Tertia propositio: *Siquis adulterium vel homicidium perpetraverit non cogitando de Deo* (non dicit, *siquis per impossibile*, prout Theologi solent, dum de impossibili casu loquuntur) *non imputabitur operanti quòd offenderit Deum; sed quòd occiderit, vel mœchatus fuerit. Nec Deus indignabitur quòd ipsum offenderit, sed propter homicidium vel mœchiam, quæ potest dici offensa materialis, ut distinguatur ab illa alia, quæ potest dici formalis, quatenùs contrahit formaliter malitiam offensionis divinæ.* Cardinalis de Lugo disp. 5. de Incarn. sect. 5.

89 Quarta: *Nulla furta, adulteria, homicidia aliavè scelera, quantumvis enormia, habent rationem peccati formalis, aut divinæ offensæ, in invincibiliter ignorante omnem Dei legem, prohibitionem, aut existentiam.* Duffius Minorita Hibernus, in Thesi defensa Lovanii 29. Julii 1679.

90 Quinta: *Nascitur Petrus, baptizatur, antequam loqui sciat capitur à Barbaris, in sylvam inducitur, & Atheismum positivè docetur. Ad usum rationis pervenit. Posse invincibiliter nescire Deum, Theologi nobiliores affirmant. Moriatur igitur, antequam ignoret vincibiliter Deum, & per consequens aliquod committat mortale, licèt gravia multa contra lumen rationis committat. Quò puerum D. Fagnanus mittit? non ad infernum: quia originali illæ, & actuali mortifero caret. Ad cælum ergo.* Caramuel in Apologem. contra Fagnanum.

91 Sexta: *Quid si baptizatus aliquis in Atheismum, & gravia scelera, per breve tempus ignorantiâ Dei inculpabili laborans, incidisset, & sic in illis mortuus fuisset? Respondetur..... Cum eo fore, uti cum justo, qui in mortali materiali moreretur.* Neotericus quidam doctus disput. 1. de Incarnat. n. 150.

92 Prima propositio à mortali pœnâque æternâ excusat homicidium cum conscientia mali gravissimi factum, ex hoc solùm quòd factum non est cum conscientia Dei per illud offensi. Vix tamen, & ne vix quidem Augustinus adduci potuit, ut crederet Juliano, affirmanti Manichæos dicere: *Siquis homicidium*

dium conſcientiâ formidante commiſerit, reus eſt, quia timuit. Si autem aliquod facinus exultante perpetraverit audaciâ, id eſt intrepidâ conſcientiâ, *velut credens ſe ex fide facere, quod malè fecit, evaſit culpam.* Quod quidem (ait Auguſtinus l. 4. contra Julian. c. 8.) *numquam audivi dicere Manichæos. Sed quid ad nos, ſive dicant, ſive etiam ipſis calumnieris: cùm Catholica hoc non dicat fides, quam tenemus, & cujus te pondere urgemus.* Quantò minùs Auguſtinus ſuſtinuiſſet Catholicum Doctorem, à mortali excuſantem homicidium, non ſolùm cum intrepida conſcientia nullius mali commiſſum; ſed (quod longè ampliùs) cum conſcientia mali graviſſimi commiſſum?

93 Secundam propoſitionem retuliſſe, refutaſſe eſt. Siquidem pias aures offendit, dicere quòd rationabiliter dubius de Dei exiſtentia, ulteriùs non teneatur inquirere, magis quàm de rebus ad ipſum non pertinentibus, v. g. de modo quo arbores creſcunt; imò judicare poſſe, utilem non eſſe talem inquiſitionem, eâque omiſsâ culpabilem non eſſe Dei ignorantiam, tametſi vincibilem.

94 Tertia propoſitio, ſicut & prima, à mortali excuſat quæcumque crimina, quàmlibet horrenda, commiſſa à viris perditis, Atheis, Barbaris, Neronibus, Caligulis, &c. non cogitando de Deo. Incidit proinde in horrenda conſectaria capite ſequenti deducenda.

95 Idem eſt de quarta judicium. Cujus Author, dum peccatum propriè dictum non agnoſcit, niſi quod eſt contra legem Dei (ut enim ſuæ illi propoſitioni præmiſit: *peccato eſſentiale eſt, quòd ſit contra legem Dei*) ſic ratiocinari debuit: *malitia eſſentialis peccati, eſt eſſe contra legem Dei. Igitur peccati malitia cognoſci nequit* (nec proinde formaliter contrahi) *niſi peccator cognoſcat, id quod facit, eſſe contra legem Dei. At invincibiliter ignorans Deum, Deique legem, cognoſcere nequit, id quod facit, eſſe contra legem Dei. Quidquid ergo fecerit, & quàmlibet enormem impudicitiam vel crudelitatem perpetraverit, habere non poteſt rationem peccati formalis, ſed materialis dumtaxat.* Et ſic hoc ipſo quòd quis perfectè Atheus fuerit, explere poterit omnem libidinem, paſſionemque, quàmlibet brutalem, ſine peccato formali, ſive imputabili. Quod magis intolerabile eſt, quàm Divionenſe dogma damnatum.

96 Quinta & ſexta cælo donant poſitivos Atheos, ſine ulla fide actuali, ſine ullo amore Dei, & inſuper cum multis ac ſæpè horrendis criminibus, etiam contra conſcientiam admiſſis, etſi non cum conſcientia divinæ legis. Proinde longè adhuc intolerabiliores ſunt, quàm quarta, contradicuntque divinæ Scripturæ num. 97. & 98. proferendæ.

CAPUT XI.

Argumentum decimum-octavum ex opinione ad formale peccatum requirente advertentiam malitiæ actualem, Philoſophiſmoque inde pullulante, horrenda conſequuntur abſurda.

SEquitur namque 1°. ſodomias, beſtialitates, adulteria, parricidia, cæteraque horrenda flagitia, commiſſa ab eo qui Deum ignorat invincibiliter invincibilitate Moliniſticâ, tametſi vincibiliter ignoret, vincibilitate Thomiſticâ, id eſt ex perſonali ſua culpa, non eſſe peccata theologica, ſed philoſophica dumtaxat. Quia licèt talis fortè non peccet ſine remorſu conſcientiæ, peccat equidem ſine ulla actuali advertentia malitiæ theologicæ, contra Deum, Deique legem, & ſine ulla actuali advertentia offenſæ Dei, quem ignorat. At iſti conſectario apertè Scriptura contradicit Pſ. 78. *Effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt.* Epheſ. 4. *Jam non ambuletis, ſicut & gentes ambulant, in vanitate ſenſûs ſui, tenebris obſcuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei, per ignorantiam quæ eſt in illis, propter cæcitatem cordis ipſorum, qui deſperantes ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in avaritiam.* De quibus c. 5. Apoſtolus ſubdit: *Propter hæc venit ira Dei in filios diffidentiæ.* Rom. 2. *Tribulatio & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum.... quicumque enim ſine lege peccaverunt* (adeòque ſine peccati cognitione; per legem enim cognitio peccati, ut Apoſtolus ſubjungit cap. 3.) *ſine lege peribunt, & quicumque in lege peccaverunt, per legem judicabuntur.* 2. Theſſal. 1. *Deus in flamma ignis dat vindictam iis, qui non noverunt Deum.... qui pœnas dabunt in interitu æternas, à facie Domini.* Apoc. 21. abſque exceptione ulla: *timidis autem* (id eſt timore mortis Chriſtum negantibus) *& incredulis, & execratis* (id eſt ſodomitis) *& homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idololatris, &c. pars illorum erit in ſtagno, ardenti igne & ſulphure, quod eſt mors ſecunda.*

97

Sequitur 2°. quòd ſi Atheus, in infantia baptizatus, deinde captus à Barbaris, adeptoque rationis uſu ab ipſis in Atheiſmo educatus, durante ignorantiâ Dei, Moliniſticè invincibili, ſodomias, beſtialitates, parricidia, adulteria ut ſuprà perpetraverit, in eiſque abſque pœnitentia mortuus fuerit, antequam ignorantia illa fieret in ipſo Moliniſticè graviter ſeu mortaliter culpabilis, cum ſuis ſodomiis, beſtialitatibus, parricidiis, adulteriis, aliiſque ejuſmodi horrendis, cælo donabitur. Ob rationem n. 89. à Caramuele productam. Sequelam autem (licèt concedat ipſe, ſicut & Author propoſitionis 6.) totius Orbis horror ſatis refutat, unà cum Scriptura Pſal. 13. dicente: *Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus. Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis.* Nec magis concedi poteſt de Atheis quàm de Idololatris, de quibus Sap. 13. & 14. *Vani ſunt omnes homines, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei, & de iis quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui eſt.... infelices*

98

autem sunt, & inter mortuos spes illorum est, qui appellaverunt Deos opera manuum suarum.... Etenim quod factum est, cum illo qui fecit, tormenta patietur.... Et non sufficerat errasse eos circa Dei scientiam, sed & in magno viventes inscientiæ bello, tot & tanta mala pacem appellant. Aut enim filios suos sacrificantes.... neque vitam, neque nuptias mundas jam custodiunt, sed alius alium per invidiam occidit, aut adulterans contristat, & omnia commista sunt, sanguis, homicidium, furtum & fictio, corruptio & infidelitas.... Dei immemoratio, animarum inquinatio, nativitatis immutatio..... inordinatio mœchiæ, & impudicitiæ. Infandorum enim idolorum cultura, omnis mali causa est, & initium, & finis.... Utraque ergo illis eveniunt dignè, quoniam malè senserunt de Deo. Cap. 16. *Propter hæc, & per his similia passi sunt dignè tormenta.* Cap. 19. *Impiis autem usque in novissimum sine misericordia ira supervenit.*

99 Sequitur 3°. Nerones, Heliogabalos, Domitianos, & similia hominum portenta, post exutam longâ peccandi consuetudine peccati conscientiam, à peccato mortali theologico tandem excusari, sodomias, adulteria, parricidia, &c. committendo. Statum proinde hujusmodi peccatoribus fore experendum; atque adeò Dei ignorantiam præ scientia, Deique incogitantiam præ cogitatione. Eò quòd Deum scientes vel cogitantes, peccatique conscientiam habentes, perpetuis obnoxii sint periculis gravissimorum peccatorum theologicorum, quæ timenda non sunt Deum ignorantibus, vel actu de Deo non cogitantibus, vel peccati conscientiam non habentibus. Isti proinde illis quodammodò feliciores: utpote peccando facti theologicè, adeòque mortaliter impeccabiles. Verùm-enimverò quàm hoc alienum est ab unanimi sensu totius Orbis! Isto profectò statu, si Bernardo fides lib. de conscientia ad Religios. Ord. Cisterc. versus medium, *sicut nihil pejus, ita nihil est infelicius. Quia eorum conscientia nec Deum timet..... cùm in profundum venerit.... vulnera non sentit, verbera non attendit. De hujusmodi in Scriptura Veritatis expressum est: verberaverunt me, & non dolui; traxerunt me, & ego non sensi.... Hæc est mala, & tranquilla conscientia. Quomodò tranquilla? Cùm mundi hujus prosperitas alludit & illudit; cùm laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur.... cùm non est qui arguat, sed & qui arguere peccantem non audeat, ex omnibus qui sunt in circuitu ejus. Et sic impletur in eo quod scriptum est:* „ prosperitas stultorum perdet illos„ ..... *Hanc verò tranquillitatem nutrit impunitas, securitatis & negligentiæ mater.* Et, ut idem S. Doctor ait de gradib. humil. c. 20. *tales sunt in statu longè pejori*, quàm ii quos antè descripsit esse in undecimo superbiæ gradu; siquidem in eo nedum ex toto abjectus est Dei timor, sed ratio, velut remurmurando, adhuc timorem istum voluntati proponit; sed dum ad duodecimum quis superbiæ gradum devenerit, omnis conscientiæ remorsus extinguitur, peccatorque conscientiâ intrepidâ in profundum malorum & in mortem descendit. De talibus etiam Augustinus l. de continentia c. 3. ait: *Sunt qui legem Dei omninò nescientes, malas concupiscentias, nec in hostibus deputant, eisque miserabili cæcitate servientes..... beatos se putant, satiando eas.*

Sequitur 4°. theologicè non peccasse, sed philosophicè dumtaxat, plurimos qui ante legem peccarunt; eos utique de quibus Apostolus Rom. 5. *Usque ad legem peccatum erat in mundo; sed peccatum non imputabatur, cùm lex non esset.* Quod S. Thomas explicans observat, quòd Sodomitæ, aliique peccatores, ante legem Moysi, verè peccabant, etiamsi crederent peccata sua nec à Deo puniri, nec esse contra Deum: utpote quem credebant nostra non curare, sed id dicebant quod Job enarrat c. 22. *Nubes latibulum ejus, nec nostra considerat, & circa cardines cæli perambulat.* Hoc proinde sensu, *peccatum* (secundùm existimationem ipsorum) *non imputabatur, non solùm* (inquit S. Thomas) *non imputabatur, quasi à Deo puniendum, sed non imputabatur quasi contra Deum existens.* Non igitur sciebant ipsum, nec actu advertebant se contra Deum peccare. Atque adeò non peccabant theologicè, sed philosophicè, si ad theologicè peccandum requiratur actualis scientia vel advertentia peccati contra Deum. At oppositum Scriptura docet de Sodomitis, dum eos vocat *peccatores coram Domino nimis.* 100

Sequitur 5°. idem dicendum de Epicureis: utpote qui credebant spurcitias suas Deo non displicere, nec illas prohibere, vel punire. Tametsi enim profiterentur esse Deos, simul profitebantur, ipsis non esse de hominibus curam, quòdque solùm occupati circa seipsos nihil de hominibus statuerent, nihil curarent, nihilque ipsis præciperent, nec prohiberent. 101

Sequitur 6°. idem dicendum de illiteratis, qui in Romano Imperio, ante Evangelii prædicationem, verum Deum non agnoscebant, sed Deos dumtaxat spurcitiis infames, Jovem, Venerem, & similes, quibus spurcitias displicere quomodò credidissent, quarum exemplum ab ipsis sibi datum non ignorabant? Unde ex ipsis flagitiosissimus juvenis, cùm virgini stuprum inferre vellet, à Terentio dixisse narratur, ad id se motum exemplo Jovis, quem in tabula picta vidit stuprum Danaæ inferentem. Augustinus quoque in libris de Civit. Dei commemorat ludos infamissimos publicè fieri solitos, ad honorem Deorum istorum, quasi infamiis istis Dii Romanorum colerentur. Non credebant ergo Deos istis offendi; imò credebant iis coli & honorari. Enimverò *omnes cultores talium Deorum* (inquit Aug. 2. Civit. 7.) *mox ut eos libido pepulerit, ferventi* (ut ait Perseus) *tincta veneno, magis intuentur quod Juppiter fecerit, quàm quod docuerit Plato, vel censuerit Cato.* Atque *ab hac tanta Jovis authoritate adhibent patrocinium turpitudini suæ, cùm in ea se jactant imitari* 102

tari Deum. Non ignorabant nihilominùs isti turpitudines illas & adulteria contraria esse rationi. Sed non existimabant iis offendi Deos suos quos solos agnoscebant, & nullam præterea divinitatem. Ergone horrendas illas turpitudines à mortali theologico Philosophistæ excusabunt, & dicent solùm philosophicè peccasse? Hoc utique manifestò consequitur ex suprà deductis principiis ipsorum. Porrò si hoc concedant, totius humani generis contra se horrorem suscitabunt.

103 Sequitur 7°. à mortali theologico pariter excusanda horrenda crimina populorum Indiæ & Brasiliæ (id est mille millionum hominum) antequam illuc Hispani Lusitanique Dei notitiam intulissent. Utpote quos nullam Dei cognitionem habuisse, ex multorum relatione de Brasilianis vel ipse Molina testatur 1. p. q. 2. a. 1. De Indis verò Indus Pennafiel disp. 2. de Deo sect. 3. sic habet: *In his Indiarum Provinciis, præsertim in hoc Peruano Regno, quotidie experimur, esse aliquos homines adeò barbaros, ut nullam habeant Dei cognitionem. Audivique Virum Apostolicum, nostræ Societatis, qui diù erudiit Indos Tabalosos, referentem plures eventus miserrimæ hujus ignorantiæ, istos homines detinentis, quique interrogati, respondent se nihil de Deo cogitare, licèt circa alias materias interrogati, respondeant quòd cogitent.* Idem de Chinensibus narrant eruditiores Missionarii vasti istius Imperii, etiam de litteratis; eos utique majori ex parte Atheos fuisse, nec idola coluisse, nisi per dissimulationem & hypocrisim, ita ut vel ipse famosus ipsorum Philosophus Confucius, etiamsi pulchra scripserit de morali & politia; circa Deum, Deique legem cæcutierit ut alii, prout testantur accuratiores Scriptores rerum Chinensium, nominatim P. Longobardus Soc. Jesu. Historia denique Insularum (quas Antillas vocant) testatur earum habitatores, ante Christianorum adventum, in tanta fuisse Dei ignorantia, ut nullum agnoscerent, nec colerent Deum, nec verum, nec falsum, nullumque haberent, à quo instruerentur, vicinis omnibus eâdem ignorantiâ laborantibus. Nec tamen ignorabant, adulterium esse infideliratem rationi repugnantem. Cùm enim propriam quis uxorem, in adulterio deprehensam, occidisset, de eoque simul & causa occisionis socerum monuisset; benè fecisse socer respondit, junioremque filiam suam, ipsi loco sororis uxorem dedit. Igitur & ipsi adulterando solùm peccabant philosophicè, non theologicè.

104 Sequitur 8°. à mortali theologico excusandos quoque Sinenses illos qui ex more patriæ occidebant infantulos suos, præsertim feminei sexûs, quibus educandis, ob familiæ paupertatem, sibi defuturas metuebant vires. Qua in re non solùm non credebant se peccare contra legem Dei; quin potiùs infanticidium istud accipiebant pro actu pietatis, quâ se moveri putabant ad infantes miseriis vitæ pauperis subducendos. Accedente præsertim errore metempsychoseos, quo sibi persuadebant, proles suas hoc pacto brevi renascituras in fortuna meliore. Quo fiebat, ut infanticidia ista, non à solis fierent pauperioribus, sed & ab aliis non ita pauperibus, nec clàm, sed palàm, in conspectu omnium, uti refert P. Trigaltius l. 1. c. 9. Simili etiam pietatis prætextu ipsi etiam parentes senectute languentes, vel infirmitatem magnam, ingentesque dolores, absque spe recuperandæ sanitatis, patientes, à propriis interimebantur filiis, sibi persuadentibus, in eo se pietatem charitatemque erga ipsos exercere. Et istos ergo excusabit defectus actualis advertentiæ ad legem Dei ista prohibentem. Ex quo pariter defectu excusabuntur latrocinia, quæ (teste S. Thoma 1. 2. q. 94. a. 6.) propter inveteratam consuetudinem, apud quosdam non reputabantur peccata. Et idem est de idololatria, propriorumque filiorum immolatione facta dæmoniis, seu falsis Diis, quæ à plerisque nationibus non peccata, sed religionis actus reputabantur, utpote à quibus *interveniente tempore error tamquam lex custoditus fuit*, uti dicitur Sap. 14. Nec tamen ideò homines istos, & nationes, à peccato theologico excusat Scriptura divina, imò prorsus accusat Deuteron. 18. & 20.

Sequitur 9°. à mortali etiam theologico 105 excusari eos, qui ex inveterata assiduè peccandi consuetudine, ad opus malum sibi conscientiam fecerunt intrepidam (*conscientia* quippe *circa illicitum intrepida* secundùm Philosophistas *excusat à peccato*) ita ut omnia rectæ operationis principia per habitus pravos sint in ipsis corrupta, vel sic impedita, ut ad operationem hîc & nunc applicari nequeant, eò quòd utique voluntas sit excæcata, obduratum cor, synderesis pravis habitibus istis undique sic circumsepta, ut hîc & nunc in particulari operatione vox & murmur ipsius actu non attendatur, nec consideretur, sed id solum ad quod appetitus corruptus inclinatur? Ut enim S. Thomas ait 1. 2. q. 77. a. 1. in corp. *impeditur judicium & apprehensio rationis*, ne feratur secundùm dictamen synderesis, *propter vehementem & inordinatam apprehensionem imaginationis, & judicium virtutis imaginativæ. Manifestum est autem quòd passionem appetitûs sensitivi* (pravis habitibus roboratam) *sequitur imaginationis apprehensio, & judicium æstimativæ.... Unde videmus quòd homines, in aliqua passione existentes, non facilè imaginationem avertunt ab his circa quæ afficiuntur. Unde per consequens judicium rationis* (in particulari operabili) *plerùmque sequitur passionem habitûs sensitivi*; non dictamen synderesis. Quod magis explicans art. 2. *Contingit* (inquit) *quòd aliquis habeat scientiam in universali, puta nullam fornicationem esse faciendam, & tamen non cognoscat* in particulari *hunc actum, qui est fornicatio, non esse faciendum. Et.... nihil prohibet aliquid sciri in habitu, quod tamen actu non consideratur. Potest igitur contingere quòd aliquis* rectam scientiam, vel

advertentiam habeat in universali, eam tamen actu non habeat in particulari operabili, & *potest contingere quòd aliquis etiam rectam scientiam* (habitualem) *habeat in singulari, & non solùm in universali, & tamen in actu non consideret* (contingit enim nos multa scire in habitu, quæ actu non cogitamus).... *quòd autem homo non consideret in particulari* operabili, *id quod habitualiter scit.... contingit.... propter aliquod impedimentum superveniens.... Et hoc modo ille qui est in passione constitutus, non considerat in particulari, quod scit in universali, in quantum passio impedit talem considerationem. Impedit autem tripliciter. Primò per quamdam distractionem.... Secundò per contrarietatem: quia plerumque passio inclinat ad contrarium hujus quod scientia universalis habet.* Et tunc (ut ait ad 4.) *ille qui habet scientiam in universali, propter passionem impeditur, ne possit sub illa universali sumere, & ad conclusionem pervenire; sed assumit sub alia universali, quam suggerit inclinatio passionis, & sub ea concludit. Unde Philosophus dicit in 7. Ethic. quòd syllogismus incontinentis habet quatuor propositiones: duas universales, quarum una est rationis, puta nullam fornicationem esse committendam; alia est passionis, puta delectationem esse sectandam. Passio igitur ligat rationem ne assumat & concludat sub prima. Unde eâ durante assumit & concludit sub secunda.* Et a. 7. ad 2. *Passio causat ignorantiam juris in particulari, dum impedit applicationem communis scientiæ ad particularem actum.* Et lect. 3. in 1. ad Timoth. 1. *Habentes cor infectum passionibus judicant secundùm affectum earum, & non secundùm Deum* (vel rationem) 1. Cor. 4. *animalis homo non percipit quæ Dei sunt.* Et in 2. dist. 33. q. 3. *Propter inclinationem habitûs, & impetum passionis, non percipitur mente Syndéresis murmur: quia anima est quasi inebriata passione.* Enimverò sine impudentia negari non potest, ex iis qui longâ assiduè peccandi consuetudine in profundum malorum venerunt, plurimos esse, qui *opera abominabilia delectabiliter & sine abominatione* (ut S. Thomas ait in 2. distinct. 25. q. 1. a. 4. ad 8.) exercentes, nihil aliud actu cogitant, quàm brutalibus voluptatibus suis frui, quarum fruitionem depereunt, velut summum bonum suum, circa quod occupatur totum cor, totaque cogitatio ipsorum, sine ullo scrupulo, conscientiæque remorsu. Eò quòd longâ consuetudine conscientiæ stimulos contemnendi, id assecuti sint, ut eos jam ampliùs non sentiant. Id enim tum ipsi scelestissimi homines de seipsis, tum fide dignæ Relationes de ipsis attestantur. Videri potest memorabilis Historia D. Mucii, quam enarrat Abbas Trapensis (vulgò *de la Trappe*) apud peccati philosophici Denuntiatorem denunt. 5. a. 3. Siquidem Mucius iste, ante conversionem suam, dies suos transegisse narratur, sine cognitione & sine timore Dei, seque impudicitiis, & omnibus passionibus suis tradidisse absque discerniculo, absque exceptione, absque lumine, absque cognitione. Videatur & Author Libelli, cui titulus: *Les veritables sentimens des Jesuites touchant le peché philosophique* §. 8. ubi refert, juvenem Abbatem in solemni disputatione coram Aquensi Parlamento habita 4. Julii 1686. Præside R. P. de Sulmo Soc. Jesu S. Th. Professore, cùm impugnaret hanc propositionem, in ultima Theseos appendice contentam: *Conscientia circa illicitum intrepida excusat à peccato*, coram toto Auditorio protestatum fuisse, quòd seipsum in materia ista proferre posset in exemplum; eò quòd supra conscientiam suam id evicisset, quòd nullum ampliùs timorem, nullum remorsum, nullum scrupulum peccando haberet; ideòque plurimam Jesuitis haberet obligationem, quòd suâ illâ Thesi excogitassent modum justificandi ipsum apud Deum. Ejusmodi peccatores Apostolus describit Ephes. 4. *Ambulantes* utique *sicut & Gentes ambulant in vanitate sensûs sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei, per ignorantiam quæ est in illis, propter cæcitatem cordis ipsorum, qui desperantes* (græcè, nullum ampliùs habentes remorsum nec sensum) *semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in avaritiam*, id est, ita ut sint in voluptatibus avari, voluptates ardore insatiabili depereundo, & undequaque sic captando, ut sibi voluptatum veluti thesauros congregare videantur. Et ante Apostolum Psalmista Ps. 9. *Exacerbavit Dominum peccator.... non est Deus in conspectu ejus, inquinatæ sunt viæ ejus omni tempore. Auferuntur judicia tua à facie ejus.* Et Ps. 49. *Intelligite hæc qui obliviscimini Deum.*

De istis similiter Augustinus de contin. cap. 106
3. *Sunt qui legem Dei omninò nescientes, malas concupiscentias nec in hostibus deputant, eisque miserabili cæcitate servientes, insuper etiam beatos se putant satiando eas.* Idem habet S. Bernardus de gradib. humilit. c. 20 ut proximè videbitur. Estque adeò manifestum, plerosque esse, qui sui cordis introitum quibuscumque cogitationibus bonis longâ eas rejiciendi contumaciâ occluserunt, ut vel ipsi Jesuitæ Parisienses fateantur Epistolæ suæ 3. pag. 16. Lubet hîc exscribere verba (licèt fusiora) S. Bernardi loco citato: ubi posteaquam *de undecimo gradu superbiæ, qui est libertas peccandi*, dixit: *Post decimum itaque gradum, qui rebellio dictus est, expulsus vel egressus de Monasterio statim excipitur ab undecimo. Et tunc ingreditur vias, quæ videntur hominibus bonæ, quarum finis* (*nisi fortè Deus eas sepierit*) *demerget eum in profundum inferni, id est in contemptum Dei. Impius* siquidem *cùm venerit in profundum malorum, contemnit. Potest autem undecimus gradus appellari libertas peccandi, per quam Monachus, cùm jam nec magistrum videat quem timeat, nec fratres quos revereatur; tantò securiùs, quantò liberiùs sua desideria implere delectatur, à quibus in Monasterio tam*

pudore, quàm timore prohibebatur. Sed etsi jam vel fratres vel Abbatem non timet, nondum tamen Dei penitùs formidine caret. Hanc ratio, tenuiter adhuc submurmurans, voluntati proponit, nec sine aliqua dubitatione quæque primùm illicita perficit; sed, sicut is qui vadum tentat, pedetentim, non cursim vitiorum gurgitem intrat. Post hæc (inquam) de duodecimo superbiæ gradu, qui est consuetudo peccandi, subjungit: *At postquam terribili Dei judicio prima flagitia impunitas sequitur, experta voluptas libenter repetitur, repetita blanditur. Concupiscentiâ revivisente, sopitur ratio, ligat consuetudo. Trahitur miser in profundum malorum, traditur captivus tyrannidi vitiorum, ita ut carnalium voragine desideriorum absorptus, suæ rationis, divinique timoris oblitus, dicat insipiens in corde suo: Non est Deus. Jam indifferenter libitis pro licitis utitur, jam ab illicitis cogitandis, patrandis, investigandis animus, manus vel pedes non prohibentur; sed quidquid in cor, in buccam, ad manum venerit, machinatur, garrit & operatur, malevolus, vaniloquus, facinorosus. Quemadmodùm denique ascensis his omnibus gradibus, corde jam alacri, & absque labore, pro bona consuetudine, justus currit ad vitam: sic descensis impius eisdem, pro malo usu, non ratione se gubernans, non timoris fræno retentans, intrepidus festinat ad mortem. Medii sunt, qui fatigantur, angustiantur: qui nunc metu cruciantur gehennæ, nunc pristinâ retardati consuetudine, descendendo vel ascendendo laborant. Supremus tantùm & infimus currunt absque impedimento, & absque labore. Ad mortem hic, ad vitam ille festinat; alter alacrior, alter proclivior. Illum alacrem charitas, hunc proclivem cupiditas facit. In altero amor, in altero stupor laborem non sentit. In illo denique perfecta charitas, in isto consummata iniquitas foras mittit timorem. Illi veritas, huic cæcitas dat securitatem. Potest ergo duodecimus gradus appellari consuetudo peccandi, quâ Dei metus amittitur, contemptus incurritur.*

107 Denique adeò certum est scelestissimos illos bonis cogitationibus actualique peccati notitiâ non semper pulsari, dum peccant, ut piissimus Contensonus to. 3. dissert. 3. c. 1. meritò dicat, quòd oppositum dicere, *tam est insulsum, quàm quod maximè. Nullum enim commentum est apertiùs cum experimento & ratione pugnans, quàm si asseratur, impios quasvis urgentes semper conscientiæ morsus in se experiri, & divinis motibus, etiam cùm se totos libidinibus dedunt, non carere.* Cùm nullis sæpè se morsibus turbari, nullâ aliâ cogitatione pulsari fateantur, nisi cogitatione libidinis exsatiandæ, seseque absque ullo dolore, imò cum gaudio, nullâ contrariâ cogitatione turbatos peccare.

108 Nec certè probabile est, dum horrenda committunt, de Deo vel divina lege semper cogitare Atheos, qui (Apostolo teste) Deum non cognoscunt; nec Epicureos, qui nullam Dei legem, nec de hominibus providentiam admittunt, sed siquos Deos in humana forma admittant, tales admittant, quibus nulla sit de hominibus cura; nec denique Paganos, qui licèt Deos agnoscant Jovem, Junonem, Martem, & similes, non certè Deos agnoscant majestatis infinitæ, cujus (agnitæ ut talis) offensam & contemptum Philosophistæ requirunt ad peccatum mortale theologicum; sed Deos majestatis finitæ, Deos defectuosos, Deos qui aliquando puri homines fuerint, Deos adulteriis, crudelitatibus, aliisque criminibus obnoxios; talis proinde majestatis, cujus offensa ad mortale theologicum sufficere non possit: cùm eorum adoratores Apostolus 1. Thessal. 4. equidem vocet *gentes quæ ignorant Deum*, Deum utique infinitæ majestatis.

Nec de talibus dici potest, quòd, licèt 109
Deum non cognoscant distinctè, cognoscant saltem sub ratione confusa, & generali, quæ secundùm Philosophistas ad mortale theologicum sufficiat. Sub qua enim (amabo) ratione Deum confusè cognoscunt? An sub ratione confusa & generali, Deo vero & falso communi? Verùm ratio illa, cognita ut talis præcisè, non est ratio majestatis infinitæ, cognitæ ut talis. An sub ratione boni in communi, seu in universali? Verùm sine cognitione & appetitu boni in communi nihil agit ullus homo: utpote cujus cognitio & appetitio omnibus sic innata est, ut inseparabilis sit à voluntate humana, cujus objectum est bonum, sibi ut tale propositum ab intellectu. Et hoc est quod dici solet, quòd omne quod homo vult, ideò vult, ut beatus sit. Quod si sufficeret ad peccatum theologicum, omne peccatum eo ipso theologicum foret, & quodcumque homo agit, propter Deum infinitæ majestatis ageret. Quæ sunt apertissimè falsa. An denique est Deum verum agnoscere, sub ratione aliqua ipsi soli propria, nullique creaturæ communicabili? Verùm sub tali ratione nec Athei, nec Epicurei, nec Pagani, paucis fortè exceptis, Deum cognoscunt. Deum proinde sub ratione infinitæ majestatis non cognoscunt.

Nec secundùm Adversarios refert, quòd illi, de quibus suprà, suâ culpâ non agnoscerent Deum infinitæ majestatis, sed pro Diis solùm agnoscerent Jovem, Junonem, Venerem, & similes, qui aliquando fuerant homines spurcitiis dediti. Quia illi equidem suos illos Deos in spurcitiis illis imitando, actu non advertebant se offendere Deum infinitæ majestatis. Quod ad mortale theologicum Adversariorum præcipui, Vasquez, Sanchez, Terillus, &c. usque adeò postulant, ut à mortali theologico excusent illos etiam qui ex præcedenti sua culpa in eum devenerunt statum, in quo non advertunt se Deum infinitæ majestatis offendere, adulterando, aliasque spurcitias admittendo.

CAPUT XII.

Occurritur argumentis Philosophistarum, formalem & actualem malitiæ advertentiam requirentium ad formale peccatum.

110 OBjicies 1°. cum Caramuele in Apologemate contra Fagnanum: Propositio ista, *Ut actio quæpiam peccaminosa sit, oportet ut procedat ab homine, qui noscit & percipit, quid boni malivè in ea sit*, &c. à Doctoribus Lovaniensibus immeritò censurata fuit, cùm sit evidens & de fide. Evidens: quia nihil volitum, quin præcognitum; & nihil malum, bonumvè, nisi volitum. Est de fide: homo enim nonnisi volens peccat.

Respondeo negando antecedens. Ad ejus probationem nego assumptum pro utraque parte. Quamvis enim homo nonnisi volens peccet; ad peccandum necesse non est quòd id velit formaliter & directè, sed sufficit quòd id velit virtualiter & indirectè. Ad quod non requiritur formalis & actualis cognitio, seu consideratio malitiæ, sed sufficit virtualis & interpretativa, consistens in eo quòd peccator possit & debeat considerare, sitque ipsi voluntarius defectus actualis considerationis. Tunc enim scire & debere scire, secundùm jura & Doctores, æquiparantur. L. *quod se mihi* ff. de reb. cred. Proinde peccator tunc censetur virtualiter scire; sicut voluntas velle virtualiter censetur omissionem Sacri (tametsi eam voluntate actuali non velit) dum non vult audire, cùm audire possit & debeat. Proinde tunc *non totaliter tollitur cognitio: quia non tollitur potestas* & obligatio *cognoscendi. Tollitur* quidem *consideratio actualis in particulari operabili*; verùm *hoc ipsum voluntarium est.* Cùm voluntas possit & teneatur debitam sibi considerationem procurare, voluntariaque ipsius impedimenta tollere.

111 Instabis cum Vasquez, Suarez, & Terillo: non est in potestate hominis considerare malitiam, cujus considerandæ nulla menti occurrit cogitatio, nec dubium, nec scrupulus. Quando enim nulla menti occurrit considerandæ malitiæ cogitatio, vel dubium, vel suspicio, vel scrupulus, consideratio malitiæ est impossibilis; inconsideratio proinde est invincibilis. *Quis enim nesciat non esse in hominis potestate quòd sciat?* inquit Augustinus l. de spir. & litt. c. 35. Enimverò nisi prima cogitatio, ex qua nostra incipit consultatio, naturaliter vel casu nobis occurrat, consultare non possumus nec deliberare, secundùm Philosophum 7. Ethic. ad Eudem. versus finem. Denique homo se applicare non potest ad aliquid considerandum, nisi præcedat cogitatio aliqua, quâ voluntas moveri possit (ait Suarez de Censur. disp. 4. sect. 8.) quia homo non applicat se ad considerandum, nisi per voluntatem, nec voluntas movet se nisi præviâ cognitione. Ergo quando nulla talis cogitatio in mentem subit, quâ possit voluntas excitari ad volendam vel procurandam considerationem, non est in potestate hominis se ad illam movere & applicare. Tunc ergo inconsideratio homini imputari non potest: utpote involuntaria & invincibilis.

Respondeo negando antecedens, dum in potestate hominis est tollere voluntarium impedimentum, ex quo provenit quòd nulla menti occurrat cogitatio, v. g. passionem, pravum habitum, voluntariam ad impertinentia distractionem, &c. Quamvis ergo in potestate hominis non sit, quid ei veniat in mentem; in potestate hominis est impedire bonam cogitationem, de cavenda v. g. hîc & nunc Dei offensa; sicut & in potestate hominis est impedimentum bonæ istius cogitationis tollere. Et tunc, ut angelicè Doctor Angelicus 1. 2. q. 6. a. 7. ad 3. non tollitur potestas cognoscendi: quia non tollitur potestas auferendi voluntarium impedimentum actualis cognitionis, ut patet in eo, in quo passio seu concupiscentia actualem impedit cognitionem. Quo casu *non totaliter tollitur cognitio* (ait S. Doctor) *quia non tollitur potestas cognoscendi, sed solùm consideratio actualis in particulari agibili.... Potest enim voluntas passioni resistere.* Et quamvis excæcati, consummatæque malitiæ peccatores id subinde non possint, impotentia ista provenit ex voluntaria culpa ipsorum. Proinde non est antecedens & involuntaria, sed consequens & voluntaria. Quæ profectò non excusat; uti etiam de ignorantia docet S. Thomas lect. 7. in cap. 1. epist. ad Rom. *Enimverò tunc ignorantia culpam excusat, cùm sic præcedit culpam, ut non causetur ex culpa: si autem ignorantia causetur ex culpa, non excusat culpam subsequentem.*

Quod autem Suarez & Vasquez ex Philo- 112
sopho addunt: nisi prima cogitatio, ex qua boni prosequendi, malivè declinandi consultatio incipit, naturaliter vel casu nobis occurrat, consultare non possumus. Non est satis Christianum, sed vel Ethnicum, vel Pelagianum. Ethnicum, si prima boni prosequendi, malivè declinandi cogitatio tribuatur casui, seu fortunæ. Pelagianum, si tribuatur nobis: cùm Deo gratiæque ipsius tribuenda sit, qui gratiam suam non negat, non habentibus obicem illius, eamque ut oportet petentibus. Neque enim *sufficientes sumus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra à Deo est.* 2. Cor. 3. Denique additum illud non est satis Christianum: utpote ex quo sequitur (contra principia vitæ Christianæ, doctrinamque Ecclesiæ) quàmlibet enorme sit, quod committitur contra legem Dei, non esse nisi peccatum philosophicum, si committatur ab eo qui nullam habet cogitationem actualem, quòd sit contra legem Dei, sed contra rationem naturalem dumtaxat; imò ne quidem esse peccatum philosophicum, si ne hoc quidem actu cogitetur. Sequitur 2°. quòd ignorantia invincibilis absolutè necessaria non sit ad evadendam culpam imputabilem coram Deo, in tali commisso; sed sufficiat esse commissum

absque alia actuali cogitatione, quàm satisfaciendi passioni suæ; eò quòd longâ quis consuetudine assuetus sit magno ardore prosequi quidquid sensibus arridet, vel quidquid superbiam avaritiamvè satiat, tamquam verum suum bonum.

De similibus S. Thomas 1. 2. q. 94. a. 6. dicit quòd lex naturalis, quantùm ad præcepta communissima, *nullo modo potest à cordibus hominum deleri in universali*; *deletur tamen in particulari operabili, secundùm quod ratio impeditur applicare commune principium ad particulare operabile, propter concupiscentiam, vel aliquam aliam passionem. Quantum verò ad alia præcepta secundaria, potest lex naturalis deleri de cordibus hominum* (ita ut faciens contra eam non habeat hîc & nunc conscientiam quòd faciat contra eam) *vel propter malas persuasiones (eo modo quo etiam in speculativis errores contingunt circa conclusiones necessarias) vel etiam propter pravas consuetudines, & habitus corruptos: sicut apud quosdam non reputabantur latrocinia peccata, vel etiam vitia contra naturam, ut etiam Apostolus dicit ad Rom. 1.* Non ideò tamen ista sunt, vel fuerunt excusabilia: quia ignorantia incogitantiaque ex personali culpa corruptioneque profecta non excusat: quia non est invincibilis, sed vincibilis & superabilis, pravas illas consuetudines habitusque corrigendo. Talemque incogitantiam, ignorantiamque S. Doctor 1. 2. q. 6. a. 8. consequentem vocat, non antecedentem: *Hoc igitur modo* voluntaria *dicitur ignorantia, sive cùm aliquis actu non considerat, quod considerare potest & debet; quæ est ignorantia malæ electionis, vel ex passione, vel ex habitu proveniens; sive cùm aliquis notitiam, quam debet habere, non curat acquirere.*

113 Objicies 2°. cum Casuistarum Apologista pag. 23. & seqq. sequuntur ex assertione nostra perniciosæ scandalosæque consequentiæ, videlicet 1°. ingentem Christianorum turbam damnari, ignoranter contra Decalogum peccando. 2°. imputari blasphemias, aliaque ejusmodi peccata, absque ullo conscientiæ remorsu, malitiæque advertentia, à perditæ vitæ hominibus commissa. Quæ tamen ipsis libera non sunt, sed actiones brutales, potiùs quàm humanæ.

114 Respondeo negando antecedens. Neutra enim consequentiarum illarum scandalosa est, vel perniciosa. Non prima: cùm ex Evangelio habeamus, majorem Christianorum partem ob salutis incuriam perire, inexcusabilesque esse, qui peccant ex ignorantia vel incogitantia proveniente ex culpa. Nec secunda: quia eo ipso homines imputabiliter peccant, quo se voluntariè culpabiliterque reddunt similes jumentis insipientibus. Nec tamen perditæ vitæ hominum blasphemiæ, aliaque ejusmodi peccata, absque conscientiæ remorsu commissa, per omnia sunt actiones brutalibus similes. Quia licèt ad malitiam non advertant formaliter & actu, advertunt virtualiter & interpretativè. Quod sufficit ad libertatem.

Objicies 3°. cum Terillo in reg. mor. p. 2. q. 63. n. 6. S. Thomas, S. Bonaventura, aliique veteres Authores passim tradunt, inordinatos concupiscentiæ motus ad peccatum non imputari, nisi ratio actu advertat ad malitiam, perfectamque advertentiam requirunt ad mortalem imputationem. Quòd si ita est de inordinatis concupiscentiæ motibus, idem de aliis peccatis dicendum. Videri potest S. Thomas de verit. q. 15. a. 4. ad 10. Bonaventura in 2. dist. 24. super 2. textus. Henricus quodlib. 6. q. 32. D. Antoninus 2. p. tit. 5. c. 1. §. 5.

Respondeo 1°. Veteres illos solùm loqui de necessariis ad hoc ut consensus in delectationem carnalem, vel morosam cogitationem, naturaliter, & sine causa voluntariè data exurgentem, sit peccatum mortale; nec ad hoc requirere quòd ratio actu perpendat delectationem esse peccatum; sed quòd id perpendat actu vel virtute, seu interpretativè. Nam S. Thomas loco citato: *Antequam* (inquit) *ratio delectationem perpendat, vel nocumentum ipsius*, id est ipsam pertrahere in peccatum & præcipitium, *non habet interpretativum consensum.* Ad quem proinde consensum non requirit quòd ratio actu perpendat delectationis nocumentum, seu pertractionem in peccatum, sed vel delectationem, vel nocumentum, ut constat ex disjunctiva quam facit. Solùm proinde requirit quòd ratio perpendat actum qui est voluntatis objectum. Cui si malitia sit intrinsecè annexa; ad hoc ut indirectè seu interpretativè volita censeatur, sufficit quòd intrinsecè annexa sit actui, in quem voluntas consentit, possitque & debeat ab agente cognosci. Tunc enim cognoscitur indirectè seu interpretativè, uti manifestè suprà audivimus ex S. Doctore. Et hoc est quod S. Bonaventura loco citato expressè observavit, dicens: *Qui in talı delectatione, advertens periculum, vel debens advertere, voluntariè versatur, exponit se discrimini, quando negligit repellere.* Similiter Henricus posteaquàm dixit, consensionem in delectationem debere esse deliberatam, non subreptitiam, tuncque esse deliberatam, *quando, postquam ratio percipit delectationem, & advertit judicando eam esse illicitam, adhuc voluntas se tenet in ea*, id explicans subjungit, non esse necesse quòd istud rationis judicium præcedat actu, sed sufficere si debuerit præcessisse: *Quia planè consentire contingit in delectationem, vel verè, vel interpretativè. Verè, quando verè* (id est actu) *præcessit judicium rationis. Quod fit quando ex delectatione voluntatis in tantum absorbetur ratio, ut non possit intendere judicio, & negligit voluntas movere rationem ad judicandum, & permittit transire tempus, quo posset deliberare... seu movere rationem ad judicandum, ut possit eligere repellere delectationem, & refrænare appetitum sensibilem.* Idem de S. Antonino non poterit non sentire, quisquis ipsum loco al-

legato diligenter perpenderit, & ibidem c. 9. §. 2. consuluerit, dicentem: *Qui ergo perpetraret fornicationem, usuram, simoniam, mendacium*, vel consentiret in illicitam carnis delectationem, *& hujusmodi, ex ignorantia nesciens esse peccata, non excusatur à damnatione.* Deleat proinde Terillus id quod numero 11. scribit: *Constans antiquorum Theologorum, & quidem præcipuorum opinio est, quòd absque actuali advertentia de malitia peccati, nullum committatur peccatum mortale.* Perspicua namque S. Thomæ, aliorumque Veterum pro assertione nostra testimonia Terillianæ istius assertionis falsitatem manifestè demonstrant.

115 Respondeo 2°. illam Veterum doctrinam nihil contra assertionem nostram facere. Quia inordinatos illos concupiscentiæ motus, ad quos ratio non advertit, à peccato solùm excusat, dum exurgunt absque causa eorum voluntariè & culpabiliter posita, cumque tali advertentiæ defectu, ut defectus iste non sit culpabilis in ejusmodi causa. In qua si voluntarius sit, culpabilisque, sicut & isti motus, eos à peccato nulla excusavit Antiquitas. Quia tunc non deest perfectus consensus, & advertentia interpretativa. Quæ (secundùm antiquos Doctores) sola sufficit.

116 Objicies 4°. cum eodem: ut inadvertentia, sicut & ignorantia, voluntaria sit in causa, in ea debet esse prævisa, in specie, vel in genere, distinctè vel confusè. Cùm de ratione voluntarii sit, quòd procedat ab intrinseco, cognoscente singula, in quibus est actio.

Respondeo distinguendo antecedens: in ea debet esse prævisa formaliter & actu, nego: formaliter, vel virtualiter, seu interpretativè, concedo. Virtualiter autem, seu interpretativè prævideri censetur, dum prævideri potest & debet, estque culpa hominis quòd formaliter & actu non prævideatur, uti docet S. Thomas 1. 2. q. 6. a. 3. ad 3. Hîc proinde militat quod Almainus tradit in Moral. c. 1. in fine: *Sine formali cognitione non potest esse voluntarium formaliter; sed benè virtualiter & interpretativè.*

117 Objicies 5°. Inadvertentia ad actum, facit actum involuntarium & inimputabilem. Ergo inadvertentia ad malitiam, facit malitiam similiter involuntariam & inimputabilem.

Respondeo antecedens esse verum, si inadvertentia ad actum nec directè nec indirectè voluntaria sit: secùs si voluntaria sit directè vel indirectè, ut perspicuum est in eo, qui absque debita præcautione, inadvertenter occidit hominem, putans occidere feram; vel inadvertenter alienam incendit domum, ejaculando in avem, stramineo illius tecto insidentem, quod stramineum esse non advertit; siquidem voluntariè occidit, & incendit, licèt inadvertenter.

118 Objicies 6°. Quando advertentia minuitur, peccatum minuitur. Ergo quando advertentia simpliciter, seu totaliter aufertur, peccatum simpliciter, seu totaliter aufertur. Sic enim se habet simpliciter ad simpliciter, sicut secundùm quid ad secundùm quid.

Respondeo negando consequentiam, intellectam de advertentia actuali. 1°. quia hæc simpliciter necessaria non est ad peccatum, sed sufficit virtualis & interpretativa. Objectum verò axioma procedit in simpliciter necessariis. Neque enim sequitur, minor est commoditas, eundi Coloniam equo, quàm rhedâ. Nulla ergo est commoditas eundi Coloniam, si nullus equus habeatur: utpote ad commoditatem istam simpliciter haud necessarius. 2°. simpliciter & totaliter non tollitur advertentia, dum advertendi debitum manet, & potentia, estque culpa hominis, quòd actu non advertat, uti docet S. Thomas 1. 2. q. 6. a. 7. ad 3. Eò quòd utique tunc haud tollatur advertentia virtualis & interpretativa. Quæ ad peccatum sufficit.

Objicies 7°. Ad peccandum requiritur 119
libertas à necessitate, possibilitasque divina servandi mandata. Igitur necessaria est Dei mandatorumque ipsius cogitatio. Utpote quâ deficiente, non adest gratia sufficiens (hanc enim necessariò præcurrit aliqua servandi mandati divini, cavendique peccati cogitatio) sine gratia verò sufficiente non adest libertas à necessitate peccandi, nec possibilitas divina mandata servandi.

Respondeo ad peccandum requiri libertatem à necessitate absoluta, antecedente & involuntaria; non à necessitate ex suppositione, consequente & voluntaria. Defectum proinde gratiæ sufficientis provenientem ex culpa & voluntate propria, non præjudicare libertati ad peccandum necessariæ, nec mandata Dei reddere impossibilia, impossibilitate absolutâ, antecedente & involuntariâ, sed impossibilitate ex suppositione, consequente & voluntariâ. Quam doctrina Sanctorum excusare negat à peccato. Confer ea quæ dixi lib. 9. cap. 24. 25. & seqq.

CAPUT XIII.

Occurritur Adversariorum objectionibus ex Scriptura & Patribus.

PRimò objiciunt illud Joan. 9. *Si cæci esse-* 120
tis, non haberetis peccatum.

Respondeo cum Augustino ad illum locum, genuinum sensum esse, *si cæci essetis*, id est (inquit Augustinus) *si vos cæcos adverteretis, si vos cæcos diceretis, & ad Medicum curreretis.... non habèretis peccatum: quia veni ego auferre peccatum. Nunc verò dicitis, quia videmus. Et ideò peccatum vestrum manet: Quare? quia dicendo, videmus, Medicum non quæritis, in cæcitate vestra remanetis.* Est autem *cæcitas ipsa peccatum*, ut antè dixit. Et ideò Salvator Matth. 15. ait: *Si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.* Quibus verbis *terret non solùm cæcum sequentem, sed & cæcum ducentem.*

Secundò

121 Secundò objiciunt illud Joan. 15. *Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent*, utique infidelitatis, quo in Christum non crediderunt. Unde arguitur sic: infidelis excusatur à peccato infidelitatis ex defectu auditûs. Similiter ergo peccator à quocumque peccato excusatur ex defectu advertentiæ.

Respondeo ex sacro illo testimonio confici ignorantiam juris divini positivi, v. g. de credendo in Christum, à peccato excusare, si sit involuntaria. Et idem esset de ignorantia cujuscumque alterius juris, si foret involuntaria. Sed talem non esse ignorantiam nec inadvertentiam peccatorum, de quibus agimus.

122 Tertiò objiciunt illud Rom. 5. *Usque ad legem peccatum in mundo erat; sed peccatum non imputabatur cùm lex non esset.*

Respondeo cum Augustino in exposit. quarumd. propositt. ex epist. ad Rom. propositt. 28. Apostolum non dicere, quòd usque ad legem (per quam est *cognitio peccati*, ut Apostolus ait ibidem c. 3.) peccatum *non erat*, sed *non imputabatur*, id est non apparebat, non manifestabatur, non cognoscebatur, nec peccatum esse reputabatur ab hominibus excæcatis, in quibus ratio naturalis fuerat vitiis obfuscata. Imputabatur tamen à Deo, etsi non tam graviter ante, quàm post legem; eò quòd ante legem scriptam magis foret excusabile. Quo sensu S. Thomas lect. 3. in cap. 10. ad Hebr. dicit, quòd *ante notitiam peccati per legem, peccatum nostrum à Deo nobis non imputabatur*, ad tam grandem utique culpam, non absolutè. Aliàs sibi contradiceret lect. 4. in cap. 5. ad Rom. ubi ait, quòd falsa erat reputatio hominum, ante legem existimantium, quòd peccatum non imputabatur, quasi à Deo puniendum.

123 Quartò objiciunt Augustinum lib. 3. de lib. arb. c. 19. dicentem, quòd *peccatum, quod propriè vocatur peccatum, liberâ voluntate ab sciente committitur.*

Respondeo, sicut Augustinus, dum ad peccatum contra jus naturale requirit voluntarium, requirit voluntarium voluntate facti, non voluntarium formaliter voluntate peccati (uti videre est l. 1. retract. c. 15.) sic dum ad peccatum illud scientiam requirit, non requirit scientiam formalem & actualem peccati, sed facti, seu actûs; peccati verò nonnisi formalem, vel virtualem, seu interpretativam. Cùm ipsemet ex Scriptura probet, peccari per ignorantiam.

124 Quintò objiciunt Chrysostomum homil. 13. in cap. 7. ad Rom. universaliter requirere scientiam malitiæ ad rationem peccati. *Nemo enim* (inquit) *præ ignorantia peccavit.*

Respondeo 1°. injurios esse Chrysostomo, qui hoc ipsi tribuunt, quod sine errore, imò sine hæresi dici nequit; nulla utique dari peccata ignorantiæ, sive ex ignorantia: cùm homil. 11. in cap. 4. prioris ad Corinth. ad illa verba: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum* (Edit. Basileensis anni 1539.) dicat, quòd *accidit hominem in quibusdam peccare, quæ peccata esse ignorat.* Quod & tradit in cap. 9. epist. ad Hebr.

Respondeo proinde 2°. Chrysostomum, 125
loco objecto, id dicere de ignorantia seu inadvertentia prorsus involuntaria, quæque rationem omninò prævenit. De ea namque procedunt illa Apostoli verba, quæ ibi explananda suscepit: *Quod enim ago, non intelligo.* Procedunt (inquam) de concupiscentiæ motibus rationem omninò prævenientibus. In quibus certum est neminem peccare, sicut nec per ignorantiam omninò invincibilem. Nam, ut ait serm. 106. to. 5. *si ignoras quæ sciri nequeunt, aut cognosci, malitiâ vacabis.*

Sextò objiciunt S. Thomam quodlib. 3. a. 126
8. dicentem: *Cùm aliquis nescit fornicationem esse peccatum, voluntariè quidem facit fornicationem, sed non voluntariè facit peccatum.*

Respondeo S. Thomam solùm ibi velle, quòd talis voluntariè fornicando, nesciens in eo se peccare, non faciat peccatum voluntariè voluntario formali & directo, sed dumtaxat virtuali interpretativo & indirecto. Neque enim ipsum S. Doctor à peccato formali excusat. Cùm ibidem a. 10. dicat, *ignorantiam juris non excusare à peccato.* Et 3. p. q. 80. a. 4. ad 5. dicat, eum per culpam suam non habere conscientiam sui peccati, qui eam non habet, *quia per ignorantiam juris, quæ non excusat, reputat non esse peccatum, quod est peccatum, puta si aliquis fornicator reputaret simplicem fornicationem non esse peccatum mortale.* Similiter quodlib. 8. q. 6. a. 15. *Quandoque error conscientiæ non habet vim absolvendi, vel excusandi, quando scilicet ipse error.... procedit ex ignorantia ejus, quod quis scire tenetur, & potest, sicut si crederet fornicationem simplicem esse peccatum veniale. Et tunc, quamvis crederet se peccare venialiter, non tamen peccaret venialiter, sed mortaliter.* Et 1. 2. q. 19. a. 6. *Si ratio vel conscientia erret errore voluntario, vel directè, vel propter negligentiam*, habitusvè corruptos, *quia est error circa id quod scire tenetur: tunc talis error rationis, vel conscientiæ, non excusat, quin voluntas concordans rationi vel conscientiæ sic erranti sit mala.... puta si ratio errans dicat quòd homo teneatur ad uxorem alterius accedere, voluntas concordans huic rationi erranti est mala. Eò quòd error iste proveniat ex ignorantia legis Dei, quam scire tenetur.* Denique q. 17. verit. a. 4. Et 2. 2. q. 154. a. 2. dicit contigisse quidem, *quòd fornicatio apud Gentiles non reputabatur illicita, sicut nec latrocinia, nec peccata contra naturam; sed hoc contigisse propter corruptionem naturalis rationis.* Non proinde inculpabiliter.

CAPUT XIV.

Peccata, quæ peccator committit ex ignorantia vel inadvertentia culpabili, sunt per se

& ratione sui imputabilia, & non solùm ratione causæ, seu dictæ ignorantiæ.

127 TErillus in reg. mor. q. 63. postquam n. 5. statuit hanc conclusionem : *Voluntas in opere particulari non peccat moraliter, peccato propriè ac ratione sui imputabili, quando nulla actualis advertentia, nec specialis, nec confusa præcessit, vel saltem dubitatio aliqua, vel scrupulus.* Num. 60. id extendit ad casum ignorantiæ vel inadvertentiæ culpabilis, aiens, *opus à tali ignorantia*, vel inadvertentia *directum, ab una eademque negligentia* sciendi vel advertendi *verè esse & denominari peccatum*, sed *aliam peculiarem maculam aut reatum pœnæ non afferre, quam quæ dictæ negligentiæ culpabili* sciendi vel advertendi *debetur*. Quòdque *dum quis de præsenti non cogitat se peccare, licèt ex culpa priori non retractata in hanc incogitantiam devenerit, peccat quidem, sed non novâ malitiâ & imputabilitate, sed eadem malitia & imputabilitas culpæ prioris applicatur huic operi*. Quòdque *hoc solo genere peccati peccatur, quando non cogitatur peccari*. Et n. 72. *Concedimus, nunquam fieri peccatum, ratione sui imputabile, sine conscientiæ reprehensione, seu cognitione mali, aut periculi*. Similiter n. 37. dixerat : *Liberè operans, qui nullam de operis malitia suspicionem habet, non peccat peccato per se imputabili, ponendo illud*. Doctrinam istam, velut communem suæ Societatis, statuit Terillus. Verùm horrenda, quæ ex ea derivantur, consectaria ipsius falsitatem, assertionisque nostræ veritatem demonstrant.

128 Primò namque doctrina illa excusat vel extenuat peccata impiorum illorum, qui omni vitiorum generi laxant habenas, absque alia cogitatione, quàm satisfaciendi brutalibus suis passionibus voluptatibusque. Tametsi enim suâ se culpâ in eum statum sic conjecerint, ut se malè facere amplius non cogitent, dum equidem adulterantur, vel abominabilia contra naturam peccata sine alia perpetrant cogitatione, quàm infamem captandi voluptatem, secundùm doctrinam illam non peccant peccato per se & ratione sui imputabili; sed solùm imputabili in causa, ita ut si eo in statu mille adulteriis, sodomiis, bestialitatibus insordescerent, nec ampliorem, nec novam malitiam moralem contraherent, quàm si semel dumtaxat abominationes istas perpetrarent, nec ampliorem in altero sæculo pœnam promererentur. Hoc enim Terillus expressè asserit, uti vidimus. Talesque inveniri peccatores, qui cordis sui aditum quibuscumque cogitationibus bonis longâ eas rejiciendi consuetudine occluserint, epistola 3. Jesuitarum Parisiensium pag. 16. confitetur. Quid si ergo, post aditum cordis sui quibusvis cogitationibus bonis occlusum, decem adulteriorum, totidem homicidiorum peccatorumque contra naturam millia commiserint, in inferno pœnas non luent velut adulteri, homicidæ, masculorum concubitores, &c. sed sicut culpabiliter negligentes aperire cor suum cogitationibus bonis, seu advertentiæ de malitia peccatorum illorum; totaque pœna, quam in inferno patientur, isti soli negligentiæ, causæque culpabili erit proportionata. Quod profectò est horribile dictu, sacrisque de punitione impiorum oraculis, communibusque Christianæ Religionis notionibus adversum.

Secundò doctrina illa à peccato theologico, in se, & secundùm se imputabili, excusat horrenda commissa contra Dei legem culpabiliter ignoratam; atque adeò (quoad expressionem) pejor & horribilior est doctrinâ de peccato philosophico, per Alexandrum VIII. damnatâ. Dum enim *notus* erat *in* sola *Judæa Deus*, plurimas gentes, vel saltem homines Deum, vel saltem Dei legem, horrenda illa hominibus prohibentem ignorasse, cumque Epicureis dixisse : *cardines cæli habitat, nec nostra considerat*, vel curat (Job. 22.) Scriptura, & multiplex historia testantur. Quod licèt acciderit culpâ ipsorum, in eo equidem statu de lege Dei prohibente, actu non cogitarunt, dum horrenda contra agnitam sibi rationem naturalem perpetrarunt. Igitur horrenda illa, secundùm Terillianam doctrinam, non fuerunt peccata theologica, in se & ratione sui imputabilia, sed philosophica dumtaxat. Imò ne in causa quidem fuerunt peccata theologica, sive in culpa, per quam in ignorantiam illam, seu incogitantiam devenerunt : utpote quam etiam contra Dei legem esse non cogitarunt. Igitur doctrina illa damnata est, & plusquàm damnata per Alexandrum VIII. 129

Tertiò, Atheos positivos, qui vel *dixerunt in corde suo, non est Deus*, vel cum Epicureis Deos finitæ majestatis admiserunt, sed circa seipsos dumtaxat occupari, nec nostra considerare vel curare censuerunt, de offensa infinitæ majestatis, vel periculo illius actu cogitasse, dum horrenda commiserunt, improbabile est. Quomodò enim metuere potuerunt offensam illius, quem vel non esse, vel nullâ re nostrâ offendi sibi persuaserunt? Istis proinde Atheis, Epicureisque, horrenda committentibus, Terilliana doctrina tribuit speciem quamdam impeccabilitatis, vel immunitatis à suppliciis æternis : utpote quæ solùm debita sunt formaliter offendentibus Deum infinitæ majestatis, agnitæ ut talis, secundùm vulgatam doctrinam Societatis. 130

Quartò, infinitam multitudinem Ethnicorum & Barbarorum, qui per ignorantiam culpabilem ignorarunt Deum quidquam hominibus præcepisse, vel prohibuisse, excusandam à peccato theologico per se imputabili, in omnibus quæ contra Dei legem perpetrarunt. Neque enim peccata illa, per se & ratione sui, fuerunt liberæ ac voluntariæ transgressiones divinæ legis, de qua nullam cognitionem, nullam cogitationem habuerunt. Ut enim Terillus ait q. 62. assert. 2. *plena ignorantia legis, & rei per legem vetitæ, non est peccatum contra legem taliter ignoratam*. Et ut ait q. 63. n. 64. 131

64. *ubi nulla divinæ legis est applicatio per cognitionem, nulla legis illius datur transgressio, seu peccatum theologicum.* Igitur peccata illa, secundùm se, ad summum philosophica fuere, non obstante culpabilitate & vincibilitate ignorantiæ, seu incogitantiæ.

132 Quintò, si vera sit illa doctrina, sequitur peccata Judæorum, commissa ex culpabili ignorantia, quâ Dominum gloriæ non cognoverunt, qualia fuerunt blasphemiæ, contumeliæ, persecutiones Christi, & Apostolorum, deicidium, &c. non fuisse peccata per se & ratione sui imputabilia, sed solùm ratione alterius, nempe ignorantiæ culpabiliter admissæ. Quod (licèt Terillus concedat in fundam. Theol. Moral. q. 16. n. 68.) piis auribus incutit horrorem.

133 Sextò, sequitur quoque eum qui ex culpabili ebrietate decem committit fornicationes, vel decem homicidia, graviùs non peccare, nec graviùs puniendum esse, quàm si unam dumtaxat fornicationem, unum homicidium committeret. Et illum ex duobus, æquali culpâ æqualiter excæcatis & induratis, qui centum adulteria totidemque homicidia committeret, non magis peccaturum, nec puniendum, quàm alterum, qui unum tantummodò perpetraret. Cùm sic philosophandum sit de peccatis commissis ex ebrietate, cæcitate & obduratione culpabili, sicut de commissis ex ignorantia culpabili. Illud autem quis non exhorreat?

134 Scio Adversarios concedere, non solam primam ignorantis, ebrii, excæcati, indurati, culpabilem causam, sed & liberam illius continuationem, seu perseverantiam in ea, ad culpam novam imputari. Sed liberam illius continuationem ipsi non admittunt, si nulla occurrat culpabilis causæ non continuandæ, seu depellendæ actualis cogitatio, nulla nova vel continuata libertas excutiendæ ebrietatis, nulla hîc & nunc gratia sufficiens ad tollendam cæcitatem, obdurationemque. Qualis nulla adest, si nulla actualis cogitatio ad eam tollendam occurrat.

CAPUT XV.

Satisfit contrariis argumentis.

135 Objicies 1°. Augustinus in exposit. quarumd. propos. in Epist. ad Rom. propos. 62. Pharaonem liberâ voluntate obduratum, non culpat in eo quòd Deo in statu illo non obtemperaverit, sed in eo dumtaxat quòd causam voluntariam obdurationi dederit: *non ergo hoc illi imputatur, quòd tunc non obtemperaverit, quandoquidem obdurato corde obtemperare non poterat; sed quia dignum se præbuit, cui cor obduraretur, præcedenti infidelitate.*

Respondeo cum Thoma de Lemos in Panoplia gratiæ to. 4. l. 4. p. 2. tr. 3. c. 20. n. 296. illas explanationes Epistolæ ad Romanos scripsisse Doctorem sanctum (ut ipse testatur 1. Retract. c. 23.) cùm adhuc esset Presbyter, nec in his materiis, tunc ita, sicut postea versatus. Unde in aliis posterioribus opusculis & libris contrarium omninò docet, non solùm dum v. g. q. 50. super Deuteron. generaliter docet: *sine adjutorio Dei homines.... obedire non posse.... Et tamen si adjutorium Dei desit, non ideò excusabile esse hominis vitium*) verùm in particulari, loquendo de eodem Pharaone, ut patet 1°. ex lib. 83. qq. q. 68. ubi sic habet: *illi*, nempe Pharaoni, *non defuisse vocationem, cui posset obtemperare*, memoriam utique de bonis quæ receperat terra sua ex Joseph, ut propterea à persecutione Israëlitarum desistere debuisset. Et clariùs serm. 88. de temp. ubi ex instituto refellit eos qui dicunt, Pharaoni imputandum non fuisse peccatum quod fecit, cùm erat induratus. Denique lib. 1. Retract. c. 15. hanc & similes propositiones retractat, dum ait: *Qui verò cogenti cupiditati, bonâ voluntate resistere non potest, & ideò facit contra præcepta justitiæ, jam hoc ita peccatum est, ut sit etiam pœna peccati.*

Vel ipse Pharao hujus testis est veritatis, 136
dum Exodi 9. post plagam septimam, misit & vocavit Moysen & Aaron, dicens ad eos: *Peccavi etiam nunc. Dominus justus: ego & populus meus impii.* Et c. 10. post octavam: *Festinus Pharao vocavit Moysen & Aaron, & dixit eis: Peccavi in Dominum Deum vestrum, & in vos. Sed nunc dimittite peccatum mihi, etiam hâc vice, & rogate Dominum Deum vestrum, ut auferat à me mortem istam.* Sed & de Judæis, Pharaoni similibus in obstinatione juxta Joan. 12. Christus ibidem c. 15. dicit, quòd *nunc excusationem non habent de peccato suo.* Aliam solutionem vide p. 1. c. 25.

Objicies 2°. S. Thomas supplem. q. 98. a. 137
6. ad 3. expressè dicit, quòd *necessitas peccandi, cujus causa sumus, excusat à culpa, in quantum est necessitas quædam. Quia omne peccatum oportet esse voluntarium. Sed quòd non excuset, hoc est in quantum à voluntate precedente processit. Et sic totum demeritum sequentis culpæ videtur ad primam culpam pertinere.*

Respondeo, S. Thomam non dicere quòd nullum sit demeritum sequentis culpæ, nisi demeritum prioris culpæ, sed totum demeritum sequentis culpæ ad primam culpam pertinere, quantùm ad primam radicem demeriti, quæ est ratio voluntarii & liberi. Siquidem peccata commissa ex necessitate, in quam culpâ nostrâ incidimus, non sunt libera & voluntaria in se, sed in culpa illa, seu causa culpabili dumtaxat. Hoc ipso verò quòd libera sunt & voluntaria in ejusmodi causa, in seipsis verè peccata sunt, verèque imputabilia. Et, quamvis in damnatis (de quibus ibi S. Doctor) in seipsis demeritoria non sint, *propter hoc non excusantur à demerito, quia damnati necessitatem peccandi habeant* (ait ibidem S. Doctor) *sed quia ad summum malorum pervenerunt.* Quòdque ratio liberi & voluntarii in

causa sufficiat ad hoc ut in seipsis peccata & ad novam pœnam imputabilia sint, quæ contra legem sequuntur ex tali causa, S. Thomas expressè docet in 2. dist. 35. a. 3. ad 3. q. 2. de malo a. 1. ad 11. q. 23. de volunt. Dei a. 7. ad 6. 1. 2. q. 7. a. 5. q. 76. a. 4. ad 4. 2. 2. q. 79. a. 3. ad 3. & q. 150. a. 4. Confer quæ dixi p. 1. c. 24 & 25.

138 Objicies 3°. *Si* ad novam pœnam imputabilia forent peccata, quæ contra legem Dei sequuntur ex causa culpabili, v. g. ebrietate, sequeretur ex duobus ebriis, horas omittentibus, quorum unus moritur ante tempus, alter post tempus obligationis earum, graviùs in inferno puniendum istum, quàm illum. Quod videtur absurdum. Sic enim majus peccatum, majorque damnatio istius penderet à casu fortuito. Nec servus qui suâ sibi culpâ oculos eruit, vel crura fregit, novam pœnam incurrit, ex hoc quòd post culpam istam ad imperium domini non currat, nec videat quid agatur.

Respondeo S. Thomam 1. 2. q. 76. a. 4. ad 4. expressè docere, peccatum in ebrietate commissum, novam ac distinctam mereri maledictionem: cùm docet, quòd *ebrius meretur duplices maledictiones, propter duo peccata quæ committit, scilicet ebrietatem, & aliud peccatum, quod ex ebrietate sequitur.* Cùmque 2. 2. q. 79. a. 3. ad 3. de peccato omissionis expressè dicit, quòd ei qui se inebriando, voluntariè se reddidit impotentem ad non omittendum, *omissio* (effectivè) *incipit imputari ad culpam, quando fuit tempus operandi, propter causam præcedentem, ex qua omissio sequitur* (quod & docet in 2. dist. 22. q. 2. a. 1. ad 4.) per consequens docet eum in inferno graviùs puniri, qui moritur post tempus obligationis horarum, quàm qui moritur ante. Quia ille violat obligationem horarum, non iste. Nec propterea majus peccatum, majorque damnatio illius pendet à casu fortuito. Non enim fortuito casui tribuendum est, quòd unus præ alio moriatur ante tempus obligationis horarum; sed misericordiæ Dei, qui ipsum eripuit è vivis, antequam peccatum omissionis incurreret, alterum verò justo judicio non eripuit, sed ipsi concessit tempus omittendi. Quoad servum de quo in objectione, si facti ipsum pœniteat, mitiùs cum ipso agendum. Sin minùs, flagris continuis quis neget esse dignum? Cæterarum objectionum solutionem habes p. 1. cap. 25.

CAPUT XVI.

Ex doctrina capitibus præcedentibus stabilitâ magni momenti derivantur consectaria.

139 Sequitur namque 1°. plurimas in nobis esse culpabiles, vincibilesque ignorantias, inadvertentias, & incogitantias, per peccatum, & propter peccatum nostrum inductas, de quibus inde contrahendis nulla præcessit formalis & actualis cogitatio, vel suspicio. Nec immeritò Navarrum (apud Binsfeldium Enchirid. p. 3. c. 19.) dicere: *Horrendum quidem, sed tamen verissimum, multos damnari, ob non solutionem debitorum, nullum habentes conscientiæ scrupulum, credentes se non teneri ante declarationem per sententiam.*

Secundò, infidelitatem, Judaismum, hæresim, esse culpabiliter & imputabiliter in multis, certò persuadentibus sibi, veram se religionem sequi; tametsi nulla dubitandi ratio subierit aliquando; si tamen eum statum suâ sibi culpâ adsciverint, vel in eum ab initio inculpatè lapsi, suâ in eo culpâ permanserint, aliàs inde liberandi. Quod quando contingat, in hac rerum caligine, generali regulâ definire nemo potest, Psalmistâ dicente: *Delicta quis intelligit?* Neque enim per culpam quamcumque status ille contrahi videtur. Aliàs infidelitas negativa, in iis qui de Christo nihil audierunt, vix aut ne vix quidem inculpabilis esset, nisi fortè in primo rationis instanti. Quia nullus est qui non peccet. 140

Tertiò, multos, & valdè multos, sine conscientiæ remorsu peccare; multos absque scrupulo ad inferna descendere; multos malè abblandiri sibimetipsis, sub prætextu inadvertentiæ, seu incogitantiæ, quasi ob illam excusabiles forent: cùm tamen reverà sint inexcusabiles. Eò quòd per culpam suam inordinatumque ad creaturas affectum, vel immortificatas passiones, vel voluntarias mentis evagationes, dissipationesque, istas sibi inadvertentias adsciverint. Propterea namque Augustinus in Psal. 54. monet, aliquos in infernum descendere viventes: quia sciunt malum esse quod faciunt. Alios verò nonnisi mortuos in infernum descendere: quia quod agunt malum, vel ignorant, vel non advertunt; in qua peccatorum suorum ignorantia frequenter manent ad mortem usque. Similiter Bernardus serm. 2. de Assumpt. observat, multos esse, qui seducunt semetipsos, putantes se in statu salutis esse (dum sibi de specie pietatis abblandiuntur) qui tamen reverà sunt in statu damnationis, ob notabiles culpas, quas intùs fovent, imprudenter quidem, inadvertenterque, sed culpâ suâ: utpote excæcati per nimiam mentis suæ dissipationem, inordinationemque affectuum suorum: *Hominem intuere* (inquit) *qui confessus est, & deseruit manifesta peccata præcedentia ad judicium, & nunc solas manus movet ad opera mandatorum, corde penitus arido, ductus consuetudine quâdam, planè quasi vitula Ephraim, docta diligere triturare. Exteriorum videlicet, quæ ad modicum valent, nec unum iota præterit; sed camelum glutit, dum culicem liquat. In corde enim servus est propriæ voluntatis, cultor avaritiæ, gloriæ cupiens, ambitionis amator, alienus à charitate fraterna, adversus proximum æstuans livore, felle amaritudinis & vindictæ, & mentitur iniquitas sibi. Videas enim sic palliatum hominem, ut seducat etiam semetipsum, non attendens ver-* 141

mem, qui interiora depascitur. Manet enim superficies, & salva sibi omnia arbitratur.

142 Quartò, inexcusabiles esse illos, in quibus „ affectus ingens ad peccatum consuetudoque „ peccandi „ (ut Eminentiss. D. Card. Bona sapienter observat in princip. vit. Christ. p. 1. §. 38.) „ rationis debile lumen obscurat, ipsam„ que conscientiam suffocat, & sopit, ne ullo „ peccati sensu tangatur. Atque ita fit, ut mul„ ta quotidie perpetrentur, quorum sensum adi„ mit affectus, qui in ipsa præcipitat, & noti„ tiam eorum tollit ipse usus malus. Hoc vide„ licet habet infelix consuetudo peccandi, ut „ quantò ampliùs delinquit, eò magis mentis in„ tuitus obscuretur. „ Nec tamen ideò immunis à peccato, quia peccare assuetus, peccati sensum amisit, peccatique assuetudine sensum excæcavit. Manifestum namque est quòd in istam cæcitatem insensibilitatemque suâ culpâ devenerit.

143 Quintò, maledictiones, juramenta, blasphemias, aliaque ejusmodi peccata iis imputari, qui in ea prolabuntur ex culpabili iracundia, ad cujus emendationem seriò non allaborant, tametsi ex ea soleant in istas maledictiones, juramenta, blasphemias prorumpere; tametsi interim maledicendo, jurando, blasphemando non advertant se peccare. Tunc enim de istis philosophandum, uti de homicidiis, impudicitiis, &c. committi solitis in ebrietate, quæ licèt non præcogitentur, nec advertantur, imputantur, ut S. Thomas docet 3. contra Gent. 159. & 160. Et 1. 2. q. 77. a. 7. & 8. & q. 73. a. 8.

144 Sextò, imputabile esse peccatum commissum sub voluntaria culpabilique privatione gratiæ sufficientis. Hoc enim Traditio docet (uti demonstravimus lib. 9.) ratioque confirmat, quia ex contraria opinione consequens esset, Christum pro reprobis mortuum esse, ut ipsis (aliàs impeccabilibus, peccato per se ad culpam imputabili) promereretur gratiam, cum qua peccato per se imputabili, non solùm peccare possent, sed & (absque adminiculo gratiæ efficacis) infallibiliter peccarent. Quod piæ aures non sustinent. Deinde opinio illa communi Sanctorum doctrinæ absque fundamento contradicit. Unicum quippe fundamentum ipsius est impotentia cavendi peccatum absque gratia ad id sufficiente. Cui respondent Sancti, impotentiam ex culpa voluntaria provenientem non excusare à peccato per se imputabili labentem in illud; sicut non excusat à peccato per se imputabili non surgentem à lapsu, qui etiam sine gratia, per se solum, à lapsu surgere non potest. Qua de re Mellifluus Doctor serm. 81. in Cantic. elegantem hunc discursum facit: *Quod surgere anima per se jam non potest, quæ per se cadere potuit, voluntas in causa est, quæ corrupti corporis vitiato ac vitioso amore languescens, & jacens, amorem pariter justitiæ non admittit. Ita nescio quo pravo & miro modo, ipsa sibi voluntas, peccato quidem in deterius mutata, necessitatem facit, ut nec necessitas, cùm voluntaria sit, excusare valeat voluntatem; nec voluntas, cùm sit illecta, excludere necessitatem.* Et rursus: *Premebatur jugo, non alio quàm voluntariæ cujusdam servitutis. Et erat pro servitute quidem miserabilis; sed pro voluntate inexcusabilis. Ubinam, quæso, hanc violentiam sentis? Nonne in voluntate? Non ergo parum fi miter vis, quod nolle nequeas, nec multùm obluctans. Porrò ubi voluntas, ibi libertas. Atque utinam prohibitio hæc, & hæc compulsio, ita esset violenta, ut non esset voluntaria! forsitan enim sic possem excusari. Aut certè ita esset voluntaria, ut non esset violenta! profectò enim sic possem corrigi. Nunc vero nusquam exitus misero patet, quem & voluntas, ut dixi, inexcusabilem, & incorrigibilem necessitas facit.*

Septimò tandem, prorsus infundatum, tra- 145
ditionique & experientiæ contrarium est, quod Doctor Moynius, in superiori opinione velut temperamentum inveniisse sibi visus, docuit, ad peccandum saltem necessariam esse gratiam, invitantem hominem ad orandum pro ulteriore gratia; nec committi peccatum propriè dictum, & imputabile ad culpam, nisi infundatur aliquid dilectionis à Deo, per quod inclinetur in rem quæ præcipitur. Nisi deinde inspiretur ipsi notitia infirmitatis, notitia Medici, desiderium sanitatis, affectus implorandi auxilium. Hæc omnia (inquit) nisi in animo peragantur, actio non est verè peccatum, saltem imputabile ad culpam. Ita ille. Sed non ita Augustinus, non ita Fulgentius, non ita Prosper, non ita Bernardus, non ita Doctor Angelicus, libro 9. relati. Et quid ab experientia magis alienum, quàm piis illis cogitationibus affectionibusque, ad implorandam Dei opem, toties animum incitari, quoties concupiscentia titillat, vel tentatio quoquo modo surrepit? Ergone quoties in die peccant Ethnici, toties in die piis illis cogitationibus & affectionibus præveniuntur. Ergone Neriones, Caligulæ, & similia hominum monstra, inter medias sordes suas, innumeraque flagitia, ad orandum Deum, iisdem cogitationibus pluiesquàm centies in die pulsati fuerunt? Ergone Athei, qui dixerunt in corde suo, *non est Deus*, de illo orando sæpiùs quolibet die cogitant? Ergone Philosophi illi, qui negabant Deo pro virtute supplicandum; sicut & Pelagiani, qui gratiæ auxilium negabant necessarium ad vitandum peccatum, de gratia & virtutibus à Deo petendis, cælestem à Deo cogitationem sæpiùs in die acceperunt? Ad vetulas inane commentum.

Corollarium.

Quemadmodùm ad peccandum formaliter, etiam contra legem naturalem, necessaria non est formalis & actualis notitia peccati; ita nec voluntarium formale & actuale voluntate peccati; sed ad hoc sufficit & requiritur voluntarium virtuale & interpretativum.

USque adeò peccatum voluntarium malum 146
est (ait Augustinus l. 1. Retract. c. 1.)

ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium. Concinit Angelicus Doctor 1. 2. q. 76. a. 3. dicens: *Voluntarium est de ratione peccati.* Enimverò, uti dixerat q. 19. a. 6. *nihil est moraliter bonum vel malum, nisi in ea ratione, in qua est voluntarium.* Meritò proinde Pius V. Gregorius XIII. & Urbanus VIII. damnarunt hanc propositionem: *Ad rationem & diffinitionem peccati non pertinet voluntarium; nec diffinitionis quæstio est, sed causæ & originis, utrùm omne peccatum debeat esse voluntarium.* Ante istos omnes Chrysostomus homil. 44. in Genesim: *ea solùm peccata nos condemnant, quæ scientes & voluntariè facimus.*

147 Hinc consequitur, ad peccandum formaliter, necesse esse quòd peccatum sit aliquo modo cognitum. Cùm de ratione peccati sit quòd sit voluntarium, & de ratione voluntarii sit, quòd procedat cum cognitione, sive quòd procedat *a principio intrinseco, cognoscente singula in quibus est actio.* Non solùm ergo postulat esse ab intrinseco, sed *cum additione scientiæ*, ait S. Thomas 1. 2. q. 6. a. 1. Propterea Augustinus l. 3. de lib. arb. c. 19. & l. de nat. & grat. c. 67. *Peccatum* (inquit) *quod propriè vocatur peccatum, liberâ.... voluntate, & à sciente committitur.* Sed quâ scientiâ? Non necessariò formali & actuali, uti manifestum est ex dictis à cap. 1. usque in præsens. Igitur saltem virtuali & interpretativâ.

148 Sed quæstio est, an necessaria sit scientia, seu cognitio, saltem interpretativa, peccati in ratione peccati, an sufficiat cognitio illius in ratione actûs? Omnes conveniunt, necessariam esse cognitionem, saltem virtualem & interpretativam illius in ratione peccati, si peccatum sit contra legem positivam. Quorumdam tamen opinio est, ad peccandum formaliter contra jus naturæ, sufficere cognitionem illius in ratione actûs. Quia censent Augustinum id tradere l. 1. Retract. c. 15. his verbis: *Qui nesciens peccavit, non incongruenter nolens peccasse dici potest, quamvis & ipse, quod nesciens fecit, volens tamen fecit. Quod enim, nisi voluisset, non fecisset, non coactus est facere. Quia voluit ergo fecit, etiamsi non quia voluit peccavit, nesciens peccatum esse quod fecit. Ita nec tale peccatum sine voluntate esse potuit, sed voluntate facti, non voluntate peccati.*

149 Verùm non ideò negat Augustinus peccatum esse debere virtualiter & interpretativè voluntarium voluntate peccati; sed formaliter & actualiter dumtaxat. Idque satis colligitur ex eo quòd, secundùm Augustinum, nemo contra legem naturalem formaliter peccet ex ignorantia, nisi voluntaria (uti constat ex dictis p. 4.) quandocumque verò ignorantia malitiæ latentis in actu, per quem transgredimur legem naturalem, voluntaria est, ipsa etiam legis naturalis transgressio voluntaria est, non solùm voluntate actûs, sed etiam voluntate peccati; eo sensu quo transgressio legum quarumcumque voluntaria est voluntate peccati, quando fit ex ignorantia voluntaria.

Enimverò, si actus ex se malus, sive legi 150
naturali contrarius, voluntariè fieret ex ignorantia peccati prorsus invincibili & involuntaria, per consequens actus ille, nullo modo voluntarius foret voluntate peccati, excusaretur à formali peccato, prout constat ex Decreto Alexandri VIII. de 7. Decemb. 1690. quo damnata est ista propositio: *Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc, in statu naturæ lapsæ, operantem ex ipsa non excusat à peccato formali.* Invincibilis verò ignorantia juris naturæ, operantem ex ipsa non excusaret à peccato formali, si ad peccandum formaliter, contra jus naturæ, necessarium non foret voluntarium, saltem interpretativum, voluntate peccati, cognitioque ipsi proportionata. Hoc enim dato, nulla, etiam interpretativa, juris naturalis cognitio necessaria foret, ad peccandum formaliter contra illud. Ubi verò nulla, etiam interpretativa, juris naturalis cognitio necessaria est, ad peccandum formaliter contra illud, nulla ipsius ignorantia, etiam involuntaria & invincibilis, obstat, ne contra jus illud formaliter peccetur. Nulla proinde, etiam invincibilis, excusaret.

Et ampliùs idipsum ostenditur, tum quia 151
in tantum ignorantia excusat à peccato, in quantum ignoratur aliquid esse peccatum. S. Thomas 1. 2. q. 76. a. 3. post Augustinum, dicentem: *Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras esse peccatum; sed quòd negligis quærere quod ignoras.* Et suprà n. 145. *Peccatum nullo modo est peccatum, si nullo modo* in ratione peccati *sit voluntarium.* Nullo verò modo in ratione peccati est voluntarium, si nullo modo in ratione peccati sit cognitum, sed invincibiliter ignoratum. Nec sufficit esse cognitum in ratione actûs. Quia, ut S. Thomas q. 3. de malo a. 8. *cùm aliquis nescit fornicationem esse peccatum, licèt sciat se fornicari, voluntariè quidem facit fornicationem, sed non voluntariè facit peccatum.* Confer quod S. Doctor addit infrà n. 154.

Tum quia nullus formaliter peccat, nisi qui 152
moraliter peccat, id est qui moraliter deviat à lege. Solus verò ille moraliter deviat à lege, qui ab ea deviat voluntariè ac liberè (quod non fit sine aliqua legis cognitione, saltem interpretativa) id enim solùm moraliter fit, quod voluntariè ac liberè, in ea ratione in qua moraliter fit.

Tum denique quia æquum non est homini 153
præcipere odium & fugam peccati, quod invincibiliter ignorat odiendum esse ac fugiendum. *Quid enim iniquius* (ait Tertullianus Apologet. c. 1.) quàm obligare ad hoc *ut oderint homines quod* odiendum invincibiliter *ignorant, etiamsi res meretur odium?* Meminerit tamen pius Lector suprà dictum esse, actum ex se intrinsecè malum, eo ipso virtualiter & interpretativè cognitum & volitum in ratione mali, quo formaliter cognitus & volitus est in ratione actûs.

CAPUT XVIII.

Ignorantia omninò involuntaria, sive facti, sive juris, etiam naturalis (si detur) sive positivi, tam divini, quàm humani, excusat à peccato ea quæ ex ignorantia hujusmodi fiunt.

154 SEquitur ex dictis capite præcedenti. Quia peccatum debet aliquo modo esse voluntarium voluntate peccati, saltem virtualiter & interpretativè. Nequit verò taliter esse voluntarium, quod omninò involuntariè est ignoratum. Hinc generatim Augustinus l. 3. de lib. arb. c. 19. *Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras.* Et c. 18. *An tanta fallacia est, ut caveri omninò non possit? si ita est, nulla peccata sunt.* Generatim quoque S. Thomas 1. 2. q. 76. a. 3. *Si talis sit ignorantia, quæ omninò sit involuntaria, sive quia est invincibilis, sive quia est ejus quod quis scire non tenetur, talis ignorantia omninò excusat à peccato.* Enimverò cùm nulla lex obliget, nisi quatenùs applicatur hominibus per cognitionem, ut idem S. Doctor tradit q. 90. a. 4. si prorsus ignoretur, ignorantiâ omninò involuntariâ, obligare non potest.

155 Dixi 1°. *sive sit ignorantia facti.* Siquidem accessus Jacob ad Liam, pro Rachele (licèt non suam) ab omnibus excusatur: quia ex ignorantia omninò involuntaria. Abimelech quoque Genes. 20. apud Deum per ignorantiam excusat factum suum, quo tulerat Sarai, uxorem Abram: *Domine, num Gentem ignorantem & justam interficies? Nonne ipse dixit mihi, soror mea est; & ipsa ait, frater meus est? in simplicitate cordis mei..... feci hoc.* Excusationemque ipsius recepit Deus: *Et ego scio quòd simplici corde feceris, & ideò custodivi te, ne peccares in me.* Nec Augustinus l. 2. contra Cresconium culpat vestientem se tunicâ furtivâ ex ignorantia omninò involuntaria, sed solùm ex quo cognoverit esse furtivam: *Si tunicâ ex latrocinio nesciens vestiretur, ex eo fit iniquitatis vestis illa, ex quo cognoverit; & ipse iniquus, nisi abjecerit. Et qui nesciens uxorem duxerit alienam, ex eo fit adulter, ex quo cognoverit, nisi discesserit.*

156 Dixi 2°. *sive juris, etiam naturalis, si detur*, juxta doctrinam Ecclesiæ n. 150. exhibitam.

157 Dixi 3°. *sive positivi, tam divini, quàm humani.* De humano omnes conveniunt. De divino, præter dicta n. 157. probatur 1°. ex Joan. 15. *Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent. Non utique peccatum nullum haberent* (ait Augustinus epist. 105. ad Sixtum) *qui pleni erant aliis magnis, multisque peccatis; sed hoc peccatum vult intelligi non eos habituros fuisse.... quo.... non crediderunt in eum:* ad quod est obligatio juris divini. Concinit S. Thomas lect. 3. in cap. 10. ad Rom. *Illi qui loquentem Dominum, per se, vel per ejus discipulos, non audierunt, excusationem habent de peccato infidelitatis*, tametsi fides in Christum sit de jure positivo divino.

2°. ex doctrina Ecclesiæ, quæ per Pium V. Gregorium XIII. & Urbanum VIII. damnavit hanc propositionem: *Infidelitas purè negativa, in his quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.* 158

3°. faciens contra legem Dei positivam, ex ignorantia ipsius omninò involuntaria, licèt contra eam faciat physicè & materialiter; non tamen moraliter & formaliter. Quia non liberè & voluntariè, ut vidimus n. 154. 159

An autem detur ignorantia prorsus involuntaria juris divini positivi? Nullam admittit Carolus noster ab Assumptione, nisi respectu negativè infidelium. Sed si detur in materia fidei, quidni & in aliis materiis? Quæcumque ratio probat unum, probat & alterum. Dari in materia fidei Evangelium, Ecclesia, Augustinus & Thomas declarant. Hoc ipso verò quòd id explicitè declarant in ista materia, implicitè hoc ipsum colligendum innuunt in aliis materiis; sicut hoc ipso quo factum Abimelech Scriptura explicitè declarat excusabile per ignorantiam, hoc ipsum implicitè insinuat de aliis factis quæ sunt pariter contra jus naturæ. Cùm sit eadem, vel similis ratio. Quam ob causam hoc ipso quo Evangelium expresè declarat, secundam Trinitatis Personam incarnatam esse, implicitè declarat primam vel tertiam similiter incarnari posse. 160

Fatendum nihilominùs, ignorantiam, sive facti, sive juris positivi, divini vel humani, à toto non excusare, si non sit totaliter involuntaria. Quod frequenter accidit in iis qui incurii sunt, vel non ut oportet solliciti in negotio salutis suæ; in illis præsertim, qui, occurrente dubio, vel negligunt inquirere, vel negligunt opportunam rerum agendarum notitiam à Deo precibus convenienter implorare. 161

LIBER UNDECIMUS.

AMOR CONSCIENTIOSUS,

Sive

De Conſcientia, interna amoris & morum Regula.

SOla Conſcientia præfati non amat: quia mavult facere, quàm dicere. Conſcientia quippe dicitur, quaſi *cordis ſcientia*, non oris. Ideò non quærit blanda verborum lenocinia, nec concinnos politi oris ſermones, nec Grammaticæ leges, nec Poëſis metros, nec Rhetoricæ pompam, nec Philoſophiæ argutias. Unum conſcientia bona amat, amare; amare utique quod amandum eſt, & quomodò amandum eſt. Hanc conſcientiam audit, qui illi præbet cor ſuum, qui illud ſummâ ratione petit. Summâ ratione cor hominis petit, qui dicit: *Fili præbe mihi cor tuum.* Cor hominis petit Deus, cui, antequam peteret, debebatur. Petit amorem amor: petit dilectionem, qui (ut verbis utar Salviani l. 4. de provid.) *ſuper amorem filiorum nos diligit, qui propter nos filio non pepercit, & quid dico filio? addo & hoc filio juſto, & hoc filio unigenito, & hoc filio Deo. Et quid dici amplius poteſt? & hoc pro nobis, id eſt pro malis, pro impiiſſimis, pro iniquis. Quis æſtimare hunc Dei erga nos amorem queat?* Tanto proinde amori cor ſuum non præbens, velut inexcuſabilis arguitur à propria conſcientia, quæ cùm ſit *ſignatum ſuper nos lumen vultûs tui Domine*, & æternæ lucis ſplendor, in nos revibratus, non poteſt non jugiter clamare, ut eum amemus, qui nos amore taliter prævenit, totque beneficiis demeruit. Iſtos conſcientiæ clamores, ſilentium tenere neſcientes, ſemper audit, qui fugitivus non eſt cordis ſui: ſolus eos non audit, qui extra ſe diffuſus, & vanis amoribus illigatus, conſcientiæ clamoribus aures occludit, non ſic colens animam ſuam, ſicut villam ſuam. Quem alloquens Cæſarius Arelatenſis homil. 20. *Clamat* (inquit) *tibi in conſcientia tua æterna juſtitia: quomodo gubernas agrum tuum, guberna & cor tuum. Quomodo colis villam tuam, cole & animam tuam. Quomodò ſuperfluos palmites tollis de vinea tua, ſic malos affectus tolle de anima tua.... Quomodò in vite tua totos ſuperfluos palmites amputas, & duos aut tres, qui ſunt legitimi, derelinquis; ſic & in anima tua, omnia deſideria mala & ſuperflua, Spiritûs ſancti gladio, & crucis falce debes incidere, & hoc tantùm, unde juſtitia, vel miſericordia, vel charitas cernitur, reſervare.*

CAPUT I.

Conſcientiæ definitio.

1 COnſcientiæ nomen non uno modo accipitur: cùm ipſam animæ ſubſtantiam Apoſtolus conſcientiam vocet. Hebr. 9. *Sanguis Chriſti emundabit conſcientiam noſtram.* Sed famosè accipitur pro dictamine rationis, antecedente vel conſequente actus noſtros. Quod ſi ſit antecedens, dicitur conſcientia faciendorum: ſi conſequens, conſcientia factorum, de qua Tridentinum ſeſſ. 14. c. 5. *confitenda* dicit *à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem diſcuſſionem conſcientiam habent.*

2 Nihil porrò aliud eſt conſcientia, hoc modo ſumpta, niſi dictamen rationis, quo recognoſcimus nos hoc vel illud feciſſe, vel omiſiſſe; vel id quod fecimus, vel omiſimus, eſſe benè vel malè factum, vel omiſſum, prout S. Thomas explicat 1. p. q. 79. a. 13. Et ipſa eſt, quæ dicitur nos accuſare, reprehendere, remordere, torquere, pungere, teſtificari contra nos, ſi malè egerimus; excuſare verò, defendere & lætificare, ſi benè. Rom. 2. *Teſtimonium reddente illis conſcientiâ ipſorum, & inter ſe invicem cogitationibus accuſantibus, vel etiam defendentibus.* Tanti verò faciendum eſt bonum conſcientiæ teſtimonium, ut SS. Patres moneant, parùm nobis curandum, quid de nobis alii ſentiant, modò nobis teſtimonium bonum perhibeat conſcientia in Spiritu ſancto Rom. 9. Ut enim dicitur can. *in cunctis* 11. q. 3. quem conſcientia defendit, & inter accuſationes liber eſt; & liber, vel ſine accuſatione, eſſe non poteſt, ſi ſola, quæ interius addicit, conſcientia accuſet. Unde Auguſtinus l. 2. contra Secundin. c. 1. *Senti de Auguſtino quidquid libet, ſolùm me, in oculis Dei, conſcientia non reprehendat.* Et Gregorius l. 6. epiſt. 14. *Nullius nos lingua implicet, ubi conſcientia non accuſat.*

3 De conſcientia tamen taliter accepta, ſeu conſequente, & factorum, in præſenti diſſerere non ſuſcipimus; ſed de conſcientia antecedente, ſeu faciendorum. Quæ quia antecedit actus noſtros per modum regulæ, convenienter *antecedens* dicitur. Ab Origene verò l. 2. in epiſt. ad Rom. dicitur eſſe velut Pædagogus & Rector animæ, monens de agendis vel omittendis, l. 2. C. de fideicommiſſo dicitur *Angelus mentis Præſes.*

4 Definitur autem, *Dictamen rationis noſtræ ex principiis generalibus ſyndereſeos, concludens quid hic & nunc, ſpectatis omnibus circumſtantiis, amplectendum, vel fugiendum ſit*, tanquam bonum vel malum, attentâ lege divinâ & humanâ. Differt à ſyndereſi, quòd ea ſit judicium nobis naturaliter inditum, quo in generali

generali judicamus v. g. *bonum esse amplectendum, malum fugiendum. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Jus suum cuique tribuendum. Nihil faciendum cum dubio an æquum sit*, &c. Conscientia verò est judicium superveniens generali isti judicio, illudque applicans ad actum particularem, & inde concludens quid hîc & nunc amplectendum sit vel fugiendum.

5 Unde judicium conscientiæ propriè est conclusio syllogismi practici, cujus majorem propositionem syndéresis statuit, v. g. dicendo, *omne malum est fugiendum.* Minorem verò, judicium de bonitate vel malitia hujus particularis actûs, v. g. subsumendo sic: *hic actus est malus.* Ex quo utroque conscientia concludit, v. g. *ergo hic actus est fugiendus.* In qua conclusione, uti dixi, conscientia propriè consistit, differtque à judicio elicito circa minorem propositionem, quòd judicium istud proximè & immediatè non dirigat operationem, sed mediante conclusione, seu ultimo conscientiæ dictamine; quod à nonnullis practicè practicum dicitur: prius verò illud, speculativè practicum.

6 Ad ultimum verò, seu practicè practicum conscientiæ dictamen sic pervenitur per syndéresim, & particulare judicium inde subsumptum, ut ad judicium de honestate vel inhonestate alicujus particularis actûs non uno semper velut gradu perveniatur, sed plerùmque per quatuor gradus. Quorum primus est dubitationis: cùm scilicet incipit quis dubitare de honestate vel inhonestate particularis actûs. Quo in statu necdum fert judicium: quia non magis applicat animum ad unam contradictionis partem, quàm ad alteram. Propter quod dubitatio, secundùm Legisperitos, non est probatio, nec gradus probationis. Secundus gradus est suspicionis, quem Jurisperiti vocant primum probationis: cùm scilicet intellectus ex levibus indiciis seu argumentis, incipit inclinari ad unam partem præ altera, v. g. quòd actus licitus sit, potiùs quàm illicitus. Quæ quidem suspicio plus habet credulitatis quàm dubitatio, & minùs quàm opinio, vocaturque *credulitas levis & temeraria*, cap. *inquisitioni* de sent. excom. in cap. verò *per tuas* 2. de simon. vocatur *conscientia scrupulosa.* Tertius gradus est opinionis, & dicitur secundus probationis; tuncque contingit, dum intellectus, ex gravi seu probabili argumento, credit actum v. g. esse illicitum absque certitudine, & vocatur *credulitas probabilis & discreta* cap. *inquisitioni* citato. Quartus gradus est plenæ credulitatis, estque tertius probationis, tunc contingens, dum intellectus certam habet credulitatem, quòd actus sit illicitus, ibidemque vocatur *fides, plenaque credulitas.*

CAPUT II.

Divisio conscientiæ.

7 Conscientia à Theologis dividitur 1°. in antecedentem & consequentem, de quibus n. 2. & 3.

2°. in præcipientem, consulentem, & 8
permittentem. Conscientia præcipiens est, quæ dictat aliquid esse de præcepto. Consulens, quæ dictat esse de consilio. Permittens, quæ dictat aliquid nec sub præceptum cadere, nec sub consilium, sed merè esse permissum.

3°. in veram & erroneam. Vera est, quæ 9
dictat licitum vel illicitum esse quod reverà est tale. Erronea, quæ dictat licitum esse vel illicitum, quod reverà non est tale.

4°. Conscientia dividitur in certam, pro- 10
babilem, dubiam, perplexam, scrupulosam, & laxam.

Conscientia *certa* est, quæ firmiter & absque formidine dictat aliquid licitum esse, vel illicitum. *Probabilis*, quæ ex gravi fundamento tale quid judicat, sed non firmiter, nec absque formidine de oppósito. Conscientia *dubia* nec dictat aliquid esse licitum, nec illicitum; sed anceps hæret inter utramque partem contradictionis, neutri assentiendo, nec magis in unam quàm in alteram inclinando. Conscientia *perplexa* est, quæ apprehendit & credit peccatum in utraque parte contradictionis, id est sive hoc vel illud feceris, sive non feceris. Conscientia *scrupulosa* est metus & formido, vel imaginatio animum excrucians & inquietans ex levibus conjecturis. Unde nec ipsa propriè conscientia est, sed umbra potiùs, seu similitudo conscientiæ, ut Laymannus observat l. 1. tr. 1. c. 3. n. 4. neque enim practicum est rationis judicium sive assensus, sed potiùs imaginatio fortis, fatuo igni similis, quâ miser homo vexatur & angitur. Conscientia denique *laxa* est quæ formatur secundùm opinionem laxam, de qua vide quæ dixi Prolegomeno 1. n. 120.

CAPUT III.

Explicatio conscientiæ rectæ.

Conscientiam rectam plerique confundunt 11
cum conscientia vera. Sed aliquod inter utramque videtur esse discrimen. Non enim omnis conscientia vera, videtur esse conscientia recta. Cùm impossibile sit hominem peccare sequendo conscientiam rectam; peccant tamen aliquando, sequendo conscientiam veram. Peccat quippe uxor, negando debitum viro, quem verè judicat esse suum, dum id temerè judicat, id est ex levi fundamento. Peccat etiam Judex, ad mortem condemnando reum, quem verè judicat nocentem, sed sine legitima convictione, vel rei confessione. Peccat denique filius, negando obedientiam patri, quem verè, sed temerè judicat non esse suum; eò quòd conjecturæ valdè probabiles suadeant esse suum, & nonnisi frivolæ occurrant in contrarium.

Quid igitur conscientia recta? Eam Theo- 12
logi ac Philosophi passim cum Aristotele 6. Ethic. 2. esse dicunt, quæ est conformis appetitui recto. Ita etiam S. Thomas in 3. dist.

33. q. 1. a. 1. in corp. & 1. 2. q. 57. a. 5. ad 3.

13 Porrò dupliciter conſcientia dici poteſt recta, quoad ſe utique, & quoad nos. Quoad ſe, quando reverà eſt conformis legi æternæ. Sed quia conformitatem conſcientiæ noſtræ cum lege æterna non cognoſcimus ſecundùm quod eſt in ſeipſa, ſed *ſolùm ſecundùm ejus quamdam irradiationem, vel majorem, vel minorem*, ut S. Thomas ait 1. 2. q. 93. a. 2. ideò data eſt nobis regula, per quam id diſcernere valeamus, ſcilicet ratio naturalis, vel revelatio ei ſuperaddita, prout idem S. Doctor ait ibidem q. 19. a. 4. ad 3. hiſce verbis: *Licèt lex æterna ſit nobis ignota ſecundùm quod eſt in mente divina; innoteſcit tamen nobis aliqualiter, vel per rationem naturalem, quæ ab ea derivatur, ut propria ejus imago; vel per aliqualem revelationem ſuperadditam.*

14 Per conſequens recta ratio noſtra eſt inſtar Præconis, nobis ſignificantis legem æternam; non eſt ergo prima regula actuum noſtrorum, ſed primæ ſubjecta, nec per ſe & ſine prima vim habens obligandi, ſed cum illa & per illam. Nam, ut S. Thomas ait ibidem in corp. *quòd ratio humana, ſit regula voluntatis humanæ, ex qua ejus bonitas menſuretur, habet ex lege æterna, quæ eſt ratio divina. Unde in Pſalm. dicitur: Multi dicunt, quis oſtendit nobis bona? ſignatum eſt ſuper nos lumen vultûs tui Domine. Quaſi diceret: lumen rationis, quod in nobis eſt, in tantum poteſt nobis oſtendere bona, & noſtram voluntatem regulare, in quantum eſt lumen vultûs tui, id eſt à vultu tuo derivatum. Unde manifeſtum eſt, quòd multò magis dependet bonitas voluntatis humanæ à lege æterna, quàm à ratione humana. Et ubi deficit humana ratio* (dum ſcilicet eſt erronea) *oportet ad rationem divinam recurrere.* Propterea etiam humana *ratio* ſimpliciter non eſt regula morum noſtrorum, ſed *ratio recta.*

15 Duplex verò eſt rectitudo rationis, ſpeculativa & practica. *Speculativa ratio dicitur eſſe recta ſecundùm quod ſe conformiter ad prima principia habet* (S. Thomas in 3. diſt. 33. q. 1. a. 1. in corp.) *ratio practica dicitur recta ratio ſecundùm quod ſe habet conformiter ad rectos fines.* Sive (ut ait 1. 2. q. 57. a. 5.) *verum intellectûs ſpeculativi accipitur per conformitatem intellectûs ad rem, &c. verum autem intellectûs practici accipitur per conformitatem ad appetitum rectum*, &c.

16 Nec in eo quòd *ratio* dicitur *recta* per conformitatem cum appetitu recto; appetitus verò rectus dicitur per conformitatem cum recta ratione, committitur vitioſus circulus. Quia aliter dicitur ratio recta per conformitatem cum appetitu recto, aliter appetitus rectus per conformitatem cum ratione recta. Quia, ut S. Doctor ait 1. 2. q. 19. a. 3. ad 2. *in iis quæ ſunt ad finem ratio dicitur recta per conformitatem cum appetitu recto, id eſt, cum appetitu ſeu intentione debiti finis*, ac in quantum ratio proponit media proportionata ad debitum finem conſequendum; appetitus verò debiti finis dicitur rectus per conformitatem cum recto de fine. judicio; quod judicium non dicitur rectum per conformitatem ad appetitum rectum, ſed per conformitatem ad objectum ſuum, in quantum ſcilicet objectum ipſius, vel ſecundùm ſe ſpectatum, vel ut talibus ſubſtat circumſtantiis, verè tale eſt, quale eſſe per judicium illud aſſeritur. Quod tale eſſe, conſtare debet per argumenta, quæ ſincerum amatorem veritatis, & ultimi finis, poſt adhibita media ad inveniendam veritatem neceſſaria, & amota illius inveniendæ obſtacula, ſufficienter moveant ad ſic judicandum.

Rectitudo ergo appetitûs, ſive ſincerus amor 17
veritatis, & ultimi finis, requiritur ad ferendum, in re obſcura, judicium rectum de operis honeſtate. Nam prout unuſquiſque affectus eſt, ita judicat.

Similiter ut rectè agamus, duo neceſſaria 18
ſunt, & bonitas finis, & bonitas mediorum. Ad finem bonum inclinat voluntas, erga illum per virtutes benè affecta; bona media ratio proponit per collationem eorum cum bono fine. Et hoc eſt quod iterùm S. Doctor ait 1. 2. q. 58. a. 4. *Ad hoc quòd electio ſit bona, duo requiruntur, primò ut ſit debita intentio finis: & hoc fit per virtutem moralem, quæ vim appetitivam inclinat ad bonum conveniens rationi, quod eſt finis debitus. Secundò, ut homo rectè accipiat ea quæ ſunt ad finem: & hoc non poteſt eſſe, niſi per rationem rectè conſiliantem, judicantem & præcipientem; quod pertinet ad prudentiam, & ad virtutes ſibi annexas.*

Ad rectitudinem ergo ſeu bonitatem actio- 19
num noſtrarum, neceſſe eſt quòd conformes ſint utrique regulæ, legi utique æternæ, tamquam regulæ primæ; rectæ quoque rationi, tamquam primam illam regulam nobis nuntianti.

Quòd ſi ratio noſtra nobis nuntiaret aliquid 20
tamquam lege æternâ præceptum, quod reverà præceptum non eſſet, ſed per eam prohibitum, & ſecundùm ſe malum: actio conformis iſti rationi non eſſet bona, ſed mala. Quia difformis primæ regulæ ſuæ. Et ideò corrigenda eſſet talis ratio, utpote ſemper vincibilis, nunquam invincibilis. Quia legis æternæ, ſeu naturalis, ignorantia nunquam eſt practicè invincibilis. Ob ea quæ dicta ſunt libro 10.

CAPUT IV.

Regula prima declarans obligationem ſequendi conſcientiam, ſeu veram, ſeu erroneam.

OBligatio ſequendi conſcientiam, ſeu ve- 21
ram, ſeu errantem, tanta eſt, ut quidquid fit contra conſcientiam, dictantem aliquid ex præcepto faciendum, vel omittendum, ſemper ſit peccatum, uti docet S. Thomas 1. 2. q. 19. a. 5. his verbis: *Omnis voluntas diſcordans à ratione, ſive recta, ſive errante, ſemper eſt mala.*

Et probatur 1°. ex Apoſtolo Rom. 14. 22

Omne

Omne quod non eſt ex fide (id eſt ſecundùm dictamen conſcientiæ) *peccatum eſt.* Sic enim, poſt Origenem, Ambroſium, Chryſoſtomum, Theophilactum, Oecumenium, Theodoretum, Anſelmum, illa Apoſtoli verba interpretantur Patres Concilii Lateranenſis can. 41. Sicut & D. Bernardus l. de præcepto & diſpenſ. c. 18. & 20. Tametſi iſte non ſit unicus ſenſus eorum, ſed & alium eadem verba ſenſum legitimum habeant, à SS. Patribus ſimiliter traditum, uti vidimus Prolegom. 6. cap. ult. §. 4.

23 2°. ex cap. *litteras* de reſtit. ſpoliat. *Quidquid ſit contra conſcientiam, ædificat ad gehennam.*

24 3°. voluntas non fertur in objectum ſuum, niſi ſecundùm quod à ratione proponitur. *Si ergo proponatur ut malum à ratione errante, fertur in hoc ſub ratione mali. Unde voluntas erit mala. Quia vult malum: non quidem id quod eſt malum per ſe, ſed id quod eſt malum per accidens, propter apprehenſionem rationis.* S. Thomas loco citato.

25 4°. omnis qui agit contra conſcientiam, proponentem aliquid ut lege Dei præceptum, quod reverà eſt prohibitum, vel contra, licèt non agat contra Dei legem effectu, agit affectu. Quia vult agere contra eam, & contemnit eam, uti tradit S. Doctor ibidem ad 2.

26 Si dicas 1°. imprudentis eſſe, ſequi ducem errantem. 2°. conſcientiam non eſſe primariam morum regulam, ſed ſecundariam, legi Dei æternæ, tamquam regulæ primariæ ſubordinatam. Ubi verò regula ſecundaria præcipit aliquid contrarium primariæ, huic potiùs obediendum, quàm illi, ſecundùm illud: *Obediendum Deo, magis quàm hominibus.*

27 Ad 1. reſpondeo id verum eſſe, dum cognoſcitur talis. Secùs dum id invincibiliter ignoratur; dum verò vincibiliter, depoſito errore, veritas ſequenda eſt.

28 Ad 2. reſpondeo, dum humana ratio præcipit aliquid contrarium legi æternæ, corrigenda eſt, eâque correctâ (utpote vincibiliter erroneâ) lex æterna ſervanda eſt, uti proximè dixi, & ampliùs dicam cap. 6.

CAPUT V.

Regula ſecunda: agere contra conſcientiam invincibiliter errantem, peccatum eſt ejus ſpeciei, & gravitatis, cujus eſſet, ſi conſcientia non erraret.

29 RAtio ſumitur ex eo quòd voluntas feratur in objectum ſibi à ratione propoſitum, ſub ea ſpecifica ratione, & gravitate ſub qua ſibi proponitur à ratione. Unde agere contra conſcientiam, juxta S. Thomam, & Doctores paſſim, non eſt peccatum ſpeciale: niſi contra conſcientiam agens, directè intendat ei rèſiſtere. Tunc enim ſpeciale committit peccatum inobedientiæ formalis, ſeu contemptûs regulæ ſuæ, in confeſſione ſpecialiter exprimendum. Nec agere contra conſcientiam ſemper eſt grave peccatum; ſed tunc eſt grave, dum quod agitur, tamquam grave peccatum à conſcientia proponitur; leve verò, ſi conſcientia ſolùm proponat illud ut leve. Niſi per errorem vincibilem ſeu culpabilem, proponeret ut leve, quod reverà eſt grave. Tunc enim foret grave peccatum.

Sed quid ſi conſcientia ſic proponat malum 30
eſſe quod agitur, ut non determinet an mortale ſit, an veniale, ſed ab eo prorſus abſtrahat?

Reſpondent Navarrus & alii ſolùm eſſe veniale, ſi nulla occurrat cogitatio vel dubitatio de mortali, vel de periculo illius, vel de gravitate materiæ. Quia malitia mortalis nec formaliter, nec virtualiter tunc apprehenditur, ſeu cognoſcitur: nullo proinde modo voluntati imputatur. Alii tamen, cum Vaſquez & Azorio, cenſent eſſe mortale. Quia ſi nulla ipſi tunc occurrat cogitatio vel dubitatio de mortali, culpa eſt ſeu negligentia, aut imprudentia ipſius. Cùm enim cognoſcat malum eſſe, quod operari vult, ad operandum imprudenter procedit, ſi procedat abſque debito examine de quantitate malitiæ, ſeque culpabiliter exponit periculo operandi id quod graviter eſt malum. Unde non videtur practicè fieri poſſe, quin defectus cogitationis vel dubitationis de gravitate malitiæ, ipſius negligentiæ vel imprudentiæ tribuatur.

Sed cur dici non poteſt, cum ingenioſo Re- 31
centiore, tunc committi peccatum immediatè individuatum à parte rei, id eſt à parte rei nec mortale, nec veniale? Reſpondeo, partim quia non libet, nec licet in moralibus ſingularia ſequi & nova. Partim quia veri nominis peccatum, à parte rei nec mortale, nec veniale, impoſſibile eſt; ſicut impoſſibilis eſt offenſa Dei à parte rei nec magna, nec parva; impoſſibilis pœna peccati à parte rei nec magna, nec parva; impoſſibilis quantitas à parte rei nec magna, nec parva, &c.

Et ratio eſt quia omnis offenſa Dei, à par- 32
te rei, vel pertingit uſque ad divinæ amicitiæ diſſolutionem, vel non pertingit (cùm enim hæc duo contradictoria ſint, non eſt poſſibile inter ea medium.) Si pertingit, mortalis eſt. Si non pertingit, venialis. Nihil quippe aliud eſt offenſa Dei venialis, niſi offenſa Dei, non pertingens uſque ad diſſolutionem divinæ amicitiæ: ſicut quantitas parva nihil aliud eſt, niſi quantitas non magna; pœna levis, nihil aliud niſi pœna non gravis, &c.

Unde offenſa Dei, à parte rei nec mortalis, 33
nec venialis, nullum habet in Scriptura veſtigium, nullum in Patribus, nullum in Theologis antiquis, imò nullum in Recentioribus, ipſo ſolo excepto. Qui nullo alio fundamento movetur ad ſingularitatem & novitatem iſtam, niſi quòd ad contrahendam malitiam venialem neceſſaria ſit illius cognitio; ſicut ad contrahendam malitiam mortalem neceſſaria eſt cognitio mortalis.

Verùm ratio iſta nulla eſt. 1°. quia in ſimi- 34
li forma nimis probat, poſſe utique committi

offensam Dei chymericam, id est quæ nec pertingat, nec non pertingat ad divinæ amicitiæ dissolutionem, dicendo, ut dicit ipse, quòd ad committendam offensam, non pertingentem ad dissolutionem divinæ amicitiæ, necessaria sit cognitio istius non pertingentiæ; sicut ad committendam offensam, eò pertingentem, necessaria est cognitio istius pertingentiæ.

35 2°. in sententia Navarri n. 30. relata offensa gravis ideò committi nequit, absque cognitione gravitatis, quia alioqui committi posset offensa gravior, quàm foret cognita; atque adeò gravior, quàm foret voluntaria. Cui nihil simile sequitur ex eo quòd offensa levis committatur absque cognitione levitatis. Cùm levitas non aggravet, sed alleviet malitiam; nec aliud sit nisi offensa non pertingens ad dictam dissolutionem; eo ipso proinde committatur, quo committitur offensa eò non pertingens. Ad quod sufficit cognitio offensæ, non cognitâ pertingentiâ illâ. Cùm enim offensa eò pertingens committi nequeat sine aliqua istius pertingentiæ cognitione, saltem virtuali (si vera sit sententia illa) eo ipso quo committitur offensa, absque ulla istius pertingentiæ cognitione, committitur offensa non pertingens; atque adeò offensa venialis. Nec pluribus opus ad chymericam opinionem illam refellendam.

CAPUT VI.

Regula tertia: laborans conscientiâ erroneâ, vincibiliter dictante esse faciendum, quod revera malum est, tenetur eam deponere. Quia, nisi deposuerit, peccat, sive sequatur eam, sive contra faciat.

36 QUòd enim peccet, eam sequendo, ratio est, quia sicut ignorantia, sic error vincibilis non excusat à peccato. Quòd verò peccet contra faciendo, ratio est, quia omne quod contra conscientiam agitur, peccatum est, ut constat ex dictis cap. 14.

37 Nec ideò homo tunc constitutus est in inevitabili necessitate peccandi. Quia peccatum vitare potest, conscientiam deponendo. Eam proinde deponere debet, ne peccet. Videri potest S. Thomas 1. 2. q. 19. a. 6. ad 3. ubi totam hanc assertionem eleganter tradit his verbis: *Sicut in syllogismis, uno inconvenienti dato, necesse est alia sequi: ita in moralibus, uno inconvenienti posito, ex necessitate alia* sequuntur. *Sicut supposito quòd aliquis quærat inanem gloriam, sive propter inanem gloriam faciat quod facere tenetur; sive dimittat, peccabit. Nec tamen est* inextricabiliter *perplexus: quia potest intentionem malam dimittere. Et similiter, supposito errore rationis; vel conscientiæ, qui procedit ex ignorantia non excusante, necesse est quòd sequatur malum in voluntate. Nec tamen homo est perplexus: quia potest ab errore recedere, cùm ignorantia sit vincibilis & voluntaria.*

38 Non temerè tamen deponendus est error sed prudenter. Aliàs perinde esset ac si non deponeretur. Quia revera non deprehenderetur ut error; per consequens licitè & rationabiliter non deponeretur, sed cum periculo deponendi conscientiam rectam. Ad prudentem verò depositionem, sufficit rationabilis persuasio quòd absque fundamento sufficienti concepta fuerit: cùm eo ipso explodenda sit, velut leviter & temerè concepta. Quòd si concepta fuerit ex fundamento existimato certo, vel probabili, veritas (depositis præjudiciis & inordinatis affectibus) investiganda est, donec fundamenti falsitas vel insufficientia appareat. Et tunc error deponendus est.

CAPUT VII.

Regulæ servandæ ab eo qui laborat conscientiâ perplexâ.

39 *Regula prima*: laborans conscientiâ vincibiliter perplexâ, seu vincibiliter credens vel dubitans, se peccaturum, sive hoc vel illud fecerit, sive non fecerit, tenetur perplexitatem deponere. Quia tenetur peccatum vitare; atque adeò medium ad id necessarium adhibere. Quod profectò medium est depositio perplexitatis: utpote, quâ non depositâ, peccat, utramvis partem elegerit, ut constat ex dictis de conscientia vincibiliter errante.

40 *Regula secunda:* laborans conscientiâ invincibiliter perplexâ, peccat, si eam partem elegerit, in qua credit vel dubitat, gravius esse peccatum. Quia ex duobus malis potest & debet eligere minus.

41 *Regula tertia*: laborans conscientiâ invincibiliter perplexâ (quod non contingit in materia juris naturalis) non peccat, si utramvis partem elegerit, quando in utraque credit æquale esse peccatum, vel minus in ea quam eligit. Tunc enim peccatum ipsi non est libertum. Cùm illud cavere nequeat. Ipsi quippe impossibile est utramque partem contradictionis vitare. Cùm igitur ad impossibile nemo teneatur, nihil aliud ab ipso Deus exigit, nisi ut ex duobus malis eligat minus, si in aliqua ex duabus partibus minus ipsi malum appareat, secundùm quod dicitur can. *nervi.* dist. 13. *Cùm in dubiis constringimur, utiliter minimis subdimur, ne in magnis sine venia peccemus.* Et ibidem canone præcedenti: *Duo mala, licèt sint omninò cautissimè præcavenda, tamen si periculi necessitas, vel conscientiæ perplexitas, ex his unum perpetrare compulerit, id debemus resolvere, quod minori nexu noscitur obligare. Quid autem ex his levius, quidvè sit gravius, pura* (aliàs piæ) *rationis acumine investigemus.*

CAPUT VIII.

Regulæ pro laborantibus conscientiâ scrupulosâ.

42 SCrupulus frequenter quidem est judicium quoddam imperfectum, ad unam partem

determinatum ; ex inani aliqua & frivola ratione , quâ quis inquietatur , suspicans , vel timens ibi esse peccatum , ubi revera non est , & propterea suspicio vel credulitas levis à Doctoribus dicitur , omneque judicium , ex levibus conjecturis animum inquietans , à S. Antonino , sicut & à S. Ignatio (apud Bresserum l. 6. c. 1.) scrupulus dicitur. Sæpè tamen vel non est nisi quædam formido voluntatis, quâ timetur peccatum , ubi non est , vel quædam ea de re imaginatio , ut suprà dixi , & benè advertit sapientissimus noster Lezana hîc disput. 12. q. 7. & post ipsum Mastrius Theol. Moral. disp. 1. n. 40.

43 Quidquid de eo sit , conscientia scrupulosa, afflictio est sine dubio magna , ob spiritualia damna non modica , ex scrupulis provenientia. Siquidem animæ pacem jugiter perturbant ; mentem assiduè cruciant ; spiritûs impediunt libertatem , ne prompto expeditoque affectu feratur in Deum : animam ineptam reddunt ad percipiendas S. Spiritûs consolationes ; hominem ab orationis , aliorumque nobilium actuum exercitio , vanis terriculamentis , impediunt , plurimùmque ipsi temporis suffurantur non sine ingenti periculo lædendi cerebrum , scrupulosumque ad insaniam redigendi. Nec dubium quin multarum animarum spiritualem progressum per scrupulos diabolus impediat ; licèt plurimas quoque animas , istâ exercitatione , Deus ad se trahat , purificet , sanctificetque.

44 Et ideò charitas Christi urget nos ad suggerenda remedia isti morbo curando necessaria , tradendasque regulas , quas , pro scrupulosorum curatione , oportet à Confessariis , seu Directoribus , & ab ipsis scrupulosis observari.

45 *Regula prima :* Confessarius animadvertens aliquem scrupulis agitatum , ipsum anteà monere debet , quòd scrupulosus sit , & secundùm regulas scrupulosorum curandus. Ad quod credendum , Confessariique judicio in eo se submittendum compellendus est. Quia aliàs contemnere non posset scrupulos suos , nisi cum periculo contemnendi conscientiam suam.

46 Ipsum verò scrupulosum esse , deprehendet ex indiciis sequentibus. 1°. si in rebus certis frequenter hallucinetur , inquieteturque , ex levibus conjecturis peccati suspicionem aut formidinem frequenter concipiendo , ubi docti & timorati nullam peccati speciem agnoscunt.

2°. si circa actus suos nimiùm reflectere soleat , anxiusque esse , an sibi liceat , quod aliis licere judicat , vel quod ab aliis timoratis absque formidine practicatur.

3°. si post consilium à viris doctis petitum , super eorum resolutionibus nimiùm reflectat , iisque acquiescere nesciat , tametsi ipsos omni exceptione majores credat.

4°. si ex levibus apparentiis judicium frequenter mutet , v. g. circa lectum , vel non lectum aliquem versiculum , vel Psalmum.

5°. si solitus sit ferè de omnibus dubitare ; sive anxius esse absque fundamento.

Porrò dum aliquis à Confessario , vel alio prudente Directore , cui conscientiam suam sæpiùs communicavit , scrupulosus judicatur , ipsi credere debet , non suo judicio stare , tametsi aliàs sit vir doctus. Quia scrupulosus rarò vel nunquam se scrupulosum credit , si proprio judicio stet , nec levia credit indicia & conjecturas , quibus inquietatur. Aliàs non sineret se iis inquietari. 47

Immò frequenter accidit , nonnullos (sive ex Directoris monitione , sive ex propria experientia convictos) agnoscere se habitualiter scrupulosos , in singularibus tamen actibus , ubi hîc & nunc operandum est , non credere esse scrupulum , seu vanum timorem quo inquietantur. Ipsis proinde facilius est alienos quàm proprios discernere scrupulos. 48

Regula secunda : Director ipse inculcet necessitatem obedientiæ cæcæ , quâ omninò debeat ductum & consilium spiritualis Directoris in omnibus sequi. Istud quippe est remedium tantæ necessitatis & efficaciæ pro curandis scrupulis , ut nullum sit majoris efficaciæ vel necessitatis : utpote sine quo nulla alia remedia sunt profutura. Et ideò Director istud tam firmiter inculcare debet , ut nisi scrupulosus animo paratus sit id præstare , vel saltem ad id seriò conari , dimittendus sit tamquam incurabilis. Cùm isto solo remedio curabilis sit. 49

Ad persuadendam autem scrupuloso necessitatem istius obedientiæ , ipsi proponat motiva sequentia. 1°. quòd scrupulosus in tali statu , idoneus non sit , qui seipsum dirigat. Cùm oculos mentis obnubilatos habeat , levique de causa frequenter perturbatos. 2°. quòd , in quantum scrupulosus , sit quodam modo fatuus & cerebro læsus. 3°. quòd propter istas duas rationes sibi præ cæteris dictum credere debeat : *Ne innitaris prudentiæ tuæ , & ne sis sapiens apud temetipsum.* 4°. quòd judicium suum Directoris judicio præferre , animi sit superbi , judicium proprium (tametsi stultum) velut idolum adorantis. 5°. quòd istud idem sit contra Christianæ humilitatis , simplicitatis , modestiæ ac prudentiæ regulas , nobis à Spiritu sancto dictatas : *Consilium semper à sapientia perquire.* Tob. 4. *& ne innitaris* , &c. Prov. 3. 6°. quòd idem Spiritus sanctus cuidam scrupuloso cælitùs hoc responsum dederit : *Consule discretos , & acquiesce illis.* Cui cùm discipulus acquievisset , protinùs liberatus fuit. Sic refert S. Antoninus 1. p. Sum. tit. 3. c. 10. 7°. quòd hoc remedio quidam discipulus S. Bernardi curatus fuerit. Cùm enim , ob scrupulos , non auderet celebrare , & à S. Bernardo audivisset : *Vade frater , & in fide mea celebres* , acquievisseque isti jussioni ; à scrupulis continuò liberatus fuit. 50

Si reponat scrupulosus : Da mihi Bernardum in Prælatum , & acquiescam ei. Docendus est quòd in eo *fallitur* (ait Sylvester verbo *scrupulus*) *quia non est obediendum Prælato* 51

ut homini, sed ut Deo; cujus vices gerit Prælatus, nisi Deo manifestè *contraria præcipiat*, prout ipsemet Bernardus docet in lib. de præcept. & disp. c. 12. *Quidquid vice Dei præcipit homo, quod non sit tamen certum displicere Deo, haud secùs omninò accipiendum est, ac si præciperet Deus.*

52 Quare, non obstantibus rationibus in contrarium occurrentibus, etiamsi conscientia videatur in contrarium reclamare, ad consilium tamen Superioris, vel Directoris, non oportet curare, sed in omnibus obedire, judiciumque ac sensum proprium judicio ipsius, obedientiæque victoriis submittere. Cùm certum sit, ex unanimi doctrina Sanctorum, & Magistrorum spiritualium; hoc Deum ab ipso exigere, quòdque hoc pacto *vir obediens loquetur victoriam.* Prov. 21. Imò etiamsi Directorem errare contingeret. Quia tamen scrupulosus, se suumque judicium ipsi submittendo, faceret quod suum est, quodque ab ipso Deus exigit, certum omninò est, quòd contra conscientiam non peccaret. Ideò cacodæmon nihil magis satagit, quàm scrupulosum alienare à sequendo consilio Directoris; non ignorans suas machinationes suggestionesque eo ipso dissipandas, quo se submiserit, Heronemque post 50. annos sanctissimæ vitæ, à se victum, & in tartara præcipitatum, quia suis definitionibus regi, quàm consilio fratrum acquiescere maluit.

53 *Regula tertia*: moneat ipsum de necessitate fortiter agendi contra scrupulos, eosque ad consilium Directoris animosè contemnendi, velut temerarios, & malè fundatos: hoc multùm inculcat Gerson, dicens: *Debent scrupulosi audacter contra scrupulos operari; aliàs nunquam pacem habebunt*, sed perpetuam cordis torturam patientur, cum ingenti periculo lædendi cerebrum suum, concipiendi tædium & horrorem rerum spiritualium (ob tot tantasque spinas & torturas) incurrendique alia spiritualia damna n. 43. enarrata.

54 Porrò contra scrupulos agere debet, non disputando cum illis, nec rationes intrinsecas opponendo (sic enim facilè succumberet æger & obnubilatus intellectus scrupulosorum) sed per principia extrinseca, & maximè quia spiritualis Director sic præscripsit. Et quia id sibi non modò licitum est & expediens, sed & frequenter obligatorium (ob dicta damna periculaque) uti Doctores communiter asserunt.

55 Quòd autem sibi licitum sit & expediens contra scrupulos agere, ratio est, quia sive scrupulus non sit nisi apprehensio, vel fortis imaginatio, sive sit suspicio, sive etiam judicium, est equidem judicium temerarium, imprudens, & sufficienti fundamento destitutum. Ut tale ergo explodi debet, secundùm quod dicitur cap. *inquisitioni* de sent. excom. *ad sui Pastoris consilium. Conscientia levis & temerariæ credulitatis explosa, licitè potest*, &c. Ubi ponderandum est verbum *explosa*: quo clarè innuitur (ait Illustriss. Fagnanus ad cap. *Ne innitaris* de constit. n. 96.) quòd habens conscientiam ex credulitate levi, seu scrupulosa, de nullitate matrimonii, minimè possit absque peccato debitum exigere, nisi priùs scrupulosam illam credulitatem explodat, id est deponat, seu abjiciat & repellat, ut ibi per glossam. Et ad hoc alius est textus, qui cavillari non potest, in cap. *per tuas* 2. de simonia, ubi deciditur esse peccatum, operari contra conscientiam scrupulosam, nisi priùs error deponatur. De Monacho namque, ordinato ab Episcopo, quem credidit simoniacum, & propterea formidante ad superiores Ordines ab eo promoveri, dicitur: *Contra conscientiam ad superiores Ordines non ascendat; ne fortè ædificet ad gehennam*: licèt, ex eo quòd conscientiam nimis habuerit scrupulosam, in difficultatem hujusmodi sit collapsus. Quam utique non evadet, nisi deponat errorem.

Quod ergo Bresserus de conscientia cap. 4. 56
Valentia, Vasquez & alii dicunt, scrupulosum contra scrupulos agere posse, etiam illis non depositis, consonum non est Canonibus relatis (nisi sic intelligatur; ut contra eos agere liceat, iis permanentibus in imaginatione, vel apprehensione, secùs in judicio) videturque rationi contrarium. Vel enim scrupulosus advertit, scrupulos suos esse leves, temerarios, & malè fundatos, vel non advertit? Si non advertit, haud magis agere potest contra eos non depositos, quàm contra conscientiam erroneam, non depositam. Quamdiù enim judicium scrupulosum apprehenditur ut fundatum, non differt ab erroneo, nisi per anxietatem inquietudinemque, quam in anima causat. Si advertit, iis non credit, sed fidem, seu assensum negat, tamquam assensu indignis, & irrationabilibus terriculamentis.

Regula quarta: dum aliquis est vehemen- 57
ter scrupulosus, in ipsius directione utatur Director epikeia, seu rationabili interpretatione legum, etiam divinarum; atque adeò moneat ipsum 1°. quòd non teneatur ad observantiam præceptorum, à qua notabilis excusat difficultas, si magnam in observantia anxietatem & molestiam ipse patiatur. Ita Ludovicus de Scildere de princip. consc. tr. 2. n. 132. Quia magna ista anxietas & molestia, difficultas est sine dubio magna. Ubi ergo difficultas magna excusat, excusat anxietas & molestia magna.

Hinc scrupulosus, qui in lectione horarum 58
magnas patitur anxietates, perpetuasque vexationes, seu continuas formidines de non lecta tali hora, vel Psalmo, vel versiculo, repetere non debet, nisi certissimè constet, quòd non legerit. Quia præceptum Ecclesiasticum horarum non obligat cum tanto incommodo. Hinc cùm quidam è nostris continuas paterertur anxietates de non lecto aliquo versiculo; ideòque seipsum valdè cruciaret, perpetuò repetendo, rogavi Superiorem, ut ipsi in virtute sanctæ obedientiæ præciperet, quòd si vel unum versiculum adhuc repetereret, reliquum

quod sibi legendum supereffet de horis, isto die omitteret. Per istud præceptum terrefactus, & à repetitione, & à scrupulis, & ab insaniæ periculo, cui expositus erat, omninò curatus fuit. Maluit enim versiculum unum, vel alterum, quàm reliquum Officii pensum omittere.

59 Sed & Bresserus c. 13. n. 177. censet, quòd dum in lectione Sacri, vel horarum, etiam non scrupulosus, invenit se in medio, vel fine alicujus horæ, sive legendo, sive memoriter recitando, in dubio non debeat anteriora repetere. Quia probabiliter credere potest se non transiliisse morem & ordinem solitum, dumque constat de lecto principio & fine, non omisisse medium. Quia *medium præsumitur, probatis extremis.* Hac præcipuè doctrinâ uti possunt scrupulosi Sacerdotes, dum ambigunt, an verba Consecrationis protulerint, necne. Non enim debent repetere, si inveniant se ultra Consecrationem.

60 2°. Vehementer scrupulosum monere debet Director, ut non judicet quidquam, sive jam actum, sive agendum, esse peccatum, vel esse mortale, nisi certissimè sciat esse tale, idque primo aspectu. Ne se in examine detineat, & non sit finis inquietudinis. Unde hoc ipso quòd de eo scrupulosus dubitat, credere debet non esse tale. Primò, quia cùm scrupulosi dubitent, etiam de rebus clarissimis, ibique imaginentur peccatum, etiam mortale, ubi reverà nulla est peccati, etiam venialis umbra, in perpetua forent gehenna, eaque intolerabili, si practicè pro peccato habere deberent, quidquid sub dubio ipsis proponitur tale. Cùm de omnibus ipsi dubitent. Secundò, quia in dubio, quamdiù de opposito non constat, formare debent judicium à communiter accidentibus. Cùm ergo communiter imaginari soleant peccata esse, vel esse mortalia, quæ reverà non sunt talia; in dubio præsumere debent non esse talia, dubiumque suum esse imprudens. Quia tale communiter esse solet. Ita Medina, Vasquez, Azorius, Bresserus, Castro-Palao, & passim alii.

61 3°. Dum vehementer scrupulosus anxius est de consensu in turpem cogitationem, vel tentationem blasphemiæ, vel infidelitatis, &c. judicare debet se non consensisse, nisi certus sit se consensisse, saltem si timoratus sit, & ita horrens mortale peccatum, ut illud rarò vel nunquam admittat, animoque communiter ita affectus sit, ut mori mallet, quàm illud plenâ libertate admittere. Cùm enim soleat non consentire, in dubio de consensu, à communiter accidentibus, credere potest consensum non dedisse. Ita Doctores communiter.

62 4°. Dum quispiam ita scrupulosus est, ut quidquid ipsi in mentem venit, commisisse se putet; tametsi evidenter putet se consensisse, ex consilio tamen prudentis Directoris (contrarium ex conscientia ipsius sibi nota judicantis) contrarium debet credere, sibique persuadere, putatam illam evidentiam procedere ex forti imaginatione, & timore, quo illuditur. Quod adeò verum est, ut aliquando procedat etiam in casu, quo scrupulosus putaret se posse jurare, quòd in istis cogitationibus mentem voluntariè fixerit, ob eandem rationem.

5°. Director moneat scrupulosum, qui 63
valdè angitur circa præteritas confessiones, eò quòd timeat ne aliquid omiserit, vel circumstantias debitè non expresserit, vel debito cum dolore confessus non fuerit, repetere eas non debere, si, post mediocrem diligentiam, certò non deprehendat defectum.

Moneat item ut omninò abstineat à nimis 64
anxio conscientiæ examine, & (si timoratus sit, & solitus frequenter confiteri) non instituat exactissimum, sed valdè mediocre. Quia & præceptum integritatis confessionis, & præceptum faciendi examinis ad ea non obligat, quæ præstari non possunt sine nimia difficultate & anxietate magna. Præceptum proinde faciendi confessionem omninò integram, vel examen plusquàm mediocre, saltem tunc cessat, ubi id justissima causa exigit, ad evitandas utique molestissimas anxietates quibus animus valdè scrupulosus aliàs foret expositus.

Memorabilem ad hoc casum refert Card. 65
de Lugo de pœnit. disp. 16. sect. 14. n. 591. *Quidam juvenis nobilis, & quoad reliqua prudens, sed nimis scrupulosus, cùm confessionem generalem totius vitæ facere vellet, per quindecim dies se ad illam præparavit, & plurima folia de suis peccatis scripsit, quibus legendis multi dies non suffecerunt. Sed neque his contentus, novum adhuc examen instituit. Quo facto cùm jam per dies aliquot confiteri cœpisset Vallisoleti, ubi ipse cum regia curia morabatur, in eas tandem angustias, confessionis occasione, redactus est, ut ipsemet pugione se lethaliter percusserit, Deo tamen providente, ut ante mortem posset iterùm confiteri.* Igitur ab anxio nimis examine scrupulosus abstineat; siquod enim haberet grave peccatum, sponte & frequenter se mentis oculis ingereret.

Nec refert quòd aliqua fortè peccata hinc 66
omitti continget. Quia vehementer scrupulosi, ad materialem confessionis integritatem tanto cum incommodo non tenentur. Cùm ab ea Doctores communiter excusent eos, qui eam absque notabili incommodo, confessioni extrinseco, nequeunt observare. Enimverò in Deum injurii sunt, qui ipsum credunt durum exactorem, cùm ipsemet testetur, *jugum suum esse suave, & onus leve.* Sentire ergo debent de Domino in bonitate, sibique firmiter persuadere, quòd illud totum ab ægris animis non exigat, quod exigit à sanis. Ne inextricabilibus expositi sint anxietatibus.

6°. hominem valdè scrupulosum circa con- 67
fessiones suas Director monere debet, quòd (ob rationem proximè dictam) confiteri non teneatur peccata dubia, sicut sanus, sed certa dumtaxat. Aliàs non esset finis, sed perpetuum tormentum, scrupulorumque incrementum.

Scrupulosi namque similes sunt hydropicis, quorum sitis tantò magis accenditur, quantò magis ei bibendo satisfaciunt. Ita communiter Doctores.

68 Siqui tamen sint scrupulosi, qui ex mortalium dubiorum confessione in magnas non conjiciuntur anxietates, ea confiteri debent, illi maximè, qui ex eorum confessione plus accipiunt quietis, quàm si sola peccata certa confiteri juberentur. Ita Ludovicus de Scildere n. 136. Qui n. 135. benè etiam monet, scrupulosos, qui timoratæ non sunt conscientiæ, permittendos esse ut mortalia dubia confiteantur, præteritorumque confessionem repetant, si de legitimè facta dubitent. Nisi ex ista repetitione periculum de novo peccandi incurrant. Talibus enim scrupuli utiles esse solent, velut frænum, quo retinentur, ne liberiùs peccent, peccandique appetitum, & passiones nimis vivas refrænant, dumque peccatores isti converti incipiunt, odium ipsis adversus peccatum ingerunt, conscientiam purgant, per cognitionem denique propriæ miseriæ humilitatem generant.

69 *Regula quinta:* Doceat Confessarius scrupulosos, ut animi sui molestias anxietatesque cum submissa resignatione patiendo, de manuque Domini acceptando, in virtutis materiam ad diaboli confusionem eas convertant, humiliter confitentes se indignos internis illis pacati animi consolationibus, quibus fruuntur puriores fidelioresque animæ: filialem nihilominùs fiduciam concipientes, quòd per Dei misericordiam redibit aliquando post nubila phœbus, impletâque mensurâ panis lachrymarum, optata conscientiæ quies & serenitas à Domino restituetur; qui non patitur nos tentari supra id quod possumus, sed facit cum tentatione proventum; qui & *cibat nos pane lachrymarum, & potum dat nobis in lachrymis, in mensura.* Interim cum pientissimo Authore libri de Imitatione Christi dicendo: *Si me digneris consolari, sis benedictus; & si me vis tribulari, sis æquè benedictus.* Sic enim fiet, ut diabolus, videns suas sibi machinationes malè succedere, ab iis desistat.

CAPUT IX.

Observationes præambulæ ad dicenda de conscientia dubia, circa naturam, divisionemque dubii propriè dicti.

70 SUnt qui putant, dubium propriè dictum tunc solùm contingere, dum vel nullæ occurrunt rationes, sive pro una, sive pro altera parte contradictionis, vel non occurrunt nisi leves. Dum enim rationes graves, seu probabiles occurrunt; tunc neque res, de qua agitur, neque conscientia circa illam est dubia, inquiunt, sed probabilis. Ita Tamburinus l. 1. in Decal. c. 4. & alii consequenter dubium dividentes in positivum & negativum. Positivum dubium esse dicunt, dum non occurrit gravis ratio dubitandi; occurrit tamen levis. Negativum verò, dum nec gravis, nec levis ratio dubitandi occurrit.

Verùm æquè novitia est expositio opinio- 71
que ista, quàm ea quæ negat (sicut ista manifestè negat) in æqualitate rationum utrimque probabilium, conscientiam propriè esse dubiam. Cùm id apud Veteres non fuerit dubium. A quorum, etiam primariorum, communi sensu absque ratione discedit. Siquidem Aristoteles l. 1. Topic. c. 9. in princip. dicit problemata dubitationem habere propter rationes utrimque suasibiles, seu probabiles: *Problemata, & de quibus contrarii sunt syllogismi, dubitationem habent, utrùm sic se habeant, an non; eò quòd de utrisque sunt rationes suasibiles.* Igitur vult intellectum esse dubium, dum judicat rationes pro utraque parte æquè suasibiles, seu probabiles esse.

S. Thomas q. 14. verit. a. 1. *Quandoque in-* 72
tellectus non inclinatur magis ad unum, quàm ad aliud, vel propter defectum moventium, sicut in problematibus, de quibus rationes non habemus; vel propter apparentem æqualitatem eorum quæ movent ad utramque partem. Et ista est dubitantis dispositio, quæ fluctuat inter duas partes contradictionis.

Gerson tract. de præpar. ad Missam consid. 73
3. dicit, cum Altisiodorensi, regulam hanc magistralem: quòd *dubitans de aliquo, an sit illicitum, & stante dubio illud agens, peccat:* intelligendam esse de dubio tali, quod est vehemens, id est *non solùm per conjecturas leves,* sed vehementes & probabiles, ut exponit in regulis moralibus.

S. Antoninus 1. p. Sum. tit. 3. c. 10. §. 10. 74
reg. 6. *Qui agit scienter id de quo dubitat esse mortale, permanente dubitatione, mortaliter peccat, sumendo propriè & strictè dubitationem, prout rationes sunt æquè ponderantes ad utramque partem, nec magis declinat quis ad unam partem, quàm ad aliam.*

Sylvester verbo *dubium: propriè dubitat ho-* 75
mo de aliquo.... quando habet rationes ad utramque partem æqualiter, aut quasi æqualiter moventes, id est æquè probabiles, vel quasi, secundùm id quod ait verbo *opinio* n. 1. *dubitatio non habet rationem probabilem ad alteram partem tantùm* (sicut opinio) *sed ad utramque æqualiter, vel quasi.* Idem habet Durandus in 3. dist. 17. q. 2. in fin. Tabiena verbo *dubitatio.* Adrianus VI. quodlib. 2. in 3. puncto. Cardin. Paleottus de sacro Consistor. consult. p. 4. q. 4. *Potest dubitatio ex ipsismet rationibus oriri, quæ utrimque probabiles occurrunt. Persæpe enim accidit, ut parum vim habere videantur, distrahiturque animus in deliberando, utrùm hanc, an illam partem amplecti debeat.* Cardinalis Pallavicinus l. 3. de fide c. 4. n. 114. *Si rationes hinc inde æquales sint, utraque pars contradictionis se habet perinde ac res omninò dubia. Dubium enim est, posito toto complexo rationum hinc inde, an contingat una pars contradictionis, an alia: non minus*

ac

ac dubium est, an sidera paria sint, an disparia.

76 Ideò Corduba l. 2. de ignor. q. 3. assert. 3. ex eo quòd in dubio tenenda sit via tutior, concludit cum communi (ut ait) sententia Veterum, partem tutiorem tenendam esse, quando oppositæ sententiæ sunt aut *creduntur æquè probabiles.*

77 Itaque homo tunc propriè est in statu dubitantis, quando argumenta utramque in partem ipsi apparent æquè probabilia. Et ratio est, quia probabilium rationum æqualitas intellectum tenet suspensum, & æquilibrem inter duas partes contradictionis: eò quòd æqualiter moveatur in utramque partem. In qua æqualitate contrariorum motuum, necesse est intellectum quiescere, sive non moveri, per assensum, in unam magis quàm in alteram partem; sicut necesse est bilancem quiescere, sive suspensam esse & æquilibrem, dum in utraque bilance æqualia pondera sunt. Necesse item corpus ex æquo grave & leve, quiescere, ita ut neque ascendat, neque descendat: quia nihil habet quod ipsum magis moveat ad ascendendum, quàm ad descendendum: cùm per levitatem æquè trahatur suprà, quàm per gravitatem detrahatur infrà. Quam etiam ob rationem, si bruto esurienti proponerentur duo pabula, omninò similia & æqualia, in æquali distantia, ad neutrum moveretur, sed potiùs fame periret, ut experientia comprobavit in asino Buridani. Et Bartholomæus Medina 1. 2. q. 13. a. 2. in solutione primi testatur, hominem amentem, sibi notum, propositis duobus pomis similibus & æqualibus, in æquali distantia, tametsi ad comedendum cruciaretur, non potuisse unum præ alio comedere, nisi ab alio applicatum. Et Philosophus l. 2. de cælo textu 93. eamdem assignat rationem quietis terræ in medio: *Quemadmodùm* (inquit) *de capillo est sermo, validè quidem, sed similiter undique extenso, quòd non disrumpetur; & de esuriente ac sitiente, vehementer quidem, similiter autem, & ab esculentis & poculentis æqualiter distanti: etenim hunc quiescere necessarium est.*

78 Imò tunc etiam homo necessariò est in statu dubitantis, cùm argumenta in utramque partem ipsi apparent æqualiter evidentia. Tametsi enim utraque pars contradictionis esse nequeat evidens evidentiâ verâ; evidens esse potest evidentiâ apparente: quæ eumdem in intellectu effectum producit, atque evidentia vera. Et quamvis argumentum evidens tunc necessariò habeat effectum persuadendi, quando non impeditur per evidentiam in contrarium: secùs quando impeditur per evidentiam æqualem. Neque enim judicium pro una parte, potiùs quàm pro alia, tunc fieri potest, saltem secundùm rationem; sed ad summum secundùm passionem seu affectionem, seu animum passione, vel affectu præoccupatum, potiùs quàm ratione motum. Videri potest Fagnanus ad cap. *ne innitaris* de constitut. n. 160. ubi probat ex Glossa communiter approbata in c. *licet causam v. uti possidetis* de probat. probationes, etiam certas & liquidas, per contrarias similes elidi & conquassari.

Dixi *ad summum.* Neque enim revera id 79
fieri potest, quamdiù rationes intellectui apparent omninò æquales in vi movendi. Cùm enim tunc sit rationabile dubium, solvi non potest, nisi per rationem. Siquidem intellectus per dubitationem rationabilem, seu rationes æquales est ligatus: & sicut ligatus procedere non potest ad unam potiùs quàm ad alteram partem; sic intellectus tunc judicium ferre non potest pro una potiùs quàm pro altera parte. *In quantum enim dubitat* (ait Philosophus 3. Metaph. c. 1.) *in tantum similiter ligatis est passus. Impossibile enim utrisque procedere ad quod est ante.* Quem textum S. Thomas ibidem sic exponit: *Dubitatio de aliqua re hoc modo se habet ad mentem, sicut vinculum corporale ad corpus, & eumdem effectum demonstrat. In quantum enim aliquis dubitat, in tantum patitur aliquid simile iis qui sunt strictè ligati. Sicut enim ille qui habet pedes ligatos, non potest in anteriora procedere secundùm viam corporalem; ita ille qui dubitat, quasi habens mentem ligatam, non potest ad anteriora procedere secundùm viam speculationis.*

Quemadmodùm ergo ratio in dicto casu 80
ligat intellectum; sic ratio intellectum solvere debet, non sola voluntas. Eò quòd intellectus in objectum suum tendat sub ratione veri, sive ei assensum præbeat, quia ipsi apparet esse verum. In æqualitate verò rationum hinc inde, objectum ipsi non magis apparet esse verum, quàm falsum. Et ideò non potest ipsi assentiri. Siquidem assentiendo, sicut judicat illud esse verum, sic judicat oppositum esse falsum; & sicut judicat motivum unius partis contradictionis esse verax, sic judicat motivum adversæ partis esse fallax: ideò namque illud præfert isti. At verò implicat contradictionem, quòd intellectus simul judicet motivum partis affirmativæ esse æquè verisimile ac motivum partis negativæ; & nihilominùs motivum partis affirmativæ esse verax, & motivum partis negativæ esse fallax.

Et quamvis affectus, seu inclinatio volun- 81
tatis ad unam partem, potiùs quàm ad aliam, multùm deserviat, ut illa pars repræsentetur ut verisimilior, in quantum applicat intellectum ad magis considerandas rationes illius, quàm alterius partis; tamen quamdiù utraque pars repræsentatur ut æquè verisimilis, sub iis circumstantiis voluntas determinare non potest intellectum ad judicandam unam partem veram potiùs quàm alteram. Quemadmodùm enim quamdiù objectum intellectui apparet falsum, vel incertum, voluntas determinare non potest intellectum ad judicandum esse verum, vel certum; eò quòd id sit contra rationem intellectûs, qui non potest aliquid judicare verum vel certum, quamdiù non apparet ipsi verum, sed falsum; nec judicare potest certum, quamdiù non apparet certum,

&c. Sic quamdiù objectum intellectui non magis apparet esse verum, quàm falsum, voluntas determinare non potest intellectum, ad judicandum esse magis verum quàm falsum. Eò quòd id sit contra rationem intellectûs, naturaliter refugientis errorem, amantisque veritatem, tamquam objectum suum. Veritas autem non permittit amplecti aliquid ut verum, quod tibi non magis apparet verum quàm falsum.

82 Idque quotidiana firmat experientia: nunquam enim Magistri unam sententiam alteri præferunt, quamdiù fundamenta unius ipsis apparent æquè efficacia, ac fundamenta alterius; nunquam etiam quis unam sententiam præ alia amplectitur, nisi dum motiva ipsius apparent ipsi magis verisimilia, seu fortiora. Sed hac de re plura infrà.

83 Necesse est ergo intellectum manere in statu dubitantis, quamdiù rationes pro utraque parte contradictionis ipsi apparent æquè probabiles. Quia necesse est ipsum tunc manere velut in æquilibrio suspensum. Dubitatio verò nihil aliud est, quàm æquilibrium & suspensio intellectûs inter duas contradictionis partes, sive (ut Summistæ definiunt ex Isidoro) nihil aliud nisi motus indifferens in utramque contradictionis partem. Tunc autem intellectus movetur indifferenter in utramque partem, cùm æqualiter movetur in utramque. Tunc quippe non magis in unam movetur, quàm in aliam.

84 Et hinc Aristoteles 2. Elench. c. 7. docet, tunc maximè locum esse dubitationi, cùm hinc inde rationes acutissimæ & difficillimæ occurrunt. Eò quòd utique rationes ejusmodi intellectum maximè implicent, suspensumque teneant; ideòque *acuta est* (inquit) *oratio, quæ maximè dubitare facit. Est autem.... oratio acutissima, cùm quàm maximè probabilibus, quod maximè probabile est, tollit, confutatque*, id est cùm id quod rationibus probabilissimis adstruitur, rationibus paris probabilitatis destruit.

85 Ecce quomodò, & quàm optimâ ratione, Sapientes omnes Antiquitatis, dubitationem propriè dictam tunc agnoscunt, cùm pro utraque contradictionis parte rationes occurrunt hinc inde æquè probabiles. Et non cùm vel nullæ occurrunt, vel nonnisi leves. Neque enim tunc dubium morale seu rationabile esse potest: cùm dubium morale & rationabile tunc solùm contingat, dum adest ratio sufficiens viro prudenti & sapienti ad dubitandum. Ratio verò nulla, vel levis non sufficit viro prudenti & sapienti ad dubitandum, sed ad dubium contemnendum, seu explodendum, tamquam irrationabile, temerarium, infundatumque. Ut enim Philosophus ibidem: *Despiciendæ sunt rationes omnes leves, vel quia non habent rem de qua dubitetur, vel causam dubitandi.* Nec verò S. Thomas, seu alius vir sapiens, movebitur ad dubitandum, an aliqua actio licita sit, per aliquam rationem levem; sed hanc omninò contemnet, & pro nulla habebit.

Igitur dubium absque probabili ratione non 86
cadit in viros sapientes (quos tamen certum est de multis dubitare: cùm dubitaverit Augustinus, v. g. an omnes animæ ab una procederent; & epist. 65. ad Paulinum frequentes suas circa Dei voluntatem & legem hæsitationes seu dubitationes exponat) nec mirum, cùm *dubitatio de aliqua re hoc modo se habeat ad mentem, sicut vinculum corporale ad corpus*, ait ex Philosopho S. Thomas suprà: Sapientes verò non magis ligantur rationibus levibus, quàm viri fortes aranearum telis, vel Samson filis fericis.

Et ideò dubium morale, seu rationabile, 87
non benè dividitur in positivum & negativum. Quasi negativum sit, quod ne levem quidem habet dubitandi rationem. Positivum, quod habet levem, non gravem. Quod enim vel nullam habet, vel levem dumtaxat, non est morale, uti demonstravimus. Nec propterea dubium probabile confunditur cum opinione probabili. Cùm intellectus probabiliter tunc opinetur, dum pro alterutra parte fert judicium, ex incerto quidem, sed rationabili fundamento; intellectus verò dubius pro neutra parte fert judicium.

Nec dubium negativum à positivo meliùs 88
distinguunt, qui aiunt negativum esse, quo quis dubitat nullâ hinc inde occurrente ratione, vel solùm levi. Positivum, quo quis dubitat occurrentibus pro utraque parte rationibus non levibus. Quia (præter dicta) ubi pro neutra parte ulla ratio occurrit, movens ad assensum, non est dubium morale (ut probatum est) sed est mera nescientia, seu ignorantia. Ideò enim propriè non dubito, sed penitùs nescio, an astra paria sint, an imparia? an Turca saltet, an sedeat, &c.? quia nulla mihi pro alterutra parte ratio occurrit. Et si de astrorum paritate interrogatus, responderem, *dubito*, & interrogans peteret, quam haberem rationem dubitandi? respondere aptè non possem: quia stultè dubitat, qui sine ratione dubitat.

Propriè itaque loquendo, dubium morale 89
negativum, dicitur tale per negationem assensûs circa alterutram partem; non per negationem rationum positivarum, seu probabilium pro utraque parte. Dubium autem morale positivum, non est propriè dubium, sed assensus opinativus unius partis, cum formidine in oppositum. Quòd enim dubium negativum à positivo nonnulli discernunt in eo quòd negativum rationem levem habeat dubitandi; positivum rationem probabilem. Non benè est: quia ratio levis non movet virum prudentem ad dubitandum. Ob ea quæ dixi n. 85. 86. & 88.

Dubium tamen propriè dictum benè divi- 90
ditur 1°. in speculativum, & practicum. *Speculativum* (si exponeretur, uti scientia speculativa à Philosophis exponi solet) illud esset, quo

quo quispiam dubitat, non in ordine ad operandum, sed in ordine ad cognoscendum præcisè. *Practicum* esset, quo quis dubitat in ordine ad operandum, sive in ordine ad praxim. Hoc sensu dubitationem omnem; quâ quæritur, an quidpiam bonum sit, an malum; practicam censet Azorius Institut. Moral. l. 2. c. 18. §. *secundò quæritur* in fin. ubi sic: *Tametsi primâ facie ad speculationem pertinere videatur quæstio, in qua dubitatur, an quidpiam sit malum, an bonum, peccatum, necne: potiùs ad actionem spectat, & operandi gratiâ, verius quàm sciendi, ista quæruntur. Nam idem est quærere, an hoc sit peccatum? quod est, an sit faciendum, an cavendum?*

91 *Dubium* tamen *speculativum* Recentiores vocare solent, illud quo quis dubitat, an aliqua actio, vel omissio, in universum, licita sit vel illicita, v. g. an licitum sit pingere die festo: *Dubium* verò *practicum*, quo quis dubitat, an aliquid sit licitum, spectatis omnibus circumstantiis particularibus, actionem hîc & nunc in praxi afficientibus, v. g. an tali homini, talibus in circumstantiis constituto, hîc & nunc pingere liceat. Cujusmodi dubium nonnulli, nec ineptè, *practicè practicum* vocant. Dubium verò de actione in universum, an licita sit, *speculativè practicum* appellant. Quia non dirigit praxim istius actionis, ut substat omnibus circumstantiis suis, sed abstractè ab illis.

92 2°. dividitur in dubium juris & facti. Dubium juris est, quo quis dubitat de lege, præcepto, obligatione, voto, seu quocumque obligationem inducente, quatenùs eam inducit, vel de quocumque ad obligationem prærequisito, quà tali, v. g. de legitima potestate ad obligandum, de legitimitate & valore actûs obligantis, &c. Ut enim optimè Bonæ-Spei tract. 2. de actib. human. disp. 6. n. 197. omne illud, quod ad aliquid obligat, respectu ejus, ad quod obligat, & quatenùs ad illud obligat, participat naturam legis, vel præcepti, seu juris: cùm lex, seu præceptum, vel jus, ideò sit jus, sive lex, vel præceptum, quia ad aliquid obligat. Dubium proinde de eo, quà tali, est dubium juris. Unde quia votum obligat ad id quod voto promissum est, quatenùs ad id obligat, est jus quoddam; nec ut sic aliter pertinet ad factum, quàm lex vel præceptum, quod eatenùs ad factum pertinet, quatenùs est aliquid factum.

93 *Dubium facti* illud est, quo quis dubitat, an aliquid sit factum, illud secundùm se considerando, non quatenùs ad aliquid obligat, vel ad aliquam obligationem præsupponitur. Tale est dubium, quo quis dubitat, an consenserit tentationi, an fecerit homicidium, an confessus fuerit tale peccatum. Unde dubium de eodem facto, diversimodè consideratо, sub una consideratione esse potest dubium juris, sub alia dubium facti: v. g. dubium de patrato homicidio, vel contracto liberè matrimonio, ibi præcisè sistendo, est dubium facti; si autem homicidium consideretur, quatenùs irregularitatem inducit, & matrimonium, quatenùs obligat ad reddendum debitum, est dubium juris.

Porrò dubium juris variis modis contingit. 94
1°. siquis dubitet, an ista actio in specie justa sit, necne. 2°. si sciens esse in specie justam, dubitet, an in his vel istis particularibus circumstantiis licita sit, v. g. mendacium hîc & nunc, ad salvandam vitam patris. 3°. si dubitet, an non solùm licita sit, sed an præcepta, v. g. an oporteat infirmo potiùs subvenire, quàm Sacrum audire, die festo, dum non potest simul utrumque. Videri potest hac de re Becanus in Sum. p. 2. tr. 1. cap. 4. q. 8.

CAPUT X.

Regula prima conscientiæ dubiæ. Conscientiam habens, seu negativè, seu positivè dubiam, an actio hîc & nunc, spectatis omnibus, licita sit, vel illicita, peccat, peccato ejusdem speciei & gravitatis, de quo dubitat, si eam faciat, dubio manente.

RAtio est 1°. quia non agit ex fide. *Omne autem quod non est ex fide, peccatum est.* 95
Rom. 14.

2°. quia volens & sciens exponit se peri- 96
culo committendi hîc & nunc illud peccatum, de quo dubitat, dum ad actionem illam procedit cum tali dubio, atque adeò cum advertentia istius periculi. Cùm tantam videat apparentiam quòd sit, quàm quòd non sit istud peccatum, nec magis judicet illud non esse quàm esse.

3°. quia naturæ lumine notum est, Dei 97
legem, amicitiamque ab eo parvifieri, qui facit id de quo dubitat esse offensam Dei. Cùm amicitiæ lex vetet id fieri, quo dubitamus animum amici offendendum, & ipsimet Ethnici naturali lumine agnoverint, *nefas esse id agere, quod verè dubites, æquum sit, an iniquum.*

CAPUT XI.

Regula secunda. Conscientiam habens negativè dubiam, an actio hic & nunc licita sit, vel illicita, si post debitam inquisitionem, nulla ipsi ratio, vel authoritas probabilis occurrat, quòd illicita sit, deposito dubio, tamquam irrationabili, non prohibetur illam ponere.

ITa Homem de conscientia cap. 3. n. 38. 98
Scildere tr. 3. n. 5. Celladeus tr. de recta doctrina morum L. 4. q. 1. & seqq. Procedit autem assertio de dubio negativo, prout illud explicant Joannes Cardenas in Chrisi Theol. to. 1. tr. 1. disp. 6. n. 15. Tamburinus l. 1. in Decal. c. 3. §. 1. n. 5. & plerique alii Recentiores, aientes, dubium negativum esse, quo quis dubitat, nullâ occurrente ratione, pro alterutra parte contradictionis. Vel prout ex-

plicat B. Spei, quo quis dubitat, nullâ occurrente ratione, ſive in unam, ſive in alteram partem; vel non occurrente niſi levi.

99 Hoc poſito facilè probatur aſſertio 1°. ex dictis n. 85. & ſeqq. Quia hujuſmodi dubium non eſt morale & prudens, utpote nullâ probabili ratione vel authoritate ſuffultum. *Deſpiciendæ* quippe ab homine prudente *rationes omnes leviores*, monet Philoſophus 2. Elench. 7. *quia non habent... cauſam* rationabilem *dubitandi*. Multò ergo magis deſpiciendæ ſunt rationes nullæ. Quibus ideò prudens moveri non debet ad dubitandum, ſed ad dubium deponendum, ſeu deſpiciendum. Siquidem dubium, quod ſine ulla omninò ratione, ſaltem apparente, vel nonniſi levi ratione procedit, in moralibus non meretur nomen dubii: quia ſcilicet tale dubium non eſt rationabile. Propriè namque & rationabiliter dubitare, eſt animum inter utramque partem ideò ſuſpenſum hæſitare, quia æqualiter in utramque trahitur, adeòque in unam ſic trahitur, per rationem ad eam moventem, ut ab eadem æqualiter retrahatur, per rationem in oppoſitum moventem. Propterea namque moralis dubitatio à S. Thoma in 3. diſt. 17. q. un. a. 4. poſt Philoſophum definitur, *contrariarum rationum æqualitas*.

100 2°. Quidquid ſit, an dubium negativum, ſit vel non ſit dubium propriè dictum, quia tamen rationabile non eſt, & fundatum, non minùs deſpiciendum eſt quàm ſcrupulus, ſeu conſcientia levis & temeraria, quam explodendam dicit Innocentius III. cap. *inquiſitioni* de ſent. excom.

101 3°. Conjux, conſcientiam levis & temerariæ ſeu infundatæ credulitatis habens de nullitate ſui matrimonii, atque adeò de illicita debiti exactione, conſcientiâ illâ explosâ, debitum exigere poteſt, ut ibidem declaratur. Similiter ergo conſcientiam habens levis & temerariæ, ſeu infundatæ dubitationis, de inhoneſtate ejus quod vult agere, conſcientiâ illâ explosâ, illud agere poteſt, ſi poſt debitam inquiſitionem nulla ratio, vel authoritas probabilis occurrat, quòd illicitum ſit.

102 4°. Abſtinendi vel agendi obligatio abſque probabili fundamento non præſumitur, ſed probabili ſaltem ratione de ea debet apparere. Ne aliàs homines implicentur paſſim infinitis obligationibus, abſque ulla probabili apparentia.

103 5°. Abſque probabili fundamento dubitans, propriè non tam dubitat, quàm neſcit, uti vidimus n. 88. neſcientiaque iſta, ſi poſt debitam inquiſitionem ſuperari non potuit, meritò invincibilis ſeu involuntaria reputatur. Igitur excuſat à peccato, ſaltem extra materiam juris naturalis.

104 Ex his apparet, quàm irrationabilis ſit Ethica Caſuiſtarum illorum, qui in dubio negativo (quod ſolum volunt propriè eſſe dubium) tutiorem partem volunt eſſe eligendam; in dubio verò poſitivo, quo quis dubitat ob rationes æquè probabiles pro utraque parte occurrentes, cenſent eam quam quis maluerit partem licitè eligi poſſe. Per conſequens in dubio negativo obligant ad tutiora, non in poſitivo, in quo ne quidem obligant ad confitendum peccata dubia; ad quod tamen obligant in dubio negativo. Cùm prorſus ex adverſo philoſophari oporteat, ut conſtat partim ex dictis, partim ampliùs conſtabit ex dicendis.

Ideò rationabiliores ſunt, qui cum Cella- 105
deo ubi ſuprà q. 4. §. 7. Petro Marchantio, Coninck, Præpoſito & aliis, negant confitenda peccata negativè dubia, quàm dicti Caſuiſtæ, qui negantes obligationem confitendi poſitivè dubia, volunt nihilominùs confitenda negativè dubia. Si enim confiteri non tenetur peccata, qui de iis commiſſis probabilem habet rationem; cur (amabo!) confiteri tenebitur, qui de iis commiſſis nullam habet probabilem rationem? Et ſi in conſcientia ſua ſe excuſare queat (id eſt credere quòd non commiſerit) qui probabilem rationem habet ad ſe condemnandum; quantò magis qui nullam ad ſe condemnandum probabilem habet rationem, ſed vel levem, vel planè nullam? Denique ſi, ſine confeſſionis onere, apud Deum juſtificari queat, qui mortale peccatum probabiliter incurrit; quantò magis ille, cui probabile non eſt quòd illud incurrerit? Cæterùm, ſitne, an non ſit obligatio confitendi peccata, diſcutiemus ubi de Sacramento pœnitentiæ.

CAPUT XII.

Regula tertia: conſcientiam habens poſitivè dubiam de honeſtate, vel inhoneſtate actionis, vel de obligatione aut non obligatione ad aliquid, ob æqualem vel quaſi æqualem hinc inde probabilitatem, tutiorem partem tenetur eligere, ab actione illa abſtinendo, vel ſe obligatum reputando.

QUòd in dicto dubio tutior pars eligenda 106
ſit, à dubiaque actione abſtinendum, communis eſt traditio Veterum, eſtque doctrina expreſſa ſacrorum Canonum.

Imprimis quòd communis ſit traditio Vete- 107
rum, uſque adeò verum eſt, ut non ſoli veteres Patres, ac Doctores Chriſtianorum, ſed & Sapientes Gentilium ac Judæorum in eo conſentiant. Ad SS. Patres quod attinet, Morinus l. 1. de adminiſtr. Sacr. pœnit. c. 55. n. 10. dicit, quòd *SS. Patres noſtri mille & centum annorum ſpatio, in eo tantùm laboraverunt, ut Sacerdotes docerent.... in caſu dubio ſecuriorem partem ſemper eſſe eligendam.* Enimverò ex concordi ſanctorum Patrum traditione Summi Pontifices deprompſerunt, ſacriſque Canonibus inſeruerunt magiſtralem hanc regulam (de qua infrà c. 16.) *In dubio via tutior eligenda eſt.* Vide SS. Patres infrà cap. 17.

In eo etiam Sapientes Gentilitatis & Judæo- 108
rum conſentire, patet ex Tullio l. 1. Offic.

hanc Sapientum Gentilitatis regulam approbante : *Benè præcipiunt, qui vetant quidquid agere, quod dubites æquum sit, an iniquum.* Patet etiam quoad Sapientes Judæorum ex Authore libri *Beth midoth.* c. 27. ubi sic: *Necesse est, ut abstineat se ab omnibus rebus, de quibus dubium est, an prohibitæ sint, vel licitæ, ut nullo modo accedat ad perpetrationem rei illicitæ.*

109 Atqui verè & propriè de honestate actionis dubitat homo, cui post debitam inquisitionem æquè probabiles apparent hinc inde rationes, & authoritates, tam scilicet illæ quæ probant actionem esse licitam, quàm quæ probant illicitam. Cùm æqualitas ista sit causa dubii verè & propriè dicti (quod propterea ab Aristotele & S. Thoma definitur, *contrariarum æqualitas rationum*) & tamdiù maneat dubium verè & propriè dictum, quamdiù manet causa illius.

110 Enimverò intellectus tamdiù manet suspensus & dubius inter duas partes contradictionis, quamdiù æqualiter sic trahitur in utramque partem, ut judicium pro una præ altera ferre non possit. Judicium autem pro una præ altera ferre non potest, quamdiù rationes utriusque partis ipsi apparent æquales, seu æquè probabiles. Siquidem judicium ferre pro una præ altera, est ipsam judicare veram, & alteram falsam; ipsamque proinde alteri præferre. Quod intellectus facere nequit, ubi nulla ipsi apparet ratio præferendi. Cùm intellectus facultas animi sit, nullo modo in judicando libera, sed ab objecti momentis, seu motivis sic dependens, ut licèt non necessitetur ad exercitè assentiendum nisi objecto evidenter vero; assensum opinativum præstare nequeat ulli objecto, nisi ipsi appareat magis verum, quàm falsum. Assensus quippe opinativus, nihil aliud est nisi judicium mentis, quo uni potiùs quàm alteri parti ideò nos addicimus, quòd in ea majorem verisimilitudinem videamus. Manifestè verò repugnat, quòd è duabus partibus contradictionis majorem in una quàm in altera verisimilitudinem videamus, quamdiù utraque apertè videtur æquè probabilis; atque adeò æquè verisimilis. Neutri proinde tunc assentiri possumus, sed inter utramque suspensus necessariò pendet animus : utpote qui refragari non valet evidentiæ sibi per apprehensionem propositæ. Nec proinde affirmare inæqualitatem, ubi apertè videt æqualitatem. Ideòque apprehensio apertæ æqualitatis inter duas partes contradictionis per se tam determinat intellectum ad suspendendum assensum, sive ad non judicandam unam partem præ altera veram, quàm apprehensio alicujus è primis principiis per se determinat intellectum ad assensum illius. *Ut* enim *necesse est lancem in libra ponderibus impositis deprimi; sic animum perspicuis cedere*, ait Tullius l. 4. qq. Academic. *A natura* quippe *comparatum est* (ait Epictetus apud Arrianum l. 3. c. 3.) *Philosophus ut quivis animus, quemadmodùm veris annuit, & falsa abnuit, ita & in incertis assensum sustineat.* Neque enim fieri potest (ait idem apud eumdem l. 1. c. 2.) *ut assentiamur nisi verum aliquid esse videatur. Quamobrem? quia hæc ipsa natura est mentis, ut & veris annuat, & falsa aversetur, & in obscuris cohibeat assensum.*

Et hinc Philosophus 2. de anima textu 152. 111
ait, quòd *opinari non est nobis liberum*, sicut imaginari. *Verum enim, aut falsum dicere necesse.* Quasi dicat, nos non posse pro arbitratu opinari, sicut possumus imaginari : quia possumus imaginari tam falsa quàm vera, absque ulla omninò ratione. At non possumus opinari, absque ulla ratione motiva intellectûs, quâ id quod opinamur nobis appareat magis verum quàm falsum. Quia opinando judicamus illud magis esse verum quàm falsum. Hoc autem judicare non possumus, ubi objectum illud nobis non magis apparet verum quàm falsum.

Quid ad hæc Adversarii? Verissima esse fa- 112
tentur, secluso imperio voluntatis. Aiunt tamen intellectum, ex imperio voluntatis, moveri posse ad opinandum pro honestate actionis, etiam tunc cùm æquè probabilis ipsi apparet inhonestas ipsius. Cùm eo non obstante intellectus inclinetur naturaliter ad assensum opinionis probabilis pro honestate : & ubicumque datur inclinatio naturalis ad aliquem terminum, iste terminus sit possibilis. Sed contrà : sicut voluntas imperio suo efficere non potest, ut intellectus pro ea parte opinetur, pro qua nulla ipsi apparet ratio opinandi, v. g. ut opinetur stellas esse determinatè pares; sic imperio suo efficere non potest, ut nullâ apparente ratione, &c. pro una parte contradictionis opinetur, potiùs quàm pro alia. Neque enim ad hoc sufficit quòd voluntas sufficiens habeat motivum ad imperandum, dum intellectus non habet motivum sufficiens ad opinandum. Neque voluntas in intellectum exercere potest hoc imperium : *Quamvis nulla te ratio moveat ad opinandum hunc contractum esse licitum, potiùs quàm ad opinandum esse illicitum, volo tamen ut opineris esse potiùs licitum quàm illicitum.* Quia imperium ejusmodi est contra rationem & naturam intellectûs, ut constat ex dictis n. 79. 80. 81. 110. & 111. Neque intellectus voluntati subjicitur despoticè, sed politicè dumtaxat, ita ut ad unam partem præ alia voluntas ipsum determinare non possit, nisi intellectui appareat magis vera quàm altera. Quod implicat, quamdiù utraque pars ipsi apparet æquè verisimilis. Unde licèt assensus unius partis non sit tunc absolutè impossibilis, sed absolutè possibilis; ista tamen possibilitas exire non potest in actum in sensu composito impedimenti, quod præstat æqualis apparentia falsitatis, quàm veritatis; sed in sensu diviso dumtaxat.

At (inquit Terillus in reg. mor. q. 30. 51. 113
& 52.) etiamsi æqualis sit apparentia antecedenter ad voluntatis affectum, uni parti præ

altera addictum, per istum voluntatis affectum plerùmque fit, ut pars illa, cui voluntas afficitur, jam appareat verisimilior; eò quòd ratio pro ipsius honestate, quæ antecedenter ad istum affectum apparebat æqualis probabilitatis, consequenter ad eum appareat probabilior. Ergo intellectus tunc opinari potest pro honestate, postquam æqualis probabilitas pro inhonestate desiit ipsi apparere.

114 At (inquam ego) intellectus tunc pro honestate non opinatur rationabiliter & prudenter, sed voluntariè & imprudenter. Quando enim voluntas pro honestate opinatur modo dicto, hoc eatenùs fit, quatenùs voluntatis affectus obnubilat intellectum, obnubilandoque inclinat, ut vel omissâ, vel leviori adhibitâ consideratione rationum, quæ faciunt pro inhonestate, solùm vel magis consideret rationes quæ faciunt pro honestate. Totus proinde excessus apparentiæ pro honestate tunc provenit ex majori affectu voluntatis pro illa parte, non ex meritis causæ. Major proinde æstimatio, seu præferentia rationum pro honestate voluntaria est, non rationabilis & prudens: utpote profecta ex indebita voluntatis ad eam partem affectione, non ex justo rationum pondere. Rationabiliter quippe judicare, est judicare secundùm merita causæ, & secundùm momenta rationum, omnibus hinc inde maturè & diligenter ponderatis, ex solo, eoque sincero veritatis, & æquitatis amore, non ex præoccupato ad unam partem affectu. Non judicat autem secundùm merita causæ, & secundùm momenta rationum, qui pro una potiùs quàm pro altera parte judicat, dum momenta rationum hinc inde æqualia apparent, antecedenter ad præoccupatum voluntatis affectum, & adhuc æqualia appararent consequenter ad affectum voluntatis, si voluntas foret à præjudiciis libera, nullâque passione, vel minùs quàm par est indifferenti affectione præoccupata.

115 Et confirmatur 1°. quia assensus unius partis, dum rationes alterius sunt æquè ponderantes, non est conveniens nec debitus (cùm tunc debita & conveniens sit suspensio assensûs) ergo non est prudens. Ut enim S. Thomas q. 14. verit. a. 3. *prudentia dicitur de aliqua potentia, secundùm modum agendi, ut debitè & convenienter operetur.* Et, ut Arnobius l. 4. contra Gent. *cùm homines utrimque, & qui hæc & illa commentati sunt, fuerint, & de rebus incertis ab utraque parte sit disputatum*, æquali hinc inde argumentorum pondere, *non prudentis, sed arrogantis est dicere, id quod tibi placeat, esse verum; quod verò animum lædit, falsitatis arguere.* Vitiosumque dicit Bernardus l. 3. de consider. *velut rationis expertem, non pro ratione, sed pro libitu agere, nec judicio agi, sed appetitu.* Denique prudentia est, incognita pro cognitis non habare. *In vitio quippe est qui opinatur quod ignorat.* Augustinus l. 1. de mendac. c. 3. Et *nihil tam futile, quàm quidquam approbare non cognitum.* Tullius l. 4. qq. Academ. Approbat autem non cognitum ut verum, magis quàm ut falsum, qui assentit uni parti, quæ sibi apparet æquè falsa quàm vera. Et ideò, *siquis taliter in certis rebus esset assensus, etiamsi fortassè veræ forent, liberari ab errore non posset, quæ maxima est culpa sapientis.* August. 1. contra mend. 3.

Confirmatur 2°. quia sicut ejusmodi judicium illaudabile & irrationabile est in Judice fori externi; eò quòd judicare debeat secundùm merita causæ, non secundùm voluntatis affectum: ita & in Judice fori interni. Tam enim iste quàm ille judicare debet secundùm merita causæ, sicut decet virum bonum & prudentem, nullâ passione peculiarivè ad unam partem affectione præoccupatum, sed indifferentem, nec aliud sincerè quærentem, quàm veritatem & æquitatem. Quæ exigit ut tam iste quàm ille æqualiter consideret rationes utriusque partis. Ideòque tam in uno quàm in altero, est contra officium boni viri, rationabilisque Judicis, per affectum voluntatis magis applicare intellectum ad considerandas rationes unius, quàm alterius partis. Est enim hoc velle subterfugere, non sincero affectu quærere veritatem: cùm sit intellectum avertere à debita consideratione, quam ab ipso postulat sincerus amor veritatis.

Exemplum illud externi Judicis semper habe præ oculis. Validè enim confirmat assertionem nostram, dissipatque cavillationes Probabilistarum: ostendit namque quòd sicut externus Judex, neque in quæstionibus facti, neque in quæstionibus juris, rationabiliter judicare potest pro alterutra parte, sive unam alteri præferre, dum vel testes, vel rationes, sive similes, sive dissimiles, utrimque allegatæ, sepositio speciali affectu, ipsi videntur æquales, seu æquè probabiles, ut constat ex iis quæ habentur causâ 4. q. 2. & 3. & in titulis de probationibus & testibus, ubi excessus aliquis semper requiritur ad ferendam sententiam, sive requiritur, ut Judex eam ferat *ex argumentis & testimoniis, quæ aptiora, & vero proximiora esse compererit*, uti habetur citatâ q. 3. causâ 4. Ideòque Glossa in cap. *licèt causam* de probat. aliique omnes juris Interpretes, pro regula indubitata tradunt, quòd ubi probationes Judici videntur æquales, res neutri parti adjudicanda sit. Estque noti juris (ait Esparza loco citando a. 124.) probationes hinc inde æquales pro nihilo reputari, nec sententiam vi illarum proferri posse à Judice externo. Neque ergo ab interno, sive intellectu. 116

Et quemadmodùm P. Joannes de Cardenas in sua Crisi Theol. to. 1. disp. 6. c. 6. a. 1. fatetur, imò efficaciter probat ex utroque jure, pares omninò probationes rem relinquere dubiam in quæstione facti; sic idem fateri debet in quæstionibus juris. Quemadmodùm enim duorum testium affirmantium factum, depositio non facit fidem, dum in contrarium est depositio duorum aliorum, æqualis authori- 117

tatis ; sic in quæstione juris (an res licita sit, vel illicita v. g.) authoritas & ratio sex Doctorum affirmantium esse licitam , non facit fidem , dum in contrarium est authoritas & ratio sex Doctorum , æqualis omninò authoritatis , & ponderis. Neque enim apparet quid referat, quæstionem esse de jure , vel de facto , ad hoc ut æqualitas probationum relinquat rem dubiam in una , non in alia. Nec ulla est experientia pro disparitate , imò est pro paritate , uti constat ex dictis n. 82. Unde Tamburinus l. 1. in Decalog. c. 3. §. 3. eodem modo discurrit de quæstione juris , ac de quæstione facti.

118 Non etiam apparet, quid referat, an fundamenta , quæ hinc inde proferuntur , sive pro quæstione facti, sive pro quæstione juris , similia sint, an dissimilia , sive ejusdem , an diversæ rationis , dummodò æqualia (quidquid dixerint Esparza & Terillus) cùm mens nostra verè & propriè dubia sit , quando ei pro utraque parte contradictionis occurrunt & concurrunt fundamenta æqualia , uti præmissa demonstrant, admittitque Esparza a. 133. suæ Appendicis ad quæst. de licito usu opinionis probabilis. Hoc verò non solùm procedit, ubi fundamenta utrimque sunt omninò similia. Tam enim ex æqualitate fundamentorum dissimilium, quàm similium , inducitur dubium propriè dictum. Hoc ipso namque quòd æqualia sunt in vi & efficacia movendi intellectum , intellectus ab iis æqualiter movetur utramque in partem. Et ideò necessariò suspensus manet inter utramque , nec potest etiam ex imperio voluntatis , uni parti præ altera assentiri , vel dissentiri. Quia neutra pars ipsi apparet magis vera , vel falsa, quàm altera, sed in utraque æqualiter ipsi apparet veritas & falsitas. Implicat verò intellectum ei parti contradictionis assentiri , seu veram judicare, dum ipsius veritas ipsi æquè probabilis apparet, quàm falsitas. Unde tunc fundamentum, seu motivum unius partis eliditur per fundamentum & motivum alterius partis. Et hoc non minùs in quæstione juris , quàm in quæstione facti. Ideò enim motiva æqualia se mutuò elidunt in quæstione facti, quia æqualiter movent in utramque oppositam partem. Id autem similiter contingit in quæstione juris. Nec hoc in quæstione facti fit ob similitudinem , sed ob æqualitatem motivorum. Utpote quam solam sequitur æqualis efficacia movendi : quæ sola hîc formaliter & per se attenditur , & ad quam similitudo vel dissimilitudo motivorum per accidens & materialiter se habet : utpote per se formaliter nihil faciens ad hoc , quòd una pars appareat magis vera quàm alia. Nihil proinde ad dissimiliter hîc philosophandum facit similitudo vel dissimilitudo motivorum, uti nec differentia juris & facti, stante utrimque æqualitate circa apparentiam veritatis. Et aliàs in intellectu nostro numquam daretur dubium propriè dictum, dum pro utraque parte contradictionis occurrunt fundamenta æqualia rationis , sed solùm quando occurrunt fundamenta æqualia authoritatis. Numquam enim rationes pro utraque parte contradictionis similes sunt , sed semper dissimiles : cùm ratio omninò similis rationi moventi ad assensum unius partis , simul movere non possit ad dissensum ejusdem. S. Thomas autem dubium propriè dictum agnoscit , quando rationes pro utraque parte æquales sunt.

Et hinc tam motiva dissimilia, quàm simi- 119
lia , esse & videri posse æqualia , negari non potest , agnoscitque expressè Augustinus relatus can. *in canonicis* dist. 19. dum de canonicis Scripturis ait : *Si autem alias invenerit à pluribus* Ecclesiis, *alias à gravioribus haberi.... æqualis tamen authoritatis eas habendas puto.* Inter majorem quippe multitudinem ex una parte, majoremque dignitatem ex altera parte, non obstante istâ dissimilitudine , seu diversâ ratione authoritatis , æqualitatem agnoscendam putat. Nec certè ulla est ratio negandi dissimilium æqualitatem. Cùm aliud sit æqualitas , aliud similitudo , tresque divinæ personalitates æquales sint , licèt dissimiles. Neque enim Pater in paternitate similis est Filio , est tamen æqualis. Cùm nec Filio major sit, nec minor; nec econtrà.

Confirmatur 3°. ex dicendis n. 205. ubi demonstrabitur , assensum opinionis faventis libertati , dum rationes opinionis pro lege sunt æquiponderantes, non esse conformem appetitui recto , nec posse procedere à prudentia spiritûs, sed à prudentia carnis , quæ est inimica Deo.

CAPUT XIII.

Regula quarta : dum utraque pars contradictionis, omnibus diligenter examinatis, apparet æquè probabilis , neutra in talibus circumstantiis est simpliciter , propriè & expeditè probabilis , sed secundùm quid , impropriè & impeditè dumtaxat.

PRobatur , quia illud solum probabile est 120
simpliciter , propriè & expeditè , quod approbabile est per prudentem assensum. Ut enim rectè Esparza a. 102. *apud Authores Latinos , tam Veteres* (Sanctis quoque comprehensis) *quàm Recentes , probabile sumitur pro approbabili , sive pro eo quod approbare, & cui adhærere ac assentire intellectus meritò potest, cum formidine partis oppositæ.* Uti etiam sapienter Card. Lauræa to. 2. in 3. sentent. disp. 11. a. 4. n. 281. *Probabile idem importat ac dignum ut approbetur.* Siquidem (ut ait n. 241.) sancti Patres *illud existimarunt probabile , quod, carens evidentiâ , haberet omnia alia motiva , quæ inveniri possunt ad illud suadendum, idemque est apud illos probabile , quod nos dicimus probabilius.* Et n. 303. *Hoc vocabulum , probabilitas , ut ex S. Scriptura notavimus in principio articuli , nihil aliud importat , nisi digni-*

tatem & meritum, ut aliquid approbetur, seu commendetur. Unde probabilis vir, probabile dictum, id est commendabilia. Et si attentè atque accuratè res penetretur, quisque concludet, quòd Aristoteles, cæterique cum eo Philosophi, ac Theologi, nomine propositionis probabilis, nihil aliud intellexerunt, nisi eam, cujus veritas evidenter non conspicitur, sed per aliqua media, sive intrinseca (ut sunt rationes) sive extrinseca (ut sunt authoritates) ita apparet, ut expulsâ formidine, seu dubitatione, mereatur approbari, seu existimari vera. Denique, ut sapientissimè Augustinus lib. de utilit. cred. cap. 11. *quomodò est illud, quod sequuntur, si non probatur probabile?* Probabile itaque simpliciter, propriè & expeditè, respectu alicujus, est illud solum quòd ab ipso merito approbari potest ut verum. Quod autem ab ipso merito, seu rationabiliter & prudenter, approbari non potest ut verum, respectu ipsius non est simpliciter, propriè & expeditè probabile.

121 Atqui dum utraque pars contradictionis, post diligentem veritatis inquisitionem, alicui apparet æquè probabilis, neutram in istis circumstantiis rationabiliter & prudenter approbare potest ut veram, prout demonstratum est capite præcedenti. Neutra ergo respectu ipsius, est simpliciter, propriè & expeditè probabilis.

122 Et confirmatur, quia *probabilitas*, propriè & simpliciter dicta, ut fatetur Terillus q. 2. de consc. assert. 10. *est apparentia veritatis adeò magna, ut illa digna sit assensu*, sic *ut qui illi absolutè assentitur, meritò ut prudens laudari, nullatenùs tamquam temerarius & imprudens reprehendi possit.* Unde in reg. mor. q. 1. ad opinionem verè probabilem multa requirit: *Primum* omnium (inquit) *est ut nitatur fundamento fide digno, id est tali, quod aptum est ad assensum ab homine perito, & probo, irreprehensibiliter judicante impetrandum.... Secundò sententia aliqua, ut sit probabilis, confirmari debet motivo gravi, ac magno, scilicet validè attrahente ad assensum. Et quidem magnitudo hujus motivi sumi debet non solùm absolutè, quatenùs vehementer impellit secundùm se, sed etiam relativè ad omnia in contrarium allata, adeò ut, etiam in contradictione illorum, vehementer alliciat ad assensum, idque præcisè vi suæ magnitudinis, tam absolutâ, quàm comparativâ; & non ex affectu & propensione ejus cui proponitur.* Quisquis verò absolutè assentiretur illi parti contradictionis ut veræ, quæ post diligentem veritatis inquisitionem, antecedenter ad assensum intellectûs, affectumque & propensionem voluntatis, ipsi non appareret magis vera, quàm falsa, sed æquè probabiliter falsa, quàm vera, meritò ut prudens laudari non posset, sed ut imprudens & temerarius vituperari, ob ea quæ dixi n. 114. & 115.

123 Sibi proinde non constat doctrina Terilli, nec cum illa ipsius definitione componitur sententia ejusdem de licito usu opinionis æquè vel minùs probabilis pro libertate, in concursu æquè vel magis probabilis pro lege, uti præmissa manifestant, & sequentia ampliùs manifestabunt. Longè meliùs & magis consequenter P. Scildere de princip. conscientiæ tr. 2. c. 2. n. 12. post allatam definitionem opinionis probabilis: *Opinio probabilis est assensus cum formidine, immixus rationibus gravibus, ex quibus vir consideratus, post argumenta contraria considerata, & soluta, in negotiis magni momenti concludere solet.* Longè (inquam) meliùs & cohærentiùs inde concludit: *quòd quando pro utraque parte rationes occurrunt, neque rationes unius partis longè superant aliàs, opinio formata non est probabilis.* Nam si rationes pro utraque parte sint æquales, aut ferè æquales, elidunt vim mutuam, ut nullus vir consideratus ob alterutras sit formaturus assensum, ex eoque processurus ad praxim. Sic *nullus vir consideratus judicabit se facturum esse ex aliqua negotiatione lucrum, quando totidem rationes sunt contra spem lucri, quot pro lucro.* Nec ullus consideratus Medicus judicabit se sanaturum ægrotum, per medicinam, de qua cognoscit æquè verisimile esse, quòd sit nocumentum allatura. Nec ullus sapiens & prudens Judex Titio adjudicabit rem, de qua cognoscit, æquè probabile esse, quòd non sit Titii, sed Caii. Et sic de aliis.

Et ideò conclusio illa P. Scildere, pro se 124
habet communem approbationem SS. Patrum, Theologorum, Philosophorumque antiquorum. Et quidem apud veteres Patres, *idem esse probabile, quod nos dicimus probabilius*, testantem vidimus Eminentiss. Card. de Lauræa n. 120. Quod attinet ad Theologos, Philosophosque, Antonius Cotonius in Universitate Patavina Cathedræ Metaphysicæ Moderator, controv. 5. c. 5. q. 5. (referente Seraphino Piccinardo in sua Dogmatica Philosophia to. 1. pag. 195. *Omnes* (inquit) *Antiqui tam Theologi, quàm Philosophi, probabile, pro eo quod nunc probabilius dicitur, frequentiùs usurpabant.* Patetque (quoad Philosophos) ex probabilium definitione, quam Aristoteles tradit 1. Topic. c. 1. *Ea sunt probabilia, quæ videntur omnibus, aut pluribus, vel sapientioribus; & iis vel omnibus, vel plurimis, vel maximè notis, & illustribus.* Quæcumque enim vera *videntur* (id est judicio incerto judicantur) *omnibus, aut pluribus, vel sapientioribus*, præsertim *vel omnibus, aut pluribus, vel maximè notis, & illustribus*, haud dubiè nunc probabiliora dicuntur. Ut enim Palao disp. 2. de consc. c. 1. *ea sententia probabilior est judicanda, quæ à pluribus defenditur, & doctioribus.*

Quoad Theologos, idipsum etiam con- 125
stat ex eo quòd communi calculo docuerint, rem non esse opinabilem, sed dubiam, dum se offert æqualitas rationum & authoritatum pro utraque parte, quòdque intellectus tunc necessariò quiescit, eò quòd ligatus sit per dubium, ne procedere possit ad assensum. Sic

ex

ex Philoſopho S. Thomas ſuprà n. 79. & in 3. diſt. 17. q. 5. a. 4. Neutra proinde pars comparata ad alteram tunc eſt ſimpliciter, propriè & expeditè probabilis, quia neutra ſimpliciter videri poteſt vera. *Id eſt autem probabile* (ait Guilielmus Pariſ. l. de fide. c....) ... *quod videtur verum.* Nec proinde in intellectu ſic diſpoſito eſſe poteſt probabilis opinio de veritate unius partis. Quia, ut S. Bernardus ait l. 5. de conſider. a. 2. *opinio eſt quaſi pro vero habere, quod falſum eſſe neſcias*; probabilis proinde opinio eſt judicium probabile de rei veritate. Stante verò dictâ æqualitate, intellectus neſcit utra pars vera ſit, utra falſa. Et ideò S. Bonaventura in 4. diſt. 38. a. 2. q. 3. relatis tribus ſententiis probabilibus, *quænam* (inquit) *opinionum iſtarum ſit verior, fateor me neſcire, & ſatis poteſt qualibet ſuſtineri. Ideò nullam aſſero.* Et quis non Antiquorum diſtinxit inter dubium probabile, & probabilem opinionem? Quis non ampliorem veritatis apparentiam requiſivit ad probabiliter opinandum, quàm ad probabiliter dubitandum? Habentem probabilem opinionem, de licito v. g. dixerunt non habere probabile dubium de illicito, ſed dubium leve dumtaxat, uti videre eſt in S. Antonino 1. p. tit. 3. c. 10. §. 10. dicente, quòd dubitat leviter, & *per modum ſcrupuli... habens opinionem de aliquo*, quòdque *agendo contra tale dubium non peccat*, quia *talis non operatur in dubio mortalis* (probabili utique) *ſed ſecundùm probabilem opinionem*, & uti præmiſerat, *habet rationes probabiles pro ipſa magis quàm pro oppoſita opinione.* Denique dixerunt 1°. quòd *conſcientia dicitur probabilis, ubi plus declinat ad credendam unam partem, quàm aliam.* Ita expreſsè Conradus de contract. q. 100. 2°. dixerunt *probabile, quod pluribus & maximè ſapientibus apparet verum.* Ita etiam expreſsè S. Antoninus loco citato, & Angelus de Clavaſio in Summa verbo *opinio.* 3°. *ſecundùm Gerſonem, probabile dicitur moraliter certum*, ait Sylveſter verbo *probabile.* Moraliter autem certum à Gerſone reputatur illud, quod eſt ſecundùm propriam opinionem, quæ magis declinat in unam partem contradictionis, quàm in aliam, ob probabiliores conjecturas: nam ſecundùm Cancellarium exurgit talis certitudo *ex probabilibus conjecturis... magis ad unam partem, quàm ad aliam ſe habentibus*, ait S. Antoninus ubi ſuprà; moraliter proinde certum confundit cum probabiliore.

126 4°. omnes Antiqui dixerunt, dubium propriè dictum pro ſola voluntate irreprehenſibiliter deponi non poſſe, ſed ſolùm ex motivo homini veritatem ſincerè quærenti magis probabiliter ſuadente veritatem, quàm falſitatem; vincente proinde rationem dubitandi. Nam, ut optimè Cajetanus in Summa verbo *opinio*, æmulatores opinionum reprehenſibiles habentur, dum opinio ipſorum eſt voluntaria. Nam *in omni genere ſcibilium voluntaria eſt illicita: quia non ex eo quòd magis placet, ſed eò quòd rationabilior eſt; non ex voluntate, ſed ratione amplectenda eſt opinio. Et hinc errant ſectarum æmulatores, opiniones ſuæ ſectæ ſequentes, non ut rationi magis conſentaneas, ſed quia nati ſunt, aut nutriti in ſecta illius doctrinæ.... Et hinc etiam ſæpè erratur ex nimio affectu ad noſtra, & minore quàm opus fuerit, examine, reſolutione, ac judicio, dum probabilia accipiuntur ut demonſtrata*, & (ut antè dixit) *aſſeritur ut certum & indubitatum, quod tamen eſt intra latitudinem opinabilium.* Et verò opiniones, in æquali utrimque dubio, pro ſola voluntate conceptæ, admodùm periculoſæ ſunt. Quia, ut S. Thomas quodlib. 9. a. 15. *omnis quæſtio, ubi de peccato mortali agitur, niſi expreſsè veritas habeatur, periculosè determinatur... præcipuè autem... ubi veritas ambigua eſt*, & maximè ubi dubia, ob rationes utrimque æquales. Quia, ut S. Bonaventura l. 2. de profeſſ. relig. c. 12. *quare vult aliquis ſe committere periculo pro modico motu propriæ voluntatis....? maximè cùm tales opiniones quandoque periculoſiores ſint, quàm apertæ tranſgreſſiones. Quia ubi ſcit ſe homo delinquere, facilè corrigitur.* Ubi autem neſcit ſe peccare, *& inſuper credit ſibi licere; inde nec in morte ſua conteritur, propter falſam ſpem, quòd ſibi fortè licuerit, vel minùs in eo peccaverit, baculo arundineo & confracto innitens. Voluntas bona, planâ viâ, regiâ, & ſecurâ debet incedere, relictis dubietatum diverticulis, quaſi ſuſpectis latronum ſemitis*, &c. Diſtortus proinde, reprehenſibiliſque eſt affectus voluntatis, intellectui imperantis aſſenſum, ubi rationes apparent æquales antecedenter ad iſtud voluntatis imperium, & intellectûs aſſenſum. Quem tamen tunc præſtari non poſſe oſtendimus cap. 12. Saltem irreprehenſibiliter præſtari non poſ- 127
ſe, tota ſenſit Antiquitas, ſuadetque ratio, quia præſtari nequit, niſi bonam mentem, rationemque prodendo, niſi falſitatem pro poſſe non cavendo, niſi pro affectu magis quàm pro ratione judicando. Judicando (inquam) pro affectu, per quem fiat, ut motiva illius partis, cui voluntas non afficitur, jam non conſiderentur, vel minùs conſiderentur quàm motiva partis quæ tranſiit in affectum. Quod certiſſimè eſt contra prudentiam, ad quam pertinet in examinandis quæſtionibus non ſolùm rationes utriuſque partis inquirere, ſed etiam ponderare, & inter ſe conferre, ac pro earum pondere & gravitate ſententiam ferre, vel ab ea ferenda abſtinere. Aliàs namque ſententia fertur contra officium bonæ mentis, ſincerumque amorem veritatis. Quam dum bona mens ſincerè quærit, depoſito omni affectu ac propenſione ad unam partem, æqualiter examinat ponderatque rationes & motiva utriuſque partis, nec magis applicat ſe ad excogitandas rationes pro una quàm pro altera, memor quàm verè Seneca dixerit: *Perit omne judicium, cùm res tranſierit in affectum.* Memor item quòd *verum eſt bonum intellectûs* (ait S. Thomas 2. 2. q. 60. a. 4. ad 2.) *falſum*

autem malum ipſius, ut dicitur 6. Ethic. & ideò unuſquiſque debet niti ad hoc, ut de rebus judicet prout ſunt, atque adeò fugere pro poſſe falſitatem. Nam, ut Auguſtinus Enchirid. cap. 10. *uſque adeò natura rationalis refugit falſitatem, & quantùm poteſt, devitat errorem, ut falli nolint, quicumque amant fallere.* Et, ut idem ait l. 1. contra Academ. c. 3. *quiſquis minùs inſtanter quàm oportet, veritatem quærit* (quomodò quærit quiſquis ex voluntatis affectu, non æqualiter examinatis, & inter ſe collatis utriuſque partis rationibus, eam partem eligit, quæ depoſito illo affectu, ſibi æquè appareret falſa, quàm vera) *is ad finem hominis non pervenit. Quiſquis autem tantùm quantum poteſt ac debet, dat operam inveniendæ veritati, is, etiamſi non inveniat, beatus eſt* (id eſt bonæ mentis officium implet, nec jure reprehendi poteſt) *totum enim facit, quod ut faciat, ita natus eſt.* Quiſquis verò ex affectu & propenſione in partem amatam judicat eam potiùs eſſe veram, quàm oppoſitam (quam antecedenter ad iſtum affectum judicabat æquè veriſimilem) minùs inſtanter quàm oportet veritatem quærit, nec quantùm poteſt devitat errorem, nec excubat quantùm debet (ubi excubandum eſſe ſollicitè monet l. 22. de Civit. c. 23.) *ne opinio veriſimilis fallat; ne decipiat ſermo verſutus; ne ſe tenebræ alicujus erroris offundant*; ne Deus ſpargat pœnales cæcitates ſuper illicitas ſuas cupiditates; *ne quod bonum eſt, malum; aut quod malum eſt, bonum eſſe credatur.... ne in ea, quæ agenda non ſunt, cupido præcipitet*; ne voluntatis propenſio authoritatem vitiis quærat, uti plerùmque facit. *Nam* (ut idem Auguſtinus ſerm. 12. de temp.) *voluntatis propenſio authoritatem vitiis quærit, ut quod malum eſt, bonum, aut bono proximum eſſe ſuadet.* Opinio proinde & conſcientia taliter formata verè probabilis non eſt. Imò (uti ſapienter Fagnanus ad cap. *ne innitares* n. 270.) *hoc eſt formare conſcientiam contra conſcientiam, & opinari, non ſecundùm apparentiam rei*, antecedenter ad *præoccupatum affectum, ſed fingere verum ex noſtro arbitrio.* Quod profectò non facit ſincerus amator veritatis; quales omnes eſſe oportet, quia (ut rurſum Auguſtinus epiſt. 6.) *omnes aut ſumus, aut tenemur eſſe cives illius civitatis, cujus Rex & Imperator eſt veritas; ne ſimus ex alia, cui falſitas dominatur & vanitas.* Et ideò omnibus neceſſariò orandum pro cognoſcenda veritate, ut probant epiſtolæ Auguſtini & Innocentii Papæ 90. 92. 93. 94. 95. ubi id multiplici divinæ Scripturæ teſtimonio probatur. Sed ut exaudibilis ſit oratio, orandus eſt Deus, affectu non præoccupato ad unam partem, Deum inflectere volendo ad ſuam cupiditatem; ſicut Dominum conſuluit, & non ſemel, ſed ſatis cognitâ Domini voluntate, propriâ victus cupiditate, iterùm conſuluit Balaam Numer. 22. *Ibi ſe victum cupiditate monſtrando, ubi loqui ſibi Dominum de hac re iterum voluit, de qua ejus cognoverat voluntatem*, hoc facto prome-

ritus, ut *Dominus, videns ejus cupiditatem.... permitteret eum ire, hoc facto confundens ejus dementiam*, &c. inquit Auguſtinus l. 4. in Numer. q. 48.

Ex his perſpicuum eſt, ad hoc ut pars una contradictionis verè & propriè ſit probabilis, 128
debere eſſe opinabilem, ſive approbabilem per aſſenſum, non ex affectu & propenſione voluntatis ad illam partem, ſed ex vi magna pertrahendi ad aſſenſum hominem peritum irreprehenſibiliter judicantem; ex vi (inquam) magna, quam ad hoc habet motivum, cui innititur, tam abſolutè ſecundùm ſe, quàm relativè ad omnia motiva in contrarium, poſt debitam veritatis inquiſitionem. Quod cùm fieri nequeat, dum motiva utriuſque partis, poſt debitam veritatis inquiſitionem, antecedenter ad voluntatis imperium, & intellectûs aſſenſum, ſincero veritatis amatori apparent æqualia, conſequens eſt quòd utraque pars contradictionis, ſtante æquali illâ apparentiâ veritatis & falſitatis, ſit iſtis in circumſtantiis inopinabilis: neutra proinde per aſſenſum hîc & nunc approbabilis. Neutra tandem ſimpliciter & expeditè probabilis, reſpectivè ad hominem, cui iſta æqualitas apparet, & quamdiù talis apparet: tametſi reſpectivè ad alios, quibus aliter irreprehenſibiliter apparet, altera ex ipſis probabilis & per aſſenſum approbabilis eſſe poſſit.

CAPUT XIV.

Regula quinta: dum duæ opiniones contradictoriæ, una affirmans, altera negans honeſtatem actionis, ſincero veritatis amatori, poſt debitum examen æquè probabiles apparent, ac per conſequens honeſtas verè dubia eſt per principia directa, judicium de honeſtate fieri nequit per principia reflexa. A tali proinde actione abſtinendum eſt, juxta magiſtralem hanc regulam: In dubia via tutior eſt eligenda.

Sic ex concordi Sanctorum traditione ſen- 129
ſerunt, ſacriſque Canonibus magiſtralem illam regulam inſeruerunt Summi Pontifices, ut videbitur cap. 16. Per conſequens abſtinendum docuerunt ab actione dubiæ honeſtatis. Quod & Sapientes Judæorum ac Gentilitatis cenſuiſſe, conſtat ex dictis num. 108. Quis non obſtupeſcat, tam ſanctam, tamque fundatam regulam juniorum Caſuiſtarum cavillationibus everti, quam velut ſummæ æquitatis legem, ſolo naturali lumine, agnoverunt Ethnici Philoſophi; & in tantum everti, ut in dubio, in quo Philoſophi iſti nefas cenſuerunt agere, agere permittant Probabiliſtæ?

Sed benè eſt Antiquitatem venerandam, 130
nedum Orthodoxorum Patrum, ſed & Scholaſticorum Doctorum, æquiſſimam illam legem non neglexiſſe, ſed ſervandam præſcripſiſſe. Ita imprimis Guilielmus Pariſienſis apud Dionyſium

Dionysium Carthusianum contra pluralit. Benefic. a. 8. ubi sic : *Nunc tangenda sunt verba Guilielmi Parisiensis Doctoris profundi & uncti, quem etiam multi magni Doctores audent S. Thomæ, seu Bonaventuræ, in sapientiæ eminentia parem asserere. Itaque lib. de collat. Benefic. sic ait :* „ Post hæc aggrediamur disputare, an „ liceat uni personæ multa beneficia habere, „ quorum unum sufficit ad competentem ei sustentationem? Imprimis ergo si de hoc alicui „ videatur dubitandum, quia à multis & magnis sentitur quòd sic, atque à multis & magnis quòd non. Unde temerarium videri possit de hoc aliquid definire. Ad hoc dicimus, „ quia si dubium est, utrùm liceat hoc, an non; „ ipsa dubietas, certitudo est & determinatio, „ id est certitudinem facit : quia procul dubio „ non licet alicui committere se discrimini. Discrimini autem se committit, qui præsumit alis „ quid facere, de quo dubitat, an peccatum sit. „ Cùm ergo, ut diximus, dubietas facit discri„ minosum, hoc idcircò vitandum ex necessitate „ salutis, tamquam illicitum & mortale.

131 Alexander de Ales in Summa (cujus lectionem commendat S. Bernardinus Senensis feriâ 3. post Quinquages. Conc. 3. a. 3. c. 1. quamque egregiam & copiosissimam vocat Bellarminus) p. 2. q. 112. de ignor. octavo casu ; *Qui dubitat de aliquo contractu utrùm sit simoniacus, necne; eò quòd quidam Doctores dicunt esse simoniacum, & quidam negant.... ei abstinendum est ab hoc contractu, ne se committat discrimini. Melius enim est, ut incidat in damnum temporale, quàm in spirituale.*

132 S. Thomas quodlib. 3. a. 9. ad 13. *Quicumque non cavet pericula, videtur contemnere id cujus detrimentum pericula inducere possunt.* Quodlib. 8. a. 13. in princip. *Quicumque committit se discrimini, in his quæ sunt ad salutem, peccat.* Et ibidem loquens de dubio utrimque probabili, an liceat plures habere præbendas, dicit, quòd *tali dubio manente* (tametsi non practicè practico) *habens plures præbendas se periculo committit, & procul dubio peccat.* Quodlib. 9. a. 15. *Quicumque committit se discrimini, & periculo peccati mortalis, peccat mortaliter.* Et supplem. q. 6. a. 4. ad 3. Qui aliquid committit vel omittit, de quo dubitat *esse peccatum mortale, peccat mortaliter discrimini se committens.*

133 Henricus Gandavensis quodlib. 4. q. 33. in dubio, nascente ex contrarietate opinionum, tutius dicit esse sequendum.

134 Scotus q. 2. prologi in fin. *Multa in actibus humanis sunt dubia, utrùm sint peccata mortalia, etiam suppositis omnibus doctrinis Doctorum, & Expositorum. Tamen non est dubia via salutis : quia à talibus, tamquam periculosis, debet homo sibi cavere, & se custodire : ne, dum exponit se periculo, incidat in peccatum.*

135 Joannes de Friburgo in Sum. l. 3. tit. 34. q. 79. *Mortaliter peccat, qui aliquid committit vel omittit, in quo dubitat esse peccatum mortale. Tanta* porrò *est* istius Summæ *authoritas,*

ut nullibi ejus contenta à quòquam fuisse rejecta comperiamus, ut dicitur in procœmio.

Gerson in reg. moral. *Agere incertum, & dimittere certum, in materia morali, est peccatum mortale.... dum tale est vehementer & probabiliter incertum, æquè sicut oppositum.* 136

S. Antoninus p. 1. tit. 3. c. 10. §. 10. non permittit operari secundùm unam opinionem, *dum* ex contrarietate *opinionum inducitur quis ad dubitandum.* Quia, ut ait p. 3. tit. 5. c. 2. §. 9. *in his quæ concernunt forum conscientiæ, in dubio, via tutior est eligenda.* 137

Angelus de Clavasio verbo *opinio : Hoc quod dicitur : in dubiis tutior pars est eligenda. Et... qui amat periculum, peribit in illo.... verum est, quando proprie dubium est,* id est, dum sunt rationes hinc inde æquales. Idem habet verbo *dubium*, sicut & Armilla, & Rosella ibidem. Et Tabiena verbo *opinio*, & Carthusianus loco citato. 138

Gabriel in 4. dist. 15. q. 8. ad litt. S. probat dictum Gersonis n. 136. relatum, illudque intelligit de eo, qui eligit incertum per principia directa. Ex eo namque quòd taliter incerta est honestas polygamiæ beneficiorum, infert beneficiorum polygamum peccare mortaliter : quia *committit se incerto peccati mortalis.* 139

Major in prologo quarti sent. in respons. ad 1. object. contra ult. part. 5. conclus. *Authoritates similes :* tene certum, &c. *sunt consilii, quando est tenuior apparentia de certo. Sed quando sunt æquales apparentiæ.... pro parte certa, stultum est partem certam relinquere. Eccli. 3. Qui amat pericula, peribit in illis.* Et ad confirm. 4. argum. contra 6. conclus. postquam dixit, quòd in casu perplexo, *ubi sunt tot apparentiæ utrimque æquales ad facere, vel non facere, & in utroque membro est peccatum.... (ut de liberando innocente, & condemnando in casu supradicto* in 6. conclus.) *tunc conformans se cuicumque opinioni voluerit, omnis peccati est expers ;* addit : *sed si sunt tot apparentiæ pro parte certa* (id est certò licita) *sicut pro incerta, major est difficultas. Octo viri reputati dicunt B. contractum vitiosum, quem facit Titius cum octo rationibus. Rursus octo tantæ authoritatis, cum totidem apparentiis, scilicet octo, dicunt B. contractum Titii esse licitum. Quæstio est, utrùm Titius tenetur ad restitutionem & detestationem? Et mihi apparet hæc conclusio concedenda : Titius de necessitate salutis, tenetur restituere,* &c. 140

Corduba l. 2. de ignor. q. 3. assert. 3. *Pars tutior tenenda est, quando oppositæ sententiæ sunt aut creduntur æquè probabiles.* 141

Adrianus de restit. §. *quia jam dictum est :* docet exponere se temerè periculo peccati, qui, in contrarietate opinionum, agit id de quo dubitat esse peccatum. Et quodlib. 3. q. 2. in 3. puncto, dicit, *nulli licere, agere id, de quo dubitat, an sit mortale peccatum, si certus est quòd oppositum agendo, non peccabit. Quia nulli licet magis velle servare amorem* 142

creaturæ, quàm Dei, ut patet ex præcepto diligendi Deum super omnia.

143 Sylvester verbo *dubium*, & verbo *opinio*: in dubio probabili, quando rationes probabiles ex utraque parte sunt æquales, operando, *quis peccat.* Et infrà: *si probabilitas hinc inde esset æqualis, tutior est eligenda necessariò, quando ex electione alterius imminet periculum peccati mortalis.* Et iterùm infrà: *si habet rationem ad utramque partem æqualiter, dubitatio est, in qua non potest quis licitè operari.* Denique verbo *dubium* n. 4. regulam: *in dubiis tutior pars est eligenda:* interpretatur de dubio probabili: quia *secundùm Archidiaconum peccatum grave est, tali in dubio se exponere, ubi est mortale. Et secundùm Panormitanum in d. cap.* juvenis. *in dubiis, scilicet probabilibus, ubi versatur periculum animæ, semper tutior pars est eligenda.*

144 Conradus q. 100. de contract. dicit, quòd *in æquilibri conscientia*, seu æquali dubio, *quòd aliquid sit peccatum, propter aliquas rationes, & secundùm alias quòd non sit peccatum: non potest formari bona & non dubitativa conscientia* de non peccato. Et concluſ. 1. dicit, eum, qui inter contrarias Doctorum sententias sequitur minùs tutam, peccare, *quando habet æquilibrem, quòd sit mortalis, hoc est, æquè credit quòd sit mortalis, quàm quòd non sit talis. Quia quando agens habet æquilibrem conscientiam, quòd peccet, & non peccet, peccat.*

145 Navarrus in Manuali c. 27. n. 193. *Nemo potest facere absque peccato id de quo dubitat, an sit peccatum necne.* Et n. 284. *Tutior pars est eligenda in dubio.... quod est propriè dubium.* Quod & repetit in cap. *siquis autem* de pœnit. d. 7. n. 50. aiens esse conclusionem S. Thomæ, à nemine non receptam.

146 Jacobus de Graffiis decis. consc. l. 1. c. 15. *Si dubium vertitur, an aliquid sit mortale necne, securiorem partem, tam pœnitens, quàm Confessarius, eligere debent.*

147 Rosemundus in Confess. c. 8. tit. 3. reg. de peric. *Exponens se periculo peccati mortalis, peccat mortaliter, quando dimittit certum, & agit incertum, æquè sicut oppositum.... an sit mortale, vel non.*

148 Philippus Faber in 4. dist. 14. q. 1. disp. 6. n. 45. testatur, opiniones Antiquorum videri in hoc convenire, cùm utraque opinio, tam tutior, quàm minùs tuta, sunt æquè probabiles, tutiorem esse amplectendam, ad id n. 43. referens S. Thomam, Cajetanum, Scotum, vocansque oppositam, Recentiorum opinionem.

149 Scio Terillum, aliosque Noviores, exponere testimonia illa Veterum, de dubio practicè non deposito, quod tamen per principia reflexa deponi possit. Sed perperàm. Cùm ex allatis ipsorum testimoniis constet, ejusmodi dubia practicè deponi non posse. Aliàs ex tali dubio Altisiodorensis non concluderet certum esse, abstinendum ab eo de quo dubitatur esse peccatum. Et in Summa non adderet, quòd quilibet de quolibet peccato mortali, *tenetur scire, vel dubitare, & per hoc vitare. Est enim regula: quòd siquis dubitat de aliquo, an sit mortale, & facit illud, peccat.* Similiter Alensis non diceret, in æquali utrimque probabilitate abstinendum à contractu, cujus honestas controvertitur. Nec Scotus ideò diceret, in ejusmodi casibus dubiam non esse viam salutis, *quia à talibus, tamquam periculosis, quis debet cavere*; sed quia dubium per reflexa principia practicè potest deponere. Nec alii dicerent viam tutiorem in ejusmodi casibus necessariò tenendam. Profectò Altisiodorensis eo ipso negat dubium deponi posse, quo dicit: *Tenetur quilibet scire, vel dubitare, & per hoc vitare. Qui ex causa probabili dubitat* (ait Navarrus) *neque debet, neque potest dubietatem exuere. Imò si exueret, malè faceret.* Et Adrianus: *Debet æstimare periculum in eo quod agit: quia debet, propter aliorum authoritatem, ad minus de facili honestate dubitare.* Et Conradus: *Tunc non potest formari bona, & non dubitativa conscientia.*

150 Denique Veteres passim distinguunt inter dubium probabile, & scrupulosum, aientes istud deponendum, eò quòd detur principium, per quod deponi possit; illud verò deponi non posse, & ideò à parte periculosa, de cujus veritate probabiliter dubitatur, cavendum esse, ubi partem non periculosam sequi quis potest.

151 Hinc Summistæ, & Canonistæ communiter, docent, in dubio probabili de excommunicatione, irregularitate ex delicto, &c. tametsi in foro externo benignior interpretatio facienda sit, ne Judex incurrat periculum damnandi innocentem; in foro tamen animæ faciendam esse interpretationem rigidiorem, propter securitatem, non per sententiam definitivam, sed per quamdam suppositionem, ita ut quis gerere se debeat ut excommunicatus, irregularis, &c. Ita Abbas ad cap. *significasti* de homicid. Angelus verbo *dubium.* Armilla verbo *dubitatio.* Rosemundus c. 21. Dionysius Carthusianus in Summa fid. l. 3. a. 117. Rationem dat S. Thomas 2. 2. q. 60. a. 4. quia circa alios si quis dubia deteriorem in partem interpretetur, *injuriatur ei.... at verò circa seipsum homo debet dubia interpretari in pejorem partem, secundùm illud Job. 9. Verebar omnia opera mea, eò quòd cùm debemus nostris malis adhibere remedium, expedit, ad hoc ut securius remedium apponatur, ut supponatur id quod est deterius.* Ita etiam Glossa cap. un. de scrut. verbo *æstimare: Hoc generale est, ut ubi vertitur periculum animæ, præsumatur in deteriorem partem*; sed circa judicia præsumitur potiùs justum, vel bonum, quàm è converso. Ita rursum Panormitanus in cap. *juvenis* de sponsal. *In concernentibus periculum animæ, debemus in dubiis semper tenere quod certius est, & quod sine periculo animæ explicari potest. Unde in istis illa pars est mitior, quæ est tutior.*

Si verò dubia ejusmòdi in favorem libertatis deponi possent, interpretatio rigidior & tutior facienda non esset.

152 Hinc etiam Pontifices supponunt dubium, ex levi causa conceptum, in ordine ad petendum debitum, deponi posse; non verò conceptum ex causa probabili. Cùm dicant probabile dubium in ordine ad reddendum debitum deponi posse, non in ordine ad petendum. Quia supponunt dari principium reflexum, per quod deponatur in ordine ad reddendum; non dari verò, per quod deponatur in ordine ad petendum. Videri potest hac de re declaratio Lucii III. cap. *Dominus* de secund. nupt. & Innocentii III. cap. *inquisitioni* de sent. excom.

153 Enimverò positivè dubium de honestate actûs, ob æqualem hinc inde probabilitatem, si (post debitum examen) ratio vel authoritas probabilior ipsi non occurrat pro honestate, quàm pro inhonestate, ejusmodi dubium deponere non posse, tutioremque partem sequi debere, probavimus cap. 12. & 13.

CAPUT XV.

Regula sexta: in dubio positivo, de honestate actûs, ob æqualem, vel ferè æqualem hinc inde probabilitatem, servandam esse sacratissimam illam regulam, In dubiis semitam debemus eligere tutiorem, *ex sacris Litteris probatur.*

154 PRimò, quia sacræ Litteræ jubent quasi à facie colubri fugere peccatum, illiusque cavere periculum. Eccli. 3. & 21. Hoc autem non facit, qui sciens & volens (præsertim nullâ cogente necessitate) facit id quod æquè probabiliter est, quàm non est peccatum.

155 2°. jubent exquisitâ sollicitudine mandata custodiri: *Tu mandasti, mandata tua custodiri nimis.* Psal. 118. Quemadmodùm verò exquisita sollicitudo custodiendi leges artium non permittit facere id quod æquè probabiliter est, quàm non est contra artium leges; sic exquisita sollicitudo custodiendi mandata Dei non permittit facere id quod æquè probabiliter est, quàm non est contra mandata Dei.

156 3°. jubent in omnibus operibus sequi pro posse veritatem. Eccli. 37. *Ante omnia opera, verbum verax præcedat te.* Non ergo permittunt id sequi, quod æquè probabiliter est, quàm non est, contra veritatem divinæ legis.

157 4°. peccatum esse declarant, omne quod non est ex fide, sive ex conscientia dictante non esse peccatum. Rom. 14. *Omne quod non est ex fide, peccatum est.* Id ergo agere vetant, de quo usque adeò dubium est, sitne an non sit peccatum, ut æquè probabile sit, peccatum esse, quàm non esse.

158 5°. requirunt in agendo prudentiam cum simplicitate. Matth. 10. *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ*: ubi Christus (interprete D. Bernardo l. de præcepto & dispens. c. 17. & 18.) duo à nobis velut necessaria exigit, simplicitatem in intentione, prudentiam in electione, id est, ut in eo quod facimus, intendamus charitatem, & in eo quod eligimus, sic teneamus pro posse veritatem, ut ab ea voluntariè non sinamus nos aberrare: *Ut interior oculus* (ait Bernardus) *duo illi arbitror esse necessaria, charitatem in intentione, & in electione veritatem. Nam.... volens ad veram discipulos instruere simplicitatem, magistra Veritas:* " Estote (*inquit*) prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. " Præmisit *ergo prudentiam, sine qua neminem satis esse posse simplicem sciret. Quomodò* enim *verè simplex erit oculus cum ignorantia* (voluntaria) *veritatis.... Scriptum est enim 1. Cor. 14. Ignorans* (ignorantiâ voluntariâ) *ignorabitur. Patet ergo laudabilem illam, & à Domino commendatam simplicitatem, absque duobus non esse bonis, benevolentiâ scilicet, atque prudentiâ, ut oculus videlicet cordis non solùm pius, qui fallere nolit, sed & cautus sit, qui* voluntariè *falli non possit.* Voluntariè (inquam) ad hoc enim significandum c. 18. verba illa, *falli non possit*, explicat per ista: *falli non sinit.* Et per ista: *nec falli facilis.* Et ob istud voluntarium ibidem addit, quòd in decepta simplicitate, malum non penitùs excusat intentio recta: atqui voluntariè se sinit à veritate aberrare, atque à falsitate decipi, qui viam eligere potens à falsitate securam, sciens & volens eam eligit, quæ ipsi apparet æquè probabiliter falsa quàm vera. Si enim falsa sit, voluntariè fallitur. Si vera, voluntariè equidem se exponit periculo falsitatis, nec eam pro posse refugit, nec prosequitur pro posse veritatem.

CAPUT XVI.

Eadem veritas probatur ex sacris Canonibus, & perpetuo Ecclesiæ usu.

SAcratissimam illam regulam non solus Spi- 159
ritus sanctus in sacris Litteris, sed & SS. Pontifices in Canonibus, & SS. Patres, & perpetuus Ecclesiæ usus tradiderunt, consecrarunt, canonizarunt.

Primò namque omnia Canonica Jura cla- 160
mant, quòd *in dubiis semitam debemus eligere tutiorem*, cap. *ad audientiam* de homicid. cap. *significasti*, & cap. *petitio.* eodem cap. *inquisitioni* de sentent. excom. cap. *illud* de cler. excom. Clementina *exivi* de verb. signific. &c. Sed qui versatur in æquali contrariarum opinionum probabilitate, versatur in vero & propriè dicto dubio, uti constat ex dictis cap. 9. Ergo secundùm omnia Canonica Jura semitam debet eligere tutiorem.

Secundò specialiter ex cap. *Dominus* de se- 161
cund. nupt. ubi Lucius III. docens Christianos, Saracenorum captivitate detentos, quomodò se gerere deberent, in casu secundarum nuptiarum, initarum absque certitudine de prio-

ris conjugis morte, dicit, quòd *si aliquis vel aliqua de morte prioris conjugis adhuc sibi existimat dubitandum, ei, qui sibi nupsit, debitum non deneget postulanti; quod à se tamen nullatenus erit exigendum.* Ecce casus de conjuge dubio de invaliditate secundarum nuptiarum, non ex fundamento certo (utpote quo stante certum est, quòd debitum Pontifex reddere non jussisset) sed sic incerto, ut probabile esset impedimentum subesse (aliàs debitum exigere non prohibuisset) probabile etiam non subesse (aliàs non jussisset reddere: cùm obligatio non sit, imò nec facultas reddendi, ubi probabilis non est valor conjugii.) In isto itaque dubio, utrimque probabili, Pontifex non docet, in ejusmodi dubio, conjugi liberum esse operari secundùm utramque probabilitatem (uti docent Probabilistæ) sed docet oppositum. Si enim id docuisset, docuisset conjugi liberum, licitumque esse debitum exigere secundùm unam probabilitatem, & recusare secundùm alteram. Utrumque verò negat Pontifex. Docuisset item ipsi liberum, licitumque esse, debitum exigere simul & reddere. Cùm tamen ex adverso doceat, ipsum posse & debere reddere, sed non posse exigere. Obligatio verò reddendi, in iisdem Probabilistarum principiis non subsistit. Quia, in dubitabili illo casu, jus exigentis non est certum, sed incertum, probabileque dumtaxat. Jus verò incertum certam non inducit obligationem, magis quàm lex incerta & dubia, quam docent non obligare, defectu sufficientis applicationis, seu promulgationis. Cur ergo, in ejusmodi dubio, Pontifex docet exigere non posse? Non alia de causa, nisi quia non exigere tutius est, & in dubio tutius exigendum. Cur etiam docet, debitum reddere debere? Non ob aliam, sed eamdem ob causam; eò quòd utique reddendi obligatio certior esset, quàm obligatio non reddendi, pro quanto alter conjux, de conjugii sui valore non dubius, sed bonâ & indubitatâ fide de valore persuasus, certum habet jus (saltem certitudine subjectivâ, indubitatâ fide creditâ) ad debitum exigendum, cui certo juri, certæque proinde obligationi satisfacere tutius est, quàm incertæ, dum satisfieri nequit utrique. In dubio verò quod tutius est sequendum.

162 Nec evadit Terillus in fundam. Theol. Moral. q. 26. n. 40. dicendo, Lucium III. ibi de iis agere qui malâ fide matrimonium inierant, antequam certificarentur de morte prioris conjugis. Tum quia id non probat, sed absque fundamento supponit. Mala fides autem in dubio non magis præsumitur, vel supponitur, quàm delictum, sed probari debet. Tum quia illi qui malâ fide matrimonium inierunt, debitum nec petere, nec reddere possunt. Tum denique quia conditio eorum, ad quos Lucii litteræ scriptæ sunt, id incredibile facit. Quandoquidem scriptæ sunt ad instructionem omnium, sub Saracenorum captivitate degentium; ex quibus incredibile est, nullos ad secundas nuptias bonâ fide convolasse; nullos etiam de prioris conjugis morte bonam, licèt incertam, fidem habuisse, maximè cùm omnis opinio probabilis secundùm Probabilistas sit bona fides, seu credulitas.

Tertiò ex cap. *inquisitioni*, de sent. excom. 163
ubi Innocentius III. eamdem, quam suprà Lucius III. quæstionem de debito conjugali definit: interrogatus namque, quid agendum conjugi, anxio de impedimento conjugii, respondet, *distinguendum, utrùm alter conjugum pro certo sciat impedimentum conjugii.... aut non sciat pro certo, sed credat. In primo casu debet potiùs sententiam excommunicationis humiliter sustinere, quàm per carnale commercium, peccatum operari mortale. In secundo, adhuc distinguimus, utrùm habeat conscientiam hujusmodi ex credulitate levi & temeraria; an probabili & discretâ? Equidem ad Pastoris sui consilium, conscientiâ levis & temerariæ credulitatis explosâ, licitè potest, non solùm reddere, sed exigere debitum conjugale. Verùm cùm conscientia pulsat animum ex credulitate probabili & discreta, quamvis non evidenti & manifesta, debitum quidem reddere potest, sed postulare non debet: ne in alterutro, vel contra legem conjugii* (debitum negando) *vel contra judicium conscientiæ* (illud exigendo) *committat offensam.*

Qua in responsione sequentia observanda 164
sunt. 1°. Pontificem ibi non condere jus novum (uti patenter innuit his verbis: *Respondentes credimus distinguendum*) sed declarare, quid ex jure naturali & divino sit agendum, dum conjux anxius est de impedimento conjugii, ob apparentiam non certam & manifestam, sed incertam, & utrimque probabilem. *Utrimque* (inquam) *probabilem.* Ut enim dixi n. 161. si apparentia solùm fuisset probabilis pro impedimento, non pro valore conjugi, Pontifex nec ipsi permisisset, nec jussisset reddere debitum, *ne contra legem conjugii committeret offensam:* neque enim morale periculum est offendendi contra legem conjugii, de cujus valore nulla est probabilis apparentia. Loquitur ergo Pontifex in casu dubii utrimque probabilis.

2°. in ejusmodi dubio Pontificem non di- 165
cere (cum Probabilistis) taliter dubitantem posse, sive in reddendo, sive in exigendo, sequi utram vult probabilitatem; eò quòd licita sint omnia, quæ non sunt certò & manifestè illicita; liceatque quodcumque probabile sequi; sed prorsus ex adverso definire, quòd si impedimentum *credat ex credulitate probabili & discreta*, quamvis non *evidenti & manifesta*, *debitum quidem reddere potest* (imò reddere debet, *ne contra naturalem & divinam legem conjugii committat offensam*) sed postulare non potest, ne peccet contra judicium conscientiæ. Proinde tam Innocentius III. quàm Lucius III. definitionem suam fundat in regula de tutiori parte sequenda in ejusmodi dubio. Reverà enim tutius est reddere, ne pec-

cetur contra jus, quod compars bonâ fide, certò credit se habere. Tutius item non exigere, ne peccetur contra propriæ conscientiæ judicium: maximè cùm conjugii lex neminem obliget ad exigendum.

166 3°. sicut Pontifex priorem responsionis suæ partem (quâ dicit, conjugem, de impedimento certum, *debere potiùs sententiam excommunicationis sustinere*, quàm per carnale commercium, peccatum *operari mortale*) fundat in jure naturali & divino, quo pro nullo bono consequendo, nullovè malo vitando, permittitur peccatum operari mortale: sic posteriorem partem (quâ dicit, conjugem, habentem conscientiam probabilem, non certam de impedimento, debere reddere, non postulare debitum) fundat in jure naturali & divino, de cavendo periculo peccandi, vel contra conjugii legem, vel contra judicium conscientiæ.

167 4°. posteriorem partem responsionis Pontificiæ non magis procedere pro solo foro externo, quàm priorem. Cùm ratio, in qua Pontifex fundat, tam priorem, quàm posteriorem, deprompta sit ex jure divino & naturali, ad internum forum conscientiæ haud dubiè pertinente. Unde in posteriori parte non dicit, *ad Judicis decretum*, sed *ad Pastoris consilium*, *conscientiam levis & temerariæ credulitatis esse explodendam. Conscientiam verò, dum pulsat animum ex credulitate probabili & discreta*, non esse explodendam, sed ne vel contra eam, vel contra conjugii legem peccetur, debitum esse reddendum, non petendum.

168 Et hinc perspicuum est, postremam hanc partem Pontificiæ definitionis, sic glossari non posse, ut procedat in sensu composito, non in sensu diviso: quasi Pontifex solùm declaret isto in casu debitum exigi, & recusari non posse, stante dubio, vel judicio impedimenti; secùs eo deposito. Solam quippe *conscientiam ex credulitate levi & temeraria, ad Pastoris consilium*, dicit *explodendam*; non verò *conscientiam ex credulitate probabili & discreta*. Quâ pulsante animum, non permittit, eâ ad Pastoris consilium explosâ, *reddere & exigere*; sicut permittit, dum impedimenti conscientia habetur *ex credulitate levi & temeraria*; sed prorsus ex adverso, debitum sic reddi posse, & debere, ut absolutè, indistinctè, & absque exceptione dicat, postulari non posse. Cur non permittit, deposito dubio ad Pastoris consilium, tunc sequi credulitatem probabilem de valore matrimonii, ob eamque debitum reddi & postulari, uti Probabilistæ permittunt? Quia hanc Probabilistarum permissionem rationabilem, jurique divino & naturali conformem non censet. Neque enim tam grave difficileque onus reddendi, negatâ exigendi potestate, conjugibus imposuisset, nisi debuisset ex divina, naturalique lege; *ne in alterutro, vel contra legem conjugii, vel contra judicium conscientiæ committat offensam.*

169 Quartò ex cap. *ad audientiam* de homicid. volunt. & casuali, ubi Clemens III. sic ait: *Ad audientiam Apostolatûs nostri pervenit, quòd, cùm quidam Presbyter, volens corrigere quemdam de familia sua, cingulo, quo cingi solebat, ipsum verberare tentaret, contingit quòd cultellus de vagina, quæ cingulo adhærebat, elapsus, eum in dorso aliquantùm vulneravit; postmodum verò cùm ille vulneratus aliquamdiù vixisset, & convaluisset à vulnere; aliâ graviore, ut dicitur, infirmitate percussus, viam est universa carnis ingressus. Quia verò, utrùm occasione vulneris discessisset, dubium habetur, tuæ discretioni duximus respondendum, quòd cùm in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem, te convenit injungere Presbytero memorato, ut in sacris Ordinibus non ministret.* Ecce iterùm Pontifex, in dubio an homicidium voluntarium sit, an casuale, non obstante probabilitate casualitatis (fundatâ 1°. in eo quòd casu factum videretur, quòd cultellus de vagina elapsus fuerit. 2°. in levitate vulneris, *aliquantùm vulneravit*. 3°. in eo quòd vulneratus à vulnere convaluerit, & sanatus aliquamdiù vixerit) nihilominùs jubet, ut Presbyter ille in sacris Ordinibus non ministret; eò quòd *in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem.*

Similiter Honorius III. cap. *petitio* eod. cùm Pelagius Presbyter, cum aliis habitatoribus castri, in quo morabatur, exiisset contra infideles, castrum invadentes, atque hinc inde plurimi cecidissent; ideòque Pelagius (qui aliquos percusserat) metueret, ne irregularitatem contraxisset, interrogatus ab ipso Pontifex, quid, in hoc dubio, sibi agendum esset? respondit: *Mandamus quatenus, si de interfectione cujusquam, in illo conflictu, tua conscientia te remordet, à ministerio altaris abstineas reverenter. Cùm sit consultius, in hujusmodi dubio, abstinere, quàm temerè celebrare.* Profectò absque temeritate, deposito dubio, celebrasset, si dubium probabile non fuisset & discretum, sed leve & temerarium: utpote quod, ut tale, explodere potuisset. Nec ad Pontificem Presbyter ille recurrisset, si dubium utrimque probabile non fuisset. Nullâ quippe probabilitate sibi suffragante, seipsum ut homicidam haud dubiè condemnare debuisset. Non obstante tamen utrimque probabilitate, tutiorem partem jubetur eligere, non condendo jus novum & speciale, sed insistendo legi antè latæ de irregularitate ex homicidio, & respondendo secundùm id quod ex tali lege & facto, secundùm rei naturam consectarium erat; uti lectio textûs manifestum facit. 170

Similiter Innocentius III. cap. *illud* de cler. excom. cùm Episcopus Hildesemensis Ecclesiam Herbipolensem (relictâ Hildesemensi) absque facultate occupasset, ideòque ab Episcopo Magdeburgensi (tamquam Apostolico delegato) excommunicatus, in excusationem allegaret, quòd (cùm Magdeburgensis non esset suus Judex ordinarius) non credidisset, 171

quòd, sine prævia monitione, authoritate delegatâ, excommunicationis sententiam promulgare potuisset; nec per consequens credidisset se à divinis cessare debuisse. Cùm nec ante factum monitus fuisset, nec post factum ab ipso litteras accepisset, sed per solam famam, sententia contra eum lata pervenisset. De hoc casu interrogatus Pontifex, respondit: *Licèt in hoc non videatur omninò culpabilis extitisse: quia tamen in dubiis via est eligenda tutior, etsi de lata in eum sententia dubitaret, debuerat tamen potiùs abstinere, quàm Sacramenta Ecclesiastica pertractare.* Ecce Hildesemensis secundùm Pontificiam declarationem, in ejusmodi dubio, tutiorem viam eligere debuit, non obstante probabilitate sibi favente, propter quam dicitur non omninò, sive non ex toto culpabilis fuisse; eò quòd probabilitas illa, licèt diminuerit, non ex toto tamen absterserit culpam ipsius.

172 Haud absimiliter Clemens V. clement. *exivi* de verbor. signif. ad dubia sibi à Seraphico Ordine S. Francisci, ad intellectum regulæ propositа (quæ credibile non est levia & temeraria fuisse, sed gravia, & utrimque probabilia) respondit: *In his quæ animæ salutem respiciunt, ad vitandos graves remorsus conscientiæ, pars securior est tenenda.*

173 Sacra quoque Congregatio Concilii Tridentini (uti refert Illustrissimus D. Fagnanus ad cap. *ne innitaris*, de constitut. n. 221.) „ aliàs consulta, an furiosus, habens lucida „ intervalla, ad Subdiaconatûs ordinem promo- „ tus, continere teneatur „? Respondit: *Aut tempore ordinationis non agitabatur furore, durantibus nempe dilucidis intervallis? & teneri. Aut agitabatur? & non teneri. Aut non constat, sanæ, aut insanæ mentis tunc esset? & item teneri.*

174 Ecce in omnibus istis casibus est dubium juris, an foret abstinendum, continendum, &c. & non obstante utrimque probabilitate, perpetuo Ecclesiæ sensu, & usu declaratur, non meliorem esse conditionem libertatis possidentis, nec legem de abstinendo, continendo, &c. sufficienter non esse promulgatam, vel alios ejusmodi Probabilistarum prætextus excusare ab obligatione sequendi tutiorem partem; sed ex adverso declaratur obligatio tutiorem partem sequendi.

CAPUT XVII.

Eumdem perpetuum Ecclesiæ sensum SS. Patres uberiùs demonstrarunt.

175 TEste namque Morino, Ecclesiasticæ Antiquitatis indagatore solertissimo, l. 1. de pœnit. c. 5. n. 10. *in eo studio SS. Patres nostri mille & centum annorum spatio* (ante natam scholasticam docendi methodum) *se tantùm exercuerunt, ut Sacerdotes docerent.... in casu dubio securiorem partem semper esse eligendam.*

Semper (inquit) *eligendam*, id est non so- 176
lùm ubi agitur de necessariis necessitate medii; sed & ubi agitur de necessariis necessitate præcepti, uti constat ex casibus præcedenti capite enarratis. Nec solùm in dubio facti; sed & in dubio juris. *Quæ enim actio peccatum esset, quantumvè, & quàm horrendum* (quæ sunt quæstiones juris) *judicarunt ab unoquoque vel facilè cognosci, vel ex appositа pœna & medicamine facilè dignosci* (prosequitur Morinus) *vel in casu dubio, securiorem partem semper esse eligendam.* Ita ergo judicarunt in omni dubio, ubi vertitur salutis periculum. Enimverò, in dubio de excommunicatione & irregularitate, Canonum textus allati sunt capite præcedenti. In dubio de matrimonio, textus est in cap. *juvenis* de sponsal. necnon in cap. *Dominus*, & cap. *inquisitioni* suprà relatis. In dubio de pœnitentia cap. *siquis positus*, & cap. *siquis autem* de pœnit. dist. 7. In dubio de Sacramento Ordinis cap. *veniens* de Presbytero non baptiz. ubi *cùm super Ordinibus fuisset diutiùs disputatum, an iterùm initiandus esset sacris Ordinibus*, qui eos ante baptismum aquæ susceperat. Re in utramque partem probabiliter agitatâ, Innocentius III. *in casu dubitabili* (inquit) *quod tutius est sequentes, mandamus quatenus ipsum per singulos Ordines, usque ad Sacerdotium, promovere procures.* In dubio de baptismo, confirmatione, & Ecclesiarum consecratione (tametsi ad salutem necessitate medii minimè necessariâ) idem ex perpetua Ecclesiæ traditione declarat Gregorius Magnus l. 12. epist. indict. 7. c. 31. dicens: *Hoc vos tenere debetis quod nos ab Antecessoribus nostris traditum accepimus, ut quoties tam de baptismo aliquorum, vel confirmatione, quàm de Ecclesiarum consecratione, dubitatio habetur, & nec Scripturâ, nec testibus, ratio certa habetur, utrum baptizati, vel confirmati, sive Ecclesiæ consecratæ sint, ut baptizentur tales, ac confirmentur, atque Ecclesia canonicè dedicentur. Ne talis dubitatio ruina fidelibus fiat.... Hæc vos.... tenere & docere mandamus, ut quæ à sanctis Patribus ante nos sunt statuta* (nota benè) *non protervè irrumpere, sed fideliter servare opiemus.* Denique generaliter in dubio de peccato mortali textus est in clement. *exivi* de verbor. signific.

Præter hæc, qui specialiora ex SS. Patribus 177
desiderat, habet suprà n. 158. Bernardum, eam prudentiam exigentem, in iis quæ eligimus, ut, si erremus, errori non consentiamus, nec sinamus nos à vero aberrare. Errori verò consentit, & à vero aberrare se finit, qui, in dubio utrimque probabili, sciens & volens eligit partem minùs tutam, quæ sibi apparet æquè probabiliter falsa, quàm vera.

Habet & Augustinum l. 1. de bapt. contra 178
Donat. c. 3. dicentem: *Siquis dubium haberet, in parte Donati non rectè accipi baptismum, quem in Catholica rectè accipi certum haberet, graviter peccaret, in rebus ad salutem pertinentibus, vel eo solo, quòd certis incertæ præ-*

præponeret. Ubi cùm Ly *non rectè* idem sit, ac non licitè (neque enim dubii valoris Augustini tempore fuit baptismus à Donatistis, seu hæreticis susceptus) verba ipsius *vel eo solo*, universalem continent probationem, in omni dubio de licito, etiam necessitate medii ad salutem non necessariò procedentem. In omni (inquam) dubio, etiam probabili: neque enim responsionem suam fundat in eo quòd improbabile sit, baptismum extra Catholicam Ecclesiam licitè suscipi, sed *in eo solo, quòd in rebus ad salutem pertinentibus, grave peccatum sit, certis incerta præponere.* Cùm enim dicit, *vel ex eo solo* perinde esse ac si dicat, etiamsi contingat omnem aliam causam abesse, ea sola sufficit ad ipsum de gravi peccato arguendum, quòd in dubio, salutem animæ concernente, certis incerta præponat. Unde cap. 5. universaliter & absque exceptione concludit: *Accipere itaque in parte Donati, si incertum est esse peccatum* (id est si dubium est de illicito) *quis dubitet certum esse peccatum?* Cùm certum sit, quòd pro incertis à certis non sit recedendum. 30. q. 5. in fine.

179 Idem argumentum prosequitur Augustinus l. de fid. & oper. c. 19. his verbis: *Quæ manifesta sunt impudicitiæ crimina, omnino à baptismo prohibenda sunt.... Quæ autem dubia, omni modo cavendum est, ne fiant tales conjunctiones* (de quibus dubium est, an futuræ sint legitimæ) *quid enim opus in tantum discrimen ambiguitatis caput mittere?*

180 Et idipsum confirmat l. 10. de Trinit. c. 10. cùm ait: *Qui dubitat, judicat non se temerè consentire oportere:* qui ergo verè & propriè dubitat (qualiter dubitat, cui æquè probabiliter apparet, rem esse illicitam, atque licitam) judicat se non posse prudenter facere rem, de qua taliter dubitat: cùm nequeat prudenter fieri, quod non potest prudenter judicari, seu consentiri esse licitum.

181 Eumdem denique perpetuum Ecclesiæ sensum demonstrat traditio Veterum de necessariò confitendis mortalibus dubiis, dum utique probabiliter quis dubitat, an peccatum, quod commisit, mortale sit an veniale; an turpi consenserit cogitationi, &c. Totius namque Ecclesiæ usus & praxis ejusmodi docet confitenda, ut fatetur Caramuel Theol. fundam. pag. 684. quòdque *omnes hucusque Authores ita docuerunt.* Ita nominatim S. Thomas q. 6. Joannes de Friburgo in Summa lib. 3. tit. 34. q. 79. Lochmaier in Parochiali Curatorum c. 4. noster Joannes Beets in explicat. Decal. pag. 69. Idque contra Lutherum tantâ consensione; tamque asseveranter senserunt Doctores Catholici, Roffensis, Eckius, Latomus, Bellarminus, &c. ut contrarium dogma Lutheri rejecerint, velut *pestem animarum*, velut *toxicum Sacramenti pœnitentiæ*, velut *non parvum errorem*, &c.

182 Sed quam ob causam, seu rationem, confitenda mortalia dubia usus & praxis Ecclesiæ, Catholicorumque Doctorum sensus communis ostendit? Quia (ait S. Thomas) *qui aliquid committit vel omittit, in quo dubitat esse peccatum mortale, peccat mortaliter discrimini se committens. Et similiter periculo se committit, qui de hoc, quod dubitat esse mortale, negligit confiteri.* Eamdem rationem dat S. Bonaventura: *quia* qui *dubitat probabiliter, utrùm sit mortale, si non pœnitet sicut de mortali, discrimini se exponit.* Et Joannes de Friburgo: quia *aliàs periculo se committit, si negligit confiteri: sicut etiam mortaliter peccat, qui aliquid committit vel omittit, in quo dubitat esse peccatum mortale.* Et Lochmaier: quia *si peccator non pœnitet de illo, sicut de mortali, discrimini se committit.* Et ideò debet confiteri. Et Roffensis in refut. a. 8. qui sequitur Lutheri sententiam, *magno discrimini* seipsum exponit. Et Joannes Eckius l. 3. de pœnit. c. 11. pag. 85. quia *optima est Theorica: exponens se periculo peccati mortalis, peccat mortaliter. Et quod dici solet: agere incertum, & dimittere certum, in materia morali, est mortale.... docuit hoc Sapiens Eccli. 3. qui amat periculum, peribit in illo.* Cùm ergo *aliquis habet dubium probabile, an actus sit peccatum, non debet se exponere periculo, illud occultando.* Et Latomus ad art. 3. Lutheri c. 3. quia *in tali dubio non confitens, amat periculum, contra illud Eccli. 3. qui amat periculum*, &c. Tota ergo Antiquitas tradidit, confitenda mortalia, etiam positivè, seu probabiliter dubia, quia in ejusmodi dubio non licet exponere se periculo; adeòque tutius est eligendum. Per consequens tota Antiquitas tradidit in dubiis etiam probabilibus tutius esse eligendum. Quod & ampliùs constat ex dictis cap. 14. Unde Vasquez 1. 2. disp. 65. c. 3. *Existimo* (inquit) *absque controversia esse debere, quoties dubitatur, an sit lex aliqua, an non, & non solùm agitur de periculo peccandi, eligendam esse partem tutiorem.... Sanè in hoc casu nullum ex Scriptoribus Scholasticis inveni, qui oppositum asserat.*

CAPUT XVIII.

Eadem veritas probatur multiplici ratione.

PRima ratio est, proximè insinuata à Majoribus nostris: non licet exponere se morali periculo faciendi illicitum. Hoc autem facit, qui in æquali dubio, an hoc sit vel non sit illicitum, partem non eligit tutiorem. Ubi enim morale dubium de illicito, ibi morale periculum. Quisquis igitur tunc non eligit quod tutius est, sed hoc facit, de quo moraliter dubitat an non sit illicitum (de quo moraliter dubitat, qui æquè probabile argumentum habet de illicito, quàm de licito) exponit se morali periculo faciendi illicitum. Maximè cùm nullum ex reflexis principiis Probabilistarum ipsum certificet contra morale dubium & periculum, uti constabit ex dicendis cap. 26. 27. 28. 29. & 30. 183

184 Secunda ratio : qui facit id de quo æquè probabiliter dubitat esse, quàm non esse peccatum, peccat contra legem amicitiæ cum Deo, sicut & contra legem servitutis subjectionisque ad Deum, tamquam supremum Dominum, Legislatoremque nostrum. Lex quippe amicitiæ exigit, ne quidquam facias, de quo moraliter dubitas, an amicus inde non sit offendendus. Lex etiam servitutis subjectionisque exigit, ut abstineas non solùm ab iis, quibus certò scis, verùm etiam quibus moraliter dubitas supremum Dominum, Legislatoremque esse offendendum. Neque enim bonus est amicus, nec bonus servus, nec bonus subditus, qui in dubio non cavet æquè probabilem amici, vel Domini offensam, aliàs æquè probabiliter futuram. Neque bonus est servus vel subditus, qui in æquali dubio non cavet æquè probabile periculum mandatum transgrediendi. Quis enim temerarium non reputaret servum vel subditum hoc facientem? Nec sola lex amicitiæ, vel servitutis ac subjectionis, dictat ab eo abstinendum, sed recta etiam ratio ac prudentia. Quis enim prudens velut aureum emeret vas, de quo periti artis æquè probabiliter dubitant esse ex auricalco, quàm ex auro? Quis horologio æquè probabiliter utrimque dubio negotium committeret momentosum? *Si quibusdam drachmis ad probandum & judicandum propositis* (ait Plutarchus in Stoic. contrariet.) *alii hanc, alii illam veram esse dicerent, honestum est, neutram ipsarum accipere*, sed utramque dimittendo tutius eligere.

185 Tertia ratio: in dubio, cùm agitur de adhibendo malis nostris, vel alienis remedio, via tutior est eligenda, ut Theologi communiter docent cum S. Thoma 2. 2. q. 60. a. 4. ad 3. Similiter ergo cùm agitur de cavendo peccato. Utpote quod non minùs sollicitè cavere debemus, quàm malis nostris, vel alienis remedium adhibere.

186 Quarta ratio: secundùm doctrinam SS. Patrum, spiritualiumque Magistrorum, homo aliter se habere debet erga seipsum, quàm erga Deum & proximum. Se enim habere debet piè in Deum, justè erga proximum, sobriè erga seipsum, ut Apostolus ait: *Sobriè, piè, & justè vivamus in hoc sæculo.* Atque erga Deum quidem habere debet pietatem filii; erga proximum amorem matris; erga seipsum rigorem Judicis. Quemadmodùm ergo dubia nostra erga Deum (dum veritas speculativa directè haberi nequit) in favorem Dei resolvere debet filialis affectus (in dubio namque favendum causæ piæ, docent jura & Doctores) similiter dubia erga proximum in proximi favorem resolvere exigit maternus affectus erga proximum (dubia quippe erga proximum meliorem in partem, secundùm omnes, interpretanda sunt) sic dubia erga nos, seu libertatem, commoditatemque nostram, deteriorem in partem resolvere jubet rigor Judicis, quem erga nos habere debemus. Cùm istud haud minùs à nobis postulet rigor Judicis, remediumque nostræ corruptionis; quàm illud postulet affectus filii & matris. In hoc quippe statu naturæ corruptæ, naturalis *propensio voluntatis nostræ authoritatem vitiis quærit, & quod malum est bonum.... esse suadet*, inquit Augustinus serm. 12. de temp. tantâque laboramus philautiâ, inordinatoque amore propriæ libertatis, ac commoditatis, ut, nisi in dubiis resolvamus nos contrariam in partem, in favorem utique legis, utplurimùm declinaturi simus in excessum cupiditatis. Cùm ob inordinationem excessumque cupiditatis homines utplurimùm deficiant ab observantia legis, & à dilectione Dei, proximique. Naturâ enim proniores sunt ad deficiendum à lege, quàm ad excedendum in observantia illius, prout experientia manifestum facit. Incomparabiliter namque sæpiùs deficimus à legis observantia, quàm excedamus in ea. Et ideò ad vitandum morale deficiendi periculum (utpote per se loquendo incomparabiliter majus) in æquali dubio, potiùs sequi debemus partem faventem legi, quàm faventem cupiditati ac libertati; potiùs proinde tutiorem, quàm nobis blandientem. Siquidem ad cavendum dictum periculum, prudentia dictat sequendas sequentes regulas quas Philosophus 2. Ethic. 9. suggerit, pro attingendo medio virtutis.

Primò, inquit, *oportet à magis contrario recedere*, ab extremo utique quo magis delinquitur. Cùm enim ex duobus malis minus eligendum sit, ubi extremorum altero magis, altero minùs delinquitur, magis recedendum ab illo quo magis, quàm ab illo quo minùs delinquitur. Secundò, *considerandum ad quæ simus naturâ propensiores; atque nos in contrarium oportet retrahere.* Cùm ergo naturâ propensiores simus ad favendum libertati nostræ, quàm legi, *nos in contrarium oportet retrahere*, atque adeò partem faventem legi in dubio eligere. Tertiò, *in universis maximè cavendum à voluptate*, sive à cupiditate. Quia *radix omnium malorum est cupiditas*, & ipsa est per quam maximè corrumpitur judicium nostrum, ac voluntas. Cavendum proinde, ne, in dubio utrimque æquali, declinemus in partem faventem cupiditati, potiùsque declinandum in partem faventem legi. Quia pars ista, suppositâ pronitate hominis in malum, revera ipsi magis utilis ac necessaria est: sicut hominem ligari, ei maximè utile ac necessarium est, supposito quòd vexetur furore, ne se in flumen præcipitet. Propterea namque lex appellatur vinculum salutare, Eccli. 6. *vincula ejus alligatura salutaris.* Et ideò Glossa in cap. un. de scrutinio dicit: in conscientiæ foro, ubi vertitur animæ periculum, præsumendum deteriorem in partem: quia licèt deterior videatur, tamen melior & tutior est; atque adeò benignior & favorabilior. Cùm longè melius & favorabilius sit, tutâ, quàm periculosâ incedere viâ; &, *qui amat animam suam, debeat eam perdere.* Et Petrus de Ancharano 187

(apud

(apud Fagnanum n. 200.) *licèt in aliis facienda ſit benigna interpretatio, ne quis ſit obligatus in dubio, ut L. Arrianus de act. & oblig. & cap.* ex litteris *de probat. tamen in obligationibus quæ concernunt Deum, tutius eſt præſumere quem ligatum, quàm ſolutum.* Et Panormitanus ad cap. *juvenis* de ſponſal. *in concernentibus periculum animæ, debemus, in dubiis, ſemper tenere quod certius eſt, & quod ſine periculo animæ explicari poteſt. Unde in iſtis illa pars eſt mitior, quæ eſt tutior.* Enimverò mitior eſt electio illa, quæ favet charitati, & prudentiæ ſpiritûs, quàm quæ favet cupiditati, & prudentiæ carnis, quæ Apoſtolo teſte mors eſt, & inimica Deo. Atqui electio partis, in qua nullum eſt periculum peccati, favet charitati, & prudentiæ ſpiritûs; electio verò partis, in qua peccati eſt periculum, favet cupiditati, & prudentiæ carnis. Quis enim iſta in electione finis eſt, præter commodum aliquod temporale, ac terrenum? Quid aliud ad electionem illam movere poteſt niſi cupiditas illius? Certè non amor veritatis: utpote qui non movet ad id eligendum in quo æqualis eſt apparentia falſitatis, ac veritatis; imò potiùs ad cavendam practicam iſtam electionem, ob periculum faciendi contra dictamen Veritatis æternæ. Ad eam non movet etiam Dei amor: utpote qui etiam non movet ad eligendum id in quo periculum eſt faciendi aliquid contrarium divinæ voluntati, præ illo in quo nullum eſt ejuſmodi periculum. Non denique amor honeſtatis & virtutis: utpote cujus impulſu non deſeritur id in quo nullum eſt inhoneſtatis & peccati periculum, ei præferendo id in quo ſubeſt illius periculum. Sola ergo cupiditas, ad prudentiam carnis pertinens, ad id movet. *Prudentia* verò *carnis*, prout ex Apoſtolo dixi, *mors eſt.... quoniam ſapientia carnis inimica eſt Deo: legi enim Dei non eſt ſubjecta.*

CAPUT XIX.

Quinta ratio ad idem: quia poſitivè dubius, ut ſuprà, tenetur legibus propriè dubitantium.

188 REverà enim propriè dubitat, ſive exiſtit in dubio propriè dicto, ut conſtat ex dictis cap. 9. Æquè proinde tenetur legibus propriè dubitantium, quàm ſcrupuloſus legibus ſcrupuloſorum; & quilibet in ſtatu aliquo exiſtens, tenetur legibus iſtius ſtatûs, &c. At verò ſecundùm leges illas abſtinere debet ab actione, de cujus honeſtate dubitat, ſaltem quamdiù manet dubium (neque enim eſt qui hoc non fateatur) dubium verò manet, quamdiù manet tota ratio ſeu cauſa dubii. Proinde manet, quamdiù manet æqualis, vel ferè æqualis probabilitas directa de illicito, quàm de licito. Hæc eſt enim tota ratio & cauſa dubii poſitivi, uti demonſtravimus eodem c. 9.

189 Enimverò dubium manet, quamdiù non ſolvitur. Non ſolvitur autem, quamdiù tota manet ratio dubitandi, eâque manente nullum ſuppetit principium reflexum, ſeu nulla reflexa ratio magis perſuadens actum hîc & nunc licitum eſſe, quàm illicitum. Cùm rationabile dubium aliquâ ratione ſolvi debeat: nec ratio illa ad dubium ſolvendum ſufficiat, quæ dubium cauſat. Diverſa proinde ad id requiritur ratio; imò oppoſita. Cùm diverſa, imò oppoſita ſint, dubitare & dubium ſolvere. Diverſorum autem diverſa, & oppoſitorum oppoſita eſt ratio.

Porrò manente æquali, vel ferè æquali pro- 190
babilitate directâ de illicito, nullum ſuppetere principium reflexum, per quod dubium ſolvatur, & actus magis probetur eſſe licitus quàm illicitus, patet ex eo quòd ſi quod ejuſmodi principium ſuppeteret, foret aliquod ex iis, quæ allegantur à Probabiliſtis. Atqui nullum ex iis ſolidum eſſe, ſed quæcumque allegant, inefficacia, frivolaque eſſe, ex dicendis conſtabit.

CAPUT XX.

Sexta ratio: quia dubitans ſpeculativè, ſive in univerſali, neceſſariò dubitat practicè, ſive in particulari, id eſt circa actum hîc & nunc exercendum, quamdiù legitima non occurrit exceptio, ſeu ſpecialis ratio, quæ ſuadeat, actum hîc & nunc exercendum non comprehendi in generali prohibitione, de qua dubitat.

FAtentur omnes magiſtralem hanc regulam: 191
In dubiis tutior pars eſt eligenda (eò quòd agens id, de quo dubitat an ſit illicitum, eo ipſo peccet, diſcrimini ſe committens;) fatentur (inquam) regulam illam procedere in dubiis practicis, circa actionem hîc & nunc exercendam. Sunt tamen, qui exiſtimant eam non procedere in dubiis ſpeculativis, ſeu in univerſali, v. g. dum in genere dubitatur, an pingere die feſto, abſque neceſſitate, ſit peccatum, an accipere aliquid ſupra ſortem in mutuo, ratione periculi ſortis, ſit uſura, &c. Verùm, ut optimè Vaſquez 1. 2. diſp. 62. n. 22. *quâ ratione poteſt quis dubitare, an aliquid ſibi liceat in univerſum, & certus eſſe abſque formidine, illud hîc & nunc ſibi licere, non ſubſiſtente aliquâ peculiari ratione, potiùs pro ſe, quàm pro aliis?* Dicendum itaque, eum qui dubitat ſpeculativè, ſive in univerſali, neceſſariò dubitare practicè, ſive in ſingulari actione hîc & nunc exercenda, ſi actio ſingularis participet rationem ſpecificam actûs in genere prohibiti, nec ſpecialis occurrat ratio, ob quam actio ſingularis in prohibitione univerſali non comprehendatur. Cùm enim rationes univerſales à ſingularibus à parte rei non diſtinguantur, qui dubitat in univerſali, an liceat abſque neceſſitate pingere die feſto, neceſſariò dubitat in ſingulari, an ſibi hîc & nunc liceat abſque neceſſitate pingere die feſto. Similiter qui dubitat in univerſali, an liceat ultra ſortem mutuatam aliquid accipere ratione peri-

culi sortis, necessariò dubitat, an sibi hîc & nunc liceat hoc facere. Quemadmodùm enim qui judicat in universali illicitum esse die festo absque necessitate pingere, aliquid supra sortem ob rationem dictam accipere, &c. non potest non judicare id illicitum sibi, utpote comprehenso in judicio illo universali (singularia quippe in universalibus comprehenduntur, quorum specificam participant rationem) sic qui dubitat in universali illicitum id esse, non potest non dubitare id sibi illicitum esse, utpote comprehenso in dubio illo universali, &c. Et sicut absque peculiari ratione judicans sibi licitum esse, quod in universali judicat esse illicitum, idem objectum judicat, & non judicat esse illicitum; sic qui in particulari non dubitat sibi illicitum esse, quod in universali dubitat illicitum esse, de eodem objecto dubitat, & non dubitat esse illicitum. Quod implicat.

192 Itaque quamdiù non suppetit aliqua ratio particularis, suadens hanc actionem particularem non contineri sub illa ratione specifica, quæ in universali judicatur, vel dubitatur illicita, impossibile est, ut judicium vel dubium practicum circa hanc actionem discordet à judicio vel dubio speculativo, eamdem actionem attingente sub ratione communi. Aliud est dum ratio particularis occurrit. Quia judicium, vel dubium universale tunc non attingit actionem particularem tali circumstantiâ vestitam, sed solùm actionem carentem illâ circumstantiâ. Sic generalis prohibitio esûs carnium die veneris non attingit esum carnium illo die factum ex necessitate, sed solum esum factum absque necessitate. Et ideò Petrus ægrotans, in generali illa prohibitione non continetur.

CAPUT XXI.

Septima ratio: quia nemo licitè facit actionem, de qua non potest formare prudens judicium quòd licita sit. Istud verò judicium formare non potest homo, qui ideò dubitat an licita sit, quia ipsi æquè probabile est quòd illicita sit, quàm quòd sit licita.

193 Subsumptum demonstratum habes suprà à num. 110. ad 129. Et ne per reflexa quidem Probabilistarum principia formari posse judicium prudens, quòd actio licita sit, demonstrabitur cap. 26. 27. 28. 29. 30. 31.

194 Assumptum verò demonstratur, quia ad licitè hîc & nunc operandum prudens requiritur judicium, quòd hîc & nunc operando non peccetur, ut omnes omninò Doctores conveniunt. *Imò communis ferè omnium sententia est, quòd ut operatio aliqua licitè ponatur, intellectus debeat esse moraliter certus, operationem illam non esse peccaminosam*, inquit Terillus de consc. prob. q. 13. n. 1. *Omnes* (inquit) *quod sciam, ita sentiunt*, præter Vasquez & Sanchez... probantque ex Rom. 14. *Omne quod non est ex fide*, id est firmâ persuasione, seu dictamine conscientiæ, quòd licitum sit, *peccatum est*. Et Eccli. 37. *Ante omnia verbum verax præcedat te, & ante omnem actum consilium stabile*, id est, *quod firmis nititur rationibus*, ait Jansenius in eum locum: hoc enim significat ly *consilium stabile*.

Et confirmatur 1°. quia quisquis agit id de 195
quo sic dubitat esse peccatum, ut prudenter judicare non possit non esse peccatum, eo ipso peccat, exponendo se morali periculo peccati, contra illud Deuteron. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, &c. Et Psal. 118. *Tu mandasti, mandata tua custodiri nimis*, id est valdè sollicitè cavendo morale periculum transgressionis eorum.

Confirmatur 2°. fides, de qua Apostolus 196
Rom. 14. *Omne quod non est ex fide, peccatum est*, ut minùs importat opinionem practicè probabilem. Opinio verò de licito in concursu æquè probabilis de illicito, non est practicè probabilis. Cùm esse nequeat probabilis in ordine ad operandum, quæ hîc & nunc probabilis non est in ordine ad prudenter assentiendum, & talis opinio in concursu dicto non sit probabilis in ordine ad prudenter assentiendum, sed sit hîc & nunc inopinabilis, istis in circumstantiis. Et ideò hîc & nunc expeditè non probabilis, ut vidimus cap. 13. per totum. Nam *quomodò est illud, quod sequitur, si non probatur, probabile?* ait Augustinus l. 2. contra Academ. c. 11.

CAPUT XXII.

Octava ratio: quia ad licitè operandum, certum moraliter oportet esse ultimum conscientiæ dictamen, seu judicium practicum, quo humana operatio hîc & nunc proximè dirigitur. Positivè verò dubius, in æquali utrimque probabilitate, nequit habere certum ejusmodi judicium, sed ambiguum dumtaxat.

Major propositio admittitur communiter 197
ab ipsismet Probabilistis, partim ob allata Scripturæ testimonia. Partim quia operans sine conscientia moraliter certa, operatur sine regula moraliter certa, operationemque suam committit regulæ incertæ & ambiguæ, cum morali periculo peccati. Cui se voluntariè committere, peccatum est, juxta illud: *Qui amat periculum, peribit in illo.*

Minoris propositionis ratio est, quia hic a- 198
ctus implicat contradictionem: *Ego quidem dubito de honestate hujus operationis, eò quòd ipsius inhonestas, post debitum examen, mihi appareat æquè probabilis atque honestas. Nihilominùs, quia ratio & authoritas suadet ipsius honestatem, licèt authoritas & ratio æquè gravis suadeat inhonestatem; certus sum hîc & nunc me formaliter non peccaturum, illam ponendo.* Cùm implicet contradictionem, quòd sic discurrens sit certus à parte rei non dari legem, ipsi prohibentem hoc facere, iis in circumstantiis, in quibus ratio & authoritas æquè pro-

babiliter ipsi suadet eam dari, quàm non dari, nec videt majus fundamentum credendi quòd non detur, quàm quòd detur. Implicat ergo contradictionem quòd in istis circumstantiis, certus sit se formaliter non peccaturum, si hoc faciat. Si enim à parte rei detur lex prohibens, à parte rei legem transgreditur si faciat; nec certus esse potest, suam illam transgressionem fore purè materialem, non formalem. Implicat enim contradictionem, quòd transgressio materialis eo ipso non sit formalis, quo absque necessitate excusante fit ab homine, non laborante invincibili ignorantiâ malitiæ. Quâ talem hominem non laborare, demonstrabitur cap. 31.

CAPUT XXIII.

Solvuntur objectiones.

199 ARgumenta suprà deducta Majoribus nostris visa sunt tam efficaciter concludentia, ut assertionem nostram communi receperint calculo, nec eorum quisquam oppositum asseruisse inveniatur, teste Vasquez 1. 2. disp. 65. c. 3. Suam tamen de licito usu cujusvis opinionis probabilis doctrinam, hinc funditùs corruere videntes Patroni novioris Ethices, in omne latus se vertunt, quo eorumdem argumentorum vim elidant.

200 Objiciunt ergo 1°. Sicut voluntas se habet ad bonum; sic intellectus se habet ad verum. Sed ex duobus bonis, omninò æqualibus in vi movendi, voluntas amplecti potest unum præ alio. Ergo similiter ex duobus probabilibus, omninò æqualibus in vi movendi, intellectus saltem ex imperio voluntatis per assensum, seu judicium approbare potest unum præ alio; atque adeò in æquali utrimque probabilitate judicare potest objectum licitum potiùs quàm illicitum. Atqui istud probabile judicium à voluntate imperatum, homo in praxi sequi potest. Quidquid enim ab homine probabiliter, adeòque prudenter judicatur licitum, hîc & nunc ab ipso licitè fieri potest. Sed objectum illud ab homine probabiliter, adeòque prudenter judicatur licitum. Ergo illud objectum hîc & nunc ab ipso licitè fieri potest.

201 Respondeo 1°. subsumptum de voluntate à multis negari, loquendo de bonis, quæ simul possideri non possunt. 2°. in puncto præsenti esse manifestam disparitatem inter voluntatem & intellectum, quòd voluntas inveniat objectum suum formale in utroque extremo, rationem utique boni, quod est objectum formale voluntatis, prout abstrahit à bono honesto, delectabili & utili. Intellectus verò non invenit objectum suum formale in utroque extremo, rationem scilicet veri, dum unum alteri contradictoriè opponitur: cùm duo contradictoria simul esse nequeant vera. Et ideò illi soli extremo assentiri potest, quod sibi proponitur ut verum. Quando verò duæ opiniones invicem contradicentes intellectu proponuntur cum æquali probabilitate; neutra magis proponitur ut vera, quàm ut falsa. Et ideò neutri potest assentiri, uti demonstravimus cap. 12. & 13.

Respondeo 3°. in eo esse paritatem inter 202
voluntatem & intellectum, quòd sicut voluntas amare non potest, nisi objectum sibi propositum ut bonum; sic intellectus assentiri non potest, nisi objecto sibi proposito ut vero. Et sic verum esse, quòd intellectus se habeat ad verum, sicut voluntas ad bonum. Sed hinc consequens non est intellectum assentiri posse objecto sibi proposito cum æquali apparentia falsitatis, quàm veritatis. Nec proinde consequens est ipsum assentiri posse uni ex duabus partibus contradictionis, dum utraque proponitur cum æquali falsi similitudine, quàm veri similitudine. Imò potiùs consequens est, neutri tunc assentiri posse. Quia neutra proponitur potiùs ut vera, quàm ut falsa. Ex eo itaque quòd intellectus sic se habeat ad verum, sicut voluntas ad bonum, & voluntas fortasse amare possit utrumlibet ex duobus bonis oppositis sibi propositis ut æqualibus, ad summum conficitur posse quoque intellectum assentiri utrilibet ex duobus veris oppositis sibi propositis ut æqualibus. Non conficitur autem posse assentiri utrilibet ex duabus partibus contradictionis, quarum utraque nequit simul esse vera, sicut utrumque ex bonis oppositis potest simul esse bonum in suo genere. Dixi *ad summum*: quia intellectus reverà assentiri non potest utrilibet ex duobus veris oppositis. Cùm casus iste sit de subjecto non supponente: Nam verum non opponitur vero; sicut bonum subinde opponitur bono, v. g. bonum delectabile bono honesto.

Respondeo 4°. paritatem inter voluntatem & intellectum solùm arguere, quòd ex 203
duobus veris, sic disparatis, ut veritas unius non inferat evidenter falsitatem alterius, intellectus ex imperio voluntatis assentiri possit huic vel illi; non autem huic vel illi ex duobus extremis invicem contradicentibus, quorum unius veritas evidenter infert falsitatem alterius, dum utrumque proponitur intellectui ut æquè probabile, seu verisimile. Quia tunc quodlibet æquè apparet falsum quàm verum. Nihil proinde tunc efficere potest imperium voluntatis in intellectum. Quia intellectus per imperium voluntatis solùm determinari potest ad assensum objecti, quod sibi magis proponitur ut verum, quàm ut falsum; non autem ad assensum illius, quod sibi æquè proponitur ut falsum, quàm ut verum. Nam implicat, quòd intellectus, qui non tendit in objectum nisi sub ratione veri, assentiatur ei parti, in qua non magis apparet ipsi veritas, quàm falsitas. Et sicut voluntas suo imperio efficere nequit, ut intellectus non assentiatur vero, evidenter proposito ut tali; sic efficere nequit, ut intellectus non suspendat assensum inter duo extrema sibi invicem contradicentia, eviden-

ter æqualis falsitatis ac veritatis. Quemadmodùm enim apprehensio evidentis veritatis per se determinat intellectum ad assensum ; sic apprehensio evidenter æqualis falsitatis ac veritatis, inter duo extrema contradicentia, per se determinat intellectum ad suspendendum assensum. Neque enim voluntas efficere potest ut intellectus refragetur evidentiæ sibi per apprehensionem propositæ.

204 Respondeo 5°. dato, non concesso, quòd voluntas imperio suo tunc determinare posset intellectum ad assensum : nec istud imperium rationabile foret ac prudens, nec assensus ipse, uti demonstravi cap. 12. à num. 114. Neque enim hominis prudentis esse potest judicare quidpiam licitum potiùs quàm illicitum, quando authoritas & ratio æquè movet ad judicandum illicitum, quàm ad judicandum licitum. Dumque intellectus ex parte sua dubius est, ob illam æqualitatem, voluntas irrationabiliter & imprudenter extrahit ipsum ex illo dubio, nec hoc facit ex sincero amore veritatis, sed suæ libertatis & commoditatis, neque ex prudentia sancti Spiritûs, *sed ex prudentia carnis*, prout demonstravi n. 187. Ut
205 enim angelicè Doctor Angelicus 2. 2. q. 49. a. 7. *ad prudentiam* spiritûs *pertinet rectè ordinare aliquem in finem*, conformem utique appetitui recto. Cui conforme non est, imperare electionem & praxim opinionis, de qua quis cognoscit, quòd, eam sequendo & practicando, æquè probabiliter facit, quam non facit contra Dei legem ; dum oppositam opinionem sequendo & practicando, certò immunis esset ab isto periculo. Cùm appetitui recto conforme esse nequeat, indifferenter se habere ad violandam, & non violandam Dei legem. Indifferenter verò se habet ad violandam, & non violandam Dei legem, qui id agit, in quo videt Dei legem æquè probabiliter violari, ac non violari. Neque enim talis censendus est velle, actionem suam legi conformem esse, imò hoc ipso declarat se id non velle, quo sciens & volens id agit, quo videt Dei legem æquè probabiliter violari, ac non violari ; quemadmodùm siquis uxorem duceret, æquè probabiliter cognoscens esse natu minorem, ac majorem, hoc ipso declararet, indifferens sibi esse, utram duceret, id est se non magis velle unam quàm alteram. Si Medicus è duabus medicinis eligat eam, quam æquè probabiliter cognoscit obfuturam, quàm profuturam, eo ipso declarat, se non velle profuturam, sed indifferens sibi esse, sive ea quam eligit profutura sit, sive obfutura. Dumque quispiam animal emit, æquè probabiliter cognoscens feminam esse, quàm marem, eo ipso declarat perinde sibi esse, sive marem, sive feminam habeat. Idem aliis innumeris demonstrari posset exemplis. Certum verò est, Dei legem parvipendi ab eo, qui ut suâ fruatur libertate & commoditate, in eligendo perinde seu indifferenter se habet ad violandam, vel non violandam Dei legem ; facto quippe suo virtualiter dicit : *Sive actio, quam facere volo æquè probabiliter cognoscens esse, quàm non esse contra Dei legem, sit vel non sit contra Dei legem, equidem volo illam eligere & facere.* Quod profectò est magis æstimare & amare propriam libertatem, commoditatemque temporalem, quàm Dei legem, amicitiamque & animæ suæ salutem, (uti S. Thomas quodlib. 8. a. 13. arguit de eo, qui, ob contrarietatem opinionum, dubitans an licita sit beneficiorum polygamia, eam eligit, vultque habere. Talis enim, inquit, *periculo se committit, utpote magis amans beneficium temporale, quàm propriam salutem*) ista verò haud dubiè est *prudentia carnis*, quæ *mors est*, & *inimica Deo*, ut Apostolus dicit Rom. 8.

Objiciunt 2°. Frequentissima sunt homi- 206
num dubia, nec certò retolubilia, tam cùm non datur, quàm cùm datur lex prohibens ea, de quorum honestate dubitatur. In quibus omnibus ad tutiorem partem eligendam obligare, est obligare ad multa, ad quæ certum est Dei legem non obligare. Certum namque est, Deum non obligare, nisi ad abstinendum ab iis, de quibus est lex prohibens. Sententia verò obligans ad tutiorem partem in omnibus illis dubiis, obligat ad abstinendum à multis, de quibus certum est legem prohibentem non esse. Sed obligare ad multa, ad quæ certum est Deum non obligare, est contra illud Deuteronomii.... *Non addetis ad verbum hoc, quod vobis loquor, nec auferetis ab eo.* Est etiam contra illud Matth. 29. ubi arguuntur Scribæ & Pharisæi, nonnulla Dei præceptis addentes : *Alligant onera gravia & importabilia, & imponunt ea in humeros hominum.*

Respondeo 1°. eodem argumento premi 207
Adversarios, dicentes, in ejusmodi dubiis standum pro libertate, non pro lege, de qua dubitatur. Cùm enim dubia illa de lege frequentissima sint, etiam cùm revera datur lex prohibens, certum est quòd sententia in omnibus istis negans obligationem abstinendi, neget obligationem abstinendi à multis, à quibus abstinere Dei lex jubet. Hoc autem est detrahere verbo Dei contra illud : *nec auferetis ab eo.*

Respondeo 2°. negando consequentiam : 208
quamvis enim in dubiis de lege prohibente, dum revera non datur, Deus ad abstinendum non obliget directè, sive obligatione proveniente à lege directa, de qua dubitatur, & quæ revera non datur (cùm non entis nulli sint effectus, nullæque obligationes) obligat tamen reflexè, sive obligatione proveniente à lege reflexa, sectandi tunc partem tutiorem, ad cavendum in ejusmodi dubio peccati periculum. De qua lege certò constat ex dictis cap. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. & 23. Adversarii proinde impingunt in locum ex Deuteronomio objectum ; nos verò minimè.

Objiciunt 3°. Utraque pars contradictio- 209
nis æquè probabilis simul esse potest practicè probabilis eidem intellectui, sive suffulta mo-

tivo idoneo ad movendum ad assensum sui hominem peritum & probum, irreprehensibiliter & prudenter judicantem. Ergo utrilibet intellectus potest irreprehensibiliter & prudenter assentiri; & sic utramlibet homo potest irreprehensibiliter & prudenter sequi. Consequentia bona est, quilibet enim prudenter & irreprehensibiliter facit, quod prudenter & irreprehensibiliter judicat non esse prohibitum. Probatur antecedens, quia motiva pro utraque contradictionis parte, apta movere ad assensum sui viros doctos & probos, irreprehensibiliter & prudenter judicantes, plerùmque simul objectivè existunt in eodem intellectu, æqualem in ipsis probabilitatem apprehendente, prout experientiâ constat: sæpè enim vir doctus simul cognoscit motiva utriusque partis contradictionis sic habere æqualem vim movendi ad sui assensum, ut de facto plures viros doctos moveant ad assensus contrarios; istos videlicet ad assensum affirmantem, illos ad assensum negantem, ut evenit in omni sententia celebriore, quæ sicut plurimos habet fautores, ita & adversarios plurimos. Ita ferè Terillus de opin. probab. q. 5. n. 16.

210 Respondeo posse quidem eidem intellectui meo simul occurrere motiva ipsi visa æquè probabilia, quæ viros doctos & prudentes in sententias oppositas plerùmque distrahant; sed dum motiva illa mihi æquè probabilia videntur, & unumquodque eorum æquali vi intellectum meum sollicitat ad sui assensum, neutrum habet vim expeditam impetrandi à me assensum prudentem irreprehensibilemque, quamvis utrumque eam vim habeat in intellectu virorum illorum doctorum, quos distrahunt in assensus contrarios. Alium proinde statum habent in intellectu meo, quàm in intellectu eorum, quorum aliquos fortè movent sufficienter ad assensum irreprehensibilem & prudentem partis affirmativæ, quia repræsentantur aliis ut verisimiliora motivis negativæ partis, cujus tamen motiva aliis videntur verisimiliora motivis partis affirmativæ; & ideò ab ipsis impetrant prudentem irreprehensibilemque assensum partis negativæ. Et ideò argumentum objectum non evincit quamlibet partem esse expeditè probabilem practicabilemque respectu mei, sed ad summum respectu eorum quibus repræsentatur ut probabilior parte adversâ.

CAPUT XXIV.

Ostenditur imbecillitas objectionum, quibus canonicam regulam de sectanda in dubio via tutiore, eludere conantur Probabilistæ.

211 OBjiciunt 1°. canonicam illam regulam solùm esse consilii, non præcepti.

Respondeo esse præcepti. 1°. quia sacri Canones regulam illam tradunt verbis præceptivis: *Via tutior est eligenda. Pars securior est tenenda. Semitam debemus eligere tutiorem. Quod certius existimamus, tenere debemus*, &c.

212 2°. capite *illud* de cler. excom. statuitur, deponendum Episcopum, qui in dubio partem non elegerat tutiorem. Pro sola verò consilii transgressione, Episcopus deponi non potuisset, cap. *quisquis præceptis* 14. q. 1.

213 3°. cap. *juvenis* de sponsal. juvenis, qui contraxerat matrimonium cum puella septenni, in dubio an esset viri potens, ex eo quòd in his quæ dubia sunt, quod certius est tenere debeamus, separari jubetur à consobrina ipsius, quam postea duxerat. Quod Pontifex, ob regulam illam, jubere non potuisset, si solùm esset consilii, non præcepti.

214 4°. regulam illam Pontifices fundant in stricto jure naturali & divino, quo peccati periculum cavere jubemur. Istud quippe fundamentum allegant in sacris Canonibus, ubi regula illa continetur, uti videre est cap. *significasti* de homicid. ibi: *pro eo quod in altero nullum, in reliquo verò magnum periculum timeatur.* Et cap. *inquisitioni* de sent. excom. *ne contra judicium conscientiæ committat offensam.* Et clem. *exivi* de verb. signif. *ad evitandos graves remorsus conscientiæ.* Atqui regula, fundata in stricto jure naturali, est præcepti. Ergo.

215 Objiciunt 2°. regulam illam solùm procedere in dubio, ante diligens examen. Quo adhibito, si dubium maneat, Sanchez ait, non obstante decisione cap. *inquisitioni* de sent. excom. debitum à conjuge dubitante exigi posse.

Respondeo contrarium esse verum: quia in eo ipso capite supponitur expressè, quòd debitum examen factum fuerit. Dubium enim seu credulitas de impedimento, dicitur *probabilis & discreta*, quæque ad Pastoris consilium deponi non possit.

216 Objiciunt 3°. regulam illam non procedere universim, & sine exceptione; adeòque non procedere dum occurrunt principia reflexa, per quæ tollatur omnis dubitatio practica.

Respondeo, tametsi regula fortè non procedat in casu quo, cum dubio speculativo concurrit & occurrit principium reflexum, per quod omnis dubitatio practica tollitur, conscientiaque de honestate actionis practicè moraliter certificatur: hujusmodi tamen principium esse Ecclesiæ declarationem, vel Reipublicæ ordinationem, de quibus capite sequenti; non verò principia illa, quæ Probabilistæ, ad eludendos Canones, contra communem Veterum traditionem de suo cerebro comminiscuntur, nimirùm, quòd omne speculativè probabile sit practicè tutum. Quòd in omni dubio de lege prohibente, libertas sit in possessione. Et alia ejusmodi. Quæ nec Christus, nec Apostoli, nec Prophetæ, nec Pontifices, nec Patres, nec veteres Theologi tradiderunt, quæque adeò evidenter sunt falsa, & infundata, ut stupendum sit, quòd animarum salutem principiis tam ruinosis novioris Ethices patroni committant.

217 Objiciunt 4°. regulam illam solùm procedere in foro externo.

Reſpondeo negando aſſumptum; quandoquidem fundetur in jure naturali, & divino: quod in utroque foro procedit.

218 Objiciunt 5°. regulam illam ſolùm procedere in caſibus jure expreſſis, pro quibus Pontifex in Canonibus ſuprà allegatis condit jus novum. Ad alios proinde caſus non eſſe extendendam.

Reſpondeo 1°. Arriagam quidem id reponere ad cap. *inquiſitioni* de ſent. excom. Sed textus manifeſtè repugnat. Ait enim Pontifex: *Inquiſitioni tuæ reſpondemus*. Dum autem Papa reſpondet conſultationi, non inducit jus novum (ait Gloſſa ad cap. *inquiſitioni* de tempor. ordin.) ſed reſpondet de jure antiquo.

219 2°. jus novum abſtinendi ab exigendo debito, conjugibus in dubio (de quo ibi) Pontifex inconvenienter impoſuiſſet: utpote nimis grave, & per quod conjuges illos, abſque neceſſitate, expoſuiſſet graviſſimis periculis incontinentiæ.

220 3°. regula illa per ſacros Canones paſſim uſurpatur in omni materia, & in omni caſu, ubi ſalutis & peccati periculum vertitur, ut conſtat ex ſupradictis.

221 4°. licèt nonnullorum Canonum, ut can. *ſignificaſti*, & can. *ad audientiam*, deciſio procedat in ſpeciali materia irregularitatis; eò quòd de ea propoſitus fuerit caſus, qui ibi deciditur. Ratio tamen deciſionis, tam ibi, quàm alibi, non redditur ſpecialis, ſed generalis; nimirùm, quia in dubio, ubi ſalutis vertitur periculum, tutior pars eligenda eſt. Quandocumque autem Canones diſponunt aliquid concernens animæ ſecuritatem, ſi ratio diſpoſitionis generalior ſit diſpoſitione, ad generalitatem rationis extenditur diſpoſitio. L. *regula* §. fin. ff. de jur. & fact. ignor. L. *nomen debitoris* §. fin. ff. de legat. L. 1. verbo *Illyricanas* C. qui mun. vel *præſtat* nemin. lic. ſe excuſ. lib. 10. cap. penult. *qui filii ſint* legit. & Clem. 1. verb. *præſidentes* de reſcript. Atque ita Doctores unanimiter tradunt apud Everardum in locis legalib. loco 78. & 79. quia ſcilicet interpretatio legis deſumenda eſt à ratione, quam dat Legiſlator: ſiquidem *intelligentia dictorum ex cauſis aſſumenda eſt dicendi; quia non ſermoni eſt res, ſed rei ſermo ſubjectus*, ut ex D. Hilario dicitur in Clement. cit. Proinde ubicumque urget illa ratio, caſus dicitur à jure expreſſus, ut ex Calderino probat Fagnanus ad cap. *ne innitaris* de conſtit. n. 224. Et hæc maximè procedunt, ubi agitur de ſecuritate animæ. Tunc enim lex, etiam pœnalis, favorabilis eſt, ideòque extendenda ex rationis identitate, uti n. 223. probat ex Hoſtienſi, Antonio de Butrio, Ancharano, Abbate, Præpoſito, Bartolo, & DD. in Authent. Sacram. puber. C. *ſi adverſus vendit*. Idque uſque adeò extendit, ut ad cap. *immunitatem* de immunit. Eccleſ. n. 11. 12. & 13. dicat, quòd etiam in pœnalibus extenſio facienda ſit ex identitate rationis, dum agitur de puniendis delictis: *tunc enim materia dicitur favorabilis, & expediens reipublicæ*. L. *ita vulneratus*. ff. ad leg. Aquil. *Et propterea fieri debet extenſio*. Roman. conſil. 105. Jas. L. *cùm quidam* in 4. limit. Aym. de antiq. temp. in 4. p. n. 96.

Objiciunt 6°. caſum cap. *inquiſitioni* de 222
ſent. excom. procedere in dubio, in quo conjux credulitatem probabilem habet de invaliditate matrimonii ſui; nullam autem probabilitatem de valore. Ita Terillus q. 23. de opin. prob. n. 67.

Reſpondeo contrarium eſſe certiſſimum: quia textus loquitur de dubio propriè dicto. Proinde utrimque probabili, uti n. 164. oſtendimus. Et ita veteres, recentioreſque Theologi, & Canoniſtæ communiter illum Canonem hactenùs expoſuerunt. Nec certè Pontifex pro ratione allegat, quòd pro invaliditate aliqua, pro valore nulla foret probabilitas (hoc enim dato debitum reddere non juſſiſſet) ſed quòd in non exigendo nullum foret periculum, nulli injuria fieret; in non reddendo autem, periculum foret injuriæ alteri inferendæ, ſi verè conjux eſſet. Vide infrà n. 229. & 230.

Objiciunt 7°. regulam de tutiori, &c. pro- 223
cedere in dubiis facti, non juris.

Reſpondeo id prorſus improbabiliter dici. 1°. quia ratio ſeu fundamentum iſtius regulæ, nequis utique peccati ſe periculo exponat, procedit tam in dubiis juris, quàm facti.

2°. ipſimet Canones regulâ illâ utuntur, 224
tam in dubiis juris, quàm facti, utique in dubio de valore ſententiæ excommunicationis à Delegato latæ, non præmiſſâ monitione, nec factâ illius intimatione, cap. *illud* de cler. excom. In dubio de valore ordinis ante baptiſmum ſuſcepti, cap. *veniens* de Presbyt. non baptiz. In dubio an communicare liceat cum eo, quem fama vulgarat Clericum percuſſiſſe, cap. *cùm deſideres* de ſent. excom. In dubio an Fratres Minores ſub mortali tenerentur ad obſervantiam omnium verbis imperativis poſitorum in regula. Clement. *exivi* de verb. ſignif.

Citatum cap. *illud* procedit quidem de du- 225
bio juris non abſolutè, ſed reſpectivè ad perſonam, exiſtimantem jus illud dubium, quod in ſe erat certum. Verùm cæteri Canones allegati procedunt de dubio juris abſolutè. Eſtque eadem ratio vitandi periculum peccati, in utroque dubio juris, tam abſoluto, quàm reſpectivo. Ratio quippe vitandi periculum peccati (in qua fundatur caput *illud*) tam procedit in caſu quo jus eſt abſolutè dubium, quàm dum reſpectivè. Et ideò tutiorem partem tam ſectandam in dubio juris abſoluto, quàm reſpectivo, unanimis eſt ſententia omnium, ut teſtatur Lorca 1. 2. diſp. 38. membro 2. Eam profectò tradit S. Thomas quodlib. 8. a. 13. Adrianus quodlib. 2. & omnes Summiſtæ verbo *dubium*. Eadem eſt communis ſententia Canoniſtarum apud Fagnanum ad cit. cap. *ne innitaris* n. 214.

Objiciunt 8°. regulam de tutiori, &c. ſo- 226
lùm

lùm procedere in casibus, in quibus constat legem comprehendere casum dubium, vel in quibus Pontifex declaravit, legem v. g. quæ homicidam prohibet ab altari, tam comprehendere homicidam dubium, quàm certum.

Respondeo omnes istas objectiones aliud non esse nisi puras putas Novaturientium cavillationes, in textu minimè fundatas: cùm istius declarationis mentionem non faciant Pontifices in Canonibus citatis, sed solùm legis divinæ & naturalis de cavendo salutis, peccatique periculo, deque parte tutiori eam ob causam sectanda in dubio. Ista proinde est lex, in qua se fundant; non commentitia illa declaratio, ad eludendos Canones, à Probabilistis conficta.

Objiciunt 9°. regulam illam solùm procedere in dubiis practicè practicis, non in speculativis, seu speculativè practicis.

Respondeo & istam, meram esse cavillationem, glossamque evidenter eluforiam, illuforiamque sacrorum Canonum: utpote regulam illam tradentium, ut quisque sciat, quomodò in dubiis speculativè, seu simpliciter practicis, prudenter dirigenda formandaque sit conscientia, seu judicium practicè practicum. Quod ut prudenter fiat, peccatumque vitetur, regula illa declarat, quòd in dubio speculativè practico, an actio licita sit, an incursa sit excommunicatio, irregularitas, &c. viam oporteat eligere tutiorem. Et ideò in dubio de matrimonii impedimento, abstinendum sit à petendo debito, in dubio de excommunicatione, irregularitate, &c. quis se gerere debeat ut excommunicatum, irregularem, &c. Sic enim SS. Pontifices docent in Canonibus allegatis, quos quisquis absque præoccupatione legerit, videbit dubia S. Pontifici proposita fuisse speculativè practica, eaque à SS. Pontificibus per regulam illam fuisse resoluta. Siquidem cap. *ad audientiam*, dubium est, utrùm ex occasione vulneris à Presbytero inflicti, an aliunde, defunctus obiisset. In cap. *significasti*, dubium est, ex cujus ictu percussus interiisset. In cap. *inquisitioni*, dubium est, an matrimonii non subsit impedimentum. In clement. *exivi*, dubium est, an verba imperativi modi in regula Minorum obligent sub mortali. Et sic de aliis. Nec necesse fuisset, viros doctissimos consulere S. Sedem, ad sciendum rem omnibus notissimam, nec ab ullo Theologo in dubium revocatam, an in dubiis practicè practicis pars tutior foret amplectenda.

227 2°. Si regulam illam Pontifices non vellent procedere in dubiis speculativè practicis, absolutè non statuissent, deponendum Episcopum, de quo cap. *illud*, ob non servatam in tali dubio regulam illam. Nec conjugem in ejusmodi dubio absolutè prohibuissent à petitione debiti, uti nec Sacerdotem à ministerio altaris. Nec juvenem, ob dubiam affinitatem, separassent à secunda uxore, prioris consobrina. Sed id ad summum statuissent, cum adjecta clausula: nisi dubium fuisset in praxi depositum.

3°. Si glossa illa subsisteret, liberum cui- 228
que foret ab istius regulæ obligatione universim se eximere, dubium speculativè practicum in praxi deponendo, atque in favorem libertatis per reflexa Probabilistarum principia, judicium practicè practicum ex adverso istius regulæ canonicæ efformando. Quo fieret, ut insignis ista regula in praxi universim eluderetur, & ad nihilum redigeretur. Quod absque sacrorum Canonum, Summorumque Pontificum injuria fieri nequit.

Objiciunt 10°. regulam illam solùm pro- 229
cedere in dubiis, in quibus possessio libertatis non favet dubitanti; vel in quibus pars minùs tuta probabilis non est; sed rationes probabiles sunt pro lege; nullæ, vel nonnisi leves pro libertate.

Respondeo priorem cavillationem apertè excludi, per ea quæ cap. 28. 29. & 30. dicenda sunt. Posteriorem verò sacri ipsi Canones manifestè falsam demonstrant, per ea quæ dixi n. 161. 164. 169. 170. 171. 172. Neque enim Canone *inquisitioni* (ut alios omittam) Pontifex juberet debitum reddi, ad vitandum peccatum contra legem conjugii, ne probabiliter quidem validi. Nec illud prohiberet exigere, si nulla foret probabilitas de nullitate. Cùm conscientiam levis ac temerariæ credulitatis explodi jubeat.

Accedit, quòd canonicam illam regulam 230
Pontifices procedere velint in veris ac propriè dictis dubiis. Cujusmodi non sunt, ubi rationes probabiles sunt pro lege; nullæ, vel leves pro libertate. Tunc enim dumtaxat est dubium verè ac propriè dictum, ubi vel rationes utrimque nullæ, vel utrimque æquales, seu æquè probabiles occurrunt, ut constat ex dictis c. 9. Tunc proinde nefas est id agere, de quo dubitas æquum sit, an iniquum, uti canonica illa regula, seu Ecclesia per eam declarat.

Objiciunt ultimò, Siqua foret obligatio se- 231
ctandi tutiorem partem in dubio, foret ad cavendum peccandi periculum. Sed ratio ista cavendi periculi in probabilibus non est attendenda. Aliàs partem minùs tutam sequi non liceret, tametsi probabiliorem.

Respondeo negando minorem in probabilibus circa jus positivum. Ad ejus probationem nego sequelam. Quia regula de tutiori, &c. in ejusmodi probabilibus, seu longè probabilioribus, ideò non procedit, tum quia tunc quis verè non est dubius, tum quia insignis probabilioritas secundùm jura & Doctores (apud Fagnanum n. 225.) pro morali habetur certitudine cap. *dixit Dominus* 32. q. 1. c. *afferte* de præsumpt. & cap. *veniens* de Presbyt. non baptiz. ibi: *& hæc præsumptio pro certitudine habeatur*; vel si certitudo non sit moralis, ad ipsam certitudo exurgit, ut posteà videbitur. Ubi verò moralis certitudo, ibi morale non est periculum. Quid dicendum sit in probabilibus juris naturalis, dicetur cap. 82. & 83.

CAPUT XXV.

Regula septima, de tutiori parte in dubiis eligenda : nonnullos casus, speciales ob causas, easque gravissimas, excipit Ecclesiæ declaratio, vel Reipublicæ ordinatio.

232 IMprimis casum conjugis de impotentia matrimonium antecedente dubitantis, Ecclesiæ declaratio excipit, cap. *laudabilem*, de frigid. & malefic. ubi deciditur, naturaliter frigidos, quorum perpetua coëundi impotentia certa non est, sed dubia, per triennium experiri posse, seu attentare copulam, non obstante dubio speculativè practico, ne fornicaria sit, seu extramatrimonialis : cùm dubium de ejusmodi impotentia, sit dubium de matrimonii nullitate. In quo dubio tametsi tutius foret abstinere ; ipsos tamen Ecclesia declarat non teneri abstinere, sed Deum specialiter in hoc dubio concedere, quod in aliis non concedit ; eò quòd id exigat maxima necessitas generis humani, ob rationem n. 339. proferendam.

233 Secundò casum possessoris bonæ fidei, in dubio superveniente, an res taliter possessa non sit alterius, Reipublicæ ordinatio excipit, remque illam retinere permittit, ut constat ex variis legibus, ex quibus ista deprompta est regula : *In dubio melior est conditio possidentis.* Nec durante veritatis inquisitione dumtaxat, sed & post illam, licitè rem possessor retinet, etiamsi dubium perseveret, ob eandem ordinationem Reipublicæ, quæ de fortunæ bonis in ejusmodi casibus, ob bonum commune potest disponere. Tunc nihilominùs (secundùm aliquos) totum non potest retinere : cùm regula solùm dicat ejus conditionem esse *meliorem* ; tantò utique meliorem, quantò major ex possessione nascitur præsumptio pro possessore.

234 Tertiò videri posset similiter excipiendus subditus, v. g. Religiosus obediens Prælato suo, in dubio, an res præcepta sit licita ; sicut & miles, ad imperium Regis sui, militans in dubio de justitia belli. Quem justè militare constat ex can. *quid culpatur* 23. q. 1. Subditum quoque in dicto casu licitè obedire, communis est traditio Sanctorum.

235 Verùm miles & subditus, tunc obediendo, verè eligunt viam tutiorem, non minùs tutam. Est enim casus iste perplexitatis ; in quo probabile est Deum præcipere ut obediatur ; probabile item quòd prohibeat facere, quod Rex vel Prælatus præcipit. In qua perplexitate, obedientia præstita minus habet periculi, quàm obedientia negata. Cùm obedientiam præstans probabiliter obediat Superiori, & Deo (cujus æterna lex dictat, obediendum omni Superiori legitimè præcipienti) obedientiam verò denegans, ad summum probabiliter obediat Deo. Mavult autem Deus, in dubio, sibi & Superiori obedientiam præstari, quàm eam sic sibi præstari, ut Superiori denegetur. Quia ipse bonorum nostrorum non eget. Obedientia verò nostra, & Superiori, & bono regimini, & Hierarchico, Ecclesiasticoque ordini, & Reipublicæ toti necessaria est ; graviſſimaque ex denegatione ipsius sequuntur mala, tàm in communi, quàm in particulari.

In communi namque sequeretur totius Reipublicæ, Hierarchicique, & Ecclesiastici ordinis perturbatio, omnisque regiminis confusio, atque inter Prælatos, subditosque innumera jurgia, & continuæ disceptationes, seu lites, an facere teneantur hoc vel illud ? an id quod Superior præcipit, sit divinæ legi, rationique conforme, &c. 236

In particulari verò, ob innatam, vel à peccato contractam propriæ libertatis philautiam, omnis obedientiæ nervus evigoraretur. Cùm tantus sit uniuscujusque erga seipsum amor, & in omnium hominum cordibus tam profundè radicatus libertatis & independentiæ appetitus, ut inde mens stimulata, cuique rationes dubitandi facilè subministraret, ut vel ex eo constat, quòd innumeros videamus, quibus injusta videntur, quæ reverà sunt justissima ; sicut & justa, quæ verè sunt injusta : ita ut vel ipsi Apostolorum interfectores, eos interficiendo, arbitrati sint obsequium se præstare Deo. 237

Spiritus quoque humilitatis deperiret in subditis, illusionique, & cordis vanitati, necnon superbiæ ac præsumptioni, latissima patesceret janua, si inferioribus fas esset mandata Superiorum dijudicare, vel suspectare, vel propriæ prudentiæ, contra mandata Superiorum, in dubio inniti. Subditi namque usque adeò est obedire, judiciumque suum ac voluntatem submittere judicio ac voluntati Superioris, ut meritò Innocentius III. cap. *ad aures* de tempor. ordin. dicat, quòd *vani capitis est, Superiorem non posse præcipere sine causæ cognitione facta subdito.* 238

Ad quæ mala præcludenda voluntas Dei est, ut Religiosus non discutiat, sed absque discussione obediat mandato Superioris, cui curam sui commisit, quando manifestè non est peccatum ; nec ulteriùs se intromittat in auscultando judicio suo, vel in dijudicando, an justum sit quod Superior præcipit. Neque enim hujus rationem Deus ab inferiore exiget (dummodò injustitia evidens non sit, & manifesta) sed à Superiore, pro quo inferior in dubio debet præsumere ; *eò quòd tanta sit judicialis authoritas, ut semper pro ipso* (Judice, seu Superiore) *præsumi debeat, donec contra ipsum aliquid legitimè comprobetur.* cap. *in præsentia* de renuntiat. 239

Istam portrò Dei voluntatem esse, communis est sensus humani generis, communisque traditio Sanctorum. Nulla quippe est humana societas, nullus hominum cœtus, in quo erroris temeritatisque non insimuletur, qui obedientiam Superiori denegat, sub prætex- 240

tu

tu quòd ipsi perspecta non sit justitia mandati. In quo etiam prorsus persuasum non sit, Superioris judicium, in dubio circa obedientiam, inferiorum opinioni vel dubitationi anteponendum.

241 Quòdque eadem sit Sanctorum traditio, demonstrant Basilii, Augustini, Bernardi, B. Columbani, S. Joannis Climaci, Humbetti, S. Bernardini Senensis, & S. Ignatii Fundatoris Societatis testimonia, apud Terillum in Reg. mor. p. 2. q. 46. Quibus addo, quod idem Basilius in Constit. Monast. c. 22. ait, Monachum discutere non debere quod præcipitur, modò non sit manifestè peccatum.

242 Et S. Hieronymus epist. 4. ad Rustic. *Crede salutare, quidquid ille præceperit*; nec de Majorum sententia judices, cujus officium est obedire, & implere quæ jussa sunt, dicente Moïse: *Audi Israël, & tace.*

243 Et Gregorius Magnus in c. 15. lib. 1. Reg. ad illa verba: *Quasi peccatum ariolandi est repugnare*, &c. sic habet: *Qui repugnant Prælatorum imperiis, ideò utique repugnant, quia divinam voluntatem se scire melius æstimant. Quasi ergo peccatum ariolandi est repugnare: quia, velut divino altari contempto, ad aras dæmonum responsa percipiunt, dum cordis sui præsumptionibus ac superbis adinventionibus credunt, & salutaribus Prælatorum consiliis, contraria sentiendo, refragantur.*

244 Et Damascenus, in historia, inducit Joseph dicentem patri suo: *In quibus non adjacet manifesta perditio, & à Deo alienatio, bonum patri obedire est.*

245 Et rursum S. Ignatius in epist. de virtute obedientiæ n. 18. *Est igitur hæc ratio subjiciendi propriu judicii, ac sine ulla quæstione sanciendi, & collaudandi apud se quodcumque Superior jusserit, non solùm sanctis viris usitata, sed etiam perfectæ obedientiæ studiosis imitanda, in omnibus rebus, quæ cum peccato manifesto conjuncta non sint.*

246 Et S. Thomas 2. 2. q. 64. a. 6. ad 3. *Si sententia Judicis non contineat manifestam injustitiam, non peccat Minister exequendo: quia non habet ipse discutere Superioris sententiam.*

247 Intellige tamen hanc doctrinam cum grano salis, ut passim quidem & utplurimùm procedat in iis quæ humanæ subsunt potestati, & conjuncta non sunt cum probabili periculo faciendi aliquid contrarium legi naturali. Si enim Superior tale quid præciperet, inferior, obediendo, non excusaretur à peccato contra legem; tametsi depositâ ad præceptum Superioris conscientiâ fortè non peccaret contra conscientiam.

248 Dicit quippe D. Bernardus epist. 7. ad Adam: *Facere malum quodlibet, quolibet etiam jubente, constat non esse obedientiam, sed inobedientiam.... Sanè hoc advertendum, quòd quædam sunt.... pura mala; & in his nullam deberi hominibus obedientiam.... Sed quid ad me (inquis) ille viderit, cui mihi contradicere fas non erat.... Si ita oportet, sine causa legitur in Evangelio:* "Omnia probate, quod bonum est, tenete." *Si ita oportet, deleamus jam de libro Evangelii:* "Estote prudentes sicut serpentes." *Sufficiet quippe quod sequitur:* "& simplices sicut columbæ." *Nec dico à subditis mandata Præpositorum esse dijudicanda, ubi nihil juberi deprehenditur divinis contrarium institutis*; sed necessariam *assero prudentiam, quâ avertatur, siquid adversatur....* Dic (quæso) *si dato in manus gladio, suum te armari jussisset in jugulum, acquievisses? Aut si te tuo voluisset impulsu in ignem, vel in aquam præcipitem dari, obtemperasses?.... Obedientia virtus, quæ semper militat veritati, adversus veritatem accingitur?*

Est autem manifestè contra veritatem & legem æternam exponere se probabili periculo faciendi id quod de se malum est; & ideò tale quid præcipere Prælatus non potest. Vide hac de re quæ dicturi sumus cap. 89. 249

In casibus tamen dubiis & incertis, jus naturale non concernentibus, perspicua sunt Bernardi verba in tract. de præcept. & dispens. cap. 12. *Quidquid vice Dei præcipit homo, quod tamen non sit certum displicere Deo, haud secùs omninò accipiendum est, quàm si præciperet Deus.... Sed homines* (inquis) *facilè falli, in Dei voluntate de rebus dubiis percipienda, & in præcipiendo fallere possunt. Sed enim quid hoc refert tua, qui conscius non es? Ipsum proinde, quem pro Deo habemus, tamquam Deum, in his quæ non sunt apertè contra Deum, audire debemus.* 250

Ergone (inquies) inferior obedire debuisset Superiori ante condemnationem 110. propositionum factam ab Alexandro VII. & Innocentio XI. præcipienti aliquam earum in praxim deduci? 251

Respondeo quòd non: quia revera probabiles non fuerunt, *sed scandalosæ & perniciosæ* (juri proinde naturali contrariæ) uti eas laudati Pontifices declararunt, & declarando tales, ante declarationem tales fuisse satis innuerunt. Neque enim eas scandalosas & pernicios suâ declaratione fecerunt; sed quia tales erant, eas ut tales declararunt condemnaruntque.

Sed quid ad Ludovicum Scildere de princip. consc. tr. 2. c. 4. §. 1. n. 57. post Adrianum dicentem, *subditum probabiliter opinantem actum imperatum esse peccaminosum, non posse obedire, licèt Superior opinetur eum esse licitum. Quia subditus, qui actum opinatur esse malum, judicare practicè debet, se peccaturum formaliter, si actum ponat, quòdque res imperata potestatem Superioris excedat: cùm nemo actum malum imperare possit?* 252

Respondeo veram esse doctrinam, in materia juris naturalis; aliàs contrarium esse dicendum, secundùm allatam traditionem Sanctorum, & Canonem *quid culpatur* 23. q. 1. cui adstipulatur caput *ne innitaris*, de constit. ex Hieronymo desumptum: *ne innitaris prudentiæ tuæ; prudentiæ suæ innititur, qui ea,*

quæ sibi agenda videntur, Patrum, id est Superiorum, *decretis præponit*. Tunc ergo subditus inniti non debet judicio suo, illud præponendo judicio Prælati sui; sed judicium suum, opinionemque judicio & opinioni Prælati subjicere debet. Et, ut Suarez ait l. 6. de legib. c. 8. n. 6. tunc subditus debet suum judicium deponere, prout est communis doctrina, & in praxi necessaria, ob rationes n. 236. 237. 238. & seqq. allatas. Enimverò ad id faciendum subditus habet regulam certam ex antedicta traditione Sanctorum, quòd possit, imò debeat se suumque judicium submittere, obedireque legitimo Superiori in omnibus quæ non sunt manifestè contra Deum.

253 Nec ratio, quâ nititur Scilderus, oppositum probat. Solùm enim probat subditum in dicto casu obedire non posse, nec debere, in sensu composito propriæ opinionis, quâ judicat actum imperatum esse peccatum; secùs in sensu diviso, deponendo scilicet propriam opinionem, eamque Superioris opinioni subjiciendo in iis ad quæ Superioris authoritas se extendit, & in quibus periculum non est agendi contra naturæ legem. Quia in iis, ad deponendam propriam opinionem, Superioris authoritas ex traditione Sanctorum ipsi sufficit.

CAPUT XXVI.

Regula octava: extra dictos casus, per Ecclesiæ declarationem, vel Reipublicæ ordinationem exceptos, positivè dubius, in æquali probabilitate de inhonestate, ac de honestate actionis, formare nequit conscientiam de honestate, per reflexa Probabilistarum principia.

254 Argumentis suprà deductis constricti Probabilistæ, fatentur positivè dubitantem de honestate actionis, ob æqualem de inhonestate probabilitatem, haud posse formare conscientiam de ipsius honestate per principia directa; secùs (inquiunt) per principia reflexa.

255 Si ab ipsis postules enarrationem reflexorum illorum principiorum, sequentia Terillus, & passim alii proferunt. 1°. si daretur lex actionem illam prohibens, post adhibitam diligentiam clarè innotesceret. Clarè non innotescit. Ergo non datur.

2°. lex prohibens, in dubio non præsumitur, nisi probetur. Lex prohibens istam actionem in dubio non probatur. Ergo non præsumitur.

3°. *in obscuris quod minimum est sequimur. Sequimur* etiam quod benignius est. Quandoquidem *odia sunt restringenda, favores ampliandi.* Atqui judicium de non prohibitione, in dubio, benignius est, & minùs gravans, quàm judicium de prohibitione. Illud ergo judicium sequimur; non istud.

4°. lex, seu prohibitio dubia certam parere nequit abstinendi obligationem.

5°. lex, seu prohibitio dubia non est sufficienter promulgata; non obligat autem, nisi sufficienter promulgata.

6°. lex, seu prohibitio non obligat, quamdiù invincibiliter ignoratur, an sit certò lata.

7°. in pari dubio, seu æquali probabilitate, hinc pro lege prohibente, inde pro libertate, melior est conditio libertatis (cùm sit melior conditio possidentis: libertas autem tunc est in possessione) tunc ergo pro libertate judicandum, non pro lege prohibente.

Verùm-enimverò, non ex istis reflexis prin- 256
cipiis, aliisque ejusmodi, sancti Doctores & Majores nostri, imò ne ipsi quidem Gentilium ac Judæorum Sapientes, judicari posse censuerunt pro libertate; sed prorsus ex adverso censuerunt abstinendum ab opere, ut suprà vidimus.

Non sum nescius, Terillum in fundam. 257
Theol. Moral. & in Regula mor. p. 1. q. 2. n. 60. pro principiis istis proferre Lactantium l. 3. Institut. c. 27. dicentem: *Stultissimi est hominis, præceptis eum velle parere, quæ, utrùm vera sint, an falsa, dubitatur. Et ideò nemo paret, quia nemo vult ad incertum laborare.* Quod Lactantii dictum Terillus censet rectè applicari ad omnem legem dubiam: *quia, si post omnem conatum maneat incertum, an lata fuerit, neminem obligare potest. Nam stultissimum est tali præcepto, ut præcepto, velle parere: cùm an sit verum, an fictum præceptum, dubitatur. Et ideò nemo paret, quia nemo vult ad incertum, quasi ad certum, obligatum se putare.* Ita Terillus.

Sed facile est ostendere, Lactantii testimo- 258
nium ad rem præsentem nihil facere, sed ad alium longè scopum collimare. Siquidem Lactantius ibi, explicans verba ista Psal. 118. *Locuti sunt mihi iniqui vanitates, sed non ut lex tua*, multifariàm ostendit, Philosophorum Gentilium præcepta variis exceptionibus obnoxia esse, inter alias exceptiones duas istas producens, quòd Philosophi illi authoritatem non haberent condendi leges (& ideò nemo credit, inquit: *quia tam se hominem putat esse, qui audivit, quàm ille qui præcipit*) *quòdque nihil apud eos certum esset, nihil quod ad scientiam veniret, sed cùm omnia conjecturis agerent, multa, etiam diversa & varia proferrent*, &c. Quæ profectò exceptiones ad rem nostram non faciunt. Cùm dubia, de quibus agimus, non sint de præceptis hominum authoritate carentium, nihilque certi habentium, & omnia conjecturis agentium, sæpèque variantium; sed de præceptis Dei, Ecclesiæque, quorum authoritas est certa, & siquando voluntas in casu particulari obscura & dubia, non desunt certa principia, quibus edocemur, quid opus facto in ejusmodi dubio. Unde stultissimus esset, qui stultissimi hominis esse diceret, ejusmodi præceptis velle parere, tutioremque partem eligere. Neque enim talis in incertum laboraret, sed laudem certissimam promereretur. Unde prorsus est extra rem, & mentem Lactantii, Glossa Terilli, seu applicatio quam subjungit verbis Lactantii.

Nec verò Lactantius habet reduplicationem istam : *præcepto, ut præcepto*, nec finalia verba ista : *nemo vult ad incertum se obligatum reputare* ; sed ista : *nemo vult ad incertum laborare*. Quæ ex præmissis manifestum est alium reddere sensum, tendereque ad scopum planè diversum.

259 Ex unico igitur Lactantio, tam extra rem allegato, perspicuum est illa Probabilistarum à sæculo natorum reflexa principia, prorsus destituta esse sanctorum Doctorum authoritate, nec à Probabilistis vel unum è sanctis Doctoribus proferri posse, qui iis usus fuerit, vel secundùm ea conscientiam formari posse senserit. Immò quatuor principia reflexa ex adverso tradiderunt, tamquam necessariò sequenda in ejusmodi dubio.

260 Primum est, quòd in dubio semitam eligere debeamus tutiorem, uti ostendimus cap. 16. & 17.

261 Secundum, quòd cavere debeamus periculum peccati, abstinendo ab actione dubiæ honestatis. Utpote à qua non abstinendo, scientes & volentes exponimus nos peccati periculo. *Quicumque verò committit se discrimini, in his quæ sunt ad salutem, peccat*, inquit (post Augustinum, aliosque SS. Doctores) S. Thomas quodlib. 8. a 13. Et quodlib. 9. a. 15. *Quicumque committit se.... periculo peccati mortalis, peccat mortaliter*. Et rationem dat quodlib. 3. a. 9. ad 3. *quia quicumque non cavet periculum, videtur contemnere id cujus detrimentum pericula inducere possunt*, videturque amare periculum, cui sine necessitate se exponit : sicut amare videtur periculum damni temporalis, qui ei absque necessitate se exponit, faciendo aliquid quo damnum æquè probabiliter incurritur, quàm non incurritur. Et hanc rationem cavendi periculum peccati, considerarunt sacri Canones, dum statuerunt eligendam in dubio semitam tutiorem, ut vidimus n. 214.

262 Tertium est, quòd lex naturalis, ipsis etiam Judæis, Ethnicisque exploratissima, vetet quidquam agere, quod dubites, æquum sit, an iniquum.

263 Quartum (traditum à Tertulliano n. 312. referendo) est quòd eadem lex veret quidpiam agere, sine divina permissione sufficienter proposita. Cùm humana voluntas essentialiter subjecta sit voluntati divinæ, ab eaque dependeat, tamquam à prima regula, mensuraque sua. *Primum* enim, *in unoquoque genere, est mensura caterorum*. Unde cùm regula ac mensura prior sit regulato, & mensurato ; prius est aliquid esse divinâ voluntate permissum, quàm sit creaturæ rationali moraliter liberum seu licitum. Cùmque humana voluntas regulari mensurarique nequeat à voluntate, seu permissione divina, nisi sufficienter prægnita ; prius est voluntatem seu permissionem divinam esse homini sufficienter prægnitam, quàm actionem aliquam humanæ voluntati licitam esse, sive permissam. Atqui sufficienter prægnita non est, quamdiù nulla est apparentia major quòd permissa sit, quàm quòd non sit. In æquali verò utrimque probabilitate, nulla est apparentia major quòd permissa sit, quàm quòd non sit. Tunc igitur actio censenda non est humanæ voluntati moraliter libera, sive licita & permissa.

Quintum principium ex communissima Probabilistarum sententia addi potest, quia ad licitè operandum, ipsimet Probabilistæ moralem requirunt certitudinem, quòd hîc & nunc operando non peccetur, ob ea quæ allegata sunt num. 194. 195. &c. Sed in æquali probabilitate de inhonestate, atque de honestate operationis (extra casus, de quibus capite præcedenti) nullum est principium, sive directum, sive reflexum, per quod operans moraliter certificari queat quòd hîc & nunc operando non peccet. Et verò nullum esse principium directum, per se patet, nec Probabilistæ diffitentur. Nullum quoque esse principium reflexum, probatur, quia siquod esset, foret aliquod ex septem n. 255. narratis. At nullum est ex illis. 264

Non enim primum : quia vix aut ne vix quidem homo est, qui certus sit, imò qui prudenter credere queat, se tantam adhibuisse diligentiam, tantùmque per adhibitam diligentiam profecisse in notitia punctorum omnium divinæ legis cognitu difficilium, ut si lex prohibens istud vel illud punctum extaret, sibi clarè innotesceret. Cùm innumera puncta difficilia legis innumeris hominibus, post omnem diligentiam, usque adeò obscura sint, ut ne ipsis quidem sanctis Doctoribus, post tantum studium, tantam orandi assiduitatem, tantam curam emundandi cor suum, clarè innotuerint. Imò post hæc omnia, in multis sibi invicem contradixerint, nec minùs veraciter, quàm humiliter fassi sunt : *delicta quis intelligit*, &c. 265

Non etiam secundum : quòd enim positivè dubius, in æquali probabilitate de existentia, ac de non existentia legis prohibentis, abstinere debeat ab actione dubiæ honestatis, non est ex vi legis, seu prohibitionis dubiæ, dum reverà non existit, sed ex vi certæ & indubitatæ legis prudentiæ, quæ vetat 1°. nequis exponat se periculo peccati, ut suprà. 2°. nequis faciat, quod dubitat, æquum sit, an iniquum. 3°. ne creatura quidquam faciat absque divina permissione, sibi sufficienter proposita. 4°. ad ista præcavenda, semitam eligere jubet tutiorem. 266

Dum verò lex prohibens reverà existit, & certò existit, solùmque dubium est, an istam vel illam actionem comprehendat, si judicio virorum sapientum eam comprehendat, adsintque motiva gravia ad ita judicandum, quamvis insufficientia ad impetrandum hîc & nunc dubitantis assensum, eò quòd concurrant cum æquè gravibus & probabilibus in contrarium ; adeòque æquè moventibus ad dissensum : lex illa, utpote obligans ad ca- 267

vendam transgressionem sui, non solùm certam, sed & rationabiliter dubiam, videri potest obligare ad abstinendum à tali actione, in tali dubio, v. g. lex prohibens usuram, ad abstinendum à contractu, non solùm certò, sed & dubiè usurario; adeòque videtur obligare ad abstinendum ab illo, quando rationabiliter dubitas, an sit usurarius; sicut obligat ad abstinendum ab eo, quando rationabiliter judicas (licèt judicio solùm opinativo & incerto) esse usurarium. Sic enim lex jubens omnia mortalia confiteri, obligat ad confitendum mortalia, non solùm certa, sed etiam rationabiliter dubia. Quamvis enim lex non obliget, nisi applicetur, talis applicatio fit per hoc quòd in notitiam sic deveniat, ut invincibiliter non ignoretur. Per rationabile verò dubium de legis talem actionem comprehendentis existentia, invincibilis tollitur ignorantia ipsius, prout constat ex eo quòd actio facta cum rationabili dubio ejusmodi, non sit transgressio materialis dumtaxat, sicut actio facta cum ignorantia invincibili legis. Quòd enim sic operari non sit operari cum ignorantia invincibili legis, cap. 31. demonstrabitur.

268 Cæterùm, sive lex (v. g. prohibens usuram) obliget directè, & vi suâ, ad abstinendum à contractu dubiè usurario; sive indirectè & vi reflexæ legis prudentiæ ut suprà: certa equidem obligatio est abstinendi à contractu dubiè usurario, saltem ex dicta lege reflexa. Utpote quæ haud dubiè vim habet obligandi, sive legis directæ existentia in dubio præsumatur, sive non præsumatur.

269 Nec tertium principium moraliter certificare potest operantem, quòd hîc & nunc ponendo operationem dubiæ honestatis, non peccet. Cùm istud principium in ordine ad rem præsentem, frivolum sit, & abusivum, in nimiamque vergens laxitatem, uti demonstratum est Prolegomeno 1. c. 9.

270 Nec isti principio D. Gregorius favet, l. 2. Regiſtri c. 23. dum ait: *Melius est in dubiis, non districtionem exequi, sed ad benignas potiùs partes inflecti.* Quia ex contextu & scopo sancti Pontificis manifestum est, verba hæc nec in speciem favere Probabilistis, sed perinde extra rem allegari, ut verba Lactantii suprà. Siquidem casus, de quo ibi Pontifex agit, est iste: Stephania à D. Gregorio petiit, Calixeno filio suo, ob nimiam ipsius paupertatem, restitui domum, à Calixeni avia Ecclesiæ oblatam, asserens aviam non potuisse eam alienare. Pontifex, ne mulieris lachrymas inanes relinqueret, & ne plus rigoris, quàm pietatis causam sequi videretur, jussit restitui domum, dicens, melius esse in similibus dubiis, Ecclesiam non uti juribus suis in rigore, dum scilicet miserabiles personæ, miseriam magnam inde paterentur; sed ad benignas potiùs partes, id est ad pietatem erga miserabiles personas exercendam potiùs inflecti, uti Augustinus exemplo suo docuit, dum ob similem causam recipere noluit pecuniam Ecclesiæ oblatam, sed filiis Januarii jussit restitui. Et reverà *in re dubia* (inquit Egnatius l. 7. c. 7.) *satius est filiis testatoris eam dari, qui graviora propter illam, quàm Ecclesia, pati poterant. Cùm Ecclesiæ longè pluris bonum nomen, quàm pecunia, cum avaritiæ nota, faciendum sit.* Ita ille, occasione facti Augustini, quod refert.

Per benignam itaque partem S. Gregorius 271
eam non intelligit, quæ favet libertati & concupiscentiæ contra legem (cùm ista maligna sit, non benigna) sed quæ favet pietati erga viduas, pupillos, egenos, &c. quæque Ecclesiam ab avaritiæ & excessivi in miserabiles personas rigoris nota liberat. Vide dicta citato Prolegomeno 1. c. 9. per totum.

Nec quartum principium tertio solidius est, 272
uti neque quintum. Quia certa abstinendi obligatio in casu præsenti, non provenit ex lege, seu prohibitione directa, quæ supponitur dubia, sed ex lege reflexa, prorsus certa & indubitata, vel ipsis Ethnicis sufficienter nota & promulgata, de qua n. 260. 261. 263. & 266. De qua etiam rursum cap. sequenti n. 281. & seqq.

Nec sextum, utpote quod falsissimum esse, 273
demonstrabitur cap. 31. abusivumque esse, atque in præcipitium ducere, monstratum est Prolegomeno 1. c. 8.

Nec denique septimum. Quia & istud à 274
vero alienissimum infundatissimumque esse, demonstrabitur cap. 28. 29. & 30.

CAPUT XXVII.

Regula nona: positivè dubius, in æquali hinc inde probabilitate actionem dubiæ honestatis ponere nequit, sub prætextu, quòd lex eam prohibens, si detur, non sit sufficienter promulgata.

Isti prætextui valdè insistunt Probabilistæ, 275
in eoque fundant totam suam doctrinam de licito usu cujuscumque probabilis de honestate opinionis, etiam in concursu & occursu nedum æqualis, sed & majoris probabilitatis in contrarium. Ut enim ex communi aliorum Probabilistarum sententia arguit Terillus de consc. prob. q. 23. probat. 3. nulla lex obligat nisi sufficienter promulgata: nulla verò lex prohibens aliquam actionem est sufficienter promulgata, quamdiù probabile est actionem illam non esse prohibitam. Quia ut sufficienter sit promulgata, esse debet certò & manifestè cognita. *Promulgatio enim* (inquit n. 16.) *debet esse ceremonia tam manifesta subditis, ut aliqui saltem eorum evidenter sciant, & legem latam, & tali ceremoniâ fuisse manifestatam. Immò debet esse adeò manifesta, tamque liquidò divulgata, & tam certa ejus notitia, ut magnam subditorum partem latere non possit, nisi ipsi culpabiliter ad ea quæ fiunt, nolint advertere.* Quod in opere de reg. mor. q. 2. n. 47. & 59. procedere dicit de omni lege, etiam naturali.

276 Hinc concludunt nullam legem esse obligatoriam, nisi certò innotescat, necillam obligatoriam esse, de cujus existentia & obligatione habetur prudens & valdè probabile, vel etiam probabilius judicium, dummodò incertum. Quòd si lex quoad substantiam, vel in generali certa sit, incertum verò sit, an particularem hunc casum vel circumstantiam comprehendat, tametsi eum vel eam probabiliùs comprehendat, censent hunc casum vel circumstantiam non comprehendi sub obligatione illius legis. Unde Caramuelis doctrina est, quòd cuilibet sequi liceat opinionem probabilem minùs tutam, dum non fuerit ipsi certum & evidens illam esse falsam. Sic enim habet in Theol. fundam. Edit. Francofurt. num. 272. & Edit. Lugdunensis n. 451. Omnis omninò *actus humanus licitus est, qui non impingit evidenter in aliquam legem obligatoriam evidenter.* Ista quoque communis est Probabilistarum doctrina, prout ostendimus Prolegomeno 1. c. 8.

277 Quanta verò morum strages, quanta disciplinæ christianæ relaxatio, quanta animarum pernicies inde consectaria sit, ibidem videre est. Proinde ille prætextus omninò rejiciendus est, velut falsus, infundatus, & in præcipitium ducens. Cùm & fundamentum ipsius falsum sit, ruinosum, & ducens in præcipitium.

278 Totum quippe fundamentum istius prætextûs, est, quia lex directè & specialiter aliquid prohibens ab ipsis non putatur sufficienter promulgata, nisi habeatur certa & manifesta ipsius notitia, uti constat ex dictis n. 255. Et ideò negant obligationem abstinendi ab actione per eam prohibita, quamdiù lex directè eam prohibens, post adhibitam diligentiam, manifestè non innotescit.

279 Verùm-enimverò manifestè decipiuntur. 1°. quia ad hoc ut homo abstinere teneatur ab actione per eam prohibita, sufficit quòd ipsi occurrat pro legis illius existentia motivum valdè urgens intra limites probabilitatis, tametsi absque certitudine & evidentia; pro libertate verò nulla occurrat probabilis ratio. Siquidem homo tunc probabilissimè & rationabilissimè judicat legem illam existere. Peccat verò homo, qui hoc judicans, nec rationem habens judicandi contrarium, facit contra prohibitionem ipsius. Cùm naturæ lumine notum sit, peccare eum, qui facit quod prudenter judicat à Deo esse prohibitum, testeque Evangelio, *servus, qui cognoscit voluntatem domini, & non facit, plagis vapulabit multis.* Et ratio est, quia Deus habet certissimum jus ad hoc, ut homo exequatur legem ipsius, quandocumque prudenter judicat eam existere. Sicut & Ecclesia ad obligandum ad auditionem Sacri eum, qui prudenter credit esse diem festum, dum nullam habet rationem vel authoritatem credendi contrarium. Unde procul dubio peccaret, qui appellens ad portum (post longam navigationem) & audiens à viro fide digno esse diem festum, potensque facilè audire Sacrum, illud non audiret, etiamsi certò evidenterque ipsi non constaret de die festo, dummodò nullam haberet rationem, vel authoritatem ad credendum non esse festum.

2°. ratio vel authoritas vehementer ur- 280
gens ad credendum legem prohibentem existere, dum nullâ debilitatur ratione vel authoritate urgenti in contrarium, licèt in agibilibus humanis non habeatur pro ratione vel authoritate omnimodè certa & evidenti, habetur tamen pro ratione vel authoritate sufficienti, ad hoc ut homo, in foro conscientiæ, judicare debeat pro lege, contra suam libertatem; sicut dum Caius & Titius coram externo Judice litigant de debito centum aureorum v. g., si Caius præsentet instrumentum, vel testimonium vehementer urgens Judicem, ad credendum quòd Titius Caio debeat centum aureos, & Titius nullum proferat instrumentum, vel testimonium, quo debilitetur instrumentum, vel testimonium pro Caio productum, licèt instrumentum istud, vel testimonium non habeatur pro probatione certa & evidenti, habetur tamen pro probatione sufficienti, ad hoc ut Judex, in foro externo, judicare debeat pro Caio contra Titium.

3°. sicut in foro externo, & quæstione 281
facti, judicandum pro parte, pro qua potiora sunt testimonia, licèt non omninò certa; sic in foro conscientiæ, & quæstione juris, judicandum pro lege, pro qua potiora, seu fortiora sunt argumenta, licèt non omninò certa.

4°. etiam in dubio verè & propriè dicto, 282
dum scilicet æqualia sunt hinc inde argumenta, homo, secundùm Canones, judicare debet se obligatum lege. Cùm tutiorem partem sequi teneatur, ut ex suprà dictis constat.

5°. ad hoc ut homo teneatur servare le- 283
gem, de qua dubitatur, abstinereque ab actione per eam prohibita, sufficit quòd lex illa certò innotescat, vel per se specialiter, vel generaliter per regulas generales prudentiæ, generalesque dubitantium leges, quas & Scriptura, & sancti Doctores, & omnes Majores nostri hactenùs tradiderunt, & ratio demonstrat, ut vidimus à cap. 12. usque in præsens. Istis namque generalibus regulis, ac legibus, de lege speciali dubitantes teneri, adeò certis, ex Scriptura, Traditione, & ratione argumentis demonstravimus ibidem, ut id Adversarii æquè evidenter viderent, quàm Judæorum Ethnicorumque Sapientes, nisi rationem seu mentem haberent sophisticis argutiis fascinatam, nimiâque subtilitate, vel nimiâ præconceptam opinionem defensandi prurigine offuscatam. Nimia subtilitas ideò in jure reprobatur, quia sobriæ noverca est sapientiæ, mater altercationis, inimica veritatis: eò quòd, nimiùm ratiocinando, sapere faciat non ad sobrietatem, efficiatque, ut nihil in rebus humanis adeò semotum

sit ab omni controversia, tametsi maximam cum æquitatis & prudentiæ regulis connexionem habeat, quod in controversiam non revocetur. Quam ob causam à nimia ratiocinatione cavendum, juxta vulgatum istud: *nequid nimis.* Item: *sapere oportet ad sobrietatem.* Quemadmodùm enim, *nullam ratiocinationem velle, secta mahumeticæ basis est*: sic *nimiam velle, hæresis* & Moralis laxioris *origo est*, inquit Cardinalis Pallavicinus l. 15. Histor. Concil. Trid. c. 7.

284 6°. generales illæ dubitantium leges, regulæque prudentiæ adeò patentes sunt, ut vel ipsis Ethnicis notissimæ fuerint. Solis proinde sophismatibus, cavillationibus, æquivocationibus & tricis eas elidere eludereque Probabilistæ conantur. A quo profectò abstinent, à præjudiciis & tricis scholasticis liberi: non ignorantes quòd sicut imprudens ab omnibus haberetur, faciens aliquid, quod prudenter dubitaret, vel probabiliter (etsi non certò) crederet, sub pœna capitis à Rege prohibitum; sic imprudens ab omnibus habendus sit, faciens aliquid, quod prudenter dubitat, vel probabiliter (etsi non certò) credit, sub æternæ damnationis pœna, à Deo esse vetitum. Cùm iste de imprudentia, peccato, obligationeque abstinendi æquè sufficienter convincatur per generales prudentiæ leges, quàm ille.

285 7°. nemini dubium est sufficienter promulgatam esse legem de diligendo Deum ex toto corde. Sicut & istam: *Deus tuus præcepit tibi, ut facias mandata hæc, & impleas ex toto corde tuo. Tu mandasti, mandata tua custodiri nimis*, id est valdè sollicitè cavendo eorum transgressionem. Sufficiens verò legum istarum promulgatio, sufficiens est promulgatio obligationis abstinendi ab actione, de qua æquè vel magis probabile est à Deo prohibitam esse, quàm non esse. Neque enim Deum ex toto corde diligit, nec Dei mandata ex toto corde, & cum tanta illa sollicitudine custodit, qui aliquid facit, quod æquè vel magis probabiliter est quàm non est offensa Dei, transgressioque mandatorum ipsius. Quis enim se toto corde diligi credit ab eo, qui id facere non dubitat, quod sibi summè displicere æquè probabiliter judicat, quàm non displicere? Quis sibi persuadet ab eo Regem toto corde diligi, qui sponte amicitiam contrahit cum homine, quem æquè probabiliter credit esse quàm non esse capitalem Regis ac Regni hostem? Hostis Dei capitalis est peccatum, seu dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam ipsius. Ex toto ergo corde Deum non diligit, qui sponte vult, amat & facit id quod æquè probabiliter credit esse quàm non esse peccatum. Nec Dei legem exquisitâ illâ sollicitudine cavet violare, qui æquè probabiliter judicans aliquid esse quàm non esse contra Dei legem, magis cavet ne commodo aliquo vel voluptate terrenâ careat, quàm ne contra Dei legem faciat. Quemadmodùm enim servus qui exquisitâ sollicitudine mandata domini sui custodit, non solùm cavet eorum transgressionem certam, sed & probabilem, omneque morale periculum transgressionis eorum; sic homo, qui exquisitâ sollicitudine mandata Dei custodit, non solùm cavet eorum transgressionem certam, sed & probabilem, & omne morale periculum transgressionis eorum. Istique periculo se exponere cavet ad faciendum voluntatem suam, vel ad temporalem aliquam commoditatem captandam. Quia magis amat Dei voluntatem, quàm suam; magis divinorum mandatorum impletionem, quàm commoditatem suam temporalem. Et ista est ratio, propter quam S. Thomas quodlib. 8. a. 13. docet, quòd *is qui ex contrarietate opinionum in quamdam dubitationem inducitur*, circa quæstionem, an plures præbendas habere liceat (tametsi de illicito certitudinem non habeat) & in ista dubitatione atque incertitudine *plures præbendas habet, periculo se committit, & procul dubio peccat: utpote magis amans beneficium temporale, quàm propriam salutem*, magis suam quàm Dei voluntatem, &c. Ista etiam ratio est, propter quam Augustinus l. contra Donatistas c. 5. dicit, quòd *efficere id quod incertum est, an sit peccatum, certum peccatum est.*

8°. si nulla lex prohibens foret sufficienter promulgata, nec obligatoria, nisi certò & evidenter cognita, gravissima sequerentur inconvenientia. Primum inconveniens est, quòd id omne licitum foret, quod manifestè non impingit in legem, manifestè & evidenter cognitam. Si enim manifestè non impingat in legem taliter cognitam, manifesta & evidens non erit prohibitio illius. Proinde manifestum evidensque non erit respectu ipsius, an detur lex prohibens. Ergo lex prohibens respectu ipsius non erit sufficienter promulgata. Nec proinde obligatoria. Vera per consequens erit Caramuelis doctrina num. 270. relata. Atque adeò verum, quod idem Author ibidem subjungit num. 453. *Qui rem asserit esse illicitam, ad multa tenetur. Primò enim debet ostendere rationes, quæ malitiam probant, esse demonstrativas; adeòque tales, quibus secundùm prudentiam moralem, probabilis responsio dari nequeat. Secundò debet etiam ostendere rationes, quæ bonitatem suadent, secundùm moralem prudentiam consideratas, ne quidem probabiles esse. Et id ostendet, si omnibus ad unam dederit solutionem, quæ evidenter sit vera. Tertiò etiam debebit evidenter ostendere partem illam, quæ bonitatem adstruit, non habere sufficientes Authores, ut dicatur probabilis. Hæc omnia simul ostendere ille debet, casurus causâ, etsi duo ex illis demonstrativè ostendat, modò unum non ostendat*, v. g. tertium. Dato enim quòd duo priora ostenderit, utique demonstrando partem, quæ bonitatem adstruit, esse evidenter contra rationem & Scripturam; rationesque & Scripturas in contrarium demonstrativè solverit: si tamen aliquos habeat Patronos, Probabilistarum judicio bonos & peritos, tam- 286

quam

quam improbabilis à peritioribus Theologis rejici non poterit, quantumcumque demonstrativa & insolubilia censeant ex Scripturis & ratione argumenta, contra eam deprompta. Tum quia, ut Caramuel arguit ibidem n. 393. *propositio probabilis illa est, quæ ab aliquibus magnis viris asserta. Unde qui opinioni à multis viris doctis assertæ negat probabilitatem, hic negat lineæ longitudinem, superficiei latitudinem, definitionem definito competere.* Itaque *finge* (inquit num. 89.) *quemcumque casum, præter Ecclesiæ definitionem; congregentur Europæi, docti, indocti, magni, parvi; non tamen poterunt facere, aut verè definire, viginti non esse viginti; ac proinde eam sententiam improbabilem facere, cui viginti Authores subscribant.*

Tum quia peritiores illi Theologi debent sibi persuadere, has rationes, Scripturæque authoritates, quas ipsi existimant insolubiles, ab aliis (Patronis scilicet opinionis illius) solvi posse, nec ob eas, illorum opinionem, tamquam improbabilem, à se rejici posse, inquiunt Sanchez in Decal. l. 1. c. 9. n. 6. Sayrus in clavi regia, Escobar in Theol. Mor. præloquio. Quâ ratione motus Tamburinus l. 1. c. 3. §. 4. licèt certum putet, Judicem non posse adjudicare rem cui maluerit, dum rationes circa jus hinc inde sibi videntur æquales; *propter extrinsecam* tamen *bonorum Doctorum authoritatem, asserentium, in hoc casu, posse Judicem, pro suo amico, si maluerit, sententiam pronuntiare, potes* (inquit) *id ut probabile, si velis, amplecti.*

287 Et hinc se prodit secundum inconveniens: si enim nihil habendum sit illicitum, nisi quod impingit evidenter in legem evidenter cognitam, pauca habenda erunt illicita, tametsi talia passim reputentur, sed ferè licebit quidquid lubebit, intolerabilesque sequentur laxitates, uti ostendimus citato Prolegom. 1. à num. 94.

288 Tertium inconveniens est, quòd licitè sequi poteris sententiam aliorum faventem libertati contra legem, etiamsi judices eam certò falsam & improbabilem, dummodò eam aliquot Casuistæ probabilem judicent. Cùm tamen evidens sit, nemini licitum esse sequi errantes contra legem Dei, dum errare cognoscuntur. Hoc quippe est legem Dei contemnere, & contra propriam agere conscientiam; hocque sibi licitum ob Casuistarum illorum authoritatem reputare, est formare sibi conscientiam contra propriam conscientiam. Et quis dedit hoc privilegium quatuor vel quinque, seu etiam viginti Casuistis, ut hoc ipso quòd probabilem judicant opinionem de licito, reddant praxim ipsius licitam omnibus, etiam iis qui certò cognoscunt ipsos errare? Solis Canonicis Scriptoribus, Conciliis Generalibus, & S. Pontifici hoc competit privilegium, ut eorum judicium quilibet securissimè sequi possit, tametsi in contrarium argumenta occurrant apparenter validissima, quæ mihi videantur evidentia. Eò quòd intellectum meum captivare debeam in obsequium fidei, seu Spiritûs sancti, per Scriptores infallibiles loquentis. Et ideò Augustinus epist. 19. ad Hieronymum, *Ego* (inquit) *solis iis Scripturæ libris, qui Canonici dicuntur, didici hunc honorem deferre, ut nullum eorum Authorum scribendo aliquid errasse, firmissimè credam. Alios autem ita lego, ut quantâlibet sanctitate doctrinâque polleant, non ideò verum putem, quia illi ista sentiunt; sed quia mihi, vel per illos Authores Canonicos, vel probabili ratione, quòd à vero non abhorreat, persuadere potuerunt.*

Quartum inconveniens est, quòd quisque 289
saltem sequi poterit minùs tutam aliorum pro libertate opinionem, quam actu judicat falsam, etiamsi id non judicet certò & evidenter; nec proinde judicium ipsius sit contra legem certam & evidentem. Id autem fieri non posse in sensu compositio talis judicii, adeò certum est, ut vel ipsi Probabilistæ communiùs fateantur, Castro-Palao, Bresserus, Aversa, Esparza, Terillus de consc. probab. q. 30. &c. Qui enim actu falsam judicat opinionem minùs tutam, seu faventem libertati contra legem, actu judicat eam legi æternæ contrariam (quia actu judicat eam approbare ut licitum, quod lex æterna, judicio ipsius, reprobat ut illicitum) ergo actu judicat se non posse sequi opinionem illam, velut operationis suæ regulam.

Quia evidens est, mihi fas non esse sequi 290
regulam secundariam, dum eam rationabiliter judico contrariam regulæ primariæ, nec me posse sequi judicium hominum errantium contra legem Dei, dum prudenter judico ipsos errare. Neque enim ipsorum eruditio vel authoritas satis magna est, ad hîc & nunc me coram Deo excusandum, dum satis magna non est ad prudenter hîc & nunc judicandum, quòd judicium ipsorum non sit falsum, sed verum. Cùm authoritas vel opinio hominum, quàmlibet sanctorum & eruditorum, eatenùs dumtaxat nos excusare queat, quatenùs prudenter præsumimus ipsos non falli in eo quod judicant, sive quatenùs præsumimus ipsos habere rationem sufficientem, quâ nobis persuadeant verum esse quod dicunt, prout in fine num. præcedentis Augustinus docet.

Enimverò aliàs homo non justam habet co- 291
ram Deo suæ operationis defensionem, quam quilibet deliberatè operans habere debet, juxta S. Thomam, qui morti propinquus, à Monachis Cisterciensibus fossæ novæ interrogatus, quomodò hæc vita inculpatè transigi queat, respondit: *Si in qualibet actione quis ita agat, ut rationem justam reddere possit, cur ita agat.* Sic refert Corn. à Lapide in Prolegom. ad Ecclesiastic. pag. 32. Quid enim respondere potes Supremo Judici, interroganti, cur secutus es sententiam tuæ libertati faventem contra legem, cùm conscientia tua judicaret eam falsam esse? Nam si respondeas: *Domine secutus sum illam sententiam, quia viri pii & eruditi eam veram judicabant.* Statim Judex reponet: *Serve nequam, nihil tibi pro-*

deſt, quòd alii judicarent eam veram, quandoquidem tu prudenter judicabas illos falli, teque oportebat agere ſecundùm conſcientiam tuam, non ſecundùm alienam; adeòque ſecundùm judicium tuum, non ſecundùm alienum, quod judicabas eſſe falſum, non obſtante pietate & eruditione ſic judicantium. Sciebas enim, vel ſcire debebas, te ex tua, non ex illorum conſcientia judicandum, ſecundùm illud: *Teſtimonium illis reddente conſcientiâ ipſorum*, Rom. 2. non dicit Apoſtolus, *conſcientiâ aliorum.* Sciebas etiam oportere te agere ex fide tua, non aliena, damnatumque eſſe, qui non agit ex fide, ut Apoſtolus ſubjungit c. 14. *Damnatus eſt, quia non ex fide. Omne enim quod non eſt ex fide, peccatum eſt.* Tu autem egiſti non ex fide tua, ſed ex aliena, quam judicaſti falſam. Feciſti quod peccatum eſſe prudenter judicaſti. Juſta ergo damnatio, injuſta excuſatio tua. Juſta (inquam) damnatio tua. Quia aliena ſententia, quæ digna non fuit approbatione intellectûs tui, digna eſſe non debuit approbatione voluntatis tuæ, quæ in operando honeſtè non potuit conformare ſe cum opinione, cui intellectus in judicando ſe conformare nequivit.

292 Si Judici reſpondeas, te contra conſcientiam tuam non feciſſe; immò, ne id faceres, judicium tuum ſuſpendiſſe, nec aliorum judicium fuiſſe ſecutum in ſenſu compoſito judicii tui, de falſitate illius, ſed in ſenſu diviſo. Juſtiſſimè reponet Judex, in eo te rationabilis judicii tui proditorem fuiſſe, ſuſpendendo illud, non rationis ductu, ſed voluntatis affectu, ut divinæ legis obligationem eluderes. Id proinde te prorſus irrationabiliter, imprudenterque feciſſe, in fraudem legis, quæ tibi patrocinari non debuit, nec à legis obligatione eximere potuit. Quia contra eam egiſti, non ex fide, ſeu conſcientia prudenter formata, ſed ex cupiditate tua, quæ fecit ut non opinareris ſecundùm merita cauſæ, tibi cognita, ſed ſecundùm beneplacitum tuum, contra lumen conſcientiæ tuæ, quo cognoſcebas partem illam, ſeu opinionem, ſi non certò falſam, ſaltem proximam falſitati. Quid ad hæc reſpondere poteris? obmuteſces certè, *omnisque iniquitas oppilabit os ſuum.*

293 Manifeſtum proinde eſt, alienam opinionem, faventem libertati adverſus legem, aſſumi non poſſe, ut ſecuram operandi regulam, ab eo qui judicat eam eſſe falſam; nec ab eo qui de veritate ipſius dubitat, vel ab ea præſcindit: ſed ab eo ad ſummum, qui prudenter judicat eſſe veram, legique divinæ conformem, eamque proinde cognitæ ſibi rationis ductu facit opinionem ſuam. Si autem nullus obligaretur lege, niſi certò & evidenter cognitâ, in re dubia, conflictuque opinionum, unuſquiſque jus haberet ſe à lege dubia, vel controverſa eximendi, ſecundùm alienam opinionem, ab aliquibus viris doctis defenſam, tametſi eam non faceret opinionem ſuam, ſed (abſque certitudine) judicaret eam falſam.

Quintum inconveniens eſt, quòd ſi poſitio Adverſariorum vera foret; ſi (inquam) ſola illa actio cavenda foret, cujus inhoneſtas & prohibitio certa foret & manifeſta, omnis illa actio licita foret, cujus honeſtas probabilis eſſet, quàmlibet tenui probabilitate, dummodò à probabilitatis finibus non exiret, etiamſi de ea probabilitate nonniſi probabiliter conſtaret. At hoc dici probabiliter non poteſt. Aliàs defendi poſſet hæc propoſitio: *Generatim dum probabilitate, ſive intrinſecâ, ſive extrinſecâ, quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus.* Quam tamen, velut ſcandaloſam, & in praxi perniciosam, Innocentius XI. proſcripſit, & ſub pœna excommunicationis defendi prohibuit. Probatur ſequela majoris, quia hoc ipſo quòd inhoneſtas actionis probabilis eſt, quàmlibet tenui probabilitate, & nonniſi probabiliter cognitâ, inhoneſtas ſeu prohibitio ipſius non eſt evidens & certa. Per conſequens lex ipſam ſpecialiter prohibens non eſt certò evidenterque cognita. Neque enim certa evidenſque eſſe poteſt inhoneſtas, ubi probabiliter probabilis honeſtas. Cùm probabilis probabilitas unius partis contradictionis, ex ſua definitione excludat certitudinem evidentiamque adverſæ partis; per conſequens probabiliter probabilis honeſtas, eo ipſo quo probabiliter probabilis, eo ipſo excludat certitudinem inhoneſtatis, ſeu legis prohibentis, quo manet intra fines probabilis probabilitatis. Hoc ipſo namque quo manet intra fines probabilitatis (licèt probabilis dumtaxat) retinet eſſentiam definitionemque probabilitatis. Probabile verò, ex ſua definitione, includit duo. Primò fundamentum grave, ſeu magni momenti. Secundò, ut nihil appareat certum evidenſque in contrarium. Iſte namque unanimis eſt ſenſus omnium, ait Eſparza in Appendice ad quæſt. de licito uſu opin. probab. p. 1. a. 58. Et ratio (inquit) eſt clara, quia oppoſitum ejus, quod certò eſt verum, eſt certò falſum. Nequit autem probabilitate probabili eſſe probabiliter verum, quod certò cognoſcitur eſſe falſum. Et ſicut nequit eſſe probabiliter verum, quod certò cognoſcitur eſſe falſum; ſic nequit eſſe probabiliter honeſtum, quàmlibet tenui probabilitate, dummodò à probabilitatis finibus non exeunte, quod certò cognoſcitur eſſe inhoneſtum. Proinde nequit certa eſſe prohibitio, ſeu lex prohibens, ubi probabiliter probabilis eſt non prohibitio, quàmlibet tenui probabilitate, dummodò intra fines probabilitatis manente. 294

Sextum inconveniens eſt, quòd *ab infidelitate excuſabitur infidelis, non credens* (id eſt non recipiens veram fidem, nec falſam abjiciens) *ductus opinione minùs probabili.* At hæc eſt quarta propoſitio ab eodem Innocentio XI. damnata. Sequela probatur: quia ſi homo abſtinere non teneatur niſi ab actione, cujus ipſi certa eſt inhoneſtas; nec infidelis abſtine- 295

re

re tenebitur nisi ab infidelitate, cujus ipsi certa est falsitas. At quamdiù in sua manet infidelitate, ductus opinione probabili, licèt contraria opinio ipsi appareat probabilior, certa ipsi non est infidelitatis suæ falsitas. Non tenetur ergo eam abjicere, nec nostram (licèt visam sibi probabiliorem) recipere. Æquè enim obtendere potest fidem nostram (non obstante illâ probabilitate) non esse sufficienter sibi promulgatam, quàm Adversarii prætendunt, legem prohibentem non esse sibi sufficienter promulgatam, licèt probabiliùs cognitam.

Septimum inconveniens est, quòd ne quidem materialiter peccarent, qui facerent contra legem revera existentem, ducti opinione probabili de non existentia illius, non obstante æquali vel majori in contrarium probabilitate, quamdiù lex illa non foret certò & evidenter cognita, sed probabiliter dumtaxat. At hoc est contra sensum omnium, ipsorum etiam Adversariorum, secundùm quem illi ipsi materialiter peccant contra legem existentem (cognitam) qui contra eam faciunt ex invincibili ignorantia ipsius. Probatur sequela majoris, quia lex sufficienter non promulgata, non est lex, nec habet essentiam legis (ut constat ex communi legis definitione) ergo faciens contra illam, non facit contra legem. Non peccat autem materialiter contra legem, nisi qui facit contra legem, sive contra id quod habet essentiam legis.

Ex his perspicuum est, dici non posse cum subtili Recentiore in Apologemate retorto dub. 7. n. 326. & 327. legem non esse sufficienter promulgatam, nec proinde necessariò servandam, quamdiù invincibiliter ignoratur, an sit certò lata. Aliàs consectaria forent omnia allata inconvenientia. Quia omne quod non impingeret evidenter in legem obligatoriam evidenter, licitum foret; sicut & omne solùm probabiliter licitum, licèt de ista probabilitate nonnisi probabiliter constaret. Consectariæ quoque forent duæ illæ propositiones ab Innocentio XI. damnatæ, scilicet tertia & quarta n. 294. & 295. relatæ, ut ex præmissis constat. Ad hoc ergo ut lex necessariò servanda sit, secundùm leges prudentiæ, necessaria non est certa notitia existentiæ ipsius; sicut ad hoc ut infidelitas necessariò abjicienda sit, secundùm regulas prudentiæ, necessaria non est certa notitia falsitatis ipsius.

CAPUT XXVIII.

Regula decima: positivè dubius, in æquali utrimque probabilitate, ponere nequit actionem dubiæ honestatis sub prætextu quòd, in ejusmodi dubio, homo sit in possessione suæ libertatis.

298 USque adeò Recentiores Probabilistæ extendunt hanc juris regulam: *in dubio*, sive (ut habetur L. *in pari* ff. de reg. juris, & reg. 65. juris in sexto) *in pari* delicto, vel *causa, melior est conditio possidentis.* Et istam: *Bonæ fidei possessor, sine plena & evidenti probatione removeri non debet*, L. 1. ff. de condition. insert. ut velint eam non solùm habere locum in materia justitiæ, humanis legibus subjecta, sed universim in omni materia, & in omni dubio juris, an aliquid prohibitum sit, vel non sit. Hoc ipso namque quòd lex prohibens plenâ evidentique probatione non probatur, voluntas (inquiunt) est in possessione suæ libertatis; atque adeò facere potest, quod lubet. Quod hâc ratione probat Terillus de consc. probab. q. 23. n. 46. post Esparzam: " Evidens est voluntatem esse sui juris, " & ex naturali suæ conditionis excellentia esse in plenissima possessione dominii, tam quoad actus suos, quàm quoad actus cæterarum potentiarum ipsi naturaliter subjectarum, & quoad usum rerum externarum. A qua possessione, in qua quisque nascitur, deturbari non debet, " nisi pari evidentiâ constet, usum " hujus dominii aliquâ lege sibi restringi. Neque enim quisquam incertas juris certi limitationes, seu exceptiones tenetur admittere. " Porrò leges omnes, non solùm naturales, sed " etiam positivæ, sunt quædam limitationes & " exceptiones juris ac dominii, quod naturaliter competit homini.... Ergo donec pari certitudine constet legem aliquam restringentem " dominium naturale ejusque usum existere, non " tenetur homo talem legem admittere. " Hactenùs ille.

Mirum est autem, tam levi fundamento, quàm graves & periculosas quæstiones decidant 299
(ait Illustriss. D. Fagnanus ad cap. *ne innovaris* de constitut. n. 174.) imprimis omne illud esse licitum, quod plenâ & evidenti probatione non demonstratur illicitum. Hoc enim (utpote ex illa Terilli atque Esparzæ ratiocinatione manifestè consectarium) Caramuel infert, uti vidimus cap. præcedenti, & Prolegom. 1. c. 8. Si autem hoc verum sit, omnia ferè controversa erunt licita. Cùm vel nulla, vel vix ulla demonstratio sit in rebus controversis. Igitur *quia his temporibus eò res perducta est, ut nullus ferè sit articulus in moralibus, in quo non sit varietas vel contrarietas opinionum* (ait Fagnanus) vixque ullæ sunt leges, circa quas adinventæ non sint subtiles exceptiones, limitationes, & benignæ, ut vocant, interpretationes, sensum legis eo ipso incertum, obscurumque reddentes, quo plenâ evidentique demonstratione difficulter subvertibiles: Esparziana, Terillianaque ratiocinatio illa latissimum aperit campum evertendis, mangonizandis, limitandisque omnibus penè legibus, sicut & invehendis innumeris laxitatibus, & corruptelis, prout eodem Prolegomeno 1. cap. 8. monstravimus.

Sed & ipsimet Noviores Probabilistæ ex allata juris regula non dubitant sequentes inferre decisiones, apud eumdem Fagnanum lo- 300

co citato. Primò, „ quòd dubius, an inciderit
„ in excommunicationem, sive dubium sit juris,
„ sive facti, non debet se habere pro excom-
„ municato, nec tenetur petere absolutionem.
„ Quia cùm sit in possessione communicandi
„ cum fidelibus, non debet in dubio eâ posses-
„ sione privari. Sanchez in Decal. to. 1. l. 1. c.
„ 10. n. 56. Layman l. 1. tr. 5. c. 5. §. 4. n. 38.

301 „ Secundò, quòd eâdem ratione dubitans,
„ an lex imponens pœnam excommunicationis
„ sit usu recepta, potest judicare, non esse usu
„ receptam, & contra legem operari, nec prop-
„ terea incidit in excommunicationem.... Salas
„ p. 2. q. 21. tr. 8. disp. un. sect. 18. n. 169.

302 „ Tertiò, quòd Confessarius dubitans, an ca-
„ sus sit reservatus, potest ab illo absolvere.
„ Suarez de Censur. to. 5. disp. 40. sect. 6. n.
„ 4. Et de Relig. to. 2. l. 4. c. 15. Sa, verbo
„ *casus reservati* n. 5.

303 „ Quartò, quòd qui dubitat, an commise-
„ rit peccatum mortale, non tenetur illud con-
„ fiteri. Præpositus 3. p. q. 5. de integrit. con-
„ fess. dub. 3. n. 117. Henriquez in Sum. l. 1. de
„ Euchar. c. 45. n. 3.

304 „ Quintò, quòd dubitans de legitima pote-
„ state Prælati, non tenetur illi obedire. Salas
„ ubi suprà n. 78.

305 „ Sextò, quòd dubitans, an beneficium
„ sit tenue, non tenetur officium recitare. Salas
„ ibidem sect. 17. n. 154. in fine.

306 „ Septimò, quòd dubius, in die Jovis, an
„ transacta sit media nox, potest tutâ conscien-
„ tiâ comedere carnes. At verò, in die Sabba-
„ thi, dubitans similiter an media nox non ex-
„ cesserit, carnes comedere non potest. Sanchez
„ de matrim. to. 1. l. 2. disp. 41. n. 36. Villa-
„ lobos in Summa to. 1. tr. 1. disp. 21. num. 7.
„ Rationem disparitatis afferunt planè ridiculam,
„ quia in primo casu, cùm in die Jovis unus-
„ quisque possideat suam libertatem vescendi car-
„ nibus, in dubio manuteneri debet in ea pos-
„ sessione, contra diem Veneris, seu contra præ-
„ ceptum abstinentiæ, pro quo nulla est posses-
„ sio. Et propterea comedens non peccat: cùm
„ in pari causa melior sit conditio possidentis. In
„ secundo autem casu, in die Sabbathi posses-
„ sio stat pro præcepto. Unde peccat, qui car-
„ nes comedit, quia spoliat Sabbathum, seu
„ præceptum, suâ possessione abstinentiæ à car-
„ nibus. „ Hactenùs Illustriss. Fagnanus.

307 Ad obviandum hisce abusibus & corrupte-
lis, ob ingens rei momentum animus est se-
curim ad radicem ponere, sive penitùs ever-
tere doctrinam, ex qua Noviores illi Autho-
res tam absurda consectaria derivarunt, eum-
que in finem duo demonstrare. Primò, doc-
trinam illam suâ novitate suspectam esse & in-
fundatam, prorsusque irrationabilem. Secun-
dò, regulam de meliori conditione possiden-
tis, solùm procedere in materia subjecta po-
testati Reipublicæ. Et ne in ea quidem uni-
versim. Multò proinde minùs universim in
omni materia. Decipi proinde eos, qui aiunt,
quòd *possessio est titulus aquè universalis, ac ipsa libertas.* Quod quidem posterius demonstra-
bimus capite sequenti. Prius verò capite præ-
senti.

Itaque doctrinam illam suâ novitate suspe- 308
ctam esse demonstratur 1°. ex eo quòd om-
nibus Majoribus nostris incognita fuerit, nec
unquam à sanctis Patribus, nec à SS. Ponti-
ficibus adhibita in responsis suis ad innumera
dubia, sibi à fidelibus proposita; sed adhi-
bita doctrina diametraliter adversa, tamquam
necessariò sequenda, nimirùm quòd *in dubiis via tutior sit eligenda*, ut ostensum est suprà.
Doctrinam verò istam, illi diametraliter adver-
sam, non tradidissent, si novitiam illam Pro-
babilistarum doctrinam veram credidissent;
multò minùs si eam censuissent conscientia-
rum tranquillitati necessariam, prout ipsi præ-
dicant. Neque enim doctrinam tam utilem ne-
cessariamque Ecclesiæ suæ Spiritus sanctus oc-
cultasset, nec Ecclesia fidelibus tanto tempo-
re invidisset, ut ne verbum quidem in favo-
rem ipsius, ex ore vel calamo SS. Pontificum
vel sanctorum Doctorum excidisset.

2°. ex eo quòd doctrina illa ad nihilum 309
redigat sacratissimam regulam, à SS. Ponti-
cibus & sanctis Doctoribus traditam, de tu-
tiore via in dubiis eligenda, quam divina
Scriptura, quam traditio, quam sacri Cano-
nes, quam perpetuus Ecclesiæ usus, quàm
denique naturales æquitatis leges consecra-
runt, ut probavimus à cap. 15.

3°. ex eo quòd novitiæ illi doctrinæ con- 310
gruat querela Alexandri VII. in proœmio De-
creti de die 24. Septemb. 1665. *In rebus ad conscientiam pertinentibus, modus opinandi irrepsit alienus omninò ab Evangelica simplicitate, sanctorumque Patrum doctrina, quem si pro recta regula fideles in praxi sequerentur, ingens irreptura esset christianæ vitæ corruptela.* Cùm
istius querelæ justitiam manifestam faciant ab-
surdæ consequentiæ num. 299. 300. 301. 302.
303. 304. 305. & 306. deductæ, illa maxi-
mè, quòd illud omne licitum foret quod ple-
nâ & evidenti demonstratione non probatur
illicitum. Quam ex doctrina illa consectariam
esse, constat ex Terilliana ratiocinatione num.
298. producta. Hinc autem consequens foret,
omnia, vel ferè omnia in moralibus contro-
versa, quàmlibet laxa, fore licita. Cùm ple-
nâ & evidenti demonstratione vix aut ne vix
quidem probari queant illicita, hoc præser-
tim tempore, quo nimia ratiocinatio & sub-
tilitas adeò invaluit, ut penè omnia, quàm-
libet olim indubitata, in dubium & contro-
versiam hodie reducantur; clarissima quæque
scholasticis tricis, distinctionibus, exceptio-
nibus, cavillationibus & confictis glossis ob-
scura reddantur; illæ etiam demonstrationes,
à plerisque Novioribus ut demonstrationes
habeantur, quibus vel ipsam Dei existentiam,
animarum nostrarum immortalitatem, alia-
que ejusmodi Christianæ Religionis principia,
sancti Doctores, & omnes passim Majores nostri
demonstrarunt, demonstrarique crediderunt.

311 4°. dum novitiâ illâ doctrinâ, velut novaculâ, Noviores Probabiliſtæ innumeras agendi omittendique abradunt obligationes, tantò magis vereri debent, ne novacula illa acuta faciat dolum, quantò inanius eſt illius doctrinæ fundamentum. Quod reverà inaniſſimum eſt: utpote fundatum in ſuppoſitione inaniſſima, quæque nihil aliud eſt, niſi mera petitio principii. Dum enim Probabiliſtæ arguunt, in dubio, an actio ſit vel non ſit prohibita, meliorem eſſe conditionem voluntatis libertatem ſuam poſſidentis, ſupponunt voluntatem in ejuſmodi dubio eſſe in poſſeſſione agendi quod lubet, in eaque ſuppoſitione ſe fundant. At ſuppoſitio iſta nihil aliud eſt, niſi mera petitio principii. Tunc quippe principium petitur, dum idem per idem probatur, vel per id quod in quæſtione eſt. Dum autem Probabiliſtæ probant, voluntatem, in ejuſmodi dubio, abſtinere non debere ab actione, de qua dubium verſatur, quia voluntas tali in dubio eſt in poſſeſſione ſuæ libertatis; probant idem per idem, vel per id quod in quæſtione eſt, ſeu hîc & nunc controverſum. Quia, dum probant, voluntatem, in ejuſmodi dubio, abſtinere non debere ab illa actione, quia eſt in poſſeſſione libertatis eam ponendi: perinde eſt, ac ſi probent, voluntatem poſſe actionem illam licitè ponere, quia poteſt illam licitè ponere, ſive quia habet poteſtatem, vel facultatem eam licitè ponendi (quod eſt idem per idem probare, & pro ratione adferre ipſiſſimum quod in quæſtione eſt) dum enim probant, voluntatem poſſe licitè actionem illam ponere, quia eſt in poſſeſſione libertatis eam ponendi, ſermo non eſt de libertate phyſica (quæ manet ſub certitudine prohibitionis) nec de poſſeſſione illius; ſed ſermo eſt de libertate morali, id eſt de poteſtate ponendi licitè. Quam libertatem poſſidere nihil aliud eſt, niſi eam habere, nec habere evigoratam, ſed vigentem. Sicut poſſidere libertatem moralem ambulandi, legendi, currendi, &c. nihil aliud eſt, niſi poſſe licitè ambulare, legere, &c. Nec eam aliter exponere poſſunt Adverſarii: cùm libertatis moralis poſſeſſio, non ſit poſſeſſio legalis, ſive ad ſenſum certò cognoſcibilis, definiriquè ſolet, *rei detentio, corporis, animi, & juris adminiculo.* Nec proinde aliter exponi poſſit, niſi modo dicto. Quis autem non videt, quòd probare hanc propoſitionem: voluntas licitè poteſt actionem illam ponere, quia habet vigentem poteſtatem eam licitè ponendi, ſit meriſſima petitio principii? Cùm, hoc ipſo quòd in quæſtione eſt, an voluntas eam licitè ponere poſſit, in quæſtione ſit, an voluntas habeat vigentem poteſtatem eam licitè ponendi? Exponant Probabiliſtæ, quomodò libuerit, ſuam prætenſam libertatis moralis poſſeſſionem (ſi allatæ expoſitioni fortaſſe non acquieſcant) ex propria ipſorum expoſitione liquidò apparebit, idem per idem ab ipſis probari, vel per æquè controverſum. Evidenter ergo petunt principium! Inaniſſimum proinde eſt doctrinæ ipſorum fundamentum.

312 5°. non ſolùm inaniſſimum eſt, ſed & falſiſſimum. Cùm eo ipſo nulla ſit, in voluntate humana, poſſeſſio libertatis moralis, quo probabiliter dubia eſt prohibitio legis. Ob duplicem rationem. Prima eſt, quia eo ipſo quo rationabiliter dubia eſt legis prohibitio, v get obligatio ſervandi leges dubitantium, abſtinendi utique ab eo quod dubites, æquum ſit, an iniquum, cavendique peccati, ſeu prævarications legis periculum. Secunda eſt, quia certiſſimum eſt, hominem non eſſe, nec unquam fuiſſe liberum libertate abſolutâ, ſed, à primo momento, divinis ac humanis legibus ſubjectâ. Certiſſimum proinde, nullam eſſe in homine poſſeſſionem libertatis moralis, niſi dum nulla eſt prohibitio divinæ vel humanæ legis, nec probari poſſe libertatis moralis poſſeſſionem, niſi probetur nullam eſſe legis prohibitionem. Hoc namque homo ante omnia debet inſpicere, ut ſuâ uti poſſit libertate. Quid enim rationi & æquitati conſonantius, quàm ut voluntas hominis voluntatem non præeat Creatoris, ſed ſequatur, videatque proinde, ante omnia, quid ſibi permittat voluntas divina: utpote omnis humanæ voluntatis regula. Quæ, cùm regulato ſuo prior ſit, nec humanam voluntatem regulare poſſit, niſi ſufficienter prægnita ſit; nulla eſſe poteſt in homine moralis poſſeſſio libertatis, niſi ſufficienter prægnita ſit permiſſio divinæ voluntatis. Quamdiù ergo ſufficienter non innoteſcit permiſſio divina, in poſſeſſione eſſe nequit libertas humana, ſed lex, quâ Deus homini dicit: *Nihil facias, abſque permiſſione mea, tibi ſufficienter propoſita: utpote à qua, tamquam à menſura & regula ſua, dependet omnis voluntas, & moralis libertas tua.* Quæ lex cùm certa ſit, tamdiù viget, & (ſi locum hîc habeat poſſeſſio) tamdiù certa eſt poſſeſſio ipſius, id eſt tamdiù certam vim obtinet, quamdiù certa non eſt divina permiſſio, certòque moraliter prægnita. Quia, ut ipſimet Probabiliſtæ arguunt, admittenda non *eſt certi juris exceptio, niſi certa.* Et hoc tradit Tertullianus in lib. de corona militis, & in exhort. ad caſtitatem, dum objicenti: *quod non prohibetur, ultrò permiſſum eſt.* Reſpondet: *immò prohibetur, quod non ultrò permiſſum eſt:* id eſt cenſeri debet prohibitum, quod non conſtat eſſe permiſſum. Quia prius eſt quidpiam eſſe divinâ voluntate permiſſum, quàm ſit homini licitum.

313 6°. hoc ipſo quo dubia eſt legis prohibitio, ſufficienter non innoteſcit divinæ voluntatis permiſſio. Ergo hoc ipſo quo dubia eſt legis permiſſio, in poſſeſſione eſt proximè dicta lex divina, non libertas humana.

314 7°. hoc ipſo quo dubia eſt legis prohibitio, certa eſſe non poteſt libertatis moralis poſſeſſio, ſed vel certò nulla (uti probavimus) vel ad ſummum incerta & dubia. Sed dubia poſſeſſio meliorem in dubio non facit

possidentis conditionem. Igitur ex regula illa juris, *in pari causa melior est conditio possidentis*, Adversarii perperàm arguunt, meliorem esse conditionem libertatis, in dubio de prohibitione legis. Minor & consequentia perspicuæ sunt veritatis: cùm ne possessio quidem rerum externarum meliorem in dubio faciat conditionem possidentis, nisi certa sit & manifesta, uti docent Legistæ omnes, & Canonistæ, & apertè supponunt leges, dum aiunt, *quòd possessor bonæ fidei sine plena & evidenti probatione removeri non debet.* Neque enim plenam evidentemque probationem requirunt ad removendum possessorem incertum ac dubium, sed ad removendum possessorem certum indubitatumque. Enimverò ubicumque possessio incerta & ambigua est, incertum est, ambiguumque an regula illa, *in pari causa melior est conditio possidentis*, non sit de subjecto non supponente. Et ideò possessio dubia nihil facit ad deponendum dubium, nec ad faciendam conditionem possidentis meliorem, nisi pro possessione ipsius sit præsumptio juris: utpote quâ deficiente, possessio in dubio non præsumitur, nisi probetur certo facto præsenti vel præterito, cum animo detinendi sibi rem non prohibitam possideri. Cùm tale factum involvat possessio. Et ideò dubius an possideat, se gerere non potest pro possidente; sed ita se gerere debet, ac si possessor non esset, nisi pro possessione ipsius stet præsumptio juris, ut antè dixi.

315 Sola proinde major indiget probatione. Probatur autem, tum quia, ubi dubia est prohibitio legis, possessio libertatis moralis nec certa est experimento sensuum (uti possessio rerum corporalium) nec ullo argumento certo demonstrabilis, neque hactenùs demonstrata, prout liquidò apparebit ex perspicua solutione argumentorum, quibus eam Probabilistæ demonstrare conantur. Tum quia libertas moralis hominis dependet à lege permittente, nec se extendit ad actiones lege prohibitas, sed eo ipso non existit, quo existit lex prohibens. Dubium ergo legis prohibentis, eo ipso est dubium libertatis moralis. Quemadmodùm enim certa eo ipso est non existentia libertatis moralis, quo certa est prohibitio legis; & eo ipso probabilior & probabilis non existentia libertatis moralis, quo probabilior & probabilis est prohibitio legis: sic eo ipso dubia est existentia, seu possessio libertatis moralis, quo dubia est prohibitio legis...

316 8°. in dubio de re humanæ potestati non subjecta non permanere, nec possideri eamdem, quam priùs, moralem agendi libertatem, innumeris demonstratur exemplis.

Primò namque libertas pergendi in usu & possessione celebrandi Missam, non perseverat eadem quæ priùs, sed eliditur, accedente rationabili dubio de valore susceptì sacerdotii, ut si Titius, qui diù tamquam Sacerdos bonâ fide celebravit, rationabiliter dubitare incipiat, an Episcopus incognitus (à quo ordinatus fuit) verè fuerit Episcopus. cap. *Presbyteri.* dist. 68.

Secundò, libertas celebrandi in certa Ecclesia, vel altari, in quo vel qua licitè hactenùs celebrasti, eliditur superveniente rationabili dubio de illius consecratione, prout ex traditione Ecclesiæ D. Gregorius docet l. 12. Registri indict. 7. c. 31.

Tertiò, libertas coram Deo gerendi te pro baptizato, eliditur in dubio rationabili de valore Baptismi, tametsi diù bonâ fide te gesseris pro baptizato, ut idem Pontifex tradit ibid.

Quartò, libertas omittendi actum contritionis secundùm omnes eliditur in dubio de peccato mortali commisso.

Quintò, libertas ducendi Bertam eliditur in dubio de copula habita cum consanguinea ipsius. cap. *juvenis* de sponsal.

Sextò, libertas jaculandi in dumetum eliditur in dubio an animal ibi se movens, homo sit, an fera; sicut libertas manducandi cibum, vel bibendi potum, in dubio an sit veneno infectum. Uti Doctores omnes conveniunt.

Quemadmodùm ergo hisce in casibus, aliisque ejusmodi, possessio libertatis, seu libertas moralis, non perseverat in ejusmodi dubio, nec in eo melior est conditio hominis libertatem possidentis; sed econtrà melior est conditio legis prohibentis in primo casu, nequis se exponat periculo celebrandi sine sacerdotio. In secundo, nequis se exponat periculo celebrandi in Ecclesia non consecrata. In tertio, nequis se exponat periculo recipiendi cætera Sacramenta, vel moriendi sine Baptismo. In quarto, nequis se exponat periculo privationis remedii, sine quo mortale non remittitur. In quinto, nequis se exponat periculo matrimonium invalidè contrahendi, ac per consequens fornicandi, vel incestuandi. In sexto, nequis se exponat periculo homicidii vel suicidii. Sic in dubio de prohibitione legis, possessio libertatis, seu libertas moralis, non perseverat, nec melior est conditio hominis libertatem possidentis, sed melior est conditio legis prohibentis, nequis exponat se periculo prævaricatæ legis, adeòque peccati. 317

Desinat proinde Terillus, desinant alii Authores novitiæ doctrinæ, vociferari 1°. hominem in dubio, an actio prohibita sit, esse in certa possessione libertatis, in eaque permanere, donec pari certitudine constet de lege libertatem auferente. 2°. prohibitionem esse libertatis exceptionem: ideòque incertam prohibitionem certæ possessioni libertatis non derogare. Quia admittenda non est certi juris exceptio, nisi certa. Nec certa abstinendi obligatio provenire potest à prohibitione incerta. 318

Perperàm enim supponunt, hominem in dubio, an actio prohibita sit, esse in certa possessione libertatis. Hoc autem negamus, & falsissimum esse ostendimus. Proinde prin- 319

cipium istud practicum ; *in dubio melior est conditio possidentis libertatem agendi*, inutiliter ab ipsis contra nos usurpatur. Quia principium istud seipsum destruit, dum pro fundamento, & veritate concessa, assumit quod falsissimum est, nimirùm in dubio de prohibitione legis possideri moralem libertatem, ac propterea meliorem esse possidentis conditionem. Cùm tamen falsissimum sit in ejusmodi dubio possideri & permanere moralem libertatem ; pluribusque rationibus & exemplis monstratum sit, non solâ certitudine, sed & rationabili dubio superveniente, priorem libertatem moralem auferri, prætensamque possessionem amitti. Unde sic efficaciter arguimus : in dubio de prohibitione legis, non possidetur, sed amittitur prior libertas moralis, ut manifestum est ex dictis. Ergo in dubio de prohibitione legis, non est homini liberum ponere actionem dubiæ honestatis.

320 Ad 1. itaque respondeo omninò negando antecedens. Neque enim homo tunc est in certa possessione libertatis, sed Deus in certa possessione legis, quâ vetat homini 1°. ne quidquam faciat absque sua permissione, sibi sufficienter nota. 2°. ne quidquam agat, de quo dubitet æquum sit, an iniquum. 3°. ne se exponat morali periculo prævaricandi legem suam. Retorqueo proinde argumentum : in ejusmodi dubio Deus est in certa possessione legis de qua proximè. In ea ergo manet, donec pari certitudine constet de divina permissione ; de indubitata actionis honestate, de non existente periculo prævaricatæ legis divinæ. Cùm enim admittenda non sit certi juris exceptio, nisi certa, adversus certitudinem dictæ legis admittenda non est possessio libertatis, nisi certò probata.

321 Ad 2. nego suppositum, in eo utique dubio certam esse possessionem libertatis. Quæ vel certò nulla est, vel ad summum dubia. Cùm idem sit dubitare, an actio aliqua sit lege prohibita, seu peccaminosa ; ac dubitare, an sit homini moraliter libera. Neque enim moraliter libera esse potest, si prohibita ; neque homo certus esse potest de morali ad illam faciendam libertate, si certus non sit de non prohibitione. Nec certò præsumere potest prohibitionem non existere, ex eo quòd (post debitam inquisitionem) certò non appareat. Quia certum est legem posse (post debitam inquisitionem) certò non apparere, licèt verè existat. Jus enim cognoscendi legem ad se pertinentem, homini competebat in statu innocentiæ ; in quo proinde dicere potuisset, si lex esset, mihi certò appareret. Verùm obscuratâ ratione per peccatum originale, homo tantam ignorantiam contraxit in pœnam, ut ne sanctis quidem Doctoribus lex quoad puncta abstrusa, cognitu difficilia, certò semper appareat, post adhibitam maximam inquirendi diligentiam. Circa quæ exorto rationabili dubio, v. g. an aliquis contractus sit usurarius, certa abstinendi obligatio non provenit ex lege directa, de qua dubitatur, sed ex certa & indubitata lege reflexa ; de qua num. 320.

CAPUT XXIX.

Amplius confutatur novitia doctrina (de possessione libertatis, in dubio de prohibitione legis) ex eo quòd regula juris, in pari causa melior est conditio possidentis, *non procedat in materia humanæ potestati non subjecta ; sed in sola materia, subjecta potestati Reipublicæ, vel Ecclesiæ. Et ne in ea quidem universim (tametsi materia sit justitiæ) sed in ea solùm, in qua sic ipsa disposuit.*

EX præsenti assertione (quam cum Vasquez, Azorio, &c. potior pars Probabilistarum admittit) constabit Recentiores Probabilistas stupendum in modum abuti regulâ illâ juris, dum aiunt possessionem quæ (in pari aliunde causa) meliorem efficit possidentis conditionem, esse titulum æquè universalem, ac ipsam libertatem, ita ut quoties rationabile dubium est, an actio sit lege prohibita, libertas sit in possessione, non lex, meliorque proinde sit conditio libertatis, quàm legis, etiam divinæ ac naturalis. Quo uno verbo, ut homines faciant liberos, faciunt quodammodò exleges & sacrilegos (ut scitè Vincentius Baronius ait) innumeraque summi momenti dubia ex regula illa resolvunt in omni materia, etiam humanæ potestati non subjecta, in qua regulam illam non procedere constat 1°. ex dictis. 322

2°. constat ex eo quòd non benè arguant à possessione in materia justitiæ, humanæ potestati subjecta, ad materiam aliarum virtutum, potestati illi non subjectam. Cur enim melior est conditio possidentis in materia justitiæ ? quia, dum Petrus & Paulus v. g. apud Judicem litigant de proprietate fundi, &, expensis rationibus utrimque allegatis, Judex eas reputat æquales, sed Petrus ultra rationes allegat pro se possessionem fundi, possessio, ad sensum manifesta, cæteris paribus, est titulus sufficiens ad judicandum pro Petro, potiùs quàm pro Paulo, propter insignia privilegia, jure gentium, consensuque omnium nationum, concessa possessori. Cùm enim jura partium, in pari causa, cognitu difficilia sint, ad finiendas lites, sumptus impediendos, & ob publicam tranquillitatem, jure gentium dispositum est, ut ubi jura paria sunt, & non potest veritas deprehendi, ille præferatur, qui, cùm sit æqualis jure, potior est possessione. Sic enim disponi conveniebat, tum ut homines securi essent in rerum suarum pacifica possessione. Tum ob publicam tranquillitatem, ad quam plurimùm refert, res externas eodem quo constitutæ sunt ordine permanere, nec mutationem admittere, nisi de consensu partium, vel in majus bonum (cùm aliàs immutatio ordinis constituti solita sit adferre ali- 323

quid perturbationis & periculi) majus verò bonum non esset, rem hactenùs bonâ fide possessam à Petro, transferre in alium, in pari aliunde causa. Ob istas itaque rationes, jure gentium, communique consensu nationum, melior est conditio possidentis, in materia justitiæ: in quantum jure gentium, communique consensu nationum, Respublica, licèt ipsi non tribuat dominium rei possessæ, tribuit tamen ipsi jus, ne privetur re, semel bonâ fide certò possessa, donec sufficienter appareat, rem illam ad alium pertinere. Ratione cujus juris in conscientia rem retinere potest, donec sufficienter appareat, &c. Nec ad hoc opus est invincibili ignorantiâ juris alterius (quidquid dixerit laudatus Recentior in Apologemate retorto dub. 7. n. 278.) neque enim jus alterius invincibiliter ignorat, quando, post debitum examen, jus alterius apparet æquè probabile ac suum (sicut invincibiliter non ignorat se mortaliter peccasse, is cui, post debitum examen, æquè probabile apparet, se peccasse mortaliter, ac non peccasse. Aliàs mortalia dubia, in æquali utrimque probabilitate, non forent confitenda, magis quàm mortalia invincibiliter ignorata) eo tamen non obstante; non obstante (inquam) æquali probabilitate juris alterius, sibi notâ, quia alterum superat titulo possessionis, ex dispositione juris, per regulam illam declarata, *in pari causa*, &c. certum habet jus, rem illam retinendi sibi, donec certò constet, rem illam ad alium pertinere. Similis verò dispositio juris humani non est, nec esse potest, in materia aliarum virtutum, potestati humanæ non subjecta.

324 3°. idipsum demonstratur, quia possessionis favor, seu prævalentia, à sola humana potestate, seu humano, non divino vel naturali jure habet originem. Cùm prorsus infundatum sit, quod Terillus in Reg. mor. q. 57. n. 19. absque ulla probatione ait, regulam illam esse *axioma lumine naturæ notum*, sive (ut ait in fundam. Th. Mor.) *effatum naturæ, per quod homines diriguntur in lege naturali, antecedenter ad omnem legem positivam.* Cujus falsitas ex sequentibus apparebit.

325 4°. usus istius regulæ, in materia juris naturalis aut divini, humanæ potestati non subjecta, ne semel quidem invenitur in toto corpore juris, seu canonici, seu civilis; sed dumtaxat in materia justitiæ, humanæ potestati subjecta.

326 5°. in materia humanæ potestati non subjecta contrariæ sunt sacrorum Canonum declarationes. Siquidem dubius de copula habita cum consobrina Bertæ, declaratur non posse ducere Bertam, etiamsi ab initio fuerit in possessione libertatis ducendi eam, cap. *juvenis* de sponsal. Dubius de matrimonio validè cum aliqua contracto, declaratur obligatus, ipsi bonâ fide petenti reddere debitum, etiamsi antè fuerit in possessione libertatis in contrarium, cap. *Dominus* de secund. nupt. Conjux probabiliter dubius de impedimento dirimente, declaratur non posse debitum exigere, non obstante exigendi possessione, cap. *inquisitioni* de sent. excom. Cur hisce in materiis (sicut in materia justitiæ) certa, quæ præcessit possessio, in ordine ad abstergendum morale peccati periculum, jure naturali & divino non prævalet omni in contrarium dubio, si in iis, jure naturali & divino locum habeat melior possidentis conditio? Cùm in materia justitiæ, bonæ fidei possessio, in ordine ad abstergendum morale periculum peccati, & injustitiæ, in pari aliunde causa, prævaleat omni in contrarium dubio. Nam bonæ fidei possessor, post examen, nihil plus inveniens contra se, quàm pro se, licèt (secundùm Adrianum) debeat eam restituere, propter regulam, *in dubio via tutior*, &c. vel (secundùm Sotum) eam dividere, propter æqualitatem juris: secundùm communem sententiam potest totam retinere, propter reg. *in pari causa*, &c. Potest (inquam) totam retinere rem, de qua (post bonæ fidei possessionem) dubitare incipit, an sua sit. Et quamvis ex ipsis aliqui negent rem illam alienare posse, vel consumere; alii tamen censent posse eam consumere, & alienare, sub onere compensandi, dum constiterit, rem ad alium spectare; sub onere etiam monendi emptorem de vitio, seu dubio, an sua sit, si eam alienet.

6°. ubicumque jus humanum, in materia 327
sibi subjecta, aliter non dispositit, secundùm innumeras declarationes juris canonici, in dubio utrimque æquali, pars tutior necessariò sequenda est, jure naturali & divino, quo prohibemur exponere nos peccati & damnationis periculo, ut visum est suprà. Istud verò periculum non esset, si in ejusmodi dubio, jure naturali & divino, melior foret possidentis conditio, uti constat in exemplo possidentis rem humanæ potestati subjectam, quam licèt in ejusmodi dubio non restituat, nec tutiorem partem sequatur, morali periculo peccati se non exponit.

7°. si privilegium possessionis foret de ju- 328
re naturali, vel divino, nihil contra illud humana posset statuere potestas. Statuit autem, & statuendo demonstravit, regulam de meliori possidentis conditione ne quidem universim procedere in materia sibi subjecta, etiam justitiæ, nempe quando lex resistit possidenti, vel præsumptio juris est contra ipsum. Primò namque in dubio de facto, dum uni favet possessio, alteri juris præsumptio, hæc illi prævalet: utpote vim habens plenæ probationis, quæ prævalet possessioni. Quam ob causam præsumptio legitimitatis in prole facit, ut hæreditas auferatur alteri, licèt possessori, c. *lator: qui filii sint legitimi.* Similiter Parochus vindicare potest decimas ab alio possessas, in dubio, an decimæ in parochia sua sitæ, ad suam Ecclesiam pertineant, nisi possessor evidenter docuerit de legitima sua possessione, c.

ad

ad decimas de reſtitut. ſpoliat. Bona etiam Clerici defuncti, hæredibus ipſius, tametſi poſſeſſoribus, auferenda ſunt, niſi probent, aliunde quàm ex beneficio à defuncto acquiſita fuiſſe, cap. *ut unuſquiſque* de pecul. Cleric. cap. 7. de teſtam.

Deinde in dubio uter ex duobus titulum dominii priùs acceperit, is qui oſtendit certò ſe tempore accepiſſe, præfertur poſſeſſori, certum tempus non oſtendenti. Menochius l. 2. de arbitrar. caſu 48. n. 33. ex l. 13. c. de donat. ante nupt. Denique, in dubio, jus favet ei qui futurus eſt in damno, contra eum qui futurus eſt in lucro, quamvis poſſeſſorem. L. *non debet* 41. ff. de reg. jur. Wameſius centur. 3. conſil. 90. Sed & Epiſcopus cap. *illud* de Cler. excom. ſub pœna depoſitionis jubetur, in dubio, gerere ſe pro excommunicato, non obſtante poſſeſſione communicandi cum aliis. Sacerdos etiam cap. *ſignificaſti* de homicidio, jubetur, in dubio, an proximus interierit ex ictu à ſe, an ab aliis inflicto, jubetur (inquam) ſe gerere pro homicida, & irregulari, à ſacerdotalique miniſterio abſtinere, nullâ habitâ ratione poſſeſſionis in contrarium, in qua antè fuit. Et ſic de aliis multis.

329 8°. favor præſcriptionis & uſucapionis, ſecundùm omnes, habet originem ex ſolo jure humano poſitivo: ergo & favor poſſeſſionis. Cùm nulla appareat ratio cur poſſeſſionis favor potiùs oriatur ex jure naturali vel divino, quàm favor præſcriptionis & uſucapionis.

330 9°. regula conſimilis: *Bonæ fidei poſſeſſor, ſine plena & evidenti probatione removeri non debet*: non eſt juris naturalis vel divini, ſed humani poſitivi dumtaxat; ſolùmque procedit in materia juſtitiæ, juri humano ſubjecta (quia ſic eo jure diſpoſitum eſt) non in materia aliarum virtutum. Idem ergo dicendum de regula: *In pari cauſa melior eſt conditio poſſidentis*. Conſequentiæ bonitas perſpicua eſt, non ſolùm ex rationis paritate, ſed & quia privilegium poſſeſſionis, propter quod melior eſt conditio poſſidentis, in eo maximè conſiſtit, quòd bonæ fidei poſſeſſor, ſine plena & evidenti probatione removeri non debet. Antecedens verò ab Adverſariis admittitur, ut proximè videbitur. Enimverò ſi regula illa foret juris naturalis vel divini, Sacerdos qui diù fuit in poſſeſſione celebrandi, poſt ſuſceptum bonâ fide ſacerdotium, ſuperveniente dubio de valore ſuæ ordinationis, ſine plena & evidenti probatione invaliditatis illius, non removeretur à poſſeſſione celebrandi: ſicut nec conjux à poſſeſſione exigendi debitum, ſuperveniente dubio de valore ſui matrimonii, poſt illud bonâ fide contracti; ſed ille pergere poſſet in celebrando, iſte in exigendo, contra cap. *inquiſitioni* de ſent. excommun. Qua etiam in hypotheſi, regula illa intentum everteret Adverſariorum: quia poſſeſſio legis naturalis & divinæ, ſemel generaliter ſtabilitæ, prævaleret omni particulari in contrarium exceptioni, etiam probabiliori, ſolâque plenâ & evidenti probatione iſtius exceptionis elideretur. Sicque à generalitate legum illarum nunquam excuſari quis poſſet titulo ullius exceptionis probabilis, vel etiam probabilioris, ſed certæ & evidentis dumtaxat: cùm per expreſſionis ſuæ generalitatem in poſſeſſione ſint (ſi poſſeſſio in ejuſmodi locum habeat) adverſus particulares quaſcumque exceptiones ſufficienter non probatas. At oppoſitum Adverſarii conſtanter profitentur, regulamque de non removendo poſſeſſore, ſine plena & evidenti probatione, ne quidem admittunt in materia juris humani, extra materiam juſtitiæ. Cùm ſecundùm ipſos liceat die Dominicâ ſolùm probabiliter inchoatâ, non obſtante probabili adhuc exiſtentiâ Sabbathi, carnes comedere; ſimiliter ob iter ſolùm probabiliter ſufficiens ad excuſandum ſolvere jejunium; & ſic de mille aliis.

10°. poſſeſſio dupliciter acquiritur. 1°. ſine occupatione, per ſolam juris fictionem. 331
2°. per occupationem, ſeu attingentiam rei, animo faciendi ſuam. Sed prior (utpote ſolius legis humanæ inventum) nullum ex natura rei jus tribuit poſſeſſori, meliorem in pari cauſa faciens conditionem ipſius. Ergo nec poſterior. Cur enim potiùs? & cur Epiſcopus v. g. ex natura rei plus juris acquireret, beneficii ſui poſſeſſionem ineundo per phyſicum Eccleſiæ Cathedralis ingreſſum, quàm acquireret, ejuſdem poſſeſſionem ineundo per viſum campanilis ejuſdem Eccleſiæ? Certè poſſeſſio mera (id eſt aliunde non adminiculata talibus circumſtantiis, ex quibus major efficitur præſumptio veritatis pro poſſidente, quàm contrà) ſive hoc, ſive illo modo inita, ex ſe tam indifferens eſt, ut conjungatur vel non conjungatur cum dominio rei poſſeſſæ; quàm viſio, quâ quis prior videt rem (conſtat enim nos ſæpè poſſidere quæ noſtra non ſunt; & multa non poſſidere, quæ noſtra ſunt) igitur ex ſe tam indifferens eſt ad faciendam conditionem poſſidentis meliorem, quàm viſio ad faciendam conditionem primò videntis meliorem.

11°. poſſeſſio mera ex ſe, ſive ex natura 332
rei, nullam facit probationem, etiam probabilem, quòd res poſſeſſa ſit poſſidentis, magis quàm viſio, quâ res primò videtur, quòd ſit primò videntis: ergo ex ſe, ſive ex natura rei, nullo prorſus modo facit meliorem conditionem poſſidentis, magis quàm viſio illa videntis. Conſequentia bona eſt, quia excogitabilis non eſt ratio diſparitatis. Aſſumptum efficaciter probat ipſemet Terillus q. 56. à num. 15. ad 20. *Generalis enim regula eſt* (inquit) *quòd prædicatum ex ſe prorſus indifferens ad utramque partem contradictionis, nihil conferat ad quæſtionis deciſionem, ſive* ex ſe neutram probet: *ſicut ſi quæramus utrùm Petrus ſit in foro*, ad hoc probandum, vel decidendum, *nihil confert quòd ſit armatus, quia eſſe armatum, ex ſe nullam habet conne-*

xionem cum esse, vel non esse *in foro*, sed ex se indifferens est ad utrumque. Sed prædicatum possidentis ex se tam est indifferens ad esse & non esse conjunctum cum dominio rei possessæ, quàm visio cum dominio rei primò visæ : ex se igitur prorsus nihil confert ad dominium probandum, magis quam visio, &c.

333 12°. quamvis lex naturæ dictet, inter eos qui jus utrimque dubium habent, potiorem esse conditionem illius, qui aliquid juris habet ampliùs quàm alter ; non tamen dictat eum qui titulum habet meræ possessionis, aliquid juris in rem possessam habere, ampliùs quàm habeat qui non possidet. Cur enim ampliùs ? solidum profectò amplioris istius juris fundamentum Adversarii non adferunt, sed vanum. Nullum quippe aliud fundamentum afferunt, nisi quòd ille qui possidet, titulum aliquem circa rem possessam habeat, quem non habet qui non possidet. At hoc vanum est. Nam etiam qui primus rem vidit, aut de ea occupanda primus cogitavit, titulum aliquem habet circa rem illam (ut puta prioris visionis, aut cogitationis, &c.) quem non habet qui necdum vidit, neque cogitavit : non ideò tamen lex naturæ dictat ipsum habere ampliùs juris : ergo similiter, &c.

CAPUT XXX.

Contraria argumenta dissolvuntur.

334 EX hactenùs dictis tam manifestè ruunt argumenta, in quibus Adversarii se fundant, ut vix opus sit sigillatim illa referre. Ad majorem tamen præmissorum evidentiam, præter illa duo, quæ à num. 232. retuli & solvi, illa referam & solvam, quæ principaliter objiciunt contra dicta cap. præcedenti.

Objicit itaque 1°. Terillus : nulla est excogitabilis ratio disparitatis, cur in dubio vel in pari causa, possessio meliorem faciat conditionem possidentis bona externa in materia justitiæ, & non meliorem conditionem possidentis libertatem in materia aliarum virtutum.

335 Respondeo 1°. negando suppositum : falsò quippe Terillus supponit in materia aliarum virtutum, dum dubium est de lege prohibente, libertatem esse in possessione, cujus oppositum constat ex dictis num. 311. & seqq. 2°. dato, non concesso quòd libertas tunc esset in possessione, saltem non esset in possessione certa (quæ sola meliorem facit conditionem possidentis) sed ad summum dubia, & æquali cum possessione legis, ut probatum est à num. 314. Ubi autem possessiones sunt æquales & dubiæ, præsumendum pro lege contra libertatem ; sicut in æquali dubio præsumendum pro Superiore contra inferiorem : quia in pari causa Superior inferiori præfertur, sicut commune bonum privato.

336 3°. certam possessionem non facere meliorem conditionem possidentis ex natura rei, sed solùm ex dispositione Reipublicæ, quæ id non disposuit in materia aliarum virtutum, nec disponere potuit in materia juris naturalis & divini sibi non subjecta, sed in ea justitiæ materia dumtaxat, quæ ipsi subjecta est.

Objicit 2°. possessio in materia obedien- 337
tiæ, in pari causa meliorem facit conditionem possidentis : igitur privilegium possessionis non procedit in sola materia justitiæ. Probatur antecedens, quia cives licitè sequuntur Regem eos ad bellum vocantem, in dubio de justitia belli, ut ex Augustino traditur cap. *quid culpatur*. Eodem modo subditus Religiosus licitè obedit Prælato, non obstante dubio an opus præceptum sit malum. Sed non alia est hujus ratio, nisi possessio Regis & Prælati, quæ facit meliorem conditionem ipsius quàm subditi.

Respondeo negando antecedens. Ad ejus probationem, concessâ majore, nego minorem, quia Rex & Prælatus non sunt in possessione jubendi nisi justa & licita. Igitur obligatio parendi tunc non desumitur ex possessione, sed ex præsumptione pro Principe & Prælato, de quibus in dubio præsumendum quòd justa præcipiant, uti suo loco videbitur.

Objicit 3°. titulus possessionis, ejusque privilegium habet locum in materia justitiæ humanis legibus non subjecta : igitur privilegium possessionis, non est ex sola dispositione legis humanæ, seu Reipublicæ. Probatur antecedens, quia qui bonâ fide contraxit matrimonium, licitè petit debitum in dubio impotentiæ ; sed est conditio possidentis, quæ hoc ipsi licitum facit : si enim per longam impotentiæ experientiam ante contractum matrimonium dubitasset de hoc impedimento, post illud sic malâ fide contractum, illicitè peteret debitum.

Respondeo negando antecedens. Ad ejus 338
probationem nego minorem : quoad hoc enim aliquid speciale est, in dubio de impedimento impotentiæ, quod non est in dubio de aliis impedimentis. Non est igitur titulus possessionis, qui hoc potiùs licitum facit in dubio de impotentia, quàm in dubio de aliis impedimentis : cùm titulus possessionis non magis habeat locum in dubio de impotentia, quàm in dubio de aliis impedimentis. Antecedens probatur : tum quia dubius de aliquo alio impedimento, matrimonium inire non potest : dubius tamen de impotentia, si nunquam expertus, sed semper continens fuerit, matrimonium inire potest. Cùm Deus, seu Author legis naturæ, permittat matrimonium hominibus, qui semper hactenùs continuerunt ; adeòque incerti sunt, an non sint absolutè, vel respectivè impotentes, si spes probabilis affulgeat potentiæ, saltem post impotentiam fortè temporalem, affuturæ. Aliàs conjugia passim plenissima forent incertitudinibus.

Tum quia dubius de aliquo alio impedimento, post matrimonium bonâ fide contractum, æquè est in possessione, ac dubius de impedimento impotentiæ. Si ergo conditio possiden-

tis

tis licitam faceret petitionem debiti in dubio impotentiæ, æquè licitam faceret in dubio de impedimento alio. Sed non eſt ita : qui enim bonâ fide, cum alio impedimento matrimonium contraxit, poſtmodùm probabiliter dubitare incipiens de valore, non poteſt, etiam poſt examen, debitum petere, uti cum S. Thoma, D. Bonaventura, D. Antoninò, majorique & ſaniori parte Theologorum, ac Juriſperitorum, docet & benè probat Scildere tr. 6. num. 80. Quòd ergo dubius de impotentia id poſſit, hoc non facit poſſeſſio, ſed Dei, ſeu Authoris legis naturæ conceſſio, nobis notificata per Eccleſiam in cap., *laudabilem*, de frigidis. Ob rectam quippe propagationem generis humani, & vitationem graviſſimorum incommodorum, paſſim inter homines alioqui ſecuturorum, petitio illa debuit, ex natura rei, conjugibus de impotentia dubitantibus, ad tempus concedi. 1°. ne maxima ſæpiſſimè in conjugiis foret perplexitas, & incertitudo, ſi conjuges abſtinere deberent à petendo ob dubium de impotentia, etiam quando ſpes probabilis adeſt, ſaltem poſt temporalem experientiam, copulam perficiendi, cùm de impotentia ſaltem reſpectiva ſæpiſſimè dubium aliquod ſit, an non ſit in utroque, vel in alterutro. 2°. ne innumeri alioqui paſſim allicerentur ad fornicandum, ſub prætextu certificandi ſe, ante initum matrimonium, de potentia cum hac vel illa, ne eo inito, ſine facto experimento, in perplexitatem tunc inciderent, dum recedere ab invicem, ob matrimonium fortè validum, non poſſent; neque, ob dubium de impotentia, matrimonio uti poſſent.

340 Objicit 4°. titulus & privilegium poſſeſſionis efficit, ut conjux dubius probabiliter de nullitate ſui matrimonii, alteri bonâ fide petenti reddere teneatur, ne ſcilicet violet jus poſſeſſionis ipſius. Igitur titulus & privilegium poſſeſſionis locum habet in materia legibus humanis non ſubjecta. Probatur antecedens, quia non apparet alius titulus, vi cujus reddere teneatur : non enim titulus partis tutioris in dubio ſequendæ, ſive titulus amplectendi partem illam, in qua minoris peccati periculum eſt, dum utrimque periculum eſt. Si enim in redditione non ſolùm periculum ſit fornicationis, verùm etiam injuſtitiæ contra priorem conjugem (ut ſi dubitetur de ſuperſtite vita ipſius) atque inſuper ſacrilegii & inceſtûs graviſſimi (ut ſi etiam dubitetur an conjux poſterior ſit frater, & in religione profeſſus) adhuc equidem dubius reddere tenetur, quamvis minùs tutum ſit reddere : quia majoris peccati periculum eſt in reddendo, quàm in non reddendo : cùm incredibile videatur non eſſe periculum majoris peccati, dum eſt periculum fornicariæ, ſimul & adulterinæ, inceſtuoſæque redditionis debiti, quàm dum ſolùm eſt periculum injuſtitiæ contra legem conjugii, in debiti negatione.

341 Reſpondeo negando antecedens. Ad ejus probationem nego iterùm antecedens; ſiquidem alius ille titulus (tutioris utique partis in dubio ſequendæ) habet locum, ubicumque obligatio reddendi habet locum : cùm in iſto titulo, non in titulo poſſeſſionis, fundent ſeſe Canones reddendi obligationem declarantes. Quos proinde certiſſimum eſt non procedere ubi periculum eſt majoris peccati in reddendo, quàm in non reddendo : cùm nihil in ſacris Canonibus ſolemnius ſit, quàm in dubiis, ubi utrimque peccati periculum eſt, id ſequendum in quo minoris peccati eſt periculum. Quemadmodùm nihil in iiſdem Canonibus ſolemnius, quàm in dubiis, in quibus hinc eſt, inde non eſt periculum peccati, id ſequendum in quo periculum non eſt peccati. Primum enim ſibi vult ſolemnis illa ſacrorum Canonum regula : *de duobus malis, minus eligendum*, quæ deſumpta eſt ex Concilio Toletano cap. *relatum* d. 13. dicente : *Duo mala*, licèt ſint omninò *tutiſſimè præcavenda, tamen ſi periculi metus ex his unum perpetrare compulerit, id debemus reſolvere, quod minori nexu noſcitur obligare.* Secundum verò exigit regula iſta : *in dubiis pars tutior eſt ſequenda.* Vel ergo in caſu objecto majoris peccati periculum eſt in reddendo, quàm in non reddendo, vel contrà ? Si primum, obligatio non eſt reddendi, ſed non reddendi. Si ſecundum, obligatio eſt reddendi, ex regula tutioris partis in tali dubio ſequendæ, non autem ex regula poſſeſſionis. Cùm alter conjux ſit in poſſeſſione exigendi, & ſi locum hîc habet poſſeſſio, dubius (à quo exigitur) potiùs eſt in poſſeſſione libertatis, utpote non amiſſæ per matrimonium dubii valoris, ſecundùm modum philoſophandi Adverſariorum. Nec hoc tantùm, ſed & prior conjux (dum dubitatur an ſit ſuperſtes) eſt in potiori (utpote anteriori) poſſeſſione, ne alteri reddatur, ſi legitima poſſeſſio ſemel acquiſita, etiam in materia humanis legibus non ſubjecta, ſolâ in contrarium certitudine elidatur, prout Adverſarii philoſophantur.

342 Utrùm autem gravius ſit peccatum reddere cum periculo, ne redditio ſit fornicaria, adulterina, ſacrilega, inceſtuoſa, quàm non reddere ?

Scilderus tract. 6. num. 90. eo non obſtante putat adhuc gravius peccatum eſſe non reddere : quia lex naturæ graviſſimè obligare debuit conjugem ad reddendum debitum, ne aliàs conjux alter, qui familiariſſimè agere debet, exponeretur graviſſimis tentationibus & periculis pollutionis. Favet Vaſquez 1. 2. diſp. 66. c. 4. n. 23. & 24. loquens de periculo, ne redditio ſit fornicaria, adulterina & inceſtuoſa. Non quia peccatum non reddendi ſit contra plures & majores virtutes, ſed quia putat poſſeſſionem matrimonii bonâ fide contracti multò fortiorem eſſe, tantæque efficacitatis, ut nulla fieri cenſeatur injuria contra prius matrimonium, & reverentiam in ſanguinem, in dubio reddere debitum petenti.

Hoc tamen creditu difficile est : neque enim sufficienter ostenditur, majorem habendam rationem, ne lædatur jus & possessio præsentis matrimonii, quàm ne lædatur castitas, fornicando; jus & possessio prioris matrimonii, adulterando; reverentia in sanguinem, in primo gradu incestuando; religio in Deum, ad personam fortè Deo solemniter consecratam accedendo. Difficile (inquam) creditu est, ista omnia non prævalere illi uni, legemque naturæ obligare ad reddendum in concursu omnium istorum periculorum. Cùm causæ minùs momentosæ excusent à redditione, & in concursu tot dubiorum crescat probabilitas, quòd debitum non negetur vero marito. Cæterùm sive hoc, sive illud verum sit, obligatio reddendi non est, nisi majoris peccati periculum sit non reddendo, quàm reddendo. Quo prorsus ruit objectio.

343 Objicit 5°. In dubio voti melior est conditio possidentis suam libertatem : igitur regula de meliori conditione possidentis, &c. locum non habet in sola materia justitiæ humanis legibus subjecta. Probatur antecedens, quia qui hactenùs pacificè possedit suam libertatem hoc vel illud faciendi, non debet illâ privari, ob dubium votum, si post adhibitam omnem diligentiam, adhuc maneat dubium; siquidem omnis lex absolutè obligans ad abstinendum à tali opere, est dubia, & proinde non habet vim obligandi, nec ullus apparet titulus reflexus in isto dubio certitudinaliter obligans. Quod autem hîc dicitur in casu voti dubii, eodem modo valet in omni dubio juris, seu legis prohibentis : igitur melior conditio libertatem possidentis, locum habet in omni dubio juris; non ergo solùm in materia humanæ potestati subjecta.

Respondeo 1°. negando suppositum antecedentis, videlicet hominem in dubio voti esse in possessione suæ libertatis, nec teneri voto. Reverà enim tenetur voto, nisi habeat principium, unde probabiliùs præsumere possit se votum non emisisse. Quod habet, qui de seipso experientiam habet, quòd non facilè obliviscatur rerum, quas maturo consilio & magnâ animi applicatione facit. Quo casu sufficiens habet fundamentum ad deponendum dubium, non quia est in possessione libertatis, in qua melior sit conditio ipsius (hæc enim ratio vanissima est, ut jamjam videbitur) sed quia à communiter accidentibus, talis præsumitur non vovisse. Si enim vovisset, per regulam, *inspicimus in obscuris*, &c. præsumeretur memor voti à se emissi : si igitur non sit memor, præsumitur non vovisse.

344 Respondeo 2°. retorquendo argumentum, atque ipsomet exemplo voti ostendendo quàm vanè, extra materiam justitiæ, humanæ potestati subjectam, dubia resolvantur ex meliori conditione libertatem possidentis. Ostenditur id imprimis cum Illustrissimo Fagnano in cap. *ne innitaris* n. 211. *Ponamus* (inquit) *reverà hominem emisisse votum, sed postea non benè recordari, & dubitare an illud emiserit, necne. Sanè si dicat homo : ego prorsus dubius sum an votum emiserim, & in hoc dubio nolo spoliari possessione meæ libertatis.... Contrà Deus dicit : si tu es dubius, ego certus sum te vovisse, & ideò nulla est possessio ex parte tua. Sequere ergo in tuo dubio partem tutiorem, & redde Altissimo vota tua. cap. per tuas de voto. Quòd si adhuc insistat homo, & dicat : fortè ego non vovi, & Deus scit non vovisse : & ideò volo pergere in possessione libertatis meæ. Contrà : fortè vovisti, & Deus scit te vovisse, & sic incerta est tua possessio. Quia si vovisti, possessio stat pro Deo, & pro præcepto... Si non vovisti, possessio stat pro tua libertate. Tu dubius es quòd egeris, & incertus itane sit vel non. Quomodò ergo prætendis perseverare in possessione, cùm dubites te possidere, & possessionem amittat, qui suspicatur se posse repelli. L. 3. §. siquis nuntiet, & glossa in verbo amisisse. Et l. si id quod in princip. & §. fin. ff. de acquir. possess. l. 1. §. sive autem ff. de vi & vi armata? Quare si tu facis actum, de quo dubitas, an sit contra votum, necne; utique exponis te periculo mortalis peccati. Et ideò mortaliter peccas, etiamsi actus tuus, ex suo genere alioquì non sit malus*, secundùm S. Thomam quodlib. 8. a. 13. dicentem, quòd plurium præbendarum possessor, ob contrarietatem opinionum dubitare incipiens, an id sibi liceat, nisi veritas sibi illucescat pro una, magis quàm pro altera parte, minimè possit in ea se possessione conservare : quia aliàs periculo se exponit, & sic procul dubio peccat, utpote magis amans beneficium temporale, quàm propriam salutem. Et quodlib. 9. a. 15. in quarto argumento, sed contrà : *Quicumque committit se discrimini, & periculo peccati mortalis, peccat mortaliter.* Et quodlib. 3. a. 9. ad 3. *Quicumque non cavet pericula, videtur contemnere id cujus detrimentum pericula inducere possunt.* Et iterùm quodlib. 8. a. 13. in princ. *Quicumque committit se discrimini, in his quæ sunt ad salutem, peccat.*

Secundò id ostenditur cum Mercoro in basi 345
Th. Moral. p. 2. a. 29. Siquis enim votum emiserit jejunandi quotannis in vigilia S. Alberti, & in casu transgressionis, solvendi duos aureos ad ornamentum altaris ejusdem Sancti; ac deinde dubitet an jejunaverit; ex communissima Doctorum sententia tenetur ad solutionem duorum aureorum. Cujus rationem petunt ex possessione, quæ stat pro voto, pro quo proinde judicandum sit in dubio. Sed vana est ratio. Si enim dubitans sciret, se nunquam hactenùs, citra impedimentum, in ista vigilia jejunium violasse, neque hâc dubiâ vice impedimentum adfuisse, per regulam à communiter accidentibus, *inspicimus in obscuris*, &c. præsumendus esset voto satisfecisse, nec proinde obligandus esset ad solutionem mulctæ, non obstante prætensâ illâ voti possessione. Vanum est igitur argumentum Probabilistarum à possessione : maximè cùm

ipsimet fateantur, possessionem non suffragari, quando jus resistit: jus autem naturale & divinum, de cavendo periculo, &c. semper resistit in dubio, nisi veritas majori probabilitate se insinuet pro libertate, quàm pro lege. Vide suprà num...

Respondeo 3°. ad id quod additur in objectione (nullum apparere titulum, vel legem in ejusmodi dubio certitudinaliter obligantem) ejusmodi titulum seu legem certam peti ex regula in sacris Litteris fundata, atque à SS. Canonibus tradita, de tutiori via in dubiis eligenda, de cavendo periculo peccati, atque adeò faciendi contra votum, &c.

347 Objicit 6°. Judex fori externi, in nulla causa, quemquam condemnare debet ad cedendum possessioni ob causas incertas, non magis actori quàm reo faventes. Quia ubi partium jura sunt obscura, magis favendum reo, quàm actori. At eadem est ratio de Judice fori interni. Conscientia verò cujuslibet in ordine ad agenda vel omittenda, est Judex fori sui interni. Ergo.

Respondeo 1°. argumentum nihil probare, quia nimiùm probat: neminem utique seipsum in dubio condemnare debere; magis quàm Judex externi alium debeat in dubio condemnare. In dubio ergo nemo se gerere debebit ut irregularem, neque à sacro ministerio abstinere (contra expressos Canones suprà relatos) in dubio etiam de peccato mortali quilibet seipsum, prout Judex alium, poterit absolvere, partim per objectam regulam, partim per alias illi affines, *delictum in dubio non præsumitur: in dubio nemo condemnandus: actore non probante, reus absolvitur, etiamsi nihil præstiterit*, &c. In ejusmodi ergo dubio nemo tenebitur confiteri, contra communissimam, certamque sententiam Veterum & Modernorum.

348 Respondeo itaque 2°. quòd sicut proximæ istæ regulæ non respiciunt obligationem hominis erga seipsum (præsertim dum præcisè salutis negotium vertitur, agiturque de animæ bono!, & vitando peccati periculo) ita nec regula objecta. Regulæ itaque istæ potissimùm respiciunt Judicem fori externi, illumque regulant in ordine ad alios, inter quos sententiam ferre debet, neque applicari possunt ad privatum & internum hominis judicium, nisi in ordine ad alios, dum vel illorum probitas & honor in dubium vertitur, vel dum ipse instar Judicis fert sententiam inter seipsum, & alium contra se agentem, non ad bonum, sed ad jacturam. Quo casu seipsum condemnare non debet, dum à Judice fori externi non condemnaretur. Nec in priori casu, deteriorem in partem judicare debet de proximo. Sed in utroque hoc casu, rectè se gerit secundùm illas juris regulas; quæ proinde hoc sensu tam procedunt pro foro interno, quàm pro externo, quemadmodùm & aliæ regulæ fori externi, in falsa præsumptione non fundatæ: hoc excepto, quòd dum privatus homo judicat inter se & alium contra se agentem, seipsum in dubio condemnare potest. Judex verò alium condemnare non potest. Judex quippe externus, alium in dubio condemnando, exponeret se periculo faciendi ipsi injuriam; quam sibiipsi (utpote volenti & consentienti) facere nemo potest.

Respondeo 3°. objectum argumentum non 349
solùm non evincere privilegium possessionis in aliis materiis quàm Reipublicæ subjectis locum habere: quin potiùs exemplo Judicis, judiciique forensis, atque ex differentia inter Judicem illum, & hominem seipsum judicantem, apparere, quàm inaniter, imo quàm ridiculè possessionis privilegium ad alias materias extendatur. Primò namque, si privilegium possessionis in omni materia haberet locum, & in omni materia pro possessore in dubiis & obscuris semper foret judicandum, nulla esset differentia inter Judicem forensem judicantem alium in ordine ad pœnam, & hominem seipsum judicantem in causa, quæ vertitur inter ipsum & Deum, in ordine ad quærendum malis suis remedium, in ordine ad vitandum peccati periculum, in ordine ad divini cultûs reverentiam, &c. Sed in his magna est inter utrumque Judicem differentia, ex communi Veterum Theologorum sententia, prout Illustrissimus Fagnanus ostendit n. 197. & seqq. Siquidem Veteres hac in re duas hasce regulas tradunt, alteram negativam: *Judex in dubio non debet judicare quemquam irregularem*; affirmativam alteram: *quilibet in dubio seipsum irregularem judicare debet.*

Rationem differentiæ perspicuam affert S. 350
Thomas 2. 2. q. 60. a. 4. dum ait: *Ubi non apparent manifesta indicia de malitia alicujus, debet unusquisque eum ut bonum habere, in meliorem partem interpretando quod dubium est; alioquin injuriatur ei, & contemnit ipsum. Nullus autem debet alium contemnere, aut nocumentum quodcumque inferre absque causa cogente. At verò circa seipsum homo debet dubia interpretari in pejorem partem, secundùm illud Job. 9. Verebar omnia opera mea. Eò quòd cùm debemus malis nostris adhibere remedium, expedit ad hoc ut securius remedium apponatur, ut supponatur id quod est deterius.* Nec solùm cùm debemus malis nostris remedium apponere, sed generaliter in obligationibus quæ concernunt Deum, vel animæ salutem. Ut enim notat Petrus de Ancharano apud Fagnanum n. 200. *Licèt in aliis facienda sit benigna interpretatio, nequis sit obligatus in dubio ut L. Arrianus de act. & obligat. & cap. ex litteris de probationibus; tamen in obligationibus quæ concernunt Deum, tutius est præsumere quem ligatum, quàm solutum.* Et hoc est quod sibi vult Innocentius in cap. *cùm tu*, de testibus, dicens amplectendam in foro externo partem benigniorem, in interno tutiorem, seu (ut alii) deteriorem. Rationem optimam dat Glossa in cap. *unicum* de scrutinio, dicens: in aliis

judicandis potiùs bonum quàm malum præsumendum; in nobis verò, in conscientiæ foro, ubi vertitur animæ periculum, præsumendum deteriorem in partem: quia licèt deterior videatur, tamen melior, & tutior est, atque adeò benignior, & favorabilior: cùm longè melius & favorabilius sit tutâ quàm periculosâ incedere viâ, & qui amat animam suam, debeat eam perdere. Quam rationem approbat Panormitanus in cap. *juvenis* de sponsalibus, dicens: *In concernentibus periculum animæ, debemus in dubiis semper tenere quod certius est, & quod sine periculo animæ explicari potest. Unde in istis illa pars est mitior, quæ est tutior.*

351 Secundò, quamvis in quæstione illa, *an possessorium detur in corporalibus*, opinio affirmativa Canonistarum jam prævaluerit negativæ Legistarum; hæc tamen controversia non procedit in criminalibus, sed in civilibus tantùm, ut probat Illustriss. Fagnanus num. 204. *In criminalibus* namque *quamvis inquisiti allegare soleant, delictum non præsumi, nisi probetur, eò quòd unusquisque præsumatur bonus, quamdiù non probatur malus, & alia id genus: tamen non est hactenus auditum apud Jurisconsultos, ut in hac materia allegaverint possessionem, seu ejus privilegium; imò si reus accusatus, vel inquisitus de homicidio, furto, vel rapinâ, peteret se absolvi, eò quod sit in possessione non committendi hujusmodi facinora*, in qua proinde melior esset conditio *ipsius, & Judex pronuntiaret eum esse manutenendum in dicta possessione, esset profectò ridiculus.* Quare si, ubi agitur de crimine, ineptè allegatur possessio, seu possessionis privilegium, in materia justitiæ, etiam in foro judiciali, multò ineptiùs allegatur in materia aliarum virtutum, & in foro conscientiæ.

352 Nec aptè respondet Terillus in suo fundam. Theol. Moral. q. 23. num. 68. possessionem, seu illius privilegium, procedere etiam in materia criminali, in qua si explicitè non allegetur, ideò est, quia nullâ opus allegatione, ubi constat privilegium illud omnibus universaliter competere. Nam imprimis falsum est, quòd constet privilegium illud omnibus universaliter in materia criminali competere; cùm ne quidem omnibus universaliter competat in materia civili (ut patet ex dictis num. 303.) & non solùm Legistæ omnes negent competere in materia criminali, sed nullus etiam Canonista illud ad eam materiam hactenùs extenderit, nec ullum sit fundamentum extendendi, prout constat ex dictis. Deinde si privilegium illud, seu axioma, *melior est conditio possidentis*, omnibus competeret in materia criminali, prout omnibus in ea materia competunt axiomata ista, *delictum in dubio non præsumitur: unusquisque præsumitur bonus*, &c. perinde allegaretur, atque axiomata ista (quæ licèt constet omnibus universaliter competere, solent nihilominùs rei, seu eorum advocati, ea allegare.) Quod cùm sit prorsus insolitum, ex communi sensu & praxi omnium tribunalium, advocatorum, & reorum, satis colligitur in materia criminali non competere illud privilegium.

Tertiò, Judex in foro externo condemna- 353
re deberet reum, ipsumque possessione spoliare, magisque actori favere in dubio, quàm ipsi, si hoc absolutè tutius esset, ita ut pars favens actori vacaret omni periculo peccati, pars autem favens reo non vacaret, quo proinde casu non procederent regulæ de quibus num. 324. ubi sapienter observat Illustrissimus Fagnanus n. 204. dicens, quòd *si daretur casus, ut etiam respectu Judicis verè una pars esset tutior, ita ut vacaret omni periculo*, altera non, *tunc electio tutioris partis esset in præcepto, etiam in foro judiciali, propter identitatem rationis. Et in hunc sensum vera est opinio illorum Theologorum, qui scripserunt regulam de tutiori parte eligenda procedere in utroque foro, ut Vasquez 1. 2. disput. 65. c. 3. versu qui vero priorem.* Idque apparet ex dubiis num. 303. relatis, in quibus Judex judicare debet pro actore contra reum, tametsi possessorem, ex eo quòd pars actoris tutior sit, propter præsumptionem juris, seu legem ipsi faventem contra reum.

Quòd si extra hos casus, in dubiis judica- 354
re debeat in favorem rei, tam in civilibus, quàm in criminalibus, ideò est, quia in civilibus pars favens reo extra illos casus tutior est, propter possessionem, vel alium titulum jure firmatum.

In criminalibus verò, neutra pars propriè 355
& absolutè tutior est, cùm neutra propriè sit tuta, id est vacans omni periculo peccati. Nam si Judex damnet innocentem, peccat contra proximum, cui fine causa injuriatur L. 1. ff. de injuriis. Si absolvat nocentem, peccat contra Rempublicam, cujus interest, ne delicta remaneant impunita, cap. *ut famæ de sent. excomm.* Utrum autem in dubio præstet, seu minoris mali periculo sit expositum? Terillus in Regula morum dicit incertum esse. Quod enim L. *absentem* ff. de pœnis dicitur, satius est impunitum relinqui facinus nocentis, quàm innocentem damnari, limitat ad casum, quo certa est unius innocentia, & alterius crimen. *At si res dubia sit, nondum constat* (inquit) *quæ pars sit melior in se, & Reipublicæ conducibilior.* Verùm ex Evangelio constare puto, non solùm melius esse, in dubio non condemnare nocentem, quàm condemnare; sed iniquum esse ipsum condemnare, utpote contra illud Evangelii: *Estote misericordes, & nolite judicare, & non judicabimini.* Quo loco de manifestis tantummodò permittitur judicare, ut dicitur cap. *estote misericordes* de regul. juris. Enimverò in dubio, ubi ex parte rei non apparet major ratio condemnationis, quàm liberationis, in ipsum potiùs exercendum est judicium misericordiæ, quàm justitiæ condemnatoriæ, exemplo Dei, cujus *superexaltat misericordia judicium*, & *miserationes ejus super omnia opera ejus.* Deni-

que si melius & Reipublicæ conducibilius est certum nocentem liberare, quàm certum innocentem condemnare, ut Terillus concedit: ergo etiam melius & Reipublicæ conducibilius est, dubium nocentem liberare, quàm innocentem condemnare; sic enim ad Reipublicæ bonum se habet dubius nocens ad dubium innocentem, sicut certus nocens ad certum innocentem; nec apparet quâ potiori ratione prius verum sit, quàm posterius.

356 Ex his apparet regulas num. 347. allegatas nunquam procedere in foro externo, ejusque Judice, nisi dum pars rei tutior est, vel æquè tuta, etiam hoc sensu, quòd majoris mali periculum non sit in favendo reo, quàm actori. Si enim pars actoris tutior esset, pars autem rei minùs tuta, vel magis periculosa, Judex in dubio favere deberet actori, juxta dicta n. 353. Cùm igitur, in omni dubio de prohibitione legis, in quo agitur causa inter Deum & hominem, pars quæ favet Deo & legi in foro conscientiæ semper tutior sit, & vacans omni periculo, pars verò favens libertati non solùm sit minùs tuta, verùm etiam periculosa, & ex se non tuta, in ejusmodi dubio semper judicandum in favorem legis & Dei, contra libertatem. Et sic argumentum objectum, in quo Terillus tantopere confidit, omni ex parte ruinosum est, objicientique potiùs nocivum, quàm proficuum.

CAPUT XXXI.

Regula undecima: positivè dubius de honestate actionis, actionem, de qua dubitat, ponere nequit sub prætextu, invincibiliter tunc ignorata legis prohibentis.

357 HActenùs inauditum fuit, probabile dubium de malitia actionis, si adhibitâ sufficienti diligentiâ vinci seu deponi non possit, æquivalere ignorantiæ invincibili istius malitiæ, eamque reverà involvere. Hoc tamen velut certum suæ Ethices principium venditare non erubescunt Probabilistæ, nominatim Terillus proximè referendus, & Moya in select. tr. 1. q. 5. n. 19. & q. 6. §. 5. num. 13. prætensam istam certitudinem non probantes ex Scriptura, non ex traditione, vel certa ratione, sed Moya more suo id probat ex testimoniis plurium Probabilistarum, id eo fine asserentium, ut hinc concludere queant, positivè dubium de honestate actionis, si factâ sufficienti inquisitione dubium vincere non possit, non peccare formaliter ponendo actionem illam, sed à peccato formali per ignorantiam invincibilem excusari.

358 Si illis opponas, talem non operari cum ignorantia malitiæ, sed illum solum cui inculpabiliter non venit ulla rationabilis suspicio vel dubitatio malitiæ. Reponit Terillus in Reg. mor. q. 2. n. 140. omnem ignorantiam eo ipso esse invincibilem, quo certâ nequit cognitione depelli. *Non enim superatur ignorantia legis per apprehensiones, aut per motiva probabilia* (ait Terillus in Reg. mor. q. 2. num. 140.) *aut etiam per judicium incertum de illius existentia; sed solùm per hoc quòd certò moraliter innotescat. Ergo quamdiù non ita innotescit, non tenetur homo, ex vi illius, ita se gerere, ac se gerere deberet, si sciret legem existere*, sed potest contra facere sine formali peccato: *quia invincibilis ignorantia excusat, & reflexè cognita de excusatione nos certificat.* Hactenùs Terillus. Audacter quidem, sed improbabiliter. Audax proinde assertio ista refellitur 1°. quia ducit in præcipitium seu nimiam laxitatem, uti constat ex dictis Prolegom. 1. c. 8. & hîc cap. 27. à num. 286. ad 298. si enim nulla lex prohibens, foret necessariò servanda, nisi certò cognita, sequerentur septem inconvenientia, ibidem deducta.

2°. ad hoc ut homo teneatur servare legem, & inexcusabilis sit, eam non servando, sufficit quòd lex illa vel certò innotescat per se specialiter, vel generaliter per regulas prudentiæ, & dilectionis, generalesque dubitantium leges, uti ostendimus eodem c. 27. num. 283. 284. & 285. Quamvis ergo legem prohibentem ex vi illius servare non teneatur, qui de ea positivè dubitat: secùs ex vi generalium istarum legum, regularumque. Nisi dicere malis quòd ex vi illius vitare teneatur probabile periculum ipsam transgrediendi. 359

3°. si invincibilis ignorantia legis tolleretur per solam notitiam certam de existentia ipsius, non tolleretur per notitiam authoritate & ratione longè verisimiliorem de existentia, quàm de non existentia ipsius. At hoc falsissimum est. Neque enim dici potest quòd ille operetur cum invincibili ignorantia legis prohibentis, qui facit aliquid quod post diligentem veritatis inquisitionem prudenter judicat, vel prudenter judicare potest, esse prohibitum. Hoc autem prudenter judicat, vel judicare potest, ille cui post diligentem veritatis inquisitionem apparet authoritate & ratione longè probabilius esse, quàm non esse prohibitum. Maximè cùm ipsi, in talibus circumstantiis, hîc & nunc probabile non sit non esse prohibitum. Nam homini hîc & nunc probabile non est, quod hîc & nunc prudenter & rationabiliter approbare non potest ut verum, ob ea quæ dixi cap. 13. num. 120. & seqq. Non potest autem hîc & nunc prudenter approbare ut verum, hoc quod agit non esse prohibitum, dum hîc & nunc authoritate & ratione id ipsi apparet longè probabiliùs falsum quàm verum, ut constat à fortiori ex dictis ibidem. 360

4°. manifestum est, eum qui agit contra conscientiam, non agere ex invincibili ignorantia malitiæ. Atqui faciens id quod prudenter judicat esse prohibitum, agit contra conscientiam. Nec eam prudenter deponere potest, oppositum judicando, vel judicium illud suspendendo. Si enim, stante apparentiâ, 361

tam ſecundùm rationem, quàm ſecundùm authoritatem, longè majore de malitia ſuæ actionis, ſuſpenderet judicium de malitia; adhuc manifeſtum eſt quòd non ideò cenſeri poſſet involuntariè & invincibiliter malitiam ignorare: quandoquidem voluntariè clauderet oculos, & nollet intelligere ut benè ageret; ideòque ignorantia ipſius voluntaria foret ac vincibilis, utpote quæ ab ipſo poſſet ac deberet vinci. Vincitur enim non ſolùm per cognitionem evidentem ac certam, ſed & per conſcientiam probabilem de malitia prudenter conceptam, ob rationem & authoritatem fortiùs moventem ad credendam, quàm non credendam malitiam. Talem autem conſcientiam ſibi formare poteſt ac debet, qui judicat ſecundùm rationem, non ſecundum voluntatem. Nec bonâ fide agit, qui habens fortius fundamentum rationis & authoritatis ad judicandum actionem ſuam eſſe malam, non vult hoc judicare, ut abſtineat ab actione; ſed ſuſpendit judicium, ut, agendo, minorem ſentiat conſcientiæ remorſum.

362 5°. non ſolùm non agit cum invincibili ignorantia malitiæ, qui agit cum rationabili & prudenti judicio, ſed & qui agit cum magna & prudenti formidine, ac dubitatione de malitia ſuæ actionis, ſive interim de facto dubitet, ſive dubitationem ſuſpendat, dum habet magnam prudentemque rationem dubitandi. Quemadmodùm enim habens magnam prudentemque rationem judicandi actionem eſſe malam, eò quòd poſt diligentem veritatis inquiſitionem majus habet fundamentum ad id judicandum; ſi id non judicet, ſed contrarium judicet, judicat quia vult, non quia merita objecti hoc poſtulant; atque ideò ignorantia imbibita in iſto judicio cenſetur ipſi omninò voluntaria: eò quòd eam deponere poſſit & debeat, judicando ſecundùm merita cauſæ, deponendoque contrarium judicium pro ſola conceptum voluntate. Sic habens magnam prudentemque rationem dubitandi de malitia actionis, eò quòd, poſt diligentem inquiſitionem veritatis, æquale habeat fundamentum ad judicandum eam eſſe, quàm non eſſe malam; ſi tunc non dubitet eſſe malam, ſed judicet non eſſe malam, intellectus ipſius non procedit ſecundùm merita cauſæ, ſed ſic judicat, quia vult ſic judicare, medianteque illo judicio obligationem abſtinendi ab iſta actione à ſe vult excutere. Invincibiliter ergo non ignorat malitiam: cùm, antecedenter ad irrationabilem iſtam voluntatem, potentiam habeat proximam ad ignorantiam deponendam, per prudentem de malitia dubitationem. Quiſquis enim agit cum rationabili dubio de malitia, quod vel habet, vel prudenter habere poteſt, & debet, non agit cum invincibili ignorantia malitiæ. Immò virtualiter & æquivalenter agit cum rationabili dubitatione. Sicut enim ſcire, & debere ſcire, æquiparantur in jure; ita & rationabiliter dubitare, ac debere rationabiliter dubitare.

6°. ſi rationabiliter, poſt debitam inquiſitionem, dubitans de malitia, cenſeretur eam invincibiliter ignorare, nec iſtam ignorantiam vincere poſſet, niſi per notitiam certam de malitia; dum quiſpiam, inter Atheos ab infantia educatus, poſt debitam inquiſitionem, rationabiliter dubitaret de exiſtentia Dei, ſimiliter cenſeretur eam invincibiliter ignorare, nec iſtam ignorantiam vincere poſſet, niſi per certam de Dei exiſtentia notitiam. Talis proinde formaliter theologicè non peccaret, Deum non colendo, agendoque contra legem ipſius, utpote invincibiliter ignoratam, quidquid demùm faceret, etiam cum gravi conſcientiæ remorſu, quamdiù certam de exiſtentia & lege Dei notitiam necdum aſſequi poſſet, non obſtante qualicumque de ea dubio, imò & judicio, quo probabiliſſimè, dummodò non certò, judicaret Deum, Deique legem exiſtere. At qui hoc aſſereret, fatuus eſſet, nec hoc piæ aures ſuſtinerent, eſtque pluſquàm damnatum per condemnationem erroris de peccato philoſophico. 363

7°. ſi rationabiliter, poſt debitam inquiſitionem, dubitans de malitia actionis, tamdiù eam invincibiliter ignorare cenſeretur, quamdiù certàm de ea notitiam (faciendo quod in ſe eſt) non aſſequeretur: ergo formaliter non peccaret, qui cum tali dubio operaretur, etiam in ſenſu compoſito illius. At hoc eſt contra Theologos omnes, prout teſtatur Vaſquez 1. 2. diſput. 64. c. 1. Sequela probatur, quia operans cum tali dubitatione, in ſenſu compoſito illius, certam non habet notitiam de malitia ſuæ operationis, nec culpa ipſius eſt quòd non habeat, cùm feciſſe ſupponatur quod in ſe eſt ut eam haberet. Ergo per te invincibiliter malitiam ignorat. Per te enim invincibiliter malitiam ignorat, quiſquis certam de ea notitiam non habet, nec habere potuit, poſtquam fecit quod in ſe eſt ut haberet. Malitia verò non imputatur non volenti, nec proinde invincibiliter ignoranti. Quia voluntas non fertur in objectum invincibiliter ignoratum. Nec neceſſe eſt ut ignorantia invincibilis antecedat & cauſet opus, ut malitia ipſius non imputetur invincibiliter eam ignoranti, prout aſſerit Terillus in Reg. mor. q. 2. n. 145. Cùm ipſemet (ſibi contradicens) in fundam. Th. Moral. q. 23. n. 121. fateatur, *ignorantiam invincibilem, non ſolùm antecedentem, quæ cauſat actum, ſed etiam concomitantem*, quæ actum non cauſat, *excuſare à peccato: quia reddit malitiam prorſus involuntariam*, ſeu non voluntariam. Et ut ſola antecedens excuſaret, ſaltem per eam excuſaretur, qui aliquid faceret, rationabiliter dubitans de malitia, non facturus, ſi certam de malitia notitiam haberet. Quod tamen falſiſſimum eſt. Certam quippe notitiam de malitia pluralitatis beneficiorum non habuit Cancellarius ille Pariſienſis, de quo Dionyſius Carthuſianus in opuſc. de pluralit. benef. Spondanus ad annum 1238. Et ante ipſos Cantipratanus 364 365

pratanus l. 1. de apibus, c. 19. referunt, quòd damnationem suam (post mortem apparens) declaraverit, tres ob causas, quarum una fuit, quòd contra sententiam plurimorum, opinionem propriam de pluralitate beneficiorum, quasi licitè tenendorum, secutus fuisset. Quod profectò non feciſſet, si de veritate illius sententiæ plurimorum certam notitiam habuisset. Non habuit autem, nec in re tunc inter Juristas & Theologos magnopere controversa habere potuit. Si tamen habuisset, saltem agonizans (ad id hortante ipsum Guilielmo, Parisiensi Episcopo) opinioni cedens de pluralitate beneficiorum, omnia in manus Ecclesiæ excepto uno resignasset. Sed *renuit* (inquit Cantipratanus) *experiri se velle dicens, utrùm esset damnabile plura tenere, sequendo probabilem de licito opinionem.* Mortuus est ergo sic: nec tamen ipsum à damnatione probabilitas istius opinionis liberavit, nec defectus scientiæ seu notitiæ certæ, quòd id damnabile foret, nec in defectu illo fundata ignorantia invincibilis ab Adversariis istis in circumstantiis prætensa, tametsi probabiliter fuerit antecedens. Cùm credibile non sit, quòd dixisset experiri se velle, an id foret damnabile, si certam habuisset notitiam, quòd fuisset damnabile. Probabile namque erat quòd non. Id enim plures Theologi ac Juristæ licitum affirmabant. Ipsorum opinionem suæ cupiditati faventem sequi maluit, quàm oppositam tutiorem simul & probabiliorem. Qualis ipsi apparuisset, nisi cupiditas aliter persuasisset. Commisit ergo se discrimini (uti facere solent, qui opinionem minùs probabilem, suæ cupiditati faventem, sequi malunt, quàm tutiorem) sed illo in discrimine periit, verificavitque proverbium, *qui amat periculum, peribit in illo.*

366 8°. tametsi defectus scientiæ, seu notitiæ certæ, in tali homine, post debitam inquisitionem, sit invincibilis, eò quòd faciendo quod in se est, assequi non potuerit notitiam certam de malitia suæ actionis; non proinde ignorantia istius malitiæ est invincibilis: cùm ignorantia invincibilis malitiæ plus importet quàm defectum certæ cognitionis & scientiæ ipsius. Ille enim solus invincibiliter malitiam ignorat, cui inculpabiliter non venit in mentem cogitatio, vel saltem prudens dubitatio de malitia. Hactenùs quippe inauditum est asserere, quòd ille agat cum invincibili ignorantia malitiæ, qui agit prudenter dubitando, an malum sit quod agit. Ne ipsi quidem Probabilistarum Principes id asserunt, sed ignorantiam actualem cum inadvertentia seu inconsideratione confundentes, eam distinguunt in vincibilem & invincibilem, aientes solum illum agere cum ignorantia invincibili malitiæ, cui nulla occurrit advertentia vel suspicio, aut dubitatio malitiæ, ut videre est apud Suarez to. 5. disput. 4. sect. 8. num. 5. Azor. to. 1. l. 1. c. 16. q. 3. Sanchez l. 1. Sum. c. 16. n. 8. Nullus denique ante quinquaginta annos peccare dixit ex ignorantia, multò minùs ex ignorantia invincibili, qui peccat actu formidans, & prudenter dubitans id quod agit esse peccatum. Multò minùs eum ignoranter peccare dixit, qui prudenter (licèt non certò) judicat, se hoc vel illud agendo peccare. Et hos tamen, & illos Terillus dicit invincibiliter ignorare malitiam suæ actionis, si certam notitiam ipsius, post diligentem inquisitionem, assequi non potuerint. Paradoxa ergo, nova, inaudita & improbabilia dicit.

Est proinde falsissimum, ignorantiam eo ipso esse invincibilem, quo post debitam inquisitionem per principia directa non potuerit certâ cognitione superari, eò quòd post longas Doctorum disputationes, post multorum annorum studium, totque ingeniorum acutissimas investigationes, certò innotescere non potuerit, an v. g. talis vel talis contractus sit in se malus & usurarius. 367 Ex hoc namque sequitur quidem inculpabilem atque invincibilem esse defectum scientiæ certò notificantis malitiam istius contractûs; sed non sequitur, invincibiliter malitiam illius ignorari, atque eo titulo inculpabiles esse, qui talem contractum sic faciunt absque certa notitia malitiæ illius, ut tamen prudenter de ea dubitent, vel dubitare possint. Tametsi enim reprehensibiles non sint, eò quòd certam non habeant scientiam de ipsius contractûs malitia; sunt tamen maximè reprehensibiles, dum prudenter de ea dubitantes, vel dubitare potentes, ob rationes hinc inde æquè fortiter moventes, à contractu illo non abstinent. Quia agunt contra præceptum naturale sibi certò notum non exponendi se periculo violandi legem Dei, & in ejusmodi dubio tutiorem partem eligendi.

Falsissima quoque est propositio ista Terilli: 368 *Omnis probabilitas, quòd objectum aliquod non sit prohibitum, etiam in contradictione probabilitatis directè majoris pro parte contraria, necessariò connectitur cum invincibili ignorantia legis divinæ prohibentis tale objectum; adeòque excusat à peccato, & sufficit ad securitatem conscientiæ.* Quia si mihi post diligentem inquisitionem manifestè appareat probabilius esse, quòd contractus sit prohibitus, licèt prohibitio illius mihi certò non innotescat, prudenter judico, vel judicare possum, quòd prohibitus sit & malus. Si ergo illum facio, cum tali judicio, non facio cum invincibili ignorantia malitiæ; sed cum conscientia illius prudenter formata, licèt absque certitudine.

CAPUT XXXII.

De Conscientia probabili.

Regula prima: non est licitum agere secundùm opinionem probabilem de licito, dum ex adverso occurrit & concurrit opinio æquè probabilis de illicito.

369 Regula ista manifestè deducitur ex dictis de conscientia dubia: quia ut benè Vas-

quæz 1. 2. disput. 64. cap. 71. *nemo dubitat peccare eum qui operatur non habens firmum & determinatum judicium conscientiæ, quo judicet non esse peccatum id quod facit, sed dubitans an sit peccatum, illud nihilominùs operatur.* Sed in illo concursu & occursu contrariarum hinc inde opinionum, homo non habet, nec prudenter habere potest firmum determinatumque judicium conscientiæ, quo judicet non esse peccatum id quod facit, sed verè dubitat, vel prudenter dubitare debet, an sit peccatum, prout constat ex dictis cap. 9. ergo non licet ipsi hoc facere. Si enim tunc judicaret illud non esse peccatum, dum ipsi æquè probabile apparet esse, quàm non esse peccatum, imprudenter judicaret, solùmque id judicaret, quia sic vellet judicare, &, mediante illo judicio, à se legis obligationem excutere, ut ibidem ostensum est.

CAPUT XXXIII.

Regula secunda: A fortiori non est licitum agere secundùm opinionem minùs probabilem de licito, in concursu & occursu probabilioris de illicito.

370 SI enim licitum non est agere secundùm opinionem probabilem de licito, dum ex adverso concurrit & occurrit æquè probabilis de illicito, prout hactenùs est demonstratum. Multò ergo minùs licitum est agere secundùm opinionem probabilem de licito, dum ex adverso concurrit & occurrit probabilior de illicito. Ubi enim par de licito probabilitas non excusat; minor de licito probabilitas excusare non potest. Et si in æquali utrimque probabilitate tutior pro lege opinio in praxi sequenda est; à fortiori dum opinio pro lege, minùs tutam pro libertate probabilitate superat. Tunc enim secundùm minùs tutam, minùsque probabilem agens, probabiliori se peccati periculo, majorique proinde discrimini se committit. Denique si nefas est id agere quod æquè probabiliter est illicitum, ac licitum, quia est dubiæ honestatis; à fortiori nefas est id agere quod probabiliùs est illicitum, quàm licitum, quia est plusquàm dubiæ honestatis, pro quanto minùs apparens, & minùs verisimilis est honestas actionis quæ apparet probabiliùs inhonesta, quàm honesta.

371 Quòd autem verè dubia sit honestas actionis, quæ æquè probabiliter apparet inhonesta quàm honesta (ideòque nefas sit eam ponere, secundùm regulam ab ipsismet Sapientibus Gentilitatis agnitam, in Scripturaque & Traditione fundatam, atque à SS. Pontificibus canonizatam: *in dubiis via tutior eligenda est*) citato cap. 9.... demonstratum est. Certum quippe apud omnes hactenùs fuit, intellectum tunc verè esse in statu dubitantis, cùm æqualem utrimque lucem aspiciens, veram à fallaci nequit internoscere, ideòque non magis in unam quàm in alteram partem inclinans, manet in æquilibrio. Istam namque veræ dubitationis idæam omnes hactenùs tradiderunt. Et qui rem penitiùs introspexerunt, negativam dubitationem, ubi nihil, sive hinc, sive inde, rationis affulget, veræ ignorantiæ, quàm dubitationi, viciniorem esse dixerunt. Et ut vera dubitatio dici posset, quatenùs verum est æquilibrium mentis, positiva etiam dubitatio vera dubitatio dicenda est, eamdem ob causam. Neque enim minùs in æquilibrio mens est, dum æqualis hinc inde, quàm dum nulla, sive hinc, sive inde, ratio occurrit. Quemadmodùm lances in libro non minùs in æquilibrio sunt, dum æquale utrique lanci, quàm dum nullum, sive huic, sive illi lanci pondus incumbit; nec in alteram partem magis movetur, qui æqualiter in utramque, quàm qui in neutram trahitur & impellitur.

CAPUT XXXIV.

Regula tertia: improbabile est, probabile quodcumque (prout communiter accipitur, & ab antiquis Probabilistis definitur) excusare à peccato.

COnstat ex Decreto Innocentii XI. quo 372
damnavit hanc propositionem: *Generatim, dum probabilitate, sive intrinsecâ, sive extrinsecâ, quantùmvis tenui, dummodò probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.* Sicut & istam: *Ab infidelitate excusabitur infidelis, non credens, ductus opinione probabili.* Constat etiam ex intolerabilibus laxitatibus, aliàs consecuturis. Quas antequam deducamus,

Observandum 1°. probabile, juxta com- 373
munem acceptionem, veterumque Probabilistarum definitionem, esse, *quod ratione vel authoritate alicujus momenti, sic innititur, ut in oppositum nihil appareat convincens*, vel, *quod certitudinem non habens, gravi tamen authoritate vel ratione nititur.* Quomodò acceptum probabile, idem est quod verisimile. Verisimile namque est, *quod suasibile est per argumenta non convincentia, eam tamen veri speciem habentia, ut viris non vulgariter eruditis, & in materia de qua agitur non mediocriter versatis, videantur convinci non posse falsitatis.* Et ideò probabile cum verisimili Academici confuderunt; nec in eo ipsos redarguit Augustinus, tametsi aliàs nihil in ipsis dissimulet: *Id probabile* (inquit l. 2. contra Academ. c. 11.) *vel verisimile Academici vocant*, &c. Ipse etiam Doctor Angelicus lect... in cap. 1. libri 1. Ethic. probabile & verisimile pro eodem accipit, dum exponens verba ista Philosophi: *Oportet veritatem figuraliter ostendere:* ly *figuraliter*, id est (inquit) *verisimiliter & probabiliter: quia probabile est quod est simile vero.* Denique *probabile ex communi loquentium usu cum verisimili notione confunditur*, duoque ista, *cùm ab hominibus communiter usurpantur, unum idemque significant*, ait Stephanus Gradius disp. de opin. prob. c. 10.

Obser-

374 Obſervandum 2°. probabile quidpiam dici relatè, non abſolutè. Propoſitiones quippe omnes, in ſe abſolutè ſpectatæ, vel veræ ſunt, vel falſæ, nullæ probabiles. Nam falſum (ut benè Wendrockius advertit nota 1. in epiſt. 5. Provinc.) in ſe abſolutè probabile non eſt, ſed improbabile. Verum autem pluſquàm probabile eſt: utpote certum Deo, omnia ut in ſe ſunt videnti. At relatæ ad intellectum noſtrum, res ut in ſe ſunt non videntem, magniſque ignorantiæ tenebris circumſeptum, ſicut plures ſunt propoſitiones, quarum nec veritas, nec falſitas certò cognoſcitur; ſic plures ſunt opiniones quarum nec veritas nec falſitas certò cognoſcitur, ſed veriſimiliter duntaxat, ob affuſas humanæ menti ignorantiæ tenebras. Atque hinc, ſicut varietas, ſic probabilitas opinionum ex mentis humanæ tenebris proficiſcitur, ita ut veriſſimè Tertull. de nat. l. 2. *varietas opinionum venit ex ignorantia veritatis.*

375 Quia verò variæ & inæquales ſunt iſtæ mentis tenebræ (ob magnam ingeniorum, doctrinæ, virtutis, & cælitùs illapſi luminis diverſitatem) hinc fit, ut quod probabile eſt uni, vel certò verum, vel certò falſum alteri, perſæpè videatur, & rectè videatur, vixque ullæ propoſitiones probabiles ſint universè omnibus. Cùm eas etiam, quæ paſſim haberi ſolent probabiles, plurimi vel ut certò veras amplectantur, vel ut certò falſas repudient. Reſpectu quorum proinde probabiles non ſunt.

376 Enimverò perſpicuè errant, qui opinionem aliquot Caſuiſtis, ſeu viris doctis, viſam probabilem, talem ab omnibus habendam putant. Quod enim aliquibus probabile videtur, aliis certò falſum & improbabile meritò plerùmque videtur: nihilque frequentiùs, quàm errare homines, etiam doctos, eorumque errores ab aliis, ſcientiâ veritatis meliùs inſtructis, emendari: nihil denique manifeſtius, quàm quòd judicium ſuum nemo conformare teneatur judicio errantium contra veritatem, quando certò cognoſcit ipſos errare, maximè dum non ipſe ſolus, ſed & alii viri non mediocriter docti, idem cum ipſo ſentiunt.

377 Errant proinde Vaſquez, Sanchez, Sayrus, Eſcobar, & Georgius de Rhodes, dum aſſerunt, quòd, etiam in caſu, quo, opinionem aliquam Caſuiſtæ probabilem judicant, etiamſi opinio illa mihi, poſt debitum examen, videatur manifeſtè à divinæ Scripturæ authoritate recedere, vel evidenti rationi contradicere, non ideò fas mihi ſit, illam ipſorum opinionem improbabilem cenſere; ſed mihi perſuadere, quòd ſi illam ego Scripturæ authoritatem, vel rationem, ſolvere nequeam, ipſi vel alii ſolvere quibunt, nec ea proinde convincentur. Sic enim nulla opinio, quàmlibet rationi, Scripturæque adverſa, modò Caſuiſtas aliquot haberet Patronos, tamquam improbabilis à peritioribus Theologis rejici poſſet, ſed doctus quiſque, perinde ut indoctus, proprio lumini renuntiare deberet, judiciumque ſuum ſubjicere judicio aliquot iſtorum Caſuiſtarum, & (ob ipſorum authoritatem) habere ut verum, quod ſibi videtur certò falſum, vel ut probabile, vel probabilius, quod ſibi certò videtur improbabile, vel minùs probabile. Unde conſequenter ex alieno probabili, licèt viſo ſibi improbabili, doctus (ut indoctus) vivere poſſet, veraque eſſet propoſitio, quam noſter Gabriel à S. Vincentio in lib. de remed. ignor. p. 374. refert refellitque: *Si vir doctus inveniat aliquam opinionem* (aliquot Caſuiſtarum) *quam putat eſſe falſam, & obſervat falſitatem, & quod principium, cui innititur, eſt omninò falſum, inane & vanum; adhuc tamen ille vir doctus, qui hæc cognoſcit, poteſt eam ſententiam tutâ conſcientiâ ſequi, gerendo ſe ut indoctum:* quæ profectò eſt laxitas intolerabilis.

Non nego quidem, poſſe aliquando virum 378
doctum, privato judicio diffiſum, propriam deponere opinionem, alteriuſque ſe judicio ſubmittere, quem ex prudentiæ chriſtianæ regula doctiorem ſe, ac cæleſti lumine inſtructiorem ſentit. Hoc enim licitum eſſe nemo dubitat, modò quis puram omninò habens intentionem, unam veritatem quærat. Tunc enim fides illa, ac perſuaſio, quâ alium putat ſcientiâ veritatis inſtructiorem, hoc ab animo ipſius judicium elicit, iſtius alterius opinionem ſuâ probabiliorem eſſe.

Sed hoc locum non habet, dum omnibus, 379
tum rationibus, tum authoritatibus, inter ſe libratis, alienam opinionem certò falſam, vel minùs probabilem, cum aliis, vel æquè vel magis doctis viris judicat. Et ideò falſum improbabileque dixi, probabile quodcumque à peccato excuſare. Si enim probabile quodcumque; igitur etiam alienum, tametſi omnibus, tum rationibus, tum authoritatibus libratis, tibi viſum certò falſum, & improbabile, rationique & divinæ Scripturæ manifeſtè repugnans. Quod dici non poteſt.

Neque ſolum iſtud inconveniens foret con- 380
ſectarium, ſed inſuper ſequeretur 1°. utraque propoſitio damnata, de quibus 372. Si enim probabile quodcumque, ergo & illud quod probabile eſt, probabilitate quàmlibet tenui, dummodò à probabilitatis finibus non exeatur. Et ſi probabile quodcumque excuſet à peccato, ergo ab infidelitatis peccato excuſabitur infidelis, non credens, ductus opinione minùs probabili. Cùm relatè ad infideles (probabile exiſtimantes, non eſſe neceſſariò credendum Scripturæ, nec Traditioni, nec Conciliorum definitioni, ſed ſoli rationi naturali) probabiles, nec de falſitate convincibiles videantur errores, quos Doctores ſuæ ſectæ exiſtimant adeò ſolidâ ratione ſuffultos, ut de falſitate non poſſint convinci. Probabile autem quidpiam relatè dicitur, non abſolutè, ut vidimus num. 374. & ſeqq. Unde multa relatè ad infideles probabilia ſunt, quæ relatè ad fideles improbabilia ſunt, poſſeque infidelibus ſuam infidelitatem eſſe probabilem, etiam dum noſtra, ſeu vera fides ipſis proponitur ut magis credibilis, ipſimet Pro-

babiliſtæ admittunt, uti videbitur cap. 63. multaque in hæreticorum excuſationem proponit, nec ſolvit Caramuel. Th. fundam. pag. 472. *ad ſolamen* (inquit) *illorum, qui in Germania habitant, & multos viros aliàs probos infectos dolent hæreſi.* Quæ ſi vera ſunt, nullus penè hæreticus damnari propter hæreſim poterit: cùm penè nullus affirmare non poſſit, ſuam ſibi ſectam videri probabilem, immò probabiliorem Religione Romanâ.

381 Verum quidem eſt, plurimis ita videri, partim ex affectu diſtorto, diſtortum cauſante judicium; partim ex defectu debitæ conſiderationis & inquiſitionis, adeòque ex ignorantia vel inconſideratione culpabili, damnabilique. Sed adhuc ex illis plurimos excuſat Hiſpanus è Soc. Theologus, Petrus Oxea, in Tract. Mor. de virtut. Theol. diſput. 2. num. 9. 10. 24. & 25. Siquidem n. 10. dicit, ad ignorantiam vincibilem & culpabilem, in materia fidei, non ſufficere quòd introducta fuerit vel permanſerit culpabiliter, ut patet (inquit) à ſimili in eo qui die Dominicâ, quando Parochus admonere ſolet de feſtis & jejuniis hebdomadæ, omittit culpabiliter ire ad Sacrum, ut ludo vel ſomno indulgeat; & quia ad Eccleſiam non ivit, ignorat tali die eſſe jejunium, & propter hanc ignorantiam eo die veſcitur carnibus. Certè (inquit) ignorantia ipſius eſt peccato inducta, *& tamen veſcendo carnibus in eo die non peccat.* Manifeſtum ergo eſt (inquit) non ſufficere ad ignorantiam vincibilem, quòd per peccatum fuerit introducta, vel non expulſa, & quòd non eſſet in homine, ſi quod debebat feciſſet.

Numero verò 24. & 25. poſtquam retulit ſententiam S. Thomæ, & S. Bonaventuræ, aientium quòd, inter Chriſtianos, non detur ignorantia invincibilis rerum neceſſariò credendarum, ſive neceſſitate medii, ſive neceſſitate præcepti. Cùm ſit in Eccleſia tanta abundantia doctrinæ, præcipuaque fidei myſteria per anni circulum ſolemniter celebrentur, & in Concionibus, vel Catechiſmis, omnibus accedentibus explicentur, ad quos vel quas accedere negligentes cenſeri nequeunt inculpabiliter ignorantes. *Contrariam* (inquit) *ſententiam tenent plurimi.... quæ ſanè videtur multò probabilior. Quia* conſtat quidem *in Eccleſia eſſe magnam doctrinæ abundantiam, ſed eſſe etiam in Eccleſia permultos ſuæ ſalutis valdè incurios, ac penè immemores, qui ad Doctores & Magiſtros audiendos nunquam accedunt. Quomodò ergo docebuntur? Quid prodeſt flumen eſſe magnum, & valdè copioſum, ſiquis ad bibendum vel hauriendum non accedat? Quid prodeſt fidei myſteria ſolemniter celebrari, ſi vel non explicentur, vel quamvis explicentur, aliquis nunquam accedat ad audiendam explicationem? ut faciunt quamplurimi, qui in diebus feſtis auditione Miſſæ contenti... ſtatim in agros ſe conferunt, ita ut in toto anno vix unam audiant concionem. Itaque homo Chriſtianus, inter Chriſtianos educatus, poteſt eſſe adeò ſuæ ſalutis negligens.... ut ſolum noverit ſe eſſe Chriſtianum, & ſolùm credat in genere veræ eſſe omnia, quæ credit & docet Eccleſia, & præterea nullam aliam rem ex pertinentibus ad fidem, explicitè cognoſcat. Et quamvis videatur impoſſibile, ut homo Chriſtianus, inter Chriſtianos educatus, non audierit frequenter nomen Dei, & nomen Chriſti; tamen ſi interrogetur, quid nomine Dei, & nomine Chriſti intelligant, ignorant omninò rem ſignificatam. Et quamvis aliqualem notionem de Deo habeant, non tamen tamquam de re revelata ab ipſo Deo. Deinde de hac ſua ignorantia nullam habent anxietatem conſcientiæ, nullum ſcrupulum, nullâ etiam curâ punguntur, an, quantùm ad fidem attinet, ſatisfaciant ſuæ obligationi. Ergo ejuſmodi homines invincibilem habent ignorantiam rerum creditu neceſſariarum.*

Hæc tamen doctrina adeò eſt falſa, & adeò 382
propudioſa, ut vix credam oculis meis, dum illam lego in Theologo Chriſtiano. Dicere enim quòd invincibilis atque inculpabilis ſit ignorantia, ex tanta ſalutis incuria profecta, eſt laxitas non ferenda, ut pluribus demonſtratum eſt in ſuperioribus. Prorſuſque ridicula eſt ratio, in qua Scriptor ille ſe fundat, quòd utique tali homini nulla occurrat cogitatio ſuarum obligationum addiſcendarum, nulla etiam de hac ſua ignorantia anxietas, vel remorſus conſcientiæ. Quia id totum ipſi ad culpam imputatur, utpote proveniens ex voluntaria illa, & valdè culpabili ſalutis incuria, ex qua ſequi natum eſt, quòd multa non cogitet, & ſine conſcientiæ remorſu faciat, vel omittat, quæ cogitare deberet, & de quibus cogitaret, ipſumque conſcientia remorderet, ſi ſalutem ſuam adeò non negligeret. Sic quòd genus omne ſcelerum à Neronibus, Caligulis, & ſimilibus hominum monſtris, plerùmque abſque cogitatione de malitia, de Deique lege prohibente, & abſque conſcientiæ remorſu & anxietate perpetraretur, ex voluntaria culpabilique proveniebat corruptione mentis ipſorum, totalique ſalutis incuria. Et ideò nec illa ſtupenda inſenſibilitas, nec incogitantia ipſorum, abſque errore cenſeri poteſt invincibilis, inculpabiliſque. Et numquid quia hominibus admodùm vitioſis & corruptis, genus omne vitiorum, ex diſtorto affectu, diſtortum judicium cauſante, videri poteſt adeò probabile, ſeu probabiliter licitum, ut nullum in iſtis apprehendant peccatum, ejuſmodi judicium erit invincibile & inculpatum? abſit. Poſſe quidem genus omne vitiorum ſic videri probabile, oſtendit Auguſtinus l. 3. contra Academ. c. 15. & 16. exemplificans in adulteriis, perjuriis, parricidiis, &c. *Qui enim putant iſta probabiliter perſuaderi non poſſe, legant* (inquit) *orationem Catilinæ, quæ patriæ parricidium (quo uno continentur omnia ſcelera) perſuaſit.* Sed vel hinc (cum eodem Auguſtino) inferimus, probabile non eſſe, probabile quodcumque à peccato excuſare. Aliàs nefas om-

ne à peccato excuſabitur, cùm probabile cuiquam viſum fuerit à peccato excuſari.

CAPUT XXXV.

Regula quarta: Probabiliſmum, ſeu illius uſum, non excuſant variæ probabilis opinionis definitiones, ad declinandam nimia laxitatis invidiam à Novioribus Probabiliſtis excogitatæ.

383 OPinionem probabilem, ut antè dixi, cum veriſimili Veteres confuderunt; verùm noviores Probabiliſtæ, ſuam de licito probabilis cujuſcumque opinionis uſu doctrinam, apud eruditos invidioſam eſſe cernentes, ad declinandam invidiam, ſimulque muniendam ſibi viam ad juſtificandum probabilis cujuſcumque opinionis uſum, probabile à veriſimili diſtinxerunt, variiſque conditionibus ad probabile requiſitis, probabilem opinionem variè definierunt. Sed vel inutiliter ad intentum ſuum juſtificandum, vel aliquo modo fallaciter, ut in decurſu capitis apparebit: cùm requiſitas à ſe conditiones ipſimet labefactent.

384 Itaque Honoratus Fabri Dialogo 1. de opin. prob. §. *morem tibi*, probabilem opinionem cum prudenti judicio (licèt incerto) confundit, vel ſaltem prudentiam in definitione probabilis opinionis involvit, dum eam ſic definit: *Opinio probabilis illa eſt, quæ ex rationabili motivo procedit citra certitudinem.* Rationabile verò motivum eſſe dicit, *quod licèt intellectum non rapiat, ad aſſenſum tamen prudentem movet.* Et quis eſt prudens aſſenſus? *prudens* (inquit) *aſſenſus eſt, quem ſi quis dederit, eum prudenter feciſſe, ſapientes homines judicant.*

385 Sed imprimis ſic explicata definitio principium petit, atque adeò peccat contra Dialecticæ regulas, ſecundùm quas quæſita à conceſſis diſtinguenda ſunt, nec ponendum in definitione, quod eſt in quæſtione. In ſolemni autem de probabilitate controverſia, nihil magis in quæſtione eſt, quàm hoc ipſum, an omnis probabilitas, etiam minor, etiam minima (naturam tamen & definitionem retinens probabilitatis) prudenti aſſenſu approbari poſſit, iis in circumſtantiis, in quibus major probabilitas ex adverſo ſtare cognoſcitur. Nos id fieri non poſſe contendimus, & hactenùs (ni fallor) invictè demonſtravimus. Contrarium priùs demonſtrare debuiſſet Honoratus, quàm id in definitione poneret. Cùm non mediocris negotii, nec ſine multo argumentorum rationumque conflictu res iſta tranſigenda ſit, nec præpoſterâ feſtinatione (unâ ad libitum adhibitâ definitione) palma præripienda, nondum partâ victoriâ. Priùs namque legitimis argumentis certandum, quàm corona accipienda. Non enim coronabitur, niſi qui legitimè certaverit.

386 Deindè ſi definitionem, atque adeò eſſentiam probabilis opinionis ingredi debeat prudentia, ſola ad ſummum opinio probabilior verè & propriè probabilis, atque adeò practicabilis erit: utpote ſola ad ſummum prudenti aſſenſu approbabilis ab eo, qui perpenſis hinc inde fundamentis, unam partem præ altera melioribus fundamentis ſuffultam cognoſcit. Illa proinde definitio ad juſtificandum Probabiliſtarum intentum erit inutilis.

Denique ſi prudentia eſt de definitione veræ 387
probabilitatis, & ideò licitus ſit uſus cujuſcumque veræ probabilitatis; aſſenſus & uſus cujuſcumque probabilitatis non ſolùm minoris, ſed & minimæ (quæ tamen à veræ probabilitatis natura & finibus non exeat) erit prudens. Hoc autem eſt contra doctrinam S. Sedis ab Eccleſia receptam.

Secundò Iſquierdus in pharo ſcientiarum 388
diſput. 6. definit ſic: *Opinio probabilis eſt, quæ in re incerta, gravi nititur fundamento.* Hactenùs benè: ſic enim paſſim ab omnibus definitur. Sed ſtatim relabitur in difficultatem proximè impugnatam, dum grave fundamentum explicat per prudentiam his verbis: *Grave ſive prudens fundamentum vocatur, quod tanti ponderis eſt, ut in eo prudens quiſque poſſit inniti.* Ecce iterùm ponit in definitione, quod in quæſtione eſt, quodque ſoli opinioni probabiliori ad ſummum convenit; non minùs probabili (cujus licitum uſum per eam definitionem juſtificare prætendit) nec minimæ, etſi veram probabilitatem ſecundùm Probabiliſtas habenti. Quæ proinde in probabilis opinionis definitione comprehendi debet.

Nec hanc ſolam difficultatem, ſed & præ- 389
tereà novam incurrit, dum ad probabilitatem requirit fundamentum tanti ponderis, ut in eo prudens quiſque inniti poſſit. Sic enim ſolùm definire videtur opinionem, quæ probabilis ſit univerſim omnibus. Cùm tamen fundamentum, quod uni grave videtur, non ſemper videatur, nec aptum natum ſit videri grave omnibus; nec quod uni videtur probabile, ſemper omnibus videatur tale, ut conſtat ex dictis præcedenti capite.

Tertiò Caramuel in Apologem. protheo- 390
rem. 1. opinio (inquit) *probabilis ea eſt, quæ pro ſe habet rationes fortes; nullam autem demonſtrativam.* Sed quid per ipſum eſt ratio fortis? quæ non eſt evidenter falſa. In Theologia namque fundam. pag. 132. ſic ait: *Quid requiritur, ut opinio ſit probabilis à ratione? ut non ſit evidenter falſa*, id eſt quæ contra ſe rationem non habet demonſtrativam, ut infrà explicat, aiens, id omne eſſe probabiliter licitum, quod non impingit evidenter in legem obligatoriam evidenter. Sed per hoc patentiſſimam omnibus laxitatibus & corruptelis januam aperit, ut vidimus Prolegom. 1. c. 8. Et ipſemet Caramuel Th. Mor. n. 1559. inde concludit, polytheiſmum, hominibus ſibi relictis, eſſe poſſe probabilem. Et in Theol. fundam. n. 1644. negat mollitiem jure naturæ evidenter prohibitam, atque adeò probabiliter licitam facit Gentibus, legem Dei

positivam non habentibus.

391 Quartò P. Ferrier in lib. de probabilitate, imprimis dicit, *opinionem probabilem non esse quæ sophismatis tantùm innititur. Alioquin omnia hæreticorum commenta probabilia dicenda forent.* Deinde pergit: *Quid ergo opinio probabilis ex Casuistarum mente? Nimirùm firmum fixumque judicium, ex gravibus rationibus ortum; quod nec evidenti rationi, nec verbis Scripturæ sacræ, nec Conciliorum scitis, aut Summorum Pontificum decretis, nec unanimi Patrum consensui adversatur. Itaque ex Casuistis nulla opinio, tamquam probabilis, in Theologiam Moralem admittenda est, nisi dotes illas habeat annexas. Prima, ut gravibus rationibus innixa sit, id est quæ tam propè accedant ad veritatem, ut licèt non cogant, tamen animo sapientis & intelligentis viri satisfaciant, & ita solidæ sint, ut apertè falsa demonstrari nequeant. Altera dos est, ut vel rationi evidenti, vel catholicis dogmatibus, in Scriptura revelatis, vel Conciliorum, Summorumque Pontificum decretis, vel unanimi Patrum, Doctorumque consensui, non sit opposita. Cùm fieri non possit, ut cuiquam probabilis ea videatur opinio quam certò esse falsam cognoverit. Falsam autem eam videri necesse sit, quæ cum evidenti ratione, vel catholica veritate pugnare perspicitur.*

392 Verùm pius Contensonus rectè monet, non esse fidendum his ambagibus, seu verbis, quæ plena sunt æquivocationibus & fallaciis, quibus probabilitatis doctrina non tam emendatur, quàm involvitur, obscuraturque, ne exitium, quod bonis moribus adfert, facilè percipiatur. Primò namque, dum Ferrerius ait, opinionem probabilem non esse, *quæ sophismatis tantùm innititur*, non est verum de quibuscumque sophismatis, sed ad summum de crassioribus, seu grossioribus, quorum fallaciam doctus quisque facilè discernere potest; seu etiam de sophismatis, quæ talia appareant opinanti. Tametsi enim sophismatum alia sint aliis grossiora, alia subtiliora; alia apertiora, alia obscuriora; alia ad solvendum faciliora, alia difficiliora; alia nonnisi tardos & indoctos, alia nonnisi hæreticos, vel alios infideles, alia doctos etiam Catholicos fallentia: Sophisma tamen semper sophisma est, id est per se, & in se, semper falsum, vanumque, nec ullum sophisma verisimilitudinem habet, nisi ex ignorantia & tenebris humanæ mentis, quibus sublatis per affusam veritatis lucem, fallacium ejusmodi verisimilitudinum nubilum omne diffugit, apparetque futilitas rationum, quæ priùs videbantur habere momentum. Et hujusmodi sunt rationes, quibus nituntur omnes probabiles opiniones falsæ. Cùm ea falsi conditio sit, ut nonnisi falsis sophisticisque rationibus fulciri possit, non veris & reverà solidis. Quandoquidem ex vero nonnisi verum confici possit. Igitur ea falsarum quarumcumque opinionum, quàmlibet probabilium, conditio est, ut nonnisi sophismatis innitantur, id est rationibus fallacibus, materiâque vel formâ vitiosis, quæ non solidam veritatis vim, sed fallacem tantùm veritatis imaginem præ se ferant. Unde cùm evidens sit probabilium opinionum, invicem contradicentium, alteram semper esse falsam; evidens quoque est probabilium opinionum, invicem contradicentium, alteram nonnisi sophismatis semper esse suffultam. Sed quia nescitur quænam ex illis determinatè falsa sit, ob apparentes rationes utrimque occurrentes, inde fit quòd utraque, determinatè accepta, probabilis existimetur; non quòd utraque in se talis sit, sed quòd talis videatur, ob ignorantiam veritatis.

Non alio ergo sensu verum est, probabilem 393
opinionem non esse, quæ sophismatis tantùm innititur, nisi quòd illi probabilis non sit, qui eam sophismatis tantùm innixam esse cognoscit. Si enim sophisma, seu rationis fallacia, ab aliquo non cognoscatur, ea opinio ipsi probabilis esse potest. Inde enim fit quòd illæ ipsæ opiniones, quæ, non cognitâ rationum fallaciâ, probabiles à nonnullis Scriptoribus habebantur, eâ postmodùm detectâ, velut improbabiles repudientur.

Et quamvis rudes grossæque fallaciæ à ne- 394
mine meritò probabiles judicentur, partim ideò est, quia facilè ab omnibus cognoscuntur: partim quia nulla omninò fallacia meritò à quoquam probabilis judicatur. Quòd enim probabilis judicetur, hoc non ex merito ipsius fit, sed ex ignorantia, ut antè dixi. Et hinc fit, quòd minùs perspicacibus & minùs illuminatis mentibus plura probabilia videantur, quæ perspicacioribus & illuminatioribus velut improbabilia rejiciuntur. Et eâdem ratione Judæis, & aliis infidelibus probabilia sunt argumenta, quæ Catholicorum judicio certissima sunt sophismata. Apud quos multa improbabilia sunt, quæ apud hæreticos, Judæos, & Gentiles probabilia sunt, ut fatentur Casuistæ, quotquot in ipsis probabilem agnoscunt de sua infidelitate opinionem.

Secundò, dum Ferrerius probabilem opi- 395
nionem esse dicit, *firmum fixumque judicium*, vel obscurè loquitur, vel procul à vero. Cùm opinio ex definitione sua sit infirma vel imbecilla assertio.

Tertiò, æquivocatio est in eo quod addit, 396
opinionem probabilem esse judicium *ex gravibus*, seu (ut alii) *solidis, fortibus, & momentosis rationibus ortum.* Duplex quippe est gravitas & soliditas rationis, scilicet vera, seu realis, & apparens. Vera realisque soliditas non competit rationibus falsis, sed veris dumtaxat. Cùm nequeat esse reipsà solidum, quod est reipsà falsum. Nulla proinde opinio probabilis falsa nititur ratione verè & realiter gravi & solidâ, sed apparenter tali dumtaxat, seu existimatâ ab iis, qui earum inanitatem ignorant. Quomodò etiam Mahumetanis & Gentilibus sui errores solidi videntur, seu solidè fundati.

397 Et hinc quarta difficultas exurgit, per quid gravitas & ſoliditas apparens, quæ probabilibus opinionibus falſis competit, diſtinguatur ab ea quæ erroribus convenit?

398 Videtur Ferrerius huic occurrere difficultati, cùm ait: *rationem ſolidam eſſe*; non quæ talis apparet quibuſcumque, ſed *ſapientibus & intelligentibus*. Verùm eadem redit difficultas de ſapiente, quæ proximè mota fuit de ſolida ratione. Cùm, uti duplex ſoliditas; ita duplex ſit ſapientia, vera ſcilicet & apparens. Duplex proinde ſapiens, unus qui verè, alter qui ſolùm apparenter ſit talis. Quemadmodùm enim ratio, reipsà falſa, non eſt verè, ſed apparenter dumtaxat ſolida; ſic homo, cui falſum videtur verum, & fundamentum, reverà vanum, apparet ſolidum, quantùm ad hoc non eſt verè, ſed apparenter dumtaxat ſapiens. In allata proinde opinionis probabilis definitione, de ſapiente philoſophandum, uti de ſolida ratione; eo utique nomine, tam eum comprehendi, qui reverà talis ſit, quàm qui talis ſit apparenter, id eſt qui videtur talis.

399 Verùm-enimverò ſic intelligendo tota redit difficultas. Quia ex una parte ipſis etiam Mahumetanis, Gentilibus, hæreticis, &c. ſapientes videntur Doctores ſectæ ſuæ, & iſtis ſolida videntur ſuæ ſectæ fundamenta. Ex alia parte Ferrerius, aliique Probabiliſtæ, difficulter ediſſerent nobis, quiſnam veniat nomine ſapientis, ſeu verè, ſeu apparenter talis, & qualiter eſſe debeat qualificatus, ut grave ſolidumque meritò cenſeri queat fundamentum, quod ille approbaverit? Profectò ſi ſapiens non eſt, niſi qui doctus eſt, & *doctus homo nunquam ſic fallitur, ut falſum ipſi quaſi probabile obrepat*, prout Ferrerius ipſum pag. 32. depingit: talis doctus & ſapiens in alio, quàm in hoc caliginis & ignorantiæ ſtatu, quærendus eſt, nec quiſquam cathalogo ſapientum adſcribendus, cui falſum aliquando ut verum, vel ut probabile obrepſerit.

400 Quòd ſi propterea dicat, per doctum & ſapientem à ſe intelligi virum pollentem ingenio & eruditione non vulgari, nec mediocriter verſatum in materia, de qua agitur. Qualitates iſtæ non deſunt Doctoribus Mahumetanorum, Gentilium, & hæreticorum, &c.

401 Si præterea requirat, quòd in iſta materia non ſentiat contra rationem evidentem, nec contra catholicam veritatem, ſive contra divinæ Scripturæ verba, nec contra Pontificum vel Conciliorum decreta, nec contra unanimem ſenſum SS. Patrum & Doctorum. Nec ſic adhuc egreditur è labyrinto difficultatis, motæ contra ſolidam rationem, virumque ſapientem. Nam etiam dupliciter adverſari quis poteſt evidenti rationi, vel catholicæ veritati, ſive divinæ Scripturæ, authoritati, &c. Vel utique ſecundùm rei veritatem, vel ſecundùm apparentiam. Nec Ferrerius, & ipſius aſſeclæ, ad probabilem opinionem requirunt, ut vel opinio ipſa, vel ſapiens, qui illi ut probabili aſſentitur, ſecundùm rei veritatem non adverſetur evidenti rationi, vel catholicæ veritati, &c. (ſic enim nullæ falſæ opiniones probabiles eſſent, nec ſapientes forent earum approbatores) ſed vel ſecundùm rei veritatem, vel ſecundùm apparentiam. Omnis namque opinio falſa adverſatur lucidæ veritati. Omnis quippe veritas, in ſe abſolutè ſpectata, lucida eſt, ſeu evidenter cognoſcibilis, ab eo qui omnia cognoſcit ut in ſe ſunt, etſi relatè ad nos, in caliginoſo hoc ſtatu, multæ ſint veritates obſcuræ, etiam quoad naturalia morum præcepta; quibus tamen, ſecundùm ſe abſolutè ſpectatis, nihil lucidius. Cùm nihil aliud ſint niſi æterna lex, ſive æterna veritas & juſtitia, quæ ipſo lucidior eſt ſole. Unde Regius Pſaltes: *Præceptum Domini lucidum*, &c. Sed licèt præceptum Domini ſecundùm ſe lucidum ſit, tale non ſemper apparet hominibus, ob affuſas ex primigenia labe tenebras tantas, ut nullum ferè naturale præceptum ſit, quod, aliqua ſaltem ex parte, non ſit in dubium revocatum; immò ab integris populis Gentilibus contrarii erroris approbatione negatum. Et quamvis tenebras iſtas divina Scriptura ex parte removeat; non tamen ex toto. Cùm & ipſa Scriptura, licèt in ſe & per ſe lucidiſſima, cæcis ac tenebroſis mentibus ſit frequenter obſcura.

Verum quidem eſt, tantò plura divinis in 402
Litteris, legeque naturali, nonnullis eſſe perſpicua, quantò illuminatiores ſunt oculi mentis ipſorum: quia tamen nulli in hac vita conceditur lux plena atque perfecta, ſemper aliqua puncta legis naturalis & divinæ, ob ſuperſtites tenebras, etiam piis illuminatiſque mentibus, obſcura & incerta ſunt; atque, ob diverſos lucis ac tenebrarum ſtatus, nonnullis aliqua certa ſunt & evidentia, quæ aliis incerta ſunt, inevidentiaque; nonnulla etiam pleriſque apparent rationi vel ſacræ authoritati evidenter adverſantia, quæ aliis vel adverſari non videntur, vel ſaltem non evidenter adverſari, ſed inevidenter & incertitudinaliter dumtaxat.

Abſolutè itaque, ſive de abſoluta eviden- 403
tia loquendo, omne falſum morale, omnis proinde opinio probabilis falſa, in materia juris naturalis, & divini, uſque adeò adverſatur vel evidenti rationi, vel perſpicuo divinæ Scripturæ teſtimonio, ut illuminatæ menti, cui vel iſtud teſtimonium, vel illa ratio cum ea, quâ in ſe ſplendeſcit, luce innotuerit, de ipſius falſitate dubitatio eſſe non poſſit.

Sed ſi de relativa evidentia ſit ſermo, ſicut 404
non omne falſum, ſic non omnis opinio probabilis falſa, reſpectu omnium, evidenter pugnat cum ratione & Scriptura; ſed ſolùm reſpectu eorum quibus oppoſita veritas evidenter innoteſcit. Et ipſis quidem opinio illa falſa videtur rationi & Scripturæ evidenter contraria; non autem illis quibus oppoſita veritas non eſt manifeſtè cognita.

Hinc apparet de nulla probabili opinione 405
falſa, in materia morum, univerſim dici poſ-

se, quòd nec rationi, nec Scripturæ evidenter adversetur, tametsi verè ei adversetur, & evidenter adversari cognoscatur ab iis, quibus veritas perspicua est. De absoluta proinde evidentia verum esse non potest, quòd ad probabilem de moribus opinionem requiratur, quòd nec evidenter adversetur rationi, nec divinæ authoritati (aliàs nulla falsa de moribus opinio probabilis esse posset) sed de respectiva dumtaxat, quæ cum varia sit pro vario hominum lumine, atque ob istam varietatem eadem res his evidens sit, non istis vel illis; ad probabilem opinionem solùm requiritur, ut cui opinio illa probabilis est, is eam à ratione, vel Scriptura evidenter dissidere non putet.

406 Sed quia omnibus penè hæreticis persuasum est, errores suos, nec rationi evidenter contrarios esse, nec Scripturæ, per istam conditionem nondum ostendunt Probabilistæ, dictos errores (respectu hæreticorum) catalogo probabilium opinionum accensendos non esse. Nec de eo solliciti sunt ex ipsis nonnulli, ut Sanchez, Diana, Sancius apud Escobar Th. Mor. pag. 39. Cùm infidelium sectam (absurdissimos licèt contra manifestam rationem & Scripturam errores continentem) censeant relatè ad ipsos, esse posse probabilem, & ideò à peccato excusabilem, licèt nostra fides proponatur ipsis ut magis credibilis. Si infidelibus, id est Ethnicis, & Mahumetanis crassissimi errores sui esse queant probabiles; profectò & hæreticis, ut ipsi admittunt.

407 Accedit quòd, etiam relatè ad Catholicos, plures opiniones (ex mente plurium Probabilistarum) adhuc sint probabiles iis, qui censent eas evidenter repugnare rationi vel Scripturæ, dummodò alicui docto Casuistæ videantur non repugnare. Cùm authoritas unius viri docti, secundùm Sanchez l. 1. Summ. c. 9. n. 7. Layman Th. Mor. l. 1. tract. 1. c. 5. §. 2. n. 6. Caramuelem Th. fundam. pag. 137. aliosque non paucos, sit fundamentum sufficiens ad efficiendam opinionem probabilem. Adeòque is cui opinio ejusmodi videtur evidenter contraria esse rationi vel Scripturæ, non ideò possit eam, ut erroneam, vel improbabilem repudiare, sed sibi persuadere, rationem, vel authoritatem, quam ipse solvere nequit, à docto isto Casuista solvi posse. Ut enim Escobar ait in præloq. Theol. Mor. *accidere assolet, ut tibi probabiliter opinanti, ratio aliqua in contrarium convincens seu evidens videatur; sed non inde opinio probabilitatem amittit. Quia licèt tu illam non valeas solvere rationem, alius solvere quibit; idque tibi debes persuadere. Cùm tibi sæpè multæ rationes insolubiles exponantur, quæ ab aliis facili negotio solventur.* Similia habent Sanchez l. 1. Sum. c. 9. n. 6. Sayrus in clavi, Georgius de Rhodes disp. 2. de act. hum. q. 2. sect. 3. §. 1. Ubi sic: *Imprudenter se gereret, qui aliorum opiniones, communiter receptas, vel etiam novas, ideò tantùm judicaret improbabiles, quia rationes contra eas aliquas haberet, quas ipse non posset solvere, neque putaret ab aliis solvi posse. Quia persuadere sibi prudens quisque debet, multas sæpè rationes nobis apparere insolubiles, quas facilè alii solvunt. Ideò nemo unquam debet, solo suo judicio, aliorum sententias judicare improbabiles.* Nec dissentit Ferrerius, cùm pag. 32. dicat, *doctum hominem nunquam sic falli, ut falsum ipsi quasi probabile obrepat.* Multò minùs dissentit Caramuel, dum Theol. fundam. pag. 138. dicit, quòd ad demonstrandum opinionem aliquam non esse probabilem, non sufficiat quòd contra eam habeat quis rationes demonstrativas, quibus dari responsio probabilis non possit, nec quòd omnibus ad unam pro ea rationibus det solutionem, quæ evidenter sit vera! Sed quòd præterea ostendere debeat, opinionem illam non habere sufficientes Authores, ut dicatur probabilis. *Hæc omnia* (inquit) *simul ostendere debet, casurus causâ, etsi duo ex illis ostendat, modò unum non ostendat.* Secundùm ipsum verò id ostendere impossibile est, si opinio illa doctum unum Casuistam pro se habeat. Ut enim discurrit Theol. fundam. pag. 137. *in hoc omnes conveniunt, quòd opinio quatuor Authorum sit probabilis. Sed ad probabilitatem non requiri quatuor, imò unum sufficere, quatuor testantur, imò viginti aut plures. Ergo opinio unius Authoris est probabilis. At* (ut ait pag. 393.) *qui opinioni à multis viris magnis assertæ negat probabilitatem, hic negat... definitionem definito competere.* Et pag. 8. *Congregentur Europæi universi, docti, indocti... non tamen poterunt facere... viginti non esse viginti, ac proinde eam sententiam improbabilem facere, cui viginti Authores subscribant.*

Occinat jam nobis probabilisticam cantilenam laudatus Georgius de Rhodes ubi suprà, dicens, ad probabilem opinionem requiri, ut eam ratio aliqua bona fulciat; ut contra eam non sit ratio aliqua convincens; ut eam generaliter Doctores omnes ut absurdam & falsam non rejiciant; ut non repugnet principiis veris & receptis in Ecclesia, &c. Jam enim satis patet qualiter ista accipiant, quòdque, non obstantibus istis conditionibus, ut ab ipsis accipiuntur, doctrina de licito usu opinionis cujuscumque probabilis, non ideò à nobis perperàm & injuriâ dicitur causa magnæ corruptionis in materia morum. Vin ex ungue Leonem cognoscere? 408

Expendit conditiones istas Probabilista Tamburinus, & nihilominùs corruptionem magnam docuit l. 1. in Decal. c. 3. §. 4. posteaquam enim §. 3. ad probabilem opinionem & ipse requisiisset quòd ex altera parte nihil appareat convincens. Et §. 4. sententiam aliquam ut sibi certam tradidisset, adeòque sic ut crederet pro ea stare rationem convincentem; eo non obstante, contrariam opinionem adhuc probabilem & practicabilem asserit: *Si rationes* (inquit) *circa jus probent æqualiter pro colli-* 409

collitigantibus civiliter, Judex non potest, ut ego certum puto, rem cui maluerit adjudicare; sed debet rem dividere. Dixi, ut ego certum puto (nota benè) *nam propter extrinsecam bonorum Doctorum authoritatem asserentium, in hoc casu, posse Judicem, pro suo amico, si maluerit, sententiam pronuntiare: potes id ut probabile, si velis, amplecti.*

410 Quod Tamburinus hîc censet de Judice in casu allato, idem alii censent de puella prægnante, ad salvandum honorem suum, abortum procurante, de Lessianis circa homicidium opinamentis, deque tot aliis Prolegomeno 1. c. 2. recensitis, quæ licèt pluribus videantur certissimè falsa; ob extrinsecam tamen *bonorum Doctorum* iis patrocinantium *authoritatem*, Tamburini exemplo, probabilia practicabiliaque censeri poterunt. An non ista morum corruptio magna? Confer quæ dicturi sumus cap.... atque ex iis ampliùs manifesta fient, quæ jam diximus.

CAPUT XXXVI.

Ex conditionibus ab accuratioribus Probabilistis ad probabilem opinionem requisitis, concluditur à veritate alienam esse doctrinam ipsorum, de licito usu opinionis minùs probabilis de licito, in concursu & occursu probabilioris de illicito.

411 Recentiorum & accuratiorum Probabilistarum quasi Principes, Esparza & Terillus, ad occurrendum gravissimis difficultatibus contra vulgarem probabilis opinionis definitionem objectis, varias conditiones requirunt, ut opinio aliqua verè sit probabilis. Terillus namque, animadvertens definitionem illam occasionem dedisse propositionibus nimis laxis, de quibus per universum Orbem Christianum querelæ personueruntur; tract. de conscientia probab. q. 2. n. 41. & q. 5. n. 12. & in to. de Reg. mor. q. 1. n.... ad id multa requirit. *Primum omnium* (inquit) est, ut nitatur fundamento fide digno, *id est tali, quod aptum est ad assensum ab homine perito & probo, irreprehensibiliter judicante, impetrandum. Jam ut motivum aliquod sit tale, ante omnia, essentialiter requiritur, ne quidquam certi in contrarium afferatur. Quia nemo irreprehensibiliter judicat contra id quod est certum. Unde nihil contrarium fidei, aut Decretis Summorum Pontificum, vel Conciliorum approbatorum, aut expresso Scripturæ textui, vel unanimi SS. Patrum consensui, aut ulli argumento plenam fidem facienti, atque moralem certitudinem inducenti, est probabile. Secundò sententia aliqua, ut sit probabilis, confirmari debet motivo gravi, ac magno, scilicet validè attrahente ad assensum. Et quidem magnitudo hujus motivi sumi debet non solùm absolutè, quatenùs vehementer impellit secundùm se, sed etiam relativè ad omnia in contrarium allata, adeò ut etiam in contradictione illorum, vehementer alliciat ad assensum, idque præcisè vi suæ magnitudinis, tam absolutæ, quàm comparativæ; & non ex affectu & propensione ejus cui proponitur. Si enim tanta sit illius vis, ut à perito & probo, irreprehensibiliter judicante, assensum impetrare valeat, tale & non aliud motivum appellamus magnum, grave, seu probabile, sistendo semper in rebus obscuris, & non certò cognoscibilibus. Dixi, non certò cognoscibilibus: quia si veritas per humanam diligentiam certò sciri posset, omnes tenerentur ad veritatem ipsam inveniendam, & juxta eam operandum. Unde ad probabile practicum, sive ad probabile pro conscientia dirigenda, tertiò (& valdè notanter) requirimus, ut diligentia debita pro veritate reperienda juxta qualitatem rei & humanam conditionem præmittatur. Nisi enim diligentia debita adhibeatur, nemo pro conscientia formanda ullam opinionem prudenter adhibet.*

Præiverat Terillo P. Esparza. Postquam 412
enim 1. 2. q. 23. probabilem opinionem esse dixisset, *quæ nititur motivo fallibili, sed magni momenti, id est fundante* seu relinquente *exiguam formidinem de opposito*, id explicans in Appendice ad q. de licito usu opinionis probabilis, ad probabilem opinionem requirit, *ut nitatur fundamento absolutè & comparativè magno, id est fundamento, quod non solum seorsim, & secundùm se sit difficilè solubile, & validè pertrahat ad assensum, sed quod comparatum etiam cum fundamentis oppositæ partis, retineat adhuc vim magnam pertrahendi ad assensum.*

Fateor istis omnibus conditionibus, simul 413
junctis, non parum restringi vagam probabilitatem, licitumque ipsius usum, dum per eas ostenditur, quòd licèt hæreticis errorum suorum fundamenta appareant magna, immò & certa; ipsorum nihilominùs sententia non sit opinio probabilis, sed error damnabilis: quia talia ipsis non apparent post diligentem veritatis inquisitionem, citra passionem & culpam, sed talia ipsis apparent culpâ suâ, sive ex culpabili errore.

Sed ampliùs ex iisdem conditionibus effica- 414
citer conficitur, videlicet à veritate alienam esse doctrinam ipsorum, de licito usu opinionis minùs probabilis de licito, in concursu & occursu probabilioris de illicito. Primò, quia magnitudo motivi, seu fundamenti, quam esse dicunt de ratione probabilis opinionis, sumi non debet in ordine ad omnes viros doctos & probos (aliàs nemo certificari posset de suæ opinionis probabilitate: cùm certus esse nequeat quòd fundamentum ipsius apparere debeat magnum omnibus. Quæ enim uni apparent magna, aliis sæpè apparent exigua) sumi ergo debet in ordine ad intellectum proprium ipsius opinantis & operantis. Atqui motiva seu fundamenta opinionis de licito, intellectui operantis apparere non possunt magna, dum comparantur & concurrunt cum fundamentis opinionis de illicito, quæ ipsi apparent fortiora & urgentiora. Ut enim rectè

Thyrsus Gonsalez Soc. Jesu Generalis in fundam. Th. Moral. dissert. 1. §. 3. n. 18. non est magnum comparativè, quod vincitur à contrario; sicut in statera non est comparativè magnum pondus, positum in una lance, dum vincitur à pondere existente in oppositа, & bilancem deprimente. *Sic* enim se habent pondera motivorum ad flectendum intellectum, sicut pondera materialia ad inclinandam seu deprimendam bilancem, testeque Philosopho, Rhetoric. 7. *magnum* comparativè *dicitur, quod est excedens.*

415 Secundò, motivum opinionis de licito non habet vim magnam pertrahendi ad assensum irreprehensibiliter præstandum ab homine perito & probo, dum concurrit & occurrit cum motivo fortiùs impellente ad dissensum. Quia, ut idem Author rursum benè arguit num. 19. vir peritus & probus nequit irreprehensibiliter judicare actionem aliquam esse licitam, quando sentit, & experitur fortius motivum ad judicandum esse illicitam; nec intellectus flecti potest ad ita judicandum, nisi avertat oculos considerationis à motivis impellentibus ad judicandum esse illicitam. Quod irreprehensibiliter fieri nequit: cùm hoc sit voluntariè claudere oculos, & nolle intelligere ut benè agat.

416 Tertiò, opinio de licito, concepta ex motivo minùs probabili, cognito ut tali, non potest non esse concepta ex magna & valdè prudenti formidine de illicito. Qui enim judicat contractum A. esse licitum, dum videt fortius motivum, ad judicandum esse illicitum (dato quòd ex voluntatis imperio sic judicare possit, quòd fieri non posse, constat ex dictis cap. 12.) non judicat ex meritis causæ, sed quia sic vult judicare. Cùmque comparando motivum judicii sui, cùm motivo impellente ad judicandum contrarium, ipsi appareat, verisimilius esse quòd judicium suum sit falsum, quàm verum; in istis circumstantiis sequi nata est magna & prudentissima formido de malitia dicti contractûs. Igitur opinio minùs probabilis de licito, in concursu & occursu probabilioris de illicito, non fundat seu relinquit exiguam, sed magnam formidinem.

417 Quartò, ex prima conditione à Terillo requisita, conficitur, verè probabilem non esse opinionem minùs probabilem de licito, in concursu & occursu probabilioris de illicito. Nam primum quod ad opinionem verè probabilem requirit, est *ut nitatur fundamento fide digno, id est tali quod aptum est ad assensum ab homine perito & probo, irreprehensibiliter judicante, impetrandum.* Meritò quidem, quia, ut Esparza fatetur citato art. 102. *apud Authores Latinos, tam Veteres* (Sanctis quoque comprehensis) *quàm Recentes, probabile sumitur pro approbabili, seu pro eo quòd approbare, & cui adhærere ac assentire intellectus merito potest cum formidine partis oppositæ.*

418 Quod & Eminentiss. Cardinalis Lauræa testatur in 3. sent. disput. 11. a. 4. §. 241. 281. & 303. uti vidimus num. 129. Idipsum testatur Antonius Cotonius, in Universitate Patavina Cathedræ Metaphysicæ Moderator Controvers. 5. c. 5. q. 5. Seraphinus quoque Piccinardus dogmat. Philosoph. to. 1. pag. 195. Atqui intellectus meritò ut veram approbare non potest opinionem de licito, dum ipsi apparet probabiliùs falsa, quàm vera, nec ei meritò adhærere potest, & assentiri; sed (si irreprehensibiliter, adeòque secundùm merita causæ judicet) debet ipsam potiùs reprobare ut falsam; cùm secundùm merita causæ sibi proposita, magis appareat falsa quàm vera. Quam ob causam sicut Esparza citato art. 112. fatetur, opinionem non manere absolutè probabilem ei, cui fundamentum falsitatis ipsius apparet manifestè majus; sic fateri debet, opinionem non manere absolutè probabilem ei, cui fundamentum falsitatis ipsius apparet absolutè & simpliciter majus. Unde laudatus Cardinalis loco citato §. 281. optimè docet, non debere vocare *probabilem, in vero ac proprio sensu Aristotelico, aut etiam Scripturali, sententiam illam, quæ operanti apparet minùs verisimilis quàm contraria. Nam probabile idem importat, ac dignum ut approbetur. Non est autem digna approbare sententia, quæ repræsentatur ut minùs verisimilis.* Et n. 241. *Illud existimarunt probabile* (SS. Patres) *quod carens evidentiâ, haberet omnia alia motiva, quæ inveniri possunt ad illud suadendum; idemque est apud illos probabile, quod nos dicimus probabilius.* Et Piccinardus ubi suprà: *Omnes antiqui, tam Theologi, quàm Philosophi, probabile, pro eo quòd nunc probabilius dicitur usurpabant.* Apud operantem itaque non manet probabilis opinio de licito, nisi ita prævaleat fundamentis opinionis de illicito, ut operans meritò possit, ex vi fundamenti quo nititur, judicare actionem esse licitam. Per consequens ille qui ob fundamenta sibi verisimiliora, judicat actionem esse illicitam, licèt contrariam opinionem censere queat aliis probabilem, istis in circumstantiis censere eam non potest probabilem sibi. Quia eam censere non potest dignam approbatione suâ, sed reprobatione potiùs.

419

420 Idipsum conficitur ex definitione probabilis opinionis, quam tradit Ferrerius (uti vidimus cap. præcedenti) opinio probabilis *est firmum fixumque judicium ex gravibus rationibus ortum, quod nec evidenti rationi, nec verbis Scripturæ Sacræ, nec Conciliorum sciti, nec SS. Pontificum decretis, nec unanimi Patrum consensui adversatur.* Cùm firmum fixumque judicium de licito formari nequeat, dum, omnibus hinc inde perpensis, majus apparet fundamentum ad judicandum illicitum, quàm licitum. Ad summum enim tunc formari potest firmum fixumque de licito judicium, dum omnibus pensatis fundamenta opinionis de licito apparent longè urgentiora fundamentis in contrarium. Quia ad summum tunc solùm

excludit

excludi potest formido magna & prudens de illicito.

421 Idipsum denique conficitur ex definitione, quam tradit Ludovicus de Scildere tr. de princip. consc. c. 2. §. 1. n. 12. *Opinio probabilis est assensus cum formidine, innixus rationibus gravibus, ex quibus vir consideratus, post argumenta contraria considerata, & soluta, in negotio magni momenti concludere solet.* Conficitur (inquam) solùm illam opinionem probabilem esse, cujus rationes longè superant rationes in contrarium. Si enim rationes in contrarium sint æquales, vel ferè æquales, & à fortiori si sint longè fortiores, nullus consideratus vir opinioni illi præstabit assensum, ex eaque processurus est ad praxim. Nullus etiam vir consideratus judicabit se facturum ex negotiatione lucrum, quando rationes contra spem lucri sunt æquales vel fortiores rationibus pro lucro. Non potest itaque voluntas prudentem pro una potiùs altera parte assensum imperare, dum eidem intellectui paria hinc inde proponuntur rationum momenta; multòque minùs pro ea, cujus fundamenta apparent longè minùs solida.

422 Quidquid de his sit, opinio probabilis, in quæstione, quâ Catholici Doctores quærunt, an licitus sit usus ipsius, illa est, quæ fulcitur argumentis, quæ licèt non convincant, adeò tamen verisimilia sunt, ut viris non vulgariter eruditis, & in materia, de qua agitur, non mediocriter versatis, post diligentem veritatis inquisitionem, citra passionem & culpam, non solùm videantur convinci non posse falsitatis, neque per rationem, neque per divinæ Scripturæ authoritatem, neque per Ecclesiæ declarationem, nec per unanimem Sanctorum traditionem, sed & vera videantur, Scripturisque & Ecclesiæ declarationibus, & Sanctorum doctrinæ & rationi conformia; dignaque proinde, quibus homo irreprehensibiliter assensum præbeat.

423 Hinc definitionem hæreticorum erroribus non convenire, nec debere convenire, satis constat ex præmissis. Quia probabiles non sunt opiniones, quas de ipsis habent, quamvis ipsi existiment, illas niti argumentis, quæ ipsis apparent assensu digna, nihilque à se asseri contra rationem, vel Scripturam. Neque enim sic ipsis videtur citra passionem & culpam, sed partim ob superbiam, & voluntariam cæcitatem ipsorum, partim ob culpabilem inquirendæ veritatis negligentiam. Unde error opinioque ipsorum est voluntarius in causa.

CAPUT XXXVII.

Ex divinis Scripturis ostenditur nefas esse sequi opinionem probabilem de licito, quæ (post veritatis inquisitionem) probabilius apparet falsa, quàm vera.

424 IMprimis id ostenditur ex Deuteron. 17. *Si difficile & ambiguum apud te judicium esse perspexeris, inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & lepram, & Judicum intra portas tuas videris verba (seu opiniones) variari, surge.... Veniesque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad Judicem qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis.... judicii veritatem. Et facies quodcumque dixerint qui præsunt loco, quem elegerit Dominus.* Ecce casus variantium opinionum inter Judices, quorum licèt gravis esse soleat authoritas, nec proinde variantibus opinionibus ipsorum desit probabilitas, in ista nihilominùs varietate Judæis non dat Deus libertatem sequendi quam voluerint opinionem, sed jubet ut studiosissimè inquirant, & pro posse sequantur veritatem, adhibito in consilium cœtu Sacerdotum, eorumque Præside summo Sacerdote. Si tantam veritatis studiositatem Judæis Deus imperavit, profectò incredibile est, quòd majorem falsitatis, quàm veritatis apparentiam, tametsi pro veritate probabilem sequi permittat Christianis. Et si Judæis sequi non permiserit probabilem quamcumque opinionem Judicum, credibile non est quòd Christianis sequi permittat probabilem quamcumque opinionem Casuistarum.

Secundò, ex omnibus divinis testimoniis, 425
quibus veritatem in omnibus pro posse sequi jubemur. Eccli. 37. *Ante omnia verbum verax præcedat te.* 1. Reg. 12. *Servite ei in veritate.* Tob. 14. *Servite Domino in veritate.* Ad Ephes. c. 4. *veritatem facientes*, &c. quantùm scilicet in tenebroso hoc statu scimus & possumus. Non sequitur autem veritatem, quantùm scit & valet, qui facit id quod cognoscit probabiliùs esse, quàm non esse contra veritatem divinæ legis. Cùm recedat ab ea parte, quam judicat propiùs ad divinæ legis veritatem accedere, ad eamque accedat, quam credit propiorem falsitati. Unde etiam impingit in præceptum Apostoli ad Ephes. 5. *Videte itaque, fratres, quomodò caute ambuletis, non quasi insipientes, sed velut sapientes.... intelligentes quæ sit voluntas Dei.* Et ad Philipp. 4. *Quæcumque sunt vera.... hæc cogitate. Non enim possumus aliquid adversus veritatem* (inquit 2. Cor. 3.) *sed pro veritate*, sequendo eam, quantùm scimus & possumus.

Tertiò, rursus ex omnibus divinis testimo- 426
niis, quibus admonemur, imò jubemur sollicitè & instanter postulare à Deo veritatis notitiam, divinæque legis cognitionem, ut per eam ambulantes ad Deum perveniamus. Psal. 24. *Vias tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me. Dirige me in veritate tua, & doce me.* Psal. 42. *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam, ipsa me deduxerunt*, &c. Psal. 85. *Deduc me in via tua, & ingrediar in veritate tua.* Psalm. 118. *Da mihi intellectum ut sciam testimonia tua. Doce me justificationes tuas. Doce me facere voluntatem tuam. Vias tuas Domine demonstra mihi. Non abscondas à me mandata tua.* Haud dubiè quia nobis necessaria est notitia veritatis, & divinæ legis, ut ad Deum pervenire possimus. Ad id verò necessaria non esset notitia veritatis, & divinæ

legis, si absque ea obtineri posset benè agendi securitas, probabilitatem sequendo. Quid enim necesse est nos fatigare, petendo jugiter à Deo notitiam veritatis, si securos nos credere possimus, ductu & usu cujuslibet probabilitatis, etiam minoris? Cessat ergo sollicitudo & studium quærendi & postulandi à Deo notitiam veritatis, si ad conscientiæ securitatem sufficiat probabilem sequi opinionem, etiam dum cognoscitur probabiliùs falsa, quàm vera. Qui enim talem sequitur opinionem, convincitur sollicitè non quærere veritatem, nec opinionem amplecti propter veritatem. Nam qui opinionem propter veritatem sincerè amplectitur, non quamlibet amplectitur opinionem ex duabus sibi invicem contradicentibus, tametsi utraque sit probabilis (cùm veritas in una dumtaxat reperiri valeat) eamque multò minùs amplectitur, in qua majora videt indicia falsitatis; sed eam in qua majora videt indicia veritatis.

427 Dixi, *imò jubemur* sollicitè & instanter à Deo postulare notitiam veritatis. Quia, ut Augustinus l. 1. contra Academ. c. 4. ait: *quisquis minùs instanter quàm oportet, veritatem quærit, is ad finem hominis non pervenit. Quisquis autem tantùm, quantùm homo potest, ac debet, dat operam inveniendæ veritati, etiamsi non inveniat, beatus est: totum enim facit, quod ut faciat ita, natus est.* Et epist. 6. *Omnes aut sumus, aut tenemur esse cives illius civitatis, cujus Rex & Imperator est veritas; ne simus ex alia, cui falsitas dominatur & vanitas.* Et ideò lib. 22. de Civit. c. 23. graviter monet, *sollicitè excubandum esse, ne opinio verisimilis fallat; ne decipiat sermo versutus; ne se tenebræ alicujus erroris offundant; ne quod bonum est, malum; aut quod malum est, bonum esse credatur.... ne in ea, quæ agenda non sunt, cupido præcipitet.* Cur sic excubare debemus? quia, ut ait serm. 12. de temp. *voluntatis propensio authoritatem vitiis quærit, & quod malum est, bonum, aut bono proximum esse suadet.* Quisquis verò sequitur opinionem minùs probabilem de licito, cognoscens probabiliorem de illicito, minùs profectò instanter veritatem quærit, nec ei inveniendæ tantùm quantùm potest, & debet, dat operam, nec sollicitè excubat, ne opinio verisimilis fallat; imò falli vult, & in illicita cupiditate præcipitatur. Cùm opinionem probabiliùs falsam, cognitam ut talem, non sequatur amore veritatis, sed suæ libertatis; cujus proinde amor, & voluntatis propensio authoritatem seu probabilitatem vitiis seu illicitis quærit, dum id quod illicitum est, licitum esse suadet.

428 Quartò ex Psalm. 118. *Tu mandasti, mandata tua custodiri nimis*, id est valdè sollicitè cavendo aliquid contra facere, ut communis habet sacrorum Interpretum expositio, cujus veritatem ostendunt verba ista Deuteronomii 26. *Deus præcepit tibi, ut facias mandata hæc... & impleas ex toto corde tuo, & ex tota anima tua.* Ostendit & primum mandatum diligendi Deum *ex toto corde tuo*, &c. Quisquis enim Deum diligit, & mandata implet ex toto corde suo, &c. omni sollicitudine caret, quantùm scit & potest, Dei offensionem, mandatorumque ipsius transgressionem. Siquidem *res est solliciti plena timoris amor.* Omni verò sollicitudine, quantùm scit & potest, Dei non cavet offensionem, nec mandatorum ipsius transgressionem, qui sciens & volens facit quod probabiliùs cognoscit esse, quàm non esse Dei offensionem, &c. Vide suprà n. 285.

Quintò ex Eccli. 3. *Qui amat periculum, in illo peribit.* Atqui periculum amat peccati, qui sciens & volens exponit se morali periculo illius. Hoc autem si faciat qui id facit, quod cognoscit æquè probabiliter esse, quàm non esse peccatum (ut probavi n. 183.) à fortiori qui facit quod cognoscit probabiliùs esse, quàm non esse peccatum. 429

Sextò ex Philipp. 2. *Cum metu & tremore salutem vestram operamini.* Cum metu namque & tremore salutem suam operari, est valdè sollicitè cavere, non solùm omne peccatum, quo salus impeditur, sed & morale periculum omne peccati. Quod valdè sollicitè non cavet, qui facit quod probabiliùs cognoscit esse peccatum. 430

Septimò ex 1. Thessalon. 5. *Ab omni specie mala abstinete vos*, id est *ab omni re, quæ speciem mali prætendit*, ut exponit Glossa ibidem. Unde alia versio habet: *Ab omni specie mali abstinete vos.* Ab omni verò specie, seu apparentia mali non abstinet, qui facit id, in quo videt majorem apparentiam, seu probabilitatem mali. 431

Octavò ex Rom. 6. *Omne quod non est ex fide, peccatum est.* Quorum verborum licèt sensus multiplex sit, eorum unus est, quo per fidem intelligitur conscientia, uti exponit Concilium Lateranense sub Innocentio III. can. 41. Sensus ergo est, peccatum esse omne quod conscientia per firmum fixumque judicium (ut contextus manifestat) non dictat esse absque peccato. Quod profectò per firmum fixumque judicium non dictat conscientia illius, qui agit quod probabiliùs credit esse peccatum. Quemadmodùm enim talis id credit speculativè, sic credit & practicè. Cùm judicium practicum sequatur speculativum, quandocumque nova non intervenit circumstantia, vel novum se non offert principium, quo intellectus sufficienter moveatur ad aliter practicè judicandum, quàm speculativè. Talis verò circumstantia supponitur hîc non intervenire. Tale etiam principium sese non offerre, constat ex demonstrata inanitate principiorum, quibus nituntur Probabilistæ. 432

Nonò ex Matth. 7. *Intrate per angustam portam: quia lata & spatiosa via, quæ ducit ad perditionem. Quàm angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam!* Sed si agere liceret omne probabiliter licitum, etiam dum probabiliùs apparet illicitum, non esset adeò angusta porta, & arcta via, quæ ducit ad vitam. Cùm probabilismus adeò dilatatus sit, 433

ut tota penè Theologia Moralis problematica sit, ut videre est in Theologia Morali, quam vastis voluminibus in folio Probabilista Escobar conscripsit, totam ferè secundùm duplicem viam, alteram alteri contradictoriè oppositam: *Est & non est; licet & non licet; peccat & non peccat; tenetur & non tenetur*, &c. Quarum viarum utramlibet in præloquio cap. 3. n. 13. pronuntiat adeò securam, ut *quamcumque* (inquit) *duarum primò diversarum, inierint homines, rectà tendant ad superos.* Idipsum constat ex eo quòd *tot jam sint de humanis actibus opiniones* (teste Eminent. Card. Bona in princip. vit. christ. p. 2. §. 46.) ut ferè liceat quidquid lubet. Teste namque experientiâ, tanta est multitudo, tantaque diversitas probabilium (ut vocant) opinionum, de qualibet ferè re proposita, totque glossæ, tricæ, limitationes, inventiones, quibus divinæ, humanæque leges inflectuntur, elumbantur, mangonizantur, relaxantur, ut legibus vix relinquatur locus, & Alexander VII. in decreto anni 1665. non solùm conqueratur, complures opiniones, christianæ vitæ relaxativas, partim antiquatas iterùm suscitari, partim noviter prodire, alienas ab Evangelica simplicitate, & SS. Patrum doctrina, sed & metuat *ne* per eas *viam salutis, quam suprema Veritas, Deus, cujus verba in æternum permanent, arctam esse definivit, in animarum perniciem dilatari, seu verius perverti contingat.* Fallitur proinde Terillus, dum homine docto indignum censet, ex sententia illa Evangelica contra Orthodoxos Scriptores arguere, tr. de conscient. prob. q. 25. n. 25. addens similia loca, à Jansenistis perperàm objecta, coram vetulis & rudibus declamari posse, non tamen movere Theologum, nisi fortè ad risum & compassionem. Fallitur (inquam) cùm supremus Theologorum omnium Magister inde motus fuerit, non ad risum, sed ad justum contra Probabilistas & laxiores Casuistas, licèt Orthodoxos, dolorem & timorem, ut proximè vidimus. Videat ne fortè ipse potiùs risu excipiendus sit, dum nobis objicit Evangelicum istud; *jugum meum suave est*, ob dicenda num. 445. & seqq.

434 Innumera alia divinæ Scripturæ testimonia videri possunt apud Antonium Merendam in edito à se Opere de consilio, ubi plusquàm centum sacra testimonia congerit, atque ex SS. Patrum mente explicat ad intentum.

CAPUT XXXVIII.

Secundò idipsum probatur exemplis eorum, quos vel Scriptura reprehendit; vel ipsa, aut probatæ historiæ redarguunt, vel pœnas dedisse referunt, neglectæ probabilioris opinionis in rebus agendis.

435 PRimum exemplum sumitur ex 3. Reg. 12. ubi reprehenditur Roboam in eo quòd consilium juniorum, & minùs expertorum prætulerit consilio seniorum, & magis expertorum, in regimine populi sibi commissi, *respondit Rex populo dura, derelicto consilio seniorum.... & locutus est eis secundùm consilium juniorum.* Multò ergo magis reprehendendi sunt, qui, in rebus ad salutem æternam spectantibus, sequuntur opinionem minùs probabilem, derelictâ probabiliori. Quod enim Terillus ait, consilio juniorum nullam subfuisse probabilitatem, parum credibile est, si omne illud probabile sit quod gravi nititur authoritate, vel ratione, nec quidquam convincens affertur in contrarium. Neque enim adeò juvenes erant illi, quorum consilium secutus est, ut nihil omninò gravitatis præ se ferrent: cùm essent Coætanei Roboam, qui anno 41. ætatis regni possessionem accepit. Nec consilium ipsorum destiturum fuit plausibili ratione, vel convictum certâ in contrarium ratione. Consuluerunt enim respondere populo dura, ut inde populus territus, caveret sibi imposterùm Regi tam liberè loqui, seditionemque excitare. In eo proinde secuti sunt sententiam plurium artis regnandi peritorum, qui populos, ad seditionem proclives (quales erant filii Israël) metu magis quàm amore censent regendos. Quamvis ergo felicitas defuerit Roboam, non defuit probabilitas. Hæc proinde non excusat imitatores Roboam, qui derelictâ probabiliori sententiâ veterum Magistrorum, sequuntur opinionem minùs probabilem juniorum Probabilistarum.

Secundum exemplum sumitur ex 3. Reg. 13. 436
ubi Gad Propheta, tamquam inobediens voci Domini, à leone occisus describitur: eò quòd utique contra præceptum sibi à Deo factum, comederit in Bethel, in eo obsecutus alteri Prophetæ, attestanti sibi divinitùs revelatum, ut ipsum ad comedendum secum reduceret in domum suam. Ipsum proinde à peccato non excusavit probabilitas revocati mandati sibi divinitùs facti; probabilitas (inquam) fundata in gravi authoritate istius Prophetæ, qui revocationem illam eo ipso attestabatur, quo revelationem reducendi ipsum in domum suam, ad comedendum secum. Omne ergo probabile non est licitum, & tutum. Licèt interim Gad in eo mortaliter non peccaverit, vel propter materiæ parvitatem, vel propter simplicitatem, aut inconsiderationem, *quâ, alienâ decipiente fallaciâ* (inquit Augustinus in lib. de cura pro mortuis) *obedire se credidit. Neque enim putandum est ita fuisse interemptum morsu bestiæ, ut ad supplicium tartareum deinceps anima raperetur: quandoquidem ipsum ejus corpus, idem leo qui occiderat, custodivit, jumento etiam, quo vehebatur, illæso*, &c. Quid igitur illo nos exemplo docere voluit Deus? Ex duobus mandatis invicem contrariis, certius & probabilius esse præferendum. Cujus contrarium ipse fecit, cùm sibi certius probabiliusque foret divinum mandatum immediatè sibi factum, de abstinendo, quàm posterius, per alterum Prophetam insinuatum, de comedendo. Illo proinde exemplo à fortiori demonstratur quòd

peccaret Religiosus, qui, judicio minùs probabili, credens factam sibi à Deo revelationem dispensationis super solemni suo castitatis voto, matrimonium contraheret, tametsi oppositum aliquando docuisse, sed in ipsomet prælo revocasse dicatur Salas.

437 Tertium exemplum est eorum, qui dæmonem in figura Christi sibi subtiliter apparentem pro Christo adoraverunt, uti fecisse memoratur Valens Monachus, apud Cornelium à Lapide in cap. 11. secundæ ad Corinth. quem tamen peccasse non est dubium. Si enim S. Simeon Stylites culpatur à Patribus, in eo quòd, ad suggestionem dæmonis, sibi in figura Angeli lucis, super igneo curru apparentis, pedem levaverit, ut currum illum more Eliæ conscenderet, licèt vir tam sanctus id non fecerit sine ulla visa sibi probabilitate, quòd Angelus esset lucis, qui sibi apparebat: à fortiori peccasse dicendi sunt, qui dæmonem, in figura Christi sibi apparentem, adoraverunt; tametsi adeò subtiliter & plausibiliter factæ fuerint illæ transfigurationes, illusionesque, ut plurimæ opiniones à Neotericis existimatæ probabiles, majorem non habeant veritatis speciem seu apparentiam. Ad cavendam proinde illusionem Sancti monent (apud eumdem ibidem) *Etiamsi Angelus in veritate tibi appareat, non suscipias facilè; sed humiliate, dicens: Non sum dignus Angelum videre:* memor Apostolici moniti: *Ipse enim satanas transfigurat se in Angelum lucis.* Sed quid est, quòd Sancti usque adeò caveri volunt hac de re deceptionem, si opinio quæcumque probabilis, etiam falsa, & probabiliùs falsa, à peccato excuset? Hoc enim dato, cur similiter non excusant subtiles illæ transfigurationes, nonnisi valdè difficulter discernibiles? maximè cùm Angelo satanæ, se taliter transfiguranti, speciosæ plausibilesque rationes non desint, quibus etiam bonos & Sanctos subinde decipit, sub specie pietatis? Nam ut Bernardus serm. 6. in Psal. 90. c. 6. *Quos perfectos boni viderit amatores, malum eis, sub specie boni, non mediocris, sed perfecti, persuadere conatur, ut citò consentiat, qui magnoperè diligit bonum.* Nec tamen ideò excusantur, qui taliter illuduntur. Aliàs satanæ non prodessent fallaciæ suæ. Et non solùm non excusantur, qui ab Angelo satanæ taliter illuduntur, ut minùs probabiliter credant ipsum esse Angelum lucis, sed ne illi quidem semper excusantur qui id probabiliùs credunt, ut constat ex allato S. Simeonis exemplo, aliorumque piorum, à diabolo deceptorum, qui debitam non adhibuerunt præcautionem, ne specie pietatis verisimiliùs apparentis illuderentur. Neque enim S. Stylites pedem levasset ad conscendendum igneum currum, si probabiliùs vel æquè probabiliter credidisset in eo diabolum apparere, quàm Angelum. Quemadmodùm verò diabolus ipsis etiam sanctissimis subinde illudit sub specie pietatis; ita Christianis bonum perfectè non diligentibus plerùmque illudit sub specie probabilitatis: illis maximè, qui amant Magistros loquentes placentia; illudit etiam viris doctis, ipsos & alios instruentibus; qui dum subinde quærunt hominibus placere, visis sibi probabilitatibus (quarum adinventione, vel usu, gratiam vel plausum hominum quærunt) velut subtilibus quibusdam transfigurationibus illusi, & infatuati, verificant verbum istud: *Est via quæ videtur homini justa; novissima autem ejus deducunt ad mortem.* Quòd si plerùmque non excusentur, qui, subtilibus illis transfigurationibus illusi, probabiliùs existimant, spiritum sibi apparentem esse Angelum lucis; multò minùs qui id existimant minùs probabiliter. Et hinc arguo sic: Si à peccato immunis esset, qui 438
id faceret, quod sibi videtur probabiliter licitum, tametsi probabiliùs crederet illicitum; à peccato pariter immunis esset dæmonolatra, qui dæmonem, in figura Christi subtiliter apparentem, adoraret, dum sic probabiliter crederet esse Christum, ut probabiliùs crederet esse diabolum. Sed hoc dici non potest, sicut nec dici potest, Abrahamum à peccato adhuc futurum immunem, immolando filium suum, si non Deus, sed diabolus (se fingens Deum) id ipsi jussisset, quem Abraham credidisset probabiliter Deum, sed probabiliùs diabolum.

Quartum exemplum, est Philippi illius, 439
Cancellarii Parisiensis, quod referunt Dionysius Carthusianus opusc. de plural. benef. Spondanus & Malvelda ad annum 1238. & ante ipsos Cantipratanus, vir integerrimæ fidei, l. 1. de Apibus c. 19. §. 15. ubi de ipso loquens: *Agonizantem* (inquit) *in morte Guillelmus, Parisiensis Episcopus, paternâ sollicitudine visitavit, rogavitque eum, ut opinioni* (minùs probabili, eò quòd contraria esset plurium, & sapientiorum) *cederet de pluralitate beneficiorum, & omnia beneficia sua, excepto uno, in manus Ecclesiæ resignaret. . . . renuit ille, experiri se velle dicens, utrùm esset damnabile beneficia plura tenere. Mortuus est ergo sic. Post paucos autem dies, cùm dictus Parisiensis Episcopus, finitis Matutinis, orare vellet, vidit inter se & lumen, quasi umbram hominis, tetram nimis. Elevatâ ergo manu consignat se, &, si ex parte Dei sit, præcipit ut loquatur. Cui respondit apparens: Alienus à Deo sum, sed tamen miserabilis factura ejus. Et Præsul: Tu quis es? Cui ille respondit: Ego sum Cancellarius ille dudum miserrimus. Rursus Episcopus, elato altiùs gemitu: Et quomodò (inquit) tibi est, sic dolenti? Malè (inquit) imò quàm pessimè: quia damnatus sum æternâ morte. Et Episcopus: heu (ait) charissime, quæ causa tuæ damnationis? Tres sunt (inquit) causæ, quare morte perpeti sum damnatus. Prima est, quòd recrescentes fructus annuos contra pauperes timidè reservavi. Secunda est, quòd contra sententiam plurimorum* (sapientiorum, & primariorum) *de pluralitate beneficiorum, quasi licitè retinendorum, opi-*

nionem propriam defensavi (id est practicè secutus sum, licèt scirem oppositam à gravioribus, & sapientioribus Doctoribus tradi) *& in hoc me periculo mortalis culpæ commisi. Tertia est, & gravissima omnium, quòd abominabili carnis vitio, in scandalum multorum, multo tempore laboravi.*

Absque dubio probabilis tunc fuit opinio, quam miser iste Cancellarius secutus fuit: cùm eam, ut controversam, & pro se Theologos atque Juristas habentem, S. Thomas (qui tunc vivebat) quodlib. 9. art. 15. proponat, dicens, quòd *inveniuntur de ista quæstione Theologi Theologis, & Juristæ Juristis contrarii.* Et quamvis opinionem istius Cancellarii rejiciat ut falsam, non tamen ut improbabilem. Imò de ea loquitur, ut solet de opinionibus probabilibus. Nec tamen istius opinionis probabilitas ipsum à damnatione liberavit; sed quia experiri ipse voluit vim probabilitatis, tutiori & probabiliori acquiescere nolens, commisit se periculo, & periit in illo.

440 At (inquis) Cancellario isti probabilior apparuit; eique ideò tenaciter adhæsit. Ergo, si quid exemplum probat, probat licitum non esse sequi probabiliorem.

Respondeo 1°. consequentiam fortassis admittendam, juxta dicenda cap. 82. & seqq. 2. licèt probabilior juxta Probabilioristas excuset, quando prudenter judicatur talis; à Cancellario illo prudenter judicatam non fuisse talem. Cùm enim videret, opinionem suam à gravioribus & sapientioribus rejici ut falsam, non debebat in re tanti momenti, proprio fidere judicio, sed timere illusionem ab amore proprio, temporaliumque commoditatum cupiditate. Quâ seclusâ, opinio sua sibi minùs verisimilis apparuisset. Et in hoc imitatores habet multos, quorum passio & cupiditas facit ipsis apparere nonnullas opiniones probabiliores, quæ, seclusâ passione, apparerent minùs probabiles. Et ideò non excusantur.

CAPUT XXXIX.

Ostenditur inania esse sacra testimonia, & exempla, seu ex iis argumenta, quæ pro se Adversarii proferunt.

441 PRimò Terillus q. 25. de conscientia probab. & q. 9. Reg. mor. per undecim folia magna opponit illud Matth. 11. *Jugum meum suave, & onus meum leve.* Et istud 1. Joan. 5. *Mandata ejus gravia non sunt.*

Respondeo (sua ipsi verba n. 433. relata, reponendo) sententias istas contra nos referre, non solùm dignum non est homine Theologo, sed nec aptum movere Theologum, nisi fortè ad risum & compassionem. 1°. quia ex sacris illis eloquiis haud magis conficitur, licitum esse usum opinionis minùs probabilis de licito, quàm minimæ probabilitatis de licito, & quàm usum opinionis minùs probabilis de valido in Sacramentis, vel de jure alterius adjudicando in Judicibus, &c.

2°. Sicut ad salvandam suavitatem Evangelicæ legis, nihil addendum oneri illius, rigidiùs interpretando; sic nihil detrahendum, molliùs explicando. Utrumque extremum pariter vitandum, sic collimando ad veritatem legis, ut si istius veritatis metam perspicuè attingere non valeamus, ad proximam usque viciniam ipsius conatus nostros extendamus. Hoc faciendo nos nihil legi culpabiliter addimus. Ei verò Probabilistæ culpabiliter detrahunt, dum licitum asserunt usum rei, quæ probabiliùs cognoscitur esse, quàm non esse contra legem. 442

3°. Jugum suum *non ideò suave Dominus dixit, quia secundùm se non sit laboriosum & asperum*, ait S. Thomas in 3. dist. 40. a. 4. Neque ex eo quòd nulla præcipiat, homini carnali, naturæque corruptæ difficilia; multò minùs ex eo quòd liberam permittat electionem cujuslibet ex duabus contrariis opinionibus probabilibus. Nullus enim sanctorum Doctorum sacra illa testimonia sic hactenùs intellexit. Nullus etiam Doctorum, usque ad sæculum decimum-sextum, sub cujus finem inter Catholicos introductus fuit Probabilismus, antè inusitatus. A quo si penderet suavitas Evangelicæ legis, cum Guigone, Carthusianorum Generali, exclamare liceret: *O Apostolorum tempora infelicissima! ô viros illos ignorantiæ tenebris involutos, & omni miseratione dignissimos, qui ut ad vitam pertingerent, propter verba labiorum Dei tam duras vias custodiebant, & hæc nostra compendia nesciebant!*

4°. Suavitas, de quâ Christus, non tollit jugum, sed impositum suave reddit & leve. Probabiles verò opiniones jugum multorum præceptorum tollunt, & ab hominum cervice excutiunt. Quasi humana solertia ad semitam cæli adjicere posset digitum unum latitudinis, quæ non potest ad staturam hominum adjicere cubitum unum longitudinis. Ipse enim, qui vitæ hominis constituit terminos, qui præteriri non poterunt, etiam constituit viæ cæli terminos, qui dilatari non poterunt, & tartari terminos, qui contrahi non poterunt. Ad creaturam proinde solùm pertinet submittere collum jugo impositio, diligenterque explorare voluntatem & legem Creatoris, ut eam opere compleat, quandocumque urgentiora viderit fundamenta ad sibi persuadendum legem Creatoris extare. Neque enim solùm facere debet voluntatem Creatoris evidenter cognitam, sed & per indicia sufficientia prudenter judicatam. 443

5°. Quia, ut S. Thomas loco citato prosequitur, jugum suum suave Christus dixit, quia *lex Evangelica ad mandata implenda inducit ex amore, qui omnia levia facit*, etiam quæ ex se aspera & gravia sunt. Quomodò etiam Dominici jugi suavitatem Augustinus exponit in lib. de nat. & grat. c... Ibi namque exponens verba Apostoli: *Mandata ejus gravia non sunt: Non sunt* (inquit) 444

gravia amanti, sed non amanti gravia sunt. Et cap. 49. *Viæ Domini duræ timori, leves amori.* Serm. 47. de diverſ. c. 2. *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve: quidquid enim durum eſt in præceptis, ut ſit leve, charitas facit.* In Pſalm. 118. conc. 22. *Sæpè admonuimus laudabilem latitudinem, in qua nullas, cùm mandata Dei facimus, patimur anguſtias, intelligendam eſſe charitatem. Propter quod etiam in magno iſto Pſalmo, cùm ſuperiùs dixiſſet, latum mandatum tuum valdè; in hoc ſequenti verſu oſtendit, unde ſit latum, dicens: Quomodò dilexi legem tuam Domine. Dilectio ergo eſt latitudo mandati.* Ita etiam Chryſoſtomus homil. 13. in cap. 6. ſecundæ ad Corinth. Hieronymus in Pſalm. 118. Gloſſa in cap. 11. Matth. ubi viam Domini arctam, ſive anguſtam eſſe dicit & latam: *Eſt* (inquit) *anguſta, quæ nonniſi anguſto initio incipitur; proceſſu verò temporis, ineffabili charitatis dulcedine dilatatur.* Trident. ſeſſ. 6. c. 11. *Cujus mandata gravia non ſunt; cujus jugum ſuave, & onus leve. Qui enim ſunt filii Dei, Chriſtum diligunt. Qui autem diligunt eum... ſervant ſermones ejus*, &c. Ita denique Catechiſmus Romanus p. 3. c. 1. q. 4. jubens Parocho, ut hâc ipſâ ratione populo oſtendat, *legis juſſa difficultatem non habere.* Meritò quidem, quia charitas ſarcinam Chriſti reddit, non prementem onere ponderum, ſed ſublevantem vice pennarum, ut Auguſtinus dicit ſerm. 14. de verb. Dom. Et quod de charitate Auguſtinus dicit, proportionaliter verum eſt de cæteris virtutibus. Quia virtutis proprium eſt, promptè & delectabiliter operari. Dum proinde virtutum obligationem, v. g. diligendi, orandi, patienter ſuſtinendi, peccandi occaſiones vitandi, &c. Probabiliſtæ auferunt, ut jugum Chriſti ſuave efficiant, perinde eſt ac ſi avi alas præſcinderent, ut leviùs volaret, cùm auferant ea, per quorum exercitia mandata redduntur facilia, gratiaque impetratur, ut faciliora reddantur.

445 6°. Jugum Domini ſuave dicitur comparativè ad gravius jugum peccatorum, & concupiſcentiarum, à quo nos liberat. Ut enim rurſum Auguſtinus ſerm. 22. de verb. Apoſt. *Jugum meum leve eſt, & ſarcina mea levis. Quid eſt, levis eſt? Quid ſi habet pondus? ſed minus. Plus habet avaritia; minùs juſtitia.*

446 7°. Suave dicitur comparatione legis Moſaïcæ: quia in Evangelio non ſunt niſi præcepta neceſſaria ad ſalutem; in lege autem Moyſi infinita erat multitudo præceptorum, non ideò datorum, quia neceſſaria erant ad ſalutem, ſed ut duræ cervicis populum ſeveriore exercerent diſciplinâ. Unde Act. 15. *Quid tentatis imponere jugum ſuper cervices diſcipulorum, quod nec patres noſtri, neque nos portare potuimus?* Deinde lex Moyſi *iram operabatur.* Rom. 4. & ſpiritus legis, ſpiritus erat timoris & ſervitutis. Spiritus verò Evangelii, ſpiritus charitatis & benignitatis. Siquidem omnia fiebant vi & comminatione graviſſimorum ſuppliciorum; quæ lex comminabatur: *dentem pro dente, oculum pro oculo*, Exod. 20. In Evangelio autem omnia charitate & voluntate fiunt. At verò vis & metus, res, etiam leviſſimas, graviſſimas facit. Nihil autem grave ac difficile volenti & amanti. Denique *lex onerabat, non juvabat* (inquit Auguſtinus ſerm. 9. de verb. Dom. ſecundùm Matth.) In lege verò Evangelica, *unà cum onere, ſpiritus datur, qui adjuvat infirmitatem noſtram.* Quòd ſi in Evangelio non ſolùm prohibetur homicidium, ſed verbum etiam injurioſum; nec ſolùm adulterium, ſed aſpectus etiam alienæ uxoris ad concupiſcendum; non ideò Evangelii onus onere legis gravius eſt. Quia (ut Chryſoſtomus) *facilius eſt ſervare utrumque, ſcilicet nec videre, nec adulterare, quàm videndo non adulterare.*

8°. Jugum Evangelii ſuave dicitur ex di- 447
vinæ gratiæ auxilio. Quia tametſi *durum videtur quod Dominus imperavit:* "Siquis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum; " *ſed non eſt durum & grave quod ille imperat, qui adjuvat ut fiat quod imperat*, ait Auguſtinus ſerm. 47. de diverſ. c. 1. Nam per gratiam ſuam Deus hominem veluti manu portat ad bonum. *Suaviter* verò *equitat, quem gratia Dei portat.*

Denique jugum Chriſti ſuave dicitur ex uſu 448
& exercitio, ex Chriſti & Sanctorum exemplo, ex ſpe & magnitudine præmii, &c. Teſte namque expertiſſimo Bernardo, *ſapores rebus reddit exercitium Chriſti*; & Sanctorum exemplo Chriſtianus animoſus & alacer efficitur ad imitandum. Alacritas verò animoſitati conjuncta dilatat cor, ſecumque proinde affert ſuavitatem. Denique ſi laborem agricolis, militibuſque ſuavem efficit ſpes modici lucri temporalis; quantò magis ſpes immenſæ & æternæ gloriæ Chriſtianis.

Fit ergo injuria divinæ gratiæ, quam habe- 449
mus per Chriſtum (ait Mercorus) *reducere facilitatem obſervandi divina mandata, & ferendi Chriſti jugum in uſum probabilitatum*, humanâ ſolertiâ & ſubtilitate inventarum, *& non potiùs in ipſam gratiam Spiritûs ſancti, per quem diffunditur charitas Chriſti in cordibus noſtris.* Siquidem ut S. Thomas 1. 2. q. 48. & 89. a. 1. ad 3. ſuavitas jugi Chriſti oritur ex charitate & gratia Chriſti illud emolliente; abſurdumque, imò & ridiculum eſt dicere, Probabiliſtarum ſolertiâ & ſubtilitate viam ſalutis quotidie dilatari. Quod tamen inde conſectarium foret, ſed ex dictis n. 444. ſatis apparet, per laxiora ipſorum opinamenta, quibus auferunt obligationem Deum & proximum diligendi, orandi, peccatorum occaſiones vitandi, &c. viam ſalutis ſeu mandatorum difficillimam reddi. Cùm auferant ea, quibus mandata redduntur facilia, & ſine quibus ſunt difficillima: ſine oratione quippe gratia non impetratur, ſine fuga occaſionum valdè difficile eſt peccata vitare, uti & ſine Dei & proximi dilectione utrique reddere debitum.

Se-

Secundò idem Terillus de conſc. prob. q. 22. n. 200. nobis opponit exemplum B. Virginis, & ſanctiſſimi Joſeph Sponſi ipſius, quos à culpa amiſſi pueri Jeſu ſola (inquit) excuſavit probabilitas, quòd eſſet in comitatu.

Sed numquid ipſos excuſavit probabilitas minor? Anne puerum Jeſum ſuo ductui permiſiſſent, ſi probabiliùs credidiſſent, Jeſum inde amittendum? Anne ergo in eo fecerunt quod minùs erat perfectum? An fecerunt contra conſilium? Dicerene hoc audebit Terillus, qui fatetur ſaltem conſilii eſſe, majoriſque perfectionis, ſequi tutius probabiliuſque, quàm minùs probabile, minùſque tutum. Ipſos ergo non excuſavit probabilitas minor, ſed maxima, quâ crediderunt puerum ſapientiſſimum, prudentiſſimumque, in itinere nullis periculis obnoxio, per unum diem, in notorum & cognatorum comitatu, à ſe relinqui poſſe.

451 Tertiò Caramuel in Apolog. epiſt. 3. opponit exemplum Judæ Machabæi 2. Machab. 15. ſecuti (ut ipſe putat) opinionem minùs probabilem, quòd Sabbatho pugnare liceret, ne tota gens & religio periret. Sicut & exemplum Petri Apoſtolorum Principis, qui Clementem nominavit ſibi ſucceſſorem, contra probabiliorem opinionem, quæ negat hanc ipſi poteſtatem.

452 Sed ex futilibus iſtis oppoſitionibus appareret, Probabiliſtas ſacrâ authoritate prorſus eſſe deſtitutos. Cùm Machabæus in eo reverà ſecutus ſit ſententiam certam; nominationemque iſtam Clementis Caramuel deſumpſerit ex fictitia Clementis epiſtola, & pſeudo-Damaſo. Et dato, non conceſſo, quòd vera ſit hiſtoria, prorſus inanis & infundata eſt imaginatio, imò temeraria præſumptio Caramuelis, quòd in eo ſanctus Petrus ſecutus ſit ſententiam ſibi viſam minùs probabilem. Neque enim ideò minùs probabilis viſa eſt Petro, quia talis viſa Caramueli. Nec credibile eſt, S. Petrum in re tanti momenti uſum poteſtate, quam probabiliùs crediderit ſibi non competere.

CAPUT XL.

Tertiò idem oſtenditur ex ſacris Canonibus, Decretis SS. Pontificum, & Conciliorum, Legibuſque Civilibus.

453 PRimò namque Lucius III. cap. *Dominus* de ſecund. nupt. Innocentius III. cap. *Inquiſitioni* de ſent. excom. Clemens III. cap. *ad audientiam* de homic. & Honorius III. cap. *petitio* eod. negant fas eſſe agere quod lubet in caſu verè dubio, ſeu pari utrimque probabilitate, declarantque, tutiorem pro lege opinionem in praxi ſectandam, dum probabilitate æquat minùs tutam pro libertate, uti oſtendimus cap. 16. Quòd ſi in vero dubio, ſeu pari utrimque probabilitate, uſque adeò declarant tutiorem pro lege opinionem in praxi ſequendam eſſe, ut non permittant id agere, de quo dubites, æquum ſit, an iniquum? à fortiori, idipſum volunt in pluſquàm dubio, ſive majori pro lege probabilitate, ſive in caſu, in quo probabiliùs appareret iniquum eſſe, quod agere diſponis.

Secundò Eugenius III. cap. *juvenis* de ſponſal. conſultus, an publicæ honeſtatis impedimentum oriretur ex contractu, quo major ſeptennio in uxorem duxit minorem ſeptennio, eamque traduxit in domum, ſed poſtmodùm duxit conſobrinam ipſius? Reſpondit oriri ex talibus ſponſalibus impedimentum, juvenemque proinde à conſobrina ſeparandum: *quia in his quæ dubia ſunt, quod certius eſt tenere debemus.* Si in his quæ dubia ſunt, tenendum ſit certius, id eſt certò vicinius: igitur tenendum quod probabilius: utpote certò vicinius. 454

Tertiò Clemens V. in Concilio Viennenſi, cùm diſceptaretur de juſtificatione parvulorum in Baptiſmo, an nudè per peccati originalis condonationem fieret? an per gratiæ & donorum habitualium infuſionem? ſecundam ſententiam eligendam ſtatuit, quia probabiliorem: *Hanc ſecundam ſententiam, tamquam probabiliorem, & dictis Sanctorum, & Doctorum modernorum Theologiæ magis conſonam, ſacro approbante Concilio, duximus eligendam.* Ergo (inquit Gloſſa ibidem) probabiliorem ſequi tenemur. Quòd ſi Summus Eccleſiæ univerſalis Moderator ita cenſuit in materia theorica, fide tunc nondum definitâ; à fortiori ſic cenſendum inſinuavit in materia practica, conſcientiam ſalutemque concernente. Quia ſi Summus Legum Conditor non arrogavit ſibi licentiam ſequendi quamlibet opinionem probabilem, in materia theorica, nondum definita, ſed decreta ſua, Conciliique Oecumenici, ſententiæ probabiliori cenſuit conformanda; licentiam iſtam multò minùs arrogare nobis debemus, in materia practica, &c. 455

Quartò Honorius III. cap. *cùm cauſam* de probat. *Mandamus* (inquit) *quatenùs ſecundùm diviſiones, quæ.... melius probabuntur.... in negotio procedatis.* Voluit ergo procedi ſecundùm argumenta probabiliora. 456

Quintò, in Concilio Lemovicenſi ſecundo, variantibus opinionibus, an officium de S. Martiali, faciendum eſſet tamquam de Confeſſore Pontifice, an tamquam de Apoſtolo? Concilium ſtatuit, faciendum tamquam de Apoſtolo; eò quòd probabiliùs fuiſſet unus de ſeptuaginta duobus diſcipulis: *Neceſſe verò eſt, ut ſemper juſtior & rationabilior pars prævaleat*, ait Concilium. Si hoc neceſſe eſt in materia cultûs Sanctorum, ne Sanctus debito honore privetur, ut in hoc caſu, & in determinandis finibus Diœceſeon, ne fines alterius invadantur, ut in caſu citati capitis *cùm cauſam*: igitur & in materia morum, ne Deus offendatur.

457 Sextò, canonico juri concinit jus civile. Probabiliorem namque opinionem esse sequendam, expressè habetur L. *Æmil.* ff. de minorib. L. *pater* ff. de evictione, &§. *item pretium* Instit. de empt. & vendit. Denique majorem sanioremque partem esse sequendam in decisionibus, in electionibus, in postulationibus, in præsentationibus, in deliberationibus capitularibus, & generaliter in omnibus actibus Communitatum, Universitatum, &c. passim habetur in jure. Quantò magis in iis quæ spectant animæ salutem, de quibus loquens Joan. Andræas in cap. 1. de sent. excom. in sexto verbo *temerariis*, memorabilem hanc sententiam profert: *Stultus & fatuus est, qui magis accedit ad id quod falsum est, in rebus ad salutem animæ pertinentibus.*

458 Quid plura? in jure numquam invenies determinationem fieri secundùm partem minùs tutam, & simul minùs probabilem; sed semper vel secundùm verisimiliorem, vel certiorem, vel tutiorem, saltem negativè, id est quæ non sit minùs tuta. Communisque tam Theologorum, quàm Juristarum doctrina est, sententiam in utroque Jure ferendam esse pro eo pro quo stat juris præsumptio. Hæc autem simpliciter stat pro ea parte, quæ, omnibus spectatis, verisimilior est, ut constat ex legibus allegatis à Tiraquello & Menochio apud Antonium Perez disp. 4. de justitia n. 50. & 53. Enimverò sicut, motâ lite, præsumptio pro reo, vel possessore, pro veritate habetur, quamdiù actor vel petitor intentionem suam non probat; sic libratis utrimque rationibus, major verisimilitudo (quæ vel est præsumptio simpliciter, vel præsumptioni æquiparatur) haberi debet pro veritate in ordine ad ferendum justum prudensque judicium, sive à Judice publico, in foro externo; sive à Judice privato, sive intellectu, in foro interno, ubi controversia, velut lis quædam, movetur inter libertatem & legem.

459 Septimò Alexander VII. (post damnatum 15. Januarii 1664. Apologema Caramuelis pro licito usu opinionis cujuscumque probabilis) anno 1665. die quartâ Septembris, 45. Probabilistarum opiniones proscripsit, nominatim hanc 27^am^. *Si liber sit alicujus Junioris, & Moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet, rejectam esse à Sede Apostolica tamquam improbabilem.* Quam propositionem proscribendo declaravit, non subsistere principium Probabilistarum, illud esse practicè probabile, quod vir doctus & gravis, præsertim modernus, docet licitè fieri posse, dummodò in contrarium nihil convincens adferatur. Item: *Quod Authores, præsertim moderni, docent libris impressis, probabile est, dum non constet esse contra determinationem Apostolicæ Sedis.* Cùm id quod Authores typis mandant, cum approbatione (ut fieri solet & debet) duorum aliorum virorum gravium (quibus librorum approbationes committuntur) gravi authoritate suffultum, adeòque probabile sit, ut censent Probabilistæ.

CAPUT XLI.

Per Decretum Innocentii XI. de die 2. Martii 1679. subversa sunt principalia fundamenta Probabilismi, ipseque Probabilismus plurimùm enervatus.

PRimò, quia licèt per decretum illud damnata non sit in terminis propositio, quæ dicit, licitè eligi posse in praxi opinionem minùs probabilem de licito, contra probabiliorem agnitam de illicito; principalia tamen fundamenta ipsius subversa sunt per damnationem istius propositionis tertiæ: *Generatim dum probabilitate, sive intrinsecâ, sive extrinsecâ, quantùmvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.* Principalia namque fundamenta quibus Probabilistæ probant, licitum esse usum opinionis minùs probabilis de licito, contra probabiliorem agnitam de illicito, sunt ista: *Qui sequitur probabilem opinionem, sequitur opinionem rectæ rationi conformem. Ergo sequitur rectam rationem. Homo possidet libertatem agendi quidquid certò & evidenter non probatur illicitum*, &c. Quæ fundamenta si subsisterent, subsisteret propositio illa damnata. Non subsistit autem, secundùm Ecclesiæ declarationem. Ergo fundamenta illa non subsistunt. Quòd autem subsisteret propositio illa damnata, ratio est, quia vel fundamenta illa probant esse licitum usum cujuscumque opinionis probabilis de licito, quàmlibet tenuis sit probabilitas ipsius, modò à probabilitatis finibus non exeatur; & sic subsistit damnata propositio; vel non probant esse licitum usum opinionis minùs probabilis de licito, contra agnitam probabiliorem de illicito. Quare enim aiunt licitum usum opinionis minùs probabilis de licito, contra agnitam probabiliorem de illicito? Quia (inquiunt) opinio minùs probabilis verè est probabilis; adeòque nititur ratione, vel authoritate gravi, quam qui sequitur, dum nihil convincens in contrarium adfertur, prudenter agit, sequitur enim opinionem rectæ rationi conformem, utiturque jure suo: cùm possideat agendi libertatem, quamdiù lex prohibens certò & evidenter non innotescit. 460

Hæc sunt præcipua fundamenta Terilli, Mastrii, aliorumque Probabilistarum. Sed sophistica esse & fallacia, demonstratur ex eo quòd si propter illa licitè & prudenter eligeretur in praxi opinio minùs probabilis de licito, contra agnitam probabiliorem de illicito; licitè quoque & prudenter eligeretur in praxi opinio quæcumque probabilis de licito, quàmlibet tenuis sit probabilitas ipsius, modò non exeat à finibus probabilitatis. Quamdiù enim non exit à finibus probabilitatis, retinet essentiam, definitionemque probabilitatis. Per consequens nititur ratione vel authoritate gravi 461

&

& solidâ (licèt tenui in linea gravitatis, soliditatisque) nec quidquam est convincens pro oppositâ parte. Id namque est de essentia definitioneque probabilitatis, seu opinionis probabilis in genere; intra cujus proinde fines non manet opinio, cui hoc non convenit. Proinde intra fines probabilitatis moralis non manet opinio, quæ non nititur ratione, vel authoritate moraliter gravi. De qua morali probabilitate haud dubiè locuti sunt Authores, ex quibus deprompta est damnata propositio: locuti sunt (inquam) de probabilitate nixa ratione vel authoritate moraliter gravi. Cùm nullus Author unquam docuerit, eum prudenter agere, qui agit sine ratione, vel authoritate moraliter gravi. De propositionibus verò à se damnatis, Innocentius XI. testatur, eas *partim ex diversis libris vel thesibus, seu scriptis excerptas, partim novuter adinventas esse.*

62 Damnando itaque propositionem illam, Pontifex declaravit, nec licitè, nec prudenter agere, quicumque confisus ratione vel authoritate moraliter gravi, aliquid agit. Cujus oppositum quia probant, si quid probant, fundamenta Probabilistarum, fundamentorum istorum fallaciam eo ipso implicitè declaravit. Et revera fallacia sunt: cùm iis Probabilistæ arguant à particulari ad universale, sive probent fundamentum alicujus opinionis esse grave & prudens respectu omnium, quia est grave & prudens respectu aliquorum. Quod falsum esse demonstratur: non enim sequitur esse grave & aptum movere ad prudentem assensum, respectu eorum quibus apparet magis verisimiliter falsum, quàm verum; ex eo quòd grave sit & aptum movere ad prudentem assensum, respectu eorum quibus apparet magis verisimiliter verum, quàm falsum. Sic etiam non sequitur aliquod fundamentum esse grave respectu eorum quibus apparet parvi esse momenti, ex eo quòd grave sit, respectu eorum quibus apparet magni momenti. Et ratio est, quia fundamentum aliquod esse grave, est aliquid relativum ad intellectum. Nullum autem fundamentum incertum, & solùm probabile, grave apparet omnibus intellectibus mundi (cùm hoc soli fundamento certo & evidenti conveniat) sed quod uni apparet grave, alteri apparet leve; quod uni placet, alteri displicet; quod uni apparet efficax, alteri apparet inefficax; quod uni apparet magis probabile, alteri apparet minùs probabile; immò quod uni probabile apparet, alteri non apparet probabile. Quod ergo aptum est movere unum ad prudentem assensum, non est aptum ad eum movere quemlibet alium. Et quod est probabile uni, non est probabile omnibus. Cùm probabile idem sit quod approbabile per prudentem assensum, & quod prudenter approbat unus, non semper prudenter approbare possint omnes.

463 Secundò, idem Pontifex istam aliam propositionem damnando: *Ab infidelitate excusatur infidelis, non credens, ductus opinione minùs probabili*, explicitè declaravit, licitum non esse sequi opinionem minùs probabilem in materia fidei, etiam non necessaria necessitate medii (cùm propositio illa ex nonnullis Scriptoribus excerpta sit; & nullus hactenùs scripserit, licitum esse sequi opinionem minùs probabilem, in materia necessaria necessitate medii) ergo implicitè declaravit, licitum non esse sequi opinionem minùs probabilem in materia morum. Explicitè enim declarando unum, implicitè declaravit alterum, ex isto uno consectarium. A materia verò fidei, non necessaria necessitate medii, bonam esse consequentiam ad materiam morum, probabitur cap. 63.

Tertiò, idem Pontifex, damnando secun- 464
dam istam propositionem: *Probabiliter judico, Judicem posse judicare juxta opinionem, etiam minùs probabilem*, explicitè declaravit, in judicio fori externi, judicari non posse secundùm opinionem minùs probabilem. Ergo implicitè declaravit, id etiam fieri non posse in judicio fori interni, seu conscientiæ. Si enim in hoc foro judicium ferri posset secundùm opinionem minùs probabilem, etiam in illo foro id fieri posset. Cùm rationes quæ probant unum, probent & alterum; vel certè nihil probent, uti etiam videbitur cap. 62.

CAPUT XLII.

Inania & sophistica sunt Probabilistarum argumenta in contrarium ex dispensationibus concessis à SS. Pontificibus; necnon ex responso Urbani VIII. circa matrimonia Gentilium Paraquariæ, & Canonibus nonnullis.

CAramuel, Terillus, aliique Probabilistæ, 465
ne SS. Pontificum authoritate videantur prorsus destituti, contra nos arguunt, imprimis ex dispensationibus, quas varii Pontifices concesserunt, ut Religiosi, ligati voto solemni castitatis, matrimonium inire possent; ut ligati matrimonio rato, istius matrimonii vinculo solverentur; ut Episcopus, non à tribus, sed ab uno dumtaxat Episcopo consecraretur, &c. Quod factum esse prætendunt secundùm opinionem minùs probabilem, relictâ probabiliore.

Sed prorsus inanè est istud argumentum. 466
Quia gratis dato, quòd id fecerint sequendo opinionem tunc temporis minùs communem; gratis omninò asserunt, id ipsos fecisse secundùm opinionem visam ipsis minùs probabilem. Neque enim credibile est, ipsos dispensasse cum dubio, vel judicio de invaliditate dispensationis à se concessæ; atque adeò cum morali periculo, sive invaliditatis Sacramentorum Matrimonii, & Ordinis, sive notabilis damni inde proximo eventuri. Siquidem vel ipsi Adversarii communiter docent, non esse licitum sequi opinionem minùs probabilem, relictâ probabiliore & tutiore, quando agitur

de valore Sacramenti, vel de notabili damno, quod inde proximo immineat. Unde communiter docent, nec Sacerdotem in administratione Sacramentorum, nec Judicem in ferenda sententia, nec Medicum in remediorum applicatione sequi posse sententiam minùs probabilem, minùsque tutam, relictâ probabiliore, & tutiore. 467 Siquid autem probaret argumentum illud, probaret, Pontificem usum opinione minùs probabili, relictâ probabiliore ac tutiore, in materia respiciente valorem Sacramentorum, cedenteque in gravissimum periculum animarum. Si enim consecratio ab uno Episcopo sit invalida, invalidi sunt Ordines collati ab Episcopo sic consecrato, invalidæ absolutiones datæ à Sacerdotibus ab ipso ordinatis. Esse verò illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relictâ tutiore, maximè in collatione Ordinis Sacerdotalis aut Episcopalis, ubi gravissima inde resultant animarum pericula, Ecclesia à fortiori declaravit, dum per Innocentium XI. primam hanc propositionem condemnavit: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relictâ tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententiâ probabili tantùm utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.* Gravissimè proinde peccassent Pontifices, si sic dispensassent cum Episcopo consecrando, ut cognovissent verisimilius esse, quòd dispensatio, ac per consequens ordinatio futura fuisset invalida. Virtualiter namque voluissent damna gravissima inde obventura. Similiter gravissimè peccassent, sic dispensando in voto solemni castitatis in ordine ad matrimonium ineundum, vel in matrimonio rato, in ordine ad aliud contrahendum, ut sibi probabilius visum fuisset, quòd & dispensatio sua, & secutum inde matrimonium, nullius valoris fuissent. Virtualiter quippe voluissent sacrilegia, adulteria, &c. inde obventura. Prorsus ergo fallax, sophisticum, & SS. Pontificibus probrosum est argumentum, contra nos à Probabilistis depromptum ex dispensationibus concessis à SS. Pontificibus; meritòque Celladeus de recta morum doctrina l. 1. q. 7. existimat, *injuriâ haud vacare, asserere Romanos Pontifices in administranda Ecclesia usos fuisse opinionibus visis sibi minùs probabilibus, & minùs tutis*, cum periculo salutis animarum, & invaliditatis Sacramentorum, *& ita saltem contra consilium*, imò contra Ecclesiæ doctrinam, *operatos esse. Nos porrò factum negamus, & asserimus, eos usos opinionibus speculativè quidem, non autem practicè minùs probabilibus. Practica verò probabilitas circumstantiis constat publicis, & privatis, quas utique noverant Romani Pontifices, dum dispensationes largiebantur, & quæ Theologos sæpè latent. Et ideò absurdum est similia ad tribunal nostrum vocare, & de his liberiùs ferre sententiam.*

Multò minùs existimandum SS. Pontifices 468 ejusmodi dispensationes contra propriam opinionem, spectatis omnibus, concessisse, v. g. id feciisse Adrianum VI. in casu quem ex Soto refert Sinnichius in Saüle Exege l. 1. §. 260. *Adrianus VI.* (inquit Sotus in 4. dist. 27. q. 1. a. 4.) *vir tum utriusque Juris peritissimus, tum & rei Theologicæ non infimè doctus, cùm ab illo ejusmodi dispensatio* (super matrimonio rato) *fuisset postulata, oblataque fautrix Cajetani sententia; demiratus est virum Theologum hoc sibi in animum inducere potuisse. Et ideò improbis precibus succumbens, respondit se dare quod posset, sed tamen credere nihil posse.* Cùm historia ista non uno titulo suspecta sit, parumque credibilis; (neque enim de ea authenticè constat, vocalesque responsiones SS. Pontificum, quæ editæ non sunt authenticè, plerùmque fallunt, ut infrà ostendemus) nec desit specialis ratio responsionem istam, historiamque suspectandi: tum quia verisimile non est, Adrianum VI. (in utroque Jure, Theologiaque peritissimum) ignorasse sententiam tunc satis communem, praximque satis frequentem dispensandi in matrimonio rato. Ergo verisimile non est, quòd adeò demiratus fuerit, in eam sententiam Cajetanum abire potuisse. Tum quia credibile non est, Adrianum VI. proprio se judicio condemnasse. Hoc autem feciisset, si contra propriam opinionem dispensasset. Cùm q. 4. de restitut. doceat, contra rectam rationem agere, qui agit contra sententiam visam sibi probabiliorem, simul & tutiorem. Vel ergo absolutè non dispensavit (nec certè illa ipsius responsio significat, absolutè dispensasse: cùm sensus naturalis verborum illorum esse videatur: *Do si possum, sed credo non posse*) vel si absolutè dispensavit, id non fecit contra propriam opinionem, seu contra opinionem visam sibi prababiliorem, spectatis omnibus; sed vel propriam opinionem ob Cajetani authoritatem Christianâ humilitate correxit, practicando id quod tract. de confess. q. 5. dub. 7. docuit, Sacerdotem utique, qui sequitur aliquam opinionem, si sciat *à pluribus, vel gravioribus, seu etiam æqualis authoritatis, contrarium teneri, non adeò de se præsumere debere, ut totum velit in suam opinionem* (quæ forsitan erronea est) *concludere, seu coarctare, quasi ipse solus videat.* Vel judicavit propriam opinionem non procedere in circumstantiis, quæ sese obtulerunt. Fortassis namque vidit articulum esse necessitatis, quo prudentia dictat concedendam subinde dispensationem dubiam, ad hoc ut è duobus malis majus evitetur. Quomodò prudentia dictat applicandam subinde in Sacramentis materiam dubiam, quæ extra necessitatis articulum applicari non posset.

Secundò Terillus in Regula morum p. 1. 469 q. 8. arguit ex responso Urbani VIII. his verbis: *Urbanus VIII. videtur absolutè declaras-*

se, usum opinionis benignæ, etiam quoad partem minùs probabilem, esse licitum. Quod probat ex cap. 15. Historiæ Paraquariæ Patris Nicolai Del Techo Soc. Jesu in eadem Provincia Missionarii, ubi sic: *Guaranæ Gentis Primores solebant tot pellices alere, quot eorum libido, & authoritas à popularibus suis impetrabat; nec aliud erat majus capessendæ Religionis nostræ impedimentum, quam cùm monerentur unicâ uxore Christianos, ex lege divina, contentos esse debere. Accessit huic obstaculo nimia quorumdam Sociorum religiositas, ejusmodi homines ad primam uxorem adigere volentium. Alii, dempto scrupulo, Religionem Christianam ineuntibus, quamcumque vellent ex pellicibus, pro uxore permittebant. Ob earum opinionum diversitatem, inde natam, quòd Doctores Scholastici de ea re inter se dissentirent, ad Summum Legum Interpretem recursum est, & Joannes de Lugo, postmodùm Cardinalis, rem totam his verbis Urbano VIII. Pont. Max. exposuit.*

471 „ Sanctissime Pater, in provincia & regno „ Paraquariæ, in India Occidentali, maxima „ difficultas suboritur in conversione infidelium „ ad fidem nostram, quando aliqui ex Ministris „ volunt illos cogere ad recipiendum & retinen- „ dum primum conjugem, quem in infidelita- „ te habuerunt. Gens quippe ex innata barba- „ rie, passim conjuges (si verè conjuges dicen- „ di sunt) dimittunt, non aliter quàm nostri „ famulas vel famulos. Et hoc solùm, quia con- „ jux infirmatur, nec coquere cibos potest, aut „ vestes consuere, vel domûs curam habere, „ vel quia jam senescit. Immò frequenter non „ unam solùm uxorem accipiunt, sed simul cum „ ea omnes ejus filias, vel sorores, siquas ha- „ bet. Ex quibus posteà donat amicis aliquam, „ vel famulo in gratiam obsequii, quam posteà „ repetit, si famulus discedat. Aliis sola loci mu- „ tatio causa est deserendi conjugem, ne eam „ secum ferat. Itaque plerique putant, non esse, „ saltem communiter, apud illos verum matri- „ monium, sed concubinatum; atque ideò per- „ mittunt, quòd conjugem baptizatum acci- „ piant, quando ad fidem convertuntur. Alii „ tamen scrupulum habent, & cogunt eos ad „ repetendam primam conjugem. Ex quo magna incommoda sequuntur. Primò quòd multi „ hoc terrore Baptismum aversantur. Secundò „ quòd mentiuntur, dicentes, se nullum alium „ conjugem habuisse, & malâ fide cum alio con- „ trahunt. Tertiò quòd fingunt se repetere pri- „ mam uxorem, sed revera aliam habent, nec „ de prima curant. Quartò quòd frequenter „ difficillimum est primam agnoscere: quia vix „ recordantur, in tanta multitudine, quæ fuerit „ prima, & illâ inventâ, oportet rursum in- „ quirere, an illa priùs habuisset viros; & rur- „ sus de iis viris, an priùs alias habuissent uxo- „ res. His accedit quòd frequenter in iis conju- „ giis, non utantur signo aliquo externo speciali, „ diverso ab eo quo concubinam ad hebdoma- „ dam vel mensem accipiunt. Quare sæpè non „ invenitur signum externum, expressivum con- „ sensûs ad matrimonium requisiti. Unde, atten- „ tâ eorum praxi, & consuetudine, multi pii & „ docti viri putant, communiter non fieri apud „ ipsos verum contractum matrimonii. Cæte- „ rùm ad tollendos scrupulos & dubia, & ad hoc „ gravissimum impedimentum auferendum illius „ Gentis conversionis ad fidem, à Sanctitate „ Vestra humiliter petitur, ut quandoquidem, „ juxta virorum doctorum doctrinam, Sedes „ Apostolica ex gravi causa potest aliquando „ matrimonium infidelium dissolvere, prout „ Sanctitas Vestra declaravit in Brevi suo, ex- „ pedito die 20. Octobris 1626. & rursus in alio „ simili die 17. Septembris anno 1627. his ver- „ bis: *Nos attendentes hujusmodi infidelium ma- „ trimonia non ita censeri, quin necessitate sua- „ dente dissolvi possint*, &c. Et quidem in hoc „ gravissimæ causæ sunt, imò necessitas ad con- „ versionem illorum infidelium: dignetur San- „ ctitas Vestra, ex benignitate Apostolica, con- „ cedere Provinciali Societatis Jesu facultatem, „ ut ipse, & ii ex Societate, quibus ipse con- „ versionem Gentis demandaverit, & communi- „ candum censuerit, possint, occurrente casu, „ & facto examine, & manente dubio de valo- „ re prioris matrimonii, in infidelitate facti, „ vel magnâ difficultate inveniendi veritatem, „ vel magnâ difficultate repetendi primum „ conjugem, jam dimissum; possint (inquam) „ ad conversionem faciliorem reddendam, vel „ ad conversorum manutentionem in fide, & „ observantia legum Ecclesiasticarum, dispen- „ sare cum ejusmodi conversis, ut possint post „ Baptismum contrahere verum matrimonium „ in facie Ecclesiæ. Hoc enim modo Sanctitas „ Vestra infidelibus illis aditum ad Ecclesiam „ patefaciet. ... Quam Deus, &c. „

Urbanus VIII. (pergit Nicolaus Del Techo) *indicto sapientum virorum super ea re consulto, pronuntiavit, non videri sibi speciali suâ dispensatione opus esse, ubi Doctorum sententiæ utrimque probabiles intercederent. Sequerentur opiniones pro conditione locorum, ac hominum, barbaris favorabiliores, salvâ interim utriusque partis authoritate, finerent doctis hominibus sentiendi libertatem. Constans igitur Sociorum plerorumque in his terris degentium opinio, praxi confirmata, fuit horum barbarorum matrimonia, ob rationes suprà relatas, nulla esse, & posse barbaros ad fidem conversos, quamcumque baptizatam, rejectis aliis, in conjugem sumere. Quamquam eam semper adhibuere cautelam, quam rei gravitas postulabat.* Hactenùs Del Techo. *Ex hac narratione* (subdit Terillus) *multa sciuntur. Primum est, Urbanum VIII.* 473 *à Missionariis Evangelicis interrogatum fuisse, quomodò in re difficili, ad jus naturæ, atque matrimonii validitatem spectante, se gerere deberent. Hi enim, ut absque scrupulis, ac tutiùs procederent, suppliciter rogarunt ut facultatem cum infidelibus illis ad fidem conversis dispersandi tribuere dignaretur. ... Pontifex. ... respondit, sibi videri, opus non esse speciali dis-* 472

penſatione, quando probabiles hinc inde Doctorum ſententiæ intercederent. Sequerentur proinde opiniones barbaris favorabiliores. Sic enim tutos fore.... Hæc autem reſponſio prorſus docet, licitum illis eſſe ſectari quamcumque opinionem certò probabilem, barbaris favorabiliorem, quamvis illa minùs probabilis fuerit. Ergo Urbanus VIII. quoad omnia benignam ſententiam eſſe veram non tam cenſuit, quàm curam omnium exercens, fideleſque, requiſitus, poſt maturam conſultationem, paſcens declaravit. Hactenùs Terillus, inde uſque adeò perſuaſus de victoria, ut concludat, nos longè latèque victoriam conclamaturos, ſi talem pro nobis deciſionem haberemus. Cur ergo (inquit) non damus manus, *cùm Pontifex quæſtionem in favorem benignæ ſententiæ reſolverit, & quodammodò definierit..... & claritas deciſionis nullis tenebris involvi poſſit?*

474 Sed ignoſcendum homini in ſe, ſeu argumentis ſuis adeò confidenti, animumque de cauſæ ſuæ bonitate adeò præoccupatum præ ſe ferenti, ut etiam tunc Celladeo Adverſario ſuo, tametſi ejuſdem ſecum Inſtituti, velut victor inſultet, & de nullitate argumentorum ipſius demonſtrationes conclamet, quando nonniſi inania, & ſophiſtica adverſus ipſum argumenta profert.

475 Reſpondeo ergo Terillo, jure reponi poſſe: *noli tubâ canere ante te*, nec triumphum adornes ante victoriam. Reverà namque inanis eſt Terilli victoria, inanis triumphus: cùm totum argumentum iſtud plenum ſit hallucinationibus; & non ſolùm inane ſit, & ſophiſticum, ſed & ducat in præcipitium.

476 Imprimis Terillus non arguit ex Decreto aliquo, aut textu Urbani VIII. de quo conſtet authenticè, ſed ex ſola relatione, & verbis Del Techo, qui formalia Urbani VIII. verba non ſcribit, nec notat, ſed ſuo modo & ſenſu reſponſum enarrat, non ſine hallucinatione, ut poſteà videbitur. Non eſt autem cur Terillus, propter ejuſmodi reſponſionem, non authenticam, Adverſariis ſuis, velut triumphabundus inſultet: cùm conſtet, varias ejuſmodi reſponſiones in aliquibus hiſtoriis circumferri, quas plerique graves Theologi parvipendunt, prout videre eſt apud Leandrum à SS. Sacram. p. 3. tr. 1. §. 2. ubi refert Authores affirmantes, potionem chocolatæ, in die jejunii, eſſe licitam ex conceſſione Summi Pontificis: quia ita declaraverunt tres SS. Pontifices, nominatim Gregorius XIII. prout in Hiſtoria regni Mexicani refert Auguſtinus de Padilla, Archiepiſcopus Hiſpanicæ in India. Et quamvis Gregorii XIII. declarationem ſe vidiſſe teſtetur, alii negant, potionem illam ex hoc capite eſſe licitam: *quia putant, dictas declarationes Pontificum non dari, vel de illis non conſtare authenticè, & ſic nullam habere vim.* Dicat ergo Terillus, cur magis fidendum relationi Patris Del Techo, quàm iſtius Archiepiſcopi teſtantis de viſu?

2°. cùm P. Del Techo non expreſſerit formalia verba Urbani VIII. nec viderit reſcriptum ipſius, ſed illud ſolùm ex auditu referat, ipſius relationi tantò minùs habenda fides, quantò certiùs eſt, ipſum hallucinari in casûs enarratione, ſicut & in exponenda ſupplicatione Pontifici facta, & in comminiſcendo contrarias Doctorum Scholaſticorum ſententias, ubi nullæ ſunt. 477

Prima hallucinatio ipſius eſt, in eo quòd, enarrato more Primorum Guaranæ Gentis, & impedimento converſionis ipſorum, *ex eo quòd monerentur unicâ uxore Chriſtianos ex lege divina contentos eſſe debere.* Subdit: *Acceſſit huic obſtaculo nimia quorumdam Sociorum religioſitas, ejuſmodi homines ad primam uxorem adigere volentium: alii, dempto ſcrupulo, Religionem Chriſtianam ineuntibus, quamcumque vellent ex pellicibus, pro uxore permitterent.* Vel enim prima uxor verè fuerat uxor? vel nulla erat verè uxor? Si prius, non erat nimia, ſed neceſſaria Sociorum religioſitas. Si poſterius, optimè faciebant, qui quamcumque vellent, pro uxore permittebant. Nec ea in re diſſenſus circa jus eſſe poterat inter Socios, ſed circa factum dumtaxat, an aliqua ex ipſis verè fuiſſet uxor, an non?

Secunda proinde ipſius hallucinatio, eſt in 478
eo quod immediatè ſubjungit: *Ob earum opinionum diverſitatem, inde natam, quòd Scholaſtici Doctores de ea re inter ſe diſſentiant, ad Summum Legum Interpretem recurſum eſt.* Qua in narratione dupliciter errat. Primò, dum *earum opinionum diverſitatem inde natam* dicit, quòd *Scholaſtici Doctores de ea re inter ſe diſſentiant.* Neque enim Scholaſtici Doctores diſſentiunt de facto iſtius Gentis: utpote de quo minimè agunt. Neque de jure: cùm de jure nullæ eſſent contrariæ Doctorum ſententiæ. Conveniunt namque Doctores, eſſe inter infideles vera conjugia, ſi adſit conſenſus ad valorem requiſitus, & habilitas in perſonis. Non eſſe autem, ſiquid horum deſit. Unde nec Joannes de Lugo iſtius contrarietatis inter Scholaſticos Doctores meminit, ſed ſolùm, quòd *multi pii & docti putarent, attentâ eorum infidelium praxi, non fieri apud ipſos communiter verum contractum matrimonii.*

Secundò errat, in eo quod ait: *ob earum opinionum diverſitatem ad Summum Legum Interpretem recurſum eſſe.* Neque enim ad Urbanum VIII. recurſum eſt, tamquam ad Legum Interpretem, ut ſcilicet legem aliquam dubiam interpretaretur; ſed tamquam ad Diſpenſatorem, ut diſpenſandi concederet facultatem, uti conſtat ex ſupplica ejuſdem Joannis de Lugo: *Dignetur concedere Provinciali Societatis Jeſu facultatem*, &c. Cùm igitur Pater Del Techo manifeſtè hallucinatus fuerit in duobus antedictis, nec cauſam recurrendi ad Urbanum VIII. aptè retulerit; modica fides debetur ipſi referenti verba, ſeu reſponſum ipſius. Circa quod meritò timeri poteſt, ne

fuerit pariter hallucinatus, vel ne fuerit narrator parum exactus.

479 3°. gratis dato, non conceſſo, quòd Urbanus VIII. reſponderit, ut à P. Del Techo narratur, reſponſio illa non eſt tamquam Pontificis definientis, ſed tamquam Doctoris opinionem ſuam, cum aliqua velut formidine exprimentis: *non videri ſibi*, &c. Non eſt ergo Pontificia definitio, vel deciſio, nec per conſequens plus habet roboris, quàm opinio Doctoris particularis. Inde proinde non habet Terillus, unde jactabundus conclamet: *Victoria, victoria.*

480 4°. Urbanus illâ reſponſione non magis permiſit uſum opinionis minùs probabilis, agnitæ ut talis, in favorem barbarorum illorum, quàm opinionis minimæ probabilitatis, intra limites veræ probabilitatis (indiſtinctè enim dicit: *ubi Doctorum ſententiæ utrimque probabiles intercederent, ſequerentur opiniones barbaris favorabiliores.*) Manifeſtum eſt ergo Terillum ex Urbani reſponſione haud magis conficere poſſe, licitum uſum opinionis minùs probabilis, ſeu minoris probabilitatis, quàm minimæ probabilitatis. Cujus uſum non eſſe licitum Innocentius XI. definitivè declaravit, dum propoſitionem ordine tertiam inter 65. condemnavit.

481 5°. Urbanus VIII. non dixit, *ubi ſententiæ utrimque probabiles intercederent, ſequerentur opiniones barbaris favorabiliores*, cum addito, *quamvis illæ minus probabiles fuerint*, etiam cognitæ ut tales. Cur ergo Terillus hoc Pontificem reſpondiſſe dicit? Cur de ſuo addit, quod Pontifex non addidit? Cur *io triumphè canit?* Cur reſponſum Pontificis ad litteram non exponit de opinionibus ſimpliciter probabilibus, id eſt approbabilibus per aſſenſum prudentem, quales non ſunt minùs probabiles, cognitæ ut tales?

482 6°. in reſponſo Urbani VIII. ad ſupplicam Joannis de Lugo, ſermo non eſt de Doctorum Scholaſticorum opinionibus contradictoriis, utrimque probabilibus, circa jus aliquod dubium & controverſum, quarum una dicat, hoc eſſe illicitum, ſive contra jus; altera dicat, non eſſe illicitum (neque enim ſupplica Joannis de Lugo ullas ejuſmodi opiniones retulit, neque reverà ſunt, ut poſteà videbitur) ſolùm ergo ſermo eſt de variis opinionibus Miſſionariorum Paraquariæ, circa factum, ſive circa valorem matrimoniorum iſtius Gentis, quæ communiter nulla eſſe, ob varias conjecturas valdè veriſimiles, in ſupplica relatas, multi pii & docti viri cenſebant; licèt alii ſcrupulum haberent; & ideò cogerent ad repetendum primum conjugem. De iſtis ergo variis opinionibus procedit reſponſum Pontificis, *ſequerentur opiniones barbaris favorabiliores*, non condemnando aliter ſentientes; ſequerentur (inquam) opiniones circa factum barbaris favorabiliores, quas poſt debitum examen veras crederent, ita ut modò ſincerè crederent priora matrimonia revera fuiſſe nulla, ob enarratas conjecturas valdè veriſimiles, poſſent (ſequendo illam opinionem) abſolutè permittere, ut uxorem ducerent, quamcumque vellent. Hoc unum eſt, hoc totum quod in allata Urbani reſponſione continetur. Inde autem quid obſecro contra aſſertionem noſtram? quid pro contraria Terilli reſponſione? inane prorſus eſt argumentum, quod inde conficit. Cùm ex reſponſione illa Pontificis nihil aliud legitimè confici queat, niſi quòd in rebus agendis non requiratur ſemper omnimoda certitudo, ſed ſufficiat probabilitas tanta, quæ poſt debitum examen ſufficienter nos moveat ad credendum eſſe ſimpliciter verum quod opinamur, etſi omnimodam de eo certitudinem non habeamus; quòdque ideò pii illi doctique viri, qui ex conjecturis longè veriſimilioribus, abſque omnimoda tamen certitudine, judicabant verum matrimonium apud Guaranos infideles communiter non celebrari, atque ex ejuſmodi opinione, visâ ſibi longè probabiliore, ad impedienda graviora mala, aliàs obventura, permittebant ipſis accipere uxorem quam vellent, Urbani VIII. opinione reprehenſibiles non fuerint, nec ad id opus fuerit Pontificiâ diſpenſatione. Quod nihil pro Terilli opinione, nec contra aſſertionem noſtram facit.

483 7°. ex narratione proinde Patris Del Techo, Terillus non ſolùm perperàm intulit, Urbanum VIII. declaraſſe, quòd licitum ſit ſectari opinionem probabilem, *quamvis illa minùs probabilis fuerit*; ſed inſuper erravit, ex eadem narratione inferendo, *Urbanum VIII. à Miſſionariis Evangelicis interrogatum fuiſſe, quomodò in re difficili, ad jus naturæ, atque matrimonii validitatem ſpectante, ſe gerere deberent.* Hoc nullo modo habetur in ſupplica Joannis de Lugo. Nec Terillus benè probat, ex eo quòd diſpenſandi facultatem petierint: *Hi enim, ut abſque ſcrupulis, & tutiùs procederent, ſuppliciter rogarunt, ut facultatem.... diſpenſandi tribuere dignaretur*, &c. Hanc enim facultatem petere, non eſt Pontificem interrogare, quomodò in re difficili ad jus naturæ ſpectante ſe gerere deberent, nec controverſiam proponere quæſtionem, ab ipſo decidendam, ſed facultatem petere, quam non habebant.....

484 Dixi Terillum ex narratione illa perperàm intuliſſe, quòd Urbanus VIII. docuerit, licitum eſſe uſum opinionis probabilis, *quamvis illa minùs probabilis fuerit.* Non ſolùm quia hoc additum non extat in reſponſione Pontificis, ſed de ſuo Terillus illud addidit (ut ſuprà dixi) verùm etiam quia dum Pontifex reſpondit, ut Miſſionarii illi ſequerentur opiniones barbaris favorabiliores, ſermo ipſi fuit de opinionibus quas multi ex ipſis pii & docti viri habebant, de nullitate matrimoniorum ab infidelibus illis contractorum, atque adeò de nullo extante impedimento, quominùs poſſent, quam vellent, uxorem accipere. Quæ

profectò opinio minùs probabilis non erat, sed longè probabilior, atque ex conjecturis atque argumentis à Joanne de Lugo relatis, Romæ visa moraliter certa. Cùm ergo Pontifex solùm approbaverit, ut sequerentur ejusmodi opiniones, vanus est Terilli triumphus, vana gloriatio, papyracea victoria, illatio prorsus ridicula.

485 8°. illatio illa, seu interpretatio Terilli injuriosa est S. Pontifici, ducitque in præcipitium. Quia ex ea sequeretur Urbanum VIII. docuisse propositionem primam ab Innocentio XI. authenticè damnatam, quæ licitum dicit in Sacramentis conferendis sequi opinionem minùs tutam, minùsque probabilem, tutiore & probabiliore relictâ. Probatur sequela, quia opinionum diversitas in casu S. Pontifici proposito, fuit circa rem, ex cujus veritate pendebat valor Sacramenti matrimonii, ab infidelibus Guaranæ Gentis ad fidem conversis contrahendi, ut Terillus ipse testatur, aiens Pontificem *interrogatum fuisse à Missionariis, quomodò in re difficili, ad jus naturæ, & validitatem matrimonii spectante, se gerere deberent.* Si ergo verum est quod contendit, Urbanum VIII. interrogationi propositæ satisfeciisse, respondendo, *licitum illis esse, sectari quamcumque opinionem certò probabilem, barbaris favorabiliorem, quamvis illa minùs probabilis fuerit*, sequitur ex Urbani VIII. responsione licitum esse, quod Innocentius XI. pronuntiavit illicitum, in Sacramentis conferendis sequi opinionem minùs probabilem de valore, relictâ tutiore & probabiliore.

486 Collyrio ergo Terillus inungat oculos suos, ut videat tot & tam crassas hallucinationes suas in argumento, per quod tantam sibi de nobis victoriam pollicebatur. Quas ut manifestiùs videat, quæro ab ipso, quænam inter Missionarios Paraquariæ quæstio fuerit, *ad jus naturæ* spectans, ut ipse ait, & non solùm ad factum, in qua Doctorum sententiæ utrimque probabiles intercederent, & in qua Urbanus VIII. permiserit sequi minùs probabilem, barbaris favorabiliorem? Nullam quippe ejusmodi quæstionem vel opinionem Terillus assignat, nec assignare potest. Quia nulla apud Doctores reperitur. Apud quos nullus reperitur qui doceat, quòd in dubio facti & controversia circa valorem, aut nullitatem matrimonii, in infidelitate contracti, possint conversi ad aliud pro libito transire, quamvis æquè vel magis probabile sit, prius matrimonium, adeòque impedimentum ligaminis subsistere. Neque circa hoc probabile est dissensionem inter Missionarios Paraquariæ subortam: cùm ex relatione facta S. Pontifici solùm appareat, solos eos Missionarios permisisse transitum ad aliud matrimonium, qui putabant, nullam ex acceptis pellicibus veram fuisse uxorem. Nec cuiquam Missionariorum illorum in mentem venerit, permittere, ut, stante dubio de valore prioris matrimonii, vel majori probabilitate de valore, aliud pro libito, absque dispensatione S. Pontificis inirent. Iste enim crassissimus error fuisset, & scelus enorme, in piis illis & doctis viris non præsumendum.

Dubitantem quidem de impedimento dirimente (etiam distincto ab impotentia, cujus dubium vix aliter superari potest, quàm per usum matrimonii) etiamsi probabiliùs ipsi appareat stare impedimentum, posse matrimonium inire, contra communem sententiam, Sanchez l. 8. de matrim. disput. 6. n. 18. primus docuit, & secutus est Diana p. 10. tr. 13. resol. 1. quia in ejusmodi dubio standum pro libertate matrimonium contrahendi. Sed (præterquàm quòd opinio ista rejicienda sit) ipsi excipiunt dubitantem de impedimento ligaminis, seu vinculo prioris matrimonii jam contracti. Quia tunc possessio, favor, & præsumptio est pro matrimonio, ut idem Sanchez docet ibidem lib. 1. disput. 18. In dubio namque standum pro matrimonii valore constat ex cap. *ex litteris*, de probat. & cap. fin. de sent. & re judicata. Neque favor iste matrimonii, juris est merè humani, sed naturalis, vel divini positivi, ut constat ex cap. *licèt ex quadam*, de testib. & attest. ubi Innocentius III. rationem hanc reddit, cur in dubio potius standum sit pro valore matrimonii, quàm pro contrahentium libertate: *tolerabilius est enim, aliquos contra statuta hominum* (id est testimonia, seu argumenta humana, non satis certò probantia impedimentum) *dimittere copulatos, quàm conjunctos legitimè contra statuta Domini separare.* 487

Non est ergo, nec fuit unquam probabilis opinio, quòd infidelibus ad fidem conversis aliud matrimonium, absque Pontificis dispensatione, permitti possit; casu quo (post debitum examen) dubium adhuc esset, an matrimonium, in infidelitate priùs contractum, validum fuisset, & multò minùs ubi opinio de valore ipsius probabilior appareret. Et ideò improbabile est, Urbanum VIII. permisisse talem opinionem contra tot Canones sequi. Illatio proinde & argumentatio Terilli omni ex latere ruinosa est, improbabilis, & in errores inducens. 488

Ejusdem argumenti prosecutio, quâ ampliùs demonstratur inanitas argumentorum Terilli ex sacris Canonibus.

PRimò namque manifestè inane est quod 489
opponit ex Leone X. qui apud Cassarubium verbo *declarare*, concessit FF. Minoribus, qui scrupulis vexantur, ut possint, in omnibus dubiis, securâ conscientiâ stare determinationi suorum Superiorum. Neque enim scrupulosi, hoc faciendo, sequuntur opinionem, spectatis omnibus, visam sibi minùs probabilem, sed certum prudentiæ dictamen, à Magistris omnibus spiritualibus, à SS. Doctoribus, à Spiritu Sancto in sacris Litteris approbatum.

probatum, & ratione ſolidiſſimâ roboratum. Cùm eo in ſtatu æquè incapaces ſint propriæ directionis, quàm ſimplices & idiotæ; nec proinde valeant probabiliùs reſolvere dubia ſua, quàm ſtando determinationi Superiorum ſuorum, qui ordinariè ſunt viri probi, periti, & prudentes.

490 Secundò inane eſt quod opponit ex cap. *Inquiſitioni* de ſent. excom. ubi Innocentius III. definit, conjugale debitum licitè exigi à conjuge, qui dubitat, vel credit, matrimonium ſuum eſſe nullum, dummodò dubium illud, vel credulitatem deponat ad conſilium Paſtoris ſui, ſi leviter, vel temerariè conceptum fuerit. Neque enim Innocentius III. ibi definit, debitum tunc exigi poſſe, explosâ credulitate, ſeu opinione probabiliori, ſed exclusâ credulitate, *leviter & temerariè conceptâ*; expreſsè addendo, debitum exigere non poſſe, ſi conſcientiam nullitatis matrimonii ſui habeat ex credulitate probabili & diſcreta. Per conſequens expreſsè deſtruit intentum Terillianum.

491 Tertiò inane eſt quod allegat ex cap. *ex parte* de cenſib. tametſi inde mirabiliter comprobari putet, in dubio favendum libertati; eò quòd Archiepiſcopo Compoſtellano, dubitanti, qua in menſura, majore an minore, ſolvere deberent, qui Eccleſiæ S. Jacobi voverant dare aliquot ſextarios frumenti (cùm iſto in loco ſextarii darentur majores & minores) Pontifex reſponderit, ſolvendam eſſe uſitatam menſuram, ſi ad unam eamdemque vota hujuſmodi hactenùs perſoluta fuiſſent. Sin minùs, *volentes ſolvere minorem, non eſſe cogendos, ut majorem perſolvant. Quia cùm ejuſmodi vota gratuita ſint ab initio, benigniùs ſunt à viris Eccleſiaſticis exigenda, ne tamquam exactores videantur lucris temporalibus inhiare.* Manifeſtum quippe eſt, Pontificem in eo dubio, non faviſſe libertati, ſed Eccleſiæ honori (ut liquet ex ratione per ipſum allegata, *ne tamquam exactores*, &c.) imò etiam quodammodò Eccleſiæ utilitati, ne ſcilicet duriori exactione (ut Gloſſa ait ibidem) fidelium magnificentia erga Eccleſiam illam retardaretur.

492 Quartò inane eſt quod objicit ex cap. *licèt*, & cap. fin. de ſponſa duorum, ex quibus conſtat Pontifices contraria judicaſſe circa diſſolutionem matrimonii rati, per ſubſequens conſummatum. Nec eſt (inquit) qui unquam negaverit tutos fuiſſe in conſcientia, qui ſive unam ex oppoſitis iſtis SS. Pontificum ſententiis in praxi ſecuti ſunt, adhærendo ſecundæ uxori, ſive alteram, & veram, adhærendo priori. Tametſi enim nullus ex ipſis argui debuerit, ſi bonâ fide tam iſti, quàm illi proceſſerint, credendo veram ſe ſententiam ſequi. Secus ſi eam ſecuti fuiſſent, quam minùs tutam & probabiliùs falſam cenſuiſſent.

493 Nec dumtaxat inane eſt argumentum iſtud; ſed & in errorem inducit. Cùm utroque iſto capite agatur de valore Sacramenti. De quo dum agitur, erroneum eſt aſſerere, quòd licet opinionem minùs probabilem ſequi.

Quintò inaniter arguit ex cap. *Capellanus* de Feriis: cùm unam ibi ſententiam Pontifex eligat: *quia meliori & ſubtiliori nititur ratione.* Non ergo minùs probabilem, ſed probabiliorem. 494

Sextò inaniter arguit ex cap. 1. de homic. in ſexto: ubi probabilitatis magna (inquit) habetur ratio, cùm dicitur, quòd poſtquam probabilibus *conſtiterit argumentis, aliquem ſcelus tam execrabile commiſiſſe*, talis habendus ſit excommunicatus. Neque enim Pontifex ibi loquitur de argumentis minùs probabilibus, ſed adeò probabilibus, ut ex iis conſtet *aliquem tam execrabile ſcelus commiſſe.* Quodque ibi Pontifex dicit, eſt contra Probabiliſtas, aientes, probabilitatem ſufficere ad deobligandum, non ad obligandum. Cùm ex illa probabilitate Pontifex jubeat ipſum haberi pro excommunicato. 495

Septimò frivolum eſt argumentum ipſius ex can. *ego ſolis* diſt. 9. ubi Auguſtinus dicit, rationes probabiles ſufficere ad judicium prudens. Quia Auguſtinus non dicit ad id ſufficere rationes minus probabiles, cognitas ut tales; ſed ex contextu manifeſtum eſt ipſum loqui de probabilioribus, & adeò perſuaſivis, ut ob illas perſuaderi potuerit de veritate. 496

Cætera quæ Terillus allegat, non abſimilia ſunt, adeòque facilem ac perſpicuam ex dictis habent ſolutionem, ut ſatis ſuperque conſtet, Terillum non habuiſſe, ſive ex ſacris Canonibus, ſive ex SS. Pontificibus, niſi quæ certum eſt vim nullam habere, ne quidem apparentem, ad intentum ipſius comprobandum. Quæ tamen ideò congeſſit, quia melioribus deſtituebatur. 497

CAPUT XLIII.

Quarta probatio contra Probabiliſmum ex ſanctis Doctoribus.

§. I.

Proferuntur D. Clemens, Cyprianus, Chryſoſtomus, Nazianzenus, Author imperfecti, Auguſtinus.

ET primò quidem conſtat ex ipſorum teſtimoniis cap. 17. productis, quòd ad tutiorem partem obligent, in dubio, ſeu æquali probabilitate de illicito, atque de licito. Quantò magis in caſu quo major eſſe cognoſcitur probabilitas de illicito? 498

Secundò, Probabiliſtarum aſſertionem de licito uſu opinionis minùs probabilis de licito, contra agnitam probabiliorem de illicito, improbant omnes Patres, dum jubent ad divinæ Traditionis originem, Scripturam utique, & iſtius Traditionis Cuſtodes, Interpreteſque ſanctos Patres recurrere, in iis quæ ad fidem & mores ſpectant, prohibentque ea ex ſenſu noſtro, vel ex veriſimilitudinibus ab ingenioſis hominibus, ratione purè humanâ ex- 499

cogitatis, definire. Illa quippe assertio in re, non solùm ad mores spectante, sed & totius Theologiæ Moralis adeò præcipuâ, vel ex præcipuis unâ, ut ejusdem Theologiæ Moralis fundamentum sit, & basis, à Probabilistis excogitata fuit sensu suo, & ratione purè humanâ, non ex divina Traditione, sive ex Scriptura (uti vidimus cap. 38.) neque ex Patribus, divinæ Traditionis Custodibus, Interpretibusque, ut hîc & sequenti capite apparebit. Assertionem proinde illam improbant omnes Patres Prolegomeno 1. c. 4. necnon Prolegomeno 2. c. 8. relati. Quibus addo S. Clementem, cujus sequentia verba habentur can. *relatum* dist. 37. *Relatum nobis est, quòd quidam in vestris partibus commorantes, adversantur sacris doctrinis* (quibus adversari Probabilismum ostendimus cap. 37.) *& prout eis videtur, non secundùm traditionem Patrum, sed juxta suum sensum docere videntur. Multas enim quidam* (*ut audivimus*) *vestrarum partium ingeniosi homines, ex iis quæ leguntur, verisimilitudines capiunt* (hoc faciunt multi hodie Casuistæ, & Probabilistæ, qui non rarò audacter pronuntiant aliquid licitum, sine alio argumento, nisi sumpto à paritate, seu similitudine aliarum rerum, quæ licitæ censentur) *& ideò diligenter observandum est, ut lex Dei, cùm legitur, non secundùm propriam ingenii virtutem, vel intelligentiam legatur vel doceatur. Sunt enim multa verba in Scripturis divinis, quæ possunt trahi ad eum sensum, quem sibi unusquisque sponte præsumpserit* (quomodò Terillus ad sensum Probabilismi sui trahit verba Domini: *Jugum meum suave est*) *sed non oportet. Non enim sensum extrinsecùs alienum & extraneum debetis quærere* (prout ipse quæsivit in verbis illis) *ut quoquo modo ipsum ex Scripturarum authoritate confirmetis; sed ex ipsis Scripturis sensum capere veritatis oportet. Et ideò oportet scientiam ab eo discere Scripturarum, qui eam à Majoribus, secundùm veritatem sibi traditam servat, ut & ipse possit eam, quam rectè susceperit, competenter asserere.* Talis cùm non sit assertio contra quam disputamus (utpote omni Majorum & SS. Patrum suffragio destituta, solâque ratione purè humanâ sub finem sæculi præcedentis, contra sensum totius Antiquitatis, in re unde tota penè Theologia Moralis pendet, periculosè excogitata) secundùm allatam S. Clementis doctrinam (locis citatis fusiùs comprobatam) censenda est suspecta, & à veritate prorsus aliena.

500 Addo & Cyprianum, qui (apud Antonium Merendam in præfat. ad tract. de probabilit. pag. 239. n. 793.) sic ait: *In compendio autem est apud religiosas mentes & simplices, & errorem deponere, & invenire, atque eruere veritatem. Nam si ad divinæ Traditionis originem, & caput itur, cessat error humanus, & Sacramentorum cælestium ratione perspectâ, quidquid sub caligine ac nube tenebrarum latebat, luce veritatis aperitur.* Circa momentosam ergo quæstionem, an licitus sit usus opinionis minùs probabilis, juxta SS. Doctores, & argumenta locis relatis deducta, perquirere debemus *quid Apostoli hac de re docuerint* (inquit Merenda) *quid discipuli Apostolorum circa hoc senserint, quid existimaverint Patres ab his eruditi, & denique sensus priscorum sæculorum de usu hujus probabilitatis à nobis investigandus. Sic enim pervenietur ad caput & originem divinæ Traditionis: cùm Dominus noster, qui misit per Orbem Discipulos, ut docerent ea quæ ipsis mandaverat, Matth. 28. ipsos docuerit, quid facere oporteat, dum honestas operationis sic controversa est, ut utraque opinio habeat rationes validas.* Patres verò semper docuerunt sequendam pro posse veritatem, fugiendamque falsitatem, eligendamque in dubio viam tutiorem.

Addo denique Augustinum relatum 24. q. 501
1. dicentem: *Non afferamus stateras dolosas, ubi appendamus quod volumus, & quando volumus pro arbitrio nostro*, seu visâ nobis ratione purè humanâ, *dicentes: hoc grave, hoc leve*, hoc licitum, hoc illicitum est; *sed afferamus divinam stateram de Scripturis sanctis, tamquam de thesauris dominicis, & in illa quid gravius, quid levius*, quid licitum, quid illicitum, *appendamus, imò non appendamus, sed à Domino appensa recognoscamus.* Ad divinam hanc stateram appensa non est assertio, quæ licitum dicit sequi opinionem de licito, tametsi majus pro se pondus authoritatis & rationis habeat opinio de illicito. Imò appensa est ad stateram dolosam & periculosam, ad quam sectatores istius assertionis appendunt quod volunt, & quomodò volunt, pro arbitrio, non pro rationis & authoritatis momento, id licitum dicentes, quod (majus authoritatis & rationis pondus sequendo) dicere deberent illicitum, & hoc in materia, in qua de salute & æternitate agitur, id facientes quod nullus sapiens in re pecuniaria facit. Si enim de re pecuniaria agitur, pecunia accipienda ad lancem appenditur, & si uno vel altero grano levior sit, vix recipitur. In commercio verò salutis & æternitatis, opiniones omnes probabiles, etiam quæ longè minus habent pondus rationis & authoritatis pro licito, quàm habeant opiniones pro illicito, etiam istas Probabilistæ censent prudenter recipi, eligique posse ad peccatum vitandum, gloriamque æternam comparandam. Ubi hoc in divina inveniunt statera? Ubi in Patribus? Ne quidem inveniunt in statera rationis rectæ; sed in statera dolosa, admodùmque periculosa erraticæ rationis suæ purè humanæ.

Tertiò probatur ex Nazianzeno orat. 27. 502
docente, magis quærendam veritatem, sequendo opinionem, quam sincerè credimus veram, quàm contrariam aliorum, quàmlibet multorum, opinionem, ad conscientiæ securitatem: *At plerisque secùs videtur, inquies. Quid verò mea interest, qui rei veritatem magis curo? Hoc enim vel me condemnaverit, vel absol-*

absolverit ; hoc miserum , vel beatum reddiderit. At quod aliis videtur, nihil ad nos : quemadmodùm nec alienum somnium. Ergo contra Nazianzenum Probabilistæ docent esse licitum, contra propriam opinionem de illicito, sequi alienam de licito , tametsi eam falsam esse credamus.

503 Quartò ex Chrysostomo homil. 13. in cap. 7. secundæ ad Corinth. *Ne igitur multorum opiniones habeamus , sed res ipsas inquiramus*, id est veritatem , verioremque opinionem. *Quomodò autem non absurdum , propter pecunias aliis non credere , sed res ipsas numerare, & supputare ; pro rebus autem ampliorib⁹* (salutem utique concernentibus) *aliorum sententiam sequi simpliciter* (etiam minùs probabilem , & probabiliùs falsam) *præsertim cùm habeamus omnium exactissimam trutinam & gnomonem , ac regulam , divinarum , inquam, legum assertionem*, quæ hoc non concedit. *Ideò obsecro , & oro omnes vos , ut relinquatis , quidnam huic vel illi videatur* (si vobis non videatur verum) *deque his ab Scripturis hæc omnia inquirite , & veras divitias*, seu sententias discentes , *eas sectemur , ut æterna bona assequamur.*

504 Quintò ex Authore imperfecti in Matthæum (qui eidem Chrysostomo adscribitur , sed revera est Joannis nostri Hierosolymorum Patriarchæ XLIV.) homil. 44. in Matth. ubi dicit neminem excusari per ignorantiam , nisi adhibitâ exactâ diligentiâ, veriorem seu probabiliorem partem elegerit : quia , *si vestimentum empturus , unum gyras negotiatorem , & alterum , & ubi meliores vestes inveneris , & pretio viliori , ab illo comparas : an non oportet populum circuire omnes Doctores , & inquirere ubi sincera veritas Christi venditatur , & ubi corrupta , & veriorem eligere , plusquàm vestimentum ?* Quasi dicat , id non solius esse consilii , ut prætendit Terillus , sed tantò magis necessarium ex præcepto prudentiæ , quantò majori sollicitudine , ex eodem præcepto, quærenda est veritas fidei , & morum , quàm bonitas vestium.

505 Sextò ex Augustino , cujus pro assertione nostra sex loci sunt , observatu dignissimi.

Primus ex l. 1. contra Academ. c. 4. ubi docet , veritatem quærendam sequendamque , quantùm fieri potest ; ad ejus metam proinde perveniendum , si fieri potest : sin minùs , ad eam accedendum , quàm proximè potest , fugiendamque falsitatem , quantùm potest : *Quisquis minùs instanter , quàm oportet , veritatem quærit , is ad finem hominis non pervenit. Quisquis autem tantùm , quantùm homo potest , ac debet , dat operam inveniendæ veritati , etiamsi non inveniat , beatus est. Totum enim facit , quod ut faciat ita , natus est.* Nam, ut ait in Euchar. c. 10. *usque adeò natura rationalis refugit falsitatem , & quantùm potest devitat errorem , ut falli nolint , quicumque amant fallere.* Atqui non accedit ad veritatem , quàm proximè potest , nec fugit falsitatem , quantùm potest , qui sequitur opinionem , quam probabiliùs cognoscit falsam esse , quàm veram. Nec talis excubat quantùm potest (uti faciendum esse docet l. 22. de Civit. c. 23.) *Ne opinio verisimilis fallat ; ne decipiat sermo versutus ; ne se tenebræ alicujus erroris offundant ; ne quod bonum est , malum , aut quod malum est , bonum esse credatur... ne in ea quæ agenda non sunt , cupido præcipitet.* Quid enim nisi cupido , aut amor sui , præcipitat ad faciendum quod probabiliùs cognoscitur illicitum , legeque Dei prohibitum esse , quàm non esse ?

Secundus , ex libro 3. contra eosdem cap. 506 16. ubi ex professo refellere videtur probabilismum , contra quem disputamus , id est licitum usum opinionis cujuscumque , etiam minùs probabilis , quæque videtur probabiliùs falsa , quàm vera , dum ex professo refellit hanc Academicorum positionem : *Cùm agit quisque quod ei videtur probabile , nec errat , nec peccat.* Refellit autem 1°. *Non enim solùm puto eum errare , qui falsam viam sequitur*, id est qui sequitur sententiam de licito , quam scit esse falsam ; *sed etiam qui veram non sequitur* , id est qui non sequitur sententiam veram , quantùm scit & potest. Quam profectò non magis sequitur , qui sequitur probabile Recentiorum Probabilistarum , quàm qui sequitur probabile Academicorum. Probabile namque Recentiorum Probabilistarum , æquè vel magis probabiliter cognoscitur falsum esse quàm verum. Quisquis proinde illud sequitur , non sequitur sententiam veram , quantùm scit & valet. Aliàs sequeretur eam quam cognoscit probabiliùs veram quàm falsam , dimissâ eâ quam cognoscit probabiliùs falsam quàm veram.

2°. illam Academicorum positionem Au- 507 gustinus refellit , eò quòd secundùm illam , *nefas omne.... cùm probabile cuiquam visum fuerit esse faciendum.... sine sceleris.... vituperatione committetur*, v. g. adulterium. *Id igitur audiens adolescens insidiabitur pudicitiæ uxoris alienæ.* Si dicat Academicus , non sibi esse probabile , hoc fieri posse. Contrà (inquit Augustinus) *illi probabile est*, neque *ex alieno probabili vivimus. Adulterabit igitur ille juvenis alienam conjugem. Qui deprehensus si fuerit.... à quo defendetur?* Quid in ipsius defensionem dicetur ? *Hoc* enim *si Judices intellexerint , aut negligent Academicos , & tamquàm crimen verissimum punient ; aut eisdem obtemperantes , verisimiliter hominem probabiliterque damnabunt , ut jam quid agat patronus* adolescentis , *prorsus ignoret.* Si enim Judices sequantur principium omnibus per naturam & consuetudinem impressum , justum utique & honestum ab opinione hominum seu probabilitate non pendere , sed à natura rei , seu lege æterna ; & consequenter puniendum esse eum , qui , etsi probabile secutus , jus tamen naturæ læsit. Justè judicabunt , adeòque crimen falsâ ratione probabile , vero justoque

plectent ſupplicio. Si autem Academicorum principio inſiſtentes, probabile ſecutum in patrando adulterio, ſequentes probabilitatem contrariam morte damnent, quid proderit occidendo probabilitas ſua? Non enim minùs judicem, quàm adulterum probabilitas excuſabit. Qualis ergo morum Regula eſt probabilitas, quæ ſequacem ſuum nequit apud æquum Judicem à ſupplicio tueri?

508 Fateor probabile Catholicorum Probabiliſtarum tantæ extenſionis non eſſe, quàm probabile Academicorum, exiſtimantium nihil certò ſciri, ſed omnia incerta eſſe: cùm tamen multa apud Catholicos ex fidei principiis, evidentique ratione demonſtrentur certò illicita, ut adulterium. Sed & ipſi nihilominùs in hac poſitione cum Academicis conveniunt: *id omne eſſe licitum, quod probabili ratione vel authoritate licitum, nec certò demonſtratur illicitum.* Utroque proinde illo Auguſtini ratiocinio refelluntur. Tum quia licèt nulli Catholico probabile ſit adulterium eſſe licitum, pleriſque Catholicis Probabiliſtis licitum videtur perjurium cum reſtrictione mentali, homicidium pro ſolo pomo, vel aureo, aut equo, & ſimilia horrenda. Quibus proinde jure applicabitur, quod Auguſtinus dixit de adulterio. Tum quia licèt in Regionibus Catholicis adulterium non cenſeatur probabiliter licitum, eſſe poterit aliquis barbarus in alia aliqua regione, ubi probabile ſit adulterium eſſe licitum. Et reſpectivè ad tales barbaros vim habet utrumque Auguſtini contra Academicos argumentum. Rectè proinde (non obſtantibus Eſparzæ exceptionibus) ex Auguſtino Probabiliſmum Academicorum refellente, Caſuiſtarum noſtrorum Probabiliſmum Illuſtriſſimus Marinarius noſter refellit in Opuſc. de opin. probab. c. 17. quatenùs ſcilicet Caſuiſtarum Probabiliſmus cum Academicorum Probabiliſmo convenit 1°. in fundamentali poſitione, de qua ſuprà, uti fatetur Eſparza in Append. de opin. ſprob. art. 69. 2°. in eo quod Caſuiſtæ, ſeu noſtri Probabiliſtæ cum Academicis cenſeant fieri honeſtè & ſecurè, id eſt abſque practico errore, periculovè illius, cujus honeſtas eſt probabilis, ſed ſic ut de iſtius honeſtatis veritate judicium per principia directa, operans ferre non poſſit, per conſequens non ſequatur viam viſam ſibi veram per principia directa. Hæc ſunt autem quæ Auguſtinus in Academicis refellit. Primum ob horrenda conſectaria. Secundum, quia certum eſt, non *ſolùm errare illum, qui falſam viam ſequitur, ſed etiam qui non ſequitur viam veram*, &c. Videri poteſt Vincentius Baronius, Marinarii argumentum contra Eſparzam propugnans in Ethice Chriſtiana diſput. 2. loco 17. §. 14. & 15.

509 Tertius Auguſtini locus habetur l. 2. de doctr. chriſt. c. 8. ubi tradens modum, quo quis in diverſitate opinionum gerere ſe debeat, in eligendis Canonicis Scripturis, ad fidem & morum regulam neceſſariis: *Tenebit* (inquit) *hunc modum, ut quæ ab omnibus recipiuntur Eccleſiis, præponat eis, quas quædam non recipiunt. In his verò quæ non accipiuntur ab omnibus* (ob nondum definitum, Auguſtini tempore, ſacrorum Librorum Canonem) *præponat eas, quas plures & graviores recipiunt, eis quas pauciores, minoriſque authoritatis Eccleſiæ tenent.* Igitur ex Auguſtini ſententia, opinio quæ pro ſe plures & graviores habet Authores, atque adeò probabilior eſt, præferri debet ei quæ pauciores habet, minoriſque authoritatis, adeòque minoris probabilitatis. Quod ſi verum eſt, dum utraque eſt æquè tuta; à fortiori, dum probabilior eſt tutior. Nec Auguſtinus ſic ſolùm ſentit de uſu & delectu Scripturarum, in iis quæ ſpectant ad fidem, ſed & in iis, quæ ſpectant ad mores. Ut enim paulò infrà explicat, de iis Scripturis, earumque delectu loquitur, in quibus apertè poſita ſunt, vel præcepta vivendi, vel regula credendi, &c. Porrò allatus Auguſtini locus canonizatus eſt cap. *in canonicis* diſt. 19.

Quartus locus habetur in lib. de util. cred. 510
c. 7. ubi ſic: *Quærendi ſunt hujus rei* (*id eſt religionis*) *profeſſores. Fac nos reperiſſe alios aliud opinantes, ſed inter hos excellere famæ interim celebritate quoſdam, atque omnium penè occupatione populorum. Utrùm iſti verum teneant, magna quæſtio eſt. Sed nonne priùs ſunt explorandi, ut quamdiù erramus, ſiquidem homines ſumus, cum ipſo genere humano erraſſe videamur.* Ecce in materia religionis, dum incidimus in varias opiniones, poſt exploratam veritatem, eorum opinionem ex ſententia Auguſtini ſectari debemus, qui famæ celebritate, omniumque penè exiſtimatione populorum, aliis præcellunt. Quorum proinde authoritas gravior eſt & probabilior. Igitur & in materia morum.

Quintus locus habetur l. 19. de Civit. c. 24. 511
Quid illa virtus, quæ prudentia dicitur? nonne totâ vigilantiâ ſuâ bona diſcernit à malis, ut illis appetendis, iſtiſque vitandis, nullus error obrepat? Non igitur illi prudentes, ſecundùm Auguſtinum, qui faciunt quod ſibi probabiliùs videtur malum: quia totâ vigilantiâ ſuâ non cavent errorem in appetitione bonorum & fuga malorum; cùm probabiliori erroris periculo ſe exponant. Sed illi ſoli prudentes, qui vigiliis continuis excubant ne opinio veriſimilis fallat, &c. ut ſuprà n. 505.

Sextus locus habetur l. 1. de adulterin. con- 512
jug. cap. 26. & 28. Quamvis enim tempore Auguſtini controverteretur, an baptizandi forent Catechumeni in articulo mortis, non dato ullo indicio quòd baptizari vellent; duplexque ea de re foret opinio probabilis, una affirmans, altera negans licitum ipſos baptizare: priorem in praxi ſecutus eſt Auguſtinus, quia viſam ſibi probabiliorem; poſteriorem cenſuit à ſe practicari non poſſe, quia viſam ſibi minùs probabilem: tametſi alios baptizare non audentes, cenſuerit damnandos non eſſe. Quia

opinio ipſorum (negans id eſſe licitum ob periculum, ne baptiſmo contrarium gerant voluntatis arbitrium) erat probabilis, & ipſis videbatur probabilior, ob argumenta quæ Auguſtinus ibi proponit & ſolvit, oſtendens præſumendum eſſe quòd baptizari velint, & ut voluntas eorum incerta foret (inquit) equidem multò *ſatius eſt nolentibus dare, quàm volentibus negare, ubi velint, an nolint, ſic non apparet, ut tamen credibilius ſit, eos, ſi poſſent, velle ſe potiùs dicturos ea Sacramenta percipere, ſine quibus jam crediderunt, non ſe oportere de corpore exire.*

513 Simile argumentum depromi poteſt ex doctrina, quam alibi tradit, quòd Catechumenus, cum ſecunda vivens uxore, ſuperſtite primâ, ob adulterium dimiſſâ, admittendus non ſit ad baptiſmum, nec pœnitens ad reconciliationem. Quia longè probabiliùs cenſuit illicitum eſſe, ſuperſtite primâ uxore, ob adulterium dimiſſâ, alteram ducere, licèt contraria opinio, Auguſtini tempore, probabilis & à multis viris doctis tradita fuerit (ſicut & tradita fuit à tota olim Eccleſia Gallicana, pluribuſque Synodis, uti vidimus alibi) ita ut vel ipſe Auguſtinus l. 1. citato c. 25. quæſtionem hanc *obſcuriſſimam & implicatiſſimam* eſſe fateatur, & l. 1. de fid. & oper. non diffiteatur, fieri poſſe, ut *venialiter ibi quiſque fallatur.*

§. II.

Proferuntur Gregorius Magnus, Bernardus, S. Thomas.

514 SEptimò aſſertio noſtra probatur ex Gregorio Magno l. 1. in Ezech. in principio, dicente quòd *corpora animalium idcircò plena oculis deſcribuntur, quia Sanctorum actio, ab omni peccato circumſpecta, eſt bona deſiderabiliter providens, mala ſolerter cavens.... Sanctorum mens vehementer invigilat, ne ſe ante eorum oculos mala ſub bonorum ſpecie abſcondant.* Sed hoc ſolerter non cavet, nec ad hoc cavendum vehementer invigilat, qui non cavet, quod ſibi probabiliùs videtur eſſe, quàm non eſſe malum. Igitur actio ipſius (ſecundùm Gregorium) ab omni peccato non eſt circumſpecta.

515 Octavò ex Bernardo de præcepto & diſpenſ. c. 14. ad illa Chriſti verba: *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ*, dicente: *Ut interior oculus verè ſimplex ſit, duo illi arbitror eſſe neceſſaria, charitatem in intentione, & in electione veritatem*, ſive, ut paulò poſt ſubjungit, *prudentiam.* Atqui charitatem non habet in intentione, qui facit quod probabiliùs cognoſcit eſſe Dei offenſam, & contra ipſius voluntatem. Nec talis habet in electione ſive veritatem, ſive prudentiam. Non veritatem, quia eligit quod ſibi probabiliùs videtur falſum, quàm verum. Nec prudentiam, quia ſic prudens eſſe debet ille cujus oculus eſt ſimplex, ut voluntariè *falli non poſſit*, ſive *falli ſe non ſinat*, uti Bernardus ſubjungit. *Falli verò ſe ſinit*, qui ſciens & volens, eligit quod ſibi probabiliùs videtur falſum, ſive à veritate divinæ legis alienum. Talis proinde Dei voluntatem ſincerè non vult præferre voluntati ſuæ, uti velle debet, ſed magis ſuam ſequi, dum ſcienter agit, in quo majorem videt apparentiam ſequendi ſuam, quàm Dei voluntatem. Qui enim ſincerè vult Dei potiùs, quàm ſuam voluntatem ſequi, *debet eſſe paratus, voluntatem ejus ſequi, in quamcumque partem eam cognoverit inclinari*, ait Bernardus ſerm. de tripl. ſubject. volunt. Sed (ut addit Mellifluus Doctor) miſeria noſtra eſt, *ut diſſimulemus Domini quærere voluntatem, dum noſtram facere, & aliquam de ignorantia volumus habere excuſationem*, ſub prætextu alicujus probabilitatis, tametſi majorem habeamus probabilitatem in oppoſitum.

Nonò ex S. Thoma, cujus diſcurrendi modus diametraliter adverſatur modo diſcurrendi Probabiliſtarum. Ipſi namque permittunt eorum ſequi opinionem, qui probabiliùs à veritate receſſerunt, quàm ad eam pervenerunt; ſanctus Doctor verò l. 9. Metaph. lect. 9. *in eligendis* (inquit) *opinionibus.... oportet nos ſuaderi à certioribus, id eſt ſequi opinionem eorum, qui certiùs* (id eſt longè probabiliùs) *ad veritatem pervenerunt.* 516

Deinde, ſecundùm Probabiliſtas, ubi conſtiterit dari contrarias gravium Doctorum opiniones probabiles, circa honeſtatem alicujus actionis, v. g. contractûs, operans non debet eſſe ſollicitus, an minùs tuta (affirmans actionem eſſe licitam) ſit vera, ſed ſatis eſt quòd ſciat eſſe probabilem, ut eam ſecurè in praxi ſequi poſſit. At S. Thomas non ſatis habet ſcire eam eſſe probabilem, ſed ulteriùs examinare pergit, & examinandum cenſet, an ſit vera. Et quia hoc difficile eſt aſſequi, ubi ſunt graves Doctores, graviaque argumenta pro utraque parte, periculoſum eſſe docet tunc quæſtionem reſolvere. Exemplo ſit quæſtio de polygamia beneficiorum, quam proponit quodlib. 9. q. 7. a. 13. his verbis: *utrùm habere plures præbendas ſine cura animarum, abſque diſpenſatione, ſit peccatum mortale?* Suppoſitâ utrimque probabilitate, ob gravem hinc inde authoritatem, & rationem, facilè & abſque periculo quæſtionem ſolvunt Probabiliſtæ dicentes: eſt, & non eſt peccatum mortale. Utramvis opinionem ſequaris, tutus eris; ſed non ſic S. Thomas. *Dicendum* (inquit) *quòd omnis quæſtio, in qua de peccato mortali quæritur, niſi veritas expreſsè habeatur, periculosè determinatur. Quia error, quo non creditur eſſe peccatum mortale, quod eſt peccatum mortale, conſcientiam non excuſat à toto, licèt fortè à tanto. Error verò, quo creditur eſſe mortale, quod non eſt mortale, ex conſcientia ligat ad peccatum mortale. Præcipuè autem periculoſum eſt, ubi veritas ambigua eſt. Quod in hac quæſtione accidit. Cùm enim hac quæſtio ad Theologos pertineat, in quantum dependet ex* 517

jure divino, vel ex jure naturali; & ad Juristas, in quantum dependet ex jure positivo: inveniuntur in ea Theologi Theologis, Juristæ Juristis contraria sentire. In ejusmodi casu, ubi veritas sic ambigua est, ut pro utraque parte contradictionis non desint rationes authoritatesque Theologorum, ac Juristarum, non desint proinde opiniones pro utraque parte, sive æqualiter, sive inæqualiter probabiles, nullum periculum, nullam difficultatem in determinando, seu resolvendo ejusmodi quæstionem, in ordine ad praxim, agnoscunt Probabilistæ, aientes, cuique licitum ac tutum, imò tutissimum, quam partem maluerit, sequi, posseque prudenter ex imperio voluntatis, cui voluerit assentiri. At verò periculum & difficultatem in determinando agnoscit S. Thomas, aiens, utramlibet partem absque periculo non determinari, adeòque nec eligi, sed errorem imputari ad culpam, *nisi expressè veritas habeatur*, id est nisi eam partem quis determinaverit, elegeritque, quam, omnibus ritè pensatis, irreprehensibiliter scit & credit esse veram, quantùm in talibus circumstantiis humanitùs sciri potest, non utique scientiâ demonstrativâ, sed morali, fundatâ in argumentis adeò probabilibus, contrariaque argumenta in tantum excedentibus, ut ea velut absorbeant, & moralirer considerandâ non esse evincant, faciantque proinde moralem certitudinem, quam solam S. Doctor in agibilibus humanis requirit, & alibi exponit dicens, eam non exurgere ex argumentis demonstrativis, sed grossis & figuralibus, seu probabilibus, longè magis ad unam, quàm ad alteram partem se habentibus.

518 Rursus Probabilistas à S. Thoma toto cælo aberrare in modo discurrendi, & determinandi quæstiones morales, inde patet, quòd ibi præcipuè S. Thomas periculum in determinando, atque ideò pro impetrando divino lumine orationis necessitatem agnoscit, ubi Probabilistæ minus, imò nullum periculum, nec orandi necessitatem inveniunt, semel stabilito suo principio, quòd liceat unicuique ejusmodi quæstiones determinare, docere, consulere, & circa eas operari, secundùm quamcumque opinionem practicè (ut loquuntur) probabilem, seu affirmantem aliquid esse licitum. Ad cujusmodi opiniones inveniendas sufficit superficiale studium, lectioque Dianæ, Escobarii, Leandri, similiumque Scriptorum, diligentium in referendis pro utralibet parte, in omni penè materia multis (quos graves vocant) Casuistis. Quorum authoritatem cùm sufficere velint ad opinionem probabilem; quilibet, in dicta lectione versatus, statim absque ullo periculo determinare quamlibet penè quæstionem poterit in favorem libertatis, Authorumque illorum opinionem consulere, & secundùm eam operari.

519 At non sic S. Thomas, ad hoc & studium magnum, & orationem requirens, donec veritas expressè habeatur. Unde (præter dicta) opusc. 73. de usuris in proœmio sic procedit: *Omnis homo à natura non degenerans, veritatem amat, & eam scire super omnia desiderat. Quam si quis concupiscit vero corde, & eam quæsierit in simplicitate cordis sui, ipsa seipsam manifestabit, & Deus, qui hoc promittit, verax est, & eam præbet diligentibus se, sicut scriptum est Sap. 6.* " Præoccupat eos " qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat. " Eccli. 1. " Fili concupiscens sapientiam, con- " serva justitiam, & Deus præbebit eam tibi. " *Invoco ergo ipsam, ne me errare permittat in periculum animæ meæ, & in laqueum aliorum; sed illuminare dignetur oculos caliginosos, ipso suo lumine, sine quo nemo valet ad lumen veritatis usquequaque pertingere. Amen. Quoniam verò in dubiis, quorum veritas agnita salutaris est, & incognita periculum ingerit humanæ saluti; admodùm utile est veritatem investigare. Et temporibus nostris audivimus multas controversias inter Doctores, non solùm in naturalibus quæstionibus, verùm etiam in moralibus, in quibus periculum est diversa sentire; & præcipuè in illa parte justitiæ, quæ commutativa dicitur à Philosophis, & ista parte ejusdem, quæ vitium usuræ cohibet: idcircò circa hanc materiam veritatem declarare, & dubia elucidare, quantùm Deus donaverit, & noster labor conamine pauperis investigationis nostræ attingere poterit, in hoc opere propositum nostrum est.*

Quàm aberrant à S. Doctore, qui quæsli- 520
bet opiniones morales non timent pro libitu consulentium resolvere, dummodò pro se habeant opinionem aliquorum Doctorum? Et sibi & proximo timebat S. Thomas, Doctorum Doctor; timebat (inquam) periculum animæ suæ, & laqueum aliorum; non timent ipsi, S. Thoma in doctrina incomparabiliter inferiores. Ad evitandum periculum animæ suæ, & laqueum aliorum, S. Thomas non censuit, satis esse sequi aliquos viros probos & doctos; hoc satis esse censent ipsi. Etiam tunc periculum & laqueum in quæstionibus moralibus resolvendis incurri posse censuit S. Thomas, v. g. in materia usurarum habente Doctores diversimodè opinantes; ipsi usque adeò omnia tuta arbitrantur, sequendo opinionem, gravium (ut vocant) Doctorum authoritate suffultam, ut censeant omne periculum animarum suarum, & laqueum aliorum nullum esse, eamque alios securâ conscientiâ sequi posse. Probabile quodcumque de licito pro excusandis actionibus humanis sufficere non credidit S. Thomas (cujus tempore, in illis Doctorum diversa sentientium controversiis, utraque pars sine alterius censura & nota à viris doctis defendebatur, & defendi permittebatur, sicut modò) at probabile quodcumque de licito sufficere, velut principium certum tradunt nostri Probabilistæ. Denique si probabile quodcumque, resultans ex hoc quòd opinio fulta sit authoritate virorum proborum & doctorum, sufficere credidisset S.

Doctor, non censuisset Deum enixè orandum, ne se errare, id est à veritate aberrare permitteret, in periculum animæ suæ, & in laqueum aliorum. Censuit autem Deum ad hoc enixè orandum, & censuit cum Ecclesia, communique sensu piorum fidelium, quotidie orantium: *Da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua. Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam. Veritatem tuam doce me*, &c. Unde & ipse oravit, & in tantum oravit, ut (teste vitâ ipsius in Breviario descriptâ) *numquam se lectioni aut scriptioni dederit, nisi post orationem. In difficultatibus locorum S. Scripturæ, ad orationem jejunium adhibuerit. Qui etiam sodali suo Fr. Reginaldo dicere soleret, quidquid sciret, non tam studio aut labore suo peperisse, quàm*, mediante oratione, *divinitùs traditum accepisse.*

521 Si autem, ad securè resolvendum & operandum, quodcumque probabile sufficeret, & hoc ipso probabile foret aliquid esse licitum, quòd certò non constaret esse illicitum, sed an illicitum sit inter Doctores foret controversum, & ex iis aliquot probi & docti opinarentur esse licitum: si hoc (inquam) sufficeret (uti sufficit apud Probabilistas) non esset orandus Deus, ut doceret veritatem; sed orare sufficeret, ut doceret probabilitatem; imò nec ad hoc quidem necessariò foret orandus, magis quàm pro acquirenda cognitione rerum naturalium ex lectione Naturalistarum: tam enim facilè, sine gratia particulari, ex lectione Dianæ, Escobarii, Leandri, & similium Casuistarum, comparari potest cognitio diversarum opinionum moralium inter Doctores, sicut & cognitio quòd utraque opinionum contrariarum sine ullo impedimento & nota defendi permittatur, quàm facilè sine ulla gratia particulari, ex lectione Naturalistarum, comparari potest cognitio rerum naturalium. Ecce quàm immanè Probabilistæ alieni sunt à S. Doctore!

522 Sed nullibi S. Doctor Probabilismum luculentiùs confutavit, quàm quodlib. 8. a. 13. ubi quærit: utrùm *quando sunt diversæ opiniones de aliquo facto* (an licitum sit) *ille qui sequitur minùs tutam* (probabilem utique, sive à nonnullis Doctoribus assertam) *peccet?* & exemplificat in eo qui habet plures præbendas, circa quod factum tempore S. Thomæ *inveniebantur Theologi Theologis, & Juristæ Juristis contraria sentire*, ut vidimus n. 517. Iste proinde est casus, de quo in præsenti disputamus. Opinio namque negans id licitum plurium erat, graviorumque Doctorum, atque adeò probabilior; opinio verò affirmans, pauciorum & minùs celebrium, minùsque efficacibus argumentis suffulta, ac per consequens minùs probabilis. Videamus ergo quomodò casum istum resolvat S. Doctor. Ante omnia ponit rationem dubitandi pro utraque parte. Pro parte affirmativa *quidem, quia quicumque committit se discrimini, in his quæ sunt ad salutem, peccat. Sed iste* (habens plures præbendas) *committit se discrimini*, ut videtur: cùm faciat contra multorum peritorum sententiam: ergo *videtur quòd peccet.* Pro negativa verò: quia *potest esse quòd* in tali casu *aliquis adhibet diligentiam* sufficientem, inquirens *an habere plures præbendas* sit licitum, nec invenit aliquid, quod eum moveat ad judicandum hoc quòd sit illicitum. Ergo videtur quòd sine peccato possit plures præbendas *habere.* Positâ ratione dubitandi pro utraque parte, S. Doctor quæstionem resolvit, ut sequitur.

Dicendum quòd *duobus modis aliquis ad peccatum obligatur*, id est peccato obstringitur: 523
uno modo faciendo contra legem, ut cùm aliquis fornicatur: alio modo faciendo contra conscientiam, etsi non sit contra legem; ut si conscientia dictat alicui, *quòd levare festucam de terra sit peccatum mortale. Ex conscientia autem obligatur aliquis ad peccatum* (faciendo quod conscientia dictat esse peccatum) *sive habeat certam fidem de contrario ejus quod agit* (id est sive pro certo credat illud quod agit esse peccatum) *sive etiam habeat opinionem cum aliqua dubitatione* (id est sive id non credat pro certo, sed solùm opinetur cum aliqua formidine de contrario) *illud autem quod agitur contra legem, semper est malum, nec excusatur per hoc quòd est secundùm conscientiam. Et similiter quod est contra conscientiam, est malum, quamvis non sit contra legem. Dicendum est ergo, quòd quando duæ sunt opiniones contrariæ de eodem, oportet alteram esse veram, alteram falsam. Aut ergo ille qui facit contra opinionem Magistrorum, utpote habendo plures præbendas* (hanc præ altera Magistrorum opinionem vocat, quia longè plurium & sapientiorum Magistrorum erat) *facit contra veram opinionem; & sic cùm faciat contra legem Dei, non excusatur à peccato, quamvis non faciat contra conscientiam*; sic enim *contra legem Dei facit*, non ignoratam invincibiliter, hoc ipso quòd de ea scit esse opinionem plurium & sapientiorum Magistrorum. *Aut illa opinio non est vera, sed magis contraria* (affirmans licitam esse pluralitatem præbendarum) *quam iste sequitur; ita quòd verè licet habere plures præbendas. Et tunc distinguendum est: quia aut talis habet conscientiam de contrario* (utique dictantem esse peccatum plures habere præbendas) *& sic iterùm peccat*, sive certò credat id esse peccatum, sive solùm opinetur. Quia equidem contra conscientiam facit. *Aut non habet conscientiam*, neque certam, neque opinativam de contrario, *sed certitudinem* per principia intrinseca, *sed tamen in quamdam dubitationem*, per principia extrinseca, *inducitur ex contrarietate opinionum; & sic si, manente tali dubitatione, plures præbendas habet, periculo se committit, & sic procul dubio peccat: utpote magis amans beneficium temporale, quàm propriam salutem. Aut ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem adducitur; & sic non committit se discrimini, nec peccat.*

524 In Angelico isto discursu, tria à S. Doctore traduntur contra Probabilistas. 1°. aliquos peccare contra legem, qui non peccant contra conscientiam. Cujus oppositum passim tradunt Probabilistæ, aientes, neminem peccare contra legem, nisi actu advertat ad malitiam, vel periculum malitiæ. Quos latè confutavimus l. præcedenti. 2°. ad licitum usum opinionis minùs tutæ de licito, non sufficere quòd sit probabilis, sed necessarium esse quòd sit, vel prudenter & irreprehensibiliter judicetur vera; & ita judicetur vera, ut in nullam de veritate ipsius dubitationem inducatur quispiam ex contrarietate opinionum. Neque enim S. Doctor ignorabat probabilitatem utriusque opinionis, circa quæstionem, an licitum sit plures habere præbendas; nec tamen in ista probabilitate sistendum censuit ad quæstionis determinationem, sed transeundum ad veritatem: *dicendum est ergo, quòd quando duæ sunt* Magistrorum *opiniones contrariæ de eodem facto*, sitne, an non sit licitum, *oportet alteram esse veram, alteram falsam. Aut ergo ille qui facit contra opinionem plurium & sapientiorum Magistrorum, utpote habendo plures præbendas, facit contra veram opinionem, & sic cùm faciat contra legem Dei*, nec eam invincibiliter ignoret, hoc ipso quòd de ea scit esse opinionem plurium sapientiorumque Magistrorum, *non excusatur à peccato.* Quia nullus verè faciens contra legem Dei excusatur à peccato, nisi invincibiliter legem ignoret; quam profectò invincibiliter non ignorat, dum de ea scit esse probabiliorem, vel æquè, aut ferè æquè probabilem opinionem.

525 3°. non esse licitum usum opinionis minùs tutæ, etiam veræ de licito, quando tutior de illicito apparet operanti probabilior, imò nec quando apparet æquè probabilis. Quando enim apparet ipsi æquè probabilis, est in statu dubitantis, ut S. Doctor docet suprà cap. 9. Quando verò tutior apparet ipsi probabilior, & longè probabilior, non solùm dubitat, sed plusquàm dubitat de licito: quia non solùm inducitur ad dubitandum de licito, sed ad aliquid amplius, videlicet ad opinandum non esse licitum. Ille autem qui *in quamdam dubitationem inducitur ex contrarietate opinionum*, quæ sibi videntur æquè probabiles, *si manente tali dubitatione*, id est apparentiâ æqualis probabilitatis, plures præbendas habet, periculo se committit, & procul dubio peccat. Longè ergo magis peccat, juxta S. Doctorem, qui longè majori periculo se committit, plures habendo præbendas, stante apparentiâ seu cognitione longè majoris probabilitatis de illicito: utpote per quam inducitur, non solùm ad dubitandum de licito, sed ad aliquid amplius, nempe ad opinandum non esse licitum.

§. III.

Proferuntur S. Bonaventura & S. Antoninus.

526 DEcimò assertio nostra probatur ex S. Bonaventura to. 2. opusc. in opusc. de processu relig. proœm. 5. c. 3. *Dubia interpretatio præcepti est periculosa, sicut pons semiputridus aquæ præcipitis & profundæ, de quo dubium est, an sub transeunte corruat, an subsistat; velut si is, qui pro Christo majora certamina subire decrevit, & omnia reliquit in sæculo, se periculo committeret, pro modico motu propriæ voluntatis, vel pro parvo commodo, in incerta opinione sua, vel alterius; ut si Deus approbet illam opinionem, evadat sine lucro meriti; si autem reprobet eam, damnetur. Maximè cum tales opiniones quandoque periculosiores sint, quàm apertæ transgressiones. Quia ubi scit homo se delinquere, inde facilè corrigitur: ubi tamen nescit se peccare, & insuper credit sibi licere, inde nec in morte purè convertitur, propter falsam spem, quòd fortè licuerit; vel minùs in eo peccaverit, baculo arundineo & confracto innitens. Voluntas bona & plana viâ regiâ & securâ debet incedere, relictis dubietatum diverticulis, quasi suspectis latronum semitis.* Et proœssu 6. c. 28. Sunt qui tantùm obediunt Superioribus in iis quæ absque ambiguitate & controversia *præceptoriè jusserint; ad alia verò tepidi sunt, & negligentes.... sufficit iis, qui hujusmodi sunt, ut in peccatum mortale per inobedientiam perspicuam non incidant, & damnationem non incurrant. Et tamen hoc est valdè periculosum, in professis obedientiam regularem: quia priusquam discutiant, an teneantur facere quod jubentur, fortè in mortalis inobedientiæ laqueum incidunt aliquando: sicut qui nimis appropinquat præcipitio, subitò, dum non cautè circumspicit, in præceps labitur. Cum Deo autem disputare velle*, an sua lex, an libertas sit in possessione, *stultum est, & quasi velle convincere eum, ut non debeat judicare, hoc esse peccatum mortale, quod nostra opinio non vult pro mortali habere.*

Ex quibus sententiis liquidò constat 1°. se- 527
cundùm Bonaventuram, opinionem minùs tutam de licito, in æquali hinc indè probabilitate, in praxi eligi non posse: quia opinio illa in æquali utrimque probabilitate, utpote dubiæ veritatis, est dubia interpretatio præcepti, adeòque periculosa, *sicut pons semiputridus*, &c. Et ideò, sicut imprudens est, qui sine necessitate, tali ponti se committit; ita & qui *pro modico motu propriæ voluntatis*, vel parvo commodo, sequitur incertam & dubiam opinionem suam, vel alterius. Unde in 4. dist. 17. n. 120. docet, eum qui dubitat probabiliter, utrùm sit peccatum mortale vel veniale, quod fecit, *si non pœnitet sicut de mortali, discrimini se committit. Et ideò debet confiteri.* 2°. multò minùs eligi posse opinionem minùs tutam, & simul minùs probabilem de licito. 3°. imò ne quidem à te fieri posse, quod probabiliùs credis licere, nisi à probabilitate ad securitatem seu moralem certitudinem valeas assurgere. Aliàs morale periculum est, ne opinio tua sit falsa, operatioque illicita. 4°. stultos esse, qui velut cum Deo disputant, voluntatem hominis esse in possessione, præceptum Dei non esse satis

satis promulgatum, &c. dum aliqui viri docti existimant illud non extare, tametsi graviores & sapientiores argumentis fortioribus contrarium probent; talesque disputationes valdè periculosas esse. 5°. qui non abstinent ab actione, quæ sibi videtur probabiliùs illicita, ex eo quòd certa non sit malitia ipsius, atque adeò abstinere nolunt nisi à peccatis certis, similes esse iis, qui nimis appropinquant præcipitio, in quod citò incidunt, dum illud satis circumspectè non cavent.

528 Undecimò probatur ex S. Antonino 1. p. tit. 3. c. 10. §. 10. ubi mortale asserit agere id de quo dubitat quis esse mortale, *nisi, sublato dubio, adhæreat opinioni alicujus Doctoris, & habeat rationes probabiles pro illa, magis quàm pro opposita opinione.* Et iterùm: *Ubi sunt de aliquibus materiis moralibus Doctores opinionum contrariarum.... cum bona conscientia potest quis tenere unam partem.... & secundum eam operari.... dummodo.... bonam sibi conscientiam & credulitatem formet, de eo quod credit, tamquam de probabiliori parte. Et præcipuè quando quis adhibet diligentiam, inquirendo an licet, nec invenit aliquid, quod eum sufficienter moveat, ad hoc ut sit illicitum.* Perspicuè ergo requirit, ad licitum usum partis minùs tutæ, quòd illa, post debitam inquisitionem, prudenter judicetur vera, eò quòd appareat longè probabilior. Non permittit ergo usum opinionis minùs tutæ, simul & minùs probabilis, cognitæ ut talis.

CAPUT XLIV.

Quinta probatio ex communi doctrina Majorum, seu Doctorum antiquorum, à sæculo decimo-tertio ad decimi sexti ferè finem.

§. I.

Proferuntur Doctores sæculi decimi-tertii.

529 POsteaquàm Magister Sententiarum, qui floruit sæculo duodecimo circa medium, tradidit methodum docendi Theologiam scholasticam, quatuor libros Sententiarum ipsius, sæculo decimo-tertio, commentariis suis illustrarunt, seu methodum docendi Theologiam imitati sunt nobilissimi Scriptores. Ex quibus Guilielmus Altisiodorensis Summam scripsit, in qua cùm dixisset, quòd *quilibet tenetur scire de quolibet mortali, quòd sit mortale.* Sibi objicit: *Ponatur instantia in subtilissimis laqueis simoniæ vel usuræ, de quibus etiam dubitant maximi Magistri; iste Laicus non potest scire de hoc mortali, quòd sit mortale. Solutio. Reverà ex peccato primi Parentis obscurata fuit prima ratio, ita quòd non potest homo perspicaciter intueri, quid faciendum sit, & quid non. Et propter talem pœnam contingit, quòd non potest homo scire de quolibet peccato mortali, quòd sit mortale. Sed tenetur scire, vel dubitare; & per hoc vitare. Est enim regula: quòd siquis dubitat de aliquo, an sit peccatum mortale, & facit illud, peccat, quia discrimini se committit.* Floruit Altisiodorensis circa annum 1240. Quòd si judicio ipsius peccat, qui facit quod dubitat, id est æquè probabiliter cognoscit esse quàm non esse peccatum. A fortiori qui probabiliùs id cognoscit. Vide suprà cap. 12. & seqq. & observa regulam istam Altisiodorensis communi veterum Theologorum suffragio sic receptam, intellectamque fuisse apud Gersonem tr. de pollut. noctur. ut procedat *de dubio tali, quod est vehemens, & magis aut saltem æquè inducit mentem credere, quòd est mortaliter illicitum, sicut quòd est licitum. Secùs ubi mens plus inclinatur, & judicat quòd est licitum.* Circa idem 530
tempus Alexander de Ales, SS. Thomæ & Bonaventuræ Magister, in Sum. p. 2. q. 129. n. 8. casu ult. *Quæritur* (inquit) *de illo qui dubitat de aliquo, utrùm sit simonia, vel non, ex eo quòd quidam Jurisperiti dicunt esse simoniam, & quidam non. Quid ergo faciendum cùm ignorat?* Respondent Probabilistæ præceptum abstinendi in tali casu non esse satis promulgatum, voluntatem esse in possessione faciendi quod lubet, &c. Sed non sic Alensis: econtrà *respondendum* (inquit) *quòd abstinendum est ab hujusmodi contractu, ne committat se discrimini. Melius enim est, ut incidat in damnum temporale, quàm in damnum spirituale.*

Circa annum 1265. Petrus de Tarantasia, 531
posteà Summus Pontifex Innocentius V. in 2. dist. 38. *Qui habet probabilem dubitationem* (à fortiori qui habet probabiliorem opinionem) *de invaliditate sui matrimonii, debet reddere debitum, sed non exigere.*

Circa idem tempus, vel paulò post, S. Tho- 532
mas & S. Bonaventura assertionem nostram tradiderunt, ut vidimus cap. præcedenti. Joannes etiam de Friburgo, suppar S. Thomæ, ex communi doctrina Raymundi, Innocentii, Hostiensis, &c. lib 3. Sum. tit. 34. q. 74. dicit, quòd *mortaliter peccat, qui aliquid committit vel omittit, in quo dubitat esse mortale peccatum.*

Circa annum 1291. Henricus Gandavensis 533
quodlib. 4. q. 3. clarè docet, opinionem probabiliorem, si damnet actum, sequendam esse. Et q. 33. propositâ quæstione, an, variantibus Doctorum opinionibus, mortaliter peccet, agens illud, de quo dubium est, an sit peccatum mortale? Respondet: *Siquis sciat tutiorem partem defendi* à viris doctis & probis, & ipse aliàs sit doctus, sciatque inter opiniones discernere, *novit etiam rationes ejus esse efficaciores, & expressiores authoritates.... iste procul dubio,* contra probabiliorem hanc partem quam novit, *exponens se illi periculo, mortaliter peccat. Quia quod agit, non est ex fide, sive conscientia, sed contra dictamen conscientiæ, & rationis rectæ.*

§. II.

Proferuntur Doctores sæculi decimi-quarti.

DUrandus (qui florebat anno 1320.) in 534
4. dist. 17. q. 13. quærit, an confessus

peccata sine dolore & proposito emendationis, iterùm debeat confiteri? relatisque duabus opinionibus, affirmativâ & negativâ, earumque fundamentis, ipse respondet: *Qui sic confitetur, & de facto absolvitur, tenetur eadem iterùm confiteri, & de eis absolvi. Nec est dubium, quin hæc opinio sit securior: quia confitendo* iteratò, *periculum nullum sequitur, sed maxima securitas. Qui autem omittit iterùm confiteri, committit se dubio. Quod est valdè periculosum, in iis quæ tangunt salutem vel damnationem.* Et adductâ postmodùm ratione, propter quam contraria opinio probabiliter sustineri posset, concludit: illud tamen, quod *est tutius*, & æquè vel magis probabile, semper est tenendum.

535 Monaldus floruit eodem tempore, & in prologo Summæ aureæ dicit se proponere opiniones magnorum Doctorum, ut Lectores ex iis illam opinionem accipiant, quæ ipsis videtur magis consona rationi. Non permittit ergo accipere minùs consonam.

536 Petrus de Palude in 4. dist. 37. q. 2. a. 3. *Si aliquid ita sit dubium, quòd una pars est certa, quòd est sine peccato; altera est dubia, an sit peccatum, debet tenere certum, & dimittere incertum. Quia quandocumque potest se liberare à periculo peccati, tenetur. Unde manifesta est ratio, quare* (conjux, *dubius de valore* matrimonii) *non debet petere debitum: quia certum est, quòd non petere, est licitum; est autem dubium utrùm petere sit peccatum.* Florebat circa annum 1330.

537 Guido de Monte Rocherio, florens circa annum 1333. Manipul. Curat. p. 2. tr. 3. c. 5. docet confitenda mortalia dubia, ob rationem proximè allatam.

538 Scotus, qui florebat circa idem tempus, in 3. dist. 25. q. 1. n. 8. *In moralibus, quando sunt altercationes de aliquo peccato.... ut si unus peritus in scientia dicat, quòd non licet sic mercari, & alius dicat, quòd licet: tutius est non procedere sic vel non sic; sed expectare, quousque veritas pateat aliunde.... Ideò benè videndum in moralibus, antequam aliquid asseratur.* Non ergo permittit asserere, & eligere quamlibet ex duabus partibus contradictionis, tametsi utraque sit probabilis, nec eligere minùs tutam, minùsque probabilem. Imò q. 2. prologi in fine, expressè dicit: *Multa in actibus humanis sunt dubia, utrùm sint peccata mortalia, etiam suppositis omnibus doctrinis Doctorum, & tamen dubia non est via salutis: quia à talibus, tamquam periculosis, debet homo sibi cavere, & abstinere se: ne homo, dum se exponit periculo, incidat in peccatum.* Unde Scotum pro assertione nostra citant nobiliores Scotistæ, Corduba in suo Quæstionario l. 2. q. 3. assert. 3. Philippus Faber tr. de pœnit. disput. 6. n. 46. Cardinalis Lauræa in 3. disput. 11. a. 4. n. 242. Antonius Cotonius controv. 5. q. 5.

539 Nicolaus de Orbellis, nobilis & ipse Scotista in 4. dist. 17. q. 1. §. 4. *Est tamen veniale, secundum Bonaventuram, & Richardum, necessariò confitendum, si dubitetur probabiliter illud esse mortale. Aliàs homo exponeret se periculo.* Quod profectò confitendum non foret, si verus esset Probabilismus. Ut enim Caramuel Theol. fundam. fol. 674. Probabilista, *qui.... asseruerit esse tutum sequi opinionem etiam minùs probabilem, aut inconsequentiâ laboraturus est, aut dicturus peccata, quæ commissa fuisse, aut non fuisse, probabile est, non esse in confessione necessariò explicanda*, &c.

Sub initium hujus sæculi floruit insignis 540
eruditionis Author, Joannes Gerson, Cancellarius Parisiensis, qui in tract. de præparat. ad Miss. & pollut. noct. consider. 3. loquens de regula ista: *dubitans de aliquo, an sit illicitum, & stante dubio, illud agens, peccat, quia discrimini se scienter objicit. Respondeo* (inquit) *cum Altisiodorensi, regulam hanc magistralem, intelligendam esse de dubio tali, quod est vehemens, & magis, aut saltem æquè inducit mentem credere, quòd est mortaliter illicitum, sicut quòd est licitum. Secùs, ubi mens plus inclinatur, & judicat, quòd est licitum, quam illicitum, quamvis non habeat usquequaque certitudinem evidentem, aut fixam: quia nec hoc ipsum requiritur.* Et in Regul. mor. *Agere incertum, & dimittere certum, in materia morali, est peccatum mortale.... dum tale est vehementer & probabiliter incertum, aquè sicut oppositum, vel magis.* Et p. 2. de contract. propos. 13. certitudinem quidem de licito cum cæteris Doctoribus requirit ad licitè agendum, sed dicit, quòd *probabilis certitudo sufficiat in moralibus, ut non se exponat quis periculo... Quia certitudo alia sine revelatione non habetur, prout in moralibus dicit Aristoteles, sumendam esse certitudinem grosse & figuraliter; quæ certitudo non removet in una parte omnem probabilitatem, vel opinionem alterius partis, licèt magis declinet ad istam, vel ad aliam, quod sufficit.* Non permittit ergo sequi minùs tutam, nisi probabilior appareat operanti.

Joannes Nider (qui floruit anno 1430. in 541
tract. de præcept. Decal. præcepto 1. c. 2. litt. F. verbo tenus sequitur Scotum ex 3. Sent. n. 538. relatum. Et c. 5. litt. F. *Qui facit* (inquit) *contra conscientiam formidantem probabiliter, vel dubitativè, an aliquid sit mortale, semper est peccatum mortale.* Vide reliqua ibidem. Et in Consolator. timorat. consc. p. 3. c. 11. *Dum sunt de aliquibus materiis moralibus Doctores opinionum contrariarum.... cum bona conscientia potest quis tenere unam partem alicujus opinionis, & secundùm eam operari.* Sed secundùm quam? Non secundùm minùs tutam, minùsque probabilem, cognitam ut talem; *sed secundùm eam quæ pro se habet notabiles, seu notabiliores Doctores, dummodò bonam conscientiam seu fidem sibi formet de probabiliori parte* (hoc ergo requirit) *nec invenit aliquid, quod eum sufficienter moveat ad hoc quod sit illicitum.*

Panormitanus floruit circa annum 1440. 542
&

& in cap. *juvenis* de sponsal. hanc regulam magistralem tradit: *In concernentibus periculum animæ, debemus in dubiis semper tenere quod certius est, &.... sine periculo animæ.... Unde in istis illa pars est mitior, quæ est tutior.*

543 S. Antoninum, qui floruit anno 1445. habes suprà n. 528. Qui & 1. p. tit. 1. de Reg. juris addit, quòd *in dubio via tutior est eligenda, de probabili dubio loquendo, cùm videlicet rationes sunt ad utramque partem quasi æquales, & peccatum grave est exponere se tali dubio.* Non ergo censet, in tali dubio meliorem esse conditionem possidentis, legem prohibentem non esse sufficienter promulgatam, &c.

544 Dionysius Carthus. (qui floruit 1450.) in 2. dist. 22. quærit de *illo, qui dubitat de aliquo, an sit simonia, an non, eò quòd quidam Jurisperiti dicunt hoc esse simoniam, & quidam non. Quid agendum est ei? Dicendum* (inquit) *quòd abstinere debet à tali negotio, vel contractu, ne discrimini se committat.*

545 Angelus de Clavasio (circa annum 1480.) verbo *opinio* docet, cum Panormitano, quòd in dubiis, ubi versatur periculum animæ, tutior pars est eligenda, & quod certius est tenendum. Permittit quidem sequi opinionem Doctorum, non omninò certam, sed moralem requirit certitudinem de veritate illius, id est majorem probabilitatem. *Non enim* (inquit) *consurgit certitudo moralis ex evidentia demonstrationis, sed ex probabilibus conjecturis.... magis ad unam, quàm ad aliam partem se habentibus.*

546 Gabriel Biel (circa annum 1491.) in 4. dist. 15. q. 8. a. 13. dub. 2. *Agere incertum, & dimittere certum, in materia morali, est peccatum mortale.... dum tale est vehementer & probabiliter incertum, æquè sicut oppositum, vel magis.* Unde ex hoc quòd sententia, dicens, *quòd habere plura beneficia.... sit peccatum mortale, est sententia plurium Sanctorum, & famosorum Doctorum, plus concordans S. Scripturæ, & Patrum Canonibus, quàm ejus oppositum, concludit: ergo posse habere sine mortali peccato plura, est valdè incertum, & longè minùs probabile quàm ejus oppositum.* Ex quo tandem infert, quòd plura tenens beneficia, committit se incerto peccati mortalis, cujus major apparet probabilitas, ideòque mortaliter peccat.

547 Baptista Troïamala (qui floruit anno 1482.) in Summa *Rosella*, verbo *opinio*, refert & approbat quod ex Monaldo retulimus num. 535.

§. IV.

Proferuntur Doctores sæculi decimi-sexti.

548 MAjor (qui floruit anno 1500.) in Prologo quarti sent. in respons. ad 1. contra ult. part. quintæ concluſ. *Authoritates similes, tene certum, dimitte incertum, sunt consilii, quando tenuior est apparentia de certo; sed quando sunt æquales apparentiæ, vel plures, pro parte certa, stultum est partem certam relinquere. Eccli. 3. Qui amat pericula, peribit in illis.* Unde q. 2. *Teneatur pro doctrina, tamquam esset celte in silice sculpta, quòd in via morum, quando sunt æquales apparentiæ, vel plures pro parte certa*, ut antè, *modus certior*, id est tutior, *est tenendus: qui enim se exponit periculo peccati, peccat.* Alia perspicua verba ipsius habes suprà num. 140.

Adrianus VI. circa idem tempus quodlib. 3. q. 2. *Quicumque exponit se discrimini, seu probabili dubio peccati mortalis, peccat mortaliter, ut est communis sententia omnium Doctorum* (à fortiori ergo qui exponit se probabiliori apparentiæ peccati mortalis.) *Hinc concorditer asserunt, quòd qui dubitat de peccato suo, an sit mortale vel veniale, tenetur ipsum confiteri* (à fortiori ad id teneretur, si probabiliùs crederet esse mortale) *propter dubium, an cadat sub lege confessionis.* Et tract. de rest. §. *quia jam dictum est*, ad quæstionem, *an verum sit, posse non restituere alienum, siquis de peritorum consilio retineat, cùm scit alios peritos tenere contrarium?* §. *mihi videtur*, respondet: *vel ex contrarietate opinionum movetur ad dubitandum*, vel ad plusquàm dubitandum, *vel non? Si primum, tenetur securius eligere.* Movetur verò ad dubitandum, qui videt æqualem hinc inde probabilitatem. Movetur ad plusquàm dubitandum, qui videt majorem probabilitatem in opinione obligante ad restituendum. Apud Cordubam quoque infrà referendum docet, quòd *agens contra probabiliorem opinionem de illicito, agit contra rectam rationem.* 549

Sylvester, circa idem tempus verbo *dubium* n. 4. & verbo *opinio*, dicit in foro conscientiæ eligendam opinionem, quæ *aut magis communis est* (adeòque probabilior est ab extrinseco) *aut melioribus rationibus firmatur*; ac per hoc probabilior est ab intrinseco. Intelligit quando simul est tutior. Quam suprà num. 143. docet eligendam esse, non solùm quando probabilitate superat, sed & dum probabilitate æquat minùs tutam. 550

Cajetanus totus noster est in Sum. verbo *opinionis usus*, ubi dicit: *In operando nisi tutiorem partem elegeris, non licet opinionem cujuscumque assumere ut regulam operis... ut quis non peccet, non sufficit quòd docti dicant aliquid esse licitum, si alii teneant oppositum.... sed opus est absolutè, ut prudenter credat, opus quod facit, esse licitum*, ita quòd ad id credendum moveatur *ratione sufficiente ad moralem certitudinem*, &c. 551

Contadus q. 100. de contract. concluſ. 1. dicit sectatorem opinionis minùs tutæ peccare, *ubi plus declinat ad credendum, quòd actus sit mortalis, quàm quòd non sit talis, sive* (ut paulò post explicat) *quando actum illum ponit contra rationes notabiliter magis prægnantes pro opinione damnante eumdem actum.* Quia, *sic causæ sunt natæ inducere eum, ad magis credendum quòd sit illicitus, quàm quòd sit licitus,* 552

Modò intellectus est potentia rationalis, non potens non credere id quod sibi ostenditur ut magis credibile. Igitur talis magis credit quòd sit damnatus actus. Et sic agens, agit contra conscientiam reclamantem, & peccat.

553 Franciscus Victoria (mortuus anno 1546.) l. 1. relect. de Indis Insular. pag. 291. *In re dubia, siquis deliberaverit cum sapientibus, & acceperit determinationem, quòd illud est licitum, talis est tutus in conscientia, quousque fortasse iterùm sit admonitus, vel tali authoritate, vel hujusmodi rationibus, quibus meritò debeat moveri ad dubitandum, vel etiam ad credendum contrarium*; eò quòd rationes vel authoritates in contrarium, vel æquales sint, vel fortiores.

554 Martinus Navarrus Sum. Hispan. c. 28. addit. ad num. 283. c. 27. Si appareat quæ opinio sit communior, seu probabilior, *illa* (inquit) *est sequenda.* Quòd si una sit communis, altera verior, cons. 9. *an nepotes*, n. 3. de fil. Presbyt. eligendam dicit veriorem, seu melioribus rationibus suffultam.

555 Antonius de Corduba in suo Quæstionario Theolog. in lucem edito anno 1571. l. 2. q. 3. assert. 3. docet, *partem tutiorem sequendam esse, quando oppositæ sententiæ sunt, aut creduntur æquè probabiles.* Assertione verò primâ non solùm docet, *partem tutiorem esse tenendam, quando illa est probabilior oppositâ*; sed & omnium testimoniorum pro assertione nostra suprà relatorum veritatem confirmans, protinùs addit: *Et in hoc Doctores omnes conseniunt.* Usque adeò verum est, contrariam Probabilistarum assertionem non cœpisse tradi, nisi sub finem sæculi decimi-sexti.

§. V.

Plures Probabilistæ fatentur veteres Theologos sibi contrarios esse, atque adeò Probabilismum, commentum novum esse.

556 PRobatur, quia Lopez, qui ex primis Probabilistis fuit, in Instructor. conse. edito anno 1583. p. 1. c. 20. *Scio* (inquit) *communem esse sententiam Soti, Cordubæ, Cajetani, Conradi, & Navarri, non satis esse probabilem opinionem sequi, sed probabiliorem esse sectandam.* Quam sententiam Lopez fatetur esse veram in rebus magni momenti & salutis.

557 Vasquez to. 1. in 1. 2. (anno 1598. edito) disp. 62. c. 1. citat pro assertione nostra S. Thomam, Henricum, Cajetanum, Armillam. Et c. 2. n. 7. videtur (inquit) in ea sententia Navarrum fuisse, cæterosque Summistas, ut assererent probabiliorem opinionem esse amplectendam.. cum quibus in hoc expressè sentit Antoninus. Unde etiam fit, ut, si opiniones sint æquè probabiles, illa sequenda sit, quæ tutior est. Pro quo (præter antè relatos) citat Cordubam, Adrianum, Conradum, Sotum, Majorem. In contrarium verò n. 14. citat unicum Bartholomæum Medinam.

558 Lessius 1. 2. q. 19. a. 6. in dub. 7. Multi (inquit) Doctores videntur existimare semper sequendam esse sententiam probabiliorem, nisi fortè ea, quæ minùs probabilis est, sit tutior. Hanc sententiam sequitur Angelus, Sylvester, Adrianus, Navarrus, Cajetanus. In contrarium n. 45. citat solum Medinam.

559 Pesantius 1. 2. q. 19. a. 6. disp. 2. n. 1. ait, Angelum, Tabienam, Rosellam, Sylvestrum, Navarrum, docere, probabiliorem esse sequendam. Idem quoque (inquit) docere videtur Antoninus. Et tandem omnes affirmant tutiorem partem esse sequendam, quamvis contingat plures opiniones esse æquè probabiles. q. 18. a. 6. solum etiam Medinam citat in contrarium.

560 Azorius l. 2. Institut. c. 16. q. 2. citat Cajetanum, Almainum, S. Thomam, Alensem, Adrianum, Armillam, docentes, in contrarietate opinionum, tutiorem esse sequendam, addens tamen Cordubam, Medinam & Majorem docere, licitum esse sequi minùs tutam, quando est probabilior.

561 Gregorius Martinez 1. 2. q. 19. a. 6. dub. 6. dicit, Cajetanum, Armillam, Sylvestrum, Navarrum, Henricum, & Canonistas communiter negare quòd licitum sit, ex duabus opinionibus æquè probabilibus eligere quam malueris.

562 Franciscus Amicus to. 3. disput. 15. n. 75. affirmat, *omnes ferè antiquos Theologos negare, licitum esse operari secundùm sententiam minùs tutam, & simul minùs probabilem, semperque ad licitè operandum ex sententia minùs tuta exigere, ut illa sit probabilior.*

563 Franciscus de Oviedo 1. 2. tr. 5. controv. 3. puncto 2. contra opinionem Probabilistarum profert Adrianum, Glossam, Cajetanum, Angelum, Armillam, Sylvestrum, Majorem, Conradum.

564 Tannerus to. 2. disp. 2. de act. hum. q. 4. n. 29. pro opinione, dicente, è duabus opinionibus æquè probabilibus sequendam probabiliorem, nisi altera tutior sit, recenset Henricum, Adrianum, Conradum, Sylvestrum, Sotum, Cordubam, & multos Summistas.

565 Layman l. 1. tr. 1. c. 5. §. 2. assert. 2. pro eadem allegat Cajetanum, Sylvestrum, Conradum, Majorem.

566 Garcias de benefic. p. II. c. 5. n. 361. pro eadem refert Sylvestrum, Cajetanum, Conradum, Adrianum, Sotum, Navarrum, Cordubam, Antonium, Perez.

567 Philippus Faber (quem pro se refert Terillus, sed apertè totus est noster) in 4. dist. 14. q. 1. disput. 6. n. 45. testatur, opiniones Antiquorum videri in hoc convenire: cùm utraque opinio, tam tutior, quàm minùs tuta, sunt æquè probabiles, tutiorem esse amplectendam. Pro quo n. 43. citat S. Thomam, Cajetanum, Scotum, quem ipse sequitur. Numero verò 41. citaverat Summistas, Sylvestrum, Navarrum, &c. oppositamque vocat Recentiorum, atque adeò novitiam opinionem.

568 Denique cum suprà laudatis Diana tr. 13.

de opin. prob. resol. 1. pro opinione negante esse licitum, relictâ opinione probabiliori, & magis tutâ, sequi opinionem minùs probabilem, & minùs tutam, citat multos Veteres, S. Antoninum, Gabrielem, Sylvestrum, Cajetanum, &c. Pro contraria verò solos refert Recentiores.

569 Eat nunc Terillus, omnesque Veteres pro suo Probabilissimo jactabundus referat, non minùs ridicula est ipsius hac in re jactantia, quàm ea quâ in superioribus Scripturas & Patres & sacros Canones & SS. Pontifices post triumphalem currum vanæ gloriæ suæ traxit. Expressissima namque testimonia Veterum, §§. superioribus exhibita, sinceraque confessio tot Probabilistarum, manifestè demonstrant 1°. nullam fidem adhibendam esse frivolis citationibus ipsius. 2°. prætensum triumphum ipsius nihil aliud esse nisi evanidum fumum. 3°. Terillum rhetoricari ad pompam, non philosophari ad veritatem.

CAPUT XLV.

Sexta probatio, ex communi doctrina Canonistarum & Legistarum.

570 DE Canonistis id ostendit Illustrissimus D. Fagnanus ad cap. *ne innitaris* de Constit. à num. 342. ad 348. ubi refert Innocentium, Joannem Andræam, Abbatem, Antonium de Gutrio, Petrum Ancharanum, Joan. de Anania, Imolam, Præpositum, Felinum, Henricum Boich, Bellameram, uno verbo Canonistas omnes. Unius Joannis Andrææ verba referam ad cap. 1. de sent. excom. in 6. verbo *temerarius*, ubi sic: *Stultus & fatuus est* (audiat Terillus) *qui magis accedit ad id quod falsum est, in rebus ad salutem animæ pertinentibus.* Hoc autem facit, qui facit id quod probabiliùs sibi videtur falsum quàm verum, sive probabiliùs illicitum quàm licitum.

571 Neque hîc omittenda celebris Canonistarum regula, quæ est 44. juris in 6. *inspicimus in obscuris quod est verisimilius.* Cùm ex ea consequens sit, quòd ubi obscurum est, an hoc vel illud licitum sit, inspiciendum & sequendum sit quod est verisimilius, id est probabilius, minùs probabili & minùs verisimili relicto, si simul sit minùs tutum.

572 Quod ad Legistas attinet, ex iis Fagnanus ibidem profert Baldum, Menochium, Geminianum Matthesil. Stephanus verò Gradius tr. de opin. prob. c. 2. testatur, veterum Jurisconsultorum responsa in quinquaginta Pandectarum libris secundùm opinionem visam sibi probabiliorem digesta esse. Et verò probabiliorem opinionem sequendam, leges expressè statuunt. L. *Æmilius* ff. de minorib. L. *pater* ff. de evict. & §. *item pretium* Instit. de empt. & vend. ubi Imperator Justinianus, proposito dubio, an venditæ rei pretium in numerata pecunia consistere debeat, an in aliis consistere queat? cùm Sabini & Cassii opinionem retulisset, validis rationibus probantium, in aliis rebus consistere posse. Concludit pro opinione contraria, tamquam probabiliore; *sed Proculi sententia*, dicentis, *permutationem, propriam esse speciem contractûs, à venditione separatam, merito prævalere: cùm ipse etiam Homeri versibus adjuvetur, & validioribus rationibus argumentetur.* Ubi Fagnanus ponderandum dicit " adverbium *merito*, quod " idem importat, quod rationabiliter, & de ju- " re, ut L. *cùm de lege* ff. de probat. L. *meritò* ff. " pro socio L. 3. ff. de penu legata L. 1. ff. de lo- " co public. scien. Unde textus efficaciter pro- " bat, rationis & juris esse, ut, in contrarie- " tate opinionum, prævaleat probabilior, & " solidioribus argumentis vallata. „ Hactenùs Fagnanus.

Ad idem facit Edictum Theodosii Junioris, quod Baronius refert ad annum 435. ut sequitur: *Ubi diversæ sententiæ proferantur, potior numerus vincat Authorum, vel, si numerus æqualis sit, ejus partis præcedat authoritas, in qua excellentis ingenii vir Papinianus emineat, qui, ut singulos vincit, ita cedit duobus.* Igitur ex Imperatoris Edicto, sequenda est opinio probabilior ab extrinseco. Per consequens, etiam probabilior ab intrinseco. A fortiori probabilior ab extrinseco simul & intrinseco. 573

CAPUT XLVI.

Septima probatio, ex communi traditione Sapientum Gentilitatis, seu Philosophorum Gentilium.

IPsi namque imprimis id agere nefas censuerunt, de quo dubites, æquum sit, an iniquum, quodque proinde æquè probabiliter tibi videtur illicitum esse. Ex quo consequens est, ipsos à fortiori censuisse, nefas esse agere id quod tibi probabiliùs videtur illicitum. 574

Deinde necessarium crediderunt veritati tantum tribuere, ut ad illam, quàm proximè fieri potest, censuerint accedendum, illi etiam, quibus visum est, veritatem à nobis inveniri non posse, nec quidquam certò, sed probabiliter dumtaxat cognosci. Sic enim philosophati sunt Academici apud Tullium Academic. qq. l. 2. *Verum invenire, sine ulla contentione volumus, idque summâ curâ, studioque conquirimus. Etsi enim omnis cognitio multis est obstructa difficultatibus, eaque est & in ipsis rebus obscuritas, & in judiciis nostris infirmitas, ut non sine causa, & doctissimi, & antiquissimi, invenire se, quod cuperent, diffisi sint; tamen nec illi defecerunt, nec nos ob id studium exquirendi defatigati relinquemus, neque nostræ disputationes quidquam aliud agunt, nisi ut, in utramque partem dicendo & audiendo, eliciant, & tamquam exprimant, quod aut verum sit, aut ad id quàm proximè accedat. Cùm proprium Academiæ sit, judicium nullum interponere, eaque probare, quæ simillima veri habeantur, & idcircò in utramque partem de qua-* 575

stione differere, quò facilius id à quoque probaretur, quod cuique maximè videretur. Et rursus apud eumdem qq. Tuscul. l. 4. *Quid sit in quacumque re maximè probabile, semper exquirimus*, non de consilio, sed ex necessario viri prudentis officio, uti exponit circa medium: *per me licet, cui nihil est necesse, nisi, ubi sit illud, quod verisimillimum videatur, inquirere.* Denique apud eumdem l. 1. de nat. deor. iis solis probabilibus sapientis vitam regi posse dicebant, *quæ quamquam non perspicerentur, tamen quia visum haberent quemdam insignem & illustrem* (visui proinde contrariæ partis prævalentem) *his sapientis vita regeretur.* Idem testatur Sextus Empyricus l. 1. Pyrroniarum hypoth. c. 33. in hoc maximè Scepticos suos, Pyrronianosque ab Academicis discriminans, quòd Academici inter probabilia probabilius, veroque propius & similius sequi se, sequendumque esse profiterentur. Pyrroniani verò contenti essent probabili, quo & ipse Sextus Empyricus contentus fuit: utpote qui, contra Mathematicos, q. *an sit aliquid, quo judicetur veritas*, cum Pyrrone probabilitatem statuit agendorum directricem, eâdem principali ratione ad hoc probandum utens, quâ Terillus aliique Probabilistæ: quòd utique prudenter agat, qui probabilem sequitur rationem. Sic enim loquitur: *Agenda & fugienda, & quæ communiter sunt eligenda, unusquisque diriget per id quod est probabile, & id sequens, tamquam Judicem, rectè se geret. Accedere enim felicitatem per prudentiam. Moveri autem prudentiam in rectè factis. Rectè autem factum esse, quod cur factum sit, rationabilis & probabilis potest reddi causa. Qui ergo attendit ad id quod est probabile, rectè se geret, & erit beatus.*

576 Et licèt Pyrroniani isti, Sextianique, eò usque (cum modernis Probabilistis) non processerint, ut censuerint rectè & prudenter agere, qui non accedit ad veritatem, quàm proximè potest, sed minorem sequitur probabilitatem, contra agnitam probabilitatem majorem; ex adverso stantem (utpote nullam inter probabilia probabilitatis inæqualitatem agnoscentes) ipsos nihilominùs omnes antiqui Philosophi, Platonici, Peripatetici & Stoïci exploserunt, ut scientiarum, morumque corruptores. Proinde mirari subit; imò queri etiam, ac indignari, quòd cùm nulla veterum Philosophorum secta permiserit sequi & eligere minùs probabiliter licita, cognita ut talia; non puduerit quosdam nuper Christianos id permittere. Judicet æquus rerum arbiter, an cæteris ipsi Christianis majori ratione esse non debeant; cùm cæteris Philosophis Ethnicis odiosi fuerint Pyrroniani, Sextianique, qui agere permiserunt, quæ sibi videbantur æquè probabiliter illicita, atque licita. Magnopere quippe verendum est, inquit Gradius c. 23. „ ne hinc homines impii ad calumniandam Ecclesiam Catholicam, quasi ta-
„ lia probantem, aut (si improbat) negligentem profiliant, constituendo plures veluti gradus, & spatia totius hujus de opinionum delectu methodi. Et in primo quidem Dogmaticos collocent, ad unius certæque & exploratæ veritatis regulam, actiones humanas, quoad ejus fieri potest, exigentes. In secundo Academicos ponant, qui ratione quidem probabili illâ, sed, inter ea quæ deliberanti occurrunt, validiori, certæque & exploratæ veritati quàm proximâ ducuntur. In tertio Scepticos, qui æquali. Infra quos locum quartum nobis assignent, qui minore contenti sumus. Moderni quidem Probabilistæ sic contenti sunt minori probabilitate per principia directa, ut contendant, sequaces illius de sui actûs honestate certos esse per principia reflexa, de eaque non opinionem, sed scientiam habere. Sed cùm ex dictis & dicendis certissimum sit prætensa ab ipsis principia reflexa, certa non esse, sed frivola, verendum, ne sint de primo genere hominum ex tribus quæ improbanda & detestanda dicit Augustinus in lib. de utilit. cred. cap. 2. Utique *eorum qui se arbitrantur scire quod nesciunt.* Reverà enim nec scientiam, nec certitudinem habent, nec habere possunt de honestate actûs, minùs probabiliter liciti, cogniti ut talis.

Moderni itaque Probabilistæ, veteres om- 577
nes Philosophos, etiam Pyrronianos (alio nomine Scepticos) contra se habent, in eo quòd prudenter agere putant, qui sequitur opinionem minùs probabilem de licito, contra agnitam probabiliorem de illicito. Et habere contra se Academicos, manifestum est ex dictis n. 575. Habere etiam contra se Peripateticos, vel sola peripatetica definitio probabilium demonstrat. Probabilia namque, ut eorum Princeps Aristoteles definit 1. Topic. 1. sunt, *quæ videntur omnibus, vel pluribus, vel præcipuis, vel maximè notis.* Vel (uti definit l. 2. Poster. c. 28.) *quæ ut in pluribus fiunt.* Vel, ut l. 1. Ethic. c. 3. *quæ plerumque eveniunt.* Lib. 1. Rhetoric. *quæ ferè semper fieri solent, aut ita se habere.* Ex his namque definitionibus liquidò conspicitur, minùs probabilia, quà talia, secundùm Peripateticos non esse verè & simpliciter probabilia, nec proinde eligibilia, sed sola probabiliora. Nam, ut Castro-Palao fatetur disp. 2. de consc. c. 1. n. 8. regulariter *ea sententia probabilior judicanda, quæ a pluribus defenditur, & doctioribus*, sive, ut Philosophus, quæ vera videtur omnibus, vel pluribus, vel præcipuis, *vel maximè notis.* Illa etiam, quæ *ferè semper*, vel *ut in pluribus*, vel *plerumque* sic se habent, probabiliora sunt, ut ipsemet Caramuel fatetur in Apologem. epist. 4. ubi quidem propterea putat, *Aristotelem male probabilitatem definivisse*: illud enim *quod frequentius ita se habet, vel quod placet pluribus, doctioribusque, non est jam merè probabile, sed probabilius.* Sed malè ipse Aristotelicam refellit definitionem: quia, ut rectè Eminentiss. D. Card. de Lauræa in 3. disp. 11. a. 4. *probabile idem*

importat ac dignum ut approbetur. Non est autem digna approbari sententia, quæ repræsentatur ut minùs verisimilis. Et ideò *omnes Antiqui, tam Theologi, quàm Philosophi, probabile pro eo quod nunc probabilius dicitur, frequentius usurpabant*, inquit Antonius Coronius controv. 5. c. 5. q. 5. Nec meliùs alteram definitionem: *probabile est quòd plerùmque contingit:* Terillus refellit, quia *alias non esset probabile cælum esse fluidum, aut solidum.* Neque enim vocem *contingit*, in definitione Philosophus accipit strictè, prout significat rem vicissitudini obnoxiam; sed latè, prout significat rem apud nos incertam, quæ tamen majorem pro una, quàm pro altera parte præferat verisimilitudinem.

CAPUT XLVII.

Octava probatio, à communi sensu omnium Communitatum, Congregationum, Tribunalium, Civitatum, Rerumpublicarum, Nationum & Regnorum.

578 PRobatur, sensum omnium Communitatum, Congregationum, Tribunalium, &c. probabilismo esse contrarium, quia causæ & controversiæ omnes, quæ deciduntur per Universitates, Communitates, Congregationes, Tribunalia, Nationes, Civitates, Respublicas, & Comitia regnorum totius Orbis, deciduntur semper penes majorem, numquam penes minorem probabilitatem, cognitam ut talem. Deciduntur namque per pluralitatem suffragiorum, & in illis major & sanior pars semper prævalet minori, conformiter juri communi (inquit Fagnanus n. 205.) quo statuitur, „ ut in omnibus actibus Universitatum semper prævaleat sententia majoris & sanioris partis, ut de electionibus est „ cautum, in cap. *licet devitanda*, & in cap. „ *quia propter*, de elect. Et de postulatione „ cap. *scriptum* eod. tit. Et de præsentatione cap. „ *quoniam* de jure patron. Et de actibus Capitularibus cap. *cùm in cunctis* de his quæ fiunt „ à maj. par. Cap. Et generaliter de omnibus „ actibus Universitatum in L. *quod major.* ff. ad „ legem municipalem. L. *nulli.* ff. quod cujusq. „ Universit. nomi. & L. *nominationem* c. de decurion. „ Sed & testes numero plures in concursu prævalent paucioribus, cap. *licèt* de probat. cap. *in nostra*, de testib. Et hoc ubique terrarum observatur. In discordia etiam prævalet judicium quod plurimorum sententiis confirmatur, cap. *prudentiam* de offic. deleg. cap. *in Canonicis* dist. 19. Duæ item rationes vincunt unam. L. *nam etsi.* ff. de inoffic. testam. Et ratio minùs fortis cedit fortiori arg. L. *si duo patroni* §. *Marcellus* ff. de jurejur. *In obscuris*, ut habet regula juris in 6. *quod verisimilius est sequi oportet, vel quod plerùmque fieri solet.* Denique *in sacris* Cardinalium *Congregationibus quotidie occurrunt innumeræ causæ, quarum decisio ex sacris Conciliorum Canonibus pendet* (ait Eminentiss. D. Cardinalis de Aguirre in prologo ad suos Tomos Conciliorum Hispaniæ) *ubi autem variæ Authorum occurrunt* sententiæ, illa omninò præfertur, quæ, omnibus hinc inde consideratis, tutior videtur, aut juri, & æquitati conformior. Fagnanus quoque, qui sacrarum Congregationum per annos ferè 50. Secretarius fuit. n. 347. testatur, quòd assertio nostra servatur tam in Rota, quàm in S. Congregatione Concilii, quæ (inquit) ne communem quidem opinionem sequitur, quando apparet contrariam esse veriorem, & validioribus subnixam rationibus.

Cùm igitur sententia probabilior prævaleat 579
in electionibus, postulationibus, præsentationibus, deliberationibus Capitularibus, & in omnibus controversiis Universitatum, Communitatum, Congregationum, Nationum, Regnorum, Rerumpublicarum, &c. non est cur prævalere non debeat in controversiis morum, saltem quando sic est probabilior, ut simul sit tutior.

CAPUT XLVIII.

Nona probatio: quia assertio nostra longè prævalet, non solùm authoritate S. Scripturæ, Canonum, Conciliorum, SS. Pontificum, veterumque Doctorum, usque ad finem, vel ferè finem sæculi decimi-sexti; sed & authoritate eorum, quos, post exortum, aut jam grassantem Probabilismum, divina Providentia suscitavit ad illi sese opponendum.

OMnes Theologos, Canonistasque anti- 580
quos assertioni nostræ suffragari, suprà luculenter demonstravimus, satisque apparet ex eo quòd licèt Antonius Terillus sententiæ probabilisticæ propugnator præcipuus, in fundamento Th. Mor. q. 22. in omnem se partem verterit, nec ulli pepercerit diligentiæ, ut ex ipsis aliquos sententiæ suæ Patronos ante annum 1577. inveniret, usque adeò in inveniendo defecerit, ut (quidquid ipse dixerit) nonnisi contrarios proferre potuerit, prout apud ipsum videre poterit, quisquis, animo non præoccupato, testimonia ab ipso prolata legerit. In iis quippe Veteres expressè requirunt, ut opinio quam sequeris, probabilior, seu magis rationi consona, omnibus ritè perpensis, videatur. Et siquando dicant, probabile eligi posse, per *probabile, id quod modò probabilius dicimus, intellexerunt, & quod nobis minùs probabile est, illi non reputabant practicè probabile, sed certò non sequendum*, ait Coronius l. 1. controv. 5. c. 5. Idque adeò certum est, attentis præmissis, ut Stephanus Gradius, Bibliothecæ Vaticanæ Præfectus, in disput. de opin. probab. c. 23. Honorato Fabri Probabilistæ dicere non dubitet: " Ultrò vinciendum, & in triumpho " ducendum tibi me tradam, si quisquam un- " quam, per omnem præteritorum sæculorum "

„ memoriam (excipio Scriptores ante centum, „ & eo ampliùs circiter annos exortos) ita locutus invenietur „ ut Probabilistæ dicendo, sequacem minoris probabilitatis de licito, in concursu probabilioris de illicito, à peccato excusari. „ Si cujusquam in ore vocem istam „ naturæ, tantùm non loquentis, auditam ostendis, Græci, Romani, Barbari, Philosophi, Historici, Poëtæ, Oratoris, quid multa? hominis seriò, jocò, temerè, cogitatò, datâ operâ, perfunctoriè usurpatam. Cedo „ unum ex his, & servum me duc. Cùm tamen ex adverso plena omnia litterarum monumenta sint, potiorem, & vero magis proximam, uno verbo probabiliorem sententiam exquirentium, &c.

581 At (inquies) si Majorum authoritate destituti simus, stipati sumus Recentiorum agmine. Ne igitur timeas Probabilissimum ingredi (inquit Alexius Minez, Theol. Moral. p. 1. in admonit. ad Lectorem) cùm Probabilistis consentiant *plusquàm undecim Pontifices*. Quos inter Urbanus VIII. in causa matrimoniorum Guaranæ Gentis, in qua monuit Missionarios ibi degentes, ut sequerentur opiniones probabiles, Barbaris favorabiliores. Et Bartholomæus de Ledesma. de Sacram. Pœnit. disput. 14. conclus. 5. dicit sententiam probabilisticam probari ex usu universali omnium, qui sic habent in practica. Stephanus Spinula eamdem appellare non dubitat, Recentiorum omnium calculo, & universali penè populorum usu confirmatam. Pasqualigus pro ea citat 45. Authores. Bordonus 100. Sarassa 150. Esparza 200. De eaque loquens Angelus Bossius: *Ita* (inquit) *communiter Theologi, iique, ut ita dicam, infiniti. Ità omnes publici Professores Theologiæ.*

582 At (inquam ego) verum non est, imò certissimè falsum, Probabilistis consentire undecim Pontifices, nec Minesius id probat, nec probare potest: prorsusque à veritate alienum esse quòd Urbanus VIII. in causa illa Missionariis permiserit usum opinionis minùs probabilis, & minùs tutæ, contra agnitam probabiliorem, magisque tutam, perspicuè demonstravimus cap. 42. Nec magis veritati consonum est, quod dicunt, & non probant Ledesma, & Spinula: contrarium enim demonstravimus capite præcedenti.

583 Fateor quidem, quòd novellum probabilitatis commentum, sub finem sæculi decimisexti exortum, totâ Antiquitate reclamante, turba magna Recentiorum avidè exceperit. Sed hoc ideò, quia, in hac mundi quotidie labantis senecta, facilè excipiuntur, quæ pruriunt auribus, placent hominibus, & favent humanis cupiditatibus. Nec inde gloriandi causa est: quia illam Recentiorum turbam objicienti jure reponimus, quod alia de causa Hieronymus l. 1. adversus Jovinianum c. 19. ait: *Ne glorieris quòd multos discipulos habeas. Quòd enim multi acquiescunt sententiæ tuæ, indicium voluptatis est.* Reponimus & memorabile dictum Pii II. ad Ludovicum Galliæ Regem, quòd senescente jam mundo, semperque in deteriora vergente, neque honestas, aut justitia multitudine suadetur, quæ variis affectibus agitata, ad pejora frequenter inclinat.

Nec tamen quidquam ex hoc detractum 584
volumus piis, doctis, Catholicisque Sectatoribus novellæ istius opinionis, sed eorum authoritatem jure optimo postponimus authoritati Sacrorum Oraculorum, Canonum, Patrum, veterumque omnium Theologorum, Canonistarumque, ad quos, utpote sapientiâ & sanctitate longè præcellentes, Spiritus sanctus non remittit pro addiscenda sapientia & prudentia: quoniam *in antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia.* Job. 12.

Enimverò incredibile est, quòd Deus tot 585
sanctissimis, illuminatissimisque Doctoribus, per tot sæcula, vim minoris probabilitatis, à Probabilistis prætensam, abscondisset, si veritati consona esset, præsertim cùm Probabilistæ eam buccinent, velut præcipuum Ethices Christianæ, seu Christianæ Philosophiæ cardinem, non solùm securissimum tutissimumque, sed & summè necessarium ad conscientiarum tranquillitatem, ad scrupulorum extirpationem, ad facilitandam salutem. Quod si verum est: cur ergo tam ingens necessariumque bonum, tamque expeditum salutis compendium, Ecclesiæ suæ tot sæculis invidit Spiritus sanctus? Cur tanti momenti veritatem tamdiù abscondit? Cur eam tamdiù nescierunt tot illuminatissimi viri? Cur (inquam) ipsi, ut ad vitam pertingerent, propter verba labiorum Dei, vias tam duras custodierunt, & hæc nostra compendia nescierunt? Si sciverint, cur ea nobis inviderunt, de iisque adeò siluerunt, ut in eorum approbationem, ne verbum quidem extet in eorum monumentis, nec in sacris Oraculis, nec in SS. Pontificum decretis, nec in Patribus, sed passim documenta contraria, de tutiore via in dubiis eligenda, de sectandis certioribus, probabilioribusque? Cur novelli Probabilistæ, post mille sexcentos annos, nova illa compendia salutis proferunt, quæ à Patribus non acceperunt? Viderint, an in ipsos non quadret, quod Hieronymus in epist. Apolog. contra Origenem scripsit: *Cur post quadringentos* (imò mille sexcentos) *annos dicere niteris, quod antè nescivimus? Cur profers in medium, quod Petrus & Paulus edere noluerunt? Usque ad hanc diem* (usque ad annum 1577.) *sine hac doctrina mundus Christianus fuit.*

Novitia proinde illa Probabilistarum do- 586
ctrina eo ipso admodùm suspecta est de falsitate, quo novam cæli viam, prioribus sæculis inauditam, in re præcipui momenti, quæ cardo est, & basis totius Theologiæ Moralis, absque Scripturarum, Patrum, veterumque Theologorum authoritate, imò contra eorum authoritatem inducit. Novitas quippe (ut Bernardus ait) *dicitur, quasi non veritas.* Et, ut Augu-

Augustinus, *antiqua est veritas, novitium & temporale mendacium.* Ut sapienter Justus Lipsius in lib. de constantia c. 5. & 6. novitas, communi veterum Sapientum sensui contraria, *vana est rationis imago, & umbra malè consulens, & malè judicans.* Et, ut Bernardus epist. 174. *mater est temeritatis, soror superstitionis, & filia levitatis.* Et ideò verendum, multùmque verendum, ne sub blanditie ipsius communis hostis ars lateat, ad fovendam hominum concupiscentiam.

587 Denique à veritate certissimè alienum est, probabilisticam opinionem, de licito usu opinionis minùs probabilis, minùsque tutæ, in concursu probabilioris, tutioriscque, ex adverso stantis, *Recentiorum omnium calculo* confirmatam esse. Neque enim, novissimis etiam hisce temporibus, sic eam invalescere divina Providentia permisit, ut ei se non opposuerint viri piissimi, doctissimique; imò eâdem Providentiâ cautum est, 1°. ut pro veteri Majorum doctrina, adversus novellum probabilitatis commentum, viriliter starent Ferdinandus Rebellus to. 1. de jure & just. q. 5. in fine (ubi certum esse dicit, *neminem salvâ conscientiâ, sequi posse opinionem, quæ minùs probabilis esse ab ipso cognoscitur*) Paulus Comirolus responsor. Moral. l. 5. q. 5. (ubi probabilisticam opinionem appellat fœdam prolapsionem) Valerius Reginaldus p. 1. lib. 11. c. 3. n. 28. Antonius Merenda in Universitate Bononiensi publicus Professor in magno volumine adversus Probabilistas edito anno 1655. Carena de offic. S. Inquisit. p. 2. tit. 5. c. 4. Paulus Fresanellus de obligat. Miss. sect. 6. argum. 14. Peyrinus to. 3. c. 1. n. 10. Antonius Perez in Lauræa Salmantina certum. 10. n. 35. Andræas Blancus tr. de opinionum praxi (quem edidit sub nomine Candidi Philalethi) q. 5. Julius Mercorus, Mantuæ Inquisitor in basi Theol. Mor. Gravina in suo Cherubin. Paradisi l. 4. pag. 325. Author opusculi de prudentia christiana, contra abusum quintæ conscientiæ. Thomas de afflictis apud Caramuelem in Apologem. Philippus Faber (insignis Scotista) tr. de pœnit. disput. 6. Ludovicus de Scildere de princip. consc. tr. 2. Prosper Fagnanus ad cap. *ne innitaris* de constitut. Aravio (Episcopus Segobiensis) in decision. Mor. disp. 9. assert. 3. Joannes Martinez de Prado to. 1. qq. Mor. tr. 1. q. 4. Crispinus à Borgia, Episcopus Placentinus, in Anticaramuele. Sinnichius in Saüle Exrege cap. 94. Vincentius Baronius in Theol. Mor. & in Ethica sua Christiana per totam. Petrus Labat. tr. de conscientia. Joan. Baptista Gonet in disser. Theol. de probabilitate. Contensonus in Theol. mentis & cordis to. 3. disser. 6. c. 1. & 2. Jacobus à S. Dominico in Compendiar. Theol. Mor. expos. append. alterâ sect. 1. Noster Illustriss. Marinarius opus. de probab. Noster Leo à S. Joanne in simili opusculo. Noster Gabriel à S. Vincentio in lib. de remed. ignor. Noster Carolus ab Assumpt. opusc. de opin. probabili. Augustinus de Angelis in lib. de recto usu opin. probab. Franciscus de Genet, Episcopus Vasionensis to. 1. Theol. Moral. c. 32. Cabassutius in Theoria & Praxi jur. canon. l. 3. c. 13. n. 7. Serenissimus Armandus Borbonius, Princeps de Conti in 7. respons. ad P. Deschamps de 9. Septemb. 1664. Nicolaus Josephus de la Verdure tract. de opin. prob. a. 4. Jacobus Boudart Manual. Theol. to. 2. tr. 3. §. 23. Merbesius in Sum. Christ. p. 1. q. 28. Stephanus Gradius disput. de opin. probab. Daniel Episcopus Petrocorensis in Theol. Mor. to. 1. l. 2. c. 4. Huyghenius in observat. brevib. de actib. human. cap. 14. Steyartius in Aphoris. p. 1. disput. 3. Academia Lovaniensis in articulis Innocentio XI. ad examen oblatis art. 1. Florentius de Cocq Princip. Theol. to. 1. tr. 2. c. 6. sect. 7. Natalis Alexander Theol. Dogmat. & Mor. to. 7. l. 3. cap. 4. reg. 13. Neesen Theol. Mor. tr. 11. q. 2. dub. 4. Macarius Havermans in epist. apolog. ad Innocentium XI. Norbertus Delbecque in disser. Theol. de advert. requis. ad peccand. a. 3. §. ult. Joan. Bapt. de Marinis, Generalis Ord. Prædicator. in epist. ad Julium Mercorum, ipsius basi præfixa. Thyrsus Gonzales, Generalis Societatis Jesu, in fundam. Theol. Mor. per totum. Ægidius Estrix in Append. adjectâ ad librum proximè laudatum sui Generalis, Andræas Junius in tomo magno de consc. quem prælo paratum reliquit in Collegio Matrit. uti laudatus Generalis refert in operis sui introductione. Christianus Lupus in disser. de opin. probab. Franciscus Farvacques in disquisit. Theol. de peccat. dub. c. 8. Joannes Schweizer in disser. Theol. de radice intolerab. proposit. §. 3. & in respons. brevi, in istius libri defensionem edita. Willelmus Wendrockius in notis ad epist. 5. provinc. Et in Appendice 1. ad disser. de probab. Joan. Bapt. du Hamel Theol. to. 4. tr. de actib. hum. l. 2. disser. 4. c. 2. P. Gisbertus ab ipso relatus, in Idæa Theol. Pichinardus in sua Dogmat. Philosoph. to. 1. pag. 194. & seqq. Antonius Coronius controv. 5. c. 5. Michael de Elisalde, sub nomine Antonii Celladei, in lib. de recta mor. doctr. per totum. Joannes Mabillon tr. de stud. Monastic. p. 2. cap. 7. Gabriel Gerberon lib. de vero pœnit. Leonardus Van-Roy Theol. Moral. p. 1. c. 8. q. 8. 9. & 10. Teste denique Thyrso Gonzales in introduct. sui tract. de recto usu opin. prob. *in Gallia & Belgio à doctrina de recto usu opinionis probabilis, minùs tutæ, in occursu probabilioris & tutioris, pedem retrahunt communiter Religiosi, & Doctores sæculares.*

2°. eadem divina Providentia suscitavit 588
complures S. R. E. Cardinales, insigni pietatate & eruditione conspicuos, qui probabilisticæ opinioni murum pro Domino sese opposuerunt; nimirùm (præter Cajetanum suprà relatum) Bellarminum, Pallavicinum, Bonam, Aguirrium, de Lauræa, Grimaldum, Sandovalium, Le Camus, Capisuechium, For-

binium, Sfondratum, de Noris, &c. Bellarminus namque in epist. ad nepotem suum, Episcopum Theanensem: *Siquis* (inquit) *velit in tuto salutem suam collocare, is omninò debet certam veritatem inquirere, & non respicere quid multi hoc tempore* (quo Probabilismus invalescere incipiebat, hoc enim sub initium hujus sæculi scribebat) *dicant, aut faciant. Et si rei certitudo non possit ad liquidum apparere, debet omninò tutiorem partem sequi, & nullâ ratione, nullius imperio, nullâ utilitate temporali propositâ, ad minùs tutam partem declinare. Agitur enim de summa re, cùm de salute aterna tractatur; & facillimum est conscientiam erroneam exemplo aliorum induere, & eo modo, conscientiâ non remordente, ad eum locum descendere, ubi vermis non moritur, & ignis non extinguitur.* Pallavicinum & Aguirrium dabimus speciali capite sequenti. Cardinalis de Lauræa Probabilismum copiosè & nervosè confutat to. 2. in 3. sentent. disp. 11. a. 4. sicut & Cardinalis Sfondratus in disput. juridica de lege in præsumptione
589 fundata pag. 15. & seqq. Cardinalis Bona in princip. vit. Christ. p. 2. §. 46. sic ait: *Vero Dei amore carere convincitur, qui humanis rationibus à legis obligatione* (sub prætextu probabilitatis) *eximere se studet, laxiores quærens opiniones* (apud earum Fabricatores Probabilistas) *& Magistros prurientes auribus, qui, ut noxiæ libertati faveant, mandata Dei, & Ecclesiæ, tot limitationibus, & pernicioſis interpretationibus convellunt, ut vix remaneat præcepto locus. Vivunt itaque homines, non sicut oportet, sed sicut volunt. Quia tot jam sunt de humanis actionibus opiniones* (quas Probabilistæ censent probabiles) *ut ferè liceat quidquid lubet.* Verùm *ante horrendum Tribunal Christi, non ex placitis hominum, sed ex lege Dei, & ex veritate judicabimur. Scio quidem non omnem probabilitatem damnandam esse; sed vereor, ne quod multis* (quos pios & doctos Probabilistæ vocant) *probabile videtur, falsum omninò in extremo judicio inveniatur. Vereor, ne nimia opinandi libertas multos ducat in*
590 *perditionem.* Cardinales Grimaldi, Archiepiscopus Aquensis, & Le Camus, Episcopus Gratianopolitanus, idem reipsà præstiterunt, dum eorum *hortatu, aut jussu* (teste Cardinale Aguirrio infrà referendo) edita est laudatissima illa Theologia Moralis Gratianopolitana Francisci Geneti, toties recusa, Probabilismum doctissimè refellens. Eodem jure hîc accensetur Cardinalis Capisuchus, qui eamdem Theologiam approbavit velut continentem *sanam, solidam ac tutam doctrinam, atque ad componendos Christi fidelium mores necessariam.* Eodem rursus jure prænominatis adjungimus Cardinalem Balthasarem de Moscovo & Sandoval, Archiepiscopum Toletanum, quia ipsius hortatu (prout Cardinalis Aguirrius enarrat) tres sanctissimæ vitæ Episcopi, Bernardus Hontiveros, Calaguritanus, Joannes de Palafox, Oxomensis, & Ludovicus Crespinus, Placentinus, *cœperunt communi consilio exagitare Probabilismum, tunc longè ac latè grassantem.* Denique Cardinalis Forbinius de Janson, dum esset Dinien-sis Episcopus, Probabilismum damnavit in censura sua de sexta Maii 1659. Quid plura? *prolixus essem* (ait Eminentiss. D. Cardinalis de Aguirre loco proximè referendo) *si omnes Dominos Cardinales, Probabilismi illius laxi inimicos, & tutiorum, aut saltem palàm probabiliorum sententiarum tenaces, tam factis, quàm scriptis, jam vitâ functos nominare vellem, inter tam multos eorumdem, qui usque modò sanctitate aut doctrinâ insigni floruerunt, vix* (credo) *invenietur aliquis, qui aliter senserit, aut docuerit. Immò & ex iis qui modò superstites sunt, tam intra quàm extra Urbem, præstanti pietate & eruditione conspicuis, ac toti Orbi Christiano notis, quorum judicia ac sententiæ mihi frequenter colloquio, ac variis congressibus innotescunt; nemo est* (*quantùm capio*) *qui tam in theoria, quàm in praxi, non censeat sequendam omninò esse sententiam tutiorem, vel saltem longè veriorem, ac probabiliorem. Atque in sacris hisce Congregationibus.... ubi variæ Authorum occurrunt sententiæ, illa omninò præfertur, quæ omnibus hinc inde consideratis tutior videtur, aut juri & æquitati conformior.*

3°. eadem Providentia excitavit præcipuos 591
regni Galliarum Archiepiscopos, & Episcopos plusquàm viginti, ad eamdem probabilisticam doctrinam censuris suis, zelo & severitate succensis, solemniter proscribendam; sicut & ad idem excitavit in Belgio Jacobum Boonen, Archiepiscopum Mechlinienſem, & Antonium Triest, Episcopum Gandavensem. In Hispania, præter Illustriss. D. Aravio, Episcopum Segobiensem, tres alios *doctissimos*, pariter & vitæ exemplarissimæ famâ, & scriptis insignes, Bernardum Hontiveros, Calaguritanum (Congregationis Benedictinorum in Hispania anteà Generalem, & in Ovetensi Academia primarium Professorem) Joannem de Palafox Oxomensem, & Ludovicum Crespinum à Borgia, Placentinum, ut eamdem doctrinam doctissimis scriptis suis confutarent. Ad quod & in Italia suscitavit Lambertum le Drou, Episcopum Porphyriensem, & Ignatium de la Zerda Episcopum Aquilanum, ut memorat Cardinalis de Aguirre in Prologo ad suos Tomos Conciliorum Hispaniæ.

4°. excitavit & plusquàm mille Parochos, 592
pietate & eruditione præstantes, per totum Galliæ regnum, seu præcipuas Diœceses ipsius, nimirùm Parisienses, Rothomagenses, Senonenses, Bellovacenses, Ambianenses, Ebroicenses, Lexovienses, Nivernenses, Catalaunenses, Andegavenses, &c. qui adversus eamdem de licito usu opinionis minùs probabilis pro libertate doctrinam graviter insurrexerunt, pro ejusdemque doctrinæ proscriptione apud suos respectivè Episcopos, magno zelo insurrexerunt. *Judicium autem tam magni Cœtûs Presbyterorum, qui in urbibus regni præcipuis*

cipuis animas regunt, & conſcientias dirigunt, parvi non eſt faciendum, ait Illuſtriſſ. D. Fagnanus n. 289. ex cap. *prudentiam* §. *illa quoque*, de offic. Jud. deleg. Nec rationabilis eſt exceptio contra judicium ipſorum, ſi eorum authoritatem infirmare conetis, abſque ulla probatione dicendo, quòd Janſeniſtæ ſint, vel fuerint. Imò exceptio iſta puerilis eſt, atque ridicula, nec aliud niſi pura calumnia, quam S. D. N. Innocentius XII. pro tali vult haberi, quamdiù legitimè non probatur, eos in ſenſu obvio tenere vel tenuiſſe aliquam ex quinque propoſitionibus damnatis. Nec certè Cardinalis de Aguirre, & Illuſtriſſ. Fagnanus ipſos cum laude citaſſent, ſi ut Janſeniſtas habuiſſent. Vide dicta Prolegom. 3. cap. 22.

593 5°. plures quoque Univerſitates excitavit ad eam, vel improbandam, vel cenſorio judicio exterminandam, ſcilicet Pariſienſem, quæ (apud Natalem Alexandrum Theol. Dogm. & Mor. to. 7. l. 3. c. 4. reg. 13.) ſequentem propoſitionem condemnavit: *In quæſtionibus de bono vel malo, licito vel illicito, jure divino, vel humano, poteſt quis ſequi opinionem minùs probabilem, minuſque tutam, relictâ probabiliore, & magis tutâ, etiam ſibi notâ ut tali.* Eamdem propoſitionem Facultas Pictavienſis declaravit *falſam, temerariam, & in varias morum corruptelas inducentem.* Anno verò 1655. die 4. Maii, ad inſtantiam Epiſcopi Gandavenſis, Facultas Lovanienſis ſequentem propoſitionem: *Authoritas unius probi & docti, reddit opinionem probabilem*, declaravit *perniciosam, & innumeras abſurditates invehentem in omni materia doctrinæ moralis.* Affines verò propoſitiones ſequentes (apud eumdem Alexandrum reg. 14.) Facultas Pariſienſis damnavit. *Ad probabilitatem ſufficiunt quatuor. Sed quatuor, immò & viginti, & ſupra, teſtantur unum ſufficere. Ergo ſufficit unus. Ex authoritate unius tantùm poteſt quis opinionem amplecti, licèt à principiis intrinſecis falſam & improbabilem exiſtimet. Omnes opiniones probabiles ſunt per ſe æquè tutæ ac ſecuræ. Benigniores, etſi aliquando ſint minùs probabiles, per accidens ſunt ſemper utiliores & ſecuriores.* Sed & anno 1682. Facultas Colonienſis, Probabiliſmum improbavit, dum die 7. Septembris approbavit diſputationem brevem Joannis Schweitzeri, Probabiliſmum confutantem. Denique Apologema Caramuelis *pro antiquiſſima & univerſaliſſima doctrina de probabilitate*, Romana Inquiſitio die 15. Januarii 1664. condemnavit.

594 6°. eadem Providentia divina præclariſſimis Religionibus inſpiravit, ut in Capitulis ſuis generalibus, vel Conſtitutionibus præciperent ſubditis ſuis, ut in controverſiis moralibus opiniones ſequerentur probabiliores & magis tutas, uti de Ordine noſtro conſtat ex Conſtitutionibus ſtrictioris Obſervantiæ p. 1. c. 22. n. 13. ubi ſtatuitur, ut Lectores *ſequantur interpretationes SS. Patrum in exponendo S. Scripturæ contextu, novas autem non admittant, vel doceant... ſimiliter in caſibus conſcientiæ prælegendis.... communes opiniones, & in tutiorem partem inclinantes amplectantur.* De Prædicatorum Ordine Gonet idipſum probat ex Capitulo generali anni 1655. admonit. 14. Unde ab eo tempore adverſus laxitates plurium Caſuiſtarum, & ſpecialiter adverſus Probabiliſmum plures ſacri iſtius Ordinis claſſicum cecinerunt, teſte digniſſimo ipſius Generali Antonio Cloche in Compendiar. Chronico Generalium pag. 119. *Succeſſerunt* (inquit) *his quæſtionibus aliæ de opinionum probabilitate. Sed ne in animarum perniciem cederent, plures ex Ordine noſtro ſcripſere, juxta genuinam S. Thomæ doctrinam: in Italia quidem Julius Mercorus Inquiſitor Mantuanus; in Hiſpania Fr. Joannes Martinez de Prado; in Gallia Fr. Joannes Bapt. Gonet, & Fr. Vincentius Contenſon, & alii plures.* De Ordine Theatinorum Fagnanus n. 286. probat ex Decreto Capituli V. Generalis, necnon ex duabus Epiſtolis Paſtoralibus Præpoſiti Generalis, ejuſdem Ordinis. Et de Ordine SS. Trinitatis Redempt. Captivid probat ex cap. 3. Conſtitutionum iſtius Ordinis, ubi ſic legitur: *In opinionum delectu habeant Patres Lectores ſpecialem advertentiam, & enixè ſuadeant, communiores, magiſque probatas ſententias tueri, ne, ad oſtendendam ingenii ſubtilitatem, adducant opiniones.... minùs probabiles.* Doctiſſimas obſervantiſſimaſque Congregationes S. Mauri, necnon S. Vanni Ordinis S. Benedicti, contra Probabiliſmum ſtare, uti & pleroſque ſub regula S. Auguſtini militantes, atque omnes penè Præmonſtratenſes, Oratorioſque Berrullenſes in Gallia, Belgioque, notiſſimum eſt.

Ipſa denique Societas, ſecundùm Conſtitu- 595
tiones ſuas, & monita Generalium ſuorum, probabiliores, ſecurioreſque doctrinas amplecti tenetur. Conſtitutionum namque Societatis 4. p. c. 5. n. 4. S. Ignatius ſic ait: *Sequantur* (Profeſſores Societatis) *in quavis Facultate ſecuriorem & magis approbatam doctrinam, & eos Doctores, qui eam docent.* Ob cujus Conſtitutionis neglectum Paulus Oliva, Societatis Generalis, in epiſt. ad Honoratum Fabri, non dubitat aſſerere, *contra Societatis, & contra S. Ignatii mentem, & contra diſerta Præpoſitorum Generalium Decreta ire, qui Theologiæ Moralis placita, benignarum opinionum obtentu, plus æquo molliunt.* Nec ſolùm eunt contra ſuas Conſtitutiones, ſanctique Ignatii mentem, ſed & contra Societatis honorem, Eccleſiæque univerſæ bonum, uti deplorat idem Generalis to. 3. conc. 21. hiſce verbis: *Vix in ullam eccleſiaſticam domum ingredior, quin continùo audiam: quid tibi videtur de peſte tam lethifera, & univerſali? Et cùm interrogo, quæ ſit contagio tam abominanda? Mihi reſpondetur, adductis ſuperciliis, ſermonem eſſe de ſumma illa confuſione, inducta inter Catholicos, de tam multis opinionibus, quas appellant probabiles, quæ hoc tempore innoxia faciunt Zachæi fœnera, rapinas Antiochi, Scribarum la-*

trocinia, &, si excipiamus Herodis libidinem, & Ammonis lasciviam, quibus tam apertè suffragari non audent, quidquid audet ratio status, & quidquid tentat cujusque utilitas, id totum abrogantes, quod Deus scripsit in Mysis Tabulis, & quod Ecclesia præcepit fidelibus. Deplorat & Mutius Vitelleschus, ejusdem Societatis alter Generalis in epistola an. 1655 ad omnes Provincias missa, his verbis : *Nonnullorum ex Societate sententiæ, in rebus præsertim moralibus, plus nimio liberæ, non modò periculum est, ne ipsam evertant; sed ne Ecclesiæ Dei universæ, insignia adferant detrimenta. Omni itaque studio perspiciant* (Superiores) *ut qui docent, scribuntvè, minimè hâc regulâ in opinionum delectu utantur.* TUERI QUIS POTEST. PROBABILE EST. AUTHORE NON CARET. *Verùm* AD EAS SENTENTIAS ACCEDANT, QUÆ GRAVIORUM, MAJORISQUE MOMENTI AUTHORUM SUFFRAGIIS SUNT FREQUENTATÆ; QUÆ BONIS MORIBUS CONDUCANT MAGIS; QUÆ DENIQUE PIETATEM ALERE ET PRODESSE POSSUNT, NON VASTARE, NON PERDERE. *Quoniam verò Constitutiones, Decreta, regulas probè callent, de S. Thoma sequendo, de non promovendis ad Cathedras, aut etiam removendis, qui ejusdem doctrinam parvifacere, aut cordi non habere præ se ferunt* (PRÆSERTIM SI NOVITATUM AMANTES *deprehendantur, qui nullâ ratione sunt ferendi*) *reliquum mihi prætereà nihil est, nisi ut hæc ipsa serventur, uti maximè momenti rem, quam ardentissimè possum urgere.* Videri potest liber Antuerpiæ anno 1656. editus, cui titulus, *Epistolæ Præpositorum Generalium ad Patres & Fratres Soc. Jesu.* epist. 2. Proinde nec Societatis honori, nec universæ Ecclesiæ bono, nec bonis moribus ac pietati consuluerunt Amadæus Guimenius, Apologista Casuistarum, Escobar, Tamburinus, &c. tot laxioribus opinamentis, quorum pleraque Alexander VII. & Innocentius XI. proscripserunt, Casuistarumque Apologiam, & Amadæum Guimenium Vaticano fulmine percusserunt, uti etiam nuper Alexander VIII. Thesim Divionensem de peccato philosophico velut erroneam, & Mussipontanam contra necessitatem divini amoris, velut hæreticam profligavit, exterminavitque. Verùm ex ipsa Societate saniorem, securioremque de probabilitate, aliisque quæstionibus moralibus, doctrinam tradunt Comitolus, Andræas Blancus, Michaël de Elizalde, Thyrsus Gonzales, Societatis hodie Generalis, & alii. Utinam plures! Utinam omnes!

CAPUT XLIX.

Decima probatio : quia Eminentissimi Cardinales, Pallavicinus & Aguirrius, aliique viri gravissimi, sapientissimique, Probabilismum à se aliquando defensum, omnibus hinc inde fundamentis maturiùs expensis, retractarunt, repudiarunt, abjecerunt; nostram autem doctrinam semel susceptam nullus retractavit.

596 IN eo sapientissimi isti Cardinales Augustini sapientiam imitati sunt, qui cùm retulisset istud Tullii de quodam dictum, *nullum unquam verbum quod revocare vellet, emisit; ab hac* (inquit Augustinus epist. 7. ad Marcellinum) *ego excellentia tam longè absum, ut si nullum verbum, quod revocare vellem, protulero, fatuo sim, quàm sapienti similior. Ego proinde fateor, me ex eo numero esse conari, qui proficiendo scribunt, & scribendo proficiunt.*

Et de Pallavicino quidem apud Thyrsum 597
Gonzales Soc. Generalem in lib. de recto usu opin. probab. dissert. 13. c. 1. n. 76. extat hoc testimonium 29. Martii 1690. ipsi traditum à R. P. Nicolao Maria Pallavicino, in Collegio Romano Soc. Primario Theol. Scholast. Professore, Episcoporum Examinatore, & S. officii Qualificatore, manu propriâ scriptum : *Eminentissimus Cardinalis Pallavicinus, anno ferè ante mortem, dixit mihi, sibi esse fixum, relinquere post se scripturam, in qua retractare intendebat ea, quæ scripserat in lib. de actib. humanis; nempe posse quemquam practicè sequi opinionem minùs probabilem, & minùs tutam, relictâ probabiliori : immò sibi fixum omninò esse unumquemque teneri sequi sententiam illam, quam putat esse veram, neque posse ullatenùs conformari sententiæ, quam putat esse falsam. Hæc olim P. Nicolao Pallavicino affirmabat Cardinalis Sfortia.*

Idipsum laudatus Generalis n. 92. consta- 598
re dicit ex ipsius Cardinalis epistolis ad P. Michaelem de Elizalde de hoc argumento : quarum unam latinè reddit, in qua dicit 1°. quòd *dum quis* (licèt cum dubitatione quadam, & ratione in contrarium) *judicat actionem lege naturali esse sibi vetitam, non potest formare judicium practicum esse permissam.... Secundò, ignorantiam invincibilem non esse tam communem, quàm à multis præsumitur... Tertiò... quòd ut opinio quædam sit probabilis, non sufficiat eam defendi à laxioribus nonnullis, parumque accuratis Scriptoribus. Aliàs enim omnis penè licentia atque indecentia fieret probabilis, omnesque leges interirent. Igitur ad bonum Reip. regimen, bonamque disciplinam creaturarum rationabilium, debet probabilitas requirere Sectatores authoritatis tantæ, ut homo non dubitaret sequi illos in negotiis momenti maximi, in quibus error, etiam materialis tantùm, afferret damnum non leve. Denique magni peccati reos esse Authores illos, qui, ut potentibus hominibus, vel multitudini placeant, tradunt opiniones morales, quas esse censent falsas. Hoc est enim non modò homines in re gravi decipere, sed etiam legitimo Superiori facere injuriam... distortis verborum suorum interpretationibus, seu iniquâ diminutione suæ jurisdictionis.... Romæ 27. Maii 1662.*

Cardinalis verò Aguirrius in præfat. ad To- 599
mos Concilior. Hispan. seu Ratione Operis ad Lectorem, suæ retractationis motiva sic enarrat : Sanè *non aliter expleremus partes officii nostri, sive hujus eximiæ dignitatis, ad quam occulto Dei judicio... exiguitatem nostram*

evexit sanctæ memoriæ Pontifex, & rerum gestarum gloriâ clarus, Innocentius XI. Cùm enim Cardinales, ex vi muneris sui, sint intimi Consiliarii & Coadjutores Romani Pontificis, in ordine ad bonum regimen.... totius Orbis Christiani, debent omnes pro virili laborare opere, verbo, ac scriptis in eumdem scopum... doctrinamque salutarem, tutiorem, imitationi Christi aptiorem, sacris Canonibus conformiorem, ac proinde severiorem porrigere..... Exemplo sint (præter alios) Cardinales sanctissimi Petrus Damiani, Bonaventura, & Carolus Borromæus... Laudandus quoque hoc titulo doctissimus Cardinalis Bellarminus, qui variis in locis, præsertim in aureo illo opusculo, sive epistola ad nepotem suum Episcopum Theanensem, disciplinam veterem sacrorum Canonum, laxitate novarum opinionum extenuatam, instaurare curavit.... Verba illius præcipua exhibeo: siquis velit in tuto salutem suam collocare, &c. ut suprà n. 588. *Hæc scribebat pissimus ille Cardinalis sub initium hujus sæculi, quando Probabilismus nondum radices miserat. Quid diceret longè posteà, ubi tot monstra opinionum, adversus Moralem Christianam, & disciplinam Ecclesiasticam ac Canonicam eruperunt? Quarum 45. Alexander VII. jure merito damnavit, 65. Innocentius XI., & duas alias præcipuas, peccati philosophici, ac præcepti divinæ dilectionis negati, Alexander VIII. ut alias omittam ejusdem furfuris.*

600 *Bellarmini vestigia tandem aliquando pressit Eruditissimus Cardinalis Sfortia, Pallavicinus, ejusdem Societatis. Nam licèt in decursu vitæ Probabilismo cum pluribus aliis adhæsisset; posteà re maturiùs consideratâ, & lectis quibusdam libris doctissimis de eodem argumento, iis subscripsit, & testimonium authenticum suæ retractationis dedit R. P. Nicolao Mariæ Pallavicino... quod apud se retinet modò Reverendissimus P. Thyrsus Gonzales, Generalis Soc. Jesu, Primarius olim Theologiæ Professor in Salmanticensi Academia, eamdem ferè utriusque Cardinalis sententiam ex instituto sequens, cum Michaele Elizalde, aliàs Cella-Dei, & multis aliis doctis hominibus ejusdem instituti, quorum scripta parantur, suo tempore in lucem proditura...*

601 *Verùm prolixus essem, si omnes DD. Cardinales, Probabilismi illius laxi inimicos, & tutiorum, aut saltem palàm probabiliorum sententiarum tenaces, tam factis, quàm scriptis, jam vitâ functos nominare vellem. Inter tam multos eorumdem, qui usque modò sanctitate, aut doctrinâ insigni floruerunt, vix (credo) invenietur aliquis, qui aliter senserit aut docuerit. Immò & ex iis, qui modò superstites sunt, tam intra, quàm extra Urbem, præstanti pietate & eruditione conspicuis, ac toti Orbi Christiano notis, quorum judicia ac sententiæ mihi frequenter colloquio, ac variis congressibus innotescunt, nemo est (quantùm capio) qui tam in theoria, quàm in praxi, non censeat sequendam omninò esse sententiam tutiorem, vel saltem longè veriorem, ac probabiliorem. Atque in sacris hisce Congregationibus quotidie occurrunt innumeræ causæ, quarum decisio ex sacris Conciliorum Canonibus pendet. Ubi autem variæ Authorum occurrunt sententiæ, illa omninò præfertur, quæ, omnibus hinc inde consideratis, tutior videtur, aut juri & æquitati conformior.*

Nimirum hic fuit semper spiritus Ecclesiæ, 602
tam in Pontificibus Romanis, Cardinalibus, & Episcopis, quotquot Canones Conciliorum ediderunt, quàm in iis, qui pietatis & doctrinæ laude illos usque modò imitati sunt. Unde ab initio ferè Pontificatûs Alexandri VII. mirum est quo zelo, quâ eruditione & constantiâ quamplurimi Episcopi præstantissimi nominis (non ergo Jansenistæ) *partim vitâ functi, partim superstites, Probabilismum luxuriantem repressérint....*

Quot laudes audiuntur Summæ illius Mo- 603
ralis, sex brevibus Tomis comprehensæ, & « «
toties recusæ, hortatu aut jussu Eminentiss. « «
DD. Cardinalium Grimaldi Archiepiscopi A- « «
quensis, & Le Camus, Episcopi Gratianopo- « «
litani. In ea verò passim ferè ex puris sacro- « «
rum Canonum ac SS. Patrum fontibus theses « «
morum adversus Probabilistarum commenta, « «
proferuntur.... « «

Sed & laudandus est maximè inter Regula- 604
res, clarissimus Ordo S. Dominici, qui hor- « «
tatu laudati Alexandri VII. vexillum extulit ad- « «
versus Moralem laxam, per doctissimos alum- « «
nos suos, Joannem Martinez de Prado, Ju- « «
lium Mercorum, Vincentium Baronium, Vin- « «
centium Contensonem, Pichinardum, Gone- « «
tum, aliosque similes, amplissimo fructu. Et « «
meritò quidem ita se gessit: cùm nihil aliud « «
discere potuerit ab incomparabili suo Magistro, « «
Doctore Angelico, immò & ab Augustino, « «
ac cæteris SS. Patribus, quorum germanam « «
mentem, circa fidem ac mores, ille divino « «
ingenio, & admirandâ claritate explanavit, « «
atque in methodum redegit. « «

Idem ferè dixerim de multis Religionibus, 605
præsertim militantibus sub regula S. Augusti- « «
ni, S. Francisci, & Carmelitarum. Multi « «
enim viri doctissimi ex iis, intra & extra Ur- « «
bem, student, ac studuerunt Probabilismo fræ- « «
num imponere, abjectâ regulâ illâ lesbiâ, & « «
malefidâ, quâ plerique à fine ferè sæculi præ- « «
cedentis abducebantur, & feruntur adhuc, « «
non quà eundum est, sed quà itur, ut Sene- « «
cæ verbis utar.... « «

Id etiam curarunt hoc tempore nonnulli ce- 606
lebres Scriptores, aut Doctores Benedictini, « «
veluti in doctissima & observantissima Con- « «
gregatione S. Mauri Galliarum Joannes Ma- « «
billon... Gabriel Gerberon... In Congregatio- « «
ne Helvetica Illustriss. D. Cælestinus Sfondra- « «
tus, Abbas S. Galli... Sunt & alii plures ejus- « «
dem sententiæ (*Probabilismum refellentis*) in « «
diversis Congregationibus Benedictinis Italiæ, « «
Galliæ, ac Germaniæ.... « «

Verùm longè anteà in Congregatione Bene- 607
dictina Hispaniæ, non defuit, qui doctrinis « «

„ Casuistarum laxis antidotum pararet. Anno
„ 1653. vivente adhuc Innocentio XI. electus
„ fuit Generalis ipsius Reverendiss. Magister D.
„ Bernardus Hontiveros, Primarius Theol. Pro-
„ fessor, in Ovetensi Academia, Theologus Ma-
„ jestatis Catholicæ, ac Consultor supremi il-
„ lius fidei Senatûs, Vir spectatissimæ pietatis,
„ ac sublimis doctrinæ. Is ab eo tempore acer-
„ rimè invehebatur adversus laxas Casuistarum
„ opiniones, & lectionem quorumdam ex iis
„ vetabat subditis ac discipulis, inter quos ego
„ numerabar. Posteà anno 1658. fuit electus
„ Episcopus Ecclesiæ Calaguritanæ, eodem tem-
„ pore, quo præerant Oxomensi D. Joannes de
„ Palafox, & Placentinæ D. Ludovicus Crespi.
„ Tres ii Præsules doctissimi pariter & vitæ exem-
„ plarissimæ famâ, ac scriptis insignes, horta-
„ tu Eminentissimi Cardinalis D. Balthassaris de
„ Moscovo & Sandoval, Archiepiscopi Tole-
„ tani (cujus memoria pariter in benedictione
„ est) cœperunt communi consilio exagitare
„ Probabilismum, tunc longè ac latè grassan-
„ tem. Hontiveros speciatim scriptis suis ea de
„ re titulum dederat: *Lachrymæ militantis Ec-*
„ *clesiæ.* Verùm anno 1662.... fractus mortifi-
„ cationibus, studiis ac laboribus.... immortuus
„ fuit operi nondum perfecto.... Idem ferè ac-
„ ciderat Palafoxio, qui triennio antè sanctè
„ obierat, id est anno 1659.... Denique Epis-
„ copus Crespius, distentus occupationibus va-
„ riis, & legatione Majestatis Catholicæ in Ur-
„ bem, pro causa Conceptionis, solùm potuit
„ edere disputationes morales selectas, adver-
„ sus Casuistas prurientes auribus, & nomina-
„ tim præcipuè adversus Caramuelem. Obiit
„ verò magnâ sanctitatis opinione relictâ eodem
„ circiter anno 1662.

608 Ab iis præstantissimis Episcopis & Scripto-
„ ribus variis instructus, paucis post annis cœ-
„ pi dubitare de securitate illa, quàm nobis plu-
„ rimi alii pollicebantur, in usu opinionum
„ quarumlibet probabilium. Eò usque enim
„ communi ferè sensu, aut præjudicio abductus,
„ in Probabilismo, velut in pulvino, molliter
„ quiescebam; & plerùmque studium meum
„ (ita ingenuè fateor) situm erat in examinan-
„ do potiùs, an aliquid esset probabile, quàm
„ in investigando, an esset verum. Detectâ e-
„ nim probabilitate, nullatenùs dubitabam, me
„ posse illud in praxi sequi, aut aliis consulere...

609 „ Cœpi itaque rem maturiùs examinare ab an-
„ no 1671. usque modò, lectis, ac relectis,
„ ultra prædictos, plurimis Authoribus Recenti-
„ bus, qui hinc & inde controversiam hanc gra-
„ vissimam profligarunt ex instituto. Deprehen-
„ di verò ingens periculum salutis, in sectan-
„ do, aut consulendo aliis Probabilismo, sive
„ usu cujuslibet opinionis minùs probabilis, fa-
„ ventis libertati, in concursu alterius probabi-
„ lioris, adhærentis præcepto. Idem mihi altè
„ insedit, ubi utraque apparet probabilis æquè,
„ aut circiter. Manet enim adhuc res verè du-
„ bia.... quidquid plerique Recentiorum distin-
„ guant inter dubium speculativum, & practi-
cum. Hanc enim distinctionem, quoad con- «
troversiam præsentem, & plurimi alii à trigin- «
ta circiter annis, usque modò, doctissimè re- «
jecerunt. In dubiis autem, & spectantibus ad «
æternam salutem eligendam esse tutiorem par- «
tem, jura clamant, & prudentia ac lex cha- «
ritatis divinæ, de propria & aliorum salute, «
palàm dictat. "

Certè nemo prudens vitam corporis ita negli- 610
git, ut audeat uti cibo, aut pharmaco solùm pro-
babiliter sano, quod tamen æquè aut magis pro-
babiliter censeatur noxium & exitiale futurum.
Quare, ne exponat se probabili aut probabiliori
periculo mortis, eligit aliud certò innoxium aut
salutiferum. Idem ferè accidit circa rem fami-
liarem servandam, & honores assequendos. Cur
ergo vita animæ & salus æterna longè pretiosior,
passim exponatur probabili periculo opinionum li-
beriorum? Nec reflexiones aliquæ, seu judicia
reflexa ad authoritatem alienam videntur pro-
desse aut sufficere, ad formandum judicium mora-
liter certum & necessarium, de usu licito opinionis
benignæ, quoad bona animi, potius quàm corpo-
ris vel fortunæ, ubi opinio severior æquè aut ma-
gis urget. Non enim voluntas habet vim impe-
randi intellectui, ut judicio reflexo censeat ve-
rum, aut certum moraliter, id quod directo
judicio æstimat falsum aut dubium, aut minùs
probabile.

Quare reflexiones istæ ad summum possunt ha- 611
bere locum & prodesse, ubi vir doctus & pru-
dens, rectâ intentione placendi Deo, aut ipsum
non offendendi, & nullo præjudicio, passione,
aut utilitate abductus, diligenter inquirit veri-
tatem, pro qualitate materiæ, & debitis cir-
cumstantiis, quando concurrunt invicem contra-
riæ opiniones inter Scriptores Catholicos, doctos
& pios. Si post rem examinatam inveniat sen-
tentiam benignam longè ac palàm prævalere opi-
nioni austeriori, tum authoritate, & numero
Patronorum, tum rationibus, & plenè respon-
dere argumentis contrariis: videtur posse for-
mare judicium moraliter certum de illius veri-
tate, & licito usu, & nihil curare rigidiorem
aliorum opinionem, vel eam reputare ortam
ex inani scrupulo. Dato enim, aut permisso,
quòd sententia illa benignior esset falsa in re,
agens excusaretur à peccato, saltem gravi, ob
rectam intentionem, bonam fidem, & igno-
rantiam venialem ex infirmitate humana. Si
autem post diligentem inquisitionem, inveniat
opinionem austeriorem æquale pondus habere,
aut etiam majus, ac proinde veritatem rei esse
speculativè dubiam; non poterit ullâ reflexione
formare sibi judicium moraliter certum de illius
veritate aut usu licito. Quare abstinendum erit
ab opinione benigniore, & adhærendum tutiori,
sive stanti pro præcepto.

Hæc videtur fuisse praxis assidua SS. Patrum, 612
Pontificum, ac Theologorum, doctrina & pietate
insignium, à tempore nascentis Ecclesiæ, usque
ad finem ferè sæculi præcedentis, quo cœpit repu-
tari securus usus opinionis benignæ probabilis, in
concursu opinionis austerioris æquè probabilis, aut

probabilioris, per reflexiones antiquis ignotas. Sequebantur enim veteres illi, quod intra sinum Ecclesiæ Catholicæ, post rem maturè examinatam oratione ac studio competenti, videbatur verum, aut moraliter certum. Et licet ipsi SS. Patres, aut Doctores celebres, aliter atque aliter, circa varias quæstiones morum censerent, unusquisque tamen pius ac prudens id agebat, vel consulebat aliis, quod, post debitum examen, judicabat verum, aut saltem longè conformius Canonibus sacris, rationi, & æquitati. Neque enim amplius exigi putabat ab homine mortali, infirmo, & ignorantiis obnoxio. Alioquin sequebatur tutiorem partem. Exempla plurima possem hoc loco producere, ni quæstionem hanc gravissimam potius excurrendo libandam, quam ex instituto dirimendam recepissemus.

613 *Et hoc ipsum fere est, in quo videntur convenire Scriptores ac Theologi* supra *laudati*, contra Probabilismum differentes. Nominatim *verò doctissimus & piissimus* C. *Bellarminus verbis exceptis n. 588. apertè id tradit, immò & loquitur strictius quam plerique ex allegatis, ut conferenti palam erit. Ac certè innocentia vitæ ipsius, candor morum, & professio minimè fucata veritatis, quæ fulget in ejus scriptis, satis denotant, eundem in agendo, & consulendo, non quæsisse probabilia, sed vera; non dubia, aut moraliter erroris periculo obnoxia, sed secura & solida.*

614 *Exeat nunc aliquis Recentiorum quorumdam, & propterea Bellarminum, Jansenismi aut Bajanismi arguat. Hanc enim notam, ex eodem doctrinæ morum severioris capite, inurere ausi sunt nonnulli plurimis aliis Catholicissimis Episcopis, Prælatis, Doctoribus & Scriptoribus, licet nullo fermento hæreseos; vel doctrinæ erroneæ aspersis, & palam rejicientibus illas quinque famosas Theses, ab Innocentio X. & Alexandro VII. fulgurutas; atque in iis Illust. Fagnano, quo neminem in sacris Canonibus doctiorem, aut celebriorem ætas nostra tulit. Sed calumnia ejusmodi, dum linguario oribus quorumdam injecto coerceri nequit, contemptu, aut risu exsibilanda erit, juxta illud vetus adversùs convicia injusta:* SPRETA EXOLESCUNT. Hactenus E.C. Aguitrius.

615 Porro ex illo laudatorum Cardinalium exemplo, plurimumque aliorum gravissimorum, doctissimorumque, ut Thyrsi Gonzales, Michaelis de Elizalde &c. qui in retractando probabilismo eorum exemplum imitati sunt, magnum veritatis argumentum sumitur pro doctrina nostra; utpote quam semel susceptam nemo postea deseruit, ut in oppositam iret. At ex adverso quotidie videmus doctissimos, piissimosque Doctores, atque ex iis præcipuos, deserere probabilismum, quem priùs amplexi fuerant, in doctrinamque nostram ire.

CAPUT L.

Undecima probatio, quia doctrinam nostram nullus Episcopus, nulla Ecclesia, ullâ unquam censurâ juridicè proscripsit; Probabilisticam verò doctrinam, plures Archiepiscopi & Episcopi, totaque pene Ecclesia Gallicana solemni sententiâ juridicè damnaverunt.

PRimò namque Lud. Hen. de Gondrin, 616
Arch. Senonensis, cum tota Ecclesia sua, seu Synodo plus quàm sexcentorum Abbatum, Priorum, Decanorum, Parochorum, aliorumque Eruditissimorum virorum, die 3. Septemb. 1658. duplici censurâ sic eam perstrinxit.

Prima Censura: *hæc doctrina quatenus opiniones omnes probabiles, quæ falsæ utique esse possunt, & sæpe sunt, in conscientia tamen tutas asserit, ac proinde cæcis, id est falsam, & æternæ legi contrariam regulam sequentibus, immunitatem à peccato, & securitatem spondet, falsa & erronea est, Scripturæ contraria, summam humanarum actionum regulam, legem scilicet æternam destruit, divinæ legis, & Evangelicæ veritatis amorem & studium extinguit, utriusque necessitatem evacuat, & pernitiosam in hominum mentibus securitatem ingenerat.*

Altera: *hæc doctrina, quâ Author fas esse censet, neglectâ probabiliore & tutiore sequi opinionem minùs probabilem, & minus tutam (id est amplecti & exequi quod illicitum esse, quàm licitum probabilius putes) atque ad probabilitatem opinionis unius Scriptoris authoritatem sufficere affirmat, falsa & periculosa est; innumeris corruptelis viam aperuit; illam bonam conscientiam, quæ secunda est humanarum actionum regula, prorsus extinguit, ac proindè erronea est, ac B. Paulo contraria, & christianos ad certam salutis perniciem inducit.*

Secundò, F. de Harlay, tunc Arch. Ro- 617
thomagensis, postea Paris., 4. Feb. 1659. probabilismum in Casuistarum Apologia contentum solemni censurâ proscribens, ait, Authorem illius, *sequendo potius aberrationes rationis per peccati corruptionem offuscatæ, quàm regulas divinarum Scripturarum, Sanctos Canones, sacramque Traditionem, prolapsum in excessus, commiseratione dignos, ex quibus palàm videre est quid expectandum sit ab humano ingenio sibi suoque sensui relicto.* Eos nihilominus excessus *pro probabilibus habitos à temerariis propugnatoribus suis.* 2°. Apologiam illam monstrum quoddam in *Theolog. Morali, cujus principia sunt falsa, ratiocinationes fallaces, consecutiones pernitiosæ, doctrina Christi Evangelio penitùs contraria, in qua collectum sit, & congestum, quidquid corruptionis dissolutionisque sparsum effusumque fuerat à magno Authorum numero, qui quæstiones Morales per plura scripserunt sæcula.* 3°. Eamdem Apologiam *damnat ut plurimas continentem propositiones falsas, pernitiosas, erroneas, scandalosas, libertinismum, Ecclesiasticaque disciplina corruptelam invehentes, veritati denique Evangelicæ penitus adversas.*

Tertiò, Annas de Levi Vantadour, Bituri- 618
censium Arch. 6. Feb. 1659. eumdem probabilismum, Apologiamque condemnavit, *ut totam Ecclesiam subvertentem.*

619 Quartò, Eccleſia Pariſienſis de doctrina probabiliſtica ſolemni judicio 23. Aug. 1658. ſic cenſuit: *Hæc doctrina generatim & indefinitè concepta, temeraria, & periculoſa, omnem morum diſciplinam perturbat, à veritatis inquiſitione & inventione avocat, & corruptæ naturæ cupiditatibus obſequitur.*

620 Quintò, Nic. de Pavillon, Epiſc. Alectenſis, Franciſcus, Epiſc. Apamienſis (quorum Diœceſes Contenſonus ſe vidiſſe teſtatur, *velut Eccleſiæ primitivæ ſpiritum redolentes*) Gilbertus, Epiſcopus Convenarum, Samuel, Epiſcopus Vaſatenſis, Bernardus, Epiſcopus Conſeranenſis 28. Octobris 1658. *Judicamus* (inquiunt) *doctrinam probabilitatis, prout ab Apologiſta explicatur, & ad omnia promiſcuè morum decreta extenditur, falſam, ſimplicitati, ſinceritatique Spiritûs Chriſti, necnon traditæ nobis ab Apoſtolis ipſius nomine doctrinæ contrariam, animaſque fallacis ſpecie ſecuritatis in certam ſalutis jacturam conjicere.*

621 Sextò, Euſtachius de Chery, Epiſc. Nivernenſis 8. Nov. 1658. eamdem probabilitatis doctrinam *perniciosam* declaravit, *regulamque impiiſſimam, errorem periculoſiſſimum, Moraliſque Chriſtianæ funeſtiſſimum venenum.*

622 Septimò, Ludovicus Epiſc. Tullenſis 18. Apr. ejuſdem anni ſolemni Decreto damnat Apologiam, *velut continentem plures propoſitiones falſas, pravas, ſcandaloſas de ſimonia, homicidio, duello, furto, uſura... probabilitate, aliiſque materiis ejuſmodi, in quibus tuetur paſſim Theologiam novam, vetuſtis Patribus incognitam, tendentem in libertiniſmum, diſſolutionemque morum, ſoli humano corruptoque ſenſui innixam, Evangelico denique ſpiritui ac ſanctioribus regulis oppoſitam.*

623 Octavò, Henricus Andegavenſium Ep. 11. Nov. 1658. damnat eamdem, *velut deſtruentem veras morum regulas, per falſam probabilitatis regulam.*

624 Nonò, Nicolaus Epiſcopus Belüacenſis, 12. Novembris 1658. Probabiliſmum reprobat, *tamquam omnium corruptelarum ſcaturiginem.*

625 Decimò, Alanus de Solminihaco, Ep. Cadurcenſis (inter illuſtriores omnium ſæculorum Antiſtites à Godæo Vencienſi Ep. connumeratus) 24. Dec. 1658. Apologiam proſcripſit, velut continentem *doctrinam periculoſiſſimam, fideliumque ſaluti præjudicioſam, quam dictavit prudentia carnis, quæ inimica eſt Dei, hominesque ducit per viam latam, docet vivere ſecundum deſideria cordis ſui, excuſationes in peccatis quærit, conſcientiam bonam regulis ſuis corrumpit, continentem denique doctrinam falſam, temerariam, ſcandaloſam, ſacræ Scripturæ, ſpiritui Eccleſiæ contrariam, Chriſto injurioſam, aptam corrumpere morum puritatem.* Teſteque Contenſono, à probabilitatum laxitate in tantum abhorruit, ut non ſolùm verbis, ſcriptis, litteriſque Paſtoralibus, ſed maximè præclariſſimis exemplis nonnullorum mollitiem condemnaverit, *Domino etiam cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis, quibus ſepulchrum ejus ſit in dies glorioſum.*

Undecimò, Leonorius de Matignon, Ep. 626
Lexovienſis 10. Martii 1659. Apologiam condemnavit, eò quòd *contineret innumeras regulas falſas, perniciosas, temerarias, ſcandaloſas de ſimonia, homicidio... doctrina probabilitatis,* quam vocat *funeſtam matrem cæterorum omnium errorum Caſuiſtarum, quæ non niſi ex propria ipſorum philautia, ingenioque oriri potuerit.*

Duodecimò, Felix Vialartius, Catalaunenſium 627
Ep. (in opinione magna ſanctitatis piiſſimè defunctus) 12. Martii 1659. probabiliſticam doctrinam, Apologiamque ſolemni edicto proſcribit, tamquam procedentem ex fonte aberrationibus valdè obnoxio, non utique ex verbo Dei, neque ex SS. traditione, ſed ex maleſuada humana ratione, excuſationes in peccatis quærente, inclinationibuſque & cupiditatibus majoris partis hominum ſe accommodante. Undè *profecta eſt* (inquit) *licentia extrema mille formandi quæſtiones vanas, periculoſaſque; ex Evangelio problema faciendi; Chriſtique ſcholam in Academiam commutandi. Hinc etiam pullularunt ſubtilitates, ſuppoſitiones, intentionum directiones, probabilitatum ſcientia, ſimileſque accommodantes adinventiones, quas deploramus. Atque per omnes hoſce gradus Caſuiſtæ iſti, fatuo igne rationis apparentis decepti, in ſtupendos tandem exceſſus ſunt prolapſi, ex quibus videre eſt, in quæ præcipitia ducat aberratio humani ingenii ſuo ductui permiſſi, cujus ſequaces facti ſunt ſimiles Prophetis illis in Scriptura commemoratis, qui prophetant de corde ſuo, & ſequuntur ſpiritum ſuum, & vident vana, & divinant mendacia, dicentes, ait Dominus, cùm Dominus non ſit locutus.* Propterea ergo laudatus Epiſcopus damnat & anathematizat doctrinam illam Apologiamque, eâque damnatâ ſuos hortatur, *ut eant ad nativos divinæ veritatis fontes, id eſt ad ſacras Scripturas, ad venerandam SS. Patrum Traditionem, & ad crebram frequentemque orationem, è quibus vera pietatis effata, regendis fidelibus idonea, & neceſſaria, fideliter hauriant.*

Decimò-tertiò, Ægidius, Epiſcopus Ebroi- 628
cenſis, 15. Januarii ejuſdem anni damnat Apologiam, velut *infandam farraginem teterrimarum opinionum,* eamque vocat *monſtrum, vel ipſi Authori pudendum, qui huic operi tenebrarum nomen ſuum præfigere erubuerit.* Inter alias verò reprobandas Apologiæ opiniones, hanc recenſet, quòd *quemque doceat ſeducere ſeipſum in dirigenda conſcientia ſua per eam quam ſtabilit pernicioſam probabilitatum regulam.*

Decimò-quartò, Toſſanus Forbinius Dinien- 629
ſis Epiſcopus (modò S. R. E. Cardinalis) 6. Maii ejuſdem anni doctiſſimâ ſuâ, Epiſcopalique vigore dignâ, adverſus eamdem Apologiam cenſurâ, palàm oſtendit, quàm vehementer Probabiliſmum, infandaque conſectaria ipſius deteſtaretur.

Decimò-quintò, vitandæ prolixitatis gratiâ, 630
cæterorum Gallicanorum Epiſcoporum prætermiſſis

termiſſis cenſuris, prætermittere non poſſum cenſuram Magni Godæi, Vencienſis Epiſcopi, latam 6. Maii 1659. in qua vir ille, ob egregias Epiſcopalis muneris dotes, auroque pretioſiores præſtantiſſimi ingenii ſui fœtus, publico datos, toto Orbe Chriſtiano laudatiſſimus, tum authoritate, tum invictarum rationum pondere, Probabiliſmum cæteris uberiùs convellit, his verbis: *Hæc probabilitatis doctrina à mendacii parente procul dubio his poſtremis temporibus eo conſilio inventa eſt, ut omnia Evangelii præcepta eluderet, & carnalibus animis chriſtianæ doctrinæ, propriaque ſalutis ſupremum arbitrium permitteret. Aſſerit Evangelium, ſolâ demùm veritate nos liberos effici poſſe: Veritas (inquit) liberabit vos. Aſſerit nos, non ex hominum ſermone, ſed ex verbo Dei judicandos: Sermo quem locutus ſum vobis, ille vos judicabit in noviſſimo die. Nec fieri poſſe, quin, qui cæcum ſequitur ducem, videlicet propriæ vel alienæ ſalutis errorem, cum ipſo pariter in foveam decidat. Aſſerit S. Thomas, & cum eo omnes Theologorum nomine digni, legem Dei æternam, immotam eſſe actionum noſtrarum regulam, & quæcumque actio ab ea diſſideat, hoc ipſo malam eſſe.... At novi illi Doctores prorſus oppoſitam ſtatuunt conſcientiæ legem: nihil referre ſcilicet, veræne ſint opiniones, an falſæ, modò ſint probabiles, id eſt, ut ipſi ſe explicant, modò eas probantibus probabiles videantur, & aliquâ nitantur ratione, vel ſaltem nonnullorum authoritate Doctorum. Al-*
631 *terutra enim ipſis (ut fatetur Caramuel Theol. fundam. p. 132.) probabilitati ſufficit. Addunt quidem illi nonnunquam rationes, quibus nituntur opiniones probabiles, ſolidas eſſe debere; nec ullam probabilitate donandam, niſi quæ non repugnet Scripturæ ac Traditioni. Verùm hæ conditiones nihil aliud ſunt, quàm laquei, irretiendis deludendiſque ſimplicioribus inſtituti. Non enim per ſolidas illas rationes, eas intelligunt, quæ veræ ſint. Nullæ enim veræ rationes inveniri poſſunt ad ſtabiliendas opiniones falſas; quibus certè accenſeri debet magna probabilium opinionum pars, quæ, cùm ſibi invicem adverſentur, ſimul veræ eſſe non poſſunt. Has ergo illi ſolidas vocant, quæ ſolidæ probantibus videntur. Hoc verò omnibus, ſine exceptione, erroribus convenit. Nec enim quiſquam ullum tuetur errorem, qui non ſolidas in judicando rationes ſequi ſibi perſuadeat.*

632 Nec volunt etiam Caſuiſtæ, ſuas probabi-
„ litates reipsà Scripturæ, Traditioniſque prin-
„ cipiis non repugnare: ſic enim omnes omni-
„ nò falſas opiniones ſubmoverent. Quid ergo?
„ Id demùm ut qui eas tuentur, Scripturæ, ac
„ Traditioni contrarias eſſe non exiſtiment. Quid
„ ſi habeantur contrariæ? Nec ſic probabilita-
„ tem amittunt. Sufficit enim quoſdam Caſui-
„ ſtas aliter judicare. Tunc enim ex Vaſqueſio,
„ Sancio, Eſcobario, debet quis ſibi perſuade-
„ re, quod ſibi ineluctabile videtur, ex Scrip-
„ tura vel Traditione argumentum, reverà non
„ eſſe, & ab alio ſolutiones quaſdam ac reſpon-
ſiones inventum iri. Itaque ex illis Caſuiſtis, «
ut aliqua opinio plenam habeat in conſcientia «
ſecuritatem, id demùm requiritur, ut qui eam «
ſuis conſentaneam cupiditatibus judicat, vel «
propter aliquam apparentem rationem, vel «
etiam contra propriam rationem, propter ſo- «
lam nimirùm aliorum authoritatem, eam eſſe «
probabilem, nec evidenter falſam, ſibi in ani- «
mum inducat. «

Sic humana ratio, quàmlibet cæca, & pec- 633
cato depravata, certa noſtrorum actuum re- «
gula conſtituitur, cui ſuum judicium Deus «
ipſe accommodare debeat, inſonteſque pro- «
nuntiare, quos divina lex damnat, & huma- «
na probabilitas abſolvit. Sic neſcio quibus «
Scriptoribus, numquam ab Eccleſia probatis, «
genus quoddam infallibilitatis tribuitur, ab «
ea longè diverſum, quam in Catholica Eccle- «
ſia Catholici omnes agnoſcunt. Propterea e- «
nim falli nos ab Eccleſia non poſſe confidi- «
mus, quia promiſſi à Deo Spiritûs munita præ- «
ſidio, nec in fide ipſa, nec in morum regula «
falli poteſt. At illi contrà, cùm ſe ſæpiùs er- «
rare, nec ullam ſibi veritatis in opinionibus «
probabilibus certam cognitionem adeſſe fa- «
teantur, immò cùm alii aliis inter ſe oppoſiti «
ſint, adeòque plures errore teneri neceſſe ſit; «
inauditâ tamen abſurditate, incertos ſe ad ve- «
ritatis viam, duces certos ad veritatis regnum «
profitentur; nec minùs tutò animas à ſe regi «
contendunt, cùm à via deerrant, quàm cùm «
rectam inſtituunt viam. Poſtremò non minùs «
tutum in ore ſuo eſſe mendacium, quàm in «
ore Chriſti, Apoſtolorum Patrum veritas fuit. «

At quoniam ſi hæc decreta dumtaxat tam- 634
quam probabilia propoſuiſſent, non ſatis am- «
pla hominibus fuiſſet eorum ſequendorum li- «
bertas, ſi probabiliora tutioraque minùs pro- «
babilibus, ac minùs tutis, præponenda cen- «
ſuiſſent (cùm ferè laxis illis opinionibus con- «
trariæ tutiores probabilioreſque ſint) etiam «
hunc humanæ cupiditati obicem perrumpere «
conati ſunt, contrario morum principio (quod «
ab omnibus antiquis Theologis oppugnatum «
fatentur) ſtabilito, licere nimirùm, relictâ «
tutiore ac probabiliore, minùs probabilem «
ac minùs tutam amplecti, tenerique Confeſ- «
ſarios ex falſa illa regula de pœnitentibus ju- «
dicare. Poſtremò Confeſſarios poſſe, ex alio- «
rum, quam falſam putent, ſententia conſilium «
dare, ſi hoc pœnitenti exoptatius eſſe ſentiant. «

Non hîc agitur, an quis, privato judicio 635
diffiſus, propriam deponere opinionem non «
poſſit, alteriuſque ſe judicio ſubjicere, quem «
ex prudentiæ chriſtianæ regula doctiorem ſe, «
ac cæleſti lumine uberiùs illuſtratum ſentit: «
quod licitum eſſe nemo dubitat, modò quis «
puram omninò intentionem habeat, unam ve- «
ritatem inquirat. Tunc enim fides illa, ac per- «
ſuaſio, quâ quis alium putat ſcientiâ veritatis «
inſtructiorem, hoc ab animo noſtro judicium «
elicit, ejus opinionem noſtrâ probabiliorem «
eſſe. «

Sed ibi præcisè ſita quæſtio, an qui omni- 636

„ bus tum rationibus, tum authoritatibus inter „ se libratis, in ea opinione tamquam probabi- „ liore permanet, aliquid divinâ lege illicitum „ esse, id nihilominùs tutâ conscientiâ facere „ possit, quòd aliunde suppetant nonnullæ ra- „ tiones, vel authoritates, quæ licitum id esse „ probare videantur, quamvis illas minoris esse „ ponderis judicet, quàm eas, quibus illici- „ tum probatur. Hoc docent illi Casuistæ, etiam „ propriâ opinione tamquam probabiliore re- „ tentâ, ut ait Sanchez in Sum. l. 2. c. 9. n. 14. „ & Vasquez in 1. 2. disput. 62. n. 14. Hoc ve- „ rò conscientiam manifestè violari, vel ipso „ communis sensûs lumine patet. Cùm enim „ animus noster variis tum rationibus, tum au- „ thoritatibus distrahatur, quibus illæ aliquid „ divinæ legi contrarium esse, illæ non esse per- „ suadeant, dubius ille & anceps maneat neces- „ se est, si eas æquè probabiles judicet. Quo „ casu, & ex Ethnicis, qui vetabant, ut ait Ci- „ cero, quidquam agere, quod dubites, æquum „ sit, an iniquum; & ex illa juris Canonici lege, „ in dubiis tutior pars eligenda, id, de quo du- „ bitamus an sit licitum, facere non licet. Aut si- „ quæ rationes probant rem esse illicitam, eæ „ graviores probabilioresque videntur; fieri non „ potest, quin illis judicium nostrum, id est „ conscientia assentiatur, „ potiùs quàm rationi- bus contrariis, si judicium nostrum secundùm notam tunc æquitatem sit; „ adeòque si illud „ ipsum nihilominùs agamus, manifestè con- „ scientiæ nostræ judicium violamus. Quod om- „ nes fatentur vitiosum, ac pravum, etiamsi „ conscientia nostra fortè erronea sit.

637 Quòd siquis, ut solent illi Casuistæ, re- „ spondeat, eum qui facit quod probabiliùs pu- „ tat esse peccatum, privatam sibi conscientiam „ fingere, quâ sic agere sibi licitum putet. Idem „ est profectò, ac si diceretur, propterea ipsum „ contra conscientiam non agere, quia sibi li- „ citum putat, contra conscientiam agere.

638 Decimò-sextò, Jacobus Boonen, Archiepiscopus Mechlinienſis (in Belgio) in celebri epistola ad Eminentiſſ. DD. Cardinales Romanæ Inquisitioni præfectos scripta 17. Julii 1654. omnibus illis Archiepiscopis, Episcopisque Gallicanis præluxit, per suas de Probabilismo, consectariisque ipsius querelas, quas sic exposuit: *Hoc est (Eminentissimi Patres) quod.... suprà quam dici potest, animum meum contristat, quòd non tantùm mundum in maligno esse positum, sed quotidie videam in pejus & pejus, refrigescente charitate, declinare. Hujus miseranda declinationis causa (ut partim experientiâ propriâ observavi, partim ex judicio & relatu virorum, qui mihi ab integritate morum, zelo animarum, doctrinâ, & rerum usu probati sunt, sapiùs cognovi) prima & potissima est hodierna multorum Confessariorum indulgentia, quâ nimis laxant habenas peccatoribus, fidentes quibusdam noviter inventis opinionibus quorumdam Theologorum, quorum studium non tendit ad sectandam Evangelicam veritatem, & traditam nobis à SS. Patribus vitæ normam, sed ad excusandas excusationes in peccatis, & eorum turpitudinem pallio probabilitatis obvelandam. De quibus Propheta Ezechiel:* “ Væ qui consuunt pulvillos sub “ omni cubito manûs, &c. “ *In ejusmodi perniciosis excessibus eò usque processum est, ut siquis omnia insolentia paradoxa ex quorumdam libris & praxi excerpere velit.... liber integer conscribendus foret. Cùm autem laxæ regulæ, quæ depravatis hominum affectibus allubescunt, facilè eorum judicio probentur, visi sunt, hoc successu, earum Authores utilem Ecclesiæ operam præstitisse, & ausi petulanter gloriari, se probabilitatum rotis quotidie cæli viam ampliare.*

Decimò-septimò, Antonius Triest, Gan- 639
davensium Episcopus 9. Aprilis 1659. in epist. ad Facultatem Theologicam Lovanienſem (posteaquàm commemoravit epistolam illam Archiepiscopi Mechlinienſis, aiens, *quòd Eminentissimi Patres zelum ac prudentiam ipsius... summoperè laudarunt litteris ad ipsum datis Romæ 14. Novembris 1654.*) & ipse Probabilismum vehementer deplorat his verbis: *Experimur summo animi nostri & proborum omnium dolore, nimiam illam quorumdam Recentiorum licentiam in excogitandis vanis & inutilibus quæstionibus, quæ proficiunt potiùs ad impietatem.... continuè augeri, & invalescere; probabilitates, quibus solis innititur, magis magisque recipi, & confirmari, ecclesiasticam disciplinam paulatim pessumdari, dogmata evangelica negligi, mores perverti, virtutes spernì, vitia speciosis prætextibus obvolvi, & à corrupta natura possim magnis amplexibus arripi, ac sensim omnem solidæ & sinceræ pietatis normam à fidelium cordibus exulare. Quibus enim modis & Authoribus.... jam sunt probabilia, iisdem fiunt licita.... Immò verò principiis ipsorum inhærendo, leges omnes & jura, tam positiva, quàm naturalia probabilitatibus tandem cedere debebunt. Docent enim nonnulli, authoritatem unius Authoris docti & probi, reddere opinionem probabilem, & hanc unicuique licitum esse, etiam reluctante conscientiâ; sequi. Cui præmissa si subsumantur duæ aliæ sequentes opiniones, quòd nempè Confessarius teneatur, sub peccato mortali, absolvere eum, qui juxta probabilem sententiam operatus est, quamvis à parte rei sit falsa, & talis à Confessario judicetur. Neque Judex sæcularis possit talem illæsa conscientiâ punire. Quid (quæso) inde sequeretur, nisi gravissimorum etiam criminum reos (modò doceant se unius Doctoris probi & docti opinionem secutos) ab omni lege & pœna, tam in foro poli, quàm in foro fori, immunes esse ac liberos?*

CAPUT LI.

Corollarium primum contra Caramuelem, Terillum, & Bartholomæum Fibum.

EX dictis apertè conficitur 1°. manifestam 640
calumniam esse, cum Caramuele, Terillo, & Bartholomæo Fibo asserere doctrinam, quæ rejicit

rejicit Probabilismum, aliam *matrem non habere quàm hæresim Jansenianam.* Ita quidem ex Caramuele Terillus in præfatione sui tractatûs de Reg. mor. Et post Terillum Bartholomæus Fibus in sua Apologia pro conscient. infirm. c. 1. §. 6. Sed verùs ipsis reponeretur, Probabilismum aliam matrem non habere nisi rationem errantem, nisi novitatem toti Antiquitati repugnantem, nisi mollitiem humanis cupiditatibus lenocinantem. Ista namque verissima esse declarat tot Episcoporum solemne judicium: Illud falsissimum calumniosumque esse, perspicuum est ex eo, quòd doctrina rejiciens Probabilismum matrem habeat totam Antiquitatem, & Authorem Spiritum sanctum in divinis Litteris, Authores SS. Pontifices in Canonibus sacris, Authores SS. Patres, Authores S. Thomam, omnesque Theologos veteres, usque ad sæculi præcedentis ferè finem, uti vidimus à cap. 37. ad 45. Nunquid Jansenista Spiritus sanctus? Nunquid Jansenistæ tot Summi Pontifices? Nunquid Jansenistæ SS. Patres? Nunquid Jansenista S. Thomas, Jansenistæ Theologi omnes usque ad centum ferè ab hinc annos? Nunquid Jansenistæ omnes seu Theologi, seu Canonistæ cap. 44. & 45. recensiti, quos inter plures è Societate, ipseque Societatis Generalis? Nunquid Jansenistæ tot sanctissimi, doctissimique Cardinales, totque Archiepiscopi & Episcopi, tam ibi quàm cap. 49. & 50. producti? Jansenistam eo titulo Fagnanum nuncupare veritus non est Caramuel in Apologemate, sed temeritatis suæ pœnas dedit per Romanam istius Apologematis condemnationem. Nec pluribus opus ad puerilem calumniam retundendam, & unà ostendendum, quàm verè & sapienter Cardinalis Aguirrius suprà n. 614. dixerit, ejusmodi calumniam, seu Jansenismi objectionem Sociis tam familiarem, *dum linguario oribus eorumdem injecto coerceri nequit, contemptu aut risu exsibilandam esse.* Quod hîc tantò justiùs fit, quantò verius, Probabilismum, diù ante hæresim quinque propositionum, à Doctoribus Catholicissimis reprobatum fuisse. Neque ex ipsius reprobatione consequens est aliqua Dei præcepta justis esse impossibilia, vel ignorantiam invincibilem à peccato non excusare, uti Terillus, cum Caramuele suo, infundatissimè prætendit. Cùm istius prætensionis vanitas ex dictis c. 21. perspicua sit.

CAPUT LII.

Corollarium secundum contra eundem Bartholomæum Fibum, Guillelmum le Maire, & Alexium Minez.

642 COnficitur 2°. Bartholomæum Fibum in Apologia citata c. 2. §. 1. n. 3. prorsus falsò, & inerudité Schweitzero Probabilismum refellenti dicere ausum, quòd *laboraturus esset, ut suæ opinionis patronos inveniret viros bonos vel pauculos, simplici numero comprehendendos, quorum authoritas omni exceptione major sit, ob singularem virtutem, judicium, doctrinam. Ego certè* (inquit)... *vix unicum hactenùs reperi, cui hæc trina cum excellentia suffragentur....* At verò *si lectori sit curiositas penitus cognoscendi, qui & quales viri gravissimi, præter Societatis totius Doctores, tueantur doctrinam probabilisticam, consulat Terillum. Authores ipse probabilistica patronos universim omninò supra ducentos tum Veteres, tum Recentiores recenset.* Minezium quoque in præfatione suæ Theol. Mor. & Guillelmum le Maire in Statera Saülis Exegis sect. 1. c. 2. §. 1. n. 1. pari falsitate & ineruditione dicere, probabilisticam esse Recentiorum omnium. Istorum namque omnium falsitas perspicua est ex suprà dictis. Et certissimè quidem falsa esse, respectivè ad Veteres, liquidò constat ex eo quòd in terminis doceant sequendam esse opinionem tutiorem, vel certè probabiliorem, ut vidimus cap. 44. fatenturque vel ipsi præcipui Probabilistæ, ut vidimus ibidem §. ultimo. Risu proinde vel compassione dignus est Terillus, dum eos pro suo refert minori Probabilismo. Falsa quoque esse, relativè ad Recentiores, etiam hujus sæculi, manifestè constat ex tot insignibus Cardinalibus, Archiepiscopis, Episcopis, Theologis (etiam Societatis Jesu) Canonistis suprà relatis. An non illi viri boni sunt? An pauculi? An non eorum authoritas omni exceptione major, ob singularem virtutem, judicium, doctrinam? Nonne temerarius & effrons foret P. Fibus, si negaret? Deleat proinde quod inconsideratè & ineruditè scripsit. Deleat & immodestum illud convicium, quo doctissimum Theologum Willelmum Wendrokium c. 1. §. 7. petulanter vocitavit Montaltio petulantiorem scurram. Sibi dictum putet, quod ibidem Baronio pari immodestiâ opponit, qui sic loquitur: *Non est vir bonus.*

Desinant etiam Guillelmus le Maire, & 643
Alexius Minez, de Recentiorum omnium patrocinio gloriari. Cùm ne illi quidem centum quinquaginta, allegati à Sarassa, nec centum, allegati à Bordono, Probabilismo in sensu Recentium Probabilistarum omnes patrocinentur, uti ostendit Thyrsus Gonzales Soc. Jesu Generalis in suo tr. de recto usu opin. prob. dissert. 2. §. 1. 2. 3. 4. & 5. Necnon dissert. 13. cap. 2. §. 12. & cap. ult. per totum, ubi probat sententiam Recentium Probabilistarum (ante Alexandrum VII.) factam esse communem ex suppositione apertè falsa, nimirùm, quia multi falsò suppositerunt, omnes ferè Doctores hujus sæculi asseruisse licitum usum opinionis minùs probabilis de licito, quamvis opposita de illicito appareret ei in actu primo absolutè verisimilior. Quod tamen apertè falsum esse dicit, quia multi, imò præcipui ex iis, qui sustinuerunt licitum esse, sequi opinionem minùs probabilem de licito, relictâ probabiliore de illicito, locuti sunt de opinione minùs probabili, non quæ talis sit

reduplicativè & formaliter in mente operantis, seu opinionem illam sequentis, sed quæ talis sit specificativè & materialiter, id est quæ à multis existimatur minùs probabilis, sic tamen ut eam sequens, & secundùm eam operans, omnibus prudenter consideratis, fundamenta ipsius existimet omninò probabiliora, ipsamque proinde absolutè judicet veram. Unde Suarez to. 2. de Censuris solùm appellat commune Dogma Theologorum, *unumquemque operari posse juxta suam opinionem probabilem* (sua namque opinio subjectivè est unicuique probabilior) non autem juxta quamcumque opinionem probabilem tam suam, quàm non suam. Hoc sensu (inquit) Suarez ipse l. 6. de legib. c. 8. n. 6. docet, *judicium probabile* (proprium utique) *in rebus moralibus sufficere ad prudenter operandum.* In eodem sensu Bartholomæus de Ledesma in Summario tract. de pœnit. diffic. 14. conclus. 5. cum Soto dicit, pœnitentem *posse perseverare in contractu, quem juxta probabilem opinionem Doctorum probatæ authoritatis licitum putat* (eorum opinionem ut propriam amplectens, veramque absolutè judicans) *contra aliorum tamen opinionem* (respectivè ad ipsos) *probabiliorem, & tutiorem.* Et Bassæus, citatus à Goffar in Compendio Bonacinæ, verbo *opinio*, expressè dicit, quòd solus ille, qui judicat opinionem probabilem esse veram, possit illam sequi contra probabiliorem. Nec certè multi ex præcipuis Probabilistis, qui rem ex professo discusserunt, disertè affirmaverunt licitum esse unicuique usum opinionis minùs probabilis de licito, etiam dum operanti appareat in actu primo minùs probabilis, tam ab intrinseco, quàm ab extrinseco, adeòque dum opinio illa operanti apparet probabiliùs falsa, quàm vera. Nec hoc probant præcipua fundamenta, sive à priori, sive à posteriori, quæ allegant. Cùm præcipuum fundamentum ipsorum à priori sit, quia operans secundùm opinionem probabilem prudenter operatur (movetur enim gravi & prudenti fundamento) implicat autem operari prudenter, & peccare. Præcipuum verò fundamentum à posteriori, est, quia intolerabile foret onus, & nimis crucians animos timoratorum, si opiniones probabiliores investigare teneremur. At neutrum fundamentum ampliùs probat (siquid probat) quàm quod proximè est dictum, utique prudenter agere, & non peccare eum, qui sequitur opinionem de licito, quæ vulgò æstimatur minùs probabilis, ipsi tamen operanti, omnibus prudenter discussis, videtur omninò vera, melioribusque fundamentis innixa. Utrumque verò adeò frivolum est, ad probandum quòd nemo teneatur sequi opinionem tutiorem, quæ post debitum & prudens examen, ipsi apparet longè probabilior, ut (sine textu expresso) præsumendum non sit insignes illos viros motos fuisse fundamento tam frivolo ad ita censendum. Et prius quidem fundamentum, quòd opinio aliquibus doctis videatur nixa gravi & prudenti fundamento, id est idoneo ad impetrandum prudentem assensum, ad summum probat ipsos secundùm eam operari posse, quia ipsis videtur probabiliùs vera; non autem aliis, quibus videtur probabiliùs falsa, quàm vera; respectu quorum proinde opinio illa non nititur fundamento idoneo ad impetrandum ab ipsis prudentem assensum. Posterius verò fundamentum ad summum probat neminem teneri ad sequendas vel investigandas opiniones absolutè probabiliores; sed planè imbelle est ad probandum, neminem teneri ad abstinendum ab usu opinionis minùs probabilis de licito, dum (post debitum examen) ipsi apparet probabiliùs falsa quàm vera. Denique ex ipsis plures solùm permittunt usum opinionis, sic minùs probabilis, ut sit simpliciter probabilis respectivè ad operantem. Hoc enim 1. 2. tr. 18. disput. 3. dub. 6. expressè requirit noster Cornejo, quem Paulus V. *verè dignum Ecclesiæ Dei Doctorem* appellavit. Hoc etiam requisierunt passim alii. Opinio verò de licito non est simpliciter probabilis respectivè ad operantem, cui, omnibus ritè pensatis, apparet longè probabiliùs falsa, quàm vera, sed secundùm quid ad summum. Quia in talibus circumstantiis, non est digna prudenti approbatione ipsius, sed eorum dumtaxat, quibus videtur probabiliùs vera, quàm falsa.

644 Itaque Probabilismus ideò factus est inter Noviores communis, quia omnes hujus sæculi Doctores ita censere alius post alium, falsò credidit Caramueli, Spinulæ, Bossio, aliisque nonnullis, id asserentibus. Falsò (inquam) quia ex ipsis plerique, iique Nobiliores, longè alio sensu, & suâ eruditione digniori, de probabilitate locuti sunt, quàm ipsi, uti de multis Thomistis ostendit Contensonus Th. ment. & cord. to. 3. dissert. 6. c. 2.

645 Sed tametsi, cum Probabilistis liberaliter agentes, ipsis concederemus turbam Recentiorum ferè omnium hujus sæculi, usque ad tempora Alexandri VII. equidem turba illa, cum totius Antiquitatis sensibus, cumque aperta ratione pugnans, nullius vel ferè nullius authoritatis esset, nec placitis suis probabilitatem, nisi fortè minimam, nedum certitudinem conciliaret. Quia hoc ipso turba illa errare convincitur, quòd à traditione, apertaque ratione recedere probatur. Et quamvis Probabilismus communis ac vulgaris esset in probabilistica Schola; equidem singularis est in Ecclesia, quæ non est ex illa opinione, sed suis vivit, semperque vixit legibus, eosque de moribus tenet ac tenuit sensus, quibus continuâ successione semper imbuta fuit, quosque vel ipsa ratio, Scholasticis tricis non præventa, facilè ex Scripturis, & ipso Christianæ Religionis spiritu elicit; cui & reliqui fideles (quibus comparati Probabilistæ pauculi homines sunt) immò vel ipsi Sapientes Gentilitatis naturalis luminis ductu consentiunt.

Non magnificanda proinde eſt authoritas ipſorum, non magnificanda opinio à communi Majorum authoritate recedens, prout Deus conſtare voluit ex variis Probabiliſtarum ſententiis communi ipſorum calculo receptis, ſed à reliqua Eccleſia improbatis. Itaque tametſi probabiliſtica opinio pro ſe haberet plures numero Authores præſentis ſæculi, noſtra equidem ſententia authoritate incomparabiliter prævaleret. *Neque* enim *ex multitudine Authorum quod melius & æquius eſt judicari debet* (ut dicitur in l. 1. §. *neque* C. de vet. jur. enucl.) ſed ex Authorum præſtantia, & pondere authoritatis ipſorum, ut Navarrus ſapienter obſervat in Manuali c. 27. n. 289. poſt Alexandrum & Ludovicum Gomez. Sententia verò noſtra ex hoc capite incomparabiliter prævalet ſententiæ probabiliſticæ. Quid enim ſunt centum, vel fortè ducenti Authores hujus ſæculi in comparatione omnium penè Doctorum ſæculi decimi-tertii, decimi-quarti, decimi-quinti, & decimi-ſexti? Quid in comparatione S. Thomæ, S. Bonaventuræ, Alexandri de Ales, Scoti, &c.? Quid in comparatione tot SS. Patrum, quos ſuprà retulimus? Quid in comparatione SS. Pontificum, mentem ſuam ſolemniter exponentium in Canonibus ſacris? Quid in comparatione Spiritûs ſancti nos docentis in divinis Scripturis?

646 Dicerene audebunt Adverſarii cum Gellotio ſuo & Reginaldo, doctrinam fidei à Veteribus, doctrinam morum à Junioribus potiùs eſſe petendam? At oppoſitum docet Spiritus ſanctus Hierem. 6. *State ſuper vias veſtras, & videte, & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea.* Quia, ut habetur Job. 12. *in Antiquis eſt ſapientia, & in multo tempore prudentia.* Confer quæ dixi Prologomeno... cap...

647 Quid plura? etiam reſpectivè ad ſolos Doctores hujus ſæculi ſententia noſtra authoritate longè prævalet. Si enim numerum urgent Adverſarii, quid ſunt 150. ab ipſis allegati adverſus pluſquàm mille Parochos, tot Cardinales, tot Archiepiſcopos, tot Epiſcopos, tot Eccleſiarum, Synodorum, Academiarum, etiam Pariſienſis & Lovanienſis aſſenſum? Si de pondere & præſtantia authoritatis ſermo eſt, etiam illi quos proximè nominavi, incomparabiliter prævalent. Quid enim ſunt privati illi in comparatione tot Eccleſiæ Rectorum, quibus dijudicandorum dogmatum authoritas divinitùs commiſſa eſt? Denique ſi attendere lubeat judicii gravitatem maturitatemque, nihil comparabile habent privatæ diſputationes privatorum hominum (è quibus plerique necdum ferventibus hiſce controverſiis ſcripſerunt; plerique etiam alii alios velut oves abſque diſcuſſione, imò, ut ſuprà dixi, ex falſa etiam ſuppoſitione ſecuti ſunt, in puncto pruriente auribus, in quo verendum eſt ne maturitatem judicii ipſorum elevaverit tentatio placendi hominibus) nihil (inquam) comparabile habent cum ſolemnibus tot Epiſcoporum judiciis, abſque illecebra tentationis placendi hominibus, imò cum fundata expectatione ſubeundi invidiam, odium, & calumniam hominum, authoritatem magnam habentium in Aulis Principum. Graviſſimis judiciis iſtis, ſi judicium adjungas ſapientiſſimorum illorum Cardinalium, qui Probabiliſmum, diù à ſe defenſum, poſt maturiorem conſiderationem abjurarunt, judicium etiam Generalis Societatis, aliorumque inſignium Theologorum de eadem Societate, deque aliis Religioſis Ordinibus, qui ea in re exemplum Cardinalium illorum imitati ſunt; ſimulque conſideres quòd nullus unquam alicujus nominis Theologus ſententiam noſtram ſemel ſuſceptam repudiaverit: proclive erit concludere, eamdem ſententiam noſtram pondere authoritatis, judiciique maturitate incomparabiliter prævalere.

Quid ad hæc Bartholomæus Fibus? dicet- 648
ne in iſtis omnibus deſiderari tria ad gravem authoritatem à Doctoribus requiſita: *ſcilicet* 1°. *excellentem peritiam in ea materia, quam non obiter, ſed accuratè Doctor pertractaverat.* 2°. *non ſuperbia præceps, nec præjudicio vel affectu in alterutram partem præoccupatum, ſed modeſtum, maturum & prudens judicium.* 3°. *vitam laudatam, & morum Chriſtiano dignam integritatem?* At hoc dicere, non eſſet ſapere ad ſobrietatem.

Iſta quidem, vel aliquod eorum, deeſſe 649
dicit Sinnichio (quem vocat infamem Religioſorum hoſtem, & inverecundum calumniatorem) Proſpero Fagnano (quem de ſcommatibus, & præoccupato accuſat affectu, peritiæque Theologicæ defectu) Stephano Gradio (quem poſt Honoratum Fabri, accuſat de immodeſtia in Jeſuitas, averſoque à Societate animo, ideòque dicit ipſum nullius, vel tenuis eſſe authoritatis) Vincentio Baronio, cui etiam nullam penitùs authoritatem tribuendam dicit in controverſia præſenti; quia, inquit, non eſt vir bonus (quicumque enim aliquibus è Societate fœda improperat, ut Bellarmino, Suario, Vaſquio, Leſſio, &c. non eſt vir bonus) Carolum etiam ab Aſſumptione, Carmelit. excalceat. in Gallobelgica Exprovincialem, immodeſtum vocat, & impoſtorem, &c. Sed nunquid modeſtè? nunquid ſobriè?

Siccine enim (vir bone) doctiſſimis Ca- 650
tholiciſſimiſque viris inſultas? Siccine fœda ipſis improperas? Siccine detrahis? Soline ergo illi alicujus ſunt authoritatis, qui placita ſequuntur Doctorum Societatis? Soline Jeſuiſtæ ſunt homines, cumque ipſis morietur ſapientia? Eſtne vir bonus qui hæc dicit? Eſtne audiendus, qui ſine probatione dicit? Taleſne virorum integerrimorum detractores tolerat Societas?

Proſper. Fagnanum, Sinnichiumque laudat 651
Card. Aguirr. laudat orbis univerſus: tu ſine ulla probatione calumniaris. Abbas Gradius, Bibliothecæ Vaticanæ Præfectus, S. Congreg. Indicis

Consultor, ab impacta sibi à Te, & Honorato Fabri, calumnia, egregiè se purgat, suumque, & parentis sui, patruique erga Societatem Jesu studium, officiaque optima demonstrat in disput. de opin. probab. c. 2. ipsumque virum doctissimum, modestiamque ipsius, soliditatem atque subtilitatem in tractando gravissimo de probabilitate argumento, collaudat Laurentius Bulbulus Cler. Reg. Min. ejusdem S. Congregationis Consultor à Reverendissimo P. Magistro S. Palatii ad examen istius disputationis deputatus. Et verè collaudat: modestia namque ipsius, officiosaque humanitas, & eruditio toto isto opere mirificè resplendet, nec nisi modestos eruditosque ad Censoris officium S. Pontifex, vel S. Congregatio admittere solet: tu ipsum nihilominùs, absque ulla causa, de immodestia, defectuque Theologicæ doctrinæ adeò vituperas, ut ipsi *nec tenuem quidem* authoritatem tribui patiaris.

652 Vincentium Baronium, in suo ad S. Congregationem suffragio, purgat, immò commendat Abbas Gradius, unus ex sex Romanis Theologiæ Consultis, quibus Ethicen Baronii examinandam, jussu Alexandri VII. S. Congregatio Indicis commisit: *In hoc* (inquit) *Scriptore elucet studium pietatis, & honestatis, multa eruditio, solida & profunda doctrina, sana & pura, quæ à nemine in suspicionem erroris ulla ex parte vocetur.* Nec ibi tantùm, sed & in citata disput. de opin. probab. ipsum purgat à fœda impetitione virorum illustrium Societatis, Bellarmini, Suarezii, &c. Nam cap. 4. *Ego* (inquit) *benignè judicavi, post perlectum diligenter ejus librum*, quæ in Suarezium impetu disputationis abreptus dicit: quia eo in libro *Suarez vir egregius passim audit, & optimè de Ecclesia meritus. Unus D. Thomam imitatus, mysteria fidei, fundamenta pietatis, novis argumentis confirmat, eruditione illustrat... Recentiorum prudentissimus... dignus elogiis, quibus à suis honestatur, &c.... Nihilominùs, quæ adversus alios ejus Ordinis Scriptores hoc libro dicuntur, dicta videri debent adversus Ordinem ipsum, quem honorificis ubique verbis ab illo appellatum animadverti.* Et c. 36. *Bellarminum novies omninò appellatum animadverto, reverenter ubique & honorificè, & planè ex tanti viri dignitate*, &c. Ipseque Baronius Ethices Christ. to. 2. disput. 3. sect. 1. n. 26. apertè falsa esse ostendit, quæ Honoratus Fabri ipsi objicit *convicia in Suarem, Bellarminum, aliosque illustres Societatis viros*, quos (inquit) *Honoratus non potest monstrare, extra inculpatam nostræ scholæ tutelam, vel uno verbo fuisse meis libris lacessitos.* Post hæc omnia Baronio Fibus *nullam penitùs attribuendam dicit authoritatem.* Quia *non est vir bonus.* Sed æquius de ipso judicium tulerunt, cum Gradio, alii (ipso teste) Romani Censores, nominatim Joannes Nicgeus, Estensis Cardinalis Theologus, & Oliverius Planketus, quem Clemens IX. *virum probatæ virtutis, consummatæ doctrinæ, diuturnæ experientiæ, in ipsa Urbis Romanæ luce omnibus dotibus conspicuum* declaravit, ideòque Archiepiscopum Armacanum, totiusque Hiberniæ Primatem constituit. Qua in dignitate, in odium fidei die 1. Julii anno 1681. martyr occubuit, prout videre est apud Richardum Arsdekinum ad calcem suæ Theol. tripart. Vir ergo talis & tantus in suo suffragio ad S. Congregat. Vincentium commendat, ob eruditionem, ob docilitatem, ob *doctrinæ soliditatem, & raram in rebus Theologicis elegantiam.* Librumque ipsius Augustinus Congregat. Sommas. in suo pariter suffragio approbat, *tamquam instructissimum armamentarium adversus grassantes hâc tempestate probabilium opinionum laxitates, christianæ vitæ relaxativas*, id solum in eo corrigendum censens, quòd censuram Facultatis Parisiensis ab Alexandro VII. prohibitam citaverit, licèt ignorans prohibitionem.

Supereſt Carolus noſter ab Aſſumptione, 653
quem *Pſeudophilalethem* vocat, *impoſtoremque*: eò quòd *per impoſturam ſibi attribuat nomen Philalethis, competens Jacobo Platelio Soc. Jeſu.* Sed quò majori jure ſibi Philalethis nomen Platelius aſſumpſit, quàm Carolus? Cur ideò iſte impoſtor, potiùs quàm ille? Futilia iſta ſunt, quibus confutandis non lubet diutiùs immorari, nec reſpondere Franciſco de Fourmeſtraux (quem Fibus allegat) Cùm ei Carolus ipſe ſolidè reſponderit in Triumpho Thomiſtarum firmato.

CAPUT LIII.

Corollarium tertium. Quo oſtenditur ſententia noſtræ Patronos Probabiliſmum non rejicere ex malevolo ac amaro in Societatem animo, neque ex affectu ad novitates, vel damnatam doctrinam.

TErillus in præfatione ſui Tractatûs de Re- 654
gula Morum, & poſt eum Fibus, non contenti aſſerere, ſententiam noſtram aliam matrem non agnoſcere, quàm hæreſim Janſenianam (cujus patentem falſitatem evidenter oſtendimus c. 51.) ad ampliùs elevandam authoritatem Patronorum ſententiæ noſtræ, quæ petenda eſt ab eorum doctrina & probitate. *Si* (inquiunt) *conſtiterit eam animo alieniore, aut paſſione aliqua mentem turbante, ſententiam ſcripto traditam, typiſque mandatam fuiſſe, ſi certum ſit, eandem non diſſimili impetu hodie in animis quorumdam conſervari, eiſdem ſtudiis, & quaſi factioſis progreſſibus, diſcipulorum mentibus imprimi; ſi contraria... quaſi Societati propria, in ludibrium Ordinis, & contemptum doctrinæ, buccis crepantibus, ab Adverſariis animoſè deprædicari notum fiat; eo ipſo Authorum illorum authoritatem languere, & ad probabilitatem ſuis aſſertis conciliandam, parum, aut nil momenti habere, certum erit. At hic eſt caſus noſter: nam veri-*

tatem hac in re testatam, res, non clanculùm gestas, sed historiam ante mundi fermè totius oculos exhibitam refero. Evidens enim est, & flens dico, primos Authores, acriores fautores, & seduliores promulgatores oppositæ doctrinæ, nostræ utique (*pauculos excipio....*) *aut hæresis Jansenianæ certissimos fautores, eâdemque fortè infectos. Sed potissimè constat, plures eorum, ne dicam fermè omnes, malevolentissimo ac amaro nimis animo in Societatem Jesu, ejusque Authores, affectos fuisse, & hanc de sequenda opinione probabili, tutiore relictâ, sententiam, tanquam crimen intolerabile, & doctrinam animis Christianorum perniciosam, in opprobrium Ordinis, in ejus Authoribus ubique obviam, & quasi propriam, & caput accusationis non infimum protulisse. Atque utinam, aut eâdem, aut non multùm inferiore animositate & malevolentiâ, quæstionis causa apud multos non conservaretur & propagaretur*, &c.

655 Hactenùs Terillus, sed insigniter regarduendus, quia insigniter ac multipliciter peccat. Primò in eo quòd conviciante magis levitate, quàm convincente veritate, dicit, esse *evidens primos Authores, & seduliores promulgatores doctrinæ* Probabilismum rejicientis, *homines esse ac fuisse, aut novitatibus addictos, aut hæresis Jansenianæ certissimos fautores, eâdemque fortè infectos.* Non debuit hoc Terillus evidens dicere absque evidenti probatione, aliàs de plectenda calumnia convincitur, uti optimè Julius Clarus l. 5. sect. 5. §. *injuria*, probat ex L. *si non.* C. de injuriis. L. *nostris* C. de calumnia, & cap. *cùm dilectus* l. 5. decretal. de calumniat. Terillus verò non solùm absque evidenti, imò absque ulla probatione id dicit, nullam quippe profert, nisi testimonium Caramuelis. Quod nullum est, tum quia *testis unus, testis nullus.* Tùm quia non est omni exceptione major; utpote malevolentissimi in Lovanienses animi, ob id quòd aversarentur novitia opinamenta ipsius. Tùm quia insuper corrupti in multis judicii, prout manifestum faciunt portentosæ ipsius laxitates. Quas quia Lovanienses improbarunt, ipsos, alioſque viros integerrimos, atque ex ipsis Prosperum Fagnanum, plectendâ temeritate non erubuit velut Jansenistas traducere, prout videre est in scriptis ipsius.

656 Deinde Terillianam illam criminationem calumniosam esse certissimum est, non solùm ex dictis cap. 51. verùm insuper ex Thyrso Gonzales, Societatis Generale, qui in Introductione ad suas Dissertationes de recto usu opin. prob. ostendit, è Societate prodiisse primos impugnatores Probabilismi; quos inter exhibet Rebellium, Comitolum, Bellarminum, Andræam Blancum, imò & Molinam. Vel ergo Terillus calumniatur; vel præclari isti Societatis Theologi, ipse etiam Societatis Generalis, *Jansenianæ hæreseos certissimi fautores* fuerunt. Si non ipsi, cur potiùs alii capite illo 51. laudati? Dicerne fortassis, istos alios fuisse amaro in Societatem animo, ex solaque amaritudine illa, & in Societatem malevolentia, Probabilisticam doctrinam velut Societatis propriam impugnasse? At præterquàm quòd hoc non sit Jansenistam esse, vel hæreticum (nisi Jesuiticâ linguâ Jansenista sit, vel hæreticus, quisquis Sociorum placita refellit) illud ipsum absque violatione justitiæ & charitatis Terillus asserere non potest. Siquidem *charitas non cogitat malum.* Estque contra justitiam & charitatem, actionem quæ ex diversis prodire potuit principiis, bono & malo, temerè asserere quòd prodierit ex malo; vel quòd prodierit ex passione, amaritudine & odio, quæ prodire potuit ex tuendæ veritatis studio, propugnandæque Ethices Christianæ zelo.

Quid est igitur, Terille, quòd sacratissima- 657
rum charitatis ac justitiæ legum immemor fuisti? immemor & Angelicæ doctrinæ 2. 2. q. 60. a. 4. *Ex hoc ipso quòd aliquis habet malam opinionem de alio, absque sufficienti causa, injuriatur ei, & contemnit ipsum?* Indicia manifesta ad judicandum malè de proximo, S. Augustinus, S. Thomas, aliique sancti Doctores postulant. Ubi sunt manifesta indicia amari in Societatem animi, in tot illis sapientissimis Ecclesiæ Principibus & Scriptoribus integerrimis, eodem illo capite recensitis?

Si Probabilismum confutaverint, velut corruptelarum multarum radicem, velut proinde animarum saluti pernicioſum, estne istud manifestum indicium amari in Societatem animi? Estne vel umbra illius? Ne istius quidem amaritudinis sufficiens foret argumentum, licèt Probabilismum confutassent, velut *Societatis* doctrinam: cùm vel ipsi Socii, Fibus, Rhodius & alii, doctrinam de licito usu opinionis minùs probabilis, minùsque tutæ, dicant esse *omnium totius* Societatis Doctorum.

Hoc ego non dico: neque enim verum est, 658
nec Societati honorificum; nec istam doctrinam Societas fecit suam, prout in Congregatione Generali XIII. anno 1687. Decreto XVIII. solemniter declaravit. Nec ullum scio Antiprobabilistam, qui eam totius Societatis esse dicat, vel propriam Societatis, nisi hoc sensu, quòd major pars Sociorum, majori præ cæteris studio, majori propugnet ardore, ardore utique tanto, ut à conviciis & odiosis notis non abstineant in eos qui contrariæ sunt opinionis, sed eos velut *Jansenistas, Rigoristas & Novatores*, tam in isto celebri puncto, quàm in aliis hodiè solemniùs agitatis, temerè traducant, adhuc post formale præceptum, quo id *in virtute S. Obedientiæ* Innocentius XI. prohibuit; post Decretum etiam quo Innocentius XII. *ad præcavendas omnes dissidiorum causas, quæ christianam pacem dilacerant*, quantùm in Domino potuit, inhibuit, *quemquam vagâ istâ accusatione, & invidioso nomine Jansenismi traduci, aut nuncupari, nisi prius suspectum esse legitimè constiterit* (*servato* utique *juris ordine*, uti paulò post exponit) *aliquam ex damnatis* quinque *propositionibus docuisse*,

aut tenuisse. Utinam isto in puncto suam erga Pontificia Decreta obedientiam desiderari non facerent Socii quamplurimi! Utinam suam ipsi in alios malevolentiam amaritudinemque per hoc non demonstrarent! Quid commune habet Antiprobabilismus cum Jansenismo? Probabilistas ab unanimi priscorum Patrum, veterumque Theologorum doctrina recedere, demonstravimus suprà. Cùm ergo Novatores sint, qui ab unanimi veterum Patrum Theologorumque doctrina recedunt; Novatores non sunt Antiprobabilistæ (prout ipsis Terillus imponit) sed ipse potiùs, cum Probabilistis suis.

659 Denique dato, non concesso, quòd ex Antiprobabilistis aliqui Jansenistæ forent, seu damnatarum quinque propositionum, vel alicujus ex ipsis Defensores (sanctè ego jurare possum, nullum me nosse talem; & ne unum quidem, saltem è Belgio Catholico, talem coram Pontificio Tribunali, sub Innocentio XII. probare potuit, ad id probandum in judicio contradictorio diù & sæpiùs provocatus P. Desirant, tametsi ad id probandum ab Illustrissimo D. Archiepiscopo Mechlinienſi Romam ablegatus) jurene Terillus hoc Antiprobabilistis omnibus, vel ferè omnibus tribuit? Quo amabo jure? Quo jure Socii tam multi Terillum in eo imitantur, unius vel paucorum excessum (si tamen hoc verum est) toti Corpori tribuentes, uniusque membri dedecus in totum Corpus refundentes? Cur aliis faciunt, quod sibi fieri nolunt? Ipsine patiuntur toti Societati adscribi vitia & excessus quorumque privatorum è Societate? An non hoc est hæreticos imitari, qui privatorum Ecclesiæ filiorum excessus, in totam refundunt Ecclesiam Romanam? *Quid absurdius* (ait piissimus pariter & doctissimus Contensonus to. 3. dissert. 6. c. 2. pag. mihi 811.) *quàm omnes Adversarios tamquam unum hominem spectare, & unius errores omnibus indiscriminatim asserere?* Ergo dignus est qui ridiculus vel imbellis apud omnes audiat, qui omnes vel ferè omnes Antiprobabilistas Jansenianos vocat, vel dicit Antiprobabilismum aliam matrem non habere nisi hæresim Jansenianam. Si aliam non habet matrem, nisi hæresim illam: igitur Antiprobabilistæ omnes, etiam Socii plerique, cum Generali suo Thyrso Gonzales, sunt hæretici Jansenistæ. Quod enim Fibus respondet, *matrem posse veneficam esse, ut filia non sit*, non solvit argumentum. Quia non omnis filia sagæ, est filia ipsius quatenùs saga est. Omnis verò filia hæreseos Jansenianæ (in abstracto, ut Terillus loquitur) est filia hæretici Jansenisti, quà talis est. Sicut omnis filia superstitionis sortiariæ (in abstracto) est sortiaria, seu saga. Plus enim est filiam esse superstitionis sortiariæ (in abstracto) quàm superstitiosæ sortiariæ in concreto. Et similiter plus est esse filium, vel filiam hæreseos Jansenianæ (in abstracto) quàm hæretici Jansenisti in concreto. Nam sicut ex falsitate nihil nasci potest nisi falsum; sic ex hæresi nihil nisi hæreticum nasci potest: tametsi aliquis non hæreticus ex hæretico nasci queat.

Ecce Terillus authoritatem suam labefactavit, prodiditque se exceptioni obnoxium, illâ suâ inconsideratâ tam atrociter innocuos censurandi temeritate. 660 Et utinam in eo solus esset! Sed sicut in eo plures Antesignanos habuit, scilicet Casuistarum Apologistam, Honoratum Fabri, &c. sic plures habet consectaneos, v. g. Bartholomæum Fibum, & Rhodium, seu Georgium de Rhodes, qui, licèt aliàs vir eruditus, atque ob præclaras animi dotes commendabilis, disput. 2. de actib. hum. 661 q. 2. sect. 3. hac ipsa in materia usque adeò excessit, ut §. 1. Antiprobabilistas, id est suum inter alios Generalem, Cardinales Bellarminum, Pallavicinum, &c. conviciari non vereatur, velut *novos Reformatores Theologiæ, & Ecclesiæ, vanissimos & imperitissimos sanè homines, non intelligentes communem Theologiæ vocem, cujus ipsi micam nullam habent.* Et §. 2. *tamquam Jansenianos*, & tamquam *turpissimè errantes, deserentes semitas judicii ac justitiæ, ut ambulent per salebras, duce per ditissimæ famæ homine, damnato per judicium Ecclesiæ.* Quid est amarum in Antiprobabilistas animum demonstrare, si eum tam amarulenta non demonstret censura? Quam cum laudato Contensono sic visum est amicè refellere: *Non credebam Probabilistas, qui uni benignitati student, quivè flexibilibus institutis, ac lenimentis, omnes ad se alliciunt, neminem submovent, tam citò, tam dirè stomachum commovere suum, & in Adversarios iram ipsorum erumpere adeò acerbam, à quibus ex Probabilismi præjudiciis, nihil nisi melleum, nihil nisi urbanum meritò expectari posse videbatur. Verùm à mansuetudinis lege, sicut ab aliis solet, dispensare probabilitas potest pro domo sua. Quamquam autem tam amarulenta Adversarii ex imperiu loquentis censura, adeò anticipatæ mihi de Probabilistarum lenitate, & remissione, opinioni contraria, vehementem objurgationem, & fraternam correctionem merebatur; tamen ex imposita mihi christianæ modestiæ lege non solum visum est mihi cum ipso agere remissè, sed etiam amicè. Tum quia multa alia ab illo Authore piè scripta scio*, quæ debitâ laude frustrari non debere libenter agnosco. *Tum quia rixas & contentiones ægrè fero. Tum in reverentiam almæ Societatis, quæ ipsum in Christo genuit. Cujus profectò existimationi non satis consuluisse videtur Adversarius, dum in limine sectionis, suam sententiam appellat* doctrinam Theologorum Societatis: *cum certum sit ab ea plures longè gravissimos Societatis Theologos, vel abhorrere planè, vel etiam variis limitibus coërcere.... Tum demùm & potissimùm, quia ex probabilioris & tutioris sententiæ (cui adhæreo) decretis, non convicia conviciis reddere, sed maledicentibus benedicere; non malum pro malo reddere, sed cum omnibus pacem habere; non vinci à malo, sed vincere in bono malum tenemur.*

tenemur. Siquidem *maledici regnum Dei non poſſidebunt.* Et, ut Caſſiodorus l. 1. epiſt. 27. *ad injurias illi profiliunt, qui ſe ſuperatos turpiter erubeſcunt.* Denique Gregorius l. 8. Moral. c. 2. damnat eos, *qui de Deo, qui eſt pax noſtra, pacificè loqui neſciunt. Et certè ſi Chriſtiani Theologi & Sacerdotes diſputationes excitent de animi rancore deſcendentes, ſi ſcribant ſtylo verborum atrocitate ferreo, felle amaro, morſibus ſævo, unguium laceratione violento, non Theologi, ſed maledici nomen merentur.*

662 Sed lubet cum eodem Contenſono ſingula quæ Rhodius dixit brevi commentario percurrere. Fateor Antiprobabiliſmum *novam quorumdam* Recentiorum *Theologiam reformare, ſed perennem & incorruptum Eccleſiæ de moribus ſenſum abſque ulla innovatione conſervare. Quia, ut præclarè dicebat Epiſcoporum præcedentis ſæculi gemma, Bartholomæus à Martyribus:* VERBA DEI ET SANCTORUM PROMULGATA NON SUNT, UT VARIENTUR CUM TEMPORE, SED UT ILLIBATA PERMANEANT IN OMNI TEMPORE, ET EIS SERVIANT OMNIA TEMPORA. *Eccleſiæ doctrinam non indigere reformatione, contra impios Lutheranos & Calviniſtas pronuntio; ſed Caſuiſtarum multorum laxitatem per irreformabilem Eccleſiæ doctrinam non reformandam, nemo niſi deformatiſſimus negare poteſt. Deſiderium reformationis diſciplinæ morum collapſæ, luculentiſſimis verbis ſignificavit ſacrum Tridentinum Concilium ſeſſ. 6. cum hujus ſacroſancti Concilii præcipua cura, ſollicitudo & intentio ſit, ut propulſatis errorum tenebris.... ea quæ reformatione indigent, reformentur,* ut ibi dicitur.... *Vide quam à S. Concilii mente abſint Probabiliſtæ. S. Synodus præcipuâ curâ, ſollicitudine & intentione quæ reformatione egent, reformari avet. Probabiliſta de emendandis moribus, de reformanda laxitate, de inſtaurando, & pro viribus reſtituendo primitivæ Eccleſiæ Spiritu.... nullam unquam cogitationem ſuſcipiunt;* imò ſuſcipientibus velut Novatoribus, Janſenianis, Rigoriſtis inſultant, Rhodianoque ſtylo *reformatores Eccleſiæ & Theologiæ vaniſſimi & imperitiſſimi audiunt.*

663 *Nec hoc tantum, non intelligunt (inquit)* COMMUNEM THEOLOGIÆ VOCEM. *Cujus, quæſo, Theologiæ? Thomiſticæ, Scotiſticæ,* Sanctorum *?* At noſtra hæc Theologia Sanctorum eſt, pro eaque *D. Thomas, & Scotus Scholæ Principes ea oracula tradiderunt, quæ non eſſent apertiora, ſi eſſent radiis ſolaribus ſcripta. Cujus (inquam) Theologiæ vocem ignoramus, qui veterum Theologorum omnium, nemine excepto, & Recentiorum multorum, longè præſtantiſſimorum, venerando choro ſtipati, Probabiliſtarum laxitatem reprimimus?.... Et poſt hæc, ſi Superis placet, communem Theologiæ vocem, ipſa etiam Theologiæ elementa & rudimenta, ignorant Aquinas, Scotus,* totque alii ſuprà recenſiti. *Non oportet, mi Georgi, fruſtrà aërem verberare, non campos verborum captare, in quibus ventosè & inaniter calamus excurrat, vel ſaltem ingenitâ Probabiliſtis dulcedine deſertâ, nos nihil tale meritos exaſperare, ſed ſeligere argumenta, quibus efficias Theologiæ vocem ab eis ignorari, qui duos Theologiæ Coryphæos, priſcoſque Theologos omnes, ſuæ habent doctrinæ fidejuſſores, probabilioris ſententiæ pro lege contra libertatem neceſſariò ſequendæ ſuffragatores, Probabiliſmi impugnatores.*

Nullam equidem nobis Theologiæ micam 664
concedit Adverſarius. At ſicut *Scriptura & Patres divitem Epulonem, Lazaro præ tumore denegantem micas, reprehendunt, & canum lambentium vulnera pietatem... laudant: ita iidem Patres, Catholicos verborum amarore Adverſarios mordentes reprobant; hæreticos verò humaniùs, urbaniùſque, more canum lambentes à comitate laudant. Deſideraſſem Adverſarium hanc temperatam agendi rationem fuiſſe æmulatum, nec paſſum ſe humanitate ab infidelibus Adverſarios ſuos benignè impugnantibus ſuperari. Quia timere debet omnis doctus, ne in illam incidat ſuperbiam, quæ, ut ait Gregorius hom. 4. in Evang.* " dum doctrinam legis non ad charitatem habet, ſed ad elationem, quaſi de acceptis opibus tumet. Et quia ei verba defluunt de ſcientia, quaſi micæ cadunt de menſa. " Ne id ergo contingat, *diſcant docti Adverſarios ſuos non floccifacere, non inſultando contemnere, ſed rationum momentis aggredi, & expugnare. Non decet mulierecularum more, ubi deſunt argumenta, oppoſitos Authores* turpiſſimè errantes, *deſerentes* ſemitas judicii, ambulantes per ſalebras *appellare: quaſi verò deeſſent nobis acriora verba, quibus eadem probra in Adverſarium regereremus, niſi linguam & calamum patientiſſima chriſtianæ modeſtiæ præcepta continerent. Quòd verò nos Janſenianos appellat, ut noſtræ ſententiæ invidiam creet, ſuprà depulſum eſt.* Et infrà pag. 838. *Impertinens eſt illa Janſeniſmi accuſatio, quam damnatione Apologiæ Caſuiſtarum in Janſeniſtas, ipſe Alexander VII. detulit... Puerilis eſt, undique rimas agit, & è trivio tota ſumpta eſt hæc cantilena.... Si bonis rationibus Probabiliſtæ, ex miſera ſuæ cauſæ conditione, carent, ad lutulenta & inepta convicia..... mulierecularum more non veniant... Eam ſaltem modeſtiam, gravitatem, urbanitatem præ ſe ferant, quas in ſcriptionibus ſuis hæretici non omninò feroces vix patiuntur deſiderari.*

Hæc Rhodio Contenſonus. Hæc ego Te- 665
rillo, Fibo, cæteriſque Antiprobabiliſtas de Janſeniſmo, Novatiſmo, malevoloque in Societatem animo perperàm accuſantibus. Ad me quod attinet, ſi contra nonnullorum è Societate Probabiliſmum, ſeu alias opiniones, ut mihi videtur, laxiores, divinæ gloriæ, ſalutiſque animarum zelo ſuccenſus ſcribo, ſincerè proteſtor, me id non facere ex malevolo in Societatem animo (utpote quam amo & veneror, amavi & veneratus ſum ab incunabulis. Iſtum quippe amorem veluti cum lacte ſuxi, Religioſis Societatis in pueritia & adoleſcentia mea uſus pro directione animæ meæ) ſed ex gemino illo zelo, eoque ani-

habitu, quem in omnibus postulat Augustinus dicens: *Diligite homines, interficite errores. Sine superbiâ de veritate præsumite. Sine sævitia pro veritate certate.* Absit proinde ut propositum mihi sit personas sugillare, sed exerrationes dumtaxat. Scio enim quòd opiniones illas Viri religiosissimi non tradiderint, ut Ethices Christianæ puritatem corrumperent, sed ut infirmis conscientiis consulerent, hominumque imbecillitati se accommodarent, indulgentiâ molliori, ne immoderata severitas peccata multiplicaret. Quia tamen mihi videntur non satis providisse, ne humanæ imbecillitatis remedium, ab ipsis excogitatum, valeret in majus animarum detrimentum, amaro in Societatem animo tribuenda non est opinionum illarum confutatio: maximè cùm de Societatis honore, deque communi Ecclesiæ bono sit, ab ejusmodi opinionibus abstinere, plurimùmque utrique noceant, nec parvum Societatis existimationi vulnus infligant, illi è Societate, qui eas animosiùs propugnant, prout in Gallia Societas experta est, tempore Alexandri VII. dum Casuistarum prodiit Apologia, Amadæus Guimenius, &c. Idque observavit sapientissimus Societatis Generalis Mutius Vitelleschius, ideòque ad omnes Provincias 4. Januarii 1617. scripsit, quòd *nonnullorum ex Societate sententiæ (in rebus præsertim ad mores spectantibus) plus nimio liberæ, non modò periculum esset, ut ipsam everterent, sed ne Ecclesiæ Dei insignia adferrent detrimenta.* Quemadmodùm ergo malevolo sapientissimi istius Generalis in Societatem animo tribuendum non est, quòd id scripserit; sic amaro in Societatem animo jure non tribuitur, quòd contra ejusmodi opiniones scribant, ne & Societatem evertant, & ingentia Ecclesiæ Dei detrimenta adferant. Quo igitur fundamento Terillus & Fibus scripserunt, omnes ferè Antiprobabilistas *malevolentissimo & amaro nimis in Societatem, ejusque Authores animo affectos fuisse*, dum contra Probabilismum scripserunt? Quâ freti authoritate, publico velut Societatis nomine, inimicitias denuntiant omnibus ferè impugnatoribus Probabilismi? Sine causa & authoritate id faciunt, nec publicam Societatis causam agere censendi sunt, nisi id sibi à Societate commissum doceant: cùm ne præcipuorum quidem Societatis Scriptorum, ut Suaresii & Vasquezii causa, causa sit totius Societatis, nec totam Societatem impetat, quisquis impetit Suarem. Et, ut sapienter Abbas Gradius cap. 3. *Non video, quid aliud publica Societatis causa esse debeat, quàm quod communiter interest pacis Ecclesiæ, & fidelium ædificationis, & animarum salutis, &, ut uno verbo complectar omnia, majoris Dei gloria. Neque enim non modò seipsum, sed ne Cœtum quidem suum universum*, seu Societatem, *Princeps*, & Fundator illius Ignatius *seorsim spectasse dicendus est: cùm omnibus actionibus suis omnibusque consiliis, splendidum hunc & plenum dignitatis titulum præfixit:* AD MAJOREM DEI GLORIAM. Proinde quisquis agit vel scribit contra errores aut laxitates, ad majorem Dei gloriam, eumdem cum Societate, & Societatis Principe scopum habet, sicque interficit errores, ut homines errantes amet, optando cum Ecclesia, ut in viam redeant veritatis.

CAPUT LIV.

Assertio nostra ultimò probatur multiplici ratione. Prima est, quia quisquis agit, quod sibi, spectatis omnibus, probabiliùs apparet illicitum, contra conscientiam agit.

ESse illicitum agere contra conscientiam, 666
constat ex Apostolo Rom. 14. *Omne quod non est ex fide, peccatum est.* Necnon ex cap. *litteras*, de restitut. spoliat. *Quidquid fit contra conscientiam, ædificat ad gehennam.* Quòd autem contra conscientiam agat, quisquis agit quod sibi, spectatis omnibus, probabiliùs apparet illicitum, ratio est

1°. quia facit quod conscientia dictat non 667
esse faciendum. Si enim conscientia dictet, faciendum non esse, quod æquè probabiliter illicitum apparet, quàm licitum (secundùm principium istud lumine naturæ notissimum, communique sacrorum Eloquiorum, Pontificum, Patrum, Scholasticorum, immò Judæorum etiam atque Ethnicorum traditione firmatum: *Nefas id agere, quod dubites, æquum sit, an iniquum*) multò magis dictat, faciendum non esse, quod probabiliùs illicitum apparet, quàm licitum.

2°. quisquis bonæ menti, rationique sibi 668
cognitæ non obsequitur, sed reluctatur, reluctatur lumini & judicio intellectûs sui. Reluctatur ergo conscientiæ suæ, & contra eam agit. Sed quisquis agit quod sibi, spectatis omnibus, apparet probabiliùs illicitum, bonæ menti, rationique sibi cognitæ non obsequitur, sed reluctatur; imò bonam mentem, cognitamque sibi rationem prodit, id faciendo, quod bona mens, & ratio (quam veram esse cognoscit, vel certè verisimiliorem) dictat non esse faciendum. Ergo, &c.

3°. quisquis agit, quod sibi probabiliùs 669
apparet illicitum, agit contra lumen & judicium practicum intellectûs sui, quod habet, vel potest & debet habere. Igitur agit contra conscientiam quam habet, vel potest & debet habere. Si enim practicè judicet secundùm momenta rationum & authoritatum sibi propositarum, judicat illicitum esse quod agit. Agit proinde contra conscientiam quam habet. Si verò non judicet secundùm momenta rationum & authoritatum sibi propositarum, potest equidem, debetque secundùm ea judicare, ut officium impleat boni Judicis, qui verum non fingit, nec sententiam fert ex arbitrio suo; sed secundùm quod sibi videtur rationi, & æquitati, & veritati magis consonum. Tunc proinde si non agat contra conscientiam, quam habet, agit contra conscientiam

tiam quam habere debet, si conscientiam contra conscientiam non formet, neque eam formet ex arbitrio suo, sed secundùm momenta rationum sibi propositarum. Agere verò contra conscientiam, quam habes, & agere contra conscientiam, quam habere potes & debes, paria sunt. Quia licèt in secundo casu non agas formaliter contra conscientiam, agis virtualiter & interpretativè, ut in simili vidimus agendo de peccatis ignorantiæ, docetque S. Justinus in explicatione qq. Gentium, responso 140. cùm dicit ignorantiam Christi culpabilem, quâ homo Deum ignorat, cùm nosse facilè posset, deberetque, in Scriptura dici scientiam cognitionemque. Quod probat ex Joan. 7. *Et me scitis, & unde sim, scitis*, id est (ait Justinus) *scire & cognoscere potestis; de facto enim illi ignorabant Christum.* Quemadmodùm ergo paria & æquipollentia sunt, scire & cognoscere Christum, ipsumque scire ac cognoscere posse & debere; sic paria & æquipollentia sunt, habere conscientiam illiciti, ipsamque habere posse & debere. Per consequens paria & æquipollentia sunt, agere contra conscientiam, quam habes de illicito, & agere contra conscientiam, quam habere potes & debes.

670 4°. quisquis agit contra agnitum dictamen rectæ rationis, agit contra conscientiam. Sed quisquis agit secundùm opinionem minùs probabilem de licito, contra probabiliorem de illicito, cognitam ut talem, agit contra agnitum lumen rectæ rationis. Scit enim quòd recta ratio dictat, opinionem probabiliorem de illicito, cognitam ut talem, in judicando & agendo præferendam esse opinioni minùs probabili de licito, cognitæ ut tali, conscientiamque potiùs formandam secundùm opinionem verisimiliorem, quàm falsisimiliorem. Contrarium tamen facit. Facit ergo contra agnitum dictamen rectæ rationis.

CAPUT LV.

Secunda assertionis nostræ ratio est quia, ad licitè operandum, necessarium est prudens & rationabile judicium de honestate operationis. Intellectus verò prudenter & rationabiliter judicare nequit honestam operationem, quæ sibi probabiliùs apparet inhonesta, quàm honesta.

671 MAjor certissima est. Tum quia *omne quod non est ex fide*, id est conscientiâ prudenter formatâ, *peccatum est.* Tum quia conscientia de licito prudenter formari nequit secundùm alienum judicium, sed secundùm proprium prudenter conceptum. Proinde non secundùm alienam opinionem, sed secundùm suam. Quia, ut S. Thomas ait 2. 2. q. 17. a. 2. *homo in iis quæ ad propriam personam pertinent, debet formare conscientiam ex propria scientia.* Ut ergo formare possit conscientiam de licito secundùm aliorum opinionem, debet opinionem istam facere suam per prudentem assensum. Nemo enim prudenter operatur secundùm opinionem quam prudenter non habet. Et quæcumque opinio de licito, non est digna prudenti approbatione intellectûs ipsius, digna non est prudenti approbatione voluntatis ipsius. Nec potest voluntas in operando prudenter se conformare opinioni, cui intellectus prudenter se conformare non potest in judicando. Voluntas quippe non potest honestè & prudenter operari, nisi secundùm dictamen conscientiæ. Cùm igitur conscientia hominis non sit regula primaria honestæ operationis, sed secundaria dumtaxat, applicans & manifestans ipsi regulam primariam, legem scilicet æternam, & regula secundaria non sit recta, nisi sit vel prudenter credatur conformis primariæ; homo non potest prudenter formare conscientiam secundùm opinionem de licito, nisi judicet eam veram, adeòque legi æternæ conformem, quatenùs id affirmat licitum, quod secundùm legem æternam est licitum. Si enim judicet opinionem illam esse falsam, judicat esse regulam pravam & distortam, utpote difformem regulæ primariæ. Si autem dubitet verane sit, an falsa, dubitat an sit regula recta, an distorta. Non potest ergo licitè eam sequi. Cùm prudenter sequi nequeat regulam secundariam, nisi quam prudenter judicat esse regulam rectam & veram, seu primariæ conformem.

Minor verò propositio, videlicet quòd in- 672
tellectus prudenter & rationabiliter judicare nequeat honestam operationem, quæ sibi probabiliùs apparet inhonesta, quàm honesta, probatur 1°. quia intellectus prudenter & rationabiliter judicare non potest honestam operationem, quæ sibi æquè probabiliter apparet inhonesta, quàm honesta, uti demonstratum est à num. 110. ad 129. Multò ergo minùs prudenter judicare potest honestam operationem, quæ sibi probabiliùs apparet inhonesta, quàm honesta. Imò nec id physicè potest, quia intellectus est animi facultas in judicando non libera, sed ab objecti momentis, seu motivis, sic dependens, ut licèt exercitè non necessitetur ad assentiendum, nisi objecto evidenti, necessitetur tamen ad non assentiendum objecto, nisi proposito sub ratione veri; nec voluntas imperio suo efficere queat, ut ei aliter assentiatur. Aliud quippe est motivum voluntatis; aliud intellectûs; nec illud quod voluntati sufficit ad imperandum, sufficit intellectui ad assentiendum. Quia voluntas fertur ad imperandum sub ratione boni; sed intellectus fertur ad assentiendum sub ratione veri. Et ideò sicut voluntas imperio suo efficere nequit, ut intellectus judicet objectum esse verum, dum nullam in eo videt apparentiam veritatis; sic imperio suo efficere nequit, ut intellectus judicet objectum esse licitum potiùs quàm illicitum, dum in eo nullam videt majorem apparentiam veritatis de licito quàm de illicito. Multò proinde minùs

id potest, dum in eo majorem videt apparentiam veritatis de illicito quàm de licito. Tunc enim majorem videt apparentiam quòd permissio ipsius sit falsa, quàm vera. Intellectus verò judicare nequit objectum illud esse verum, quod ipsi magis apparet falsum quàm verum. Quippe judicando illud esse verum, illud amplectitur ut verum, oppositumque rejicit ut falsum. Atqui intellectus amplecti non potest ut verum, quod sibi magis apparet falsum quàm verum, nec rejicere ut falsum, quod sibi magis apparet verum quàm falsum. Cùm ne quidem amplecti queat ut verum, rejicereque ut falsum, quod sibi æquè probabiliter apparet falsum quàm verum, & contrà, ut ibidem ostendimus.

673 2°. quia honestas operationis, quæ pensatis omnibus magis apparet falsa quàm vera, digna non est prudenti judicio, quo judicetur absolutè vera. Ergo prudenti judicio non potest absolutè judicari vera, probatur antecedens, tum quia respectu hominis, cui sic apparet, non est probabilis, sed respectu aliorum dumtaxat, ut constat ex dictis cap. 13. Tum quia objectum, quod prudenti judicio absolutè judicatur verum, non potest homini sic judicanti apparere magis falsisimile, quàm verisimile. Cùm objectum, quod homini apparet magis falsisimile, potiùs dignum sit prudenti judicio, quo absolutè judicetur falsum, quàm verum. Intellectus namque prudenter judicans, judicat secundùm apparentiam rei, non secundùm beneplacitum voluntatis. Et sicut objectum, quod prudenti judicio absolutè judicatur falsum, non potest ipsi in sensu composito apparere magis verisimile, quàm illud, quod judicio prudenti absolutè judicatur verum: sic objectum, quod prudenti judicio absolutè judicatur falsum, non potest in sensu composito apparere magis falsisimile, quàm illud, quod judicio prudenti absolutè judicatur falsum. Aliàs sequeretur 1°. quòd quilibet judicare posset objectum verum, vel falsum, pro arbitrio suo. 2°. quòd sua cuique opinio non appareret verisimilior. 3°. quòd opinionem, semel prudenter conceptam, absque occursu novarum rationum, vel authoritatum, quilibet pro libitu variare posset (quia prudenter judicari posset falsum, quod antè prudenter judicatum est verum) sicque à priori judicio in posterius, & à posteriori in prius pro libitu fieri posset prudens transitus. Per consequens mulier, quæ judicio prudenti, sed incerto, judicavit suum matrimonium esse validum, contrarium posteà prudenti judicare posset, aliudque contrahere; ac deinde variato judicio ad priorem maritum redire, & modò utrique negare, modò ab utroque exigere debitum. Aliaque ejusmodi absurda gravissima sequerentur. De quibus posteà.

674 3°. est contra naturæ lumen, contra rectam rationem, & contra prudentiæ legem, judicare verum, quod probabiliùs apparet falsum, quàm verum. Est contra naturæ lumen, & rectam rationem: quia naturæ lumen, & recta ratio nihil fortiùs desiderat quàm veritatem, nihilque tam refugit, & pro posse devitat, quàm falsitatem, uti docet Augustinus tr. 26. in Joan. & Enchirid. c. 17. Et, ut Philosophus ait 6. Ethic. 2. *contemplationis*, seu intellectûs, *bonum & malum, est verum & falsum*. Est ergo contra inclinationem naturæ rationalis, contra naturæ lumen, contra rectam rationem, per voluntatis imperium avertere intellectum ab eo quod secundùm naturæ lumen & rectam rationem adeò appetit tamquam bonum suum, impellereque in id quod tantoperè refugit tamquam malum suum: Avertere (inquam) à veritate, & impellere in falsitatem, & per consequens avertere à majori verisimilitudine, & impellere in majorem falsisimilitudinem. Quia, ut rursum Philosophus 1. Rhetor. 1. *verum & verisimile, ejusdem videtur esse facultatis*: utrumque proinde est intellectûs bonum, tamque falsisimile, quàm falsum, est utriusque malum. Unde *quia homines ad veritatem naturâ compositi sunt*, ad eam naturæ rectæque rationis ductu feruntur; & attingunt si possunt, vel ad eam quàm proximè, & quàm verisimiliter possunt, accedunt, si eam certò attingere nequeant.

Est ergo contra naturæ lumen, per volun- 675
tatis imperium avertere intellectum ab eo quod magis apparet verum, quàm falsum, & impellere in id quod magis apparet falsum quàm verum, quod fit avertendo à majori verisimilitudine, & impellendo in majorem falsisimilitudinem. Est etiam contra prudentiæ legem, immò contra leges virtutum omnium. Est contra prudentiæ legem: utpote secundùm quam in rebus incertis & obscuris priùs oportet consultare, quàm judicare, priùs judicare, quàm agere. Consultationem namque, seu diligentem veritatis inquisitionem, prudentiæ lex ideò exigit, ut prudenter judicemus, veritatemque si possumus attingamus; sin minùs, ad eam quàm proximè possumus, appropinquemus: ac deinde secundùm agnitam veritatem, quantùm possumus, agamus. Si autem prudentiæ lex permitteret judicare verum, quod spectatis omnibus magis apparet falsum quàm verum, estque falsisimilius quàm verisimilius; permitteret veritatem non attingere, quantùm possumus, sive ad eam quàm proximè possumus, non appropinquare. Necesse ergo non foret consultare, nec veritatem tam sollicitè inquirere.

Denique judicium, quo judicamus verum, 676
quod (pensatis omnibus) magis apparet falsum quàm verum, est contra leges virtutum omnium. Nam quia lex obedientiæ v. g. vetat, ne licitam judicemus deviationem ab observantia talis vel talis præcepti, quando (pensatis omnibus) apparet nobis majus fundamentum eam illicitam judicandi, quàm licitam: ideò lex obedientiæ jubet, ut caveamus omne quod vehementer inducit voluntatem ad deviandum ab observantia præcepto-

rum. Ejusmodi verò judicium ad id vehementer inducit voluntatem. Et ideò nullus Prælatus boni consuleret sua præcepta sic tractari à subditis, nullus dominus à servis, nullus pater à filiis. Et idem est pariformiter de legibus aliarum virtutum.

677 4°. judicium imprudens non ideò tale est, quia caret omni motivo (cùm impossibile sit judicium carens omni motivo) sed quia caret justo motivo. Sed homo non habet justum motivum judicandi operationem esse honestam, quando habet & cognoscit se habere majus & fortius motivum judicandi eam inhonestam. Quia non est comparativè justum, quod non solùm non habet pondus æquale, sed adeò deficit ab æqualitate, ut à motivo contrario superetur, & longè superetur. Nec tunc justum est secundùm illud judicare: quia justum non est ferre judicium, non secundùm, sed contra causæ meritum, & (ut Fagnanus ait n. 270.) justum non est *formare conscientiam contra conscientiam, & opinari, non secundùm apparentiam rei, & fingere verum, sive ferre de veritate* sententiam *ex nostro arbitrio.*

678 Harum rationum vi convictus Martinus de Esparza, doctissimus è Soc. Theologus, unusque è Probabilistarum Principibus, in Appendice ad q. de licito usu probabili a. 112. 123. 124. 151. & 152. ingenuè tandem fatetur, illicitum esse usum opinionis minùs probabilis de licito, dum opinio de illicito apparet manifestè probabilior. Quod est fateri illicitum esse usum opinionis de licito simpliciter minùs probabilis. Quia opinio de licito non censetur simpliciter minùs probabilis, dum dubium est, incertumque sitne, an non sit talis. Ut enim sapienter observat Abbas Gradius cap. 15. dum simpliciter quæritur de viribus opinionis minùs probabilis, quæstio est de minùs probabili, quæ certò sit talis, non de ea, de qua dubium incertumque est, an sit talis. Quia ea vis cuique rei demùm tribuenda est, quæ ei rei convenit, quam certò constat esse talem; indeque regula de ea statuenda est, inde judicium proferendum.

679 Dixi, doctissimum illum Theologum, superiorum rationum vi convictum, in illam iviisse confessionem. Vidit enim licitè à quoquam fieri non posse, nisi quod prudenter & rationabiliter judicat licitum esse. Vidit proinde, *nullum esse locum usui licito opinionis minùs probabilis, si nulla sit libertas*, seu facultas in favorem ipsius *opinandi* (ut loquitur a. 140.) seu prudens & rationabile judicium ferendi.

680 Neque verò ad licitum usum opinionis minùs probabilis de licito, sufficit prudens & rationabile judicium de ipsius probabilitate, sed necessarium est judicium de ipsius veritate. Tum quia ad licitè operandum requiritur judicium de licito vel certò verum, vel quod prudenter existimetur tale. Cùm jubeamur veritatem in omnibus pro posse quærere. Tum quia judicium de probabilitate honestatis non tollit dubitationem, vel plusquàm dubitationem, id est prudentem opinionem de inhonestate. Quisquis enim judicat inhonestatem æquè probabilem esse quàm honestatem, de utraque dubius est. Quisquis verò judicat honestatem minùs probabilem esse, quàm inhonestatem, plusquàm dubius est de honestate: utpote quam judicat magis falsisimilem (id est falso proximiorem) quàm verisimilem, id est magis apparenter falsam, quàm veram. Cùm igitur ab actione abstinere debeat, dum de ipsius dubitat honestate; à fortiori dum de ea plusquàm dubitat, sive dum eam judicat magis falsisimilem, quàm verisimilem.

CAPUT LVI.

Tertia ratio: quia quisquis agit, quod sibi, spectatis hinc inde argumentis, probabiliùs apparet illicitum, sive contra legem æternam, peccat formaliter contra eam, sicut & contra obedientiam, justitiam, aliasque respectivè virtutes morales, ac theologicas.

681 QUòd peccet formaliter contra legem æternam, ratio est quia eam contemnit, minoris eam faciendo quàm pecuniam (cùm tamen eam diligere debeat *super aurum & topazion*) quisquis enim minùs curat legem æternam servare, quàm pecuniam, minoris eam facit quàm pecuniam. Minoris verò facit servare legem æternam quàm pecuniam, qui tanto se exponit periculo violandi legem æternam, quanto se non exponeret amittendi pecuniam. Atqui nemo sapiens pecuniam exponit periculo, in quo probabiliùs videt se eam amissurum, si periculum illud vitare queat, nec spes, æquè vel magis probabilis affulgeat compensandi jacturam per acquisitionem rei majoris, vel saltem æqualis æstimationis.

2°. quòd peccet formaliter contra obedientiam Deo debitam, demonstratur, quia homo subjectus est Deo, sicut filius patri, servus domino, subditus Regi. Quam ergo obedientiam filius debet patri, servus domino, subditus Regi, homo debet Deo. Atqui peccarent formaliter filius, servus, subditus, contra obedientiam debitam patri, domino, Regi, si voluntariè facerent id quod probabiliùs crederent esse quàm non esse contra mandatum patris, domini, Regis. Nullus quippe sapiens negare potest, quòd jure optimo conquereretur Rex de subdito tamquam formali violatore mandati sui, si id faceret, quod à testibus majori fide dignis audivisset à Rege esse prohibitum. Neque se satis excusaret, dicendo, se hoc quidem audivisse à testibus majori fide dignis, sed contrarium audivisse ab aliis fide dignis, licèt non tam dignis. Siquidem jure Rex opponeret, ipsum abstinere debuisse, donec certior factus esset de veritate, ne in periculum se conjiceret mandato suo contraveniendi.

3°. quòd peccet formaliter contra justi-

tiam, ratio demonstrativa est, quia quisquis causam hominis causæ Dei anteponit, causam Dei cognoscens esse potiorem, certissimè peccat formaliter contra justitiæ legem. Hoc autem facit, quisquis in praxi, sciens & volens eligit opinionem minùs probabilem, quæ stat pro hominis libertate, præ alia, quæ stat pro Deo, seu Dei lege, quam probabiliorem esse cognoscit. Cùm duarum partium ea causa potior esse cognoscatur, quæ cognoscitur pro se habere opinionem probabiliorem.

4°. quòd proportionatè formaliter peccet contra alias respectivè virtutes morales, pari ratione demonstratur, quia in eas injuriosus est, qui potiorem, quia probabiliorem, esse cognoscens causam obligationis earum, ei voluntariè præfert causam minùs probabilem humanæ libertatis, vel concupiscentiæ, adversus obligationem illam contendentis.

Et quis (amabo!) finis divinæ legis obligantis ad exercitium virtutum illarum, nisi per illud perducere homines ad cælestem beatitudinem? Quis digito non tangit, practicam electionem opinionis illius minùs probabilis à fine illo abducere, abducendo homines à vita secundùm virtutes illas ducenda, cupiditatique potiùs quàm virtutibus illis favendo, cum probabiliore periculo peccandi contra leges earum, ab exercitioque probabiliùs præcepto earumdem virtutum declinandi vitia in contraria? Videre hoc quisque potest in tot opinionibus, à Summis Pontificibus damnatis, quæ homines sub probabilitatis specie, à virtutum illarum obligatione liberando in vitia contraria nata erant deducere, eoque titulo fuerunt damnatæ, tamquam scandalosæ & pernicioſæ.

5°. denique contra virtutes theologicas formaliter peccare eum qui voluntariè agit contra earum obligationem, sequendo opinionem minùs probabilem, contra oppositam probabiliorem, cognitam ut talem, inde patet, quòd haud dubiè formaliter peccasset contra præceptum fidei, spei, & charitatis, qui propositiones istas: *Homo nullo unquam vitæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei & charitatis, ex vi præceptorum divinorum, ad eas virtutes pertinentium. Hunc* (finem ultimum) *homo non tenetur amare, neque in principio, neque in decursu vitæ suæ moralis*: ante earum damnationem probabiles existimans (prout existimarunt earum Authores, qui publicis in disputationibus eas propugnarunt, vel typis vulgarunt) practicè secutus fuisset, contra agnitas probabiliores in contrarium. Aliàs potuissent absque formali peccato, æternæque salutis dispendio, vitam longissimam agere, ac deinde ad æternam beatitudinem pervenire, qui ne semel quidem in Deum credidissent, nec ipsum amassent. Et cui dubium esse potest, formaliter peccaturum contra primum diligendi Deum ex toto corde mandatum, qui faceret, quod probabiliùs crederet esse, quàm non esse mortale peccatum? Cùm haud dubiè formaliter peccet contra mandatum illud, qui voluntariè amicitiam contrahit cum capitali Dei hoste, probabiliùs cognito ut tali, peccato utique mortali; hoc autem reipsà facit, qui sciens & volens amplectitur id quod probabiliùs credit esse, quàm non esse peccatum mortale.

Nec rationes hactenùs deductæ enervantur 682
dicendo 1°. eum qui in praxi sequitur probabilem opinionem de licito, contra agnitam probabiliorem de illicito, peccare materialiter, sed non formaliter. Quia Deus hoc ad peccatum non imputat: cùm permittat sequi opinionem quamcumque verè probabilem de licito. 2°. rationes quidem nostras efficaces esse, sistendo in principiis directis; sed posse certam de licito conscientiam formari ex principiis reflexis. 3°. etiam sistendo in principiis directis, conscientiam formari posse secundùm opinionem minùs probabilem de licito, contra agnitam probabiliorem de illicito: utpote quæ, ob sui incertitudinem, inevidentiamque, haud necessitat ad sui assensum, sed intellectum relinquit liberum ad sui assensum vel dissensum. Dicit enim S. Thomas 1.2. q. 17. a. 4. quòd *sunt quædam apprehensa, quæ non convincunt intellectum.... Et in talibus assensus ipse vel dissensus est in nostra potestate, & sub imperio cadit.* Sed contra primum, quæro ubi, quando, & quibus suam illam permissionem declaraverit Deus? Certè non in Scriptura sacra, nec in Traditione, prout constat ex suprà dictis: in nullo proinde ex duobus fontibus omnis salutaris doctrinæ de fide & moribus: cùm Scriptura & Traditio *fons* sit *omnis salutaris veritatis, & morum disciplinæ*, prout Tridentinum definit sess. 4. inde proindè petendæ sint fidei & morum regulæ. Deinde arguo sic: quisquis peccatum materiale sciens & volens committit, peccat formaliter. Quisquis verò in praxi sequitur opinionem minùs probabilem de licito, contra agnitam probabiliorem de illicito, peccatum (prout Adversariis vocare placet) materiale sciens & volens committit. Ergo formaliter peccat. Ut enim peccatum materiale, sit etiam formale, nihil aliud necessarium est, nisi ut sit voluntarium & liberum. Ut autem voluntarium sit & liberum, duo solùm necessaria sunt, nimirùm cognitio intellectûs, & consensus voluntatis. Atqui in casu nostro non deest voluntatis consensus, utpote id facere liberè volentis, quod intellectus cognoscit probabiliùs esse, quàm non esse peccatum. Nec deest cognitio intellectûs. Neque enim ad formale peccatum necessaria est certa cognitio malitiæ actûs (aliàs non darentur peccata ignorantiæ, nec formaliter peccaret, qui contra legem æternam ageret cum conscientia verè ac propriè dubia, dubio non deposito) sufficit ergo quòd agens probabiliter, & à fortiori quòd probabiliùs eam, vel periculum illius cognoscat. Justè enim culpatur homo, qui visum habens debilem, visâ obscurè fossâ (licèt absque cer-

ta illius cognitione) incedere vult, cùm obscurè cognito periculo præcipitandi se in fossam, per viam ab eo periculo non tutam, cùm per tutam incedere posset; quippe tunc ipsi meritò imputatur quòd in fossam præceps ruat. Ergo similiter, &c.

Contra secundum satis disputatum est in superioribus.

683 Contra tertium, dico quòd licèt opinio probabilior, non necessitet intellectum ad sui assensum quoad exercitium, imò, in sensu diviso, nec quoad speciem; sed ei in sensu diviso intellectus ex imperio voluntatis dissentire possit; necessitat tamen ad sui assensum quoad speciem, in sensu composito suæ probabilioritatis, cognitæ ut talis, ita ut intellectus ei, cognitæ ut probabiliori, in sensu composito istius cognitionis dissentire nequeat, nec voluntas ipsum magis inclinare ad assentiendum opinioni minùs probabili, cognitæ ut tali, quàm statera inclinari possit in partem in qua pondus est minus. Hoc enim sensu Philosophus & S. Thomas, aiunt, opinari non esse nobis usquequaque liberum. In loco verò objecto S. Thomas solùm vult, in iis quæ intellectum non convincunt, eatenùs esse in potestate nostra assentire, vel dissentire, quatenùs intellectus, ex voluntatis imperio, distrahi potest à consideratione rationum probabiliorum, quæ faciunt pro una parte contradictionis, sicque applicari ad considerandas rationes, quæ faciunt pro opposita parte, ut hæc pars, quæ priùs apparebat minùs probabilis, vel falsa, jam probabilior appareat & vera; & illa quæ priùs apparebat probabilior & vera, jam appareat minùs probabilis, & falsa; eique ut tali jam dissentiat, cui priùs ut probabiliori assentiebat, & contrà. Affectus namque & inclinatio voluntatis erga unam partem, in tantum facit ut fundamenta ipsius nobis appareant fortiora, probabilioraque, in quantum facit ut intellectus magis ponderet fundamenta istius quàm oppositæ partis, excogiterque novas & novas rationes in favorem ipsius, avertaturque ab excogitandis novis rationibus pro parte oppositâ, nec nisi leviter
684 inspiciat fundamenta ipsius. Quo fit, ut pro vario voluntatis affectu, homo de rebus iisdem plerùmque judicet longè aliter, quàm alias judicaret, quòdque iis opinionibus facilè adhæreat, in quas noster inclinatur affectus, v. g. Advocatus opinioni quæ suo favet clienti, quem (ob pingue stipendium inde speratum) defendendum suscepit. Idem est de Thomista, vel Scotista, respectivè ad opiniones S. Thomæ, vel Scoti, quem sibi magistrum elegit, &c. Inde etiam fit quòd Hispanus facilè credat vera esse nova Hispanis faventia, quæ Gallus credit esse falsa, & contrà: Non quòd ex sola affectuum diversitate proveniat diversitas ista judiciorum; sed quòd pro varia voluntatis affectione, intellectus variè applicetur ad considerationem motivorum, magisque applicetur ad considerandum motiva illius partis, cui voluntas magis afficitur, negligendo, vel nonnisi leviter considerando motiva alterius partis. Non mirum proinde quòd motiva illius partis, cui voluntas magis afficitur, hoc pacto urgentiora, probabilioraque videantur. Hinc denique fit, quòd dum voluntas, vel passionis, vel affectionis inordinatæ præstigiis deluditur, intellectus magis applicetur ad judicandum secundùm motivum, quod passio vel inordinata affectio suggerit, quàm secundùm motivum, quod suggerit ratio superior. Consideratio namque rationis superioris impeditur per passionem, inordinatamque affectionem. Unde Seneca: *perit omne judicium, cùm res transierit in affectum.* Quia affectus obscurat intellectum, ne rectè judicet.

Verùmtamen judicium illud, formatum se- 685
cundùm affectum, propensionemque voluntatis, non secundùm momenta rationis, absque passione, affectuque præoccupante considerata, nec prudens est, nec probabile, ut sequitur ex ipsamet definitione judicii, seu opinionis probabilis, quam tradit Terillus de Reg. mor. q. 1. n. 7. ubi ad eam requirit, ut nitatur *motivo gravi ac magno, scilicet valide attrahente ad assensum ab homine perito & probo irreprehensibiliter impetrandum. Et quidem magnitudo hujus motivi sumi debet* (inquit) *non solùm absolutè, quatenùs vehementer impellit secundùm se, sed etiam relativè ad omnia in contrarium allata, adeò ut etiam in contradictione illorum, vehementer alliciat ad assensum, idque præcisè vi suæ magnitudinis, tam absolutæ, quàm comparativæ; & non ex affectu ac propensione ejus, cui proponitur.* Magnitudo proinde efficaciaque hujus motivi considerari debet antecedenter ad imperium, omnemque affectionem voluntatis, juxta allatum Senecæ effatum, *perit omne judicium, cùm res transierit in affectum.* Enimverò si, antecedenter ad imperium affectionemque voluntatis, motivum opinionis de illicito appareat longè majus & urgentius motivo opinionis de licito, actio irreprehensibiliter & prudenter non judicatur licita. Neque enim prudens & irreprehensibile est judicium, quod non est justum; nec est justum judicium, secundùm affectum voluntatis, non secundùm merita rationis formatum. Est enim judicium hominis non tam veritatem, quàm libertatem, commoditatemque quærentis, sibique voluntariè oculos claudentis, ne videat malum. Est denique judicium hominis nolentis intelligere ut benè agat. Et infrà cap. 57. & 61. ostendemus, nullam aliam in ejusmodi judicio prudentiam esse, nisi carnis, quæ inimica est Deo.

Objiciunt 2°. Intellectus sic se habet ad 686
verum, sicut voluntas ad bonum. Sed voluntas sic se habet ad bonum, ut è duobus apparenter bonis, utrumlibet amplecti possit, etiam minus apparens. Similiter ergo intellectus sic se habet ad verum, ut è duobus apparenter veris, utrumlibet amplecti possit, e-

tiam minùs apparenter, minùsque probabiliter tale.

687 Respondeo 1°. negando majorem, quia voluntas in ordine ad bonum quodcumque finitum, omnimodam habet libertatem, quoad exercitium & speciem. Non sic intellectus in ordine ad verum quodcumque finitum. Quia non potest non assentiri vero evidenter proposito.

688 Respondeo 2°. distinguendo majorem: intellectus se habet ad verum sicut voluntas ad bonum, hoc sensu, quòd intellectus assentiri non possit nisi vero, sicut voluntas amare non potest nisi bonum. Concedo: hoc sensu, quòd intellectus eligere possit utrumlibet ex duobus veris oppositis inæqualibus, sicut voluntas eligere potest utrumlibet ex duobus bonis oppositis inæqualibus, nego suppositum. Quia verum non opponitur vero, sicut bonum opponitur bono, v. g. honestum delectabili. Et hinc manifesta est disparitas inter intellectum & voluntatem, quòd hæc inveniat objectum suum formale, nempe bonitatem, in utroque ex duobus extremis oppositis; intellectus verò non invenit objectum suum formale in utroque ex duobus extremis contradictoriè oppositis; imò evidenter cognoscit ex duobus contradictoriis alterum esse falsum. Et ideò ubi utrumque apparet inæqualiter probabile, assentiri non potest ei quod cognoscit esse probabiliùs falsum, quàm verum. Ubi verò utrumque apparet æquè probabile, unum non magis proponitur ut verum, quàm alterum. Et ideò neutri præstare potest assensum. Confer quæ dixi n. 201. 202. 203. & 204.

689 Objiciunt 3°. Hæretici ex voluntatis imperio benè adhærent erroribus suis contra agnitam veritatem. Ergo intellectus ex voluntatis imperio assentiri potest opinioni minùs probabili contra probabiliorem, agnitam ut talem.

Respondeo, hæreticos erroribus suis non adhærere contra agnitam veritatem, in sensu composito istius agnitionis; sed in sensu diviso, proveniente ex malitia sive superbia, inordinataque affectione ipsorum, quâ ab evidentia credibilitatis mysteriorum fidei nostræ, auditum & considerationem voluntariè avertunt, ut non attendant nisi erroribus suis, sicque voluntariè cæcutiunt in aperto sole, quia ei claudunt fenestram cordis sui, id est mentis oculos evidenter credibili claudunt veritati, & aperiunt errori, sicque verificatur in ipsis oraculum Sapientis: *Excæcavit eos malitia ipsorum*, Sap. 2. Et istud Apostoli 2. Cor. 4. *Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat in eis illuminatio Evangelii gloriæ Christi.* Unde nullus hæreticus, pertinaciter adhærens sectæ suæ, interrogatus, cur ei potiùs adhæreat, quàm fidei Catholicæ: Respondet se cognoscere Catholicam evidenter credibilem, probabilioremque, sectamque suam minùs verisimilem; sed omnes hæretici pertinaces respondent, ideò se amplecti nolle Catholicam fidem, quia ipsis apparet falsa; sua verò dogmata ipsis apparent omninò certa. Non ideò tamen excusantur. Quòd enim non videant evidentem credibilitatem fidei nostræ, manifestamque probabilioritatem ipsius supra omnes sectas, provenit ex malitia ipsorum, quâ, ut dixi, voluntariè oculos claudunt, ne videant lucem, noluntque intelligere, quænam sit vera Religio, dum nolunt applicare mentem ad sincerè examinanda motiva credibilitatis fidei veræ.

Instabis: si intellectus ex imperio voluntatis 690
assentiri non posset opinioni minùs probabili, cognitæ ut tali, plurima sequerentur à veritate aliena. 1°. infideles credere non posse oppositum fidei nostræ, sibi sufficienter propositæ. 2°. fideles, sufficienter instructos, labi non posse in hæresim. 3°. actum fidei non esse liberum, saltem quoad speciem (cujus oppositum docet S. Thomas 2. 2. q. 2. a. 9. & 10. dicit enim, fidem esse liberam quoad usum, & quoad assensum, in eoque differre à scientia, quæ libera est quoad usum, non quoad assensum) neque enim credi posset oppositum ejus quod apparet magis credibile. 4°. nullum dari judicium temerarium: judicium enim semper esset de eo quod apparet probabilius. 5°. subditum obedire non posse, nec debere Superiori aliquid præcipienti, quod subdito videtur probabiliùs illicitum. Quia credere non posset licitum esse quod præcipitur.

Respondeo, nihil eorum sequi. Non pri- 691
mum: quamvis enim infideles in sensu composito sufficientis propositionis mysteriorum fidei nostræ, credere non possint oppositum; possunt in sensu diviso, qui ideò est in potestate ipsorum, quia in potestate ipsorum est, voluntariè avertere oculos mentis suæ à consideratione evidentis credibilitatis fidei nostræ, ut non attendant nisi erroribus suis. Fateor proinde, quòd, dum, inter disputandum cum Catholicis, sic eorum convincuntur argumentis, ut Catholica fides ipsis appareat evidenter credibilis, credibiliorque suâ, non possint, in sensu composito, cordetenùs assentiri opposito errori, sed tantùm ex superbia, passione, temporalivè præjudicio oretenùs in eo persistere, ad modum quo hæretici prædicantes frequenter oretenùs prædicant contra agnitam veritatem, tametsi cordetenùs non credant erroribus, quos prædicant. Quia impossibile est mente credere ut certum, id cujus contrarium cognoscitur esse evidenter credibilius verisimiliusque. Infideles tamen cognoscere possunt evidentem fidei nostræ credibilitatem, nec ei assentiri, vel ob malitiam suam, vel ob difficultatem; eò quòd licèt credibilitas fidei nostræ, evidenter cognita, obliget, non cogat tamen ad assensum.

Non sequitur etiam secundum. Quia con- 692
tingit fideles, post sufficientem instructionem, fidemque susceptam tamquam evidenter credibilem, paulatim amittere pium erga illam affectum, temporalique præjudicio, vel carnis

nis concupiscentiâ, vel superbiâ, vel passione sic excæcari, ut pietatis exercitia fastidiant, Dei servos irrideant, necessitudinem hæreticorum affectent, eorum libros attentè legant, conciones frequentent, argumenta fidei contraria considerent, eorum solutiones à Catholicis adhiberi solitas, ipsaque Catholicorum argumenta considerare negligant, eorumdem libros, conciones, colloquia declinent. Unde fit ut fidei nostræ mysteria sensim desinant ipsis apparere evidenter credibilia, de iisque primùm dubitare incipiant, deinde credere desinant, quæ antè credebant, tandemque dictis præjudiciis ac passionibus excæcati, oppositis erroribus pertinaciter adhæreant.

693 Nec tertium sequitur. Cùm enim seipsum impedire quis possit à suscipienda fide, eamque susceptam abjicere in sensu diviso, suprà expositio, & iste sensus sit in potestate hominis, fides libera est, tam quoad speciem, quàm quoad exercitium. Licèt hæc non dicat S. Thomas loco citato: in tantum enim dicit scientiam esse liberam quoad usum, non quoad assensum, in quantum habitu scientiæ utimur dum volumus, estque sic in potestate voluntatis applicare intellectum ad considerationem rei scitæ, ut post considerationem cohiberi nequeat assensus ipsius, quia (post considerationem) res scita apparet evidenter vera, ideòque necessitat ad sui assensum. Fides verò libera est quoad usum (quia habitu fidei pariter utimur, quando volumus) & quoad assensum: quia sic liberum est voluntati applicare intellectum ad considerandа motiva credibilitatis illius, ut, post considerationem, liberum sit assentire mysteriis fidei, vel non assentire: quia mysteria illa, licèt evidenter credibilia, non sunt evidenter vera, sed obscura; ideòque, ut suprà dixi, obligant, sed non necessitant ad sui assensum.

694 Nec sequitur quartum: quia judicium temerarium non est judicium conceptum ex levibus indiciis, cognitis ut levibus, sed ex passione iræ, odii, vel invidiæ, vel ex prava animi dispositione à judicante apprehensis ut gravibus, & valdè verisimilibus, cùm posset & deberet eorum levitatem cognoscere, de factoque cognosceret, si, sepositâ passione, pravâque animi dispositione, absque ulla præcipitatione illa consideraret. Hinc enim oriri temeritatem judicii docet S. Thomas 2. 2. q. 60. a. 3. ubi duas assignat causas, cur ex levibus indiciis siniſtrè de proximo judicemus; *Uno modo* (inquit) *contingit ex hoc quòd aliquis ex seipso malus est; & ex hoc ipso, quasi conscius suæ malitiæ, faciliter de aliis malum opinatur, secundùm illud* Eccl. „ In via stultus „ ambulans, cùm ipse sit insipiens, omnes stul„ tos æstimat. „ *Alio modo provenit ex hoc quòd aliquis malè afficitur ad alterum. Cùm enim aliquis contemnit, vel odit aliquem, aut irascitur, vel invidet ei, ex levibus signis opinatur mala de ipso. Quia unusquisque faciliter credit quod appetit.* Quando itaque ex levibus indiciis temerè judicat quis de proximo, vel unicè attendit ad indicia pravè sentiendi, neglectis iis quibus moveretur ad benè judicandum; vel si attendit ad indicia utriusque partis, indicia de malo proximi apparent ipsi fortiora indiciis de bono, ob malitiam & pravam dispositionem cordis sui, quâ fit ut non cognoscat fundamentum sui judicii esse leve; sed videatur ipsi grave; imò gravius fundamento in contrarium. Quia tamen malitia, & voluntarius defectus debitæ considerationis, causa est cur sic ipsi videatur, judicium ipsius temerarium est, & culpabile.

Non sequitur denique quintum. Quia licèt 695
subditus obedire non possit nec debeat, in sensu composito propriæ opinionis, aliàs probabilioris, quâ judicat actum imperatum esse peccatum. Obedire tamen potest & debet, in sensu diviso, deponendo propriam istam opinionem, & submittendo judicium suum judicio Superioris, judicantis actum imperatum esse licitum. Quòd enim subditus debeat opinionem suam deponere, tamque judicium suum quàm voluntatem submittere judicio & voluntati Superioris, in omnibus, quæ manifestè mala non sunt, communis est doctrina Sanctorum. Et ratio est, quia hoc ipso quòd res per Superiorem præcepta non est manifestè mala, authoritas Superioris, vice Dei præcipientis, obedientiæque bonum, prævalere debet omnibus rationibus, solùm probabilibus in contrarium, nisi morale sit periculum violandæ legis æternæ.

CAPUT LVII.

Quarta ratio assertionis nostræ est, quia in electione opinionis minùs probabilis de licito, contra aguam opinionem probabiliorem de illicito, non est nisi prudentia carnis, quæ est inimica Dei.

PRobatur 1°. quia intellectus ex imperio 696
voluntatis prudenter assentiri non potest opinioni minùs probabili de licito, cognitæ ut tali, relictâ probabiliori de illicito, ut constat ex dictis capite 55. ubi ostendimus id ne physicè quidem fieri posse; & ut physicè ex imperio voluntaris fieri posset, hoc imperium prudens non esset, nisi prudentiâ carnis. Neque enim voluntas assensum opinionis minùs probabilis de licito imperare potest ex sincero amore veritatis (cùm sincerè non amet veritatem, qui eam non quærit quantùm in se est, nec eam quærat, quantùm in se est, qui eligit quod sibi magis videtur falsum, relicto eo quod sibi videtur magis verum; nec eligat medium ex sincero amore finis, qui eligit medium, quod cognoscit magis contrarium, quàm conveniens fini, magisque impeditivum quàm promotivum consecutionis illius) assensum ergo illum solùm imperare potest ex amore sui, ut impunè faciat quod facere vult. Quia ad quid imperaret assensum opinionis minùs pro-

babilis de licito, nisi intenderet opinionem illam in praxim deducere?

697 2°. ad prudentiam voluntatis intellectui imperantis, pertinet ipsum rectè ordinare in suum finem, per electionem medii conducentis ad consecutionem finis, remotionemque contrarii. Istud enim præcipuum est munus prudentiæ, juxta illud S. Thomæ 2. 2. q. 49. a. 7. *Ad prudentiam præcipuè pertinet rectè ordinare aliquem in finem. Quod quidem rectè non fit, nisi & finis bonus sit, & id quod ordinatur ad finem, sit etiam bonum & conveniens fini.* Cùm igitur veritas sit finis intellectûs practici, & veritas quidem conformis appetitui recto (ut Philosophus docet 6. Ethic. 2. *bonitas* (adeòque finis) *intellectûs practici est verum conforme appetitui recto*) ad prudentiam voluntatis intellectui imperantis, maximè pertinet ipsi imperare electionem seu assensum medii convenientis bono, seu fini intellectûs practici, quod est veritas conformis appetitui recto. Enimverò voluntas tenetur prospicere bono intellectûs, & malum ejus, quantùm potest, propulsare. Et ideò, ut prudenter imperet, imperare debet electionem medii, seu assensum opinionis, per quem verisimilius est intellectum amplecti bonum suum, scilicet veritatem, & repudiare malum, scilicet falsitatem. Quia, ut rursum Philosophus 6. Ethic. ait, *verum est bonum intellectûs, falsum autem est malum.* At contrarium facit voluntas, dum imperat intellectui assensum opinionis minùs probabilis de licito, relictâ probabiliori opinione de illicito. Cùm imperet ipsi assensum opinionis, quam cognoscit verisimiliùs esse falsam, quàm veram. Nec proinde promoveat bonum ipsius quantùm potest, nec pro posse malum ipsius propulset. Nec assensum istum imperat conformiter appetitui recto. Quæro enim ex quo appetitu, quâve intentione eum imperet assensum, & usum opinionis minùs probabilis de licito, in occursu evidenter probabilioris de illicito? Non ex sincero appetitu, seu intentione veritatis, ut antè ostendi. Neque ex intentione charitatis, vel alterius virtutis. Cùm intentioni charitatis, vel alterius virtutis conforme esse non possit, voluntariè èxponere se probabiliori periculo violandi legem Dei. Unde si à taliter præferente opinionem minùs probabilem de licito, evidenter cognitam ut talem, inquiras, quem finem in ista præferentia intendat? Respondere non poterit se suam salutem, vel finem charitatis, vel alterius virtutis intendere. Quia nemo ex vera & sincera intentione salutis, vel charitatis, vel alterius virtutis eligit id quod cognoscit longè verisimiliùs esse impeditivum, quàm promotivum istius finis; nemo etiam ex dicta intentione quidquam præfert ei quod longè verisimiliùs est promotivum, quàm impeditivum ejusdem finis. Necessariò ergo respondebit, se opinionem minùs probabilem de licito, præferre evidenter probabiliori de illicito, ex intentione faciendi quod lubet, vel acquirendi aliquod temporale lucrum, vel commodum, non obstante probabiliori periculo violandi legem Dei, quod esse videt faciendo id quod evidenter cognoscit esse verisimiliùs contra legem Dei. Hoc autem est præferre voluntatem suam divinæ, lucrumque & commodum temporale amicitiæ Dei, obedientiæque ipsi debitæ; nec ab alia prudentia proficisci potest, nisi à prudentia carnis, quæ, ut Apostolus ait Rom. 8. *mors est, & inimica est Deo.*

3°. quicumque videt motiva longè urgen- 698
tiora ad judicandum operationem esse illicitam, quàm ad judicandum esse licitam, & nihilominùs eam facit, sic operando se habet, ut interrogatus, num sciat operationem à Deo esse licitam, si verè respondeat, necessariò responsurus sit, se certò quidem id non scire, credere tamen esse vetitam, vel de eo dubitare, & sibi verisimiliùs videri, quòd vetita sit. At qui sub ista credulitate, vel dubio, aut probabiliori apparentia operatur, magis amat temporale lucrum, vel commodum ex operatione speratum, quàm propriam salutem, Deique legem, ut S. Thomas quodlib. 8. a. 13. docet de dubitante an vetitum sit habere plures præbendas, & nihilominùs eas habente. Ait enim quòd *si, manente tali dubitatione, plures præbendas habet, periculo se committit, & sic procul dubio peccat: utpote magis amans beneficium temporale, quàm propriam salutem.* Quòd si verum est de dubitante, multò magis de plusquàm dubitante, id est, si verum est de eo, cui æquè probabile videtur id esse, quàm non esse vetitum, multò magis de eo cui probabiliùs & longè probabiliùs id videtur. Ergo electio & usus opinionis de non vetito, in talibus circumstantiis, verissimè est *prudentia carnis*, de qua Apostolus Rom. 8.

Si dicas talem suspendere posse dubitatio- 699
nem, existimationemque de vetito, & sic operari. Respondeo id facere non posse rationabiliter, & prudenter prudentiâ spiritûs, sed irrationabiliter dumtaxat, & prudenter prudentiâ carnis.

4°. prudentia supponit appetitum rectum 700
finis, cùm sit *habitus agendi recta cum ratione, circa ea quæ sunt bona homini, atque mala*, ait Philosophus 6. Ethic. 5. id est habitus, dictans, vera cum ratione, quid homo prosequi debeat tamquam bonum, quidque fugere tamquam malum; dictans proinde, vera cum ratione, quem finem homo intendere debeat, scilicet Deum, Deique amicitiam, & adimpletionem voluntatis ipsius, & quæ media eligere debeat, ad consequendum illum finem, media utique apta ad consequendum Deum, Deique amicitiam, &c. Sed electio & usus opinionis minùs probabilis de licito, relictâ probabiliore de illicito, cognitâ ut tali, non est medium ad id aptum, nec vera ratio id dictat, imò potiùs contrarium. Igitur electionem & usum ejusmodi opinionis dictare

non

non poteſt vera prudentia, ſed carnis prudentia, quæ inimica eſt Deo. Probatur minor propoſitio, quia practica electio & uſus ejuſmodi opinionis eſt contra leges amicitiæ & obedientiæ Deo debitæ. Non eſt igitur medium aptum ad conſequendum Deum, Deique amicitiam & adimpletionem voluntatis ipſius, ſed potiùs contrarium. Probatur aſſumptum, quia eſt contra leges amicitiæ id eligere & facere, quo cognoſcis longè probabiliùs amicum graviter offenſum iri; eſt etiam contra leges obedientiæ, id eligere & facere, quod cognoſcis longè probabiliùs eſſe à legitimo Superiore prohibitum. Ego certè tales amicos habere nollem. Et Superior ſubditos, qui hoc ſcienter facerent, reputaret ſuæ authoritatis, & legis contemptores.

701 5°. imprudens eſt itineris ſocius, qui ſocium, volentem pervenire ad aliquem terminum, fugereque terminum oppoſitum, induceret ad eligendam viam per quam cognoſcit ipſum probabiliùs perventurum ad terminum oppoſitum, quem refugit, quàm ad eum quem intendit. Ergo ſimiliter imprudens eſt voluntas, individua intellectûs ſocia, quæ intellectum, naturaliter intendentem pervenire ad finem ſuum, ſcilicet veritatem, imperio ſuo inducit ad eligendam opinionem, per quam cognoſcit ipſum probabiliùs perventurum ad falſitatem quam refugit, quàm ad veritatem quam intendit.

702 6°. ut voluntas ſit prudens in imperando intellectui, non debet ad affectum ſuum inflectere rationem renitentem, ſed rationem præeuntem ultrò ſequi, affectumque ſuum conformare rationi eum dirigenti. Siquidem voluntas prudens eſt voluntas rationalis, voluntas autem rationalis eſt voluntas ſequens, non antecedens ductum rationis dirigentis. Ratio quippe data eſt voluntati ut fax, lux, dux, pædagogus, & regula ipſius, cujus eſt præire & antecedere, non ſubſequi. Sed voluntas in imperando intellectui rationem renitentem ad affectum ſuum inflectit, antecediteque, non ſubſequitur, dum intellectui imperat, relicto veriſimiliori, judicare ſecundùm falſiſimilius, cognitum ut tale. Quia hoc eſt contra dictamen rationis, quæ dictat, quòd, cùm intellectus naturâ ſuâ tendat in verum, velut in ſcopum & centrum ſuum, voluntas ipſum retrahere non debeat à proximiori quàm poteſt acceſſu ad veritatem, ut ipſum reluctantem protrudat in proximiorem acceſſum ad falſitatem, ſive in proximum probabilius periculum illius. Ut enim ex Philoſopho 1. Ethic. 4. dicitur: *veritas eſt quid divinum, propter quod ſapiens & prudens voluntas debet & ſua deſtruere*, & affectus ſuos potiùs deponere, quàm intellectum à veritate avertere. Quod facere cenſetur, dum avertit ipſum à proximo quàm poteſt ad veritatem acceſſu, & propiùs accedere facit ad falſitatem, quàm ad veritatem. Hoc autem facit, dum ex induſtria avertit ipſum à conſideratione fundamentorum opinionis de illicito (quæ ſecundùm ſe, antecedenter ad affectum voluntatis, ritè conſiderata, & fundamentis opinionis de licito comparata, videbantur longè fortiora urgentioraque, adeòque longè veriſimiliora) ad unicè conſideranda fundamenta opinionis de licito, ut ſic opinio de licito (quæ eſt ſecundùm affectum voluntatis) jam appareat probabilior, quæ priùs apparebat longè minùs probabilis; jamque illi aſſentiat intellectus, qui antè diſſentiebat. Totus namque proceſſus iſte imprudens eſt & irrationabilis, tam ſcilicet aſſenſus iſtius opinionis, quàm imperium, quo aſſenſum illum voluntas imperat. Hoc enim ideò facit, quia non vult intelligere, ut benè agat, & à peccato ſe cuſtodiat. Nec intellectus abſque culpa aſſentit opinioni iſto modo viſæ ſibi probabiliori. Quia avertit oculos à debita conſideratione fundamentorum opinionis de illicito, quæ aliàs ſibi ex præſcripto rationis, non ex affectu voluntatis conſideranti apparebant longè probabiliora. Unde manifeſtum eſt quòd ne probabiliorem quidem opinionem de licito ſemper ſequi liceat. Quia opinio iſta non ſemper eſt inculpata, nec eam ſequens, ſi erret, ſemper involuntariè & invincibiliter, ſed plerùmque voluntariè & vincibiliter errat. Error autem voluntarius ac vincibilis à peccato non excuſat. Confer huc quæ dixi num. 127. & ſeqq. ubi oſtendi, aſſenſum opinionis minùs probabilis de licito, contra agnitam probabiliorem de illicito, prudenter imperari non poſſe: quia talem aſſenſum intellectus præſtare non poteſt, niſi bonam mentem, rationemque prodendo, falſitatemque pro poſſe non cavendo, pro affectu denique magis quàm pro ratione judicando.

Scio Terillum q. 10. de conſc. probab. n. 703
13. nullam in eo culpam, nullam imprudentiam agnoſcere. Quia nihil fit contra naturam intellectûs, dum ipſi à voluntate imperatur aſſenſus opinionis minùs probabilis de licito, cùm æquè per aſſenſum illius, quàm per aſſenſum opinionis probabilioris de illicito, æquè proindè per aſſenſum reverà falſum, quàm per aſſenſum verum, intellectus perveniat ad ſcopum, ſeu finem, & bonum ſuum. Quia nempe *finis quo hic & nunc intellectus frui poteſt, non eſt veritas ipſa, ſeu abſoluta correſpondentia inter objectum & cognitionem; ſed veritas ut probabiliter cognita. Veritas namque, ut evidenter cognita* (*in materia* utrimque probabili) *hic & nunc impoſſibilis eſt. Ergo finis intellectûs* (reſpectivè ad ejuſmodi materiam) *non eſt veritas ut evidenter cognita: alioquin hic & nunc reſpiceret finem ſibi impoſſibilem. Finis ergo intellectûs hic & nunc non eſt niſi veritas, ut probabiliter cognita. Atqui evidenter poſſidet hunc finem, in quamcumque partem probabilem inclinetur à voluntate. Ergo voluntas prudenter determinat illum ad quamvis ex partibus probabilibus oppoſitis. Quia ſic certò obtinet finem ſuum*, licèt non obtineat

omnem perfectionem finis. Quia dictus finis melius obtinetur per assensum motivo probabiliori præstitum. Sed ex defectu istius melioritatis non arguitur culpa & imprudentia. Quia ad utramque vitandam necesse non est eligere melius, sed sufficit eligere bonum.

704 Verùm-enimverò falsissimum est quòd finis intellectûs hîc & nunc, sive in hoc statu abstractivæ cognitionis, non sit veritas absoluta, sed veritas ut cognita. Aliàs intellectus in judicio de rebus, veritate niti non deberet, quantùm in se est, ad hoc ut de rebus, ut sunt, judicaret. Cujus oppositum ex Philosopho 6. Ethic. tradit S. Thomas c. 2. q. 60. a. 4. his verbis: *In judicio.... de rebus.... attenditur.... bonum judicantis, si verè judicet; vel malum, si falsò. Quia verum est bonum intellectûs; falsum autem est malum ipsius, ut dicitur 6. Ethic.* Quodnam verum est bonum intellectûs, collige ex illatione quam immediatè facit. *Et ideò unusquisque debet niti ad hoc, ut de rebus judicet, prout sunt.* Assertio proinde illa Terilli est contra S. Thomam, & contra Philosophum. Est etiam contra communem omnium sensum. Quia omnes ut malum reputant decipi, sive de rebus aliter quàm sunt judicare. Et in eo *falli nolunt, etiam quicumque amant fallere*, ait Augustinus Enchirid. 17. Est denique contra rationem. Quia veritas, ut cognita formaliter, nihil est aliud quàm cognitio affirmans objectum esse verum. Cognitio verò ut affirmans objectum esse verum, non est finis intellectûs. Aliàs falsitas non esset malum ipsius: cùm per falsam cognitionem intellectus finem illum assequatur, veritatem utique ut affirmatam & cognitam, sive cognitionem quâ objectum cognoscitur & affirmatur esse verum. Deus etiam posset esse author erroris & falsitatis, determinando intellectum ad veritatem ut falsò cognitam, sive ad falsam cognitionem, quâ falsum cognoscitur & affirmatur esse verum. Quia unicuique author esse potest assequendi finem suum naturalem, ad illiusque assecutionem, unumquodque determinare. Cùm igitur veritas, ut cognita, indifferens sit ad hoc ut cognita sit per cognitionem absolutè veram, vel per cognitionem absolutè falsam, adeòque ut conjungatur cum absoluta veritate, vel cum absoluta falsitate; veritas ut cognita nequit esse finis intellectûs, sed veritas absoluta dumtaxat.

CAPUT LVIII.

Quinta ratio: quia, ad licitè operandum, non sufficit judicium quodcumque de licito; sed de eo certum moraliter esse oportet judicium ultimò practicum, quo humana proximè & immediatè dirigitur operatio. Quam moralem certitudinem habere nequit, qui facit quod sibi probabiliùs illicitum videtur, quàm licitum.

705 QUòd ad licitè operandum, judicium de licito esse debeat moraliter certum, omnes ferè Probabilistæ consentiunt, paucis exceptis, ut Vasquez 1. 2. disput. 62. a. 2. Francisco de Lugo de consc. c. 3. q. 1. Bresserо l. 2. de consc. c. 3. Barone in Scoto defenso to. 3. Apolog. 7. quos tamen censeo voce, & loquendi modo, potiùs quàm re dissentire, si certitudo moralis explicetur, uti eam explicant Philosophus, S. Thomas, S. Antoninus, aliique veteres Theologi infrà referendi. Quidquid sit, ad licitè operandum requiri judicium certum, saltem morali certitudine,

Probatur 1°. ex Eccli. 37. *Ante omnia verbum verax præcedat te, & ante omnem actum consilium stabile.* Ubi, per *verbum verax*, Glossa in Extrav. *Sedes Apostolica* Joan. XXII. intelligit judicium certum & indubitatum. Quia veritas est *indubitata rei certitudo.* Per *consilium* quoque *stabile*, consilium moraliter certum & firmum litteraliter intelligitur. Ut enim Jansenius in eum locum, consilium stabile Sapiens requirit, quo *certis rationibus discas, sive in teipso, sive in aliorum consilio, facti tui reddere rationem.* Illud namque *vocat consilium stabile, quod firmis nititur rationibus. Non enim omne verbum sequendum est, sed quod veritate fulcitur, & firmis rationibus.* 706

2°. ex Apostolo Rom. 14. v. 23. *Omne quod non est ex fide, peccatum est.* Ibi namque per fidem, Apostolus intelligit certam & firmam conscientiæ persuasionem, uti constat ex totius capitis contextu, in quo instituit infirmos in fide, sive habentes conscientiam infirmam, circa usum ciborum lege veteri prohibitorum, multaque dicit, quæ à SS. Doctoribus intelliguntur de fide, seu persuasione firma. Nam quod v. 2. ait: *Alius credit edere omnia*, Ambrosius ibi sic vertit: *Alius non dubitat edere omnia.* V. 22. *Tu fidem habes*, Ambrosius ibidem sic exponit: *Tu edis, securus, quia creatura Dei bona est.* Dionysius Carthusianus: *Intra te firmiter credis, omnes cibos per Christum purificatos, seu licitos factos.* Cornelius à Lapide, cum Chrysostomo (Apostolum intelligente de eo qui *nulla cum hæsitatione vescitur*) *certus & securus es, nihil apud Christianos esse immundum legaliter.* Denique hoc quod Apostolus v. 13. ait: *Unusquisque in suo sensu abundet*, Syrus sic vertit: *Quisque in scientia animæ suæ confirmetur.* Enimverò pro voce latina *abundet*, textus Græcus habet πληροφορείσθω, id est (ut Budæus, Erasmus & Vatablus vertunt) *certus sit, planè persuasus.* Quasi dicat Apostolus: *Quisque in sua mente certus esto, & plenè persuasus, id quod facit licitum esse.* Ita Cornelius à Lapide. 707

3°. ex solemni Augustini effato, canonizato in cap. *siquis autem* de pœnit. distinct. 1. *Tene certum, & dimitte incertum.* Tenemur enim, quantùm in nobis est, cavere morale periculum faciendi contra legem Dei, juxta illud Psal. 118. *Tu mandasti, mandata tua custodiri nimis.* Et Deuteron. 26. *Deus præcepit tibi, ut facias mandata hæc.... ex toto corde tuo*, &c. Eccli. 3. *Qui amat periculum, peri-* 708

bit in illo. Et ratio est, quia exponere se morali periculo faciendi contra legem Dei, adeòque peccandi, est contra legem divinæ amicitiæ, est contra legem prudentiæ, est contra ordinatam sui dilectionem, quæ non permittit ludere cum anima sua, absque necessitate exponendo salutem ipsius incertitudini operationis suæ; sicut non permittit ludere cum corporali vita sua, absque necessitate exponendo eam incertitudini operationis suæ, v. g. sumptionis poculi, de quo moraliter timet, vel timere debet, ne sit veneno infectum.

709 Quòd autem moralem de licito certitudinem habere nequeat, qui facit quod sibi probabiliùs illicitum videtur, quàm licitum, demonstratur 1°. quia non est moraliter certum, immò nec probabilius, sed ad summum probabile (imò ne probabile quidem) quòd licitum sit facere id quod operanti per principia directa videtur probabiliùs illicitum. Neque enim certum vel probabilius esse potest, cui refragantur tot & tantarum rationum fortissimarum momenta, tot & tantarum authoritatum pondera suprà exhibita, sacrorum videlicet Oraculorum, Pontificum, Patrum, omnium veterum Theologorum, totque sapientissimorum hujus sæculi Cardinalium, Archiepiscoporum, Episcoporum, Synodorum, Parochorum, & Doctorum. Quibus omnibus comparatæ authoritates, rationesque Probabilistarum, adeò superantur, ut vix aut ne vix quidem ullius momenti ac ponderis esse videantur.

710 Demonstratur 2°. quia faciens quod sibi videtur probabiliùs illicitum, nullum habet principium, sive directum, sive reflexum, per quod moraliter possit, quòd hîc & nunc operando non peccet. Neque enim certam ad hoc habet authoritatem, uti proximè vidimus. Neque certam rationem; immò nonnisi rationes leves & sophisticas, & falsas, vel incomparabiliter minoris ponderis, quàm sint rationes, quas producimus in contrarium. Quòdque taliter operans nullum habeat principium directum, ipsum moraliter certificans, ipsimet Probabilistæ fatentur, resque ipsa loquitur. Agitur enim de operante secundùm opinionem minùs probabilem de licito, qualis profectò non est opinio, seu sententia, pro se habens principium directum, reddens ipsam moraliter certam. Quòd etiam non habeat principium reflexum moraliter certificans, partim demonstratum est à cap. 26. ad 32. partim ampliùs demonstrabitur in subjicienda confutatione rationum, seu principiorum Terilli, quæ vel unica, vel potissima sunt principia reflexa, in quibus fundatur minoris probabilitatis doctrina. Breviterque hîc ostendo. Quia prætensam suam certitudinem Probabilistæ fundant in reflexis hisce principiis: *Omne probabile licitum est ac tutum. Quisquis secundùm probabilem agit opinionem, agit prudenter*, vel *agit secundùm rectam rationem. Quandocumque probabile est actionem non esse prohibitam, lex eam prohibens* (si quæ sit) *non est sufficienter promulgata. Quandocumque lex prohibens incerta est, homo est in possessione suæ libertatis. Lex non est sufficienter promulgata, quamdiù invincibiliter ignoratur, an sit certò lata.* At principiorum istorum, nedum incertitudinem, sed & falsitatem, & improbabilitatem, & nimiam laxitatem demonstravimus à cap. 26. ad 32. demonstratque damnatio istius propositionis tertiæ per Innocentium XI. *Generatim, dum probabilitate, sive intrinsecâ, sive extrinsecâ, quantumvis tenui, modò à probabilitate non exeatur, consisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.* Ista namque propositio confectaria est ex reflexis illis Probabilistarum principiis, uti ostendimus n. 294. 461. & 462. Certo proinde certius est, eum qui practicè sequitur opinionem probabilem de licito, cognitam ut talem, nullum habere principium, sive directum, sive reflexum, per quod moraliter certificari, immò per quod prudenter judicare queat, quòd hîc operando non peccet.

CAPUT LIX.

Sexta ratio: quia faciens quod sibi videtur probabiliùs illicitum, non prosequitur veritatem quantùm scit & valet. Ad quod Deus, honestas, officium boni Christiani, immò & officium boni viri obligant.

711 Quòd non prosequatur veritatem quantùm scit & valet, ratio est, quia solus ille prosequitur veritatem quantùm scit & valet, qui non est contentus qualicumque ad eam assequendam conatu, sed ipsius metam certò assequitur, si potest; sin minùs, ad eam certitudinemque illius, quàm proximè scit & potest, accedit. Sed ad veritatem veritatisque certitudinem non accedit, quàm proximè scit & potest, qui facit quod sibi videtur probabiliùs illicitum. Quia sciens & volens facit, quod cognoscit probabiliùs esse, quàm non esse contra veritatem divinæ legis, sciens & volens eligit id, cujus honestas sibi videtur remotior à veritate, proximiorque falsitati; dumque opinionem minùs probabilem de licito scienter præfert probabiliori de illicito, opinionem remotiorem à certitudine veritatis, præfert opinioni proximiùs ad eam accedenti. Quantò enim probabilior opinio, tantò proximior certitudini veritatis; ab eaque tantò remotior, quantò minùs probabilis, ut per se notum est. Talis proinde non videtur benè affectus erga veritatem, sed videtur excusationem in peccatis quærere, sicut ad veritatem benè affectus non esset, si à Deo non peteret notitiam veritatis, sed probabilitatis (ut Terillus fatetur q. 28. de consc. probab. n. 44.) vel solùm peteret notitiam probabilitatis minoris de licito, nihil curans probabilitatem majorem de illicito.

Quòd autem Deus obliget hominem ad 712

prosequendam veritatem, quantùm scit & valet, constat ex sacris Eloquiis n. 425. exhibitis. Necnon ex Psal. 118. *Tu mandasti, mandata tua custodiri nimis.* Siquidem ly *nimis*, ex communi sacrorum Interpretum sensu, designat conatum valdè exquisitum & sollicitum ad conformandos omnes actus & affectus nostros veritati mandatorum Dei.

713 Quòd ipsa quoque honestas, & officium boni Christiani, immò & officium boni viri id à nobis postulent, ratio est, quia est contra honestatem, sicut & contra officium boni viri, scienter & volenter à veritate divinæ legis longiùs recedere, propiùsque ad falsitatem quàm ad veritatem ipsius accedere, illud eligendo & agendo, quod cognoscimus probabiliùs esse, quàm non esse contra veritatem divinæ legis. Est etiam contra christianam honestatem, officiumque boni Christiani, in concernentibus salutem, & periculum animæ, minùs sollicitum esse de veritate divinæ legis, sive conformitate cum illa, quàm de ea solliciti fuerint Gentiles, sive qui ex ipsis habiti sunt Sapientes, etiam illi, quibus veritatis inventio visa est impossibilis; uti visa est Academicis, Scepticis, & Pyrrhoniis. Quos tamen cap. 46. demonstravimus contentos non fuisse remotiore accessu, licèt probabili, ad veritatem, etiam in rebus philosophicis & temporalibus, sed vel æquè proximum, seu æquè probabilem Scepticos, & Pyrrhonios requisisse; Academicos verò proximiorem, seu probabiliorem.

714 Quòd si Sectatores Academicæ Scholæ, de veritatis inventione desperabundi, tantum nihilominùs tribuendum censuerunt veritati, ut non liceret secùros esse de qualitercumque probabili ad eam accessu, sed omni curâ & studio conandum voluerint ad eam quàm proximè, & quàm probabiliter fieri potest accedere. Quantò minùs id licet nobis Christianis, Discipulis veritatis, & ad regnum veritatis vocatis, quorum Magister est *veritas*, & ad hoc missum se dicit, *ut testimonium perhibeat veritati*, quòdque per veritatem liberabit nos: (*veritas liberabit vos*) jubetque Patrem *adorari in veritate?* Si enim in Schola erroris non licuit veritatem probabiliùs agnitam deserere, eique falsitatem probabiliùs agnitam præferre: multò minùs id licet in Schola veritatis. In qua sicut sistere non licet in agnita veritatis vicinia, dum ad ipsam veritatis metam pertingi potest: sic sistere non licet in agnita minori seu minùs probabili veritatis vicinia, dum ad majorem veritatis viciniam, seu majorem probabilitatem perveniri potest. Enimverò discipulus veritatis quærere non debet opinionem propter opinionem, vel propter suam libertatem, vel commoditatem; sed propter veritatem. Quæ cùm in una dumtaxat contradictionis parte reperiri queat, convincitur opinionem propter veritatem, seu veritatem ipsam non quærere, qui, relictâ opinione longè probabiliori, cognitâ ut tali, eam sequitur & eligit, quam longè minùs verisimilem cognoscit; relictâque majore viciniâ veritatis, scienter eligit majorem viciniam falsitatis.

CAPUT LX.

Septima ratio: quia facere quod probabiliùs videtur illicitum, est contra legem divinæ amicitiæ, humanæque servitutis, & subjectionis ad Deum, tamquam supremum Dominum ac Legislatorem.

PRobatur 1°. ex primo maximoque mandato, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, &c. Isto namque præcepto, Dei offensam cavere, mandatorumque ipsius observantiam velle præcipimur, quantùm scimus & possumus, uti docet S. Thomas 2. 2. q. 23. a. 1. Atqui Dei offensam non cavet, mandatorumque observantiam non vult, quantùm scit & valet, qui facit quod sibi probabiliùs videtur illicitum. Quia dum sciens & volens facit quod sibi probabiliùs videtur esse quàm non esse offensa Dei, transgressioque mandatorum ipsius, sciens & volens exponit se probabiliori periculo utriusque. Dei proinde amicitiam, mandatorumque observantiam contemnit. 715

2°. Deum ex toto corde diligens, mandataque ipsius toto corde servare volens, sic saltem cavere debet offensam Dei, velleque observantiam mandatorum ipsius, sicut bonus amicus in humanis cavere debet offensam amici, bonus filius offensam patris, bona uxor offensam mariti. Sed bonus amicus non est, nec bonus filius, nec bona uxor, qui vel quæ facit quod probabiliùs est, quàm non est offensa amici, patris, mariti. Nec bonus servus & subditus, qui facit quod probabiliùs est, quàm non est vetitum à domino & superiore suo. Nec est dominus, superior, maritus, filius, amicus in humanis, qui vellet talem habere servum, subditum, uxorem, filium, amicum, cui sua amicitia, mandatorumque suorum custodia, tam parum cordi esset, ut abstinere nollet à probabiliori offensa & inobedientia, cognita ut tali. 716

3°. non est bonus amicus, bonus filius, bona uxor, bonus servus, bonus subditus, qui facit id quod cognoscit æquè probabiliter esse, quàm non esse offensam amici, patris, mariti, domini, superioris. Quia agit cum dubio de offensa. Ergo non est bonus amicus, filius, &c. qui facit quod cognoscit probabiliùs esse, quàm non esse offensam, &c. Quia agit cum plusquàm dubio de offensa. 717

CAPUT LXI.

Octava ratio: quia id est etiam contra legem christianæ prudentiæ.

TAmetsi id satis probatum sit cap. 57. quia tamen inde funditùs evertitur principale 718

fundamentum Probabilistarum (qui ideò maximè licitum prætendunt usum opinionis minùs probabilis de licito, quia qui probabilem sequitur opinionem, prudenter agit) lubet id ampliùs probare 1°. quia sicut christiana prudentia vetat id agere, de quo dubitas, æquum sit, an iniquum; sic à fortiori vetat id agere, de quo id plusquàm dubitas. Quemadmodùm verò de eo dubitat, cui æquè probabile est esse, quàm non esse iniquum; sic de eo plusquàm dubitat, cui probabilius est esse, quàm non esse iniquum.

719 2°. prudentia christiana dictat, in dubio eligendum quod tutius est, ad cavendum probabile periculum peccati. Multò ergo magis id dictat in plusquàm dubio, ad cavendum probabilius, & moraliter majus periculum peccati.

720 3°. prudentiæ christianæ est dictamen istud: *Quasi à facie colubri, fuge peccatum.* Ergo contra legem christianæ prudentiæ est, sponte se exponere probabiliori periculo peccati. Nemo enim prudens exponit se probabiliori periculo colubri.

721 4°. prudentia non magis permittit exponere se morali periculo mortis animæ per peccatum, quàm morali periculo mortis corporis per venenum. Ergo non magis permittit facere actionem, quæ probabilius cognoscitur esse peccatum, & mors animæ, quàm sumere cibum vel potum, qui probabiliùs cognoscitur esse venenatus, & mors corporis.

722 Si dicas opinionem minùs probabilem de absentia veneni tollere non posse venenum, nec proinde impedire mortem corporis, si cibus vel potus reverà sit veneno infectus; opinionem verò minùs probabilem de licito tollere venenum animæ, impedireque mortem animæ, si actio reverà sit prohibita.

Respondeo, nullâ ratione, nullâ veritatis specie id dici. Quis enim privilegium istud dedit opinioni minùs probabili de licito, in concursu & occursu probabilioris de illicito? Quâ Scripturæ authoritate, quo Conciliorum, vel Canonum, aut Sanctorum testimonio privilegium istud fulcitur? Quid refert ad securam reddendam animam à veneno culpæ, quòd opinio longè minùs probabilis dicat actionem non esse mortiferam, si opinio longè probabilior, ex fundamento longè urgentiore dicat esse mortiferam? Cur opinio longè minùs probabilis de licito potentior est ad excusandum à veneno culpæ, quàm opinio longè probabilior de illicito ad excusandum? Profectò si actio excusatur propter opinionem minùs probabilem de licito, accusatur propter probabiliorem de illicito. Simul ergo excusatur & accusatur, simul affert, & non affert mortem animæ. Quod cùm implicet contradictionem, & justum sit fortiorem prævalere debiliori, dicendum, opinionem longè probabiliorem de illicito prævalere opinioni longè minùs probabili de licito; peccare proinde hominem, qui habens fundamenta longè urgentiora ad judicandum actionem esse, quàm non esse graviter prohibitam, eam nihilominùs facit.

5°. vel ille qui facit actionem, quæ sibi 723
videtur probabiliùs illicita, dubitat, vel non dubitat de honestate illius? Si dubitat, & stante dubio, eam nihilominùs faciat, sine dubio peccat, & imprudenter agit, discrimini se committens, ut constat ex dictis de conscientia dubia. Si non dubitat, sed dubium deponit, imprudenter non dubitat, imprudenter dubium deponit, dum tanta est dubitandi, & plusquàm dubitandi ratio. Vel enim imprudentia non datur in rebus humanis, vel ista est imprudentia magna, de honestate actionis non dubitare, ubi vides inhonestatem æquè probabilem esse, quàm honestatem; & plusquàm non dubitare, ubi vides inhonestatem longè probabiliorem esse, quàm honestatem. Nec minor est imprudentia, dubium omne deponere, à dubitantiumque & plusquàm dubitantium lege (de cavendo periculo peccati, de eligenda via tutiori, &c.) non pro ratione, sed pro sola voluntate sua se eximere, deponendo dubium, & plusquàm dubium, dum magna perseverat dubitandi, & plusquàm dubitandi ratio.

6°. denique prudentia christiana dictat, 724
non minorem sollicitudinem habendam, in concernentibus salutem, fugamque peccati, quàm prudentes sæculi habeant in omni alio quàm salutis negotio. Scriptum est enim: *Si quæsieris sapientiam tamquam pecuniam, & sicut thesauros effoderis illam, intelliges timorem Domini.* Et ratio innata clamat, unamquamque rem tantò sollicitiùs quærendam, quantò majoris æstimationis esse deprehenditur. Unde Augustinus serm. 102. de temp. loquens de sententia hominis projecti in tenebras exteriores: *Ecce* (inquit) *quam sententiam accepturi sunt, qui majorem de corpore, quàm de anima sollicitudinem gerunt.* Sed prudentes sæculi, in omni alio quàm salutis negotio, cavent minùs tutam, minùsque probabilem viam, probabiliori, tutiorique præferre; & ideò cavent sumere poculum probabiliùs veneno infectum, vel incedere per viam probabiliùs à latronibus infestatam, committere se, vel merces suas, mari probabiliùs perituras, exercere negotiationem probabiliùs damnum quàm lucrum allaturam, &c. Et usque adeò à similibus cavent, ut qui secùs faceret, ab omnibus imprudens, immò stupidus & insanus haberetur. Ergo similiter imprudentes, stupidi & insani habendi sunt, qui id faciunt in rebus animam & salutem concernentibus.

Hoc argumentum brevius sic confici po- 725
test: imprudens est, qui in quocumque alio gravi negotio, in quo agitur de temporali interesse, posthabito medio probabiliori & tutiori ad illud consequendum, eligit minùs probabile, minùsque tutum, ut ex variis juribus probat Fagnanus n. 262. Ergo imprudentior

est, qui id facit in negotio longè graviori animæ, salutisque æternæ.

726 Aiunt quidem Probabilistæ. 1°. se majorem exigere sollicitudinem in concernentibus salutem, fugamque peccati, quàm à prudentibus sæculi temporalibus in negotiis adhibeatur. Quia moralem (inquiunt) exigimus certitudinem, quòd actio hîc & nunc non impediat salutem. 2°. inter temporalia & salutis damna, id est discriminis, quòd bona fides & moralis certitudo avertat ista, non illa.

Sed cap. 58. demonstravimus moralem certitudinem non peccati, in eo esse non posse, qui facit quod sibi videtur probabiliùs peccatum. Et cap. 54. & 55. in eo esse non posse bonam fidem, seu conscientiam & judicium prudens non peccati. Et in præsenti cap. num. 722. salutis damna per probabilitatem non averti, in eo qui sequitur opinionem minùs probabilem de licito, relictâ probabiliori & longè probabiliori de illicito.

CAPUT LXII.

Nona ratio: quia faciens quod sibi probabiliùs videtur illicitum, coram Deo defendere nequit actionem suam, nec illam excusare, sive reverà illicita sit, sive non sit.

727 Octavò arguitur sic: qui licitè agit, coram Deo justè defendere potest actionem suam, tamquam hîc & nunc licitam, sive à Deo permissam. Sed qui agit secundùm opinionem minùs probabilem de licito, contra agnitam probabiliorem de illicito, coram Deo justè defendere non potest actionem suam. Nihil enim respondere potest Deo interroganti, cur secutus sit opinionem minùs probabilem de licito, cùm cognosceret opinionem de illicito authoritate & ratione longè esse probabiliorem?

728 Si enim respondeat: Domine, secutus sum illam opinionem, quia à bonis Doctoribus ut vera defendebatur. Statim Deus reponet: Serve nequam, hæc te responsio non excusat. Quia sciebas meliores Doctores, meliori cum ratione illius falsitatem ostendere. Cur enim minorem authoritatem majori, rationemque minùs solidam solidiori prætulisti? cur opinionem longè verisimiliorem, cognitam ut talem, longè falsisimiliori postposuisti?

729 Si respondeat: Domine hoc ideò feci, quia opinio quam secutus sum, nitebatur fundamento gravi: utpote quo boni illi Doctores moti sunt ad eam tradendam. Deus statim replicabit: Serve nequam, ex ore tuo te judico. Si enim eo fundamento boni illi Doctores moti sunt ad eam tradendam, ideò fuit, quia ipsis visum est probabilius fundamento in contrarium. Tibi autem fundamentum istud econtrà visum est minùs probabile fundamento in contrarium. Cur ergo contempsisti sententiam faventem legi meæ, quæ tibi visa fuit majori nixa fundamento, ut opinionem tuæ libertati faventem sequereris, cujus fundamentum minùs verisimile æstimasti? Eo ipso convinceris non quæsisse legem meam, & voluntatem, seu utriusque veritatem (quam tibi præ alia ostendebat opinio stans pro lege mea, in qua agnoscebas majus momentum rationis, majusque pondus authoritatis) sed tuam potiùs voluntatem, carnemque, & sanguinem.

Ecce quomodò se excusare non poterit homo ille, sed iniquitas ipsius *oppilabit os suum.* 730
Et reverà inexcusabilis est, si reverà illicitum sit quod facit. Quia prætendere nequit excusationem ignoratæ invincibiliter malitiæ suæ actionis. Quisquis autem facit malum, non ignorans invincibiliter malum, inexcusabilis est. Et adhuc inexcusabilis foret, etiamsi id quod facit, reverà illicitum non foret, ratione probabilioris periculi peccati, cui sciens & volens se exponit. *Qui enim amat periculum, peribit in illo.* Peccati verò periculum amare censetur, qui faciendo id quod sibi videtur probabiliùs esse, quàm non esse peccatum, sciens & volens morali periculo ipsius se exponit; sicut amare censetur periculum mortis, qui faciendo id quod sibi videtur probabiliùs esse, quàm non esse mortiferum, sciens & volens morali mortis periculo se exponit. Nec certè aliud est amare morale periculum peccati, quàm illud scienter & volenter non vitare cùm possis. Tunc enim censeris non curare peccatum, cujus est periculum, virtualiter proinde sic affectus esse, ut sive id quod facis, sit, sive non sit peccatum, velis equidem facere. Unde S. Thomas quodlib. 3. a. 9. ad 3. docet, quòd quicumque non cavet pericula, dum potest, videtur contemnere id cujus detrimentum pericula inducere possunt. Censeris etiam magis amare tuam voluntatem, vel temporalem quam quæris commoditatem, quàm salutem, ut idem S. Doctor ait quodlib. 8. a. 13. qui propter beneficium temporale peccati *periculo se committit, procul dubio peccat: utpote magis amans beneficium temporale, quàm propriam salutem.*

Quòd autem faciens id quod reverà est illicitum, dum probabiliùs ipsi videtur illicitum, 731
prætendere nequeat excusationem ignoratæ invincibiliter malitiæ suæ actionis, adeò exploratum est, ut mirum sit posse viros doctos oppositum prætendere. Cùm in vero dubio, seu æquali probabilitate de illicito ac de licito, id prætendi nequeat, uti pluribus argumentis demonstravimus cap. 31. Multò ergo minùs in plusquàm dubio, seu majore probabilitate de illicito ac de licito. Quod in præsenti illustrare lubet.

1°. quia qui facit quod reverà malum est, 732
tunc solùm excusari potest per ignorantiam invincibilem, seu involuntariam & inculpatam, quando, citra culpam suam, vel 1°. nulla mentem ipsius subiit cogitatio vel dubitatio malitiæ; vel 2°. siqua cogitatio vel dubitatio subiit, post debitum examen, omnibus ritè

tè pensatis, deprehensa est levis ac temeraria; vel 3°. prudenter judicata fuit in praxi non procedere, ob principium moraliter certificans in contrarium, omnemque proinde rationabilem formidinem removens in praxi. Sed istud postremum non verificatur in præsenti, uti constat ex dictis cap. 58. Non verificatur etiam secundum: cùm cogitatio, seu opinio de illicito, omnibus ritè pensatis, supponatur visa probabilior, seu gravioribus & melioribus rationibus suffulta, quàm opinio contraria. Non verificatur denique primum: quia cui probabilior occurrit opinio de malo, seu illicito, occurrit plusquàm simplex cogitatio vel dubitatio de malo. Ergo manifestum est quòd nullâ ratione talis excusari queat per invincibilem mali ignorantiam.

733 2°. qui facit malum, probabiliorem habens mali notitiam, solùmque non habens notitiam illius evidentem & certam, se excusare nequit per invincibilem mali ignorantiam. At ille qui facit aliquid, quod sibi videtur probabiliùs malum, probabiliorem habet mali notitiam, solùmque non habet certam illius notitiam. Cujus solius defectus, dici nequit ignorantia invincibilis, etiamsi per adhibitam diligentiam certa mali notitia nequiverit comparari. Certissimum quippe est quòd invincibilis ignorantia veritatis, plus importet quàm invincibilem defectum certæ notitiæ illius. Cùm invincibilis plurimarum veritatum incertitudo, post adhibitam debitam diligentiam, reperiatur in multis, in quibus non reperitur invincibilis earum ignorantia, v. g. in iis qui sequuntur opinionem tenuissimè probabilem de licito, manentem tamen intra terminos probabilitatis (cùm certum sit contrariam opinionem tamdiù certam esse non posse, quamdiù ipsa manet probabilis) quos profectò non excusat invincibilis ignorantia mali, prout Ecclesia declaravit. Sed & quicumque longè probabiliùs cognoscunt se consensisse tentationi, licèt post adhibitam debitam diligentiam id certò cognoscere nequeant, invincibiliter se consensisse non ignorant. Quisquis etiam probabiliùs cognoscit vinum, quod bibit, infectum esse veneno, licèt certam de eo cognitionem post debitam diligentiam comparare nequeat, invincibilem de eo ignorantiam habere non censetur. Et sic de mille aliis. Et ratio à priori est, quia sicut aliud est cognitio, aliud certitudo; nec in quocumque reperitur unum, reperitur & alterum; sic aliud est ignorantia, quæ est defectus cognitionis: aliud incertitudo, quæ est defectus certitudinis. Et sicut aliud est ignorantia, aliud incertitudo; nec in quocumque reperitur ista, reperitur illa; sic aliud est invincibilis ignorantia, aliud invincibilis incertitudo: nec in quocumque post debitam diligentiam reperitur invincibilis incertitudo, reperitur invincibilis ignorantia. Prorsus ergo infundatè & temerariè invincibilis ignorantia mali arguitur ex invincibili incertitudine mali, quam adhibitâ quis diligentiâ non potuerit superare. Alioqui specie ignorantiæ invincibilis innumera excusarentur peccata: cùm innumerabiles accedant casus peccatorum, in quibus certam veritatem assequi non possumus.

3°. non ignorat invincibiliter falsitatem, 734
qui eam certò cognoscere non valens, eam non fugit quantùm scit & valet, sed eligit quod sibi videtur probabiliùs falsum. Similiter ergo non ignorat invincibiliter malum, qui illud certò cognoscere non valens, illud non fugit quantùm scit & valet; sed etiam quod sibi videtur probabiliùs malum.

4°. non ignorat invincibiliter suæ infide- 735
litatis errorem, qui veram religionem, agnitam probabiliorem, non credit, ductus opinione minùs probabili, tametsi nondum assequi possit notitiam certam de credibilitate nostræ religionis. Aliàs vera esset propositio quarta per Innocentium XI. damnata: *Ab infidelitate excusatur infidelis non credens, ductus opinione minùs probabili.* Similiter Judex fori externi non ignorat invincibiliter jus Titii, quando contra illud sibi visum probabilius sententiam fert pro Cajo, cujus jus sibi videtur minùs probabile, etiamsi post adhibitam debitam diligentiam, juris Titii certam assequi non valuerit notitiam. Aliàs non peccaret contra jus Titii, judicando tunc pro Cajo secundùm opinionem visam sibi minùs probabilem. Quod etiam Innocentius XI. damnavit. Dubius quoque de mortali commisso, dum certam de eo notitiam adhibitâ diligentiâ non potest adipisci, non censetur illud invincibiliter ignorare. Aliàs mortalia dubia non magis confitenda forent, quàm invincibiliter ignorata. Denique agens cum conscientia dubia de peccato, dum certam de eo notitiam consequi non potest, non censetur agere cum invincibili ignorantia peccati. Alias à peccato excusaretur. A quo tamen nullus ipsum excusat, nec excusare potest. Innumeris ergo exemplis certissimè ostenditur invincibilem incertitudinem non inferre ignorantiam invincibilem, per eamque non excusari eum, qui facit aliquid, quod peccatum esse probabiliter vel probabiliùs cognoscit, licèt certò, post debitam diligentiam, cognoscere non possit. Quòdque non magis excusabilis sit per defectum sufficientis promulgationis legis, vel per possessionem suæ libertatis, fusè demonstratum est, agendo de conscientia dubia.

CAPUT LXIII.

Decima ratio: quia vel rationabiliter non asseritur, esse agenti licitum (in agendo) sequi opinionem minùs probabilem de licito, contra agnitam probabiliorem de illicito; vel rationabiliter asseritur, esse Judici licitum (in judicando) sequi opinionem minùs probabilem de justo, contra agnitam probabiliorem de injusto (cùm eadem vel similis sit utriusque ratio) sed istud rationabiliter non asseritur. Ergo nec illud.

SUbsumptum constat ex declaratione Eccle- 736
siæ, quæ per Innocentium XI. damnavit

hanc propositionem secundam inter 65. *Probabiliter existimo, posse Judicem judicare juxta opinionem, etiam minùs probabilem.* Ante quam declarationem plerique ex ipsismet Probabilistis, ut Layman, Franciscus Bardi, & Terillus propositionem hanc improbabilem censuerunt. Et meritò : Judicem quippe judicare debere in favorem illius partis, cujus meliorem, probabilioremque causam cognoscit, nec pro ea rationabiliter judicare posse, pro qua stare videt minorem probabilitatem (sive probabilitas circa factum, sive circa jus versetur) indubitata sententia est, licèt ei quoad jus contradicant Castro-Palao to. 1. disput. 2. p. 11. n. 7. Martinus Deltio in disquisit. Magic. l. 5. q. 1. §. *quotiescumque*. Gaspar Hurtado, Salas & plures alii Casuistæ. Quorum sententiam probabilem immeritò censet Sanchez in Summa to.... l. 1. c. 10. n. 46. Quòd enim Judex pro eo judicare non possit, cujus jus minùs probabile esse cognoscit, certis probatur argumentis.

737 Primò quia, uti sapienter observat Lumbierus noster observat. 4. ad secundam propositionem ab Innocentio XI. damnatam : in Judicibus & Tribunalibus justitiæ, residere debet (velut in throno suo) æquitas & justitia, suum cuique jus statuens. Justitia verò & æquitas non permittit, ut è duobus litigantibus, ille quem Judex, inspectis legibus, juribus & processu, videt potiori jure gaudere, à prætensione suâ cadat, & vincat ille, cui jura, leges, & processus minùs favent. Cùm enim sit manifestum, è duobus litigantibus de aliqua re, cujus dominium in solidum penes duos esse non potest, unum habere verum jus, alterum nonnisi apparens, debet Judex diligenter inquirere apud quem sit verum jus, absque omni passione, personarum acceptione, & affectu inordinato, diligentissimè expendendo rationes & fundamenta utriusque partis, ut illi rem tribuat, ad quem spectat. Ad id namque significandum pingitur justitia velatis oculis, cum bilance in manu, ad significandum (inquam) quòd Judex (qui est animata quædam justitia, ut Philosophus dicit 5. Ethic.) nullo modo personas respicere debet, nec ullo affectu in alterum ex litigantibus inclinari, ut ob amicitiam, consanguinitatem, vel aliam personarum qualitatem, dimoveatur ad favendum uni potiùs quàm alteri, sed sententiam ferre pro parte, cujus jus, omnibus inspectis, ipsi videtur potius, seu validioribus fundamentis vallatum. Ad hoc quippe Judex est constitutus, ut, sine personarum acceptione, judicet secundùm merita causæ, ita ut ne pauperis quidem misereri possit, dum causa ipsius deterior est, uti dicitur Exodi 23. *Pauperis non misereberis in judicio.* Isidorus etiam l. 1. de summo bono c. 51. dicit : *Non persona in judicio consideranda, sed causa.* Et Ambrosius in Psal. 118. *Bonus Judex nihil ex arbitrio suo facit, sed juxta leges & jura pronuntiat. Nihil indulget propriæ voluntati; sed sicut se habet negotii natura decernit. Examinat causæ merita, non mutat.* At verò secundùm merita causæ non judicat, dum victoriam adjudicat causæ, cujus merita vincuntur à meritis causæ adversæ.

Secundò Judex est Dei minister, & vices 738
gerens in terris. Debet ergo sententia ipsius, quantùm in ipso est, prodire de vultu Dei, qui est veritas, sicut scriptum est, *de vultu tuo judicium meum prodeat.* Per consequens sententiam ferre debet secundùm veritatem sibi propositam, quantùm scit & valet. Ideò namque Exodi 18. scriptum est : *Provide de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint avaritiam, ut judicent populum.* Deuteron. 17. *Quæresque ab eis qui indicabunt tibi judicii veritatem.* Quod ideò Deus exigit, ut intelligatur *quòd judicare debent Judices veritatem secundùm ea quæ fuerint sibi proposita*, ait S. Thomas 2. 2. q. 67. a. 2. ad 1. Sententiam verò non fert secundùm veritatem sibi propositam, quantùm scit & valet, dum sententiam fert secundùm opinionem visam sibi propiorem falsitati, contra eam quam cognoscit propiorem veritati.

Tertiò officium Judicis postulat, ut Judex 739
pronuntiet secundùm quod sibi videtur secundùm allegata & probata, in causa proposita. Sic enim lumen naturæ dictat. Et ideò litigantes ad ipsum, tamquam ad animatam justitiam confugiunt. Ideò etiam L. *qualem* ff. de testib. dicitur : *Confirmabit Judex motum animi sui ex argumentis & testimonis, quæ & reipsà aptiora, & vero proximiora esse conspexerit*, sive *quibus potiùs lux veritatis assistit.* Quæ omnia sunt ipsamet luminis naturæ dictamina, sicut & regula juris in 6. *Inspiciendum in obscuris, quod est verisimilius.* Et quia nulla erit justitia, nisi istud naturæ dictamen servetur, id Judices jurare jubentur. L. *rem novam*, & authent. *hodie* Cod. de judiciis : jurabant *se facturos, quod eis visum fuerit justius & melius.* Atqui Judex non pronuntiat secundùm quod sibi videtur, sed contra quod sibi videtur, dum pronuntiat pro eo, cujus causa sibi videtur deterior, contra eum, cujus causa sibi videtur melior; nec animi sui motum firmat ex argumentis quæ vero proximiora conspexerit, & quibus potiùs, ut sibi videtur, lux veritatis assistit, neque ex eo quod verisimilius esse cognoscit.

Quartò, in quæstionibus facti Judex senten- 740
tiam ferre non potest pro parte habente pro se opinionem minùs probabilem : ergo nec in quæstionibus juris. Antecedens omnes supponunt tamquam certum, ait P. Joannes de Cardenas to. 1. disput. 6. n. 85. Consequentia probatur, quia sicut pluralitas vel major dignitas testium, & majora indicia verisimiliorem faciunt existentiam facti; sic pluralitas vel major authoritas Doctorum, validioraque momenta rationum verisimiliorem faciunt existentiam juris, nullaque disparitas afferri potest.

Quintò, ex opposita sententia varia seque- 741
rentur

rentur absurda. Primum est quòd Judices non tam ministri essent justitiæ (quæ nihil pro arbitrio facit, nec ab uno ad alterum variabilis est, sed ad unum inflexibiliter alligatur) quàm arbitri causarum litigiosarum, & arbitri tales, ut in causis utrimque probabilibus possent, cui vellent, rem tribuere, arbitriumque variare, modò uni adjudicando, modò alteri. Quod fatetur quidem Diana. Sed si ita est in causis utrimque probabilibus; ita est in omnibus ferè causis litigiosis. Utpote in quibus utraque pars ferè semper habet probabilitatem aliquam, fundatam in diversis Authorum opinionibus, & plausibilibus rationibus, quas utriusque partis Advocati pro suo quisque cliente allegare solent. Enimverò causæ improbabili patrocinari non possunt, nec impunè permitterentur. Possent ergo Judices in ferenda sententia sequi quamcumque opinionem probabilem, & modò unam, modò alteram ex adverso stantem, & ubi semel ipsis constaret, dari Authores graves pro utraque parte, possent, nihil ampliùs inquirendo, rem, cui mallent, adjudicare & assignare, perinde ac si domini forent rei alienæ, de eaque disponere possent.

742 Et hinc secundum & tertium se prodit absurdum: quia hoc semel dato, frustrà quærerentur à litigantibus peritiores eloquentioresque Advocati. Nec Principes tenerentur, ad justitiæ administrationem, eligere viros sapientiores, legumque peritiores. Cessaret enim finis quærendi peritiores Advocatos, qui eo præcisè fine desiderantur, ut clientum causam verisimiliorem reddant, sicque Judicem moveant ad sententiam pro se ferendam. Qui finis cessaret, si ad ferendam sententiam justam, sufficeret causam clientis reddere Judici, seu magis, seu minùs verisimilem. Quo supposito, nec ipsi Judices tenerentur ad causam utriusque partis diligentissimè examinandam, ad finem videndi ad quem res pertineat secundùm veritatem; sed sufficeret videre, ad quem pertineat secundùm probabilitatem. Sufficeret proinde scire, an pro utraque parte staret probabilis opinio. Quod quilibet mediocriter in jure peritus facilè scire posset, dummodò capax discernere inter probabile & non probabile. Quod certè Judicibus facillimum est discernere, cùm ab Advocatis causæ instruantur, earumque fundamenta & merita ob oculos Judicum proponantur, quibus visis & auditis, quilibet Judex, saltem in evolvendis titulis & indicibus librorum mediocriter versatus, facilè deprehendit graves esse Authores pro utraque parte. Dicere autem quòd Principes non teneantur, ad justitiæ administrationem, sapientiores eligere, est contra Scripturam. Deuter. 1. *Date ex vobis viros sapientes, & gnaros, & quorum conversatio sit probata, & dixi eis, quod justum est judicate .... nulla erit distantia personarum .... nec accipietis cujusque personam. Quia Dei judicium est.* Ps. 2. *Erudimini qui judicatis terram.* Eccl. 10. *Judex sapiens judicabit terram.* Est etiam contra naturæ lumen, rectamque rationem, quæ contrarium ideò dictat, quia ista est natura judiciorum, ut Judices debeant jura partium inter se conferre, & momenta hinc inde allegata librare, ut sententiam proferant pro ea parte, cujus causam juribus & momentis rationum prævalere perspexerint. Ad quod ipsos teneri communis est sensus omnium Regnorum, Provinciarum, Rerumpublicarum, Nationum, immò & hominum, qui naturæ lumine in hoc sensu omnes conspirant, quòd Judici non liceat secundùm opinionem visam sibi minùs probabilem judicare. Omnium quippe hominum interest, ut Judex rem adjudicare debeat parti afferenti urgentiora fundamenta, ad probandum quòd res sit sua. Ad quod utique in Judice pluſquàm mediocris requiritur sapientia, legumque peritia. Sapientiam proinde à Deo petiit Salomon, dicens 2. Paralipom. 1. *Da mihi sapientiam & intelligentiam, ut ingrediar & egrediar coram populo tuo: quis enim potest hunc populum tuum dignè.... judicare?*

Quartum absurdum est, quòd ad vincen- 743
dam litem probabilem, satis esset Judicem habere propitium. Unde cùm pecunia & amici mirabilem habeant vim ad propitiandum sibi Judicem, in causis ferè omnibus, utpote hinc inde probabilibus, cùm Judex (in sententia Adversariorum) propitiari posset, cui vellet, sententia illa vim aperit ad propitiandum sibi Judicem pecuniis vel amicis, & ad faciendum de foro judicationis, forum nundinationis, efficiendumque, ut judicia non tam serviant ad cognoscendam veritatem, quàm ad emungendas crumenas, sive ad propitiandum sibi per munera Judicem. Siquidem modus iste foret probabiliter ex natura rei licitus, si probabile foret, ex natura rei, fas esse Judici, ferre sententiam, secundùm quamcumque probabilitatem, quæ, ut non semel dixi, in causis litigiosis vix umquam deest pro utraque parte. Eo itaque dato, cessaret ratio, propter quam Deuteron. 6. Judicibus vetitum est munera accipere: *Non accipies personam, nec munera: quia munera excæcant oculos sapientium.* Cùm enim ad sententiam tutâ conscientiâ pro amico, vel divite, ferendam, suppositâ utrimque probabilitate, non jam ampliùs necessaria sit discussio judicii, sed solùm inflexio voluntatis, periculum non erit ne munera Judicem excæcent, seu pervertant judicium ipsius, sed solùm ne inflectant voluntatem. Licitè verò in sententia illa Judicis voluntas inflectitur utramlibet in partem, dummodò probabilem. Probatâ ergo semel probabilitate, periculum non erit pervertendi judicium ipsius per munera. Igitur licitum erit ea ad inflectendam Judicis voluntatem dare & accipere. Sicque facilè fiet, ut, suppositâ utrimque probabilitate, omnia secundùm humanum affectum à Judice fiant, promptumque erit secundùm opinionem minùs probabilem, pro divite potiùs judicare, sub spe muneris, quàm pro paupere, opinionem pro

se probabiliorem habente. Quia Judex sperare poterit, divitem, cui rem secundùm opinionem minùs probabilem adjudicaverit, suam potiùs gratitudinem per munera ostensurum, quàm pauperem, probabiliorem pro se habentem opinionem. Quia dives gratiam se accepisse censebit, pauper non nisi justitiam.

744 Quintum absurdum est, quòd si liceat secundùm opinionem minùs probabilem judicare, nullum vel ferè nullum erit periculum in judicandi munere (contra illud Sap. 6. *judicium durissimum his qui præsunt fiet*, & Eccl. 7. *noli quærere fieri Judex.*) Neque enim periculum est, ne Judex contra jus manifestum judicet: quia ab eo satis avertitur evidenti apprehensione, ne indignus ab omnibus habeatur, & à Principe puniatur. Ubi autem jus neutrius partis est manifestum, sed utrimque obscurum, ferè semper dantur utrimque probabiles opiniones, quo supposito per te potest, tutâ conscientiâ, rem cui maluerit adjudicare. Nullum ergo vel ferè nullum erit periculum in officio Judicis.

745 Sextum absurdum est, quòd supposità utrimque probabilitate, melius esset, loco judiciorum, sortes instituere. Tum quia sic innumeræ vitarentur expensæ. Tum quia sors æqualem spem faceret utrique parti; non sic Judex, si utramlibet partem probabilem pro arbitrio sequi posset. Eo namque dato, periculum esset, ne propitius foret amicis & potentibus, potiùs quàm miseris & pauperibus. Quod periculum non esset, si lites omnes, utrimque probabiles, terminarentur per sortes.

746 Ob ista argumenta, & maximè ob Ecclesiæ declarationem, certum jam omnibus esse debet, improbabile esse, quòd Judex judicare possit secundùm opinionem, omnibus inspectis, visam sibi minùs probabilem. Unde sic argumentor: probabile non est, quòd Judex prudenter judicare possit, secundùm opinionem minùs probabilem de justo, contra agnitam probabiliorem. Ergo probabile non est, quòd agens prudenter agere possit, secundùm opinionem minùs probabilem de licito, contra agnitam probabiliorem. Si enim agens secundùm eam prudenter agere posset, posset & Judex secundùm eam prudenter judicare. Et si Judex sic prudenter judicare nequeat, inconsequenter philosophantur Probabilistæ, dum affirmant de agente, quod negant de Judice; dum (inquam) affirmant agentem prudenter in agendo sequi posse minorem probabilitatem; negant verò Judicem eam prudenter in judicando sequi posse. Si enim prudenter agat, qui agit secundùm opinionem probabilem de honestate suæ actionis, etiamsi opinio de ipsius inhonestate sibi appareat probabilior; quidni prudenter Judex pro Titio judicat, secundùm opinionem probabilem de justitia causæ ipsius, etiamsi opinio de ipsius injustitia sibi appareat probabilior? Non peccant certè Judices in causis dijudicandis, si prudenter judicent: cùm prudentia ea animi virtus sit, à qua scientia juris, præcipuo quodam honore *Jurisprudentia* dicitur. Si verò prudens sit qui rectam sequitur rationem, & rectam rationem sequitur, quisquis probabilem sequitur opinionem, etiam contra agnitam in contrarium probabiliorem; quidni rectam rationem sequitur Judex, quidni proinde prudens est, dum probabilem sequitur opinionem, tametsi contra agnitam in contrarium probabiliorem? Quid est quòd Judicem Probabilistæ excipiunt à solemnibus istis suis pronuntiatis: *Quisquis probabilem sequitur opinionem* (etiam stante in contrarium æquè, vel magis probabili, cognitâ ut tali) *sequitur rationem rectam; atque adeò prudens est. Usus opinionis, etiam minùs probabilis, dum constet esse probabilem, licitus est, & prudens*, &c.? Nimirùm vulgi voces timent (inquit Gradius cap. 21.) Timent hominum judicia. Timent sensum communem manifestè hîc contrariantem. Timent invidiam ex innumeris incommodis, & absurdis inde consectariis. Timent denique maledicta populi. Ideò ergo rectè hac in parte loquuntur. Ideò rationabiliter sentiunt.

Sed cùm hoc pacto sua illa generalia pronuntiata, communi hominum, immò & Ecclesiæ sensu, falsa, irrationabilia, & fallacia experiantur in Judice, cur vera, rationabilia & solida judicant in agente? Dignum profectò & justum est, ut Probabilistæ auri argentique probitatem explorantes imitentur, qui universam massam, cujus bonitatem explorant, igni admovere non solent, sed in exigua illius parte experimentum capientes, de reliqua massa idem judicant. Cùm igitur pronuntiata illa fallacia & improbabilia reperiantur in Judice, fallacia & improbabilia censeri debent in agente. Cùm una eademque sit utrimque probabilitatis & fallaciæ causa. Ideòque Terillus, qui q. 24. n. 38. (etiam ante Ecclesiæ declarationem) non obstantibus triginta Doctoribus à Diana allegatis, probabile non censuit, *Judici in judicando licere sequi opinionem minus probabilem, ab ipso pro tali evidenter cognitam, aut absolutè creditam ut talem*, inconsequentissimè philosophatus est, dum nihilominùs probabile censuit, immò certum, agenti, in agendo, licere sequi opinionem minùs probabilem, ab ipso, pro tali evidenter cognitam, aut absolutè creditam ut talem. 747

Primò namque, si in Judice, ut justè judicet, residere debet æquitas & justitia; in agente, ut honestè agat, residere debet honestas. Et si justitia desit judicio facto secundùm opinionem minùs probabilem de justo, contra agnitam probabiliorem de injusto; similiter honestas deest actioni, factæ secundùm opinionem minùs probabilem de honesto, contra agnitam probabiliorem de inhonesto. 748

Secundò, si Judex non ferat sententiam secundùm merita causæ, dum sententiam fert secundùm opinionem visam sibi minùs probabilem; similiter agens non format conscientiam suam secundùm merita causæ, id est se- 749

cundùm pondus & momentum rationis & authoritatis, dum eam format ſecundùm opinionem viſam ſibi minùs probabilem.

750 Tertiò, ſi Judex ſententiam ferre debet ſecundùm veritatem, quantùm ſcit & valet; ſimiliter agens conſcientiam ſuam formare debet ſecundùm veritatem, quantùm ſcit & valet, ſecundùm illud: *Ante omnia verbum verax præcedat te. Servite Domino in veritate*, &c. Et ſi Judex non fert ſententiam ſecundùm veritatem, quantùm ſcit & valet, dum eam fert ſecundùm opinionem viſam ſibi veriſimiliùs falſam, quàm veram; ſimiliter agens non format conſcientiam ſuam ſecundùm veritatem, &c.

751 Quartò, ſi officium Judicis poſtulat, ut Judex pronuntiet ſecundùm quod ſibi videtur juſtum; ſimiliter officium honeſti viri, bonique Chriſtiani, poſtulat ut agens agat ſecundùm quod ſibi videtur honeſtum. Et ſi Judex non pronuntiat ſecundùm quod ſibi videtur juſtum, id eſt ſecundùm dictamen juſtitiæ, dum pronuntiat ſecundùm quod ſibi videtur veriſimiliùs injuſtum; ſimiliter agens non agit ſecundùm quod ſibi videtur honeſtum, id eſt ſecundùm dictamen honeſtatis, dum agit ſecundùm quod ſibi videtur veriſimiliùs injuſtum.

752 Quintò, ſi Judex tam judicare debet ſecundùm opinionem probabiliorem in quæſtionibus juris quàm facti; agens agere debet ſecundùm opinionem probabiliorem, tam in quæſtionibus juris, quàm facti.

753 Sextò, ſi ex eo quòd Judices, in litibus & quæſtionibus juris, pro libitu judicare poſſent ſecundùm opinionem quamcumque probabilem, ſive magis, ſive minùs, ſive æquè talem, conſectarium foret quòd in omnibus ferè ejuſmodi litibus, non tam miniſtri eſſent juſtitiæ, quàm cauſarum arbitri tales, ut in ejuſmodi cauſis utrimque probabilibus, poſſent, cui vellent, cauſam adjudicare; ſimiliter ex eo quòd in controverſiis juris, ſive de lege & obligatione, agens pro libitu, agere poſſet ſecundùm opinionem quamcumque probabilem, ſive magis, ſive minùs, ſive æquè talem, conſectarium eſſet quòd in omnibus ferè controverſis caſibus juris, agens non tam miniſter eſſet legis, quàm arbiter inter legem & libertatem, ut, cui mallet, cauſam adjudicaret, ut conſtat ex dictis Prolegom. 1. cap. 8. & ſuprà cap....

754 Sextò, ſi ex eo quòd in arbitrio Judicis eſſet, in omnibus cauſis utrimque probabilibus, cauſam, cui mallet, adjudicare, multa inconvenientia ſequerentur, v. g. quòd neceſſe non foret viros doctiſſimos conſtituere cauſarum Judices, ſed ad id idonei forent mediocriter docti, dummodò capaces diſtinguere inter probabile & non probabile. Similiter ex eo quòd in arbitrio agentis foret, in omnibus controverſiis, utrimque probabilibus, pro libitu conſcientiam formare, multa inconvenientia ſequerentur (ut ibidem oſtenſum eſt, & poſteà ampliùs oſtendetur) v. g. quòd neceſſe non foret Doctores & Scriptores caſuum doctiſſimos eſſe, ſed ad reſolvendos caſus, libroſque de iis conſcribendos, ſufficerent mediocriter docti, dummodò capaces diſtinguere inter probabile & improbabile. Quo nihil facilius, ſi, in materia incerta & controverſa, id omne probabile eſt, quod aliqui tradunt docti Caſuiſtæ.

Et ſicut in dicto caſu litigantibus ſufficeret 755
Judicem habere propitium; ſic agentibus ſufficeret, aliquem doctum Caſuiſtam habere propitium.

Sicut etiam in eodem caſu officium Judicis 756
non foret periculoſum; ſic etiam officium Scriptoris & Reſolutoris caſuum non foret periculoſum. Cujus oppoſitum agnovit S. Thomas, dum in proœmio Opuſculi de uſuris Sapientiam invocavit, ne ipſum errare permitteret in periculum animæ ſuæ, & in laqueum aliorum. Dum etiam quodlib. 9. q. 7. a. 15. *Omnis* (inquit) *quæſtio, in qua de peccato mortali quæritur, niſi expreſsè veritas habeatur, periculosè determinatur. Præcipuè autem periculoſum eſt, ubi veritas ambigua eſt... Et inveniuntur in ea Theologi Theologis, Juriſtæ Juriſtis contraria ſentire.* Ecce in caſu, etiam utrimque probabili, periculum magnum agnoſcit Theologorum Princeps. In iſto verò caſu periculum nullum eſſet, quia, ſive hanc, ſive iſtam ex duabus contrariis opinionibus pro libitu ſequendo, agens & docens in conſcientia tutus eſſet.

Denique, ſicut ſuppoſitâ utrimque proba- 757
bilitate, melius eſſet, loco judiciorum, recurrere ad ſortes, eò quòd periculum non eſſet ne ſors uni parti potiùs faveret, quàm alteri. Sic, ſuppoſitâ utrimque probabilitate, melius eſſet loco conſultationis doctorum Probabiliſtarum viventium, recurrere ad ſortes; eò quòd periculum non eſſet, ne ſors uni parti contradictionis potiùs faveret, quàm alteri; ſive potiùs parti falſiſimiliori, quàm veriſimiliori; potiùs libertati, quàm legi. Quod periculum eſſet in illa conſultatione. Quia Probabiliſtæ juxta principia ſua, potiùs favent libertati, quàm legi; potiùs parti minùs probabili, adeòque falſiſimiliori, quàm veriſimiliori.

Ecce rationes omnes militantes pro Judice, 758
proportionaliter militant pro agente. Rationes etiam, quibus Probabiliſtæ probare ſolent vim minoris probabilitatis, majorem non habent efficaciam, ad probandum quòd agenti liceat agere ſecundùm quod ſibi videtur minùs probabiliter licitum, quàm ad probandum, quòd Judici liceat judicare, ſecundùm quod ſibi videtur minùs probabiliter juſtum. Immò ex hoc quòd iſtud judicium Judicis ſit imprudens & injuſtum, ſenſibiliter oſtenditur, falſum eſſe 1°. quòd quicumque judicat ſecundùm opinionem minùs probabilem juſtè & prudenter judicet. 2°. quòd uſus opinionis cujuſcumque verè probabilis prudens ſit. 3°. quòd quicumque probabilem ſequitur

opinionem, rectam sequitur rationem. 4°. quòd nihil censeri debeat illicitum & injustum, nisi quod est certò tale. Et idem est de cæteris hujusmodi effatis Probabilistarum, in favorem liciti usûs opinionum quarumcumque probabilium.

759 Nec minùs idipsum ostenditur de defectu sufficientis promulgationis, quem pariter allegare solent. Si enim lex, v. g. de abstinendo ab operibus servilibus die festo, non censeatur sufficienter promulgata, in ordine ad inducendam obligationem abstinendi die festo, v. g. à radendis barbis, dum occurrit opinio, etiam minùs probabilis, quòd rasura ista opus non sit servile: similiter lex de tribuendo cuique jus suum, non erit sufficienter promulgata, in ordine ad inducendam obligationem, adjudicandi Titio domum, quam validioribus argumentis probat esse suam, dum occurrit opinio, etiam minùs probabilis, quòd domus illa non sit Titii, sed Caii, contra ipsum litigantis.

760 Quæcumque ergo Probabilistæ allegant ad probandum licitum agenti usum opinionis minùs probabilis de licito, nihil probant, quia minimùm probant, licitum utique Judici usum opinionis minùs probabilis de justo. Cùm igitur, non obstantibus allegatis illis, probabile non sit, fas esse Judici, judicare secundùm opinionem minùs probabilem de justo, agnitam ut talem; iisdem non obstantibus, probabile non est, fas esse agenti, agere secundùm opinionem minùs probabilem de licito, agnitam ut talem. Quemadmodùm enim ex declaratione Ecclesiæ jam expressè scimus, allegationes illas fallaces, sophisticas, illusoriasque esse in Judice; sic implicitè scimus, sive ex consequenti inferimus, pariter fallaces, sophisticas, illusoriasque esse in agente. Ut enim dicitur L. *non possunt* ff. de legib. *certum est fieri non posse, ut omnes articuli sigillatim legibus, aut Senatûs consultis comprehendantur: sed cùm in aliqua causa, sententia eorum manifesta est, eum qui jurisdictioni præest, ad similia procedere, atque ita jus dicere debere.*

761 Resumo itaque argumentum, illudque breviori formâ sic propono, & corroboro. Judex fori externi nec licitè, nec rationabiliter, nec prudenter judicat secundùm opinionem visam sibi minùs probabilem, contra agnitam probabiliorem, ex adverso stantem. Ergo nec Judex fori interni, sive ille Confessarius sit, sive quisquis alius, à se agenda vel omittenda, judicans in tribunali conscientiæ suæ. Quandoquidem omnis ratio, quæ probat, Judicem fori externi judicare debere secundùm verisimiliora, seu vero proximiora, quantùm scit & valet; idem probat de Judice fori interni.

762 Maximè attento quòd externi Judices ad id non tenentur solo jure humano positivo, sed divino & naturali (ut allatæ probant rationes) quod in omnibus judiciis externis & internis, in omnique tribunali, etiam pœnitentiæ & conscientiæ procedit. In omnibus namque judiciis & tribunalibus eædem rationes proportionaliter procedunt, ut vidimus.

763 Attento etiam, quòd nihil tam simile judicum, quàm sacramentales Judices, quibus suum forum, suum tribunal, sua provincia, sua jurisdictio est: quique non modò Judicum similes (uti pariter sunt conscientiarum suarum, seu à se agendorum, omittendorumque Judices) sed & verè Judices sunt; ad quorum cognitionem omne causarum & hominum genus spectat. Non est igitur cur ad ipsos non pertineat lex probabiliora sequendi.

764 Nam quod contrariæ sententiæ Patroni aiunt, legem de probabilioribus sectandis solùm procedere, dum agitur de damno proximi; secùs dum solùm agitur de licitis & illicitis, deque virtutibus & vitiis; prorsus rejiciendum est, velut absurdum & irrationabile.

765 1°. quia absurdum & irrationabile est asserere, quòd à Judice fori externi probabiliora sectanda sunt, ne tertius paucis nummis pauperior à tribunali discedat; à Judice verò sacramentali, & à Judice conscientiæ suæ, probabiliora sectanda non sunt, ne ipse vel pœnitens suus præceptatum probabilius virtutum thesauro pauperior evadat. Tum quia hoc est exigere strictiorem regulam ac mensuram, certitudinique proximiorem, pro rebus incomparabiliter minoris, quàm pro rebus incomparabiliter majoris æstimationis; perinde ac siquis mensuram exactiorem certioremque requireret ad mensurandum ferrum vel plumbum, quàm aurum. Tum quia hoc est imitari eos, de quibus Chrysostomus homil. 13. in cap. 7. epist. 2. ad Corinth. *Quomodò* (inquit) *non absurdum est, propter pecunias aliis non credere, sed ipsas numerare & supputare, pro rebus autem amplioribus, aliorum sententiam*, propriâ supputatione minùs probabilem, *sequi simpliciter?*

766 2°. absurdum est, rectæque rationi dissonum, strictiorem obligationem asserere ad prospiciendum lucris & commodis temporalibus alterius hominis, quàm ad procurandum Dei honorem, propulsandasque Creatoris injurias & offensas, per adimpletionem mandatorum ipsius.

767 3°. absurdum est, rectæque rationi dissonum, majorem probabilitatem exigere in judicio fori externi, ubi de solis temporalibus agitur, quàm in judicio fori interni, ubi agitur de animæ salute, deque æternitate. Quasi minori sollicitudine & probabilitate cavenda sint damna spiritualia, & æterna, quàm temporalia, filiique hujus sæculi prudentiores & cautiores filiis lucis esse debeant in generatione sua. Quod profectò Salvator improbat.

768 4°. absurdum est, & contra rationem, majorem probabilitatem requirere ad servandum jura hominis, quàm ad servandum jura Dei, adstringereque Judicem externum ad sequendam in judicando majorem probabilitatem, ne homo lædatur in jure suo; non adstringere verò Judicem internum ad sequen-

dam in agendo majorem probabilitatem, ne Deus lædatur in lege ſua. Quaſi verò homini Deus vilior eſſe poſſit quàm homo, vel jus Dei, quàm jus hominis. Quaſi recta ratio, quæ non permittit minorem probabilitatem ſequi cum probabiliori periculo lædendi jus hominis, permittat eam ſequi cum probabiliori periculo lædendi jus Dei. Quaſi denique recta ratio permittat minùs exactè quærere & ſequi veritatem in iis quæ Deo, quàm in iis quæ homini debentur. Quo nihil magis alienum à Scripturis, à Patribus, à ratione.

769 5°. abſurdum, injuſtum, & irrationabile eſt, in cauſis utrimque probabilibus, quæ, in foro conſcientiæ, vertuntur inter Deum & libertatem, victoriam adjudicare libertati contra Deum, dum cauſa libertatis minùs probabilis eſſe dignoſcitur quàm cauſa Dei: in cauſis verò utrimque probabilibus, quæ, in foro externo, vertuntur inter hominem & hominem, prorſus ex adverſo philoſophari, non permittendo victoriam adjudicari, niſi homini cujus cauſa dignoſcitur eſſe probabilior. Cur enim cauſa Dei adverſus libertatem minùs victrix eſſe debet, dum pro ſe majorem habet probabilitatem, quàm cauſa hominis adverſus hominem. Quomodò non contra rationem eſt, quòd cauſa libertatis, majorem pro ſe habens apparentiam falſitatis, quàm veritatis, vincat cauſam Dei habentem pro ſe majorem apparentiam veritatis? Quomodò non contra rationem eſt, quòd major apparentia falſitatis, vincat majorem apparentiam veritatis, cauſaque debilior & deterior vincat fortiorem meliorem-que? Quomodò non contra rationem eſt ſincerè non judicare ſecundùm agnitam veritatem in cauſa Dei; cùm contra rationem ſit, ſincerè non judicare ſecundùm veritatem in cauſa hominis? Atqui ſincerè non judicat ſecundùm veritatem in cauſa Dei, qui ultrò negligit cauſam Dei, quam cognoſcit veriſimiliorem, ut faveat libertati, cujus cauſam falſitati proximiorem cognoſcit, quàm veritati.

770 6°. abſurdum & contra rationem eſt aſſerere quòd juſtitia & charitas erga proximum ſtrictiùs obliget quàm juſtitia & charitas erga Deum. Si ergo juſtitia & charitas erga proximum obligat ad non ſequendam opinionem minùs probabilem, proximo contrariam, in concurſu & occurſu probabilioris ipſi faventis; erga Deum ſimiliter obligat ad non ſequendam opinionem minùs probabilem, Deo contrariam, in concurſu & occurſu probabilioris ipſi faventis.

771 Sibi proinde non conſtat, nec rationabilis eſt modus ille philoſophandi, certiores probabilioreſque regulas pro rebus minimis dijudicandis ſequi jubens, quàm pro divinis, minùſque exactam permittens ſollicitudinem, ad cavendam offenſam Dei, quàm ad cavendam læſionem proximi. Dic mihi (Terille) cur in pari ſaltem cauſa adeò diſpar eſt philoſophia tua? Dicis quidem in Reg. Mor. q. 20. n. 25. parem non eſſe cauſam, quia ubi cauſa de licito vertitur inter Deum & libertatem, Deus non damnificatur, nec inhonoratur, ex hoc quòd homo ſecundùm opinionem minùs probabilem de licito, contra probabiliorem de illicito operetur: quamvis enim ſit probabilius periculum offenſæ Dei, violationiſque legis ipſius, violatio iſta & offenſa non eſt formalis, ſed materialis, nec nocet Deo, nec ipſum inhonorat: quia operans optimè erga Deum afficitur, ex prudentique judicio de voluntate Dei permiſſiva operatur. Ubi verò cauſa de juſto vertitur inter hominem & hominem, homo damnificatur & læditur in jure ſuo, ex hoc quòd Judex rem adjudicet v. g. Titio, ſecundùm opinionem minùs probabilem ipſi faventem, contra agnitam probabiliorem, faventem Sempronio. Non eſt autem practicè probabile quòd liceat ſequi opinionem minùs probabilem cum damno tertii, læſioneque juris; licèt practicè probabile ſit, adeòque tutum, id eſſe licitum, dum inde periculum non eſt damni tertii, &c.

Sed quid eſt nihil dicere, ſi hoc eſt aliquid 772
dicere? Quid eſt principium petere, ſi hoc non eſt? Dicis eſſe practicè probabile quòd ſequi liceat opinionem ſpeculativè minùs probabilem de licito, contra agnitam probabiliorem de illicito. Nos ex adverſo probamus id non magis eſſe practicè probabile, nec ſpeculativam opinionem minùs probabilem de licito, in concurſu illo, magis eſſe practicè probabilem, ſeu licitè in agendo practicabilem ab agente, quàm opinio ſpeculativè minùs probabilis de jure Titii adverſus Sempronium, contra agnitum probabilius de jure Sempronii adverſus Titium, in concurſu iſto practicè probabilis ſit, ſeu licitè in judicando practicabilis à Judice. Quemadmodùm enim iſta non eſt practicè probabilis ob probabilius periculum damni Sempronii, violationiſque juris ipſius; ſic illa non eſt practicè probabilis ob probabilius periculum offenſæ Dei, violationiſque legis ipſius. Nec magis verum eſt in hoc caſu ſolum eſſe periculum offenſæ & violationis materialis, non formalis, quàm verum ſit in illo caſu ſolum eſſe periculum damnificationis & violationis materialis. Non magis (inquam) verum in hoc caſu Deum formaliter non inhonorari, quàm verum ſit in illo Sempronium formaliter non damnificari. Denique non magis verum, quòd operans in hoc caſu optimè affectus ſit erga Deum, quàm quòd Judex in illo caſu optimè affectus ſit erga Sempronium. Quomodò enim benè affectus erga Deum, & quomodò non contemnit & inhonorat Deum, dum ſequi vult ſuam potiùs quàm Dei voluntatem, iis in circumſtantiis, in quibus probabilius eſſe cognoſcit Deum offenſum iri, Deique legem violatam iri? Quomodò debitus honor & obedientia tunc non ſubtrahitur Deo? Quomodò offenſa Dei, violatioque legis ipſius tunc non eſt formalis, cùm æquè voluntaria ſit, ac Judici voluntaria ſit læſio juris Sempronii in caſu proximè di-

cto? Dei verò offensam, & violationem divinæ legis quis neget esse formalem, dum voluntaria est, à scienteque & volente committitur?

773 Verùm (inquit Terillus) operans prudenter credit se non offendere Deum, nec violare legem ipsius.

Verùm (aio ego) id non magis prudenter credit in casu dicto, quàm Judex prudenter credat se non offendere Sempronium, nec violare jus ipsius adjudicando rem Titio, quando sic probabile est rem non pertinere ad Sempronium, sed ad Titium, ut probabilius esse cognoscat, pertinere ad Sempronium, non ad Titium. Sicut ergo Terillus fatetur tunc non esse practicè probabile, nec prudenter credibile, quòd judicando tunc pro Titio contra Sempronium, non violabit jus Sempronii; sic non est practicè probabile, nec prudenter credibile, quòd agens, agendo quod sic probabile est, non esse offensam Dei, ut probabilius sit esse offensam Dei, non offendet Deum, nec violabit jus, legemque Dei.

774 Et confirmatur: quando sic probabile est rem esse Titii, ut Judex cognoscat probabilius esse, quòd non sit Titii, sed Sempronii, Judex non potest tunc prudenter judicare rem esse Titii (aliàs posset eam prudenter ipsi adjudicare: cùm prudenter adjudicare possit Titio rem quam prudenter judicat esse Titii) ergo quando sic probabile est hanc vel illam actionem non esse offensam Dei, ut agens cognoscat probabilius esse quòd sit offensa Dei, tunc prudenter judicare non potest actionem illam non esse offensam Dei. Si enim agens tunc prudenter judicare posset actionem non esse offensam Dei; similiter Judex prudenter judicare posset rem esse Titii. Cùm nulla disparitas excogitari queat.

775 Hîc proinde de agente perinde philosophandum uti de Judice, & dicendum quòd agens agere non possit secundùm opinionem minùs probabilem, contra agnitam probabiliorem, quàm Judex judicare. Quod Terillus & nonnulli alii Probabilistæ aiunt, usum opinionis minùs probabilis non esse licitum, dum redundat in damnum tertii; esse verò licitum, dum non redundat. Et ideò Judicem non posse judicare secundùm opinionem minùs probabilem, quia si erret, error ipsius redundat in damnum tertii. Non satisfacit: quia inconsequenter philosophatur. Magis proinde consequenter alii Probabilistæ de utroque pariter philosophantur, aientes, quòd siquod damnum Sempronio eveniat, ex hoc quòd Judex contra ipsum sententiam tulerit ex minùs probabili, quam secutus est, opinione, suæ imputare debeat infelicitati, non Judici (perinde ac si res, sub lite posita, aliquo terræ motu absorpta fuisset) neque enim Judex culpabilis fuit (inquiunt) dum sententiam tulit secundùm opinionem verè probabilem, quòd res esset Titii, non Sempronii. Quia absque culpa censuit mensuram judicii strictiorem probabilioremque exigendam non esse in viliori causa Sempronii, quàm in graviori causa Dei. Ideòque Sempronium de ipso justè non posse conqueri: quia si Deus justè non conqueritur de eo qui agit secundùm opinionem minùs probabilem de jure libertatis contra legem, contra agnitam probabiliorem de jure legis contra libertatem; Sempronius justè non conqueritur de Judice, qui judicat secundùm opinionem minùs probabilem de jure Titii, contra agnitam probabiliorem de jure Sempronii. Quia si ille in agendo prudenter secutus est opinionem minùs probabilem: eamdem iste prudenter secutus est in judicando, tamque istius, quàm illius error materialis est, non formalis. Sempronioque conquerenti, quòd privatus sit re probabiliùs suâ, eò quòd Judex in ferenda sententia secutus non sit probabiliorem opinionem, sed minùs probabilem. Respondebit Judex: Immeritò de me conquereris; si enim contra te sententiam tuli, ideò tuli quia prudenter judicavi, rem ad te non pertinere, nec mihi necessariò magis sequendam opinionem probabiliorem ad consulendum rebus tuis, sive ad impediendum damnum tuum, quàm tibi necessariò sequenda sit ad consulendum honori Creatoris, impediendamque offensam & violationem juris ac legis ipsius.

Frustrà ergo Adversarii evadere se putant, 776
dicendo, quòd Deo nullum damnum infertur, dum lex ipsius materialiter violatur, faciendo id quod probabiliter non est peccatum, licèt probabiliùs cognoscatur esse peccatum. Proximo autem damnum inferatur per sententiam probabiliùs injustam, licèt probabiliter justam. Tum quia falsum est quòd in priori casu lex Dei solùm materialiter violetur; imò eo in casu violatur formaliter, sicut in posteriore casu proximus damnificatur formaliter. Tum quia formale peccatum, ex damno tantùm quod infertur, pendendum non est (aliàs formaliter nunquam peccaretur in Deum: *Si enim peccaveris, quid ei nocebis?* Job. 35.) tametsi enim ea sit naturæ divinæ excellentia, ut peccatis nostris damnificari non possit; non ideò minor est culpa nostra in casu de quo agimus, quàm in casu Judicis. Quia (ut optimè Charlasius cap. 8.) non ex damno consecuto, sed ex contrarietate ad Dei legem, & ex voluntatis malitia ponderandum est peccatum. Neque enim injusta proximi damnificatio alia de causa est formale peccatum, nisi quia voluntariè committitur contra Dei legem. Nec Deus minus juris habet in homines, ne contraveniant legi suæ, quàm ipsi inter se ne unus alium damnificet injustè. Denique homines peccando saltem mortaliter, Deo, quantùm in ipsis est, malum seu damnum inferunt, quia, quantùm in ipsis est, Deum destruunt. Et numquid usum opinionis minùs probabilis permittunt, etiam dum agitur de damno tertii? Dum enim contrariæ sunt opiniones probabiles de justitia contractûs, & probabilior opinio dicit esse, opinio minùs

minùs probabilis dicit non esse usurarium; nullâ habitâ ratione damni tertii, eum celebrare permittunt secundùm opinionem minùs probabilem, contra agnitam probabiliorem. Inconsequenter ergo negant Judicem ferre posse sententiam secundùm opinionem minùs probabilem, contra agnitam probabiliorem. Vel ergo agens eam sequi non potest, vel Judex potest. Cùm igitur Judex eam in judicando sequi non possit secundùm Ecclesiæ declarationem, nec agens in agendo eam sequi potest.

CAPUT LXIV.

Undecima ratio: ab infidelitate non excusatur infidelis, non credens ductus opinione minùs probabili. Ergo à divinæ legis transgressione non excusatur fidelis, eam non servans ductus opinione minùs probabili.

777 ANtecedens est certum ex declaratione Ecclesiæ, quæ per Innocentium XI. proscripsit hanc propositionem: *Ab infidelitate excusabitur infidelis, non credens ductus opinione minùs probabili.* Ante quam declarationem, in materia fidei, ab Ecclesia Romana propositæ, non esse licitum usum opinionis minùs probabilis, contra agnitam probabiliorem, tempore Ledesmæ tenebant omnes, ut ipse testatur 2. 2. tr. 1. cap. 5. conclus. 5. & 6. A communi tamen illa omnium olim sententiâ noviores aliqui Casuistæ immeritò recesserunt, ut Joannes Sancius, Escobarius, Diana, Spinula, Herardus, Bellius, &c. Immeritò (inquam) quia innata prudentia, naturæque lumen dictat eam præ cæteris Religionem amplectendam, quæ præ cæteris verisimilior esse dignoscitur. Agitur enim de summa rerum, deque æterna salute, cùm agitur de capessenda Religione. Ubi verò de summa rerum agitur, ea via capessenda est, quæ cognoscitur esse probabilior. Imprudentia quippe summa est, summam rerum committere opinioni falsisimiliori, relictâ verisimiliori, eamque viam capessere, quæ probabiliùs cognoscitur ducere ad perditionem, quàm ad salutem.

778 Unde patet rejiciendum impium dogma istud: *ad salutem in sua quemque Religione, quam probabilem putet, posse pervenire.* Rejiciendum & quod Thomas Sanchez apud Escobarium Theol Mor. pag. 39. art.... *infidelem, cui proponitur nostra fides ut magis credibilis, dum sua secta adhuc credibilis appareat, non teneri ad recipiendam nostram fidem extra mortis articulum.* Imò nec ad id in mortis articulo teneri censent Sancius & Diana, quia (ut Escobar ait ibidem) *putant mortis articulum haud novam regulam inducere moralium, & consequenter asserunt, infidelem illum, nec in mortis articulo obligari ad credendum.* Supponunt isti omnes, hæresim, licèt Catholicis improbabilem, hæreticis posse esse probabilem, eoque supposito, hæreticos in sua hæresi, quamdiù ipsis videtur probabilis (licèt Catholica fides ipsis probabilior appareat) posse absque peccato permanere. In cujus opinionis favorem multipliciter arguit Caramuel Theol. fundam. pag. 472. *Ad solamen* (inquit) *illorum qui in Germania habitant, & multos viros, alias probos, infectos dolent hæresi.* Puerum etiam baptizatum *non peccare, credendo hæresi sibi propositæ, & quam à parentibus edoctus est, nisi habeat argumenta convincentia, & probabilitatem excludentia suæ sectæ*, docet Erardus Billius tr. 3. c. 1. de fide. *Quamdiù enim probabilis est, non peccat* (inquit) *eam sequendo. Quo fit ut multæ puellæ usque ad vigesimum annum vix censeri possint hæreticæ. Quis enim dicet, eas non habere probabilia argumenta suæ sectæ? At nemo peccat, sequens opinionem probabilem*, quantumcumque *ad cœnam, ut vocant, accedant?* Idem dicit de multis senibus, in Suecia, Dania, & Germania viventibus, ubi nullus est usus Catholicæ Religionis: *possunt* enim (inquit) *salvari, si non peccent, aut, posito quòd peccaverint, si conterantur, aut actum amoris exerceant.*

En consectarium unum quod ex Probabilismo suo, vel ipsi noviores derivant Probabilistæ. An consequenter? jam videndum est. Affirmant ipsi: si enim licitus sit usus opinionis minùs probabilis in materia morum, inferunt etiam licitum esse in materia fidei, quoad articulos non necessarios necessitate medii. Nos econtrà cum Ecclesia asserimus, & proximè probavimus, id non esse licitum in materia fidei. Et inde concludimus, idipsum non esse licitum in materia morum. Probamus consequentiam, quia rationes, quæ probant id non esse licitum in materia fidei, non necessaria necessitate medii; similiter probant id non esse licitum in materia morum. Si enim naturæ lumen, seu innata prudentia dictet, illam de fide doctrinam præ cæteris sequendam, quæ cæteris verisimilior seu probabilior esse dignoscitur; similiter dictat, illam de moribus doctrinam præ cæteris sequendam, quæ cæteris verisimilior seu probabilior esse dignoscitur. Si enim imprudens non esset qui in materia aliarum virtutum, non necessaria necessitate medii, probabiliorem opinionem minùs probabili, agnitæ ut tali, non præferret, v. g. qui non eliceret actum divini amoris, quo tempore probabilius est de præcepto, dum oppositum ipsi probabile videtur; non est cur imprudens esset, qui in materia fidei, non necessaria necessitate medii, idipsum faceret. 779

Censent quidem nonnulli aliter in materia fidei philosophandum, quàm in materia aliarum virtutum. Sed, ut mihi videtur, absque sufficienti fundamento. Cur enim aliter? 780

Respondent 1°. quia error in materia fidei, est error circa finem ultimum; atque adeò sequi opinionem minùs probabilem in materia fidei, contra agnitam probabiliorem, est exponere se periculo errandi circa finem ultimum, quem attingere, sicut est in se, adeò necessarium est ad salutem, ut in hoc errans, 781

etiam invincibiliter, salutem adipisci non possit.

Sed contrà: error in materia fidei, solùm necessaria necessitate præcepti, non est talis error circa finem ultimum, ut bonâ fide sic errans salutem adipisci non possit; sed solus error in materia fidei, necessaria necessitate medii. Idem verò est in materia aliarum virtutum. Nam actus divini amoris v. g. non semper necessarius est necessitate medii, sed subinde solùm necessitate præcepti.

782 Respondent 2°. eo ipso quòd in secta Lutherana, vel Calviniana, visa sibi probabili, persistere quis mavult, quàm Religionem amplecti Romanam, visam sibi probabiliorem, voluntariè exponit se periculo carendi multis mediis ad salutem necessariis, v. g. Sacramentis Ecclesiæ Romanæ. Sed licèt hinc conficiatur talem persistere non posse in secta Lutherana, vel Calviniana, sic ut omittat necessaria necessitate medii, quorum usus est in Religione Romana. Nihil tamen conficitur contra errorem habitantium in locis Catholicis, qui se dicunt Catholicos cum discretione, creduntque articulos necessitate medii credendos, Sacramentaque necessitate medii necessaria suscipiunt à legitimis Ministris, nec quidquam omittunt ex taliter necessariis; ducti tamen opinione visa sibi probabili, credere nolunt nonnulla, quorum fides solùm necessaria est necessitate præcepti, licèt opinio de obligatione ea credendi videatur ipsis probabilior. Quorum in similibus error solùm erit materialis, non formalis, si vera sit doctrina Probabilismi. Proinde non obstabit validæ & fructuosæ receptioni Sacramentorum. Non obstabit ergo saluti ipsorum. Sacramenta quippe validè & fructuosè recipiuntur à non ponentibus obicem, tametsi materialiter errantibus in fide, dummodò ponant & credant necessaria necessitate medii.

783 Respondent 3°. quòd omnis, qui fidem Romanam in uno abnegat articulo, factus sit omnium reus, eoque ipso fidei habitum amittat, nec quidquam fide supernaturali credere valeat, ne quidem Deum esse. Quod tamen fide supernaturali credere, necessarium est necessitate medii.

Sed licèt id totum verum sit de omni, qui fidem Romanam culpabiliter in uno abnegat articulo; secùs de eo qui aliquem articulum, necessitate medii non necessarium, abnegaret inculpatè: hæretici namque materiales, habitantes in locis ubi de Romana Religione nihil audierunt, adeòque ex invincibili errore se non jungentes Ecclesiæ Romanæ, sibi nondum sufficienter propositæ, fidei habitum in baptismo acquisitum non ideò amittunt, salvarique possunt, si nihil omittant necessarium necessitate medii, fidemque Romanam habeant in voto (v. g. contento in supernaturali amore Dei perfecto, sinceràque voluntate credendi quæcumque Deus vult ut credant) quia si non re, saltem voto sunt in Ecclesia, & de Ecclesia Romana. Secundùm principia vera Probabilismi, aliquem fidei Romanæ articulum illi abnegant inculpatè, qui eum abnegant, ducti opinione minùs probabili, etiam contra agnitam probabiliorem in contrarium. Si enim inculpatus sit, qui opinionem minùs probabilem, contra agnitam probabiliorem, sequitur in materia aliorum præceptorum; consequenter inculpatus est, qui eamdem sequitur in materia præcepti fidei, non necessaria necessitate medii.

Si cui videatur, nullum fidei articulum, 784
fide divinâ supernaturali credi posse, nisi mediante propositione Ecclesiæ; adeòque nisi credantur omnia quæ credenda proponit Ecclesia.

Respondeo cum P. Scildere de princip. consc. tr. 2. n. 25. id non satis ostendi. Tametsi enim nihil fide divinâ supernaturali credi queat, nisi ob revelationem, seu locutionem Dei; non ostenditur tamen quòd illa revelatio, seu locutiò, necessariò pro omni casu fieri debeat mediante propositione Ecclesiæ (licèt ordinariè sic fiat) cùm innumeræ revelationes, & miracula, ad fidei manifestationem facta sint, & quotidie fiant, quæ assensum meritò obtinere debeant, ab iis quibus innotuerunt, licèt Ecclesiæ propositio ipsis non innotuerit, immò Ecclesiam inculpatè ignorent.

CAPUT LXV.

Duodecima ratio: quia doctrina qua licitum facit usum opinionis minùs probabilis de licito, contra agnitam probabiliorem de illicito, in Christianam Ethicen, disciplinamque horrendas inducit laxitates.

PRimò namque licita facit omnia, quæ in 785
conflictu opinionum certò non demonstrantur illicita, ut constat ex dictis c. 8. At hinc horrendæ laxitates & intoleranda sequuntur absurda, ut ibidem ostensum est n. 94.

Secundò, disciplinam christianam nimis re- 786
laxat, evangelicamque vivendi normam adulterat. Ut enim ostensum est ibidem, quamdam invehit conscientiæ libertinitatem, quatenùs permittit agere quod lubet ex duobus oppositis, seu æqualiter, seu inæqualiter probabilibus, nec certò dumtaxat, sed & probabiliter probabilibus. Unde cùm in licentioso hoc sæculo vel adinventæ, vel suscitatæ sint innumeræ opiniones, per quas in rebus ad conscientiam pertinentibus, modus opinandi irrepsit alienus ab evangelica simplicitate, per quas etiam non mores Evangelio, sed Evangelium accommodatur moribus hominum, ab iis nihilominùs traditæ, vel probabiles existimatæ, qui à Probabilistis viri docti censentur (ut constat ex recensitis Prolegom. 1. c. 2.) ideòque plures Confessarii & Directores magis eorum auctoritati, quàm Majorum vestigiis insistentes, secundùm eas interrogati respondeant: inde fit, quòd homines eas in praxi facilè sequantur: quia scilicet, ob nimiam fascinationem proprii

prii amoris, utplurimùm eligunt opiniones prurientes auribus, & indulgentes ſenſui, cap. *nec mirum* 26. q. 5. Nihil ergo mirum, ſi tanta hodie conſpiciatur Evangelicæ diſciplinæ relaxa-
787 tio: utpote inde naturaliter conſectaria. Teſte namque Fagnano n. 322. & ſeqq. " obſervatum eſt homines, alioquin in jejuniis auſteros, à ſancta obſervatione deſtitiſſe, auditis Scriptorum noſtri temporis opinionibus, jejunandi obligationes relaxantibus.... Et nonnulli qui parati erant relinquere occaſionem proximam peccandi, modum invenerunt in ea perſeverandi, poſteaquam audierunt ſententiam Authoris affirmantis, non modò eſſe licitum, in hujuſmodi occaſione manere; ſed etiam in eam ultrò ſe conjicere, ob ſpirituale aut temporale ſuum, aut proximi bonum.... Et ſimiliter alii, qui propoſuerant è domo concubinam ejicere, à propoſito receſſerunt, auditâ alterius Theologi ſententiâ, aſſerentis concubinarium non teneri eam repellere, ſed tantùm polliceri, ſe cum ipſa non peccaturum, quando eâ dimiſſâ, triſtiùs vitam duceret.... Item alii, qui (quantum humana fragilitas patitur) conſueverant cum interna attentione Miſſam audire, atque Officium divinum recitare, faſſi ſunt omnem ſollicitudinem & ſcrupulum depoſuiſſe, poſteaquam intellexerunt, ſatisfieri præcepto Eccleſiæ, Miſſam audiendo, & Officium recitando, etiam cum diſtractione voluntaria: eò quòd Eccleſia non poſſit præcipere, ut aſſiſtant & recitent cum attentione, ſeu devotione interna.... Rurſus, paucis abhinc annis, quidam Regulares, auditâ opinione, quam nonnulli Authores probabilem dicunt, quòd S. Pontifex non poſſit Regularibus, ad præſcriptum Regulæ, reformationem inducere, præter conſuetudinem, quæ in Religione vigebat, tempore profeſſionis emiſſæ, auſi ſunt debitam mandatis Apoſtolicis obedientiam denegare.... Profectò ſi quis intelligat ſecundùm unam opinionem ſe non teneri votum religionis adimplere, aut damnum illatum reficere, aut uſuras acceptas reſtituere, vel quid ſimile, & liberum ſibi eſſe utramlibet opinionem amplecti, cum ſecuritate conſcientiæ; quis credat, eum velle ſervituti religionis ſe mancipare, aut reputare ſe reſtitutioni obnoxium? cùm ab his poſſit ſe eximere, eligendo opinionem minùs probabilem, ſibi faventem, relictâ contrariâ probabiliori ac tutiori.
788 Confer quæ dixi Prolegom. 1. c. 1. 2. & 3. & videbis, quanta diſciplinæ evangelicæ relaxatio ex illa libertate conſectaria ſit. Præſertim ſi reflectas ad principia Probabiliſtarum referenda paulò infrà. Videbis (inquam) per quàm latam viam pœnitentes ducantur & dirigantur à Defenſoribus probabilitatum. Et per viam quidem tantò latiorem, quantò major eſt effrænata multitudo probabilium opinionum. " His enim temporibus eò res perducta eſt (proſequitur Fagnanus n. 330.) ut nullus ferè ſit articulus in Moralibus, in quo non ſit varietas, vel contrarietas opinionum; adeò ut in ſolo opere.... Anton. Diænæ numerentur in unum collectæ quæſtiones ſupra ter mille, cum opinionibus & Authoribus pro utraque parte, plerùmque affirmantibus, aut ambas eſſe probabiles, aut unam probabilem, & alteram probabiliorem, & in quibus ferè omnibus agitur de mortali peccato, ut de Sacramentis, de cenſuris, de votis, de jejunio, de reſtitutione, & aliis hujuſmodi, quæ amplectuntur univerſam ferè materiam, ad forum conſcientiæ pertinentem. Quem ſcribendi morem paſſim obſervant & alii ex recentioribus Theologis, nominatim Eſcobar in ſua Theologia Morali, ubi omnia ferè ad cujuſque libitum, problematicè reſolvit, utramvis contradictionis partem affirmans eſſe probabilem: *Eſt, & non eſt; licet, & non licet; peccat, & non peccat; tenetur, & non tenetur; ſufficit, & non ſufficit*, admonens in proœmio, quòd quotieſcumque ſic ipſe reſolvit, *quamcumque duarum viarum, primò diverſarum, inierint homines, recta tendant ad ſuperos.* " Quin imò apud multos receptum videtur, ut probabilitas opinionis non ſolùm eliciatur ex rationibus & argumentis congruentibus (quæ tamen in hac rerum caligine vix deſunt: cùm nulla ferè ſit veritas moralis, quæ plauſibili aliquâ ratione oppugnari non poſſit) ſed etiam ex ſimplici authoritate unius docti & pii Doctoris, ut tenent Gregorius de Valentia in 1. 2. diſput. 2. q. 12. p. 4. q. 4. Sa in Sum. verbo *dubium* n. 1. Sanchez in Decal. to. 1. l. 1. c. 9. n. 7. Filiutius to. 2. tr. 21. c. 4. n. 134. & alii apud Dianam p. 4. tr. 4. miſcell. reſol. 30. " Proinde opinio, quæ docet, ex authoritate unius Doctoris pii & docti, opinionem reddi probabilem, pro ſe habet quatuor, imò plures Doctores, pios & doctos. Ex quo Caramuel infert eam eſſe probabilem. Opinio quippe illa procul dubio probabilis eſt (inquit) quæ pro ſe habet quatuor ſaltem, vel plures Doctores, probos & doctos. Si ergo ſequi cuique liceat probabilem quamcumque opinionem, & probabilitas ex unius etiam Doctoris authoritate proveniat, qui à Probabiliſtis pius & doctus habeatur; jam ferè omnia, quàmlibet paradoxa, licita ſunt: cùm vix ullum in Moralibus hodie ſit paradoxum, quod non nitatur authoritate unius ſaltem Doctoris. Saltem negari non poteſt, quin hinc errandi occaſio præbeatur minùs doctis, qui veritatem profundiùs ſcrutari nec ſolent, nec ſciunt. Non enim deſunt, qui dicant: ſufficit mihi, ut, pro conſcientiæ meæ quiete, ſic doceat talis vel talis Theologus, uti ſæpiùs ſe audiviſſe Fagnanus teſtatur. " Quare hæc doctrina probabilitatum videtur (inquit) fovere quamdam velut libertatem conſcientiæ; ac proinde magnoperè indigere dexterâ Dei, & Beatiſſimi Romani Pontificis proviſione, ne venenum, jam plus nimio dilatatum, ulteriùs ſerpat. Etenim ſi optimæ ſunt leges quæ quàm pauciſſima Judicis arbitrio relinquunt, ſecundùm Philoſophum 1. Rhetor. fateri oportet, peſſimam eſſe hanc

„ doctrinam, quæ ferè omnia relinquit libero „ cujuſque arbitrio," totam penè Theologiam Moralem problematicam faciendo. Quod ex argumentis ſequentibus adhuc ſenſibiliùs apparebit.

789 Tertiò ex probabiliſtica doctrina conſequens eſt, Doctorem unum, exiſtimatum doctum & pium, poſſe aliorum conſcientias ſuſque deque vertere, & quò vult inflectere, modò ſecundùm unam, modò ſecundùm aliam viam extremè oppoſitam (etiam quam ipſe certò falſam, improbabilem, legique naturali, ſeu Decalogo adverſam judicat) conſilium dando, quòd tutò, & cum ſalutis ſecuritate, ſequi liceat regulas morum extremè oppoſitas, illas etiam, quas longè probabiliùs, immò certò judicat falſas, Scripturiſque, Conciliis, & Patribus adverſas, dummodò Doctor aliquis, exiſtimatus doctus & pius, opinetur iis adverſas non eſſe, ſed probabiles. Quod ſi verum eſt, quilibet etiam poterit tutò, & cum ſalutis ſecuritate, eam fidei regulam, ſeu religionem ſequi, in eaque ſuſcepta permanere, quam longè probabiliùs, immò certò judicat falſam, Scripturæque, Conciliis, & Patribus adverſam, dummodò Doctor aliquis, exiſtimatus doctus & pius, opinetur eam adverſam non eſſe, ſed probabilem. (Si enim talem morum, quidni & talem fidei regulam ſequi quiſque poſſit?) Quam poſitionem horrendam eſſe, fatetur Author noviſſimæ Reſponſionis ad Epiſtolas Provinciales L. Montaltii; & væ dicit venenato fonti, unde doctrina Chriſtianiſmo tam funeſta profluxit.

790 Dicit quidem ipſis, dicunt alii cum ipſo, talem à Probabiliſtis non tradi probabilitatis licentiam, ſed ſolam licentiam ſequendi quamlibet opinionem verè probabilem. Ad hoc autem ut verè probabilis ſit, duas à Probabiliſtis requiri conditiones. Quarum prima eſt, ut nixa ſit motivo gravi (ſolidâ utique ratione, vel gravi authoritate) quod tunc demùm dicitur grave, dum tale eſt, ut ex eo vir conſideratus in negotiis magni momenti concludere ſoleat. Secunda: ut contra ſe non habeat authoritatem Scripturæ, Conciliorum, Patrum, ſeu contra ſe non habeat veritatem ab Eccleſia receptam, vel rationem evidentem.

791 Sed quod dicit, phantaſma eſt, nihil veræ ſoliditatis habens, imò fucum, & vanam verborum ſpecioſorum apparentiam. Primò quia dum Probabiliſtæ, ad licitum opinionis probabilis uſum, requirunt quòd verè ſit probabilis, non requirunt quòd abſolutè ſit vera: cùm plurimæ opiniones apud ipſos ſint verè probabiles, quæ tamen abſolutè ſunt falſæ, medietaſque probabilium opinionum, ſibi invicem contradicentium, ſit talis. Nec requirunt, quòd nixæ ſint motivo quod abſolutè, & coram Deo grave ſit, & ſolidum (nihil enim abſolutè, & coram Deo ſolidum eſt, quod abſolutè, & coram Deo non ſubſiſtit) ſed quod tale appareat iis, quos ipſi cenſent viros doctos, & eruditos. Nec denique requirunt quòd reverà à parte rei contra ſe non habeat authoritatem Scripturæ, Conciliorum, Patrum, ſeu veritatem ab Eccleſia receptam, rationemvè evidentem, ſed quòd alicui viro, pio & docto, videatur illa contra ſe non habere. Sicque tota redit difficultas, & laxitas antedicta. Valdè enim diverſa ſunt, aliquid reverà ſolidum eſſe, nec Scripturæ vel veritati in Eccleſia receptæ contrarium, & tale alicui viro pio & docto apparere. Cùm alicui, imò aliquibus viris (quos pro viris doctis & piis habent Probabiliſtæ) ſæpè videantur ſolida, nec Scripturæ, Conciliis, &c. contraria, quæ reverà contraria ſunt; & ſi quæſtio ſit de opinionibus controverſis in materia juris naturalis, & præceptorum Decalogi, media pars opinionum probabilium juri naturali & Scripturæ (in qua Decalogi præcepta continentur) reverà adverſetur, v. g. opinio affirmans licitum eſſe occidere injuſtum aggreſſorem honoris & famæ. Denique Probabiliſtis familiare eſt, Scripturam, Concilia, Patres ad ſenſus ſuos detorquere, non ut reverà ſe habent, ſed ut ipſis ſapit, prout vidimus Prolegom. 1. cap. 5. & 6. ad oculumque demonſtrant Montaltius epiſt. 6. Wendrockius in not. ad eamdem, & noviſſimus Epiſtolarum Provincialium Apologiſta epiſt. 4. ubi præter alia exempla à Montaltio & Wendrockio relata, unum adfert de operibus miſericordiæ, ad quæ Leſſius raram agnoſcit in fidelibus obligationem, tametſi nullam aliam obligationem Scriptura frequentiùs inculcet. Cùmque ſibi objeciſſet, quòd *Dominus Matth. 25. formam judicii deſcribens, meminerit potiùs operum miſericordiæ neglectorum, quàm aliorum.* Reſpondet non obſtare: *id enim fecit, ut homines, præſertim plebeios... ad ea excitaret.* Alterum exemplum affert in filiis, uxorem, etiam ſtatu ſuo indignam, accipientibus, abſque conſenſu parentum. Quos à mortali excuſat Tamburinus l. 5. in Decal. c. 2. §. 3. non obſtante quod *ſtatuit Evariſtus Papa, ut pro nupta nequaquam habeatur puella, quam pater ipſe non deſponſat. Leo Pontifex, & Ambroſius aiunt, non eſſe virginalis pudoris, maritum eligere, ſed judicium parentum eſſe expectandum. In ſacris* quoque *Literis parentibus hoc munus tribuit Sapiens. Paulus 1. Cor. 17. expreſsè docet, à parentibus tradendas eſſe filias nuptui. Multa ſacrarum Litterarum exempla, quæ affert Bellarminus, id manifeſtè demonſtrant.* Reſpondet: *hæc & ſimilia probare quidem eſſe valdè honeſtum, ejuſmodi conſilium à patre conquirere; diram peccati mortalis neceſſitatem non probare.* Cùmque Sanchez aſſeruiſſet præceptum obligans ad orationem Dominicam, & Symbolum memoriter addiſcenda, illudque probaſſet ex Conciliis, longâ ſerie adductis. *At* (inquit l. 2. in Decal. c. 3. n. 9.) *hæc obligatio eſt ſub ſola veniali culpa. Quia etſi verba Conciliorum rigidè videantur loqui, & ſub mortali obligare: at conſuetudo jam expoſuit obligationem*

hanc non tanti momenti esse, ut culpam venialem excedat illius transgressio. Azor. l. 10. Inst. c. 31. q. 13. docet, Sacerdotem ne venialiter quidem peccare, si (præmissâ confessione) Missam celebret ipso die voluntariæ pollutionis nocte præcedente commissæ. Cùmque sibi objecisset S. Thomam. & S. Bonav. aientes, quòd debeat abstinere à Sacrificio, intra 24. horarum spatium. Respondet, ipsos per verbum *debet*, *non significare præcepti, vel legis necessitatem, sed æquitatem quamdam, & honestatem.* Vel ipse Toletus l. 8. Instruct. c. 36. n. 3. & 4. tametsi fateatur, Sanctos *damnare superflui retentionem sub mortali*, contrariam opinionem præfert ob Scholasticorum authoritatem: Scholasticos proinde SS. Patribus præfert, circa quæstionem, an divites ad eleëmosynam, de superfluis, in communibus pauperum necessitatibus, sub mortali teneantur. Quasi verò circa divinæ Scripturæ de eleëmosynæ præcepto intelligentiam copiosiori lumine Scholasticos Deus illustrasset, quàm sanctos Doctores, saltem in ordine ex explicandos mores, homine Christiano dignos, uti Cellotius de Hierarch. l. 8. c. 16. censuit dicens (ex Reginaldo) *Quæ circa fidem emergunt difficultates, eæ sunt à Veteribus hauriendæ; quæ verò circa mores homine Christiano dignos, à novitiis Scriptoribus.* Concinit Caramuel (Probabilistarum deliciæ) Theol. fundam. n. 197. juncto n. 1268. Edit. Francof. *In materia morum, pluris faciendæ Juniorum opiniones, quàm Veterum*, &c.

792 Secundò, supradictam licentiam à Probabilistis concedi, perspicuum videtur ex sequentibus ipsorum principiis.

Primum principium: licitum est sequi opinionem minùs probabilem, etiamsi *minùs tuta sit. Est communis Recentium.* Filiutius to. 21. c. 4. n. 125. ita ut quamcumque duarum viarum primò diversarum secutus quis fuerit, rectà tendat ad superos. Escobar. in procem. suæ Theologiæ Moralis.

Secundum principium: authoritas unius Doctoris, probi & docti, reddit opinionem probabilem. Filiutius cap. 4. Sanchez l. 1. Sum. in Decal. c. 9. n. 7. Azor Instit. l. 2. c. 17. Escobar suprà exam. 3. c. 6. Martinon disp. 14. de act. hum. sect. 4. n. 41. Tamburinus l. 1. in Decal. c. 3. §. 3. De Rhodez de act. hum. disput. 2. q. 2. sect. 3.

Tertium principium: ex authoritate unius tantùm, pii & docti, potest quis in praxi amplecti opinionem, quam à principiis intrinsecis falsam & improbabilem æstimat. Verricelli qq. moral. to. 1. tr. 2. q. 4.

Quartum principium: Doctor, à quo consilium petitur, potest modò juxta unam, modò juxta contrariam opinionem respondere. Sanchez loco citato n. 6. De Rhodez citatâ sect. 3.

Quintum principium, affine præcedenti: *Doctor alteri consulenti consilium dare potest, non solùm ex propria, sed etiam ex oppositâ probabili aliorum sententia, si fortè hæc illi favorabilior sit, & exoptatior... quamvis ejusmodi sententiam speculativè falsam esse sibi certò persuadeat.* Layman tr. 1. de consc. c. 5. §. 2. inde concludens, quòd Confessarius potest, imò tenetur absolvere pœnitentem, secundùm opinionem aliorum probabilem, etiamsi eam speculativè improbabilem censeat. Ita etiam Sanchez, de Rhodez, Machado tr. 1. discept. de opin. prob. a. 7. ubi addit, quòd Consiliarius respondere potest secundùm opinionem aliorum, quam ipse reputat improbabilem; eò quòd utique ipsi certò videatur esse contra rationem, vel authoritatem Scripturæ, vel Conciliorum, &c. Rationem dant Valentia, Sanchez, Vasquez, Castro, Sayrus, de Rhodez, &c. quia licèt quis rationem vel authoritatem contra aliorum opinionem habeat, quam ipse solvere nequit, & sibi solvi non posse videtur, *equidem persuadere sibi prudens quisque debet, multas sæpè rationes* (vel authoritates) *nobis apparere insolubiles, quas facilè alii solvunt, quarum etiam solutionem non rarò invenimus. Ideò nemo unquam debet solo suo judicio aliorum sententiam judicare improbabilem*, ait de Rhodez ubi suprà.

Nec discordat Tamburinus l. 1. in Decal. c. 3. §. 4. *Potest* (inquit) *contingere ut ille sit adeò doctus, ut tibi liceat prudenter judicare, rationem illius firmam esse, sed minùs à te penetratam, vel notam; & item judicare, ipsum rationem in contrarium, tibi probatissimam, facilè posse diluere. In hoc enim eventu ejus opinionem, utpote extrinsecè probabilem, si amplectaris, prudenter te geres.* In ipsomet Tamburino & Filiutio horum exempla non semel produximus.

Ex his omnibus perspicuum est, quòd illi 793
etiam Probabilistæ, qui certis in materiis ex propria sententia videntur speculativè severi, practicè iisdem in materiis sint laxi, dum praxim permittunt cujuslibet opinionis, quæ pro se habet aliquem vel aliquos Doctores, quos ipsi doctos existimant & pios, deque Theologia Morali benè meritos, etiamsi in nonnullis erravisse constet (inquit Author novissimæ Responsionis ad Litteras Provinciales pag. 253.) Per consequens eo ipso practicè laxus est Probabilista quicumque, quo Probabilista: utpote eo ipso approbans praxim illarum etiam propositionum, quas ex propria sententia certò falsas, & nimis laxas, speculativè judicat; eò quòd sibi videantur certò habere contra se rationem vel authoritatem (v. g. Scripturæ vel Traditionis) sibi visam insolubilem, dummodò pro se habeant aliquem vel aliquos ejusmodi Authores, à quibus rationem illam vel authoritatem solvi posse existimet, ut suprà. Eo ipso proinde quo Probabilista, conscientias securè dirigere poterit modò secundùm unam, modò secundùm oppositam opinionem ab aliquo ejusmodi Authore traditam, etiam in materia fidei, ut suprà visum est ex Sanchez & aliis.

Hoc autem est conscientias pro libito dirigere, easque susque deque vertere, etiamsi Director censeat directionem suam contra se habere certam authoritatem Scripturæ, vel Conciliorum (prout habet omnis opinio falsa in materia fidei) dummodò pro se habeat aliquem Casuistam, à Probabilistis existimatum doctum & pium. Cùm secundùm Casuistas, ab ipsis existimatos doctos & pios, etiam secundùm Sanchez (quem ipsi *Moralium Scriptorum Principem, splendidissimumque Theologiæ Moralis lumen* appellant) licitum sit in falsa secta, veræ fidei, adeòque divinæ Scripturæ, vel Traditioni contraria, permanere, quamdiù persuasum quis habet, suam ejusmodi sectam esse probabilem, & juxta eundem Sanchez, in rusticis saltem hominibus, à formali malitia excusari queant, vel ipsa gravissima peccata interna, contra duo ultima Decalogi præcepta, *si à viro existimato docto & pio audierint, fornicationem & furtum externa esse peccata; at licere fornicandi & furandi desiderium.* Isto namque casu l. 1. in Decal. c. 16. de tali rustico dicit: *Probabiliùs credo illum actum internum excusari omninò à malitia, ratione ignorantiæ invincibilis*, id est bonæ fidei, fundatæ in testimonio dicti viri, existimati docti & pii, non obstante certissimo divinæ Scripturæ testimonio in contrarium. Idem in casu planè simili docet de Rhodez disp. 2. de peccat. q. 1. sect. 1. §. 2. Actum quoque externum adulterii in Susanna excusat Cornelius à Lapide in cap. 13. Daniel. ad v. 22. & 23. si metu infamiæ & mortis permisisset in se duorum senum libidinem, interiùs non consentiendo, prout alibi videbitur. Alias horrendas Probabilistarum laxitates adversus divinam Scripturam exhibet Elenchus Proleg. 1. c. 2. productus; adeò (inquam) horrendas, ut vel ipsis Ethnicis, non omniò corruptis, offensioni essent. Earum tamen praxim licitam allata faciunt principia Probabilistarum; quorum licèt aliqui ex principiis proximis ac specialibus ea damnent, ex generalibus ac remotis principiis illis ea probant, honestantque, prout ostendimus.

794 Dicit quidem Terillus, non omnium probabilium opinionum usum esse certò licitum, sed solùm usum opinionum certò practicè probabilium, non probabiliter probabilium dumtaxat. Qualiter dumtaxat probabiles sunt, si tamen probabiles, plurimæ ex opinionibus in memorato Elencho recensitis. Sed non omnes Probabilistæ in eo ipsi consentiunt; imò plures (quos pro doctis & probis Terillus habet) certò licitum censent usum opinionum probabiliter dumtaxat probabilium, ut vidimus Prolegomeno 1. c. 8. Nec ipse Terillus in eo sibi constat, sed cum proximè laudatis implicitè eo ipso consentit, quò reflexas hasce maximas, velut moraliter certas tradit: *Lex abstinendi ab aliqua actione, eo ipso non obligat, quò non est certò & evidenter promulgata. Lex seu prohibitio incerta, parere nequit certam abstinendi obligationem*, &c. Quia quamdiù non existentia legis seu prohibitionis, est probabiliter probabilis, lex seu prohibitio non est certa, nec certò promulgata.

CAPUT LXVI.

Decima-tertia ratio: quia doctrina de licito usu opinionis minùs probabilis, &c. viam aperit ad dicendum (cum plerisque Probabilistis) cuique esse licitum sequi probabilem aliorum opinionem, dum falsitas ipsius non est ipsi vel fide, vel evidenti ratione certa. Ad dicendum etiam cum Caramuele, omnem actum mihi esse licitum, quem vel fide, vel ratione evidenti, mihi non constat esse illicitum. Utrumque autem ducit in monstrosam laxitatem.

VEritas antecedentis perspicua est ex dictis Prolegom. 1. c. 8. & suprà cap. 67.... 795
Utrumque autem in monstrosam ducere laxitatem, ibidem demonstratum est.

Præter ibi dicta hîc solùm observo 1°. ni- 796
mium esse tribuere quatuor vel quinque Casuistis (quos omnes pios & doctos vocant Probabilistæ, etiam illos, quorum nimias laxitates Ecclesia reprobavit) asserere quòd hoc ipso quòd ipsi censuerint aliquid licitum, etiamsi alii longè plures & sapientiores illicitum sentiant, illud per probabilem, ut vocant, authoritatem suam, licitum reddant omnibus, qui evidenter non cognoverint ipsos errasse, ita ut securos reddant omnes toto Orbe homines, quibus non affulserit omnimoda certitudo de ipsorum errore. Quis enim tantum dedit ipsis privilegium? Et quid refert quòd alii omnimodam non habeant certitudinem de ipsorum errore, si equidem urgentissima infra omnimodam certitudinem habeant fundamenta, ob quæ probabilissimè judicent ipsos errare? Hic honor (ait sapientissimè Thyrsus Gonzales Soc. Generalis in lib. de recto usu opin. probab. dissert. 3. c. 3. n. 61.) solùm debetur Scriptoribus Canonicis, ut securissimè possit quilibet illorum judicium sequi, quamvis in contrarium ipsi occurrat ratio apparenter validissima, quæ ipsi videatur evidens. Debet enim credere, illam esse fallacem. Quia opponitur assertioni Scriptoris infallibilis. Et eadem mentis subjectio debita est S. Pontifici, ex Cathedra loquenti, & Conciliis Generalibus legitimis, in materia fidei & morum. Cæterùm quando Scriptor, vel Scriptores sunt fallibiles, & aliquid affirmant in favorem libertatis contra legem, non solùm non potest illos sequi, qui certum & evidens putat illos errasse; sed nec ille qui illos errasse credit ob rationes urgentes, quas manifestè cognoscit esse verisimiliores rationibus contrariis, præsertim quando istæ rationes examinatæ sunt, & approbatæ à viris probis & sapientibus, majoris authoritatis, quàm sint illi, qui favent libertati. Sequi enim homines

fallibiles errantes contra legem divinam, quando prudenter judico illos errare, magna imprudentia & temeritas est. Ego (inquit Aug. ep. 19. ad Hieron.) *solis iis Scripturæ libris, qui jam Canonici dicuntur, didici hunc honorem deferre, ut nullum eorum Authorum, scribendo aliquid, errasse firmissimè credam. Alios autem ita lego, ut quantâlibet sanctitate, doctrinâque polleant, non ideò verum putem, quia illi ita sentiunt, sed quia mihi, vel per illos Authores Canonicos, vel probabili ratione, quòd à vero non abhorreant, persuadere potuerunt.*

797 Observo 2°. ea quæ locis citatis dixi contra Caramuelem, confirmari à Thyrso Gonzales, hisce verbis: dicere quòd non obliget, nisi ejus existentia sit cognita certò & evidenter ab operante, est res absurdissima, & quæ uno ictu innumera præcepta de medio tollit, & facit licitas res omnes, quæ in controversiam vocatæ sunt à Theologis. Unde sufficiet scire, quòd disputatur inter Theologos, an aliquis contractus sit illicitus, aliqua actio prohibita, ut statim, absque ullo scrupulo, possit quis ejusmodi contractum, & actionem exercere. Quia hoc ipso quòd sciat, id vocatum esse in disputationem à Theologis, rectè inferre potest, non esse manifestum & evidens, quòd sit prohibitum. Quia Theologi non vocant in quæstionem, an sint illicita, ea quorum malitia & prohibitio est omninò certa, & indubitata. Quis autem non videat hoc esse contra omnium Patrum & Theologorum mentem, qui, post longas disputationes & quæstiones, concludunt, tales & tales contractus esse illicitos, tales & tales actiones esse malas?

798 Et tamen in hanc monstrosam laxitatem prolapsi sunt Probabilistæ aliqui (etiam Terillus, ut vidimus loco relato) quasi vi consequentiæ. Ita enim disertè pronuntiavit D. Caramuel in Theol. fundam. n. 275. & n. 451. Edit. Lugdun. (ut eodem loco vidimus.) Neque defuerunt ei suffragia & subscriptiones quorumdam Theologorum, qui tamquam probabilem approbarunt hanc assertionem, non obligare præceptum, cujus existentia non fuerit manifesta & evidens. Quasi iniquum sit, privare hominem libertate faciendi rem aliquam, nisi constet evidenter de existentia præcepti, quæ ipsum tali libertate spoliat.

799 Hactenùs Thyrsus Gonzales, principium istud nobiscum deinde pluribus refellens, sicque concludens: ergo certissimum est non requiri ad obligationem præcepti, quòd ejus existentia sit manifesta & evidens operanti; sed sufficit, quòd prudenter judicet, vel judicare possit tale præceptum existere. Deus enim habet certissimum jus, ut homo faciat ejus voluntatem, quoties prudenter judicare valet, existere præceptum divinum, obligans ad operandum. Et sanè in Tribunali humano, si Petrus coram Judice præsentet instrumentum, vel aliud testimonium, quo Judex moveri prudenter possit ad judicandum, Paulum ei debere centum; si Paulus nihil opponat, quo vim illius probationis elidat; nec aliquid in sui defensionem alleget, debet Judex in favorem Petri sententiam proferre, Paulumque condemnare ut solvat illa centum. Nec enim expectandæ sunt probationes omninò certæ & palmares; sed sufficiunt probationes valdè verisimiles. Ergo pariter, si, in Tribunali nostræ conscientiæ, occurrat vehemens motivum, ad credendum nos debere Deo alicujus rei executionem, si nullam habemus probationem in contrarium (quâ illius motivi vis elidatur) debemus judicare tale præceptum existere, & nosipsos obligatos agnoscere ad rei executionem. Nam probatio illa vehementer movens ad ita credendum, dum non debilitatur probatione contrariâ, fundat judicium, firmum, absque prudenti hæsitatione de existentia præcepti. Ita ille. Similia habet Charlasius de opin. delectu c. 6. & 7. observans, quòd illi qui putant se divinâ lege non teneri, nisi quando clara omninò sibi videtur, nec peccatum à se vitandum, nisi certum sit, nec sufficere opinionem de illo probabiliorem, ut voluntariè peccasse censeantur; similes sunt homini cæco, aut penè cæco, qui rectam viam sequi nollet, aut fossam declinare, nisi cùm eas clarè cerneret. Cæcus namque, vel quasi cæcus est omne genus humanum, post primi hominis peccatum.

CAPUT LXVII.

Decima-quarta ratio: quia doctrina illa inutile vel parum necessarium reddit, & languescere facit studium Theologiæ Moralis.

800 CUm finis Theologiæ Moralis sit scire, quomodò formandi sint mores, & quomodò unumquemque oporteat vivere, idque scire absque dubio utilissimum sit, & valdè necessarium: absurdissimam oportet esse doctrinam, quæ scientiæ tam utilis, tamque necessariæ studium inutile reddit, vel parum necessarium.

801 Quòd autem probabilitatis doctrina, hactenùs impugnata, studium illius reddat penè inutile, vel parum necessarium, probatur 1°. quia ubi totus penè finis alicujus scientiæ æquè facilè, immò faciliùs, & compendiosiùs obtineri potest absque illius studio, quàm cum illo, studium illius nec utile est, nec necessarium. Sed si ad rectè vivendum, & operandum, sufficit quæcumque opinio, etiam minùs probabilis de licito, cognita ut talis, totus finis scientiæ moralis obtineri potest sine scientia morali (id est scientia veritatum moralium) adeòque sine studio illius, æquè facilè, immò faciliùs & compendiosiùs, ac cum illo; per solam utique historicam cognitionem non veritatum, sed probabilitatum moralium, quæ longè facilior & compendiosior est scientiâ veritatum, minoreque indiget studio, nec tam magno ingenio, dummodò adsit bona memoria. Cum ista namque historica cog-

nitione, Theologiæ tyro casus hinc inde controversos perinde resolvet, atque Magister sapientissimus. Quia ad eorum resolutionem videre sufficiet Leandrum, vel Dianam, vel Escobarium, vel Busembaum, atque ex ipsis scire circa istum casum opiniones esse hinc inde probabiles, id est pro utraque parte stare bonos, ut vocant, Casuistas, nec quidquam in contrarium ab Ecclesia definitum. Ad quod sufficit notitia purè historica, ex dictis Authoribus comparata. Ad summum proinde necessarium erit consulere Magistros pro casibus extraordinariis, ac planè rarissimis. Cùm ordinarii, & non ita rari apud prænominatos inveniantur. Quisquis ergo Leandrum habuerit, vel Dianam, vel Escobarium, vel Busembaum, seu alium Collectorem probabilium opinionum, casus omnes non omninò extraordinarios facilè resolvere poterit absque profunda disputatione, vel operoso studio, & lectione aliorum Authorum.

802 2°. experientia docet, ab eo tempore quo minoris probabilitatis doctrina vulgaris esse cœpit, studium inquirendæ veritatis in rebus incertis, ad morum directionem pertinentibus, velut parum necessarium, in plurimis elanguisse, utpote qui intelligentes extare probabiles hinc inde opiniones, Authoresque pro & contra circa quoscumque casus controversos, seque habere libertatem, quam lubet ex opinionibus illis sequendi, & secundùm quamlibet alios dirigendi, necessarium non judicant laborare pro veritate ulteriùs assequenda. Quod sibi ferè accidisse narrat Eminentiss. Cardinalis de Aguirre in Præfatione ad tom. 1. Concil. Hispan. n. 31. hisce verbis: *Eò usque communi ferè sensu, aut præjudicio abductus, in Probabilismo, veluti in pulvino, molliter quiescebam: & plerùmque studium meum (ita ingenuè fateor) situm erat in examinando potiùs, an aliquid esset probabile, quàm in vestigando, an esset verum. Detectâ enim probabilitate, nullatenùs dubitabam, me posse illud in praxi sequi, aut alius consulere. Unde & in Theologia storulenta, quam edidi Salmantica anno 1667. ludo 5. præsertim à num. 70. usque ad 98. tota mihi cura fuit in examinandis conditionibus opinionis, ab uno Doctore pio & docto traditæ, adversus communem aliorum, necessariis ac sufficientibus, ut illa probabilis censeatur. Hoc enim semel statuto, non dubitabam, licitum esse ipsius usum, adhuc postquam Alexander VII. anno 1666. damnaverat hanc propositionem 27. Si liber sit alicujus Junioris, & Moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam esse à Sede Apostolica, ut improbabilem.*

803 3°. si probabilitas quæcumque sufficiat ad licitè securèque agendum, necesse non est ut, qui probabilitatem invenerit, se operoso studio fatiget ad veritatem inveniendam. Ad quid enim necesse est, ut ulteriùs se fatiget ad assequendam, vel propiùs attingendam notitiam veritatis, qui securum se reputat ductu cujuscumque probabilitatis? Neque enim ob aliud necessaria est legis gnaritas (ait Sinnichius in Saule Exrege l. 1. §. 159.) nisi ut obtineatur benè agendi securitas; ac proinde per dictamen probabilitatis cessat necessitas exquirendi lumen veritatis.

804 4°. vel casus, quicumque occurrere poterit, facilis erit, vel difficilis? Si facilis, magno studio opus non est pro ipsius resolutione. Si difficilis, experientia docet, difficultatem ex eo provenire, quòd rationes suasibiles occurrant utrimque, ut habetur 1. Topic. c. 9. in princ. Statim ergo concipimus, casum illum utrimque probabilem esse, maximè habitâ notitiâ pro utraque parte bonos Casuistas stare. Conceptâ verò probabilitate, necessarium non est studium ulterius pro attingenda veritate. Maximè cùm (secundùm Caramuelem, aliosque Probabilistas) sufficiat scire, *Diana dixit.* Facillima proinde casuum etiam difficilium resolutio. Non sic tamen censuerunt Majores nostri. Si enim censuissent id sufficere, non usque adeò laborassent pro casuum difficilium resolutione, nec in eorum resolutione adeò timuissent à veritate aberrare, nec ejusmodi casuum resolutiones adeò periculosas existimassent, nec S. Thomas opusc. 37. cum timore & tremore Sapientiam invocasset, dicens: *Invoco Sapientiam, ne me errare permittat in periculum animæ meæ, & in laqueum aliorum.*

805 5°. vel historica cognitio probabilium de licito opinionum, quæ extant apud dictos Collectores, sufficit ad conscientias tutò dirigendas, in casibus omnibus, in quibus esse dignoscitur opinio probabilis, vel non? Si sufficit, scientia veritatum Theologiæ Moralis ad ejusmodi actiones dirigendas necessaria non est, inutiliterque eum in finem novi sine fine scribuntur, eduntur que libri. Si non sufficit: igitur omnes probabiles opiniones non sufficiunt ad actiones dirigendas.

806 6°. inutilem esse (stante Probabilismo) laborem novos libros scribentium de rebus moralibus, circa quas Scriptores sciunt, vel supponunt probabiles hinc inde dari opiniones, ampliùs ostenditur ex eo quòd nullus istius laboris finis assignari queat. Vel enim scribunt ad ostendendum actiones controversas esse licitas, vel ad ostendendum esse illicitas? Si primum, in vanum laborant; cùm antecedenter ad laborem suum, sciant vel supponant dari probabiles de licito opiniones, earumque omnium usum esse licitum. Si secundum, oleum operamque perdunt, ad id ostendendum: quia tametsi probabiliùs ostendere queant falsitatem opinionum de licito, earum ostendere nequeunt improbabilitatem; suppositâ verò earum probabilitate, usum earum ipsimet usque adeò supponunt, & sentiunt esse licitum, ut, desuper interrogati, an, spectatis omnibus, licitum sit illas & illas actiones ponere, respondere debeant licitum esse.

807 Ad quid ergo novos hac de re libros vel tractatus componere? ad quid edere? An ut opinio

opinio de licito reddatur probabilior? Sed ad quid ipſius oſtendere probabilioritatem, ſi minor probabilitas æqualem dat agendi ſecuritatem? An ut oſtendatur ipſius veritas? Sed ad quid ſervit tam laborioſa oſtenſio veritatis, ubi æqualem ſecuritatem præſtat cognitio probabilitatis?

808 Inutile proinde, immò illicitum erit favorabiles impugnare opiniones, hoc ipſo quòd cognoſcuntur vel ſupponuntur eſſe probabiles. Neque enim utile vel licitum eſt, ſanam & tutam impugnare, & velle deſtruere doctrinam, cognitam ut talem. Qualis (ſecundùm Probabiliſtas) eſt omnis doctrina probabilis. Quo enim fine honeſtari poteſt impugnatio doctrinæ ſanæ & tutæ? An ut appareat ipſius falſitas? Sed ſi equidem ſana & tuta ſit, falſitas ipſius argumentis ſolùm probabilibus, non certis probata (ſecundùm eoſdem Probabiliſtas) nihil moribus nocet; ſanitas verò multùm prodeſt. Iniquum eſt autem (inquit laudatus Gonzales loco citato n. 109.) conari ad evertendam doctrinam, quæ nihil poteſt nocere animæ, & poteſt ipſi prodeſſe multùm. Maximè cùm falſitas illa, cum ſanitate conjuncta, exiguum malum ſit (utpote error ſolùm materialis) ſanitas verò ingens bonum. Iniquum eſt autem, conari ad deſtruendam rem, quæ affert ingens bonum, ne inducat exiguum malum, v. g. impedire medicinam, ſanitatem allaturam, propter exiguum malum, quod inducit ſimul cum ingenti iſto bono.

CAPUT LXVIII.

Decima-quinta ratio: quia doctrina illa tollit ſtudium orandi pro obtinenda cognitione veritatis, notitiaque divinæ legis.

809 STudiosè quærendam, à Deoque poſtulandam notitiam veritatis divinæ legis, Scriptura monet, Patres docent, ratio dictat. Pleni namque ſunt Pſalmi hujuſcemodi ſupplicationibus: *Veritatem tuam doce me. Doce me juſtificationes tuas*, &c. Auguſtinus l. 1. contra Academic. c. 4. *Quiſquis veritatem minùs inſtanter quæſit, is ad finem hominis non pervenit.* Et epiſt. 6. *Omnes aut ſumus, aut tenemur eſſe cives illius civitatis, cujus Rex & Imperator eſt veritas; ne ſimus ex alia, cui falſitas dominatur.* Et idipſum ratione probat S. Thomas 2. 2. q. 60. a. 4. ad 2. *quia verum eſt bonum intellectûs, falſum autem eſt malum ipſius, ut dicitur 6. Ethic. Et ideò unuſquiſque debet niti ad hoc, ut de rebus judicet prout ſunt.* Et hinc principium juris eſt, in iis quæ pertinent ad fidem, & bonos mores, tenere, maximè verò docere opinionem quamlibet falſam, eſt malum moraliter, & peccatum pœnâ dignum ratione ſui.... niſi excuſet ignorantia invincibilis. Ita omnes Doctores (inquit Eſparza in Append. art. 224.) quia, quoad mores, quælibet opinio falſa, addit vel demit legi Dei: addit, ſi eſt ſtricta, & falſa; demit ſi eſt larga, & falſa. Utrumque autem eſt prohibitum lege Dei.

At ſi quælibet opinio, etiam minùs proba- 810
bilis, etiam in concurſu oppoſitæ longè probabilioris, ſufficit ad conſcientiæ ſecuritatem, ſufficit ad morum directionem; ſtudiosè ergo quærenda non eſt veritas. Non enim veritatem ſtudiosè quærit, qui, relictâ opinione longè veriſimiliori, oppoſitam falſiſimiliorem eligit. Nam eo ipſo convincitur non quærere, nec eligere ejuſmodi opinionem propter veritatem. Quiſquis enim opinionem propter veritatem eligit, eam non eligit, in qua majora videt indicia falſitatis, ſed in qua majora videt indicia veritatis. Eligit proinde probabiliorem, non minùs probabilem, agnitam ut talem.

Si ſecundùm doctrinam illam Probabiliſta- 811
rum ſtudiosè quærenda non eſt veritas; nec ſtudiosè à Deo eſt poſtulanda. Neque enim ad aliud neceſſaria eſt notitia veritatis, niſi ad hoc ut benè agendi ſecuritas obtineatur. Si igitur hæc obtineatur per quamcumque probabilitatem, ceſſat finis ſtudiosè inquirendi cognoſcendique veritatem. Ut enim dixi capite præcedenti, quorſum ſe fatigabit, à Deo poſtulando notitiam veritatis, qui ſecurum ſe credit ductu cujuſlibet probabilitatis?

CAPUT LXIX.

Decima-ſexta ratio: quia doctrina illa nata eſt infinitis bellis, diſſidiſque, totum turbare mundum, per latiſſimum probabilitatis uſum.

PRobatur, quia viſum eſt Tamburino l. 1. 812
in Decal. c. 3. §. 4. ſtante probabilitate de jure, quemlibet Regem contra alium bellare poſſe; eò quòd cuique liceat probabilem ſequi opinionem, probabiliore relictâ. Et idem viſum eſt Sancio in ſelect. diſput. 44. n. 57. & ſeqq. tametſi (inquit) alter ſit in poſſeſſione. Per conſequens opinio ipſorum probabilis eſt ſecundùm principia Probabiliſtarum. Quia juxta Sanchez l. 1. Summ. c. 9. n. 7. Layman l. 1. tr. 1. c. 5. §. 2. n. 6. Georgium de Rhodez diſput. 2. de act. hum. q. 2. ſect. 3. & alios, unius Authoris docti & pii authoritas ſufficit ad opinionis probabilitatem. Quod ſic probat Caramuel Theol. fundam. pag. 137. *Communis Theologorum ſententia ad probabilitatem poſtulat quatuor Authores, in re, quæ à multis tractatur: in hoc enim ſaltem omnes conveniunt, quòd opinio quatuor Authorum ſit probabilis. Sed contrà ego hanc rationem efformo, quæ ſolutione hucuſque caruit. Quidquid teſtantur quatuor Authores, eſt probabile. Sed ad probabilitatem non requiri quatuor Authores, quatuor teſtantur; imò viginti, aut plures. Ergo opinio unius Authoris ſufficit.*

Siquis dicat hoc non procedere, quando 813
ex opinione unius vel quatuor Authorum magna ſequuntur inconvenientia, ſive pericula & damna, ſicut ex illa de bello opinione.

Contrà arguit Caramuel pag. 549. *Non est bona consequentia; ex tali vel tali assertione magna pericula & damna oriuntur. Ergo est falsa.... Hinc est quòd ego judicem, summa inconvenientia sequi ex multis opinionibus, quæ hodie circumferuntur; nec tamen ideò illas improbabiles esse. Multa enim suboriuntur ex restrictionibus mentalibus; multa ex occultis compensationibus; multa ex licentia occidendi injustum Judicem, aut testem, quam nonnulli concedunt; multa etiam ex illa opinione, quæ docet, de occultis non judicare Ecclesiam; multa ex aliis. Quibus tamen non obstantibus inconvenientibus, illæ sententiæ in terminis, quibus hodie in scholis traduntur, sunt ut minimùm probabilissimæ, & à nemine damnari possunt.* Vide infrà n. 828.

814 Verùm opinio illa Sancii & Tamburini, inimica est generis humani, videturque Authore diabolo orta, in perniciem universi Orbis, perturbationemque pacis & publicæ tranquillitatis. Estque, tam in se, quàm in principio cui nititur, tot malorum incentiva, ut non solùm Regibus ac Principibus, sed & eorum subditis valdè sit pernicioſa.

815 Primò namque patentissimam ad innumeras injustitias, homicidia, incendia, Civitatum, Provinciarum, Regnorum desolationes, ex quacumque probabilitate inferendas, aperit viam. Solent namque Christiani Principes, antequam bella suscipiant, à Theologis suis, conscientiæque Directoribus, inquirere quid sibi liceat, & facilè inveniunt Consultores & Resolutores palpantes, qui in gratiam Principum favorabiliter respondent; à quibus dum Principes audiunt jus suum probabile esse, sibique fas esse probabilem sequi opinionem, etiam contra probabiliorem, etiam contra bonæ fidei possessorem, isti consilio, seu resolutioni facilè acquiescentes, bella movent, cædibusque, incendiis & desolationibus omnia implent.

816 Secundò, si Regibus liceat, ex quacumque (id est sive ex majori sive ex minori, sive ex æquali (ut Probabilistæ volunt) probabilitate, alios Reges propriis exturbare possessionibus; ipsis à fortiori licebit, subditos suos pariter exturbare, ob incommoda sine comparatione minora hinc oriunda, quàm ex bellico strepitu. Hoc verò dato, quis subditus tutus erit in sua possessione? quis Naboth in vinea sua? Non enim desunt Authores (quos citatos sequitur Blacvodeus in Apologia pro Regibus c. 7. 26. & 31.) quibus probabile videtur, omnia subditorum bona ad dominium Regum pertinere, solo usu apud subditos existente, quem ipsis, ubi ratio aliqua inciderit, auferre possint.

817 Tertiò, si liceret Regibus ex quacumque probabilitate, seu alios Reges, seu subditos suos, propriis exturbare possessionibus, non deerit, qui ex hoc illaturus sit, pari jure licitum subditis, ex quacumque probabilitate Reges suos regnorum suorum possessione, immò & vitâ exturbare, totius saltem Parlamenti authoritate, quam esse gravem, atque adeò probabilem concludet ex ista Caramuelis positione Theol. Mor. n. 1408. *Totius Reip. & Consilii supremi authoritas gravis est, quacum nec dubium, nec timor, nec scrupulus componi potest.* Hoc verò dato, Reges omnes expositi erunt præsentissimo periculo execrabilis illius executionis, quam nuper, cum totius orbis horrore, Jacobus Angliæ Rex passus est. Quod sanè parricidium, sua non fuit probabilitate destitutum, secundùm principia Probabilistarum: utpote fundata, non in unius dumtaxat, vel alterius, seu trium vel quatuor Doctorum, sed in Parlamenti totius authoritate.

Quartò, si liceret Regibus, ex quacumque probabilitate, tam vicinos Reges, quàm subditos possessionibus suis exturbare; liceret & subditis, ex quacumque probabilitate, Regibus & Superioribus (licèt authoritatem possidentibus) obedientiam denegare. Quod concedunt quidem aliqui Probabilistæ, sed vel ex illa ipsa concessione facilè quisque potest perspicere, quàm exitiosa sit libera probabilitas authoritati Regum, Superiorumque omnium. Sed hac de re plura capite sequenti. 818

CAPUT LXX.

Decima-septima ratio: quia doctrina illa Regibus, Principibus, Superioribus omnibus, religiosaque obedientiæ exitiosa est.

PRobatur, quia viam aperit ad labefactandam obedientiam, Regibus, Principibus, Superioribus omnibus, etiam Religiosis debitam. Aiunt enim Probabilistæ non pauci, quòd *ubi datur opinio probabilis, docens, in aliquo casu non teneri subditum obedire Superiori; tunc subditus, qui credit eam opinionem esse probabilem, non tenetur obedire, licèt possit: quia potest alterutram opinionem tutò sequi.* Ita in terminis Sanchez l. 6. in Decal. c. 3. n. 7. citans Sayrum. Idipsum ut certum tradit Castro-Palao p. 1. disp. 2. num. 6. etiamsi (inquit) contraria opinio pro Superiore sit probabilior, citatque insuper Torres, Joannem Sancium, & Navarrum, tametsi hunc malè. Nec solùm subscribit Caramuel in Reg. S. Bened. l. 1. n. 65. sed & addit, Abbatem in tali casu punire non posse Religiosum, qui taliter ipsi renuerit obedire. Et Theol. fundam. pag. 202. ait Judicem punire non posse eum, qui, secutus opinionem probabilem, occiderit ob defensionem honoris v. g. Idque sibi clarum & certum esse. 819

Porrò secundùm ipsos datur opinio probabilis, quòd subditus non teneatur obedire Superiori præcipienti, quando probabile est quòd res imperata sit illicita, vel extra Superioris potestatem. Ita Palao ibidem n. 5. & plurimi alii, quorum rationes & argumenta affert Diana p. 9. tr. 9. resol. 45. 820

Istâ ergo doctrinâ subditus imbutus negare poterit obedientiam Superiori, præcipienti rem, 821

rem, de qua sunt contrariæ opiniones probabiles, quòd sit & non sit licita. Et secundùm Caramuelem puniri non poterit.

822 Imò Lud. Scildere tr. 2. de princip. consc. c. 4. §. 1. n. 57. censet, subditum, probabiliter opinantem, actum imperatum esse peccaminosum, non posse obedire, licèt Superior opinetur eum esse licitum. Sed ratio ipsius solùm probat subditum obedire non posse in sensu composito propriæ opinionis; secùs in sensu diviso, deponendo scilicet propriam opinionem, judiciumque suum ac voluntatem, judicio ac voluntati Superioris, in re manifestè non mala, subjiciendo.

823 Subditum quippe teneri voluntatem suam submittere voluntati Superioris extra materiam juris naturalis, in omnibus manifestè non malis, pro certo tenendum est, quidquid dixerint Probabilistæ n. 810. & 820. relati. Quia sanctorum Patrum regula certissima est, atque in sacris Litteris, Canonibus, & ratione fundatissima, Superiori, legitimam authoritatem possidenti, subditum obedire debere, ubi ipsi manifestè non constat, malum esse quod præcipitur.

824 Si subditus obedire teneatur in dubio, licèt utrimque probabili, an res præcepta sit licita; igitur & in dubio an res præcepta excedat limites potestatis ipsius. Quia Superior minorem potiùs authoritatem habet ad præcipiendum res, de quarum honestate dubitatur, quàm ad præcipiendum res certæ honestatis, dum solùm dubitatur de extensione suæ in eas potestatis, ut rectè hac in parte Sanchez ubi suprà c. 3. n. 4. Enimverò excessus potestatis in Superiore non præsumitur in dubio. Nam sicut *tanta est judicialis authoritas, ut in dubio semper pro Judice præsumatur*, prout dicitur in jure; sic tanta est Superioris authoritas, ut semper pro Superiore præsumatur.

CAPUT LXXI.

Decima-octava ratio: quia doctrina illa pariter exitiosa est toti Ecclesiæ, Ecclesiasticisque legibus, atque libertatibus, & immunitatibus.

825 PRobatur 1°. quia viam etiam aperit ad enervandam vim Legum, Constitutionumq; Ecclesiasticarum. Quia, ut sapienter observat Mercorus, in Præfatione libri sui, seu basis totius Theol. Mor. *siquando pro morum reformatione prodire contingat novam Constitutionem Ecclesiæ, statim Theologi, nimis benigni, cavillis, limitationibus, interpretationibus, distinctionibusque illam adoriuntur; cum quibus alii plurimi statim dilabuntur incauti, timentes deseri in suis consiliis*, si strictè & in rigore eas interpretentur, *subindeque post paucos menses, lex illa inermis, sauciaque relinquitur*, &c. Legat, qui licentiam habet, Montaltii Epistolam sextam ad Provincialem. Ibi varias inveniet probabilisticas artes & cavillationes, quibus Conciliorum & SS. Pontificum Constitutiones à Probabilistis eluduntur, & ad nihilum rediguntur. Et quid mirum, si sic humanæ leges enerventur, cùm ne divinæ quidem & evangelicæ ab istis artibus & cavillationibus liberæ sint? *Quod superest, date eleëmosynam*, dicit in Evangelio Salvator, de superfluis eleëmosynam injungens. At circa vocem *superfluum* sic cavillatur Vasquez de eleëmos. c. 4. n. 14. ut vix in sæcularibus, etiam in Regibus inveniatur. Quàm licentiosè cavillati sint alii circa præcepta prohibentia homicidium, usuram, simoniam, calumniam, aliaque divina humanaque præcepta, constat ex propositionibus Prolegom. 1. c. 1. relatis.

Denique adhuc post damnatas ab Innocentio XI. sexaginta quinque propositiones, non desunt circa eas cavillationes, v. g. circa 8. & 9. (quarum damnatione Ecclesia declarat comedentem, vel bibentem, vel opus conjugii exercentem, ob solam voluptatem, non carere culpâ) nòn desunt qui cavillantur id intelligendum de voluptate immoderata, sustinentque culpâ vacare, si id faciant ob solam voluptatem moderatam. Adeò verum est quod ex Mercoro suprà recitatum est, vix pro morum reformatione novam Ecclesiæ Constitutionem prodire, quàm Theologi, qui se benignos vocant, *cavillis, limitationibus, distinctionibusque illam adoriantur*. Quodque Antonius Triestius, Gandavensium Episcopus, in Epistola Pastorali ad Clerum suæ Diœceseos conqueſtus est, *nullum esse præceptum naturale, aut positivum, quod quæstuosis illorum probabilitatibus non eludatur*. Quod denique Cardinalis Bona in princip. vit. christ. p. 2. §. 46. ait: *benignos illos, seu potiùs Magistros prurientes auribus, ut noxiæ faveant libertati, mandata Dei & Ecclesiæ tot limitationibus, & perniciosis interpretationibus convellere, ut vix remaneat præcepto locus.*

826 Probatur 2°. quia illa, ut Illustrissimus D. Fagnanus ostendit n. 319. ecclesiasticam libertatem, immunitatemque, Dei ordinatione & canonicis sanctionibus constitutam, in dies enormiter lædit perturbatque. *Quandoquidem subortâ aliquâ de his controversiâ, Principes sæculi nihil ex arbitrio suo faciunt; sed quid sibi liceat, percunctantur à Theologis, quos ad sua desideria coacervant sibi magistros. Hi verò, ut se præbeant zelatores laicalis jurisdictionis... quærentes quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi... tantùm laborant in perquirendo aliquem Doctorem, qui in eo articulo complectatur opinionem jurisdictioni sæculari faventem, aut saltem affirmet, illam esse probabilem, eoque modica cum difficultate reperto (in tanta enim Scriptorum hujus sæculi multitudine, nunquam desunt, qui palam Potentatibus adulentur, & jurisdictioni ecclesiasticæ sint infensi) protinùs consulunt, & suadent Principibus, & Magistratibus sæcularibus, ut opinione illâ liberè utantur.* Hinc tantam, tamque frequentem in dies videmus, magisque & magis experimur diminutionem, & neglectum jurium, privilegiorumque Ec-

cleſiæ, tam modicum Apoſtolicæ Sedis reſpectum, tantum contemptum Cenſuratum, ob nonnullorum opiniones, à Novioribus exiſtimatas probabiles.

CAPUT LXXII.

Decima-nona ratio : quia doctrina illa intolerandam tribuit ſecuritatem 1°. in horis recitandis. 2°. intolerandam licentiam in opinionibus pro libitu practicè variandis, ſicut & 3°. in defendendis contra Judices criminoſis. Et 4°. in authorizandis opinionibus ſcandaloſis.

827 PRobatur 1ª. pars ex Caramuele, acerrimo Probabiliſmi Vindice; quem ideò *magnum Caramuelem, Facemque ingeniorum*, Probabiliſtæ vocant, cujus & opiniones invictas, imò invincibiles, ſeu inexpugnabiles dicere non erubuit Franciſcus Verde in libro quem pro Caramuele contra Borgiam Placentinum Epiſcopum ſcripſit. Caramuel itaque in epiſt. ad Dianam Theologiæ fundam. præfixa, non ſolùm milites, ſed & virgines appellat ſectatores molliorum opinionum probabilium, v. g. illius, quæ internam attentionem non requirit in recitando divino Officio. Poſſunt enim ita horis, aut aliis etiam Eccleſiæ præceptis ſatisfacere, *ut ne in levem quidem culpam labantur. Prolatio enim, & quæcumque alia exterior operatio, eſt facillima; & humanæ... leges Eccleſiaſticæ.... non præcipiunt internas. Porrò conſcientia, quæ ſine veniali operata eſt, virgo eſt, & fortiſſima miles, quæ vinci non timet, nam invita non poteſt. Sic ſentimus, & quia hac nos conducit Regularis hic Agnus* (Diana) *dum philoſophamur generosè & clementer* (veriùs dixiſſet, molliter) *ſequimur Agnum quocumque ierit. Certi enim ſumus tanto illius dogmata Theologorum firmari numero, ut quærenti, an hoc aut illud liceat, ſufficiat reſpondere, Diana dixit.* Et ejuſdem Theol. fundam. pag. 134. *Solent aliqui angi ſcrupulis, ſolent etiam præcipere viam tutiorem in materia probabili. At ipſi videbantur mihi non percallere probabilitatis eſſentiam. Et ideò in Commentario meo in Reg. D. Benedicti diſp. 6. de opin. prob. n. 58. & 61. duas Theſes poſui. Prima erat :* Omnes opiniones probabiles ſunt per ſe æquè tutæ & ſecuræ. *Secunda :* Benigniores, etſi aliquando ſint minùs probabiles, per accidens ſunt ſemper utiliores & ſecuriores.... *Primum ſic probo : Illa opinio eſt tuta & ſecura in conſcientia, quæ, ſi juxta illam exactè opereris, te liberabit à mortali & veniali. At hoc æquè præſtabit quæcumque probabilis opinio. Ergo quæcumque eſt æquè tuta & ſecura. Secundum ſic : Inter duas opiniones, alias æquè tutas & ſecuras, ſi exactè opereris, illa tutior & ſecurior dicenda adhuc erit, juxta quam certiùs præſcire poteris, te operaturum exactè. Atqui hoc habent ſententiæ benigniores. Cognita enim fragilitas, nos in ſuſpicionem, ac diffidentiam neſcio quam inducit, cùm proponuntur res arduæ & difficiles; quæ abeſt, aut ceſſat, cùm proponuntur faciles. Rem exemplo dilucido.* Debeo legere Officium *divinum : & quia duæ dantur opiniones probabiles; altera quæ internam attentionem requirit; altera quæ non requirit. Tametſi ſit verior & certior hæc poſterior* (quàm hoc à veritate alienum ſit, ſuo loco videbitur) *ponamus, uberioris doctrinæ gratiâ, internam attentionem probabiliùs requiri. Sed quam tunc opinionem habebo ? Tutiorem, ais. Acquieſco. At interrogo, utra ſit tutior.... Utraque eſt æquè tuta.* Et quidem, *ſi attentionem internam habuero, ſeu priorem, ſeu poſteriorem ſequar, non peccabo. Sed quis me ſecurum & tutum reddet de attentione ? quis ſpondebit mihi, me ſine diſtractione horas canonicas recitaturum ? Ergo prævideo periculum, non ortum ab opinione ſeveriore, ſed à propria fragilitate; periculum tamen, quod ſeveriorem opinionem comitatur, & adeſſe benigniori non poteſt. Ergo benignior, etſi ſupponatur eſſe minus probabilis, eſt ſecurior & tutior.* Quod confirmat exemplo duorum confitentium, quorum unus ſequens opinionem de neceſſitate internæ attentionis, in recitandis horis, ſe de diſtractionibus accuſat; alter, contrariam ſequens opinionem, de iis non ſe accuſat. Et quoad hoc exemplificans in ſeipſo : Dico (inquit) *me totâ hebdomade, toto menſe, toto anno, &c. legiſſe ſine culpa veniali; & me* in diſtractionibus, etiam voluntariis, *non peccaviſſe venialiter, tam certò ſcio, ut poſſim juramento firmare. An non miraberis ? .... omninò. Sed unde ego hanc immunitatem obtinui ? Reſpondebo : homo ſum temetipſo fragilior, præditus acri & igneo ingenio. Uno momento cælos verſo; altero ad ſubterranea tranſeo. Nulla in oratorio movetur muſca, quæ mihi non ſit impedimento. Attendere lectioni deſidero, & quàm poſſum, attendo; ſed diſtractiones non evito; involuntarias millies, interdum etiam voluntarias. Et nihilominùs nullo crucior ſcrupulo, nullo dubio angor, quia prudenter ſuppono, me ad attentionem internam non teneri. Eam habere, bonum eſſe, & eâ carere, ne quidem eſſe levem culpam. Me ad lectionem tantùm, & attentionem externam obligari. Me legiſſe totum quod Rubricæ jubent, certò ſcio; & ita certò, ut poſſim jurare. Ergo me ne venialiter quidem peccaviſſe in hac materia certò ſcio,* & ITA CERTÒ, UT POSSIM JURARE. *Habeo igitur immunitatem, ſecuritatem, & tranquillitatem, quibus cares, & quas habere poteris, cùm volueris. Eſt enim tibi liberum, deferere opinionem probabilem quam habes, & contrariam opinionem amplecti. Hæc certa ſunt*, ait ille. Imò certò falſa, aio ego. Adeò enim aliena ſunt à communi ſenſu piorum omnium, adeò doctrina illa devotis animabus eſt offendiculo, ut eam retuliſſe, refutaſſe ſit.

Probatur 2ª. pars ex eodem Caramuele ibi- 828
dem pag. 143. ubi ſequentes propoſitiones tamquam probabiliſticè certas aſſumit. Prima :

qui ex duabus opinionibus probabilibus, nunc sequitur alteram, potest sequenti momento licite tenere alteram. Hanc (inquit) judico luce meridianâ clariorem....

Secunda: *ex hac libertate nullum præjudicium tertii sequitur; at multa inconvenientia, & damna tertii consequuntur* (& hoc utique dicent Judices sententiam ferentes, & Reges bellantes, & Medici curantes infirmos secundùm opinionem minùs probabilem, contra agnitam probabiliorem.) Nullum sequi præjudicium, ostendo: *quoniam, qui suo utitur jure, etiam cum damno tertii, nemini præjudicat. Est enim præjudicium, non qualecumque damnum, sed illatum injustè. At omnia illa inconvenientia, quæ enumerat Lugo, ex hac doctrina sequi certum est; justè tamen.*

Tertia: *hæc est mala consequentia: ex hac doctrina, magna inconvenientia sequuntur: ergo non est probabilis.* Patet, quia ex certissimis *& evidentissimis propositionibus magna damna aliquando sequuntur, & nihilominùs sunt vera.*

Quarta: *hæc propositio: Ecclesia quæ jejunium, officium divinum, &c. præcipit, compræcipit, ne quis mutet sententiam probabilem*, sic ut ex tali mutatione præceptorum non observantia sequatur. *Est falsa.... Certum est enim præcepta hæc esse antiquissima, & has subtilitates ab annis pauciſſimis motas. Dico igitur veteres Legislatores hæc inconvenientia non prævidisse.* Et ideò non compræcepisse ne quis modo dicto mutaret probabile dictamen.

Quinta: *qui inivit contractum merè probabilem, si suo jure cessit, tenebitur stare contractui; aliàs non. At, si mutet dictamen, inquies, procedet in præjudicium tertii. Nego præjudicium, & concedo liberè tertii vel jacturam, vel damnum. Quoniam si tertius hoc prævidit, & adhuc inivit contractum, sibi imputet, qui socium potuit strictius obligare, & omisit. Si non prævidit hoc damnum, enumeret inter infortunia, quæ ignoranter frequentissimè incurrimus, & solum accuset ignorantiam.*

829 Itaque Probabilistæ sic permittunt agere quod lubet, ex duobus probabilibus oppositis, sive æqualiter, sive inæqualiter probabilia sint, ut etiam permittant, mutando opinionem, modò sequi unam partem contradictionis, modò oppositam, quando utraque probabilis est: atque hoc pacto licitum asserunt unam eamdemque rem negare proximo secundùm unam partem contradictionis probabilem, eamque ab ipso exigere secundùm oppositam partem probabilem, v. g. permittunt, ut conductor gabellarum, eas tamquam probabiliter justas ab aliis exigat, deinde tamquam probabiliter injustas alteri conductori eas solvere renuat; imò, si solverit eas, tamquam indebitè solutas, per occultam compensationem repetat. Similiter permittunt, ut læsus in fama, dum eam restituere non potest, modò secundùm unam opinionem probabilem exigat compensationem ipsius in pecunia; dum verò ipsemet, pari modo famam alterius læsit, mutato dicta-

mine, eamdem compensationem deneget. Ista permittit Bardi de consc. discept.... c. 14. n. 7. & 8. Similiter quoque permittunt marito secundùm unam opinionem probabilem de valore matrimonii sui, nunc adhærere uxori suæ, ab eaque debitum exigere; posteà secundùm alteram opinionem probabilem de invaliditate ejusdem matrimonii, eam dimittere, debitumq; ipsi negare. Permittit hoc Dicastillo, disput. 8. de matr. dub. 14. n. 175. Et alia ejusmodi scandalosa utique, quæ nullus sibi fieri vellet, nec consequenter facere debet, nec Judex permittere, ut v. g. ob testamentum minùs solemne secundùm unam probabilitatem in hæreditatem Titius ab intestato succedat, & secundùm oppositam probabilitatem ex simili testamento idem posteà hæres fiat.

Nec ista solùm cum laudatis Authoribus 830
Caramuel permittit, sed plus ultrà progrediens, pag. 138. allatis principiis insistens: *Proposui* (inquit) *casum difficilem in comment. in Reg. S. Benedicti disp. 117. n. 1446. quem ex dictis poterit quicumque resolvere: Paulus ingressurus navim, majoris commoditatis gratiâ, contulit secum Diurnale, subscribens Thomæ Sanchez in Sum. to. 1. c. 19. n. 8. affirmanti, legentem ea, quæ continentur in Diurnali, Officio divino satisfacere. Postquam autem solverunt è portu, mutavit dictamen, & secutus sententiam Joannis Sancii in select. disp. 15. n. 2. (asserentis, in Diurnali non contineri integrum Officium divinum, ac proinde carentem Breviario, licèt Diurnale habeat, non teneri legere Officium divinum) illud non legit. Sed quomodò respondendum est hanc difficultatem proponenti? In loco citato hæc scripsi: ut exactè respondeam, opus est omnes circumstantias expendere. Paulus primò Sanchesii sententiam sequebatur; & benè faciebat: quia est gravis Author, ac probabilis ejus sententia. Ex vi hujus dictaminis, potuit sine culpæ gravis scrupulo relinquere Breviarium in terra, & solùm conferre Diurnale. Secundò asseritur Paulus mutasse dictamen: & hoc humanum est, & rationale. Homo non est suarum opinionum mancipium. Cùm probabile dictamen mutat, utitur sibi calitùs concessâ libertate, & benè facit. Fidei Orthodoxæ dogmatibus, demonstrationibus, ac principiis per se notis subest ingenium: probabilibus sententiis superest; ideòque quàm liberè sententiam Sanchesii approbavit, tam liberè potuit illam dimittere. Potuit igitur Paulus, sine conscientiæ scrupulo, mutare dictamen, & valedicens uni Authori, sequi alterius opinionem probabilem. Tertiò dicitur Paulus noluisse uti Diurnali, &, defectu Breviarii, multis diebus, quibus in navi fuit, horas non recitasse. Nec tamen peccavit mortaliter. Operabatur enim juxta conscientiæ dictamen, quod erat probabile & prudens, subnixum Sancii authoritate.*

Et pag. 144. *Sed, quid si Paulus, cùm habuit primum dictamen, etiam habuit simul intentionem illud mutandi?* Admissâ suppositione, ad istud argumentum: *Voluit mutare di-* 831

ctamen. Ergo voluit non legere. Respondet *distinguendo consequens: voluit ergo non legere, hoc est omittere horarum lectionem, quam tunc judicaturus erat obligatoriam, nego. Illam quam tunc judicaturus erat non obligatoriam, concedo. Ergo peccavit graviter, nego subsumptam consequentiam. Ut enim actio non sit peccaminosa, correspondere debet prudenti dictamini, non futuro, aut præterito, sed illi quod est præsens, quando illa fit. Omissio autem officii divini, licèt esset contra dictamen prius, erat tamen secundùm dictamen, quod habiturus erat Paulus, cùm lectionem erat omissurus.*

832 Et pag. 139. *Propono alterum* casum: *Petrus die sabbathi, sub mediam noctem, ut primùm audivit duodecimam, comedit carnes, & postquam satur excessit è mensa, audivit aliud horologium, significans horam duodecimam. Die sequenti communicare vult, & sic discurrit: Horologia habent opinionum probabilium virtutem. At ego comederam antequam tale horologium sonuerit. Ergo probabile est, quòd comedi ante duodecimam. Ergo probabile est, quòd sim jejunus. At opinioni probabili conformare conscientiam possum. Ergo potero communicare. Et volo scire cur communicare non possit. Nam stando doctrinæ præcedenti potest. Et ego in toto hoc Petri discursu, quod possim aut negare, aut reprehendere, nihil invenio.*

833 Ecce quomodò Probabilistæ docent artem cavillandi cum Deo, cum Ecclesia, cum legibus divinis & humanis. Quis enim non videt subtilitates istas, aliud nihil esse nisi cavillationes? nihil nisi divinarum legum, humanarumque elusiones, illusionesque? Secundùm eas soli idiotæ & simplices divinis humanisque legibus illis tenebuntur; ab iis verò liberum erit viris doctis, humanâ subtilitate pro libitu se eximere. Apostolus Rom. 16. vult nos *sapientes*, seu etiam subtiles in bono, & *simplices in malo*; Probabilistæ econtrà subtilitates nullas excogitant, ut promoveant bonum; ridiculas verò subtilitates excogitant, ut excusent malum, illudque voluntariè committi permittant, præcepti officii divini recitationem, absque legitima excusatione omittendo; illam ipsam probabilem injustitiam, quam tibi non vis fieri, alteri faciendo; alterutrius legis, vel abstinentiæ, vel jejunii naturalis ante communionem præceptum violando, &c.

834 Illâ proinde magni (ut vocant) Caramuelis, aliorumque Probabilistarum subtilitate incomparabiliter melior est idiotarum simplicitas, talique scientiâ seu philosophiâ, profunda ignorantia longè salubrior. Nihil enim præ se fert, nisi discursum adeò ventosum, ut evanescat in assumptiones certò falsas, frivolas, ridiculas. Certò namque falsum est, frivolum, ridiculum, quòd homo, nullam legitimam excusationem habens, ab obligatione divini officii recitandi, seu alterius cujuscumque præcepti, pro solo libitu, seipsum eximere possit, duas opiniones seorsim probabiles, modò unam, postea alteram sic practicè sequendo, sive in praxi conjungendo, ut ex ista conjunctione sequatur legis certò sub culpa obligantis non obligatio sub culpa, seu, quod idem est, legis certò sub culpa obligantis, voluntaria sine culpa violatio, dum nulla adest legitima excusatio. Hoc enim manifestam involvit contradictionem. Quia si, legitimâ cessante excusatione, voluntariè sine culpa violari posset, sub culpa obligaret & non obligaret.

Et hinc manifestè apparet, illas propositiones, licèt gratis supponantur seorsim probabiles, non esse comprobabiles, sive in praxi sic conjungibiles, ut sequatur aliquid certò falsum & contradictorium. Neque hoc solùm contingit in practicis, sed & in speculativis, in quibus multæ propositiones sic sunt seorsim probabiles, ut non sint comprobabiles, sive in eodem syllogismo sic conjungibiles, ut ex ista conjunctione sequatur aliquid certò falsum, ut patet in sequentibus syllogismis: *Nulla forma habens potentias realiter distinctas est anima rationalis. Forma hominis habet potentias realiter distinctas. Ergo forma hominis non est anima rationalis.* Item: *Nulla creatura esse potuit ab æterno. Homo esse potuit ab æterno. Ergo homo non est creatura.* In quibus syllogismis ambæ præmissæ seorsim sunt probabiles, sed non sunt comprobabiles, sive conjunctim sic probabiles, ut ex tali ipsarum conjunctione sequatur ejusmodi conclusio certò falsa. Quæ profectò non sequitur ex utraque seorsim, sed ex utraque conjunctim, sive quatenùs faciunt unum in præmissis. Identitas namque duorum inter se, in conclusione non infertur, nisi ex identitate cum uno tertio in præmissis. Ad quæ quia non reflexit *fax ingeniorum* Caramuel, evanuit in cogitationibus & subtilitatibus suis. Discant (ipsius exemplo) Probabilistæ, verum esse vulgatum istud: *Nimia subtilitas in jure reprobatur.* 835

Illæ itaque opinionum mutationes apertè fiunt in fraudem legum certò obligantium. Et ideò sic fieri non possunt: gratis namque dato quòd aliàs fieri possent (quod profectò verum non est; cùm opinionem probabiliorem, cognitam ut talem, pro libitu mutare nemo possit, ut minùs probabilem, vel æquè probabilem, minùs tutam in praxi sequatur) non nisi salvâ observantiâ præceptorum certò obligantium fieri possunt, quando nulla suppetit legitima causa, per quam ab earum observantia legitimè quis excusetur. In casibus verò n. 829. enarratis, mutatio opinionis non fit salvâ observantiâ præcepti, *quod tibi non vis fieri*: & alterius, quo prohibetur scandalum dare proximo. Quod profectò dat, qui facit quod Probabilistæ illi scandalosè permittunt. Nec denique fit salvâ justitiâ, quæ profectò non permittit, ut percipere velis commodum ex eo contractu, ex quo percipere non vis incommodum, ubi talis est contractus, ut ex eo commodum sine incommodo non proveniat. In casu etiam, de quo n. 836

830. mutatio opinionis non fit salvâ observantiâ præcepti de recitandis horis. In casu denique de quo n. 832. vel fit cum violatione præcepti abstinentiæ à carnibus, vel cum violatione præcepti jejunii naturalis ante communionem. Quando enim voluit comedere carnes, comeditque, vel voluit eas comedere die Dominico; vel die Sabbathi. Si die Sabbathi, voluit violare præceptam eo die abstinentiam. Si die Dominico; voluit solvere jejunium naturale diei Dominici. Quo violato, si communicet, communicat post naturale jejunium voluntariè violatum. Et ad minus cum periculo sic communicandi. Quia ad minus communicat cum dubio de eo, vel etiam plusquàm dubio. Si enim utrumque horologium æqualis sit probabilitatis, communicat cum vero dubio. Si primum horologium majoris sit probabilitatis quàm secundum, communicat plusquàm cum dubio. Si primum horologium minoris erat probabilitatis, quàm secundum, non poterat ad illius pulsum carnes manducare. Ne manducaret cum dubio, vel plusquàm dubio manducandi die Sabbathi.

837 Tertia pars assertionis manifesta est ex doctrina ejusdem Caramuelis n. 821. recitata, quâ dicit, Judices condemnare non posse homicidam v. g. qui ad honoris sui defensionem, sequendo probabilem opinionem, hominem occiderit.

838 Quarta pars ostenditur, quia scandalosa est v. g. opinio, quæ dicit licitum esse fugientem insequi, ad recuperandum honorem, propter acceptam alapam, illumque vulnerare, & percutere. Atqui praxim illius authorizant Probabilistæ, v. g. Caramuel pag. 552. de ea sic discurrens: *Nolo examinare, utrùm hæc opinio sit probabilis.... malo enim id supponere; quis enim probabilitatem extrinsecam negaturus erit sententiæ, tanto & tantorum Scriptorum numero stabilitæ? quis intrinsecam, tantis rationibus firmatæ? Sed infero: ergo qui fecerit, quod hæc opinio esse licitum docet, non operabitur suadente diabolo, nec poterit probabiliter dici, culpam mortalem commisisse.* Si ista opinio probabilis sit ex allatis principiis, erit & illa, quæ post acceptam alapam permittit fugientem insequi, & occidere: utpote quam ex simili ratione similiter defendunt Reginaldus, Filiutius, Layman, Escobar, aliique plures. Ergo & qui hoc fecerit, secundùm discursum Caramuelis non poterit probabiliter dici, culpam mortalem commisisse. Quod scandalum, & horrorem piis auribus incutit.

CAPUT LXXIII.

Antonii Terilli, aliorumque Probabilistarum argumenta, post debitum examen levissima, & in præcipitium ducentia inveniuntur.

839 EVidenter id demonstratum est à cap. 39. ad 42. ubi eorum argumenta, etsi non omnia, saltem præcipua exactè discussimus, ponderavimus, levissimaque, immò irrationabilia esse, atque in præcipitium ducere, demonstravimus. Ad cujus majorem evidentiam, animus est sigillatim examinare, ponderare, & refellere octodecim, seu omnia argumenta Antonii Terilli, acerrimi, subtilissimique Probabilistarum propugnatoris, qui in favorem Probabilismi, omne dicibile ex omnibus vel præcipuis Probabilistis collegit, promovit, & ut potuit, roboravit, in iis adeò confisus, ut in Frontispicio Tractatûs sui de conscientia probab. & alterius de Reg. mor. sive de sufficienti ad conscientiam ritè formandam regula, glorietur se, quâ ratione, quâ authoritate irrefragabili licitum minoris probabilitatis de licito usum demonstrare. Videamus, an ita sit.

CAPUT LXXIV.

Prima ratio Terilli levis esse demonstratur.

TErillus ergo in Reg. mor. q. 2. n. 20. primam rationem suam sic conficit: si licitus non esset usus opinionis minùs probabilis de licito, contra agnitam probabiliorem de illicito, gravissimè peccassent omnes hujus sæculi Doctores, qui à centum & ampliùs annis usum illum licitum asseruerunt. Quia doctrinâ falsâ, in re gravissima proximos suos (qui eorum authoritate directi fuerunt) in peccatum & errorem intolerabilem induxissent. At certum est non omnes (tot utique viros pietate, virtute, atque eruditione insignes) in eo graviter peccasse, nec alios in errorem intolerabilem induxisse. Aliàs Deus per integrum sæculum Ecclesiam suam deseruisset, periculosissimèque & damnabilissimè cæcutire permisisset. Quod incredibile est: cùm non minùs hodie, quàm olim, Ecclesiam suam diligat. Licuit ergo Doctoribus illis doctrinam illam tradere. Per consequens licuit fidelibus eam practicare. Omnis quippe doctrina practica, quæ licitè per totam Ecclesiam traditur, censetur legitima morum regula. 840

Respondeo, hoc argumentum multipliciter peccare: siquidem 1°. à veritate alienum est omnes hujus sæculi Doctores, qui à centum & ampliùs annis scripserunt, usum illum licitum asseruisse. Cùm oppositum demonstraverimus c. 48. & 49. Et Thyrs. Gonzales (S. J. Gener.) in libro suo de recto usu op. prob. ostendat plures Soc. Theol. Molinam, Bellarm. Rebellium, Comitolum, Reginald. Candidum, Philaleth. præter alios, usum illum improbasse, & ne Authores quidem hujus sæculi eum communiter approbasse. Quamvis enim (ante Alexandrum VII.) communiter docuerint, licitum esse sequi opinionem minùs probabilem & minùs tutam, relictâ probabiliore & tutiore, plerique eorum non loquuntur in sensu Terilli, aliorumque Recentiorum, nimirùm de minùs probabili reduplicativè ut tali, respectivè ad operantem, id est, quæ ipsi ope-

ranti, ſpectatis omnibus hinc inde fundamentis, directè appareat minùs probabilis ; ſed de minùs probabili ſpecificativè, id eſt quæ communiùs habetur minùs probabilis, quàm opinio tutior, operanti tamen apparet directè veriſimilior. Ita ille in introductione, nec non diſſert. 2. per totam, ac deinceps.

841 Reſpondeo 2°. erraſſe omnes, qui uſum illum approbarunt, docueruntque licitum : certum namque eſt id abſque comparatione credibilius eſſe, quàm erraſſe omnes Patres, & omnes Doctores, qui per mille & ferè ſexcentos annos uſum illum improbarunt, uti improbaſſe ex ſuprà dictis conſtat. In hoc quippe caſu aliqua foret apparentia dicendi, quòd Deus Eccleſiam ſuam per tot ſæcula deſeruiſſet : quia fideles non habuiſſent à quibus potuiſſent ab errore revocari. In illo verò caſu abſque apparentia hoc Terillus dicit, quia fideles ſemper habuerunt Doctores omnes Antiquos, pluresque Modernos, à quibus potuerunt ab errore hoc in puncto revocari. Neque enim Deus Eccleſiam ſuam hoc ſæculo docet per ſolos hujus ſæculi Doctores, ſed & maximè per Antiquos, quorum ſcripta ſuperſunt, & ad quos, non ad Juniores ab Antiquis diſcrepantes, divina nos Providentia remittit pro diſcenda veritate & ſapientia : *quoniam in Antiquis eſt ſapientia, & in multo tempore prudentia.* Job. 12. *Nin te prætereat narratio Seniorum : ipſi enim didicerunt a Patribus ſuis.*

842 Reſpondeo 3°. non eſſe tribuendas Eccleſiæ ſententias omnes per Eccleſiam communes, nec proinde dicendum, Eccleſiam deſeri, dum aliquamdiù currere à Deo permittuntur. Cùm ſciamus ex iis plurimas ab Eccleſia fuiſſe poſteà condemnatas. Exemplo ſint propoſitiones 1. 2. 3. 4. 8. 9. 13. 30. 36. 42. 43. 45. 54. 55. 58. 60. 62. ab Innocentio XI. proſcriptæ, tametſi adeò communes fuerint per Eccleſiam, ut de 30ª. Petrus Navarra (apud Leſſium l. 2. c. 9. dub. 12.) dicat *quòd ex ſententia omnium licet contumelioſum occidere, quando aliter hæc injuria arceri non poteſt.* Et quis neſcit communiſſimam fuiſſe opinionem quæ dicit, prudenter agere, quiſquis agit ſecundùm quamcumque opinionem probabilem, dummodò probabilem ? Sicut & illam, quæ dicit, proximam peccandi occaſionem non neceſſariò deſerendam, dum deſeri nequit abſque gravi damno honoris vel fortunæ. Eſſe licitum furari non ſolùm in extrema, ſed & in gravi neceſſitate. Eas tamen Eccleſia numquam approbavit, uti nec hanc Amici doctrinam : *Licet Clerico, vel Religioſo, gravia crimina de ſe, vel ſua Religione ſpargere minantem occidere, quando alius defendendi modus non ſuppetit*, tametſi de ea Caramuel Theol. fundam. pag. 544. dicat : *Doctrinam Amici ſolam eſſe veram, & oppoſitam improbabilem, cenſemus omnes docti.*

843 Reſpondeo 4°. turbam quidem magnam Recentiorum, ſicut iſtas propoſitiones, ſic & eam, quam modò impugnamus, tradidiſſe, ſed majori ex parte priorum veſtigia, inſtar avium & ovium, abſque delectu rationum, vel ſaltem rationibus non ſatis exactè ponderatis, ſecutam fuiſſe. Tum quia in hoc ſæculo librorum erroribus ſcatentium feraciſſimo, *negare non poſſumus* (ait Baſſæus in floribus, verbo *conſcientiæ* n. 8.) *turbam Doctorum aliquando amplecti opinionem abſque delectu rationum, aut ſaltem rationibus non exactè ponderatis.* Tum quia ex illis plurimi nonniſi aliorum opiniones collegerunt ; plurimi rem nonniſi leviter attigerunt, nec eam pro & contrà ventilarunt ; ſed vulgari ratiunculâ pro ea adductâ, probabiliſticam doctrinam veram magis ſuppoſuerunt, quàm ex profeſſo examinandam probandamque ſuſceperunt, nonnullis exceptis ; qui nec contrarium Antiquitatis hac de re ſenſum ſatis exquiſierunt ; nec ſatis ſolerter ſcrutati ſunt hac de re documenta Scripturarum, Pontificum, & Sanctorum ; nec ad inconvenientia ex Probabiliſmo confectaria ſatis attenderunt. Quod ita eſſe, argumento eſt, quòd ex quo hæc omnia diligentiùs ponderari, inconvenientiaque probabiliſticæ doctrinæ detegi cœperunt, plurimi Cardinales, Archiepiſcopi, Epiſcopi, pluſquàm ſexaginta Theologi, Parochi abſque numero, uſque adeò in doctrinam illam invehi cœperunt, ut jam notabiliter defecerit numerus ſectatorum illius, majore, gravioreque parte Doctorum in ſententiam noſtram in tantùm abeunte, ut (teſte Eminentiſſ. D. Cardinale de Lauræa tom. 2. in 3. l. Sent. diſp. 11. a. 4. n. 299.) jam *ferè totam habeat Eccleſiam, quæ de illa* (probabiliſtica) *obmurmurat, eamque omnes cordati, & publicè & privatim inſimulant ut relaxationum originem.*

844 Reſpondeo 5°. tametſi erraverint omnes, qui doctrinam illam tradiderunt, vel practicarunt, conſequens non eſt, quòd graviter peccaverint. Cùm plures ex ipſis à gravi peccato excuſare potuerit bona fides, eos utique omnes, qui doctrinam illam vel tradiderunt, vel practicarunt, nullo ſibi abblandiente humano affectu, ſed ſincerâ intentione non docendi, vel practicandi, niſi doctrinam veram. Bonam quippe fidem valere plurimùm ad excuſandos eos, qui vel tradunt, vel in praxi ſequuntur errores, oſtendunt exempla S. Cypriani, S. Vincentii Ferrerii, Paſchaſii (Romanæ Eccleſiæ Diaconi) B. Ludovici Alemanni, Petri Lutzemburgenſis, &c. de quibus alibi.

845 Reſpondeo 6°. Terillum falſum ſuppo-nere, dum in fine argumenti ſui ſupponit licuiſſe Doctoribus omnibus doctrinam illam tradere ; licuiſſe & fidelibus omnibus eam practicare. Quibus enim licuit, (ſi licuit) per ſe non licuit, ſed per accidens, ob bonam fidem, rectamque intentionem. Quæ ſi fuerit in iis, qui ſincerè veritatem amantes, nullo ducti humano affectu eam tradiderunt, quia veram credidérunt ; non fuit tamen in

ple-

plerisque, qui eam (sicut alias pleraque indulgentiores opiniones) tradiderunt, non tam amore veritatis, divinæque gloriæ, vel animarum salutis, quàm propriæ existimationis, necnon utilitatis, plausûsque popularis inde captandi. Cujusmodi plures esse, & fuisse Terillus fatetur in præfatione libri de Reg. mor. Istos verò peccare, & graviter posse peccare, dubium non est. Ut enim sapienter Suarez (apud sapientissimum Lezanam nostrum consulto 48.) *teneatur Præceptor saniorem & veriorem doctrinam docere; in quo potest per gradus peccare juxta materiæ qualitatem.* Unde Isa. 30. *Væ filii desertores, ut faceretis consilium, & non ex me.... os meum non interrogastis.* Et Ezech. 13. *Væ, qui consuunt pulvillos, sub omni cubito manus..... cùm caperent animas populi mei, vivificabant eas.* Quemadmodùm verò nonnullis per accidens, non per se, licuit doctrinam illam tradere: sic eam practicare per principia extrinseca, nonnullis fortasse licuit extra materiam juris naturalis, saltem indoctis, per submissionem judicii sui ad judicium Pastorum, vel Directorum suorum, quos bonâ fide crediderunt non docere nisi veritatem, modò rectâ intentione in consultatione processerint, nec dubitationem, suspicionem, vel formidinem ullam habuerint, quòd Pastor, vel Director, seu alius vir doctus, ab ipsis consultus non benè ipsis responderet. Juvabit tamen inde pro doctrina sua Terillus conficere potest: utpote quæ falsa esse non desinit, ex hoc quòd per accidens (ob bonam fidem vel inculpatum errorem) subinde excusati fuerint, qui eam vel docuerunt, vel practicarunt.

CAPUT LXXV.

Ostenditur, secundam, tertiam, quartam, nonam, & decimam-quartam rationem Terilli levissima esse armatura, atque in præcipitium ducere.

846 SEcundò Terillus n. 35. arguit sic: in materia fidei licet sequi opinionem minùs probabilem, relictâ probabiliori; ut videre est in materia de immaculata Virginis Conceptione, in qua licet utramvis partem tenere. Ergo & in materia morum.

Respondeo 1°. argumentum istud esse levissimum, illiusque antecedens ex dictis cap. 64. falsissimum, & ducens in præcipitium. Utpote ex quo sequeretur ab infidelitate excusari infidelem, qui non credit, ductus opinione minùs probabili. Contra Ecclesiæ declarationem.

847 Nec dicat Terillus, se loqui de materia fidei, in qua utraque pars est certò probabilis, & in qua, per consequens, neutra est certò revelata. Propriè enim nulla est materia fidei, nisi certò revelata; sicut propriè nullus est assensus fidei, nisi qui nititur revelatione certâ. Aliàs vera esset propositio 21ª. ab Innocentio XI. proscripta: *Assensus fidei supernaturalis & utilis ad salutem* (qualis est omnis assensus fidei verè & propriè dictæ) *stat cum notitia solùm probabili revelationis, immò cum formidine, quâ quis formidet, ne non sit locutus Deus.*

Itaque propriè loquendo, in materia fidei ab 848
Ecclesia definita, utraque pars contradictionis esse non potest probabilis respectivè ad fideles, sed ad summum respectivè ad infideles, qui Romanam Ecclesiam non recipiunt, & quibus fidem nostram probabilem, vel probabiliorem videri contingit; & suam nihilominùs adhuc videri certò probabilem, tum ob rationes, quas existimant graves & solidas (licèt revera non sint) tum ob authoritatem Doctorum suæ sectæ, quos inter non desunt, qui ab ipsis habentur viri docti & probi. Probabilitas namque non est quid absolutum, sed respectivum, ut vidimus n. 374. infidelibus proinde illud ipsum esse potest probabile, quod fidelibus est certissimè falsum. Confer quæ dixi n. 406.

Respondeo 2°. articulum immaculatæ 849
Conceptionis non esse articulum fidei, nec adhuc esse fide divinâ credibilem; tametsi veritas ipsius tot & tantis argumentis jam constet, ut sit proximè definibilis, & accedente Ecclesiæ definitione, futurus sit articulus fidei, seu fide divinâ credibilis.

Respondeo 3°. articulum istum esse pro- 850
babiliùs, immò probabilissimè in Scriptura vel Traditione revelatum; sed eos, qui probabiliùs & probabilissimè credunt revelatum, non posse credere non esse talem, vel non esse verum. Quia nemo credere potest non revelatum, quod sibi videtur probabiliùs revelatum; nec à vero alienum, quòd credunt revelatum. Neque hoc Thomistæ faciunt, dum immaculatam negant Virginis Conceptionem. Neque enim negarent, si probabiliùs revelatum crederent.

Tertiò n. 45. arguit, ex vulgari istâ canti- 851
lena de non sufficienti promulgatione legis, aliquid vetantis, dum post omne studium non habetur certa, sed probabilis dumtaxat notitia illius. Sed & istud argumentum imbecille esse, atque in præcipitium ducere, constat ex dictis cap. 27.

Quartò n. 60. arguit sic: hoc ipso quòd 852
post omnem conatum adhibitum, non solùm incertum est, an talis & talis actio vetita sit, sed & probabile est vetitam non esse, legitimè infertur nullâ lege vetitam esse. Tum quia *stultissimi est hominis, præceptis velut obligatoriis parere velle, quæ utrùm vera sint, an falsa, dubitatur.* Lactantius l. 3. Instit. c. 27. Tum quia si lex vetans existeret, post adhibitam diligentiam certò innotesceret. Tum quia lex vetans in dubio non præsumitur, sed probari debet. Tum denique quia lex incerta certam parere nequit obligationem.

Respondeo idem de isto argumento, ac de præcedenti. 1°. namque Lactantium extra rem

adducit, ut vidimus n. 258. 2°. hoc ipso lex satis innotescit, quòd post debitum examen lex vetans ob argumenta probabiliora, prudenter judicatur existere; solus proinde imprudens, & malus amicus, malus subditus, malusque servus facit, quod illa vetat: quia tametsi lex vetans non sit omninò certa; certa tamen est lex prudentiæ, amicitiæ & subjectionis, quæ ex dictis cap. 55. 57. 60. id facere vetat. 3°. si argumentum istud concluderet, ex eo consectariæ forent propositiones 2. 3. 4. ab Innocentio XI. damnatæ, ut constat ex dictis num....

853 Nonò Terillus n. 109. arguit à possessione libertatis, vulgarique effato: *in dubio melior est conditio possidentis.* Sed quàm abusivè, quàm infundatè, quàm irrationabiliter, necesse non est hîc repetere. Quæcumque enim inde depromit argumenta, tum numero illo 109. tum q. 58. tum in tr. de consc. q. 23. fusè discussimus, ponderavimus, infundataque & abusiva esse, & in errores ducere demonstravimus c. 30. 31. 32.

854 Decimò-quartò n. 138. arguit ex ignorantia invincibili legis prohibentis, quâ laborare prætendit omnem hominem, qui post debitam diligentiam, acquirere non potuit certam legis illius notitiam. Maximè si non ipse tantùm, sed nec ullus Theologus, post multorum annorum disputationes, & acutissimas investigationes eam assequi potuerint.

Mirandum, multùmque mirandum, eruditum hunc Theologum istud argumentum censuisse solidum; quod totum fundatur in improbabili isto principio, quòd invincibilis censeatur ignorantia legis prohibentis, quandocumque post omnem Theologorum diligentiam, certa non habetur notitia illius, etiamsi probabilis, vel probabilior habeatur. Quod principium non solùm irrationabile, improbabileque esse, sed & in errores & laxitates intolerandas inducere, constat ex dictis cap. 31. & 66.

CAPUT LXXVI.

Idem ostenditur de quinta, sexta, & octava ratione ejusdem.

855 QUintum Terilli argumentum n. 75. est ejusmodi: cuique licitum est facere, quod, pensatis omnibus, prudenter judicat licitum. Sed prudenter judicat quisque licitum, quod sibi videtur probabiliter licitum, tametsi probabiliùs videatur illicitum. Quia intellectus prudentem assensum præstare potest opinioni minùs probabili, cognitæ ut tali, uti efficaciter se ostendisse putat q. 9. & 10. de consc. prob.

Respondeo 1°. retorquendo argumentum: cuique illicitum est facere, quod, pensatis omnibus, prudenter judicat illicitum (cùm illicitum sit agere contra prudens judicium rationis) sed prudenter quisque judicat illicitum, quod argumenta longè fortiora suadent probabiliùs illicitum esse, quàm licitum. Ergo.

Respondeo 2°. falsam esse majorem, si ex adverso stet judicium æquè vel magis prudens quòd sit illicitum. 856

Respondeo 3°. negando minorem: utpote cujus falsitatem efficaciter ostendimus cap. 12. 21. & 55. 857

Respondeo 4°. & istud argumentum in præcipitium ducere. In damnatas utique propositiones 2. 3. & 4. Simili namque argumento probaretur, Judicem posse judicare juxta opinionem minùs probabilem, hoc modo: cuique Judici licitum est judicare pro eo cujus causam prudenter judicat justam. Sed Judex quisque prudenter justam judicat causam, quæ, pensatis omnibus, sibi videtur probabiliter justa, tametsi probabiliùs videatur injusta. 858

Simili quoque argumento probaretur, generatim fieri prudenter, quod videtur probabiliter licitum, quantumvis tenui probabilitate, dummodò à probabilitatis finibus non exeatur. Arguendo utique sic: cuique licitum est facere, quod prudenter judicat esse licitum. Sed prudenter quisque licitum judicat quod, pensatis omnibus, sibi apparet probabiliter licitum, quantumvis tenui probabilitate, dummodò verâ equidem probabilitate. 859

Item probaretur, ab infidelitate excusari infidelem, qui non credit, ductus opinione minùs probabili, hoc modo: cuique licitum est non credere, quod, omnibus ritè pensatis, prudenter judicat non credendum. Sed prudenter quisque judicat non credendum, quod, omnibus pensatis, sibi apparet probabiliter non credendum, tametsi probabiliùs videatur credendum. 860

Idem esto judicium de sexto argumento, quod sic proponit n. 84. omne opus rectæ rationi conforme est licitum. Sed omne opus, probabili opinioni conforme, est conforme rectæ rationi. Ergo omne opus probabili opinioni conforme est licitum. 861

Primò namque retorquetur sic: omne opus rectæ rationi difforme, est illicitum. Sed omne opus difforme opinioni probabiliori de illicito, est difforme rectæ rationi (illud enim recta ratio dictat esse illicitum, quod opinio probabilior dictat illicitum) ergo omne opus probabiliori opinioni difforme, est illicitum.

Deindè negandum est licitum esse opus probabiliter sic conforme rectæ rationi, ut probabilius appareat difforme. Negandum item omne opus probabili opinioni conforme, esse conforme rectæ rationi. Cùm tale non sit opus, sic conforme opinioni minùs probabili de licito, ut difforme sit probabiliori de illicito. 862

Denique argumentum istud ducit in easdem propositiones damnatas, cùm ex dictis ad 5. argumentum, facilis sit sexti ad eas excusandas applicatio. 863

Octavam rationem suam Terillus n. 92. sic efformat: licitè fit, quod fit ex præsumptione certò prudenti, quòd illud omnibus sit licitum. Sed quod fit secundùm opinionem minùs probabilem de licito, fit ex præsumptione certò 864

pru-

prudenti, quòd illud omnibus ſit licitum. Præſumptio namque quòd electio opinionis minùs probabilis de licito omnibus licita ſit, eſt certò prudens, & evidenter rationabiliſſima. Quia ſi ſi foret illicita, foret contra jus naturæ. Spectantia verò ad jus naturæ, præſertim frequentiſſimè in uſum venientia, vix quemquam latent; ſaltem diligentiam adhibentibus nota ſunt. At obligatio ſectandi tutiora æquè vel magis probabilia, omnes latet, immò ab omnibus ferè Authoribus negatur.

Reſpondeo 1°. eadem hîc recurrere quæ dicta ſunt ad 5. & 6. 2°. minorem eſſe certò falſam, ſicut eſt & totum quod Terillus aſſumit in probationem illius, præter id quod dicit, electionem opinionis minùs probabilis de licito eſſe contra jus naturæ, in re frequentiſſimè in uſum veniente. Hoc enim veriſſimum eſt, nec latuit ſapientes Gentilitatis, nec Judæos, nec Majores noſtros per ſexdecim ſæcula; nec etiamnum latet gradientes in evangelica ſimplicitate, Sanctorumque & Majorum doctrina.

865 Quòd ſi ab anno 1577. (circa quod tempus obligationem ſequendi probabiliorem de illicito Barth. de Medina negare cœpit) obligationem iſtam turba Recentiorum negavit, vel ignoravit; non ideò negavit vel ignoravit, quòd obligatio iſta per ſe ignota ſit, vel admodùm obſcura; ſed quia obligationem per ſe ſatis notam, per accidens obſcuram ipſis reddidit nimia ſubtilitas, nimiaque luxuries maleſuadæ rationis purè humanæ, fallaxque Philoſophia, de re tanti momenti decernens inconſultis oraculis Scripturarum, regulis SS. Canonum, documentis Sanctorum, traditione Majorum. Vix enim quidquam tam planum & notum eſt, quod per nimiam ſubtilitatem, luxuriemque rationis purè humanæ, non reddatur per accidens obſcurum & dubium, uti Proleg. 1. c. 8. demonſtravimus, manifeſtumque eſt ex eo quòd contra planiſſima, ſimpliciſſimaque Decalogi præcepta tot & tam varias interpretationes adinvenerit, tam denſaſque difficultatum tenebras affuderit luxuries & ſubtilitas rationis purè humanæ, ut quæ præteritis ſæculis controverſiam, dubitationemque non recipiebant, præſenti receperint ſæculo, Summoſque Pontifices Alexandrum VII. & Innocentium XI. coëgerint ad proſcribendas varias ſuper iis recentiorum Probabiliſtarum adinventiones, ſitque credibile, quòd plures alias proſcripturi ſint. Quod & eadem ſubtilitas, luxurieſque rationis purè humanæ, fecit circa plura alia evangelicæ ſimplicitatis dogmata, doctrinamque Sanctorum; cujus ſectatores jure conquëruntur, vix, ſive in dogmatis illis, ſive in doctrina Sanctorum (in rebus nondum ab Eccleſia definitis) adeò manifeſtum expreſſumque eſſe, quod recentiores Caſuiſtæ, philoſophicis argutiis ſuis, & rationibus purè humanis, ambiguum non reddiderint & obſcurum. Vel ipſe Objiciens tot ſui operis paginas implet ejuſmodi argutiis, tricis, & rationibus purè humanis, quibus planiſſimas divinarum Scripturarum, Canonum & Sanctorum regulas, de tutiori via in dubiis ſectanda, de cavendo morali periculo peccati, &c. ſicut & perſpicua veterum Scholaſticorum teſtimonia, pro aſſertione noſtra, per affuſas gloſſarum inanium nebulas obſcurat, à planoque, genuino, & litterali ſenſu, ad alienum & commentitium, velut cereum quemdam naſum inflectit. Quidquid enim dixerit, ex ſuprà dictis nimis patens eſt, omnes veteres Doctores, ſanioremque hodie Eccleſiæ, immò totius mundi partem, obligationem, de qua diſputatur, agnoſcere.

CAPUT LXXVII.

Idem multipliciter oſtenditur de ratione ſeptima.

SEptimum Terilli argumentum n. 89. eſt hu- 866
juſmodi: Confeſſarius poteſt, immò debet abſolvere pœnitentem, conformantem ſe cuicumque opinioni probabili, etiamſi falſam, vel minùs probabilem Confeſſarius exiſtimet. Ergo pœnitenti licitum eſt conformare ſe cuicumque opinioni probabili, &c. Conſequentia patet, quia ſi pœnitenti non liceret ei ſe conformare, nec Confeſſario liceret ipſum, ei ſe conformantem, abſolvere. Antecedens verò probat, tum quia in eo omnes, tam Antiqui, quàm Recentes, conveniunt; tum quia ſicut pœnitens propriâ dirigitur conſcientiâ, non Confeſſarii; ſic propriâ dirigitur opinione, non Confeſſarii. Si ergo pœnitens communi Probabiliſtarum opinioni inhærendo, judicet ſibi licitum conformare ſe cuicumque opinioni probabili, Confeſſarius, licèt oppoſitum judicans, in eo debet ipſum judicare ſecundùm judicium ipſius, non ſuum.

Reſpondeo, & iſtam rationem leviſſimam eſſe, & in præcipitium ducere. Primò namque in præcipitium ducit, quatenùs dicit, Confeſſarium poſſe, immò debere abſolvere pœnitentem conformantem ſe cuicumque opinioni probabili. Si enim cuicumque, ergo & probabili probabilitate, quantumvis tenui, dummodò a probabilitatis finibus non exeatur. Cui pœnitentem conformare ſe non poſſe, Eccleſia declaravit.

Secundò, quando Terillus dicit, Confeſ- 867
ſarium abſolvere poſſe pœnitentem conformantem ſe opinioni probabili, quam Confeſſarius minùs probabilem, vel falſam exiſtimat, vel loquitur de opinione quæ non ſolùm privato judicio Confeſſarii, ſed & communi judicio ſapientiorum habetur minùs probabilis, vel de opinione, quæ particulari judicio ſolius Confeſſarii habetur talis, communi verò graviorum, ſapientiorumque Doctorum judicio probabilior exiſtimatur? Si primum, ob dicenda n. 879. & ſeqq. prorſus negandum eſt, Confeſſarium poſſe & debere talem abſolvere. Si ſecundum, fateor Confeſſarium poſſe & debere, regulariter loquendo, abſolvere pœnitentem, conformantem ſe tali opinioni, quam pœnitens, nixus com-

muni judicio graviorum & ſapientiorum, poſt diligentem veritatis inquiſitionem, credit probabiliorem & abſolutè veram. Quia juſtè non poteſt obligare pœnitentem ad ſequendum privatam opinionem, contra commune judicium graviorum, ſapientiorumque Doctorum: cùm talem opinionem, regulariter loquendo, Confeſſarius præferre debeat ſuæ, diffidereque rationi ſibi peculiariter occurrenti, ſecundùm illud, *ne innitaris prudentiæ tuæ.* Ut enim monet Adrianus VI. tr. de confeſſ. c. 5. dub. 7. *ſi à pluribus vèl gravioris, ſeu etiam æqualis authoritatis Doctoribus contrarium* opinionis Confeſſarii *teneatur, non adeò de ſe præſumere debet, ut totum velit in ſuam opinionem (quæ forſitan erronea eſt) concludere, ſeu coarctare, quaſi ipſe ſolus videat, & ſcientia obitura ſit cum eo.*

868 Tertiò, ex eo quòd Confeſſarius, contra privatam opinionem ſuam, abſolvere poſſit pœnitentem, conformantem ſe contrariæ opinioni probabili, quam pœnitens, nixus communi judicio graviorum, ſapientiorumque Doctorum, probabiliorem exiſtimat, & abſolutè veram, manifeſtum eſt non eſſe conſequens, quòd cuique licitum ſit ſequi opinionem minùs probabilem de licito, contra agnitam probabiliorem de illicito. Neque enim pœnitens tunc ſequitur opinionem viſam ſibi minùs probabilem, contra agnitam probabiliorem, ſed ſequitur probabiliorem, quam prudenter credit talem.

869 Quartò, ut argumentum concluderet, deberet Confeſſario eſſe licitum, abſolvere pœnitentem, ſecundùm opinionem viſam ſibi minùs probabilem de licita ipſius abſolutione, contra agnitam probabiliorem in contrarium (quod profectò facere non poteſt) vèl deberet poſſe abſolvere pœnitentem, conformantem ſe opinioni de licito, quæ ipſi pœnitenti, poſt diligentem veritatis inquiſitionem, appareret minùs probabilis, quàm contraria opinio Confeſſarii de illicito. Verùm prorſus aſſerimus non poſſe talem abſolvere: quia non eſt diſpoſitus ad abſolutionem, ut rectè notant Cabaſſutius in theor. & prax. jur. Canon. l. 3. c. 12. n. 10. & Thyrſus Gonzales de recto uſu opin. prob. diſſert. 14. n. 116. Quia dum non vult ſe conformare tutiori opinioni Confeſſarii, quam agnoſcit eſſe probabiliorem, ſed ſequi oppoſitam, minùs tutam, quam cenſet minùs probabilem, agere vult contra proprium judicium, propriamque conſcientiam, nec cavere probabilius peccati periculum. A veritate proinde aberravit Terillus, cùm dixit, omnes Antiquos & Recentes, pauculis exceptis, in oppoſitum convenire. Cùm nobiſcum conveniant communiter omnes Antiprobabiliſtæ.

870 Similiter à veritate aberrant, qui Confeſſarium ſub mortali obligant ad conferendam abſolutionem pœnitenti, conformanti ſe opinioni cuicumque probabili. Quia (præter dicta & dicenda) non eſt cur iſti tam ſeveri ſint Confeſſariis, qui tam indulgentes ſunt pœnitentibus. Ex media profectò turba Probabiliſtarum Confeſſariis benignior eſt Eſcobarius Theol. Mor. l. 2. n. 113. 117. & 120. docens, Confeſſarium teneri, & non teneri ſequi pœnitentis opinionem; tenerique & non teneri, ſub mortali, ſecundùm eam pœnitentem abſolvere. Quod (phraſi ipſius) perinde eſt ac ſi diceret, utramque contradictionis partem eſſe probabilem, & ita tutò practicabilem, ut quamcumque elegerit, *rectà tendat ad ſuperos.* Et verò ſi certum eſt cuique licitum agere ſecundùm opinionem quamcumque probabilem, quid eſt quòd id ſoli Confeſſario illicitum, & ſub mortali illicitum eſt?

Quintò, quantam mollitiem in Confeſſa- 871
riis, quantam corruptionem in fidelium moribus cauſaverit, cauſareque nata ſit opinio Terilli, quæ dicit Confeſſarium poſſe & debere abſolvere pœnitentem, conformantem ſe opinioni cuicumque probabili, experientia manifeſtum facit. Unde enim tanta corruptio in moribus? unde in omnibus ferè artibus peccata graviſſima inveniuntur & abuſus intolerabiles, niſi ex mollitie Confeſſariorum, pœnitentes abſolventium, ſecundùm nimis laxas opiniones, quas probabiles cenſent aliqui Caſuiſtæ, à Probabiliſtis habiti pro viris ſatis doctis & probis, ut eorum authoritas ſufficiat ad probabilitatem opinionibus conciliandam? Tales ſunt opiniones Prolegomeno 1. c. 2. recenſitæ; anne ergo Confeſſarius abſolvere poteſt, & debet, & ſub mortali debet, pœnitentes ab earum praxi abſtinere nolentes, etiamſi eas minùs probabiles fateantur? At earum nonnullas Eccleſia ſcandaloſas perniciosaſque declaravit. An ſaltem abſolvere poterit & debebit abſtinere nolentes à praxi cæterarum? At quanta inde morum ſtrages ſequeretur? Quanta de facto ſequitur? Hoc ibidem c. 3. demonſtratum eſt. Deplorat S. Carolus, ex nimia abſolvendi facilitate maximam datam cauſam, cur in omnibus ferè artibus, *peccata graviſſima inveniantur, & abuſus intolerabiles.* Conqueritur S. Franciſcus Saleſius, per nimiam Confeſſariorum mollitiem (naturæ corruptæ habenas laxantem, dum ſtringere oporteret) infinitam perire multitudinem. *Quid Eccleſiam Domini hodie perdit* (ait S. Thomas Villanovanus) *niſi Confeſſariorum & Paſtorum nimia adulatio? Qui peccantem* (ait Cyprianus) *blandimentis adulantibus palpat, peccandi fomitem ſubminiſtrat.* Sanctis iſtis concinens Bellarminus: *Non eſſet* (inquit) *hodie tanta facilitas peccandi, ſi non eſſet tanta facilitas abſolvendi.* Ecce quid cauſat abſolvendi facilitas, quam Terilliana permittit, immò jubet opinio.

Sextò, ex aſſertione noſtra, quæ dicit, ne- 872
mini eſſe licitum ſequi opinionem minùs probabilem de licito, contra agnitam probabiliorem de illicito, legitimè inferri nequit, Confeſſarium abſolvere non poſſe pœnitentem, ſequentem opinionem v. g. deobligantem ab

onere restituendi, quam Confessarius judicat minùs probabilem & absolutè falsam, pœnitens autem judicat probabiliorem & absolutè veram. Quia absolvendo non ipse utitur opinione minùs probabili de licito, sed permittit ut pœnitens eâ utatur, non quatenùs minùs probabili, sed quatenùs ab ipso prudenter existimatur probabilior & vera; non permissurus, si sciret à pœnitente existimari falsam & minùs probabilem. Quemadmodùm enim Confessarius ob rationes hinc inde visas æquè probabiles, dubitans, an contractus aliquis sit usurarius, durante dubio, eum ipse celebrare non potest; potest tamen permittere, ut eum celebret pœnitens, qui de justitia ipsius non dubitat, sed ob rationes sibi visas probabiliores prudenter existimat non esse usurarium, sed justum (foret enim nimius rigor, obligare pœnitentem ad omittendum contractum, quem Confessarius nec judicat, nec prudenter judicare potest esse illicitum pœnitenti, eum licitum prudenter existimanti, dum non habet rationem obligandi ipsum ad relinquendum vel suspendendum istud judicium) ita similiter, &c.

873 Et ideò circa quæstionem, an Confessarius probabiliùs judicans pœnitentem obligatum ad aliquid faciendum (v. g. restituendum) vel ad aliquid omittendum (v. g. contractum judicio Confessarii usurarium) quod pœnitens facere, vel omittere non vult. An Confessarius (inquam) talem pœnitentem absolvere possit? Non uno modo sentiunt Authores, qui nobiscum asserunt, non esse licitum sequi opinionem minùs probabilem de licito, contra agnitam probabiliorem de illicito. Nam Mercorus suæ basis p. 3. a. 29. Fagnanus n. 304. Candidus Philalethus de opin. prax. q. 3. Contenson. tr. 3. dissert. 6. c. 2. Francisc. Genetus Th. Mor. to. 4. tr. 6. c. 10. Celladeus de recta mor. doctr. l. 3. q. 15. Stephanus Gradius de opin. prob. c. 21. & 22. docent Confessarium non posse ipsum absolvere. Adrianus verò loco citato, Navarrus in Manuali c. 26. n. 4. Victoria in Summa de Confess. n. 177. Sotus in 4. dist. 18. q. 2. a. 5. ad 4. docent posse & debere ipsum absolvere. Alii distinguunt inter Confessarium, qui est proprius Pastor pœnitentis, & eum qui non est Pastor, aientes Pastorem absolvere posse; secùs eum qui non est Pastor.

874 Ego, omissâ infundatâ hâc distinctione Pastoris, & non Pastoris (utpote non serviente ad hoc ut Pastor præ non Pastore, absolvere possit non dispositum, vel minùs dispositum; sed solùm ad hoc ut Pastor præ non Pastore, teneatur excipere confessionem subditi volentis confiteri) aliter distinguendum censeo.

875 Aio ergo 1°. quòd si pœnitens sit valdè doctus, Confessarius non adeò doctus; Confessarius possit, depositâ opinione (quâ censebat v. g. pœnitentem teneri ad restitutionem) prudenter censere oppositum, amplectendo opinionem pœnitentis, ex sententia graviorum Doctorum censentis se non teneri ad restitutionem, & sic ipsum absolvere, tametsi non proponat restituere; dummodò advertat id non provenire ex pravo pœnitentis affectu, sed ex bona fide, prudentique persuasione, quòd ad id non teneatur. Rationem habes suprà n. 867.

Idem censeo, regulariter loquendo, quando opinio Confessarii est paucorum; contraria verò opinio pœnitentis est multorum, graviumque Doctorum. Tunc enim, ob rationem ibi dictam, tot taliumque Doctorum authoritatem, judiciumque regulariter prudenter præferre potest rationi sibi occurrenti in contrarium.

Dixi *regulariter loquendo*: aliud namque 877
esset, si pauci illi Doctores, quos Confessarius sequitur, magni essent nominis, qui post profundum examen, clarè dissolvissent argumenta opinionis pœnitentis, & contra eam inveniissent rationem valdè urgentem, quam Authores istius opinionis non tetigissent, quæque adeò prævaleret rationibus ipsorum, ut eas prorsus enervaret, & velut offuscaret. Tunc enim Confessarius opinionem illam amplecti, suamque deponere prudenter non posset. Quia non solo Authorum numero, sed maximè pondere rationum quærenda est veritas.

Aio 2°. quòd si opinio Confessarii (quòd 878
v. g. pœnitens ad restitutionem teneatur) pro se habet graviores Doctores, communiorique ipsorum judicio probabilior est, eamque doctus Confessarius, post exactam veritatis inquisitionem, prudenter judicat veram, ob argumenta quæ sibi clarè videntur multùm præponderare argumentis in contrarium; tunc obligare debet pœnitentem ad deponendam suam in contrarium opinionem, ipsi aperiendo falsitatem illius, veritatemque suæ. Cui si pœnitens acquiescere nolit, sub prætextu probabilis opinionis, quam habet in contrarium, ipsum absolvere non potest, sed inabsolutum, velut indispositum, dimittere debet.

Probatur 1°. quia dum pœnitens ita ad- 879
hæret opinioni de licito, ut à Confessario docto & prudenti certior factus de longè majori probabilitate opinionis de illicito, deque imbecillitate argumentorum opinionis de licito, eam nihilominùs deserere renuit, in ea opinione bonâ fide non persistit. Non enim bonâ fide persistit in opinione, cujus opposita repræsentatur ipsi, ut authoritate & ratione manifestè probabilior, & suffulta argumentis, quæ virum irreprehensibiliter judicantem movere debent ad credendum, opinionem, in qua persistit, longè verisimiliùs esse falsam quàm veram.

2°. quia ad licitè & bonâ fide persisten- 880
dum in aliqua opinione, non sufficit pœnitenti, quòd eam bonâ fide primitùs conceperit, eò quòd à viro docto audierat, rem esse licitam, si posteà audiat alios viros doctos, eosque graviores, meliori ratione tenere oppositum, quia, ut benè Reginaldus p. 1. l. 11. c. 3. n. 28. *cùm res est gravis.... de qua*

non convenit inter omnes.... non est satis (ad conscientiæ securitatem) *unum consulere*, vel consuluisse, *& ipsius consilium sequi, si alius oppositam sententiam docere audiatur* ; & maximè si plures & graviores, meliorem pro se rationem habentes : *sed opus est multos interrogare, consilioque melioris partis acquiescere. Perinde ac in gravi morbo, non solet quis contentus esse unius medici consilio, sed pro morbi qualitate plures adhibet.... Nam licèt ex communiori Theologorum sententia licitum sit in agendo conformare se cuilibet opinioni probabili ; id tamen quod paucioribus, vel minùs sapientibus videtur, non censetur opinio probabilis, si plures vel sapientiores contrarium affirment.* Ita etiam Adrianus loco citato, dicens, quòd si opinio pœnitentis teneatur à paucioribus, vel minoris authoritatis, *vel debili admodùm fulcitis ratione, ut possit ea in parte confitens dici rationabiliter errare* (quia ratio opinionis, quam sequitur, à ratione contrariæ opinionis, velut absorbetur offuscaturque) *tenetur* Confessarius *confitentem erudire, & partem, quam ipse tenet, suadere.*

881 3°. tunc Confessarius opinionem suam prudenter deponere non potest ; pœnitens autem suam prudenter deponere potest. Cùm ergo necesse sit, ut suam alteruter deponat, alteriusque opinioni se conformet, æquius profectò est, ut suam pœnitens, quàm Confessarius, deponat, Confessariique tamquam Superioris & Judicis sui judicio acquiescat. Cùm prudenter id possit, non Confessarius, & æquius sit reum Judicis, subditumque Superioris judicio se conformare, quàm econtrà, ut S. Ignatius hisce verbis docet in epist. de obed. *Si unum eundemque oportet esse membrorum sensum & capitis, facilè cernitur, utrum sit æquius, caput membris, an membra capiti consentire.* Estque adeò falsum, esse sententiam Antiquorum omnium, quòd Sacramentalis Judex se conformare debeat opinioni pœnitentis, ut Doctor Seraphicus apud Genetum Th. Mor. t. 4. tr. 6. c. 10. istud vocet inauditum philosophandi genus : *O* (inquit) *inauditum philosophandi genus! Judex ferre debet sententiam ad arbitrium rei ; & reus Judicis arbitrio obtemperare non tenetur.*

882 Si dicas, non esse necesse ut suam alteruter opinionem deponat : cùm Confessarius, persistens in opinione sua, permittere possit, ut etiam pœnitens persistat in sua, quam bonâ fide, licèt probabiliùs erroneâ, credit esse veram. Neque enim peccat eam sequendo, quamdiù manet in bona fide sua, nec proinde indispositus est ad absolutionem.

Contrà 1°. Confessarius est Doctor & Magister pœnitentis. Ergo debet ipsum in suis obligationibus probabiliùs errantem instruere, licèt (ob bonam fidem) errando, & secundùm inculpatum errorem agendo, non peccet. Quemadmodùm enim debet ipsum instruere, dum certò scit ipsum errare, tametsi bonâ fide erret, ipsumque bona fides & inculpata ignorantia à peccato formali hîc & nunc excuset ; sic ipsum debet instruere, dum longè probabiliùs cognoscit ipsum errare, tametsi id certò non sciat. Tametsi enim tunc sciat se posse decipi, dum absolutè judicat ipsum errare ; absolutè tamen credit se de facto non decipi ; pœnitentem autem judicat de facto decipi.

Et hinc 4°. probatur secunda assertio nostra, quia Confessarius est Doctor & Magister pœnitentis, in eaque qualitate sustinet personam, & locum tenet Christi, de quo scriptum est Matth. 23. *Magister noster unus est Christus.* Debet ergo talis esse, ut de ipso dici queat : *Magister scimus, quia viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo ; non enim respicis personam hominum.* Debet agere cum pœnitentibus, *tamquam Deo exhortante per ipsum, per exhortationem, quâ exhortatur & ipse à Deo.* 2. Cor. 5. Debet (inquam) pœnitentes à noxiis abstrahere cupiditatibus, ne configurentur prioribus ignorantiæ suæ desideriis, sed vivant secundùm eum, qui vocavit eos, Sanctum. 1. Petr. 1. Debet ipsos instruere tamquam Christianos, qui Christi Pastoris sui vocem audire debent, non alieni. 1. Joan. 2. Et quorum voluntas alia esse non debet, *nisi intelligere quæ sit voluntas Dei.* Ephes. 5. Intelligere (inquam) animo eam sequendi. Ad implendum ergo Doctoris officium, relinquere non debet pœnitentes in via, quam certò vel probabiliùs cognoscit esse viam falsitatis, sed ipsis monstrare viam veritatis ; nec ipsos relinquere debet in opinione, seu voluntate non restituendi, quando certò vel probabiliùs cognoscit, dari voluntatem Dei reipsà obligantem ad restitutionem. Quia pœnitens, ut dispositus sit ad absolutionem, sic animo affectus esse debet, ut certò vel probabiliùs cognitâ voluntate Dei, obligante ad restitutionem, sit restituturus, restituendique propositum concepturus. Quòd si pœnitens in ea esse debet animi dispositione, nihil est quod Confessarium excuset ab implendo Doctoris munere, atque adeò ab aperienda illa Dei voluntate, corrigendaque falsa circa Dei voluntatem pœnitentis opinione, tametsi ideò visâ ipsi probabili, quia talis videtur aliquot Casuistis, in vera Theologia, Sanctorum utique, & Patrum Traditione parum eruditis. Nihil enim exitiosius, quàm censere pro verè probabili habendum, quidquid talibus probatur, & absolutionem impartiendam omnibus sectatoribus talis probabilitatis. Et quamvis pro verè probabili solùm haberetur, quod in Theologia Sanctorum non mediocriter eruditis probabile videretur ; si tamen Confessarii mentem sic Deus illustrarit, ut certò vel probabiliùs noxium esse cognoscat, quod pœnitenti innoxium videtur ; tenetur Confessarius ipsum à noxio errore liberare, viamque veritatis ipsi monstrare. 883

5°. Confessarius non solùm est Doctor, 884
sed & verus Judex pœnitentis, uti constat

ex Tridentino ſeſſ. 14. c. 6. Judex autem ſententiam ferre non poteſt ſecundùm opinionem, quam judicat minùs probabilem & abſolutè falſam. Quamvis ergo pœnitens pro ſe habeat probabilem opinionem, v. g. quòd reſtituere non teneatur; Judex Sacramentalis ſententiam proferre nequit juxta iſtam opinionem, contra propriam, quâ pœnitentis opinionem judicat abſolutè falſam. Tametſi enim credere debeat pœnitenti, in iis quæ pertinent ad ipſum ut pœnitens eſt, nempe in quæſtione facti, an talia vel talia peccata commiſerit? an cum his vel illis circumſtantiis? ipſi credere non debet, in iis quæ non pertinent ad pœnitentem ut pœnitens eſt, ſed ad Judicem ut Judex eſt, nempe in quæſtione juris, an ſit vel non ſit obligatio reſtituendi, an non reſtituere ſit vel non ſit peccatum? an pœnitens ſit vel non ſit ſufficienter diſpoſitus ad abſolutionem. In iſtis namque pœnitens Confeſſario debet potiùs credere. Cùm ad Confeſſarium ſpectet harum rerum cognitio & judicium. Aliàs Confeſſario, ad rectè obeundum munus ſuum, neceſſaria non foret harum rerum peritia. Poſſet enim rectè munus ſuum obire, ſtando judicio pœnitentis.

885 Conſideret ergo pœnitens, Sacerdotis, ſeu Judicis Sacramentalis eſſe, diſcernere inter lepram & lepram, pœnitentemque ligare & ſolvere. Conſideret, non minorem eſſe poteſtatem Sacramentalis Judicis in foro interno, quàm forenſis Judicis in foro externo: cùm Sacramentalibus Judicibus Dominus dixerit: *Quodcumque ligaveritis ſuper terram, erit ligatum & in cælis.* Conſideret, quòd dum Sacramentalis *Judex ligat, non hominem eſſe, qui ligat* (ait Chryſoſtomus Hom. 4. in epiſt. ad Hebr.) *ſed Chriſtum, qui hanc ligandi poteſtatem dedit.* Qui, ſi confeſſiones exciperet, ſicut judicio ipſius pœnitens ſe ſubmittere deberet, non contrà; ita dum Sacerdos vice ipſius confeſſiones excipit, ipſius judicio pœnitens ſe ſubmittere debet. *Ipſius* proinde (ut Auguſtinus dicit l. 2. de viſit. infirm. c. 4.) *humiliter ſubeundum eſt judicium, quem Dominus ſibi non dedignatur Vicarium.... Ergo cicatricum tuarum arbiter, vice Dei, Dominus adhibeatur Presbyter.*

886 Verum quidem eſt (ut dixi n. 867. & 876.) Confeſſarium, proprio judicio diffidendo, tranſire poſſe in opinionem pœnitentis, dum ipſum cognoſcit ſcientiâ veritatis inſtructiorem, vel ex ipſo diſcit, opinionem ipſius à pluribus & ſapientioribus probabiliorem exiſtimari. Sic enim quilibet, proprio judicio ſuo diffiſus, mutatâ opinione, ex chriſtianæ humilitatis & prudentiæ regulis, ſubmittere ſe poteſt judicio alterius, quem prudenter judicat doctiorem, modò puram habeat intentionem, unamque quærat veritatem. Tunc namque perſuaſio, quâ alium prudenter exiſtimat ſe doctiorem, vel habere ſapientiores ſecum ſentientes, hoc ab animo ipſius judicium elicit, alterius opinionem eſſe probabiliorem. At ſi Confeſſarius non ſit minùs eruditus quàm pœnitens, ſciatque opinionem ſuam à ſapientioribus tradi, argumentiſque fortioribus inniti; & maximè ſi pœnitentis opinionem omninò falſam & improbabilem cenſeat, nec probabilem exiſtimari, niſi à Caſuiſtis laxiora ſequentibus, ſeque fundantibus in ratione purè humana, non in Theologia Chriſtiana; ipſum non debet abſolvere, niſi ſe velit ſubmittere. Neque enim ipſum abſolvere poteſt, juxta aliorum opinionem, quam prudenter judicat falſam. Aliàs abſolvere poſſet eum, qui in praxi conformare ſe vellet laxiſſimis opinionibus Prolegom. 1. c. 2. enarratis, non obſtante quòd eas Confeſſarius falſas, Deique verbo & doctrinæ Sanctorum adverſas judicaret. Et ante Decretum Alexandri VII. Innocentiique XI. abſolvere potuiſſet virum equeſtrem, qui provocatus ad duellum, illud renuere nollet, ne timiditatis notam incurreret; Religioſum quoque vel Clericum, nolentem abjicere voluntatem occidendi calumniatorem, gravia crimina de ſe, vel de ſua Religione, publicè coram graviſſimis perſonis, ſpargere minantem; virum honoratum, deſiſtere nolentem à propoſito impactam alapam propulſandi cum nece impingentis, poſt alapam fugientis; puellam ex fornicatione gravidam, recedere nolentem à voluntate procurandi abortum fœtûs nondum animati, ne deprehenſa gravida diffametur; concubinarium nolentem ejicere concubinam, quando abſque gravi damno honoris, vel pecuniæ non poteſt, &c. quando iſti omnes fundarent ſe in opinione ſibi favente nonnullorum Caſuiſtarum laxioris manicæ, ante dictum Decretum exiſtimatâ à ſimilibus Caſuiſtis probabili, licèt à Confeſſario meritò judicatâ improbabili.

CAPUT LXXVIII.

Idem judicium fertur de decima, undecima, duodecima, & decima-tertia ratione Terilli.

887 Decimò Terillus n. 113. ſic argumentatur: certum eſt quòd liceat ſequi opinionem probabiliorem minùs tutam. Ergo licet etiam ſequi minùs probabilem, & minùs tutam. Aliàs duo iſti modi operandi (ſecundùm opinionem magis, & ſecundùm opinionem minùs probabilem) differrent moraliter ſpecie. Non differunt autem ſpecie, ſed ſecundùm magis & minùs dumtaxat, ſive ſecundùm minorem & majorem apparentiam periculi peccati materialis. Quod certè non ſufficit, ad reddendum poſteriorem operandi modum potiùs illicitum quàm priorem; ac per conſequens moraliter ſpecie diverſum. Si enim periculum peccati materialis, minùs probabiliter apparens, non reddat priorem operandi modum illicitum; non eſt cur idem periculum, magis probabiliter apparens, poſteriorem modum reddat illicitum.

Reſpondeo 1°. & iſtud argumentum ducere in præcipitium propoſitionum ab Innocentio XI. damnatarum, videlicet ſecundæ, tertiæ, & quartæ. Siquid enim probat argumentum iſtud, probat eſſe licitum ſequi opinionem probabilem, non ſolùm minori, ſed & minimâ probabilitate, quæ tamen probabilitas ſit; eſſe licitum Judici pronuntiare ſecundùm opinionem non ſolùm magis, ſed etiam minùs probabilem; à peccato infidelitatis excuſari infidelem, qui non credit ductus opinione, non ſolùm magis, ſed & minùs probabili. Quia duo iſti operandi modi non differunt moraliter ſpecie, &c.

888 Reſpondeo 2°. negando conſequentiam. Neque enim vel umbra eſt bonitatis iſtius conſequentiæ: à peccato excuſatur, qui non contentus remotiore ad veritatem acceſſu, ad proximam uſque viciniam ipſius extendit conatus ſuos, dum uſque ad certam metam ipſius directè pertingere non poteſt. Ergo & à peccato excuſatur, qui remotiore ad veritatem acceſſu contentus, ei non approximat quantùm ſcit & poteſt; imò proximiùs ad falſitatem accedit, quàm ad veritatem. Vide (Terille) ad quas abſurdas conſequentias, tua te abripit ſubtilitas, & ratio purè humana! Ad probationem itaque conſequentiæ tuæ, Reſpondeo duos illos modos phyſicè quidem non differre, niſi penes magis & minùs; moraliter tamen ſpecie differre, ſicut fugere falſitatem quantùm ſcit quis & poteſt; eamque non fugere quantùm ſcit & poteſt. Aliàs nec ſpecie morali differrent agere ſecundùm opinionem majoris, & agere ſecundùm opinionem minimæ probabilitatis de licito; ſententiam ferre ſecundùm opinionem magis, & ſecundùm opinionem minùs probabilem; non credere ductum opinione magis, & ductum opinione minimâ probabilitate probabili, &c. Cùm igitur ex declaratione Eccleſiæ explicitè habeamus iſta differre moraliter ſpecie, in ordine ad regulandas actiones noſtras; ex eadem implicitè habemus, agere ſecundùm opinionem magis, & ſecundùm opinionem minùs probabilem, in ordine ad regulandas actiones noſtras, differre moraliter ſpecie. Vide tamen ea quæ dicturi ſumus cap. 82.

889 Undecimò n. 116. objicit ſic: magis & minùs probabile ſe habent ſicut magis & minùs honeſtum. Sed nemo tenetur ad honeſtius, licèt tutius, ſed ſufficit, ſi ſequatur honeſtum. Ergo nemo tenetur ad probabilius, licèt tutius, ſed ſufficit, ſi ſequatur probabile.

Confirmat 1°. ſi daretur obligatio ſequendi probabiliora, tutiora, vel eſſet, quia ſunt probabiliora, vel quia tutiora? Non quia tutiora: quia non tenemur ſemper ad tutiora. Nec quia probabiliora: quia ad vitandum peccatum ſufficit probabiliter credere, non eſſe peccatum.

2°. quia ut oſtendit n. 160. nemo tenetur eligere ſtatum vitæ ſecuriorem, v. g. religioſum, tametſi per electionem ipſius peccatum probabilius evitaretur. Ergo nemo etiam tenetur eligere opinionem ſecuriorem, tametſi &c.

Reſpondeo 1°. iſtud quoque argumentum 890
manifeſtè ducere in idem præcipitium, ut perſpicuum erit applicanti proximè dicta.

Reſpondeo 2°. neminem per ſe & abſolutè 891
loquendo teneri ad probabiliora. Neque enim probabilitas, ſeu major, ſeu minor, eſt regula morum, nec ſcopus ad quem tendere debemus, ſed veritas. Quæ, cùm non admittat magis & minùs, longè diſparis eſt conditionis, quàm bonitas & honeſtas, quæ non eſt de genere indiviſibilium, ſicut eſt veritas, ſed admittit magis & minùs. Datur enim bono melius (teſte Apoſtolo, qui ait; *qui matrimonio jungit virginem ſuam, benè facit; qui non jungit, melius facit*) non autem verum, vero verius, propriè loquendo. Quia natura veri ſimplex eſt, & indiviſibilis.

Sed licèt per ſe nemo teneatur ad probabilius 892
tutius, ad illud quilibet tenetur per accidens, quando perſpicuam veritatis metam attingere non poteſt. Quia tunc ex Chriſtiani hominis, & boni viri officio quilibet ad eam accedere tenetur, quàm proximè ſcit & poteſt. Ad quod neceſſe eſt veriſimiliora cognita ſectari. Non eſt autem neceſſe ſectari meliora cognita, ad aſſequendam perſpicuam metam, vel proximam viciniam bonitatis. Et ideò eligens minus bonum, dum non vocatur ad majus, non facit contra Chriſtiani hominis, bonique viri officium. Eligens verò minùs probabiliter licitum, cognoſcens eſſe probabiliùs illicitum, non implet Chriſtiani hominis, & boni viri officium. Quia non proſequitur veritatem, nec fugit falſitatem, quantùm ſcit & valet. Aliud eſt de eligente probabiliùs licitum, dum certam veritatis metam attingere non poteſt, quia tunc ad eam accedit quàm proximè poteſt; ideòque implet Chriſtiani hominis, bonique viri officium. Et iſta eſt ratio propter quam num. 888. dixi, quod duæ iſtæ electiones morali ſpecie differunt. Hæc tamen dicta ſint abſque præjudicio dicendorum cap. 82.

Ad 1^am^. confirmationem, fateor nos non 893
teneri ad probabiliora tutiora, quia probabiliora præcisè, nec præcisè quia tutiora (cùm extra jus naturæ eligere poſſimus minùs tuta dum probabiliora ſunt; & minùs probabilia, dum tutiora) ſed ob utrumque conjunctim, ſive quia ſunt probabiliora, ſimul & tutiora.

Ad 2^am^. reſpondeo, quòd licèt nemo te- 894
neatur eligere ſtatum ſecuriorem, dum minùs ſecurus verè eſt ſecurus; ſecùs dum minùs ſecurus non eſt ſecurus. Quo caſu non dicitur minùs ſecurus in ſenſu comparativo, ſed in ſenſu adverſativo, ſicut ly *melius*, dum Suſanna Danielis 13. dixit: *Melius eſt mihi abſque opere incidere in manus veſtras, quàm peccare in conſpectu Domini.* Et dum Apoſtolus 1. Cor. 7. ait: *Melius eſt nubere quàm uri.* Electio namque opinionis minùs probabilis, & minus tutæ de licito, cognitæ ut talis, eſt electio opinionis practicè non probabilis, & non ſecuræ in praxi. Proinde non habet ſe, ſicut electio ſtatûs ſæcularis (quem ex Apoſto-

lico teſtimonio n. 891. relato, & Eccleſiæ traditione conſtat ſecurum eſſe, atque adeò ſecuram eſſe electionem ipſius) qui enim matrimonii ſtatum eligit, Apoſtolo teſte, benè facit: utpote eligens ſtatum à Deo inſtitutum, & à Chriſto elevatum ad rationem Sacramenti; per conſequens non proximè, ſed adeò remotè periculoſum, ut peccatum in eo ſtatu, per Dei gratiam valeat ſuperari. Eligens verò opinionem minùs probabilem, & minùs tutam de licito, eo ipſo eligit proximum hîc & nunc formaliter peccandi periculum, imò eo ipſo formaliter peccat, & malè facit, ut ſuperiora demonſtrant.

895 Duodecimò n. 121. objicit exemplum ſubditi, licitè obedientis Prælato, in omnibus quæ ſunt probabiliter licita, tametſi ſubdito videantur probabiliùs illicita. Exemplum quoque piarum animarum, quæ judicio ſuo diffiſæ, perito ac probo Confeſſario ſe dirigendas tradunt, ipſique licitè obediunt in omnibus probabiliter licitis, licèt probabiliùs illicitis. Ergo (inquit) licitus eſt uſus opinionis minùs probabilis de licito, contra agnitam probabiliorem de illicito.

Reſpondeo vanitatem objectionis perſpicuam eſſe ex duobus. 1°. ex eo quòd nimium probet, licitum utique eſſe uſum opinionis minimæ probabilitatis de licito, cùm in caſu minimæ probabilitatis de licito, opus præceptum non ſit manifeſtè illicitum. Omnes autem Sancti, omnes item ſpirituales Magiſtri, qui de obedientia ſcripſerunt, docent Superiori obediendum in omnibus manifeſtè non illicitis.

896 2°. ex eo quòd in caſu præcepti Superioris adſit principium moraliter certificans ſubditum, quod non adeſt extra caſum illum (ideòque extra caſum illum licitum non eſt, quod in caſu illo licitum eſt) neque enim ſubditi eſt judicare de honeſtate & juſtitia rei ſibi præceptæ, ſed voluntatem ac judicium ſuum, voluntati ac judicio Prælati ſui ſubjicere, quandocumque non eſt manifeſtè pravum, quod Prælatus præcipit, iſtudque principium moraliter certum eſt ex unanimi doctrina Sanctorum, ſpiritualiumque Magiſtrorum; nec non ex Oraculis divinorum Eloquiorum. Hoc proinde facere, ſubdito tutius eſt (ſaltem extra materiam juris naturalis) imò unicè tutum.

897 Decimum-tertium argumentum ſuum Terillus n. 128. depromit ex Matth. 11. *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve.* Sed quàm inaniter, conſtat ex dictis cap. 39.

898 At (inquit) jugum Chriſti, non leve & ſuave, ſed intolerabile foret, ſi licitus non foret uſus opinionis minùs probabilis de licito. Imò, hoc dato, Deus impoſſibilia præciperet. At (inquam ego) intolerabile eſt, id objici à Theologo Chriſtiano; intolerabile, inquam, quòd obligatio eligendi quod conformius cognoſcitur veritati, intolerabilis videatur Chriſtiano, quæ non ſolùm tolerabilis, ſed & rationabilis, ac neceſſaria viſa eſt Ethnicis, nec eſt niſi obligatio ſequendi judicium, in quod ſuâ ſponte & ingenio propendet intellectus; contra cujus naturam eſt, per imperium voluntatis adigi ad aſſenſum opinionis, quæ ſibi proponitur ut minùs probabilis. Nec ſolùm intolerabilis, ſed & prorſus irrationabilis eſt objectio iſta, ducitque in præcipitium damnatarum propoſitionum. Tum quia non 889
eſt cur jugum Domini potiùs intolerabile ſit, ex eo quòd illicitus ſit uſus opinionis minùs probabilis de licito, quàm ex eo quòd illicitus ſit uſus opinionis minimæ probabilitatis. Tum quia non eſt cur jugum Domini potiùs intolerabile ſit, ex hoc quòd in agendis ſequi non liceat opinionem viſam minùs probabilem, quàm ex hoc quòd id non liceat in credendis. Tum denique quia non eſt cur ex hoc jugum Domini potiùs intolerabile ſit Chriſtianis in agendo, quàm Judicibus in judicando. Quibus jugum Domini intolerabile non eſt, ex hoc quòd ipſis non liceat judicare ſecundùm opinionem ſibi viſam minùs probabilem.

Inſtat tamen Terillus, quia difficillimum eſt 900
diſcernere, quænam opinio ſit probabilior. Immò id indagare, plurimis etiam Paſtoribus, & Summas caſuum legentibus eſt impoſſibile. Quia ne ipſi quidem Doctores de eo, niſi poſt longum examen, judicium ferre ſemper poſſunt. Ergo vel quævis probabilitas ſufficit ad conſcientiæ ſecuritatem, vel jugum Domini grave eſt, & intolerabile.

Reſpondeo 1°. negando conſequentiam. Si enim quævis probabilitas ſufficit, minima (dummodò probabilitas) ſufficit. Quod eſt ab Eccleſia damnatum. Quid dicis Terille? anne ergo jugum Domini grave & intolerabile reddit doctrina Eccleſiæ? Vel, hinc diſce, diſcat & Caramuel, diſcat Georgius de Rhodez, diſcat Moya, diſcant alii Probabiliſtæ, inanitatem ratiuncularum ſuarum.

Reſpondeo 2°. plerùmque haud facilius 901
eſſe diſcernere, quæ ſit opinio probabilior opinione minimæ probabilitatis, quàm quæ ſit probabilior abſolutè. Non ideò tamen conſequens eſſe, quòd vel minima probabilitas ad conſcientiæ ſecuritatem ſit ſufficiens, vel jugum Domini intolerabile ſit.

Reſpondeo 3°. neceſſe non eſſe ut, in omnibus agendis, ſemper inveſtigemus, quænam opinio probabilior ſit, ſed ut in incertis, adhibitâ diligentiâ, pro capacitate cujuſque, ſi res maneat dubia, vel contrariæ inveniantur Doctorum opiniones, hinc pro lege, inde pro libertate, ſectemur opinionem pro lege, ſaltem niſi probabilior appareat opinio pro libertate, nec quidquam agamus, quod, adhibitâ diligentiâ, æquè vel magis probabiliter appareat illicitum, ac licitum. In qua vel impoſſibilitatem, vel nimiam difficultatem objicere cum Caramuele, Terillo, Rhodio, Moya, vel nugari eſt, vel cavillari.

CAPUT LXXIX.

Oſtenditur poſtremas rationes Terilli, ſcilicet decimam-quintam, decimam-ſeptimam, & deci-

mam-octavam, nec magis solidas, nec magis securas esse.

903 Decimò-quintò Terillus n. 160. & seqq. arguit ex eo quòd in usu opinionis minùs probabilis de licito, contra agnitam probabiliorem de illicito, non sit periculum peccati formalis, sed materialis dumtaxat; quod cùm etiam reperiatur in usu opinionis probabilioris de licito, vel uterque licitus est, vel uterque illicitus.

Respondeo 1°. si ratio ista probat ita esse de usu opinionis minùs probabilis in agendo, probat ita esse de usu opinionis minùs probabilis in judicando, & credendo, necnon in usu opinionis minimæ probabilitatis in agendo. Ex quo iterùm consectariæ sunt tres damnatæ propositiones 2ª. 3ª. 4ª.

904 Respondeo 2°. sicut in casibus istis periculum est peccati formalis; etsi tale periculum fortè non sit in usu opinionis probabilioris; ita & in casu, de quo agimus, uti demonstrant argumenta omnia in superioribus deducta. Pro responsione 3ª. consule quæ dicturi sumus cap. 82.

905 Decimam-sextam objectionem n. 171. sic ipse informat: omnis doctrina certò probabilis, etiam in concursu probabilioris ex adverso stantis, est certò prudens. Ergo quisquis illam sequitur, prudenter agit. Sed qui prudenter agit, non peccat. Ergo quisquis sequitur opinionem certò probabilem, etiam in concursu probabilioris ex adverso stantis, non peccat.

906 Hanc rationem Terillus irrefragabilem vocat n. 173. Estque Probabilistarum Achilles. Sed reverà non est nisi fallax sophisma, manifestâ principii petitione laborans, & in præcipitium ducens.

907 Primò, quia si omnis doctrina certò probabilis, etiam in concursu probabilioris ex adverso stantis, esset certò prudens, prudenterque in praxim regidibilis, sequeretur 1°. opinionem certò probabilem, quàmlibet tenui probabilitate, esse certò prudentem, prudenterque practicabilem. 2°. omnem Religionem probabilem, in concursu probabilioris ex adverso stantis, esse prudenter credibilem, prudenterque sequibilem in praxi. 3°. omnem causam probabilem, in concursu probabilioris ex adverso stantis, esse prudentem, & secundùm eam Judicem prudenter judicare posse. Quæ omnia falsissima sunt, & ab Ecclesia condemnata.

908 Secundò, utrùm doctrina minùs probabilis & minùs tuta, in concursu probabilioris, tutiorisque ex adverso stantis, sit prudens, prudenterque practicabilis, ipsissimum est, quod in quæstione est, & cujus oppositum à nobis tam multipliciter ostensum est. Hoc ergo pro principio assumere, est principium petere.

Tertiò, nulla doctrina minùs probabilis de licito, in concursu & occursu probabilioris de illicito ex adverso stantis, respectivè ad eum cui ista certò videtur probabilior, est probabilis, ut fatetur Esparza in Appendice a. 112. *Fieri* enim *non potest* (inquit) *ut opiniones invicem contradicentes, maneant ambæ probabiles apud eum, cui est manifestum & indubitabile, alteram opinionum niti motivo, absolute & simpliciter, omnibusque hinc & inde consideratis, majori.* Et ideò Reginaldus n.... relatus: *Id quod paucioribus, vel minùs sapientibus videtur, non censetur opinio probabilis, si plures, vel sapientiores contrarium affirment.* Qui & communis est veterum Theologorum, Philosophorum, immò & sanctorum Patrum sensus, ut vidimus num. 417. & seqq. Nulla ergo doctrina ejusmodi prudens est, prudenterque agibilis.

Quartò, nulla doctrina minùs probabilis de 910
licito, respectivè ad eum cui videtur minùs probabilis, in concursu probabilioris de illicito ex adverso stantis, est prudens, hoc sensu quòd ab ipso prudenter judicari possit vera; neque hoc sensu, quòd ab ipso prudenter reduci queat in praxim. Non ptiori sensu: quia ei, cognitæ ut tali, intellectus nec physicè, nec moraliter assentiri potest, ut probavimus cap. 55. & 57. Enimverò non tam ratione, quàm contra rationem ei præstaret assensum: utpote quem præstaret doctrinæ, quam cognosceret probabiliùs falsam, quàm veram. Non etiam posteriori sensu: cùm id solum prudenter in praxim reduci queat, quod reduci potest secundùm regulas prudentiæ; quæ vetant id agere, quòd æquum sit, an iniquum, prudenter dubitas, & plusquàm dubitas.

Ex his perspicuum est, agentem id quod 911
sibi videtur minùs probabiliter licitum, & probabiliùs videtur illicitum, de honestate actionis suæ certificari non posse per hunc syllogismum reflexum: *Certum est opinionem certò probabilem esse judicium prudens. Sed certum est non peccare eum, qui sequitur judicium certò prudens. Ergo certum est non peccare eum, qui sequitur opinionem certò probabilem.* Est enim certissimum sophisma, quod validiùs in Terillum retorquetur, quàm in nos ab ipso torqueatur. Si enim agens de honestate actionis suæ certificari possit per opinionem minùs probabilem, cognitam ut talem; à fortiori de inhonestate ejusdem certificari potest per opinionem probabiliorem, cognitam ut talem. Quia si omnis opinio probabilis de honestate, est judicium prudens; omnis opinio probabilior de ea, est de inhonestate judicium prudentius. Si ergo agens certificari possit de honestate actionis suæ ex judicio prudenti de ea (in qua tamen propositione conformiter ad præmissa negamus suppositum, sicut & in allato syllogismo negamus majorem, & id quod in ea supponitur, certam utique esse practicam probabilitatem opinionis minùs probabilis de licito, respectivè ad eum, qui probabiliorem esse cognoscit opinionem de illicito) à fortiori certificari potest de inhonestate, ex prudentiori de ea judicio.

Decimam-

912 Decimam-septimam, & decimam-octavam rationem Terilli n. 181. & 183. hæc una complectitur: licitum est sequi opinionem probabiliorem de licito. Sed opinio dicens, esse licitum sequi opinionem minùs probabilem de licito, probabilior est: utpote authoritate & ratione prævalens opinioni contrariæ. Sunt enim pro ea rationes tam clarè evincentes intentum (ait Terillus n. 183.) ut non sit *opus quidquam in contrarium examinare.*

913 Argumentum istud (dudum à Caramuele propositum) evidentem esse demonstrationem putat Terillus. Sed non est nisi sophisma, in præcipitium ducens, & ideò nihil probans, quia nimis probat.

914 Enimverò insignis demonstratio, in qua sunt quatuor termini, ut infrà videbitur, quæque probat vera esse sequentia paradoxa.

915 Primò, licitum esse usum minimæ probabilitatis de licito (contra agnitam probabilitatem maximam de illicito) id (inquam) probat ex eo quòd licitus sit usus probabilitatis maximæ de licito. Quasi legitima sit consequentia: licitus est usus maximæ, ergo licitus est usus minimæ probabilitatis de licito. Cur enim potiùs legitima foret consequentia illa: licitus est usus probabilitatis majoris de licito: ergo licitus est usus probabilitatis minoris de licito; quàm ista: licitus est usus probabilitatis maximæ de licito: ergo licitus est usus probabilitatis minimæ de licito; cùm nec authoritas, nec ratio probet consequentiam illam potiùs esse legitimam, quàm istam?

916 Secundò, unam partem contradictionis (dum utraque probabilis est) esse non posse securè practicabilem, nisi securè practicabilis sit & altera, quàmlibet magis digna prudenti dissensu, quàm prudenti assensu.

917 Tertiò, quando utraque pars contradictionis est probabilis, illam quæ majorem habet apparentiam falsitatis, majorem habere apparentiam veritatis.

918 Quartò, obligationem sequendi probabiliorem opinionem magis tutam, in omni materia, etiam fidei, etiam sententiæ ferendæ à Judice, esse chymericam: utpote evidenter connexam cum obligatione, simul & non obligatione abstinendi ab usu opinionis minùs probabilis, & minùs tutæ.

919 Quintò, per consequens probat licitum esse, etiam in credendo & judicando, usum opinionis minùs probabilis, ex eo quòd licitus sit usus opinionis probabilioris.

920 Sextò, probat veritatem propositionis, affirmantis licitum usum opinionis probabilioris de licito, negantis verò licitum usum opinionis minùs probabilis de licito, esse evidenter connexam cum veritate contrariæ propositionis, affirmantis licitum usum opinionis minùs probabilis de licito. Sed cur hoc potiùs quàm veritas propositionis minùs probabilis de licito, evidenter connexa sit cum veritate propositionis quàmlibet tenuiter probabilis de licito: cùm nec ratio nec authoritas magis probet evidentem connexionem veritatis illarum, quàm istarum propositionum? Tota namque Antiquitas æquè oppositum tradit quoad illas, quàm quoad istas propositiones. Ratio verò magis favet istis, quàm illis: cùm duæ istæ invicem non adversentur, sicut illæ.

Septimò probat esse practicè securum facere 921
quod pauci viri docti contra communem sententiam censent licitè fieri; hoc modo: securè fit quod multi viri docti licitè fieri docent. Sed multi viri docti licitè fieri docent, quod pauci viri docti censent, etiam contra communem sententiam, licitè fieri. Ad practicam namque probabilitatem, atque adeò securitatem, vel unius Theologi pii & docti authoritatem etiam contra communem sententiam sufficere, docent plusquàm viginti, teste Caramuele.

Et hinc octavò, in simili forma probat, com- 922
munem esse sententiam, sufficere ad securitatem sequi unum Theologum doctum & pium; quia sententia 4. vel 5. Theologorum est ad id sufficere authoritatem unius Theologi talis, hoc modo: ad securitatem sufficit sequi communem sententiam. Sed communis sententia est ad securitatem sufficere unum. Quia sufficere unum docent 4. vel 5. Securum verò esse sequi 4. vel 5. docent plusquàm 20. vel 30. Securum autem esse, qui sequitur 20. vel 30. docet communis sententia. Ergo sufficere unum docet communis sententia.

Et ulteriùs progrediendo, sequeretur (à con- 923
trario sensu) quòd probans non sufficere sententiam unius, eo ipso probaret non sufficere sententiam communem. Quæ omnia paradoxa sunt, nullam habentia apparentiam veritatis.

Ad sophisticum ergo argumentum, prætensè demonstrativum, Respondeo 1°. illud 4. 924
constare terminis: quia fallaciter transit à licito usu opinionis directè probabilioris in majori, ad licitum usum opinionis solùm reflexè probabilioris in minori; quæ reflexa probabilioritas cùm stet absque directa, terminus iste *opinio probabilior* æquivocè sumitur isto in argumento; & ideò argumentum istud quatuor constat terminis mentalibus, sub tribus vocalibus. Et verò argumenta, sive ab authoritate, sive à ratione, quæ probant sufficere probabilioritatem directam, non probant sufficere reflexam, stantem cum minori probabilitate directa, majoriquè apparentia falsitatis, quàm veritatis, in propositione directa. Quia eò omnia collimant, quòd ab homine, in hoc caliginoso statu, Deus sic exigat ut sequatur veritatem, ut dum attingere non potest certam metam veritatis directæ, circa honestatem actionis, ad eam accedat, quàm proximè scit & valet. Quod profectò non facit, qui sequitur opinionem directè minùs probabilem, quamque proinde directè cognoscit esse proximiorem falsitati, quàm veritati.

Et hinc videre est in Terillum jure retorque- 925
ri, quod aliis ipse tam frequenter objicit, quòd ferè ubique laborent in æquivoco. Reverà namque in æquivoco laborat, & æquivocatione deceptus demonstrativum putat argumentum, quod (utpote sophisticum) nullius prorsus roboris est.

926 Respondeo 2°. distinguendo majorem, eamque negando, loquendo de sola probabilioritate reflexa, stante cum minori probabilitate directa: cùm ne quidem vera sit de quacumque probabilioritate directa, ut videbitur c. 82.

927 Respondeo 3°. negando minorem, utpote quæ non solùm non est probabilior, sive authoritatem spectes, sive rationem, sed ne quidem practicè probabilis est; & si fortè speculativè probabilis sit, minimâ ad summum probabilitate probabilis est, uti demonstrant authoritates & rationes à nobis deductæ. Quæ authoritates adeò prævalent authoritati noviorum Probabilistarum, ut eam prorsus offuscent & absorbeant. Et idem est de rationibus nostris, comparatis cum rationibus Terilli; ex quarum statera justa (ad quam eas appendimus) liquidò apparet, eas non solùm inveniri incomparabiliter minùs habentes, sed & omninò debiles, ruinosas, & ducentes in præcipitium.

CAPUT LXXX.

Idem demonstratur de alia (si tamen alia) ratione, quam Terillus profert q. 47. n. 15. necnon de rationibus Medinæ, Sanchez, Bassæi, Spinulæ, Moya, aliorumque Probabilistarum.

928 ULtra octodecim rationes jam profligatas, Terillus loco citato sic discurrit: omnis opinio probabilis de honestate operis habet vim deobligandi, non solùm quando directè existit in mente operantis, & enuntiat operationem hîc & nunc ponendam esse bonam, adeòque conscientia operantis dictat operationem illam esse honestam; sed etiam quando reflexè consideratur, dum quæritur, ad quid teneamur in casu incertitudinis & probabilitatis, faventis utrique parti contradictionis. Omnis enim opinio probabilis excusans, præbet argumenta longè potiora, ad dicendum quòd, omnibus consideratis, hîc & nunc nulla detur obligatio onerans, quàm ulla opinio probabilis gravans præbeat ad inferendum, quòd ullâ obligatione hîc & nunc premamur ad abstinendum ab opere, ut fusè ostensum est, tum in hoc, tum in tract. de consc. prob. q. 22. & 23.

Respondeo id totum falsissimum esse. Prorsus ergo negandum antecedens, & id quod assumitur ad ipsius probationem. 1°. quia si assumptum illud verum esset, minima probabilitas pro libertate majorem vim haberet ad deobligandum, quàm minima probabilitas pro lege haberet ad obligandum. Quod est ab Ecclesia damnatum in tertia propositione ex damnatis ab Innocentio XI. Ad cujus præcipitium ducit doctrina illa Terilli.

929 2°. quia, ut benè arguit Thyrsus Gonzales dissert. 14. n. 118. secundùm doctrinam illam, hoc ipso quòd unus vel quatuor Authores, ex iis qui dicuntur à Probabilistis facere opinionem probabilem, affirmarent aliquem contractum esse licitum, redderent illum licitum, non solùm iis quibus opinio illa probatur, tamquam vera, sed & prorsus omnibus iis etiam quibus improbatur, & à quibus judicatur falsa, legique divinæ contraria. At istud est falsissimum. Quis enim dedit hoc privilegium uni, vel quattuor hominibus fallibilibus, ut hoc ipso quòd probabiliter judicaverint aliquem contractum esse licitum, omnes possint illum licitè exercere, etiamsi videant plures & longè plures, & graviores Authores, cum fundamento longè validiore, asserere esse illicitum? Quis non videat esse absurdum, quòd unus vel quatuor illi Authores, longè minoris notæ, cum debilioribus armis rationis pugnantes pro libertate, prævaleant longè pluribus Authoribus, longè majoris notæ, pro lege pugnantibus cum armis rationis longè validioribus? Quis credat opiniones omnes faventes carni & sanguini, hoc ipso quòd aliqui Casuistæ eas tenuerint, à Deo habere privilegium eximendi ab obligatione legis; nullam autem opinionem faventem divinæ legi, etiamsi longè plures & graviores eam tenuerint, à Deo habere vim obligandi ad istius legis observantiam? Ista asserere, & sic disserere, non tam est philosophari, quàm nugari; nec tam uti ratione, quàm abuti; nec docere, uti decet Christianos: cùm hoc asserere puderet Ethnicos. Non sic certè disseruit S. Thomas, qui (præter loca superiùs laudata) in Cantica sic scripsit: *Esto quòd multi Magistrorum dicant hoc, & multi alii opinantur in contrarium; hoc ipso mortale ab Augustino omnium Doctorum maximo judicatur, quòd quis incertitudinis periculo, aut peccati mortalis discrimini se committit.*

930 3°. opinio minùs probabilis pro libertate, concurrens cum probabiliore ex adverso stante pro lege, efficere non potest, ut lex divina non existat (divinæ namque legis existentia à nostris non dependet opinionibus) neque ut non sit sufficienter applicata iis qui ex fundamento authoritatis & rationis longè validiore, prudenter judicant, vel judicare debent legem illam existere. Satis namque applicatur per prudens judicium de existentia ipsius, saltem ad hoc ut quisque teneatur abstinere ab eo quod prohibet, sive in vim ipsius, sive in vim regularum generalium prudentiæ, ut in superioribus satis est demonstratum. Rationes verò Terilli in contrarium, tum in Reg. mor. tum tract. de conscientia probab. prorsus contritæ sunt & earum imbecillitas demonstrata.

931 Nec solidiores sunt rationes Medinæ, Sanchez, Caramuelis, Bassæi, Vidal, Spinulæ, &c. ut videre est apud Mercorum & Fagnanum, qui iis adæquatè respondent. Quod enim (præter soluta in superioribus) aiunt probabilisticam doctrinam suam esse benigniorem, eoque titulo nostræ præferendam, juxta L. *benignius* ff. de legibus *benignius leges interpretandæ sunt.* Et L. *semper* ff. de reg. juris *semper in dubiis*

benigniora præferenda sunt. Et cap. fin. de transact. : *Opinio benignior & suavior præferri debet.* 2°. doctrinam nostram aperire viam innumeris scrupulis. 3°. relaxandam, quantùm fieri potest, doctrinæ austeritatem, hominesque benignè tractandos, ut ipsis suavius reddatur jugum Domini. 4°. divinâ providentiâ cautum, unicam non esse moralium operationum viam, sed duas, ita ut utramvis inierint homines, à peccato excusentur. Si enim unica foret, plures essent rebelles, potiùs quàm eam inirent. 5°. Dei non interesse, quòd unam vel alteram homo sequatur opinionem, dummodò sequatur probabilem : cùm Deo nullum inde damnum proveniat, nec aliud ipse velit, nisi ut mandatum suum non violetur. Quod non fit, dum probabilem sequitur quis opinionem. 6°. obligationem in dubiis tutiora sequendi, nullo contineri præcepto Decalogi. 7°. qui probabiliorem pro lege sequitur opinionem, sic discurrere potest : cùm videam multos homines prudentes existimare non dari obligationem abstinendi à tali actione ; sibi proinde licitum eam ponere : non est rationi consonum, ut ego ex mea peculiari opinione sim obligatus ad id, ad quod alii non tenentur. Lex enim debet esse communis, & æquè obligans omnes. 8°. si non esset licitus usus opinionis minùs probabilis de licito, nec licitus esset usus opinionis probabilioris. Cùm operans æquè in uno, atque in altero casu exponatur periculo faciendi contra legem, ut
932 arguit Moya in select. tr. 1. q. 5. §. 3. Hæc (inquam) & similia nihil prorsus habent soliditatis, sed ejusmodi sunt, ut cuicumque Probabilistæ similia alleganti, cum Arnobio l. 7. contra Gentes reponere liceat : *Hominum mihi scita pronuntias, & caci animantis inventa. Ego autem ...* Ad decidendam rem tanti momenti, unde vitæ totius honestas & salus æterna dependet, non malesuadas rationes purè humanas postulo, sed *audire desidero, aut aliquia è cælo lapsum, aut, quod magis res poscit, principium aliquod communi hominum sensui naturaliter inspiratum, quod præsentem controversiam, non segniter, sed insigniter illustret, aut etiam ejusmodi testimoniorum fidem, quibus ipsa, ut ita dicam, lux veritatis assistat.*

933 Talia non esse novissima argumenta illa, satis (ex hactenùs dictis) perspicuum est, atque ex responsione ad singula magis perspicuum fiet.

934 Ad primum ergo respondeo, probabilisticam doctrinam sic benignam esse benignitate carnali & mundanâ, ut benigna non sit benignitate spirituali & christianâ. Quia sic humanæ indulget fragilitati, ut nimiùm faveat laxitati, morumque dissolutioni. Cujusmodi opiniones reverà malignæ sunt potiùs quàm benignæ, ob ea quæ dixi Proleg. 1. c. 9. Hujusmodi proinde doctrinam contrariæ non præfert benignissimus Spiritus Christi ; immò contrariæ doctrinæ concinens Matth. 10. ait : *Non veni pacem mittere, sed gladium.* Et Matth. 5. *Esto consentiens adversario tuo, ne tradat te Judici*, &c. Non dicit, esto consentiens cupiditati, vel carnali libertati tuæ, sed *adversario tuo*, adversario proinde ejusdem tuæ cupiditatis & libertatis. Ut enim Beda l. .. in Luc. c. 55. *adversarius noster est sermo Dei, contrarius nostris carnalibus desideriis in præsenti vita.* Et ante Bedam Ambros. l. 12 in c. 12. Lucæ : *Est adversarius noster, omnis virtutis usus, & Apostolicus & Propheticus sermo, qui nos ad asperiora præcepta, & durioris vitæ documenta constringit ; cui convenit nos consentire, ne utique tradamur Judici*, &c. Et Aug. serm. 1. de verb. Do. c. 3. *Quæramus istum adversarium, cui debeamus consentire, ne tradat nos Judici, & Judex Ministro : quæramus illum, & consentiamus illi. Si peccas, adversarius tuus est sermo Dei ... adversarius est voluntatis tuæ, donec fiat author salutis tuæ. O quàm bonus adversarius, quàm utilis adversarius ! non quærit voluntatem nostram, sed utilitatem. Adversarius est nobis, quamdiu sumus & ipsi nobis. Quamdiu tu tibi inimicus es, inimicum habes sermonem Dei. Esto tibi amicus ... concordas cum ipso.* Ergo verè sibi benignus, qui, in æquali vel majori pro tali adversario probabilitate, concordat cum ipso, Dei legem implendo, & à contrario abstinendo.

Jura verò objecta non faciunt ad rem præ- 935
sentem. Procedunt enim in dubiis facti, & in pœnis infligendis, ut exponit Glossa ad reg. 55. juris. Et quia, *cùm sunt partium jura obscura, reo potiùs est favendum quàm actori.* Reg. 11. juris in 6. Id enim tutius est. Quia si Judex tunc faveret actori, exponeret se periculo condemnandi innocentem (quod est intrinsecè malum) favendo verò reo, solùm exponit se periculo absolvendi delinquentem. Quod non est intrinsecè malum : cùm & Deus, & Supremi Principes sæpè delinquentes absolvant.

Vel procedunt in casu, quo leges, secun- 936
dùm rigorem proprietatemque verborum, certis in circumstantiis injustitiam vel absurditatem continerent. Quo casu in sensu potiùs improprio benignè sunt interpretandæ, juxta l. 19. ff. de legib. *In ambigua voce legis, ea potius accipienda est significatio, quæ vitio caret ; præsertim cùm voluntas legis ex hoc colligi possit.*

Vel denique per benignam opinionem, eam 937
ibi Jurisperiti intelligunt, non quæ favet cupiditati, sed quæ favet pietati, ut viduis, pupillis, egenis, & peregrinis. Vel etiam quæ favet testamento, matrimonio, religioni, aut sacramento.

Ad secundum respondeo contrarium esse 938
verum : quia doctrina nostra (teste Clem. V. clement. *exivi* de verb. signif.) sedat potiùs scrupulos, conscientiæque remorsus. Ibi namque Pontifex dicit, quòd *in dubiis, ad vitandos graves conscientiæ remorsus, pars securior est tenenda.* Idque experientiâ comprobatur : fideles enim primitivæ Ecclesiæ tot conscientiæ scrupulos & remorsus passi non sunt, ac modò : quia per mille & ampliùs annos

secuti sunt regulam de securiori via in dubiis sectanda.

939 Ad tertium respondeo 1°. homines benignè tractandos, sicut Christus omnium benignissimus eos benignè tractavit, non fovendo, sed frænando cupiditatem & concupiscentiam ipsorum, nec laxando habenas carnali libertati, sed eam constringendo salutaribus ligaturis Evangelii sui.

940 2°. sic relaxandam nimiam doctrinæ austeritatem, ut non inducatur nimia laxitas (quam inducit licentiosa probabilitas) sed utrumque extremum sic vitandum, ut animarum Directores, *nec per duritiam hominum animas exasperent; nec per summissionem insolentes & elatos efficiant*, ut Nazianzenus ait orat. 3. Vide quæ dixi Prolegom. 1. c. 9. & Prolegom. 2. c. 18.

941 Ad quartum respondeo, duas illas vias non esse conformes Evangelio, unicam salutis viam, eamque angustam & arctam prædicanti. Nec ratio allata pro duabus illis viis aliud esse videtur, nisi commentum diaboli, ad decipiendas animas. Si enim Deus providere debuisset de duabus viis, sibi mutuò adversantibus, ne aliàs rebellionis & damnationis aliqui occasionem sumerent ex unica & arcta salutis via; similiter providere debuisset, ne forent evangelica mandata de diligendis inimicis, de benefaciendo iis qui oderunt nos, &c. ne ex illis aliqui rebellionis & damnationis occasionem sumerent; providere etiam debuisset, ne via mandatorum foret unica salutis via, sed duæ; via scilicet mandatorum, & via libertatis: Quod evidenter est contra Evangelium.

942 Ad quintum respondeo 1°. Dei interesse, ut sua mandata serventur, & per eorum observantiam à creatura honoretur, sibique debita servitus & obedientia præstetur. Tametsi enim nullum ipsi damnum accidat ex violatione mandatorum suorum; inhonoratur equidem & contemnitur, injuriamque patitur à creatura.

943 2°. falsum est solùm materialiter peccare, qui violat Dei legem, quam prudenter judicat existere. Falsum item solùm materialiter peccare, qui pro nihilo habet peccatum materiale, nec illud cavet, quantùm scit & valet. Cùm lex Dei diligenda sit *super aurum & topazion*, Deusque mandet, mandata sua custoditi nimis; nec minor probabilitas (magis quàm minima) excusare valeat à formali peccato. Et quis dominus servum illum non reputaret formaliter prævaricatorem mandatorum suorum, qui sciens & volens ea facere auderet, quæ sibi à domino prohibita esse probabiliùs cognosceret, prudenterque judicaret?

944 Ad sextum respondeo 1°. obligationem tutiora in dubio sectandi, contineri in omnibus Decalogi præceptis: utpote quorum unumquodque vetat, nequis sciens & volens se exponat morali periculo transgressionis eorum.

Respondeo 2°. obligationem illam, si fortè 945
propriè non contineatur in Decalogi præceptis, omnia illa transcendere, prout generalia ista syndereseos dictamina, obligationem illam continentia: *nihil agendum quod dubites, aquum sit, an iniquum. Periculum peccati cavendum*, &c. Decalogi namque præcepta media sunt inter generalia ista dictamina, infimasque conclusiones inde deductas.

Ad septimum respondeo 1°. discursum il- 946
lum nimis probare, utique non peccaturum contra legem sub opinione positam, qui contra eam faceret, ex divina revelatione certissimè agnoscens eâ prohiberi actionem quam facit.

Respondeo 2°. legem omnem debere esse 947
communem, & omnes obligare, si omnibus sufficienter proposita sit; si autem sufficienter proposita non sit omnibus, sed aliquibus, eamque inculpatè ignorent plerique, sed non omnes, rationem manifestam esse, cur potiùs peccent qui faciunt contra eam sibi sufficienter propositam, vel culpabiliter ignoratam, quàm qui faciunt contra eam inculpabiliter ignoratam, sibique sufficienter non propositam. Quia, ut Christus Luc. 12. *Servus, qui cognovit voluntatem domini sui, & non facit, vapulabit multis. Qui autem non cognovit, & facit digna plagis* (eò quòd ignorantia ipsius non sit omninò inculpata) *vapulabit paucis*.

Respondeo 3°. quòd absurdissimum sit, 948
dicere cum Probabilistis, sufficere cognitionem minùs probabilem de non existentia legis, ad excusandum à culpa facientem contra eam; non sufficere autem cognitionem probabilissimam de existentia legis ad ipsum culpandum. Vel ergo illa non sufficit ad excusandum, vel ista à fortiori sufficit ad culpandum & accusandum. Cùm nimis irrationabilis sit Philosophia, quæ causam probabilissimam pro lege Dei deteriorem habet, quàm causam minùs probabilem pro hominis libertate.

Ad octavum responsio patebit ex dicendis 949
cap. 81. & 82.

CAPUT LXXXI.

Regula duodecima: ne probabiliorum quidem opinionum usus indistinctè licitus est.

PRobatur 1°. ex Scriptura Proverb. 14. 950
Est via quæ videtur homini justa, novissima autem ejus deducunt ad mortem. Atqui via, quæ videtur homini justa, illa est, quam ut justam approbat, quæque per consequens videtur ipsi probabiliùs justa: nemo quippe approbat ut justum, nisi quod sibi probabiliùs videtur justum. Ergo secundùm Scripturam, est via, quæ probabiliùs videtur justa, est tamen illicita: cùm novissima ejus deducant ad mortem.

2°. interfectores Apostolorum probabiliùs 951
existimarunt obsequium se præstare Deo, secundùm illud Joan. 16. *Venit hora, ut om-*

nis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo; non ideò tamen excusabiles fuerunt.

952 3°. sua cuique opinio probabilior videtur. Non licet tamen suam cuique opinionem sequi. Aliàs & Tyrannis, Apostolorum & Martyrum interfectoribus, & Cananæis suam licuisset opinionem sequi, de idolis adorandis, deque filiis suis iis immolandis; sicut & Calecutanis de adulterio, Germanis de furto licito, &c.

953 4°. S. Simeon Stylites probabiliùs existimavit, non esse dæmonem, sed Christum, vel Angelum lucis, qui sibi apparebat; ipsi tamen credendo, culpabilis fuit. Et multò magis Valens Monachus, qui dæmonem sub figurâ Christi sibi apparentem, pro Christo adoravit, tametsi non adorasset, si probabiliùs existimasset, diabolum esse, non Christum. Et idem est de tot aliis, valdè alioqui piis, à dæmone pariter illusis, ut ibidem ostensum est.

954 5°. plerùmque contingit, quòd distortus hominis, aliàs non mediocriter docti affectus, v. g. desiderium hominibus placendi, vel famam, laudemque commodi Doctoris acquirendi, distortum in ipso causet judicium, quo probabiliùs existimat licitum, quod aliàs illicitum judicaret. Distortum verò judicium, ex distorto causatum affectu, quàmlibet probabilius videatur, imò tametsi certum videretur, à peccato non excusat, uti manifestè cernitur in distortis judiciis illis Judæorum, Tyrannorum, Gentilium, ex distorto eorum affectu, culpabilique cæcitate provenientibus.

955 6°. plerùmque etiam debita ad veritatem cognoscendam pro rei qualitate non adhibetur diligentia, vel non adhibetur debita regula, ut dum Casuistæ moralia dogmata sua (maximè jus divinum concernentia) non depromunt ex Scriptura, traditione, vel sanctorum Patrum doctrina, sed ex sola ratione humana antecedente; adeòque ex regula nimis erratica, & suspecta; insufficiente proinde ad securitatem conscientiæ, sicut & ad fundandum judicium irreprehensibile. Cujusmodi etiam judicium esse non potest Casuistarum illorum, qui à generalibus divinæ Scripturæ sententiis, vel SS. Patrum documentis excipiunt, vel ea glossant ex propria præsumptione, solâ humanâ ratione. Et idem est de illis, qui nimiam sibi arrogant licentiam quæstiones morales de suo definiendi, Majoribusque incognitos peccatorum excusandorum prætextus comminiscendi; vel Ethicen suam derivant ex corruptis fontibus, vel radicibus (cujusmodi sunt sex radices, quas Prolegomeno 1. c. 4. 5. 6. 7. 8. & 9. demonstravimus esse radices laxioris Ethices) vel ex Authoribus, quos Prolegomeno 3. c. 10. probavimus in morali doctrina meritò esse suspectos; eò quòd doctrina moralis ipsorum magis sit adinventionis novæ, quàm traditionis antiquæ, magisque fundata in liberiori usu, præfidentiaque malesuadæ rationis humanæ, quàm in evangelica simplicitate, germanisque fontibus Moralis Christianæ. Ad hoc verò ut inculpatus sit usus opinionis probabilioris, ipsa debet esse irreprehensibiliter formata. Cùm irreprehensibilis esse nequeat, qui agit ex judicio reprehensibili. Nequit autem irreprehensibiliter esse formata, si debita ad inveniendam veritatem adhibita non fuerit diligentia, vel ad prudenter judicandum adhibita non fuerit regula, nec germani fontes consulti, sed vel corrupti, vel suspecti. Quemadmodùm enim distortus affectus, sic distorta regula, distortum causat judicium, & suspecta suspectum, insecurumque.

CAPUT LXXXII.

Regula decima-tertia: ne quidem licitum est, saltem in materia legis divinæ & naturalis, probabiliorem sequi opinionem de licito, quando probabilioritas ipsius non est tanta, ut abstergat probabile periculum violandæ legis. Quod non abstergit, quamdiù opinio de illicito retinere cognoscitur aliquid veræ probabilitatis, quàmlibet tenuis, in cujus praxi nullum sit periculum.

Sectio I.

Proferuntur Authores gravissimi, ex quibus Regula ista desumpta est.

956 Regulam istam esse S. Thomæ, S. Bonaventuræ, S. Raymundi, Joannis Sarisberiensis, S. Antonini, venerabiliumque Patrum, Bartholomæi à Martyribus, & Ludovici Granatensis, infrà apparebit. Esse etiam Scoti, doctissimus Charlasius ostendit in disp. Theol. de opin. delect. c. 24. Estque insuper Adriani VI. quodlib. q. 2. in 1. q. cum argumentis, ubi refutans Gersonem, existimantem omnem hæsitationem, formidinem, seu dubitationem esse scrupulum (quod profectò Gerson nunquam censuit de dubitatione propriè dicta, sed de sola formidine assensum firmum impediente) docet cum S. Thoma (capite sequenti proferendo) non esse licitum sequi opinionem, etiam probabiliorem, conjunctam cum formidine, seu dubitatione impropriè dicta, orta, non ex scrupulo, sed ex probabili fundamento, cum probabili proinde periculo violandi divinam legem, per praxim illius opinionis: *Manifestè videtur* (inquit) *quòd juxta B. Thomæ sententiam, quamvis magis credat, vel æstimet, partem quam sequitur esse veram, si nihilominus propter contrariam opinionem aliquà dubitatione moveatur, non licet ei, propter discrimen, hoc operari, supposito etiam quòd nullum sit discrimen ex parte rei, sed veritas.* Quod postquam probavit exemplo Medici, cui non licet uti medicamento probabiliter periculoso (licèt probabiliùs videatur profuturum) dum suppetit cer-

tò tutum : sic concludit. *Quòd si hoc periculum minùs verisimile reprobamus in Medico quoad mortem corporis ; longè magis repudiandum est consimile periculum mortis animæ.*

957 Adstipulantur etiam Gabriel, Almainus, Cajetanus, Aurea Armilla, Bellarminus, &c. præter Recentiores Sinnichium, Sanbovium, Vincentium, Baronem, Contensonum, Charlasium, &c. Gabriel namque in 4. dist. 15. q. 8. a. 3. dub. 2. in 2. probat. *in via* (inquit) *salutis relinquere certum, & eligere incertum* (prout fit in casu nostro) *est amare suum periculum. Qui verò amat periculum, in illo peribit.*

958 Almainus opusc. mor. c. 13. censet, solam ignorantiam invincibilem excusare eum, qui sequitur opinionem falsam, seu dictamini legis æternæ dissentaneam : *Ut aliquis actus sit malus moraliter, requiritur* & sufficit, *quòd sit difformis dictamini, quod si inesset, esset verum, & non habetur ignorantia invincibilis* ; quæ profectò non habetur, ubi habetur probabilis cognitio contrarietatis.

959 Cajetanus in Sum. verbo *opinio*, de quacumque opinione docet quòd *in operandis, nisi partem tutiorem eligendo, non licet opinionem cujuscumque assumere ut regulam operis.* Cujus hanc reddit rationem, etiam in probabiliore opinione militantem : *Quoniam eo ipso quo operatio regulanda committitur opinioni, committitur regulæ ambiguæ. Quia opinio omnis ambigua est : utpote cum formidine alterius partis. Et quia præsupponitur quòd non eligatur tutior pars, consequens est ut operatio* committatur *regulæ ambiguæ ad casum peccati*, ac per hoc exponatur periculo peccandi. *Quod constat esse illicitum. Et si de peccato mortali agitur, constat esse peccatum mortale facere scienter operationem dubiam* (id est incertam, & ambiguam, seu factam cum formidine ne sit peccatum, prout contextus ipse declarat) *an sit mortalis.*

960 In hoc etiam sensu locuti sunt veteres plerique Scriptores, cùm docent, eligendam in dubiis partem tutiorem, nisi expresè aliud significent, v. g. Author Aureæ Armillæ verbo *opinio*, cùm dicit, quod *in operandis ubi sunt opiniones* (sive magis, sive minùs probabiles; generaliter enim loquitur) *semper tutior pars est eligenda, ne quis exponat se periculo ambiguitatis, & consequenter peccandi.* Quæ ratio procedit, etiam dum opinio minùs tuta probabilior est. Bellarmini verba num. 975. exhibebuntur.

Sectio II.

Proferuntur argumenta ex Scriptura, pro asserta Regula.

961 PRobatur itaque asserta Regula 1°. quia nullibi Scriptura, Canones, aut Patres, tutum id asserunt, quod probabiliùs apparet licitum, dum probabiliter cognoscitur illicitum, maximè si probabiliter cognoscatur legi æternæ dissonum. Imò Scriptura significat contrarium. Primò, dum Eccli. 3. dicit : *Qui amat periculum, in illo peribit.* Amat enim probabile periculum violandæ legis æternæ, adeòque peccandi (peccatum namque est dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam) qui sine necessitate exponit se ambiguitati opinionis probabilioris de licito. Cùm probabilioritas ista periculum illud non abstergat. Si namque opinio probabilior falsa sit, id est si lex æterna revera prohibeat actionem, quam opinio probabilior dicit non esse prohibitam, legis æternæ obligatio per istam probabilioritatem urgere non desinit ; urget enim indispensabiliter. Cùmque obligatio illius deleri vel suspendi nequeat per ullam, etiam divinam dispensationem (uti docetur in materia de legibus) multò ergo minùs per humanam ullam probabilitatem.

Secundò, dum ibid. c. 37. dicit : *Ante omnia opera verbum verax præcedat te, & ante omnem actum consilium stabile.* Ibi namque declarat, nihil licitè & prudenter fieri sine verbo, id est judicio, vero & firmo, seu certo quòd id quod fit, non sit contra legem æternam. Igitur ad actum licitum & prudentem, secundùm Scripturam, necesse est ut illum præcedat, sive dirigat judicium verum, seu legi æternæ consentaneum, quòdque judicium istud conjunctum non sit cum hæsitatione seu formidine, ne sit dissentaneum. Cum qua non potest non esse conjunctum, dum agenti probabile est, actum illum lege æternâ esse prohibitum. 962

Tertiò, dum Tob. 4. Matth. 7. & Luc. 6. dicit, non faciendum alteri, quod nolumus nobis fieri. Hâc quippe regulâ, secundùm Augustinum, non solùm docemur quid proximo, sed & quid Deo debeamus. Igitur hâc regulâ Deo facere prohibemur, quod nobis à subditis nostris fieri nolumus. Atqui nolumus à subditis nostris ea fieri, quæ à nobis prohibita esse probabiliter cognoscunt, tametsi prohibita non esse probabiliùs ipsi putent. Ergo regulâ istâ simile quid Deo facere prohibemur. 963

Quartò, cùm docet, Deum summè & super omnia à nobis amandum. Deum quippe super omnia, & summè non amat, qui summè non amat ejus voluntatem, seu legem. Nullus autem summè amat Dei legem, nisi qui summè cavet ejus violationem. Hanc verò summè non cavet, qui, sine necessitate, id agit, quo cognoscit Dei legem probabiliter violari. 964

Deinde Deum summè non amat, qui voluntariè exponit se probabili periculo ipsum perdendi ; sicut pater summè non amat filium, dum voluntariè exponit se probabili periculo perdendi eum. Voluntariè autem exponit se probabili periculo perdendi Deum, qui voluntariè exponit se probabili periculo peccandi. Cùm per peccatum Deus amittatur. 965

Denique Deum super omnia non amat, qui se plusquàm Deum amat ; se verò plus- 966

quàm

quàm Deum amare convincitur, qui libertatem suam carnalem plusquàm Dei legem amat. Quod profectò facit, quisquis magis cavet præjudicium carnalis suæ libertatis, quàm divinæ legis; quisquis proinde magis cavet suam lædere libertatem, quàm Dei legem, quasi cum Deo disputando, libertatemque suam contra Dei legem defendendo, quandocumque nihil in Scriptura, Traditione, vel ratione manifestum occurrit pro Dei lege, etiamsi nihil etiam inde manifestum occurrat pro libertate. Cum Deo autem disputare velle, stultum esse dicit D. Bonaventura de profectu Relig. l. 2. c. 41. & multò stultius contendere, quòd divinæ legis obligatio non vigeat, nisi id manifestum sit; sua verò libertas vigeat, dum id non est manifestum. Quam probabilistarum dementiam Chatlasius ubi sup. c. 23. deplorat, dicens: „ Proh dolor! si quid hominum cupiditatibus favet, nisi expresè damnetur in Scripturis, aut communi consensu SS. Patrum, vel manifesto Ecclesiæ judicio, mordicùs retinetur, nequa scilicet fiat injuria corruptæ, ob eamque causam ferè servæ naturæ libertati; quæ verò ad observandam legem divinam conducunt, nisi clarè in sacris illis fontibus tamquam præcepta tradantur, in numero consiliorum reponuntur. Sed hæc ratio illorum est, qui seipsos plusquàm Deum amant, aut se nimiùm amantibus extra modum indulgent. " Ita ille.

967 Quintò, idipsum Scriptura satis declarat dum Ps. 118. dicit: *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis*, id est religiosissimè, & cum maxima sollicitudine, ne quid contra divina mandata fiat. Declarat proinde, Deum mandare, ut religiosissimè, & maxima cum sollicitudine, caveamus periculum probabile iis contraveniendi, dum manifesta non sunt. Quemadmodùm enim religiosissimè, & maxima cum sollicitudine non custodit mandata Regis, patris, vel heri, qui religiosissimè, & maxima cum sollicitudine non cavet probabile periculum iis contraveniendi; ita similiter, &c.

968 Sextò, cùm dicit Proverb. 14. *Est via quæ videtur homini justa, novissima autem ejus deducunt ad mortem*, animæ utique. Hoc enim non dicit de via quæ manifestè cognoscitur eò deducere (talis namque non videtur homini justa) sed quæ eo deducere vel non cognoscitur, vel cognoscitur solùm probabiliter deducere, probabiliùs autem existimatur non deducere; ac per consequens probabiliùs videtur homini justa & recta.

Sectio III.

Proferuntur argumenta ex Patribus, sacrisque Canonibus.

969 Septimò asserta Regula probatur iis Patrum testimoniis, quibus cap. 17. ostensum est, non solùm in dubiis propriè dictis, sed & in incertis & ambiguis quibuscumque, eligendam viam tutiorem, dum utraque non est tuta, certamque incertæ esse præferendam. Hoc est enim quod Augustinus manifestè tradit, dum generaliter pronuntiat, *tene certum, dimitte incertum*. Dum etiam docet, hominem graviter peccare *in rebus ad salutem animæ pertinentibus, vel eo solo, quòd certis incerta præponit*, l. 1. de Baptismo contra Donatist. inde probans, quòd accipere baptismum (licèt validum) in Parte Donati, si incertum est esse peccatum; certum esse peccatum, non ibi potiùs accipere, ubi certum est non esse peccatum. Manifestè ergo Augustinus docet, certò peccare eum, qui non abstinet ab actu, quem probabiliùs existimat non esse peccatum, probabile tamen existimans esse peccatum, dum certus est non esse peccatum abstinere. Quoniam iste certis incerta præponit, faciendo actum, quem certus non est non esse peccatum; ubi actum omittendo, certus esset in omissione illa non esse peccatum.

Idem à fortiori probant testimonia Tertul- 970
liani, Nazianzeni, Lactantii, Augustini, Fælicis III. Gregorii Magni, & Bernardi, cap. seq. proferenda. Probant enim nullam humanam opinionem falsam, ne eam quidem quæ videtur moraliter certa, à peccato contra legem æternam excusare facientem contra eam. Ut enim Lactantius ait, *in æternum stultitiæ pœna subeunda est ei, quem opinio falsa deceperit*. Quod & Pauli exemplum videtur evincere: utpote qui non putabat se probabiliorem, sed & sibi certam de licito opinionem sequi, dum Christianos persequebatur. Nam, ut constat ex Act. 26. 9. ad id se credebat obligatum zelo defendendæ legis Mosaïcæ, innumeris miraculis confirmatæ, quam Christi doctrinâ violatam firmiter existimabat, fundatus in consensu ferè unanimi omnium ferè Doctorum, Sacerdotum, Scribarum, & Pharisæorum sui temporis: à peccato tamen certissimè non fuit immunis, ut ipsemet testatur, licèt misericordiam consecutus fuerit, quia ignorans fecit.

Idipsum denique varii probant Canones, 971
in quibus Summi Pontifices viam tutiorem in dubiis eligendam esse declarant. Neque dubii nomine solam animi, neutram in partem inclinantis, suspensionem intelligunt, sed dubium accipiunt pro incerto, ita ut *in dubiis* idem sit quod *in incertis*, *in obscuris*, *in ambiguis*, &c. Patebit hoc ponderanti varios Canones c. 16. allegatos, v. g. c. *juvenis* de sponsalib. in quo cùm juvenis quidam puellam nondum septennem, probabiliùs proinde nondum viripotentem, & ideò probabiliùs invalidè duxisset, & posteà consobrinam ipsius accepisset: quia tamen certum non erat per copulam cum prima (quam fortè attentaverat) non contraxisse affinitatem cum secunda; non obstante majori in contrarium probabilitate (fundatâ in eo quòd rarum sit copulam perfici posse cum puella nondum septenni) non obstante etiam majori probabilitate nullitatis primorum sponsalium, & legitimitatis secundorum: quia tamen in his quæ dubia (id est incerta) sunt, quod certius existimamus, tenere debemus, id est id, in quo certius est, nullum fore peccatum, Eugenius III. jubet consobrinam à juvene illo separari.

972 Similiter in cap. *ad audientiam* de homic. volunt. & casual. cùm Presbyter quidam, corrigere volens quempiam de familia sua, ipsum percussisset cingulo quo cingi solebat, elapsoque improvisè è vagina (cingulo adhærente) cultello vulnerasset; tametsi percussus à vulnere convaluisset: quia tamen superveniente aliâ graviori infirmitate decesserat, incertumque erat, an non ex vulnere, seu occasione illius, Clemens III. declaravit, Presbyterum illum à sacrorum Ordinum ministerio abstinere debere, tamquam irregularem; eò quòd (inquit) in dubiis semitam debemus eligere tutiorem. Nec tamen casus iste, casus erat dubii propriè, sed impropriè dicti: cùm longè probabilius esset, familiarem illum ex vulnere non decessisse, nec Presbyterum irregularitatem ex homicidio voluntario contraxisse. Primò, quia non voluerat vulnerare, sed corrigere. Secundò, quia inimicum non percusserat, sed amicum, seu familiarem. Tertiò, non ense, nec fuste, sed cingulo, quo cingi solebat. Quartò, quia cultellus ex eo fortuitò, atque ex improviso, non consultò dilapsus fuerat. Quintò, quia graviter non vulneraverat, sed *aliquantùm*. Sextò, quia percussus convaluerat à vulnere, nec decesserat, nisi superveniente aliâ graviori infirmitate. Quia tamen per majorem illam pro Presbytero probabilitatem non abstergebatur omnis probabilitas in contrarium, nec per consequens probabile periculum, Pontifex in eo incerto sequendam censuit regulam juris naturalis, de sequenda in dubiis via tutiore; ideòque voluit ut Presbyter ille se gereret, ut irregularem, à ministerio sacrorum Ordinum abstinendo, solùm factâ ipsi indulgentiâ, seu dispensatione pro ministerio Ordinum Minorum. Regulam proinde illam juris naturalis, *in dubiis semitam eligere debemus tutiorem*, non intellexit de solo dubio strictè, sed latè accepto pro incerto. Quo etiam modo eam intellexit cap. *significasti* 2. de homicid. uti patet ex eo quòd casum dubium explicet per eum, in quo *magnum* (id est probabile) *periculum* timeatur, eò quòd constaret de percussione, constare autem non posset, quòd percussio lethalis non fuisset.

973 Rursus in Clement. *exivi* de verb. signific. cùm controverteretur, an FF. Minores sub mortali tenerentur ad omnia, quæ in Regula exprimuntur sub verbo imperativi modi, nec deesset probabilitas magna pro minori obligatione, Clemens V. attendens quòd, secundùm Regulam juris naturalis, *in his quæ animæ salutem respiciunt*, dum veritas pro alterutra parte ad liquidum non apparet, *ad evitandos graves remorsus conscientiæ, pars securior est tenenda* (quæ profectò regula in omni procedit incerto, non in solo casu propriè & strictè dubio) pro majori pronuntiavit obligatione. Et hinc glossa verbo *item quia* generatim infert, quòd in casibus hinc inde controversis inter Doctores, qui animæ salutem respiciunt, pars securior tenenda est, 68. dist. *Presbyter.* de sponsalibus, *juvenis* not. de scrut. in ord. faciend. cap. un. in glossa fin. In qua sic habetur: *Hoc generale est, ut ubi periculum animæ vertitur, præsumatur in deteriorem partem. Quia licèt videatur deterior, tamen melior & tutior est* (etiam dum opposita est probabilior) & ideò etiam benignior, uti demonstravimus Prolegomeno 1. c. 9. Imò sola est tuta, ubi eam sequendo nullum est periculum; sequendo verò oppositam, periculum est violandi legem æternam, uti videbitur cap. seq.

Sectio IV.

Eadem Regula probatur multiplici ratione Theologicâ.

PLures pro ea rationes deduximus §. 2. quas roborare & illustrare lubet rationibus sequentibus. 974

Prima est illa, ad quam, velut juris naturalis regulam, Summi Pontifices attenderunt in Canonibus relatis, quia scilicet in casibus ambiguis, seu incertis, & hinc inde probabiliter controversis, qui animæ salutem respiciunt, ad evitandum salutis periculum, eâ pars sequenda est, quæ à periculo est libera, cavendaque non libera: utpote eo ipso deterior, quo non tuta; & eo ipso non tuta, quo à probabili periculo non libera; & eo ipso à probabili periculo non libera, quo sic probabilior, ut oppositæ sententiæ probabilitatem non tollat. Probabile namque salutis periculum sollicitissimè esse cavendum, prudentia & ratio christiana, imò & ratio naturalis docet. Nam quò bonum aliquod est majus, eò sollicitiùs cavendum est illius amittendi periculum. Atqui Deus (in cujus possessione posita est salus nostra) bonum est infinitum, bonorumque omnium maximum. Sollicitissimè ergo cavendum est ipsius amittendi periculum; sollicitissimè proinde cavendum periculum peccati, per quod tantum bonum amittitur. Sollicitissimè verò periculum istud non cavet, qui probabile ipsius committendi periculum voluntariè, sive nullâ necessitate coactus, subit. Quod profectò subit, qui, potens inire viam ab eo periculo tutam, voluntariè init non tutam. Quemadmodùm viator voluntariè subit probabile periculum incidendi in latrones, qui, potens inire viam à periculo latronum tutam, voluntariè incedit per non tutam. Et Medicus voluntariè exponit infirmum probabili periculo mortis, qui, potens ipsi succurrere per medicamentum certum, sive à probabili mortis periculo tutum, voluntariè ipsi applicat non tutum, periculoque (licèt minùs probabili) obnoxium, ut rectè Adrianus VI. suprà num. 956.

Exponuntur quidem interdùm res pretiosæ probabili periculo; sed tum demùm prudenter, cum inde pari probabilitate speratur bonum majus, vel saltem æquale. Atqui nullum 975

spera-

ſperari poteſt bonum majus, nec æquale Deo, ſummo bono noſtro. Pro nullo ergo alio bono ſperato prudentia permittit exponere ſe periculo amittendi Deum ; imò dictat, cætera bona omnia dimittenda potiùs, quàm periculum iſtud, etiam minùs probabile, ſubeundum. Et hinc ſapienter Bellarminus in opuſculo, ſeu epiſtola ad nepotem ſuum, Epiſcopum Theanenſem, monet, quòd *ſiquis velit in tuto ſalutem ſuam collocare, is omnino debet certam veritatem inquirere, & non reſpicere quid multi* Probabiliſtæ, vel Probabilioriſtæ, *hoc tempore dicant, aut faciant. Et ſi rei certitudo non poſſit ad liquidum apparere* (uti non poteſt in caſibus hinc inde æqualiter, vel inæqualiter probabilibus) *debet omnino* (nota benè) *tutiorem partem ſequi* (quæ eſt ipſiſſima regula noſtra) *& nullâ ratione, nullius imperio, nullâ utilitate temporali propoſitâ, ad minùs tutam* (id eſt à probabili periculo peccati non liberam) *declinare. Agitur enim de ſumma re, cùm de ſalute æterna tractatur; & facillimum eſt conſcientiam erroneam aliorum exemplo induere, & eo modo, conſcientiâ non remordente, ad eum locum deſcendere, ubi vermis non moritur, & ignis non extinguitur.*

976 Secunda ratio: nullus auderet ſapientiſſimum iſtud Bellarmini monitum non ſequi in articulo mortis; nullus non doleret ſecutum ſe non eſſe, cùm ſteterit ante tribunal tremendi Judicis. Atqui faciendum non eſt in vita, quod nullus facere auderet in articulo mortis. In quolibet ergo negotio agendo in vita, ubi periculum animæ vertitur, non oportet facere, quod in articulo mortis non auderemus facere, vel coram tremendo Judice doleremus nos feciſſe. Hoc eſt enim quod vehementer inculcat magnum Eccleſiæ lumen, illuſtreque ſacri Ordinis Prædicatorum ornamentum, Bartholomæus à Martyribus, Archiepiſcopus Bracarenſis, miraculis clarus, in compendio vitæ ſpiritualis (per venerabilem P. Ludovicum Granatenſem typis conſignato, plurimùmque collaudato) p. 1. cap. 7. hiſce verbis: *In quolibet negotio agendo, ſi incertus ſis quid potius eligas, antequam ſtatuas quid agendum ſit, prius conſidera, quid.... acturus eſſes, ſi inſtaret tunc hora mortis. Item cogita quid malles egiſſe, cum ſteteris in die judicii coram Domino; & illud age. Si dubites adhuc, elige illud quod naturæ tuæ ac affectionibus moleſtius eſt, & magis adverſatur, uti fecerunt Sancti, cum Pſalmiſta verbo & opere dicentes:* „ Propter verba labiorum tuorum, ego cuſtodivi „ vias duras. „ Et hinc, ſive ex poſtremis verbis Bartholomæi à Martyribus deſumitur

977 Tertia ratio: quia in obſcuris & incertis, ubi vertitur periculum æternitatis, illud ex duobus oppoſitis, quod corruptæ naturæ noſtræ libertati & propenſioni adverſatur, præferendum eſt ei, quod ipſi non adverſatur, ſi illud certò conſentaneum ſit legi; non iſtud. Si enim id quod ipſi non adverſatur certò non ſit conſentaneum divinæ legi, ſuſpectum nobis eſſe debet; eò quòd *corruptæ voluntatis noſtræ propenſio authoritatem vitiis* utplurimùm *quærat, & quod malum eſt, bonum, aut bono proximum eſſe ſuadeat*, ut Sancti docent, ſignanter Auguſtinus ſerm. 12. de temp. Propterea ergo iidem Sancti, vehementer metuentes, ne ipſos opinio veriſimilis corruptæ libertatis amica falleret, tenebraſque alicujus erroris offunderet, &, tenebras offundendo, in ea quæ agenda non ſunt præcipitaret; ad id cavendum, elegerunt potiùs vias duras, id eſt corruptæ voluntatis propenſioni moleſtas, quàm ei conſentaneas. Per conſequens potiùs ſecuti ſunt, ſequendaſque docuerunt, opiniones faventes legi contra libertatem, quàm faventes libertati contra legem: utpote in incerto contrariarum opinionum, ſive æqualiter, ſive inæqualiter probabilium, non ſolùm tutiores, ſed ſolas tutas, nec ſolùm oppoſitis benigniores, ſed ſolas verè benignas; eò quòd conciliatrices ſint, tutrices & aſſecuratrices veræ libertatis noſtræ, quæ non eſt libertas carnalis, ſed ſpiritualis; libertas utique à peccato; carnali ſervæ naturæ noſtræ liberti haud dubiè ſecundùm ordinem amoris præferenda. Relegatur Proleg. 1. ubi c. 9. pluribus argumentis demonſtravimus, ejuſmodi opiniones verè eſſe mites & benignas: quia ampliant, non coarctant veram Chriſtiani hominis libertatem; nec auſteræ & ſeveræ ſunt, niſi reſpectivè ad hominem carnalem, quæ ſua ſunt quærentem, non quæ Jeſu Chriſti, & conducentia ad cupiditatem, non ad charitatem. Quam etiam ob cauſam Eccleſ. 12. Scriptum eſt: *Verba Sapientum, ut ſtimuli*: quia animalem hominem pungunt, & moleſta ſunt propenſioni corruptæ naturæ noſtræ. Si enim ſermo non pungit, non ungit. Et ideò Salvator Apoſtolis dicendo, *Vos eſtis ſal terræ*, ipſos non ſimplices Doctores eſſe dicit, ſed *ſeveros*, ait Chryſoſtomus hom. 15. in Matth. ſeveros utique homini mundano & animali, ſed verè benignos homini Chriſtiano & ſpirituali. Et ideò *hoc eſt mirabile* (proſequitur Chryſoſtomus) *quòd non adulantes, neque palpantes*, ſive non docentes conſentanea propenſionibus corruptæ naturæ noſtræ, *ſed ex adverſo, ſalis inſtar urentes*, per fructus uberrimos, quos protulerunt, *ſe tam deſiderabiles reddiderunt*. Denique propter eandem cauſam Salvator ibidem v. 25. dicit: *Eſto conſentiens adverſario tuo* (divinæ ſcilicet legi, potiùs quàm carnali tuæ libertati) *ne fortè tradat te Judici..... & in carcerem mittaris*. Ne enim peccemus, probabilivè periculo peccandi, Judicemque proinde animarum noſtrarum offendendi nos exponamus, *adverſarius eſt voluntatis tuæ ſermo*, ſive lex *Dei*, ait Auguſtinus ſerm. 1. de verb. Dom. c. 3. Nec durus adverſarius, ſed verè benignus; proſequitur enim: *O quàm bonus adverſarius! quàm utilis adverſarius! non quærit voluntatem noſtram, ſed utilitatem. Adverſarius eſt nobis, quamdiù*

sumus & ipsi nobis..... consentiendo ergo adversario tuo in fuga peccati, periculoque ipsius, *dic mihi quid perdidisti? Non solùm nihil perdidisti, sed & teipsum, qui* (alioqui) *perieras, inveniſti.*

Istis ergo de causis, in supradicta opinionum contrarietate, ne peccemus, probabilivè peccandi periculo nos exponamus, tam favorabili spiritualis libertatis nostræ amico (licèt carnalis libertatis adversario) non isti carnali libertati consentiendum, docet lex Dei, docent Canones suprà relati, docent scriptis & exemplis suis Sancti, docet communis sensus sapientum in timore Domini, qui animarum salutem, Deique honorem omnibus commodis temporalibus anteponunt. Hoc est ergo quod facere nos oportet. *Ecce* enim *coram Deo, quem hujus verbi in extremo examine testem invoco* (ait Joannes Sarisberiensis, sancti Thomæ Cantuariensis discipulus, postea Carnotensis Episcopus, l. 1. epist. 157. inter epistolas istius sancti Martyris, per Christianum Lupum Doctorem Lovaniensem editas) *totâ spiritûs libertate, & fide illi tamquam Patri promissâ & debitâ, respondeo, quod in omni ardua dubietate* (quæ tunc ardua est, quando in contrarietate opinionum hinc inde probabilium, veritas ad liquidum non elucescit) *censeo faciendum: scilicet ut primò omnium quæramus & sequamur quod super hoc lex divina præscripsit. Quæ si nihil certi exprimit, recurramus ad Canones, & exempla Sanctorum. Ubi si nihil certum occurrit, tandem explorentur ingenia & consilia sapientum in timore Domini; illique, seu pauciores, seu plures sint, cæteris præferantur, qui honorem Dei commodis omnibus anteponunt. Nullus enim salubriter incedit, lege Dei, quæ omnibus est certissima forma vivendi, neglectâ. Et qui Patrum vestigia detrectat imitari, ad consortium regni, quo illi gaudent, intrare non poterit.*

978 Quarta ratio: unica via, quæ adultos ducit ad vitam æternam, est observantia divinæ legis. *Si* enim *vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Matth. 19. Cùm igitur maximè referat ad terminum illum pervenire, diligentissimè cavendum est, ne à via aberretur. Prudens ergo haberi nequit, sed demens, imò dementissimus, qui, viam certam & tutam relinquens, incertam & non tutam ingreditur; opinionem utique relinquendo, quæ certissimè ab observantia divinæ legis non abducit, eique oppositam præferendo ac sequendo, quæ ab ea probabiliter aberrare facit.

979 Si dicas, quòd Authores graviores sequendo, à lege Dei non aberrabit formaliter, sed materialiter dumtaxat. Contrà: à lege Dei formaliter aberrat, quisquis voluntariè aberrat, nec se aberrare invincibiliter ignorat. Talis autem voluntariè & sine ignorantia invincibili aberrat, uti manifestum erit ex dicendis num. 980. & seqq. Et quem habet vadem, ipsum assecurantem à formali errore? Non Authores illos, quos vocas graviores: tum quia cæci sunt, si à veritate devient, uti deviare supponuntur. *Cæcus* autem *si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.* Matth. 15. Tum quia Authores illi potestatem non habent super legem Dei, faciendi utique quòd lex Dei formaliter non obliget sequaces opinionis ipsorum, quos alioqui obligaret. Aliàs potestatem haberent super Deum ipsum.

Quinta ratio, quâ superiores rationes firmantur, & Probabilioristarum ad eas responsiones infirmantur, est quia nullus Doctor Catholicus ad actum formaliter malum & peccaminosum plusquàm tria requirit. Primum, ut per eum lex Dei violetur. Secundum, ut actus sit voluntarius ac liber, non necessarius. Tertium, ut fiat cum cognitione malitiæ, seu contrarietatis ad Dei legem, saltem tali, ut hæc invincibiliter non ignoretur. Sed nihil horum desideratur in eo qui sine necessitate facit aliquid contra Dei legem, probabiliùs existimans non esse contra Dei legem, cognoscens tamen probabiliter esse contra eam (reverà enim violat Dei legem, atque id quod facit, necessariò non facit, sed voluntariè & liberè, & cum tali cognitione malitiæ, ut hæc invincibiliter non ignoretur: neque enim invincibilis ignorantia malitiæ stat cum cognitione probabili illius) nihil ergo desideratur ad hoc ut actus ipsius sit formaliter malus & peccaminosus. 980

Siquis non erubesceret asserere, eum qui probabiliter cognoscit actum suum esse malum, sed probabiliùs existimat non esse malum, invincibiliter ignorare malitiam ipsius, hâc ratione esset convincendus, quòd utique ibi esse nequeat invincibilis ignorantia malitiæ, ubi ne quidem est ignorantia. Ibi verò malitiæ ignorantia non est, ubi probabilis est cognitio illius, tametsi nec certa, nec probabilior. Ignorantia namque cognitionem quamcumque excludit, etiam minùs probabilem. Neque enim ab ignorantia excusare se potest, qui proximo damnum intulit temporale, ex eo quòd non cognoverit illud ex actu suo certò vel probabiliùs, sed solùm minùs probabiliter secuturum. Uti nec ille qui sumpsit poculum, existimans probabiliùs non esse veneno infectum, prætendere potest ex ignorantia invincibili venenum sumpsisse, si cognoverit probabiliter veneno infectum esse. Nec filius allegare, quòd ex ignorantia invincibili patrem occiderit, si telum emiserit in dumum, in quo patrem suum latentem esse à duobus testibus fide dignis didicerit, licèt leporem ibi esse, non patrem, ex testimonio quatuor aliorum testium, fide etiam dignorum, probabiliùs credidisset. Aliàs innocens judicari posset: cùm innocens habendus sit, qui ex ignorantia invincibili patrem occidit. Atqui non innocens, sed exquisito supplicio dignus judicio omnium æstimatur talis filius. Igitur omnium judicio patrem ex ignorantia invincibili non occidit, sed prorsus vincibili culpabilique. 981

Si dicas ita esse, quia filius ille veritatem 982

certò cognoscere potuit clamando, vel ad dumum propiùs accedendo, ad finem videndi; an in dumo pater lateret, an lepus; nec telum emittere debuit, nisi adhibitâ diligentiâ illâ, sed vel eam adhibere debuit, vel à telo emittendo abstinere; ob probabile periculum occidendi patrem, tametsi inde cariturus commodo capiendi leporem. Benè, optimè. At pariter dicendum, ubi est probabile periculum violandæ legis divinæ, adhibendam ab homine omnem diligentiam, ut certò intelligat, an actione suâ violanda non sit lex divina. Et si hoc certò cognoscere nequeat, sed minùs probabiliter dumtaxat, abstinendum ab actione illa, ad devitandum periculum illud, tametsi cariturus sit commodo aliquo, vel emolumento temporali. Neque enim minùs sollicitè cavenda est ab homine offensa Dei, seu violatio legis ipsius, quàm damnum corporale, vel mors patris, vel etiam mors propria. Cùm violatio divinæ legis super omnia alia mala cavenda sit; sicut Deus super omnia est diligendus. Per consequens homini non magis danda est licentia faciendi actum cum probabili periculo violandi legem Dei, dum eam probabiliùs existimat non violandam, & ad certam circa hoc notitiam pervenire non potest; quàm filio dari possit licentia emittendi jaculum, cum probabili periculo occidendi patrem, dum eum probabiliùs existimaret non occidendum, si fingeretur casus, quo ad certam circa hoc veritatis cognitionem pervenire non posset. Nec ignorantia uno casu magis invincibilis, vel peccatum solùm materiale magis dici posset, quàm altero.

983 Quòd enim uno casu damnum inferatur patri, altero damnum nullum inferatur Deo; nihil refert ad ignorantiam invincibilem, nec ad peccatum solùm materiale. Quia quemadmodùm actus non dicitur ignoratus, vel non ignoratus, quia damnosus, sed quia cognitus, vel non cognitus; sic non dicitur invincibiliter vel non invincibiliter ignoratus, quia damnosus; sed quia vel cognosci potuit & debuit, vel quia non potuit, nec debuit. Deinde sive actus meus inferat, sive non inferat damnum, non est formaliter malus, sive peccatum formale, nisi quatenùs difformis est legi Dei. Damnum namque non est peccatum, nisi quatenùs lege prohibetur: nec filius v. g. abstinere tenetur ab emissione jaculi propter periculum inferendi damnum patri, nisi quatenùs inferre damnum patri, vel exponere se periculo damnum inferendi, lex divina & naturalis prohibet. At pariter prohibet exponere se probabili periculo violandæ legis divinæ.

984 Sapienter proinde Charlasius c. 21. observat, quòd ad rationem peccati, damnum, & reliqua omnia, materialiter tantùm se habent; contrarietas ad legem, formaliter ex parte objecti. Peccatum quippe vel dicitur formale ex parte principii, quod oportet esse voluntarium & liberum, ut peccatum formaliter imputetur; vel ex parte objecti, dum scilicet objectum circa quod peccatur, est contra legem Dei. Et hoc sensu sumitur à S. Thoma 1. 2. q. 71. a. 6. dum Augustinianam explicat definitionem peccati: *Augustinus in definitione peccati posuit duo, unum quod pertinet ad substantiam actûs humani, quod est quasi materiale in peccato, cùm dicit*, dictum, vel factum, vel concupitum; *aliud autem quod pertinet ad rationem mali, quod est quasi formale in peccato, cùm dicit*, CONTRA LEGEM ÆTERNAM. Itaque sive actus meus damnum illaturus sit, sive non, ad rationem formalem peccati sufficit contrarietas ipsius ad legem, ut à probabili periculo violandæ legis abstinere debeam, nisi æquale, vel majus periculum ex altera immineat parte.

Atque hinc eruitur sexta ratio assertæ Regulæ: quia in materia Sacramentorum, justitiæ, &c. ubi periculum est damni proximi, non est licitum sequi viam incertam, etsi probabiliorem, de damno non secuturo, relictâ certâ, dum suppetit. Ergo nec in aliis materiis, ubi solùm agitur de periculo violandæ legis Dei, licitum est sequi viam incertam, etsi probabiliorem, de lege Dei non violanda, relictâ certâ, dum suppetit. Antecedens conceditur ab Adversariis, saltem majori ex parte, deduciturque ex damnatione hujus propositionis ab Innocentio XI. *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relictâ tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi*, &c. Si enim propositio ista falsa sit, meritòque damnata: ergo in Sacramentis conferendis, &c. licèt nulla id vetet lex positiva, nec conventio, nec periculum gravis damni incurrendi, est illicitum sequi opinionem probabilem, immò & probabiliorem de valore, vel de damno non secuturo (opinio namque probabilis indefinitè expressa, etiam probabiliorem complectitur) relictâ tutiore, etsi minùs probabili. Consequentia probatur, quia si in materia justitiæ, Sacramentorum, &c. ubi de valore agitur, vel de damno proximi, non licet sequi opinionem probabiliorem, non liberam à probabili periculo nullitatis Sacramenti, vel damni proximi, sed sequenda sit ab eo periculo tuta. Ergo & in materiis, ubi solùm est periculum faciendi contra legem Dei. Neque enim aliam ob rationem in materia justitiæ, Sacramentorum, &c. sequi nos oportet partem tutiorem, sive liberam à periculo, etiam minùs probabili, nullitatis Sacramenti, vel damni, nisi quia cavere nos oportet periculum, etiam minùs probabile, faciendi contra legem Dei: cùm hâc ratione sublatâ, sublato (inquam) periculo, etiam minùs probabili, faciendi contra legem Dei, in materia justitiæ & Sacramentorum, sequi nos non oporteret partem tutiorem, dum minùs probabilis est. Atqui per se manifestum est, quòd ratio illa locum habeat in omni materia, ubi solùm est periculum, etiam minùs 985

probabile faciendi contra legem Dei. Igitur in omni materia, ubi periculum est, etiam minùs probabile, faciendi contra legem Dei (etiamsi nullum sit periculum damni, vel nullitatis Sacramenti) periculum illud est cavendum. Et qui non cavet, formâliter peccat, non materialiter dumtaxat; sicut qui non cavet periculum minùs probabile damni, vel nullitatis Sacramenti. Cùm æquè voluntariè faciat contra legem Dei. Quemadmodùm enim periculum faciendi Sacramentum irritum, vel inferendi damnum, eo ipso formale est, quo voluntarium; & eo ipso voluntarium, quo probabiliter cognitum; ita periculum faciendi contra legem Dei, eo ipso formale est, quo voluntarium; & eo ipso voluntarium, quo probabiliter cognitum. Atqui formaliter peccat, qui voluntariè se exponit formali periculo, licèt minùs probabili, peccati.

986 Septima ratio: dum Probabilioristæ asserunt, non peccare eum, qui sequitur opinionem probabiliorem de licito; vel opinionem probabiliorem accipiunt pro ea quam ipse operans probabiliorem judicat; vel quam alii communiùs judicant talem; vel quam ipse & alii? Nihil horum asseri potest. Non primum, quia aliàs sua cuique opinio in praxi licita foret: cùm sua cuique opinio probabilior sit, & talis prudenter judicetur, dum prudenter judicatur vera. Istud verò asseri non posse, satis constat ex omnibus authoritatibus, & rationibus allatis contra licitum usum opinionis cujuscumque probabilis; quarum nulla est quæ aliquibus probabilior, & vera non videatur, & prudenter opinione ipsorum talis judicetur. Non etiam secundum, quia inde consequens foret, licitè à nobis fieri posse, quod ipsimet judicaremus legi Dei contrarium, dummodò cognosceremus ab aliis communiùs aliter judicari. Non denique tertium: aliàs quælibet opinio, saltem communior, licitè practicari posset, ab iis omnibus, quorum opinio est. Cujus oppositum constat, tum ex omnibus argumentis hactenùs deductis. Tum ex tot opinionibus ab Innocentio XI. proscriptis, quarum plurimæ, ante suam condemnationem, uti communes docebantur, veræque & in praxi tutæ existimabantur; reverà tamen in praxi erant perniciosæ & scandalosæ, nec proinde in praxi licitæ, ne iis quidem, qui eas pro veris habebant. Quòd enim ante suam condemnationem in praxi fuerint perniciosæ ac scandalosæ, manifestum est ex hoc quòd Pontifex per Decretum suum tales non fecerit; sed tales declaraverit, quales reverà erant.

987 Octava ratio: si usus opinionis probabilioris de licito securum redderet agentem secundùm illam, tametsi reverà contra legem æternam; in tanta multitudine opinionum probabiliorum, quas humana solertia & subtilitas excogitavit, valdè ampliaretur & dilataretur via salutis, quam suprema Veritas Deus valdè arctam esse definivit, prout in simili argumentatur S. Bonaventura in 2. dist. 41. a. 1. q. 3. in corp. Atqui (ut benè Sinnichius in Vindic. Decal. c. 8. §. 2. n. 4.) *tam non potest humana solertia ad semitam cæli adjicere digitum unum latitudinis, quàm non potest ad staturam hominis adjicere cubitum unum longitudinis*, Matth. 6. *Etenim qui vitæ hominis constituit terminos qui præteriri non poterunt*, Job. 14. *ipse constituit viæ cæli terminos qui contrahi non poterunt, nec ampliari. Lex ergo divina est regula justitiæ infallibilis, non nostra argutosa opinio*, etiam probabilior, *quam nostram opinionem appellamus* (ait rursus Bonaventura l. 2. de profectu Relig. c. 41.) quia opinio quæcumque, etiam probabilior & probabilissima, obnoxia est errori ac falsitati. In materia verò morum necessaria, *siquid fuerit erratum, vita omnis evertitur*, ait Lactantius l. 3. c. 7. quia scilicet à regula infallibili justitiæ receditur, & opinione falsâ homo decipitur. Non inveniet ergo vitam, sed mortem, eodem Lactantio c. 13. proclamante: *In æternum stultitiæ pœna subeunda est, si.... opinio falsa deceperit.* Cui concinere videtur Augustinus l. de catechis. rudib. c. 25. *Cùm videris multos, non solùm hæc* (legi divinæ contraria) *facere, sed etiam* tamquam probabiliùs licita *defendere atque suadere, tene te ad legem Dei, & non sequaris prævaricatores ejus. Non enim secundùm illorum sensum* (seu argutosam opinionem, ut Bonaventura loquitur) *sed secundùm illius veritatem judicaberis.* Unde nec secundùm humanam opinionem, licèt visam probabiliorem, imò probabilissimam, judicatus est S. Severinus, sed secundùm divinæ legis veritatem: utpote quem speciosissima, quæ unquam excogitari potuerit, probabilitas non excusavit, ne acerbissimas Purgatorii flammas, pro non servato debito in horis dicendis tempore, diù experiretur, uti testatur Petrus Damiani Cardinalis doctissimus, sanctissimusque, opusc. 34. c. 5.

CAPUT LXXXIII.

Regula decima-quarta: nulla opinio falsa, legi naturali contraria, ipsius in praxi sequacem ex toto excusat à peccato contra legem, tametsi excuset à peccato contra conscientiam, dum post debitum examen apparet ipsi adeò vera, ut opposita non videatur probabilis.

988 Esse doctrinam expressam S. Thomæ §. 3. demonstrabitur; sect. verò 4. ostendetur esse S. Raymundi & S. Antonini, præcipuorumque Theologorum antiquorum; nec dubium est esse omnium, qui docent nullam ignorantiam à peccato contra legem naturalem totaliter excusare agentem contra illam, nominatim S. Facultatis Theologicæ Lovaniensis in articulis Innocentio XI. præsentatis (quorum doctrina, post districtum biennii examen, ab omni censura semel iterùmque judicata est immunis) Sinnichii in Vindiciis Decalogicis c. 8. & 9. Sanbovii (Doctoris Sorbonici) to. 2. tit. de probabilit. casu 194. Comitoli è Soc. Jesu in respons. moral. l. 5. per plura capita.

Merendæ in doctissimo suo adversus probabilitatem volumine. Contensoni to. 3. dissert. 6. c. 1. q. 5. Jacobi à S. Domin. in suis Elucidat. Apologeticis Moralis Christianæ circa delect. opin. pag. 211. 240. & seqq. usque ad 274. Natalis Alexandri Theol. Dogm. to. 7. p. 161. Norberti Delbecque dissert. Theol. de advert. necess. ad peccand. pag. 217. Antonii Charlasii in sua disput. Theol. de opin. delect. (in Typographia Camer. Apost. anno 1695. Romæ impressa, & à Magistro S. Palatii Apostolici approbata) cap. 21. & seqq. Cujus libri doctrinam optimam censuit Josephus de Alfaro è Soc. Jesu Pœnitentiariæ Theologus in approbatione ei præfixa. Est denique totius penè Ecclesiæ Gallicanæ, in Censura Apologiæ Casuist. Signanter Eminentiss. D. Cardinalis Forbinii de Janson, Episcopi Bellovacensis, tunc Dinensis, Vantadurii Archiepiscopi Bituricensis, Gondrini Archiepiscopi Senonensis, Godæi Episcopi Vencensis, &c.

Sectio I.

Assertio probatur ex Scriptura.

989 PRobatur itaque assertio 1°. ex eo quòd solâ nos demùm veritate liberandos asserat Scriptura Joan. 8. *Veritas liberabit vos.* Psal. 118. solam veritatem nos ad Deum ducere: *omnes viæ tuæ veritas.* Nulla ergo opinio falsa nos ad Deum ducit. Aliàs verè non diceretur omnem viam ad Deum ducentem esse veritatem. Eccli. quoque 37. *Ante omnem actum nostrum*, non solùm requiritur *consilium stabile*, sed & *judicium verax.*

990 2°. quisquis opinionem falsam, etiam sibi visam moraliter certam, sequitur contra legem Dei æternam, cæcus est: utpote verum lumen, æternam utique veritatem, non cernens; cæcumque sequitur ducem, videlicet humanam rationem vel authoritatem errantem. At verò *si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.* Matth. 15.

991 3°. Psal. 118. scriptum est: *Non enim qui operantur iniquitatem, in viis ejus ambulaverunt.* At quisquis operatur aliquid contra legem Dei æternam, operatur iniquitatem. Operatur namque peccatum (utpote quod nihil aliud est nisi *dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam*, uti cum S. Augustino Theologi omnes definiunt) nec dici potest solùm operari peccatum materiale. Cùm ipsum à formali peccato non excuset invincibilis ignorantia contrarietatis ad legem æternam, nisi sit invincibilis. Invincibilem verò non dari probavimus libro præcedenti.

992 4°. *est via quæ videtur homini justa; novissima autem ejus deducunt ad mortem.* Proverb. 14. Ergo securus esse non potest, qui eo ipso sequitur lumen fallax, quo falsitas contra legem æternam ipsi exhibetur similitudine veritatis inducta: aliàs lumen illud fallax (velut ignis fatuus) non deduceret in mortis præcipitium, uti Sapiens asserit.

993 5°. si opinio falsa, visa moraliter certa, à peccato contra legem æternam totaliter excusaret agentem contra illam, excusasset Judæos, uxores suas, dato repudii libello, dimittentes, dum malè cum ipsis conveniebant. Cùm id sibi certò licitum cum Doctoribus suis existimarint; eò quòd id ipsis Moyses permisisse videretur. At quia id solùm ipsis permisit ad duritiam cordis, ut Christus ait Matth. 19. partim ex istis Christi verbis, partim ex eo quòd Salvator intulit, dimissam taliter uxorem, ab altero sine adulterio duci non posse (quod & Moyses satis significaverat Deuteron. 24.) sancti Patres constanter tradiderunt, dimissionem illam (excepto casu adulterii) seu repudium uxorum Judæis licitum non fuisse, nec ipsos à peccato contra legem naturalem ex toto excusatos fuisse. Videri potest Augustinus l. 1. de serm. Dom. in Monte c. 14. qui etiam in Psal. 108. Judæos per legem talionis nunquam à peccato totaliter excusatos fuisse censet, dum legis istius verba, Doctorumque suorum interpretationem in ulciscendis injuriis secuti sunt: quorum proinde prætensam justitiam, *oculum pro oculo, dentem pro dente*, &c. *justitiam injustorum* vocat.

Sectio II.

Probatur ex Patribus, & Sanctorum exemplis.

994 SExtò divinis Scripturis consonant Patres. Imprimis Tertullianus de spect. c. 20. hisce verbis: *Erramus, nusquam & nunquam excusatur quod Deus damnat. Nusquam & nunquam licet, quod semper & ubique non licet. Hæc est veritatis integritas, & quæ ei debetur disciplinæ plenitudo, & æqualitas timoris, & fides obsequii; non mutare sententiam, nec variare judicium. Non potest aliud esse, quod verè quidem est bonum, seu malum. Omnia autem penes veritatem Dei fixa sunt:* Penes veritatem (inquit) non penes Ethnicos, nec Probabilistas, nec Probabilioristas, veritatem Dei pro Regula unica non habentes. Nam Ethnici, quos penes nulla est veritatis plenitudo (quia nec Doctor veritatis Deus) malum ac bonum pro arbitrio ac libidine (sicut & Probabilistæ, &c. pro opinione visa sibi probabili vel probabiliore interpretantur.) Non mirum proinde quòd apud ipsos alibi bonum, quod alibi malum, & alibi malum, quod alibi bonum.

995 7°. Origenes l. 1. contra Celsum cap. 2. *Communis omnium sensus præsumptionem de morali disciplina juris* naturalis *habet insitam. Quapropter non est mirandum, Deum, eorum quæ per Prophetas & Servatorem docuit, semina indidisse omnium mortalium animis, ut in divino judicio sit inexcusabilis, habens mandatum legis scriptum in suo corde.* Nihil ergo, factum contra naturæ legem, innoxium agnoscit: quia nullam istius legis ignorantiam excusantem agnoscit.

996 8°. Lactantius l. 3. c. 13. *Ne trahamur authoritate cujusquam, sed veritati potiùs faveamus, & accedamus. Nullus hic temeritati locus est: in æternum stultitiæ pœna subeunda est, si aut persona inanis, aut opinio falsa* (non dicit, si opinio hæretica, vel Religioni patenter adversa, sed si opinio falsa) *deceperit.* Quia, uti dixerat c. 7. in iis quæ veritati æternæ contraria sunt, *nullus* errori excusanti *est locus..... quia siquid fuerit erratum, vita omnis evertitur.*

997 9°. Nazianzenus orat. 27. *Veritatem..... solùm curo. Hoc enim vel me condemnaverit, vel absolverit... Quid aliis videatur, nihil ad nos.... An iis qui vertigine correpti sunt, terra fixa & stabilis esse videtur? An ebriis sobrii integrâ mente esse, ac non potiùs in caput incedere, ac sursum deorsumque moveri? An non quibusdam interdum hominibus, mel amarum est, nempe morbo laborantibus, maleque affectis? At non propterea res ita se habent,* &c.

998 10°. Augustinus, tametsi subinde certum ipsi videretur, quod aliis tradebat, non ideò sequacibus suis coram Deo securitatem polliceri audebat: *Ecce* (inquit) *dat tibi securitatem procurator. Quid tibi prodest, si pater-familias non acceptet? Procurator sum, servus sum..... Securitatem tibi procurator dedit. Nihil valet securitas procuratoris*, si erraverit, & errare te fecerit à via æternæ veritatis. *Utinam Dominus tibi securitatem daret* (qui errare non potest) *& ego te sollicitum facerem: Domini enim securitas valet, etiamsi nolim; mea verò nihil valet, si ille noluerit. Quæ est autem securitas, fratres, vel mea, vel vestra, nisi ut Domini jussa intentè diligenterque audiamus, & promissa fideliter expectemus?* Hom. 11. inter 50. nunc serm. 40. *Nisi secundùm æternæ* justitiæ *regulam, homo direxerit actus suos, in errorem iniquitatis impingitur.* Serm. 44. de divers. Quod usque adeò extendit, ut in Ps. 64. à noxa ne quidem excuset puerum, qui natus & educatus inter paganos, majorum authoritate & consuetudine deceptus, sine mali suspicione colit idola: *Quid faceret puer natus inter paganos, ut non coleret lapidem, quando illum cultum insinuaverunt parentes ejus? Inde prima verba audivit, illum errorem cum lacte suxit. Et quia illi qui loquebantur, majores erant, & puer, qui loqui discebat, infans erat, unde poterat parvulus, nisi majorum authoritatem sequi, & id sibi bonum ducere, quod illi laudarent?* Vult nihilominùs Augustinus tales, ad Christum conversos, de eo veniam à Domino deprecari, cum Psalmista dicendo: *Sermones iniquorum prævaluerunt super nos, & impietatibus nostris tu propitiaberis.*

999 11°. Fælix III. epist. 7. *Sciat quòd se decipit ipse qui fallit, nihilque per nostram facilitatem tribunalis excelsi judicio derogari, cui illa sunt rata, quæ vera, quæ justa sunt*, id est quæ legi æternæ conformia, *non quæ difformia*, etsi per errorem nostrum certò credita conformia.

1000 12°. Gregorius Magnus l. 1. Moral. c. 2. *Nonnulli ita sunt simplices, ut rectum quid sit ignorent; sed eo vera simplicitatis rectitudinem deserunt, quo ad virtutem rectitudinis*, per conformitatem ad legem æternam, *non assurgunt; quia dum cauti esse per rectitudinem nesciunt* (falsâ rectitudinis persuasione decepti) *nequaquam innocentes persistere per simplicitatem possunt.*

1001 13°. Bernardus l. de præcept. & dispens. c. 14. alludens ad verbum Christi, *si oculus tuus fuerit simplex*, &c. *Ut interior oculus verè sit simplex, duo illi arbitror esse necessaria, charitatem in intentione, & in electione veritatem... Et nescio quemadmodùm judicio veritatis, vera esse possit cum falsitate simplicitas.... Quomodò denique verè simplex erit oculus cum ignorantia veritatis? & ut verò vera potest dici simplicitas, quam simplex ignorat veritas? Cur, inquis? Numquid non ex fide? Prorsus ex fide, sed falsa. Vel potiùs non ex fide: quia fides falsa, fides non est. Denique de fide vera, non falsa, putò dixisse Apostolum:* "Omne quod non est ex fide, peccatum est. " *Non autem ex fide vera bonum creditur, quod malum est. Est enim falsum. Peccatum igitur est. Utrumque proinde complectitur præsens capitulum:* "Omne quod non est ex fide, peccatum est; " *& cæcam videlicet malitiam, & deceptam innocentiam. Quia quod à nesciente fit, & bonum prorsus condemnat intentio prava; & malum non penitùs* (id est non ex toto) *excusat recta. Sive itaque malum putes bonum, quod fortè agis; sive bonum, malum quod operaris, utrumque peccatum est: quia neutrum ex fide.* Cùm ergo, judicio veritatis, verè simplex non sit oculus, ex falsa persuasione bonum putans malum, vel contrà, & ubi oculus non est verè simplex, corpus, sive opus tenebrosum sit, Matth. 6. & Luc. 11. Cùm etiam omne quod non est ex fide vera, peccatum sit; nec per ignorantiam excusetur (quia, ut Bernardus ait: *Quomodò verè simplex erit oculus cum ignorantia veritatis?.... Scriptum est enim* 1. Cor. 14. *ignorans ignorabitur*) in eo qui contra legem æternam agit, ignorantiam à toto excusantem Bernardus non admittit.

1002 14°. Venerabilis Petrus Cantor, insignis Doctor Parisiensis, in opinione sanctitatis anno 1197. mortuus, in verbo suo abbreviato c. 80. docet, actus nostros legi æternæ conformandos esse, cujus verba *spiritus & vita sunt*, Joan. 6. cujus *præceptum lucidum, illuminans oculos*, Psal. 18. & *fidelia omnia mandata ejus, confirmata in sæculum sæculi, facta in veritate & æquitate*, Ps. 110. adeò proinde immutabilia, ut nullæ opiniones & interpretationes hominum aliquam eis mutationem afferre queant, nec eorum rigorem relaxare. Doctores autem relaxantes rigorem mandatorum illius Eunuchos vocat, & *effeminatos, eunuchizantes quod virile & robustum est, in via Domini; contra quos invehitur Isaias*, &c. Verba ipsius habes Prolegomeno 1. num.....

1003 Denique, quòd nulla opinio secundùm se

falſa, legique æternæ contraria, totaliter excuſet à peccato, adeò perſuaſum fuit Sanctis omnibus, ut ſemper pavidi fuerint, ne falſum pro vero ſequendo peccarent; ideòque Job *verebatur omnia opera* ſua. David poſtulabat, *ab occultis ſuis mundari.* Et Apoſtolus ipſe dicebat: *Nihil mihi conſcius ſum; ſed non in hoc juſtificatus ſum.* Et *hoc* (ait Chryſoſtomus homil. 6. in Matth.) *dixit ille, qui conſcientiam ſuam jugiter ponderabat, quique maximâ ſcientiæ luce refulgebat.* Enimverò *ſciunt ſancti viri* (inquit Gregorius Magnus l. 5. Moral. c. 6.) *quia corruptionis adhuc pondere gravati, dijudicare bona ſubtiliter neſciunt, & cùm ante oculos extremi examinis regulam deducant, hæc ipſa in ſe nonnunquam, & quæ approbant metuunt.* Etiam illa quæ ipſis videntur certò bona. Neque enim ſine conſcientia viſa ſibi moraliter certa agunt, qui nihil conſcientiâ vacillante agunt, ne probabili ſe contra legem æternam agendi periculo exponant. Timuerunt ergo Sancti contra legem æternam per occultos irretientis amoris proprii laqueos, offuſaſque alicujus erroris tenebras peccare, etiam dum certò moraliter putabant ſe contra eam non peccare. Non timuiſſent autem, ſi per opinionem, viſam ſibi moraliter certam, à peccato ſeſe omninò ſecuros credidiſſent. Id ergo non crediderunt, ſed in ſola veritate legis æternæ ſecuritatem collocarunt. Quam veritatem ut aſſequerentur, *vigiliis continuis excubarunt, ne opinio veriſimilis falleret, ne deciperet ſermo verſutus, ne ſe tenebræ alicujus erroris offunderent, ne quod bonum eſt, malum, vel quod malum eſt, bonum eſſe crederent*, inquit Auguſtinus l. 22. de Civit. Dei c. 23. Et poſt hæc omnia, adhuc veriti ne à veritate aberraſſent, cum metu & tremore ſalutem ſuam operantes, ſiquando à veritate ſe aberaſſe cognoſcebant, humili confeſſione, lachrymis, caſtigationibuſque voluntariis eluere ſtudebant, quæ ignorantes commiſerant, quæ omni nos fortè culpâ caruiſſe arbitraremur.

1004 Iſtam Sanctorum agendi rationem negare, eſt magnam ipſis detrahere humilitatis & vigilantiæ partem. Nec tamen, quia cum Apoſtolo Paulo conſcientiam ſuam non crediderunt omnimodè ſecuram actionum ſuarum regulam, niſi quatenùs legi æternæ conformis eſſet, ſine conſcientiæ pace vixerunt. Hanc quippe in ipſis operabatur, qui teſtimonium perhibebat ſpiritui ipſorum, quòd eſſent filii Dei, ipſoſque docebat *exultare cum tremore*, ita ut cum Pſalmiſta dicere poſſent, *pax multa diligentibus legem tuam.* Tametſi pax iſta non eſſet ſine filiali timore, de quo antè.

Sectio III.

Exhibetur doctrina expreſſa S. Thomæ pro aſſertione.

1005 Sanctus Thomas quodlib. 8. a. 13. in diviſione quæſtionis generaliter quærit: *utrùm quando ſunt diverſæ opiniones de aliquo facto* (an ſcilicet licitum ſit, vel illicitum) *ille qui ſequitur minùs tutam peccet, ſicut de pluralitate præbendarum?* Non autem ſpecialiter, *utrùm ille qui habet plures præbendas peccet?* Tametſi enim titulus iſte ante articulum ipſum legatur, in antiquis editionibus non invenitur, in quibus articulorum tituli ante articulos ſingulos non inveniuntur, ſed in quæſtionis diviſione. Per conſequens poſterior titulus iſte appoſitus non eſt à ſancto Doctore, ſed ab alio aliquo.

Itaque S. Doctor examinans, an peccet qui 1006
ſequitur opinionem minùs tutam, dum de facto aliquo diverſæ ſunt Doctorum opiniones, pro reſolutione ſex præmittit regulas.

Prima eſt hæc: duobus modis peccari poteſt; uno modo faciendo contra legem. Alio 1001
modo faciendo contra conſcientiam, etſi non contra legem. *Reſpondeo* (inquit) *dicendum, quòd duobus modis aliquis ad peccandum obligatur*, id eſt peccato ligatur: *uno modo faciendo contra legem, ut cum aliquis fornicatur: alio modo faciendo contra conſcientiam, etiamſi non ſit contra legem; ut ſi conſcientia dictat alicui, quòd levare feſtucam de terra ſit peccatum mortale.*

Secunda regula: *illud quod agitur contra legem, ſemper eſt malum, nec excuſatur per hoc quòd eſt ſecundùm conſcientiam.*

Tertia: *ſimiliter quod eſt contra conſcientiam eſt malum, quamvis non ſit contra legem.*

Quarta: duobus modis peccatur contra conſcientiam, ſive, ut loquitur S. Doctor, *duobus modis ex conſcientia obligatur aliquis ad peccatum*: ſive utique *habeat certam fidem* (id eſt certam conſcientiam) *de contrario ejus quod agit: ſive etiam habeat opinionem, cum aliqua dubitatione.*

Quinta: *factum, quod nec contra conſcientiam, nec contra legem eſt, non poteſt eſſe peccatum.*

Sexta: *quando duæ ſunt opiniones contrariæ de eodem, oportet eſſe alteram veram, & alteram falſam.*

Hiſce præmiſſis generalibus regulis, ad quæ- 1007
ſtionem initio propoſitam reſpondet ſub diſtinctione: *Aut ergo ille qui facit contra opinionem Magiſtrorum* (*utpote habendo plures præbendas*) *facit contra veram opinionem?* Et ſic applicat ei ſecundam regulam, *cùm faciat contra legem* Dei, *non excuſatur à peccato, quamvis non faciat contra conſcientiam. Sic enim contra legem Dei facit. Aut illa opinio non eſt vera, ſed magis contraria, quam iſte ſequitur, ita quòd verè licet habere plures præbendas?* Et tunc ſubdiſtinguit: *quia aut talis habet conſcientiam de contrario*, id eſt de illicito; *& ſic iterùm peccat* (juxta regulam tertiam) *utpote contra conſcientiam faciens, quamvis non contra legem. Aut non habet conſcientiam de contrario, ſed certitudinem* de licito, ex principiis intrinſecis; *ſed tamen in quamdam dubitationem inducitur* ab extrinſeco, *ex contrarietate opinionum* (ob authoritatem utique aliquot

Magistrorum, contradicentium opinioni de licito, quam ex principiis intrinsecis certam existimat) *& sic si, manente dubitatione, plures præbendas habet, periculo se committit* (faciendo id de quo dubitat an non sit peccatum) *& sic procul dubio peccat: utpote magis amans beneficium temporale, quam propriam salutem:* salutem enim pro beneficio temporali, periculo non committeret, nisi istud magis amaret. *Aut ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem inducitur; & sic non committit se discrimini, nec peccat*, neque contra legem: quia sequitur opinionem veram; neque contra conscientiam: quia sequitur opinionem, de cujus veritate nullam habet dubitationem, sed certitudinem. Et sic locum habet regula quinta.

1008 Verba illa S. Doctoris adeò lucida sunt, ut quantùmcumque laborent adversæ opinionis defensores, nunquam efficere queant, ut ipsis manifestè non adversentur. Quia S. Doctor repellit omnes distinctiones & subtilitates, quibus se tueri conantur.

1009 Primò namque quæstionem juris tractat, non facti, videlicet *utrum quando sunt diversæ opiniones de aliquo facto, ille qui sequitur minùs tutam peccet?*

Secundò generaliter, & absque exceptione ulla, in secunda Regula dicit, *quod agitur contra Dei legem* (æternam utique) *semper esse malum, nec excusari per hoc quod est secundùm conscientiam.* Unde, cùm generaliter & absque exceptione nos accipere oporteat, quod S. Doctor generaliter & absque exceptione expressit (uti probavimus Proleg. 2. c. 14.) manifestè conficitur, juxta regulam illam S. Doctoris, id quod agitur contra legem Dei æternam, nunquam excusari à peccato formali per ullam ignorantiam, seu conscientiam errantem. Per consequens nullam à S. Doctore admitti legis æternæ, seu naturalis ignorantiam, nec conscientiam erroneam excusantem. Nullam proinde ignorantiam invincibilem, nec conscientiam invincibiliter errantem, prout lib. præcedenti ostendimus ex opusculo ipsius de 10. præceptis. Si enim ignorantiam legis invincibilem, conscientiamque circa eam invincibiliter errantem admisisset, ignorantiam excusantem admisisset. Per consequens generaliter & indistinctè non pronuntiasset: *Quod agitur contra legem Dei* (æternam) *semper est malum, nec excusatur per hoc quòd est secundùm conscientiam*; sed duplicem conscientiam cum adversariis distinxisset, vincibiliter & invincibiliter errantem; quemadmodùm in quarta Regula duplicem conscientiam distinxit, certam & opinativam. Non distinxit autem. Quia conscientiam, in iis quæ contra legem æternam & naturalem aguntur, vincibiliter errantem non agnovit. Et ideò generaliter, & absque distinctione, vel exceptione dixit (quod alioqui sine distinctione non dixisset) id *quod agitur contra legem* Dei æternam, *semper esse malum*; formaliter utique, uti constat, tum ex eo quod proximè subjunxit, *nec excusatur per hoc quòd est secundùm conscientiam*: verba quippe ista, in malo, seu peccato formali, locum habent, non in materiali: utpote quod semper excusationem habet, dum sejunctum est à formali. Tum ex eo quod sequitur in textu S. Doctoris: *& similiter quod est contra conscientiam est malum, quamvis non sit contra legem:* ubi dubium non est ipsum loqui de malo formali. Adverbium autem *similiter* indicat de eodem malo sermonem esse in textu superiori. Denique titulus quæstionis, & totus contextus S. Doctoris, est de peccato formali, ut constat ex regulis 1. 2. 3. 4. & 5.

Tertiò, quòd S. Doctor generaliter dicendo, id *quod agitur contra legem, semper esse malum*, &c. de lege æterna seu naturali loquatur, constat ex eo quòd in ea sola exemplificet, in Regula sua prima dicendo: *Duobus modis aliquis ad peccatum obligatur; uno modo faciendo contra legem*, UT CÙM ALIQUIS FORNICATUR. Unde nec beneficiorum pluralitatem censet semper esse malam, nisi quando per eam lex naturalis violatur, ut patet tum ex eo quòd concludat, eum qui plures habet præbendas, contra veram opinionem Magistrorum, peccare, ex eo quòd faciat contra legem Dei, naturalem utique: cùm in lege Dei scripta nihil determinatum inveniatur de præbendarum pluralitate. Tum ex quodlib. 9. a. 15. ubi dicit, quòd *in jure divino* positivo *nihil de ea invenitur determinatum expressè: cùm in S. Scriptura expressa mentio non fiat.... determinando verò eam secundùm jus naturale, sic videtur ad præsens de ea dicendum*, &c. 1010

Quartò, quòd si Doctor non solùm loquatur de iis quæ aguntur contra legem naturalem, quoad universalia ipsius principia, vel ea quæ ex ipsis propinquè & manifestè deducuntur; sed & de iis quæ solùm obscurè & remotè ex iis derivantur, manifestum est non solùm ex generalibus & indefinitis terminis, quibus utitur; sed & ex quæstione quam ibi tractat, an aliquando licitum sit plures habere præbendas? Cujus profectò quæstionis resolutio, tempore S. Thomæ, erat adeò difficilis, obscura, & controversa, ut circa eam invenirentur Theologi Theologis, & Juristæ Juristis contraria sentire, uti citato quodlib. 9. testatur. 1011

Quintò, ex his conspicuum est, S. Doctorem non loqui de solis casibus, in quibus contra Dei legem agitur adversus manifestum Scripturæ testimonium, sive contra id quod publicè tenetur secundùm Dei authoritatem. Cùm quæstio de præbendarum pluralitate non esset in Scriptura sacra manifestè determinata, neque per Ecclesiæ authoritatem definita, sed tam obscura & difficilis, ut circa eam invenirentur Theologi Theologis contraria sentire, &c. 1012

Sextò, quòd etiam S. Doctor non solùm 1013

velit,

velit, ea quæ aguntur contra naturæ legem, non excuſari per hoc quòd ſint ſecundùm conſcientiam opinativam; excuſari verò, ſi ſint ſecundùm conſcientiam certam (prout aliqui putant, aientes interpretationem iſtam eſſe ſecundùm ſubjectam materiam, ſecundùm utique quod poſtulat titulus quæſiti) multipliciter oſtenditur alieniſſimum eſſe à mente S. Doctoris.

1014 Nam imprimis S. Thomas generaliter & indefinitè dicit, non excuſari per hoc quòd ſint ſecundùm conſcientiam. Ergo interpretes illi verba ipſius arbitrariè reſtringunt ad conſcientiam opinativam, dum S. Doctor non reſtringit; nec reſtringi ſubjecta materia exigit. Subjecta namque materia, ſeu quæſiti titulus eſt generalis, *utrùm quando ſunt diverſæ opiniones de honeſtate alicujus facti, ille qui ſequitur minùs tutam peccet, v. g. plures habendo præbendas*, uti num. 1004. vidimus. Circa iſtud verò generale quæſitum, non obſtante opinionum diverſitate, tam intervenire poteſt conſcientia certa, quàm opinativa, uti manifeſtum eſt ex regula 4. S. Doctoris; necnon ex eo quòd plerique conſcientiam habeant viſam ſibi moraliter certam (tametſi erroneam) de honeſtate pluralitatis beneficiorum. Quæſtioni proinde generaliter à ſe propoſitæ S. Doctor adæquatè non ſatisfeciſſet, ſi tam conſcientiam certam, quàm opinativam, in generalitate verborum ſuorum complexus non fuiſſet.

1015 Deinde, ſi circa ea quæ contra legem aguntur ſecundùm conſcientiam, S. Thomas diſtinguendum cenſuiſſet inter conſcientiam certam, & opinativam, hanc ab illa diſtinxiſſet regulâ 2. prout regulâ 4. diſtinguit, loquendo de iis quæ contra conſcientiam aguntur. Atqui non diſtinxit, ſed generaliter ſancivit, ea quæ contra legem æternam aguntur, etſi ſecundùm conſcientiam, ſemper eſſe mala. Ergo diſtinguendum non cenſuit.

1016 Denique, juxta regulam 2. S. Thomæ, datur caſus, quo agens contra legem æternam, non agit contra conſcientiam. Non daretur autem, ſi regula 2. reſtringenda foret ad ſolum caſum, quo agens contra legem æternam, agit contra conſcientiam opinativam. Quia quiſquis ſecundùm conſcientiam opinativam agit contra legem æternam, ſic putat probabiliter id quod agit non eſſe contra Dei legem, ut etiam putet oppoſitum eſſe probabile: agit ergo cum aliqua dubitatione, ſeu probabili formidine de oppoſito. Ergo ſcienter exponit ſe probabili periculo agendi contra legem æternam. At verò contra conſcientiam peccat, qui ex probabilitate contrariæ opinionis in quamdam dubitationem inducitur, ſi manente dubitatione plures præbendas habet: quia periculo ſe committit, ait S. Doctor. Igitur quiſquis ſecundùm conſcientiam ſolùm opinativam (ſeu probabilem) agit contra legem æternam, non ſolùm peccat contra Dei legem, ſed & contra conſcientiam. Et ſic non datur caſus, quo contra Dei legem peccans, non peccet contra conſcientiam, ſi regula 2. reſtringenda ſit ut ſuprà.

Quamobrem non video, quâ viâ Adverſarii elabi poſſint ex teſtimonio tam manifeſto S. Thomæ, cùm effugia omnia ipſorum manifeſtè præcludat. Unde meritò in 6. Ethic. lect. 2. ad electionem rectam contentus non eſt appetitu recto, ſed & rationem ſeu conſcientiam veram, id eſt legi Dei æternæ conformem requirit, dicens: *Quia ad electionem concurrit & ratio, & appetitus; ſi electio debeat eſſe bona (quod requiritur ad rationem virtutis moralis) oportet quòd & ratio ſit vera, & appetitus ſit rectus.* 1017

Sola proinde lex Dei æterna eſt actionum noſtrarum regula certa & infallibilis; conſcientia verò noſtra ſolùm eſt regula ſecundaria: & ideò ſolùm eſt earum regula certa, ſecura, & infallibilis, quatenùs primariæ, ſeu legi æternæ conformis eſt, uti docet S. Thomas, ſequiturque ex iis quæ totâ hâc ſectione ex ipſo protulimus. Ideò etiam 1. 2. q. 19. a. 6. conformiter iis quæ dixit loco proximè citato ex l. 2. Ethic. docet, quòd *voluntas concordans rationi*, ſeu conſcientiæ humanæ, *non ſemper eſt recta: quia ratio humana non ſemper eſt concordans legi æternæ.* Et ad 1. *Bonum cauſatur ex integra cauſa, malum autem ex ſingularibus defectibus; & ideò ad hoc ut dicatur malum, id in quod fertur voluntas, ſufficit, ſive quòd ſecundum ſuam naturam*, ſeu per reſpectum ad legem naturalem, *ſit malum, ſive quòd apprehendatur ut malum. Sed ad hoc quòd ſit bonum, requiritur quòd utroque modo ſit bonum*, ſive quòd & legi æternæ conſentaneum ſit, & rationi ſeu conſcientiæ humanæ. Ideò denique ipſe etiam Apoſtolus ait: *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum.* Et S. Bonaventura l. 2. de profectu Relig. c. 41. *Divina æſtimatio eſt regula juſtitiæ infallibilis; non noſtra arguioſa opinio, quam noſtram opinionem*, ſeu conſcientiam *vocamus.* 1018

Sectio IV.

Aſſertionem noſtram tradunt etiam S. Raymundus, S. Antoninus, & præcipui Theologi antiqui.

1019 SAnctum Raymundum pro Regula noſtra 14. ideò proferimus, quia licèt hanc ex profeſſo non verſarit quæſtionem, Regula tamen noſtra conſentanea videtur reſolutioni, quam in Summa de pœnit. & matrim. p. 2. tit. de præſcript. & uſucap. §. 33. facit, nimirùm, quòd is qui bonâ fide continuâ, juſto titulo, aliiſque circumſtantiis debitis, rem alienam completè præſcripſit, etiamſi credat ſe juſtè poſſidere, juris authoritate, nec habeat conſcientiam ſuper hoc remordentem, ipſique faveat conſuetudo univerſalis (cùm ſic videatur ſervari per univerſum Orbem, quocumque ſe diffundit Eccleſia) propter nonnul-

la tamen jura in contrarium, *non audeo* (inquit) *sibi dare securitatem, quòd sit in statu salvandorum, si non restituat; non audeo etiam præcisè definire eum teneri, vel esse propter hoc in statu damnandorum.* Censet ergo quòd ipsum securum non efficiat opinio sua probabilissima, si falsa sit; imò nec visa ipsi moraliter certa, partim ob jura ei faventia, partim ob praxim illam adeò universalem per omnem Ecclesiam.

1020 S. Antoninum pro se referre solent Probabilioristæ; intrepidè nihilominùs assero ipsum nobis, non ipsis, adstipulari in materia juris naturalis. Quia 2. p. Sum. tit. 8. c. 9. §. 2. expressè, & absque exceptione dicit, quòd *in his quæ sunt de jure naturali, vel divino, quantumcumque consuleretur homini ignoranti à peritissimis contrarium veritati, non excusaretur à peccato illud agendo. Quia in hujusmodi non potest habere locum ignorantia invincibilis, quoad habentes usum rationis.*

1021 Quid est ergo (inquies) quòd S. Antoninus ibidem 1. p. tit. 3. c. 10. §. 10. celebrem locum S. Thomæ, §. præcedenti relatum, de his interpretatur, ubi manifestè apparet ex Scriptura, vel Ecclesiæ determinatione, quòd sint contra legem Dei?

Respondeo, ideò esse, quia S. Antoninus ibi non tradit doctrinam, omnibus æquè proponendam, sed solis scrupulosis, ad aliquale ipsorum solatium. Quòd enim S. Thomas ibi loquatur, etiam de casibus difficilioribus, de quibus nihil manifestè patet ex Scriptura, vel Ecclesiæ determinatione, manifestum est ex dictis num. 1009. 1010. & 1011. Quia tamen scrupulosi (timentes timore, ubi non est timor) ex sibi proposita illa S. Thomæ doctrina facilè turbarentur, nec facilè inducerentur ad sequenda (ut ipsis convenit) Directoris sui consilia; ad qualecumque ipsorum solatium, nimiamque perturbationem avertendam, dixit, quòd securè sequi possint Directoris sui consilia, in his ubi manifestè non apparet ex Scriptura, vel Ecclesiæ determinatione, quòd sint contra legem Dei. Aliàs namque illa S. Thomæ explicatio manifestè repugnat clarissimo textui ipsius, uti vidimus. Nec vera est, sed apparens dumtaxat ratio, propter quam S. Antoninus S. Thomam sic glossat, quòd utique sibi S. Thomas contradiceret, nisi sic intelligeretur. Imò doctrina ipsius sibi per omnia constat, etiamsi sic non intelligatur. Et aliàs sibi non constaret, prout ex dictis constat; & ampliùs ex dictis libro præcedenti.

1022 S. Thomæ, S. Raymundo, S. Antonino concinunt ex eodem Prædicatorum Ordine Capreolus in 2. dist. 39. q. 1. Durandus apud ipsum (dicens quòd *si aliquis secundùm conscientiam errantem judicet, aliquid (quod est secundùm se illicitum) esse licitum, puta quòd licitum est furari à malis divitibus, ut detur bonis pauperibus, ... semper peccat faciens secundùm conscientiam erroneam, ex quo illud, quod ipsa dictat faciendum, est illicitum secundùm se.*) Petrus de Palude, Patriarcha Hierosolymitanus, in 3. distinct. 38. q. 1. conclus. 3. & in 4. dist. 25. q. 4. Cajetanus 1. 2. q. 76. Et quotquot libro præcedenti laudati sunt pro sententia nullam agnoscente ignorantiam invincibilem, nec proinde conscientiam invincibiliter errantem in jure naturæ. Pro qua apud Vasquez 1. 2. disp. 122. c. 1. stant Gratianus, Alensis, Bonaventura, Guilielmus Parisiensis, Altisiodorensis, Gabriel, Gerson, Adrianus VI. & Alphonsus à Castro.

Sectio V.

Rationes Theologicæ pro eadem.

PRima ratio: omne quod liberè fit contra legem æternam est peccatum formale. Sed omne quod liberè fit secundùm conscientiam falsam, etiamsi videatur probabilior, vel moraliter certa, si tamen conscientia illa revera dissideat à lege æterna, liberè fit contra legem æternam. Est ergo peccatum formale. Peccatum quidem: utpote quod nihil aliud est nisi *dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam.* Formale verò: utpote quod à peccato materiali solùm distinguitur penes agendi modum, quòd utique formale liberè, materiale non liberè fiat. 1023

Secunda ratio: *Omne quod non est ex fide, peccatum est:* Sed omne quod est ex fide, seu persuasione falsa, à lege æterna aberrante, non est ex fide. Quia *fides falsa, fides non est*, ait Bernardus n. 1001. laudatus. 1024

Tertia: nulla actio, veritati & legi æternæ contraria, est opus usquequaque bonum. Ergo omnis actio veritati æternæ contraria est opus aliqua saltem ex parte malum. Non enim datur actio indifferens inter bonum & malum. Quòd autem nulla actio, veritati & legi æternæ contraria, sit opus usquequaque bonum, dupliciter demonstratur, tum quia nulla actio veritati & legi æternæ contraria, est opus lucis: utpote contrarium luci æternæ, quæ est ipsa æterna veritas. Opera verò bona in divinis Scripturis vocantur opera lucis; mala, opera tenebrarum, qualia sunt quæ privata sunt luce æternæ veritatis. Tum quia nullum est opus usquequaque bonum, nisi ex gratia Spiritûs sancti: quidquid enim fit sine gratia illa, saltem aliqua ex parte noxium seu peccaminosum esse, ipsamet Ecclesia profitetur, dum canit: *Sine tuo Numine nihil est in homine, nihil est innoxium.* Nullum verò opus legi æternæ contrarium fit ex gratia: utpote quæ est ipsamet cognitio & amor veritatis. Vide dicta lib. 9. cap. 6. & seqq. 1025

Quarta: ratio, seu conscientia humana, non est regula voluntatis humanæ, nisi quatenùs conformis est legi æternæ, prout Theologi docent passim omnes, cum S. Thoma 1. 2. q. 19. a. 4. *Unde* (inquit) *in Psal. 4. dicitur: Multi dicunt, quis ostendit nobis bona? signatum est super nos lumen vultûs tui Domine: quasi diceret, lumen rationis, quod in nobis est,* 1026

in tantum potest nobis ostendere bona, & nostram voluntatem regulare, in quantum est lumen vultûs tui, id est à vultu tuo derivatum. Unde manifestum est, quòd multò magis dependet bonitas voluntatis a lege æterna, quàm à ratione humana; & ubi deficit humana ratio, oportet ad rationem æternam recurrere. Ergo ratio, seu conscientia humana falsa, seu divinæ rationi & legi æternæ contraria, efficere non potest, ut actio sive voluntas nostra, eidem legi contraria, sit bona, & non mala. Aliàs ratio seu conscientia humana foret regula bonæ actionis & voluntatis nostræ, independenter à conformitate cum lege æterna; adeòque verè S. Doctor non diceret 1°. quòd *ratio humana non est regula voluntatis humanæ, nisi quatenùs conformis est legi æternæ*; 2°. quòd *multò magis dependet bonitas voluntatis à lege æterna, quam à ratione humana.* 3°. quòd *ubi à veritate deficit humana ratio, oportet ad rationem æternam recurrere*, ad judicandum utique de bonitate voluntatis humanæ, si conformis sit legi æternæ; de malitia, si difformis. Nec verè etiam suprà num. 1017. dixisset, ad malitiam actûs sufficere, quòd vel sit contra legem æternam, vel contra conscientiam; ad bonitatem verò ipsius necessarium esse, quòd & legi æternæ, & rationi seu conscientiæ humanæ sit consentanea.

1027 Quinta: ad id ampliùs persuadendum, in supremo judicio hominum actus non judicabuntur secundùm regulam falsam, sed secundùm veritatem æternam; nec secundùm sermones, vel persuasiones hominum, sed secundùm Evangelium, juxta illud Joan. 12. *Sermo quem locutus sum vobis, ille vos judicabit in novissimo die.*

1028 Sexta ratio: Deus nullibi promisit securitatem, rationem vel conscientiam falsam sequentibus. Augustinus verò serm. 34. de divers. dispensatores serpentis vocat, quicumque promittunt, quod non promisit Deus.

1029 Septima: si sequens rationem, seu sententiam falsam, visam sibi certam, excusaretur à peccato, consequens esset probabilistas, quibus certum videtur non peccare, eum qui sequitur minùs probabilem & minùs tutam opinionem de licito, sententiam illam, tametsi falsam, legique æternæ contrariam in praxi sequendo non peccare. Nec peccavisse eos, qui in praxi secuti sunt plerasque opiniones ab Alexandro VII. & Innocentio XI. proscriptas, ante earum condemnationem. Quia ante eam à Probabilistis probabiles habebantur, adeòque (secundùm principia reflexa ipsorum) ipsis videbantur practicè certæ. Atqui practicum earum usum à peccato formali nemo unus excusare potest. Aliàs à peccato formali excusari posset practicus usus opinionum in praxi pernicioſarum. Quales fuisse opiniones illas, etiam ante Pontificiam condemnationem, certo certius est. Neque enim dicere quisquam (nisi stolidus) potest, quòd laudati Pontifices condemnatione suâ opiniones illas in praxi pernicioſas fecerint; imò prorsus asserendum, quòd ideò eas velut tales condemnaverint, quia antè tales erant. Si enim opiniones, anteà in praxi tutas, condemnatione suâ fecissent in praxi pernicioſas, condemnatione suâ plus mali, quàm boni fecissent: imò nihil boni, sed multum mali; viam cæli (anteà latiorem, nec ideò minùs tutam) arctiorem faciendo, nec propterea securiorem.

Quòd si Probabilioristæ negent, opiniones 1030
illas ante condemnationem fuisse probabiles, vel probabiliores; negent proinde fuisse practicè certas. Reponent Probabilistæ, probabilitatem relatè dici, & sibi ob Patronorum authoritatem vel probabiles visas esse, vel etiam probabiliores; sibi proinde (etsi non Antiprobabilistis) per principia reflexa practicè certas. Nec facilè eos Probabilioristæ convincent, nisi nobiscum fateantur, nec probabilem, nec probabiliorem falsam, seu legi æternæ reipsà dissentaneam, esse in praxi secutam, etiam iis quibus videtur moraliter certa.

Sectio VI.

Superior doctrina procul abest ab hac propositione per Alexandrum VIII. damnata: Non licet sequi opinionem, vel inter probabiles probabilissimam.

NOn semel observatum est in superioribus, 1031
eos qui Theologiæ Sanctorum contradicunt, Summorum Pontificum Decretis abuti, ut novitiis opinionibus suis, quibus Christianæ morum regulæ nimiùm relaxantur, colorem aliquem obducant. Non mirum proinde quòd pariter abutantur censurâ, quâ Alexander VIII. propositionem hanc proscripsit: *Non licet sequi opinionem, vel inter probabiles probabilissimam.* Quasi censurâ illâ S. Sedes probabilitatem, vel saltem probabilioritatem generatim approbaverit. Quia perperàm sic censent.

Primò, quia ex falsitate propositionis univer- 1032
salis, secundùm Dialecticæ Regulas, inferre non licet veritatem propositionis universalis contradictoriæ: cùm ad falsitatem propositionis universalis sufficiat quòd vel in uno casu sit falsa. Si enim vel unus homo non currat, falsum est quòd omnis homo currat. Dummodò ergo detur casus, quo opinionem inter probabiles probabilissimam sequi licet, falsum est universim asserere, quòd non licet sequi opinionem, vel inter probabiles probabilissimam. Atqui secundùm nos datur ejusmodi casus, & quidem satis frequens, uti proximè videbitur.

Secundò, ad hoc ut Episcopus v. g. licitè 1033
dispenset in lege jejunii, sufficit quòd ad id habeat causam valdè probabiliter sufficientem. Ad hoc ut subditus in non per se malis, Superiori obediat præcipienti, sufficit quòd secundùm opinionem valdè probabilem res præcepta sit licita. In multis etiam quæstionibus

de facto, ad divinam legem spectantibus, v. g. an quispiam ad sacram communionem satis sit dispositus, sufficit opinio de eo probabilissima, &c. Quæ profectò licita non forent, si vera foret negativa propositio damnata: utpote quæ cùm (ut jacet) universalis sit (utpote indefinita, nihilque excipiens) in rigore & proprio verborum sensu etiam ista negat esse licita. Et reverà ista illicita esse, ex superiori regula nostra Adversarii putant rectè inferri.

1034 Tertiò, aliquæ opiniones ad tam altum probabilitatis gradum ascenderunt, ut licèt scientiæ perfectionem non attingant, habeantur tamen quasi moraliter certæ, ita ut oppositæ opiniones non videantur morali consideratione dignæ. Tales verò opiniones Judex licitè sequitur in judicando, sicut & quilibet in operando, in materia saltem juris humani. Nam exempli gratiâ manè egredienti è territorio suo, in quo jejunium, ad aliud in quo non jejunatur, licitum est in isto territorio carne vesci.

1035 Et quamvis, in materia juris naturalis, opinio ejusmodi sequentem non excuset à peccato contra legem, si falsa sit; excusat tamen à peccato contra conscientiam, si post debitam inquisitionem videatur adeò gravibus nixa fundamentis, ut mens plenè judicet eam esse veram, nec ullum occurrat argumentum grave in contrarium.

1036 Quartò, certum est Alexandrum VIII. non condemnasse sententiam S. Thomæ sectione 4. exhibitam: utpote cujus doctrinam tutissimam inconcussamque Alexander VII. declaravit. Certum item, non voluisse quòd Probabilistis licitus sit, in materia juris naturalis, usus opinionis cujuscumque probabilis, tametsi usus iste videatur ipsis probabilissimè licitus. Aliàs licitum voluisset Probabilistis usum plurium opinionum in praxi perniciosarum, antequam tales ab Innocentio XI. declararentur, v. g. opinionis dicentis, præcepto communionis annuæ satisfieri per sacrilegam Corporis Domini manducationem: utpote quæ ipsis ante condemnationem adeò probabilis videbatur, ut opinio communis esset, teste Busembaum l. 6. tr. 3. c. 2. Istud autem asserere, quid aliud esset, nisi summos Pontifices inter se committere? quod profectò non licet.

CAPUT LXXXIV.

Regula decima-quinta, exponens, quænam è diversis opinionibus circà quæstiones morales eligenda sit.

1037 CUm ratio data sit homini, tamquam dux, ut ipsum dirigat ad verum finem suum ultimum, propter quem consequendum creatus est, in omnibus agendis primò considerandum est, utrùm actio, de qua deliberatur, ad Deum (qui solus est verus finis ultimus ipsius, & esse debet finis ultimus omnis actionis nostræ) conducat, vel ab eo abducat. Si abducat, omittenda est. Si conducat, necessariò facienda est, si ad eum finem necessaria sit necessitate præcepti; si ad eum facilius quidem & perfectiùs consequendum utilis sit, sed non præcepta, solùm facienda est ex consilio, secundùm cujusque vocationem, sicut suprà dictum est.

Secundò, ea proinde opinio, vel ex præ- 1038
cepto, vel ex consilio eligenda est, vel quam legi Dei consentaneam esse ratio naturæ vel fidei lumine illustrata certò judicat; repudianda verò quam constat ei adversari.

Tertiò, quando certum non est, sed pro- 1039
babile, actionem legi æternæ dissentaneam esse, omittenda est, nisi omissio etiam illius legi æternæ probabiliter dissentanea sit.

Quartò, in tali angustia, danda est opera, 1040
ut veritas cognoscatur: neque enim Deus sibi contrarius est, ut contraria præcipiat. Aliunde est adeò justus & bonus, ut si, quantam debemus, adhibeamus diligentiam, doceat nos quid eligere debeamus, nec sinat in eas nos angustias duci, ut necessariò peccemus, vel perplexi maneamus, nisi forte culpâ nostrâ.

Quintò, si adhibitâ diligentiâ anxietas per- 1041
sistat, è duobus malis, vel periculis, minus eligendum, sicut fit, dum de periculo perdendorum temporalium agitur. Nec tamen ex hoc plena semper habetur non peccandi securitas: cùm fieri possit, ut qui è duobus eligit quod sibi videtur minus malum, suâ culpâ judicet minus malum, quod reverà est majus; nec proinde ignorantia (utpote culpabilis) ipsum excuset. Propterea namque viri sanctissimi, tametsi magnâ sollicitudine peccandi pericula fugerent, securi non erant se in multis non peccare, sed anxii & timidi, uti de se Paulino aliquando scripsit Augustinus. *Quis vindicandi modus, non solùm pro qualitate & quantitate culparum, verùm etiam pro quibusdam viribus animorum? quàm profundum & latebrosum est! Ego in his quotidie peccare me fateor, & ignorare, quando quoquo modo custodiam id quod scriptum est:* " Peccan- "
tes coram omnibus argue, ut cæteri timorem "
habeant. "

Sextò, extra casum dictæ perplexitatis, 1042
quando deliberatio est, quænam opinio eligenda sit ex duabus, quarum una tuta est, altera non tuta, sive una stat pro lege contra libertatem, altera stat pro libertate contra legem; dum de lege æterna, seu naturali agitur, si post adhibitam diligentiam magnam, incerta maneat veritas, tutior opinio eligenda est; ab actione proinde abstinendum. Quia tunc locum habet effatum, non jure duntaxat Canonico consecratum, sed & jure naturali præscriptum: *In dubiis, seu incertis, ubi de salute æterna agitur, tutior pars est eligenda*; ad vitandum utique morale periculum violandæ legis æternæ; quod prudenter timetur, dum in contrarium securitas non habetur; uti non habetur in illa incertitudine; in qua meritò timetur, ne opinio stans pro li-

bertate decipiat sequentem. Cùm reverà ipsum decipiat, si falsa sit. Quia (uti cap. præcedenti S. Thomam docentem audivimus) nulla opinio falsa excusat agentem contra legem. Quod & pluribus argumentis ostendimus ibidem. Et ideò in ejusmodi incertis, Sanctorum exemplа & documenta nos docent, *eligendum certum, dimittendum incertum*; potiùsque eligendum id quod favet charitati, quàm quod cupiditati; potiùs id quod contrarium est propensioni naturæ corruptæ, quàm quod ipsi indulget. Tum quia sic & non aliter cavetur periculum violandæ legis æternæ. Tum quia nobis suspecta esse debet propensio & cupiditas nostra, ne caligare nos faciat ad meridiem lucis æternæ, dum ei favemus, potiùs quàm luminosæ charitati. Nam id Isidorus Pelusiota ait l. 4. epist. 25. *Commune hoc sanè malum esse videtur, ut homines..... sibiipsis excusationes defensioneſque quamlibet invitas accersant.* Quia, ut l. 5. epist. 234. dicit, *amor sui rectum labefactat corrumpitque judicium.* Et, ut Hieronymus epist. 247. *omnes homines vitiis nostris favemus.* Amor quippe noster est pondus nostrum, & eo ferimur, quò nos trahit; eo etiam trahitur intelligentia nostra, illud considerat, secundùm illud judicat. Qualis enim est unusquisque, talis ei finis videtur: Deus etiam *spargit pœnales cæcitates super illicitas nostras cupiditates*, ut Augustinus loquitur l. 1. Confess. c. 18. Et ista est ratio, propter quam venerabilis Petrus de Martyribus supra n. 976. dicit, quòd in supradictis dubiis, & incertis, id eligendum sit quod naturæ nostræ propensionibus & cupiditatibus adversatur, ac per consequens id potiùs quod favet charitati, quàm quod cupiditati, & potiùs id quod favet libertati nostræ spirituali, quàm quod carnali. Charitati verò, & spirituali nostræ libertati magis favet alligatura salutaris divinæ legis, quàm relaxatio illius: quia per eam remedium apponitur malis nostris, & periculis obviatur. At verò, juxta S. Thomam 2. 2. q. 60. a. 4. ad 3. *cùm debemus malis aliquibus adhibere remedium, sive nostris, sive alienis, expedit ad hoc ut securius remedium adhibeatur, quod* (in obscuris & incertis) *supponatur id quod est deterius*, seu naturæ nostræ & cupiditati carnalique libertati molestius.

1043 Nec obstant effata ista: *In dubiis odia restringenda, favores ampliandi. Benignior interpretatio facienda*, &c. Quia, uti Proleg. 1. c. 9. pluribus argumentis demonstravi, verè favorabilia & benigna sunt, quæ spirituali favent libertati; odiosa, quæ carnali. Per consequens favorabiliores benigniores que censendæ sunt opiniones, quæ (dum veritas incerta est) legi favent æternæ, seu naturali, quàm quæ favent libertati ei oppositæ. Nec certè eo ipso favorabile quidpiam existimare debet Christianus, quo carnali isti amicum est libertati; oppositum verò odiosum: imò favorabile potiùs quod ei favet libertati, ad quam ordinari debet tota vita Christiani, quæ est libertas à peccato. A quo quia nos liberat lex æterna, sollicitè observata, ac per consequens ab æterna nos liberat miseria, tametsi contraria sit libertati carnali, Matth. 11. vocatur *jugum suave*. Et vincula illius Eccli. 5. *alligatura salutaris.*

Et hinc septimò, in concernentibus legem 1044
æternam, tutiores quidem opiniones semper eligere non jubemur, sed veras, juxta illud Zachar. 8. *Veritatem diligite*: dum tamen assequi non possumus veritatem, sequi nos oportet opiniones tutiores, seu faventes legi: utpote unicè tutas, ut suprà visum est. Cæterùm ad assequendam veritatem tanta adhibenda est diligentia, quantam postulant rei ac negotii gravitas, deliberantisque facultas, & magnitudo mali, de quo vitando consultatur. Quod profectò est malorum omnium maximum, peccatum utique, per quod summam incurrimus miseriam, divinaque violamus præcepta, quibus servatis vitam consequeremur æternam, iis verò violatis infinitam offendimus majestatem Dei, qui potest & corpus & animam perdere in gehennam. Qua profectò ex parte nulla diligentia esse potest nimia. Unde sollicitissimè (absque scrupulo tamen) cavendum est, ne humanæ imbecillitatis specie aliquid negligamus: nam *ubi periculum majus intenditur, ibi procul dubio est pleniùs consulendum.* cap. 3. de elect. in 6.

Quia verò cæci sumus à nativitate, cæcita- 1045
tisque nostræ tenebras augent cupiditates, sedulò invocare nos oportet Spiritum sanctum, ut miseris det sapientiam & intellectum, dicendo cum Rege Josaphat: *Cùm ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te.* 2. Paralip. 20. 12. Et cum Psal. 142. *Dirige me in veritate tuâ* Estque hujusmodi oratio, & quidem assidua, iis etiam necessaria, qui se perspicacissimos arbitrantur: utpote qui frequenter præ cæteris cæci sunt. Unde Tob. 4. 20. Spiritus sanctus monet: *Omni tempore benedic Deum, & pete ab eo, ut vias tuas dirigat, & omnia consilia tua in eo permaneant.* Et Eccli. 37. *In his omnibus deprecare Altissimum, ut dirigat in veritate viam tuam.* Aliòqui non debet quis existimare, debitâ se diligentiâ usum, nec invincibiliter errare, si erret. Nam, ut sapienter Adrianus VI. quodlibeticâ q. 2. in 1. q. sine argum. ad 2. *nullus errat invincibiliter, nisi faciat quod in se est, ut ministerio hominum, vel internâ Dei inspiratione doceatur de veritate. Qui ergo in dubiis inquirit veritatem ab homine, etiam docto, non est tutus, nisi simul talem se exhibeat orationibus, & lachrymis, qui meritò instrui debeat de agendis, ubi defuerit humanum ministerium, &c. Unde, quod nobis miseris horribilissimum est, mittit sæpè Deus malos Doctores malis ex ira, ut vicissim per se, sicut justum est, pereant. Quod expressè fundari videtur in Scriptura Ezech. 14. ... Ex quibus facilè perpendere pos-*

sumus quàm parum tuti sumus, dum sequimur errorem Doctoris, non recurrendo animo contrito & humiliato ad Dominum, ut vias nostras dirigere dignetur. Consule epistolas S. Augustini & Innocentii Papæ, 90. 92. 93. 94. 95. in quibus ex Scriptura multipliciter ostenditur eadem necessitas orationis; ita ut certissimè errent Scriptores nonnulli, necessitatem illam solùm admittentes in casibus admodùm raris.

1046 Nec tamen sufficit orare, nisi exaudiendæ orationis impedimenta tollantur, inveniendæque veritatis media adhibeantur. Quem in finem, imprimis danda opera, ut ab omni cupiditate animus expurgetur. Tum quia quemadmodùm *soli sæpè nubes offundunt tenebras; sic rationem affectus obscurant*, inquit S. Maximus Martyr to. 2. serm. 59. Et *amor sui rectum labefactat judicium*, ut S. Isidorus suprà. Et, ut Augustinus, *indefatigabili lege spargit Deus pœnales cæcitates super illicitas cupiditates.* Denique, ut Hieremias ait Thren. 5. *quia peccavimus.... ideò obtenebrati sunt oculi nostri.* Quamobrem sæpè videmus homines, alioquin doctos & perspicaces, ad meridiem caligare, & nonnulla legi æternæ, rationique manifestè contraria probare: quia excæcavit eos cupiditas sua, vel scilicet inordinatus amor temporalium, vel desiderium placendi hominibus, seseque accommodandi eorum cupiditatibus. Neque enim putandum est, solos affectus erga res malas intellectum obtenebrare, sed & quoscumque, quibus cor nostrum creaturis affigitur: quia affectus isti non sinunt nos ut oportet, considerare quæ consideranda sunt, & velut mali humores in oculum illapsi, faciunt res aliter apparere, quam aliàs apparerent.

1047 Deinde in omnibus, ac præ omnibus, in corde esse debet observantia divinæ legis, cum sincero desiderio eam observandi, quamcumque in partem, etiam propensionibus nostris adversam, cognita fuerit, juxta illud Ps. 118. *Dilexi mandata tua super aurum & topazion:* quibus verbis declaratur, quòd mandatorum observantia in tantum debeat nobis cordi esse, ut præcipua cura nostra de iis observandis esse debeat, juxta illud Deuteron. 6. *Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, & meditaberis in eis sedens in domo tua, ambulans in itinere, dormiens atque consurgens*, &c. Cùm indignum sit, hominem, ad observandum legem Dei conditum, de ea servanda minùs sollicitum esse, quàm avarus cogitet de promovendo lucro, ambitiosus de honore. Quod profectò facit omni in opere quod prodesse potest. Præclarè hac de re Bernardus serm. 26. de divers. *Rogo vos, fratres, diligenter attendite, quia nihil mihi occurrit, quod utilius possitis audire. Ubi certa est Dei voluntas, omninò nostra sequatur.... In his verò rebus, de quibus nihil certi possumus invenire, nihil certum voluntas nostra definiat. Pendeat semper cogitans, ne fortè altera pars Deo magis placeat; & parati simus voluntatem ejus sequi, in quamcumque partem eam cognoverimus inclinari. Nemo super his quæ certa sunt hæsitet; nemo dubia pro certis admittat; nemo sibi in dubiis judicium vindicet, præcipitetve sententiam, & experiemur quod scriptum est:* " Pax multa diligentibus legem tuam, " & non est illis scandalum. "

Denique non solùm nihil negligendum apud 1048
Deum, sed nec apud homines, ad cognoscendam veritatem. Non negligendum (inquam) studium, quale & quantum negotii exigit gravitas. Et, si ipse deliberans minùs capax sit, consulendi sunt peritiores, ut illorum studium, scientia & experientia nostræ suppleat scientiæ vel experientiæ inopiam.

Sed & in peritiorum, qui consuluntur, de- 1049
lectu, summâ opus est prudentiâ: quia ubi de æterna salute agitur, & ii qui consulunt sincerum præ se ferre debent desiderium cognoscendi veritatem, eamque sequendi, etiam futuram sibi incommodam; & in iis qui consuluntur non sufficit peritia quæcumque: nam sine dubio periti erant Scribæ, Pharisæi & Legisperiti apud Judæos, imò apud ipsos reputabantur etiam prudentes ac pii; nec tamen eorum sequentes doctrinam erant securi (ut constat ex Matth. 15. 14.) imò cæci erant, cum cæcis ducibus suis in foveam cadentes. Nec securi fuerunt qui secuti sunt opiniones Bauniorum, Tamburinorum, Escobariorum, aliorumque ejusmodi Casuistarum, à quibus traditæ sunt tot propositiones, ab Alexandro VII. Innocentio XI. & Alexandro VIII. damnatæ: utpote quas ad minimum scandalosas, & in praxi pernicioſas, vel erroneas ipsi declararunt, arctamque cæli viam plus nimio dilatantes. Earum tamen Authores habiti sunt prudentes, docti & pii.

Vel hinc ergo patet evidenter 1°. ad secu- 1050
ritatem non sufficere peritiam eorum qui consuluntur, si fama sit eos *aliis in rebus laxiorem habere conscientiam*, seu doctrinam (ait Alfonsus à Castro, insignis Doctor ex Ord. S. Francisci l. 2. de potest. leg. pœn. c. 14.) *etsi multi tales concorditer de re aliqua senserint, non est propterea illorum sententia securè suscipienda, si constet alios viros bonos perinde ac doctos contrarium sentire, etiamsi hi pauciores sint numero quàm alii.* Securè proinde nemo sequitur luxuriantia hodie ingenia, de quibus Alexander VII. in Præfatione Decreti sui de 24. Septembr. 1665. conqueritur, dicens, *summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excrescere, per quam in rebus ad salutem pertinentibus modus opinandi irrepsit alienus omninò ab evangelica simplicitate, sanctorumque Patrum doctrina, & quem si pro recta regula fideles in praxi sequerentur, ingens irreptura esset vitæ christianæ corruptela, viaque salutis, quam suprema veritas Deus.... arctam esse definivit, in animarum perniciem dilataretur.*

Patet 2°. consilium ab iis potiùs Doctori- 1051
bus petendum, qui arctam divinæ Scripturæ

&

& SS. Patrum doctrinam sequuntur, quàm qui laxam. Arctam quippe esse viam quæ ducit ad vitam, Veritas definivit Matth. 7. Monentque SS. Patres, signanter Hieronymus & Anselmus ad eum Matthæi locum, ob naturæ corruptionem, difficile esse hanc viam non solùm ambulare, sed & eam invenire. Quæ difficilis vix esset, si secura esset molliorum Casuistarum doctrina. Monet etiam Salvator ibidem, & Luc. 13. paucos, ex iis qui quærent intrare (adeòque ex fidelibus) intraturos in regnum cælorum. Non pauci verò intrarent, si illud intrarent fideles, vitam transigentes secundùm mollem doctrinam ejusmodi Casuistarum.

1052 Patet 3°. securiorem esse directionem, tutioraque consilia strictorum quàm laxorum Doctorum. Tum quia ex dictis n. 977. *verba sapientum* mollia non sunt, sed pungentia *ut stimuli*, verique Doctores à Domino vocantur *sal terræ*, quod urit & pungit. Tum quia tametsi utraque cavenda sit extremitas, & rigoris scilicet, & laxitatis; majus tamen hodie periculum est à laxis, quàm à rigidis Doctoribus, majorque multitudo fidelium perit, ob nimiam Confessariorum & Directorum indulgentiam, falsamque misericordiam, quàm ob excessivum rigorem, uti demonstravimus Proleg. 2. c. 15. n. 146. & seqq. Unde venerabilis Petrus Cantor, ut suprà vidimus, Doctores illos, qui se benignos vocant, Eunuchos & effeminatos appellat, eunuchisantes quod virile & robustum est in arcu Domini, contra quos invehitur Isaias c. 3. dicens: *Dominus auferet à Hierusalem Consiliarium, & prudentem eloquii mystici, & dabo pueros principes eorum, & effeminati dominabuntur eis.* Vide dicta n. 977. citato, sicut & num. præcedenti, ubi V. Bartholomæus à Martyribus eligendum monet quod naturæ nostræ ac affectionibus magis molestum est, & magis adversatur. Et Joannes Satisberiensis, cæteris præferri consilia sapientum in timore Domini, qui honorem Dei commodis omnibus anteponunt.

1053 Octavò, post hæc omnia Sanctorum exemplis admonemur, quòd licèt dum suppetit via tuta, & periculo prorsus vacua, id facere non liceat, quod solùm probabiliter licet, etiamsi revera liceat (quia peccandi periculo se committere non licet, dum caveri potest) absoluta tamen certitudo ad benè agendum non semper necessaria sit: utpote extra sphæram possibilitatis humanæ collocata. Quippe frequenter incidunt casus, in quibus neutra ex parte plena certitudo, plenaque securitas haberi potest. Exponit hoc eleganter Wendrockius in Appendice II. ad dissert. de prob. sect. 3. a. 2. Eucharistiam (inquit) extra gratiæ statum, extra congruentem tanto Sacramento animi affectum sumere, noxium & pernicioſum est. Rursus ab Eucharistia gravi suo damno ille secedat, qui ad eam ritè percipiendam probè sit affectus. Utrùm autem quis in gratia sit constitutus, utrùm congruenter affectus, prorsus nemini compertum est. Majorem habet alius alio fiduciam, prout majorem spiritûs abundantiam cælitùs acceperit: certitudinem habere, saltem usitato gratiæ cursu, nemo dicendus est: cùm Scriptura doceat, neminem scire, utrùm odio, an amore dignus sit. Videatur S. Thomas 3. p. q. 80. a. 4. ad 5. ubi dicit, quòd homo per certitudinem scire non potest, utrùm sit verè contritus. Quòdque ideò, ad benè & laudabiliter communicandum, sufficit si in se signa contritionis inveniat, puta doleat de præteritis, & proponat cavere de futuris.

Nec modò certitudo illa, adeptæque gra- 1054
tiæ plena securitas, extra facultatem hominis posita est, sed etiam extra illius utilitatem. Non enim ipsis, in tanto elationis periculo constitutis, expedit certò nosse remissa sibi esse peccata, & se cum Deo penitùs reconciliatos. Imò nihil magis expedit, quàm in illo incerto dejectos & humiles ad mortem usque permanere, & quibuscumque possunt bonis operibus interim conniti, vocationem suam ac reconciliationem certam facere. Hinc expressè Sapiens monet, ut de propitiato peccato sine metu non simus; nobilemque feminam, anxiè poscentem, ut sibi remissorum peccatorum certam fidem faceret, ab isto imprudenti desiderio deterret Magnus Gregorius: *Quod verò* (inquit l. 7. epist. 22.) *dulcedo tua in tuis litteris subjungit, importunam se mihi existere, quoadusque scribam, mihi esse revelatum, quia peccata tua dimissa sunt, rem & difficilem, etiam & inutilem postulasti. Difficilem quidem, quia ego indignus sum, cui revelatio fieri debeat. Inutilem verò, quia secura de peccatis tuis fieri non debes, nisi cùm jam in die vitæ tuæ ultimo plangere eadem peccata minimè valebis. Quæ dies quoadusque veniat, semper suspecta, semper trepida metuere culpas debes, atque eas quotidianis fletibus lavare. Certè Apostolus Paulus jam ad tertium cælum ascenderat, in Paradisum quoque ductus fuerat, arcana verba audierat, quæ homini loqui non liceret; & tamen adhuc trepidans dicebat:* "Castigo corpus meum, & servituti subjicio, ne "
fortè aliis prædicans, ipse reprobus efficiar. "
Adhuc timet, qui jam ad cælum ducitur; & timere non vult, quæ adhuc in terra conversatur. Perpende, dulcissima filia, quia mater negligentiæ solet esse securitas. Habere ergo in hac vita non debes securitatem, per quam negligens reddaris; Scriptum est enim: "Beatus homo, "
qui semper est pavidus. " *Et rursus scriptum est:* " Servite Domino in timore, & exul- "
tate ei cum tremore. " *In pauco ergo hujus vitæ tempore necesse est ut tremor teneat, quatenus per securitatis gaudium sine fine postmodùm exultet.*

Porrò ex isto incerto, ex ista necessaria ca- 1055
ligine, in qua vivere homines expedit, necesse est ut justi pleraſque, etiam bonas, actiones nonnisi trepidè, & cum non levi formidine faciant. Nam & qui accedit ad Eucha-

ſtiam, meritò vereri poteſt, ne indignus accedat, & ne hoc ipſum quòd ſibi nullius peccati conſcius eſt, ex cæcitate cordis proveniat, quam ſibi peccando accerſiverit. Idemque in multis aliis ſacris miniſteriis uſuvenit. Timebat Auguſtinus, tum cùm ad Sacerdotium invitus evectus eſt, ne hoc in occulti cujuſdam peccati vindictam à Deo permiſſum eſſet. Quantò juſtiùs id timere poſſunt, qui non tam manifeſtis divinæ voluntatis indiciis ad Eccleſiæ munera promoventur?

1056 Quid in ipſis Sacerdotii functionibus, in ipſis charitatis operibus, quàm multæ ejuſmodi non frivolæ, ſed graves formidines occurrunt? Inanis gloriæ ſtudio prædicationis munus obire, piaculum eſt: & qui ſic ſe affectum eſſe ſentiret, longè conſultiùs pœnitentiæ vacaret, quàm illud ſibi onus imponi pateretur. Et tamen quis certò novit, actus ſuos ab hoc vitio non proficiſci, quo nulli ſæpè graviùs & periculoſiùs laborant, quàm qui illud in ſe penitùs non agnoſcunt? Adeò obſcuris & indiſcretis indiciis divinam charitatem terrena & adulterina mentitur. Non licere religioſam vitam ſine Dei vocatione profiteri, quis dubitet? Et tamen quis de ſua vocatione planè ſecurus? Impar ſuis viribus vitæ genus amplecti nefas eſſe, certiſſimum eſt. At quis, exempli causâ cùm Judicis officium ſuſcipit, eam ſibi adeſſe integritatis firmitatem, certò pernovit, ſine qua Scriptura vetat, ne quis ſibi Judicis perſonam ſumat? *Noli* (inquit) *quærere fieri Judex, niſi valens virtute irrumpere iniquitates.*

1057 Quid facient igitur Chriſtiani, ſi nihil ipſis facere licet, niſi quod ſibi licitum eſſe certò ſciant? ubi enim illam ſecuritatem, illam formidinis vacuitatem in hujus vitæ tenebris inventuri ſunt? Quis non videat hoc pacto illos inertiæ tradi, quâ nihil periculoſius eſt?

1058 Sed tamen aliunde ratio vetat, in probabile ſeſe peccati periculum conjicere. Fateor, ſi certa peccandi prorſus vitandi via ſuppetat. At ſi majus ſit ex alia parte, ex actûs ſcilicet omiſſione, periculum, majoris vitandi causâ minus adire, non modò non vetat ratio, ſed potiùs jubet. Eſt enim certum hoc pronuntiatum: *E duobus periculis, minus eligendum.* Atque ex hoc principio demonſtratur, ſuperiùs recenſitas actiones prorſus à Chriſtianis, licèt non ſine formidine, obeundas. Adire Euchariſtiam, vel ſacros Ordines, Paſtoris, Prædicatoris, Judicis munus ſuſcipere; exteriora charitatis opera frequentare; religioſam vitam profiteri, periculo non vacat. Sed abſtinere ab Euchariſtia, ſiquis ad eam percipiendam probè comparatus ſit; itemque impoſitum ſibi Paſtoris, Prædicatoris, Judicis munus ſine debita cauſa pertinaciter detrectare, vocanti Deo ad religioſæ vitæ profeſſionem non obſequi, ſed in peſtilente ſæculi aura interim remanere, longè periculoſius eſt. Ergo qui, omnibus circumſpectis, probabiliùs judicaret, neceſſarias ſibi ad iſta munia dotes non deeſſe, haud dubium eſt quin, ratione duce, in partem minùs periculoſam ſe conferre debeat.

Erit ergo ſimul certus & incertus: certus 1059
agendi; incertus, an benè ſit acturus. Nam ad ipſam actionem ſe determinat ex certis principiis; nempe, è duobus periculis illud eligendum, quod minus videatur. Nec minùs certus eſt, ſibi aliquod periculum minus videri. Non enim de rei veritate, ſed de majori veriſimilitudine (idque relatè ad ipſum) hoc judicium format. Ex his autem duobus conjunctis, neceſſariò ſequitur practicum illud judicium, quo voluntas ad agendum determinatur. Sed quia hoc ipſum judicium, quo v. g. quis ad Euchariſtiam ritè ſumendam probè ſe comparatum eſſe cenſet, non planè certum eſt (cùm in eo quamplurimi fallantur) fit, ut quamvis certus ſit adeundam ſibi in hoc ſtatu Euchariſtiam, non tamen certus ſit, ſe in eo non peccare. Meritò enim vereri poteſt, ne, præ cæcitate mentis, ſuam indignitatem intelligere non potuerit, blandiùſque de ſe indulgentiùſque cenſuerit.

Atque hoc modo repetitur quædam certitudo agendi, quamvis malè agendi formido ſuperſit. Quòd ſiquis, eâ certitudine non contentus, plenam poſtulet non peccandi ſecuritatem, quid humana facultas, quid utilitas ferat, non ſatis ſibi perſpectum eſſe teſtabitur. Omninò enim ad retinendam in hac vita humilitatem (quæ veræ pietatis ſumma eſt) mirè conducit, de ſuis actibus non ita confidere, quaſi Deo grati certò & accepti ſint; &, vel in optimis operibus, occulta ejus judicia perhorreſcere, ne quæ recta ac pura hominibus apparent, ipſi perverſa atque polluta videantur. Quamobrem hanc animi affectionem Sanctis ſæpè tribuit Magnus Gregorius: *Etſi* (inquit in 1. Reg. c. 3.) *in ſanctorum virorum oculis recta ſunt ea quæ agunt, ante omnipotentis Dei oculos qualia ſint, ſcire non poſſunt. Unde & bona quæ prævalent, inceſſanter agunt; & ſuper ſe tonantem illam judiciorum abyſſum pertimeſcunt.* Et in eundem ſenſum l. 5. Moral. c. 26. *Sancti viri, cùm mala ſuperant, ſua etiam benè geſta formidant, ne, cùm bona agere appetunt, de actionis imagine fallantur; ne peſtifera tabes putredinis ſub boni ſpecie lateat coloris. Sciunt enim, quia corruptionis pondere gravati, dijudicare bona ſubtiliter neſciunt; & cùm ante oculos extremi examinis regulam deducunt, hæc ipſa in ſe nonnunquam, & quæ approbant, metuunt, & totâ quidem mente internâ deſiderant, ſed tamen de incertitudine operum trepidi, quò gradiantur ignorant.*

Maneat ergo, ad benè agendum non ſem- 1060
per requiri illam timoris vacuitatem, quæ omninò nulla eſt, nec eſſe in hac vita debet; ſed ſufficere hoc judicium, licèt opinativum tantùm, nec uſquequaque certum, quo quis actionem aliquam ejus omiſſione tutiorem, & minùs periculoſam eſſe cenſeat: unde jam certo judicio mens colligit, minus illud periculum

lum majori præponendum. Ex hac doctrina nec inertiam nasci planum est, nec salutarem timorem excludi (qui certissimus humilitatis custos est) nec anxietati tamen, & inquietis nimis scrupulis locum dari. Aget enim, qui sic affectus erit: quia, omnibus circumspectis, habet quo sibi agendum esse decernat. Verebitur tamen, ne propriâ cupiditate cæcatus, non rectè de seipso judicarit. Sed hîc timor ab anxietate plurimùm aberit, quam novit inutilem sibi, imò perniciosam, Deoque ingratam fore. Ergo (concludit Wendrockius) quietem ejus non interpellabit scrupulosa anxietas. Imò, dum laudabilem timorem abiget infida securitas, pacem & quietem magnam conciliabit filialis confidentia in bonitate Dei, cui se regendum judicandumque ita permittet, ut (sicut præcipit Gregorius) *bona quæ prævalet, incessanter agat, & tamen divinorum judiciorum abyssum pertimescat.* Denique *cum timore & tremore* quidem *salutem suam operabitur, in laboribus, in vigiliis, in eleëmosynis, in orationibus, in oblationibus, in jejuniis, in castitate,* &c. (sicut Tridentinum præcipit. sess. 6. c. 13.) experietur tamen quàm verè Psal. 30. 20. scriptum sit: *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te.* Timor proinde ipsius non erit absque magna consolatione, nec absque exultatione, secundùm illud Psal. 2. 11. *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.*

CAPUT LXXXV.

Respondetur argumentis Probabilioristarum, & imprimis duobus prioribus petitis à consensu & usu omnium, etiam SS. Patrum, & Theologorum.

1061 OBjicies 1°. quod tota per Orbem frequentat Ecclesia, seu totus Orbis Christianus, certò licitum est. Sed usum opinionis longè probabilioris de licito tota per Orbem frequentat Ecclesia. Ergo usus ille certò licitus est. Minor constat 1°. ex regula jure canonico & civili recepta: *Inspicimus in obscuris quod verisimilius est, vel quod plerumque fieri consuevit.* 2°. ex eo quòd ipsi etiam Sancti sententias visas sibi probabiliores in praxi secuti sunt, ut S. Cyprianus, plurèsque alii sancti Episcopi, sententiam de rebaptizandis iis qui baptizati erant ab hæreticis. S. Athanasius, contra opinionem S. Basilii, de valore juramenti non suscipiendi Episcopatum, Dracontio Monacho, qui id juraverat, Episcopatum suscipere præcepit. Integræ etiam Synodi, tam Provinciales, quàm Nationales, in Canonibus suis aliquando concluserunt, dimissâ uxore adulterâ, alteram duci posse ipsâ vivente, prout ostendunt Christianus Lupus to. 3. pag. 404. & seqq. Et Cabassutius in notitia ecclesiastica sæculi noni. Canones illos haud dubiè secuti sunt populi illorum temporum. An ergo peccaverunt?

Respondeo concessâ majore, negando minorem, in materia juris naturalis. Ad primam probationem, respondeo regulam illam procedere in controversiis facti, vel juris humani, inter quod & jus naturale latissima est disparitas, quòd naturale prorsus immutabile sit, nulliusque Legislatoris arbitrio relaxabile; secùs humanum, quod à Legislatoris arbitrio dependet, qui non censetur suâ nos lege adstringere velle, quando longè probabilius est voluntatem Legislatoris non esse quòd in tali vel tali casu obliget, probabilioritate utique famosâ, in verbis legis, vel in ratione quâ lex utitur, vel in declarationibus super legem datis, vel in factis à Legislatore permissis, usque adeò fundata, ut omne ferè dubium de opposito, communi præcipuorum Doctorum judicio expellat.

Ad secundam probationem, respondeo exem- 1062
plum de rebaptizatione non spectare ad jus naturale, sed positivum divinum. Athanasium verò rectè præcepisse Dracontio, ut, non obstante juramento suo, Episcopatum susciperet: quia non potuerat contrarium jurare in præjudicium Ecclesiæ, ipsius ministerio indigentis, nec in præjudicium authoritatis Patriarchalis, quâ S. Athanasius providere voluit communi bono Ecclesiæ, cui ipsum præfecit. Propterea Athanasius certissimè potuit juramentum ipsius irritare, vel certè in eo pro communi Ecclesiæ bono dispensare. Idque, si & quantùm opus, fecisse censetur, dum Episcopatûs acceptationem ipsi præcepit. Qua in re nihil prorsus fecit contra, sed secundùm jus naturale.

Ad tertiam probationem, respondeo, in- 1063
dubitatum esse, matrimonii vinculum, ob adulterium, dissolvi posse authoritate divinâ, nec hoc esse contra jus naturæ. Et hoc modo Sancti aliqui, Provinciales que & Nationales Synodi censuerunt matrimonium, ob adulterium, posse dissolvi; censuerunt (inquam) fieri id posse authoritate divinâ, non privatâ. Qua in re erraverunt quidem (finistrè interpretantes illud Matth. 19. *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem aliam duxerit, mœchatur*) erraverunt (inquam) tam ipsi quàm populi, seu illi de populo, qui bonâ fide secuti sunt canones & doctrinam ipsorum; sed error iste potiùs fuit facti, quàm juris. Quia non fuit error contra veritatem juris naturalis, prohibentis dissolutionem matrimonii authoritate privatâ, vel quâcumque humanâ; sed contra veritatem factæ à Deo in verbis illis Matthæi concessionis.

Respondeo 2°. facta particularia, sive non- 1064
nullorum Sanctorum, sive nonnullarum Ecclesiarum, seu Provincialium, aut Nationalium Synodorum, toti seu universali Ecclesiæ tribui non posse: utpote quæ alioqui erraret, v. g. in decidendo quòd matrimonium dissolvi possit ob adulterium, cujus oppositum Ecclesia universa in Concilio Tridentino definivit sess. 24. can. 7. Vel hinc ergo pateat evi-

denter, Probabilioristas errare, dum toti Ecclesiæ tribuunt facta, vel sententiam particularium, quàmlibet multorum. Certè quòd particularibus illis Ecclesia universa nunquam consenserit, to. 3. ostendemus, ubi de matrimonio. Videatur interim Iveninus de Sacram. to. 2. pag. 972. 973. 974.

1065 Objicies 2°. quod omnes passim SS. Patres, & omnes ferè Theologi, Veteres ac Recentiores, censent esse licitum, certò est licitum. Sed omnes passim Patres, & omnes ferè Theologi, Veteres ac Recentiores, censent licitum esse usum opinionis longè probabilioris de licito. Ergo usus iste certò est licitus.

Respondeo iterùm negando minorem, si in ea sermo sit de usu opinionis in materia juris naturalis. Neque eam probant exempla vel facta à Probabilioristis allegari solita: utpote num. 1061. & 1062. soluta, & ab aliis Sanctis quamplurimis improbata, utique à SS. Hieronymo, Augustino, Innocentio I. &c. quoad casum dissolutionis matrimonii propter adulterium. Exemplum SS. Vincentii Ferrerii, Petri Lutzemburgi, Ludovici Alemanni, qui Schismatico adhæserunt Pontifici, simile est exemplo S. Cypriani, in causa rebaptismi, nec ad jus naturale spectat, sed ad positivum, de authoritate Concilii, de tali vel tali legitimo, vel non legitimo Pontifice, &c. ipsisque pariter contradixerunt alii Sancti, Catharina Senensis, Antoninus, &c. potueruntque S. Vincentius Ferrerius, Ludovicus Alemannus, & Petrus Lutzemburgus ob bonam fidem à mortali excusari crimine; sed à veniali excusatos fuisse non probat sanctitas ipsorum, tametsi miraculis illustrata. Constat enim sanctitatem in hominibus non ita perfectam esse, ut omnia peccata excludat, si beatissimam Virginem excipias. Unde ipsi etiam Sancti, quoties compererunt se ignoranter contra naturæ legem peccasse, nunquam se excusarunt per probabilitatem, vel ignorantiæ invincibilitatem, sed cum Propheta dixerunt: *Ignorantias meas ne memineris.* Non est ergo verum, omnes passim Patres censuisse licitum usum opinionis probabilioris, in materia juris naturalis. Nec unum proferre queunt Adversarii, qui usum illum licitum asseruerit, imò contrarium asseruisse suprà ostendimus, multos quidem expressè, alios verò generalibus verbis. Nec magis verum est, Theologos ferè omnes, Veteres ac Recentiores, usum illum approbasse: cùm de oppositò constet ex dictis cap. 81. num. 956. Et cap. 82. num. 988. 1004. & seqq. usque ad num. 1022.

1066 Fateor quidem plerosque ex Recentioribus, imò majorem eorum partem ita sentire. Sed quid mirum? *unusquisque faciliter credit quod appetit*, ait S. Thomas 2. 2. q. 60. a. 3. Nimis ad propria commoda proclivis est natura mortalium, nec quidquam libentiùs credit, quàm licitum esse quod cupit. Unde non ideò sequendi Probabilioristæ, quia hoc tempore multi: quia eorum multitudini præferenda sunt pondera rationum graviorumque authoritatum, pro assertione nostra militantium. *Nihil magis pensandum* (ait Seneca l. de vit. beata c. 1.) *quàm ne pecorum ritu sequamur antecedentem gregem* (uti sequuntur ex ipsis plerique) *pergentes, non quà eundum est, sed quà itur. Nulla res nos majoribus malis implicat, quàm quòd ad rumorem componimur, optima rati ea, quæ magno assensu recepta sunt, quorumque exempla nobis multa sunt, nec ad rationem, sed ad similitudinem vivimus. Inde ista tanta coacervatio aliorum supra alios ruentium*, &c.

Instabis: communis sensus & usus totius 1067
Orbis est, quòd licitus sit usus opinionis probabilioris de licito, in omni materia, etiam juris naturalis. Nam iste communis est sensus & usus Summorum Pontificum, Judicum (Ecclesiasticorum & Civilium) Confessariorum, Consiliariorum, Doctorum, tam Theologiæ quàm juris, omnium denique passim fidelium. Primò namque quod attinet ad SS. Pontifices, Innocentius IV. cap. *inquisitioni* de sent. excom. permittit conjugi, anxio de nullitate sui matrimonii, *ad sui Pastoris consilium, conscientiâ levis & temerariæ credulitatis explosâ, non solùm reddere, sed & exigere debitum conjugale.* Urbanus VIII. secutus opinionem Navarri, aliorumque eruditorum virorum, ex gravi causa matrimonium infidelium consummatum post baptismum illorum dissolvit, authoritateque Pontificiâ dissolvi posse credidit, ut videre licet in duobus Brevibus, uno de 2. Octobris 1626. altero de 17. Septembris 1627. tametsi Vasquez & alii communiùs existiment Pontificem id non posse. Plures denique Pontifices, secuti opinionem gravium Doctorum, dispensarunt in matrimonio fidelium rato, nondum consummato, sicut & in solemni castitatis voto Religiosorum professorum, non obstante sententiâ plurium etiam gravissimorum Doctorum in contrarium.

Secundò, non est dubium Judices & Ecclesiasticos & Civiles, in judicando sequi opiniones visas sibi probabiliores, juxta allatam juris regulam in 6. *inspicimus in obscuris*, &c. sicut & istam: *ubi opiniones discordant, Judex sequitur à pluribus approbatam*, cap. *novimus* de verb. signif. *in dubiis præferendum quod verisimilius.* L. *semper in dubio.* L. *in obscuris.* L. *quoties* de reg. jur.

Tertiò, Consiliarii, Confessarii, Doctores, &c. tutò se procedere credunt, consulendo, dirigendo, docendo, practicando secundùm opiniones de licito à sapientibus magis approbatas.

Quartò, omnes fideles, ipsi etiam Adversarii, sic practicant in multis, v. g. in emptione censuum personalium, tametsi eos illicitos esse censeant D. Antoninus, Angelus, &c.

Quintò, Doctores & Universitates quotidie resolvunt casus ambiguos, etiam juris naturæ, secundùm opiniones visas sibi probabiliores, etiam minùs tutas, tametsi nihil resolvere tutius foret.

Sextò, plurimi etiam Sancti opiniones minùs tutas docuerunt, absque sanctitatis detrimento. Quia eas veras bonâ fide crediderunt.

Respondeo negando antecedens. Ad primam probationem illius, respondeo, nihil prorsus ex Canone illo contra regulam nostram erui posse. Quia Innocentius III. ibi nihil aliud declarat, nisi quòd conjux anxius de valore matrimonii sui, anxietate ad Pastoris sui consilium depositâ (si nempe anxietatis causam Pastor levem ac temerariam esse judicet) retineat jus exigendi debitum; eò quòd levis ac temerariæ anxietatis habenda non sit ratio; magis quàm scrupuli, propter quem conjux, qui matrimonium bonâ fide contraxit, nec ullum habet rationabile dubium de valore illius, privandus non est jure per illud acquisito. Maximè cùm accedendo ad eam quam rationabiliter non dubitat esse suam, excusaretur per ignorantiam facti, etiamsi à parte rei sua non esset, sicut Jacob, dum accessit ad Liam, bonâ fide putans esse Rachelem.

1068 Quoad dispensationes verò, de quibus in objectione, existimo quidem Pontifices in iis concedendis secutos opinionem visam sibi absolutè veram; bonâ proinde fide credidisse sibi à Deo concessam dispensandi facultatem. Verùm alii Pontifices, eam sibi à Deo concessam non crediderunt; ideòque dispensare noluerunt. An verò dispensandi istis in materiis potestas reverà ipsis à Deo concessa sit, vel non sit, quæstio est facti, prout in simili dictum est num. 1062. Per bonam proinde fidem, in materia illa facti, excusabiles esse potuerunt, qui dispensarunt; tametsi absolutè necessarium non sit eò recurrere, nec omnia facta particularia ipsorum ex toto excusare; cùm in exercitio suæ potestatis impeccabiles non sint (inquit Gonet in dissert. in opin. probab. a. 4.) nec infallibiles in judicio, quo in particularibus actionibus suis utuntur, quas certum est multùm differre à definitionibus pro tota Ecclesia factis.

1069 Ad secundam probationem, respondeo, omnes quidem Judices Ecclesiasticos, & Civiles, judicare secundùm opiniones visas sibi probabiliores, juxta regulas illas, sed in causis dumtaxat Ecclesiasticis & Civilibus, seu juris humani, in quibus regulæ illæ procedunt; non in causis spectantibus ad legem naturalem. In quibus cùm sola sit in veritate securitas, quemadmodùm non omnis opinio probabilior est vera, ita nec secura & tuta, nec à peccato eximere potest actionem legi naturali adversam. Et ideò verus Judex judicare debet, viam certam incertæ, tutamque non tutæ, etiam probabiliori præferendam, dum suppetit. Et ita judicant Pontifices in sacris Canonibus suprà relatis. Nec dubium quin similiter boni Judices Ecclesiastici.

1070 Ad tertiam probationem eadem est responsio. Nam boni Consiliarii, Confessarii, Doctores, &c. in materia quidem juris humani, seu Ecclesiastici, seu Civilis, tutò se procedere credunt, consulendo, dirigendo, docendo secundùm opiniones à sapientibus magis approbatas; sed in materia juris naturalis non dant se consulentibus securitatem, si in consiliis suis & doctrinis errent; imò cum Augustino homil. 11. inter 50. aliisque sapientibus monent, non valere securitatem à se datam, si à lege æterna deviet consilium & doctrina ipsorum. Humiliter etiam fatentur cum eodem l. 4. de orig. anim. c. 1. & dicunt: *Neque enim negare debeo, sicut in ipsis moribus, ita multa esse in tam multis opusculis meis, quæ possint justo judicio, & nullâ temeritate culpari.* Quamobrem (ait epist. 112. ad Paulinum) *nolo authoritatem meam sequaris, ut ideò putes tibi aliquid necesse esse credere, quòniam à me dicitur.* Et cum S. Thoma 1. p. q. 1. a. 8. approbant illud ejusdem Augustini epist. 19. ad Hieron. *Solis eis Scripturarum libris, qui Canonici appellantur, didici hunc honorem deferre, ut nullum Authorem eorum, scribendo aliquid, errasse firmissimè credam.... alios autem ita lego, ut quantâlibet sanctitate doctrinâque præpolleant, non ideò verum putem; quia ipsi ita senserunt.* Denique cum Innocentio III. cap. *à nobis* de sent. excom. *Consultationi tuæ breviter respondemus, quòd judicium Dei, veritati, quæ non fallit, nec fallitur, semper innititur; judicium autem Ecclesiæ nonnunquam opinionem sequitur, quam & fallere sæpè contingit, & falli.*

Ad quartam probationem respondeo, non 1071
omnes sic practicare. Non enim sic practicant timoratiores, quibus regulæ nostræ veritas innotuit. Nec contrarium ostenditur exemplo illo emptionis censuum personalium: emptionem quippe eorum, in locis ubi Bulla Pii V. promulgata non est, nec recepta (in Belgio v. g.) omninò tutam esse, nihilque legi naturali adversum continere, patrii mores, & Principum Edicta demonstrant; demonstrant proinde emptionem illam fieri jure per publicam authoritatem concesso, cui publicæ authoritati dubium non est censuum, aliorumque civilium contractuum materiam subjacere.

Ad quintam respondeo, sic eos resolvere, 1072
ut non promittant securitatem. Quam si promitterent, peccarent, fideles decipiendo. Judice namque Augustino serm. 34. de divers. *dispensatores serpentis sunt, quicumque promittunt, quod non promisit Deus.*

Ad sextam similiter respondeo, fieri quidem 1073
posse ut aliqui Sancti opiniones minùs tutas, seu non omninò tutas docuerint, etiam in materia legis naturalis; sed ne unius quidem Sancti testimonio probatur, quòd securitatem promiserint eas practicantibus: quam se dare non posse, confiteri non erubuit Augustinus. Secuti sunt quidem Sancti aliqui opiniones falsas, imò & hæreticas, quas ipsi veras bonâ fide existimabant. Sed (ut dixi) ne unius quidem Sancti testimonium proferri potest, quo docuerit, in materia legis naturæ, esse licitum sequi opinionem, in cujus praxi periculo

lum esset violandæ legis naturalis, si via tuta, & à periculo illo libera suppeteret. Confer ea quæ dixi libro præcedenti, quæque dicturus sum num. 1090. 1091. 1092. 1093. 1094.

Solvitur tertium & quartum argumentum, seu Achilles Adversariorum.

1074 OBjicies 3°. certum est Deum ab homine non exigere, ut abstineat ab iis, de quorum prohibitione per legem naturalem, post diligens examen, nec moralem habet certitudinem, nec probabilem opinionem, nec probabile dubium. Atqui non habet moralem certitudinem, nec probabilem opinionem, nec probabile dubium de prohibitione eorum, de quorum non prohibitione, post diligentem inquisitionem, habet opinionem longè probabiliorem: utpote per quam absorbetur tam certitudo, quàm probabilis opinio & probabile dubium in contrarium; de quo proinde ad summum supereſt conscientia levis & temerariæ credulitatis, ob quam abstinere non tenetur, cùm eam meritò possit explodere, juxta cap. *inquisitioni* de sent. excom.

Respondeo certum esse, Deum ab homine exigere ut abstineat ab omni peccato; ac per consequens ab omni actione prohibita per legem æternam, sive illius prohibitionem certò vel probabiliter cognoscat, sive non cognoscat. Si enim cognoscat, & non abstineat, sciens & volens peccat. Si non cognoscat, suâ culpâ non cognoscit, uti probavimus libro præcedenti; per consequens si de illius prohibitione nec habeat moralem certitudinem, nec probabilem opinionem, nec probabile dubium, suâ culpâ non habet: quemadmodùm hæretici plerique suâ culpâ non habent moralem certitudinem, nec probabilem opinionem, nec probabile dubium de veritate Religionis nostræ, sed (ut ipsis videtur) solùm levem & temerariam de ea conscientiam vel credulitatem. Per hoc tamen non excusantur: quia hoc totum provenit ex culpabili errore ignorantiaque ipsorum, quam certum est ex toto non excusare. Nec simile est in casu, de quo in objecto cap. *inquisitioni*: utpote in quo conjux de quo ibi, si erret exigendo debitum, errat per inculpatam ignorantiam facti, prout ostensum est n. 1066.

1075 Objicies 4°. certum est, Deum non obligare hominem ad partem tutiorem, in omni casu, in quo de honestate actionis post diligentem inquisitionem non habetur evidentiæ vel fidei certitudo. Atqui ad eam obligaret, si à peccato contra legem æternam non excusaret moralis certitudo de honestate illius, seu non contrarietate ad legem æternam. Moralis verò ista certitudo non excusaret, si opinio longè probabilior non excusaret: utpote quæ vel pro morali habetur certitudine; vel, si ipsa non excuset, nec moralis certitudo excusabit. Si enim ipsa non excuset, est quia ipsi potest subesse falsum; adeòque potest reverà esse contra legem æternam, quod ipsa longè probabiliùs suadet non esse contra illam. Atqui etiam morali certitudini falsum subesse potest. Et si fortasse sit contra legem æternam, quod certò moraliter suadet non esse contra illam, secundùm nos à peccato non excusabit agentem contra illam: cùm omnis probabilioritas & certitudo falsa, ex ignorantia procedat. Nulla verò ignorantia (secundùm nos) à peccato excusat agentem contra legem æternam. Nullus igitur à peccato securus erit, agendo sine certitudine fidei, vel evidentiæ, quòd id quod agit non sit contra legem æternam. Et sic abstinendum erit ab omni actione, de cujus honestate non habebitur illa certitudo. Per consequens amplectendæ erunt rigidiores omnes opiniones, quia tutiores. Nec ullus licitè possidebit bona litigiosa, etiam sibi per Judicem adjudicata: quia cùm Judex in iis adjudicandis errare potuerit, exponet se periculo possidendi alienum. Neutra ergo pars litigantium ea sibi poterit usurpare; sed cautis piis utraque tenebitur applicare: cùm hoc tutius sit. Nec filii poterunt adire hæreditatem ejus, quem credunt suum esse patrem: quia in eo fortè vincibiliter errant; adeòque bona ipsius occupando, exponunt se periculo aliena occupandi. Nec licitum erit in mutuo aliquod accipere titulo lucri cessantis: cùm enim hoc illicitum censeant Innocentius, & plerique alii; ab eo abstinere tutius est. Nec ille qui rem possidet titulo longè probabiliore, vel solùm moraliter certo, eam retinere poterit: quia titulus ille falsus esse potest. Debebit ergo alteri restituere. Et iste restitutori eam debebit reddere (nisi ambo conveniant in applicando eam cautis piis) & sic iterùm alter alteri. Perpetuus proinde esse debebit restitutionum circulus. Ad quem certissimum est, Deum non obligare.

Iste est Achilles, quo regulam nostram fun- 1076
ditùs everti putant Probabilioristæ. Verùm plus imprimis probant (si quid probant) quàm quod ipsi intendunt: falsam utique esse magistralem hanc Angelici Doctoris sententiam, Augustinianâ peccati definitione comprobatam, *Illud quod agitur contra legem* (æternam) *semper est malum, nec excusatur per hoc quòd est secundùm conscientiam*: sicut & hanc S. Antonini: *In his quæ sunt de jure naturali, quantumcumque consuleretur homini ignoranti à peritissimis contrarium veritati, non excusaretur à peccato illud agendo: quia in hujusmodi non potest habere locum ignorantia invincibilis, quoad habentes usum rationis.* Utriusque tamen sententiæ veritatem sancti Patres, & omnes, vel ferè omnes veteres Theologi concorditer tradunt, uti vidimus cap. 81. & 82. & ampliùs libro præcedenti.

Respondeo itaque 1°. regulam nostram 1077
non afferere, quòd homo in materia juris naturalis semper adstringatur ad tutiora, sed ad tuta: ad abstinendum utique ab omni eo, in quo prudenter timet, vel timere potest & debet

periculum violandæ legis æternæ, ſi abſtinere abſque ſimili periculo poſſit. Quod profectò negari non poteſt, niſi (contra divinam Scripturam, Patres omnes, & rationem evidentem) minùs cavendum ſit periculum mali ſpiritualis, malorum omnium maximi (peccati ſcilicet) quàm periculum mali temporalis. Nihil itaque nimis rigidum, nihil niſi divinis Scripturis, Patribus omnibus, & rationi evidenti conſonum aſſerit regula noſtra, dum nihil aliud aſſerit, quàm quòd ubicumque prudenter timetur, vel timeri poteſt & debet periculum violandæ legis æternæ, adeòque periculum peccati, eo ſaltem modo ſe homo gerere debeat, quo (ad evadendam imprudentiæ notam) ſe gerit omne genus humanum, ſive omnis conditionis homines, milites, nautæ, mercatores, &c. ubi prudenter timetur, vel timeri poteſt periculum mali temporalis. At nunquam ipſi, abſque imprudentiæ nota, adeunt ejuſmodi periculum, dum ipſis via ſuppetit, quâ illud devitent. Quis enim (amabo!) & ubi invenietur homo prudens, qui cibum certiſſimè ſanum relinquens, alio uti malit, de quo prudenter timere poſſit & debeat, eſſe veneno infectum? Quis, & ubi invenietur mercator prudens, qui malit ſibi debitum ſolvi monetâ non tutâ, quamvis longè probabiliùs ſincerâ, quàm aliâ certiſſimè tutâ, niſi periculum iſtud aliquo lucro compenſetur, &c.

1078 Si dicas, ibi prudenter non timeri periculum peccati, ubi habetur moralis certitudo non peccati. Contrà: quamvis hoc verum ſit de morali certitudine abſoluta, de qua ſcilicet ſapientes omnes, vel ferè omnes conveniunt, v. g. de eo quòd Roma ſit: verum non eſt de morali certitudine, de qua nobis hîc ſermo; de qua ſcilicet ſapientes omnes, vel ferè omnes non conveniunt, ſed quæ ſolùm talis aliquibus videtur. Iſta namque non ſolùm eſt abſolutè fallibilis, ſeu falſitati obnoxia; ſed & aliquando falſa eſt; &, ſi falſa ſit, non excuſat à peccato contra legem, quamvis aliquando excuſet à peccato contra conſcientiam, dum ſcilicet nullam quis habet peccati conſcientiam, nec certam, nec dubiam; eò quòd ſe reputet moraliter certum de non peccato. Talis proinde certitudo non ſic abſtergit omne periculum peccati, ut illud prudenter timere non debeant, qui ſe taliter certos exiſtimant. Quia viſæ ſibi certitudini non ſic debent inniti, quaſi in ea non poſſint moraliter decipi: cùm non ſint infallibiles in perſuaſione ſua, experientiâque conſtet, homines ſæpè decipi in judicando certum, quod reverà eſt falſum, aliiſque ſapientibus vel falſum videtur, vel incertum. Sed hoc quidem ipſi non ſemper actu reflectunt, & ideò periculum actu non timent; ſed quia poſſunt & debent reflectere, poſſunt & debent prudenter timere. Scriptum eſt enim: *Ne innitaris prudentiæ tuæ.* Et iterùm: *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum.* Et propterea S. Thomas quodlib. 8. a. 13. dicit, tales non excuſari à peccato contra legem, quamvis non peccent contra conſcientiam. Ideò etiam Sancti tantoperè timent, ne opinio veriſimilis eos decipiat, quamvis ſollicitiſſimè caveant id omne, de quo habent vel minimam peccati ſuſpicionem. Atque ex his patet, quàm rationabilis, quàmque moderata ſit Regula noſtra, quæ nihil aliud aſſerit, quàm quòd ex duabus viis, quarum una tuta ſit à periculo violandæ legis æternæ, altera non tuta, hæc illi præferenda ſit: quo nihil rationabilius, nihil moderatius aſſeri poteſt, attentis præmiſſis.

In forma itaque ad objectionem reſpondeo 1079
2°. tam certum eſſe, quòd Deus obliget ad id quod proximè dixi, quàm quòd obliget ad cavendum periculum violandæ legis æternæ, dum ex una parte prudenter timeri, ex altera parte caveri poteſt. Si enim tunc non caveatur, amatur. At verò qui amat periculum, in illo peribit.

Reſpondeo 3°. Deum non propterea exi- 1080
gere certitudinem fidei vel evidentiæ pro omni caſu; eam quippe non exigit in materia legis humanæ; quæ (cùm plerùmque ſit de rebus naturâ ſuâ indifferentibus, id eſt quæ remotâ lege nec bonæ ſunt, nec malæ) in ejuſmodi plerùmque licet ſequi opinionem longè probabiliorem, ut ſuprà dixi. In materia etiam juſtitiæ, poteſtati Reipublicæ ſubjecta, non requiritur certitudo fidei, nec evidentiæ, ſed ſufficit moralis. Et ideò qui rem alienam legitimo tempore bonâ fide præſcripſit, non obſtante dubio poſteà ſuperveniente, an aliena ſit, reſtituere non tenetur, ſed eam authoritate Reipublicæ, ſeu legum & Edictorum Principis, vel Magiſtratûs, retinere poteſt. Dubius etiam de impedimento matrimonium antecedente, licitè poteſt aliquo tempore exigere debitum, quia id ſibi à Deo conceſſum eſſe, licèt certus non ſit certitudine fidei, nec evidentiæ, certus eſt certitudine morali abſolutâ, de qua ſapientes omnes conveniunt, ob declarationem Eccleſiæ cap. *laudabilem* de frigid.

Atque ex his patet reſponſio ad caſus objec- 1081
tos. Nam authoritate Reip. licitè retinentur bona per Judicem adjudicata, licèt Judex in judicando errare potuerit. Et filii (ſapientum omnium conſenſu) adire poſſunt hæreditatem ejus, quem certò moraliter credunt eſſe ſuum patrem: & in mutuo licitum eſt aliquid exigere titulo lucri ceſſantis: quia de eo ſapientes ferè omnes conveniunt, & pactum de eo, in jure non cenſetur uſurarium, ſed legitimum. Et ſic ſemper Judices judicant. Et idem eſt de eo qui rem poſſidet titulo longè probabiliùs, vel certò moraliter juſto. Quia pro eo eſt præſumptio juris, & agitur de materia poteſtati Reipublicæ ſubjecta. Non eſt ergo conſequens ex regula noſtra quòd ſemper ſequendæ erunt opiniones omnes rigidiores.

CAPUT LXXXVII.

Diluitur quintum, sextum, septimum, octavum, & nonum argumentum.

1082 OBjicies 5°. certum est, in casibus controversis, de quorum veritate neutra ex parte directa haberi potest certitudo, Deum ab homine non exigere ut sequatur partem directè certò veram. At certum est quòd ubi Deus ab homine non exigit ut sequatur partem directè certò veram, solùm exigat ut sequatur partem isti certitudini quàm proximè potest viciniorem, seu longè probabiliorem. Cùm, in his ignorantiæ tenebris, Deus, qui nihil exigit impossibile, ab homine nihil exigat ultra metam possibilitatis suæ; ideòque dum ad veritatis metam certò pertingere nequit, solùm exigit ut ad eam accedat quàm proximè potest.

Respondeo negando minorem: quia licèt non exigat ut sequatur partem directè certò veram, dum eam assequi non potest, non ideò permittit ut sequatur partem probabiliorem, dum tuta non est à periculo violandæ legis æternæ; sed exigit ut sequatur partem ab eo periculo tutam, tametsi minùs probabilem, ad cavendum illud periculum. Neque enim practicè probabile est quòd adire liceat periculum illud, dum caveri potest.

1083 Objicies 6°. certum est hominem tutò agere, & non peccare, dum prudenter agit. Atqui prudenter agit, dum, in re utrimque incerta, agit secundùm opinionem certitudini quàm proximè potest appropinquantem, longè utique probabiliorem.

Respondeo iterùm negando minorem: quia prudenter non agit, nec sequitur opinionem practicè probabiliorem spectatis omnibus, imò ne practicè quidem probabilem, qui non cavet periculum peccati, quod prudenter timere potest & debet, sequendo opinionem non tutam, dum sequi posset tutam.

1084 Objicies 7°. certum est hominem id prudenter agere, quod prudenter judicat esse licitum. Atqui certum est quòd prudenter judicet esse licitum id quod (post diligens examen) ipsi & aliis sapientibus probabiliùs videtur licitum quàm illicitum. Ergo, &c.

Respondeo 1°. hominem quidem id prudenter agere quod judicio practicè practico, sive spectatis omnibus principiis directis & reflexis (quæ spectanda sunt) prudenter judicat esse licitum. Sed spectato periculo peccati, quod prudenter timere potest & debet, judicio practicè practico prudenter non judicare esse licitum sequi opinionem ab eo periculo non liberam.

1085 2°. aliud esse prudenter judicare aliquid esse verum; aliud prudenter in praxi sequi tale judicium. Unde, gratis dato quòd homo prudenter judicet opinionem (quæ dicit v. g. esse licitum occidere furem cum tuo equo fugientem) esse veram, dum istius opinionis fundamenta, post diligens examen, apparent ipsi probabiliora; consequens non est, quòd non agat imprudenter, judicium istud in praxi sequendo, quia judicium istud in praxi sequendo, periculum est gravissimi & irreparabilis mali, impingendi scilicet in legem æternam, *non occides*; in judicando autem opinionem illam esse veram præcisè (id est sine ordine ad praxim) solùm est periculum faciendi judicium falsum. Ex quibus patet operationem non esse prudentem eo ipso quo dirigitur prudenti judicio speculativo, vel solùm speculativè practico; sed tunc solùm cùm dirigitur prudenti judicio practicè practico.

Objicies 8°. certum est hominem prudenter ad Eucharistiam accedere, officiaque Judicis, Consiliarii, Confessarii suscipere, dum de sua ad Eucharistiam dignitate, atque ad officia ista capacitate, omnibus ritè pensatis, opinionem habet longè probabiliorem, etsi non omnimodè certam. Similiter ergo certum est hominem prudenter agere, dum de honestate suæ actionis, omnibus ritè pensatis, opinionem habet longè probabiliorem, etsi non omnimodè certam. 1086

Nego consequentiam. 1°. quia cùm actio, lege naturæ solùm probabiliùs licita, non sit tuta, omissio verò illius tuta esse supponatur; actio illa & omissio ad invicem comparantur sicut tutum & non tutum. Tutum verò non tuto haud dubiè est præferendum. 2°. quia ex antecedente solùm consequitur licitum esse agere secundùm opinionem probabiliorem, quando est tuta; secùs dum non est tuta. Susceptio verò Eucharistiæ & officiorum illorum, ab eo qui solùm probabiliùs est dignus, vel capax, est tuta, nec ad non susceptionem comparatur, sicut non tutum ad tutum: eò quòd omnimodam de dignitate & capacitate certitudinem, ideò non requirat Deus, quia per gratiam ordinariam non est possibilis in hac vita, nec expedit nobis in tanto elationis periculo constitutis, ut ostensum est suprà num. 1054. & seqq. Unde si absque illa certitudine Eucharistiam adire, officiaque illa suscipere tutum non esset, nullus unquam tutò Eucharistiam adiret, nec officia illa susciperet. Officia tamen illa mundo necessaria sunt, Eucharistiæ quoque susceptio necessaria est. Quia si Ecclesiæ parturienti nulli boni ministrare vellent, *quomodò nasceremini non inveniretis*, ait Aug. epist. 81. ad Eudosium. Et *nisi manducaveritis carnem Filii Hominis*, &c. Aliqui tamen sunt, qui ideò se probabiliùs dignos existimant, vel capaces, quia indignitatem suam, vel incapacitatem culpabili cæcitate suâ non intelligunt. Et isti non excusantur. Istaque est causa propter quam Sancti officia ista, animarumque curam tantoperè detrectarunt, nec nisi coacti Ecclesiæ dignitates capessiverunt.

Objicies 9°. Medicus prudenter curat, Imperator exercitûs prudenter struit vel destruit insidias, Gubernator navis prudenter declinat tempestates, secundùm opinionem visam sibi 1087

pro-

probabiliorem. Ergo quilibet homo prudenter agit secundùm eandem.

Nego consequentiam, dum suppetit via certior & tuta. Quia nec antecedens aliter est verum; imò Medicus ille, Imperator, Gubernator, &c. imprudenter se gererent, si relictâ viâ certâ & securâ, dum suppetit, eligerent incertam (qualis est solùm probabilior) periculo probabili expositam.

CAPUT LXXXVIII.

Diluitur argumentum decimum, undecimum, duodecimum, & decimum-tertium.

1088 OBjicies 10°. plures D. Thomæ opiniones, in materia juris naturæ, ad summum sunt probabiliores, v. g. quòd injustum vitæ invasorem occidere liceat, quòd Judex ad mortem damnare possit & debeat probatum in judicio nocentem, licèt scientiâ privatâ certò sciat esse innocentem, &c. (cùm opiniones istæ gravissimas contra se habeant rationes & authoritates) eas tamen tutissimas Alexander VII. declaravit in Brevi ad Lovanienses.

Respondeo 1°. non constare quòd ista sit absolutè doctrina S. Thomæ; imò verisimile est contrarium, ut ostendam to. 2. ad quintum Decalogi præceptum.

1089 2°. Alexandrum solùm eas declarasse tutissimas in speculatione, id est absque periculo damnati ab Ecclesia erroris defensabiles; non in praxi, quasi illæ tutò sint practicabiles, quarum usus probabiliter est contra legem æternam.

1090 Objicies 11°. si non liceret practicare, nec liceret docere opiniones probabiliores de licito, in materia juris naturalis, nec secundùm eas consilium petentibus dare. At oppositum constat ex praxi omnium sub cælo Ecclesiarum, Episcoporum, Doctorum, &c. qui in omnibus ad naturæ legem pertinentibus, neque certitudinem illam habuerunt, quam Protoparentes habuerunt in Paradiso; neque semper fuerunt Pyrrhones; nec absque omni formidine resolverunt casus controversos (ne de numero essent præsumptuosorum illorum opinantium, quos Augustinus damnat in lib. de utilit. cred. c. 19. eorum scilicet, qui arbitrantur se scire quod nesciunt: quorum per se nota temeritas non benè affecti animi signum est) non ideò tamen peccato se obnoxios crediderunt, resolvendo secundùm veritatem sibi notam; nec ad id necessariam crediderunt certitudinem de veritate resolutionum suarum, sed satis esse censuerunt quòd pro earum veritate longè probabiliora sibi occurrerent argumenta. Neque enim imitati sunt factum præsumptuosum S. Firmiliani, qui suam de rebaptismo sententiam solam existimans veram, damnare præsumpsit contrarium Ecclesiæ Romanæ usum. Sicut & fecit Nicolaus, Leonis sapientis Imperatoris tempore, Patriarcha Constantinopolitanus, ob id à Sergio III. jussus ejici, non quòd quartas nuptias improbaret, sed quòd Latinæ Ecclesiæ doctrinam & praxim eas approbantem damnaret.

Respondeo 1°. non esse licitum opiniones illas practicantibus promittere securitatem, prout num. 1071. ostensum est; nec hoc facit Orbis universus, nec sancti Doctores fecerunt, nec probari potest id ipsos fecisse. Aliud est enim tradere doctrinam directè asserentem hoc vel illud esse licitum (quod solum probari potest ab ipsis factum) aliud tradere doctrinam reflexè asserentem, securum esse, & ab omni peccato immunem, qui in praxi sequitur directam doctrinam illam. Hoc non fecerunt Sancti in materia controversa juris naturalis, sed mentem suam super propositis sibi quæstionibus simpliciter exposuerunt, declarantes, quid certum, quid probabile, quid periculosum, quid dubium sibi videretur. In quo nihil mali. Siquando practicam securitatem promiserunt, in re indubitata id fecerunt, ut S. Athanasius, dum Dracontio Monacho jussit acceptationem Episcopatûs, non obstante voto suo & juramento, de Episcopatu non acceptando. Invalidum quippe votum istud & juramentum S. Athanasius ex sententia indubitata censuit, si per illud Dracontius intendisset se adstringere ad Episcopatum ne quidem acceptandum, in casu quo acceptatio ipsi per obedientiam præciperetur à Superiore Prælato, pro Ecclesiæ necessitate eam præcipiente. Neque enim fuisset de meliori bono; imò de peccato. Quia, ut angelicè Doctor Angelicus 2. 2. q. 185. a. 3. Episcopatum à Superiore propter Ecclesiæ necessitatem finaliter recusare, peccatum est, charitati & humilitati repugnans. Et qui hoc vovet, illicitè vovet, prout dicit ad 3. Et reverà indubitata est sententia illa, sic intellecta; nec ei S. Basilius sensu isto contradixit, sed alio; quemadmodùm & in aliis plerisque sancti Doctores sibi invicem nonnullis in punctis visi sunt contradicere; reverà tamen non contradixerunt, ne quidem S. Thomas & S. Bonaventura, quoad condemnationem innocentis, probati in judicio nocentis, uti suo loco ostendam. Et idem S. Bonaventura plerisque videtur contradicere S. Thomæ quoad obligationem confitendi mortale statim atque se opportunitas offert. Sed contrarium doctissimus Charlasius ostendit in disputatione sua Theolog. de opin. delectu cap. 30. sicubi tamen in concernentibus naturæ legem sibi invicem contradixerunt, in illa ipsorum ad invicem contradictione oportuit quidem unam partem contradictionis esse veram, alteram falsam, sed à peccato contra legem sequaces non excusavit opinio falsa, uti manifesta est S. Thomæ doctrina cap. 82. §. 3. relata. Nec ullus sanctorum Doctorum exhiberi potest, qui ante S. Thomam aliter senserit. Nos num. 1069. exhibuimus Augustinum expressè monentem 1091

non, valere securitatem à se datam, si à lege æterna deviaret doctrina vel opinio ipsius. Et num. 1071. dispensatores serpentis vocantem, qui promittunt quod non promisit Deus. Et n. 1018. S. Raymundum securitatem dare non audentem ei, qui non restituit bona aliena legitimè præscripta, quamvis fateatur opinionem, quæ ipsum à restitutione liberat, per universum Orbem servari, quocumque se diffundit Ecclesia. Sed & S. Thomas & S. Bonaventura licèt existiment nimis durum obligare peccatorem ad statim confitendum, quando se offert opportunitas; fatentur tamen quòd periculosum sit differre, ut videre licet apud Charlasium loco citato.

1092 Respondeo 2°. non solùm agentem, sed & docentem contraria juri naturæ sæpè graviter peccare; quando utique doctrinâ suâ directè vel indirectè, seu interpretativè aliis causa est agendi contra jus naturæ, uti de iis constat, de quibus Veritas: *Cæci sunt; cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt. Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras. Ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum. Qui justificat impium, & qui condemnat justum, abominabilis est uterque apud Deum.* Unde graviter haud dubiè peccarunt Scribæ & Pharisæi in tradenda doctrina de Corban; habentque quòd vehementer timeant Probabilistæ, dum securitatem promittunt sequacibus opinionum quarumcumque, quas practicè probabiles vocant, cùm tales non sint. Et idem est de Doctoribus omnibus laxiorem doctrinam, quasi securè practicabilem docentibus. Verè enim causa sunt innumerabilium peccatorum, perditionisque infinitarum animarum, quæ cæcos ejusmodi duces sequendo, relictâ arctâ viâ, quæ ducit ad vitam, per latam gradiuntur, quæ ducit ad perditionem. Sed illi præ cæteris laxones perniciem magnam animarum inferunt saluti, qui laxa sic docent, ut contraria docentes temerariâ præsumptione damnare audeant, & diffamare velut hæreticos, Novatores, Rigoristas, &c. Quia fidelem populum dupliciter decipiunt. Primò, ipsum inducendo ad sequendum pernicioſa docentes. Secundò, avertendo ipsum à sequendis salutaria docentibus. Cùmque Doctorum Christianorum officium sit omnem operam ponere, ut homines, ex se ad malum & laxiorem viam proclives, coërceant, & in arcta mandatorum via contineant, jamque in peccatis mersos atque jacentes excitent, concutiant, erigant; indulgentioribus Medicis atque Chirurgis similes, eò curam omnem convertunt, ut leviora quàm efficaciora quærant & suggerant remedia (inquit Charlasius cap. 29.) ex quo fit, ut putrescant vulnera, non sanentur.

1093 Cavendum quidem est (prosequitur Charlasius) ne cum Legisperitis oneremus homines oneribus quæ portare non possunt. Luc. 11. 46. eamque ob causam veritas diligenter inquirenda, & vis legis accuratè perscrutanda, ne ultrà quàm par est producatur. Sed profectò, experientiâ teste, magis verendum est, ne homines, commodiora sectantes, & metuentes aspera, in Medicos incidant similes iis, de quibus S. Cyprianus lib. de lapsis: *Imperitus est Medicus, qui tumentes vulnerum sinus manu parcente contrectat, & in altis recessibus viscerum virus inclusum, dum servat, exaggerat*; quorum misericordiam ibidem falsam vocat, cùm sit *misericordiæ titulo malum fallens, & blanda pernicies.* Et tales Medici *hoc sint ejusmodi lapsis, quod grando frugibus, quod turbidum sidus arboribus, quod armentis pestiliens vastitas*, &c.

Respondeo 3°. non peccare omnes, qui docent contra jus naturæ, tametsi peccent omnes, qui deliberatè agunt contra jus naturæ: quia hi omnes volunt objectum intrinsecè malum, affectumque habent ad id quod est juri naturæ contrarium: non illi, qui in materia juris naturæ simpliciter proponunt quod sibi videtur, tametsi fallantur; dummodò illud proponant salvo meliori judicio, nec discipulos inducant ad praxim eorum quæ docent, suâ, vel aliorum hominum authoritate ipsos securos reddendo. Verùm ut equidem à peccato immunes sint, à se removere debent obstacula obtinendæ à Deo sapientiæ, mediaque adhibere necessaria ad non errandum; nec se ingerere ad docendum, dum minùs idonei sunt, ob ingenii vel studii defectum; nec de sua scientia esse præsumptuosi, nec docendi munus invadere sine divina vocatione, cùm scriptum sit: *Nolite plures magistri fieri, scientes quia majus judicium sumitis.* Jacob. 3. Et iterùm: *Nolite petere à Domino ducatum, neque à Rege Cathedram honoris.* Eccli. 7. Estque naturæ vox apud Arrianum l. 3. c. 21. *Fortassis sapientem esse non est satis ad regendam adolescentiam; sed &.... requiritur.... ut Deus ipse munus istud capessere suadeat.... scire debet se à Deo legatum esse, ut hominibus quæ bona, quæ mala sunt, nuntiet, ut quantis in erroribus versentur demonstret.* 1094

Objicies 12°. disciplinati est in unaquaque re certitudinem quærere juxta exigentiam materiæ, ait Philosophus Ethic. 2. Quia ergo in remotioribus conclusionibus juris naturæ, ob earum obscuritatem, haberi nequit omnimoda certitudo, Deus, qui nihil à nobis exigit supra id quod possumus, ad licitè agendum solùm exigit, ut circa eas nihil faciamus, nisi quod licitum esse certò moraliter judicemus: solùm proinde exigit, ut nihil faciamus, nisi quod licitum esse longè probabiliùs existimemus; siquidem probabilitas longè major est quædam moralis certitudo, uti ex Glossa, & variis Canonibus probat Fagnanus ad caput *ne innitaris* n. 225. 1095

Respondeo negando consequentiam: quia cùm disciplina moralis scientiæ sibi nomen vindicet, sua habet principia certa, sicut Philosophia, & Theologia, cujus pars est. Et in actibus

actibus quidem humanis ; ſuper quibus conſtituuntur judicia , & exiguntur teſtimonia , non poteſt haberi certitudo demonſtrativa ; eò quòd ſint circa contingentia & variabilia. Et ideò in iſtis ſufficit probabilis certitudo , quæ ut in plurimus attingat veritatem , & in paucioribus à veritate recedat, ait S. Thomas 2. 2. q. 70. a. 2. Et ideò de talibus Scriptura dicit , *in ore duorum vel trium teſtium ſtare omne verbum* , licèt duorum vel trium teſtimonium in paucioribus contingat eſſe falſum. Sed varietas illa, ſeu variabilitas ſic contingit in iis quæ ſunt juris humani, ut non contingat in iis quæ ſunt juris naturalis ſeu legis æternæ, quæ eſt immutabilis. Quam ob cauſam, licèt in iis quæ ſunt juris humani ſufficiat probabilis certitudo ; non ſufficit in iis quæ juris ſunt naturalis. Quia ſcientia moralis ſua de iis habet principia certa , & regulas , ex quibus certò judicare poſſumus, quid nobis agendum , dum ſolùm habemus probabiliorem de licito opinionem, vel moralem certitudinem talem, cui falſum ſubeſſe poſſit , quamque ſequendo prudenter timere poſſimus & debeamus periculum violandæ legis æternæ. Inter quæ principia illud unum eſt, *viam omninò tutam non tutæ eſſe præferendam.*

1096 Inſtabis : in remotis & obſcurioribus concluſionibus juris naturæ, etiam adhibitis precibus, diligentiâ inquirendi veritatem, & peritorum conſilio , veritas clarè non eluceſcit , ſed ſolùm probabiliter , vel probabiliùs. Ergo ſaltem tunc Deus permittit majorem de licito ſequi probabilitatem : niſi enim contentus eſſet probabiliori actionum noſtrarum cum lege ſua conſenſione, clariùs & expreſſiùs nobis voluntatem ſuam ſignificaret.

Reſpondeo negando conſequentiam. Dum enim circa concluſiones illas clariùs ſuam nobis voluntatem non exprimit per principia directa , ſatis clarè eam exprimit per principia reflexa , præcipiendo ut viam tutam præferamus non tutæ, caveamuſque, dum poſſumus, periculum violandæ legis æternæ , dum juſtus eſt vel eſſe debet timor illius. Perperàm ergo obſcuritate illâ divinæ legis Probabiliſtæ & Probabilioriſtæ utuntur, ad excuſandos actus legi æternæ contrarios, pollicendamque ſecuritatem ſequacibus falſarum opinionum ſuarum, dummodò probabiliter vel probabiliùs exiſtimentur legi illi non eſſe contrariæ ; cùm obſcuritate illâ potiùs uti deberent ad cavendum periculum violandi legem illam , prout uſi ſunt Sancti, cum Auguſtino l. 21. Civit. c. ult. dicentes, quòd in remotioribus fortaſſis ideò lex æterna nobis manet obſcura, *ne ſtudium proficiendi ad omnia peccata vitanda pigreſcat.* Tunc ergo Sancti periculum timuerunt, cum B. Job dicentes : *Verebar omnia opera mea, ſciens quòd non parceres delinquenti.* Quid autem facilius ipſis fuiſſet quàm timorem omnem abjicere, ſi ab omni peccato formali ſecuros ſe credidiſſent, ſequendo probabilem , vel probabiliorem opinionem de licito, etiamſi falſam eſſe contigiſſet ? Sed cauſa timoris ipſorum fuit, quia verebantur ne opinio veriſimilis vel veriſimilior ipſos falleret.

Non igitur obſcuritate legis uſi ſunt Sancti 1097
ad excutiendum illius violandæ timorem , dummodò opinio de licito probabilior ipſis occurreret ; ſed etſi non ignorarint facile fuiſſe ſapientiſſimo Legiſlatori dictarum concluſionum veritatem apertè & diſtinctè nobis indicare ; ipſis tamen perſuaſum fuit, ideò Deum id noluiſſe, quia voluit ut in lege ejus meditaremur die & nocte, ut ſenſum ipſius petentes, quærentes, pulſantes, inveniremus, inventum amplecteremur , ad normamque ipſius mores noſtros componeremus , ac denique præmium conſequeremur , eò amplius, quò majori promeritum labore. Poſt quem, ſi nondum clarè veritas innoteſceret , exiſtimarunt Deum in iſta nos obſcuritate relinquere, ut ſemper proficeremus in virtute, periculoſa cavendo, & ideò jucundiora & commodiora (quæ ferè ſemper periculoſa ſunt) declinando, & adverſario libertatis ac voluntatis noſtræ conſentiendo ; vim denique nobis facere non recuſando.

Iſtum fuiſſe ſenſum & uſum Sanctorum vi- 1098
dimus ex Auguſtini ſententia, dum loco citato difficultatem oſtendens diſcernendi quæ peccata mortalia ſint, quæ venialia , ex iſta difficultate non concluſit ; Deum idcircò obſcurum id eſſe voluiſſe , quo ſignificaret legem abſque mortali poſſe violari , modò opinio probabilior id ſuaderet , ſed ne ſtudium proficiendi ad omnia peccata cavenda pigreſceret.

Objicies 13°. ſi in conflictu opinionum 1099
circa abſtruſiora juris naturæ ſequi non liceat probabiliora , ſed tutiora ſequenda ſint, inutile erit ſtudium Theologiæ Moralis : quia tutiora facilè & nullo ferè ſtudio cognoſcuntur.

Reſpondeo 1°. nos non aſſerere ſequenda tutiora, ſed tuta. 2°. Theologiæ Moralis ſtudium non ideò utile ac neceſſarium eſſe, ut inquirantur rationes efficiendarum opinionum probabiliorum libertati faventium contra legem , nec ideò Theologum Chriſtianum in lege Domini debere meditari die ac nocte, ut ejuſmodi opiniones quærat. Aliàs mutandæ forent orandi formulæ , quibus oportet nos cum Pſalmiſta orare : *Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam, & cuſtodiam illam in toto corde meo. Deduc me in ſemitam mandatorum tuorum, quia ipſam volui* , &c. Sed rogandus eſſet Deus, ut lumen daret & ſapientiam , quâ excogitare poſſemus rationes probabiliores, quibus inſtructi prævaricantes non reputarentur omnes peccatores terræ. 3°. ex 1100
hoc quòd tuta præ non tutis ſequenda ſint , Theologiæ Moralis ſtudium exardeſcit potiùs quàm refrigeſcat : quia cùm homines propenſiſſimi ſint ad excuſandas excuſationes in peccatis, vehementer laborandum eſt, ut intelligatur, quàm infundatæ ſint excuſationes iſtæ, quàm parum tutæ opiniones falſæ , libertati

faventes contra legem, quàm ſtudioſè cavendum periculum peccati, ne ſalus æterna diſcrimini committatur, &c.

CAPUT LXXXIX.

Trium poſtremorum argumentorum imbecillitas oſtenditur.

1101 OBjicies 14°. ſubditus, in omnibus non manifeſtè malis, juxa SS. Patres obedire debet Prælato præcipienti. Nec peccare poteſt obediendo; imò cum magno obedientiæ merito obedit, licèt Prælatus homo ſit fallibilis, qui præcipere poteſt aliquid juri naturæ contrarium. Ergo tunc etiam obedire tenetur, cùm id quod Prælatus præcipit, probabiliùs eſt juri naturali contrarium. Nec proinde tunc obediendo peccat.

Reſpondeo, antecedens cum grano ſalis certiſſimè eſſe intelligendum, etiam juxta doctrinam Sanctorum. Aliàs repugnaret doctrinæ Sanctorum Auguſtini, Bernardi, Thomæ, &c. de iis quæ ſunt contra jus naturæ, deque ignorantia in iis non excuſante. Repugnaret etiam Decretis Alexandri VII. & Innocentii XI. quibus variæ propoſitiones, jus naturæ concernentes, declarantur ſcandaloſæ, & in praxi perniciosæ. Quid enim ſi aliquam earum Prælatus aliquando præcepiſſet? ſuone præcepto efficere potuiſſet ut ſubdito obedienti pernicioſæ non fuiſſent? Poteſtne aliquis homo efficere, ut quod lege æternâ illicitum eſt, illicitum non ſit, & ſic legem immutabilem mutare, quod ne Deus quidem poteſt? Certiſſimum eſt ergo doctrinam illam Sanctorum paſſim quidem & utplurimùm veram eſſe, in iis quæ humanæ ſubſunt poteſtati, & in his quæ non ſunt apertè contra Deum, ut loquitur Bernardus: verùm eſſet apertè contra Deum obedire Prælato præcipienti aliquid, quod probabiliùs vel probabiliter eſt contra Deum. Quia eſſet apertè contra legem Dei, non ſolùm prohibentem peccatum, ſed & præcipientem caveri probabile periculum illius. Cui ſi Prælatus exponere ſe præciperet, præciperet id quod non eſt in ſua poteſtate, nec intra ſphæram materiæ, ad quam ſe extendit votum obedientiæ.

1102 Objicies 15°. ſimplices & minùs docti in dubiis & difficultatibus ſuis à Spiritu ſancto paſſim in ſacris Paginis remittuntur ad judicium & conſilium ſeniorum & ſapientiorum; jubenturque eos audire Deuteron. 32. *Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi*, &c. Sap. 22. *Audi verba ſapientum.* Tob. 4. *Conſilium à ſapiente perquire*, &c. Atqui judicium & conſilium ſeniorum & ſapientum aliquando eſt de re probabiliùs contraria juri naturæ. Ergo ſimplices & minùs docti non peccant, etiam tunc audiendo & ſequendo conſilium ipſorum. Neque enim peccare poſſunt audiendo Inſtructores ſibi datos à Spiritu ſancto.

Reſpondeo 1°. eandem Veritatem, quæ ſimplices & minùs doctos ad doctos Sacerdotes, & Prælatos, pro inſtructione miſit, v. g. Judæos ad Scribas & Phariſæos, de iiſdem alibi dixiſſe: *Si cæcus cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt.* Et ideò reſpondeo 2°. negando conſequentiam, ipſius namque probatio ducit in præcipitium. Probat enim (ſiquid probat) eos ne tunc quidem peccare, dum ab Inſtructoribus, ſibi datis à Spiritu ſancto, prava docentur, v. g. idololatriam. Sed hac de re quid Auguſtinus? Ipſum num. 998. audivimus loquentem de puero, nato inter Paganos, & ab ipſis edocto idololatriam, majorum proinde authoritate atque exemplo lapides colente; non tamen ipſum excuſat Auguſtinus, ſed de impietate iſta veniam jubet deprecari. Siquis tamen ſimplicium excuſabilis eſſet, quòd ex majorum vel ſapientum conſilio contra naturæ jus feciſſet, maximè parvulus iſte, de quo ſic Auguſtinus: *Quid faceret puer natus inter parentes, ut non coleret lapidem, quando illum cultum inſinuaverunt parentes ejus? Inde prima verba audivit, illum errorem cum lacte ſuxit. Et quia illi qui loquebantur, majores erant, & puer qui loqui diſcebat, infans erat, unde poterat parvulus, niſi majorum authoritatem ſequi, & id ſibi bonum ducere, quod illi laudarent?* Simplices ergo non excuſari à toto, ſequendo conſilium ſeu inſtructionem majorum, in iis quæ ſunt contra jus naturæ, certa eſt Auguſtini ſententia: etiamſi fatendum ſit quòd ſi in ipſis nullum eſſet obſtaculum gratiæ & illuminationis divinæ (uti eſt in puero illo peccatum originale) facerentque totum quod in ſe eſt ad cognoſcendam veritatem neceſſariam ad ſalutem, Deus ipſos inſtrueret per ſe, vel per Conſiliarios vel Doctores veritatis, præſervaretque à magiſtris erroris. In quos dum aliqui incidunt, in pœnam peccati incidunt, Deo ſpargente pœnales cæcitates ſuper illicitas eorum cupiditates, & permittente ut cæci in cæcos duces incidant: ſicut populo Judaïco Dominus comminatus eſt Iſa. 3. 4. *Dabo pueros Principes eorum, & effeminati dominabuntur eis.* Unde 3. Reg. 18. Deus propter ſcelera Achab dediſſe dicitur ſpiritum mendacii in ore omnium Prophetarum, ut cùm conſuleret eos, deciperetur ab eis. Et Ezech. 14. *Qui poſuerit immunditias in corde ſuo.... & venerit ad Prophetam, interrogans per eum me; ego Dominus reſpondebo ei in multitudine immunditiarum ſuarum.* Et infrà: *Propheta cùm erraverit, & locutus fuerit verbum, ego Dominus decepi Prophetam illum.... juxta iniquitatem interrogantis, ſic iniquitas Prophetæ erit.* Itaque propter peccata hominum, Deus plerùmque permittit eos decipi & excæcari, vel 1°. permittendo quòd à malis Doctoribus doceantur falſa, ut proximè oſtenſum eſt. Vel 2°. faciendo ut boni Doctores taceant, nec inſtruant de neceſſariis ad ſalutem, juxta illud Ezech. 3. *Linguam tuam adhærere faciam palato tuo, & eris mutus, nec quaſi vir objurgans: quia domus exaſ-*

perans est. Vel 3°. faciendo ut peccatores non intelligant bonos Doctores vera docentes, juxta illud Isa. 29. *Et erit vobis visio omnium, sicut verba libri signati; quem cùm dederint scienti litteras, dicent, lege istum. Et respondebit: non possum; signatus est enim*, &c.

1103 Objicies 16°. Si vera sit regula nostra 13. & 14., vita nostra obnoxia erit innumerabilibus anxietatibus, & scrupulis.

Respondeo 1°. negando antecedens. Quia regula nostra nihil tradit, nisi quod ab ipsissimet Probabilistis & Probabilioristis, & ab omnibus mortalibus sine scrupulo & anxietate in omni servatur negotiorum genere, uti vidimus n. 1077.

1104 2°. cur vita nostra potiùs exposita est innumerabilibus scrupulis, ex hoc quòd ubi agitur de lege naturali, abstinendum sit ab omni eo, in quo justus nobis inest, vel inesse debet timor peccandi contra illam, si abstinere absque simili periculo possimus, quàm ubi agitur de quocumque negotiorum humanorum genere, in quo prudentes abstinent ab eo, in quo justus ipsis timor inest, vel inesse debet incurrendi damni temporalis? Si scrupulosi non fuerint Sancti, qui divinam offensam, illiusque periculum metuebant, etiam in iis in quibus nec Probabilistæ, nec Probabilioristæ ullum agnoscunt illius periculum: quam ob causam Theologi, Concionatores & animarum Directores dicendi sunt materiam præbere scrupulorum fidelibus, proponendo exempla illa Sanctorum? Profectò si à fidelium cordibus amovendus esset justus timor mali, Scriptura non diceret Prov. 14. 16. *Sapiens timet, & declinat à malo; stultus transilit, & confidit.* Et cap. 28. 14. *Beatus homo qui semper est pavidus*, &c. Sanè non video (inquit Charlasius) quâ ratione scrupulis dent ansam, qui docent non licere id facere, quo perfringendam legem Dei naturalem prudenter judices vel timeas; nisi scrupulum appelles præceptum de Deo summè diligendo. Neque enim summa Dei dilectio stare potest cum voluntate faciendi id quod prudenter timeas, vel timere debeas esse contra dilecti voluntatem.

1105 Nec propterea fideles perpetuis cruciabuntur anxietatibus, quasi semper paventes, vel pavere debentes periculum violandæ legis Dei. Quia si utantur adjumentis cap. 83. n. 1044. 1045. 1046. 1047. 1048. 1049. 1050. & 1051. memoratis, confisi divinis promissis, à divina bonitate firmiter sperare debent, quòd, per cognitionem veritatis faciendorum, vel omittendorum, ab ejusmodi anxietatibus liberabuntur.

1106 Ad consolationem ipsorum moneri etiam poterunt, quòd siquando, post consultationem peritiorum, ex toto non liberentur ab errore & ignorantia; tanta tamen esse potuerit diligentia, ab ipsis adhibita ad cognoscendam veritatem, tanta etiam cura adhibendi cætera adminicula cognoscendæ veritatis, ut ea quæ supereſt ipsis culpabilis ignorantia, mortalis non sit, sed venialis, uti dixi libro præcedenti.

CAPUT XC.

Reflexio salutaris ad proximè dicta.

EX ibi dictis prudens Lector mirabitur vi- 1107
tium illud tam commune, quo nimis festinanter inclinatur animus ad assentiendum propositionibus, vel falsis quasi veris, vel incertis quasi certis. Unde hoc, nisi ex eo quòd impelluntur amore suarum, vel sui Sodalitii opinionum, quo sic eis adhæreſcunt, ut ne audire quidem velint ea quibus fortè ad veritatem revocarentur?

Levissimæ rationes, istis opinionibus faven- 1108
tes, invictissima videntur argumenta. Rationes in contrarium, licèt demonstrativæ, ne probabiles quidem videntur. Estque istud miseratione dignum, quòd hoc vitium in aliis omnes notamus & reprehendimus (inquit Charlasius) in se ferè nemo.

Argumenta, quæ contra Probabilismum 1109
deduximus suprà, sapientioribus hodie videntur adeò certa & evidentia, ut iis cedere debeant universi. Sed iis adeò non cedunt, qui anticipatarum opinionum suarum amore tenentur, vel qui doctrinam regendis suaviter fidelibus, vel suis etiam fortè cupiditatibus magis commodam sequuntur, ut eam sibi eripi nequaquam ferant, veritatique contra Probabilismum tanto cum splendore radianti, non solùm non cedant, sed adhuc Probabilismum suum certò licitum asserere non desinant.

Et mihi ipsi (fateor) adeò certa & convin- 1110
centia olim visa sunt argumenta sexdecim, pro Probabilioriſmo, saltem reformato, sive ex germanis Ethices Christianæ fontibus deprompto, cap. 84. & seqq. adducta, ut saltem pleraque ex ipsis viderentur demonstrativa. Verùm in lege Domini profundiùs meditanti, remque maturiùs expendenti, sæpiùs ac ferventiùs invocato cælesti lumine, tandem visa sunt leviora, efficaciterque per data ad ea responsiones enervata & soluta; vel hinc ergo intelligamus, vitiosum esse, fallacibus & minùs solidis rationibus ita affici, ut iis defixus animus scire se putet, quod reverà nescit, & non errare, ubi reverà errat. Quod ideò turpissimum Augustinus l. 6. de util. cred. pronuntiat, quòd & discere non potest, qui sibi jam se scire persuasit, & per se ipsa temeritas non benè affecti animi est signum. Quod si benè perpendissent Probabilistæ, tot sapientissimorum Episcoporum censuras contra suam de probabilitate doctrinam non provocassent, nominatim eam, quæ ipsum etiam Probabilioriſmum configere videtur: *Hæc doctrina* (ait Illustrissimus Henricus de Gondrin, Archiepiscopus Senonensis) *quatenùs omnes probabiles opiniones, quæ falsæ utique esse possunt* (quod etiam probabilioribus convenit) *in con-*

scientia tamen tutas asserit ; ac proinde cæcis, id est falsam & æternæ legi contrariam regulam sequentibus, immunitatem à peccato, & securitatem spondet, falsa & erronea est : Scripturæ contraria, summam humanarum actionum regulam, legem scilicet æternam destruit : divinæ legis, & Evangelicæ veritatis amorem, & studium extinguit : utriusque necessitatem evacuat, & perniciosam in hominum mentibus securitatem ingenerat.

1111 Quod censura ista de Probabilismo asserit, per eum destrui primam & summam humanarum actionum regulam, legem scilicet æternam, solidis argumentis ostendimus etiam in Probabiliorismum quadrare. Lex quippe æterna sic est prima summaque actionum humanarum regula, ut Theologi passim omnes cum S. Thoma 1. 2. q. 19. a. 4. doceant, rationem humanam non esse regulam voluntatis humanæ, nisi quatenùs conformis est legi æternæ. Verùm hoc evertitur, si probabilioritas legi æternæ contraria, humanæ voluntatis secura esse possit regula. Nam excusari poterit, quod lex æterna damnat, & securitatem procurator dare poterit iis quibus non dat supremus Dominus, nec condemnabuntur omnes qui dissonam à lege æterna vitam duxerint ; alia quoque erit salutis via, quàm divinæ legis custodia ; & jam ampliùs necesse non erit, cum Sanctis orare, *Doce me justificationes tuas ; legem pone mihi viam justificationum tuarum : deduc me in semitam mandatorum tuorum : veritatem tuam doce me* ; sed solùm, *doce me probabilioritatem*, &c. Sed hac de re satis dictum est suprà.

CAPUT XCI.

Varia ex præmissis Corollaria derivantur. Primum : Illicitum est in Sacramentis conficiendis, relictâ viâ certâ (dum suppetit) extra casum necessitatis sequi opinionem probabilem, vel etiam probabiliorem de eorum valore, etiam ubi non periclitatur salus proximi, sed solùm valor Sacramenti.

1112 EX dicendis in præsenti Corollario novum robur accipient quæ in superioribus dicta sunt de illicito usu opinionis etiam probabilioris de licito, saltem in materia juris naturalis. Si enim licitus esset usus opinionis probabilioris de licito ; quidni similiter licitus esset usus opinionis probabilioris de valore Sacramenti? An propter periculum nullitatis, cui Sacramentum exponeretur ? At si cavere nos oportet periculum nullitatis Sacramenti, & in materia justitiæ, cavere periculum injustitiæ contra proximum, &c. alia ratio non est, nisi quia cavere nos oportet periculum violandæ legis divinæ. Quæ ratio locum habet in omni materia legis naturalis, ubi solùm agitur de licito. Tolle enim rationem illam, tam erit licitum, in materia Sacramentorum, justitiæ, &c. sequi opinionem probabiliorem, quàm in quacumque alia materia juris naturalis. Et si in alia materia sequens opinionem probabiliorem non exponat se formali & morali periculo violandæ legis æternæ, sed solùm materiali & physico ; idem pari ratione dici poterit in quacumque alia materia.

Et ideò magis consequenter Medina, Alanus, aliique non pauci apud Ildephonsum Baptistam 1. 2. to. 3. disput. 208. n. 770. & Dianam p. 4. tr. 4. resol. 4. & p. 9. tr. 7. resol. 59. licitum esse censent, in Sacramentis conferendis sequi opinionem etiam minùs probabilem, & minùs tutam, non obstante periculo nullitatis Sacramenti. Sed quia usus istius opinionis nedum Sacramentum exponeret periculo nullitatis, sed & proximum periculo damnationis, alii Doctores eandem opinionem limitantes, dixerunt licitum esse usum opinionis probabilis de valore Sacramenti, relictâ tutiore, nisi vetaret lex, conventio, vel periculum damni gravis ; nec proinde usui illi obstare periculum Sacramenti, at salutis proximi dumtaxat. Ideòque ab usu illo solùm abstinendum in collatione baptismi, Ordinisque Sacerdotalis, aut Episcopalis : quia nimirùm periclitante valore istorum Sacramentorum, salus proximi periclitatur. 1113

Verùm opinionem istam reprobavit, nostramque assertionem probavit Ecclesia, dum per Innocentium XI. damnavit hanc propositionem : *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relictâ tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententiâ probabili tantùm utendum non est in collatione baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.* 1114

Et ratio improbandi hanc opinionem est 1°. quia sicut charitas in proximum vetat, ne extra casum necessitatis Sacramentum exponamus periculo frustrati effectûs ; sic religio in Deum (Sacramentorum Authorem) vetat ne, extra casum necessitatis, Sacramentum exponamus periculo frustrati valoris. Et sicut charitas proximi obligat, ut dum non possumus ex toto cavere periculum alienæ salutis, saltem illud caveamus quantùm possumus, ita ut proximi salutem minori periculo exponamus, ac fieri potest : sic Sacramenti religio obligat, ut dum ex toto non possumus cavere periculum nullitatis Sacramenti, saltem illud caveamus quantùm possumus, ita ut Sacramenti valorem minori periculo exponamus, ac fieri potest. 1115

2°. quia Minister Sacramentorum, eo in ministerio, Christi personam sustinet. At verò non satis reverenter Christi personam sustinet, qui verba ejusdem Christi, id est Veritatis nomine prolata, sine necessitate exponit probabili vel probabiliori periculo falsitatis & irritationis : quemadmodùm Legatus non satis reverenter sustinet personam Regis, si verba, Regis nomine prolata, sine necessitate, tali periculo exponat. 1116

3°. sicut meritò argueretur irreverentiæ in Deum, qui in Dei cultu adhiberet ceremonias 1117

probabiliter, vel probabiliùs profanas, & gentiles, dum posset adhibere certò christianas & sacras; & qui adorationi exponeret hostiam probabiliter, vel probabiliùs non consecratam, dum posset adhibere certò consecratam: ita & ille qui in Sacramentis administrandis adhiberet materiam vel formam probabiliter vel probabiliùs invalidam, dum posset adhibere certam.

1118 4°. denique quia maximè in ejusmodi locum habet Magistralis Augustini regula, *tene certum, dimitte incertum.* L. 50. Homil. 41. Item *graviter peccat quis in rebus ad salutem animæ pertinentibus, vel eo solo quòd certis incerta præponit.* L. 1. de Baptismo contra Donatist. c. 3.

1119 Dixi *citra necessitatem*: conveniunt quippe Theologi in necessitate, dum adhiberi nequit materia certa, seu aliud requisitum ad valorem, v. g. dum puer moritur, nec adest copia aquæ, nisi rosaceæ, tunc Sacramentum administrari posse in materia, seu alio ad valorem requisito, solùm probabili, dummodò tunc adhibeatur probabilior, quæ adhiberi potest. Cùm enim Sacramenta instituta sint pro salute hominum, non contra, quando simul vitari nequit periculum Sacramenti, periculumque salutis proximi, istud potiùs vitari debet quàm illud, nec tunc fit irreverentia Sacramento, utpote quod non temerè, sed prudenter & ex necessitate exponitur periculo.

CAPUT XCII.

Secundum Corollarium: Non est licitum scienter (extra casum necessitatis) absolvere pœnitentem, solùm formidolosè attritum.

1120 PAtet ex dictis capite præcedenti: cùm non solus animarum zelus, nec sola charitas in proximum, sed & religio in Deum postulet, ut quoad fieri potest, in administratione Sacramenti Pœnitentiæ, sicut & aliorum Sacramentorum, certa incertis præferantur, nec proinde Sacramentum administretur in materia probabili, & incerta, dum adhiberi potest certa. *In* ejusmodi namque *rebus ad salutem animæ pertinentibus graviter quis peccat, vel eo solo quòd certis incerta præponit.* De quo ne dubium superesset, Ecclesia damnavit propositionem, quæ dicit, *non esse illicitum, in Sacramentis conferendis, sequi opinionem probabilem de valore illius, relictâ tutiore*, &c. damnandoque declaravit practicè probabile non esse, quòd liceat adhibere materiam Sacramenti solùm probabilem, seu probabiliter sufficientem ad valorem Sacramenti, ubi materia certa suppetit.

1121 Cùm igitur contritio vel attritio sit materia, vel quasi materia Sacramenti Pœnitentiæ; illud administrare contrito, vel attrito, contritione vel attritione solùm probabiliter sufficiente, est illud administrare in materia vel quasi materia incerta, solùmque probabili, dum adhiberi potest certa. Quod cùm (secundùm Ecclesiæ doctrinam) non liceat, nec practicè probabile sit quòd liceat, secundùm eandem Ecclesiæ doctrinam practicè probabile non est, quòd liceat scienter administrare Sacramentum Pœnitentiæ solùm attrito attritione formidolosâ: utpote cujus sufficientia non est certa, ne moraliter quidem, sed ambigua & probabilis dumtaxat. Si enim S. Thomas quodlib. 9. a. 15. jure ambiguam pronuntiavit opinionem, de licita beneficiorum polygamia, ex eo quòd circa illam invenirentur Theologi Theologis, & Juristæ Juristis contraria sentire (*Veritas*, inquit, *ambigua est... in hac quæstione. Cùm enim hæc quæstio ad Theologos pertineat, in quantum dependet ex jure divino, vel ex jure naturali; & ad Juristas, in quantum dependet ex jure positivo: inveniuntur in ea Theologi Theologis, & Juristæ Juristis contraria sentire*) jure majori ambigua pronuntiatur opinio de sufficientia attritionis purè formidolosæ, non solùm ex eodem, seu simili fundamento (ex eo scilicet quòd in ea inveniantur Theologi Theologis, Episcopi Episcopis, Academiæ Academiis, Scholæ Scholis contraria sentire, nec ulla sit quæstio tam solemniter in Scholis controversa, quàm ista, ut totus Orbis Catholicus novit) sed & quia tota omninò Antiquitas opinioni illi contradicit, uti videbitur to. 3. lib. 5. ubi hac de re plura.

CAPUT XCIII.

Corollarium tertium: Extra casum necessitatis non est licitum Confessario pœnitentem absolvere secundùm opinionem incertam & probabilem dumtaxat de sua jurisdictione; nec pœnitenti licitum est tali Confessario peccata sua confiteri. Nisi ipsi faveat error communis, tituluſque coloratus proveniens à legitimo Superiore.

PRobatur, quia non est licitum in Sacra- 1122
mentis conferendis & suscipiendis sequi opinionem probabilem de ejus valore, relictâ tutiore. Ergo non est licitum in collatione vel susceptione Sacramenti Pœnitentiæ sequi opinionem probabilem de jurisdictione Ministri, relictâ tutiore. Quippe sequi opinionem probabilem de Ministri jurisdictione, est sequi opinionem probabilem de Sacramenti valore. Cùm jurisdictio requisita sit ad valorem Sacramenti, uti constat ex Tridentino sess. 14. c. 7. definiente, *nullius momenti esse absolutionem, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet jurisdictionem.* Si ergo jurisdictio solùm sit probabilis & incerta, valor Sacramenti solùm erit probabilis & incertus. Ergo Sacramentum manifestò exponitur periculo nullitatis, & pœnitens manifestè exponitur periculo amittendæ salutis, seu peccatorum suorum remissionis. Quod enim plures aiunt, in casu probabilis opinionis, si fortè à parte rei falsa sit, suppleri ab Ecclesia jurisdictionem: vel non est verum, vel saltem non est certum, sed

probabile ad ſummum. Quia nullum eſt certum iſtius ſuppletionis fundamentum. Ecquod
1123 enim? Reſpondet noſter Lumbierus in obſervat. moralib. ad propoſit. ab Innocentio XI. damnatas, obſervatione 3. §. 2. fundamentum de eo certificans eſſe 1°. quia hic fuit huc uſque communis Doctorum ſenſus. Quem cùm Eccleſia viderit, & videat adeò communiter receptum, & à Confeſſariis in praxi obſervatum, taciturnitate ſuâ & tolerantiâ dedit, datque juriſdictionem, per ratihabitionem de præſenti: ſicut cùm Epiſcopus videt aliquem aliunde non approbatum coram ſe confeſſiones excipere, ſi taceat, ac toleret, ipsâ tolerantiâ ſuâ præſumitur licentiam ipſi dare.

2°. quia ſi Eccleſia nollet modo dicto dare juriſdictionem, id declararet. Cùm id omittere, in re adeò recepta, & ex qua innumerabilium animarum dependet ſalus, ſit deficere in re maximè neceſſaria ad doctrinam & paſtum, quem univerſalis Mater & Magiſtra dare tenetur. Cùm igitur Pontifex innumerabilium animarum periculo aliter occurrere non poſſit, niſi vel mentem ſuam in contrarium declarando, vel juriſdictionem de facto ſupplendo, nec mentem ſuam in contrarium declaraverit, habemus præſumptionem moraliter certam (utpote fundatam in officio boni Paſtoris, cui credibile non eſt Summos Pontifices deeſſe) quòd juriſdictionem ſuppleat.

3°. error communis vulgi tribuit juriſdictionem, ut habetur Lege *Barbarius* ff. de officio Prætoris. Ergo à fortiori communis ſapientum ſenſus, præſertim omnium, qui certè in eo conveniunt, quòd ſuppoſitâ opinione probabili, Eccleſia ſuppleat juriſdictionem, nec eſt in eo qui diſſideat, inquit Lumbierus: licèt enim Suarez, & quidam alii non habeant pro certo quòd ſuppleat; aſſentiuntur adhuc ipſi quòd ſuppleat.

1124 Sed triplex iſtud fundamentum nec certum, nec firmum eſſe multipliciter oſtenditur. Primò namque Eccleſia multa, etiam animabus pernicioſa, tolerat, quæ non probat, nec rata habet, uti docet Auguſtinus epiſt. 119. his verbis: *Eccleſia Dei, inter multam paleam, multaque zizania conſtituta, multa tolerat, & tamen quæ ſunt contra fidem, vel bonam vitam, non approbat*, patetque ex tot opinionibus ab Alexandro VII. & Innocentio XI. condemnatis, quas licèt Eccleſia ſciret à variis Doctoribus tradi, diù tamen diſſimulavit, uſque dum ad judicium ipſius delatæ, per dictos Pontifices proſcriptæ fuerunt, tamquam ſcandaloſæ, animabuſque pernicioſæ. Itaque ab Eccleſia *multa per patientiam tolerantur, quæ, ſi deducta fuerint ad judicium, exigente juſtitiâ non debeant tolerari*, inquit Alexander III. cap. *jam dudum* de feriis, divinâque id plerùmque fit providentiâ, ut interim momentoſæ veritates hinc inde fundamentaliter diſcuſſæ magis eluceſcant, matureſcatque fructus, priuſquàm definitivâ Pontificis manu, opportuno tempore, ex evangelicæ veritatis, vel eccleſiaſticæ traditionis arbore colligatur....

2°. exemplum Epiſcopi ratam habentis ab- 1125
ſolutionem ejus, qui (aliàs ſine juriſdictione) confeſſionem, Epiſcopo præſente, nec contradicente, excipit, in præſenti nihil probat. Quia nimis probat: cenſetur quippe Epiſcopus ratam habere abſolutionem, ipſo præſente, nec contradicente datam, etiam dum abſolvens non nititur ullâ opinione probabili de ſua juriſdictione, ſed abſolvit per meram ignorantiam, quâ v. g. ignorat neceſſariam ſibi approbationem, vel eam adhuc durare, cùm tamen expiraverit. In caſu tamen ſimilis ignorantiæ, licèt Eccleſia ſciat multos Sacerdotes ſine approbatione abſolvere, non ideò ſupplet, ſed tam abſolutio quàm confeſſio tali Sacerdoti facta, nulla eſt, prout ſacra Congregatio declaravit apud Valerum in differentiis utriuſque fori, verbo *parochus* differentiâ 5. Diſparitas proinde eſt, quòd, in caſu dicto, Epiſcopus (cùm facilè poſſit, ideòque debeat contradicere, dum nullam habet rationem diſſimulandi) ſi non contradicat, cenſetur conſentire, juxta regulam juris, *qui tacet* (dum ſcilicet contradicere debet) *conſentire videtur*. Eccleſia verò, in caſu noſtro, non tenetur illi Doctorum opinioni ſpecialiter contradicere, ſed poteſt juſtis de cauſis eam tolerare, dum non deducitur ad judicium ipſius. Et propterea, ex eo præcisè quòd non contradicat, non cenſetur conſentire.

Quod verò Eccleſia, juſtis de cauſis, poſ- 1126
ſit ejuſmodi opinionem, vel opiniones tolerare, nec Pontifices, ex boni Paſtoris officio, teneantur ſententiam hac de re ſpecialiter proferre, quamdiù ejuſmodi opiniones ad judicium ipſorum non deferuntur, conſtat ex citato cap. *jam dudum* de feriis, & ex praxi, ſeu conſuetudine Eccleſiæ, tamdiù, & tam frequenter tolerantis tam multas opiniones pernicioſas & falſas, ad judicium ſuum nondum deductas; quas deinde ad judicium ſuum deductas opportuno tempore condemnat. Quare, ſi ob defectum validæ abſolutionis plures animæ pereant, in caſu noſtro non pereunt culpâ Eccleſiæ, Summorumque Pontificum, ſed Confeſſariorum, ſine juriſdictione certa abſolventium, qui habebunt Deo rationem reddere de periculo, cui & Sacramentum, & animas fratrum ſuorum expoſuerunt: cùm ad id cavendum ſpeciali non indigerent Eccleſiæ declaratione, ſed ſatis ipſis eſſe deberent jus naturale, divinum, & canonicum, de præferendo certum incerto, ubi agitur de rebus neceſſitate medii neceſſariis, quarum valor non dependet ab opinionibus noſtris; item de non exponendo Sacramentum periculo nullitatis, nec proximorum animas periculo damnationis, &c. Idque maximè poſt Decretum Innocentii XI. per quod Eccleſia jam ſatis declaravit ſe non probare, quòd Confeſſarii in adminiſtratione Sacramenti pœnitentiæ, citra neceſſitatem, ſequantur opinionem incertam, ſolùmque probabilem de ſua juriſdictione, unde

de pendet valor Sacramenti, dum illicitum declaravit, *in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relictâ tutiore.*

1127 3°. suppletio jurisdictionis per Ecclesiam, ob summum rei momentum, unde valor Sacramenti pendet, salusque animarum, præsumenda non est sine certo in jure fundamento. Quo certè Adversarii destituti sunt: cùm nullâ lege vel Canone declaretur, Principem supplere defectum potestatis ad agendum, ob probabilem de sua potestate opinionem, quam agens habeat, magis quàm ob inculpatam ignorantiam de defectu illius. Ob quam Principem non supplere, constat ex contractibus alienationis bonorum immobilium, ex inculpata suæ inhabilitatis ignorantia initis à minorenni, necnon ex contractu matrimonii ab inhabilibus per ignorantiam inito, &c. Constat item ex absolutione per ignorantiam data à simplici Sacerdote, ob inculpatam simplicitatem ignorante necessariam ad id approbationem, de cujus absolutionis, sicut & factæ ipsi confessionis nullitate extat declaratio S. Congregationis apud Valerum suprà.

1128 4°. ex jure solùm habemus suppleri jurisdictionem, in casu quo duo concurrunt, scilicet communis error, quo quispiam creditur habere jurisdictionem, tituluque illius jurisdictionis à legitimo Superiore proveniens, licèt invalidus ob vitium occultum. Siquidem lex *Barbarius* ff. de offic. Prætor. (in qua fundatur suppletio illa) fundat se super communi errore, & super authoritate Superioris. Nam ille servus, qui communi errore putabatur liber, habuit officium à Superiore, sicque ibi concurrebant duo, scilicet authoritas Superioris, & communis error. Et ideò nec sufficere communem errorem, sine titulo proveniente à legitimo Superiore, nec sufficere titulum à legitimo Superiore provenientem, sine communi errore, communis est sententia, uti testatur Abbas in cap. *dudum* 2. n. 20 de elect. eamque bis secuta est S. Congregatio Concilii, teste Fagnano ad cap. *ne innitaris*, de constitut. n. 380. tenentque cum Canonistis Rosella verbo *confessio sacramentalis* 3. n. 41. Angelus verbo *confessio* 4. n. 12. Sylvester verbo *confessor* 2. n. 15. Navarrus in Manuali c. 9. n. 11. In casu verò nostro, non adest titulus proveniens à legitimo Superiore, solusque adest titulus proveniens ex privata Sacerdotis opinione; nec adest communis error, quo omnes communiter ipsum habeant pro Confessario legitimam jurisdictionem habente: cùm supponatur uti jurisdictione, de qua variant Doctorum opiniones, & cui frequenter multi, vel etiam sapientiores contradicunt. Longè proinde urgentior est ratio supplendi jurisdictionem, in casu communis erroris, cum titulo supradicto (utpote in quo omnes docti, & indocti communiter habent aliquem pro legitimo Superiore, vel Ministro, atque ob communem, qui invaluit, errorem, sciri ordinariè non potest, quòd careat jurisdictione, nec de eo dubitari) quàm in casu probabilis opinionis, licèt plurium, utpote ex adverso similiter habente probabilem opinionem, etiam subinde plurium, vel etiam sapientiorum, ob quam (saltem consulendo virum doctum) faciliùs dubitari potest de jurisdictione controversa, & consequenter adverti periculum nullitatis confessionis, & absolutionis, si tali quis confiteatur.

1129 5°. denique quotidiana praxis, seu consuetudo utriusque politiæ, Ecclesiasticæ & Civilis, satis declarat nec Ecclesiam, nec Rempublicam supplere jurisdictionem, in casu probabilis opinionis de ea, dum deficit communis error cum titulo, ut suprà. Quotidie namque videmus cassari sententiam Judicis, licèt probabilem de sua competentia opinionem secuti, ob ipsius incompetentiam. Frequenter etiam videmus matrimonia declarari nulla, ob defectum jurisdictionis in Ministro, qui illi adfuit, non obstante quòd secutus fuerit probabilem de sua jurisdictione opinionem. Quæ profectò cassationes, & declarationes non fierent, si Ecclesia in casu probabilis opinionis suppleret jurisdictionem. Et ideò à prima propositione per Innocentium XI. damnata, excipiendi non sunt Confessarii, in administratione Sacramenti pœnitentiæ, extra necessitatis articulum, probabilem sequentes opinionem minùs tutam de sua jurisdictione; sed dicendum, ipsis licitum non esse, sequi talem opinionem, uti præter Rosellam, Angelum, Sylvestrum, Navarrum suprà, meritò docent Nugnus, Peregrinus, Salas, & noster Philippus à SS. Trinitate (apud Franciscum à Jesu Maria tr. 6. de pœnit. c. 11. n. 73.) & cum iis Fagnanus loco citato, Garcias de benefic. p. 5. c. 4. n. 305. & c. 8. n. 87. (ubi hac de re refert Cardinalium declarationes) Petrus Marchantius Trib. Sacram. to. 1. tr. 2. tit. 3. q. 4. Oviedo 1. 2. tr. 5. controv. 3. puncto 4. n. 33. & seqq. Bardi in Bullam *Cruciatæ* p. 2. tr. 5. c. 1. sect. 14. n. 185. & 187. Spinola de elect. opin. disput. 3. sect. 6. conclus. 3. aliique non pauci. Proinde verum non est sapientes omnes in contraria sententia convenire.

Caveant igitur Confessarii, ne rei sint fru- 1130
strati valoris Sacramenti, perditionisque animarum, contrariam sententiam, tam validis argumentis disjectam, in praxi sequendo. Caveant nominatim Confessarii Regulares, ne in administratione Sacramenti pœnitentiæ utantur privilegiis incertis, & sub opinione positis, quibus alii probabiliter affirmant, alii probabiliter negant ipsis competere jurisdictionem. Et multò magis caveant, ne, in puncto approbationis, vel jurisdictionis, sequantur opiniones, quas noster Lumbierus loco suprà relato §. 3. appellat laxas, distortas, contentiosas, & contra se habentes decreta Ecclesiæ; quæ licèt sæpiùs expressè declaraverit, v. g. ipsos non posse ubique absolvere cum sola approbatione ab uno Ordinario, nec posse

absolvere à reservatis Ordinario, absque ejus facultate, &c. nonnulli equidem Theologi (inquit præfatus Author) contentiosè perstitunt, quærentes interpretationes, diverticula, & limitationes parum solidas, ut proprio judicio indulgeant. Quod cùm sit contra Ecclesiam quasi contendere, nullo fundamento moveri possunt, ut credant supplendum ab Ecclesia quidquam, vel ipsam tacitè consentire, ubi toties expressè dissentit.

CAPUT XCIV.

Corollarium quartum: Sacerdos, conscius peccati mortalis, debet potius celebrare contritus, quàm eò confiteri, qui nonnisi probabilem, & incertam habet jurisdictionem.

1131 SEquitur ex dictis capite præcedenti. Et ratio est, quia debet potiùs omittere confessionem, quàm invalidæ confessionis, & absolutionis subire discrimen. Neque enim præceptum confessionis celebrationi præmittendæ urget, nisi dum habetur copia Confessoris certò idonei.

CAPUT XCV.

Corollarium quintum: Non est licitum sequi quamlibet opinionem repertam in Authore juniore (licèt approbato) etiam dum non constat opinionem illam condemnatam esse à Sede Apostolica, ut improbabilem.

1132 ASsertio manifesta est, tum ex eo quòd sequi non liceat quamcumque opinionem probabilem. Tum ex eo quòd non eo ipso opinio probabilis censeri possit, quo reperitur in Authore moderno, tametsi non constet ab Ecclesia damnatam esse ut improbabilem. Contraria namque propositio, videlicet, *si liber sit alicujus Junioris, & Moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constat rejectam esse à Sede Apostolica, tamquam improbabilem*, damnata est ab Alexandro VII. Hanc quoque propositionem: *Authoritas unius Doctoris probi & docti, reddit opinionem probabilem*, Facultas Lovaniensis anno 1657. hâc censurâ notavit: *Perniciosa est, & innumeras absurditates invehit in omni materia doctrinæ moralis.* Cujus censuræ veritatem probant centum decem propositiones, partim ab eodem Alexandro VII. partim ab Innocentio XI. proscriptæ, tamquam pernicioſæ & scandalosæ, absurdissimæque aliæ, quas Prolegomeno 1. c. 2. produximus. Singulæ enim traditæ sunt ab uno vel pluribus Authoribus doctis & piis. Vixque ulla hoc sæculo fuit opinio tam exorbitans, quæ non habuerit ejusmodi Patronum, reputatum doctum & pium. Nec tamen authoritas unius, vel plurium ejusmodi Authorum, propositionibus & absurditatibus istis practicam conciliavit probabilitatem. Imò nec turba Doctorum eam conciliat, nisi concurrant conditiones cap. 81. recensitæ, ob rationes ibidem allatas. Vide etiam Prolegom. 3. c. 10. ubi multis ostendimus, authoritatem illorum Doctorum (quàmlibet multorum) qui morales suas resolutiones (præsertim jus divinum concernentes) magis ex humana ratione antecedente, quàm ex sacris Litteris, & SS. Patribus derivant, non satis habere ponderis, ad inducendam practicam, securamque probabilitatem.

Sed præ cæteris suspecta atque insecura (ob 1133
dicta ibidem) haberi debet authoritas eorum, quorum Theologia Moralis vel abundat opinionibus noviter adinventis, contra communem Veterum doctrinam, vel laxioribus resolutionibus, ab evangelica simplicitate, sanctorumque Patrum doctrinâ alienis. Quippe antiqua est veritas, nec nova de moribus, jus divinum concernentibus, doctrina Evangelica est, nec Apostolica. Teste etiam Alexandro VII. si laxiora illa opinamenta *pro recta regula fideles in praxi sequerentur, ingens irreptura esset vitæ christianæ corruptela, viamque saluis, quam suprema Veritas, Deus, arctam esse definivit, in animarum perniciem dilatari, seu veriùs pervertì contingeret.* Et ideò noster B. Joannes à Cruce in Sententiis Sent. 72. *Siquis* (ait) *tibi persuadere conetur doctrinam laxam, tametsi miraculis eam confirmet, non credas.* Tales itaque Doctores haud minùs suspecti esse debent, nec magis audiri, quàm Scribæ & Pharisæi, suis traditionibus Dei doctrinam relaxantes, & relaxando destruentes. De quibus Dominus quidem dixit: *Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi: quæcumque ergo dixerint vobis, servate & facite*; per hoc significare volens audiendos Doctores & Pastores, dum Dei legem ex sacris Litteris, vel Traditione Patrum erutam proponunt; sed non sic, dum eandem divinam legem suis adinventionibus relaxant. Neque enim dati sunt Doctores, nec proinde audiendi in destructionem, sed in ædificationem. 1. Cor. 10. Unde qui dixit, *super Cathedram Moysi*, &c. idem ipse de iisdem dixit: *Si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.*

Non itaque audiendus Caramuel, cùm ait: 1134
Quidquid Diana docet, benè docet. Item, *certi sumus tanto illius dogmata Doctorum firmari numero, ut quærenti, an hoc vel illud liceat, sufficiat dicere, Diana dixit.* Neque enim in Schola Pythagoræ sumus (cujus discipuli opinionibus ipsius acquiescebant, non aliâ ratione, nisi quia ipse dixit) sed in schola Christi, cujus, & non Dianæ, magisterio didicimus arctitudinem viæ deducentis ad vitam, & latitudinem viæ deducentis ad mortem. Multas certè Dianæ opiniones nimis laxas esse, viri pii deplorant, earumque nonnullas Ecclesia condemnavit, sicut & Caramuelis plurimas. Qui certè postquam dixit, quòd unius vel plurium Doctorum authoritas probabilem efficit opinionem, nimis audacter addidit: *Non datur in mundo visibili authoritas condemnandi opiniones probabiles*, id est, quæ aliquibus viris

ris doctis tales videntur. Quamvis enim verè & realiter probabile (supposito quòd detur) nullâ authoritate fieri possit verè & realiter improbabile; nimis perspicuum est, id quod solùm apparenter, & judicio aliquot Doctorum probabile est, condemnari posse ut improbabile, ut constat ex tot propositionibus per Ecclesiam condemnatis, non obstante quòd ante condemnationem à viris doctis probabiles habebantur.

1135 Nec magis audiendus Verricelli qq. moral. to. 1. tr. 2. q. 4. dicens: *Ex authoritate unius tantùm potest quis opinionem in praxi amplecti, licèt à principiis intrinsecis falsam & improbabilem existimet.* Aliter profectò censuit Augustinus relatus cap. *ego solis* dist. 9. dum dixit: *Alios autem ita lego, ut quantâlibet sanctitate & doctrinâ polleant, non ideò verum putem, quia ipsi ita senserunt; sed quia mihi per alios Authores, vel canonicas, vel probabiles rationes, quòd à verò non abhorreat, persuadere potuerunt.* Unde non obstante authoritate Hieronymi, & aliorum Hieronymo assentientium, sententiam ipsius, de Petro à Paulo per dissimulationem reprehenso, idem Augustinus falsam & improbabilem censuit: cujus judicium, cum tota Ecclesia, ipse postmodùm Hieronymus amplexus est. Nec eumdem Augustinum deterruit authoritas ejusdem Hieronymi, plurimorumque Patrum Græcorum, quominùs omne mendacium, etiam officiosum, in omni casu damnaret. Quòd si aliquot Patrum, quàmlibet gravium, authoritas non obstat, ne opinio ipsorum haberi debeat improbabilis & falsa, ab iis qui certâ aliquâ ratione, vel Scripturæ authoritate, talem deprehendunt, uti discimus ex facto & regula Augustini: quantò magis opinio aliquot Recentiorum, longè inferioris authoritatis, in simili casu, talis haberi debet, præsertim si laxitati plus justo deprehendantur addicti.

1136 Certè si authoritas unius pii & docti levius fundamentum est, quàm ut fidem mereatur apud eos, qui sciunt plures æqualis vel majoris authoritatis ac doctrinæ ei contradicere. Multò minùs fidem meretur apud eos, qui sciunt rationem vel authoritatem, sibi visam certam, ei contradicere.

1137 Ex his omnibus Petrus Marchantius in Trib. Sacram. tr. 5. tit. 5. q.... sapienter ait, periculosum esse sequi quorumlibet Authorum & Doctorum opiniones, ex eo solùm quòd in libris approbatis inveniantur, & permittantur imprimi. Neque enim prælum, neque impressio, aut etiam censura evulgari permittens librum, dat authoritatem opinionibus singulis, aut Authorum sententiis, quæ in libris reperiuntur. Neque liber, eo ipso quo approbatus est, probatam per omnia doctrinam continet. Satis enim mihi notum est (ait noster Lumbierus in observat. 29. ad propos. 27. ab Alexandro VII. damnatam) ab aliquibus libros approbari in sola fide boni nominis Authoris, labore eos legendi prætermisso. Nec approbatio librorum, aliud in substantia sibi vult, nisi quòd libri approbati nihil contra fidem aut bonos mores apertè doceant, nullam proinde propositionem strictè erroneam. De veritate verò aut falsitate, deque probabilitate aut improbabilitate practica opinionum Approbatores non curant (prosequitur Lumbierus) ideòque ad præsens intentum nihil authoritatis conferunt.

Si dicas, pœnitentem in conscientia tutum 1138
esse, dum unius viri sapientis, v. g. Confessarii approbati, vel Pastoris consilium sequitur: multò ergo magis, si docti Authoris sententiam typis mandatam sequatur.

Respondeo 1°. indoctum quidem pœnitentem satisfacere, si bonâ fide, & sincero desiderio veritatis in consultatione procedat (adhibitis mediis necessariis ad detegendam veritatem, sublatisque ad id obstaculis) nec ullo modo dubitet de sapientia consilii sibi dati, nec doctrina Confessarii, vel Pastoris ipsi ullo modo suspecta sit (quid enim ampliùs divinæ providentiæ suavitas ab homine simplici, nec majoris indaginis capaci exigeret?) sed non ita facilè securum esse posse, si librum consulat, præsertim in materia aliquantùm ardua. Cùm meritò timere debeat, ne minùs benè intelligat.

Respondeo 2°. extra materiam juris natu- 1139
ralis pœnitentem tutò sequi posse consilium cujuscumque Confessarii approbati, in eo quod tutius est, vel in casibus non controversis, vel in quibus nullum ipsi dubium occurrit de idoneitate & securitate consilii ipsius; verùm in casibus, quos scit controversos, vel in quibus ex innato lumine, vel aliunde inducitur in dubitationem, in conscientia tutus non est, sequendo consilium cujuscumque Confessarii approbati, in eo quod minùs tutum est, & in quo meritò timere potest nimiam laxitatem. Non enim omnes Confessarii approbati, sana securaque in ejusmodi casibus dant consilia; nec omnes sunt sufficienter versati ad benè consulendum in omnibus difficultatibus, quæ sibi proponuntur. Sed quoad hoc alii magis, alii minùs sanam, securamque sectantur doctrinam.

Nec ideò pœnitentes perplexi esse debent. 1140
Ad vitandam quippe perplexitatem, sufficit quòd in occurrentibus sibi difficultatibus habeant unde conscientiam suam dirigant consulendo peritiores, sanioraque docentes, sivè illos quos fama prædicat tales. Si enim in difficilibus sæculi negotiis, prudentia dictat consulendos in arte peritiores, & in difficili morbo non advocandum quemlibet Medicum, licèt approbatum; idem profectò dictat in difficilibus negotiis salutem animæ concernentibus. Nec in dubiis difficilibus, in quibus pœnitens audit diversos diversa sentire, debet citò credere, sed eos accedere, à quibus speret saniora probabilioraque sibi consilia danda, secundùm illud Corradi de contract. q. 100. *Illiteratus inquirat à litteratis timentibus*

Deum ; & sicut faceret imminente periculo corporalis vitæ, aut rerum, sic etiam, & multò magis in periculo animæ, viam tutam non tutæ præferendo, dum res aliquo modo ambigua est.

CAPUT XCVI.

Corollarium sextum : Theologo non licet ex opinione unius vel plurium, quam falsam putat, minùsve probabilem, in favorem carnalis libertatis consilium dare.

1141 NEque enim id permittunt circumstantiæ, quas præ oculis habere debet, nimirùm quis sit, à quo consilium petitur ; quis sit qui petit, qua de re petit, quantumque in ea momenti sit.

Primò, Theologus à quo consilium petitur, animarum rector est, id est Christi hac in parte personam sustinens. Quia *Magister noster unus est Christus*, Matth. 23. proinde cum hominibus loqui debet, tamquam Deo exhortante per ipsum, & per exhortationem, quâ exhortatur & ipse à Deo, 2. Cor. 5. cui proinde scopus unus esse debet, abstrahere homines à noxiis cupiditatibus, ne configurentur prioribus ignorantiæ suæ desideriis, sed vivant secundùm eum, qui vocavit eos Sanctum, & ipsi in omni conversatione Sancti sint. 1. Petr. 1.

1142 Secundò, qui petit consilium, Christianus est, cujus obligatio est, *ut jam non sibi vivat, sed ei qui pro ipso mortuus est*, 2. Cor. 5. carnem suam cum vitiis crucifigendo, Galat. 5. Christi vestigiis insistendo, *& sicut ille ambulavit, & ipse ambulando*, 1. Joan. 2. nec per latam viam gradiendo, sed per arctam, quæ ducit ad vitam, Matth. 7.

Tertiò, res de qua consilium petitur, est, utrùm tali facto divinus honor, lexque æterna violetur, an non ? utrùm hoc vel illud ad vitam ducat, an ad mortem, &c. Facilè verò quisque videt, omnes de rebus terrenis consultationes præ istius magnitudine nihil esse : cùm agatur de æterna salute, tam consilium petentis, quàm ejus à quo consilium petit. Si enim cæcus cæco ducatum præstet, cum ipso in foveam cadet. Quomodò igitur, his ita se habentibus, Sacerdos cæli viam sciscitanti, eam suggeret, quam certò, vel probabiliùs, aut certè probabiliter ad inferos deducere censebit ? Hoc profectò qui facit, triplex violat præceptum.

1143 Primum, quo Apostolus Ephes. 4. jubet in re tanti momenti, depositio mendacio, loqui veritatem : *Deponentes* (inquit) *mendacium, loquimini veritatem, unusquisque cum proximo suo, quoniam sumus invicem membra.*

Secundum, quo Christus Apostolis, & Apostolicis Ministris docere jubet omnes gentes quæcumque illis mandaverat.

Tertium, quo præcipitur charitas proximi, ipsum ad assequendam salutem æternam adjuvando.

Propterea etiam caveat Sacerdos, qui consilium dat, illud dare, modò secundùm unam, modò secundùm oppositam sententiam. Quia (præter dicta) modus iste nec decet Theologum constantem, nec Christianam redolet simplicitatem, nec Apostolicam sinceritatem, de qua 2. Cor. 1. *An quæ cogito, secundùm carnem cogito, ut sit apud me, est, & non ? fidelis autem Deus, quia sermo noster... non est in illo est, & non.* Debet ergo semper consulere secundùm tutiorem, nisi oppositam judicio sapientiorum censeat tutam. 1144

Nec verum est quod Tamburinus ait, debere semper consulere secundùm opinionem carnali libertati pœnitentis favorabiliorem, sive ea propria sit, sive aliena. Quàm enim hoc alienum sit ab evangelicis regulis, constat ex dictis Prolegom. 1. cap. 9. Et quomodò secundùm opinionem carnali libertati favorabiliorem Christiano Sacerdos semper dare debet consilium : cùm totum Novum Testamentum nihil aliud prædicet, nisi abnegationem carnalis libertatis ? *Dicebat ad omnes, siquis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem quotidie, & sequatur me.* Luc. 9. Quæ verba præceptum continere, non consilium dumtaxat, manifestum est ex ratione quam Christus subjungit : *Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam.* Item : *Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, anima verò suæ detrimentum patiatur ?* Istam Christi doctrinam fidelibus potiùs inculcare debent verbi Dei Præcones, & Confessarii, quàm carnali libertati ipsorum ex humano respectu abblandiri, ne sibi contingat, quod ibidem sequitur : *Qui me erubuerit & sermones meos, hunc Filius Hominis erubescet, cùm venerit in Majestate sua.* Timeant proinde Theologi & Confessarii, qui arctam cæli viam, quam Christus docuit, docere non audent, ne Rigoristæ notam incurrant, &c. 1145

At (inquit Tamburinus) qui consilium petit, non interrogat, quæ via tutior sit (cùm ad id dignoscendum consilio tuo non egeat : quisque enim satis scit, v. g. tutius esse restituere, quàm non restituere) sed an sine peccato sequi possit opinionem faventem libertati. 1146

At (inquam ego) tametsi consilium petens, utplurimùm consilio non indigeat ad sciendum quid tutius sit ; indiget tamen ad sciendum, an sequi teneatur tutiorem viam ? Nec suæ salutis amator præsumendus est inquirere, sitne aliqua qualiscumque opinio in favorem suæ libertatis ; sed an tutò & cum salute possit eam sequi. Quòd si ex circumstantiis appareat magis amator libertatis suæ, quàm salutis, redarguendus est per ea quæ Christus suprà dixit Luc. 9.

CAPUT XCVII.

Corollarium septimum: Eos Spiritus sanctus meritò reprehendit, pœnâque cæcitatis castigat, qui varios adeunt Doctores, usque dum inveniant loquentem placentia, suaque cupiditati indulgentem.

1147 Escobar & Palao, post Sanchez, licitum putant, varios adire Doctores, donec occurrat qui (secundùm opinionem quamcumque, etiam minùs probabilem) respondeat ad libitum. Sed imprimis falsum supponunt; utique licitum esse usum opinionis cujuscumque, etiam minùs probabilis. Deinde tametsi per se illicitum non sit varios adire Doctores, dummodò veritas potiùs quàm propria libertas & commoditas sincerè atque efficaciter intendatur: erratici tamen illi, de Doctore ad Doctorem circumcursantes, suam potiùs libertatem, commoditatemque, quàm veritatem quærere convincuntur, partim ex eo quòd non cessent quærere donec suæ libertati reperiant indulgentem, cessent verò dum talem repererint: partim ex eo quòd sincerus inquisitor veritatis non conquiescat donec vel opinionem veram invenerit, vel (si veram assequi non possit) saltem veritati, quàm falsitati propiorem. Erratici verò illi conquiescunt in opinione suis commoditatibus propitia, etiam dum minùs probabilem esse cognoscunt, atque adeò propiorem falsitati, quàm veritati.

1148 Illustre similium hominum exemplum, S. Scriptura exhibet in Balaam, quem cùm, promissis muneribus, Balac Rex Ammonitarum vocasset ad maledicendum Dei populum, consuluit Dominum; à quo responsum accepit, ne id faceret. Rege verò majora offerente munera, renuit quidem in speciem, dicens, pro nulla re se velle ab officio dimoveri: *Si dederit mihi Balac plenam domum suam argenti & auri, non potero immutare verbum Domini Dei mei, ut plus, vel minùs loquar.* Sed nec sincerè, nec efficaciter, ut satis ostendit, dum non contentus semel consuluisse Dominum, ejusque cognovisse voluntatem, ad occultam voluntatem, seu cupiditatem suam, Deum inflectere volens, rursum consuluit, ac per hoc *ibi se victum cupiditate monstravit* (inquit Augustinus l. 4. in Numeros q. 48.) *ubi loqui sibi Dominum de hac re iterùm voluit, de qua ejus jam cognoverat voluntatem. Proinde Dominus, videns ejus cupiditatem captam, devictamque muneribus, permisit eum ire; hoc ipso confundens ejus dementiam, quòd prohibitionem Dei transgredi asina non auderet, quam ille cupiditate transgredi conaretur, quamvis eam cupiditatem timore supprimeret. Enimverò cur, post istam permissionem, Dominum iterùm non consuluit, & post istam prohibitionem iterùm consulendum putavit, nisi quia ejus maligna cupidias apparebat, quamvis timore Domini premeretur?*

En expressam figuram eorum, qui suis dedi- 1149
ti cupiditatibus, tamdiù Dominum consulunt; sive Domini loco Casuistas, donec acceperint responsum ad placitum, quo accepto non ampliùs consulunt; non accepto verò consulere non cessant, ut per hoc non minùs appareat latens cupiditas ipsorum, quàm apparuerit in Balaam, tametsi eam revelatâ facie non audeant apertè demonstrare, sed aliquo Dei timore suppressam pallio alicujus probabilitatis conentur obtegere. Ideòque Deus justo judicio permittit eos in errorem ire, *spargens pœnales cæcitates super illicitas cupiditates*, ut Augustinus ibidem ait.

Ista est pœna coacervantium sibi Magistros, 1150
prurientes auribus, qui (sicut Isaïas ait) *dicunt videntibus* (non quidem verbis expressis, sed occultâ intentione) *nolite videre: & aspicientibus, nolite aspicere nobis ea quæ recta sunt: loquimini nobis placentia, videte nobis errores.* Eandem pœnam his verbis expressam legimus Ezech. 14. *Fili hominis, viri isti posuerunt immunditias suas in cordibus suis.... numquid interrogatus respondebo eis?.... Hæc dicit Dominus Deus: homo, homo de Israël, qui posuerit immunditias suas in corde suo... & venerit ad Prophetam, interrogans per eum me, ego Dominus respondebo ei in multitudine immunditiarum suarum.... Et ponam eum in exemplum, & in proverbium, & disperdam eum de medio populi mei, & scietis quia ego Dominus. Et Propheta cùm erraverit, & locutus fuerit verbum, ego Dominus decepi Prophetam illum.... juxta iniquitatem interrogantis, sic iniquitas Prophetæ erit, ut non erret ultrà domus Israël à me*, &c. Ut enim Spiritus sanctus ait Eccl. 37. *Qui quærit legem, replebitur ab ea; & qui insidiosè agit* (prout illi faciunt) *scandalizabitur in ea.* Et 2. Thessal. 2. *Eò quòd* charitatem veritatis non *receperunt, ut salvi fierent, ideò mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio.*

CAPUT XCVIII.

Corollarium octavum: Varia dicta Veterum, de benignitate in consiliis sectanda, nec facilè condemnando aliquid de mortali, perperàm à variis Recentioribus intelliguntur.

Benignitatem in consiliis sectandam, ni- 1151
miamque austeritatem vitandam, Veteres jure monuerunt, & nos cum ipsis idipsum multiplici sacrarum Litterarum & SS. Patrum authoritate ostendimus Prolegom. 2. c. 18. *Benignus est enim spiritus sapientiæ.* Sap. 1. Hinc Gerson timoratorum consolator 3. p. lect. 4. de vit. spir. litt. D. *Theologi* (inquit) *non debent esse faciles ad asserendum aliquas actiones, vel omissiones esse peccata mortalia, præsertim sub verbo universali* (*maximè cùm observatio communis obnitatur*) *ubi non sunt certissimi de re ipsa, nec talia sunt prædicanda populo tamquam certa. Nam per hujusmodi assertiones voluntarias, rigidas, duras, & nimis strictas, in rebus*

incertis, nequaquam eruuntur homines à luto peccatorum, sed in illud profundiùs, quia desperatiùs, demerguntur. Hinc etiam generantur scrupuli inquietativi simplicium, ut eis sit solidum nihil. Nam etsi *beatus vir, qui semper pavidus, & veretur peccata sua; observandum tamen est summoperè illud Terentianum*, NEQUID NIMIS, *& ne in scirpo nodum quarant. Demum quid prodest, imò quid non obest coarctare plus justo mandatum Dei, quod est latum nimis? quid insuper expedit, amarius, gravius-que reddere illud Christi jugum, quod suave est, & onus ejus leve? Nam etsi contemptus ex hac laxatione & dulcedine apud aliquos improbos major oriatur, habentes velamen malitiæ libertatem: at apud alios, benè instructos, gratiarum resonabunt actiones. Præstabitur etiam seduliùs servitium Domino, cujus mandata gravia non sunt, quippe qui non vult nos tentari & gravari supra id quod possumus.*

1152 Similiter Gabriel in.... dist. 15. q. 13. a. 2. *Indiscretum est & malum, asseri aliquid esse peccatum mortale, quando non probatur sufficienti authoritate, vel manifestâ ratione. Quia esset injicere laqueum animabus.*

1153 Similiter in Glossa Prologi Constitutionum Ordinis Prædicatorum textu 10. §. 3. ad illa verba: *cùm Ordo noster specialiter ob prædicationem, & animarum salutem, &c. sic habetur: declaratur quòd tria sunt præcipuè quæ salutem impediunt animarum.... tertium est nimia austeritas in consiliis & opinionibus, terrentur enim homines ex hoc in tantum ut salutem propriam negligant. Quapropter relaxanda est, quantùm fieri potest, rigiditas & austeritas in consiliis, & homines benignè tractandi sunt.*

1154 His se prætextibus muniunt, qui largâ manu probabilismum, & laxiores tuentur opiniones, quas blandiori vocabulo *benigniores* appellant. Quippe benignior est (inquiunt) opinio quæ conscientiam solvit, quàm ea quæ ligat. Nec ideò minùs tuta. Tum quia omnes opiniones probabiles sunt per se æquè tutæ, ait Caramuel in Reg. S. Bened. disp. 6. n. 58. Tum quia, ut Sylvester ait verbo *confessio* 1. q. 2. *licèt tutius v. g. statim habitâ opportunitate confiteri, quàm differre; non tamen tutius est tenere, quòd sic obligemur. Quia viri timorati inde haberent maximam occasionem peccandi.*

1155 Hinc suis opinionibus contradicentes traducunt ut austeros, inhumanos, rigoristas, conscientiarum carnifices, &c. cùm ipsi haberi velint benigni, humani, benevoli, &c. Sed reverà tales non sunt: quia incidunt in scyllam nimiæ laxitatis, dum vitare volunt charybdim nimiæ rigiditatis. Verè enim benignus, utrumque extremum vitat, uti vidimus loco citato; laxiorque opinio maligna potiùs, quàm benigna dicenda est.

1156 Ob ea quæ dixi Prolegom. 1. c. 9. Verendum proinde, ne in ipsos quadret, quod S. Paulinus ait epist. 50. *Adulatorum assentationes, & noxia blandimenta fallacia, velut quasdam pestes fuge. Nihil est quod tam facilè corrumpat mentes hominum. Nihil est quod tam dulci & molli animum feriat vulnere. Unde & quidam Sapiens ait: Verba adulatorum mollia; feriunt autem interiora ventris. Et Dominus loquitur per Prophetam: Populе meus, qui beatificant vos, semitas pedum vestrorum dissipant.* In multis, isto maximè tempore, regnat hoc vitium, quodque est gravissimum, HUMANITATIS ET BENEVOLENTIÆ LOCO DUCITUR. Sed falsa, non vera est humanitas, & benevolentia ipsorum. Dum enim indulget humanæ cupiditati, noxia est charitati, dumque carnali libertati propitia est, damnosa est libertati spirituali. Ad quam ut hominem perduceret Christus, hominum benignissimus, *non venit pacem mittere, sed gladium*, Matth. 5. 1. nec prædicavit doctrinam humanæ cupiditati, carnalique libertati indulgentem, sed contradicentem.

Ideò rursus verendum, ne in eosdem simi- 1157
liter quadret illud Ezech. 13. *Væ qui consuunt pulvillos sub omni cubito manûs, & faciunt cervicalia sub capite universæ carnis.* Nam per molles opiniones, & humanis cupiditatibus blandientes, non excitantur peccatores à somno concupiscentiarum suarum, sed hujusmodi opiniones, sunt eis velut pulvilli, & cervicalia, quæ corruptam naturam in concupiscentiis suis molliter requiescere faciunt, dum iis blandiuntur. Ideò sapientissimus Pater Gravina in suo Cherubim Paradisi c. 4. in blandos & molles opinatores hisce verbis insurgit: *Quò usque irruitis in hominem, interficitis universi vos, tamquam parieti inclinato & maceriæ depulsæ.* Homo enim (inquit) est velut paries inclinatus propter concupiscentiam: *liniatores hujus parietis sunt opinantes, & progressu temporis non est paries, & non sunt qui liniunt eum. Adversus istos liniatores invehitur Dominus Ezech. 13. Ipse ædificabat parietem, nempe peccatorem; illi autem liniebant eum luto absque paleis. Dic ad eos qui liniunt absque temperatura, quòd casurus sit paries.... Numquid non dicetur vobis, ubi est litura quam liniistis? .... dicamque vobis, non est paries, & non sunt qui liniunt eum. Cadet enim peccator, qui consulitur ab hujusmodi opinantibus, & liniatores, qui sunt ipsi opinantes, cum suis opiniunculis, destruentur.* Quantam enim animarum perniciem, quantam morum corruptionem laxiores causent opinatores, hodiernæ Ecclesiæ facies satis ostendit, deploratque Alexander VII. in Decreto suo memorato. Deplorat & Salesius: *quid enim Ecclesiam* (inquit) *Domini hodie perdit, nisi Confessariorum, & Pastorum blandiens adulatio?*

Non itaque favet ipsis Gerson: utpote cu- 1158
jus verba ista, *nec talia sunt prædicanda populo tamquam certa*, satis ostendunt ipsum nihil aliud velle, nisi ut vitetur nimia facilitas in arguendo quidpiam certi peccati mortalis, sine certo fundamento. Nimia item severitas in coarctando plus justo jugum Domini, nul-

lâ habitâ ratione humanæ fragilitatis. Quam & nos vitari volumus, ſed ſic ut extremum utrumque caveatur. Siquidem *cunctis animarum diſpenſatoribus legem* ſtatuit Nazianzenus orat. 32. *ut nec per duritiam hominum animos exaſperent; nec per ſummiſſionem inſolentes & elatos efficiant.*

1159 Nec favet ipſis Gabriel: utpote non requirens authoritatem, vel rationem certam ad aſſerendum quidpiam mortale, aſſertione opinativâ, incertâ, & formidoloſâ (neque enim vult, nec velle poteſt, opinionis, ſeu opinativæ & formidoloſæ aſſertionis, fundamentum eſſe debere certum) ſed ſolùm ad id aſſerendum aſſertione certâ, ſive ad id aſſerendum tamquam certum, præſertim contra communem opinionem cæterorum. Proinde ſolùm vult, id non aſſerendum pluſquàm probent rationes, & authoritates, quibus quis movetur. Nec enim probationibus incertis aſſentiendum ut certis, ſed certis ut certis, incertis ut incertis, ut ſcilicet aſſenſus ſit proportionatus fundamento ſuo. Sic enim nulla eſſe poteſt deceptio, ſecundùm Auguſtinum l. 3. contra Academic. c. 11. dicentem: *Noli plus aſſentiri, quàm ut ita tibi apparere perſuadeas, & nulla deceptio erit. Non enim video, quomodò refellat Academicus eum, qui dicit: hoc mihi cavendum, videri ſcio*, &c. Porrò ſicut nihil aſſerendum tamquam certò mortale; ita nec tamquam certò non mortale, ſine certa probatione: cùm omnis prudens aſſertio, ſive quæ accuſat, ſive quæ excuſat, proportionata eſſe debeat fundamento ſuo. Ideò *omnis quæſtio, in qua de peccato mortali agitur* (ſecundùm Angelicam doctrinam quodlib. 9. a. 15.) *periculoſè determinatur* (ſive negativè, ſive affirmativè) *niſi expreſsè veritas habeatur*, id eſt niſi veritas determinatè appareat pro una potiùs, quàm pro altera parte, vel utique per manifeſtam rationem, authoritatemvè, pro determinatione manifeſta; vel ſaltem probabiliori, pro determinatione opinativa, ita ut determinatio proportionata ſit fundamento ſuo, nec quidquam determinetur ſine ſufficienti fundamento. Aliàs periculoſa erit determinatio, ſive accuſans de mortali, ſive ab eo excuſans. Ut enim proſequitur S. Doctor, *error quo creditur eſſe mortale, quod non eſt mortale, ex conſcientia ligat ad peccatum mortale.* Error verò quo non *creditur eſſe mortale, quod eſt peccatum mortale, conſcientiam non excuſat à toto*, ſi culpabilis ſit, nec ſufficienter fundatus.

1160 Iſtum verò genuinum eſſe ſenſum, tam S. Thomæ, quàm Gabrielis, & Gerſonis, patet, tum ex contextu (pro S. Thoma) tum ex eo quòd tam idem S. Thomas, quàm Gerſon & Gabriel, ſicut & cæteri Doctores, multa de mortali opinativè accuſent, vel ab eo excuſent, ubi veritas nec pro, nec contra manifeſta eſt, ſed incerta & controverſa. Vide quæ dixi Prolegom. 2. à cap. 8. num. 75. 76. & 77.

1161 Denique non favet ipſis Gloſſa Prologi Conſtitutionum Ordinis Prædicatorum: fatemur enim homines eâ benignitate tractandos, quâ Chriſtus, quâ Apoſtoli, quâ Apoſtolici viri eos tractaverunt, non docendo viam latam, ſed arctam, nec prædicando libertatem carnalem, ſed ſpiritualem, nec humanæ favendo cupiditati, ſed charitati. Fatemur etiam nimiam auſteritatem à conſiliis arcendam; ſed non inductâ nimiâ laxitate, nec magis favendo humanæ libertati, quàm divinæ legi, ubi æqualis vel major eſt probabilitas pro lege quàm pro libertate. Fatemur denique, conſcientias hominum non ampliùs conſtringendas, quàm eas conſtringant ſacræ Litteræ, Canones, Patres, vel ratio inde deducta; ſed nec ratione purè humanâ magis laxandas, quàm permittant ſacræ Litteræ, Canones, Patres, &c.

Nihil proinde ex Gerſone, nihil ex Gabriele, nihil ex allata Gloſſa pro ſe habent Probabiliſtæ, nec indulgentiorum opinionum Patroni, qui à Petro Bleſenſi epiſt. 24. diſcere poſſunt, quali benignitate pœnitentes tractandi ſint, eos utique clementer ſuſcipiendo, audiendo, inſtruendo; humanæ eorum infirmitati compatiendo, immoderatis non onerando pœnitentiis, vel obſervantiis; non Phariſaïca vultuoſitate confundendo, vel cum indignatione repellendo; nec denique miſericordiam & abſolutionem denegando poſcentibus cum humilitate & lachrymis, ſufficientibuſque veræ pœnitentiæ ſignis, &c. ſed Salvatoris clementiam & benignitatem imitando, qui arundinem quaſſatam non confregit, nec linum fumigans extinxit, ſed cum peccatoribus manducando, eoſque ad pœnitentiam benignè vocando, confortavit manus diſſolutas, & genua debilia roboravit. Denique miſericordiam volens & non ſacrificium, teſte D. Dionyſio Areopagitâ, S. Carpum increpavit, quòd peccatori indighatus, Dei juſtitiam, non miſericordiam, adverſus ipſum inclementer imploraſſet. 1162

Iſta proinde vera, & chriſtiana eſt benignitas; non illa, de qua ſibi blandiuntur Adverſarii, dum omnes probabiles opiniones de licito, benignas vocant, & æquè tutas. Quod quàm alienum ſit à veritate, & à doctrina Eccleſiæ, ſatis in ſuperioribus oſtenſum eſt. 1163

Nec univerſim magis verum eſt, quod addunt, benigniorem eſſe opinionem, quæ conſcientiam ſolvit, quàm quæ ligat. Si enim opinio, quæ conſcientiam ligat, conformis ſit divinæ legi, jugoque Chriſti; ea verò quæ conſcientiam ſolvit, ſit ei difformis, benignior eſt quæ ligat, quàm quæ ſolvit; & in dubio benignior eſt, quæ liberat à periculo faciendi contra eandem Dei legem, jugumque Chriſti, quàm quæ ei periculo exponit: quemadmodùm ipſa lex Dei benignior eſt, ſuaveque jugum Chriſti benignius eſt (utpote liberans à ſervitute peccati, hominesque illuminans, ſanctificans & beatificans) quàm carentia legis, ſub ſuavi cujus jugo haud dubiè beatior 1164

est populus Christianus, & beatior fuit populus Israëliticus, quàm Gentiles legem non habentes.

1165 Atque hinc dictum Sylvestri explicandum est: tametsi enim tutius non sit obligationem (v. g. confitendi primâ opportunitate post peccatum) asserere, quàm non obligationem, ubi longè urgentius est fundamentum asserendi non obligationem, quàm obligationem; tutius tamen est asserere obligationem quàm non obligationem, ubi urgentius, vel æquè urgens est fundamentum asserendi obligationem, quàm non obligationem. Quia cæteris paribus, magis favendum legi, quàm libertati, & multò magis ubi ratio major est pro lege, quàm pro libertate. Idque Sylvester ipse docet, dum docet partem tutiorem, id est stantem pro lege, seu obligatione, necessariò eligendam, dum probabilitate æquat partem minùs tutam, id est faventem libertati: multò magis idipsum exigens, dum pro lege stans probabilitate superat stantem pro libertate.

Finis Tomi primi.

HENRICUS
Sabbatio
THEOLOGIA
Sanctorum
Tom. I et II
D. V.
29

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



HENRICI
A S. IGNAT.
THEOLOG.
TOM. I. ET II.

Th
443a

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

HENRICI
S.
A
Ignatio.

THEOLOGIA
Sanctorum
Tom I et II
D. V.
29

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN